
VITAE PATRVM.


VITÆ PATRVM
DE
VITA ET VERBIS
SENIORVM
SIVE
HISTORIÆ EREMITICÆ
LIBRI X.
AVCTORIBVS suis et NITORI pristino
restituti, ac NOTATIONIBVS illustrati,
Operâ et studio HERIBERTI ROS-WEYDI
Vltraiectini, è Soc. IESV Theologi.
Accedit ONOMASTICON Rerum et Verborum
difficiliorum, cum multiplici INDICE,
etiam CONCIONATORIO.
Editio secunda, variè aucta et illustrata.
ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
M.DC.XXVIII.
Cum priuilegijs Cæsareo et Principum Belgarum.

DE VITIS PATRVM EARVMQ. RECOGNITIONE

AD

R[dum] admodum Dominum ac Patrem

ANTONIVM DE WINGHE

ABBATEM LAETIENSEM

ORDINIS S. BENEDICTI

ET

RELIGIOSVM EIVS COETVM

HERIBERTI ROSWEYDI

PROOEMIVM.

ANNVS iam agitur quartus, ex quo mihi prouinciam hanc, admodum R[de] Domine, VITAS-PATRVM recognoscendi imposuisti, omnem operam quà à libris quà à sumptibus, vt olim Euagrius in Syriæ eremo Vitas sanctorum Patrum non minùs calamo quàm vitâ exprimenti Hieronymo, idemtidem spondens. Exstimulabat Te copiosus, quem ex hoc libro cuiusque religiosum animum consequi posse censebas, fructus. Ego primùm detrectare, caussari quòd alio

opere distinerer, suggerere de Baronij legendis reliquijs, quem sciebam eo olim animo fuisse, vt eam ornaret prouinciam: ideóque Romæ inquirendum esse, si quæ fortè ornamenta reliquerit.

Primo igitur quoque tempore Romam cogitans, per Illustrem & R.dum admodum Dominum Moronatum sancti Michaëlis in Galliâ abbatem, etiam Ill.mi Cardinalis Perronij accedentibus auspicijs, à Baronianorum studiorum conscijs inquiris, si quid subsidij ad hanc rem præstantissimus Annalium scriptor reliquerit. Responsum verò hoc Româ accipitur: Verum quidem est, ad instantiam „ multorum piorum fratrum fuisse animum Illu- „ str.mo Cardinali Baroniô s. m. amplificare & scribe- „ re in librum VITAS-PATRVM, quod & promisit „ in aliquibus suis libris: sed huc vsque operi non „ adhibuerat manum, quia studia sua aliò direxit. „ Præceperat quidem in eum finem Procuratori „ Ordinis Cassinensis, vt scriberet ad duo vel tria „ principalia monasteria sui Ordinis, & inquireret „ an haberi possent libri impressi vel manuscripti, „ qui tangerent hanc materiam: & si benè memini, „ etiam Ill.mo Cardinali Sappatæ supplicauit, vt in „ Hispaniam scriberet pro simili inquisitione. Et „ existimabat aliquid se etiam reperturum in Biblio- „ thecâ Vaticanâ: sed præuentus morte exsequi „ non potuit pium suum desiderium. Domi non in- „ ueni nisi vnum librum VITAS-PATRVM, im- „

Epistol. Rom. ad Cardin. Perron.

pres-

„pressum Lugduni anno M. D. XXII. tam mendo-
„sum, vt vix possit intelligi. Hæc caussa est, cur Ill^{mæ}
„Dominationi Vestræ nequeam satisfacere, sicut
„ipsa cupit, & sicut ego libenter & cum omni reue-
„rentiâ facerem, si mihi esset integrum. Si quis sit
„qui manum adhibere velit huic operi, & operam
„suam impendere vt perfectum reddat hoc opus,
„rem præstabit gratissimam Deo Opt. Max. & vti-
„lissimam omnibus religiosis volentibus piè viuere.

Hoc habito responso, cùm viderem hanc prouinciam mihi integram relictam, quam à me adornari optabas, omnibus alijs studijs sepositis, in vnam hanc rem incubui. Et quidem tria mihi potissimùm in hac recognitione præstanda esse sentiebam.

PRIMO, vt quoniam ab auctoribus omnis libris auctoritas, in eos non perfunctoriè inquirerem. Quod quâ curâ præstiterim, tum manuductione librorum scriptorum, tum historiæ variæ monitu, docebunt proximè sequentia Prolegomena.

SECVNDO, vt textus prodiret genuinus, nullis interspersus glossematis, nullo subdititio adornatus fuco. Nempe ramenta auri è venis suis sinceriora exeunt, quàm à fornace aurificis mixtione nescio quâ subinde adulterata. Quam in rem manuscriptos vndique codices non è Belgio tantùm, sed etiam ex Germaniâ euocaui, quorum catalogum Prolegomeno XXIV. reperies. Quæsiui & editiones

 quas

quas nancisci potui vetustissimas: imò me propè omnes seu recentiores seu vetustas nactum esse vix dubitem asserere. Certè ad XIX. diuersa exemplaria indagaui & inspexi, quæ locis & annis asignatis Prolegomenon XVII. suggeret. His fretus subsidijs manuscripta cum impresis inprimis comparaui, nunc manuscripta cum manuscriptis, nunc impressa cum impresis quoque committens.

TERTIO, vt sicubi verbum aliquod difficile occurreret, sicubi ritus aliquis rarior dubium teneret Lectorem, sicubi historia perplexa sensum turbaret; difficultatem explicatione tollerem, raritatem similium adductione notiorem facerem, perplexitatem collatis inter se historicis euoluerem: omnibus denique locis tenebrosis, quantum mihi domestica suggerebat facula, lucem inferrem.

Baron. Notat. in Martyr. Roman. 17. Ian.

Quia verò memineram Baronium hisce PATRVM VITIS iam olim benè voluisse, quidquid ex eius scriptis ad has Vitas illustrandas colligere potui, suis locis eius verbis dedi. & vel eo nomine libuit magno viro parentare.

Habes, admodum R^de^ Domine Prælate, instituti mei rationem: habes VITAS PATRVM tantopere desideratas. Quas Tibi tuóque cœtui imputabit posteritas, quòd fauore sumptúque vestro, veste nunc prodeant cultiore.

Sed nullásne sollemni præfatorum more, laudum Tibi tuóque cœtui licebit hîc laureas texere?

Non

Non permittis; Deo domeſticóque ſat glorioſus teſte. Suſtinere igitur me calamum à tuis tuorúmq; „laudibus iubes, ne affectus, inquis, tuus erga nos „transferat te ſupra rei veritatem. Ego verò, etſi de affectu teſtari poſſim, nihil me extra verum de Te tuiſque ſentire; ne tamen in limine, quod aiunt, ad inobedientiæ lubricum offendam, iuſſis pareo. *Epiſt. Abbatis VVinghij ad Herib.*

Nihil dicam de religionis, quo flagras, ſtudio; nihil de paupertatis, quo gaudes, amore; nihil de pietatis, quo in Deum exæſtuas, ardore; nihil de præclaro tuorum regimine, quibus non verbis magis quàm exemplo præis; nihil denique (de quo tamen ego copioſiſſimè loqui, tu libentiſſimè audire poſſes) de ſingulari tuo in minimam Societatem noſtram affectu, quem animus tunicáque non minùs noſtratem, quàm religioſa REGVLAE DISCRETIONE PRAECIPVAE obſeruantia, & ma- forte Benedictinum facit. Nihil igitur de tuis laudibus dicam, quòd hæc laudum flabella ſemper flagella exiſtimaſti. *Greg. l. 2. Dial. c. 36*

Sed nec Te pro merito conuenire licebit, religioſe cœtus LAETIENSIS, qui diſciplinâ veſtrâ repræſtatis nobis Tabennam Pachomij, Ammonis Nitriam, Macarij Sceten? Quos enim non vna LAETIA virtutum manipulos exhibuit ſub BLOSIO? quibus non charitatis pyropis exſplenduit ſub DOVLLETIO? quo non effulſit religionis decore ſub LE-FRANCQVIO? Quiſquis profectò VI-

TAS-

TAS-PATRVM leget, dum Aegypti perambulans solitudines, Paulos, Antonios, Paphnutios lustrat; dum Palæstinæ deserta peruadens, Hilariones, Hesychas, Epiphanios inuisit; dum Syriæ rupes antráque perreptans, Ephræmos, Aphraates, Julianos visitat; is LAETIAM oculis, LAETIAM animo, LAETIAM adoret vestigijs. Ibi magnorum illorum virorum imitatores, quorum sacra in religiosorum animis viget memoria, Abbates inueniet. Quibus ne WINGHIVM non minùs virtutum quàm dignitatis successorem accenseam, eius non patitur modestia. Quare eum posteris, non suspectis mortuorum censoribus, laudandum relinquo.

Fruere intereà, admodum R^de D. Prælate, cum religioso tuo cœtu hoc sumptibus tuis elimato de VITIS PATRVM tomo. Cui si alter quandoque tomus accedat, qui omnia Patrum ascetica scripta vno velut fasce comprehendat, haberes quidquid ad veterum ascesim requiri possit. Quò enim hic liber ad mores efformandos exemplis præit, alter docendo manuduceret. Sed quia scriptum memini: Cœpit IESVS facere & docere; hic nunc factorum liber præcurrat. *Act. 1.*

Quòd si solito fauore studia mea perrexeris prosequi, & sacræ historiæ amantes è suis singuli prouincijs SANCTORVM VITAS pergant submittere; dabo operam, vt illæ quoque simili modo recensitæ subsequantur.

NO-

NOVA ADLOCVTIO.

HÆC vota mea erant anno M. DC. XV. quando ex vmbrâ ad Solem auſpicijs Veſtris VITÆ PATRVM typis Moretianis prodibant. Et iam SANCTORVM reliquorum Hiſtoriæ me accingebam, cùm ecce tibi prodijt nonnemo Eccleſiæ hoſtis, cui neceſſariò occurrendum fuit. Relictis igitur SANCTORVM armarijs ad SANCITORVM armamentaria me conuerti.

Et poſt tres debellatos hoſtes, poſt Hiſtoriam Eccleſiaſticam & nonnulla alia patriæ data, cùm iam VITAS SANCTORVM in manus reſumerem, & IANVARIVS pluteum premeret, vt ad prælum adornaretur; interpellor ab accuratiſſimo Typographo mihique amiciſſimo Balthaſare Moreto, qui aſſerebat VITAS PATRVM poſci, identidemque repoſci. Huic igitur operi rurſus me impendi, & hos æſtiuos menſes correctioni & editioni dedi, adiutus ſingularibus Tuis obſeruationibus, bonarum ſpongiarum plenis.

Gratas porrò nunc, vti olim, has veterum Patrum melotas denuò expumicatas, in piorum Auctorum domeſticum tuum cimiliarchium venturas, ſpem facit certam præclara illa Tua ſedulitas, quam in elucidando & ornando BLOSIO, parente LÆTIENSIVM optimo, non laboribus non ſumptibus parcens adhibes, donec tandem nouâ amictus ſyntheſi poſt haſce VITAS, his ipſis D. Moreti amici tui typis, publico animarum bono, in lucem veniat. quod vt citò fiat, omnes vouemus.

Intereà, Admodum R^de^ Domine, redit ad Te Tuamque LÆTIENSIVM coronam, quâ meritò gloriari potes, liber hic laborque denuò deſudatus; qui priſcus, qui nouus Tuus eſt totus, Tuus ære libraque, mancupio Tuus. Tantùm oro atque obteſtor, vt precibus apud Deum Opt. Max. quibus vales, velis obtinere, vt hæc nou-antiqua editio, ad æmulandam ſanctorum Patrum virtutem in omni religioſo cœtu, toto orbe terrarum fecundior apparere poſſit.

IN-

INDEX LIBRORVM.

IN VITAS PATRVM PROLEGOMENA XXVI.

BENEVOLO LECTORI S.

NE *offendare, Lector, ſi ſtilus quandoque rudior, ſi phraſis occurrat in Vitis Patrum & Verbis Seniorum incomptior: rem ipſam appende, non verba; fructum lege, non folia; florem carpe: ne volaticos deſidera pappos. Præclarè magna Eccleſiæ lumina; S. Hieronymus:* In loquendo ſimplicitatem excuſabit ſanctimoniæ magnitudo. *S. Auguſtinus:* Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? *Quibus egregiè ſuccinit Illmus Cardinalis Baronius:* Sicut effoſſum informe aurum & rude eò carius eſſe ſolet, quòd nihil videatur alterius metalli habere commixtum: ita egregia monumenta ſuâ ipſius vetuſtate atque ſimplicitate micantia, quibus res potiùs quàm verba in pretio eſſe ſolent, gratiora planè erunt atque iucundiora quouis ſcripto recentioris auctoris, quibuſcumque eloquentiæ phaleris exornato. Quidquid enim obducitur fuco atque pigmentis, ſuſpectum redditur; pulchriorque eniteſcit ipsâ ſuâ puritate ſimplicitas, quæ quòd mentiri neſciat, omne quamuis ad ornatum compoſitum velamentum abhorret.

Hieron. ep. 101. ad Pammach.

Auguſtin. lib. 4. de Doctrinâ Chriſt. cap. 11.

Baronius tom. 3. anno 356.

Ego verò ita mecum ratiocinari ſoleo: Qui hæc legent, vel in Latinitatis adyta penetrarunt, vel ante Latinitatis portas etiam-

num exercentur & suspirant: prioribus non oberit stilus minùs Latinus, cùm ipsis domi suppetat, vnde Latiniorem depromant: posteriores hîc incunabula sua quandoque reperient, nec ipsi linguâ minùs prompti erubescent ad tertiata & velut offensantis linguæ fragmine dimidiata verba. Equidem solidum aurum, licet terrulentâ obductum face, caryoticis vilium Kalendarum strenis semper prætuli; venustis quidem specie, fronteq; diuitias mentientibus, sed tenui tamen tantùm auri illitis aspergine, & hoc fuco domesticam tegentibus paupertatem.

Ne mirere quoque, Lector, VITAS PATRVM *toties cusas, recusas, & per tot doctorum virorum transisse manus, nec nitori tamen suo pristino hactenus redditas. Sed enim considerari opto, quod monet D. Augustinus: Nempe sumus,* tamquam minuscularij vectigalium conductores, vel tamquam opifices in vico argentario, vbi vnum vasculum, vt perfectum exeat, per multos artifices transit, cùm ab vno perfecto perfici possit. Sed aliter non putatum est operantium multitudini consulendum, nisi vt singulas artis partes citò ac facilè discerent singuli, ne omnes in arte vnâ tardè & difficilè cogerentur esse perfecti.

Aug. lib. 7. de C. D. cap. 4.

Ita plerumque euenit in libris recensendis. Non ab vno aliquo, non à duobus, sed à pluribus sæpè res vna perficitur; cùm hic in antiquariorum præstantiam inquirit, vt typographorum castiget vitia; iste ordinis & rerum maiorem rationem habet, ille historiæ. Ita multorum collatâ manu, prout quemque genius ducit, prodit tandem aliquid accuratum.

Quod vt de editione hac spondere non audeam, ita Lectorem inuitare non vereor, vt editionem hanc cum aliis editionibus conferat, & arbiter sedeat operæ à singulis præstitæ.

Quæ mihi subsidia fuerint, tum à libris MS. tum ab editis; quid alij quoque præstiterint, qui ante me hac decurrêre orbitâ, edisseram ordine, si priùs de horum librorum Inscriptione, Auctoribus, Interpretibus, Auctoritate (quæ sollemnia ferè præambula sunt) non omnino perfunctoriè disseruero.

PRO-

PROLEGOMENON I.

Quæ horum librorum inſcriptio.

DICO Primò, Vt nunc paſſim, ita iam olim libri hi, (vel certè eorũ pars) inſcripti fuêre VITÆ PATRVM.

1. Gelaſius PP. in Concilio anno Chriſti CCCC.XCIV. cum LXX. epiſcopis Romæ habito delectum habuit eccleſiaſticorum librorum, decretumque condidit, quod habetur in Decreto Gratiani diſt. xv. cap. *Sancta Romana Eccleſia.* in quo iſta habet: VITAS PATRVM, *Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatus ſcripſit* HIERONYMVS, *cum omni honore ſuſcipimus.*

2. Gennadius de Illuſtr. Eccleſiæ Scriptor. cap. XI. in Euagrio monacho: *Cuius etiam liber, qui attitulatur* VITAE PATRVM, *velut continentiſſimi & eruditiſſimi viri mentionem facit.* Et cap. XLI. de Petronio Bononienſi epiſcopo: *Scripſiſſe putatur* VITAS PATRVM *monachorum Ægypti.*

3. Paſchaſius S. R. E. diaconus prologo ſuo in librum, quem de Vitis Patrum rogatu Martini Dumienſis abbatis Latinitati donauit: VITAS PATRVM *ſanctorum, Græcorum (vt cetera) facundiâ ſtudioſè conſcriptas, iuſſus à te, ſanctiſſime pater, in Latinum transferre ſermonem.*

4. Caſſiodorus Inſtit. diuin. lect. cap. XXXII. VITAS PATRVM, *confeſſiones fidelium, paſſiones martyrum legite conſtanter; quas inter alia in epiſtolâ Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum proculdubiò reperitis, qui per totum orbem terrarum floruêre, vt ſancta imitatio vos prouocans, ad cæleſtia regna perducat.*

5. S. Benedictus in Regulâ ſuâ cap. XLII. *Monachi omni tempore, ſiue ieiunij ſiue prandij fuerit, mox vt ſurrexerint à cœnâ, ſedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes vel* VITAS PATRVM, *aut certè aliquid quod ædificet audientes.*

6. Gregorius Turonenſis lib. I. de Vitâ Patrum ſui ſæculi, in Leobardo recluſo cap. XII. cui tentatio cellulam relinquendi inceſſerat: *Ego verò ſuſpirans non minimo dolore increpare hominem cœpi, aſſerens diaboli eſſe calliditatem, libroſq́; ei, &* VITAS PATRVM, *ac inſtitutionem monachorum, vel quales qui recluduntur eſſe debeant, vel cum quali cautelâ monachos viuere oporteat, abſcedens ab eo direxi. Quibus relectis non ſolùm cogitationem prauam à ſe diſcuſſit, verùm etiam tanto ſenſum acumine erudiuit, vt miraremur facundiam locutionis eius.*

7. Georgius Alexandrinus in Vitâ S. Ioannis Chryſoſtomi c. XXII. Ἐν δὲ ταῖς συντυχίαις αὐτοῦ ΒΙΩΝ ΑΓΙΩΝ ΠΑΤΕΡΩΝ καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ

τὴν τούτων πολιτείαν καὶ ἀρετὴν ἐξηγεῖτο, ὥστε ἐκ τῶν τοιούτων ῥημάτων πολλοὺς κατανύττεσθαι καὶ πλῆθος δακρύων καταφέρειν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, ποθῆσαι δὲ καὶ τὸν μονήρη βίον μετελθεῖν, καὶ ἀποτάξασθαι τῆς τύρβης καὶ συγχύσεως τοῦ βίου. *Porrò in ſuis familiaribus colloquiis ſubinde commeminit* VITAE SANCTORVM PATRVM *& anachoretarum, eorúmque conuerſationis ac virtutis, ita vt eiuſmodi ſermonibus compungerentur non pauci, ita vt ex eorum oculis vberrimæ elicerentur ac defluerent lacrymæ, & ingenti deſiderio caperentur ſolitariam exercendi vitam, & extremum vale dicendi turbulentæ confuſioni vitæ huius.*

8. Fulbertus Carnotenſis epiſc. ep. LXXIX. *Mitto tibi Cyprianum, Porphyrium, &* VITAS-PATRVM *cum Pſalterio, vt petiſti.* & in fine libri poſt hymnum de Natiuitate Chriſti & Epiphaniâ: *In* VITIS PATRVM *veterum quiddam legi iucundum.* vbi rhythmicè recenſet Ioannis Parui ſeu Breuis hiſtoriolam, qui inſtar Angeli agere deſiderabat nihil operans, quod habes apud Ruffin. lib. III. n. 56. & Pelagium libell. X. num. 27.

DICO Secundò: Quidam ex his libris inſcripti quandoque fuêre, VERBA SENIORVM.

Ita Beda Martyrologio ſuo XIX. Iulij: *Apud Thebaidam S. Patris noſtri Arſenij, de quo in* VERBIS SENIORVM *refertur, quia propter redundationem lacrymarum tergendarum ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit.* Eadem apud Vſuardum, Rabanum, Adonem, Notkerum. Deſumpta ſunt autem ex lib. III. Ruffini num. 163. & Pelagij libello III. n. I.

Originem tituli huius credo eſſe ex crebrâ VERBI mentione in hiſce libris. Apud Ruffinum lib. III. Vitarum Patrum num. 130. *Quod* VERBVM *antequam quieſcam, ſerò ex cordis mei recenſeo veritate.* Apud Pelagium libro V. Vitarum Patrum libello III. n. 2. *Dic mihi aliquod* VERBVM. Et n. 9. *Rogabant autem eum ſenes, vt faceret* VERBVM *ad fratres. &* num. 24. *Abba dic mihi aliquod* VERBVM. & libello V. n. 13. *Oſtende charitatem, abba, & dic mihi* VERBVM. & num. 32. *Audiui enim quia dixerit abbas Paſtor, ſed & alij fratres hoc* VERBVM. libello VI. num. 5. *Dicens quodam* VERBO, *quod memoria dignum eſt commendari.* num. 12. *Dic mihi vnum* VERBVM. & apud Ioannem libro VI. Vitarum Patrum libello III. n. 4. *Dic fratribus* VERBVM *ædificationis, pater.* & alibi paſſim.

Sanè iam olim profanis auctoribus *verbum* pro axiomate vel breui ſententiâ, qualia hæc Patrum verba ſunt, vſurpatum. Terentius Andriâ Act. I. Scen. V. *Miſeram me, quod verbum audio?* vbi Donatus: *Verbum pro ἀξίωμα more ſuo poſuit.* Ibidem Act. II. Scen. V. *Verum illud verbum eſt, vulgò quod dici ſolet.* vbi Donatus: *id eſt, prouerbium.*

&

& sententia. & sic veteres verbum pro sententiâ. Idem Eunucho Act. I. Scen. II. *Vtinam istuc verbum.* Donatus: *Et istuc verbum, pro totâ sententiâ. Verbum pro dicto. Sed propriè ἀξίωμα, id est sententia vel enuntiatio, quæ vno ligatur & astringitur verbo, verbum à veteribus dicebatur.* Ibidem: *Victus vno verbo quàm citò.* Donatus: *Verbum dictum intelligam, quod verbo complectitur, & completæ sententiæ pronuntiationem, quod ἀξίωμα nominabatur.* Idem Eunucho Act. IV. Scen. V. *Verbum hercle hoc.* Donatus: *Verbum, prouerbium.* Idem Adelph. Act. V. Scenâ VIII. *Non meum illud verbum facio.* Donatus: *Verbum pro ἀξίωματι posuit, quod vno stringitur verbo. Ergo verbum breuis sententia, verbum dixit veram sententiam. Nam verba esse à veritate dicta, testatur Varro.*

Quæ alij *Verba*, Cassianus SCITA vocat libro V. Instit. cap. XXIV. *Cùm de Syriæ partibus* SENIORVM SCITA *discere cupientes, Ægypti prouinciam petissemus.*

Dicebantur etiam SENTENTIAE. Pelagius libello XI. n. 20. *Loquar de* VERBIS *&* SENTENTIIS *Seniorum.*

Quandoque SERMONES. Pelagius libello IV. n. I. *Sedentes in naui loquebantur* SERMONEM *Patrum.* Et apud Cassianum Collat. I. cap. I. habes SERMONEM *ædificationis.*

Subinde RESPONSA. Paschasius cap. XLIV. in fine: *Hæc sapientium & spiritualium* RESPONSA *Patrum.* & Sigebertus de illustr. Ecclesiæ Scriptor. cap. CXVIII. INTERROGATIONES & RESPONSIONES.

Item APOPHTHEGMATA. Petronius Bononiensis episcopus apud Alphonsum Ciacconem tractatu de S. Hieronymi Cardinalitio, vt mox citabitur Prolegomeno IV. §. VII. & nuper in Bibliothecâ Patrum tomo IX. in II. & III. editione, Liber quintus & sextus VITARVM PATRVM hoc nomine editus est. Quin & Prologus Prati spiritualis, seu noui Paradisi, qui Parisijs Græcè editus est anno M.DC.IV. ex codicibus Vaticanis & V. C. Francisci Oliuarij, eum librum continere ait διηγήματά τε καὶ ΑΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ ὁσίων καὶ δικαίων καὶ φιλοχρίστων πατέρων τε καὶ ἀδελφῶν: *narrationes ac scitè dicta seu* APOPHTHEGMATA, *sacrorum, iustorum, Christíq; amantium Patrum & Fratrum.*

Nonnumquam GESTA SENVM. Ioannes Moschus Prati spiritualis cap. LV. *Dedit mihi librum ad legendum in quo* GESTA SENVM *scripta erant.* In Græco est: ΒΙΒΛΙΟΝ ΓΕΡΟΝΤΙΚΟΝ. Ita quoque nominatur apud Dorotheum in Doctrinis.

Dicti quandoque hi libri sunt ΠΑΤΕΡΙΚΟΝ seu ΠΑΤΡΙΚΟΝ. Ita hic post habes Prolegomeno XII. de Paradiso Ioannis Moschi. Et alia quoque MS. vidi, quæ ΠΑΤΡΙΚΟΝ pro titulo habent.

I. QVAERET hîc Primò Criticus quispiam, quæ inscriptio sit potior, VITA ne, an VITAE? Non hanc mouerem quæstionem, nisi iam olim de eâ quæsitum legissem apud Gregorium Turonensem. Ille igitur Præfatione in librum suum de VITA Patrum, qui liber agit de quibusdam sæculi sui sanctis viris, *Quæritur*, inquit, *à quibusdam, vtrùm VITA SANCTORVM an VITAE dicere debeamus. Aulus Gellius autem & complures alij Grammaticorum VITAS dicere voluerunt. Nam Plinius auctor in tertio artis Grammaticæ libro ait: VITAS antiqui cuiuscumque nostrûm dixerunt: sed Grammatici pluralem non putant habere VITAM. Vnde manifestius est, rectius dici VITAM PATRVM quàm VITAS: quia cùm sit diuersitas meritorum virtutúmque, vna tantùm omnes vita corporis alit in mundo.*

Pro Gregorio quis adducere possit, quod habet Sosipater Charisius lib. II. Instit. Gram. cap. de Interiectione: *Vita Deûm immortalium. Cato senex. vbi Statilius Maximus,* ἐκφώνησις, *inquit,* δὲ χαίρε, ὡς τὰ πόποι. *Cùm enim Cato de pluribus loqueretur, VITA potiùs dixit* quàm VITAE. Sic Flauius Vopiscus in Carino: *Maximè cùm vel virorum principum* VITA *non sine reprehensione dicatur.*

Olim tamen obtinuit tam apud profanos, quàm ecclesiasticos scriptores, vt VITAE dicerentur. Virgil. IV. Georg.

Quemque sibi teneras nascentem arcessere vitas.

Idem VI. Æneid. de Minoë:

——Vitasq; & crimina dicit.

Et eodem libro:

Inde hominum pecudumq; genus vitæq; volantum.

Rursus libro eodem:

Et ni docta comes tenui sine corpore vitas
Admoneat volitare. ——

Cicero de Nat. Deor. lib. I. *Deus hominum commoda vitasq; tuetur.* Idem de Amicit. *Serpit per omnium vitas amicitia.* Terentius Adelph. Act. III. Scen. III.

Inspicere tamquam in speculum in vitas omnium
Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Capitolinus in Macrino: *Vitæ illorum principum, seu tyrannorum, siue Cæsarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent.* Et mox: *Sed eius, qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere.* Lampridius in Alexand. Seuero: *Vitas principum bonorum versibus scripsit.* D. Augustinus de Ciuit. libro XXII. cap. XXIX. *Vnde discernimus à non viuentibus corpora, nisi corpora simul vitasq; videamus?* Sidonius libro IV. epist. XIV. *quia Christo res humanas vitasq; iudicaturo, putrium conscientiarum cultro squalens vlcus aperimus.* Accedunt

dunt auctoritates præcedentis conclusionis, vbi & ipse Gregorius VITAS PATRVM, quas hîc præ manibus habemus, ita vocat, quòd eo nomine vulgatissimæ essent.

QVAERET Secundò religiosior alius, num PATRVM nomen nimis inuidiosum sit, nec ab religiosis & eremitis vel vsurpandum promiscuè vel admittendum? Hieronymus libro II. in epist. ad Galatas in explanatione commatis huius, *Misit Deus spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater*, creditur improbasse piam monachorum consuetudinem, qui præfectos suos honoris gratiâ *Abbates* ac *Patres* appellant: præter hoc autem, etiam iuramenti ius Christianis videtur ademisse. habet enim eo loci verba huiusmodi: *Cùm autem Abba, Pater, Hebræo Syroq; sermone dicatur, & Dominus noster in Euangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum: nescio quâ licentiâ in monasterijs vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certè ipse præcepit hoc, qui dixerat, non esse iurandum. Si non iuramus, ne Patrem quidem quempiam nominemus. Si de Patre interpretabimur aliter: & de iurando aliter sentire cogemur*. Hæc ille. Gal.4. Matth.23.

Sed respondet Sixtus Senensis lib. VI. Bibliothecæ Sanctæ, Annotat. CCLXXIX. Arbitror, ait, hanc periodum à seditiosulo quopiam monacho in fronte paginæ descriptam, & inde posteà ab oscitantibus librariis in contextum translatam. Nec me falli, argumento sunt quæ Hieronymus sententiâ planè contrariâ, & ex professo scripsit libro quarto in Matthæum; vbi inquirens, quomodo intelligendum sit illud Seruatoris mandatum, *Nolite vocari magistri, & patrem nolite vocare vobis super terram*, &c. sic ait: *Quæritur, quare aduersus hoc præceptum, doctorem Gentium Apostolus se esse dixerit: aut quomodo vulgato sermone, maximè in Palæstinâ & Ægypti monasteriis, se inuicem Patres vocant? quod sic soluitur: Aliud est naturâ esse patrem vel magistrum, aliud indulgentiâ: nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus Filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem dij vocentur, & filij: ita & vnus Pater & Magister non præiudicat aliis, vt abusiuè appellentur patres & magistri.* Hactenus ex diuo Hieronymo Sixtus. Matth.23. v.8 9.

In eamdem quoque sententiam diuus Augustinus Collatione Carthaginensi tertiâ, capite CCXLII. *Honorificentiæ caussâ Patres appellamus eos, qui nos vel tempore vel meritis præcesserunt. Aliud est cùm quærimus ad fidem quem habeamus patrem. Nam illud honoris est, vt quotidie senibus dicamus, pater: quotidie etiam quibusdam non nobiscum in vnâ ecclesiâ, nec in iisdem Sacramentis constitutis dicimus, frater.*

Gen. 19. *ter. Sodomitis etiam dixit Lot, frater: vtique ad leniendum eorum animositatem, non ad cognitam fraternitatem; & quasi vnius hereditate consortium. Tollantur ergo ista. distinguamus vocabula, quæ hominibus propter honorem debentur, & vocabulam quod propter salutem requirimus.*

Sed & alibi S. Hieronymus anachoretarum principes Patres vocat epist. XXII. ad Eustochium: *Macarius, Pambo, Isidorus, quos Patres vocant.* Cyrillus etiam Alexandrinus epistolam, quam misit ad presbyteros & diaconos, quæ habetur in Actis Synodi Ephesinæ parte 1. cap. 11. simul inscripsit, Πατράσι μοναχοῖς. *Patribus monachis.*

QVAERET Tertiò fortasse curiosulus aliquis, vnde in plerisque libris editis quasi recto casu, vel ἀκλίτως seu indeclinabiliter VITAS-PATRVM inscribatur? ita quidem editio Veneta anno M.D.VIII. in fronte pro titulo præfert. Respondeo, Videri possit ortum ex primis quibusdam editionibus, in quibus cùm nullum libro frontispicium præfigatur, sed initium appellationis ducatur; vel à prologo, qui in Norimbergensi anno M.CCCC.LXXVIII. sic habet: *Incipit prologus sancti Hieronymi presbyteri in libros vitas-patrum*; vel à registro, vt in Germanicis incerti loci, anno M.CCCC.LXXXIII. & M.CCCC.LXXXV. *In antiquorum Patrum Vitas, à B. Hieronymo conscriptas registrum:* factum videtur, vt posteriores editores, VITAS-PATRVM, ἀκλίτως, seu inflexibiliter ceperint. Certè prima omnium editio, nullo certo anno, loco, typographo consignata aliter habet: *Incipit præfatio B. Hieronymi presbyteri in primum librum de Vitâ sanctorum Patrum.* Vt non immeritò Galenus VVestcapellus catechesi CCXXV. asserat se nescire, quâ Grammaticâ liber hic inscribatur VITAS-PATRVM.

Sed non acceptam occasionem ex primis editionibus librum eum vocandi & inscribendi VITAS-PATRVM, vel inde patet, quòd constet antiquam fuisse appellationem VITAS-PATRVM, etiam ante impressionem. Clarum id ex VITAS-FRATRVM, quarum auctores hinc suum titulum videntur hausisse & adumbrasse. Et quidem diuersis à diuersis eo titulo liber est insignitus. Humbertus V. Magister Generalis Ordinis D. Dominici, dicitur VITAS-FRATRVM sui Ordinis composuisse, vt habet frater Theodoricus de Apoldiâ epistolâ præfatoriâ ante Vitam S. Dominici v. Augusti. Nondum vidi eum librum prodiisse eo auctore. Habeo penes me MSS. VITAS-FRATRVM Ordinis D. Dominici, auctore Gerardo de Fracheto, Dominicano, qui eum librum scripsit iussu Humberti Generalis V. anno M.CC.LX. Citat & eum Antonius Senensis in Bibliothecâ Scriptorum sui Ordinis. Quia igitur auspiciis Humberti eum librum scripsit Gerardus, & quia Humbertus ipse præfatur, ipsi Humberto eum fortasse tribuit Theodoricus. Nunc verò, cùm Vitas has secun-

*** b dò

dò typis submitto, prodijt is liber Duaci apud Balthasarem Bellerum anno M.DC.XIX.

Iordanus quoque de Saxoniâ Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini librum composuit, quem VITAS-FRATRVM inscripsit, editusque est Romę anno M.D.LXXXVII. curante Augustino Fiuizanio, eiusdẽ Ordinis religioso, Apostolici palatij sacristâ, cũ Notis M. Antonij Maffæi Salernitani. Iosephus Pamphilus episcopus Signinus in Chronico Ordinis Eremitarũ S. Augustini citat ex Vitis illis initium *Spiritualis pulchritudinis.* quod initium nunc in editis non comparet. Fortè olim eo initio præfatio fuit præfixa, quæ nunc deest.

Accedit etiam, vetustos quosdam MSS. titulum præferre VITAS-PATRVM. Ita liber Vedastinus ante annos supra DCCC. scriptus litteris, vt vocant, capitalibus.

Sed quâ Grammaticâ, vel quâ occasione liber ille ita inscriptus? D. Georgius Colueneriu, M.N. Academiæ Duacenæ Cancellarius existimabat, vetustissimo more ad Græcorum imitationem librum primò dictum & inscriptum, LIBER VITAS-PATRVM, pro LIBER VITAE PATRVM, id est, liber qui continet Vitam Patrum; vt *Vitas* sit genitiuus singularis, vt familias in paterfamilias. Deinde LIBER omissum esse, simpliciterque dictum VITAS-PATRVM. Ego verò nescio an quispiam hanc antiquitatis formã in posterioribus sæculis sit admissurus. Certè Ioannes Despauterius lib. II. Commentariorum Grammaticorum, in primâ declinatione ait: Liber VITAS-PATRVM sic non dicitur, sed VITAE-PATRVM: legi VITAS-PATRVM, &c.

Hadrianus Courten noster, Belgiique nostri in Grammaticæ palæstrâ alter Palæmon, existimat imperitiam scriptoris ex his verbis VITAS. PATRVM fecisse VITAS-PATRVM, probabili in primis facilique coniecturâ.

Mihi verò occurrebat huius appellationis originem profluxisse ex veterum citatione, qui ita ferè librum hunc citant, licet verbo addito, vt patet hîc in primâ conclusione, vbi Gelasius ait, VITAS-PATRVM *cum omni honore suscipimus.* Gennadius: *Petronius scripsisse putatur* VITAS-PATRVM. Paschasius: VITAS-PATRVM *iussus in Latinum transferre sermonem.* Cassiodorus: VITAS-PATRVM *procul dubiò reperitis.* S. Benedictus: *Legat vnus* VITAS-PATRVM. Gregorius Turonensis: VITAS-PATRVM *abscedens ab eo direxi.* Hinc igitur, quia toties apud auctores legebant quidam VITAS-PATRVM, eam appellationem τεχνικῶς libro indidêre. Satis autem constat ex Gennadio suprà citato, librum hunc olim rectè in recto inscriptum VITAE PATRVM. Ita enim ille cap. XI. in Euagrio: *Cuius etiam liber, qui attitulatur* VITAE PATRVM, *velut continentissimi & eruditissimi viri mentionem facit.*

PRO-

PROLEGOMENON II.

Qui horum librorum auctores.

HIC verò cardo totius rei vertitur. Vt enim monetæ non tantùm à pondere, sed & ab effigie suus est valor; ita & libri pretium non tantùm à mole, sed & ab auctore æstimatur.

Quòd si auctor quandoque latet, tunc inuestigare conabimur interpretem; qui si antiquus, si doctus, si probus, non magnopere de auctore laborabimus. Cur enim quod iudiciosus interpres suo dignum stilo calamóve iudicauit, non vel ipsius fide recipiamus?

Quia verò multi hîc libri sunt, à diuersis auctoribus conscripti, & de quibusdam perplexissima res est, de singulis libris inquiram singulis Prolegomenis.

PROLEGOMENON III.

Quis primi libri auctor?

DICO, PRIMI libri auctores varij sunt: quidam certi, quidam dubij, quidam incerti.

Certi auctores, suarum singuli Vitarum, sunt

I. D. HIERONYMVS, auctor Vitarum aliquot, vt *Pauli* primi eremitæ, *Hilarionis* anachoretæ, *Malchi* monachi captiui, *Fabiolæ, Paulæ, Marcellæ* Romanarum viduarum.

II. S. ATHANASIVS episcopus Alexandrinus, auctor Vitæ *sancti Antonij*.

III. PAPHNVTIVS, auctor Vitæ *S. Onuphrij* eremitæ.

IV. S. EPHRAEM Syrus, auctor Vitæ *S. Abrahæ* eremitæ, & *Mariæ* eius neptis.

V. AMPHILOCHIVS Iconiensis episcopus, auctor Vitæ *D. Basilij* Cæsareæ Cappadociæ episcopi.

VI. ANTONIVS auctor Vitæ *S. Simeonis Stylitæ*.

VII. LEONTIVS Neapolis Cypriorum insulæ episcopus, auctor Vitæ *S. Ioannis Eleëmosynarij* patriarchæ Alexandrini.

VIII. IOANNES DAMASCENVS auctor Vitæ *SS. Barlaam & Iosaphat*.

IX. IACOBVS diaconus Edessenus, auctor Vitæ *S. Pelagiæ*.

X. SOPHRONIVS, patriarcha Ierosolymitanus, auctor Vitæ *S. Mariæ Ægyptiacæ*.

Dubius

Dubius vnus eſt THEOPHILVS, auctor Vitæ *Macarij* Romani. Nam quod Baronius Not. ad Martyrolog. Rom. 11. Ianuarij ait, Macarij Romani Vitam, quæ eſt in Vitis Patrum, ſcriptam per Theophilum, neſcio an illi ſit tribuenda. Habetur quidem nomen Theophili initio Vitæ Macarij, ſed & nomina duorum ſociorum adiunguntur, Sergij & Hygini. Et quod narratur, omnium narratur nomine, vt non procliue ſit definire, quis eorum trium hanc de Macario narrationem in ſcripta retulerit.

Imò Gratianus in Decreto XXVII. q. II. cap. XXVI. Hieronymi nomine, Macarij è thalamo fugam citat; quod non aliunde quàm ex hac Macarij Vitâ videtur hauſiſſe.

Quòd verò Hieronymi nomine citauerit, id errore communi factum, quo Vitæ-patrum omnes vulgò Hieronymo fuêre tributæ. cuius erroris occaſionem & originem, vide infrà Prolegom. IV. §. VIII.

Incerti auctores ſunt reliquarum Vitarum, quæ primo libro continentur.

Sed interpellat hîc D. Conſtantinus Caietanus, qui in Apologiâ ſuâ pro Ioanne Gerſen, S. Euphroſynæ Vitæ certum videtur velle adſignare auctorem, & quidem hæreticum. quod equidem vnde hauſerit neſcio: certè nullius nomen prodit auctoris. Qui vbi proditus fuerit, examinabitur eius conditio. Et quid obſtaret, etiamſi auctor hæreticus eſſet, Vitam ab eo deſcriptam ſinceram eſſe? Facile cuique eſt *ἀερομαχεῖν*.

PROLEGOMENON IV.

Quis ſecundi libri auctor.

De hoc potiſſimùm libro quæſtio eſt. Hic enim ille eſt, quem veteres plerique, dum VITAS PATRVM citant, intelligunt. Quod colligere eſt tum ex D. Hieronymo epiſt. ad Cteſiphontem aduerſus Pelagian. vbi ait, *Ioannem in ipſius libri poni principio*, quem hîc primum reperies; tum ex Gennadio de Illuſtr. Eccle. ſcript. cap. XL. qui aſſerit librum, *qui attitulatur* VITAE PATRVM, *velut continentiſſimi & eruditiſſimi viri* (Euagrij) *mentionem facere*; qui libri huius cap. XXVII. occurrit.

Tam variæ pugnanteſque de auctore huius libri (niſi velimus à ſingulis diuerſos libros ſcriptos vel interpolatos) ſententiæ ſunt, vt operæpretium ſit eas in paragraphos partiri, vt ſingularum momenta appareant, & iuſtâ iudicij trutinâ expendi poſſint. Auſpicabor à Græcis.

§. I.

§. I. *Auctorem videri Timotheum episc. Alexandrinum.*

SOZOMENVS lib. VI. cap. XXIX. hist. Eccl. cùm de Apollone, qui in Thebaide vixerat, egisset, addit: Ἀλλ' οἵα μὲν ἀγωγῇ ἐχρῆτο, καὶ ἡλίκων ἦν θείων καὶ παραδόξων πραγμάτων ποιητής, ἱστορεῖ TIMOΘΕΟΣ ὁ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίαν ἐπιτροπεύσας εὖ μάλα, αὐτοῦ καὶ πολλῶν ὧν ἐπεμνήσθην, καὶ ἄλλων δοκίμων μοναχῶν τοὺς βίους διεξελθών. *Sed quanam fuerit eius disciplinæ ratio, & quanta quamq; diuina fecerit miracula,* TIMOTHEVS *ecclesiæ Alexandrinæ antistes accuratè narrat: qui non illius modò, sed aliorum etiam complurium, de quibus facta est à me mentio, Vitas litteris persecutus est.* Atqui capite præcedenti mentio facta monachorum Ioannis, Or, Amon, Beni, Theonæ, Copri, Helle, Eliæ, Apellis, Isidori, Serapionis, Dioscori, & Eulogij, quorum omnium Vitæ in hoc secundo VITARVM PATRVM libro habentur.

Equidem, qui Timotheum libri huius auctorem faceret, nondum legi; visum tamen mihi fuit id, quod de eo habet Sozomenus, in medium producere, vt doctiorum iudicio perpendi possit. Mihi certè omnino vero simile fit, plerasque libri huius Vitas ex Timotheo adumbratas. Apollonis sanè Vita, quam Timotheus dicitur εὖ μάλα seu *accuratè* scripsisse, hoc libro cap. VII. accuratè perscriptam habes Apollonij nomine. Extat quidem eodem modo apud Palladium Lausiac. hist. cap. LII. sed omnino alter ab altero habet, recentior fortè à vetustiore; quamquam ætate potiùs suppares sunt.

§. II. *Auctorem videri Palladium Galatam Helenopoleos episcopum.*

GALENVS VVestcapellius catech. CCXV. vbi refutat historiolam de Macario, qui dicitur è nuptiis fugisse, Palladium huius libri auctorem videtur facere. ait enim: *Ne in illo quidem fictitio libro, qui inscribitur, nescio quâ Grammaticâ, Vitas-patrum, quidquam deprehendi; vbi Palladius, vtrique Macario familiariter notus, longè alia refert.*

Equidem quòd Palladius, vel quisquis libri huius est auctor, vtrique Macario familiariter notus fuerit, in hoc libro, seu Vitis Patrum non dicitur; sed in ipsâ Palladij Lausiacâ historiâ profitetur Palladius, se Macario Alexandrino conuixisse.

Sed vt Galenum errore liberem, non de Macario Ægyptio vel Alexandrino (vt Galenus videtur existimasse) narratur ea historiola; sed de Macario Romano, cuius vitam primo libro hîc reperies: habetur quoque ea de Macarij è thalamo fugâ narratio in Decreto 27. q. 2. cap. 26. Scripsit.

Quia tamen & in hoc libro, & in Lausiacâ historiâ, eadem ferè

non

non tantùm de vtroque Macario, sed & de aliis plerisque omnibus habentur, non inanis omnino suspicio est, vel auctorem huius libri à Palladio, vel hunc ab illo, vel vtrumque à tertio quopiam, ordine tantùm mutato, quibusdam detractis vel additis, sua mutuatos.

Est quidem nonnulla in narratione diuersitas, sed ea perparua. Nam in hoc libro cap. I. quod de Ioanne est, narrat auctor se cum septem fratribus Ioannem accessisse: in Lausiacâ autem historiâ narrat auctor, quòd solus Ioannem conuenerit, & pòst fratribus suis socijs de eo indicauerit, qui deinde ad eum profecti sunt, ex quorum narratore, quæ præter ea quàm ipse viderat de Ioanne refert. Vide Prolegomeno XIV. in interprete VIII. libri.

Equidem in vetustissimo quodam libello manuscripto Collegij nostri Brugensis, quo variæ Sanctorum Vitæ continentur, atque inter ceteras Abrahæ eremitæ, præmittitur ei Vitæ præfatio, *Benedictus Deus*, & cum hoc titulo: *Incipit Prologus Palladij viri doctissimi de Vitis Ægyptiorum Patrum*, quæ quidem præfatio hîc huic secundo libro præfigitur.

§. III. *Auctorem videri Heraclidem Bithyniæ episcopum.*

QVI hoc disertè assereret, præter Gesnerum inueni neminem. Ita enim ille Bibliothecæ suæ Tom. III. tit. VII. p. I. *Heraclidis historia non alia puto, quàm de Vitis Patrum.*

Trithemius Catal. Eccl. Script. asserit, Heraclidem monachum de Vitâ & côuersatione sanctorum Patrum scripsisse: *Heraclides*, inquit, *monachus, vir moribus sanctus, & diuinarum Scripturarum eruditione insignis, sanctorum Patrum anachoretarum, ac monachorum diligentissimus inquisitor & imitator, qui velut argumentosa apis de singulorum conuersatione flores virtutum in alueolum pectoris sui conferens, mel spiritalis dulcedinis procreauit; scripsit inter alia ad ædificationem legentium opus insigne*, DE VITA ET CONVERSATIONE SS. PATRVM *in eremo, vel in cœnobijs degentium sub regulâ, cuius titulus est*, PARADISVS, *librum I. Claruit temporibus Gratiani Imp. anno Domini* CCC.LXXX.

Prodijt hic liber Parisijs, ex Officinâ Bellouisianâ apud Ioannem Paruum, anno Domini M.D.IV. curâ Iacobi Fabri Stapulensis, qui hęc de eo habet in pręfatione ad Lectorem: *Ex opere ipso agnosci potest, quòd Alexandrinus, quòd Christi succensus amore, inter deserta & antra ferarum pauperiem secutus; quòd Bithyniæ (ipso quidem inuito ac reclamante) totius populi suffragio in episcopum suffectus.* Vide plura de eo apud Petrum in Catalogo SS. libro XI. cap. LXXXVII.

Baronius annali CCC.LXXXVIII. Heraclidis *Paradisum* eumdem facit cum *Lausiacâ historiâ* Palladij. Sanè eadem vtrobique reperias.

De vtroque igitur idem esto iudicium, quoad libri huius auctorem.

Idem ante Baronium senserat Aloysius Lipomanus episcopus Veronensis, Tomo III. de Vitis Sanctorum, qui editionem Heraclidis, nonnullâ interpolatione adhibitâ (de quâ vide Prolegomeno XIV. vbi agitur de interprete VIII. libri, cuius auctor est Palladius) Palladij nomine Tomo illi III. inseruit. Qui porrò discutiendum sibi operæ pretium arbitratus est, vnde factum sit, vt ementito vero huius libri auctore (vt ipse existimat) sub titulo PARADISI HERACLIDIS in lucem emerserit.

Idque primùm, inquit, menti occurrit, Parisinum typographum istius commenti parētem exstitisse. Cùm enim legisset is, per D. Hieronymum in procemio Dialogorum contra Pelagianos fuisse scriptum; *Palladium, seruilis nequitiæ virum, Origenis hæresim instaurare*: diuum quoque Epiphanium in epistolâ ad Ioannem episcopum Ierosolymitanum asserentem, *Palladium Galatam, qui olim sibi fuerat charus, Origenis hæresim prædicare & docere*, veritus est bonus impressor, ne, si librum sub auctoris nomine euulgaret, is statim ab initio, vt ab hæretico homine conscriptus, exploderetur. Cogitauit igitur (meo iudicio) stropham illam, vt de PALLADIO PARADISVM faceret, cuius perfacilis inuersio videbatur, & tamquam ab alio compositum volumen edidit, quo doctos viros ad eius emptionem faciliùs animaret. Ita quidem Aloysius.

Cuius sanè viri doctissimi studium atque industriam obscura quæque peruestigandi vti laudamus, ita hîc coniecturæ felicitatem probare non possumus. Verè enim typographus librum eum HERACLIDIS nomine prænotatum inuenit, & titulo PARADISI insignitum. Ita enim MS. præfert quem inspexi, & iam olim à Vincentio Beluacensi in Speculo historiali libro XVII. à capite LXIV. adusq; XCIX. & Petro à Natalibus in Catalogo Sanctorum libro XI cap. LXXXVII. eo nomine tituloque adductus est. Quin & veteribus PARADISVS notus fuit. Photius enim Bibliothecæ suæ Codice CXCVIII. libri meminit, qui inscriptus est ΝΕΟΝ ΠΑΡΑΔΕΙΣΙΟΝ, id est, NOVVS PARADISVS, quod de *Limonario*, seu *Prato spirituali* Ioannis Moschi intelligi, declaratur sequenti Codice CXCIX. Vnde facile colligere est, si NOVVS aliquis PARADISVS est, & VETEREM aliquem fuisse, quem non alium ab hoc nostro fuisse liceat existimare.

HERACLIDES quoque, monachus quidam tempore Macariorum notus fuit, vt constat ex Nicephoro lib. IX. cap. XIV. Quin & Synodus ad Quercum habita, apud Photium Codice LIX. de caussâ Ioannis Chrysostomi, Heraclidis cuiusdā meminit: vbi post primum & secundum accusationum à Ioanne diacono propositarum caput

examí-

examinatum subditur: *Deinde cœperunt de Heraclide & Palladio Helenopolis episcopis agere.* Diciturque Heraclides fuisse Origenista, & à Chrysostomo Ephesiorum episcopus ordinatus. Ijdem coniunguntur articulo secundo in libello ab Acacio eidem Synodo contra Chrysostomum oblato. Fusiùs de eo in Vitâ S. Chrysostomi per Georgium Alexandrinum; qui ait eum in *solitudine degisse solitarium.*

Valdè suspicor Palladium, vt tertiò ex Heruei versione auctior prodijt, ex varijs auctoribus esse concinnatum. Nam si Palladij primam editionem inspicias, vix tertiam eorum partem in eâ inuenias, quæ in postremâ habentur. Inde prodijt Heraclidis titulo instructior aliquantò primâ illa editione Palladij, minùs tamen locuples quàm postrema. Suspicionis meæ fundus est, duplex præfatio apud Palladium, vna Heraclidis, altera ipsius Palladij; vt facilè fieri potuerit, alterum alterius librum suo interseruisse. Sanè dictum, quod habetur lib. v. de Vitis Patrum libello x. §. LXVII. nomine Palladij, idem habetur in epistolâ Heraclidis Cappadociæ episcopi ad Lausum præpositum, ipsius Heraclidis nomine: quæ epistola Lausiacæ historiæ præmittitur. De variâ Palladij editione vide Prolegomeno XIV. vbi de interprete VIII. libri agitur.

Nec mirum hîc videri debet, à diuersis, mutato nonnihil ordine, nunc imminuta, nunc auctiora eadem prodijsse. nam & in alijs hîc adiunctis libris idem factitatum reperies. Quæ enim libro III. & VII. habentur, eadem ferè omnia libro v. & VI. reperies; qui tamen libri singuli, vt singularem suum habent interpretem, ita & singulares auctores habuisse omnino mihi persuadeo, quinto & sexto fortasse exceptis, qui vterque eumdem Græcum auctorem videtur habuisse, vt colligitur ex Photio; atque in hac editione tantùm diuisi sunt ob diuersos interpretes. Vide Prolegomenon vltimũ, Animaduersione IV.

§. IV. *Auctorem videri Euagrium episcopum Antiochenum.*

TRITHEMIVS Catalogo Script. Eccles. Euagrium episcopum Antiochenum Vitę Patrum primum auctorem facit: *Euagrius,* inquit, *monachus & discipulus S. Macarij Ægyptij, & posteà episcopus Antiochenus, vir vndecumque doctissimus, & tam sæcularibus quàm diuinis scripturis eruditus, Græco & Latino peritus eloquio, etiam in episcopatu prioris vitæ austeritatem custodiens, tantæ abstinentiæ fuit, vt miraculo haberetur. Hic primus* VITAM SS. PATRVM *scriptis commendauit.* quæ eadem ijsdem pænè verbis repetit Sixtus Senensis Bibliothecæ sanctæ libro IV.

Quod sanè vnde hauserint, suspicari non possum; cùm nullus veterum, meâ quidem scientiâ, huic auctori eas Vitas afferat. Fors ijs im-

posuit Euagrij nomen, quod Vitę S. Antonij pręfigitur, quam è Græco D. Athanasij fonte, in Romanū solum Euagrius ille Antiochenus (vt ad Vitam S. Antonij dicemus) deduxit. Quia igitur Euagrius huius Vitæ, quæ ceteris Patrum Vitis adiungitur, & fortè in nonnullis MSS. præmittitur, interpres fuit, existimauerit Trithemius atq; Sixtus, etiam reliquarum Vitarum vel interpretem vel auctorem esse.

Labitur porrò Sixtus cum Trithemio, dum Euagrios duos in vnum conflant. Distinctus enim est Euagrius Episcopus Antiochenus ab Euagrio monacho & discipulo S. Macarij Ægyptij.

Delrius noster Parte tertiâ Syntag. Trag. in Octauiam Senecæ Actu IV. pag. DLII. occasione Vitæ S. Antonij ab Euagrio hoc Antiocheno in Latium traductæ, in quâ locum quemdam restituit, agit porrò de alio huius operę, nōdum, vt existimabat, edito: quod hîc excutiendum. *Euagrius, inquit, diaconus Theodosij senioris tempore vixit: & tres libros De Vitâ sanctorum monachorum, quos in Ægypto vidit, conscripsit, quos vidi Burdegalæ in Bibliothecâ Collegij Societatis* IESV, *perantiquis characteribus, in membranis descriptos; satis eleganti, licet rudi stilo. In quorum libro* III. *se à Narbonâ in Ægyptum nauigasse scribit, & Bethlehemi D. Hieronymum conuenisse. dignus scriptor, qui lucem aliquando adspiciat, alius ab illo, cuius feruntur à nonnullis Patrum Vitæ.*

Sed facilè imponere potuit Delrio titulus Euagrij, vt existimarit alium hunc librum esse ab editis Patrum Vitis, quę D. Hieronymum in fronte præferunt. Quòd si membranas eas cum editis libris contulisset, deprehendisset statim non alias ijs historias, sed easipsas Patrum Vitas contineri: nec vt librum à libro, ita auctorem ab auctore distinxisset. Huius rei indicium primùm cepi ex ipsis Delrij verbis, cùm ait: *In quorum libro* III. *se à Narbonâ in Ægyptum nauigasse scribit, & Bethlehemi D. Hieronymum conuenisse.* quæ ipsissima narratio habetur in vulgatis Patrum Vitis; quæque hîc reperies libro IV. cap. I. & II. desumptaque sunt ex Seuero Sulpitio Dial. I. cap. II. & III. Accedit monitio Posseuini nostri in Apparatu Sacro, qui in MS. illo Burdegalensi haberi ait omnia, quemadmodum in editione Vitarum Patrum, quæ D. Hieronymo tribuuntur, Lugduni apud Iacobum Hugatanum anno Domini M. D. XV. atque in eamdem sententiam ad me perscripsit noster Fronto Ducæus Burdegalensis, αὐτόπτης.

§. V. *Auctorem videri Euagrium Ponticum.*

GESNERVS in Bibliothecâ suâ, & Georgius Wicelius epistolâ nuncupatoriâ ante historiam suam Diuorum, & Ioannes Molanus cap. XIII. in Tractatu de Martyrologijs, & passim in Annotat. ad Martyrologium Vsuardi, censuêre Euagrium Ponticum auctorem

rem esse VITARVM PATRVM. Cuius sententiæ quoq; videtur fuisse Erasmus, cùm Notat. ad epistolam D. Hieronymi ad Ctesiphontem, Ruffinum libri huius interpretem statuit, quem Euagrij pleraque opera interpretatum esse asserit D. Hieronymus.

Quin & Cæsar Baronius Notat. ad Martyrolog. Rom. XVII. Ianuarij, vbi de S. Antonio, post relata verba Gelasij ex Decreto, d. XV. VITAS PATRVM, *Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit* HIERONYMVS, *cum omni honore suscipimus:* hæc subdit: Eâ est vsus cautelâ Gelasius, quoniam & EVAGRIVS PONTICVS scripsit VITAS PATRVM, & miscuit Origenistas nonnullos, quos idem Hieronymus notat scribens ad Ctesiphontem. Et passim Euagrij nomine eas Vitas citat tum in Martyrologio, tum in Annalibus. In Martyrologio quidem XV. Ianuarij Notatione ad Isidorum; & XVII. Ianuarij Notat. ad S. Antonium; & XXVII. Martij Notat. ad Ioannem eremitam. In Annalibus verò anno Christi I. & anno CCC.XCIII. & anno CCCXCIV. & aliis locis.

Possevinus quoque in Apparatu Sacro in Euagrio, ait existimari eum Vitas Patrum composuisse, hoc est, primam earum partem (citat ex vulgatissimâ, quam secundam voco, editione) ab initio Prologi: *Benedictus Deus qui vult omnes,* vsque ad caput: *De periculis in eremo;* quod præcedit Vitam S. Pauli.

Sed & Aloysius Lipomanus, præfatione ante Palladium quem repræsentat tomo III. de Vitis Sanctorum, loco illo D. Hieronymi inductus, existimauit ab Euagrio librum quasi de monachis conscriptum, qui tamen non exprimit, an huius eum libri auctorem censeat, imò sentire videtur eum Euagrij librum iam non exstare.

Videamus nunc, quibus hæc sententia, quæ Euagrium Ponticum libri huius auctorem facit, argumentis niti possit.

I. Non aliud videtur Baronius sententiæ suæ argumentum habuisse, quàm illam D. Hieronymi epistolam ad Ctesiphontem, aduersus Pelagianos, quæ libri cuiusdam de Monachis seu Patrum Vitis, mentionem facit. Respondeo: Non ritè eam intellectam à Baronio mox ostendam, vbi Ruffinum illarum Vitarum auctorem (vel certè interpretem) ex ipsomet diui Hieronymi loco clarissimè probabo.

II. Pro sententiâ Baronij adducere quis posset Honorium, de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. XL. vbi ita habet: *Euagrius monachus, supradicti Macarij* (Ægyptij) *familiaris discipulus, diuinâ & humanâ litteraturâ insignis, scripsit multa necessaria monachis, scilicet* VITAM PATRVM, *& Aduersum octo principalium vitiorum suggestiones.* Respondeo: Omnino vereor, ne limi aliquid contraxerit hic ri-

uulus, qui in fonte suo fluit puriùs. Ita enim Gennadius cap. XI. ex quo sua corriuare solitus est Honorius: *Euagrius monachus, supradicti Macarij* (Ægyptij) *discipulus, diuinâ atque humanâ litteraturâ insignis, cuius etiam liber, qui attitulatur* VITAE PATRVM, *velut continentissimi & eruditissimi viri mentionem facit, scripsit multa monachis necessaria: ex quibus ista sunt, Aduersus octo principalium vitiorum suggestiones.*

Nec existimo quemquam hîc facilè dubitaturum, potiórne Gennadio an Honorio fides sit adhibenda, cùm ipse Gennadius ibidem asserat, se pleraque Græca Euagrij in Latinum sermonem transtulisse. Non absimilem Honorij vel errorem vel corruptionem vide initio libri II. Notatione ad veterum de Ruffino Elogia.

Omitto, quòd in hoc secundo libro de Vitis Patrum cap. XXVII. exstet Vita Euagrij, *tamquam continentissimi & eruditissimi viri*, vt eam ibi haberi asserit Gennadius. Nam eius eo in libro *spiritualium rerum scientia, & incredibilis abstinentia* commendatur, quam non est simile vero Euagrium ipsum de se historiam texuisse.

III. Quòd si manuscripti quidam libri Euagrium præferunt, vt ille, de quo diximus, Burdegalensis, & qualem esse audio Parisiis apud C.V. Nicolaum Fabrum, non magnopere mouere debet. Duplici enim hoc caussâ fieri potuit: tum ex Vitâ S. Antonij, quę Patrum Vitis plerumque præmittitur, cui Euagrij tamquam interpretis titulus præfigitur, qui & alijs sequentibus pòst adhæsit; tum ex D. Hieronymi ad Ctesiphontem epistolâ malè intellectâ, de quâ paulò pòst in Ruffino dicemus.

IV. Locum inuenio in Socrate lib. IV. c. XXIII. edit. Gr. & c. XVIII. edit. Lat. qui in hanc sententiam adferri posset. Ita enim capitis titulus concipitur: Περὶ τοῦ ἁγίου μονάζοντος Ἀμμοῦ, καὶ ἑτέρων ἁγίων ἀνδρῶν κατάλογος ἐκ τῆς Εὐαγρίου συγγραφῆς: *De sancto Ammun monacho, & alijs viris sanctis catalogus, ex Euagrij libro.* Verùm in hoc capite tractatur de Ammone, Didymo, Piore, Isidoro, Pambone, Petiro, Macarijs duobus, de quibus etiam agitur in hoc secundo de Vitis Patrum libro. Si igitur illa apud Socratem desumpta sunt ex libro Euagrij, vt titulus capitis præfert, videntur & hæc in Vitis Patrum ex eius libro desumpta. Respondeo: Hæsi hîc primo gradu, nec videbam quî me ab hac pedicâ expedirem; vbi tamen caput totum perlegi, euestigiò expeditus fui.

Nam Socrates initio capitis agit quidem de istis Patribus, sed nullam in textu mentionem facit, vnde ea desumpserit. Post medium capitis subiungit quædam de Vitâ Euagrij & eius scriptis, inter quæ nullum numeratur quod disertè Vitas Patrum complexũ fuerit. Inde ait opportunũ esse tempus, *pauca ex illis, quæ sunt ab eo de monachis commemo-*

memorata, huic sermoni attexendi. Recenset autem ibi quædam Didactica ex libro, qui *Monachus* seu *De vitâ in actione positâ* inscribitur: item quædam ex libro, qui *Gnosticus* seu *Scientiâ præditus* dicitur. Et nihil eorum in hoc libro, de cuius auctore controuertimus, reperitur. Nicephorus quoque lib. XI. cap. XLII. enumerat scripta Euagrij, & nihil de Patrum Vitis habet, & cap. XLIII. citat quædam ex libro de *Monachis* & *Gnosticis*: sed nihil eorum in hoc libro comparet.

Quare quod titulus capitis habet, *ex Euagrij libro*, referendum est non ad totum caput, sed ad ea quæ textus expressis verbis monet ex Euagrij libro desûpta, *Monacho* scilicet & *Gnostico*. Et epigraphe capitum sæpè non valdè distincta; quia plerumque non ab auctore, sed à librario aliquo concinnatur. Sic Petrus Gillius Bosphori Thracij lib. II. cap. X. clarè deprehendit elenchos capitum historiæ Sozomeni ab inscito homine factos. Nam quod clarè in textu est lib. II. cap. III. de *Michaëlio*, illud in Hestijs esse ille ἐλεγχοποιὸς dicit esse in *Sosthenio*, quod Gillius ait ampliùs duodeuiginti stadijs inde remotum. Pro *Sosthenio* apud Stephanum de vrbibus in Γυναικόπολις est Λεωσθένιον.

Ne quis porrò Lectoris animo scrupulus insideat vel ob Baronij, vel aliorum auctoritatem, VITAS PATRVM Euagrio Pontico asserentium, subijciam hîc librorum Euagrij Catalogum, vt is exstat apud Socratem, Suidam, Nicephorum, Gennadium.

Ita igitur Socrates suprà: Τούτῳ καὶ βιβλία ἄγαν σπουδαῖα συγγέγραπται. ὧν τὸ μὲν Μοναχὸς, ἢ περὶ πρακτικῆς ἐπιγέγραπται, τὸ δὲ Γνωστικὸς ἢ τὸν καταξιωθέντα γνώσεως (lege ex Suidâ ἢ περὶ τῶν καταξιωθέντων γνώσεως) κεφάλαια δὲ αὐτοῦ πεντήκοντα. τὸ δὲ, Ἀντιρρητικὸς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν πρὸς τοὺς πειράζοντας δαίμονας, ἐν ὀκτὼ διῃρημένον μέρεσι, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ὀκτὼ λογισμῶν. καὶ ἑξακόσια προγνωστικὰ προβλήματα ἔτι μὴν καὶ στιχηρὰ δύο, ἓν πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίοις ἢ ἐν συνοδίαις μοναχούς· καὶ ἓν πρὸς τὴν παρθένον: *Libri ab illo accuratè conscripti, quorum vnus Monachus, siue de viuendi ratione quæ in agendo cernitur: alter Gnosticus, siue scientiâ præditus dicendus sit, in quo sunt capita quinquaginta: alter Antirrheticus, id est, aduersus dæmones tentantes confutatio, ex Sacris litteris collecta, inq; octo partes diuisa, numero octo cogitationum mentis nostræ aptè respondentia. Sexcenta præterea problemata de rerum præsensione futurarum. His accedunt duo carminum libri: vnus ad monachos, qui in cœnobijs & conuentibus ætatem degunt: alter ad virginem.* Quæ eadem ad verbum habes apud Suidam in Μακάριος, & apud Nicephorum lib. XI. cap. XLII.

Gennadius verò de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. XI. *Euagrius monachus supradicti Macarij* (Ægyptij) *familiaris discipulus, diuinâ atque humanâ litteraturâ insignis. Cuius etiam liber qui attitulatur* VITAE PATRVM, *velut continentissimi & eruditissimi viri*

mentionem facit, ſcripſit multa monachis neceſſaria, ex quibus iſta ſunt:

Aduerſum octo principalium vitiorum ſuggeſtiones, quas aut primus aduertit, aut inter primos didicit, octo ex SS. Scripturarum teſtimonijs *oppoſuit* libros: *ad ſimilitudinem videlicet Domini, qui tentatori ſuo ſemper Scripturarum teſtimonijs obuiauit, ita vt vnaquæque ſpecies vel diaboli, vel vitiatæ naturæ ſuggeſtionum contra ſe haberet teſtimonia. Quod opus eadem ſimplicitate, quâ in Græco inueni, iuſſus in Latinum tranſtuli.*

Compoſuit & anachoretis ſimpliciter viuentibus librum centum ſententiarum, *per capitula digeſtum.*

Et eruditis ac ſtudioſis quinquaginta ſententiarum, *quem ego Latinum primus feci. Nam ſuperiorem olim tranſlatum, quia vitiatum per tempus & confuſum vidi, partim reinterpretando, partim emendando, auctoris veritati reſtitui.*

Compoſuit & cœnobitis & ſynoditis doctrinam aptam vitæ communis.

Et ad virgines Deo ſacratas libellũ competentem religioni & ſexui.

Edidit & paucas ſententiolas, *valdè obſcuras & (vt ipſe in his ait) ſolis monachorum cordibus cognoſcibiles. Quas ſimiliter ego Latinis edidi.*

Non hîc adfero, quæ de eodem habet Honorius Catalogo ſuo de Illuſtr. Eccleſiæ Scriptor. qui Gennadium exſcribere ſolitus, idque ſubinde mutilatè, vt monui hîc argumento ſecundo.

Si Euagrius alicubi tractaſſet de Vitis Patrum in aliquo librorum ab auctoribus citatis aſſignatorum, valdè ſimile vero eſt, quòd hoc præſtitiſſet in libro *De Monachis*; nam titulus ille in eam rem maximè quadrat; reliqui enim aliud promittere videntur, quàm Vitas Patrum, videlicet didactica quædam, & ſententias. Sed nihil vitarum in libro *De Monachis* fuiſſe, colligi poteſt ex reliquijs apud Socratem & Nicephorum, quæ tantùm morales quaſdam inſtructiones & ſententias continent, quas ſuo loco verbis Euagrij dabimus, vbi eædem illæ ſententiæ apud aliorum librorum de vitis Patrum interpretem Euagrij ſe nomine prodent.

§. VI. *Auctorem videri Ioannem Ieroſolymit. epiſc.*

HENRICVS Grauius notis ad epiſtolam D. Hieronymi ad Cteſiphontem, cùm dicit hunc librum non eſſe Hieronymi vel Ioannis Ieroſolymitani, videtur innuere, fuiſſe aliquos in eâ ſententiâ, vt exiſtimauerint Ioannem Ieroſolymitanum harum Vitarum eſſe auctorem.

Qui hoc ſentirent, non legi: quare nec rationes eorum diuinare poſſum. fors inducti fuêre in eam opinionem de Ioanne, quia hîc libro IV. cap. XXXV. auctor de Theodoro abbate dicit: *Meoq; me voci-*

vocitans nomine dixit: Quanti, inquit, ô Ioannes, de Deo loquuntur? quare eum Ioannem existimauerint quorumdam librorum de Vitis Patrum auctorem. Quòd autem Ierosolymitanum hîc potiùs, quàm quemuis alium intellexerint, ea caussa esse potuit, quòd liber quidam de asceticis circumferatur Ioannis Ierosolymitani nomine, qui eis suspicionem ingenerare potuit eumdem esse cum eo, cuius libro illo quarto fit mentio.

Sed nec libri illius quarti, nec huius secundi auctor est Ioannes Ierosolymitanus. Quæ enim habentur libro IV. cap. XXXV. desumpta sunt ex Ioanne Cassiano lib. V. Institut. cap. XXXV. ex quo & Seuero Sulpitio totus ille liber contextus est, vt ibi ostendam. Vnde & MS. Lætiensis maior quarto libro Ioannem Cassianum præfigit.

§. VII. *Auctorem videri Petronium Bonon. episc.*

GENNADIVS (non Hieronymus, vt non rectè apud Antoninum part. II. tit. XI. cap. XI. §. V.) de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. cap. XLI. Petronium Bononiæ episcopum libri huius auctorem suo tempore existimatum refert: *Petronius*, ait, *Bononiensis ecclesiæ episcopus, vir sanctæ vitæ, & monachorum studijs ab adolescentiâ exercitatus, scripsisse putatur* VITAS PATRVM *monachorum Ægypti, quas velut speculum ac normam professionis suæ monachi amplectuntur.* Similia habet Honorius Augustodunensis episcopus, Vincentius Beluacensis in Speculo Historiali lib. XX. cap. XXV. Mombritius tom. II. de Vitis SS. & Trithemius in Catalogo Illustr. Ecclesiæ Scriptorum.

Nec aliunde quàm ex Gennadio existimo deprompta, quæ habentur in Vitâ S. Petronij IV. Octobr. Petri Galesinij industriâ concinnatâ, vt ipse fatetur Notationibus suis ad Martyrologium, licet Sigonij nomine apud Surium tomo V. exstet: *Itaque in Ægyptum venit, vbi in intimam eremum penetrans, singulorum colloquio vti non destitit, quoad planè cognouit sancta eorum vitæ instituta. Inde domum reuersus illam disciplinam tam vehementer amauit, vt litterarum monumentis tradiderit* MONACHORVM VITAS, *quas religiosè conscriptas valdeq́ue probatas ijdem monachi amplexi sunt, quasi certas quasdam regulas, in quibus maximè eluceret omnis optima monastici instituti sui ratio.* Si tamen hæc ex veteribus monumentis adumbrata sunt, non ex Gennadio, erit hoc secundum pro hac sententiâ testimonium.

Quia tamen Gennadius ait, *putatur scripsisse*, non omnino certum est eum VITAS PATRVM scripsisse. Et vt aliquas scripserit, certè has ab eo non esse scriptas, euidenti D. Hieronymi testimonio firmari potest, qui eas alteri adscribit, vti clarum fiet §. X.

Et quidem Alphonsus Ciacco tractatu De D. Hieronymi Cardinalitio

nalitio hæc citat ex MS. tractatu Petronij De selectis SS. Patrum Apophthegmatis: *Hieronymus vir in omni doctrinarum genere absolutissimus, S. R. E. presbyter Cardinalis, cùm ab æmulis suis accusaretur, ex voluminibus Origenis innumera in sua transtulisse opera, dixit: Laus, quæ debet Origeni offerri, maxima est: & cùm illum in meis operibus imitatus sum, illum imitari proposui, quem nobis & omnibus prudentibus placere minimè vereor.* Quæ verba cùm in hoc libro non exstent, certum est alium aliquem librum de Vitis & Apophthegmatibus Patrum scripsisse S. Petronium. Quem varijs litteris ex Italiâ euocatum nondum nancisci potui.

§. VIII. *Auctorem videri D. Hieronymum.*

ITA quidem editiones pleræque omnes in fronte præferunt. Et videri possunt ijs nec auctores, nec adstipulatores defuisse.

1. Gelasius Rom. PP. in Concilio Romano, de quo sup. Prolegom. I. Decreto de libris authenticis, ait: *Item* VITAS PATRVM *Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus.* Quibus quidem verbis insinuare videtur Gelasius, etiam aliorum aliquot eremitarum Vitas ab Hieronymo fuisse conscriptas. Vetus quoq; Vita D. Hieronymi MS. *Plerumque eremitarum Patrumq; Vitas insignium veracissimo eloquio texuit historijs.* Respondeo, Gelasium tantum asserere, se omni cum honore omnium eremitarũ Vitas, quas scripsit B. Hieronymus suscipere: non tamen inde necessariò deduci potest, eum omnium eremitarum Vitas scripsisse. Scripsit prȩter enumeratas disertis nominibus, (exceptâ illâ *Antonij*, quæ ex versione Euagrij Antiocheni est, vt videre est in Notationibus ad eam Vitam) Vitam *Malchi* captiui monachi, fors & aliorum quorumdam, de quibus nunc liquidè non constat. Quare rectè in veteri illâ Vitâ dicitur scripsisse *Patrum Vitas insignium, qualis Paulus, Hilarion, Malchus*, &c.

Fors editoribus à Gelasio data est occasio, vt hactenus Hieronymi potissimùm titulũ Vitis Patrum præfixerint. Cui & illa accedere potuit, quòd in MSS. quibusdam præmissa fuerit Vita quædam certò ab Hieronymo conscripta, & pòst idem Hieronymi nomen reliquis sequentibus libris applicuerint, vt de Euagrio Antiocheno hoc ipso IV. Prologomeno §. IV. diximus. Sanè in MS. Lætiensi minore primò ponitur Hilarionis Vita per D. Hieronymum cõscripta, inde Vitȩ Patrum, seu liber hic secundus cum duobus sequentibus subnectitur.

Vel certè non absonũ erit dicere, Gelasium censuisse Vitas Patrum ab Hieronymo compositas, cùm iam olim ea opinio videatur inualuisse. Certè Grȩci hunc secundum librum è Latio in Grȩciam deduxerunt

xerunt Hieronymi nomine, cuius partem Græcam nuper accepi Venetiis: & in Augustanâ quoque Bibliothecâ quoddam Ἀνώνυμον de Vitis Patrum fragmentum exstat Græcè Hieronymi titulo. Quod non aliâ ratione contigisse existimo, quàm quòd libri eius auctor incertus esset, cui quisque pro captu suo auctoris nomen præfixit.

II. Cassianus præfatione in libros Institutionum ad Castorem episcopum, inter reliquas excusationis caussas, ob quas minùs promptè se onus scribendi monachorum instituta suscipere exponit, ait: *Huc accedit, quòd super hac re, viri & vitâ nobiles, & sermone scientiaq́ præclari, multa iam opuscula desudarunt, sanctum Basilium & Hieronymum dico, aliosq́ nonnullos: quorum anterior sciscitantibus fratribus super diuersis institutis vel quæstionibus, non solum facundo, verùm etiam diuinarum Scripturarum testimonijs copioso sermone respondit: alius verò non solum suo elucubratos ingenio edidit libros, verùm etiam Græcâ linguâ digestos in Latinum vertit eloquium.* Ex cuius testimonio videtur colligi posse, Hieronymum de Vitis Patrum scripsisse. Respondeo, rectè quidem ex Cassiano colligi, D. Hieronymum quædam monachorum instituta & vitas suis scriptis attigisse, seu Latino ea stylo conscripserit, seu è Græco verterit: huius tamen libri eum auctorem esse, nullo modo colligi potest.

III. Cassiodorus Instit. diuin. lect. cap. XXXII. sic ait: VITAS-PATRVM, *confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter, quas inter alia in epistolâ Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum destinatâ procul dubio reperitis, qui per totum orbem terrarum floruêre, vt sancta imitatio vos prouocans ad cælestia regna perducat.* Respondeo, exstare eam epistolā Hieronymi nomine initio Martyrologij Vsuardi, sed nulla ibi mentio Vitarum Patrum. Vt nullo modo inde colligi possit, Hieronymum vel harum Vitarum vel aliarum auctorem esse. Tantùm epistola ea respicit Martyrologium, quod Hieronymi nomine post epistolam eam tunc exstabat. Quodque nunc recèns nactus sum ex Bibliothecâ Epternacensi, sanè vetustissimum, ante DCCCC. annos, id est sancti VVillibrordi tempora scriptum. *Quas* igitur eo loco non refert remotissimum *Vitas-Patrum*, sed tantùm duo sequentia, *confessiones fidelium*, & *passiones martyrum*; quorum breuissima in Martyrologio illo memoria, seu potiùs nomenclatio exstat.

IV. Gratianus in Decreto parte II. caussâ XXVII. quæst. II. cap. XXVI. post recitata verba Nicolai I. ad Carolum Regem, quibus decernit *non licere, nisi ex consensu vtriusque coniugis, vota continentiæ suscipere;* subdit glossam, *licere, quando tantùm sunt desponsati.* probatque: *Vt enim refert B. Hieronymus, Macarius præcipuus inter Christi eremitas,* cele-

celebrato nuptiarum conuiuio, cùm vesperè thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens, transmarina petijt, & eremi solitudinem sibi elegit. Quod in Vitâ Macarij Romani inuenitur, quæ habetur nunc quidem libro primo de Vitis-Patrum: olim fortè libro secundo annexa fuit, vbi de aliis duobus Macarijs agitur. Respondeo, Gratianum fortassis occasionem sumpsisse Vitam Macarij tribuendi Hieronymo, quòd existimaret omnes Vitas-Patrum ab Hieronymo conscriptas, inductus duabus rationibue, quas iam primo argumento proximè dedimus.

v. Trithemius quoque in Catalogo Eccl. Script. Vitas Patrum Hieronymo tribuit. Et ne quis existimet de alijs eũ Vitis loqui, quàm vulgatis, quæ Hieronymi nomine circumferuntur; earum præfationem inchoare ait, *Benedictus Deus*, à quâ & vulgatæ illæ initium ducunt. Respondeo: Imposuit Trithemio vulgata editio; nam in MSS. alij auctores assignantur, vti partim vidimus, partim visuri sumus.

vi. Iacobus Faber Stapulensis, præfatione ad Lectorem, quam Heraclidis Paradiso Parisijs edito, de quo suprà §. iii. præfixit, asserit se à quodam suorum monitum, quòd non ritè in epistolâ dedicatoriâ Vitas Patrum Hieronymo abiudicasset, quas Hieronymus ipse à se scriptas agnosceret: quem enim alium certiorem quàm ipsum testem desideremus? Nam in Regulâ sanctimonialium, quam scripsit ad Eustochium & reliquas virgines, cap. x. ita scribit: *Dum igitur per eremorum antra septem annis sanctos Patres degentes ibidem in terris, velut in cœlis Angelos assistentes assiduo labore itineris, arduisq; viuendi incommodis, ceterisq; innumeris calamitatibus peragrando visitarem, de* QVORVM VITA *moribúsque mirificis, quæ luculenter ipse perspexi, libellum compegi, qui vobis sit vt lucerna in candelabro, ad meditationem religionis & vitæ.* Quo quidem testimonio persuasum est Fabro, Hieronymum quoque de Vitâ & moribus sanctorum Patrum librum scripsisse, qui nunc desideretur: nec enim inde sequi sustinebat, eum librum, qui vulgò titulo VITARVM PATRVM increbuit, ab Hieronymo conscriptum esse. Primò, quia Hieronymus ipse alium earum auctorem euidentissimis indicijs designat, vti pòst videbimus. Secundò, quia ex Vitâ Ioannis, quæ primo loco ponitur, discimus eum, qui librum conscripsit, presbyterum non fuisse, sed solùm diaconum; non senem, sed iuuenem: Hieronymum autem cùm deserta petijt, & presbyterum fuisse, & ætate senem, nullus fortè dubitat. Ita quidem Faber.

VI

Sed vt rectè Vitas has ab Hieronymo negat esse profectas, ita non satis circumspectè citato testimonio sibi passus est persuaderi, ab Hieronymo quoque Vitas Patrum, etsi alias à vulgatis fuisse conscriptas; cùm Regulæ illæ sanctimonialium à prudentioribus viris ab opere

Hiero-

Hieronymiano iam pridem sint ablegatæ, & in calcem reiectę, velut ab Hieronymi genio alienæ.

Scripsit quidem Hieronymus epistolam ad Eustochium, quæ est ordine XXII. de custodiendâ virginitate, in quâ quædam attingit de monachorum generibus, & eorum regulâ atque instituto. Sed nullum inde indicium colligi potest, quòd Hieronymus vel Regulæ illius vulgatæ in calce operum eius reiectæ, vel libri huius auctor sit.

Quin imò Hieronymum huius libri auctorem non esse, ex ipso Hieronymo euincitur, vt §. X. videbimus. Quî enim Hieronymus, quos ipse detexit esse hæreticos, & asserit in Concilio episcoporum damnatos, in litteras mitteret, & tamquam sanctos commendaret?

Nec illa Fabri assertio sat solida, quâ pertendit Hieronymum & presbyterum fuisse & senem, cùm ad Syriæ se recepit eremum. Imò nec senex nec presbyter tunc erat. Vide hîc initio primi libri Hieronymi peregrinationem, & quæ in Lege Talionis Tabulâ v. pro Baronio contra Casaubonum disputaui.

§. IX. *Auctorem videri Postumianum monachum.*

INVENIO in quibusdam manuscriptis, vti Aquicinctino, Lætiensi maiore, & Camberonensi, hunc secundum librum vnà cum quarto adscribi Postumiano monacho. Eum titulum etiam quædam editio præferre dicitur. Nihil de eo legi quod hanc opinionem stabilire possit.

Non inanem prorsus suspicionem existimo, si quis dicat ortum hunc titulum ex Seuero Sulpitio, qui in Dialogis suis Postumianum ex Oriente post triennalem peregrinationem reducem, multa de monachorum & eremitarum vitâ ac instituto narrantem introducit: *Postumianus*, inquit initio Dialogi primi, *ab Oriente, quò se ante triennium patriam relinquens contulerat, regressus*, &c. Nam quæ hîc libri quarti prioribus aliquot capitibus habentur, ea omnia compendio subiecta sunt ex primo Seueri Dialogo, in quo Postumianus narrator introducitur.

§. X. *Auctorem esse Ruffinum Aquileiensem presbyterum.*

PRIMVS, quod sciam, è recentioribus librum hunc Ruffino saltem vt interpreti (nam Euagrium quoque huius libri auctorem facere videtur) vindicauit Iacobus Faber Stapulensis præfatione ad Paradisum Heraclidis, nixus D. Hieronymi auctoritate, qui in epistolâ ad Ctesiphontem contra Pelagianos, ita de Euagrio & Ruffino scribit: *Euagrius*, inquit, *Ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines, scribit ad monachos, scribit ad eam, cuius nomen nigredinis* (Melaniam

innuit nominis significatu) *testatur & perfidiæ tenebras, edidit librum & sententias* περὶ ἀπαθείας (*quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere) quando numquam animus vllo perturbationis vitio commouetur; &, vt simpliciter dicam, vel saxum vel Deus est. Huius libros per Orientem Græcos, & interpretante discipulo eius Ruffino Latinos plerique in Occidente lectitant.*

Qui librum quoque scripsit quasi de monachis, multosque in eo enumerat, qui numquam fuerunt; &, quos fuisse scribit, Origenistas ab episcopis damnatos esse non dubium est; Ammonium videlicet, & Eusebium, & Euthymium, & ipsum Euagrium, Or quoque & Isidorum, & multos alios, quos dinumerare tædium est, & iuxta illud Lucretij:

Ac veluti pueris, absinthia tetra medentes,
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flauoque liquore,

ita ille vnum Ioannem in ipsius libri posuit principio, quem & Catholicum, & sanctum fuisse non dubium est, vt per illius occasionem ceteros, quos posuerat hæreticos Ecclesiæ introduceret.

Audisti D. Hieronymum, Lector; quid nunc de huius libri auctore censes, in quo omnium istorum qui enumerantur fit mentio? Vide igitur num alij cum Baronio sint lapsi, quòd existimarint hęc verba, *qui librum quoque scripsit quasi de monachis*, de Euagrio intelligenda. Sed de Ruffino intelligi debere, cuius nomen proximè præcessit, manifestum est argumentis sequentibus.

I. Quia subdit D. Hieronymus, quòd ille qui librum de monachis scripsit, in eo enumerat *& ipsum Euagrium*; videlicet cuius iam antè mentio facta. Nec simile vero, vt iam suprà §. v. dixi, suomet se ornasse præconio Euagrium, & suam quoque aliorum Vitis immiscuisse. Quod fortè animaduertens Marianus Victorius Hieronymi scholiastes, existimauit secundo hoc loco alterius Euagrij distinctam ab Hyperborità mentionem fieri. Sed de Hyperborità secundo quoque loco intelligendum D. Hieronymum, nimisquàm manifestum esse quisque deprehendet.

II. Quia immediatè post verba hîc ex D. Hieronymo reddita subiungit idem D. Hieronymus: *Illam autem temeritatem, imò insaniam eius quis digno possit explicare sermone, quòd librum Xysti Pythagorai, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris, & Romanæ Ecclesiæ episcopi prænotauit?* quod non de Euagrio, sed de Ruffino dicitur, qui Xysti Pythagoræi librũ titulo Sixti martyris edidit, vt clarum est ex alijs D. Hieronymi locis, vt in XXII. cap. Ierem. vbi eum nomine Grunnij perstringit, & in cap. XVIII. Ezech. item ex Augustino lib. II. Retractat. cap. XL. (qui deceptus antè libro

bro De nat. & grat. cap. LXIV. Sixti Pontificis nomine allegarat) & ex ipsâ Ruffini epistolâ ad Apronianum, quam interpretationi Enchiridij Sixti præfixit.

III. Quia similem fraudem subnectit hîc D. Hieronymus de supposititio Pamphilo in defensione Origenis: *Fecerat, ait, hoc & in sancti Pamphili martyris nomine, vt librum primum sex librorum defensionis Origenis, Eusebij Cæsariensis, quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat, nomine Pamphili martyris prænotaret*. Atqui à Ruffino eam fraudem consutam, nimisquam notum. Meminit eiusdem fraudis D. Hieronymus Apolog. aduersus Ruffin. lib. II. & epist. LXVI ad Pam. & Ocean. & in cap. XVIII. Ezech. & dial. adu. Pelagianos, quam nondum detexerat D. Hieronymus, cùm scriberet Catalogum Script. Eccles. vt patet eiusdem cap. LXXV. in Pamphilo.

Vnum hoc D. Hieronymi testimonium sufficere iudico, vt liber hic Ruffino asseratur. Omitto suffragari M S S. complures, vt Audomarensem notæ optimæ, & à vetustâ manu, quo præcipuè in recensendis his libris vsus sum; vt alios quos vidisse se asserit Henricus Grauius, Notis ad epist. D. Hieronymi ad Ctesiphontem, de quâ iam actum.

Nescio an & Ruffinus ipse videri possit insinuare se huius libri auctorem vel interpretem esse. Nam cap. XXIX. libri huius secundi, vbi de Macario Alexandrino agit, addit: *Sed & multa, vt diximus, alia de operibus S. Macarij Alexandrini mirabilia feruntur, ex quibus nonnulla in XI. libro Eccles. hist. inserta qui requirit inueniet*. In quo libro XI. videlicet posteriore ex duobus, ab ipsomet Ruffino ad Eusebij Ecclesiasticam historiam (quam è Græco verterat) additis, cap. IV. habentur quædam de Macario Alexandrino, quæ hoc libro secundo de Vitis Patrum desunt; quorum primum est de cæco reluminato, qui puluere ex cellâ Macarij deterso, & aquâ putei quo bibere solitus erat macerato, oculos inunxit; secundum verò de leænæ catulis visu donatis, ad quæ ipsa mirabilia capite illo XXIX. libri secundi de Vitis Patrum videtur Lectorem remittere.

Equidem Vitas Patrum scriptas esse post libros illos historiæ Ecclesiasticæ à Ruffino, partim translatos, partim compositos, ipse eiusdem libri XI. cap. iam dicto manifestè declarat, subdit enim: *Verùm si singulorum mirabilium gesta prosequi velimus, excludimur à propositâ breuitate, maximè cùm narrationem proprij operis mereantur*. Quod ipsum posteà præstitisse, librum hunc è Græco textu concinnando, D. Hieronymi testificatione didicimus.

QVÆRES, Vnde tam incertus, etiam iam olim, huius libri auctor fuit? Respondeo: Quia auctor nomen suum suppressit, vti & inter-

 pres:

pres: cuius nomen non nisi D. Hieronymi & paucorum MSS. indicio nouimus.

Cur autem Ruffinus nomen suum suppresserit, existimo duas rationes assignari posse. Primò: Cùm enim, referente Hieronymo epist. ad Ctesiphontem, constet nonnullos Origenistas hîc immixtos, non ausus fuit eum librum nomine suo extrudere & venditare Ruffinus, quòd ipse de hæresi eâ suspectus erat. Vt igitur liber hic sine vllo in nomine offendiculo reciperetur, præfationem quidem præfixit, sed nomen subticuit. Eodem modo nomen suum suppressit in editione translationis librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, quod Hieronymus indicat epist. LXVI. ad Ruffinum: *Præfatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν ad me missa est, quam ex stilo intellexi tuam esse.*

Secundò, Quia Ruffinus huius libri non tam auctor (vt iam dixi) quàm interpres est; ideoque noluit eum suo nomini arrogare. Cùm enim ferè omnia quæ hoc libro narrantur (vno capite de Oxyrynco excepto) habeantur apud Palladium & Heraclidem; verisimile mihi fit, Palladium vel Heraclidem vel alium aliquem hæc Græcè edidisse, suppresso nomine, quæ Ruffinus vertit. Quæ pòst Palladius auctiora edidit suo nomine præfixo, & *Historiā Lausiacam* inscripsit.

Hæc nunc sufficiant de quæstione hac perplexâ. R. P. Georgius Garnefelt Carthusiæ Coloniensis alumnus, & Bibliothecarius, studijs meis impensè fauens, in Appendice suâ ad Elucidationes sacras Imaginum Eremitarum, operosè inquirit de auctoribus Vitarum Patrum, volens me subleuare, vel errantem in viam reducere. Contendit maximè, Hieronymum in epistolâ ad Ctesiphontem, cùm ait, *qui librum quoque scripsit quasi de Monachis*, intelligendum de Euagrio, non de Ruffino. Nihil hîc addo. Iudiciosus lector textum tantùm inspiciat, quem hîc antè dedi, & iudicet: cuiusuis iudicio securus stabo. Et qui meminerit non semel me scripsisse Ruffinum potiùs interpretem quàm auctorem esse, contorta ab amicâ manu tela euadet omnia. Nolo hîc vmbonē opponere amico beneuolo, vel tela in amicū pectus retorquere. Nam & ipse tandem cùm omnia excussit, Euagrio eum librum abrogat, & incertum eius auctorem statuit. Quod à mente meâ non abhorret, cùm Ruffinum saltē eius interpretem asseruerim. Certè Ruffini hîc manū accessisse, qui perpensè Hieronymi illam ad Ctesiphontem epistolā legerit, dubitare non poterit.

§. XI. *Auctorem videri* VALERIVM *Asturicensem archipresbyterum.*

ATQVE de auctoribus hisce iam ita disquisiueram, cùm ecce ex Hispaniâ mittit ad me Tractatulum suum de auctoribus Vitarum

rum Patrum R. P. Christophorus de Castro, sacræ Scripturæ in Salmanticẽsi Academiâ Professor, in quo inter alia scribit in hæc verba: Mihi aliquando in mentem veniebat, essétne auctor libri VALERIVS Asturicensis archipresbyter, in cuius scripta casu incidi, cùm in Bibliothecâ ecclesiæ Toletanæ aliqua euoluerem M S S. vbi vidi iustum quoddam volumen Gothicis litteris scriptum, cuius titulus erat, VITAE PATRVM ORIENTALIVM, fine auctore. Quod tamen inueni in præfatione scriptum à Valerio Asturicensi archipresbytero, Æra DCCCCXL. hoc est anno Domini DCCCCII. Exordiebatur autem à Vitâ Ioannis, de quo liber Euagrij (*verius Ruffini, vt iam probaui*) sed multò longiore. Deinde habebat multas Vitas Patrum, longè diuersorum ab ijs, qui referuntur communiter in Vitis Patrum, quam ob rem omnem meam suspicionem abieci. Hactenus Castrius noster.

Omnino occasio suspicandi erat, cùm nomen illud præfatio præferret. Sed certissimũ nobis de auctore vel interprete huius secundi libri ex D. Hieronymo suppetit testimonium. Quin, quòd liber ille Toletanus dicatur scriptus à Valerio, non statim inde sequitur, eum eius libri auctorem esse. Multi scriptores suum nomen præfigunt vel postponunt libris, quos exscripserunt, etsi non composuerint, quod ignorare non potest, qui vel paucos libros MSS. oculis lustrauit. Cùm autem liber ille Toletanus dicatur continere *multas Vitas Patrum longè diuersorum ab his*, potuit Valerius ille nouam Collectionem Vitarum Patrum instituisse.

PROLEGOMENON V.

Quis tertij libri auctor?

EDITI hîc libri pergunt erroris funem nectere, & D. Hieronymum auctorem faciunt: sed stilus satis arguit eius non esse, licet tria vltima capita ex eius epistolis desumpta sint; quæ auctorem suum venustate dictionis produnt.

Nihil subsidij ad auctorem indagandum à MSS. libris hîc habeo. Nullius enim hîc nomen constanter præfigitur. Vel enim qui præcedenti libro & sequenti Euagrium aut Postumianum inscribunt, hunc sine inscriptione medium transire permittunt; vel si eosdem auctores etiam huic inscribunt, erroneè faciunt, vt de præcedente libro iam docui. Quòd si eum, qui præcedenti libro inscribitur, etiam huius & sequentis libri auctorem esse volunt, nullum ius potius Euagrio & Postumiano, quàm Ruffino, cùm & huius nomen in MSS. quibusdam præcedenti libro præscribatur.

Quid igitur? nullúsne hîc certus auctor indagari poterit? Equidem

dem euenit mihi, quod olim D. Hieronymo in re non absimili: cui cùm Præfatio librorum περὶ ἀρχῶν Origenis offerretur nullo præfixo titulo, ex stilo deprehendit Ruffini esse, vt ipse testatur epist. LXVI. ad eumdem Ruffinum. Si idem hodie mihi, obtusioris licet naris, contigisse dixero, fortasse non omnino errauero. Sed vestigia huius indaginis, certa satis, nisi me fallo, nunc assignabo.

Cùm accuratè huius & præcedentis libri Præfationem inter se conferrem, deprehendi non stili tantùm paritatem, sed duo prætereà, quæ me auctoris, vel certè interpretis, certiorem fecerunt.

I. Ruffinus Præfatione libri præcedentis hæc habet in commendationem monachorum: *Vt dubitari non debeat, eorum meritis adhuc stare mundum.* Ad quem eumdem locum auctor respiciens, & sibi quasi epiphonematicè respondens, Prologum huius secundi libri ita auspicatur: *Verè mundum quis dubitet meritis stare sanctorum?*

II. Ruffinus præfatione eadem præcedentis libri quædam adumbrauit ex Procemio Palladij in Lausiacam historiam: in huius verò libri Prologo ex Palladij epistolâ ad Lausum, quæ Procemio subnectitur, transcribit, quæ locis suis collata & notata inuenies.

Quare cùm vna Præfatio alterā respiciat, ad eamq; alludat, & vtraque ex eodē fonte ortum habeat, pariq; stili decurrat alueo, existimo satis probabiliter, vtriusque Præfationis & libri eumdem auctorem vel interpretem posse statui. Vnde & librum hunc Ruffino inscripsi.

PROLEGOMENON VI.

Quis quarti libri auctor?

DICO: QVARTVS liber ex SEVERO SVLPITIO & IOANNE CASSIANO est concinnatus.

Sunt enim tantùm excerpta quædam ex eorum libris, verbis pæne eisdem. Loca singula, vnde desumpta sunt, ad singula capita annotauimus.

QVIS autem ea concinnauerit, non habeo certò dicere. Videamus tamen, an & hîc felici indagine possimus ad concinnatoris peruenire cubilia. Quòd si non omnino peruenerimus, iucundum saltem erit, pressa legisse vestigia.

Scio Gennadium de Script. Eccl. cap. LXIII. tradere, EVCHERIVM Lugdunensis ecclesiæ presbyterum, quædam Cassiani opuscula lato tensa sermone, angusto verbi resoluisse tramite, & in vnum volumen coëgisse.

Scio Cassiodorum Instit. diuin. cap. XXIX. affirmare, VICTOREM quemdam Afrum, Martyritanum episcopum, Cassiani de institutione

ne

ne monachorum dicta purgasse, & quæ minus erant, addidisse, non sine palmari laude.

Sed an hic liber, quem habemus pre manibus, vel libri aliqua pars, alteri eorum tribuenda sit, non ausim affirmare. At præstat hîc ipsa Gennadij Cassiodorique verba subiungere, vt Lector videat, si quid certi de concinnatore hoc discernere possit.

Gennadius igitur hæc de EVCHERIO: *Sed & S. Cassiani quædam opuscula, lato tensa sermone, idem* EVCHERIVS *angusto verbi resoluens tramite, in vnum coëgit volumen.* Hæc Gennadius, inquit Baronius Annali CCCCXXXIII. eiusdem (Pelagianæ) farinæ cum Cassiano: qui ne diceret, erroribus confutatis Eucherium expurgando contraxisse opera Cassiani, latum sermonem circumcidisse prætexuit. Ita ille.

Quòd si Eucherius huius, quod hoc libro quarto damus, compendij est auctor, eum & scalpello vsum & forcipe, nunc venam incidendo, noxiumque sanguinem extrahendo, nunc luxurians capillitium circumcidendo, meritò dixeris. Nam ita sanus, ita concisus hic Cassianus est, vt nullo Pelagianæ præfidentiæ nimio feruore vena micet, nullis prolixitatis cincinnis exuberet fastidiosa facundia. Equidem non video, cur non possit tribui Eucherio hæc ex Cassiano concinnatio.

Nisi fortasse quispiam obstare velit, quòd hoc eodem compendio per Seueri vineta itur, quæ & ipsa putatoriâ cæduntur falce. Ita quidem librum hunc quartum & editi & MSS. ex Seuero & Cassiano, tacitis tamen nominibus, adornatum exhibent. Non desunt tamen MSS. vti Camberonensis, qui librum hunc quartum ex solo Cassiano habeat expressum; omissis illis, quæ ex Seuero passim præmittuntur. Atque ita Eucherio hæc epitome tribui posse videri possit.

Accedit Petri Damiani non omnino vero absimile testimonium lib. v. epist. XIX. *Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrarum partium testimonio aurem accommodate: legite Collationes Patrum, quas Eucherius Lugdunensis episcopus elimato sermone abbreuiare studuit; & si nobis credere non vultis, saltem illius litteræ credite.* Agit ibi de vestitu monachorum Damianus, de quo in hoc Seueri & Cassiani compendio habes cap. XV.

Quia tamen editi omnes & pleriq; MSS. librum hunc ex vtroque contractum repræsentant, videndum, an quod habet Cassiodorus Diuin. instit. cap. XXIX. de VICTORE quodam Afro, huc facere possit: *Cassiani*, inquit, *dicta* VICTOR *Martyritanus episcopus Afer ita Domino iuuante purgauit, & quæ minùs erant addidit, vt ei rerum istarum palma meritò conferatur: quem inter alia de Africæ partibus*

bus citò nobis credimus esse dirigendum. Fortè enim additio hæc intelligi potest de Seueri epitome, quæ hîc Cassiani epitomæ adiuncta est. Nisi quædam addiderit ijs quæ purgauit, id est, antidotum contra veneni intimationem, quod scriptis suis sparsim inserebat Cassianus, apposuerit.

Baronius suprà existimat, Cassiodorum spe frustratum non accepisse quod ex Africâ exspectabat. Siquidem Ado Viennensis episcopus in Chronico anno CCCCXXV. ab ipso Cassiodoro id operis, vt Cassianum corrigeret, elaboratum affirmat, dum ait: *Opera illius à Catholicis cautissimè legenda, maximè de libero arbitrio & gratiâ: sed & Encratitarum hæresi incautiùs fauit. Errores illius Cassiodorus Rauennatum senator purgare volens, non ad plenum omni ex parte potuit.*

Quis nunc horum excerptorum auctor statui possit, malo in medio relinquere, quàm temerè quid asserere.

Petrus Ciacconius Præfatione ad Lectorem Cassiani, refert, in Vaticanâ Bibliothecâ Collationes aliquot, & octo postremos libros Institutionum in Græcam linguam conuersos esse, sed in compendium potiùs redactos, quàm integrè conuersos; quem eâ de re disserentem legere quisque potest.

PROLEGOMENON VII.

Quis quinti libri auctor?

DICO: QVINTI libri auctor incertus.

I. Quia Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. in Pelagio cap. CXVI. librum eum vocat, DE VITA ET DOCTRINA ET PERFECTIONE SS. PATRVM, nec auctoris nomen exprimit.

II. Quia etiam in Photij Bibliothecâ Cod. CXCVIII. sine auctoris nomine citatur, Ἀνεγνώσθη ΑΝΔΡΩΝ ΑΓΙΩΝ ΒΙΒΛΟΣ, *Lectus est* SS. VIRORVM LIBER. Eumdem enim Græcum esse, cum eo quem nos Latinè habemus, eo loco manifestabo.

Margarinus de la Bigne Catalogo seu Indice Chronologico in Bibliothecam Patrum sæculo V. existimat Euagrium auctorē esse operis, quod ipse tomo IX. secundæ editionis edidit hoc titulo: *SS. Ægyptiorum anachoretarum Apophthegmata*, quæ eadem sunt cum libro hoc V. Pelagio interprete, & VI. Ioanne interprete. Ratio eius est, quòd Nicephorus Ecclesf. hist. libro XI. cap. XLIII. citet ex Euagrij operibus multa de Patrum dictis, quæ occurrunt in opere isto iam dicto.

Sed vereor, vt labatur Margarinus.

I. Quia etsi quædam in his libris reperiantur quæ Nicephorus ex Eua-

Euagrij operibus citat, non reperiuntur eo modo, quasi Euagrius ea ipse referat librum velut conscribens, sed potiùs ex Euagrio citantur.

Vt quod Nicephorus citat ex libro *Practico* Euagrij senis cuiusdam scitum de aridiore diætâ, habes hîc libello I. Pelagij num. 4. *Dixit abbas Euagrius, Quia dicebant quidam Patrum.* Quòd si Euagrius huius libelli auctor esset, non diceret, *Dixit abbas Euagrius.*

Ibidem num. 5. *Iterùm dixit* (scilicet *Euagrius*) *Nuntiata est cuidam monacho mors patris*, quod etiam ex Euagrio citat Nicephorus suprà.

Et libello VI. num. 5. *Dixit abbas Euagrius fuisse quemdam fratrem qui nihil habuit in substantiâ suâ, nisi tantùm Euangelium*; quæ etiam ex Euagrij *Practico* citat Nicephorus suprà.

II. Quædam, quæ citat Nicephorus ex Euagrij libris, hîc non reperiuntur. Vt, quod citat ex libro *Gnostico* eius de Gregorio iusto, de quatuor virtutibus Cardinalibus, de Serapione, de mente spiritali cognitione imbutâ; de Didymo, de prouidentiâ & iudicio, de Basilio, quòd scientia meditatione augetur, de Athanasio, de mensâ Moysis.

III. Quia varij citantur auctores Euagrio posteriores, vt Ioannes Cassianus, Cyrillus Alexandrinus, & alij nonnulli, quos Lector ipse deprehendet.

Non inutile erit hîc addere, quæ hac ipsâ de re notauit Fr. Ioannes Maria Brasichellensis, sacri Palatij Apostolici Magister, in Indice librorum expurgandorum, ad tomum IX. Bibliothecę Patrum, vbi agitur *de anachoretarum Apophthegmatis*, vbi ita commentatur: De auctore, & interprete huius operis variè ambigitur: auctorem quidam, & inter eos Margarinus in Chronologico auctorem huius Bibliothecæ Indice, existimāt fuisse Euagrium Ponticum, cuius certum est esse librum VITAS-PATRVM, cui hic Apophthegmatum semper annectitur. Gennadius in Catalogo hæc de Euagrio habet: *Composuit de anachoretis simpliciter viuentibus librum centum sententiarum, quem ego Latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum, quia vitiatum per tempus & confusum vidi, partim reinterpretando, partim emendando auctoris veritati restitui.* Hæc Gennadius. Equidem etsi velimus multas esse sententias in hoc opere ex Euagrij collectione acceptas: at sunt hîc plus quàm DC. & cùm hoc opere fiat mentio Theophili Alexandrini, Ioannis Cassiani, Cyrilli Alexandrini iam defunctorum: certum est, Euagrium Ponticum, tametsi teste Gennadio longâ ætate vixerit, non potuisse S. Cyrillo esse superstitem: ob quam etiam rationem exploratum est, sanctum Hieronymum non esse horum Apophthegmatum interpretē. Nominantur interpretes Pelagius S.R.E. diaconus, & Ioannes eiusdem S.R.E. subdiaconus. De qui-

quibus agit Sigebertus de Vir. illustr. cap. CXVI. & CXVII. Hactenus Magister sacri Palatij.

Qui vt rectè hos libros Euagrio auctori & Hieronymo interpreti abiudicat, ita minùs rectè certum esse ait, librum VITAS-PATRVM esse Euagrij, cùm potiùs certò constet eius non esse. Vide dicta Prolegomeno IV. §. V.

PROLEGOMENON VIII.

Quis sexti libri auctor?

DICO: SEXTI libri auctor incertus.

Primò, Quia Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. in Ioanne cap. CXVII. librum eum vocat DE VITA ET DOCTRINA PATRVM, nec auctoris nomen exprimit.

Secundò, Quia Photius in Bibliothecâ Cod. CXCVIII. quem proximo Prolegomeno citaui, hunc librum priori annectit; quare idem de hoc ferendum iudicium quod de priore.

AT OCCVRRES: Ioannes Damascenus in libro, qui inscribitur, *De iis qui cum fide excesserunt ex hac vitâ*, refert de Macario historiam, qui ex mortui hominis cranio sciscitatus est de eius statu, eamque citat ex *Palladij Lausiacâ historiâ*. Atqui hæc eadem historia reperitur libro hoc sexto, libello tertio Ioannis, num. 16. vt & huius libri sexti auctor videatur fuisse ipse Palladius. Respondeo: Ita quidem, hoc argumento motus, censuit Gentianus Heruetus, in præfatione versionis suæ Palladianæ, qui eam historiam haberi ait libro IV. qui *Doctrina Patrum* inscribitur, cap. *De exemplis & doctrinâ vitæ spiritualis* (ita concipitur & inscriptio & caput in editione Coloniensi, quę librum sextum & quintum vno libro comprehendit) qui liber idem est cum hoc sexto libro.

Quòd si id minùs placeret, existimabat eam historiam fuisse in *Lausiacâ historiâ* tempore Damasceni, & posteà ab hæretico aliquo malitiosè sublatam. Quod eum dixisse credo, quòd huic hominum generi omnes hæ spirituum apparitiones meræ sunt fabulæ, quique ægrè ferunt vel minimam suffragiorum pro animabus defunctorum memoriam exstare.

Gen. 26. Equidem non abhorret ab hæretico genio, cum Philisthęis puteos Israël obstruere, ne aliquod inde mortalibus accedat refrigerium. Certè cùm Palladius tertiò prodierit, & ex postremâ editione constet, primò decurtatum, inde nonnihil interpolatum prodiisse, vti pleniùs declarabitur Prolegomeno XIV. vbi agitur de octaui libri, cuius Palladius auctor est, interprete, existimari potest nec tertiò integer

tegre prodiisse, quandoquidem ea de Macario narratio, quam olim Damascenus in *Lausiacâ historiâ* legerat, ne in hac quidem tertiâ editione hodie reperiatur.

Atque huic opinioni, quàm priori, accedo libentiùs, quâ tam libri quinti quàm sexti, qui pro vno libro hactenus fuere circumlati, quòd in eo narrationem eam sit reperire, Palladius auctor creditur.

Accedo autem libentiùs:

Primò, Quia liber ille quintus & sextus à nullo, quod sciã, *Lausiaca historia* dicitur, in quâ tamen eam se legisse profitetur Damascenus.

Secundò, Quia in libro quinto, libello x. n. 67. inter reliqua Seniorum dicta habetur dictum quoque Palladij. Vnde colligere est, librum illum non à Palladio, sed ab alio aliquo fuisse concinnatum.

PROLEGOMENON IX.

Quis septimi libri auctor?

DICO: SEPTIMI libri auctor incertus.

Vocat eum librum Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. cap. CXVIII. INTERROGATIONES ET RESPONSIONES SS. ÆGYPTIORVM PATRVM, nec auctoris meminit. Et ipse Paschasius interpres capite XLIV. in fine absolutè pronuntiat: *Hæc sapientium & spiritualium* RESPONSA *Patrum*, nullã auctoris notione.

PROLEGOMENON X.

Quis octaui libri auctor?

DICO: OCTAVI libri auctor est PALLADIVS Helenopoleos episcopus, diciturque LAVSIACA HISTORIA.

Clarum hoc satis ex Socrate lib. IV. cap. XXIII. cuius verba exprimam. Alia quædam vide in Elogiis ad eum librum. Ait igitur: Εἰ δέ τις βούλοιτο τὰ περὶ αὐτῶν μανθάνειν ὧν τε ἐποίησαν, ὧν τε ἔπραξαν, καὶ ὧν πρὸς ὠφέλειαν τῶν ἀκουσάντων ἐφθέγξαντο, ὅπως τε αὐτοῖς τὰ θηρία ὑπήκουον, πεπόνηται ΠΑΛΛΑΔΙΩι τῷ μοναχῷ ἴδιον μονόβιβλον, ὃς Εὐαγρίου μὲν ἦν μαθητής. πάντα δὲ ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν διεξῆλθεν. ἐν ᾧ καὶ γυναικῶν ἐφαμίλλων τοῖς προειρημένοις ἀνδράσιν ἐπανελομένων βίον, μνήμην πεποίηται: *Quapropter si quis studio ducitur accuratè cognoscendi, quas res gesserint, quo pacto se in vitâ exercuerint, quæ ad audientium vtilitatem locuti fuerint, quomodo bestiæ illis obtemperarint, legat librum à* PALLADIO *monacho, qui Euagrij fuit discipulus, separatim de illis editum. Nam omnia quæ ad eos spectant, in eo sunt accuratè explicata. In*

quo

quo etiam de mulieribus, quæ parem viuendi rationem cum viris suprà dictis excolebant, sermo susceptus est. Ex quo Tripartita historia lib. VIII. cap. I. & Nicephorus lib. XI. cap. XLIV.

Cùm autem tres sint diuersæ Palladij editiones diuersis interpretibus, quæ earum videatur germanior, vide Prolegomeno XIV. vbi de interpretibus.

PROLEGOMENON XI.

Quis noni libri auctor?

DICO: NONI libri auctor est THEODORETVS Cyri episcopus, vocaturque ΦΙΛΟΘΕΟΣ seu ΘΕΟΦΙΛΗΣ.

Testatur hoc ipse epistolâ LXXXII. ad Eusebium Ancyræ episcopum: *Mysticum etiam scripsimus librum, & de prouidentiâ alia, & ad interrogationes magorum alia, & de* VITIS SANCTORVM, *& præter hæc alia multa.* Cuius libri nomine PHILOTHEI passim meminit ipse in hist. Eccles.

Nicephorus lib. XIV. cap. LIV. vbi inter alia de Theodoreti scriptis agit, *Et rursum,* inquit, ΦΙΛΟΘΕΟΣ, *hoc est,* DEI-AMANTIVM HISTORIA, *in quâ institutum eorum, qui ætate suâ vitam sanctè transegerunt, persequitur.*

PROLEGOMENON XII.

Quis decimi libri auctor?

DICO: DECIMI libri auctor est IOANNES MOSCHVS, & inscribitur SOPHRONII LIMONARIVM, seu PRATVM SPIRITVALE, seu NOVVS PARADISVS.

I. Ipse nomen suum exprimit cap. LXXVII. *Dixit mihi Sophronius: Verè, abba Ioannes, hodie nihil vltrà studeamus.*

II. Photius Bibliothecæ suæ Cod. CIC. plenius nomen & diuersum libri titulum exhibet: Ἀνεγνώσθη βιβλίον, τέσσαρσι καὶ τριακοσίοις διηγήμασι περιειλημμένον. περὶ τὴν ἀσκητικὴν δὲ καὶ οὗτο τὰ μάλιστα συντελοῦν ἐστι πολετείαν τὰ αὐτά πως πραγματευόμενον τῷ προειρημένῳ. πλὴν ὅτι τῶν μεταγενεστέρων ἀνδρῶν ἔργα τε καὶ πράξεις ἀξιοζηλώτους ἀναγράφει. τὸ γὰρ ἐκεῖθεν τῶν μέχρι τοῦ Ἡρακλείου ἀρχῆς καὶ ἐπιπλέον διαπρεψάντων ἀρεταῖς, ἐπέρχεται τοὺς βίους. ΛΕΙΜΩΝΑ δὲ καλεῖσθαι δίδωσιν ὁ συνταξάμενος ὄνομα τὸ βιβλίον. τινὲς δὲ αὐτὸ τὸ ΝΕΟΝ ὀνομάζουσι ΠΑΡΑΔΕΙΣΙΟΝ (manuscripti quidam ΠΑΡΑΔΕΙΣΙΝ, qui ad marginem manuscripti Margunij vocatur ΠΑΤΕΡΙΚΟΝ) ὁ δὲ συντεταχὼς ΙΩΑΝΝΗΣ μὲν ὄνομα αὐτῷ, ἐξ ἐπικλήσεως δὲ ἐλέγετο ὁ τοῦ ΜΟΣΧΟΥ, ὃς ἀπετάξατο μὲν ἐν τῇ τοῦ ἁγίου Θεοδοσίου μονῇ, εἶτα συνδιέπρεψε

τοῖς

τοῖς τε κατὰ τὸν Ἰορδάνην ἀνὰ τὴν ἔρημον ἀσκουμένοις, καὶ τοῖς ἐν τῇ νέᾳ Λαύρᾳ τοῦ μεγάλου Σάββα διαθλοῦσιν. Ἐντεῦθεν δὲ τά τε τῆς Ἀντιοχείας κλίματα, καὶ τὴν Ἀλεξάνδρου, καὶ τὴν περὶ αὐτὴν ἔρημον, καὶ μέχρις Ὀάσεως ἐπελθὼν, καὶ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀνδρῶν ἀριστείας συναγηοχώς· τὰ μὲν ὄψει, τὰ δὲ καὶ νεαζούσῃ ἀκοῇ. διὰ τὴν αὐτὴν δὲ αἰτίαν καὶ νήσοις ἱστορησάμενος, ἐν τῷ πρὸς τὴν Ῥώμην διάπλῳ, κἀκεῖσέ τε τὰ παραπλήσια διερευνησάμενος, καὶ μαθὼν, τὸ παρὸν σύνταγμα γράφει, καὶ προσφωνεῖ ΣΩΦΡΟΝΙΩι ἢ ΣΩΦΡΟΝΑι τῷ οἰκείῳ μαθητῇ, καὶ ἐγχειρίζει αὐτῷ τοῦτο, τὴν τοῦ βίου μέλλουσαν ἐφίστασθαι πρὸς τὰ ἀμείνονα προτεθειμένος μεταβολήν. Πλὴν ἐξ ἁπάντων τὸ χρήσιμον ὁ συνετὸς καὶ θεοφιλὴς ἀνὴρ δρεπόμενος οὐκ ἂν τῶν συντεταγμένων κόρον καταγνοίη: *Lectus est liber quatuor & trecentis constans narrationibus. Hic quoque monasticæ potissimùm vitæ conducit, eamdemq́ fere cum superiore* (SANCTORVM VIRORVM LIBRO, vt Photius indigetat, quem hîc suprà quinto & sexto libro diuisum habes) *pertractat, nisi quòd eorum virorum dicta factaq́ imitatione digna colligit, qui pòst insecuti sunt. Vitas etenim narrat eorum, qui iam inde vsque ad Heraclij imperium & deinceps virtute magis claruerunt.* PRATVM *autem titulum libro indidit auctor, quam &* PARADISVM NOVVM *quidam appellant. Scriptor eius* IOANNES *quidam* MOSCHI *cognomento, qui in B. Theodosij primùm monasterio sæculum valere iubens, cum ijs deinde monachis conuixit, qui in deserto ad Iordanem exercebantur, quiq́ nouâ in Laurâ magni Sabæ certabant. Unde rursum ad Antiochiæ regiones & Alexandri vrbem, proximámque eremum, ad Oasim vsque delatus, multorum magnorúmque virorum res præclarè gestas aggregauit, quas partim oculis ipse spectauit, partim recenti tunc auditione didicit. Eadem porrò de caussâ cùm etiam insulas Romam versus nauigans lustrasset, hisce similibus ibi quoque conquisitis & cognitis, hoc opus conscripsit, quod dedicat* SOPHRONIO *seu* SOPHRONAE *discipulo suo, eidémque hoc ipsum offert, cùm iam animo præciperet instare vitæ huius in meliorem commutationem. Ceterùm ex his omnibus industrius quisque & Dei amans, fructum capiens, numquam huius scripti nimiam prolixitatem accusarit.* Quæ Photius cõpendio excerpsit ex Elogio auctoris, nunc hac secundâ Moretianâ editione, eius libro ex MS. Græcis præfixo.

III. Secunda Nicæna Synodus, quæ VII. est ordine inter Generales, Actione IV. ita habet: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ ἐκ τοῦ ΛΕΙΜΟΝΑΡΙΟΥ. Ἔλεγεν ὁ ἀββᾶς Θεόδωρος ὁ Αἰλιώτης, ὅτι ἦν τις ἔγκλειστος εἰς τὸ ὄρος τῶν Ἐλαιῶν, ἀγωνιστὴς πάνυ, &c. *Eiusdem patris nostri* SOPHRONII *ex libro* PRATO. *Dicebat abbas Theodorus Æliota, Quia quidã inclusus erat in monte Oliuarum, valdè certator, &c.* Vbi totum caput XLV. quod in hoc libro habetur, Grecè exprimitur. Quod idem repetitur Actione V. vbi & alia duo exempla ex eodem Limonario citantur.

D IV. Ioan-

IV. Ioannes Diaconus lib. I. cap. XLV. Vitæ S. Gregorij Magni: *Nihilominus ex libro, qui à Græcis* ΛΕΙΜΩΝ *dicitur, à Latinis verò intelligitur* CAMPVS *vel* PRATVM, *præceptor meus inter alia toto orbe iam diffamata miracula interpretatus est.*

V. Ioannes Damascenus, in fine primi libri, quem pro imaginibus scripsit, testimonium ex hoc libro adducit, hoc titulo: Ἐκ τοῦ ΛΕΙΜΩΝΑΡΙΟΥ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων. *Ex* PARVO PRATO *sancti patris nostri* SOPHRONII *archiepiscopi Ierosolymorum.*

VI. Nicephorus lib. VIII. cap. XLI. *Multam quoque & vtilem de ijs* (monachis) *historiam Sophronius Ierosolymitanus nobis reliquit,* PRATI *&* NOVI PARADISI *titulo, scripto ei indito.*

QVAERES, Quî hic liber nunc Sophronio patriarchæ Ierosolymorum inscribatur; vti à secundâ Nicænâ Synodo, & Ioanne Damasceno; nunc Ioanni Moscho seu Euirato ad Sophronium sophistam? Respondet Aloysius Lipomanus episcopus Veronensis, qui primus hunc librum edi curauit, quem Apostolica Bibliotheca suppeditauit anno M. D. LVIII: Scriptor libri prorsus IOANNES anachoreta fuit. Id tibi ex capite LXXVII. voluminis ipsius liquidò constare poterit. Photius quoque hunc ipsum auctorem libri IOANNEM MOSCHVM (natione fortasse) fuisse asserit, cuius cognomen interpres Latinus forsan EVIRATVM reddidit.

Verùm SOPHRONIO his de caussis attribuitur: *Vel*, quia ad ipsum per charissimum socium inscribitur, quemadmodum & Rhetorica Ciceronis ad Herennium, & eiusdem ad Atticum epistolæ, *Ad Herennium* & *Ad Atticum* libri appellantur: sic *Sophronij liber* hic dicatur, quia ad Sophronium dirigitur. Atque ex eo maximè, quòd ad vsum illius in primis conscriptus est. Namque auctor ipse in epistolâ quam libro præmittit, fatetur se ex hoc prato coronam Sophronio contexuisse, ac per eum alijs deinceps obtulisse.

Seu, quia in hoc libro dicta & gesta ipsius Sophronij pro maiori parte continentur. Nam is totius itineris libri huius auctoris fuit indiuiduus comes; & quæcumque ambobus ambulantibus occurrerunt, vel quærentibus responderi contigit, diligentissimè descripta sunt. Quare etiam hæc verba sæpissimè iterata videbis: *Venimus ego & dominus meus Sophronius sophista ad abbatem* talem, &c. Et ideò semper etiam plurali locutione vtitur, dicens: *Perreximus, accessimus, vidimus, narrauit nobis senex monasterij dux.* Per quæ omnia conspici datur, scriptorem numquam solum fuisse in his quæ narrat perquirendis. Sicut ergo Platonis *Phædrus, Timæus, Gorgias,* & *Parmenides,* & Tullij liber de senectute *Cato Maior* inscribuntur à perso-

nis,

nis, quæ ibi colloquentes & diſputantes inducuntur; quid obſtabit huic libro, quin Sophronij dicatur, cùm in eo is ambulans, viſitans, operans, interrogans & reſpondens vbique ferè aſſeratur?

Aut demum ex illâ cauſsâ Sophronio adſcribitur, quoniam vnà cum Ioanne prædicto conſcriptor (vt ita dicam) fortè eiuſdem libri fuit. Lege huius voluminis caput LXXVII. & in eius principio ita ſcriptum reperies: *Ego & dominus meus Sophronius perreximus ad philoſophi Stephani domum doctrinæ gratiâ:* &c. Deinde in fine eiuſdem capitis hoc modo ſcriptum legitur: *Iſta cùm audiuimus, innuit mihi dominus meus Sophronius, & receſſimus, & dixit mihi: Verè, abba Ioannes, hodie nihil vltrà ſtudeamus; ſatis enim ædificati ſumus. Hæc ergo ſcripſimus, vt & vos pariter ædificemini.*

Vnâ ergo ex his rationibus, ſeu potiùs omnibus ſimul accedentibus, iure meritoque liber iſte Sophronij nomine inſcriptus videtur.

DICES: In hoc libro Sophronius hic non appellatur Ieroſolymorum patriarcha, ſed ſophiſta. Reſpondet idem Aloyſius: Vocabulum hoc non in malam olim partem, ſicut fit modò paſſim, ſed in bonam accipiebatur: nec aliud deſignabat, quàm ſapientem & prudentem hominem, qualis fuit & Libanius ille, ad quem multæ Magni Baſilij epiſtolæ directę fuerunt, ipſum maximis præconijs efferentes. Potuit ergo vir iſte priùs & monachus eſſe, & ſophiſta nuncupari: inde verò ad ſanctam Ieroſolymorum ſedem aſſumi, ex quâ, tamquam digniori loco, poſteà denominationem acceperit.

PETES: Quo tempore viri hi qui librum conſcripſerunt claruerint? Reſpondet idem, qui ſuprà; Id pro certo non habetur. Verùm cùm Magni Gregorij Romani Pontificis, huius nominis primi, factum narrent, & ſynchronorum Cæſarum, videlicet Anaſtaſij, Tiberij, Mauritij, & Zenonis mentionem faciant, & in ſextâ Synodo hic liber adducatur, coniecturâ aſſequi poſſumus, circa annum Domini ſexcenteſimum illum fuiſſe conſcriptum.

Porrò, ad commendationem huius libri tandem Aloyſius Lipomanus præfatur: Liber hic, amice Lector, quem tibi legendum exhibemus, PRATVM SPIRITVALE nominatur, ex Græco Latinus per doctum virum AMBROSIVM CAMALDVLENSEM monachum redditus, quem adhuc typis excuſum, non niſi vernaculâ, atque eâ Italicâ linguâ habuimus.

Tantâ autem ſpiritualium floſculorum amœnitate refertus eſt, vt in paradiſi deliciis ortus eſſe videatur. In eo ſiquidem antiquorum monachorũ, & aliorum Patrum Deo ex intimis præcordijs ſeruientium redolet vitæ ſplendor, regularis diſciplinæ obſeruantia, pudici-

tiæ & continentiæ norma, victus & vestitus parsimonia, contra hæreticos inuicta constantia, in ieiunijs, vigilijs & orationibus assidua perseuerantia, & erga Dominum Iesum Christum eximius & inæstimabilis amor: quin etiam admirabilia quædam, ac Spiritu sancto plena responsa, quæ legentium mentes spirituali quadam dulcedine perfundunt: sanctarum denique mulierum inuicta fides, castitas incomparabilis, & felix earum in Deo consummatio.

O si tales modò inueniremus milites Christo seruientes, quàm illustris, quàm splendida, quàm decora esset Ecclesiæ nostræ facies? quam adeò deiectam & obsoletam, ac supra pelles Salomonis, atque Moysi Æthiopissam (prô dolor!) denigratam conspicimus.

Lege ergo lubenti animo, & fide certâ opus istud, candide Lector, cuius exemplum ex apostolicâ Bibliothecâ accepimus: & ita mores & vitam tuam ad eius lectionem compone, vt talium tantorumque virorum, quos hîc descriptos inuenies, dignus ęmulator existas, postmodum verò eorum consortio in æternâ beatitudine feliciter adiungare. Quod tibi & mihi Dominus præstare dignetur, & omnibus qui Dominum Iesum diligunt in sinceritate. Vale.

PROLEGOMENON XIII.

Quâ linguâ libri hi scripti?

DICO: Plerique libri omnes Græcè scripti sunt.

Patebit mox, assignatis eorum interpretibus. Equidem cùm Patres illi pænè omnes in Oriente nati sint, celebresque vixerint; non mirum ab Orientis hominibus, Græcis maximè qui scribendi facultate pollebant, monachorum quibus conuixerant acta posteris esse transmissa.

In PRIMO libro, qui miscellus est, inter varios auctores solus est D. HIERONYMVS, qui Latinè, quod quidem constet, scripserit.

SECVNDVM & TERTIVM scriptum esse à RVFFINO, partim ex D. Hieronymo, partim ex MSS. partim ex probabili coniecturâ asseruimus.

An verò is ex Græco transtulerit, incertum. D. Hieronymus videtur innuere à Ruffino ipso compositũ, epistolâ suprà citatâ. ait enim: *Qui librum quoq; scripsit quasi de monachis.* quod tamen de libro secundo tantùm capiendum, vt constat ex Patrum nominibus, quę D. Hieronymus ex illo Ruffini libro exprimit, qui suo tempore circumferebatur, quorum Vitæ in secundo tantùm libro reperiuntur.

QVARTVS liber cùm ex SEVERO SVLPITIO & IOANNE CASSIANO sit concinnatus, non magnopere dubitandum, quin à Latino

auctore

auctore ea concinnatio facta sit: maximè cùm verbis auctorum concinnator plerumque vtatur.

QVINTI & SEXTI libri Græcum auctorem esse, constat ex Photij Bibliothecâ Cod. CXCVIII. qui eos Græcè legit, & stili *perspicuitatem* collaudat.

SEPTIMI libri Græcum auctorem esse, indicat ipse interpres Paschasius.

OCTAVI libri Græcus auctor est PALLADIVS, vt clarum est ex Socrate, Prolegomeno x.

NONI libri auctor est THEODORETVS, vt suprà vidimus, quem Græcum fuisse nimisquam notum.

DECIMI libri auctor est IOANNES MOSCHVS, quem Græcè scripsisse testatur Photius Bibliothecæ Cod. CIC. hæcque de eius stilo habet: Ἡ δὲ τοῦ λόγου ἑρμηνεία εἰς τὸ ταπεινότερον τοῦ προτέρου, καὶ ἀμαθέστερον ἀποκλίνει: *Operis autem huius dictio, magis quàm præcedentis* (videlicet quinti & sexti libri hîc) *ad humiliorem ac rudiorẽ vergit stilum.*

PROLEGOMENON XIV.

Qui horum librorum interpretes?

DICO: Varij sunt horum librorum interpretes.

In PRIMO libro hi noti occurrunt interpretes.

I. EVAGRIVS episcopus Antiochenus, interpres Vitæ *S. Antonij* monachi. Vide ad eam Vitam Præludia.

II. DIONYSIVS EXIGVVS interpres Vitæ *S. Pachomij*. Consule Præludia Vitæ illi præmissa.

III. VRSVS S. R. E. subdiaconus, interpres Vitæ *S. Basilij* Cæsariensis episcopi. De *Vrso* vide Notationes ad eam Vitam n. 3.

IV. GERARDVS VOSSIVS interpres Vitæ *S. Ephram.*

V. ANASTASIVS S.R.E. Bibliothecarius, interpres Vitæ *S. Joannis Eleëmosynarij*, patriarchę Alexandrini. Vide ad eam Vitã Prælud.

VI. IACOBVS BILLIVS interpres Vitæ *SS. Barlaam & Iosaphat.*

VII. EVSTOCHIVS interpres Vitæ *S. Pelagiæ.*

VIII. PAVLVS Neapolis ecclesiæ diaconus, interpres Vitæ *B. Mariæ Ægyptiacæ.*

Melchior Goldastus tom. I. Rerum Alemannicarum parte II. Notis ad Hepidanum de Vitâ S. Wiboradæ existimat Vitam *S. Eugeniæ* versam à RVFFINO. Sed vnde hoc deprompserit, equidem nescio. Possevinus in Apparatu Sacro ait, Vitam *S. Eugeniæ* scriptam ab AMBROSIO CAMALDVLENSI abbate. an versam vult? certè plura alia Vitas Patrum spectantia idem auctor eodem teste vertit.

SECVNDVS, TERTIVS, & QVARTVS libri scripti sunt Latinè, vel certè de versione non constat. vel potiùs: QVARTVS certò scriptus Latinè, de prioribus duobus dubiû. Vide dicta Prolegom. IV. V. & VI.

QVINTI libri interpres est PELAGIVS S. R. E. diaconus.

Ita constanter MSS. Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptoribus, cap. CXVI. *Pelagius diaconus Romanæ Ecclesiæ transtulit de Græco in Latinum, de Vitâ & doctrinâ, & de perfectione sanctorum Patrum libros XVI. scilicet de Profectu monachorum lib. I. de Quiete, I. de Compunctione, I. de Continentiâ, I. Contra fornicationem, I. Quòd monachus nihil debeat possidere, I. Quòd nihil per ostentationem fieri debeat, I. De patientiâ & fortitudine, I. Quòd non oporteat iudicare quemquam, I. Quòd oportet sobriè viuere, I. Quòd sine intermissione & sobriè oportet orare, I. de Humilitate, I. de Pœnitentiâ, I. de Charitate, I. de Prouidentiâ seu Contemplatione, I.*

SEXTI libri interpres est IOANNES S. R. E. subdiaconus.

Ita omnes MSS. Sigebertus suprà cap. CXVII. *Ioannes subdiaconus transtulit de Græco in Latinum de Vitâ & doctrinâ Patrum librum I.*

Quòd verò ait Sigebertus à Ioanne translatum è Græco in Latinum *librum vnum*, cùm tamen quatuor libellos transtulerit, potuit hoc contigisse quòd ipse in MS. inciderit, qui libellos illos sine titulo indistinctos connectebat. vel *librum vnum* capit, qui quatuor libellos continet.

ADVERTE, Quis autem *Pelagius* hic, quis *Ioannes* fuerit, meritò quæri potest. R. P. Georgius Garnefelt, libro suprà citato, censet Pelagium hunc antè S. R. E. diaconum, cùm hunc librum verteret, pòst fuisse Romanum Pontificem ab anno Domini DLV. vsque ad annum DLIX. Ad quod sentiendum, inquit, duo me impellunt, I. quòd fuerit linguæ Græcæ peritissimus; 2. quòd varias legationes obierit ad Ecclesiam Orientalem, de quibus nemo dubitabit, qui consulere voluerit Baronium ab anno DXXXVIII. ad annum DLV. Id igitur persuasum mihi habeo, hunc Pelagium in hisce legationibus incidisse in eum librum Græcum, de quo Photius meminit in Bibliothecâ Cod. CXCVIII. & hunc secum Romam comportasse, ibidemque transtulisse. At verò cùm hanc versionem perduxisset vsque ad libelli seu partis XVIII. cap. XVI. (vt est in primâ editione) mox alijs negotijs præpeditus, seu potiùs Romanâ sede gubernandâ oneratus, reliquum versionis opus videtur imposuisse *Ioanni subdiacono*, quem arbitror eumdem esse, qui Pelagio in Romanæ Ecclesiæ primatu successit. Ita conijcio & opinor: si quid alij certius attulerint probauerintque, lubens acquiescam. Hactenus ille.

SEPTIMI libri interpres est PASCHASIVS S. R. E. diaconus, qui Mar-

Martini Dumiensis abbatis rogatu eum Latinitate donauit.

Ita disertè Præfatio libro illi præfixa præfert. Testatur quoque Sigebertus suprà cap. CXVIII. *Martinus episcopus transtulit per manum Paschasij diaconi interrogationes & responsiones plurimas sanctorum Ægyptiorum Patrum in Dumiensi cœnobio.*

ADVERTE hîc Primò, duos fuisse Paschasios diaconos his temporibus pænè suppares (nam Paschasius Ratbertus duobus sæculis posterior in hunc censum venire non potest) vtrumque scriptis clarum. *Primus* est Paschasius S.R.E. diaconus, *cuius rectißimi* (ait S. Gregorius lib. IV. Dialog. cap. XL.) *& luculenti de S. Spiritu libri exstant*: quique, eodem teste, *temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis præsulis defunctus est.* Sedit autem Symmachus ab anno CCCCXCIX. ad annum DXV. Huius etiam meminit Sigebertus de Illustr. Eccl. Scriptor. cap. XVII. & alij posteriores. Hic idem est, ad quem Eugippius presbyter Vitam S. Seuerini Noricorum Apostoli à se conscriptam transmisit, eiusque censuræ subiecit. Nam nomen, tempus, locus, & sacra functio id docent, ait Baronius tomo VI. Annalium ad annum CCCCXCVI. Cui respondit idem Paschasius: quam epistolam Baronius ibidem exhibet. Eam hîc Prolegomeno XXV. inuenies. *Secundus* est Paschasius diaconus monasterij Dumiensis in Gallicia, qui suum librum de Vitis Patrum, qui in hac editione septimus est, dedicauit Martino presbytero & abbati Dumiensi; cuius Martini obitum Gregorius Turonensis lib. V. Hist. Franc. cap. XXXVII. anno V. Childeberti iunioris statuit; cui Baronius tomo VII. Annalium annum DLXXXIII. adsignat.

ADVERTE Secundò, Iisdem quoque temporibus duos fuisse Eugippios: *Vnus* abbas, qui scripsit *ad quemdam Paschasium diaconem de vita S. monachi Seuerini, & claruit post consulatum Importuni iunioris Anastasio Imperatore regnante*, vt ait Isidorus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. cap. XIII. Claruit igitur hic etiam post annum DIX. in quem consulatus Importuni seu Opportuni incidit. Nam in epistolâ suâ S. Seuerini Vitæ præmissâ ait se scribere biennio post consulatum Importuni. *Alius* etiam abbas, *qui deflorauit libros S. Augustini Episcopi Hipponensis, fuitq; tempore secundi Pelagij, & Imperatoris Tiberij Constantini*, vt scribit Sigebertus de Illustr. Ecclesiæ Scriptor. cap. XXXIX. floruit igitur ille circa annum DLXXX.

Ex his nunc facilè colligi potest (quod etiam amicissimo Garnefeltio in mentem venerat) posteriorem Paschasium interpretem esse libri septimi; in eum enim sæculum Martini Dumiensis, cui suam versionem inscribit, quadrat. Stylus quoque eius non adsurgit ad prioris Paschasij stylum. Huic priori potiùs tribuenda translatio *Paradisi Heraclidis*, de quo Prolegomeno XXV. Qui & S.R.E. diaconus

D 4

nus fuit, vti habemus testimonio S. Gregorij suprà. Posterior etiam diaconus fuit in cœnobio Dumiensi, sed dubito an etiam S.R.E. Vereor enim ne ex confusione duorum Paschasiorum, posteriori titulus quoque prioris adhæserit. Atque ita impressum. quod mutare nondum sum ausus.

OCTAVI libri, qui à PALLADIO Græcè scriptus, interpres est GENTIANVS HERVETVS, Canonicus Rhemensis, qui præclaram operam præstitit in hoc interpretandi genere.

ADVERTE, hîc tres diuersas esse PALLADII editiones diuersis interpretibus.

Prima est, quæ prodijt ipso Typographiæ tirocinio in primâ editione VITARVM PATRVM, vbi nullus certus interpres assignatur. Hic liber in sequentibus editionibus Vitarum Patrum omissus est, sed anno M.D.XLVII. rursus eam in suâ editione, quæ Coloniæ lucem vidit apud Iasparem Gennepæum, reuocauit F. Theodoricus Loher à Stratis Carthusianus.

Secunda est, quæ prodijt Parisijs apud Ioannem Paruum an. M.D.IV. curatore Iacobo Fabro Stapulensi. Sed hęc alium titulum (inscribitur enim PARADISVS HERACLIDIS) præfert; & alium, incertum pariter exhibet interpretem; quæ eadem Palladij præfixo titulo posteà prodijt Venetijs anno Domini M.D.LIV. tom. III. de Vitis Sanctorum per Aloysium Lipomanum collectis. Curauit autem hanc editionem operâ Francisci Torres conferri cum MS. exemplari Palladij, quod Venetijs est in Bibliothecâ Cardinalis Bessarionis, qui, vt ait Lipomanus, *à capite ad calcem vsque vtroque collato volumine, hunc eumdem prorsus cum illo reperit, paucis quibusdam, ijsq́; perexigui momenti, immutatis. Titulus etiam discrepabat, & nuncupatoria epistola, quæ non ab Heraclide Alexandrino, sed à Palladio Cappadociæ episcopo, licet in vtroque volumine ad Lausum scripta videretur. His igitur paucis locellis correctis, & ad emendatissimum codicem*, vt existimabat Lipomanus, *redactis*, librum illum tomo III. de Vitis Sanctorum inseruit.

Tertia est, quam hîc damus, quamq́; suo stilo è Græco textu adornauit HISTORIAE LAVSIACAE titulo GENTIANVS HERVETVS, & Parisijs vulgauit Bernardus Turrisanus anno M. D. LV. quæ rursus prodijt ibidem apud Guilielmum Chaudierium anno M.D.LXX. Annotationibus quibusdam marginalibus per Fr. Thomam Beauxamis Carmelitam Doctorem Theologum illustrata; quæ insuper Laurentij Barrensis Scholijs aucta, Historiæ Christianæ veterum Patrum inserta est Parisijs apud Michaëlem Sonnium, anno M.D.LXXXIII. item tomo VII. Bibliothecæ SS. Patrum.

Quòd si quis & quartam Palladij editionem venari velit, non magnope-

ægnopere ei laborandum erit. Inueniet enim Ruffinum, vetustissimum Palladij interpretem, si vera est coniectura quam Prolegomeno IV. §. II. & X. expressimus.

QVAERES, quæ ex his sit germana PALLADII historia? Respondeo: Videtur illa, quam Heruetus edidit. Nam Socrates lib. IV. cap. XVIII. ait se supersedere SS. Patrum Vitas describere, quòd id Palladius abundè præstiterit: & opus eius certâ notâ designat, quòd in eâ agatur tam de mulieribus quàm viris. Πάντα δὲ ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν διεξῆλθεν. ἐν ᾧ καὶ γυναικῶν ἐφαμίλλων τοῖς προειρημένοις ἀνδράσιν ἐπανελομένων βίον, μνήμην πεποίηται: *Omnia, quæ ad eos spectant, in eo sunt accuratè explicata. In quo etiam de mulieribus, quæ parem viuendi rationem cum viris suprà dictis excolebant, sermo susceptus est.* Atqui tam de mulieribus quàm viris habes in Heruetinâ editione pleniùs, cùm in alijs editionibus perparum de mulieribus tractetur. Vide suprà Prolegomenon IV. §. III.

NONI libri interpres est idem GENTIANVS HERVETVS, quæ cum superioris libri interpretatione vnà prodit.

Aloysius Lipomanus tomo II. de Vitis Sanctorum anno M.D.LIII. Venetijs edito, inseri curauit hunc Theodoreti librum, interprete Alberico Longo Salentino, quem à viro docto Tridenti nactus fuerat.

DECIMI libri interpres est AMBROSIVS CAMALDVLENSIS abbas. Ita enim in apostolicâ Bibliothecâ se inuenisse testatur Aloysius Præfatione ad Lectorem, qui primus eum edi curauit tomo VII. de Vitis Sanctorum.

DICES: IOANNES DIACONVS, posteà Romanus Pontifex, in quarto libro, quem de B. Gregorij Vitâ scripsit, dum cap. LXIII. voluminis huius mentionem facit, recensendo mirabile eiusdem sanctissimi Pontificis factum, se interpretem profitetur. Ait enim: *Sed ne solis verbis tanti Præsulis humilitas inculcari credatur, superest vt ex Græcorum relationibus à me nuper interpretatis eadem Patris humilitas viuis operibus demonstretur, in quibus videlicet ita refertur: Enarrauit nobis abbas Joannes Persa, sanctus & venerandus vir existens, de Magno Gregorio beatissimo Papâ Romano, dicens: Quoniam iui Romam ad adorandos loculos sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: & vnâ dierum, cùm starem in medio ciuitatis, video Papam Gregorium per me transiturum, & cogitaui me mittere ante eum. Cùm ergo appropinquasset mihi Papa, videns quia pergerem, vt mitterem me ante eum; sicut coram Deo dico, fratres, primus misit se ante me super terram: & non antè surrexit, quàm ego prior surgerem, & amplexatus me cum magnâ humilitate tribuit mihi per manum numismata tria, & iussit mihi dari casulam & necessitates meas omnes. Glorificaui ergo Deum, qui donauit ei talem humili-*

militatem circa omnes, & eleëmoſynam, & charitatem. Quam eamdem hiſtoriam inuenies hîc cap. CLI. Reſpondeo, inueniri quidem eam eo loco, ſed verbis alijs, vt duplicem interpretem liceat agnoſcere.

Verùm interpres iſte non fuit IOANNES DIACONVS, ſed eius præceptor, vt ipſe clarè exprimit lib. II. cap. XLV. Vitæ S. Gregorij: ait enim: *Ex libro qui à Græcis* ΛΕΙΜΩΝ *dicitur, à Latinis verò intelligitur* CAMPVS *vel* PRATVM, *præceptor meus inter alia toto orbe iam diffamata miracula interpretatus eſt, mihi ſcribens*, &c. Quare rectè in pleriſque editionibus eſt, *ex Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis*; non *à me*, vt non rectè citatur ante Pratum ſpirituale editionis Colonienſis quod ex officinâ Birckmannicâ prodijt.

ADVERTE, librum hunc hodie in CCXIX. capita dumtaxat diſtinctum legi, cùm olim pluribus conſtiterit, vt teſtatur Photius Bibliothecæ ſuæ Cod. CIC. Καὶ τὰ διηγήματα δὲ οὐχὶ τὸν ἴσον ἀριθμὸν ἐν πᾶσιν εὑρήσεις τοῖς βιβλίοις διασεσωσμένα· ἀλλ' ἔν τισι καὶ εἰς δύο καὶ τεσσαράκοντα, καὶ τριακοσίοις διηπλωμένα: *Narrationum adhæc non eumdem ſeruatum numerum in omnibus libris deprehendas, cùm in quibuſdam ad duo & quadraginta ſupra trecentas ſeſe extendant*. Dixerat autem initio, *quatuor & trecentis conſtare narrationibus*.

Cuius varietatis duplicem rationem ſubiungit: Τοῦτο μὲν ἐνίων κεφαλαίων ἐπὶ διαιρέσει τοῦ ἀριθμοῦ συναυξομένου. τοῦτο δὲ καὶ διηγημάτων ἐστιν, ὧν παρενθήκη: *Contingit id vel ex capitum quorumdam diuiſione, vel certè aliorum interiectione adaucto numero*.

PROLEGOMENON XV.

Quæ horum librorum auctoritas?

De auctoritate horum librorum exiſtimo non facilè dubitaturos, qui Prolegomena priora legerint, in quibus viri aliquot religione ſpectati, pietate illuſtres, doctrinâ conſpicui, partem harum Vitarum vel compoſuêre ipſi, vel è Græco in Latinam linguam transferri curauêre, vti S. Martinus Dumienſis abbas; vel earum lectionem religioſis ſuis commendarunt, vti S. Benedictus, Caſſiodorus, & Gregorius Turonenſis; vel earum partem pro authenticis ſcripturis iam à multis retrò ſæculis diſertè recepêre, vti Pontifex Gelaſius.

Accedit quòd plerique omnes auctores nota referunt, quæ ipſi ſuis ſpectauerunt oculis, vel à fide dignis teſtibus hauſerunt. Hieronymus enim, Ruffinus, Caſſianus, Palladius, Poſtumianus apud Seuerum, Theodoretus, Moſchus, Patribus illis vel annis aliquot conuixêre, vel eorum loca religioſâ peregrinatione obierunt.

Iam

Iam verò Cassiodorus diuin. Instit. cap. XXXII. quod commonitionem continet abbatis Chalcedonij & Gerontij, congregationisque monachorum, excitat eos ad diligentem lectionem VITARVM PATRVM: *Quapropter*, inquit, *desideranter introite mysteria Domini, vt sequentibus iter indicare possitis, quia magna verecundia pondus est, habere quod legas, & ignorare quod doceas. Et ideò futuræ beatitudinis memores*, VITAS PATRVM, *confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter.*

Enimuerò cùm ex Græcis fontibus pleraque sint hausta, etsi non omnino constet de quorumdam fontium origine, qui eos tamen in Latinos alueos deduxêre, fuêre viri graues, & ecclesiasticâ fulgentes dignitate, è cardineo Patrum ordine diaconi duo, Pelagius & Paschasius, vnus Ioannes subdiaconus. Qui cùm versati fuerint in oculis Pontificis, cuius vnius est de fontibus aquæ viuæ, & de cisternis quæ Ierem. 2. continere non valent aquas, ferre iudicium, non video quid de eorum germanitate sit dubitandum.

Quòd si alios viros graues desideres, qui Vitarum PP. testimonijs vsi sunt, præter ea quę suis subinde locis notātur, hęc nunc occurrunt.

I. Gratianus in Decreti III. parte dist. III. de Consecr. cap. XVI. citat quædam ex dictis S. Apollonij, de ieiunio quartæ & sextæ feriæ, quæ ad verbum inuenies hîc lib. II. apud Ruffin. cap. VII.

II. Burchardus lib. XIX. Decretorum, qui est de Pœnitentiâ, citat quatuor apophthegmata ex Vitis Patrum seu Verbis seniorum. Nam quod capite LII. habet, desumptum est ex Ruffino lib. III. n. 103. quod capite LIII. desumptum est ex eodem libro n. 131. quod capite LIV. est desumptum ex libro eodem n. 137. quod capite LV. desumptum est ex eodem libro num. 141.

III. Dorotheus abbas in Doctrinis quas ad fratres habuit, multa ex his libris citat. Vt Doctrinâ primâ citat quædam, quę habentur lib. III. Ruffini n. 144. & Pelagij libello XIV. n. 16. Doctrinâ secundâ citat quod habetur apud eumdem Ruffinum libro eodem n. 129. & Pelagium libello XV. n. 3. Doctrinâ quintâ citat quod habetur apud eumdem Ruffinum libro eodem n. 61. & Pelagium libello XVIII. num. 9. & Paschasium cap. I. n. 8. Ibidem citat de Agathone, quod habet Ruffinus lib. III. n. 161. & Pelagius libello II. num. 2. Doctrinâ sextâ citat quod habetur apud eumdem Ruffinum lib. III. n. 137. & Pelagium libello IX. n. 3. Doctrinâ septimâ adducit id, quod habet Ruffinus libro III. n. 51. Pelagius libello IV. num. 59. Sed & apud eumdem Dorotheum aliosque plura loca ex his libris desumpta esse notare est.

DICES Primò: Gelasius PP. suprà Prolegomeno I. eas tantùm Vitas eremitarum cum omni honore suscipit, quas scripsit B. Hierony-

ronymus: at multæ aliæ his immixtæ sunt, quarum constat B. Hieronymum non esse auctorem. Respondeo, eum quidem disertè recipere Vitas à B. Hieronymo conscriptas, sed non ideò reijcere alias. Imò videri possit Gelasius existimasse Hieronymum plures Vitas scripsisse, præterquam *Pauli, Antonij, Hilarionis*, quarum disertè meminit, quasque suscipit tamquam authenticas scriptas à B. Hieronymo. Nam cùm addit: *Et omnium eremitarum*, hunc librum Vitarum Patrum respicere videtur, qui Hieronymi esse iam tunc vulgò ferebatur. Quod intelligo maximè de secundo libro, quem etiam apud Græcos Hieronymi nomine circumferri, iam suprà monui Prolegomeno IV. §. VIII.

Nec mirum quòd Gelasius secundi libri auctorem existimauerit S. Hieronymum, (licet alius nunc eius auctor vel ipso attestante Hieronymo agnoscatur) cùm etiam Vitæ *S. Antonij* auctorem faciat S. Hieronymum, quam tamen ab Athanasio Græcè conscriptam, ab Euagrio Antiocheno Latinitati donatam certò nunc constat. Vide dicenda ad Vitam S. Antonij in Præludijs, Notatione 4.

DICES Secundò contra auctoritatem libri secundi auctore Ruffino: B. Hieronymus epistolâ ad Ctesiphontem contra Pelagianos, grauiter in Ruffinum inuehitur, quòd Origenistas quosdã Vitis istis inseruerit: quem locum expressum habes suprà Prolegomeno IV. §. X. Theophilus quoque scribens ad Epiphanium, dum ecclesiæ præsidet Alexandrinæ, in epistolâ LXVII. apud Hieronymum gloriatur, *quòd Ecclesia Christi egredientes de cauernis suis Origenis colubros Euangelico ense truncauit, & secundum Nitriæ monachorum agmen contagione pestiferâ liberauit.* & infrà, *Didici*, ait, *quòd calumniatores veræ fidei Ammonius, Eusebius, & Euthymius nouo pro hæresi furore bacchantes Constantinopolim nauigarint.* De quâ re certum facit Hieronymum Epiphanius epistolâ LXXIII. & Theophilus ipse Alexandrinus epistolâ LXIX. & LXXII. ipseque pro re tam feliciter confectâ Theophilo gratulatur epistolis LXX. LXXI. Et epistolâ LXI. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani prope finem, agens de Ioannis epistolâ: *Iste*, ait, *Isidorus, qui in cælum tuis laudibus tollitur, idipsum infamatur Alexandriæ, quod tu Ierosolymis.* Atqui quatuor hi Ammonius, Eusebius, Euthymius, & Isidorus hoc libro occurrunt.

Respondeo, eam partem, vbi Origenistas illos indicio B. Hieronymi detegemus, minimam harum Vitarum esse. Et potuerint ijdem certo tempore Origenis errore fuisse infecti, pòst tamen resipuisse: maximè cùm eorum quidam in Græcorum Menæis compareant, & ab alijs viris sanctis fuerint laudati.

Equidem in libello Acacij, apud Photium Cod. CLIX. aduersus

Chry-

Chrysostomum Synodo ad Quercum habitæ oblato, secundũ hunc articulum inuenio: *Quòd B. Epiphanius propter Origenistas Ammonium, Euthymium* (non ritè apud Baronium, vertente Federico Metio, ex corrupto, vt apparet, codice, *Eutychium*) *Eusebium, & Heraclidem, & Palladium noluit cum Chrysostomo communicare.* Meminit autem Hieronymus epistolâ illâ ad Ctesiphontem *Ammonij* & *Eusebij*, quos Origenistas fuisse asserit. Vt igitur ex Synodo illâ discimus, eos non caruisse suspicione Origeniani erroris; ita pariter docemur, non omnino liquidam fuisse suspicionem, si Chrysostomus vir vtique doctissimus atque sanctissimus cum ijs communicauerit.

Nec omnino sine auctore dixi, potuisse monachos, antè Origenistas, pòst resipuisse. Audi Sozomenum lib. VIII. cap. XVII.

Ἐνταῦθα δὲ συνελθὼν Θεόφιλος ἅμα τοῖς ἄλλοις ἐπισκόποις, περὶ μὲν τῶν Ὠριγένους βιβλίων οὐδὲν ἐπεμνημόνευσε· τοὺς δὲ ἀπὸ Σκήτεως μοναχοὺς εἰς μετάνοιαν ἐκάλει, μήτε μνησικακεῖν, μήτε κακῶς ποιεῖν ὑποσχόμενος. ἐπιβοώντων δὲ τοῖς συγγνώμην αἰτεῖν τῶν Θεοφίλου σπουδαστῶν, καὶ προσποιουμένων τὴν σύνοδον ἱκετεύειν ὑπὲρ αὐτῶν, ταραχθέντες οἱ μοναχοὶ καὶ τοῦτο χρῆναι ποιεῖν νομίσαντες πολλῶν ἐπισκόπων προκαθημένων τοῦτο δὴ τὸ σύνηθες αὐτοῖς λέγειν· καὶ ἀδικῶνται, συγχώρησον ἔφασαν. Θεοφίλου δὲ ἑτοίμως σπασαμένου, καὶ τὴν κοινωνίαν αὐτοῖς ἀποδόντος, διελύθη τῶν παρὰ Σκήτει ἀδικημάτων ἡ ἐξέτασις, ὅπερ οἶμαι οὐκ ἂν συνέβη, εἰ συμπαρῆσαν τοῖς ἄλλοις μοναχοῖς Διόσκορός τε καὶ Ἀμμώνιος. ὁ μὲν γὰρ ἤδη πρότερον τελευτήσας, ἐτάφη ἐν τῇ Μωκίου τοῦ μάρτυρος ἐπωνύμῳ ἐκκλησίᾳ. Ἀμμώνιος δὲ ἔναγχος τῆς συνόδου παρασκευαζομένης, ἐμαλακίσθη τὸ σῶμα. περαιωθεὶς δὲ εἰς Δρυῦ, χαλεπώτερον ὑπὸ τῆς νόσου διετέθη. καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ τελευτᾷ τὸν βίον, καὶ πρὸς τῶν πλησίων μοναχῶν, ἔνθα δὴ κεῖται, λαμπρᾶς ἠξιώθη ταφῆς. ὁ δὲ Θεόφιλος ὡς ἐπύθετο, λέγεται δακρῦσαι καὶ εἰς πάντας εἰπεῖν, ὡς οὐδεὶς εἴη τῶν κατ᾽ αὐτὸν μοναχὸς οἷος Ἀμμώνιος, εἰ καὶ αὐτῷ ταραχῆς αἴτιος ἐγένετο: *Hoc loco Theophilus vnà cum ceteris episcopis conueniens, de libris Origenis nullam quidem mentionem fecit: sed Scetenses istos monachos ad pœnitentiam inuitauit, pollicitus se neque iniuriæ acceptæ fore memorem, neque mali quidquam esse facturum. Cùm igitur suis clamoribus illos vrgerent fautores Theophili, vt veniam peterent, & interim simularent synodum pro ipsis supplicare: monachi perturbati, atque hoc planè fieri oportere rati, multis episcopis præsidentibus, illud scilicet, quod ipsis dicere solemne est, Etiamsi iniuriam fecerimus, ignosce, inquiunt. Theophilo igitur illos promptè in gratiam simul & in communionem recipiente, soluta est cognitio, quæ aduersus Scetenses istos instituta fuerat: quod opinor non ita successisset, si vnà cum reliquis monachis Dioscorus & Ammonius adfuissent. Nam Dioscorus iam anteà mortuus, in templo Mocij martyris est sepultus. Ammonius autem modò cùm synodus conuocaretur, corpore languere cœpit:*

& postquam ad Quercum traiecisset, morbo grauiùs correptus fuit, ac non multò pòst finiuit vitam, & apud vicinos monachos, vbi etiam iacet, splendidam sepulturam sortitus fuit. Theophilus tandem vbi id intellexisset, illacrymasse fertur, ac dixisse, Quòd inter vniuersos monachos suos talis non esset, qualis fuisset Ammonius, etiamsi ipsi turbarum extitisset auctor. Vnde discimus res horum monachorum planè perplexas fuisse. Sanè Georgius Alexandrin. in Vitâ Chrysostomi ait Ammonium & Dioscorum vitâ functos splendidè sepultos, & miraculis claruisse.

Quidquid sit, maneat inconcussum D. Hieronymi testimonium, & eius monitione cautiùs horum paucorum dicta excipiamus. Quamquam nihil in his occurrit, quod sinistrè sonet, exceptâ vnâ fortè Euagrij sententiâ de impassibilitate, cui suo loco opportunum antidotum apposuimus.

Christophorus Castrius noster ita huic ex Hieronymo testimonio satisfieri posse cēsebat, vt ex Hispaniâ ad me scripsit. Primùm, inquit, pręmittendum est, Theophili Alexandrini, & Epiphanij Cyprij tempore motam fuisse quæstionem de Dei naturâ, vtrùm esset spiritualis, an membris corporeis constans. Nam simpliciores & præcipuè monachi corporeum esse censebant. Vnde & hæretici Anthropomorphitæ dicti sunt: & hi quidem auersabantur Origenem, quòd Deum spiritum esse doceret: sapientiores autem, vt omnes Catholici, spiritum esse prædicabant. Quare quòd hac in re cum Origene sentirent, simplices illi tamquam Origenistas, hanc solam ob caussam exosos habebāt. Hinc factum, vt sanctum Epiphanium in omnibus Catholicè sentientē Theophilus Alexandriæ episcopus Anthropomorphitarum hæresis insimularit, vt referunt Socrates lib. VI. cap. IX. Sozomenus lib. VIII. cap. XIV. & Nicephorus lib. XIII. cap. XII. vt etiam Ioannes Ierosolymitanus Epiphanio, vt ait Hieronymus epistolâ LXI. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani: imò Ruffinus eamdem hæresim obiecit Hieronymo, Inuectiu. lib. I.

Contrà verò, qui Origeni infensiores erant, eos qui eius lectioni vacabant, Catholicos alioquin, de hæresibus Origenis accusabant, vt Epiphanius Theophilum, & deinceps Chrysostomum, & monachos qui cum illis communicabant. Atque de hac re nonnihil insinuat D. Hieronymus in epistolâ LXII. ad Theophilum aduersum Ioannem Ierosolymitanum: in epistolâ quoque LXVIII. & LXX. ad Theophilum, dum illi dicit: *Ostendisti, quòd hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus: liberè enim Reuerentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimiùm esse patientem, & ignorantes magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum.* Sanè suspicioni dederat occasionem, quòd Origeni consentiret, & ipse esset Origenista. Hoc prætextu Orige-

nista-

nistarum, eadē quâ Chrysostomum simulatione, quatuor monachos Longos montis Nitriæ, quòd ab eo recessissent, quòd eius mores non probarent, insectatus est, etiam coacto exercitu Anthropomorphitarum, in quibus erat monachorum phalanx non parua zelo percita. quos tamen fugiētes excepit Ioannes Chrysostomus & defendit, monito etiam Innocentio I. Pontifice, qui increpauit Theophilum: & ille tandem pœnitentiâ ductus, monachos illos Longos sibi reconciliauit tamquam fideles & probos. Scribunt hanc historiam fusissimè omnes historici Græci, Georgius Alexandrinus archiepiscopus in Vitâ S. Chrysostomi, Palladius in Dialogo, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphrastes, Leo Imperator in Oratione; Cassiodorus; Sulpitius; Isidorus Pelusiota, Nicephorus, quorum testimonia referre non vacat. Hi omnes commendabant monachos illos, quos hæreticos putauit Hieronymus à Theophilo deceptus. Hactenus Castrius noster. de quâ totâ historiâ vide Baronium tomo v. anno Christi CCCC.

DICES Tertiò contra auctoritatem libri quarti, auctore Cassiano: In Decreto distinct. xv. Cassiani opuscula censentur inter apocrypha.

Respondeo cum Aloysio Lipomano to. VIII. de Vitis Sanctorum, Romæ edito anno M. D. LX. Præfatione ante Excerpta ex Cassiano, tantùm prohibita esse ob vnam potissimùm Collationem tertiam abbatis Cheremonis de protectione Dei; quod ex B. Prospero colligere est libello contra Collatorem, in quo hominem hunc notat de gratiâ Dei & libero arbitrio quædam temerariè ac contra sanctæ Ecclesiæ definitiones sentientem, locum iam citatum adducens. Cuius etiam sententiæ fuisse videtur Ioannes Trithemius. Quod vt quis credat faciliùs, adduci is potest præclarorum virorum auctoritate, miræ cùm eruditionis tum sanctitatis, qui Cassiani opera & legerunt intrepidè, & ad suorum scriptorum fidem confirmandam adduxerunt in medium, atque suis etiam discipulis legenda mandauerunt. Ex his fuêre D. Benedictus, Cassiodorus, Climacus, Bernardus, B. Dominicus, D. Thomas Aquinas, alijque quos in Elogijs dedimus.

Adde, quòd in his Sanctorum Vitis non de ecclesiasticis dogmatibus fiat disputatio, sed de iustorum moribus, conuersatione & exemplis tātùm agatur. Igitur, quâ in parte bonus est, admissus fuit; in quâ malus (ea autem est supradicta Collatio de protectione Dei) reiectus est. Sic & de Origenis libris fecisse videtur sancta mater Ecclesia. Nam explosis περὶ ἀρχῶν & alijs nonnullis eiusdē opusculis, cetera sine offensione legi videmus & audimus, & (quod magis mirêre) contra hæreticorum insanias adducere non veremur. Ita Lipomanus.

Simile non absimili in re iudicium iam olim fuit Theophili Alexandrini episcopi, de quo apud Socratem lib. VI. cap. XV. Ηὔξησε γὰρ τὸ

κατ' αὐτοῦ μῖσος, τὸ αὖθις αὐτὸν μηδὲν ὑποστειλάμενον, τὰ Ὠριγένους ἀσκεῖαζ βιβλία. ἐρωτηθεὶς οὖν ὑπό τινος πῶς ἃ ἀπεκήρυξε, ταῦτα ἀσπάζεται πάλιν, ταῦτα ἀπεκρίνατο, τὰ Ὠριγένους ἔοικε βιβλία λειμῶνι πάντων ἀνθέων. εἴ τι οὖν ἐν αὐτοῖς ἐφεύρω καλὸν, τοῦτο δρέπομαι· εἰ δέ τί μοι ἀκανθῶδες φανείη, τοῦτο ὡς κεντοῦν ὑπερβαίνω: *Odium contra illum inde etiam creuit, quòd libros Origenis ſtudioſè legere non vereretur. Rogatus igitur à quodam, cur libros, quos condemnauerat, de integro amplexaretur? Reſpondit, libros Origenis ſimiles eſſe prato omnibus florum generibus referto. Idcircò, inquit, ſi quid reperio in illis boni, illud decerpo; ſin ſpinoſi quidquam, hoc vtpote aculeis pungens, miſſum facio.*

Nec aliter iudicauit D. Hieronymus epiſtolâ LXXVI. ad Tranquillum ſcribens: *Quia meæ paruitatis quæris ſententiam, vtrùm ſecundùm fratrem Fauſtinum penitùs reſpuendus ſit* (Origenes) *an ſecundùm quoſdam legendus ex parte: ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos eccleſiaſticos Scriptores, Græcos pariter & Latinos; vt bona eorum diligamus, vitemuſq́ contraria, iuxta Apoſtolum dicentem: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Ceterùm qui vel in amorem eius nimium, vel in odium ſtomachi ſui prauitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto prophetico ſubiacere: Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum; qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam eius praua ſuſcipienda ſunt dogmata; nec propter dogmatum prauitatem, ſi quos commentarios in Scripturas ſanctas vtiles edidit, penitùs reſpuendi ſunt.* qui in fine hæc ſubiungit: *Quòd ſi contentioſum inter ſe amatores eius & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum; ſed totum aut probent, aut improbent; libentiùs piam ruſticitatem, quàm doctam blaſphemiam eligam.*

1. Theſſ. 5.

Iſaiæ 5.

DICES quartò contra auctoritatem libri octaui, auctore Palladio: Palladius hic Origeniſta fuit. Reſpondet Aloyſius Lipomanus tomo III. de Vitis Sanctorum: Quòd is fuerit Origeniſta nécne, ad propoſitum, quo hic liber ſcriptus eſt, parum facit. Nam non dogmata fidei in eo, ſed ſanctorum Vitæ deſcribuntur, & (vt de Euſebio Cæſarienſi epiſcopo, qui & ipſe Origenis fautor fuit, ait B. Papa Gelaſius) *Propter rerum ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinet, non videtur renuendus*, præſertim cùm (vt ingenij noſtri imbecillitas videre potuit) nihil hîc non pium, non Chriſtianam redolens puritatem legatur. Approbamus igitur opus, ſcriptorem autem Dei iudicio, coram quo ille ſtat, reſeruamus. Nam dubia pro certis aſſerere, nimis temerarium nobis videtur. Ita Aloyſius.

DICES quintò cum eodem Aloyſio ſuprà contra eumdem librum: Verùm aliud quoddam in hoc opere ſeſe offert, quod nos magis ſollicitos

licitos reddit. Diuus Hieronymus, cuius in Ecclesiâ tanta est auctoritas, quantam omnes scimus, in epistolâ quam ad Ctesiphontem scribit, sugillans Euagrium Ponticum *(imò, Ruffinum, vt Prolegom.* IV. §. X. *docui)* Hyperboritam, qui librum scripsit quasi de monachis, obiicit ei, multos in eo libro enumeratos, qui numquam fuerint, & quos fuisse scribit Origenistas, & ab episcopis damnatos asserit; volensque apertiùs, qui hi essent, indicare, subiungit: *Ammonium videlicet, & Eusebium, & Euthymium, & ipsum Euagrium, Or quoque & Isidorum, & multos alios, quos enumerare tædium est.* At hi sex, quorum in mentionem incidimus, etiam in hoc Palladij opere interseruntur, eorumque Vitæ accuratè descriptæ reperiuntur. Quid igitur ad hæc dicemus? suscipiemúsne viros, qui à tanto Patre de hæresi damnati affirmantur? Respondet idem Aloysius: Hæremus certè hoc in loco, Lector candidissime. Etsi illud respondere possumus, librum dumtaxat Euagrij *(imò Ruffini, vt jam dixi,)* non autem Palladij per D. Hieronymum fuisse damnatum. Aut illos profectò eosdem non esse, qui & ab Euagrio & à Palladio commemorantur, sed omnino alios. Contigit enim (teste ipso etiam D. Hieronymo & Gennadio de Viris illustribus) complures sanctos Patres, necnon monachos & anachoretas, eiusdem fuisse nominis, vt in plurimis Macarijs, Paulis, Ioannibus, Isidoris, Euagrijs videre licet.

At si hæc responsio tibi non satisfacit, nihil nobis dicendum superest, nisi vt his sex dimissis alios legere ne graueris. Longè enim absit, vt nos, qui toto vitæ nostræ tempore contra hæreticos desudauimus, velimus nunc hæreticos homines in Ecclesiam introducere.

Quamquam si ex prædictis sex viris nonnulli D. Antonij discipuli fuerunt, si aliqui D. Basilij, & Gregorij Nazianzeni alumni, si summâ omnes vitæ honestate præditi, & diuinis charismatibus insigniti, si miraculis clari, & optimo fine consummati, vix adduci possumus, vt credamus hos illos esse, quos D. Hieronymus hæreseos à Patribus damnatos asserit, & non prorsus alios.

Ego vt quod sentio liberè fatear, postquam librum hunc Palladij ad Lausum à sanctissimo pariterque doctissimo viro, Ecclesię columnâ, Ioanne Damasceno, in sermone illo aureo, *Defunctos viuorum beneficiis iuuari*, inscripto, tantopere commendatum vidi, absque vllo conscientiæ scrupulo totum opus bis terque perlegi, eaque lectione cùm mirificè sum delectatus, tum verò flagranti quodam cælestium rerum desiderio totus exarsi. Tu tamen, quod probabilius, & tibi tutius videtur, sequere.

Hactenus doctissimus & grauissimus vir Aloysius, qui Concilio Tridentino cum alijs duobus collegis (vt ipse exprimit epistolâ dedi-

catoriâ secundi tomi, Venetijs impressi M. D. LIII. de Vitis Sanctorum, ad Iulium Papam III.) præfuit.

DICES sextò, contra Vitas omnes in genere, Epistola Hadriani I. Papæ ad Carolum Regem, quâ confutat oppugnantes secundam Synodum Nicænam, cap. XVII. in Actione V. hoc oppugnantium argumentum citat: *Quòd illi libri, Vitæ Patrum, quorum auctores ignorantur, non prorsus idonei sint ad testimonia danda, & ad hæc, quæ in contentionem veniunt, confirmanda.* Respondet Hadrianus Papa: *Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minimè in Ecclesiâ leguntur. Nam ab orthodoxis titulatæ & suscipiuntur, & leguntur. Magis enim passiones sanctorum Martyrum sacri canones censuerunt, vt liceat eas etiam in Ecclesiâ legi, cùm anniuersarij dies eorum celebrantur.* Aliud igitur est ita authenticum esse, vt in Ecclesiâ legatur, aliud vt à Catholicis recipiatur & legatur. Quamquã non tam ibi Pontifex agat de his Vitis Patrum eremitarum, quàm de omnium aliorum Patrum Vitis, quæ sine probati auctoris nomine non facilè recipiebantur in Ecclesiæ lectiones.

DICES septimò, Melchior Canus libro II. cap. VI. de locis Theologicis, acer cumprimis librorum censor, Gelasij testimonio eorum impudentiam retundit, qui harum rerum auctorem B. Hieronymum peruulgarunt, quas nemo nisi rudis & elinguis ederet. Respondeo: Nec nos B. Hieronymo Vitas eas omnes arrogamus; & plerasq; rudiore filo textas, si Stridonensia multitia inspiciantur, non diffitemur. Si Canus plura voluit, nobis D. Benedicti, Cassiodori, Gregorij Turonensis, aliorumque auctoritas potior.

DICES octauò, Galenus Westcapellius Catech. CCXV. librum fictitium vocat, qui inscribitur, nescit quâ Grammaticâ, Vitaspatrum. Respondeo, Non vult Galenus librum hunc ita fictitium, quasi omnino fictus sit; sed tantùm ita vocat ratione D. Hieronymi, cuius titulum præfert, cùm eius non sit, sed fictitio & adscititio eius nomine venditetur. Quod ad Grammaticam attinet, quâ dictum sit VITASPATRVM, vide Prolegomenon I.

PROLEGOMENON XVI.

Quæ horum librorum vtilitas?

Ex his fontibus suos Benedictus, Cassiodorus, Martinus Dumiensis, Dominicus, alijque religiosæ familiæ ductores irrigauêre hortulos. Sed illustre, quod de Antonij Vitâ in Occidentem illatâ narrat D. Augustinus, cùm duo Agentes in rebus, relictis sponsis, vitam elegerunt solitariam; quod & hîc
Lib. 8. Cōfess. cap. 6. legisse non erit inutile: *Ortus est sermo, ipso* (Potitiano) *narrãte de Antonio*

tonio Ægyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud seruos tuos, nos autem vsque in illam horam latebat. Quod ille vbi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eamdem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoriâ, & propè nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide rectâ & Catholicâ ecclesiâ. Omnes mirabamur & nos, quia tam magna erant; & ille, quia inaudita nobis erant.

Inde sermo eius deuolutus est ad monasteriorum greges & mores suaueolentiæ tuæ, & vbera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore, & non noueramus. Pertendebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. Varia monasteria tēpore Augustini. Monasterium Mediolani ab Ambr institutum.

Vnde incidit, vt diceret, nescio quando se & tres alios contubernales suos, nimirum apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic vt fortè combinati spatiabantur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum, pariterq́; digressos: sed illos vagabundos irruisse in quamdam casam, vbi habitabant quidam serui tui spiritu pauperes, qualium est regnum cælorum, & inuenisse ibi codicem in quo scripta erat Vita sancti Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militiâ sæculari seruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Matth. 5.

Tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore iratus ita sibi, coniecit oculos in amicũ, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei caussâ militamus? Maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumq́; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turgidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando & discreuit, decreuitq́; meliora; iámque tuus ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illâ spe nostrâ, & Deo seruire statui, & hoc ex horâ hac in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæq́; militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim, sumptu idoneo relinquendi omnia sua, & sequendi te.

Tum Potitianus & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deuenerunt in eumdem locum, & inuenientes admonuerunt vt redirent, quoniam declinasset dies. At illi narrato placito & proposito suo, quoquo modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiue-

runt, ne sibi molesti essent si adiungi recusarent. Isti autem nihilo mutati à pristinis, fleuerunt se tamen, vt dicebat, atque illis piè congratulati sunt, & commendauerunt se orationibus eorum, & trahentes cor in terrâ, abierunt in palatium. Illi autem affigentes cor cælo, manserunt in casâ. Et ambo habebant sponsas. quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem tibi. Narrabat hæc Potitianus.

Quæ quidem lectio vtì Agentibus in rebus profuit, ita hæc repetita Lib. 8. Cōfess. cap. 27 narratio Augustini animum ad meliora stimulauit. subdit enim: *Tu autem, Domine, inter verba eius retorquebas me ad meipsum, auferens me à dorso meo vbi me posueram, dum nollem me attendere, & cōstituebas me ante faciem meam, vt viderem quàm turpis essem, quàm distortus & sordidus, maculosus & vlcerosus: & videbam & horrebam, & quò à me fugerem non erat. Et si conabar à me auertere aspectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rursus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, vt inuenirem iniquitatem meam & odissem. Noueram eam, sed dissimulabam, & conniuebam, & obliuiscebar. Tunc verò quantò ardentiùs amabam illos de quibus audiebam salubres affectus, quòd se totos tibi sanandos dederant, tantò execrabiliùs me comparatum eis oderam.*

Sed iam antè vrbi innotuerat Antonij Vita, felici Athanasij Romam appulsu, qui eiusdem adhuc viuentis notitiam & pręclara dicta factaque Romanis exposuit. quod vitæ genus ad omnes euangelicæ perfectionis numeros attemperatum, etiam nobilissimę Romanæ feminæ consectari cœperunt. Tradit enim hæc de his S. Hieronymus: Hier. ad Princip. epist. 16. *Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Roma propositum monachorum; nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum (vt tunc putabatur) & vile in populis nomen assumere. Hæc* (Marcella) *ab Alexandrinis priùs sacerdotibus, Papaq́; Athanasio, & posteà Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, monasteriorúmque in Thebaide Pachomij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat.*

Hæc illa Occidentis felicia germina vel ab vno ex Oriente delato semine propagata. Fulgentius quoque in Meridie constitutus Vitas Patrum legens, ad eorum imitationem exarsit, vt habetur Vitæ eius cap. XII. *B. Fulgentius Ægyptiorum monachorum* VITAS *admirabiles legens, Institutionum simul atque Collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras nauigio petere statuit, duabus videlicet ex caussis; vt vel ibi deposito nomine abbatis, sub regulâ viueret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur.* Sed & Moschus in Mosch. cap. 112. Oriente constitutus refert, senem quemdam, qui prope loca Iorda-

nis

nis moratus fuerat, lecto exemplo de patientiâ senis (quod habetur in Pelagio libello XVI. num. 13.) qui latrones insecutus etiam marsupium offerebat, quod auferre neglexerant, ad eiusdem facti æmulationem fuisse incitatum; additque: *Delectabatur senex ille eâ* (Vitarum Patrum) *potissimùm lectione, ita vt esset illi semper in ore, & in corde, vnde & ex eâ maximum virtutis fructum acquisiuit.*

Quin verò tota Hispania iam olim tanti hunc librum fecit, vt in vsum communem, cùm iam lingua Latina ijs in regionibus exolesceret, eum in Arabicam transferri curarit vnà cum Sacris litteris; probè intelligens quantus hinc fructus ad animos in omnem pietatem incitandos exundaret. Testatur id Heleca Archiepiscopus Cęsaraugustanus circa annum DCCCLX. in Additionibus ad Chronica Dextri & Maximi. *Sacra,* inquit, *Scriptura Arabicè translata à presbyteris Catholicis habentur, & cum scholijs circumferuntur; præcipuè nouum Testamentum, Epistolæ Pauli, Apocalypsis S. Ioannis, & liber* DE VITIS-PATRVM, *& historia Latina Fl. Lucij Dextri, M. Maximi, & aliorum, & Chronicon Eusebij, & libri de Ciuitate Dei S. Augustini, propterea quòd iam lingua Latina euanescebat.*

Plura adduci possent ad horum librorum meritum & vtilitatem affirmandam; sed quibus hæc non satisfaciunt, quid tandem?

PROLEGOMENON XVII.

De variis horum librorum editionibus Latinis.

NON hîc agimus de octauo, nono & decimo libro, qui hac tantùm editione nunc Vitis Patrum accedunt; sed de reliquis, qui plerique omnes in vulgatis Patrum Vitis locum obtinuêre.

Editionum, quas quidem nancisci licuit, hunc habe indiculum.

Prima editio, in folio, absque libri inscriptione, nomine typographi, loco & anno editionis, typis valdè informibus. quæ ita inchoatur: *Incipit præfatio.*

Secunda, in folio, absque libri inscriptione, nomine typographi, loco & anno editionis. cuius initium: *Incipit prologus.*

Tertia, in folio, absque libri inscriptione, nomine typographi, loco & anno editionis. quæ incipit: *Prologus in fructuosum.*

Quarta, Norimbergensis in folio maximo, per Antonium Coburger, anno M.CD.LXXVIII.

Quinta, Norimbergensis in folio minore, per Antonium Coburger, anno M.CD.LXXXIII.

Sexta,

Sexta, Germanica, vt videtur, in folio, incerto loco & typographo, anno M.CD.LXXXIII.

Septima, Veneta in quarto, per Octauianum Scotum Modoëtiensem, anno M.CD.LXXXIII.

Octaua, Germanica, vt videtur, incerto loco & typographo, in folio, anno M.CD.LXXXV.

Nona, Lugdunensis in quarto, per Nicolaum Wolff de Lutreâ, & venumdatur à Iacobo Huguetano, anno M.D.II.

Decima, Lugdunensis in quarto, per Iannot de Campis, anno M.D.VII.

Vndecima, Veneta in quarto, per Bonetum Locatellum, anno M.D.VIII.

Duodecima, Lugdunensis in quarto, per Stephanum Balam, anno M.D.IX.

Decimatertia, Lugdunensis in quarto, per Iacobum Sachon, anno M.D.XII.

Decimaquarta, Veneta in quarto, apud Nicolaum de Francofurdiâ, anno M.D.XII.

Decimaquinta, Lugdunensis in quarto, per Iacobum Mijt, anno M.D.XV.

Decimasexta, Lugdunensis, eadem formâ, per Iacobum Mareschal, anno M.D.XX.

Decimaseptima, Lugdunensis, eadem formâ, per Antonium Vincentium, anno M.D.XXXVII.

Decimaoctaua, Coloniensis in folio, per Gasparem Gennepęum, anno M.D.XLVII.

Decimanona, Coloniensis in folio, per eumdem, an. M.D.XLVIII. nisi hæc eadem sit cum priore, mutato tantùm titulo & anno, vt indicabo Prolegomeno XX.

Vigesima, Complutensis in quarto, apud Ioannem Gratianum, anno M.D.XCVI.

Triplicem autem inter has editiones varietatem inuenio, quam distinctis Prolegomenis ob oculos statuam, vt appareat, quid quisque varians editor in suâ adornandâ Spartâ præstiterit, & ne quis turbetur, si à varijs variè has Vitas citatas inueniat.

PRO-

PROLEGOMENON XVIII.

De primâ omnium, quod ſciam, editione Latinâ.

PRIMA omnium, quod ſciam, EDITIO, eſt in folio, abſque libri inſcriptione ſeu titulo, abſque typographi nomine, loco, & anno editionis; typis planè rudibus: quæ omnia arguunt, librum hunc editum in ipsâ typographiæ infantiâ, cùm plerumque omnia illa præmiſſa omitti ſolebant, & nondum elegantiorum typorum vſus eſſet.

Initium libri ſic habet: *Incipit præfatio beati Hieronymi preſbyteri, in primum librum de Vitâ ſanctorum Patrum.* Deinde: *Benedictus Deus*, &c. Definit totus liber in Marino monacho, cuius initium eſt: *Erat quidam ſæcularis.* finis: *vbi vſque modò Chriſtus orationibus ſanctæ Virginis multa facit mirabilia, ad laudem & gloriam nominis ſui, qui cum Patre*, &c.

Conſtat autem hæc editio omnino v. libris.

Primus liber incipit à Prologo (qui B. Hieronymo tribuitur, vti & totus is liber) *Benedictus Deus*, &c. Deinde à Vitâ S. Ioannis abbatis: *Primum igitur tamquam verum fundamentum.* Finit hic liber in ſeptem periculis itineris: quod caput ita inchoatur: *In aliis quoque quamplurimis locis.* clauditur: *qui nos de tantis periculis liberauit, & tanta in nobis oſtendit mirabilia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Secundus liber incipit à Prologo: *Verè mundum quis dubitet meritis ſtare Sanctorum*, &c. Inde ſequitur dictum primum, *Quidam ſanctorum Patrum ſeniorum, interrogantibus ſe monachis de cauſſâ abſtinentiæ*, &c. Finit in dicto Syncleticæ de infirmitate: *quia interiori homini noſtro ſanitas inde creſcit.*

Tertius liber incipit à Prologo Palladij epiſcopi: *Multa quidem & varia diuerſis temporibus à diuerſis conſcripta*, &c. inde ſequitur caput primum, *Cùm primùm ad Alexandriam perrexiſſem*, &c. ſecundum caput: *Beatus autem Iſidorus*, &c. Finit in dicto abbatis Siſoi: *Ignoſce mi frater, quia nondum factus ſum monachus.* Inde ſubnectitur velut appendix *narratio quædam de ſancto Macario*, quæ eſt de dæmone noctu ad oſtium cellulæ eius pulſante: cuius initium eſt: *Confirmatum eſt nobis de eo ab his, qui de ore eius audierunt*, &c. finis: *& accedentium ad altare vel indignitas eum, vel merita non laterent.*

Quartus liber ita inchoatur: *Incipit argumentum in librum quartum de verbis & exemplis SS. Patrum eremitarum, cuius principium Pelagius S. R. E. diaconus, extrema verò Ioannes ſubdiaconus de Græco tranſtulit in Latinum, ad inſtructionem vitæ monachorum.* Sequitur: *Cùm*

Cùm omnis præfatio textum opportunè præueniens, &c. vbi dicitur liber hic *diuisus in decem & nouem partes*. Prima autem pars est *De profectu monachi*. incipit: *Ad profectum conuersationis quidā frater peruenire cupiens*. Decimanona & vltima pars, *Exempla monasticæ conuersationis*. incipit: *Duo quidam Patres rogauerunt Deum*. finit: *sic erit & anima*. additur: *Finitur liber quartus Vitaspatrum*. inde subnectitur: *Hæc sunt verba septem quæ misit abbas Moyses abbati Pastori, in quibus continetur consummata virtus & perfectio monachi*. Primum est, *Quia debet homo quasi mortuus esse*. Septimum est, *Interrogat eum iterùm frater, dicens: Ecce homo cadit seruum suum*. finit: *modico tempore est labor, & in sempiternum est requies*.

Quintus liber inchoatur: *Incipit Prologus in quintum librum Vitaspatrum*. Initium Prologi est: *Licet ab exordio conscriptionis nostræ*. deinde: *Incipit liber quintus de conuersatione & institutione sanctorum Patrum*. Initium textus est: *Replicans senex quidam beneficia per humanitatem Christi nobis exhibita*. finis textus est: *at ille cognouit quia iusta sunt iudicia Dei*. inde subiungitur: *De S. Marino monacho*, incipiendo: *Erat quidam sæcularis*. finit: *vbi vsque modò Christus orationibus sanctæ Virginis multa facit mirabilia, ad laudem & gloriam nominis sui, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen*.

Atque vt aliquid de tempore huius editionis inuestigem, hoc certò affirmare posse videor, editum hunc librum saltem ante annum LXXI. post M. CD. Nam Dionysius Carthusianus De quatuor nouissimis artic. 52. narrat historiam Macarij de cranio sacerdotis gentilis inuento, eamque citat ex libro IV. Vitarum Patrum, quæ in hac primâ editione libro IV. habetur. Obijt autem ipse, teste Trithemio in Catalogo illustrium virorum, eo ipso anno. Imò & ante ann. LXIX. post M.CCCC. editionem eam curatam, colligere est ex MS. Cortracensi monasterij Sion. qui liber verbotenus cum impresso hoc conuenit, vt appareat ex eo exscriptum. In eius autem MS. fine habetur: *Completus in domo sororum beatæ Catharinæ de monte Sinai, vulgariter nuncupato De Sion, in Curtraco, anno Domini* M. CCCC. LXIX. *mensis Nouembris die* XVII. *ipso festo beati Niniani episcopi & confessoris*.

Atque hæc prima editio, eâ formâ & ordine quo eam descripsi, tertiò typis fuit submissa, quas omnes tres editiones primo loco suggerit catalogus editionum iam Prolegomeno XVII. datus. Posteriores tamen duæ editiones summaria capitum adiecêre & interseruêre, quæ in harum trium primâ omnium desiderantur.

PRO-

PROLEGOMENON XIX.

De secundâ editione Latinâ quæ à primâ variat.

SECVNDA EDITIO (nescio an planè secunda, certè ea, quæ à primâ variat) est Norimbergensis anno M.CD.LXXVIII. quę ita in fine habet: *Anno Christi natiuitatis* M. CD. LXXVIII, *Nonas verò Maij ab beatorum Patrum profectum Vitam eremitarum degentium, gesta quorum haud immeritò memoriter sunt commendanda, Opus (Vitaspatrum appellatum) insigne à quamplurimis excerptum codicibus, per sacrarum Scripturarum viros admodum peritissimos ornatum, in oppido Nornbergensi per Antonium Coburger oppidi præfati incolam, quàm comptè impressum, finit feliciter.*

Nulla quoque huic editioni præfigitur inscriptio seu titulus, sed initium sumitur à præfatione, quâ ille, qui primus ordinem primæ editionis immutauit, facti sui rationem reddit. Ait igitur:

Ne occasione stili in hoc opere obseruati, quisquam legentium aut audientium offendiculum patiatur, quia non per omnia procedit, vti anteà huius materiæ exemplaria perspexit, facilè veniam dabit, postquam multorum diuersitatem confusam intuetur.

Eapropter idipsum in quatuor partes diuisas differentesq́; distinxi, in cuius primâ collegi in vnum historialia. In parte secundâ libellos & doctrinalia. In parte tertiâ de regulari obseruantiâ. Et finali parte de laude & virtutum efficaciâ. Ita sanè vt pars prima per historias, secunda per libellos & §. pars tertia per rubricas, & quarta per rubricarum capitula distinguatur.

Et vt clarior notitia tabulæ super eo habeatur, primum numerum foliis connumeraui, adiectas verò quatuor tantummodò litteras, quatuor columnis foliorum deputaui: ita vt si versale fuerit, remissa quærat in primâ medietate columnæ; si verò cōmunis minórve littera fuerit, in alterâ medietate.

Hæc exordio præsentis operis, ad generalem eius notitiam sufficit præmisisse, ad cuius complementum me promoueat illa, quæ omnium est artifex, sapientia increata, in sæculum sæculi benedicta, Amen.

Quæ hîc præfationis auctor de tabulâ suâ dicit, intelligi non possunt, nisi ipsa editio inspiciatur, à quâ tabulâ video omnes posteriores editiones, quæ tamen eumdem libri ordinem habent, variare.

Hoc igitur seruat hic editor in tabulâ suâ:

Primò post rem, quæ ordine alphabetico in tabulâ exprimitur, designat litteris numeralibus folij numerum.

Secundò vtitur quatuor litteris maioribus, seu capitalibus, (quas in præfatione *versale* vocat, an quòd initium versus ijs soleat scribi?) A.

B. C. D. & quatuor minoribus a. b. c. d. Has post folij numerum in tabulâ affigit pro ratione quatuor columnarum, quibus quodque folium constat. Et quidem priori medietati cuiusque columnæ seruiunt maiores litteræ, ita vt A seruiat priori medietati primæ columnæ, B secundæ, C tertiæ, D quartæ. Posteriori autem medietati cuiusque columnæ seruiunt minores litteræ a. b. c. d. pari tenore, vt iam dictum est de maioribus.

Hæc dicenda fuerunt, tum ne quis mussaretur minùs me accuratè primam variationem expressisse; tum quia posteriores huius generis editiones, vel præfationem hanc omittunt, vt editiones incerti loci anno M. CCCC. LXXXIII. & M. CCCC. LXXXV. quæ in tabulâ non vtuntur quatuor illis maiusculis & minusculis litteris, sed post foliorum numerum totius alphabeti litteras affigunt, quas & in textu exprimunt; vel præfationē certè decurtant, vt editio Veneta an. M. D. VIII. & Lugdunensis anni M. D. XXXVI. quæ verba illa, *adiectas verò*, &c. vsque ad, *hæc exordio*, &c. omittunt, tabulamque suam dirigunt per folia tantùm, sine vllis additis litteris, quod posteà seruarunt ceteræ editiones.

Constat autem hæc editio, vt iam dictum, quatuor partibus.

PRIMA PARS habet initium: *Incipit Prologus S. Hieronymi, Cardinalis presbyteri, in libros Vitaspatrum sanctorum Ægyptiorum, etiam eorum qui in Scithiâ, Thebaidâ, atque Mesopotamiâ morati sunt; non solùm quos oculis vidit, maximoq; labore conspexit, verùm & quàm plura à fide dignis relata conscripsit notabili diligentiâ. Denique aliorum etiam authenticorum libellos fideliter è Græco in Latinum transtulit; & ab alijs translata pro sui perfectione huic operi inseruit.* Inde sequitur: *Benedictus Deus*, &c. mox, *Primum igitur tamquam verè fundamentum*, &c. vt suprà in primâ editione, eodemque modo finitur.

Sed hæc editio in primâ parte hæc præterea habet:

Vita S. Pauli primi eremitæ.	*Vita S. Eufraxiæ virginis.*
Vita S. Antonij.	*Vita serui Dei, Macarij Romani.*
Vita S. Hilarionis.	*Vita S. Posthumij.*
Vita Malchi captiui.	*Vita S. Onuphrij eremitæ.*
Vita S. Pauli Simplicis.	*Vita B. Abrahæ eremitæ.*
Vita S. Paulæ.	*Vita B. Pachomij abbatis.*
Vita S. Pelagiæ.	*De Christiano monacho.*
Vita B. Mariæ Ægyptiacæ.	*Vita S. Ioannis Eleëmosynarij.*
Vita S. Marinæ virginis.	*Vita S. Eugeniæ virginis.*
Vita S. Euphrosynæ.	*Vita S. Basilij episcopi.*
Vita S. Frontonij abbatis.	*Vita S. Patris Ephræm.*

Vita S. Simeonis eremitæ, qui in columnâ stetit.

Atque ita finis imponitur primæ parti.

Secun-

SECVNDA PARS incipit à Registro secundi libri sanctorum Patrum, quod alijs omnibus editionibus hoc quidem loco deest, exceptâ Venetâ anni M.D.VIII. In Lugdunensi M.D.XXXVI. ponitur Registrum hoc initio totius libri post indicem generalem; in Complutensi anno M.D.XCVI. in fine totius libri post indicem generalem. Inde sequitur Prologus: *Verè mundum quis dubitet*, &c. mox: *Incipiunt adhortationes sanctorum Patrum, profectionesq; monachorum, ceteri quoque subsequentes libelli; quos de Græco in Latinum transtulit S. Hieronymus Cardinalis presbyter.* Editio Lugdunensis habet *professiones* loco *profectiones*. Inde sequitur §. primus: *Quidam sanctorum Patrum seniorum, interrogantibus se monachis de caussâ abstinentiæ*, &c. & subsequuntur vsque ad ducentos & septem paragraphi. Inde subijciuntur varij libelli, numero viginti, qui in primâ editione vocantur nouemdecim partes, vbi deest vnus, qui hîc decimussextus est *De pœnitentiâ*. sed prima editio eum mixtum habet cum libello septimo, qui est *De patientiâ*, vt & hic decimussextus in Parisiensi editione inscribitur. Pòst subditur: *Incipiunt septem capitula, quæ misit abbas Moyses abbati Pimenio, & qui custodierit ea, liberabitur à pœnâ*, &c. vt in primâ editione: sed post septimum sequuntur hîc triginta duo variorum Patrum dicta, finiunturque in hoc paragrapho seu numero qui incipit: *Erat quidam in cœnobio iam senex probatissimus monachus.* finit; *qui protegit omnes in sinceritate & veritate sibi seruientes.*

TERTIA PARS hoc habet principium: *Incipit tertia pars libri Vitaspatrum, videlicet de Regulâ vel conuersatione Ægyptiorum monachorum, & eorum qui degunt apud Palæstinam vel Mesopotamiam.* Prologus: *Frequenter ac sæpiùs à me, fratres, flagitatis.* Capitulum primum: *Ante hoc triennium.* Constat hæc pars capitulis LV. quorum vltimum est: *Quodam autem tempore quidam duo philosophi, audientes famam B. Antonij*, &c.

QVARTA PARS hoc modo inchoatur: *Incipit Prologus S. Paschasij, ad exhortationem sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Ægyptiorum.* Initium prologi: *Domino venerabili Patri, Martino presbytero, & abbati.* Inde titulus initij textus: *Incipit liber exhortationum, & primò contra gastrimargiam; ad euitandum gulæ desiderium.* textus initium: *Quidam frater, quemadmodum in cellâ propriâ degere deberet.* Constat autem tota hæc pars titulis XLVI. quorum vltimus est *De meditationibus anachoretarum.* Inde subnectitur opusculum *De laude & effectu virtutum.*

Hanc editionem, siue huius editionis ordinem, pòst ad verbum propè expressêre omnes sequentes (quas suprà Prolegomeno XVII. exhibui) Coloniensi exceptâ, de quâ mox.

Et quidem omnes editiones Lugdunenses præferunt epistolam dedicatoriam Celsi Hugonis Dissuti, in vtroque Iure Doctoris, Cabilonensis Canonici, quâ R^do^ in Christo Patri & Domino D. Ioanni de Ponpeto Iurium celeberrimo Doctori, Cabilonensique episcopo, ac abbatialis monasterij S. Petri prope muros Cabilonenses Commendatario, administratorique perpetuo operæ suæ pretium exponit in volumine hoc edolando: *Tantis*, inquit, *erat mendis refertum, in hoc vt antiqui vix libri vestigia comperiat quispiam. Pro enim dictionibus, alia etiam diuersæ positæ dictiones, sensum D. Hieronymi peruertebant. Nec deerant pro alijs syllabæ, proq; veris diuersa seu impressorum incuriâ correctorúmve inertiâ prætermissæ elementa vim dictionis ac sensum permutantia. Hoc tandem, sed vt priùs quàm vetustissimo adhibito exemplari, tantis extersum mendis.* cuius conatum Lectori considerandum relinquo.

PROLEGOMENON XX.

De tertiâ editione Latinâ, quæ ab vtraque priore variat.

TERTIA EDITIO, varians est Coloniensis anno M.D.XLVII. quæ primò prodijt hoc titulo: *Prototypon veteris Ecclesiæ, continens Vitas, gesta, dictáque sanctorum Dei amicorum vtriusque sexus, auctore seu rhapsodo S. Hieronymo partim, partim alijs atque alijs, Coloniæ per Gasparem Gennepæum.*

Adornauit hanc editionem frater Theodoricus Loher à Stratis, Carthusiæ aulæ Mariæ in Buxiâ Prior ac Prouincialis visitator, eamq; dedicauit R^mo^ & Illmo Principi Othoni S. R. E. Cardinali, episcopo Augustano, quem in epistolâ suâ dedicatoriâ, quam Ratisponæ anno M.D.XLVI. scripsit, de suâ in hoc libro recensendo operâ edocet.

Vitas Patrum ego ex antiquis & fide dignis exemplaribus manuscriptis octo aut decem simul collatis, non exiguo labore vtcumque recognoui, & ei integritati restituisse me puto, quâ vel Hieronymo, Athanasio, Leontio, Amphilogio, Anthero, Nicephoro, Euagrio, Petronio, Eutropio, Heraclide, & id genus alijs sanctis Patribus scriptum non ambigitur.

Deinde in certum ordinem quoad fieri potuit, iuxta seriem & rationem temporum digessi, vt Lector statim cognoscat, quo quisque Patrum tempore per gratiam Dei in hoc illuxerit mundo; aut potiùs, quo tempore gratia Dei luxerit in illorum singulis. Non solùm autem de viris, sed etiam de claris & sanctis mulieribus, narrationis huius seriem institui.

Secundò verò hæc eadem editio eodem loco, & apud eumdem typographum, ijsdem typis prodijt anno M. D. XLVIII. qui priori proximus, hac inscriptione: *Vitæ sanctorum Patrum, veteris Catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ dicta, gestaq; insignia & admiranda excellen-*

lectionum aliquot Dei amicorum vtriusque sexus complectentes; auctore D. Hieronymo partim, partimque aliis atque aliis quos versâ pagellâ nosse poteris. Accepta & approbata ab Ecclesiâ Catholicâ ante annos plus mille quinquaginta.

Atque huic editioni nouam epistolam dedicatoriam præmisit, quam exarauit Augustæ XII. Kal. Feb. anno M.D. XLVIII. ad Rev. in Christo Patrem ac Dominum D. Henricum, abbatem insignis cœnobij ordinis D. Benedicti in Wiblinghen Constantiensis diœcesis, in quâ operæ suæ præstitæ hanc rationem reddit:

Vitas Patrum modò à plus mille erroribus qui passim intercurrebant, ad vetustissima pariter ac diuersa exemplaria repurgauimus. Nam multa sunt restaurata, pleraque adiecta, nonnulla adempta, omnia denique adeò ad amussim examinata, vt non modo renouatus, sed penè renatus tantus thesaurus (haud sine graui tamen labore) ab omnibus piis meritò excipi possit. Addidimus prætereà nouum quemdam ordinem ac nouum indicem qui semper durabit. Nullis sanè laboribus pepercimus, quò istud tam insigne opus prodire posset emunctius ac tersius quàm hactenus.

Equidem an editio hæc secunda Coloniensis planè noua sit, an verò titulus tantùm mutatus, quòd *Prototypi* nomen minùs notum esset, affirmare non possum. certè secundæ editionis folia & typi cum prioris editionis foliis ac typis planè quadrant: omissa tantùm hîc est paraphrasis Cassiani & Climaci, quæ priori editioni in calce adiuncta erat, & eorum loco substituta est *Vita Barlaam* & *Iosaphat*.

Quidquid sit, non dubito multum laboris insumptum à viro optimo in veteribus exemplaribus castigandis.

Constat autem hæc editio libris quinque, vti & prima editio; sed ordine multùm immutato, & quibusdam ex secundâ editione, & aliunde additis.

Primus liber constat tribus partibus, quarum prima est de sanctis viris, secunda, de sanctis mulieribus: quæ vtraque pars permixta & conflata est ex libro primo Ruffini (qui est ordine secundus in nostrâ editione) & aliis Vitis, quæ in secundâ editione post librum primum Ruffini subnectuntur; quibus prætereà interserit Vitam *Epicteti* & *Astionis*, *Fabiolæ*, & *Marcellæ*. Tertia pars continet excerpta ex Seuero Sulpitio, & Ioanne Cassiano.

Secundus liber continet *sanctorum Patrum Vitas, verba, doctrinas, & exhortationes*; qui est liber tertius Ruffini in nostrâ editione.

Tertius liber est Palladij, isque ex antiquâ versione, vti eam habet prima editio.

Quartus liber est, quem Pelagius S. R. E. diaconus, & Ioannes eiusdem subdiaconus è Græco verterunt.

Quintus liber est breuiorum sententiarum, vti & quintus est in primâ editione. Eidem adiungitur liber Paschasij abbatis: inde Vita sanctorum *Barlaam* eremitæ, ac *Iosaphat*.

PROLEGOMENON XXI.

De quartâ hac editione Latinâ, quæ cum tribus præcedentibus editionibus partim consentit, partim dissentit.

POST omnes editiones iam enumeratas (quæ etsi typorum varietate ad XIX. vel XX. inspexerim, ad tria tamen genera, vt suprà monui, referri possunt) succedit nunc quarta hæc editio, quæ & libris aliquot auctior, & auctorum stilo ad manuscripta exemplaria reformato correctior prodit. Constat autem decem potissimùm libris.

PRIMVS liber varias continet PATRVM VITAS, tam virorum quàm mulierum, qui asceticam excoluêre, satis fusè ab auctoribus conscriptas;

Virorum quidem XVI.

S. Pauli primi eremitæ.
S. Antonij abbatis.
S. Hilarionis monachi.
S. Malchi, captiui monachi.
S. Onuphrij eremitæ.
S. Pachomij abbatis Tabennen.
S. Abraham eremitæ.
S. Basilij, Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopi.
S. Ephræm Syri, diac. Edessæ.
S. Simeonis Stylitæ.
S. Ioannis Eleemosynarij.
SS. Epicteti presbyteri & Astionis monachi.
S. Macarij Romani, serui Dei, qui inuentus est iuxta Paradisum.
B. Posthumij, patris quinque millium monachorum.
S. Frontonij abbatis.
SS. Barlaam & Iosaphat.

Mulierum verò XI.

S. Eugeniæ virginis ac martyris.
S. Euphrasiæ virginis.
S. Euphrosynæ virginis.
S. Mariæ meretricis, neptis Abrahæ eremitæ.
S. Thaisis meretricis.
S. Pelagiæ meretricis.
S. Mariæ Ægyptiacæ meretricis.
S. Marinæ virginis.
B. Fabiolæ.
S. Paulæ Romanæ viduæ.
S. Marcellæ viduæ.

Potuissent plures Vitæ vtriusque sexus addi, qui in eodem viuendi instituto se exercuit; sed & liber excreuisset nimiùm, & extra propositum meum abijssem, quo suscepi vulgatas Patrum Vitas, quæ multorum olim manibus fuêre circumlatæ, recensere, & nitori suo pristino restituere.

Librum hunc primum D. HIERONYMO presbytero potissimùm inscripsi, tum quòd Hieronymus potiores in eo partes ageret, qui

vnus

vnus plures tum virorum tum mulierum Vitas conscripsit, quàm vllus alius; tum vt quàm minimè ab inueteratâ, quæ multorum etiam veterum animos occupauit, opinione recederem, quâ D. Hieronymus Vitarum Patrum auctor creditus fuit. Dedi igitur hoc libro primo, quidquid ferè Hieronymus in eo genere præstitit.

Ne quem tamen titulus falleret, non soli HIERONYMO inscripsi, sed ET ALIIS VARIIS, quorum nomina singulæ sibi Vitæ præferunt, quarum quidem auctores indagare potuimus. Anonymæ Vitæ eo loco sint, quo eas olim Patres esse censuerunt, qui & eas legerunt, & ex ijs virtutum exempla expresserunt, licet inter receptas in Ecclesiâ lectiones referri vetuerint.

SECVNDVS liber continet PATRVM VITAS breuiori stilo comprehensas, qui RVFFINVM Aquileiensem presbyterum agnoscit auctorem, vel interpretem, & XXXII. capitibus absoluitur.

TERTIVS liber comprehendit non tam Vitas, quàm VERBA SENIORVM eodem RVFFINO auctore, vel interprete. Constat autem paragraphis seu numeris 220.

QVARTVS liber ex SEVERO SVLPITIO & IOANNE CASSIANO conflatus & concinnatus, illius quidem Dialogis, huius verò Institutionibus & Collationibus, varia continet Patrum exempla & monita; constatque capitibus LV.

QVINTVS liber auctore GRAECO quidem incerto, certo tamen interprete PELAGIO S. R. E. diacono, VERBA SENIORVM complectitur, XVIII. libellis comprehensa:

Quorum primus est *De Profectu Patrum*, constatque paragraphis seu numeris 23.

II. *De Quiete*, numerorum 16

III. *De Compunctione*, numerorum 27.

IV. *De Continentiâ*, numerorum 70.

V. *De Fornicatione*, numerorum 41.

VI. *De eo, quòd monachus nihil debeat possidere*, numerorum 22.

VII. *De Patientiâ seu Fortitudine*, numerorum 47.

VIII. *De eo, quòd nihil per ostensionem fieri debeat*, numerorum 24.

IX. *De eo, quòd non oporteat iudicare quemquam*, numeror. 12.

X. *De Discretione*, numerorum 115.

XI. *De eo, quòd oporteat sobriè viuere*, numerorum 54.

XII. *De eo, quòd sine intermissione & sobriè debet orari*, numer. 15.

XIII. *De eo, quòd oporteat hospitalem esse, & misericordem in hilaritate*, numerorum 15.

XIV. *De Obedientiâ*, numerorum 19.

XV. *De Humilitate*, numerorum 89.

XVI. *De Patientiâ*, numerorum 19.

XVII. *De Charitate*, numerorum 25.

XVIII. *De Prouidentiâ siue Contemplatione*, numerorum 20.

SEXTVS liber auctore GRAECO quoque incerto, certo tamen interprete IOANNE S. R. E. subdiacono, etiam VERBA SENIORVM exsequitur libellis IV.

Quorum primus est *De Prouidentiâ siue Contemplatione*, estque pars vltimi libelli praecedentis. Constat autem numeris 17.

II. *De sanctis senioribus, qui signa faciebant*, numer. 17.

III. *De conuersatione optimâ diuersorum sanctorum*, num. 18.

IV. *Septem capitula verborum, quae misit abbas Moyses abbati Poemenio: & qui custodierit ea, liberabitur à poenâ*, constàtque num. 37.

SEPTIMVS liber auctorem habet GRAECVM incertum; certum interpretem Latinum PASCHASIVM S. R. E. diaconum. Continet autem VERBA SENIORVM in locos communes digesta, absoluiturque capitibus XLIV.

Atque quae hactenus enumerauimus, prioribus editionibus variè dispersa pro cuiusque concinnatoris captu prodiêre, quae vulgato Vitarum PP. libro fuêre cōprehensa. nunc sequentia praetereà accedunt.

OCTAVVS liber certum auctorem agnoscit Graecum, PALLADIVM Helenopoleos episcopum, certum quoque Latinum interpretem GENTIANVM HERVETVM. Continet autem breues Patrum Vitas, & quarumdam feminarum ascetriarum, in Lausi praepositi gratiam in vnum volumen congestas, vnde LAVSIACAE HISTORIAE nomen obtinuit: absoluitur capitibus CLI.

NONVS liber Dei-amantium historiam virorum pariter ac mulierum complectitur, quae PHILOTHEVS, seu THEOPHILES dicitur, certo auctore Graeco, THEODORETO Cypri episcopo, certo quoque Latino interprete GENTIANO HERVETO. constatque capitibus XXX.

DECIMVS liber auctorem Graecum habet IOANNEM MOSCHVM, interpretem Latinum AMBROSIVM CAMALDVLENSEM, & nomen obtinuit PRATI SPIRITVALIS, quòd variis Sanctorum floribus niteat: comprehendit autem capita omnino CCXIX.

Post decem hos de Vitis Patrum & Verbis Seniorum libros accedit APPENDIX: quae quia eadem paenè omnia continet prioribus libris comprehensa, ideò eam in calcem libri reieci, & minore charactere exprimi curaui. Placuit autem hanc Appendicem subnectere, quòd non ingratam rem me antiquarijs facturum existimarem, si veteres Palladij interpretes producerem, vt & textus varietas vel conformitas appareret, & stili quoque antiquitas repraesentaretur. Continentur autem Appendice haec sequentia.

HERA-

Heraclidis Paradisus, incerto sed veteri interprete, capitibus lviii.
Palladii Lausiaca, incerto sed veteri interprete, capitibus xx.
Ægyptiorvm Patrvm sententiæ, auctore Graeco incerto, interprete Martino Dumiensi episcopo. Constant numeris [illegible]9.

PROLEGOMENON XXII.

Quid quaque editio peculiare & diuersum ab aliis habeat?

Vt res hæc clarè ob oculos ponatur, statui quamque editionem inter se comparare. Et ne confusio detur, per paragraphos comparationes distinguam.

§. 1. *Comparatio primæ & secundæ editionis.*

Prima editio quinque constans libris hæc habet peculiaria & diuersa à secundâ editione:

Primò, Totum *librum tertium*, seu *Palladij Lausiacam*, incerto sed veteri interprete.

Secundò, In *libro quarto* habet præfationem, quæ secundæ editioni deest. Ne quis eam desideret, ecce hîc habe: *Cùm omnis præfatio textum opportunè præueniens, aut sequentis materiæ prædicit qualitatem, aut defensatum sui commendet auctorem: tum verò præsentis libri seriem proprio contingit hac de caussâ prologo indigere, quia speciales quasdam virtutes, quasi pretiosos lapides, passim proponens, vtilitatem suam toto in corpore lectoris oculis probatur offerre. Decem quippe & nouem diuisus in partes, distinctas licet videatur habere virtutes, attamen dum occasione vnius plerumque virtutes ceteræ promiscuè commendantur, collisis inter se vnionibus, hoc est, collatis ad inuicem virtutibus, gemmarum spiritualium immortalis claritas sese reuerberans, mutuati luminis detrimenta non nouit.*

Tertiò, Totum *librum quintum*, qui cõtinet *De cælesti Ægyptiorum Patrum conuersatione breuiores sententias.* Quamquam hæ sententiæ in secundâ editione per varios libros sparsæ habeantur, vt ex ijs nihil in eâ desideretur præter solam præfationem, quam hîc repræsento:

Licet ab exordio conscriptionis nostræ voluntas nobis fuerit, omnia quæ de conuersatione sanctorum Patrum scire potuimus, quatuor libris comprehendere; postmodum tamen considerantes singula, quintum superaddimus, ne fortè legentibus aut librorum quantitas, aut sententiarum displiceret continuata numerositas. Cùm enim in toto voluminis huius corpore breuium sententiarum tanta sit copia, vt eas prolixæ sententiæ addecimare vix possint; habito nobiscum rationis iudicio, arbitrati sumus hoc modo laborem nostrum lectoris atque auditoris gratiæ commendandum. Siquidem

dem & breues & longæ sententiæ per quatuor anteriores libros mixtim releuandi caußâ fastidij ponerentur, collectâ verò sententiolarum plurimâ parte in vnum libellum, quasi minutiæ quædam, & gemmarum fragmina in massam aliquam conflarentur. Sententiolas autem dicimus, quantum ad numerum dictionum. Ceterùm quædam inueniuntur in eis quantò verbis breuiores, tantò sensibus fortiores. adeò vt si quis eas profusiùs exponere quærat, totus sibi adesse necessariò debeat. Sanè nobis aliter disponentibus, à Domino factum esse credimus, vt Ægyptiorum Patrum, cælestis conuersatio legalium librorum numero signaretur, quos ipse Dominus de potestate Ægypti, id est tenebrarum, eripuit, & in cordibus eorum Euangelicæ legis decreta Spiritus sancti stilo conscripsit. Horum ergo intuentes exitum conuersationis, fidem, propositum imitemur & studium, vt socij paßionum effecti, consortes efficiamur & præmiâ.

In nullo manuscripto eam præfationem inueni, vti nec *Breuiores sententias*, quibus ea præfatio præmittitur: quare existimo à primo concinnatore Vitarum Patrum, quisquis ille sit, eas sententias ex reliquis libris excerptas, quod ipsa præfatio loquitur.

Secunda editio quatuor constans partibus, hæc propria habet, quæ in primâ desiderantur:

Primò, *Vitas illas in primâ parte*, quas Prolegomeno XIX. nominatim dedi, exceptâ Vitâ *Marinæ* seu *Marini*, quam prima editio habet in fine quinti libri.

Secundò, Totam *tertiam partem*, quam ex *Seuero* & *Caßiano* excerptam esse docui in hac quartâ nostrâ editione.

Tertiò, Totam *quartam partem*, id est, *librum Paschasij*, & opusculum *De laude & effectu virtutum*.

§. II. *Comparatio primæ & tertiæ editionis.*

PRIMA editio nihil peculiare continet, quod non & in tertiâ reperiatur.

Tertia verò editio hæc à primâ diuersa habet in primo libro, quæ tribus constat partibus. peculiaria habet in primâ & secundâ parte:

Primò, omnes *Vitas illas*, quas & secunda editio habet post Vitas à Ruffino conscriptas: quibus addit Vitam *Epicteti* & *Astionis*; necnon *De muliere Vercellensi septies ictâ*, auctore *D. Hieronymo* & in fine quinti libri, Vitam *Barlaam & Iosaphat*. Peculiarem etiam habet totam *tertiam partem*, quæ continet Excerpta ex *Seuero* & *Caßiano*.

Secundò, In quinto libro peculiarem habet librum *Paschasâ*.

§. III.

§. III. *Comparatio primæ & quartæ editionis.*

PRIMA editio nihil habet, quod non in quartâ hac noſtrâ reperias, exceptâ *præfatione* quam libro ſuo quarto (qui apud nos quintus eſt) præfigit, quam iam paulò antè hîc expreſſi, excepto item *libro* v. primæ editionis, qui breuioribus conſtat ſententijs. Eæ tamen ſententiæ omnes alijs libris quartæ editionis intermixtæ occurrunt.

Quarta editio hæc diſtincta à primâ habet,

I. Totum *primum librum*, qui varijs Vitis Sanctorum conſtat, exceptâ Vitâ *S. Marinæ*, quæ in primâ editione in calce v. libri reperitur.

II. Totum *librum quartũ*, qui ex *Seuero* & *Caſſiano* conflatus eſt.

III. Totum *librum ſeptimum*, interprete *Paſchaſio*.

IV. Totum *librum octauum*, ſeu *Palladij Lauſiacam*.

V. Totum *librum nonum*, ſeu *Theodoreti Philotheum*.

VI. Totum *librum decimũ*, ſeu *Ioannis Moſchi Pratum ſpirituale*.

VII. Ex Appendice *Heraclidis Paradiſum*, & *Ægyptiorum Patrum ſententias*, interprete *Martino Dumienſi*.

§. IV. *Comparatio ſecundæ & tertiæ editionis.*

SECVNDA editio in fine habet Opuſculum *De laude & effectu virtutum*, quod deeſt tertiæ editioni.

TERTIA editio hæc particularia continet, quæ in ſecundâ deſiderantur,

Primò, Vitã *Epicteti & Aſtionis*, & Vitam *Barlaam & Ioſaphat*, & Vitas *Fabiolæ & Marcellæ*. Itẽ *Epiſtolas S. Antonij*, & *Epiſtolã Macarij*, & *Miraculum aliquod S. Antonij* è Germanico in Latinum trãſlatũ. Necnon *de muliere Vercellenſi ſepties ictâ*, auctore *D. Hieronymo*.

Secundò, Totum *tertium librum*, quæ eſt *Lauſiaca Palladij* ex veteri interpretatione.

Tertiò, Partem *libri quinti*, eam videlicet, in quâ continentur *Breuiores ſententiæ*.

§. V. *Comparatio ſecundæ & quartæ editionis.*

SECVNDA editio nihil ſingulare habet, quod non in quartâ reperiatur. Omiſi tantùm ex primâ parte Vitam *S. Chriſtiani* Cenomanenſis, quæ nihil ad Vitas Patrum Ægyptiorum & Orientalium facit, & neſcio quomodo inter has Vitas irrepſerit. Ne quis tamen eam deſideret, ecciſtam:

VITA CHRISTIANI MONACHI.

QVIDAM *Cenomanenſis, nomine Chriſtianus, iuuenis conuerſus ingreſſus eſt eremitorium quoddam in archiepiſcopatu Turonenſi,* quod

quod dicitur Castinetum: vbi cùm fortiter tentaretur à carne suâ, affligebat se in Quadragesimâ ieiunans & abstinens se ab omni potu præter vnum diem in septimanâ. In hieme stabat vestitus in aquâ frigidâ vsque ad collum, disciplinam sibi dabat vsquequò virgæ dirumperentur. Qui cùm quadam die hoc faceret, & se cecidisset vsque ad sanguinem, audiuit vocem à parte Occidentis dicentem: Nihil prodest tibi quod facis; iste Deus quem inclamas, non dabit tibi quod petis: sed conuertere ad me, & auxiliabor tibi. Quod ille audiens intellexit vocem esse inimici. Et cùm orasset Deum vt auxiliaretur sibi contra tentationes, proposuit aggredi peregrinationē ad diuersos Sanctos, vt ita finiret vitam suam peregrinando. Et cùm diu hoc cogitasset; accepto baculo egressus est nudis pedibus. Et cùm venisset ante quamdam ecclesiam, flexis genibus rogauit Deum vt daret ei bonum consilium. Vix ab oratione surrexerat, & ecce sensit fœtorem magnum, per quod intellexit diabolum astantem, qui ei suggerebat relinquere habitum religionis & locum suum. & gratias agens Domino de tali signo, reuersus est ad fratres suos. Hic aliquando in festo sancti Stephani dormiebat ad matutinas. Et cùm legeretur illa lectio, vbi legitur: Et lapidauerunt Stephanum; expergefactus ad hoc verbum, reprehendit se de somnolentiâ, dicens: Væ mihi, quia sic dormio ad obsequium Dei. Iste sanctus non dormiebat quando lapidabatur, & pro persecutoribus orabat: & ego miser debueram rogare istum sanctum martyrem vt oret pro me. Et post hoc cœpit intentissimè vigilare, & rogare sanctum Stephanum vt oraret pro se. In crastino cùm esset in refectorio, antequam aliquid gustaret, venit vox ad eum, dicens: Tu intendis ad terrenas escas, & non cogitas de glorioso protomartyre qui orat pro te. Tunc aperti sunt oculi eius, & leuans oculos in cælum, vidit martyrem orantem pro se, sicut vox ei dixerat. Quod cùm dixisset, statim surrexit & petijt locum secretum in quo oraret, & dixit: Sancte Stephane, quas tibi gratias agam de tanto beneficio tuo? nihil habeo proprium quod tibi dem; sed tamen hoc do tibi quòd amodò pro amore tui non induar lineis, sed laneis tantùm: quod & fecit. Hic cùm posteà moneret ceteros, vt in bono proposito persisterent, narrabat, dicens: Eram aliquando in Castineto iacens in lecto pleno paleis in solario quodam, & cùm vellem repausare, sentiebam nescio quid quod se mouebat sub renibus meis. Dixi quoque hoc magistro meo: sed illa motio non quieuit. Quadam autem die inspirante mihi Domino, cœpi euertere paleam lecti mei, & euersâ paleâ cùm nil inuenirem, leuaui vnum de asseribus solarij, sub quo inueni vnū pedulem, & in eodē magnam massam denariorum. Quos cùm inuenissem, relictis illis cucurri ad magistrum nostrum, & confessus sum quid inuenissem. Ille iussit mihi vt referrem illos ad se. Quod cùm fecissem, omnes fratres iussit congregari: qui omnes excommunicauerunt illum qui hoc fecerat. Quod cùm audisset carpentarius quidam, dixit

se

se hoc fecisse: & petiuit veniam, humiliter correctionem promittens. Magister autem indulsit ei, & iniunxit ei pœnitentiam. Sed denarios malè acquisitos retinere noluit, imò diuisit eos pauperibus & egentibus. quæ desumpta sunt ex Speculo Historiali Vincentij lib. XXIX. cap. XI. qui ea citat ex Helinando. Idem cap. XII. tradit quomodo Christianus iste transierit ad Ordinem Cistertiensem. Vixit autem circa annum 1160.

Continet præterea secunda editio in calce libri *epistolam Macarij*, & Opusculum *De laude & effectu virtutum*: quæ quia didactica sunt, nec propriè ad Vitas vel Verba Seniorum spectant, rectius reseruantur alteri Asceticorum tomo, qui omnia Patrum ascetica & didactica scripta comprehendat.

Quarta editio hæc distincta à secundâ habet:

Primò, In *primo libro*, Vitam *S. Ephram* distinctam ab hactenus vulgatâ; & Vitam *Epicteti* & *Astionis*, & Vitam *Barlaam* & *Iosaphat.*

Secundò, Totum *librum octauum*, seu *Palladij Lausiacam.*

Tertiò, Totum *librum nonum*, seu *Theodoreti Philotheum.*

Quartò, Totum *librum decimum*, seu *Ioan. Moschi Pratũ spirituale.*

Quintò, Totam *Appendicem.*

§. VI. *Comparatio tertiæ & quartæ editionis.*

TERTIA editio nihil peculiare diuersum à quartâ habet præter Vitam *Christiani* Cenomanensis, quam iam dixi nihil huc facere; & *de muliere septies ictâ*, auctore *D. Hieronymo*, quæ etiam huc non spectat, & *Sententias breuiores*, quas etiam dixi sparsim in alijs quartæ editionis libris occurrere: & *epistolas S. Antonij*, & *epistolam Macarij*, quæ reseruantur alteri Asceseos didacticæ tomo. Habet præterea *miraculum aliquod S. Antonij* ex Germanico in Latinum translatum. quod nescio vnde promptum sit, nec quâ fide.

QVARTA editio hæc distincta à tertiâ habet:

Primò, In *primo libro* Vitam *S. Ephram*, distinctam ab eâ quæ hactenus in alijs editionibus fuit.

Secundò, Totum *librum octauum*, seu *Palladij Lausiacam*, auctiorem quàm habeat tertia editio, ex recẽti versione Gentiani Herueti.

Tertiò, Totum *librum nonum*, seu *Theodoreti Philotheum.*

Quartò, Totum *librum decimum*, seu *Ioan. Moschi Pratũ spirituale.*

Quintò, Ex Appendice, *Paradisum Heraclidis*, & *Ægyptiorum Patrum sententias*, interprete *Martino* Dumiensi episcopo.

Accedunt præterea, quæ omnibus alijs editionibus desunt, *Prolegomena, Præludia, Notationes, Onomasticon*, & *varijs variarum rerum Indices.*

PROLEGOMENON XXIII.

De varijs editionibus vulgatâ variáq; linguâ.

ITALICA editio in folio, Venetijs anno M.CD.LXXVI. apud Antonium Bartholomæi. Conſtat autem hæc editio ſex libris. Libri planè miſcelli ſunt, inſertis etiam quibuſdam Vitis, quæ in nullâ editione Latinâ Vitarum Patrum comparent.

Primus liber auctorem præfert S. *Hieronymum*. ſed pleraque ſunt aliorum auctorum, maximè *Ruffini*, ex ſecundo hîc libro.

Secundus liber *Eradium* monachum agnoſcit. Eſt *Paradiſus Heraclidis*, cuius nomen in *Eradium* deprauatum fuiſſe exiſtimo.

Tertius liber tribuitur *Ioanni* monacho Ieroſolymitano.

Quartus liber aſcribitur *Leontio* Neapoleos Cypri epiſcopo. Eſt Vita *Ioannis Eleëmoſynarij*, ab eo conſcripta, cui aliæ aliquot adduntur.

Quintus liber inſcribitur *Theophilo*, *Sergio*, & *Elchino*. Eſt Vita *Macarij Romani* ijs auctoribus, cui & alia quædam ſubnectuntur.

Sextus liber auctorem habet *Ioannem Euiratum*. Eſt *Pratum ſpirituale Ioannis Moſchi*.

Rurſus ITALIGA hæc editio iterata fuit in quarto cum figuris, nouo interprete Ioanne Mario Verdizotto, Venetijs ex typographiâ de i Guerra, M.D.LXXXIX.

GALLICA editio in folio, cum figuris, interprete anonymo, Pariſijs anno M.CD.XCIV. apud Ioannem du Pré. Expreſſa eſt ex ſecundâ editione Latinâ. Quare quidquid dixi Prolegomeno XIX. continere ſecundam editionem Latinam, etiam hæc Gallica continet. vnde facile eſt ex Prolegomeno XXII. vbi Latinas editiones inter ſe & cum hac quartâ comparaui, diſpicere quî hæc Gallica cum noſtrâ quartâ Latinâ conueniat.

Alia editio GALLICA in paruo folio ſeu magno quarto cum figuris, Pariſijs ſine indicio anni vel typographi. Planè cum præcedente conuenit, & fors eâ prior eſt.

Alia editio GALLICA in quarto cum figuris, interprete recentiore anonymo, Pariſijs apud Guilielmum Chaudiere, anno M.DC.V. Expreſſa eſt hæc ex tertiâ editione Latinâ, continetque tantùm *quatuor* libros, omiſſo toto *quinto* libro, & *Paſchaſio*, qui poſt *quartum* additur in Latino textu.

Alia GALLICA editio in octauo, interprete M. Iacobo Gaultier, Pariſijs apud Guilielmum de la Noue, anno M. DC. VI. Continet *primum*

mum

mum & *secundum* librum iuxta exemplar secundæ editionis Latinæ.

FLANDRICA editio in folio paruo, sine indicio loci, per Petrum van Os, anno M.CD.XC. Constat tribus partibus variè dispositis & mixtis. Continet tantùm ex nostro libro *primo*,

Vitam *Pauli*, *S. Hilarionis*, *Malchi*, *Onuphrij*, *Abraha* eremitæ, *Simeonis* Stylitæ, *Thaisis* meretricis, *Marina*.

Librum *secundum*.

In tertiâ parte continet varia exempla & dicta ex varijs libris excerpta. Hæc editio etsi nullum loci indicium præferat, existimo tamen Svvollæ impressum, quòd librum viderim Flandricum *de Bono vniuersali*, seu *librum Apum*, impressum Svvollæ, ann. M.CD.LXXXVIII. apud Petrum van Os, qui & huius libri de Vitis Patrum Flandricè typographus est. vtrique libro idem insigne affigebatur.

Alia editio FLANDRICA in folio paruo, Delphis apud Henricum Eckert van Homberch, anno M.CD.XCVIII. Constat tribus partibus, vti prior editio.

Alia editio FLANDRICA in folio paruo, Leydæ apud Ioannem Seuersoen, anno M.D.XI. sequitur priores editiones.

GERMANICA editio in folio cum figuris. Conuenit ferè cum Flandricâ editione.

ANGLICANA editio in folio cum figuris, interprete Guilielmo Capton VVestmonasteriensi, VVestmonasterij apud VVijnkijn de VVorde, anno M.CD.XCV. iuxta exemplar Gallicum impressum Lugduni anno M.CD.LXXXVI. Eam editionem Lugdunensem Gallicam non vidi, sed ex Anglicani codicis ordine video eamdem esse cum alijs editionibus Latinis Lugdunensibus. Quare editio Anglicana comprehendit omnia, quæ dixi suprà Prolegomeno XIX. comprehendere secundam editionem. Vnde ex Prolegomeno XXII. vbi editiones omnes Latinas cum hac quartâ nostrâ contuli, facilè est videre, quomodo hæc Anglicana editio cum hac nostrâ conueniat. Nactus sum hunc codicem ex Carthusiâ Mechliniensi, admodum R.D. Priore promptissimè suppeditante.

PROLEGOMENON XXIV.

De manuscriptis libris, quibus ad quartam hanc editionem adornandam sum vsus.

PRIMA mihi cura fuit, ne quid temerè in textu mutarem: nihil magnopere ingenio, nihil blandientibus in speciem coniecturis dedi. Primum mihi à manuscriptis subsidium fuit, etiam è Germaniâ euocatis, vnde mihi quinque exem-

plaria submisit R. P. Iacobus Gretzerus noster. Secundum à vetustissimis editionibus. Tertium, rarissimè tamen, à coniecturâ, non remotâ tamen eâ, sed propinquâ. Cùm autem decem libros demus Vitarum Patrum, quorum tres posteriores nunc primùm accedunt ex interpretatione recentiorum, qui vixêre Patrum memoriâ; non est, quòd omnium librorum manuscripta exemplaria exspectes. Eorum igitur tantùm librorum manuscripta exspecta exemplaria, qui iam olim translati fuêre, quales septem priores, quique hactenus titulo Vitarum Patrum impressi sunt.

Manuscriptorum quibus vsus sum, eccistc catalogus, quem do iuxta vetustatem characteris, quantum quidem mihi colligere licuit, vel ex anno adscripto, vel ex charactere. Sciunt antiquarij, aliquod sæculi indicium à characteris genere sumi. Cito autem eos referendo ad editionem hanc quartam.

MS. VEDASTINVS, è celeberrimo S. Vedasti monasterio membranaceus in folio, vetustissimâ manu, quippe characteribus capitalibus conscriptus. Descriptus hic erat rogatu abbatis Nomedij, qui eum basilicæ S. Medardi obtulerat. vnde Suessione, vbi insignis S. Medardi basilica, librum hunc profectum auguror. Titulus autem libri hic erat: *Liber sermonum vel adhortationis Patrum ad profectum monachorum.* Liber autem hic MS. tantùm continet ex libro nostro *quinto libellos* XV. & finit in numero 26. libelli XV. quare non habet integrè quæ vertit Pelagius. Finis totius libri erat: *Explicit liber quod vocatur Vitas-Patrum ad profectum monachorum siue imitatores eorum.* Vix dubium mihi, ante annos DCCC. librum hunc conscriptum. Ex Nomedij ætate res certior statui poterit.

MS. S. FLORIANI, in folio, membranâ, vetustissimus, ante annos prope DCCC. scriptus. Ita enim in fine habet: *Hic liber fuit inchoatus in Huniâ in exercitu anno Domini* DCCC. XVIIII. IV. *Non. Iunij, & perfinitus apud S. Florianum* II. *Id. Septembr. inebà.* XV*ma.* An vltimum hoc est *Indict.* XV? Rectiùs diuinaueris, *in hebdomadâ* XV*mâ*, id est, quintâ decimâ. Atque ita Auentinus loco mox citando olim legit, cùm litteræ nondum ita euanuissent. Continet ex libro *primo*,

Vitam *Pauli*, *Antonij*, *Hilarionis*, & *Malchi*.

Librum *secundum*.

Ex libro *quinto* nonnulla hoc titulo: *Incipiunt adhortationes sanctorum Patrum, perfectiones monachorum, quas de Græco in Latinum transtulit B. Hieronymus.*

Librum *septimum*.

Ex Appendice, *Ægyptiorum Patrum sententias*, hoc titulo: *Interrogationes vel Responsiones Ægyptiorum Patrum, quas de Græco*

in

in Latinum transtulit Martinus episcopus in monasterio Domiense.

Nota hîc, libri huius meminisse Auentinum lib. iv. Annalium Boiorum, vbi agit de Ludouico Pio Imp. qui curauit ex Dalmatiâ, quam inuaserat, profligari Lindevvitum Slauum. Hoc, inquit, bello scriptus est codex, qui ex membranis compactus, monstratur in monachorum monasterio, quod à patriâ meâ decem millia passuum Occidentem versus hiemalem, in ripâ Ilmi conditum exstat. Sunt in illo libro descriptæ *Vitæ Diuorum* à Paschasio è Græcâ linguâ in Romanam translatæ: Item *Hilarion* D. Hieronymi: adeò antiquis litteris, vt mihi repuerascendum, & ad prima elementa redeundum fuerit. Hactenus ille. Hundius in Metropoli suâ Salisburiensi scribit, eum librum olim fuisse in monasterio Munichmunsteriensi in Bauariâ ad Danubium infra Vohburg, sed anno M. D. LXXX. se eum ibi non reperisse: existimare autem translatum esse Monachium ad Bibliothecam Ducalem cum quibusdam alijs libris. Ita Hundius. Irrepsit error in Chronicon Ordinis Benedict. ab admodum R^do D. Auberto Miræo concinnatum; cùm liber ille scriptus dicitur anno DCCCCXVIII. omnino DCCCXVIII. oportuit.

MS. Ingolstadiensis, Collegij nostri in folio, membranâ, valdè vetustus. Continet librum *secundum, tertium, quartum.*

MS. Amandinvs è celeberrimo S. Amandi cœnobio, à vetustâ manu, qui *Heraclidis Paradisum* continebat, sed mutilum. ad cuius tamen fidem paucula in Appendice recognoui.

MS. Avdomarensis ex ecclesiâ collegiatâ S. Audomari, vetustus, & maximè perfectus, qui maximo mihi ad hanc recognitionem adiumento fuit, tum quòd plures libros contineret, tum quòd egregiè scriptus esset. Continebat autem ex *libro primo*

Vitam *S. Antonij* per *S. Athanasium*, interprete *Euagrio.*
Vitam *S. Hilarionis* auctore *S. Hieronymo.*
Vitam *Malchi* monachi captiui per eumdem.
Vitam *Abrahæ eremitæ* per *B. Ephram.*
Vitam *B. Frontonij.*
Vitam *Marinæ puellæ.*

Librum *secundum*, hoc initio: *Incipit præfatio Ruffini de Vitâ monachorum.* Benedictvs, &c.

Librum *tertium*, per paragraphos seu numeros 207.

Librum *quartum*, exceptis primis XIV. capitibus, quæ ex Seuero Sulpitio sunt excerpta. ea enim deerant.

Librum *quintum*, cuius titulus est: *Incipiunt adhortationes sanctorum patrum, perfectionésque monachorum, quas de Græco in Latinum transtulit Hieronymus presbyter.* manifesto errore. Nam idem liber

manuſcriptus in fine libelli XVIII. qui in hoc quinto libro vltimus eſt, hæc habet: *Hucuſque de Græco in Latinum tranſtulit Pelagius diaconus Eccleſiæ Romanæ, & abhinc deorſum Ioannes ſubdiaconus.*

Librum *ſextum*, interprete *Ioanne* S.R.E. ſubdiacono.

MS. AFFLIGEMIENSIS ex inſigni abbatiâ S. Petri apud Aloſtum in folio, membranâ, bonæ notæ.

Continet ex libro *primo* Vitas

S. Pauli, Antonij, Hilarionis, Malchi, Pachomij, Abrahæ, Simeonis Stylitæ, Frontonij, Euphroſynæ, Mariæ neptis Abrahæ, *Pelagiæ, Mariæ Ægyptiacæ, Marinæ.*

Librum *ſecundum, quintum, ſextum.*

MS. GEMBLACENSIS, ex vetuſtâ abbatiâ S. Petri, Ordinis S. Benedicti in oppido Gemblacenſi apud Namurcum, in quarto, membranaceus, charactere vetuſto.

Continebat tantùm ex libro *primo* Vitas

S. Pachomij, S. Baſilij, Ioannis Eleëmoſynarij, Mariæ Ægyptiacæ.

MS. CRISPINIENSIS, ex monaſterio Ordinis S. Benedicti apud Valentianas, in folio, membranâ, vetuſtâ manu. Continebat ex libro *primo* Vitas

S. Pauli, S. Antonij, S. Hilarionis, Malchi, Ioannis Eleëmoſynarij, Frontonij, Paulæ, S. Marinæ.

Totum librum *ſecundum.* Totum librum *quintum.*
Totum librum *quartum.* Totum librum *ſextum.*

MS. AQVICINCTINVS, ex cœnobio Ordinis S. Benedicti apud Duacum, in membranâ, bonæ notæ, in folio. Exhibebat hic manuſcriptus ex libro *primo* Vitas

S. Pauli, S. Antonij, S. Hilarionis, Malchi, S. Ioannis Eleëmoſynarij, S. Euphroſynæ virginis, *Mariæ* neptis Abrahæ, *Pelagiæ* meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ, Paulæ.*

Exhibebat præterea *librum ſecundum*, hoc titulo: *Incipiunt actus SS. Patrum à Poſthumiano monacho editi & ad Fidoſum miſſi.*

Librum *tertium*, qui ibi conſtat paragraphis ſeu numeris 112.

Librum *quartum* hoc initio: *Incipit liber Poſthumiani de geſtis ſanctorum Patrum.* Vnde occaſio nata ſit *Poſthumiano* aliquos libros inſcribendi, vide dicta ſuprà Prolegomeno IV. §. IX.

MS. LAETIENSIS MAIOR ex formatiſſimo ad Regulam S. Benedicti ſub patrocinio S. Lamberti monaſterio, in folio, pergameno, bonæ notæ. Continet autem ex libro *primo* Vitas

S. Pauli primi eremitæ.
S. Antonij.
S. Hilarionis.
S. Malchi, captiui monachi.
S. Simeonis Stylitæ.
S. Ioannis Elemoſynarij.

S. Fron-

S.Frontonij, quam *Hieronymo* tribuit. *S.Mariæ Ægyptiacæ.*
S.Euphrosynæ. *S.Marinæ.*
S.Pelagiæ meretricis. *S.Paulæ.*

Librum *secundum*, qui à MS. hoc *Posthumiano* monacho ascribitur, & dicitur ad *Phydosum* missus.

Ex libro *tertio*, tantùm num. 24. qui eidem *Posthumiano* tribuitur.

Librum *quartum*, qui *Ioanni Cassiano* assignatur.

Librum *quintum*. Titulus autem hic est; *Incipiunt capitula libri S. Hieronymi de Vitâ & actibus SS. Patrum eremitarum, translatus ab eo de Græco stilo in Latinum.* In medio verò libelli XVI. (qui verè XVIII. est. sed duo libelli XIII. *de Hospitalitate*, & XIV. *de Obedientiâ* in hoc MS. sunt omissi) habetur: *Hucusque Hieronymus de Græco in Latinum dicitur transtulisse, siue vt plerique autumant, Pelagius diaconus Romanæ Ecclesiæ. Inde Ioannes subdiaconus, quatuor distinguens libris idem opus.*

Librum *sextum.*

MS. LAETIENSIS MINOR, in quarto, pergameno, notæ non inferioris à priore. qui liber olim fuit S.Michaëlis in Sarto.

Continet hic liber ex libro *primo*,

Vitam *S.Pauli* primi eremitæ, auctore *D.Hieronymo*.

Vitam *S.Hilarionis*, auctore eodem.

Vitam seu Pœnitentiam *Thaidis*, seu *Thaisis*.

Librum *secundum*, *tertium*, *quartum*.

MS. BONAE-SPEI, ex abbatiâ eiusdem nominis, Ordinis Præmonstratensis, apud Binchium Hannoniæ oppidum, in quarto, formâ oblongâ, pergameno, charactere bono & vetere. Continet varia tantùm fragmenta ex variis hinc inde libris excerpta, ex libro II. & III. *Ruffini*, item ex aliquot libellis *Pelagij* & *Joannis*.

MS. MORETIANVS, in folio, pergameno, non valdè quidem vetustus, sed plurima continẽs, quem mihi D. Moreti filij suppeditarũt.

Continebat ex libro *primo* Vitas

Pauli, *Antonij*, *Hilarionis*, *Malchi*, *Pachomij*, *Abrahæ*, *Ioannis Eleëmosynarij*, *Frontonij*, quam *Hieronymo* ascribit, *Euphrosynæ*, *Mariæ* neptis Abrahæ, *Thaisis* meretricis, *Pelagiæ* meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ*, *Marinæ*, *Paulæ*.

Librum *secundum*, quem ascribit *Posthumiano* monacho, & dicitur ad *Phydosum* missus.

Librum *tertium*, qui etiam *Posthumiano* ascribitur, & ad *Phydosum* mittitur.

Librum *quartum*, quem tribuit *Ioanni Cassiano*.

Librum *quintum*, quem de Græco in Latinum ab *Hieronymo* presbyte-

sbytero translatum asserit. In fine tamen libri XVIII. ait, *siue vt plerique autumant, transtulit de Græco in Latinum Pelagius diaconus S.R.E.*

Librum *sextum*, quem *Ioanni* S.R.E. subdiacono ascribit.

Ex Appendice, *Heraclidis Paradisum*, integrum: sed eum ascribit *Paschasio*, vel *Palladio* diacono. Ita titulum concipit: *Incipit epistola Paschasij siue Palladij diaconi ad Eugippium presbyterum in libro, qui vocatur Paradisus de miraculis sanctorum Patrum & Vitâ eorum.* Vide Prolegomenon XXV.

MS. S. IACOBI fratris Domini in Insulâ, vbi est abbatia Ordinis S. Benedicti Leodij, in folio, pergameno, scriptus anno Domini M.CCC.XII.

Continet ex libro *primo* Vitas

S. Pauli primi eremitæ, & *Malchi.*

Librum *secundum*, *quintum*, *sextum.*

Ex eadem abbatiâ habui libellum in octauo, chartaceum, in quo erat Vita *S. Onuphrij*, recenti manu. Distinctus hic erat stilus à vulgatâ Onuphrij Vitâ, vulgatum tamen stilum retinui.

MS. CAMBERONENSIS, ex abbatiâ S. Mariæ de Camberone Ordinis S. Bernardi apud Athum, in membrana, folio, recentiore manu. Continebat ex libro *primo* Vitas

S. Pauli, S. Antonij, S. Hilarionis, Malchi, Ioannis Eleëmosynarij, Paulæ.

Librum *secundum* hoc titulo: *Incipiunt actus SS. Patrum à Posthumiano monacho editi, & ad Fidosum missi.*

Librum *tertium* nulli certo auctori hic inscribitur.

Librum *quartum*, qui *Posthumiano* tribuitur.

MS. CLAROMARESCANVS, ex abbatiâ S. Mariæ de Claromaresco, iuxta Audomarum, Ordinis S. Bernardi, in folio, membranâ, charactere bono, sed non valdè veteri.

Continebat ex libro *primo* Vitas

Thaisis meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ, Marinæ* puellæ.

Librum *secundum* nulli auctori inscriptum.

Librum *tertium* etiam anonymum.

Librum *quartum* similiter anonymum.

MS. S. MARIAE Bibrach in Germaniâ, in membranâ, folio, charactere vtcumque vetusto. Continebat ex libro *primo* Vitas

Pauli, Antonij, Hilarionis, Malchi, Frontini, Thaisis meretricis.

Totum librum *secundum.*

Totum librum *septimum Paschasij.*

Et quædam alia mixta ex varijs libris.

MS. REBDORFFIENSIS in quarto, pergameno, charactere satis recenti. Continet ex libro *primo* Vitas

Pauli

Pauli, Hilarionis, Malchi, Simeonis Stylitæ, Euphrosynæ.

Librum *secundum*, quem tribuit *S. Hieronymo.*

Librum *tertium* & *quartum.*

MS. S. PETRI IN MVNSTER, folio, pergameno, recentiore charactere. Continet tantùm excerpta quædam ex Vitis Patrum.

Ex libro *primo* Vitas *Pauli, Antonij, Hilarionis.*

Quædam ex libro *secundo* & *septimo.*

MSS. INSVLENSES duo membranacei Cl. viri, mihique amicissimi, Tussani Des-barbieux, in folio, non valdè vetusti, quorum alter continebat

Ex libro *primo* tantùm Vitam *Mariæ Ægyptiacæ, Mariæ neptis Abrahæ, Pelagiæ* meretricis, & *Thaisis* meretricis.

Ex *Appendice* solùm *Heraclidis Paradisum.*

Alter verò, ex libro *primo* tantùm vitam *S. Marinæ* virginis, & *S. Paulæ* viduæ.

Totum librum *quintum* Pelagij S.R.E. diaconi.

Totum librum *sextum* Ioannis S.R.E. subdiaconi.

MS. S. SEPVLCRI MAIOR, ex monasterio S. Sepulcri, quod Cameraci est, Ordinis S. Benedicti, in folio, chartaceus, recenti manu.

Continet ex libro *primo* Vitas,

Malchi monachi captiui auctore *D. Hieronymo*, *S. Euphrosynæ, Thaidis* meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ, Marinæ* virginis.

Librum *secundum*, quem tribuit *Palladio*, aitque ab *Hieronymo* de Græco in Latinum conuersum.

Librum *tertium.* Librum *quartum.*

Ex libro *quinto*, qui octodecim libellis constat, habet tantùm sine vllâ libellorum distinctione numeros 240. vocanturque *Admonitiones sanctorum Patrum de diuerso genere virtutum, quas Pelagius diaconus Ecclesiæ Romanæ de Græco in Latinum transtulit.*

MS. S. SEPVLCRI MINOR, in membranâ, in quarto, manu quoque recenti.

Complectitur autem ex libro *primo* Vitas

Malchi, monachi captiui, *Frontonij*, *S. Marinæ.*

Librum *secundum*, quem tribuit *D. Hieronymo.*

Librum *quintum*, qui inscribitur: *Adhortationes sanctorum Patrum, perfectionésque monachorum, quas de Græco in Latinum transtulit B. Hieronymus presbyter.* Rectiùs in fine libri decimioctaui: *Hucusque de Græco in Latinum transtulit Pelagius diaconus Ecclesiæ Romanæ, & abhinc deinceps Ioannes subdiaconus.*

Librum *sextum.*

MS. CARTHVSIANORVM nostræ Dominæ de Gratiâ prope Bruxel-

Bruxellas, in folio, ſcriptus in membranâ anno Chriſti M.CCCC.LX. Kal.Decembris,per Fr.Petrum VVeins.

Continet ex *primo libro* Vitas

Pauli primi eremitæ, auctore *D.Hieronymo*; *Antonij*, auctore *Athanaſio*, interprete *Euagrio*; *S. Hilarionis*, auctore *D.Hieronymo*; *Malchi* captiui monachi, auctore eodem; *S.Pachomij*, *Abrahæ* monachi & eremitæ, *Simeonis Stylitæ*, *Macarij Romani*, *Frontonij*, *S.Euphroſynæ* virginis, *Thaiſis* meretricis, *Pelagiæ* meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ*, *Marinæ* virginis, *Paulæ*.

Librum *ſecundum*.

Librum *quintum*. Deerat quidem ſuo ordine libellus decimusſextus *De Pœnitentiâ*, ſed in manuſcripto comprehendebatur ſub libello ſeptimo qui eſt *De Patientiâ*,quo titulo in nonnullis manuſcriptis etiam liber XVI. inſcribitur.

Librum *ſextum*.

Hic autē titulus *libro ſexto & quinto* præfigebatur: *De verbis Seniorū ſanctorum Patrum.quod opus de Græco in Latinum tranſtulit Pelagius diaconus Eccleſiæ Romanæ, extremā partē Joannes ſubdiaconus tranſtulit.*

MS.RVRAEMVNDANVS,ex Collegio noſtro Ruræmundæ in pergameno,in folio,à recenti manu.

Conſtat quinque libris, vti prima editio. Ex quâ, quòd pauca typographiæ infantiâ imprimerentur exemplaria, videtur exſcriptus. In fine has prætereà Vitas complectitur:

Pauli primi eremitæ, *S. Antonij*, *Hilarionis*, *Malchi*, *Pachomij*, *Abrahæ*, *Frontonij*, *Barlaam* & *Joſaphat*, *Thaidis* meretricis, *Pelagiæ* meretricis, *Mariæ Ægyptiacæ*, *Paulæ*.

MS.SIONIVS, monaſterij religioſarum de Sion, ordinis S. Auguſtini Cortraci, in folio, chartâ, charactere recentiore, ſcriptus anno M.CD.LXIX. Conuenit planè cum primâ editione, ex eaque deſcriptum non dubito.In fine has Patrum Vitas addit:

S.Antonij, *S.Pachomij*, *Epicteti* & *Aſtionis*.

Atque hæc dicta ſint de manuſcriptis libris,qui integros quoſdam libros vel magnam librorum partem ex ijs,quos damus,comprehenderunt:nam ſubinde & alia manuſcripta citamus,quæ vel vnam Vitam aliquam, vel ſimile quid huc ſpectans tantùm habent, vti inuenies Bertinianum apud Audomaropolim,Laurentianum apud Leodium,Brugenſe Societatis noſtræ,& ſi quæ alia.

Præter hæc manuſcripta Latina, nonnulla quoque Græca nactus ſum,è quibus Latina ſunt expreſſa; ſed pauca,eaque ſatis imperfecta, quæ ſubinde ad lucem citata inuenies. Nam alia quædam ſeriùs ad manus meas peruenêre.

PRO-

PROLEGOMENON XXV.

De Appendice ad Vitas Patrum.

PLACVIT hanc Appendicem reliquis de Patrum Vitâ libris iungere, tum ob vetustatem interpretum, tum vt lux subinde locis dubijs ex interpretationis varietate affulgeat, tum etiam, quòd quædam, etsi paucula, hæc Appendix contineat, quæ in prioribus non sit reperire.

Continet autem hæc Appendix tria opuscula, *Heraclidis Paradisum, & Palladij Lausiacum*, ex veteri vtrumque interpretatione, de quibus vide dicta Prolegomeno IV. § III. & Prolegomeno XIV.

Quem hîc damus *Paradisum* nomine *Heraclidis*, in manuscripto Moretiano inscribitur, *Paschasij siue Palladij diaconi ad Eugippium presbyterum, in libro, qui vocatur Paradisus de miraculis sanctorum Patrum & Vitâ eorum.* cui titulo subiungitur hæc epistola:

DOMINO SVO SEMPERQVE KARISSIMO PRESBYTERO PASCHASIVS DIACONVS.

FRATER in *Christo karissime, dum nos peritia tua facundiâ & otij felicitate perpendens, amaritudines occupationésque multiplices peccatorum retractare contemnis, pudoris iacturam dilectionis contemplatione sustineo. Direxisti commemoratorium cui nihil possit adiicere facundia peritorum; & opus quod Ecclesia possit vniuersitas recensere, breui reserasti compendio, dum beati Seuerini finitimas Pannoniorum prouincias incolentis, Vitam moresque verius explicasti, & quæ per illum diuina virtus est operata miracula, diuturnis mansura temporibus tradidisti memoria posterorum. Nesciunt facta piorum præterire cum sæculo, vt omnes præsentem habeant, & secum quodammodò sentiant commorari, quibus eum relatio peruexerit lectionis. Et ideò quia tu hæc quæ à me narranda poscebas, elocutus es simplicius, explicasti facilius, nihil adiiciendum labori vestro studio nostro credidimus. Siquidem aliter audita narramus, aliter experta depromimus; facilius virtutes magistrorum discipulis exponuntur; quæ suggeruntur crebrius, conuersatione docentur. Diuinis charismatibus inspiratus, scis sanctis bonorum mentibus excolendis quantum gesta Sanctorum vtilitatis impertiant, quantum feruoris attribuant, quantum puritatis infundant, de quâre apostolicæ vocis auctoritas latius innotescens, Forma, inquit, estote gregi; & beatus Paulus Timotheo præcepit, Forma esto fidelibus. Vnde idem Apostolus iustorum catalogum summâ breuitate contexens, ab Abel inci-*

1. Pet. 5.

1. Tim. 4.

Heb. 11.

incipiens, insignium virorum pergit narrare virtutes: sic & ille fidelissimus Mathathias, morti gloriosissimæ iam propinquans, filijs suis hereditario iure Sanctorum exempla distribuit, quorum certaminibus admirandis celebriùs excitati, animas suas pro legibus sempiternis sanctitatis feruore contemnerent. Nec paterna liberos fefellit instructio: tantum enim profuerunt memoratis facta piorum, vt apertâ fide armatos principes deterrêrent, castra sacrilega superarent, cultus arásque dæmonicas longè latéque diruerent, ciuilémque coronam, gestis decoratam perennibus, splendenti patriæ prouiderent. Vnde & nos ornamentis sponsæ Christi quiddam fraterno ministerio prouideri gaudeamus, non quòd vllis, vt credo, temporibus defuerit clarior vita maiorum, sed quòd domum magni regis plurimorum vexilla trophæorum habere conueniat. Non enim vera virtus excluditur numerositate virtutum, sed optatis excessibus eatenus ampliatur.

Inde sequebatur: *Prologus primus Paschasij siue Palladij diaconi ad Lausum episcopum: In hoc libro,* &c. Inde *Secundus Prologus: Multi quidem multos.* Inde caput primum Paradisi: *Cum primùm Alexandriam.*

Similem codicem MS. cum his titulis & præfationibus inuenit Vezelij in Heduis, apud nobilissimum eius loci abbatem Erardum Rupefortium, amicissimus mihi Lucas Holstenius, vti per litteras me monuit, si fortè vsui esset ad secundam hanc Moretianam editionem adornandam. Parem quoque codicem eodem ordine digestum submisit Cl. D. Tussanus Des-barbieux, de quo monui Prolegomeno XXIV.

Equidem *Paschasio* huic, qui Eugippij tempore vixit, liber hic velut auctori tribui non potest, cùm auctor in hoc libro interloquens certò vixerit sæculo S. Hieronymi, & Patrum magnâ ex parte, quorum Vitam describit. Quare rectè additum *siue Palladij*; verè enim Palladius, vel Heraclides, vel quispiam alius eorum æqualis, huius Paradisi auctor est.

An igitur *Paschasius* hic dicendus est vetus huius Paradisi interpres? Nec hoc affirmare habeo. Certè nihil tale insinuat hæc Paschasij ad Eugippium missa epistola. Imò epistola hæc potiùs præfigenda est Vitæ S. Seuerini Noricorum apostoli. & pridem anno M. D. XCV. eam Vitæ S. Seuerini præfixit doctissimus scholiastes Marcus Velserus: Epistola autem Eugippij, cui Paschasius hîc respondet, exstat tomo sexto Antiquarum lectionum paginâ 455. Si aliunde probari possit Paschasium hunc interpretem esse huius Paradisi, ei posthac inscribatur ea interpretatio. Equidem viri docti interpretatio est, nec stylus multum abludit à stylo vitæ S. Seuerini. Ego ob hanc epistolam hîc fortuitò præfixam, non ausus fui ei interpretationem asserere. De Paschasio hoc plura vide Prolegomeno XIV.

Con-

Continet prætereà *Ægyptiorum Patrum sententias*, interprete *Martino Dumiensi episcopo*, quas ex codice Bibliothecæ Toletanæ excerptas, ex Hispaniâ ad me transmisit R. P. Christophorus à Castro Sacrarum litterarum in Collegio nostro Salmanticensi Professor. Quas etiam reperi in codice peruetusto S. Floriani, è Germaniâ mihi suppeditato.

Martini Dumiensis episcopi varij meminêre auctores. Isidorus libro de Illustribus Ecclesię Scriptoribus cap. XXII. Sigebertus in simili Scriptorum catalogo cap. XIX. & CXVIII. Fuit hic abbas & episcopus, qui Dumiense in Gallæciâ monasterium construxit, posteà episcopus Braccarensis, cuius fit honorifica mentio in Concilio Toletano decimo, cap. VII. ex Concilio Valentino, & in Synodo Braccarensi primâ, Ærâ D.XCVIII. & in secundâ, Ærâ DC.X. quibus præfuit. Curauit ille quidem nonnulla ex Græco verti per alios: ita enim Sigebertus suprà cap. CVIII. *Martinus episcopus transtulit per manus Paschasij diaconi Interrogationes & Responsiones plurimas sanctorum Ægyptiorum Patrum in Dumiensi cœnobio.* Quæ Paschasius eius iussu transtulit, habes libro septimo. Fors idem Paschasius & hæc eius rogatu transtulit. Quia tamen Martini nomine in duobus manuscriptis inueniuntur, & ipse asserit se Collectionem Orientalium Canonum emendasse, & ad Græcum textum rursus contulisse (quæ habetur in tomis Conciliorum post Concilium Lucense II.) potuit ipse è Græco & hæc transtulisse. quare eius nomine in Appendice dedi.

PROLEGOMENON XXVI.

Varia monita ad Lectorem huius editionis.

ADVERTE primò, Primam mihi curam fuisse, vt textum cuiusque auctoris perquam fidelissimè ex fide veterum codicum exprimerem, seruatis phrasibus etiam minùs vsitatis, nec valdè semper Latinis, vt & illæ sæculum auctoris sui proderent.

ADVERTE secundò, Orthographiæ eam seruatam rationem, quam Typographus optimam iudicauit. Quorumdam tamen propriorum nominum diuersas subinde Orthographias reperies, sed apud diuersos interpretes, vt nunc *Scete*, nunc *Scithi*, nunc *Pœmenius*, nunc *Pimenius*, & similia aliquot alia. Quæ plerumque sua interpretibus reliqui, quòd singuli fortè diuersimodè nomina illa in Græco exemplari scripta inuenerint.

ADVERTE tertiò, Ne sæpiùs quarumdam difficultatum & verborum

borum rariorum ratio reddenda esset, quòd varijs locis eadem occurrerent, contentus breui in Notationibus explicatione, ad Onomasticon porrò remisi, in quo pleniùs de ijs agitur. In quo etiam nonnulla reperies, quorum nullum in Notationibus datum indicium.

ADVERTE quartò, Mirandum non esse, si complusćula eadem in diuersis libris, variato tantùm stilo, reperias. Euenit hoc, quòd olim diuersi eremum obiêre, & Vitas dictaque Patrum vel coràm vel ab alijs excepêre. Quisque quod vidit vel audiuit, in commentarium retulit. Accedit, quòd quidam aliorum scrinia compilarunt, & prætereà quædam ex suis quoque armariolis adiunxêre. Dedimus igitur omnia prout apud diuersos auctores & interpretes inuenimus, vt suus cuique constaret labor, & plurium testificatione plus quoque Patrum dictis accederet auctoritatis. Vide quæ de hac conuenientiâ diximus Prolegomeno IV. §. III.

ADVERTE quintò, Sicubi ea auctorum conuenientia occurrat, in margine ferè notaui singulorum loca, vt se mutuò illustrarent. Qualem in multis reperies inter librum secundum Ruffini, Palladium Herueti, Heraclidis Paradisum, & Palladium ex veteri interpretatione. Ruffinum & Palladium Herueti inter se commisi: Paradisum Heraclidis per Palladium Herueti illustraui: Palladium ex veteri interpretatione cum Heraclidis Paradiso comparaui. Multa quoque eadem reperies in libro III. Ruffini, Pelagio, Ioanne, Paschasio, quorum concordiam in margine notatam inuenies.

ADVERTE sextò: Vt compendio conuenientiam illam citarem, cùm nouem posteriores libri, in quibus eiusdem rei repetita narratio maximè occurrit, vel auctorem certum habeant vel interpretem, vbi auctor certus est, eum citaui; vbi de eo minùs constat, interpretis nomen margini apposui. verbi gratiâ, quæ paria occurrunt libris secundo, tertio, qui RVFFINVM agnoscunt vel auctorem vel interpretem; quarto, qui excerpta habet ex SEVERO SVLPITIO & IOANNE CASSIANO; octauo, qui PALLADIVM; nono, qui THEODORETVM; decimo, qui IOANNEM MOSCHVM repræsentant auctores; tantùm in margine cito auctorum nomina cum capitibus vel numeris, prout cuiusque liber vel per capita vel per numeros digestus hîc reperitur. Rursus verò cùm in margine citandi sunt liber quintus, sextus, septimus, qui Græcis auctoribus incertis circumferuntur, certos tamen habent interpretes, eùm quintus citandus est, cito PELAGIVM; cùm sextus, IOANNEM; cùm septimus, PASCHASIVM; quorum singuli suorum singulorum librorum sunt interpretes. Quia verò PELAGIVS & IOANNES librum quisque suum in varios libel-

los

los distinctum habet, dum eos in margine cito, libellorum simul ordinem cum dictorum numero in margine assigno.

ADVERTE septimò, In Chorographiæ studiosi gratiam, tabulam nos curasse concinnari mansionum & expeditionum eremitarum. & quia maximè Ægyptus & Syria & Palæstina ab eremitis fuit exculta, particularem quoque earum delineationem habes, quòd in generali tabulâ particularis locorum distinctio seruari non posset. Tabulam eam proximum folium exhibebit.

ADVERTE octauò, Me nunc hoc anno M. DC. XXVII. cùm prima editio Moretiana anni M. DC. XV. distracta esset, vti & Lugdunensis Galliæ, rursus rogatu D. Balthasaris Moreti VITAS-PATRVM recensuisse; maximè textum *octaui libri* per *Palladium*, & *noni* per *Joannem Moschum*, qui antè Græcè non prodierant. Nunc Græca eorum editio Parisiensis varios interpretum errores detexit, & multis tenebrosis locis facem præluxit. *Notationes* quoque subinde auxi, & inprimis *Onomasticon*, quòd id multorum votum esset, maximè religiosorum, quibus non suppetit librorum copia, nec vsum Lexicographorum & Criticorum habent, qui rem antiquariam tractant. Accessere quoque *tres* noui *Indices*, vnus *Sacrarum Scripturarum*, alter *Concionum*, & tertius *Auctorum in Notationibus adductorum*; quos reliquis antè datis insertos vel subsertos inuenies.

ADVERTE nonò, Etsi aliæ nonnullæ vitæ Eremitarum Orientalium hinc inde typis editæ sint, & plures ex MSS. erui possint: quia tamen institutum meum non fuit omnium Eremitarum vitas conquirere, & in vnum fascem colligere; sed tantùm decantatissimum VITARVM PATRVM librum, qui ante centum annos toties cusus recusúsque fuit, recensere & illustrare; studiò abstinui à reliquis indagandis. Is enim labor nouum facilè tomum extundere posset. Mihi nunc satis fuit SS. Patrum insistere vestigijs, qui has vitas olim & legerunt & commendarunt.

EGO verò te, mi Lector, non vnis votis rogatum velim, vt Deum mihi tuis precibus propitium facere digneris, vti ea quæ his libris tractantur vel ex parte aliquâ moribus vitaque exprimere possim; ne sim planè velut æs sonans & cymbalum tinniens. Ita tibi Deus, eremitarum suffragantibus meritis, fauorem omnem opemque adspiret. Viue, vale, mei apud Deum memor.

S. BENEDICTUS *Regula sua capite vltimo:*

COLLATIONES PATRVM ET INSTITVTA

ET VITÆ EORVM

ET REGVLA S. P. N. BASILII

QVID ALIVD SVNT


NISI BENE VIVENTIVM ET OBEDIENTIVM

MONACHORVM EXEMPLA

ET

INSTRVMENTA VIRTVTVM?

CHO-


CHOROGRAPHIA
PARTICVLARIS
MANSIONVM EREMITICARVM
IN ÆGYPTO, SYRIA,
ET PALÆSTINA.
SEPTENTRIO.
MERIDIES.
OCCIDENS.
MARIS MEDITERRANEI PARS.
Mare Ægyptium
Mare Parthenium
MARE PALÆSTINVM
CY PRVS
Amathus
Curium
Tripolis
Botris
Heliopolis
Berytus
Sidon
Tyrus
Damascus
Antiochia primaria
Seleucia pieria
Laodicia
Gabala
Apamia
Emesa
Palmyra
Chalcis
Beroea
SY RI A.
Ptolemais al. Accon et Coth
Galilæa
Nazareth
Capharnaum
Tiberias
Samaria
Ierusalem
Ioppe
Gaza
Hebron
Bethleem
Sodoma
Gomorra
Adama et Seboim.
Mare mortuum seu lacus Asphalites
Gadara
Bostra
Medaua
Montes Seir seu Idumeæ.
Petra ciuitas
ARABIA PETRÆA.
Saraceni.
Thoana
Amitha
Moca
Gerasa
Elana
Aila
Mons Sinai
Pharan
Elim
Ethan
Montana Arabiæ foelicis.
ARABIÆ DESERTÆ PARS.
Ismaelitarum regio.
Sirbonis palus
Ostracine
Pelusium
Alexandria
Pharos
Canobus
Metelis
Thmuis
Tanis
Pithon
Ramesso
Raythum
Cellia
Nitriæ vrbs et mons
Scetis et Scitis regio.
Memphis
Babylon
Heliopolis
Arsinoe
Mœris palus
Labyrintus
Nilopolis
Heracleopolis
Oxyrinchos
Comas vicus patria S. Antonij
Mons Antonij
Clisma præsidium Arabum
Cella Pauli
Hermopolis
Cynopolis
HEPTANOMIA quæ et ARCADIA.
Antinous
Panas seu Panopolis
Ptolemais Hermij
Abydus
Tentyra
Coptos emporium
Isidis insula
Thebæ quæ et Diospolis
Muthis
Tabenna insula
Syene
Æthiopum præsidium
Lyb-Ægyptij.
THEBAIS quæ et ÆGYPTVS SVPERIOR.
Blemmij.
ÆGYPTVS.
Nilus fluuius
Ægyptij Ichthyophagi aliter Arabici.
Aziongaber
Madiana Ptol. An forte patria vxoris Moysi
Drepanum promontorium
Leucos id est Albus portus
Berenice
SINVS MARIS RVBRI Græcis vocatur Ptolomæo dicti Erythræum ARABICI
Scala milliariorum huius chorographiæ particularis.
Vnum milliare vnius horæ.
FRAN. HARÆVS delineauit.


CHOROGRAPHIA
GENERALIS
MANSIONVM
ET
EXPEDITIONVM
EREMITICARVM.
OCCIDENS.
ORIENS.
SEPTEN TRIO.
Confinia Numidiæ.
Confinia Garamantum.
AFRICA.
Barcitæ seu Barcæi.
CYRENAICA.
MARMARICA.
Hammon ciuitas
Hammoniaca regio.
Oasis parua.
Oasis desertum.
Oasis magna.
Mazices.
LYBIÆ PARS.
ÆGYPTVS.
Coptos
Hermopolis
Alexandria
Arab. Ægyptij.
SINVS MARIS RVBRI Ptolomæo Arabici.
ARABIÆ confinia.
Damascus
Palmyra
SYRIA.
MARE MEDITERRANEVM.
Mare Ionium.
SICILIA
Drepanum
Panormum
Syracusa
Melita insl. nunc Malta
Carthago
Roma
ITALIA
Ancona
Nola
Bari
Calabria.
SINVS ADRIATICVS
Aquileia
Verona
Tridentum
Concordia
ILLYRICVM.
Crupa
Vienna
Salona
Dalmatia
Stridon
Buda
Pannoniæ pars.
Belgradum
Nicopolis
Ister fl.
Epirus.
MACEDONIA.
Thessalonica
Thessalia.
ACHAIA.
GRÆCIA.
Olympus mons
Pelo ponnesus.
CRETA
MARE ÆGEVM.
Cyclades
Chios
Lesbos
Samos
Rhodus
Euboea
Arethusa
Philippi
THRACIA.
Constantinopolis.
Chalcedon
Getarum et Scythiæ confinia.
PONTVS EVXINVS nunc Mare Maiore.
Paphlagonia.
PONTVS.
Amisus
Trapezus
Phasis
Bithynia
Prusa
Pergamus
Ancyra
GALATIA.
CAPPADOCIA.
Nyssa
Cæsarea
Sebaste
Comana
LYDIA.
CARIA
Miletus
Halicarnassus
LYCIA.
Patara
Myra
PAMPHILIA.
Perga
Laodicia
Seleucia
Nazianzum
Lycaonia.
Lystra
ASIA
Philadelphia
CYPRVS
CILICIA.
Tarsus
Issus
Antiochia
Laodicia
ARMENIA MINOR.
Neocæsarea
Polemonium
Sebastia
Hierapolis
Zeugma
Edessa
Euphrates fl.
MESOPOTAMIA.
Charre
Nisibis
Tygris fl.
ARMENIA MAIOR.
MEDIA.
IBERIA.
ALBANIA.
SARMATIÆ PARS que nunc Tartaria.
PARS MARIS HYRCANI seu Caspij vulgo de Sala
Chaldæa.
BABYLONIA.
Babylon
Paludes Babylonis
Ninive
ASSYRIA.
Parthia.
Ctesiphon que et Kitissefodo
Pars Sinus Persici
Sabe Ptol.
Ierusalem
Cæsarea
Gaza
Scala milliariorum huius chorographiæ generalis.

DE
VITIS PATRVM
LIBER PRIMVS,
AVCTORE
DIVO HIERONYMO
PRESBYTERO,
ET
ALIIS VARIIS.

PRAELVDIA AD LIBRVM PRIMVM.

LECTORI.

QVIA D. Hieronymus hoc libro primo sæpè interloquitur, idémque, arctioris vitæ incensus desiderio, eremitas olim inuisit, inq; eremo annos aliquot vixit; placuit hîc breui synopsi, viæ vitæq; eius periodos, quà peregrinationes eius spectant, oculis subijcere; ad nonullam eorum lucem, quæ lecturus es. Quos ex Ill^mi^ *Cardinalis Baronij laudatissimis Annalibus concinnaui, vt magno Duce D. Hieronymi consecteris vestigia.*

DIVI HIERONYMI PEREGRINATIO.

DIVI HIERONYMI PRIMORDIA ET PROFECTIO GALLICANA.

NATVS est Stridone, oppido in Dalmatiâ, honestis quidem parentibus, & substantijs haud infimis, quas posteà pro ædificatione monasterij per Paulinianum fratrem distraxit [a]: non enim de seipso, sed de voluptuosis clericis atque monachis, ex personâ tamen suâ illa ait [b]: *Natus in paupere domo & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem saturare poteram ventrem, nunc similam & mella fastidio*, &c.

A.C. ccc. XLII. Baronius Tomo 3. ad annum 372.
a Hier epist. 26.
b Hier. ep. 2

Bonosum habuit collactaneum [c], & cum eodem coaluit in liberalibus disciplinis, prædiuite adolescente: à puero enim excolendus bonis litteris traditus est præceptori; de quo ipse: [d] *Memini me puerum cursitasse per cellulas seruulorum, diem feriatum duxisse lusibus, & ad Orbilium sæuientem, de auiæ sinu tractum esse captiuum.*

c Hier. ep. 41.
d Hieron. Apolog. aduers Ruffin.

Romam veniens cum eodem ipsius gentili Bonoso, Donatum audiuit; ipsum enim suum nominat [e] præceptorem. tum, vt ipse tradit [f], scholastico more lusit in controuersijs declamandis. ibi adultâ ætate sacro baptismo initiatus [g] est: quo suscepto, paulò solutiorem vitam, quam gesserat, continuò emendauit: nam

e Hieron in Chron. anno 20. Constantij.
f Hier. lib. 1 cont. Pelag. & in ep. ad Gal cap. 2.
g Hier. ep. 57.

priori amissâ corporis integritate, secundam, quam vocat continentiam post Baptismum, seruauit immaculatam [a] totus pijs officijs deditus vnà cum eiusdem instituti sodalibus, singulis diebus Dominicis (vt ipse tradit [b]) inuisebat in subterraneis cœmeterijs reliquias sanctorum Martyrum: nihilque ceteris diebus otij sibi relinquens, totus erat in describendis libris: sic enim bibliothecam Romæ summo studio atque labore sibi confecisse testatur.

[a] Hier. Apolog pro lib adu. Iouin. [b] Hieron. in Ezech. c. 40. Hier. ep. 22

In Gallias post hæc peregrinatus cum ipso Bonoso, eadem siti librorum, Treueris S. Hilarij libros de Synodis manu suâ descripsit, aliosque ibi positus antiquos codices, vsus operâ amicorum atque inter alios Florentij, describendos curauit.

Hier. ep. 6. & 41.

PROFECTIO SYRIACA POST VARIAS ORBIS PROVINCIAS LVSTRATAS.

A. C. ccclxx. Baron. ad ann. 372.

Contigit autem post hæc, vt qui semel peregrinari cœperat, proficisci quoque in Orientem, in animum induxerit; id quidem cùm eruditionis, tum etiam religionis causâ; vt ex his, quæ gessit, inspicere licet. Porrò peregrinationis eius, quæ remanent, vestigia assectantes, dicimus eum cum Bonoso comite è Gallijs reuertentem, [r] Aquileiam peruenisse, consedisseque ibi aliquo temporis spatio, fruiturus consortio sanctissimorum virorum, nimirum S. Valeriani, eius ciuitatis post Fortunatianum episcopi, Heliodori, Nepotiani, Ruffini, Chromatij, Iouini, Eusebij, Bonosi, Florentij, Nicææ subdiaconi, Chrysogoni monachi: ad quos omnes, intimæ necessitudinis testes, eiusdem Hieronymi litteræ extant.

Hier. ep 41 42. 43. 44.

Horum igitur suauissimâ consuetudine aliquantisper detentus est S. Hieronymus Aquileiæ; cùm inde discedere cogitur, nescio quo improuiso rerum euentu, vt ipse, ex eremo ad Ruffinum scribens, testatur verbis illis; *Postquam me à tuo latere subitus turbo conuulsit, postquam glutino charitatis hærentem impia distraxit auulsio*, &c. tunc Aquileiâ recedens, in Dalmatiam, patrium solum, veniens, sororem iuuenculam, ætatis lubrico lapsam, primùm viro maximè pio Iuliano, qui eam ad meliorem frugem restituit, deinde etiam per litteras Chromatio commendauit.

Hier. ep. 41. Hier. ep. 37 & 43.

Quando autem contigerit, vt ipse sic monasticæ vitæ arripuerit institutum, diligenti rerum ac temporum discussione peruestigandum est. Ceterùm, quòd in re dubiâ & incertâ versemur, nitendum est coniecturis, alijsque argumentis, quantumlibet videri possint à longè petita: sic enim sæpè accidit, per angustas rimulas perspicere, quæ indagatur sollicitè veritas.

At, quod ad hanc rem pertinet, haud assentiri possumus affirmanti, Hieronymum cum Ruffino atque collegis, itineris socijs, primùm Ierosolymam petijsse, indè verò inter se diuisos, Ruffinum in Ægyptum, Hieronymum autem in diuersas prouincias peregrinationem instituisse, atque illinc deserta Syriæ petijsse. Nam Ruffinum Româ recessisse cum Melaniâ, profectumque in Ægyptum, indeque Ierosolymam peruenisse, cùm iam S. Hieronymus in Syriâ monachus degeret; tum quæ superiùs dicta sunt, tum quæ dicentur inferiùs, perspicuè demonstrabunt. Ex peregrinatione verò ipsius Hieronymi, à se descriptâ, possumus pariter intelligere, tempus ipsius ex Occidente in Orientem migrationis: ad Ruffinum enim, cùm ille iam peruenisset in Ægyptum, ex eremo Syriæ scribit, se primò profectum in Thraciam, inde in Pontum atque Bithyniam, posteà in Galatiam & Cappadociam, deinde per Ciliciam in Syriam descendisse,

Marian. Victor. in vit. S. Hier. Hier. ep. 4.

disse, vbi consedit in solitudine monachus. Hæc totius eius est peregrinationis periodus, vnà cum fidissimis comitibus, [2] Euagrio presbytero Antiocheno, Innocentio, Heliodoro, &c, vt ait, cum Hylâ S. Melanij famulo.

Cùm igitur reperiamus, Euagrium indiuiduum comitem fuisse S. Hieronymi: æquè etiam cum eo Hieronymum peregrinatum ex Occidente in Cappadociam, par est credere; cùm de se tradat ipse Hieronymus, cum eo profectum esse in Cappadociam. Hæc igitur vt asseramus, eadem certè Hieronymi atque Euagrij in Cappadociam peregrinatio persuadet. hunc que ipsum Euagrium, de quo S. Basilius meminit, eumdem esse cum Euagrio, Hieronymi socio atque comite, cùm nomen, tum munus presbyterij, tum patria, nempe Antiochia, nec non locus ipse, vnde venit, nimirum ex Italiâ, æquè demonstrant: eumdemque Euagrium illum esse, qui egregiam nauauerat operam Mediolani aduersus Auxentium, de quo, ad vnum ex comitibus Innocentium, antè Hieronymus scripserat, nos suo loco retulimus. Peregrinatio Hieron. & Euagrij eadem. Basil. ep. 8. Hier. ep. 49

Quando autem acciderit Euagrium ad S. Basilium in Cappadociam peruenisse, ex eadem Basilij epistolâ possumus intelligere: quâ, antequam de Euagrio faciat mentionem, de vehementi morbo, in quem tunc inciderat, agit, cùm ait: *Quinquaginta his diebus æger decubui, quibus mihi sedulò adfuit dilectus & omnium studiosissimus frater noster & cooperator Elpidius. Multùm enim febre consumptus, penuriâ nutrientis materiæ, aridâ hac carne, ceu lucernarum papyro, circumdatus, marcidâ longâque ægritudine laboraui: antiquum vulnus huic accedens, à cibis me abstraxit, oculis somnum ademit, tandem morti & vitæ confinem me effecit, tantum viuere permittens, quantum ad dolorem sentiendum opus est.* Hæc & alia plura de eadem corporis infirmitate Basilius, quam ei contigisse superiùs diximus anno, quo creatus est Cæsareæ episcopus, qui numeratur Domini CCCLXX. quo pariter diximus Hyeronymum, cum eodem Euagrio & alijs socijs, deuenisse in Syriam; inde verò eiusdem prouinciæ deserta petijsse, non ante (meâ sententiâ) annum Domini trecentesimum septuagesimum primum: quod quidem & insinuare videntur citatæ eiusdem superiùs litteræ ad Ruffinum. Ex his igitur inducimur, vt credamus, præsentem annum esse secundum, eius in eremo incolatus. Basil. ep. 8. Anno 369. & 370. Hier. ep. 4.

Cùm autem primùm in Syriam venit, ibi cum Euagrio Antiocheno, in viâ comite, Antiochiæ consedit. Erat Euagrius prædiues ac nobilis, dominusque villæ, Maronia dictæ; vbi aliquando agens Hieronymus cum Euagrio, nactus ibi sanctissimum illum Malchum monachum, totius vitę ipsius cursum, quam posteà factus senex [illegible]scripsit, accepit: testatur id quidem Hieronymus ipse, cùm ait: *Maronia [illegible]ginta ferè millibus ab Antiochiâ, vrbe Syriæ, haud grandis ad Orientem distat viculus: hic, post multos vel dominos vel patronos, dum ego adolescentulus morarer in Syriâ, [3] ad Papæ Euagrij, necessarij mei, possessionem deuolutus est: quem idcircò nunc nominaui, vt ostenderem, vnde nossem, quod scripturus sum.* Post verò descriptam egregiè vitam Malchi, ista ad postremum: *Hæc*, inquit, *mihi senex Malchus adolescentulo retulit, hæc ego vobis narraui senex, & castis historiam castitatis expono.* quo planè Malchi exemplo, & aliorum plurimorum monachorum, quibus (vt vidimus) Syria tunc florebat, incaluit cor eius ad consectandum vitæ monasticę institutum: cùm & [4] ad Theodosium, magni nominis virum, & alios præclaros anachoretas litteras dedit, petens eorum precibus solui vinculis sæculi; vbi hæc inter alia: *Nunc vestrum est, vt voluntatem sequatur effectus: meum est, vt velim: obsecrationum vestrarum est, vt, quod velim, & possim.* A.C. CCCLXXI. Baron. ad ann. 371. Quid Hieronymus Antiochiæ. Hieron. in vitâ Malchi. Hier. ep. 38

Inter hæc temporis spatia, cùm, quid esset decernendum de statu suo, Deum seruosque Dei ita consuleret, agens Antiochiæ docentem audiuit Apollinarem,

de quo ipse ad Pammachium: *Apollinarem Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter & colui; & cùm me in sanctis Scripturis erudiret, numquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi.* hæc ipse. Porrò cùm (vt superiùs dictum est) Apollinaris nondum perfectè cognitus neque damnatus esset, licenter docebat, audiebaturque licentiùs.

Hieron. cultor eremi factus. De loco verò, à sancto Hieronymo in Syriæ solitudine, ad habitandum delecto, ad Chromatium scribens, ita ipse meminit: *In eâ parte delatæ sunt* (tuæ scilicet litteræ) *quæ inter Syros & Sarracenos vastum limitem ducit.* Eadem habet ad Florentium. Chalcidis prouinciæ ea erat (vt alibi ipse testatur) solitudo.

Hier. ep. 43. Hier. ep. 6. Hier. praef. in Abdiam.

Fuere eius comites Innocentius atque Hylas, accessitque posteà Heliodorus. His omnibus Euagrius Antiochenus cuncta necessaria ministrabat; quin & eius impensis Hieronymo ad scribendos libros suppeditati sunt antiquarij: illis enim se ibi abundasse testatur: eiusdemque Euagrij operâ, litteræ, quæ diuersis ex locis Antiochiam adferebantur, eidem reddebantur; vicissimque ad alios mittendas, ab ipso ille accipiebat.

Hier. ep. 41. 43. Hier. ep. 6.

Sed rebus in hunc modum probè dispositis, illud funestum in primis accidit, vt dulcissimo comite Innocentio morte extincto priuaretur, Heliodorusque citò recesserit, spe tamen redeundi: ipse verò crebris laboraret corporis infirmitatibus. quod sæpè queritur ad diuersos amicos scribens.

Hier. ep. 41. Hier. ep. 1. 37. Hier. ep. 3. Hier. ep. 37. 41.

Quas insuper præter hæc passus sit impugnationes dæmonum, & quæ eum exercuerint prælia carnis, hîc retexam ex eiusdem epistolâ ad Eustochium: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs! Sedebam solus, qui amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aquâ frigidâ vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem* sua iam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subiugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meæ miseriam; quin potiùs plango, me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam; & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam: & sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam; ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, vt ipse testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum; & lætus gaudensque dicebam: Post te in odorem vnguentorum tuorum cucurrimus.* hactenus ipse.

Hier. ep. 22. Hier. quæ sit passus in eremo. *leg. suum, iam carne præmortuâ. Cant. 1.

Verùm non ieiunia solùm, aliasque afflictiones, ad carnis impetus infrænandos, adhibebat, sed & iuge studium litterarum: vnde ipse ad Rusticum scribens hæc ait: *Dum essem iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram: quem cùm crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat: ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum discerem, & stridentia anhelantia-*

Hier. ep. 4. Hieron. in eremo vacat litteris Hebraicis.

que verba meditarer. Quid ibi laboris insumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quoties cessauerim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum; quàm eorum, qui mecum duxerunt vitam. & gratias ago Deo meo, quòd de amaro semine litterarum dulces fructus carpo. hæc ipse.

Ex multis verò ærumnis, quibus ibi grauiter afflictatus est, illæ quidem sibi maximæ visæ sunt, quòd Occidentalis ipse homo, collegis parùm cognitus, suspectæ illis fidei haberetur. Nam eamdem prorsus calumniam, quam Paulinus episcopus Antiochenus (vt vidimus ex Epiphanio atque Theodoreto) passus est à Vitale primùm, ac deinde à Flauiano, cùm ab eis Sabellianus appellaretur, pati cogitur S. Hieronymus in Syriæ solitudine apud Chalcidem in eremo agens, quòd communicaret cum eodem Paulino, à Meletij, puto, studiosis exagitatus; nominatus & ipse ab ijsdem Sabellianus, adeoque vexatus, vt coactus fuerit inde recedere. Tradit hæc omnia ipse scribens ad Marcum presbyterum Chalcidensem.

Baron. ad ann. 372. & 378. Hieron. calumniam passus in eremo. *Hier. ep. 77.*

PROFECTIO PRIMA IEROSOLYMITANA.

QVO autem profectus sit ipse egressus ex Syriæ eremo: certè quidem Ierosolymam antè abijsse, quàm Romam veniret ad Damasum, ex ipsius assertione probatur, dum in præfatione ad Paulinum in Didymi commentarium de Spiritu sancto, recedens tunc Româ post obitum Damasi, se postliminiò Ierosolymam reuersum affirmat: & in epistolâ Ad Asellam, quam Româ egressus, nauem conscensurus conscripsit, ait: *Ora autem, vt de Babylone Ierosolymam regrediar.* quibus intelligas iam antè ipsum Ierosolymis versatum fuisse, quàm Romam veniret ad Damasum. Quantum verò temporis Ierosolymis manserit, haud satis liquet.

A.C. ccclxxviii. *Baron. ad eum ann.* *Hier. ep. 99.*

PROFECTIO CONSTANTINOPOLITANA.

GREGORII Nazianzeni famâ permotus, impulsusque S. Hieronymus, vnà cum collegâ Vincentio, è Syriâ, tam longinquo terrarum spatio, contulit se Constantinopolim. Quantum autem temporis contigerit Hieronymum apud Gregorium Constantinopoli commorari, exactiùs inquiramus, ex consignatâ ab ipso superiùs eius scriptionis chronographiâ, cùm testatur se illa scripsisse, Gregorio ipso iam facto Constantinopolitano episcopo. contigit id post annum sequentem.

A.C. ccclxxix. *Baron ad eum ann.* Hier. venit Constantinopol. ad Gregoriũ Nazianz.

Quòd insuper se ibi Gregorium Nyssenum cognouisse testetur, quem tempore indictę Constantinopolitanę Synodi illuc cum alijs episcopis contigit proficisci: ex his, inquam (si à præsenti anno numeres) inuenies Hieronymum tribus fermè annis Constantinopoli audisse Gregorium. Ipse verò de Gregorio Nysseno ita meminit: *Gregorius, Nyssenus episcopus, frater Basilij Cæsariensis, ante paucos annos, mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit libros,* &c.

Gregorius Nyssenus innotescit Hieronymo. *Hieron. de Script. Eccles. in Gregor. Nyssen.*

PROFECTIO ROMANA.

TRECENTESIMVS octogesimus secundus Domini annus, consulatu Syagrij secundo cum collegâ Antonio annotatur: quo Romæ Concilium celebratum est, ex episcopis diuersarum prouinciarum, nempe Orientis, aliarumque Catholici orbis regionum.

A.C. ccclxxxii. *Baron. ad eũ annum.*

S. Hieronymus ad Principiam scribens tradit, se quoque tum Romam ex Oriente venisse, cum ijsdem sanctis episcopis; nam ait de S. Marcellâ: *Denique cùm & me Romam, cum sanctis Pontificibus Paulino & Epiphanio, Ecclesiastica traxisset*

Hier. ep. 61.

set necessitas, &c. Indicat his sanè verbis Hieronymus, se vocatum à Damaso.

Sed quòd ait venisse Romam cum ijsdem nominatis episcopis, haud puto intelligendum, eum Antiochiâ vnà cum Paulino soluisse, vel cum Epiphanio è Cypro insulâ. Nam cùm ipsius sententiâ, vt dictum est superiùs, constet ipsum apud Gregorium Nazianzenum permansisse Constantinopoli vsque ad tempus, quo idem Gregorius episcopatum eius ecclesiæ consecutus est; planè apparet, eum non ante preteritum annum recessisse Constantinopoli: quem quidem haud existimo Antiochiam reuersum esse, vt cum Paulino & Epiphanio se Romam conferret; sed Damasi monitum litteris, venturum Romam, iter per Græciam suscepisse, eoque tempore Athenas adire voluisse. ipsum namque petijsse Athenas, verba hæc in Commentarijs in Zachariam fidem faciunt: *In arce*, inquit, *Atheniensium iuxta simulacrum Mineruæ, vidi sphæram æream grauissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi mouere vix potui. Cùm quærerem quidnam sibi vellet: responsum est ab vrbis eius cultoribus, athletarum in illâ massâ fortitudinem comprobari, nec priùs ad agonem quemquam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari.* hæc ipse. Sic igitur, qui Constantinopoli recedens per Græciam in Italiam venit, ijsdem episcopis eodem tempore vocatis Romam venientibus potuit occurrisse. venisse creditur & ipse vocatus à Damaso Papâ, qui eo in responsionibus Synodalibus vteretur. Contigisse autem videtur ipsius Hieronymi & aliorum episcoporum Romam aduentus autumnali tempore: nam cùm ad Asellam scribens dicat, se propè triennium Romæ mansisse, minimè tamen absoluisse; rursumque eiusdem Hieronymi in Apologiâ aduersus Ruffinum assertione certum sit, ipsum mense Augusto Româ profectum; certè quidem ipsum hoc anno, autumnali (vt dictum est) tempore, vel hieme Romam venisse oportuit.

Hieron. in Zachar. cap. 12.

PROFECTIO SECVNDA IEROSOLIMYTANA.

A. C. ccclxxxv. Baron. ad eū annum. Siricius Papa eligitur.

ANNI trecentesimi octogesimi quinti exordio, nempe pridie Idus Ianuarij, cùm vacasset sedes post obitum Damasi triginta & vno diebus, Siricius Romanus ex patre Tiburtio in eius locum subrogatus est.

Cùm autem non, vt Damasus fecerat, Siricius Papa in conscribendis eiusmodi litteris, Hieronymi operâ vteretur, neque eum, vt ille, quod par erat, amplecteretur atque foueret: mox Pontificis Romani destitutus præsidio, idem Hieronymus acerbissimos pati cœpit persecutores, illos scilicet clericos, quorum mores improbos scriptis editis sugillasset. Quamobrem vt se à concitato turbine liberaret, tranquillum cogitans portum, nempe tutam Ierosolymæ mansionem, illuc nauigaturus, hoc anno ab Vrbe recedens, nauim conscensurus, ad Romanum portum se contulit. Id quidem hoc anno factum esse, ex eo perspicuum redditur: cùm enim ipse testetur, se pænè triennium Romæ mansisse, pariterque post obitum Damasi recessisse; constetque ex his quæ superiùs dicta sunt, venisse Romam sub consulatu Antonij & Syagrij, anno Domini trecentesimo octogesimo secundo; ipsum hoc anno ab Vrbe oportuit recessisse. Præsenti igitur anno, Augusti mense, ad Romanum portum se conferens, nauem conscendit, prout ipse satis apertè demonstrat in Apologiâ aduersus Ruffinum.

Hieron. recedit ab Vrbe.

Hier. ep. 99.

Hier. lib. 2. aduer. Ruffinum.

Porrò qui fuerint ipsius Hieronymi in nauigatione comites, & quando soluerit è portu, idem ipse in Apologiâ aduersus Ruffinum his verbis describit: *Vis nosse profectionis meæ de vrbe ordinem? narrabo breuiter. Mense Augusto, flantibus Etesijs, cum sancto Vincentio presbytero, & adolescente fratre* (Paulinianus hic erat, quem vltimo loco natum, Romæ dum esset, ad se vt veniret accersiuit) *& alijs monachis,*

Hier. Apolog. aduers. Ruffinum.

monachis, qui nunc Ierosolymis commorantur, nauim in Romano portu securus ascendi, maximâ me sanctorum frequentiâ prosequente. veni Rhegium: in Scyllaeo littore paululùm steti, vbi veteres didici fabulas, & praecipitem fallacis Vlyssis cursum, & Sirenarum cantica, & insatiabilem Charybdis voraginem. Cùmque mihi accolae illius loci multa narrarent, darentque consilium, vt non ad Protei columnas, sed ad Ionae portum nauigarem; illum enim fugientium & turbatorum, hunc securi hominis esse cursum; malui per Maleas & Cycladas Cyprum pergere: vbi susceptus à venerabili episcopo Epiphanio, cuius tu testimonio gloriaris, veni Antiochiam, vbi fruitus sum communione pontificis confessorisque Paulini: & deductus ab eo, mediâ hieme & frigore grauissimo, intraui Jerosolymam. Vidi multa miracula; & quae priùs ad me fama pertulerat, oculorum iudicio comprobaui. hactenus Hieronymus de suo aduentu Ierosolymam.

PEREGRINATIO ÆGYPTIACA.

CVM igitur Ierosolymam S. Hieronymus aduenisset mediâ hieme, haud dubium ibi moratus; profectus verò est posteà in Ægyptum, discendi cupiditate pellectus. Nam licet orbis penè totius magister extitisset, cùm eum iam pridem etiam Damasus Papa consulere consueuisset, cuius nomine ad consultationes episcoporum rescribens, omnes fermè ecclesias docuisset; ibi tamen Didymum Alexandrinum conueniens, ipsi se tradidit, vt discipulum, sacris litteris imbuendum. testatur id ipse ad Pammachium scribens his verbis: *Iam canis spargebatur caput, & magistrum potiùs quàm discipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam; audiui Didymum, & in multis ei gratias ago: quod nesciui, didici: quod sciebam, illo docente non perdidi.* atque alibi ad eumdem: *Cùm essem Alexandriae, vidi Didymum, & eum frequenter adiui, virum sui temporis eruditissimum: rogauique eum, vt, quod Origenes non fecerat, ipse compleret, & scriberet in Osee commentarios: qui tres libros me petente dictauit, quinque quoque alios in Zachariam.* hactenus ad Pammachium. Et ad sanctam Paulam: *Denique nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in scripturis omnibus, quae habebam dubia, sciscitarer.* haec ad Paulam: quibus cùm nullam mentionem habeat, quòd eam comitatus fuerit peregrinantem in Ægyptum; nec alibi, cùm de eiusdem Paulae profectione in eamdem prouinciam agit, se illi comitem inhaesisse dicat; planè coniecturâ ducimur, Hieronymum nequaquam cum eâ peregrinationem illam suscepisse. Ceterùm ad modicum temporis spatium, nempe triginta tantùm diebus commoratum esse Hieronymum Alexandriae, Ruffinus exprobrat in inuectiuâ: sed an verè, ipse scit.

A.C. ccclxxxvi. Baron. ad eũ annum.

Hier. ep. 65

Hieron. proœm. in Oseam.

Hieron. in proœm. l. 4. Comment. in epist. ad Ephes.

Hier. ep. 27

Ceterùm qui aliquantisper Didymum auditurus Alexandriae consedit, antequam rediret in Palaestinam, Ægypti monasteria peragrauit: de quibus ipse: *Contendi Ægyptum, lustraui monasteria Nitriae, & inter sanctorum choros aspides latere perspexi.* per aspides enim se significasse Origenistas, ipsemet aliàs saepè declarat; sed nos de his suo loco pluribus.

Hier. Apolog. aduers. Ruffinum.

At quid posteà egerit, mox subdit: *Protinus concito gradu Bethlehem meam reuersus sum, vbi adoraui praesepe & incunabula Saluatoris. Vidi quoque famosissimum lacum: nec me inerti tradidi otio, sed multa didici, quae antè nesciebam.* At quaenam ista? alibi declarat his verbis, post recensitum reditum ex Ægyto in Palaestinam: *Putabant me homines post auditum Didymum finem fecisse discendi: veni rursum Jerosolymam & Bethleem: quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui praeceptorem? timebat enim Iudaeos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* haec ipse.

Hier. ep. 65

NOTA-

NOTATIO.

Ecclesia Aquileiensis florentissima.

1. AQVILEIAM PERVENISSE.] *Summâ quidem laude (ait Baronius anno Christi* CCCLXXII.) *florebat tunc Aquileiensis ecclesia, vbi extincto Fortunatiano episcopo, Arianæ sectæ fautore, eam Arianorum labe fœdatam, Valerianus vir sanctissimus, ab omni prorsus impietatis fæce purgauit, vt idem S. Hieronymus tradit; adscitisque ad officia ecclesiastica viris optimis ac eruditis sic claruit, vt de eis ipse Hieronymus in Chronico ita dignè meminerit:* Aquileienses clerici, quasi chorus beatorum habentur. *per quos omne* Ariani quondam dogmatis virus exclusum est. *Sed & quòd, qui ibi erant clerici, essent & monachi, hoc præconio ex iisdem tres potissimùm laudantur in Chronico, cùm ait:* * Florentius, Bonosus, & Ruffinus, insignes monachi habentur: ex quibus Florentius tam misericors in egenos fuit, vt vulgò Pater pauperum nominatus esset. *Ab hoc adiutum Heliodorum in Orientem peregrinationem confecisse, eiusq; expensis Hieronymum complures libros exscribendos curasse, eiusdem litteræ ad eumdem datæ significant: quibus rursus eiusdem viri misericordia erga pauperes commendatur, illis potissimùm verbis:* Prætermitto innumerabiles, quibus Christum sustentasti, pauisti, vestisti, visitasti, &c.

Hier. ep. 43. Hieron. in Chron. an. 11. Valent. Hier. ep. 43. Hieron in Chron. an. 13. Valent. * Florentius. Hier. ep. 5. 6.

2. EVAGRIO PRESBYTERO ANTIOCHENO.] *At quod primùm (notat Baronius anno Christi* CCCLXXII.) *ad Euagrium Antiochenum spectat, hunc insigniter eruditum diximus iam superiùs temporibus Iuliani Apostatæ, eumq; vnà cum S. Eusebio, episcopo Vercellensi, in Occidentem venisse: idq; testificatione S. Basilij, de eo ita testantis in epistolâ ad Eusebium Samosatenum, vbi ait ipsum redeuntem ex Italiâ ad se litteras attulisse.*

Basil. ep. 8.

3. AD PAPÆ EVAGRII.] *Baronius annô Christi* CCCLXXII. *Nominat Hieronymus Euagrium Papam, quòd cùm ipse senex ea scriberet, iam ipse Euagrius factus fuerat (vt suo loco dicemus) episcopus Antiochenus. Qui pòst anno Christi* CCCLXXXIX. *Theodosij senioris* XI. *ait eumdem Euagrium factum episcopum Antiochenum, ex Theodoreto libro* V. *cap.* XXIII. *Socrate lib.* V. *cap.* XV. *Sozomen. lib.* VII. *cap.* XV. *Ambrosio epist.* LXXVIII. *quem idem Baronius ait saltem peruenisse ad annum* XIV. *Theodosij ex ipso Hieronymi catalogo, De Illustribus Ecclesiæ scriptoribus, cap. vltimo.*

4. AD THEODOSIVM, MAGNI NOMINIS VIRVM.] *Quod autem ad Theodosium (monet Baronius ad annum Christi* CCCLXXII.) *anachoretam spectat, cuius precibus adiutus S. Hieronymus monasticæ vitæ arduum institutum animo ardenti arripuit; idem ille est, qui hoc tempore in iis regionibus egregiâ claruit sanctitate. cuius res præclarè gestas Theodoretus conscripsit: eumq; patriâ Antiochenum, eò sanctitatis peruenisse tradit, vt nautæ, eius nomine inuocato, tempestatem maris ingruentem sedarent: quem Antiochiæ defunctum affirmat, sepulturaq; sanctorum honorificè tumulatum.*

Theodoret. in Philoth. cap. 10.

5. CHALCIDENSEM.] *Vt habet vetus exemplar, non* Celedensem: *degebat enim ipse, vt dictum est, in Syria solitudine Chalcidensi. ita Baronius ad annum Christi* CCCLXXVIII. *Sed alij libri* Celedensem *præferunt, vti apud eumdem occurrit epistola* LXXIX. *Annianus* Celedensis *pseudodiaconus.*

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

INDEX

INDEX VITARVM LIBRI PRIMI DE VITIS PATRVM

Vitæ virorum.

Vitæ mulierum.

Hiero-

Hieronymus epistolâ 1. ad Heliodorum de laude Eremi.

O DESERTVM
FLORIBVS CHRISTI VERNANS!
O SOLITVDO
IN QVA
ILLI NASCVNTVR LAPIDES
DE QVIBVS IN APOCALYPSI
CIVITAS MAGNI REGIS
EXTRVITVR!
O EREMVS
FAMILIARIVS DEO GAVDENS!

PRÆLVDIA IN VITAM SANCTI PAVLI PRIMI EREMITAE SIVE DE HOC IPSO PAVLO EIVSQVE VITA TESTIMONIA.

GELASIVS *dist.*XV.*cap. Sancta Romana Ecclesia.*

VITAS PATRVM, PAVLI, ANTONII, HILARIONIS, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatus scripsit HIERONYMVS, cum omni honore suscipimus.

HIERONYMVS *in Chronico anno* XIX.*Constantij Iunioris.*

ANTONIVS monachus, centesimoquinto ætatis anno, in eremo moritur; solitus multis ad se venientibus, de [1] PAVLO quodam THEBAEO, miræ beatitudinis viro, referre complura: cuius [2] nos exitum breui libello explicauimus.

Idem epist. XXI. *ad Paulum Concordiensem.*

Misimus interim te tibi, id est, [3] Paulo seni PAVLVM seniorem; in quo propter simpliciores quosque, multùm [4] in deiiciendo sermone laborauimus. Sed nescio, quomodo, etiamsi aquâ plena sit, tamen [5] eumdem odorem lagena seruat, quo, dum rudis esset, imbuta est.

Idem Catal. illustr. Ecclesiæ Script. cap. CXXXV.

Scripsi vitam PAVLI monachi.

Idem epist. XXII. *ad Eustochium.*

Huius vitæ auctor PAVLVS, illustrator ANTONIVS, & vt ad superiora conscendam, princeps IOANNES BAPTISTA.

Idem epist. XXVII. *ad Eustochium.*

Paula sola, si dici potest, & incomitata, ad eremum ANTONIORVM atque PAVLORVM pergere gestiebat.

PAVLINVS *prologo vitæ S. Ambrosij*, IV. *Aprilis.*

Hortaris, venerabilis Pater Augustine, vt sicut beati viri, ATHANASIVS episcopus, & HIERONYMVS presbyter, stilo prosecuti sunt vitam Sanctorum PAVLI & ANTONII, in eremo positorum, &c.

SIDONIVS *carmine* XVI. *Eucharistico ad* FAVSTVM.

Nunc vocat in tunicâ nudus te ANTONIVS illâ,
Quam fecit palmæ folijs manus alma MAGISTRI.

NOTATIO.

1. PAVLO] *Pauli primi eremitæ natiuitas & obitus, quia nullis Consulibus vel Imperatorum annis aßignata habetur, inuestiganda sunt ex ætate Antonij, vt rectè monuit Illustriß. Baronius: Antonij verò natalem diem & mortualem, expressum habemus in Chronico Eusebij & Hieronymi, certis Impp. annis. quibus Christi annos ex postremâ Pontaci & Scaligeri editione adiungam, qui à posterioribus sunt appositi, cùm in MS. vetustis desint.*

Illud antè moneo, Baronium vitiosâ editione Eusebij vsum, quæ Antonij obitum ponit anno XXI. *Constantij iunioris. Quare sequar Manuscr. codicem Amandinum Eusebij, quo vtor, ab annis* M. *scriptum capitalibus litteris, quod indicium antiquitatis est. cum quo Pontaci & Scaligeri editiò hoc quidem loco conspirat. Vitiosam eam editionem esse, quâ vsus est Baronius, probabo fusiùs ad vitam S. Antonij.*

Antonij igitur natalis dies in eo aßignatur annò I. *Decij Imp. quem Pontacus statuit Christi* CCLIV. *Scaliger* CCLII. *mortualis verò anno* XIX. *Constantij iunioris, quem Pontacus statuit Christi* CCCLIX. *Scaliger* CCCLVII. *Cumq; hoc posteriore loco in Chronico dicatur Antonius* CV. *ætatis suæ anno obiisse, iustè tantum inter* I. *annum Decij &* XIX. *Constantij iunioris intercedit.*

Et quidem hac ratione iuxta calculum Pontaci & Scaligeri, I. *annus Decij non annumeratur inter annos ætatis Antonij. Aliàs enim* CVI. *anni ætati Antonij tribuerentur. Qui tamen annumerandus sit* I. *annus Decij, & non nisi* CV. *anni inde ad* XIX. *Constantij iunioris annum exsurgant, dicam ad vitam Antonij.*

Iam verò, cùm in vitâ Pauli dicatur Antonius fuiße XC. *cùm Paulum inuisit, quo ipso tempore Paulus obiit* CXIII. *existens annorum, vt in eadem vitâ habetur; & Antonius vixerit* CV. *annos vt iam dictum; sequitur Antonium superuixisse Paulo annis* XV.

Pauli igitur obitus statuendus est XV. *annis ante mortem Antonij. Cùm autem Antonius obierit anno* XIX. *Constantij seu Christi* CCCLIX. *secundùm Pontacum, vel* CCCLVII. *secundùm Scaligerum, manifestè deducitur Paulum obiisse anno* IV. *Constantij, qui est Christi* CCCXLIV. *putatione Pontaci, vel* CCCXLII. *putatione Scaligeri.*

Vnde natalis Pauli statuendus est VII. *anno Alexandri Imp. qui est annus Christi* CCXXXI. *iuxta Pontacum, vel* CCXXIX. *iuxta Scaligerum.*

Ergo V. *anno Gordiani, qui est Christi* CCXLV. *secundùm Pontacum, vel* CCXXLIII. *secundùm Scaligerum, agebat Paulus annum* XV. *qui annorum circiter* XV. *dicitur fuisse ab Hieronymo, cùm post mortem parentum relictus est heres.*

Cùm verò Hieronymus dicat in eius vitâ, eum secesßisse in villam remotiorem, cùm persecutionis procella detonaret, *scilicet Decij & Valeriani, de quibus apud eum præcedit; si ad* I. *annum Decij fugam Pauli referas, qui est* CCLIV. *secundùm Pontacum, vel* CCLII. *secundùm Scaligerum, sequitur tunc Paulum fuisse annorum* XXIV.

Cæsar certè Baronius (vt in Notationibus ad hanc vitam fusiùs) Pauli fugam I. *Decij anno ponit, cui parallelum facit Christi annum* CCLIII. *eiusdem verò obitum statuit anno* VII. *Constantij, Christi verò* CCCXLIII. *Sed inemendatum, vt dixi, secutus est Eusebij codicem, in anno mortis Antonij, quem fundum suæ structuræ statuit; quo labefactato corruere reliqua necesse est.*

Minus Florarij sanctorum MS. calculus, quod Pauli obitum ad Christi annum CCCLV. *refert: mirabilior verò Theodorici Lober à Stratis, qui Coloniensem editionem Vitarum Patrum curauit. Ille enim ad finem vitæ Pauli annotauit, obiisse eum circa annum Domini* CCLXXXVII. *qui erroneum eum calculum à Petro in Catalogo SS. lib.* II. *cap.* LX. *accepit.*

2. NOS] *Baronius tom.* III. *anno Christi* CCCXLIII. *Constantij & Constantis Impp.* VII. *Cuius* (Pauli) *quidem vitæ historia, diuina proui-*

prouidentia benè consultum voluit, vt à sancto Hieronymo scriberetur, viro ab omni fabularum commento longissimè abhorrente, & qui non nisi sibi exploratissima, stilo suo, perpetuæ memoriæ potuerit consecrasse; cùm præsertim sui sæculi res gestas conscribens, à quouis prudente mendacij redargui valuisset, atque à quolibet è vulgo homine pariter derideri; & qui sciret se aduersarios emunctæ naris habere, quamlibet, leuissimam licet, occasionem captantes ipsius scripta carpendi.

At (quod dolendum est) quæ tot succedentia sibi sæcula assiduâ lectione probarunt, & venerata sunt scripta, effugere minimè potuerunt nostri temporis Hagiomachos Aristarchos, ex Hippocentauro atque Fauno, quorum in eius vita Actis mentio habetur, ducentes argumentum, totum id, quod scribitur, ludicrum esse commentum. Hactenus Baronius.

Qui autem illi Hagiomachi sint, qui vitam hanc commentum esse censuerint ludicrum, ob memoriam in eâ Hippocentauri atque Fauni, mihi inexploratum est. Imò verò ludicrum eorum argumentum esse, patebit Notatione ad eum locum. Aliâ ratione Erasmus & Magdeburgenses Centuriatores, lusisse in hac vitâ volunt S. Hieronymum: de quo mox.

3. PAVLO SENI PAVLVM SENIOREM.] *Nam Paulus Concordiensis centenarius tantùm erat, vt eâdem epistolâ exprimitur:* Ecce iam centenus ætatis circulus voluitur. *Paulus verò, primus eremita, centum & tredecim annorum, vt habetur in eius vitâ. De Paulo Concordiensi idem D. Hieronymus de illustr. Ecclesi. script. cap.* LIII. *in Tertulliano:* Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, *&c. De eodem fortè D. Hieronymus epist.* VI. *ad Florentium:* Scripsit mihi & quidam de patriâ supradicti fratris Ruffini, Paulus senex, Tertulliani sui codicem apud eum esse, *&c.*

An ludicrum hoc scriptum. 4. IN DEIICIENDO SERMONE.] *Mirus Nouatorum genius, qui volunt Hieronymum non versatum hîc seriò, sed lusisse exercendi ingenij causâ. Ita ex Erasmo Magdeburgenses centur.* IV. *cap.* X. *Quos vel hic solus locus refutet: quo testatur, se tantum abfuisse ab eo, vt Rhetorum more stilum hîc suum exerceret & extolleret, vt ex industriâ potiùs eum, in simpliciorum gratiam, conatus sit deiicere.*

Quibus egregiè annectit Alanus Copus, vir eruditissimus, dial. II. *cap.* XIV. *At isti, inquit, potiùs noui ex Magdeburgo Rhetores, nimiùm in rebus seriis ludunt, & orbi nefariè hîc illudunt. Atque ô stultum & hebetem Gelasium,* Gelas. d. 15 c. Sancta. *qui inter Vitas Patrum hanc historiam ex Hieronymi auctoritate, non ioco, sed seriò, ponit. quæ tamen incredibilis stupiditas (si istos tam acutos disputatores audiamus) non in Gelasio solùm, sed in totâ Græcâ atque Latinâ Ecclesiâ hactenus locum habuit. quo quid vanius dici aut fingi potest?*

Quod, vt omnem aliunde auctoritatem seponamus, ipsa narrationis series, & ea præsertim clausula quæ narrationem terminat, perspicuè demonstrat. Obsecro, *inquit*, quicumque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris, cui si Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm Regum purpuram cum regnis suis. Hieron. in fine vitæ Pauli. *An hæc ludentis oratoris videntur? pauca certè ista verba non paucas plagas Magdeburgensibus inferunt, vt vel propter ea totam historiæ fidem labefactatam cuperent. Ecce enim memoriam & preces pro defuncto; ecce monachi vestem summo loco habitam; ecce demum monachorum merita (quos cum eorum meritis, quæ nec in eis, nec in quoquam sancto vlla esse dicunt, odiosissimè isti exagitant) totis regnis ab Hieronymo præposita.*

Qui si nihil aliud, quàm periculosâ quadam Rhetoricâ, de tanto Patre, & tam seriis rebus ludat; tantâque vafricie sub historiæ titulo fabulam concinnet; non iam dignus est, cuius quisquam apud Deum reminiscatur, sed quem omnes potiùs boni ab eo ita illusi exsecrentur.

Sed benè est, & res omnino in tuto, neque nostrâ defensione opus habet. Hieronymus enim quasi præuidisset, Magdeburgenses istos olim orituros, & se & Paulum suum, atque Hilarionem quoque, contra istorum ineptias & calumnias defendit. Maledicorum, *inquit*, voces contemnimus, qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forsitan detrahent & Hilarioni; illum solitudinis calumniati, huic obijcientes frequentiam: vt, qui semper latuit, non fuisse; quià multis visus est, vilis existimetur. Fecerunt hoc & maiores eorum quondam Pharisæi, quibus nec Ioannis eremus ac ieiunium, neque Domini Saluatoris turbæ, cibi, potusque placuerunt. Verùm destinato operi imponam manum, & Scyllæos canes obturatâ aure transibo. Hier. præf. vitæ Hilar.

5. EVMDEM ODOREM LAGENA SERVAT.] *Eâdem phrasi & similitudine sæpiùs vtitur D. Hieronymus: vt epist.* VII. *ad Lætam:* Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta est. *Idem l.* I. *Apolog. aduersus Ruffinum:* Si litteras didicisses, oleret testa ingenioli tui, quo semel fuisset imbuta. *Et in cap.* I. *ad Ephesios:* Qualisque fuerit liquor, qui nouæ testæ infusus est, talem diu testa & odorem retinet, & saporem. *Expressum est ex illo Horat. ep.* XI.
Quo semel est imbuta, recẽs seruabit odorẽ
Testa diu.

6. QVAM FECIT PALMÆ FOLIIS.] *Hieronymus in eius vitâ cap.*v. Cibum & vestimentum ei palma præbebat. *& cap.*x. contextis palmarum folijs vestiebatur. *& cap.*XIII. quam in sportarum modum, de palmæ folijs ipse sibi contexuerat. *quam postmodum pius heres Antonius ex intestati bonis possedit, vt habes cap.*XIII.

Cur pauci veterum Pauli Thebæi meminerint. QVAERET *hîc aliquis, cur tam pauci veterum Pauli Thebæi meminerint? Respondeo, quia totam penè ætatem in eremo vixit, ignotus omnibus, sibi Deóque tantùm notus. De quo non nisi Antonij relatu pauca quædam cognita.* Nam quomodo in mediâ ætate vixerit, aut quas satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur, *vt ait Hieronymus in Prologo ad hanc vitam. Quare ipse de principio tantùm & fine Pauli pauca se scripturum profitetur, quòd ea res ad suam vsque ætatem omissa fuerat. Quam caussam quoque fuisse existimo, cur Hieronymi aduersarij iam olim, vt antè vidimus, de Paulo hoc Thebæo dubitauerint, existimantes eum non fuisse, qui semper in solitudine vixerit, & cuius proinde nulli, præter vnum Hieronymum meminissent.*

An Hieron. de Paulo primò scripserit. *Vnde colligi quoque potest, D. Hieronymum Pauli eremitæ gesta, posterorum memoriæ primum scriptis prodidisse. Nam etsi in Bauaricâ Bibliothecâ quædam Græcè exstent, quæ cum Hieronymianis conueniunt, paucis exceptis, quæ Hieronymus intermixta habet; ea tamen existimarim ex Latino Hieronymi textu pòst translata. Quòd si ea Hieronymi ætate extitissent, ipséque ea vidisset, eorum vtique meminisset; nec dixisset, de Antonio* tam Græco quàm Romano stilo diligenter memoriæ traditum; *de Paulo verò, quòd* res omissa est.

Existimo autem Hieronymum hæc sua de Paulo ex Amathâ & Macario Antonij discipulis didicisse, qui illi indicarunt Paulum Thebæum principem rei eremiticæ fuisse.

Quando Hieronym. vitã Pauli scripserit. *Quando verò Hieronymus vitam Pauli in litteras retulerit, nescio an alicunde colligi possit. Ex prologo huius vitæ colligitur eam scriptam, cùm adhuc Amathas & Macarius, discipuli Antonij, in viuis erant. Ait enim de iis:* Etiam nunc affirmant. *Quòd si lectio veterum editionum & quorumdam manuscriptorum librorum vera est cap.*v. *huius vitæ, videtur in Syria eremo eam scripsisse. Ita enim habet eo capite:* In eâ parte eremi, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, & vidisse me monachos & videre. *quamquam istud*, & videre, *abest à quibusdam MS. & recentioribus editionibus.*

VITA

[1] VITA [2] SANCTI PAVLI [3] PRIMI EREMITÆ

IAN. X.

AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

PROLOGVS.

Monachorum origo. *Ab Eliâ & Ioanne.* *Ab Antonio.* *A Paulo Thebæo.*

INTER multos sæpè dubitatum est,[4] à quo potissimùm monachorũ eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altiùs repetentes, [5] à beato Eliâ & Ioanne sumpsere principium. Quorum & Elias plus nobis propheta videtur fuisse, quàm monachus; & Ioannes antè prophetare cœpisse, quàm natus est. Alij autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium huius propositi caput: quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. [6] Amathas verò & Macarius, discipuli Antonij,[7] quorum superior corpus magistri sepeliuit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebæum, [8] principem istius rei fuisse. Quod, non tam nomine quàm opinione, nos quoque comprobamus. Nonnulli & hæc & alia, prout voluntas tulit, iactitant:[9] subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem; & multa, quæ persequi otiosum est, incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur.

Igitur [10] quia de Antonio, tam Græco quàm Romano stylo, diligenter traditum est, pauca de Pauli principio & fine scribere disposui: magis, quia res omissa fuit, quàm fretus ingenio. Quomodo autem in mediâ ætate vixerit, aut quas satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur.

VITA.

CAP. I. *Cornelius Papa Mar.* *Cyprianus Episcopus Martyr.*

[11] SVB Decio & Valeriano persecutoribus, [12] quo tempore [13] Cornelius Romæ, [14] Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, [15] multas apud Aegyptum & [16] Thebaidam ecclesias tempestas sæua populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verùm [17] hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora. Et, vt ipse (qui ab eo passus est) Cyprianus ait,[18] *volentibus mori, non permittebatur occidi.* Cuius vt crudelitas notior fiat, duo memoriæ causâ exempla subiecimus. Cyp. ep. 53

CAP. II. *Martyr melle perunctus muscis expositus.*

[19] Perseuerantem itaque quemdam in fide martyrem, & [20] inter eculeos laminasque victorem, [21] iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole, religatis post tergum manibus, resupinari: scilicet vt muscarũ aculeis cederet, qui [22] ignitas sartagines antè superasset.

CAP. III. *Inexpugnabilis Martyris castitas.*

[23] Alium iuuenili ætate florentẽ, in amœnissimos hortulos præcepit abduci: ibique inter candentia lilia & rubentes rosas, cum leni murmure aquarum iuxtà serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari iussit: &, ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus: &, quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia; vt corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi, & quò se conferret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tan-

Tandem cælitus inspiratus, præcisam morsu linguam, in osculantis se faciem expuit: ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superauit.

CAP. IV. *Pauli eruditio.*

[24] Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur, [25] apud inferiorem Thebaidam, cum sorore iam viro traditâ, post mortem amborum parentum, in hereditate locupleti Paulus relictus est, annorum circiter quindecim, litteris tam Græcis quàm Ægyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valdè amans. Et cùm persecutionis procella detonaret, [26] in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verùm

Aen. 3.

— *quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames? —

Periclitatur à proditione affinis.

sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum vxoris lacrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere reuocabat. [27] Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, [28] necessitatem in voluntatem vertit: ac paulatim progrediens, rursusque tantumdem, atque hoc idem sæpiùs faciens, tandem repperit saxeum montem, ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto, vt est cupiditas hominum occulta cognoscere, auidiùs explorans, animaduertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper cælo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens; cuius riuum tantummodò foras erumpentem, statim modico foramine eadem, quę genuerat, aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum montē non pauca habitacula, in quibus [29] scalpræ, etiam incudes & mallei, quibus pecunia olim signata, visebantur. Hunc locum Ægyptiorum litteræ ferunt [30] furtiuæ monetæ officinam fuisse, eâ tempestate, quâ Cleopatræ iunctus Antonius est.

Desertum petit.

Officina vetus monetaria.

CAP. V. *Diuinitus oblatum habitaculum ingreditur.*

[31] Igitur adamato (quasi quod à Deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem: [32] cibum & vestimentũ ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, IESVM testor & sanctos Angelos eius, in eâ eremi parte, [33] quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos; de quibus vnus triginta iam per annos clausus, hordeaceo pane, & lutulentâ aquâ vixit. Alter in cisternâ veteri (quam gentili sermone [34] Syri cubam vocant) [35] quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbuntur his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.

Abstinentia ciborum illustris.

Mar. 9.

CAP. VI.

Sed vt ad id redeam, vnde digressus sum, cùm iam centum tredecim annos beatus Paulus vitam cælestem in terris ageret, & nonagenarius in aliâ solitudine moraretur Antonius (vt ipse asserere solebat) hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullum vltra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescẽti reuelatum est, esse alium interiùs, multò se meliorem, ad quem visendum deberet properare. Ilicò erumpente luce, venerabilis senex [36] infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quò nesciebat. Et iam media dies, coquente desuper sole, feruebat: nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quòd seruum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum [37] Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso, [38] salutaris impressione signi armat frontem. Et, Heus tu, inquit, quâ nam in parte hîc seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba quàm proloquens, [39] inter horrentia ora setis blandum quæsiuit eloquium, & dextræ manus protensione cupitum indicat iter: & sic patentes campos volucri transmittens fugâ, ex oculis mirantis euanuit. [40] Verùm hæc vtrùm diabolus ad terrendum eum simulauerit, an, vt solet, eremus monstrosorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus.

Antonius ad Paulum properat.

Crucis signo armat frontem viso Hippocentauro.

CAP. VII.

Stupens itaque Antonius, & de eo, quod viderat, secum voluens, vlteriùs progreditur. Nec mora: inter saxosam conuallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ: cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei & loricam spei bonus præliator arripuit. Nihilominùs memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius: & quisnam esset interrogãs, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas, [41] Faunos Satyrosque & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloriâ, & de interitu satanæ: simulque admirans, quòd eius posset intelligere sermonem, & baculo

Scutum fidei Satyro opponit. Ephes. 6.

Satyrus in Deum profitetur se credere.

Psal. 18.

culo humum percutiens, aiebat: Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: væ tibi, ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc, ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat, sub rege
42 Constantio, vniuerso mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit: & posteà cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.

Alexandria portentorum cultrix.

Satyrus visus tempore Constantij.

CAP. VIII.

Sed vt propositum persequar, Antonius cœptam regionem pergebat, ferarum tantùm vestigia intuens, & eremi latam vastitatem: quid ageret, quò verteret gradum, nesciebat. Iam altera effluxerat dies: restabat vnum, vt deseri se à Christo non posse confideret. Pernox secundas in oratione exigit tenebras, & dubiâ adhuc luce procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem, ad radicem montis irrepere. Quam secutus oculis, & iuxta speluncam, cùm fera abiisset, accedens, cœpit intrò aspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus visum. Verùm, vt Scriptura ait, perfecta dilectio foras mittit timorem, suspenso gradu & anhelitu temperato, callidus explorator ingressus: ac paulatim progrediens, sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cæcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidiùs properat, offenso pede in lapidem, strepitum concitabat. Post cuius sonitum beatus Paulus ostium, quod patebat, occludens serâ obfirmauit. Tunc verò Antonius præ foribus corruens, vsque ad sextam & eo ampliùs horam aditum precabatur, dicens: Qui sim, vnde, cur venerim, nosti. Scio me non mereri conspectum tuum: tamen, nisi videro, non recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsiui, & inueni. pulso, vt aperiatur mihi. Quòd si non impetro, hîc moriar ante postes tuos. certè sepelies vel cadauer meum.

1. Ioan. 4.

Paulus in speluncâ degit.

Matth. 7.

Talia perstabat memorās, fixúsque manebat. — 2. Aeneid.

Ad quem responsum paucis ita reddidit heros: — 6. Aeneid.

Nemo sic petit, vt minetur; nemo cum lacrymis iniuriam facit: & miraris si non recipiam, cùm moriturus adueneris? Sic arridens Paulus patefecit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscerentur amplexus, proprijs se salutauere nominibus. gratiæ Domino in commune referuntur. 43 Et post sanctum osculum, residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est: En, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En, vides hominem, puluerem mox futurum. Verùm quia charitas omnia sustinet, narra mihi quæso, quomodo se habeat hominum genus, an in antiquis vrbibus noua tecta consurgant, quo mundus regatur imperio, an supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur.

Sanctum se salutantium osculum.

1. Cor. 13

CAP. IX.

Inter has sermocinationes, suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse. Qui inde leniter subuolans, integrũ panem ante mirantium ora deposuit. Post cuius abscessum; Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidij semper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum, militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebratâ, super vitrei fontis marginem vterque consedit. Hîc verò, quis frangeret panem, oborta contentio pænè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilij fuit, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libarunt: & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigilijs.

Coruus panem adfert Paulo.

Certamen humilitatis.

CAP. X.

Cumque iam esset terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic locutus est: Olim te, frater, in istis regionibus habitare sciebam, olim te conseruum meum mihi promiserat Dominus. Sed quia iam dormitionis tempus aduenit, & (quòd semper cupiebam dissolui & esse cum Christo) peracto cursu, superest mihi corona iustitię; tu missus es à Domino, qui humo corpusculum tegas,
44 imò terram terræ reddas. His Antonius auditis, flens & gemens, ne se desereret, atque vt comitem talis itineris acciperet, precabatur. Et ille, Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi, sarcinâ carnis abiectâ, Agnum sequi: sed & ceteris expedit fratribus, vt tuo adhuc instituantur exemplo. Quamobrem perge quæso, nisi molestum est: & 45 pallium, quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad obuoluendum corpusculum meum defer. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnopere curaret, vtrùm tectum putresceret cadauer, an nudum: quippe qui tanto temporis spatio contextis palmarum folijs vestiebatur: 46 sed vt à se recedenti mœror suæ mortis leuaretur.

Mortem suã Paulus prædicit.

Philip. 1.

2. Tim. 4.

Athanas. episc. pallium Antonio dedisse, Paulus spiritu nouit.

CAP. XI.

Stupefactus ergo Antonius, quòd de Athanasio & de pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo videns, & in pectore eius Deum

Christum in Paulo veneratur Antonius.

Deum venerans, vltrà respondere nihil ausus est: sed cum silentio lacrymans, [47] osculatis eius oculis manibusque, [48] ad monasterium, quod posteà à Saracenis occupatum est, regrediebatur. Neque verò gressus sequebantur animum: sed quamuis corpus, inane ieiunijs, seniles etiam anni fregerant, tamen animo vincebat ætatem. Tandem fatigatus & anhelus, ad habitaculum suum, confecto itinere, peruenit. Cui cùm duo discipuli, qui ei longo iam tempore ministrare consueuerant, occurrissent, dicentes: Vbi tam diu moratus es, pater? respondit: Væ mihi peccatori, qui falsum monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto, & verè in paradiso Paulum vidi. Et sic ore compresso, manu verberans pectus, ex cellulâ pallium protulit. Rogantibusque discipulis, vt plenius quidnam rei esset exponeret, ait: Tempus loquendi, & tempus tacendi. Tunc egressus foras, & ne modicum quidem cibi sumens, per viam, quâ venerat, regressus est: illum sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim, quod euenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet.

Monasterium Antonij à Saracenis occupatum.

Eccl. 3.

CAP. XII.

Antonius animam Pauli videt in cælum conscendere.

Cumque iam dies illuxisset alia, & trium horarum spatio viam remeauisset, vidit inter angelorum cateruas, & inter prophetarum & apostolorum choros niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem procidens, [49] sabulum capiti superiaciebat, plorans atque eiulans aiebat: Cur me Paule dimittis? cur abis insalutatus? tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat posteà beatus Antonius, tantâ se velocitate, quod reliquum erat viæ, cucurrisse, vt instar auis peruolasset. Nec immeritò. Nam introgressus speluncam [50] vidit genibus complicatis, erectâ ceruice, extensisque manibus in altum, corpus exanime: ac primùm & ipse, viuere eum credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer sancti viri, Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precaretur.

Iconisma Pauli defuncti.

CAP. XIII.

Christiana traditio cantandi hymnos & psalmos in funere.

Igitur obuoluto & prolato foras corpore, [51] hymnos quoque & psalmos ex Christiana traditione decantans: contristabatur Antonius, quòd sarculum, quo terram foderet, non haberet; fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputans, dicebat: Si ad monasterium reuertar, tridui iter est: si hîc maneam, nihil vltrà proficiam. Moriar ergo, vt dignũ est; & iuxta bellatorem tuum ruens, extremum, Christe, halitum fundam. Talia eo animo voluente, ecce [52] leones duo ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur. Quibus adspectis, primò exhorruit: rursusque ad Deum mentem referens, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidẽ directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusque caudis, circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes; prorsus, vt intelligeret eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humũ pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum effodere: & statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium, ceruice deiectâ, ad Antoniũ perrexerunt, manus eius pedesque lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos à se precari. Nec mora, in laudationem Christi effusus, quòd muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit: da illis sicut tu scis. Et manu annuens, vt abirent, imperauit. Cumque illi recessissent, sancti corporis onere seniles curuauit humeros: & deposito eo in fossam, desuper humũ congregans, [53] tumulum ex more composuit. Postquam autem dies illuxit alia, ne quid piùs heres [54] ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipse contexuerat. Ac sic ad monasterium reuersus, discipulis ex ordine cuncta replicauit: diebusque solennibus Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunicâ vestitus est.

Sepultura Pauli miraculo curata.

Antonius muta animalia benedicit.

Matth. 10.

Tumulus mortuo ex more compositus.

Antonius diebus solennibus Paschæ & Pentecostes tunicâ Pauli vestiebatur.

CAP. XIV.

Libet in fine opusculi interrogare eos, [55] qui patrimonia sua ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, [56] qui vno filio villarum insuunt pretia, huic seni nudo quid vmquam defuerit. Vos gemmâ bibitis, [57] ille naturæ concauis manibus satisfecit: vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem habuit indumentum mancipij vestri. Sed è contrario, illi quidem pauperculo paradisus patet; vos auratos gehenna suscipiet: ille vestem Christi, nudus licet, tamen seruauit; vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo puluere coopertus, iacet resurrecturus in gloriam; vos operosa sepulcra premunt cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso, vobis; parcite saltem diuitijs, quas amatis. Cur & mortuos vestros [58] auratis obuoluitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt?

Obsecro, quicumque hæc legis, vt [59] Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multò magis eligeret [60] tunicam Pauli cum meritis eius, [61] quàm Regum purpuram cum regnis suis.

Palmea Pauli tunica cum meritis. Regũ purpurâ potior cum regnis.

NOTA-

NOTATIO.

1. VITA] *Erasmus ait tantam in exemplaribus fuisse varietatem, vt appareat D. Hieronymum sæpius idem argumentum aliis tractasse verbis; aut alium exercendæ copiæ causâ hoc fecisse. Ego verò tantam varietatem non inuenio, nec in impressis, nec in manuscriptis exemplaribus. Quædam subinde verba mutata inueni librariorum vel incuriâ vel audaciâ. Sed vetustissimam semper lectionem expressi.*

2. SANCTI PAVLI] *Martyrologium Romanum* x. *Ianuarij:* In Thebaide natalis beati Pauli, primi eremitæ, qui à sexto decimo ætatis suæ anno vsque ad centesimum decimum tertium solus in eremo permansit. Cuius animam inter Apostolorum & Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis S. Antonius vidit. Eius autem dies festus XVIII. Kal. Februarij celebratur. *Nihil de hoc in Menologio. Menæa breue vitæ compendium habent* XV. *Ianuarij.*

De eo paria cum Martyrologio Romano habet Beda, Vsuardus, Rhabanus, Ado, Notkerus, præter clausulam de festo XVIII. *Kal. Februarij celebrato. Pauli etiam meminit Hieron ep.* XIII. *ad Paulinum, Cassianus collat.* XVIII. *cap.* V. *&* VI. *S. Aldelmus de laud. virgin. lib.* I. *cap.* XXXI. *Isidorus lib.* II. *de Offic. cap.* XV. *Vincentius Specul. histor. lib.* XI. *cap.* LXXXVI. *& duobus sequentib. Antoninus Chronic. parte* II. *tit.* XV. *cap.* III. *Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* II. *cap.* LX.

Quòd verò Petrus Galesinius, suis ad Martyrolog. Rom. Notationibus X. *Ianuarij ait, huius Pauli meminisse Cassiodorum lib.* I. *cap.* XI. *Tripart. Hist. & Heraclidem multis locis, omnino labitur. Eo enim loco Cassiodorus ex Sozomeno Pauli Simplicis meminit. Heraclides verò, nō Pauli primi eremitæ, sed etiā Pauli Simplicis, & aliorum Paulorum mentionem facit.*

3. PRIMI EREMITÆ] *Rodolphus Hospinianus de Orig. Monach. lib.* II. *cap.* I. *Piamon, inquit, abbas apud Cassianum Collat.* XVIII. *cap.* IV. *eos anachoretas, id est, secessores vocat, qui priùs in cœnobijs instituti, solitudinis elegere secreta. Similia habet libro* V. *Instit. cap.* XXXVI. *Sed dum, subdit hæreticus, auctores horum primos scribit Collat.* XVIII. *cap.* VI. *vel Paulum quemdam Thebæum, vel Antonium Aegyptium, facilè erroris conuincitur Piamon, cùm neuter horum priùs in cœnobiis institutus fuerit.*

Sed ineptit hæreticus, nullam non sanctis viris obtrectandi occasionem captans. Non enim vult Piamon omnes omnino anachoretas ex cœnobijs prodijsse, sed suo tempore ex fecundissima cœnobiorum radice, sanctorum etiam anachoretarum post hæc flores fructusque prolatos esse; id est, cœnobia fuisse anachoretarum seminaria: licet Paulus & Antonius, huius professionis principes, non è cœnobijs, sed è domo paterna, quisque peculiari ratione, ad eremum prouolarit.

Prolog. 4. A QVO POTISSIMVM MONACHORVM EREMVS HABITARE COEPTA SIT.] *Varia de primo eremi habitatore opinio, quæ iam à plerisque asceticorum, scriptoribus excussa. Vide Bellarminum tom.* II. *Controuers.* II. *gener. lib.* II. *de Monachis cap.* XXXIX. *quod est de Eremitis. vbi & hæreticorum calumnias contra hunc ordinem & statum egregiè refutat.*

Quod hic D. Hieronymus subdit, de Ioanne, Paulo, & Antonio, habet & ep. XXII. *ad Eustochiū:* Huius vitæ auctor Paulus illustrator Antonius; &, vt ad superiora conscendā, princeps Ioannes Baptista fuit.

5. A BEATO ELIA ET IOANNE] *Huius opinionis crebra apud sanctos Patres & historicos mentio. Basilius epist. ad Chilonem:* Ἐνταῦτα τὸ ὄρος τὸ Καρμήλιον, ἐν ᾧ Ἠλίας αὐλιζόμενος τῷ Θεῷ εὐηρέστηκεν, &c. Ἐνταῦθ' ἡ ἔρημος, ἐν ᾗ ὁ μακάριος Ἰωάννης ἀκριδοφαγῶν, μετάνοιαν τοῖς ἀνθρώποις ἐκήρυξεν. Hîc mons celeber, Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo, &c. Hîc sita eremus est, in quâ B. Ioannes, esitans locustas, formulam pœnitentiæ hominibus perficiundæ, suâ prædicatione præscripsit & euulgauit. *Gregorius Nazianzenus Orat.* V. *seu Apologet. post reditum ex fugâ,* Ἠλίου ἐπεθύμουν τὸν Κάρμηλον, καὶ Ἰωάννου τὴν ἔρημον. Eliæ Carmelum animo agitabam, & Ioannis desertum. *Idem de ijsdem Orat.* XXV. *Ioannes Chrysostomus homil.* LXIX. *in Matth. vestium inter monachos vsum ad Eliæ, Elisei & Ioannis Baptistæ exemplum refert. Theophylactus in cap.* I. *Lucæ:* Ἐν δυνάμει καὶ πνεύματι Ἠλίου ἦλθεν ὁ Ἰωάννης, διότι ἐρημίτης ἦν καὶ αὐτὸς, καὶ ἀπέριττος. In virtute ac spiritu Eliæ venit Ioannes, eò quòd eremita fuit etiam ipse, & frugalis vitæ. *Cassianus Collat.* XVIII. *cap.* VI. Vastos eremi recessus penetrare non timeant, ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui in eremo totâ permansit ætate: Eliæ quoque & Elisei, &c. *Vita Pachomij cap* I. Antonius magni Eliæ atque Elisei, necnon & sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens. *Sozomenus libro* I. *capite* XII. Ταύτης δὲ τῆς ἀρίστης φιλοσοφίας ἦρξατο μὲν, ὥς τινες λέγουσιν, Ἠλίας ὁ προφήτης, καὶ Ἰωάννης ὁ Βαπτιστής. Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit propheta Elias, & Ioannes Baptista. *Idem apud Niceph. lib.* VIII. *cap.* XXXIX.

De Eliâ, Hierōn. epist. XIII. *ad Paulinum:* Noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis. 4. Reg. 6.

De Ioanne, Chrysostomus homil. I. *in Marcum:* Sicut sacerdotum principes sunt sacerdotes Apostoli, sic monachorum princeps Ioannes Baptista est. *Et apud eumdem hom. de Ioanne Baptistâ:* Considerate, monachi, dignitatem vestram. Ioannes vestri princeps est dogmatis; ipse monachus statim vt natus, in eremo viuit, in eremo nutritur. *& Hieronymus epist.* XXII. *ad Eustochium, cuius verba ante dedi.*

De vtroque, solitariam vitam agente, idem Hieronymus in cap. VII. *Michææ; & Isidorus lib.* II. *c.* XV. *de Diu. offic.*

6. AMATHAS VERO ET MACARIVS DISCIPVLI ANTONII.] *Tres fuere celebres S. Antonij discipuli, de quibus D. Hieronymus in Chron. anno* XIX. *Constantij iunioris; Christi* CCCLXVII. *secundùm Scaligerum, vel* CCCLIX. *secundùm Pontacum:* Sarmata, Amathas, & Macarius, discipuli Antonij insignes habentur. *Sed & Amathæ & Macarij meminit Palladius Historia Lausiaca cap.* XXV. *Porrò Macarius hic Antonij discipulus videtur fuisse Macarius Alexandrinus, de quo Palladius cap.* XX. *narrat mirandum quid, quod coram Antonio contigit. quem ait fuisse quoque presbyterum Cellarum, vti alterum*

Ægy-

Ægyptium Macarium, presbyterum Scetes, de quibus plura lib. 11. hic. Quare non rectè Petrus in Catal. lib. 11. cap. XXXV. & LXXXI. Macarium Aegyptium facit Antonij discipulum.

7. QVORVM SVPERIOR MAGISTRI CORPVS SEPELIVIT.] Intelligit, opinor, Hieronymus Amatham: ille enim superior, seu præcessor Macarij, in hac Hieronymi narratione. Quare miror in vitâ sancti Posthumij esse cap. VII. infrà: Macario, de quo sæpè diximus corpus sepelisse magistri. Nisi quis vocem, superior, ad proximum referri velit, qui est Macarius. Ita nullus dissensus erit. Palladius cap. XXV. vtrique Antonij sepelitionē tribuit: Cùm ergo venissem ad eius monasterium, quod est propter fluuium, in quo sedebant eius discipuli Macarius & Amathas, qui eum etiam, cùm dormiisset, sepelierunt.

8. PRINCIPEM ISTIVS REI FVISSE. QVOD NON TAM NOMINE QVAM OPINIONE.] Hic codices mirè variant. quidam habent: principem istius rei fuisse. quod non tam opinione, quàm nomine. alij: principem istius rei, non tantùm nominis fuisse. quam opinionem. nonnulli: principem istius rei fuisse, sed non nominis. quam opinionem. quæ varietas haud dubiè nata ex sensus difficultate. Receptior lectio est, quam in textu expressi.

De cuius etiam sensu dissensio est. Matthæus Galenus VVestcapellinus cap. IV. Orig. monastic. existimat D. Hieronymum dicere, Paulum Thebæum eremiticæ vitæ principem fuisse, quod non tam nomine (puta Amathæ & Macarij discipulorum S. Antonij, qui id affirmabant) quàm opinione, nos quoque probamus. Mihi videtur genuinus D. Hieronymi sensus esse, quòd opinione & sententiâ suâ Paulus princeps eremiticæ vitæ fuerit, non tantùm nomine; id est, quòd verè eremiticæ vitæ princeps fuerit Paulus, non tantùm ita vulgò (seu verè seu falsò) nominetur.

9. SVBTERRANEO SPECV CRINITVM CALCANEO TENVS HOMINEM.] Talis describitur S. Macarius Romanus hîc pòst in eius vitâ cap. XV. capilli capitis totum viri corpus operuerunt. Sed ille S. Paulo Thebæo posterior: quia vixit post imperium Iuliani, vt habetur in eius vitâ. quamquam, cùm tunc valdè senex fuerit, quod indicant cani instar niuis, potuit fuisse coæuus S. Paulo. Tali capillitio & S. Onuphrius, infrà in eius vitâ c. 11. cui tanta capillorum prolixitas erat, vt corpus illius, ipsorum diffusione tegeretur. Hic etiam S. Paulo fuit posterior. cuius & probata vita. Quare ad aliam aliquam de fictitio eremitâ fabulam D. Hieronymus hîc respexerit.

10. QVIA DE ANTONIO, TAM GRÆCO QVAM ROMANO STILO.] S. Antonij vitam Græcè scripsit S. Athanasius, Latinè Euagrius Antiochenus, vt pòst fusè videndum.

CAP. I. 11. SVB DECIO ET VALERIANO PERSECVTORIBVS.] Baronius anno Christi CCLIII. Decij primo. Cùm sub Decio & Valeriano Hieronymus Paulum dicat factum extorrem, eâ de causâ Valerianum apposuit, quòd Decio in Persas proficiscente, vt diximus, Valerianus Romæ Principis vicem ageret, & Christianos edictis exagitaret.

Idem eodem anno. Hoc item primo imperij sui anno Decius, comparato exercitu bellum suscepturus aduersus Persas, reliquit Romæ Valerianum, cui ex Senatus consulto (vt tradit Trebellius) summam contulit potestatem: sic enim illi censuram tribuit, vt addiderit & legum scribendarum facultatem. indeque accidit, vt in edictis nomina inscriberentur Decij atque Valeriani. quorum nominibus extat edictum de persecutione aduersus Christianos in Actis S. Mercurij martyris, licet & Augusti nomen Valeriano legatur inditum. quod tamen potiùs additum posteà, quàm tunc inscriptum putamus. (Trebell. in Valeriano.)

Idem eodem anno. Quamobrem actum est, vt suo etiam nomine (Valeriani) inscriberentur leges, & in Christianos promulgarentur edicta; adeò, vt eadem persecutio vtriusque nomine, nempe Decij & Valeriani, censeretur, eoque nomine perseueraret in posterum; quòd eo semel eorum, qui iustissimi ac sanctissimi haberentur, persecutio nobilitata nominum titulo, quò religiosior ac iustior haberetur, eò licentiùs grassaretur in Ecclesiam Christi.

Ex his igitur complures tricæ atque ambages soluuntur, dum plerique martyres in persecutione Decij & Valeriani vnà passi esse leguntur; quos constat non simul eodem, sed diuerso tempore imperasse; & quòd nonnulli, quos perspicuum est passos esse sub Decio, ijdem sub Valeriano martyrium pariter exegisse traduntur: & quos sustulit Valeriani persecutio, ijdem sub Decio & Valeriano passi leguntur. Hæc qui non considerat, innumeris se ac planè insolubilibus implicet erroribus necesse est, feraturque per deuia, atque multiplicibus viarum anfractibus distineatur. Vide & eumdem Baronium ad Martyrologium Romanum X. Augusti.

12. QVO TEMPORE CORNELIVS ROMÆ, CYPRIANVS CARTHAGINE.] Baronius anno Christi CCLIII. Decij I. Quòd ait (Hieronymus) tunc Paulum deserta petijsse, cùm Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine subiere martyrium, sic intelligendum est, eadem persecutione vrgente Paulum secessisse, quâ Cornelius & Cyprianus martyrio sublati sunt. Nam licet non simul regnarint Decius atque Valerianus, fueritque breui aliquo pacis interstitio ea persecutio interrupta; tamen quòd ijsdem edictis, quibus promulgata, etiam continuata, ac iterùm repetita fuerit, vna eademque censetur; ac Decij pariter & Valeriani nomine dicta.

13. CORNELIVS ROMÆ.] Cornelij Papæ memoria in Martyrologio Romano XIV. Septembris: Romæ viâ Appiâ beati Cornelij Papæ & martyris, &c. quem Baronius in Annalibus anno Christi CCLV. Galli & Volusiani Impp. II. coronatum martyrio asserit.

14. CYPRIANVS CARTHAGINE.] Et huius celebris memoria in Martyrologio Romano XIV. Septembris: In Africâ passio sancti Cypriani, episcopi Carthaginiensis, &c. quem martyrij laureâ decoratum ponit Baronius anno Christi CCLXI.

15. MVLTAS APVD ÆGYPTVM ET THEBAIDAM ECCLESIAS TEMPESTAS SÆVA POPVLATA EST.] Lege apud Eusebium lib. VI. cap. XXXIII. & XXXIV. epistolam Dionysij episcopi Alexandrini, quâ tempestatis huius procellas in ecclesiam Alexandrinam accumulat, quas fusiùs explicatas habes apud Baronium anno Christi CCLIII. Decij I.

16. THEBAIDAM.] Solemnis Hieronymi & suprà aui terminatio, Thebaida, pro Thebais. sic in vitâ sancti Sebastiani XX. Ianuarij Persida pro Persis. Vide infrà Onomasticon.

17. HOSTIS CALLIDVS TARDA AD MORTEM SVPPLICIA CONQVIRENS.] Cyprianus epist. VIII. de hac persecutione Decianâ: Tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis: tormenta, quæ ad coronam non facilè dimittant; sed tam diu torqueant, quàm diu deijciant, nisi si aliquis diuinâ dignatione

tione subtractus, inter ipsa tormenta profecerit, adeptus gloriam, non termino supplicij, sed velocitate moriendi *Acta M. sancti Gorgonij M. tempore Diocletian.:* Craticula non ad subitum, sed sensim paulatimque succenditur, vt martyrij labor tantò foret crudelior, quantò fuerat inter moras incendij prolixior.

18. VOLENTIBUS MORI NON PERMITTEBATVR OCCIDI.] *Cyprianus epist.* LIII. *ad Fortunatum & colleg. eius:* Quos videmus non animi infirmitate cecidisse, sed in prælio congressos, per imbecillitatem carnis, confessionis suæ coronam non potuisse perferre: maximè, cùm cupientibus mori, non permitteretur occidi: sed tam diu fessos tormenta laniarent, quàm diu non fide, quæ munita est, vincerent; sed carnem, quæ infirma est, fatigarent.

Cap. II. 19. PERSEVERANTEM ITAQVE IN FIDE MARTYREM.] *Huius & sequentis memoria Martyris exstat in tabulis ecclesiasticis Romanis* XXVIII. *Iulij, verbis ex hoc Hieronymi loco adumbratis. de quibus, Hieronymo quoque prævio, Baronius anno Christi* CCLIII. *Decij* I.

20. INTER ECVLEOS LAMINASQVE VICTOREM.] *De tormentis his consule Onomasticon.*

21. IVSSIT MELLE PERVNGI.] *Huius supplicij exemplum & graphicam descriptionem habes apud Apuleium Milesiâ* VIII. Arreptum seruulum nudum, ac totum melle illitum, firmiter alligauit arbori ficulneæ; cuius in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant, & vltrò citroque commeabāt multiiugâ scaturigine. Quæ simul dulcem ac mellitum corporis nidorem persentiscunt, paruis quidem sed numerosis & continuis morsiunculis penitus inhærentes, per longi temporis cruciatum, ita carnibus atque ipsis visceribus adesis, homine consumpto, membra nudarunt, vt ossa tamen viduata pulpis, nitore nimio candentia, funestæ cohærerent arbori. *Referunt huc quidam cyphonismum, de quo in Onomastico.*

22. IGNITAS SARTAGINES.] *Crebra sartaginum mentio in Actis Martyrum. Loca plura auctorum suggeret Onomasticon.*

Cap. III. 23. ALIVM IVVENILI ÆTATE FLORENTEM.] *Nicephorus lib.* VII. *cap.* XIII *simile (si non idem) exemplum de ascete quodam habet in persecutione Diocletiani. Simile quoque habet Petrus in Catalogo SS. libro* VIII. *cap.* LXX. XII. *Sept. de Nicetâ Nicomediæ passo tempore Maximiani, qui multa alia de eodem attexit, in quibus quædam mira, nec facilè omnibus probanda. Inde Marulus desumpsit, quæ habet lib.* V. *cap.* V. *vbi non rectè à Notatore adiectum* XXIV. *Iulij ex Martyrolog. Vsuardi. Nec enim eo die de hoc Nicetâ agitur, sed de aliâ virgine & martyre, sociâ Aquilinæ, de quibus in Actis S. Christophori.*

Cap. IV. 24. PER IDEM ERGO TEMPVS QVO TALIA GEREBANTVR.] *Baronius anno Christi* CCLIII. *Decij Imperatoris* I. *Ceterùm ex Hieronymi sententiâ dicendum esse, hoc ipso Decij persecutionis exordio Paulum factum extorrem, eius auctoritate perspicuè declarabimus. Cùm enim dicit Paulum* CXIII. *egisse ætatis annum, quo, eum inuisente Antonio, ex hac vitâ decessit; cùm Antonius tunc nonagenarius esset; quem vixisse idem tradit ann.* CV. *eumque eiusdem Hieronymi testimonio id affirmantis in Chronico, habeatur decessisse Antonium anno* XXI. *Constantij atque Paulo superuixisse annos* XV. *colligitur Paulum obiisse, anno* VI. *Constantij absoluto, & septimo inchoato, qui numeratur Christi annus* CCCXLIII. *quâ ratione, cùm (vt dictum est) eo anno, quo Paulus obijt, esset* CXIII. *annos natus; necesse est affirmare, hoc ipso anno* CCLIII. *ipsum fuisse ætatis annorum* XXIII.

(Hier. in vita Pauli.) (Hier. in Chron.)

Tantum igitur abest (subdit idem Baronius) vt post hæc Paulus sub Valeriano solitudinem petierit, vt, si quis affirmare velit, eum XV. *annos natum (vt multi perperam S. Hieronymi sententiam interpretantur) in eremum concessisse; dicere opus sit, non sub Decio & Valeriano, sed sub Gordiano, quo tempore pax summa in Ecclesiâ erat, factum hoc esse.*

Quamobrem ætas illa Pauli annorum XV. *non ad tempus, quo secessit in solitudinem, referenda est; sed quod tot annos tunc natus erat, cùm parentibus fuit orbatus: idque manifestè significare voluisse Hieronymum illis verbis:* Post mortem amborum parentum, in hereditate locupleti Paulus relictus est annorum circiter XV. *& quod proximè dixerat,* per illud tempus quo talia gerebantur, *ad ea esse referendum, quæ subdit:* cùm persecutionis procella detonaret. *Quæ sanè verba, si alio accipias sensu, Hieronymum sibi ipsi repugnantem atque mendacem (quod nefas est dictu) de numero annorum Pauli in eremum secedentis efficies.*

Sic igitur, ex eiusdem S. Hieronymi sententiâ, præstat dicere, ipsum annum agentem XV. *parentibus esse orbatum; hocque anno eius ætatis* XXIII. *ipso primo persecutionis impetu exturbatum, rus paternum priùs, indeque confugisse in longè positos montes, nactumque opportunâ sibi ad institutum paratam speluncam, quod superfuit vitæ vsque ad annum* CXIII. *incognitum permansisse.*

Præclarè quidem Baronius ita ex Antonij ætate, quam Hieronymus in Chronico expressit, Pauli quoque ætatem collegit; sed dolemus Historicum præstantissimum deprauato Chronici codice vsum, vt iam antè dixi. Quare tota hæc Baroniana annorum deductio, ad iam suprà dicta in Præludijs ad hanc vitam exigenda est.

Qui XVI. *ætatis anno Paulum extorrem factum volunt, id est, post* XV. *ætatis annos expletos, suffragatores habent omnes Martyrologos, quos superiùs citauimus, qui mente vnanimi, consonâ voce, hunc de Pauli Hieronymi locum ita videntur percepisse & explicasse.*

25. APVD INFERIOREM THEBAIDAM.] *De duplici Thebaidâ, in Onomastico.*

26. IN VILLAM REMOTIOREM ET SECRETIOREM SECESSIT.] *Epistola Dionysij Alexandrini Episcopi, ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib.* VI. *cap.* XXXIV. *de hac Decianæ persecutionis procellâ:* Ἐξέκλινον δὲ καὶ ὑπανεχώρουν οἱ ἀδελφοί. Fratres ergo deflectere è viâ, & in loca separata ac solitaria se subducere. *Idem ibidem:* Τί δεῖ λέγειν τὸ πλῆθος τῶν ἐν ἐρημίαις καὶ ὄρεσι πλανηθέντων, ὑπὸ λιμοῦ καὶ δίψης, καὶ κρύους καὶ νόσων, καὶ λῃστῶν, καὶ θηρίων διαφθαρμένων; Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine & montibus vagi errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestijs fuerunt expositi? *Contigit hoc iuxta Baronium anno Christi* CCLIII. *Decij Imp.* I.

27. AD HÆC INSTABAT CRVDELITAS, QVÆ PIETATEM VIDEBATVR IMITARI.] *Henricus Grauius, diligens Hieronymi lector, eiusque phrasium collector, ait aliàs legi:* Aderat, instabat; crudelitate quasi pietate vtebatur. *Ita & MS. plures. Quâ loquendi formulâ vsus est L. Florus lib.* III. *c.* V. Adetat, instabat; sæuitiâ quasi virtute vtebatur.

Quod

Quod ad sensum Hieronymi attinet, vult Christianos titulo impietatis exagitatos, & prætextu religionis in eos sanitum, vt scilicet ad gentilitatem, velut ad pietatem, reuocarentur. Ita lib. I. vitæ S. Sebastiani: Ista est, quæ vos, ô castissimæ coniuges beatorum, per pietatis colorem, impietatem martyrum mentibus fecit tradere. *Gregorius Nyssenus in vitâ Greg. Thaumaturgi* XVII. *Nouemb.* Ἄλλοι δὲ πρὸς τὰς κτήσεις τῶν πιστῶν ὁρῶντες, ὡς ἂν ἐγκρατεῖς γένοιντο τῶν πραγμάτων, ἐπὶ τῷ προσχήματι τῆς ἀσεβείας, ἤλαυνον τοὺς ἀντεχομένους τῆς πίστεως. Alij autem possessionibus fidelium inhiantes, vt rebus eorum potirentur, sub prætextu pietatis, vexabant & exagitabant eos, qui fidem amplectebantur. *Non aliter Paulus à sororio exagitatus est. Quod & S. Aldelmus lib. I. de laud. Virgin. cap.* XXXI. *expressit:* Paulus itidem inclytus, & Patrum celeberrimus, qui à pellaci genero, cæcæ cupidinis philargyriâ decepto, contra iura naturæ proditus & publicatus. *ita locus ille ex peruetusto codice MS. Collegij nostri Antuerpiensis legendus. Acta MS. S. Gorgonij M. tempore Diocletiani:* Pater quidem filium, frater fratrem, si illius sectæ inueniretur, velut inimicum manifestâ inquisitione prodebat: & ideò quisque, prout poterat, se in speluncis aut latibulis abscondebat.

Quàm crudele autem fuerit edictum Decij, prodit Dionysius Episcopus Alexandrinus, apud Eusebium lib. VI. *cap.* XXXIV. Καὶ δὴ καὶ παρῆν τὸ πρόσταγμα, αὐτὸ σχεδὸν ἐκεῖνο, οἷον τὸ προρρηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν παρὰ βραχὺ τὸ φοβερώτατον, ὡς, εἰ δυνατὸν, σκανδαλίσαι καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Nam Decij edictum erat iam diuulgatum, illudque tale profectò videbatur, quale Dominus prædixerat futurum, in quo terribilissima illa eius propemodum explebatur sententia, nimirum Electos (si possibile esset) in errorem inductos fore. *Prodit quoque Nyssenus loco iam citato. Habes edictum Decij, quod & crudelitatem & pietatem eam spirat, in vitâ S. Mercurij martyris apud Metaphrastem* XXIV. *Nouembris.*

28 NECESSITATEM INVOLVNTATEM VERTIT.] *Cassianus collat.* XVIII. *cap.* VI. Cuius professionis (*anachoreseos*) principes hos, quos paulò antè memorauimus, sanctum videlicet Paulum & Antonium, nouimus exstitisse. qui non, vt quidam, pusillanimitatis caussâ, vel impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt; licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis, affinium suorum deuitat insidias, eremum penetrasse dicatur.

29. SCALPRÆ, ETIAM INCVDES ET MALLEI.] *Ita vetustissimus MS. S. Floriani. Nempe exprimit tria præcipua cudendæ monetæ instrumenta ibidem inuenta. De* scalpris *vide Onomasticon.*

30. FVRTIVÆ MONETÆ OFFICINAM.] *Ad eumdem vsum paratum fuisse putarim, inquit Erasmus, quod hodie Cumis ostenditur antrum Sibyllæ.*

CAP. V.

31. IGITVR ADAMATO, QVASI A DEO SIBI OFFERRETVR, HABITACVLO.] *In vitâ Antonij cap.* XXIV Hunc Antonius locum, quasi à Deo sibi offerretur, amplexus est.

32. CIBVM ET VESTIMENTVM EI PALMA PRÆBEBAT.] *Nempe ex fructu dactylorum cibus, ex hirsutis arboris frondibus vestis.*

33. QVÆ IVXTA SYRIAM SARACENIS IVNGITVR.] *Crebra huius eremi mentio apud D. Hieronymum Epist.* VI. *ad Florentium:* In eâ mihi parte eremi commoranti, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur. *Epist.* XLIII. *ad Chromatium, Iouinum & Eusebium:* Nam postquam, sancto Euagrio transmittente, in eâ ad me eremi parte delatæ sunt, quæ inter Syros & Saracenos vastum limitem ducit. *Epist.* LVII. *ad Damasum:* Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat. *Epist.* LVIII. *ad eumdem:* Christi vestem in Romanâ vrbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor. *In vitâ Malchi cap.* IV. Solitudo, per quam Saraceni incertis sedibus huc atque illuc semper vagantur. *Videsis in Onomastico,* Eremus.

34. SYRI CVBAM VOCANT.] *Grauius legit* gubam. *Nam Syriacè* guba, *inquit, cisternam significat. Hieronymus in cap.* VI. *Ieremiæ:* Hoc autem Latinus lector intelligat, vt semel dixisse sufficiat; lacum, non stagnum sonare, iuxta Græcos, sed cisternam: quæ sermone Syro & Hebraico, gebe appellatur. *Sed facilè inter se* g *&* c *commeant. Vide Onomasticon.* λάκκος. גבא

35. QVINQVECARICIS.] Id est ficubus fictis *addunt quidam in textu. Infrà in vitâ S. Hilarionis c.* III. Herbarum ergo succo, & paucis caricis, post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat. *Consulendum Onomasticon.*

CAP. VI.

36. INFIRMOS ARTVS BACVLO REGENTE SVSTENTANS.] *Hieronymus in cap.* I. *Amos:* Ne vltimæ quidem ætatis homines, qui trementes artus baculo regente sustentent. *Idem in cap.* VIII. *Zachariæ:* Vt nullo hoste remanente, vsque ad vltimam ætatem, in vtroque sexu senilis ætas perueniat, & trementes artus baculo regente sustentent.

37. HIPPOCENTAVRO.] *Ipse Hieronymus explicat,* hominem equo mixtum. *Vide Onomast.*

38. SALVTARIS IMPRESSIONE SIGNI ARMAT FRONTEM.] *Vel Antonij exemplo, frontem crucis signo armare, disce hæretice. Vide* Crux *in Onomast.*

39. INTER HORRENTIA ORA SETIS.] *Erasmus ait, hunc locum diuersum haberi in exemplaribus, nec vllam lectionem sibi facere satis. video aliquos libros habere* senis, *aliquos* setis. *quod posterius rectum. Vult enim Hieronymus ipsum Hippocentaurum inter ora sua horrentia setis blandum quæsisse eloquium, id est, conatum blandè respondere, etsi ora horrerent setis; ideoque barbarum quid potiùs sonare nata, seu frangere verba, & fragore quodam promere. Nam si de sene Antonio intelligeretur, dixisset,* alloquium; *non verò* eloquium.

40. VERVM HÆC, VTRVM DIABOLVS. [*Cuius frustrà, inquit Baronius anno Christi* CCCXLIII. *exigitur fides, qui de his dubitans, quidnam fuerit, num spectrum, an monstrum, liberasse voluit fidem suam.*

Ceterùm, nec insulsa, nec inanis fuit ipsius dubitatio, an Ægyptus, monstrorum ferax, eiusmodi quoque ex duabus speciebus mixtum animal genuisse potuerit. Quamuis enim, quod de Ixione atque Centauris Poëtæ cecinerunt, figmentum esse non est qui dubitet; & secundùm Celsum, de exhibendo Centauro vana sponsio habeatur, cùm inquit: Si ita stipulatus fuero, te sistę; &, ni steteris, Hippocentaurum dari; *nec sit, qui exigat à naturâ Centauros, tamquam speciem animalis; tamen eiusmodi eamdem interdum peperisse monstra, quis neget? nam sic Plinius:* Claudius Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessaliâ natum, eodem die interijsse: & nos principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus. *in melle, inquam; quòd eius virtutis sit, vt computrescere corpora non sinat. Et sic in melle marinum hominem, ab vltimâ*

Aug. de ciuit. Dei, l. 18. c. 13. L. 97. ff. de verb. oblig.

Plin. lib. 7. cap. 3.

ultimâ Mauritaniâ ad Hispanias allatum testatur Alex. ab Alexandro, solida fidei auctor. Quem qui legerit, de Tritonibus, diuersis in locis suo sæculo visis & captis, ijsdemque vultu hominem præ se ferentibus, & corpore prorsus humano absolutâ similitudine pubetenus, postremis in piscem desinentibus, haud dubitabit in terris posse reperiri, quæ maria quoque producunt; cùm hominis habitatio sit potiùs terra, quàm mare: ex cuius admixtione cum iumento possint eiusmodi concipi monstra ac generari.

Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 8.

Cap. VII. 41. FAVNOS, SATYROSQVE, ET INCVBOS.] *Est frequens de Faunis apud antiquos historicos, subdit idem Baronius eodem anno (vt Poëtarum fabulas missas faciamus) certaque mentio. Inter quos Plinius cùm dicat, præter effigiem nihil in eis esse moris humani; cuncta hæc, quæ accidisse Antonio à Hieronymo enarrantur, miraculo euenisse, dicendum est, vt de multis aliis animalibus, rationis licet expertibus, sæpè legitur; ea, veluti humano intellectu prædita, ac Dei nutu reddita penè rationabilia, qualia solent homines, exhibuisse sanctis viris ministeria: vt (ne à Paulo recedamus) de coruo contigit, qui cùm diebus singulis per tot annorum curricula, dimidium panis eidem Paulo afferre soleret, aduentu tamen Antonij (quod in admiratione fuit) integrum attulit, quo reficeretur vterque. Qui plura de his desiderat, consulat Onomasticon.*

Plin. lib. 5. cap. 8.

42. CONSTANTIO.] *Ita legendum: non* Constantino, *vt plerique libri habent. Nicephorus l.* IX. *c.* XIX. *agens de tractu Orientis & Meridiei, & vario animalium in iisdem locis genere:* Quarum *(simiarum)* permultæ etiam ad nos delatæ hoc manifestò declarant. Ex quibus est etiam is qui dicitur Pan, capite, vultu, & cornibus caprâ referens; & ab ilibus item deorsum versum caprinis pedibus insistens; ventre autē, pectore & manibus merâ simia: quem tum quoque Indorū Rex Constantio misit. Quod sanè animal ad tempus aliquod, cùm ferretur in caueâ, propter feritatem inclusum vixit. Vbi verò mortuum est, aromatibus condierunt exenteratum qui ferebant, & insolitæ formæ ostendendæ gratiâ Constantinopolim seruatum pertulerunt. Videntur autē mihi animal hoc olim vidisse Græci, eosque insolentiâ adspectus exterritos, Deum sibi cōstituisse: cùm solenne hoc illis esset, vt quæ fidem excellerent, ea in Deos referrent. Id quod in Satyro quoque ab eis est factum, qui & ipse simia est.

Cap. VIII. 43. ET POST SANCTVM OSCVLVM.] *Ex Apostolico videlicet vsu. Rom.* XVI. I. *Corinth.* XVI. II. *Corinth.* XIII. I. *Thess.* V. I. *Petri* V. *Vide Onomasticon.*

Cap. X. 44. IMMO TERRÆ TERRAM REDDAS.] *Cicero Tuscul. qq. lib.* III. *ex Euripide:* Reddenda terræ est terra. *verba sunt Amphiarai ad matrem Archemori mœrentem, quæ etiam habes apud Plutarchum in consolatione ad Apollonium. Fortunatus lib.* IV. *epitaphio* XXVII. *Euphrasia:* Terræ terra redit, sed spiritus astra recepit. *Ita legendum, non* dedit, *vel* edit.

45. PALLIVM, &c. AD OBVOLVENDVM CORPVSCVLVM MEVM DEFER.] *Vide in Onomastico,* Funus: *vbi de hoc ritu, linteo vel pallio obuoluendi cadauera.*

46. SED VT A SE RECEDENDI MOEROR SVÆ MORTIS LEVARETVR.] *Baronius anno Christi* CCCXLIII *non ideò tantùm pallium à Paulo expetitum opinatur, sed quod, qui prophetico spiritu Athanasium nouerat, & (quod leuissimum videbatur) pallium donatum Antonio intellexerat; de ipso etiam summos illos tot annis exantlatos pro Catholica fide labores, exilia, fugam, ærumnas, innumerásque alias molestias minimè ignorarit: quamobrem sic Athanasij pallium potiùs, quàm aliud alterius hominis tegumentum exposcere ab Antonio visus est, vt eo saltem communicationis symbolo, & propensionis animi erga Athanasium significaret, se plurimi facere hominem, quem tot pro fide suscepta certamina illustrassent, ac proinde omnibus innotesceret, à tanto viro probari fidem, quam Athanasius tam acriter strenuéque propugnaret. Quod quidem haud videbatur mediocris esse momenti, ad erigendos titubantium animos, & roborandos illos, qui solidi in fide perstarent. Siquidem tanti facere solet populus illustrium monachorum de fide Catholica testimonium, vt Ariani hoc sentientes, mentiri non sint veriti, magnum Antonium eadem de fide secum vnà sentire: adeò, vt eam ob caussam ipsi opus fuerit, relictâ intimâ eremi solitudine, Alexandriam vsque descendere, & de Catholicâ fide, quam coleret, publicè, ne populus laberetur, specimen edere. Affirmat id sanè Athanasius in vitâ ipsius.*

47. OSCVLATIS EIVS OCVLIS, MANIBVSQVE.] *Obuia passim manuum oscula, non item oculorum. Et ex veneratione, & ex affectu libari solita hæc oscula. de quibus copiosiùs in Onomastico.* Cap. XI.

48. AD MONASTERIVM, QVOD POSTEA A SARACENIS OCCVPATVM EST.] *Contigit hoc anno* XX. *Constantij, Christi* CCCLVIII. *Hieronymus in Chronico:* Saraceni, in monasterium B. Antonij irruentes, Sarmatam interfecerunt. *Cuius memoria est in Mart. Rom.* XI. *Octobr.* In Thebaide S. Sarmatæ, discipuli B. Antonij, qui à Saracenis pro Christo necatus est.

49. SABVLVM CAPITI SVPERIACIEBAT.] *Solenne in luctu & mœrore, cinere, puluere, arenâ caput aspergere. frequens eius in Sacris litteris memoria. Vide Onomasticon.*

50. VIDIT GENVBVS COMPLICATIS.] *Orantium solennis is gestus, qui ab hæreticorum conciliabulis planè exulat. Vide Onomasticon.* Cap. XII.

51. HYMNOS QVOQVE ET PSALMOS EX CHRISTIANA TRADITIONE DECANTANS.] *Et hic solennis funeris apud Christianos ritus. de quo in Onomastico.* Cap. XIII.

52. LEONES DVO.] *Simile leonum obsequium habes in vitâ S. Onuphrij infrà, cap. vlt.*

53. TVMVLVM EX MORE COMPOSVIT.] *Hieronymus epist.* XLIX. *ad Innocentium:* Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. *Intelligit per clericos, copiatas seu laboratores, quibus corpora mortuorum humandi cura incumbebat. Rosweydus... existimat clericorum hîc mentionem fieri ob Psalmos decantandos. qui etsi decantati in funere ex veterum more, adiuncta tamen suadent hîc copiatas intelligi, qui olim cleri quædam pars. Vide Onomasticon.*

54. EX INTESTATI BONIS] *Arguté. quod enim extremè pauper testamentum condat, & quid cui relinquat.*

55. QVI PATRIMONIA SVA IGNORANT.] *Nempe, quia vt Ouidius ait lib.* XIII. *Metamorph.*

Pauperis est numerare pecus.

& Horatius lib. I. *epist.* VI.

Exilis domus est, vbi non & multa supersunt,
Et dominum fallunt, & prosunt furibus.

56. QVI VNO FILO VILLARVM INSVVNT PRETIA.] *Ex Tertulliano expressum lib. de habitu muliebri cap.* IX. Vno lino decies sestertiûm inseritur, saltus & insulas vna ceruix fert.

57. ILLE CONCAVIS MANIBVS MATVRÆ SATISFECIT.] *Idem de Diogene habet Laërtius lib.* VI. & Cap. XIV.

Hieronymus l. II. *contra Iouinianum c.*IX. Quodam verò tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concauâ bibere. *Ita legendum ex manusc. peroptimo Collegij nostri Louaniensis, non* cauum. *quare* κοῖλον ξύλινον *Mariani Victorij hîc locum non habet. In Laërtio pro* cauco ligneo *est* κοτύλη. *Occurrit* cauci *vox & in vitâ S. Abrahæ eremitæ, cap.*III. *de quo pòst.*

58. AVRATIS OBVOLVITIS VESTIBVS.] *De vestitu mortuorum Gretzerus noster lib.* I. *de fun. Christ. cap.*V. *& Kirchmannus lib.* I. *c.*X. *de fun. Rom. Quòd hîc suggillat Hieronymus diuitum corpora auratis vestibus & serico inuoluta, ex merito & religione tributum hoc sanctis viris, & martyribus. S. Athanasius in vitâ S. Antonij, cap.*LVI. Mos Aegyptiis est, nobilium, & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine obuoluere. *Vide ad eam vitam.*

59. HIERONYMI PECCATORIS.] *Ita sæpè Patres humilitatis affectu se inscribere & subscribere soliti. Vide Onomasticon.*

60. TVNICAM PAVLI CVM MERITIS EIVS.] *Agnosce, hæretice, fidelium ex sanctis operibus merita: & qui D. Hieronymum legis, æstimas; fidem quoque eius, ad animæ salutem imbibe. Disce Sanctorum reliquias, vestes æstimare. Gregorius Nazianzenus Orat.* XXV. Καὶ ἡ μηλωτὴ Ἐλισαίου πλείω δυνηθεῖσα, ἢ τὰ σηρῶν νήματα, καὶ ὁ βαφεὶς εἰς ἐσθῆτα χρυσός. Et Elisæi melote, quæ plus virium habuit, quàm fila serica, & aurum vestibus per vim assutum. *Ioannes Chrysostomus homil.* II. *ad populum Antiochenum, vbi ait Regem diuitem Eliâ paupere indiguisse:* Οὕτω λαμπροτέρα τῆς πορφυρίδος ἡ μηλωτὴ ἦν, καὶ τῶν βασιλικῶν αὐλῶν τὸ σπήλαιον τοῦ δικαίου. Adeò splendidior trabea erat melote, & regalibus aulis iusti spelunca. *Ita Theodosius Senuphij monachi superhumerale & baculum, galeæ lanceæque suæ prætulit. Acta Cyri & Ioannis apud Metaphrasten* XXXI. *Ianuarij*: Munit caput superhumerali, quauis galeâ tutiùs, baculo autem munit dexteram, lanceâ longè validiùs, & hac ratione confidens fore, vt hostibus videretur terribilior, quàm olim (vt aiunt) clauâ Hercules. *Similia apud Glycam parte* IV. *Annal.*

61. QVAM REGVM PVRPVRAM CVM REGNIS SVIS.] *Ita manuscripti, & editiones vetustiores. Recentiores substituère* cum pœnis suis. *nescio an auctoribus libris.*

IN VITAM
BEATI ANTONII
PRÆLVDIA.

ILLVSTRIVM VIRORVM
DE BEATO ANTONIO
ELOGIA.

HIERONYMVS *de illustr. Eccl. script. cap.*LXXXVIII.

ANTONIVS monachus, cuius vitam ATHANASIVS Alexandrinæ vrbis episcopus insigni volumine prosecutus est, misit Ægyptiacè ad diuersa monasteria Apostolici sensus sermonisque *Epistolas septem*, quæ in Græcam linguam translatæ sunt: quarum præcipua est *ad Arsenoitas*. Floruit sub Constantino & filiis eius regnantibus. Vixit annos centum quinque.

Idem in Chronico [1] *anno* XIX. *Constantij.*

ANTONIVS monachus centesimo & quinto ætatis anno in eremo moritur, &c.

GELASIVS D.XV. *cap. Sancta Romana Ecclesia.*

VITAS PATRVM, PAVLI, ANTONII, HILARIONIS, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatus scripsit HIERONYMVS, cum omni honore suscipimus.

HONO-

HONORIVS *de Illustr. Eccl. script. c.* LXXXVIII. *carptim ex D. Hieronymo.*

ANTONIVS monachus, cuius vitam ATHANASIVS insigni volumine prosecutus est, misit *septem Epistolas* ad diuersa monasteria, Apostolici sensus & sermonis.

TRITHEMIVS *de script. Eccl.*

ANTONIVS monachus & abbas, natione Ægyptius, vir sanctissimus, eremique cultor insignis, cuius præconia laudum vniuersus personat orbis, multis religiosæ ac beatæ vitæ normam præbuit: qui etsi litteras non didicerit, in diuinis tamen Scripturis adeò eruditus fuit, vt nullus Doctorum se ei præferre præsumeret. Habebat memoriam pro libris, intellectum & sensum pro litteris, gratiam pro studio lectionis. Dictauit Ægyptiaco sermone ad diuersa cœnobia, Apostolici sensus atque sermonis [z] *varias Epistolas.* E quibus exstat insignis illa *Ad Arsenoitas epist. 1. Ad alia cœnobia epist. 6.* Eius vitam B. ATHANASIVS episcopus Alexandrinus insigni volumine, Græco sermone descripsit. Claruit sub Constantino Magno, & filiis eius regnantibus, Anno Domini CCCXXX. multis coruscans miraculis.

DE SANCTO [a] ATHANASIO VITÆ HVIVS SCRIPTORE.

MENAEA *Græcorum* XVII. *Ianuarij in vitâ* ANTONII.

Ὁ δὲ βίος αὐτοῦ συνεγράφη ὑπὸ τοῦ μεγάλου ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας.

VITA ANTONII conscripta est à magno ATHANASIO episcopo Alexandrino.

GREGORIVS NAZIANZ. *Oratione* XXI. *in laudem* S. ATHANASII.

Πάντα μὲν οὖν τὰ ἐκείνου (τοῦ ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ) λέγειν τε καὶ θαυμάζειν, μακρότερον ἂν εἴη τυχόν, ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ὁρμὴν τοῦ λόγου· καὶ ἱστορίας ἔργον, οὐκ εὐφημίας· ἃ καὶ ἰδίᾳ παραδοῦναι γραφῇ παίδευμά τε καὶ ἥδυσμα τοῖς εἰς ὕστερον, δι' εὐχῆς ἔργον ἐμοί, ὥσπερ οὖν ἐκεῖνος ΑΝΤΩΝΙΟΥ τοῦ θείου βίον συνέγραψε, τοῦ μοναδικοῦ βίου νομοθεσίαν ἐν πλάσματι διηγήσεως.

Atque omnem quidem illius (ATHANASII) vitam sermone prosequi ac laudibus efferre longius fortasse fuerit, quàm orationis institutum ferat; atque historiæ opus fuerit, non encomij: quam etiam, vt posteris documento atque oblectationi futuram, proprio scripto mandare cum primis optarem; quemadmodum ipse D. ANTONII vitam conscripsit, cùm vitæ monasticæ leges sub narrationis specie promulgaret.

EPHRAEM *serm. ascet. in illud:* Attende tibi ipsi, *cap.* X. *siue, Serm.* X. *De moderatione risus.*

Cuiusmodi S. ANTONIVS exstitit, quemadmodum & S. ATHANASIVS archiepiscopus meminit in vitâ, quam de eo conscripsit.

PALLADIVS *histor. Lausiac. cap.* VIII. *in Ammone.*

Hoc autem miraculum (*quomodo Ammon vltra Lycum fluuium diuinitus translatus sit*) narrauit B. ATHANASIVS Alexandriæ episcopus, scribens in vitâ ANTONII.

Auctor vitæ S. PACHOMII, *interprete* DIONYSIO EXIGVO, *cap.* I.

Cui (ANTONIO) sanctus ATHANASIVS Alexandrinæ ciuitatis antistes, proprio stilo testimonium præbuit; dignus sanè relator conuersationis ANTONII, qui iuxta supplicationem Fratrum, vitam eius pro multorum commoditate perscriberet, & æmulandum eum viris spiritalibus exhiberet.

SOCRATES *Eccl. histor. lib.* I. *cap.* XVII.

Ὁποῖος ἦν ἐπὶ τῶν αὐτῶν χρόνων καὶ ὁ μοναχὸς ΑΝΤΟΝΙΟΣ ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Αἰγύπτου, ὡς φανερῶς τοῖς δαίμοσιν ἀντεπάλαιεν ἐφωρᾶτο, ἐξελέγχων τε αὐτοὺς τὰς τέχνας καὶ τοὺς ἄθλους, καὶ ὅπως πολλὰ ἐποίει τεράστια, περιττὸν λέγειν ἡμᾶς. Ἔφθασε γὰρ ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, μονόβιβλον εἰς τὸν αὐτοῦ βίον ἐκθέμενος.

Qualis vitâ & moribus ANTONIVS monachus in solitudine Ægypti eisdem fuerit temporibus, quomodo cum dæmonibus palàm & apertè dimicarit, illorum astutias & callidas pugnas deprehenderit, multa prodigia & miracula ediderit; quoniam ab ATHANASIO Alexandriæ episcopo in libro separatim de eius vitâ conscripto iam pridem expositum est, eadem nos commemorare, planè videtur superuacaneum.

Idem lib. IV. *cap.* XVIII. *Eccl. hist.*

Τούτου τοῦ Ἀμμοῦν τὴν ψυχὴν μετὰ θάνατον, ἀναλαμβανομένην ὑπὸ ἀγγέλων, ὁ κατ᾽ αὐτὸν βιώσας ΑΝΤΩΝΙΟΣ ἐθεάσατο. ὥς φησιν ἐν τῷ βίῳ αὐτοῦ ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος ΑΘΑΝΑΣΙΟΣ.

Huius Ammonis animam post mortem ab angelis in cælum sublatam, ANTONIVS, qui eisdem vixit temporibus, vidit: quemadmodum ab ATHANASIO Alexandriæ episcopo in eius vitâ commemoratum est.

NICEPHORVS *lib.* VIII. *cap.* XL.

Verùm hæc, tamquam gustus quidam, & exigua imago ANTONII vitæ & instituti sint exposita, vt ex his vniuersam eius, qualis fuerit, philosophiam colligamus. Quam rebus omnibus optimus ATHANASIVS, cui etiam fuit charissimus, copiosè memoriæ posteritatis litteris mandauit; certaminibus eius contra dæmones, & artibus, quas aduersus illos adinuenit, alijsque vitæ prodigijs & rebus quibusvis conscriptis: vt liber is monastici instituti ceu finis quidam esset.

HIERONYMVS *Catal. Illustr. Eccles. script. cap.* LXXXVIII.

ANTONIVS monachus, cuius vitam ATHANASIVS Alexandrinæ vrbis episcopus, insigni volumine prosecutus est.

Idem ibidem cap. LXXXVII.

Fertur ATHANASII historia, ANTONII monachi vitam continens.

RVFFINVS *lib* I. *hist. Eccl. cap.* VIII.

De virtutibus ANTONII, atque institutis & sobrietate mentis, vt in solitudine vitam degens, vsus solummodò sit consortio bestiarum, & de dæmonibus crebros agens triumphos, placuerit Deo supra cunctos mortales, vtque institutionis suæ præclara vsque in hodiernum monachis exempla reliquerit, volentem me aliqua exponere ille libellus exclusit, qui ab ATHANASIO scriptus, etiam Latino sermone editus est.

PAVLINVS *Prologo vitæ S. Ambrosij* IV. *Aprilis.*

Hortaris, venerabilis Pater Augustine, vt sicut beati viri, ATHANASIVS episcopus & Hieronymus presbyter, stilo prosecuti sunt vitam sanctorum PAVLI & ANTONII in eremo positorum, &c.

DE

DE EVAGRIO PRESBYTERO VITÆ HVIVS INTERPRETE.

HIERONYMVS *Catal. illustr. Eccl. script. cap.* CXXV.

EVAGRIVS Antiochiæ episcopus, acris ac feruentis ingenij, cùm adhuc esset presbyter, diuersarum hypotheseon tractatus mihi legit, quos necdum edidit. Vitam quoque B. ANTONII de Græco ATHANASII in sermonem nostrum transtulit.

Similia habet HONORIVS *cap.* CXXV. *de illustr. Eccl. script.*

NOTATIO.

Disquisitio de anno natiuitatis & obitus Antonij.

1. ANNO XIX. CONSTANTII.] *Ita rectißimè Eusebij Chronicon manuscriptum Amandinum, ita Pontaci & Scaligeri editio.*

Baronius tom. II. *anno Decij* I. *(quem ipse Christi annum statuit* CCLIII.*) inuestigans Pauli ad eremum fugam ex Antonij obitu, asserit ex Chronico Eusebij & Hieronymi, Antonium obiisse anno* XXI. *iunioris Constantij; cui Constantij anno ipse pòst in Annalibus tom.* III. *in annorum serie, à Christo aßignat annum* CCCLVII. *Quod occasione inuestigandi ætatem Hilarionis repetit tom.* IV. *ad annum Christi* CCCLXXII. *Idem tamen tomo* III. *anno Christi* CCCLVIII. *Constantij* XXII. *Antonij obitum collocat. Quod, cur fecisse potuerit, mox inquiram.*

Deprauato Chronici codice vsum Baronium, suprà dixi, ad vitam S. Pauli, quod nunc fusiùs probandum.

Vulgata Chronici Eusebiani editio, quo vsus Baronius, ponit Antonij natalem I. *anno Decij, Christi* CCLIV. *& obitum eiusdem anno* XXI. *Constantij iunioris, Christi* CCCLXI. *Cùm autem ex eodem vulgari Chronico, posteriore hoc loco, constet Antonium obiiße ætatis anno* CV. *certum est vel natalem Antonij, vel mortualem eiusdem diem malè aßignari in eâ editione, cùm à Christi anno* CCLIV. *quo ponit natum Antonium, ad annum* CCCLXI. *quo eumdem ponit denatum, intercurrant anni* CVII. *Quòd si duos annos addas, & eum videlicet quo natus est, & eum quo denatus Antonius, (qui tamen addendi videntur, cùm dicatur* CV. *anno ætatis mortuus Antonius, non autem post* CV. *annum) exsurgent anni* CIX. *cùm tantùm* CV. *anni, quot Antonius vixit, deberent intercurrere vel exsurgere.*

Rectißimè igitur in MS. Eusebio Amandino, vt ad vitam Pauli dixi, Antonij natiuitas consignatur anno I. *Decij, obitus verò anno* XIX. *Constantij iunioris Imp. atque ita iusti* CV. *anni, quibus Antonius vixit, exsurgunt. Nec aliter lectum in Eusebio, tempore Gregorij Turonensis. Nam ita ille libro* I. *cap.* XXXVIII. *histor. Franc.* XIX. Constantij iunioris anno, Antonius monachus transijt, CV. ætatis anno *Ita MS. Trudonensis, cùm in vulgatis malè sit* C. *Sed & Vincentius Spec. hist. lib.* XIV. *cap.* XIV. *ex eodem Eusebij Chronico, Antonij obitum* XIX. *Constantij iunioris anno ponit. Quare de Antonij obitu in vulgato Eusebio metachronismus est duorum annorum, si ab annis ætatis Antonij & annum natiuitatis & annum obitus excludas; vel metachronismus est* IV. *annorum, si & natiuitatis & obitus annos numero annorum ætatis eius comprehendas.*

Verus annus natiuitatis & obitus Antonij.

Miratus sum sanè Baronium, quòd, cùm tomo II. *anno* I. *Decij, agens de Pauli eremitæ fugâ, ibidem asserat ex Chronico Eusebij (deprauato, vt diximus) Antonium obiisse anno* XXI. *Constantij iunioris; tamen tomo* III. *anno* XXII. *eiusdem Constantij, obitum Antonij ponat. Cuius rei rationem dum inuestigo, non aliam reperio, quàm quòd fortaßè Baronius tomo* II. *annum* I. *Decij, quo natus Antonius, annis ætatis eiusdem annumerauerit; atque ita ab anno* I. *Decij adusque Constantij iunioris annum* XXI. *eum simul includendo, putatione Baronianâ iusti exurgunt anni* CV. *quæ suprema fuit ætas Antonij. Tomo verò* III. *videtur annum* I. *Decij non annumeraße annis ætatis Antonij, sed* I. *annum ætatis Antonij, à* II. *Deciani imperij anno inchoaße, quare & obitum Antonij ad* XXII. *annum Constantij iunioris eodem* III. *tomo prorogauit.*

Quod verò dixi, rectißimè in MS. Eusebio Amandino natiuitatem Antonij consignari anno I. *Decij, obitum verò* XIX. *Constantij iunioris, atque ita iustos* CV. *annos ætatis Antonij exsurgere, ita intellige: quia cùm vulgatæ editiones (etiam correctiores Pontaci & Scaligeri) inter* XX. *annum Diocletiani &* I. *Constantini, duos annos statuant, eósque Galerio tribuant; Amandinus codex vnum tantùm annum intermedium statuit, vulgatúmque de Galerio paragraphum omittit. Qui etsi admittatur, eiúsque imperio duo anni tribuantur ante* I. *annum Constantini; non necesse erit, duos annos intermedios ponere inter annum* XX. *Diocletiani &* I. *Constantini: sed primus annus Galerij concurrere potest cum* XX. *Diocletiani, quippe cùm Diocletianus* XX. *an-*

no imperij sui II. *Kal. Maij se imperio abdicarit, indéque* I. *annum sui imperij Galerius ordiri potuit.*

Inter 20. annũ Diocletiani & 1. Constantini tantùm vnus annus debet intercedere.

Et quidem non nisi vnum annum debere intercedere inter XX. *annum Diocletiani &* I. *Constantini, probatur; Tum ex ipsiusmet Eusebij Chronico, quod* XIX. *Diocletiani anno disertè habet:* Quarto anno persecutionis Constantinus regnare orsus. *Atqui cùm* XIX. *Diocletiani anno persecutio orta sit, si ei addas eiusdem* XX. *& vnum intermedium inter* XX. *annum Diocletiani &* I. *Constantini; quid restat, nisi vt* I. *annus Constantini,* IV. *sit persecutionis? Tum ex Politiâ seu Actis sanctorum patrum Metrophanis & Alexandri apud Photium in Biblioth. cod.* CCLVI. *vbi dicitur:* Τρίτον δ' ἤδη τότε ἦν ἔτος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ, ἐν ᾧ καὶ Κονστάντιος πρὸς τὴν ἄφθαρτον βασιλείαν, τὴν ἐπίκηρον ἤμειψε. Tertius tunc agebatur annus persecutionis in Christianos excitatæ, quo Constantius cum, æterno regno caducum commutauit. *atqui si duos annos intermedios ponas inter annum* XX. *Diocletiani &* I. *Constantini, non iam* tertio *persecutionis anno Constantius obierit, sed* quarto*: vt ex modò initâ temporis ratione manifestum est. Tum ex Olympiadibus aßignatis in MS. Eusebio Amandino. Nam primus annus Olympiadis* CCLXXI. *consignatur* XX. *anno Diocletiani, secundus anno intermedio inter* XX. *Diocletiani &* I. *Constantini, tertius* I. *anno Constantini. vnde clarum euadit, Eusebium non nisi vnum annum inter* XX. *Diocletiani &* I. *Constantini collocasse.*

Sufficiant hæc pro modo Notationum, quæ omnino dicenda fuere ad ritè subducendum numerum annorum ætatis Antonij.

Scripta Antonij.

[2] VARIAS EPISTOLAS.] *Septem enumerat hîc ipse Trithemius, & vnam ait scriptam* ad Arsenoitas; *quod verum est, eóque nomine habetur secunda in editione Coloniensi. Hieronymus quoque vnius tantùm, tamquam præcipuæ,* ad Arsenoitas *meminit. Quare non rectè apud Posseuinum est,* omnes septem epistolas scriptas ad Arsenoitas. *quod etiam malè tituli præferunt in Bibliothecâ sanctorum Patrum.*

Eorum interpres.

Harum epistolarum non est ex Græco interpres Symphorianus Champerius, vt est apud Posseuinum, sed Valerius Sarrasius, Symphoriano editionem procurante.

Non est auctor Melissæ.

Quòd verò Posseuinus in Apparatu sacro in Antonio *citat ex Trithemio,* Scripsit quoque celebre opus duorum librorum, quod Melissa, id est Apicula, nominatur, *atque Trithemium errore labi; verè labitur, si ita scripsit. Sed in Trithemio ea verba non inuenio. Suspicor hoc verbis Trithemij additum à Margarino de la Bigne in primâ editione Bibliothecæ SS. Patrum, qui libros illos Antonij Melissæ, nomine Antonij Magni ediderat. Sed error correctus tomo* V. *Bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis.*

[3] ATHANASIO.] *Vitæ S. Antonij auctorem esse Athanasium, nullus dubitare poterit, qui elogia præmissa legerit. Et Græcè quidem nunc recens prodijt anno* M.DC.XI. *Augustæ Vindelicorum, curante Dauide Hæschelio; qui & interpretationem suam, & notas quasdam, Græcum maximè spectantes textum, adiecit.*

Athanasius auctor vitæ Antonij.

Athanasio eam asserit Bellarminus noster tom. II. *Contr.* II. *l.* II. *de Monachis, cap.* IV.

Primò, quia est reuerà insigne volumen, vt Hieronymus dicit fuisse librum illum Athanasij.

Secundò, quia continet plurima illa miracula, quorum meminit Augustinus lib. VIII. *Confess. cap.* VI.

Tertiò, quia recenset historiam illam de animâ Ammonis, quam Palladius cap VIII. *& Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *ex libro Athanasij de vitâ Antonij referunt.*

Quibus addi possunt & alia non minùs certa testimonia.

Primò, certißimum testimonium B. Ephræm suggerit, qui ex hac vitâ nomine Athanasij duo loca ad verbum citat; quæ vide in Notat. capite XXIII. *&* LX. *Idem quoque in epist. ad Ioannem monachum breui Antonij vitæ anacephalæosi (quæ singula in hac vitâ habentur) Monachos ad communem vitam hortatur.*

Secundò, æquè certum indicium suppeditat auctor vitæ S. Pachomij, quam iam olim Dionysius Exiguus interpretatus est, qui Athanasij nomine mentionem facit Ammonis & Theodori, qui in hac Antonij vitâ occurrunt.

Tertiò, Damascenus orat. I. *de Imaginibus ex hac vitâ locum citat, quem hîc habes c.* LVII. *vti catena MS. in Lucam ex Græcis Patribus collecta, quæ exstat in Bibliothecâ Palatinâ, referente Felckmanno.*

Quid quæso testatius, ad auctori alicui librum asserendum, adduci potest? Sunt tamen hæretici, qui subdubitare non verentur, an hæc, quæ hîc exhibetur, vita, sit ab Athanasio scripta. Ita Magdeburgenses Centur. IV. *cap.* X. *pag.* 1306. *nullâ tamen vel ratione vel coniecturâ vel auctoritate additâ. Dubitat & Petrus Felckmannus Coronæus, qui nuper Athanasij Græcolatinæ editioni præfuit.*

Sed non insolens, dubitare hæreticos, vbi quid eorum palato minùs arridet, vti in hac vitâ præclara monachismi signique Crucis testimonia. Verùm præfractior, & magis effrons incedit Rodolphus Hospinianus de orig. Monach. lib. III. *cap.* I. *& cum eo Abrahamus Scultetus Medull. Theolog. Patrum parte* II. *qui ausi fuere asserere scriptum hoc, quod hodie sub Athanasij nomine circumfertur, nullam prorsus fidem mereri, imò insulsi hominis commentum esse: qui paribus his argumentis instant, ita vt alter alterum exscripserit.*

Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primò, nuper enim admodum ad reliqua Athanasij opera scriptum hoc adiectum est. Græcè enim non reperitur, nec in Basileensi, nec in Anglicano, nec in aliis codicibus. Respondeo, scriptum hoc in ipsis typographiæ cunabulis Athanasij nomine impressum fuisse Latinè in Vitis Patrum; & paßim in MS. libris, iisque vetustißimis inueniri.

ueniri. cuius textus Græcus anno M.DC.XI. *Augustæ Vindelicorum prodijt ex eiusdem ciuitatis bibliothecâ, curante Dauide Hœschelio, vt iam dixi. qui & ex Anglicano codice Henrici Sauilij variantes lectiones adiecit.*

Secundò, non reperiuntur in hoc scripto vitæ monasticæ leges, quas Nazianzenus scribit Athanasium suo narrationis prætextu promulgare voluisse. Respondeo, Sanctorum vita (*vt ait S. Ambros. lib. de S. Ioseph, c.* 1.) ceteris norma viuendi est. *& Hieron. epist.* 11. *ad Nepot. de vitâ Heliod.* Normamque vitæ eius, exemplum habere virtutum. *Idem ep.* XV. *ad Marcellam de Asellæ vitâ:* Conuersationem illius perfectæ vitæ normam arbitrentur. *Et ne ab ipso Antonio discedamus:* Ἔστι γὰρ μοναχοῖς ἱκανὸς χαρακτὴρ πρὸς ἄσκησιν ὁ Ἀντονίου βίος. Perfecta est siquidem ad virtutem via, Antoniũ scire, quis fuerit, *vt ait Athanasius in huius vitæ præfatione. Nec paucas S. Antonius monasticas leges, exhortationibus suis, quæ in hac vitâ habentur, exprimit. Quòd si Hospinianus, vel Scultetus, vel alius quiuis Caluinista, ex vitæ huius præscripto vitam suam componeret, næ ille monasticis legibus egregiè obsecutus diceretur.*

Tertiò, cùm auctor scripti huius demonstrare conatur, Antonium Christum in omni vitæ suæ cursu imitatum fuisse, ita pueriliter & ridiculè de eo fabulatur, vt nihil cum iudicio eum legisse in Athanasio meritò dici queat. Respondeo, non mirum, hoc à Caluinianis hominibus asseri, cùm de eius sortis hominibus, serò licet insipientiam suam recognoscentibus, & sanctis ipsis iam olim dictum sit: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Sap. 5.

Quartò, falsus hic auctor dicit Antonium indoctum fuisse, & litterarum imperitum: *cùm alij contrà asserant* caussidicum *fuisse, &* valdè doctum. *Respondeo,* Et indoctus *fuit, &* doctus *Antonius: indoctus quidem, id est, litterarum imperitus; doctus verò Dei dono, & sagacitate animi. quod habes in vitâ per Athanasium. Nam cap.* 1. *dicitur quòd non passus sit* se litteris erudiri, *ergo rectè* litterarum imperitus *dicitur, &* indoctus, *id est, non doctus litteras, qui tamen apud eumdem capite* XXXVIII. *dicitur à Deo* doctus, *seu* Θεοδίδακτος. *Quod vtrumque de eo testatur D. Augustinus Prolog. lib.* 1. *de doctrinâ Christianâ:* Antonius, *inquit,* sine vllâ scientiâ litterarum Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur.

Quòd verò caussidicum *aiunt fuisse Antonium; sanè caussidicus fuerit, sed* ex eorum numero, qui æternam vitam accipiunt, & efficiuntur caussidici sanctitatis: *vt de S. Tiburtio habetur in vitâ S. Sebastiani lib.* 1.

Mirum profectò mihi visum, Antonium ab aliquibus caussidicum *dici, vt citat vterque hæreticus loco iam citato, nullo addito auctore. Quod cùm diu quæsissem, tandem in Hospiniano lib.* II. *de Monachatu cap.* III. *video citari Suidam ad hoc propositum. Quare eum adeo. Ille verò non Antonij nostri meminit, qui ortus fuit in Aegypto in vico Comâ iuxta Heracleam, vt habet Sozom. lib.* I. *cap.* XIII. *& Niceph. lib.* VIII. *cap.* XL. *sed Antonij cuiusdam Alexandrini, qui Alexandriæ & Byzantij sororis caussam egit, quique ipsius Suidæ ætate vixit. ait enim:* Ἔγωγε οὖν καὶ αὐτὸς ὁμολογῶ τῷ ἀνδρὶ μεγίστην ἀτεχνῶς τὴν χάριν, ἣν ἀμείψασθαι αὐτὸν εὔχομαι τοὺς θεοὺς ἐν μακάρων νήσοις ἤδη συζῆν ἠξιωμένον. Atque ego etiam plurimum illi me debere fateor: atque vt Dij gratiam illi in beatorum insulis referant, quorum contubernio fruitur, precor. *vel potiùs alterius ethnici auctoris tempore, ex quo Suidas illa de eo excerpsit: nam* Deos precari, *ethnicismus est. Quare quòd de eo ibidem ait,* Γάζαν ἀπέφηνεν ἱερατέραν πολλῷ μᾶλλον, ἢ πρότερον ἦν, Gazam multò augustiorem fecit, quàm priùs fuerat; *alludit, opinor, ad Gazensia sacra, seu Marnæ idolum. quare & præcedit de animo eius conformato* πρὸς θεοῦ θεραπείαν τήν τε δημοτελῆ καὶ ἀπορρητοτέραν, ad Dei cultum tam vulgarem, quàm arcanum; *Dei, inquam, Marnæ seu Iouis pluuij, qui maximè Gazæ cultus, vt habetur in vitâ S. Porphyrij apud Metaphr.* XXVI. *Febr.*

Vides, Lector, quid de emedullatâ illâ medullâ Sculteti, quid de monachatu seu mœchatu Hospiniani tibi promittere debeas, cùm tam friuola contra receptissimam vitam, contra vetustos Patres, contra ipsam vetustatem producunt argumenta. Sed displicuit videlicet reliquiarum cultus, *qui ex hac vitâ luculenter probatur, ideóque Scultetus cap.* XVI. *Synthesis doctr. B. Athanasij, hanc Antonij vitam commentitij auctoris scriptum vocat.*

Firmum igitur fixúmque sit, Athanasium huius vitæ auctorem esse. An verò & finem vitæ huic attexuerit, dubitatur. An Athanas. etiam auctor finis vitæ Antonij.

Baronius anno Christi CCCXLIII. *Iulij Papæ* VII. *Constantij & Constãtis Impp.* VII. *Quod, ait, in vitâ Antonij ab Athanasio conscriptâ, de congressu Pauli cum eo nulla penitùs mentio habeatur, inde accidit, quòd (vt eodem Hieronymo auctore dictum est) Athanasius res gestas Antonij, ipso adhuc viuente, scriptis commendauit, eásque Romam detulit ante biennium, cùm à Iulio Papâ vocatus est, quo tempore hæc de Paulo nondum acciderant. Posteà verò, multis prætermissis, appositus est eius obitus; sed an ab eodem Athanasio, haud asserere auderem. Idem sentit Posseuinus in Apparatu sacro in* Antonio. Baron. anno Christi 340. ex Hier. ep. 16.

Ego verò nullum dubitationi locum inuenio, quò minùs Athanasius finem vitæ huic attexuerit; nec inuenissent, credo, Baronius & Posseuinus, si præfationis Athanasij in hanc vitam fuissent memores. Ita enim ille ad peregrinos fratres: Quoniam igitur exegistis à me, vt vobis scriberem de conuersatione beati Antonij, volentibus discere, quemadmodum cœperit, quíve fuerit ante sanctum propositum, qualem etiam habuerit terminum vitæ.

ANTONIVS. *Cur verò non meminerit Athanasius congressus Antonij cum Paulo, non aliam caussam inuenio, quàm quòd non omnia Antonij gesta referat, vnde peregrinos fratres monet, vt existiment se* minima audisse de maximis. *cùm ob portitoris litterarum festinationem non potuerit monachos euocare*, vt pleniùs aliquid addiscens, munera maiora transmitteret.

Cur Athanasius non meminerit Pauli.

Quando verò contigerit Athanasium scribere vitam Antonij, eámque Romam deferre, quoniam eius rei nunc aliqua mentio facta est, porrò inuestigemus.

Quando & quomodo Athanas. vitam Antonij Romam detulerit.

Baronius anno Christi CCCXL. *Iulij Papa* IV. *Constantini, Constantij & Constantis Imperat.* IV. *Quàm verò, inquit, proficuus fuerit Athanasij Romam accessus, vel ex eo potest intelligi, quòd in Vrbem inuexerit ipse primus Aegyptiorum monachorum institutionem, vitámque admirandam Antonij Magni, licet adhuc viuentis, à se conscriptam detulerit: quod vita genus ad omnes Euangelica perfectionis numeros attemperatum, etiam nobilißima Romana femina consectari cœperunt. tradit enim hac de his S. Hieronymus:* Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propositum monachorum, nec audebat, propter rei nouitatem, ignominiosum (vt tunc putabatur) & vile in populis nomen assumere. Hæc (*Marcella scilicet*) ab Alexandrinis priùs sacerdotibus, Papáque Athanasio, & posteà Petro, qui persecutionem Arianæ hęreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam beati Antonij, tunc adhuc viuentis, monasteriorumque in Thebaide Pachomij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam: nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. *Hactenus ex Hieronymo Baronius.*

Hieron. ep 16. ad Princip.

Ex quibus quidem elucet, Athanasij quoque operâ Marcellam de vitâ Antonij didicisse, non tamen, quòd Athanasius tunc Antonij vitam à se descriptam Romam detulerit; quam ipsius testificatione iam vidimus, post mortem demum Antonij ad peregrinos fratres fuisse perscriptam.

Præstitit igitur Romæ Athanasius, quod ante eum Alexandrini sacerdotes, quódque post eum Petrus Alexandrinus primùm presbyter, deinde episcopus præstitere; vt quæ coràm in Aegypto & Thebaide, vel viderant vel audierant de Antonio & Pachomio tunc adhuc viuentibus, ea Romanis enarrarent. Si quis breuiculis quædam ab iis comprehensa tunc velit, ne memoriâ exciderent, per me licet: modò Athanasio ipsi fidem habeamus, quòd post mortem demum Antonij, rogatu peregrinorum fratrum, vitam eius descripserit.

An verò anno Christi CCCXL. *Athanasius Romæ Marcellam viduam de vitâ Antonij docuerit, existimo non omnino certum esse. Nam cùm Baronius tom.* V. *anno Christi* CCCCX. *statuat Marcellæ obitum, valdè longæuam eam oportuit fuisse, quippe nonagenariam, si eam statuamus* XX. *annorum, cùm Athanasius primùm Romam venit anno* CCCXL. *Quæ ætas si Marcellæ competit, potest dicto anno Christi* CCCXL. *de Antonio ex Athanasio inaudiisse.*

Quòd si minor ætas Marcellæ tribuenda, cùm Athanasius sæpiùs Romam venerit, videlicet anno Christi CCCXL. *deinde* CCCXLII. *demum* CCCXLIX. *potest postremo hoc anno Marcella de Antonio didicisse ex Athanasio.*

Pergit Baronius occasione sancti Antonij & Marcellæ, hæc contra monachorum hostes subnectere: At quibúsnam persuasa, inquit, eiusmodi vitæ institutum Deo gratum esse Marcella sensit, nisi ex innumeris penè miraculis, Apostolicis planè signis, atque virtutibus, quas cùm Antonium tum alios, diuino illis calculo suffragante, aßiduè operari cognouit? Erat quidem in Oriente summum illud viuendi genus instar Eliæ ac Ioannis Baptistæ cunctis hominibus etiam ethnicis & Imperatoribus ipsis venerandum, sed & impijs quoque hæreticis reuerendum, atque adeò cælestibus ciuibus admirandum; vtpote qui se in terris conciues habere lætantes, cum eisdem tamquam gentilibus suis amicè aßiduò versarentur. Factúmque feliciter est, vt Athanasio propalante inferretur, ac pariter coleretur in Vrbe sublime illud viuendi genus, cuius in montibus atque desertis locis tantùm cernebantur impressa vestigia: nec detrectauit vniuersus Christianus orbis in Occidente sectari, quod sciret in Ecclesiâ Romanâ susceptum: quæ hæc omnia accepta fert Athanasio; cùm alioqui non defuerint (quod dictum est superiùs) persecutionis retrò temporibus, cùm in Vrbe, tum alijs quoque in locis monachi: illos dixerim qui in similitudinem Pauli atque Antonij à persecutionibus fugientium, eadem ex caussâ in cryptis, antris, iugis montium, valliúmque conuexis recessibus delitescentes, instar Eliæ à facie Achab & Iesabel fugientis, Deum propensiùs colerent: adeò vt licet monachi nomen visum sit Vrbi nouum, res tamen ipsa vetus, sed in tanta Ecclesiæ pace legibus quibusdam exculta, fecundiori germine propagata.

Baron. anno 340.

Excellens studium monastica disciplina.

Nomen nouum, res vetus.

Donatistæ hæretici, ijdem & Circumcelliones dicti, qui his ipsis temporibus aduersus Catholicos grassabantur in Africâ, primi ausi sunt, non de re ipsâ, sed de nomine à pijs quærere & dicere (inquit S. Augustinus) consueuerunt: Quid sibi vult nomen monachorum? *& inferiùs:* Nobis dicunt: Ostendite vbi scriptum sit nomen monachorum? *Respondit post alia ad hæc ipse:* Quare ergo & nos non appellemus monachos, cùm dicat Psalmus: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum? μόνος enim vnus dicitur, & non vnus quomodocumque: nam & in turbâ vnus est, sed vnà cum multis vnus dici potest, μόνος non potest, id est solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis verè quod scriptum est: Vna anima, & cor vnum; multa corpora, sed non multæ animæ; rectè dicitur μόνος, id est vnus solus. *& paulò post:* Meritò insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate præ-

August. in Psal. 132.

Psal. 132.

Act. 4.

præciderunt. Meritò illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus; sed sequentes Donatum, Christum diuiserunt. *hac Augustinus.*

Hostes monachismi, impij apostatæ.

Probè iam vides, Lector, à quorum partibus stent qui nostro hoc infelicißimo sæculo Monachorum nomen adeò execrantur; & quorumnam profiteantur se esse discipulos, cùm eorum sectentur impietatem, duplo quàm illi planè impij, cùm illi (vt ait Augustinus) nomini insultarent Monachorum, quòd ab vnitate Catholica defecissent; isti verò duplici apostasiâ, nempe quòd ab Ecclesiæ fide & monasticâ obseruantiâ turpißimè defecerunt: tales planè fuerunt, qui prima iecerunt fundamenta omnium hæresum, quæ hoc sæculo prodierunt. At non hac tantùm ex parte duplo (vt diximus) peiores quàm Donatistæ, sed triplo: quippe qui non, sicut illi, de nomine solùm mouerint Catholicis quæstionem, sed rem ipsam fuerint acerbißimo odio insectati: verùm & cùm id agant, non verbis tantùm, sed rebus moréque prædonum, in monasteria tum virorum, tum sacrarum virginum, vbicumque per vim licuerit, grassati fuerint, & debacchari non cessent, etiam quadruplo deteriores illis habendi sint. Ceterùm quod ad alias res spectat, nihil est quòd Sacramentarij Donatistis conferri poßint; cùm hi, paucis quibusdam exceptis, in reliquis omnibus cum Ecclesiâ Catholicâ consentirent.

4. EVAGRIVS.] *Sæpiùs Hieronymus* EVAGRII *nunc vt presbyteri, nunc vt sibi charißimi, nunc vt sancti meminit. Vide eum epist.* V. *&* VI. *ad Florentium epist.* XLI. *ad Ruffinum: epist.* XLIX. *ad Innocentium. epistol.* XLIII. *ad Chromatium, Iouinum, & Eusebium: item in vitâ Malchi monachi captiui, c.* I. *& in Chronico Eusebij anno* II. *Aureliani Imperatoris, Christi* CCLXXIII. *vbi eum ex familiâ Pompeiani Ducis, cognomento Franci, qui Zenobiam deuicit, originem ducere asseuerat.*

An Euagrius vitæ huius interpres sit, an vero Hieronymus.

Euagrium vitæ huius interpretem esse, clarè asserit D. Hieronymus, vt vidimus in Elogio. cui consentiunt omnia MS. exemplaria; quæ Euagrij nomen huic vitæ præfigunt.

Non defuere tamen, qui Hieronymo hanc versionem vel scriptionem tribuant. Hilarion enim Veroneus, Monachus Casinensis, præfatione ante doctrinam Dorothei Latinè à se conuersam, ait, Hieronymum Antonij monachi vitam ita transtulisse, vt nihil in eâ desit ex sensu, cùm multa desint ex verbis. *Ioannes quoque Grynæus præfatione Orthodoxographiæ ait:* Vitam Antonij γραφικῶς Hieronymus descripsit.

Sed maiorem cuiquam dubitationem inijcere poßit Baronius, qui aliquam suæ opinionis rationem adferre videtur. nam Notat. ad Martyrolog. Rom. XVII. *Ian. postquam egit de Actis Antonij ex Athanasio in Latinum sermonem ab Euagrio Antiocheno versis, ait:* Præstitit hoc ipsum idem D. Hieronymus, postulate Pammachio, vt ipse profitetur, ad eumdem scribens epist. CI. de Opt. gen interp. quam illam esse putamus quæ habetur præ manibus. *Idem tom* III. *Annal. anno Christi* CCCLVIII. *ex D. Hieronymi epistolâ* CI. *deducit eum ex Græco vertisse vitam sancti Antonij.*

Legi, relegi epistolam illam quam citat Baronius, non semel; nec tale quid, quale asserit, deprehendi. Sed imposuit, vt video, viro multiiugâ lectione occupato, non benè perlectus Hieronymus. Postquam enim D. Hieronymus versiones suas, quibus non verba verbis, sed sententias sententijs exprimebat, exemplo Ciceronis defendisset, itáque se Eusebij Chronicon ante viginti circiter annos vertisse aßeruisset; ne vel Ethnici tantùm, vel suâ solius niteretur auctoritate, addit & alterius (Euagrij scilicet, quem tamen non nominat) viri sæculo suo clari testimonium. Verùm, ne meorum, *inquit*, scriptorum parua sit auctoritas, quamquam hoc tantùm probare voluerim, me semper ab adolescentiâ non verba, sed sententias transtulisse: qualis super hoc genere præfatiuncula sit in libro, quo B. Antonij vita describitur, (*scilicet ab Euagrio Antiocheno, vt ipse testatur in Catal. Illustr. Eccles. scriptor. cap.* CXXV.) ipsius lectione cognosce. *Et subdit eam præfatiunculam, quæ huic ipsi vitæ præfigitur.* Ex aliâ in aliam linguam expressa ad verbum translatio, sensum operit, & veluti læto gramine sata strangulat. Dum enim casibus & figuris seruit oratio, quod breui poterat indicari sermone, longo ambitu circumacta vix explicat. Hoc igitur ego vitans, ita B. Antonium te petente transposui, vt nihil desit ex sensu, cùm aliquid desit ex verbis. Alij syllabas aucupentur & litteras, tu quære sententiam.

Euagrius est huius vitæ interpres.

Vides, Lector, quid Baronium in errorem traxerit. Hæc enim verba, Hoc igitur ego vitans, *&c. non Hieronymi sunt ad Pammachium, sed Euagrij ad Innocentium, vt hic habes in præfatiunculâ vitæ Antonij præmissâ. cuius auctoritate suas quoque versiones tuetur Hieronymus. Si enim hæc præfatio D. Hieronymi esset, non dixisset suprà:* Verùm, ne meorum scriptorum parua sit auctoritas: *quibus insinuat se alterius auctoritatem aduocaturum.*

Adde, quòd in Prologo ad vitam Pauli primi eremitæ Hieronymus ait: Quia de Antonio tam Græco quàm Romano stilo diligenter proditum est. *quasi alij prodiderint, non ipse.*

Hæc fusius aliquantò deduxi, ne temerè viderer à viro magno recedere. Maneat igitur Euagrius Antiochenus vitæ huius interpres.

Respondetur obiectioni ex Gelasio.

DICES, *Gelasius decret. de libr. authent. & apocr. d.* 15. *videtur asserere etiam Antonij vitam à D. Hieronymo scriptam. Ait enim:* Vitas Patrum Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus.

Baronius Notat. ad Martyrologium Romanum

num XVII. Ianuarij, ex Hieronymi epist. CI. non ritè intellectâ, vti iam demonstraui, existimauit factum, vt Gelasius dixerit Hieronymum non tam vertisse quàm scripsisse Antonij vitam, quia non verba verbis, sed sententias reddiderit sententijs. quod ipsum repetit tomo III. Annal. anno Christi CCCLVIII.

Posseuinus Apparatu sacro, in Antonio, etsi cum Baronio existimet, vitam Antonij à D. Hieronymo quoque Latinitati donatam, aliam tamen caussam assignat, cur Gelasius dicat eum scripsisse (non autem, vertisse) vitam S. Antonij. Non, inquit, solùm quia sententias sententijs reddidit, vt quidam (Baronius) existimauit, verùm etiam quia integriorem emisit. Antonij enim Aegyptij Magni, adhuc superstitis, cùm Athanasius vitam scriberet, factum est, vt eorum, quæ subsecuta sunt, prætermissa sint aliqua, vt & Antonij obitus, incertum sit, num adtextus sit deinceps ab Athanasio, quem Romam attulisse res ab Antonio gestas ante biennium eius mortis (intellige hîc Posseuinum de morte Pauli) nempe à Iulio Pont. Maximo vocatum, Hieronymus narrat. Ac proinde haud mirandum, si hic in vitâ Pauli narret, quæ Athanasius omisit, de dæmone in hippocentauri specie, de Antonij congressu cum Paulo, de coruo panem adferente, de pallio, quod Antonio largitus fuerat Athanasius, & si qua eiusmodi sunt alia. Hactenus Posseuinus.

Ego verò, vt Euagrium vitam vertisse Antonij clarè satis, nisi me fallit opinio, probaui, quod ab Hieronymo quoque factum, non æquè probatum est; ita videri alicui possit Gelasius, cùm vitam Pauli & Antonij ab Hieronymo ait descriptam, respexisse ad Pauli vitam, in quâ tanta propè Antonij, quàm Pauli fit mentio. Et sanè Græca huius vitæ inscriptio in Bibliothecâ Bauaricâ vtrumque præfert. ita enim habet: Διήγησις τοῦ ἁγίου Παύλου Θηβαίου, καὶ Ἀντωνίου Αἰγυπτίου. Enarratio de S. Paulo Thebæo, & Antonio Ægyptio.

Nisi quis fortè Euagrium, Græcum hominem, & Hieronymo coniunctissimum, studiorúmque eius patronum, in vertendâ Antonij vitâ, Hieronymi operâ vsum esse velit, suáque censoria Hieronymi virgulæ subiecisse. Certè intermicant nescio quæ Hieronymiani stili stricturæ.

Quamquam dicere quis possit, Euagrio, etsi Antiocheno homini, Latinam dictionem æquè atque Græcam familiarem fuisse, quippe qui originem ducat à Pompeiano duce, cognomento Franco, vt habet Hieronymus in Chronico, quod suprà citauimus: quem Latinum hominem fuisse vero est simile.

Quidquid demum sit, existimo plerasque Patrum vitas sine auctoris & interpretis nomine olim circumlatas, vnde tam varia de auctoribus Vitarum Patrum opinio orta fuit, vt vidimus suprà in Prolegomenis generalibus. Quin hanc ipsam Antonij vitam citans D. Hieronymus epistolâ illâ CI. cap. II. séque interpretis præfatiunculâ defendens, non meminit nominis interpretis. Vnde fortassis hæc Antonij quoque vita inter Pauli & Hilarionis vitas olim descripta, occasionem dedit Gelasio existimandi, Hieronymum quoque vitæ Antonij auctorem esse, qui duarum aliarum auctor est.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

VITA

VITA B. ANTONII ABBATIS

17. IAN.

AVCTORE S.ATHANASIO EP. ALEXANDR. INTERPRETE EVAGRIO PRESBYTERO ANTIOCHENO.

EVAGRII AD [1] INNOCENTIVM PROLOGVS.

Presbyter Euagrius Innocentio chariſſimo filio in Domino ſalutem.

EX aliâ in aliam linguam ad verbum expreſſa tranſlatio, ſenſus operit, & veluti lętum gramen ſata ſtrangulat. Dum enim caſibus & figuris ſeruit oratio, quod breui poterat indicari ſermone, longo ambitu circumacta vix explicat. Hoc igitur ego vitans, vitam B. Antonij, te petente, ita tranſpoſui, vt nihil deſit ex ſenſu, cùm aliquid deſit ex verbis. Alij ſyllabas aucupentur & litteras, tu quære ſententiam.

ATHANASII EPISC. ALEXANDR. PRAEFATIO.

Athanaſius Epiſcopus ad peregrinos fratres.

OPTIMVM, *fratres, iniiſtis certamen; aut æquari Ægypti monachis, aut ſuperare nitentes virtutis inſtantiâ. Etenim apud vos iam plurima ſunt monaſteria: monachorum quoque nomen eſt celebre: & hanc voluntatem veſtram iuſtè quiſque mirabitur: orantibuſque vobis optatum Deus tribuet effectum. Quoniam igitur exegiſtis à me, vt vobis ſcriberem de conuerſatione beati Antonij, volentibus diſcere, quemadmodum cœperit, quíve fuerit ante ſanctum propoſitum, qualem etiam habuerit terminum vitæ, & ſi vera ſint ea, quæ de ipſo fama diſperſit, vt ad eius æmulationem atque exemplum vos inſtituere poſſitis. magnâ cum lætitiâ ſuſcepi veſtræ charitatis imperium. Etenim mihi [2] ingens lucrum eſt atque vtilitas hoc ipſum, quòd recordor Antonij: & vos cum admiratione audientes, ſcio eius propoſitum cupere ſectari: perfecta eſt ſiquidem ad virtutem via, Antonium ſcire quis fuerit.* *Antonij recordatio lucrum eſt Athanaſio.*

Ergo vt breuiter dicam, & omnibus, quæ de eo referentium ſermo iactauit, credite, & minima vos exiſtimate audiſſe de maximis: quia non ambigo, nec eos omnia potuiſſe *Vita Antonij perfecta ad virtutem via.*

cogno-

cognoscere, cùm & ego rogatus à vobis, quantacumque per epistolam significauero, non æqualia sim eius meritis narraturus. Sed & vos omnes hinc nauigantes studiosè percontamini, quò singulis, quæ norunt, referentibus, congrua dignáque tanti nominis relatio compleatur. Disponebam itaque post lectionem litterarum vestrarum aliquos ad me monachos inuitare, & maximè eos, qui crebrò ad eum ire consueuerant: vt plenius aliquid addiscens, munera vobis maiora transmitterem. Sed quoniam & nauigationis tempora labebantur, & litterarum portitor vehementissimè festinabat, ideò ea, quæ & ipse noueram ([3] frequenter enim eum visitaui) & [4] quæ ab eo didici, qui ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo fecit, dilectioni vestræ indicare properaui: vtrobique curam veritatis habens, vt neque plus aliquis audiens, miraculorum congestionem non credat, nec rursum meritis eius inferiora cognoscens, non putet dignum esse miraculo pro tanti nominis viro.

Testatissima vita huius historia.

CAP. I. [5]

Antonij genus & patria.

ANTONIVS nobilibus religiosisque parentibus natus, [6] in Ægypto oriundus fuit, tantâ suorum nutritus curâ, vt nihil aliud præter parentes domumque cognosceret. Et cùm iam puer esset,[7] non se litteris erudiri, non ineptis infantium iungi passus est fabulis: sed Dei desiderio flagrans, secundùm quod scriptum est,[8] innocenter habitabat domi. Ad ecclesiam quoque cum parentibus sæpè conueniens, nec infantum lasciuias, nec puerorum negligentiam sectabatur: sed tantùm ea quæ legebantur auscultans, vtilitatem præceptorum vitæ institutione seruabat; non suis, vt solet illa ætas, pro varijs & delicatis cibis vmquam tædio fuit; non escæ mollioris blandimenta sectatus est; his solùm, quæ dabantur, contentus nihil ampliùs requisiuit.

Sancta pueritia. Gen. 25.

CAP. II.

Post mortem autem parentum, annorum circiter decem & octo seu viginti, cum sorore admodum paruulâ derelictus, & domus & sororis honestam curam gerebat. Necdum verò sex fluxerant menses, quibus ad ecclesiam (vt solebat) accurrens, recordabatur quomodo & apostoli, omnibus spretis, secuti fuissent Saluatorem: & multi, vt legitur in Actis apostolorum, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve aut quanta spes iisdem reposita esset in cælis. Talia secum voluens, intrauit ecclesiam,[9] & accidit vt tunc euangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Quo audito, quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset Scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium: statimque regressus, possessiones quas habebat vendidit.[10] Aruræ autem erant ei trecentæ vberes, & valdè optimæ, quas vicinis largitus est: ne in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cetera verò, quæ in mobilibus possidebat, vniuersa vendidit: & aggregato non exiguo pretio, indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu & ætate videbatur infirmior.

Frequens in ecclesiâ. Matth. 19. Actor. 4. Coloss. 1. *Attentus auditor.* Matth. 19. *Vendit possessiones suas.*

CAP. III.

Rursus autem ecclesiam ingressus, cùm audisset Dominum in euangelio dicentem: Nolite cogitare de crastino, reliquam quoque portionem pauperibus distribuit; neque se versari passus est domi, sed sorore fidelibus ac notis virginibus commendatâ, vt earum nutriretur exemplo; ipse iam omnibus sæculi vinculis liber, asperum atque arduum arripuit institutum.

Matth. 6. *Facultatibus & sæculo renuntiat.*

Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monasteria: neque omnino quisquam auiam solitudinem nouerat: sed quicumque in Christi seruitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à suâ villulâ separatus instituebatur. Erat igitur in agello vicino senex quidam, vitam solitariam à primâ sectatus ætate: hunc Antonius cùm vidisset, æmulatus est ad bonum. Et primò quidem incipiens etiam ipse, in locis paululùm à villâ remotioribus manebat: exinde autem, si quem vigilantem in hoc studio compererat, procedens, quærebat vt apis prudentissima: nec ad habitaculum suum antè remeabat, nisi eius, quem cupiebat, frueretur aspectibus: & sic, tamquam munere mellis accepto, abibat ad sua. Tali ibidem institutus exordio, cùm per dies singulos ita animum roboraret, vt nec opum paternarum, nec suorum meminisset affinium, omne etiam desiderium & sollicitudinem erga id, quod cœperat, exerceret, operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Mercedem tamen operis sui, pretio panis excepto, egentibus largieba-

Meliores æmulatur. *Operatur manibus.* 2. Thess. 3.

giebatur. Orabat frequenter: quippe qui didicerat, quòd oporteret sine intermissione Dominum orare.

Auditioni etiam Scripturarũ ita studium commodabat, vt nihil ex eius animo laberetur: sed vniuersa Domini præcepta custodiens, [11] memoriam pro libris haberet. Sic suam vitam instituens, ab vniuersis fratribus puro diligebatur affectu: & omnibus, ad quos studio discendi pergebat, obediens, proprias singulorum gratias hauriebat: huius continentiam, iucunditatem illius sectabatur: istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam: istum ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur: alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat. Omnium quoque vicariam erga se retinens charitatem, atque vniuersis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum vniuersa pertractans, omnium in se bona nitebatur exprimere. Neque verò aduersum coæuos aliquando mouebatur, sed ea tantummodò flamma egregio viro crescebat in pectore, ne secundus cuiquam in prædictis operibus inueniretur. Et hoc ita faciebat, vt cùm omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen charus esset. Nam & vicini & monachi, ad quos sæpè veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant: indultisque naturæ vocabulis, [12] quidam vt filium, alij vt fratrem diligebant.

...in virtutes ...uit.

Nulli primas in virtutibus cedit.

Deicola habitus.

CAP. IV.

Diabolicis infestatur insidiis.

Dum hæc gereret Antonius, quibus omnium in se prouocaret affectum, inimicus nominis Christiani diabolus, impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus. Et primò quidem tentans, si quo modo posset ab arrepto eum instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam sæculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimenta; postremò virtutis arduum finem, & maximum perueniendi laborem, necnon & corporis fragilitatem suggerebat, & ætatis spatia prolixa: prorsus maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, volens eum à recto proposito reuocare.

In oratione superat.

Postquam autem diabolus orationibus eius ad Deum, per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersum omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Et primùm noctibus infestâ multitudine & horribili metu sonitus eum exagitare conabatur. Per dies etiam tam apertis in eum telis irruebat, vt nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret. Nam & ille cogitationes sordidas conabatur inserere: & hic eas oratu submouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore: hic fide, vigiliis, & ieiuniis corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ: hic vltrices gehennæ flammas & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. [13] Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinam facile proponebat: hic æterna futuri iudicij tormenta considerans, illæsam animæ puritatem per tentamenta seruabat. Ista autem omni ad confusionem diaboli fiebant: qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente vt miserrimus deludebatur: & qui contra carnem & sanguinem sæuiebat, ab homine, qui carnem portabat, elisus est. Adiuuabat enim seruum suum Dominus, qui nostri gratiâ carnem suscipiens, victoriam corpori contra diabolum largitus est: vt singulis ita certantibus, Apostolicum liceret proferre sermonem: Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.

Vigiliis & ieiuniis corpus omne vallat.

Illecebras carnis memoriâ nouissimorum vincit.

1. Cor. 15.

Postremò cùm nec hoc argumento destruere posset Antonium draco teterrimus, & videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundùm quod scriptum est, stridens dentibus & eiulans: qualis est, talis meritò apparebat & vultu: puer horridus atque niger, ad eius se genua prouoluens, humanâ voce flebat, dicens: Multos seduxi, plurimos decepi: nunc autem vt à ceteris sanctis, ita & tuo sum labore superatus. Quem cùm interrogaret Antonius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda aduersum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi: [14] hinc & spiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere disponentes, fefelli? quot tenuiter incipientes, ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum, propter quem Propheta lapsos increpat, dicẽs: Spiritu fornicationis seducti estis: & reuerà per me & illi fuerant supplantati. Ego sum, qui te ipsum sæpè tentaui, & semper repulsus sum. Cùm hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, & largiore aduersus inimicum confortatus audaciâ, ait: Multùm ergo despicabilis, multumque contemptibilis es: nam & obscuritas tua & ætas, infirmarum signa sunt rerum. Nulla mihi iam de te cura est. Dominus mihi adiutor est, & ego exultabo super inimicos meos. Et statim ad vocem cantantis, phantasma, quod videbatur, euanuit.

Mar. 9.

Tetrâ specie spiritũ fornicationis videt.

Osee 4.

Psal. 117.

CAP. V.

Prima Antonij contra diabolum victoria.

Hæc autem Antonij contra diabolum fuit prima victoria, imò virtus in Antonio Saluatoris: qui peccatum in carne condemnauit,

nauit, vt iustificatio legis in nobis compleretur: qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. *Rom. 8.* Sed neque Antonio securitatẽ dedit hic vnus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecere vires. Nam & iste, vt leo rugiens, quærebat aditum per quem posset irrumpere: *1. Pet. 5.* & ille Scripturarum doctus eloquio, multas esse dæmonum captiones, *Ephes. 6.* solerti propositum labore seruabat; considerans, quia posset satanas in carnis colluctatione superatus, nouarum aduersus se artium machinas acriùs commouere. Idcircò magis ac magis subiugabat corpus suum, ne victor aliorum, in aliis vinceretur. *1. Cor. 9.* Disponens igitur duriori se vitæ lege constringere, [15] cùm omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instãtiam, sanctum toleranter ferebat laborem, quia voluntariæ seruitutis longum in Dei opere studium, consuetudinem in naturam verterat. *Consuetudinem tolerantia in naturam vertit.*

CAP. VI. Inedia, vigilia, & orationes Antonij. Inediæ autem & vigiliarum in tantum patiens erat, vt incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post solis occasum, nonnumquam biduo triduoque sic permanens, quartâ demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal, potumque aquæ perparuum. *Victus eius, panis, sal, aqua.* De carnibus verò & vino tacere melius puto, quàm quidquam dicere: quando nec apud plurimos quidem monachorum, istiusmodi aliquid reperiatur. Quieti autem membra concedens, iunco contexto atque cilicio vtebatur. *Lectus eius iuncus & cilicium.* Nonnumquam etiam super nudam humum iacebat, vnguẽta penitùs repudians. Dicebat enim, minimè posse vtentium, & præcipuè iuuenum corpora roborari, si olei essent lenitate mollita: oportere verò asperos carni labores imperari, secundùm Apostoli præceptum, dicentis: Quando infirmor, tunc fortior sum. *2. Cor. 12.* Asserebatque sensum animi sic posse reuiuiscere, si corporis fuisset impetus fatigatus. Vnde nec temporũ longitudine laborum merita pensabat, sed amore & famulatu spontaneo semper, tamquam in principiis constitutus, ad profectum diuini metus desiderium concitabat. *Merita non tempore sed amore pensanda.* Nouisque cupiens augeri præterita, suprà memorati Doctoris sermonum recordabatur, qui ait: Præterita obliuiscens, & in futurum conualescens. *Philip. 3.* Meminerat quoque Eliæ prophetæ dicentis: Viuit Dominus, cui adsto hodie ante ipsum: *3. Reg. 18.* & differebat, cur, hodie, esset appositum, quia non computabat Elias præteritum tempus: sed tamquam quotidie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati eius. *Elias se exemplo exstimulat.*

CAP. VII. Igitur sanctus Antonius secum reputans, oportere Dei famulum ex instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere: ad sepulchra non longè à villâ constituta secessit, vni de cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret. [16] Et cùm in vnâ memoriâ suprà dictus frater eum clausisset, solus ibidem morabatur. Metuens ergo diabolus, ne accessu temporis eremum quoque habitari faceret, ita eum aggregatis satellitibus suis, variâ cæde lacerauit, vt doloris magnitudo & motum auferret & vocem. *Atrocissimè verberatur à dæmonibus.* Nam & ipse posteà sæpè referebat, vulnera fuisse tam grauia, vt vniuersa hominum tormenta superarent: sed Dei prouidentia, quæ numquam in se sperantibus deest, conseruauit eum.

Alio die is, quem suprà diximus, frater aduenit, cibos deferens assuetos: atque eum iacentem in terrâ semimortuum, fractis foribus, inuenit. *Semimortuus ad villulam reportatur.* Quem impositum humeris, ad villulæ domicilium reportauit. Quo audito, ingens vicinorum atque affinium multitudo concurrens, triste in medio positi funeris reddebat officium. Et iam mediâ noctis parte transgressâ, grauis peruigiles omnium oculos vicerat sopor. Tum Antonius animâ paululùm redeunte suspirans, eleuauit caput: ceteris verò altâ quiete prostratis, eum, à quo delatus fuerat, vigilare conspexit: eumque nutu aduocans, obsecrauit, vt nullo penitùs excitato, ad pristinum se referret habitaculum.

CAP. VIII. Relatus ad eremum dæmonibus exprobrat. Relatus ergo, iuxta consuetudinem solus iterùm permanebat: & stare quidem propter recentes plagas non poterat, orans verò prostratus, post orationem clarâ voce dicebat: Ecce hic sum ego Antonius, non fugio vestra certamina: etiamsi maiora faciatis, nullus me separabit à charitate Christi. *Rom. 8.* Psallebatque dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. *Psal. 26.* Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus, admiratus quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio se furore dilanians, Videtis, ait, quia nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acriùs à nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat. Debet scire, quos prouocet. Dixit, & ad hortantis vocem audientium turba consensit, quia innumeras diabolus habet artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet: *Varia dæmonum procacium terricula menta.* nam & bestiarum & serpentium formas induentes, omnem protinus locum repleuere phantasiis:

tasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, necnon & pardorum atque vrsorum. Et hæc singula secundùm suam fremebant naturam. Rugiebat leo, occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus ingerebantur: [17] pardus discoloriter auctoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur: Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium: sed quoniam Domino vos eneruante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores, cùm hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quòd irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens, aiebat: Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum: deuorate concessum. Si verò non potestis, cur frustrà nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Multa contra sanctũ Antonium minantes, fremebant dentibus suis, quòd nullus eorum tentamenta consequeretur effectus, sed maximè è contrario gigneretur illusio.

Signũ crucis & fides ad Dominũ, murus inexpugnabilis.

CAP. IX.

[18] Non oblitus Iesus colluctationis serui sui, eidem protector factus est. Deniq; cùm eleuaret oculos, vidit desuper culmen aperiri, & deductis tenebris, radium ad se lucis influere. Post cuius splendoris aduentum nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extẽplò deletus est. Ædificium quoque, quod paulò antè dissolutum fuerat, instauratum est. Ilicò præsentiam Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad lumen, quod ei apparuerat, loquebatur, dicens: Vbi eras bone Iesu? vbi eras? Quare non à principio affuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis, exurgens, intantum roboratus, orabat, vt intelligeret se plus recepisse tunc virium, quàm antè perdiderat. Erat autem tunc Antonius annos natus triginta quinque.

Cælesti visione recreatur.

Antonius annorũ 35.

CAP. X.

Exinde cùm voluntate promptâ per merita religiosa succresceret, vadens ad supradictum senem, precabatur vt in deserto habitarent pariter. Causante illo senile æuum & rei nouitatem, solus contendit ad montem, & eremi adhuc monachis ignotæ, vitæ rupto metu, viam conatus est pandere. Sed nec tunc cessauit infatigabilis aduersarius: nam impedire eius propositum volens, argenteum discum in itinere proiecit: quo viso, Antonius callidi artificis agnouit astutiam: stansque intrepidus, & discum toruis intuens oculis, doli auctorem in phantasmate obiurgabat argenti, talia secum reputans: Vnde hic in deserto discus? auium hoc iter est, nulla sunt vestigia commeantium; lapsus de sarcinâ, præ magnitudine latere non potuit: sed & qui perdiderat reuersus, ob solitudinem locorum, inuenisset profectò, quod ruerat. Hoc artificium, diabole, tuum est: non impedies voluntatem meam, argentum tuum tecum sit in perditionem. Hæc illo dicente, discus vt fumus à facie ignis euanuit.

Petit eremum.

Disco obiecto tentatur.

CAP. XI.

Dehinc non vt antè in phantasmate, sed ingentem auri massam iacentem in itinere conspexit. Verùm hanc vtrùm diabolus simulauerit, an ad Antonium comprobandum, quia nec veris opibus inescaretur, virtus cælestis ostenderit, ignoratur. hoc tamen agnouimus, quia quod visum est, aurum fuit. At ille magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem vsque perrexit, ibique flumine transuadato, inuenit castellum desertum, plenum (ob tempus & solitudinem) venenatorum animalium, in quo se constituens nouus hospes habitauit. Statim ad eius aduentum ingens turba serpentium, quasi persecutorem passa, profugit. At ille obstructo lapidibus introitu, panes mensium sex, vt [19] Thebæis mos est, secum recondens (nam crebrò per annum incorrupti durare solent) necnon & exiguum habens aquæ, solitarius perdurabat: nusquam inde procedens, numquam aliquem suscipiens, intantum vt cùm bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullũ cum deferentibus haberet alloquium.

Fugit auro conspecto.

Ad mõtem primum secedit.

CAP. XII.

Multis igitur, videndi eum desiderio & studio requirendi, ante ostium eius pernoctantibus, audiebantur vt vulgi voces aduersum Antonium, tumultusque dicentium: Quid te nostris ingeris habitaculis? quid tibi & deserto? Abscede à finibus alienis, non potes hîc habitare, non nostras insidias sustinere. Et primò quidem, qui foris erant, existimabant aliquos homines scalis appositis introisse, ibique contendere. Postquam autem per cauernas introspicientes, nullum viderunt, dæmones intellexerunt contra eum contendere: & nimio metu perterriti, Antonij auxilium flagitabant. At ille

A dæmonibus infestatur.

ostio propinquans ad consolandos fratres, ne timerent, atque vt inde recederent, precabatur: trepidantibusque, asserebat cunctis à dæmonibus incuti metum: Signate vos, inquiens, & abite securi, ipsosque semetipsos finite deludere. Itaque illis reuertentibus, hic remanebat illæsus, nec vmquam in certamine lassabatur. Accedentium autem augmenta profectuum, vel debilitas repugnantium, maximum eius contentioni leuamen addiderant, & eius animo constantiam suggerebant. Rursusque ad eremum venientibus turbis, [20] quæ iam mortuum eum se existimauerant reperturos: ille psallebat intrinsecus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: vt liquescit cera à facie ignis, ita pereant peccatores à facie Dei. & iterum: Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini vindicaui in eis.

Signatione Crucis contra metum dæmonum suadet.

Psal. 67.

Psal. 117.

CAP. XIII.

Viginti annis solitariè vixit.

Sic Antonius annis viginti solitariè transactis, atque ab hominum segregatus conspectibus perdurauit. Cùm ergo multorum & propositum imitari cupientium, & notorum multitudo ad eum cōcurreret, [21] necnon & patientium infinita se caterua conglomeraret, tandem pænè iam per vim foribus euulsis, [22] quasi ex aliquo cælesti aditu consecratus apparuit. Obstupuerunt vniuersi & oris gratiam & corporis dignitatem, quod [23] nec per quietem intumuerat, nec ieiuniis, dæmonumque certamine faciem eius pallor obsederat: sed è contrario, quasi nihil temporis exegisset, antiquus membrorum decor perseuerauit. Prô quanto miraculo! quæ in illo animi puritas fuit? Numquam hilaritate nimiâ resolutus in risum est, numquam recordatione peccati tristitiâ ora contraxit, non magnis stupentium se elatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo, nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant: sed tēperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine. Plurimos igitur ab immundis spiritibus & infirmitatibus variis, Dei gratia per Antonium liberauit. Sermo eius sale conditus consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum. Proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam, & beneficia retexebat indulta, quòd proprio filio suo non pepercerit Deus, sed pro nostrâ omnium salute eum tradiderit. Nec mora, plura audientium corda ad humanarum rerum contemptum hæc eius suasit oratio. & habitandæ eremi istud eius exordium fuit.

Idem corporis post longas macerationes decor.

Dæmoniacos & infirmos curat.

Sermo eius sale conditus.

Rom. 8.

CAP. XIV.

Quid sanè & [24] in Arsinoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. Nam cùm fratres vellet inuisere, & [25] riuulum fluminis Nili, qui crocodilis & multis sæuis fluminis bestiis plenus erat, transuadare esset necesse: tam cum comitibus suis transiuit illæsus, quàm inde redibat incolumis. Rursusque in pristinis laboribus perseuerans, multos magisterio suo fratres confirmauit, ita vt breui tempore [26] plurima fierent monasteria. Nouos antiquosque monachos pro ætate vel tempore, paterno moderabatur affectu.

Per crocodilos transiit illæsus.

Monasteria exstruit.

CAP. XV.

Quadam autem die cùm sanctus Antonius a congregatis fratribus rogaretur, vt eis institutoria largiretur præcepta, cū propheticâ fiduciâ exaltans vocē, aiebat: [27] Ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere: sed & hoc optimum fore, si mutuis se inuicem fratres sermonibus consolarentur. Et vos ergo, inquit, vt patri referte, quæ nostis: & ego, quæ per longam ætatem consecutus sum, quasi filiis indicabo. Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cùm humanę vitę spatia æternitati comparata, breuissima sint ac parua. Ita exorsus, paululùm siluit: & admiratus nimiam Dei largitatem, rursus adiecit, dicens: In præsenti hac vitâ æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec maiora recipit ab emente qui vendit. Promissio autem vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim: Dies vitæ nostræ septuaginta anni: [28] si autem multum, octoginta: quidquid reliquū est, labor & dolor est. Quādo ergo octoginta, aut centum, vt multū, annis laborantes, in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro: sed pro annis prædictis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur. Nō terram hereditabimus, sed cęlum: corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio: Non sunt enim condignæ passiones huius temporis, ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Institutoria præcepta discipulis tradit.

Côcio sancti Antonij ad discipulos.

Vili pretio vita æterna comparatur.

Psal. 89.

Rom. 8.

Nemo, cùm despexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, breuis ac parua est. Si ergo nec vniuerso orbi renuntiantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cælestibus, se vnusquisque consideret, & statim intelliget, paruis arbris & parietibus vel modicâ auri portione contemptâ, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit; nec tædere, quasi

Breuis terra cælo comparata.

parua

parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam æream drachmam, ad drachmas centum aureas conquirendas: ita etiam, qui totius orbis dominium dereliquit, centuplum de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet. Ad summum, illud perspicere debemus, quòd etsi nostras velimus retentare diuitias, lege mortis ab ipsis deuellamur inuiti, [29] vt in libro Ecclesiastis scriptum est. [30] Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? Cur non ad lucranda regna cælestia vltrò relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt: illud potiùs debemus expetere, quod nos ducat ad cælum; sapientiam scilicet, castitatem, iustitiam, virtutem, sensum peruigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes, mansionem nobis in terra quietorum, secundùm Euangelium, præparabimus. Consideremus Domini esse nos famulos, & seruitutem debere ei, à quo creati sumus. Vt enim seruus præteriti gratiâ famulatus, præsens aut futurum non contemnit imperium, nec audet asserere, quòd ex labore transacto instantis operis habere debeat libertatem, sed iugi studio (vt in Euangelio scriptum est) eamdem semper exhibet seruitutem, vt & Domino placere possit, & ne metum lucretur & verbera: sic & nos diuinis congruit parêre præceptis, scientes quòd æquus ille retributor, in quo quemque inuenerit, in eo sit iudicaturus, quod propheticâ per Ezechielem voce testatur. Nam & infelix Iudas propter vnius noctis impietatem, omni præteriti temporis labore priuatus est. Idcircò tenendus est continuus instituti rigor, habentibus Deum auxiliatorem, sicut scriptum est: Quia omni proponenti bonum Deus cooperatur.

Lucæ 12.

Vt quisque inuentus fuerit, ita et iudicandus.

Ezech. 33.

Rom. 8.

Ad inertiam autem calcandam, Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanę conditionis vitam ancipitem retractantes, non peccabimus. Cùm enim excitati à somno, ad vesperam nos peruenire dubitemus, & quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus aduentu, & vbique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus prouidentiâ gubernari; hoc modo non delinquemus, aut aliquâ fragili cupiditate raptabimur: sed nec irascemur quidem aduersus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potiùs metu quotidiani recessus, & seiungendi corporis iugi meditatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis extinguetur incendium, inuicem nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes vltimæ retributionis aduentum: quia maior formido iudicij & pœnarum timor horridus, simul & [31] lubricæ carnis incentiua dissoluit, [32] & ruentem animam quasi ex aliquâ rupe sustentat. Idcoque precor vt ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens Lot imitetur vxorem, præsertim cùm Dominus dixerit, nullum ponentem manum super aratrum & respicientem retrorsum, dignum esse regno cælorum. Respicere autem retrorsum nihil aliud est, quàm in eo pœnitere quod cœperis, & mundanis rursus desideriis obligari.

1. Cor. 15.

Vitæ incertitudo retractanda contra inertiam.

Philipp. 3

Gen. 19.

Lucæ 9.

Quid respicere retrò.

Nolite, quæso, virtutis tamquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum vobis aut procul positum videatur hoc studium, [33] quod ex nostro pendet arbitrio. [34] huius operis homini inserta natura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantummodò expectat voluntatem. [35] Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium litterarũ quærant magistros: [36] nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt regna cælorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est: virtus quæ in nobis est, mentem tantùm requirit humanam. Cui enim dubium est, quia naturalis animę puritas, si nullâ fuerit extrinsecus forde polluta, fons sit & origo omnium virtutum? Bonam eam necesse est creauerit bonus Creator. Quòd si fortè cunctabimur, audiamus Iesum filium Naue populo dicentem: Rectum facite cor vestrum ad Dominum Deum Israël. Nec Ioannes dissonam tulit de virtute sententiam, prædicans: Rectas facite semitas eius. Siquidem hoc est rectam esse animam, cùm eius principalis integritas nullâ vitiorum labe maculatur: si naturam mutauerit, peruersa tunc dicitur: si bona conditio seruetur, & virtus est. Animam nostram commendauit nobis Dominus: seruemus depositum, quale accepimus. Nemo causari potest extrinsecus sitũ, quod in se nascitur: facturam suam, qui fecit, agnoscat: opus suum inueniat, vt creauit. Sufficit nobis naturalis ornatus: ne deturpes homo, quod tibi largitio diuina concessit. Opera Dei immutare velle, polluere est.

Lucæ 17.

Naturalis animæ puritas fons virtutum.

Iosue 24.

Lucæ 3.

Illud etiam sollicitè prouidere debemus, vt tyrannicam irę superemus insaniam: quia scriptum est: Iracundia viri iustitiam Dei non operatur. Et iterùm: Desiderium concupiscens parit peccatũ, quo perfecto, mors gignitur. Diuinæ vocis præceptum est, vt iugi custodiâ tueamur animam nostram, quia

Ira tyrannis superanda.

Iac. 1.

Ibid.

Prou. 4.

ANTONIVS. quia exercitatos ad supplantandū habemus inimicos, dæmones scilicet, contra quos nobis, secundùm Apostolicam cōtestationem, pugna sine intermissione est. At enim: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, aduersus spiritalia nequitiæ in cælestibus. Ingens eorum turba istum peruolat aërem, non procul à nobis hostium caterua discurrit. Et diuersitatem quidem eorum non est meæ paruitatis exponere, sed hanc maioribus concedo rationem. Quod autem in promptu est, & ignorare non expedit, dolos scilicet eorum aduersum nos compositos breuiter indicabo.

Ephes. 6.

Dæmones non naturâ, sed suo vitio mali. Hoc primùm debemus mentibus affigere, [17] nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab eius institutione dæmonum cœpisse principia: peruersitas ista, non naturæ, sed voluntatis est vitium. Boni etenim, vtpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruêre de cælis: ibique in cœni sordibus volutati, gentilitatis impias constituêre culturas: & nunc de nobis torquentur inuidiâ, atq; vniuersa mala commouere nō cessant, ne pristinis eorū sedibus succedamus.

Diuersa dæmonum nequitia. [18] Diuersa autem eorum & partita nequitia est. Quidam enim ad summum nocendi verticem peruenere, alij ex comparatione peiorum videntur esse leuiores: atque omnes pro possibilitate virium, diuersa contra singulas causas sumpsere certamina. Idcircò necessarium est, donum spirituum discernēdorum à Domino petere, vt possimus, tam fraudes eorum quàm studia peruidentes, aduersus disparem pugnam vnum Dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto, docebat dicens: Non enim eius ignoramus astutias. Ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his quæ passi sumus, mutuis nos inuicem instruere sermonibus.

1. Cor. 12.

Matth. 12.

Crucis vexillum.

2. Cor. 2.

Peculiare dæmonum odium contra monachos & virgines. Hostile illis contra omnes Christianos, maximè verò contra monachos & virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos prætendunt, eorum mentes impiis atq; obscœnis cogitationibus nituntur euertere: sed nihil vobis in hoc terroris incutiant. Fidelium enim orationibus atq; ieiuniis ad Dominum, statim corruunt: nec tamen si paululùm cessauerint, prorsus plenam putetis esse victoriam. Solent etiam saucij grauiùs assurgere, & mutatâ arte pugnandi, cùm in cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, assumentes nunc mulierū, nunc bestiarum, nunc serpentium formas, necnon & ingentia quędam corpora, & vsque ad tectum domus porrectum caput, infinitas species & militum cateruas. Quæ omnia [19] ad primum quodque crucis signum euanescunt. His quoque agnitis fallaciarum modis, incipiunt præsagire, & futurorum dierum euentus velle prædicere. Cumque & in his contempti fuerint, ipsum iam suæ nequitiæ principem ac totius mali summitatem, ad subsidium sui certaminis vocant.

Præstigia dæmonum ad crucis signum euanescunt.

CAP. XVI. Crebrò denique Antonius talem à se visum diabolum asserebat, qualem & beatus Iob, Domino reuelante, cognouerat. Oculi eius ac si species luciferi, ex ore eius procedunt lampades incensæ. Crines quoque incendiis sparguntur, & ex naribus eius fumus egreditur, quasi fornacis æstuantis ardore carbonum. Anima eius vt pruna, flamma verò ex ore eius glomeratur. Cum huiusmodi terroribus visus est princeps dæmonūm, inquit Antonius, & ingentia sæpè, vt dixi, promittens, impietatis suæ desurit linguâ magniloquâ, de quâ Dominus triumphauit, ad Iob dicens: Arbitatur enim ferrum vt paleas, æramentum vt lignum putridum, maria vt terram, tartarum profundi tamquam captiuum æstimauit, abyssum vt deambulatorium. Per Prophetam quoque increpat, dicens: Persequens comprehendam, & omnem orbem terrarum manu meâ vt nidum obtinebo, & vt oua derelicta auferam. Sic iniquus funereas euomens voces, benè viuentium aliquos frequenter illaqueat, sed nos nec eius pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus: fallit enim frequenter, nihilque verum promittit. Nam si non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia & tam infinita promittens, [40] hamo crucis vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum, & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armillâ labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur? [41] Nunc miserabilis vt passer, ad ludum irretitus à Christo est, nunc comites suos quasi scorpiones & serpētes, calcaneo Christianorum substratos gemit. Ille qui vniuersa maria à se deleta plaudebat, ille qui orbem terrarum manu suâ teneri pollicebatur, ecce à vobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem. Contemnenda est, filioli, penitùs cum inanibus verbis superba iactantia: fulgor ille, qui lucere se simulat, non veri splendor est luminis: sed, quibus arsurus est, indicat flammas. Nam dicto citiùs recedens, suarum secum refert simulacra pœnarum.

Iob 41.

Ibid.

Exodi 15.

Isaiæ 10.

Non dæmonis minæ timenda, nec pollicitationibus eius credendum.

Iob 40.

Dæmon à Christo vt passer irretitus.

Solent etiam cum modulatione nonnumquam apparentes psallere, proh nefas! ad hæc & impuro ore sacra Scripturarum eloquia meditatur. Frequenter enim legentibus nobis, quasi Echo ad extrema verba respon-

respondent. Dormientes quoque excitant ad orandum, vt totius noctis somnum eripiant: plerosque etiam, dum se in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coërcent, & pristina, quibus conscij sunt, peccata imputant: sed spernendæ sunt eorum increpationes, & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio. Ob id enim familiares nobis species assumunt, vt affinitate virtutum nocentes, faciliùs virus interferát, & innocentes quosque per speciem honestatis elidant. Impossibile posteà durumque hoc studium prædicant, vt dum onerosum esse videtur quod cœptum est, ex desperatione tædium, & ex tædio succedat ignauia. Idcircò Propheta missus à Domino, luctuosa denuntians, sublimi voce dicebat: Væ qui potat proximum suũ subuersione turbidâ. Huiusmodi enim exhortamenta, deprauatoria sunt itineris, quod ducit ad cælum. Idcircò cùm venisset Dominus ad terras, & vera de eo dæmones inuiti prædicarent (verè enim dicebant: Tu es Christus Filius Dei viui.) vociferantium ora claudebat, qui vinctas hominum linguas soluebat, ne cum præconio veri peruersitatis venena miscerent: & vt nos eius exemplo, etiamsi profutura suaderent, in nullo his commodaremus assensum: quia profectò non congruit nos post libertatem à Domino concessam, & Scripturarum præcepta vitalia, à diabolo viuendi capere consilia, qui suum deserens ordinem, sacrum Christi temerauit imperium. Propterea etiam Dominus eum de Scripturis loquentem iubebat tacere, quia peccatori dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Omnia dæmones simulant, colloquuntur sæpè cum fratribus, sæpè cum turbâ inconditos excitant sonitus, manus apprehendunt, sibilant, insipienter cachinnant, vt vel in puncto peccati Christianum pectus introëant. Cumque ab vniuersis fuerint repulsi, ad extremum debilitatem suam lamentatione testantur. Et Dominus quidem quasi Deus, & suæ conscius maiestatis, obmutescere his imperabat: nos autem vestigiis Sanctorum inhærentes, eamdem gradiamur viam, qui memoratas subtiliùs fallacias peruidentes, canebant: Cùm cõsisteret aduersum me peccator, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et iterùm: Ego verò tamquam surdus non audiebã, & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum vt homo non audiens. Christus silentium vt Dominus imperauit, nos diabolo nihil credamus, & vincemus. Si orare compellunt, si ieiunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostrâ consuetudine id agamus. Denique etiam si irruentes, mortem nobis intentare videantur, ridendi potiùs sunt quàm timendi: quia cùm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. Equidem de istis iam transitoriè me dixisse memini, tamen eadem nunc explicanda sunt latiùs, quia non mediocrem affert repetitio cautelam.

Iubent dæmones assiduitate virtutum. *Habac. 2.* *Luca 4.* *Nec vera dicenti dæmoni credendum.* *Psal. 49.* *Psal. 38.* *Psal. 37.* *Antonius.*

[42] Adueniente Domino destructus est inimicus, & omne penitùs eius robur elanguit. Propter quod pristinæ virtutis memor, quasi tyrannus iam senescens, cùm fuisse se videat, in perniciem grassatur humanam: nec tamen potest firmum Deo pectus, cogitationum & ceterarum fraudum arte peruertere. Nam luce clarius est, quoniam aduersarij nostri, cùm nec humanâ carne sint septi, vt causari valeant, idcircò nos à se non posse superari: [43] quia clauso ostio interiore, intrare non valeant. Et reuerà si fuissent hoc fragili corpore colligati, obseruato introitu, iisdem negaretur accessus. Cùm autem (vt diximus) hoc impedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atque in omni licenter volitent aëre, manifestum est, ob eneruationem eorum, permanere ecclesiæ corpus illæsum. Denique satellites impij cum principe suo diabolo, quem Saluator in Euangelio homicidam & patré malitiæ ab initio fuisse firmat, nobis aduersum se dimicantibus fortiter, nullo modo cessissent, si potestas eorum non fuisset ablata. Nam si mentior, cur nobis satanas parcis, qui vbique discurris? Cur qui nullo clauderis loco, aduersum te benè viuentium & disputantium non potes labefactare constantiam?

Diaboli virtus aduentu Christi debilitata. *Ioan. 8.*

Sed fortasse nos diligis, quos quotidiè conaris obruere: aut credibile est te esse bonitatis magistrum, & fauere magis optimis, quàm nocere? Et quid tam charum tibi esse potest, quàm lædere, maximè eos, qui tuis sceleribus viriliter repugnant, secundùm quod scriptum est: Quia abominatio est pietas peccatori. Quis tam fecundum ad malitiam possidet pectus? quis tam meditatas implere conatur insidias? Scimus te impurissimum cadauer: scimus quia idcircò viuimus Christiani, & cõtra te nobis est secura congressio, quia infirmatus es à Domino. Ideò de tuis confoderis iaculis, quia minationem tuam non sequitur effectus: quòd si fallimur, cur cum terrore simulato, cur magnitudine corporum nostram aggrederis fidem? Si voluntatem sequitur possibilitas, tantùm tibi velle sufficiat. Is enim potentiæ mos est, non extranea fallaciæ adiumenta conquirere, sed suâ virtute implere quod cupiat. At nunc [44] dum theatrali mutatione formarum, quasi rudem infantiam scenicâ

Diabolo charissimũ, lædere repugnantes. *Eccli. 1.* *Imbecillitas diaboli.*

niteris simulatione deludere, exhaustas vires manifestiùs probas. Numquidnam verus
4.Reg. 19. ille angelus contra Assyrios missus à Domino, aut populorum eguit societate, aut sonitus quæsiuit, aut plausus: & non potiùs tacitam exercens potestatem, centum octogintaquinque millia hostium, sermone velociùs, iuxta iubentis Domini prostrauit imperium? Vos ergo cùm fragiles sitis viribus, perpetuus vos consequitur interitus.

CAP. XVII. At dicet aliquis: Cur diabolus egrediens,
Iob 1. beati Iob omnem in ruinam impulit domum? cur eius opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subuertens, vnum numerosæ sobolis coaceruauit sepul-
Ibid. 2. chrum? cur ipsum ad extremum diri vulneris nouitate percussit? Qui hoc opponit, audiat è diuerso: non diabolum potuisse hoc, sed Dominum, à quo potestas aduersum nos dupliciter datur: vel ad gloriam, si probamur; vel ad pœnam, si delinquimus. quin potiùs ex hoc animaduertat, ne contra vnum quidem hominem diabolum quidquam potuisse, si non potestatem accepisset à Domino. Nullus enim, quod suæ ditionis est, ab alio deprecatur. Sed quid Iob memoro, quem nec expetitum potuit vincere? sed nec contra iumenta quidem eius, nec contra oues suas, sine concessu Dei proprium robur exercuit. Sic etiam in Euangelio scri-
Matth. 8. ptum est: Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Quomodo igitur, qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei hominem, & tam charum Conditori animal suo valebunt iure peruertere?

Tentatio vel ad gloriam, vel ad pœnam.

[45] Magna, dilectissimi, aduersum dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimescit satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga Christi amorem. Nouit teterrimus coluber, ex præcepto Domini sub iustorum se iacere ve-
Lucæ 10. stigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.

Quibus satanas superatur armis.

Si autem & diuinationem se habere simulantes, venturos fratres nuntiauerint, & adfuerint quos venire prædixerant, nec sic fides est commodanda mendacibus: ob id enim præcessere venientes, vt credulitas sibi pareretur ex nuntio, & posteà aditus ex credulitate fallaciæ. Verùm in hoc nullum Christiano debet esse miraculum, cùm non tantùm, qui leuitate naturæ per cuncta discurrunt, valeant peruenire gradientes, sed homines quoque equorum velocitate præuecti, nuntiant adfuturos. Non enim ea, quæ nondum fieri cœpta sunt, referunt, quia Dan. 13.
Deus solus conscius est futurorum: sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tamquam fures apud ignaros vendicant notionem. Nam quantos nunc putatis, qui possint velocitate puerili istum cœtum nostrosque contra se sermones, ante relatum alicuius hîc positi, longè manentibus indicare? Hoc quod dico vobis, perspicuum fieri potest exemplis. Si quis à Thebaide aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantem, pernicitate memoratâ possunt prædicere venientem. [46] Ita & de Nili inundatione solenni, cùm multas in Æthiopiâ viderint pluuias, è quibus fluuius intumescés, vltra alueum effluere consueuit, præcurrentes ad Ægyptum, nuntiant amnis aduentum. Hoc autem & homines, si illis celeritatis esset tanta natura, facilè nuntiarent. Vt enim speculator beati Dauid ad verticem 2. Reg. 18.
loci celsioris adscendens, prior, quàm hi qui in terrâ erant, prospiciens venientes, non quædam incerta de futuris, sed de his, qui venire cœperant, nuntiabat: sic & dæmones curâ peruigili omnia considerantes, rapido cursu sibi inuicem nuntiant. Sed si fortè contigerit, vt Dei nutu ad finem cœpta non veniant: hoc est, si aut viator è mediâ regrediatur viâ, aut suspensæ nubibus aquæ ad altum cæli cardinem deferantur, tunc decipientium vnà cum credentibus error aperitur. Hæc gentilitatis fuere principia, his præsagitorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula: quæ aduentu Domini nostri Iesu Christi [47] indicto sibi silentio, obmutuerunt, suosque perdidere captiuos. Quis (rogo) aut medicum ex obseruatione morborum, cùm animæ æstuantis incendium de venarum pulsu, leui digitorum scrutatur attactu, diuinam arbitratur habere notitiam? Quis gubernatorem nauigationis suæ viam inter cæli sidera requirentem maiestatis honore veneratur? Quis agricolam de aridis æstatis feruoribus, aut de hiemali aquarum largitate vel frigore disputantem, non potiùs experientiâ laudat, quàm Dei consecrat nomine?

Solus Deus futurorum conscius.

Pernicitate dæmones futura prædicunt.

Origo oraculorum dæmonum.

Non magni facienda dæmonũ diuinatio.

Verùm, vt concedamus paulisper vera dæmones nuntiare, respondete mihi, quis fructus est nosse venientia? Nũquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In hoc vnusquisque sibi præparat, seu tormenta, seu gloriam, si vel negligat Scripturarum mandata, vel faciat. Nullus ob id nostrûm hanc arripuit vitam, vt habeat præscientiam futurorũ: sed vt præceptis Domini

mini obediens, amicus esse incipiat de seruo. Curandū est, non præscire quæ veniunt, sed implere quæ iussa sunt; nec institutionibus bonis hanc flagitare mercedem, cùm magis debeamus victoriam contra diabolum ab auxiliatore Domino postulare. Sed si fortè aliquis hoc libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor: quia credo animam Deo seruientē, si in eâ perseuerauerit [48] integritate quâ nata est, plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Elisæi, quæ aliis incognitas virtutes faciebat.

Cap. XVIII.

Nunc iam ceteras vobis dæmonum explicabo fallacias. Solent nocte venientes, angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cùm videritis, tam vos quàm domos vestras crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum: quia metuūt illud trophæum in quo Saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui. Solent etiam variis simulationibus membra torquere, & nostris procaciter offerre se visibus, vt mentem pauore, & corpus horrore concutiant. Sed & in hoc fides Deo tuta fugat eos quasi infirma ludibria.

Crucis signaculo dæmon fugatur.

Non est autem difficilis [49] bonorum spirituum malorumque discretio, quæ sic Deo tribuente panditur: Sanctorum angelorum amabilis & trāquillus aspectus est, quia non contendunt neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum: verùm tacitè leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt. siquidem cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & placida angelorum luce radiatur: tunc anima cælestium præmiorum auiditate flagrans, effracto (si posset) humani corporis domicilio, & mēbris exonerata mortalibus, cum his, quos videt abire, festinat ad cælum. Horum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferant metum. Ita Gabriel cùm Zachariæ loqueretur in templo; & angeli cùm diuinū Virginis partum pastoribus nuntiarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, securis videntium se mentibus ostendentes, ne metuerēt, imperabant. Metus enim non tantum ex pauore animi, quantum ex magnarum rerum sæpè incutitur aspectu. Pessimorū verò vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motúsq; indisciplinatorum adolescentum vel latronum: è quibus confestim timor animæ, sensibus torpor incutitur: odium Christianorum, monachorum mœror & tædium, suorum recordatio, metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore conceptum, successerit gaudium, & ad Deum fiducia atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium: quia securitas animę, præsentis maiestatis indicium est. Sic namque & Abraham patriarcha videns Deum, gauisus est: & Ioannes cùm Mariam superuenisse sentiret, quæ in sacri ventris hospitio vniuersitatis gestabat parentem, exultauit necdum natus in gaudium. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur: quoniam nec refouere nouit, vt Gabriel pauentem Virginem ne timeat, iubet: & sicuti pastores nuntio consolati sunt. quinimò pauorem duplicat, & vsque ad profundam impietatis foueam, vt sibi homines prosternantur, impellit. Exinde misera gentilitas, Dominicæ interdictionis ignara, falsò dæmones deos opinata est. Christianorum autem populos his fallaciis irretiri non passus est Dominus, qui diabolum in Euangelio audacter sibi principatum omnium præsumentem repulit, dicens: Vade retrò satana. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Horum verborum etiam nobis licentia est tributa: quia idcircò locutus est talia, vt similitudo tentamentorum auctoris nostri frangeretur eloquiis.

Discretio bonorum spirituum à malis. — Bonorum tranquillus aspectus. — Lucæ 1. — Matth. 28. — Malorum vultus truces. — Securitas animæ est præsentis maiestatis indicium. — Ioan. 8. — Lucæ 1. — Permanens formido hostis indicium. — Lucæ 1. — Ibid. — Matth. 4. — Deut. 6. & 10.

Cap. XIX.

Illud quoque, mei charissimi, admoneo, vt vitæ magis sit vobis, quàm signorum sollicitudo. Nullus ex vobis hæc faciens, aut ipse superbiâ intumescat, aut despiciat eos qui facere non possunt. Conuersationem magis serutamini singulorum: in hac vitâ & imitari vos quæ perfecta sunt, conuenit, & implere quæ desunt. Nam signa facere non est nostræ paruitatis, sed Domini potestatis, qui ad discipulos gloriantes, in Euangelio ait: Ne gaudeatis quia dæmones vobis subiecti sunt, sed quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Nominum enim in libro vitæ conscriptio, testimonium est virtutis & meriti: expulsio autem satanæ, largitio Saluatoris est. Vnde his, qui non in vitæ laboribus, sed in prodigiis exultabunt, dicentibus: Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? respondebit Dominus: Amen dico vobis, non noui vos: discedite à me operarij iniquitatis. Non enim nouit Dominus vias impiorum. Hoc ergo magnopere postulemus, vt donum spirituum discernendorum mereamur accipere: quo, secundùm sententiam Scripturarum, omni spiritui non credamus.

Bona vita cura magis habenda, quàm miraculorum. — Lucæ 10. — Matth. 7. — 1. Ioan. 4.

Cap. XX.

Volueram quidem iam finire sermonem, & silentio premere quæcumque meæ acciderant

derant

derant paruitati: sed ne putetis me frustrà commemorasse, quæ euenire non possent, idcircò (licet insipiens fiam, tamen Dominus, qui secretæ mentis est inspector, nouit non me causâ iactantię, sed vestri gratiâ profectus hoc facere, pauca replicabo de pluri-mis. Quoties me nimiis laudibus efferre conati sunt, cùm à me in nomine Domini [10] maledicta reciperent? quoties augmenta Nili fluminis futura dixerũt, cùm à me audirent: Et hoc ad vestram quid pertinet curam? quoties minitantes vt milites armati, scorpionibus, equis, beluis, & variis serpentibus circumdederunt me, & domum, in quâ eram, repleuerunt, cùm ego è contrà psallerem: Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. & statim misericordiâ Christi fugabantur. Quodam autem tempore cum ingenti luce venientes, dixerunt: Venimus, Antoni, nostrum tibi præbere fulgorem. Et ego clausis oculis, quia lucem diaboli dedignabar aspicere, orabam, & dicto citiùs impiorum lumen extinguebatur. Post menses autem paucos, cùm coram me psallerent, & de Scripturis sibimet sermocinarentur, ego tamquam surdus nõ audiebam.[11] Commouerunt aliquando monasterium meum, & ego mente immobili Dominum deprecabar. Sæpè strepitus, sæpè saltationes, sæpè sibilos ingesserunt: & me psallente, sonus eorum in voces flebiles vertebatur.

S. Antonius vt à se dæmonum tentationes repulerit.

Psal. 19.

Creditisne, filioli, quod dicturus sum vobis? Vidi aliquãdo diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem & prouidentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid vis, vt à me tibi donetur, Antoni? At ego [12] sputaculum maximum in os eius ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatus, ingessi: & statim ille procerus aspectu inter medias manus exoleuit. Ieiunanti etiam mihi visus est vt monachus: & panes offerens, his sermonibus suadebat vt vescerer, & huic aliquid indulgerem corpusculo: Et tu, inquit, homo es, & humanâ fragilitate circumdaris: labor paululùm conquiescat, ne ægritudo subripiat. Ilicò luridam faciem serpentis agnoui: & cùm ad consueta Christi munimenta confugerem, tamquam per fenestram fumus laberetur, euanuit. Auri quoque decipulã mihi in deserto frequenter tetendit: quod ideò offerebat, vt aut visu irretiret me, aut tactu commacularet. Sæpè quoque me à dæmonibus non denego verberatum. Canebam autem sic: Nullus me separabit à charitate Christi. Ad cuius vocis auditum, in se inuicem desurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio, qui ait: Vidi satanam quasi fulgur cadentem de cælo. Hæc ergo, filioli, Apostolici memor eloquij, in me transformaui, vt propositum vestrum nec dæmonum terror, nec aliqua lassitudo dissolueret.

Insputatus dæmon ad Christi nomen euanescit.

Antonius sæpè à dæmonibus verberatus.

Rom. 8.

Lucæ 10.

Sed quoniam ob vestram vtilitatem multa memorando, insipiens factus sum; & huius rei vobis impertiri cupio notionẽ, quam veram esse nullus ambigat audientium. Pulsauit aliquando dæmon monasterij ostium: egrediens, video hominem enormi sublimitate, porrectum caput vsque ad cęlum. Cùm ab hoc, quisnam esset, inquirerem, ait: Ego sum satanas. Et ego: Quid, inquam, hîc quęris? respondit: Cur mihi frustrà imputant monachi? cur mihi omnes Christianorum populi maledicũt? Et ego: Iustè faciunt: tuis enim frequẽter molestantur insidiis. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se inuicem turbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo: Nónne legisti: Quia defecerunt inimici frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti? En nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatẽ, iam mihi nulla sunt arma: per omnes nationes cunctasque prouincias Christi personat nomen: solitudines quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se, quæso, tueantur, & me sine causâ non lacerent. Tunc ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam nouam & tam inauditam adscribo sententiam. Nam cùm fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. Verè enim Iesus tuas funditus subruit vires, & honore nudatus angelico, volutaris in sordibus. Vix dum verba compleueram, & ille sublimis aspectu Saluatoris nominatione deiectus est.

Psal. 9.

Potentiam Christi vel inuitus confitetur dæmon.

Ad Iesu nomen superbus dæmon deiicitur.

Quæ ergo iam, ô filioli, poterit residere cunctatio? quæ trepidatio manebit vlteriùs? Quis nos eorum turbo poterit conuellere? Securæ sint animæ singulorum: non sibi fingat vana cogitatio vana discrimina: non aliquis timeat à diabolo sublatum ad præcipitia se posse deferri. Pellatur omnis anxietas: Dominus enim, qui nostros prostrauit inimicos, manens, vt promisit, in nobis, à variis nos satanæ muniuit incursibus. En ipse diabolus, qui huiusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur.

Ioan. 14.

Iam curæ Christianorum & monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt. Et si quod in pectoribus malæ mentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminẽtes, infelicem puniunt animam. Si au-

Si autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit; si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere: magis enim, cùm munita in Christo corda conspexerint, confusi reuertentur. Ita & Iob firmatum in Domino diabolus refugit: & infelicissimum Iudam expoliatum fide, vinculis captiuitatis innexuit. Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio: quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur aduersarios potiùs quàm timebit. Non est enim nescius satanas ignium futurorum, & æstuantis gehennæ copiosa nouit incendia.

Sed vt mea iam claudatur oratio, illud in finem commemoro: Cùm aliqua se vobis obtulerit visio, audacter requirite, quis sit ille, & vnde venerit: ac sine morâ, si sanctorum fuerit reuelatio, angelicâ consolatione timor vertetur in gaudium. Si verò diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus euanescet: quia maximum est securitatis indicium, interrogare quisnam est & vnde. Sic & Naue filius auxiliatorem suum interrogando cognouit: nec Danielem percontantem latêre potuit inimicus.

Postquam Antonius dicendi finem fecit, lætantibus cunctis, in aliis virtutis cupido exardescebat, in aliis infirma refouebatur fides, ex aliorum mentibus falsæ opiniones pellebantur, ex aliorum sensibus inanium errorum pellebatur accensio: simulque vniuersi, cùm iam dæmonum insidias contemnerent, mirabantur in Antonio tantam gratiam spirituum discernendorum, quam Domino tribuente perceperat.

Erant igitur in monte [53] monasteria tamquã tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumque ieiunandi & vigiliarũ ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate, ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent: qui infinitam regionem quamdam, & oppidum à mundanâ conuersatione seiunctum, plenum pietatis & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum monachorum agmen adspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtũ cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem? Quàm bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Israël tamquam nemora obumbrantia, tãquam paradisus super fluuios, tamquam tabernacula quæ fixa sunt à Domino, tamquam cedri circa aquas!

CAP. XXII.

Dum hæc ita geruntur, quibus indies beatæ vitæ studium cresceret, Antonius mansionum in cælo positarum recordans, & præsentis vitæ despiciens inanitatem, quasi parua essent quæcumque iam gesserat, separatus à fratribus instituebatur. *S. Antonius viuit separatim.* Cumque eum siue cibum siue somnum indulgere corpusculo, aut alias naturę necessitates, cogeret humana conditio; miro afficiebatur pudore, quòd tantam animæ libertatem modici carnis termini coërceret. *Cum pudore corporis necessitatibus seruit.* Nam frequẽter cum fratribus sedens, à cibo cui fuerat appositus, memoriâ escæ spiritualis abstrahebatur. Edebat tamen, vtpote homo, sæpè solus, sæpè cum fratribus. Et cùm hæc mira (vt prædixi) ageret, cum confusione animæ adhibendam magnopere corpori diligentiam persuadebat, dicens, nec corpus esse penitùs enecandum, ne operatio contra voluntatem Creatoris dissolueretur: & & ob id omne studium animæ conferendum, ne vitiis superata corporeis, ad ęternas inferni tenebras truderetur; quinimò indultum sibi in carne imperium vindicans, domicilium suum, vt apostolus Paulus, ad tertium cælum subleuaret. 2. Cor. 12. Asserebatque hoc à Saluatore præceptum, in quo ait: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis aut quid bibatis, nec corpori quid vestiamini, quia hæc gentes quærunt: vester autem Pater nouit quòd indigetis his omnibus. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 6.

CAP. XXIII

His rebus transactis, [54] cùm persecutio impiissima Maximiani furore vesano vastaret Ecclesiam, sanctis quoque martyribus Alexandriam perductis, relicto & ipse monasterio secutus est futuras Christi victimas, dicens: Pergamus ad gloriosos fratrũ triumphos, vt aut ipsi congrediamur, aut spectemus alios prœliantes. *Persecutio Maximiani.* Et amore quidem iam martyr erat, sed cùm tradere se vltrò non valeret, & sociari confessoribus in metallis vel in carceribus constitutis; magnâ cum libertate & curâ ingrediens ad iudicem, exhortabatur, ne terrore impiorum subacti, Dominum negarent. *Desiderio martyr martyres confirmat.* Iamque sententiâ coronatos exultans, quasi ipse vicisset, vsque ad locũ felicis sanguinis prosequebatur. Quãobrem motus iudex, ob Antonij sociorumque eius constantiam, præcepit nullum penitùs monachorũ aut obseruare iudicium, aut in ciuitate versari. Et ceteris quidem omnibus in illâ die placuit abscondi: Antonius autem impauidus, neglecto persecutoris imperio, [55] lauit ependyten suum. Et aliâ die stans in quodam eminenti loco, [56] can-

[16] candente præcinctus veste, procedentem iudicem suo prouocabat adspectu, flagrans cupiditate martyrij: ostendebatque nobis, contemptorem pœnarũ & mortis in Christianis animum perseuerare debere, intantum, vt contristaretur; quia volenti pati pro Dei nomine, martyrium non dabatur. Sed Dominus qui suo gregi parcebat, magistrum seruauit Antonium: vt institutum (sicuti factum est) monachorum non solùm oratione eius, sed & cõspectibus firmaretur. Numquam tamen à sanctorum confessorum vestigiis separatus est, quin anxiâ circa eos curâ & charitatis vinculis colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Postquam autem persecutionis turbo defluxerat, & beato [57] episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato, ad pristinum monasterium regressus, quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium merebatur, [58] acrioribus se ieiuniis vigiliisque conficiens: vestimento cilicino intrinsecus, desuper pellicio vtebatur, numquam corpus lauans, numquam pedibus sordes abluens, nisi cùm per aquas transire necessitas compulisset. Nullus denique Antonij corpus nudum, antequàm moreretur, vmquam vidit.

Flagrat cupiditate martyrij.

Ieiunia, vigilia, & vestes Antonij ciliciũ & pellis.

CAP. XXIV

Quodam autem tempore, cùm ab omnium se amouisset oculis, & clauso monasterio neminem omnino susciperet, [59] Martinianus militum præpositus, cuius filia immundi spiritus infestationibus quatiebatur, pulsans ostium obsecrabat, vt suo pignori subueniret, & exiens, Deum pro filiâ precaretur. Tum ille aperire quidem minimè voluit: prospiciens verò desuper ait: O homo, quid meum poscis auxilium? mortalis & ego sum, & tuæ socius fragilitatis: si autem credis in Christum, cui deseruio, vade & secundùm fidem tuam ora Deum, & sanabitur filia tua. Confestim ille credens abiit: & inuocato Iesu, filiam reduxit incolumem. Multa & alia mirabilia per illum Dominus operatus est, & meritò: qui enim promisit in Euangelio, Petite, & dabitur vobis; inuento qui eius gratiam mereretur accipere, suam potentiam non negauit. Nam plures vexatorum ante monasterium eius, clauso introitu, dormientes, fidelibus per eum ad Christum precibus curabantur. Hæc illi multitudo venientium, desideratam solitudinem auferens, tædio fuit.

Martinianus militũ præpositus.

Dæmoniaca sanatur Iesu nomine inuocato.

Matth. 7.

Metuens itaq; ne signorum copiosa concessio aut suos animos extolleret, aut alios plus de se, quàm videbant in ipso, cogeret æstimare, ad superiorem Thebaidem pergere cogitauit, vbi nullus eum agnosceret. Et à fratribus acceptis panibus, sedebat super fluminis ripam, transitum nauis obseruans. Illo talia cogitante, vox ad eum desuper facta est, dicens: Antoni, quò pergis, & quare? At ille intrepidè, quasi consuetam vocem loquentis agnosceret, respondit: Quoniam non sinunt me quiescere populi, idcircò ad superiorem Thebaidem ire optimum duxi; præcipuè, quia ea exigor, quæ virtutem meæ pusillanimitatis excedunt. Et vox ad illum ait: Si ad Thebaidem vadas, & [60] ad pastoralia (vt cogitas) pergas, maiorem ac duplicem sustinebis laborem. Si autem verè quiescere cupis, vade nunc ad interius desertum. Cumque Antonius diceret, Quis mihi locum auium poterit ostendere? ignarus enim sum locorum: confestim ei qui loquebatur, Saracenos indicauit, qui mercandi gratiâ ad Ægyptum venire consueuerant. His appropinquans Antonius, rogauit vt se pariter abducerent in desertum. Nullus obnisus est, sed tamquam à Deo missum comitem suscipientes, amplexi sunt eius societatem.

Metu gloria & honoris fugã adornat.

Diuinitus ad interius desertum mittitur.

Tribus autem diebus & noctibus itinere confecto, [61] inuenit montem valdè excelsum, ad cuius radices fons aquę dulcis labebatur, & campus haud magnus totum ambiens montem, qui palmis perpaucis, & his neglectis, consitus erat. Hunc Antonius locum, quasi à Deo sibi offerretur, amplexus est. Is enim erat, quem sibi ad fluminis ripam sedenti, qui loquebatur, ostenderat. Et primò quidem accipiens à comitibus panes, solus remansit in monte, nullo alio cum eodem cõuersante. Quasi propriam enim domum agnoscens, habebat locum illum. Saraceni quoque vidẽtes eius fiduciam, optato per eum transitu, panes eidem cum lætitiâ deferebãt: necnon palmarum, licet mediocri, attamen aliquanto solatio refouebatur.

Antonius ad montem secundum se recipit.

CAP. XXV.

Exinde cùm fratres agnito loco, tamquam ad patrem filij, sollicitè alimẽta transmitterent: videns Antonius, quòd ob suum refrigerium multis onerosus labor indiceretur; & parcens etiam in hoc monachis, rogauit vnum de aduenientibus, [62] vt sarculum sibi, bis acutum cum frumento deferret. Quibus allatis circumiens montem, haud grandem culturæ aptum reperit locum, ad quem deriuata aqua desuper poterat influere; ibique seminauit: atque exinde annuum sibi panem laborans, gaudebat, quòd sine cuiusquam molestiâ ex propriis manibus viueret in deserto. Sed cùm rursus etiam illuc quidam venire cœpissent, misertus est lassitudini eorum, & olus in paruo terræ cespite coluit, vt post asperum iter aliquo venientes solatio refouerentur. Hoc fratrum refrigerium & paruulam messem bestiæ, propter aquas illuc conuenientes, depastæ

Antonius victum sibi manibus parat.

pastæ sunt: è quibus vnam apprehendens dixit omnibus: Cur me læditis, nihil à me læsæ? abite, & in nomine Domini ne huc appropietis vlterius. Quis non credat, post hanc denuntiationem quasi timentes, numquam illuc bestias appropinquasse? Sic Antonio impenetrabilia montium & deserti interiora captâti, orationibus etiam dedito, introeuntes fratres magnis vix precibus extorserunt, vt oliuas & legumen & oleum, quod post menses aliquot ministrabât, dignaretur accipere, & senili modicum laxaret ætati.

Prô nefas! quantas ibi conuersans expertus est luctas? verè, secundùm quod scriptum est, non illi aduersus carnem & sanguinem fuisse colluctationem, sed aduersus principatus & potestates; ab his, qui ad eum ingrediebantur, agnouimus. Illi enim tumultus & voces populi, armorumque sonitus, prorsus plenum montem dæmonum multitudine se vidisse referebant: ipsum etiam quasi contra inimicos palàm resistentem & fortiter colluctantem. Qui tamen & aduenientes suo refouebat hortatu, & flexis genibus, armis quoque orationum omnem satanæ prosternebat exercitum. Admiratione planè dignum est, in tam immani solitudine, vnum hominem nec dæmonum quotidianas expauisse congressiones, nec tantarum bestiarum, quadrupedum siue reptilium, diuersæ cessisse feritati. Iustè Dauid cecinit: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum. Immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem, & dæmones fugabat, & feras (sicut scriptum est) secum pacificabat. Sed & diabolus, vt suprà dictus Propheta ait, obseruans eum, frendebat dentibus suis: & ille Saluatoris auxilio, ab vniuersis tutus perseuerabat insidijs. Quadam ergo nocte cùm peruigil Antonius obsecraret Dominum, tantos in monasterium eius bestiarum greges coaceruauit, vt omnes eremi [63] beluas circum se adspiceret. Quæ cùm rictu oris morsum corpori minitarentur, intellexit hostis astutias, dixitque: Si à Domino in me vobis est tributa licentia, deuorate concessum: si autem dæmonum huc venistis impulsu, quantocyùs abite, quia Christi famulus sum. Ita factum est, & cum iubentis voce omnis bestiarum multitudo, quasi maiestatis verbere cæderetur, aufugit.

Ephes. 6. *Oratione satana exercitum prosternit.* *Psal. 124.* *Iob. 5.* *Psalm. 63.* *Dæmonum impulsu à beluis impetitur.*

CAP. XXVI

Non multi post hæc fluxerant dies, & alia oritur cum eodem hoste certatio. Operante illo (nam semper, vt venientibus pro his quæ sibi detulerant, aliquod munusculum rependeret, laborabat) traxit quidam sportellæ, quam texebat, [64] tricinam siue funiculum. Ad cuius motum exurgens, vidit bestiam pubetenus humanam faciem præferentem, quæ exinde in asinum finiebatur. Post cuius adspectum, vexillum crucis in fronte suâ pingens, hoc tantùm ait: Christi seruus sum, si ad me missa es, non fugio. Nullum in medio spatium, & statim informe prodigium dicto ocyùs cum satellitum turbâ fugit, & in medio cursu ruens extinctum est. Ista autem explosi mors atque enecati prodigij, dæmonum erat communis interitus: qui omni studio laborantes, Antonium à deserto deducere non valuerunt. Mirandis plus miranda succedunt.

Semper munuscula suis benefactoribus rependit. *Contra monstrosam bestiã cruce frontem signat.*

CAP. XXVII.

Non grande post ista tempus excesserat, & tantarum victoriarum homo fratrum precibus vincitur. A monachis enim rogatus, vt eos dignaretur inuisere, vnà cum his profectus est, impositis camelo aquâ & panibus: quia nusquam, præter monasterij locum ex quo hauserant, potabilis aqua per arentem viam reperiebatur. Verùm in medio itinere bibendi subsidia defecerunt. Ardor nimius, æstus intolerabilis, mortem cuncta minitantur. Circumeunt, & quærunt saltem collectam pluuijs lacunam: nihil prorsus remedij, nihil occurrit penitùs ad salutem. Camelus quasi periturus & ipse æstuàs dimittitur, æstuantis pectus exuritur, & sitis desperatione ferueſcit. Mouit senem fratrum secum commune discrimen, & vehementissimè contristatus ingemuit. De hinc ad solita precum auxilia confugiens, paululùm ab eis secessit: ibique genibus fixis, supplices manus tetendit ad Dominum. Nec mora; & ad primas rogantis lacrymas, in orationis loco fons ebulliens erupit, ibique extincta sitis, & arctia membra refecta sunt, & plenis vtribus inuentum potât camelum. Ita enim casu euenerat, vt camelus errans per eremum, dum funiculum trahit, in quodam lapide eiusdem alligatione funiculi teneretur. Tandem confecto itinere ad monachos, qui inuitauerant, peruenit. Tunc verò quasi patri omnes obuiàm occurrerũt, & honorifico salutatu in oscula eius & amplexus certatim ruunt. Proposito feruenti gaudet Antonius: & lætantibus de aduentu suo cunctis, [65] quasi xenia de monte portans, spiritualia impartitur alimenta. Laudat veterum studia, hortator nouorum. Sororem quoque iam vetulam virginem videns, & aliarum puellarum magistram, mirâ exultatione sustollitur. Exinde, quasi diu abesset ab eremo, rursum festinauit ad montem.

Fratres, eorum victus precibus, inuisit. *Fons erumpit ad eius preces.* *Soror Antonij, puellarum magistra.*

CA. XXVIII

Plurimis iam ad illum venientibus, cùm etiam vexati à dæmonibus, malo necessitatis coacti, auderent deserta penetrare: quos ille consolans, & monachis in commune præcipiens, aiebat: Credite in Iesum fideliter:

ter: mentem à malis cogitationibus, carnem ab immunditijs seruate puram, & iuxta eloquia diuina, ne seducamini in saturitate ventris: odite vanam gloriam, orate sæpissimè, psallite vespere, & manè, & meridie, & mandata Scripturarum reuoluite. Recordamini gestorũ, quæ sancti quique fecerũt, vt exempli memoria animam incitet ad virtutem, refrænet à vitijs. Suadebat etiam iugi meditatione retinendum Apostoli sermonem, quo ait: Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantùm autem super iracundiam solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum: ne peccatorum vmquam nostrorum aut in nocte luna, aut in die sol, testes abscederent. Illius quoque admonebat præcepti memores esse, quod dicit de his: Diiudicate vosmetipsos, & probate: vt rationem diei noctisque facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: sin autem nullus error decepisset, perseuerantes instarent potiùs incepto, quàm arrogantiâ tumidi aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent, iuxta supradicti Doctoris eloquium dicentis: Nolite iudicare ante tempus: magis debere eos Christi, cui soli occulta patent, reseruare iudicio. Multas esse (vt scriptum est) vias, quæ videntur hominibus iustæ, sed fines earum ad profundum respicere inferni: sæpè nostra non posse nos intelligere peccata, sæpè falli in ratione gestorum: aliud esse Dei cuncta cernentis iudicium, qui non ex superficie corporum, sed ex mentium iudicat arcanis. Æquum autem esse nos nobis compati, & inuicem onera nostra portare: vt concesso examine Saluatori, proprias conscientias nosmetipsos iudicantes intueremur.

Prou. 24. *Sanctorum memoria est ad virtutem incitamentum.* *Ephes. 4.* *2. Cor. 13.* *Examen actorum die ac nocte.* *1. Cor. 4.* *Rom. 2.* *Prou. 14. & 16.* *Fugiendum temerarium iudicium.* *Gal. 6.*

Necnon dicebat, magnam esse ad virtutem viam, si singuli vel obseruarent quod gererent, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent. Non enim posse aliquem peccare, cùm relaturus esset ad alium quæcumque peccasset; & subire pudorem, in publicum turpia proferendi. Denique nullum peccantem, coram alio audere peccare: etiamsi peccet, tamen testem vitare peccati, mentiri magis & negare, & vetus delictum nouo inficiandi augere delicto. Igitur quasi sub oculis, aiebat, nostris, & cogitatu confundimur & actu, si omnia referenda faciamus: multò autem magis, si peccata nostra fideliter describentes digeramus in ordinem. Tunc verò annotatio delictorum fratrum videbitur oculis. [66] Si timebimus peccati ceras conscias, ipsi nos arguent apices. & quomodo meretricibus membra miscentes, confunduntur ad præsentiam ceterorum; ita & nos erubescemus ad litteras, si hæc agamus. Hanc virtutis gradiamur viam, & corpora mentibus subiugantes, perniciosas diaboli conteramus insidias. Talibus sermonibus hortamentisque & venientes ad se monachos incitabat ad studium, & patientibus condolebat, pluresque eorum Dominus per Antonium liberauit. Numquam tamen aut de incolumitate curatorum est inflatus ad gloriam, aut contristatus de obsessis adhuc corporibus murmurauit: magis autem eodem semper animo & vultu manens, gratias Deo referebat: suadens occupatis, vt correptionem quâ vexabantur, patientiùs ferrent. Non enim Antonij aut cuiusquam hominum omnino hanc esse medicinam, sed Dei solius: qui & quibus vellet, & quo vellet tempore daret sanitatem. Ita consolatione suâ & vexatos æquanimiter ferre tentationem, & iam liberatos, non sibi, sed Deo gratias referre docebat.

Delicta libello notanda. *Antonius eodem semper vultu & animo.*

CAP. XXIX

Fronto dæmoniacus liberatur.

Fronto autem quidam, vir ex Palæstinis, qui infestissimo dæmonio vexabatur, (nam & linguam eius laniabat dentibus, & oculorum nitebatur lumen extinguere) perrexit ad montem, rogabatque beatum senem vt pro se Dominum rogaret. orauit Antonius, dixitque ad eum: Vade, & curaberis. Illi incredulo sibi, & violenter ibidem contra præceptum remoranti, eadem geminabat Antonius, dicens: Hîc curari non poteris: egredere, & calcatâ Ægypto statim te misericordia Christi consequetur. Tandem credidit, & profectus est: ac visâ Ægypto, secundùm professionem senis, quam ei Dominus oranti reuelauerat, infestatio cessauit inimici.

CAP. XXX.

Virgo verò quædam, quæ de [67] Busiris Tripolitanæ regionis ciuitate ibidem erat, inauditis ac flebilibus morbis laborabat. Etenim narium purgamenta, oculorum lacrymæ, aurium putridus humor in terram cadens confestim in vermes vertebantur. Augebat calamitatem corpus paralysi dissolutum, oculos quoque peruersos contra naturam habens. Hanc parentes eius deferentes, cùm ad Antonium monachos ire didicissent; credentes in Domino, qui pertinacem sanguinis fluxum in Euangelio tactu fimbriæ stare præceperat, rogauerunt, vt miserabilem filiæ comitatum susciperent. Illis renitentibus eam vsque ad Antonium perducere, remansere parentes eius foris cum filiâ debili apud beatum confessorem & monachum [68] Paphnutium, qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, tali [69] dehonestamento corporis plurimùm gloriabatur. Peruenerunt igitur ad Antonium monachi. cumque de morbo puellæ referre dispo-

Matth. 9. *Paphnutius monachus & confessor.*

disponerent, relationem eorum senis sermo præuenit: & omnem debilitatis & itineris vsque ad sanctum Paphnutium causam, quasi ipse interfuisset, exposuit. Rogantibus autem eum monachis, vt parentibus cum filiâ permitteretur ingressus, non concessit, sed ait: Ite, & inuenietis puellam, si non est mortua, curatam. Et adiecit: Nullus debet ad meam humilitatem venire, quia largitio curationum non est humanæ miseriæ, sed Iesu Christi misericordiæ, qui vbique in se credentibus præstare consueuit auxilium. Quamobrem & illa, pro quâ petitis, suis precibus liberata est: & cùm ad Dominum orarem ego, mihi præscientia sanitatis eius indulta est. Dixit, & verba eius puellæ incolumitas secuta est. Nam exeuntes foras ad beatum Paphnutium, & filiam sospitem, & parentes lætos repererunt.

Virgo Tripolitaná à variis morbis liberatur.

CAP. XXXI *Nouit Antonius absentia.*

Non multos autem post ista dies, cùm duobus fratribus euntibus ad Antonium aqua in itinere defecisset, & vno siti mortuo, alter iaceret in terrâ mortem exspectans: Antonius sedens in monte, celeriter ad se duos monachos vocauit, qui fortè ibidem sunt reperti: & festinatò præcepit, vt lagenam aquæ assumentes, inuaderent iter, quod ducit ad Ægyptum, dixitque: Vnus è fratribus huc aduenientibus modò migrauit ad Dominum; alter, si non succurreritis, addetur: hoc enim mihi nunc oranti reuelatum est. Sic ait; & iuxta præceptum eius monachi festinantes, extinctum corpus inueniunt, terraque id operientes, alterum refocillatum suo iunxerunt comitatui. erat autem spatium itineris vnius diei. Fortasse aliquis quærat; cur non antequam moreretur, Antonius dixerit? incongruo prorsus Christianis argumento: quia non Antonij, sed Dei iudicium fuit, qui & de recedente, quam voluit, sententiam tulit, & de sitiente reuelare dignatus est. Hoc tantùm in Antonio mirabile est, quòd in monte remotissimo sedens, corde peruigili cuncta procul posita, Domino indicante cognosceret.

CAP. XXXII *Videt Ammonis animam in cælum vehi.*

Alio rursus in tempore cùm sederet in monte, & oculos subitò tetendisset in cælum, vidit nescio quam animam, lætantibus in eius occursum angelis, ad cælum pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatum dixit sanctorum chorum: orauitque vt sibi rei præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est, inquiens istam esse 70 Ammonis monachi animam, qui Nitriæ morabatur. Erat autem Ammon vir grandæuus, qui perseueranter à pueritiâ vsque ad senectutem in sanctitate vixerat. 71 Itinere quoque dierum tredecim, à Nitriâ, locus in quo sedebat Antonius, diuidebatur. Videntes autem eum monachi admirantem, qui venerant, deprecati sunt, vt causam hilaritatis ediceret. Quibus ait, modò Ammonem quieuisse: quem propter frequentem eius ad Antonium commeatum, & propter celebritatem indultorum ei à Domino signorum optimè nouerant.

Ruffin. l. 2. cap. 28. Pallad. c. 7. & 8.

Ammonis mortem prædicit.

De quibus etiam hoc vnum dicendum est: Necesse ei fuit aliquando 72 flumen nomine Lycum subitis aquis inundatum transuadare: rogauitque Theodorum, qui cum ipso erat, vt paululùm à suo separaretur adspectu, ne nuditatem corporis inuicem vterque conspicerent. Recessit Theodorus: nihilominus ille seipsum cùm nudare vellet, erubuit. Cogitantem autem eum, in alteram ripam virtus diuina transposuit. Rursusque Theodorus, vir & ipse Deo deuotus, transiens ad senem mirari cœpit, quòd tam velociter fluuium transuadasset. Cumque nihil humoris in pedibus, nulla in vestibus eius aquæ signa conspiceret, rogauit eum, vt tam incredibilem translationem quasi filio pater exponeret. Nolente illo dicere quæ acciderant, amplexus est pedes eius, iurauitque non se dimissurum, priusquam sibi id, quod celabat, referret. Videns ergo senex contentiosè vincere volentem fratrem, exegit vicissim ab eo, vt nulli hoc ante suam mortem indicaret: atque ita confessus est se subitò in alteram ripam fuisse transpositum, neque omnino vndis impressisse vestigia: Dominici corporis hoc tantummodò priuilegium asserens, & eorum quibus ipse, vt apostolo Petro, donauerit, vt aquarum leuitati humanum corpus insisteret. Hæc autem Theodorus promisso tempore non dixit, post eius mortem retulit.

Ruffin. & Pallad. suprà.

Amor pudicitiæ miraculo firmatur.

Ammon vltra Lycũ sicco vestigio diuinitus transponitur.

Matth. 14.

Monachi verò, quibus dixerat Antonius de morte Ammonis, notauerunt diem: & venientibus de Nitriâ fratribus post dies triginta, sciscitantes repererunt illo die illaque horâ dormisse Ammonem, quâ animam eius ferri senex viderat: vtrique igitur puritatem mentis in Antonio mirati sunt, quomodo rei tam longè gestæ statim ad eum fuisset perlata cognitio.

CA. XXXIII *Polycratia virgo Antonio orante curatur.*

Archelaus quoque Comes, cùm eum inuenisset 73 in exteriori monte, rogauit vt oraret pro 74 Polycratiâ, 75 quæ in Laodiceâ erat, admirabili & Christo deditâ virgine. Patiebatur enim pessimos stomachi & lateris dolores, quos ieiunijs nimijs vigilijsque contraxerat, & erat penitùs toto debilis corpore. Orauitque Antonius: & diem, quo oratio fuerat facta, annotauit Archelaus. Redit Laodiceam, & inuenit virginem incolumem. Percontatus diem sanitatis, reperit tempus medelæ cum annotatione congruere.

gruere. Et omnes admirati sunt, agnoscentes eo tempore illam à Domino fuisse à doloribus liberatam, quo orans Antonius pro ipsâ bonitatem Saluatoris inuocauerat.

CA. XXXIV. Sæpè etiam ad se venientium turbarum, antè dies & menses, & causas prædixit & tempora. Nam quosdam videndi eum tantùm desiderium, alios imbecillitas, nonnullos obsessa à dæmonibus corpora pertrahebant: nemo tamen vnquam vexationem aut detrimentum laboriosi itineris conquestus est: regrediebantur omnes spiritali cibo pleni. At ille præcipiebat, non suæ laudi hanc admirationem ab eis applicari debere: sed Domini, qui sui notionem hominibus pro capacitate mortalitatis indulserit.

Omnes ab Antonio læti regrediuntur.

CAP. XXXV. Quodam autem tempore cùm exisset ad exteriora monasteria, & rogatus esset à fratribus, vt in naui quadam cum monachis proficiscentibus oraret: ascendit, & solus ex omnibus odorem sensit teterrimum. Asserebant cuncti, piscium salsorum & [76] tarichorum in naui positorum hunc esse putorem. At ille alterius rei fœtorem se sentire affirmauit. Adhuc loquente illo, adolescens quidam possessus à dæmone, qui procidens iuxta carinam se nauis absconderat, repentè exclamauit. Quo statim per Antonium in nomine Domini nostri Iesu Christi curato, intellexere vniuersi, diaboli illum fuisse putorem.

Dæmonis fœtorem solus sentit Antonius.

CA. XXXVI. Alius quoque ad eum vir, inter suos nobilis, dæmoniosus adducitur, tantâ oppressus insaniâ, vt non sciret se esse apud Antonium, necnon & corporis sui superflua comederet. Quamobrem rogatus senex ab his, qui eum adduxerant, vt pro illo Dominum oraret, intantum iuuenis miseriæ condoluit, vt totâ nocte peruigilans cum eo, aduersus patientis insaniam laboraret. Sed cùm iam lucesceret, & obsessus, impetu in Antonium facto, vehementer eum impulisset; irasci cœperunt, qui eum adduxerant, cur seni fecisset iniuriam. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuueni misero adscribere: furor iste obsidentis est, non obsessi. Idcircò autem in hanc proruit dolens hostis audaciam, quia Dominus ad aridam regionem ire eum iussit; & expulsi satanæ indicium, iste aduersum me impetus fuit. Nulla post verba mora: adolescens recepto sensu, & gratias agens Deo, & locum vbi esset, agnouit, & toto Antonium complexans deosculatus est affectu.

Liberatur obsessus.

CAP. XXXVII. Innumera & alia istiusmodi signa sunt, quæ monachorum concordi sæpè relatione cognouimus. Verùm non tantùm his adhibendus est stupor: quia multò plus, quæ sequuntur, conditionem nostræ fragilitatis excedunt. [77] Horâ circiter nonâ, cùm ante cibum orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab angelis in sublime deferri: prohibentibus transitum aëris dæmonibus, cœperunt angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis verò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus, calumniosa angeli ora clauserunt, dicentes, non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita: si qua autem scirent ex eo tempore, [78] quo factus esset monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri. Accusabant dæmones multa procaciter mentientes: & cùm deessent probamenta fallacibus, liber Antonio conscensus aperitur. Et statim rediens in se, in eo loco, in quo stare cœperat, hoc se rursum vidit esse quod fuerat. Tunc verò oblitus escæ, ex illâ horâ noctem gemitu ac lamentatione transegit, reputans secum humanorum hostium multitudinem, & colluctationem tanti exercitus, & laboriosum per aërem iter ad cælum, & hoc Apostoli dictum, quo ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principem potestatis huius aëris. qui sciens aëreas potestates ob id semper tentare, luctari & contendere, ne nobis liber transitus esset ad cælum, hortabatur monens: Assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malâ: vt nihil mali habens quod de vobis dicere possit inimicus, confundatur. Nos autem Apostolici sermonis recordemur, dicentis: Siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit. Et Paulus quidem vsque ad tertium cælum raptus est, ibique auditis verbis ineffabilibus, descendit: Antonius autem vsque ad aëreum sublatus, post colluctationem liber apparuit.

Raptus in sublime ab angelis, frustrà à dæmonibus retentatur.

Accusatur procaciter à dæmonibus.

Ephes. 6. Ibidem. Tit. 2. 2. Cor. 12.

CAP. XXXVIII. Habebat etiam istiusmodi donum: Si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset, & eius secum inquireret notionem, oranti ei à Domino reuelabatur: & erat, secundùm quod scriptum est, à Deo doctus. Denique cùm à fratribus haberetur iste tractatus, & ab eo sedulè sciscitarentur, quemadmodum se post corporis sarcinam anima gereret, quive ei locus post exitum concederetur: proximâ nocte vox desuper nomen eius inclamitans, ait: Antoni exurge, exi & vide. Qui exurgens, egressus est: sciebat enim quibus respondere deberet. Et eleuatis ad cælum oculis, [79] vidit quemdam longum atque terribilem, caput vsque ad nubes attollentem: [80] vidit etiam pennatos quosdam se eleuare cupientes ad cælum, atque illum extensis manibus prohibere transgressum: è quibus alios apprehensos elidebat ad terram,

Antonius Θεοδίδακτος. Ioan. 6. Isa. 54.

Visio S. Antonij de animarum post exitum statu. Pallad. cap. 27. Pasch. c. 19 n. 4.

rum, alios frustrà retinere contendens, dolebat super se ad cælestia transuolare: & maximum gaudium mixtum mœrore victi victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est, dicens: Animaduerte quod vides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere, animarum esse conscensum, & diabolum prohibentem: qui & sibi retineret obnoxios, & in sanctorum, quos decipere non poterat, cruciaretur volatu. His visionum exemplis incitatus, quotidie ad meliora crescebat.

Cap. XXXIX. Neque verò id, quod sibi reuelatum fuerat, causâ iactantiæ fratribus indicabat: sed cùm orans iugiter Dei laudaret auxilium, interrogantibus compellebatur edicere: nec spirituales filios pura in Christo anima occultare quidquam volebat, præsertim cùm huiusmodi signorum relatio & amorem ministraret proposito, & fructum laboris ostenderet. Numquam ille aut irâ subitâ concitatus patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam. Nam omnes clericos [81] vsque ad vltimum gradum ante se orare compellens, episcopis quoque atque presbyteris, quasi humilitatis discipulus, [82] ad benedicendum se caput submittebat. Diacones verò, qui ad eum vtilitatis causâ veniebant, cùm pro adiutorio eorum eis præsentibus disputaret, ad orandum Dominum sibi præponebat, non erubescens & ipse discere. Nam & interrogabat frequenter eos cum quibus erat: & si aliquid ab eis necessarium audierat, se fatebatur adiutum.

Defert Clero Antonius.

Benedictionem submisso capite ab eo petit.

Cap. XL. Habebat autem & in vultu magnam gratiam, & admirabile à Saluatore etiam hoc munus acceperat. Si quis enim ignarus eius, inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante, ceteris prætermissis, ad Antonium currebat, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat se de cælestibus cogitare, sicut Scriptura ait: Corde lætante vultus floret, & in mœrore constitutus tristatur. Ita & Iacob agnouit Laban socerum suum insidias sibi machinantem, dicens ad filias eius: Non est facies patris vestri sicut heri & nudiustertius. Sic Samuel agnouit Dauid: Lætificatos enim habebat oculos, & dentes sicut lac candidos. Similiter agnoscebatur Antonius: quia semper eamdem faciem inter prospera & aduersa retinens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur aduersis. Erat enim & in vultu amabilis, & in fidei puritate mirabilis.

Ex vultus hilaritate agnoscitur.

Vultus mentis speculum.

Prou. 17.

Gen. 31.

1. Reg. 16.

Cap. XLI. Numquam schismaticorum se miscuit communioni, antiquam eorum sciens prauitatem atque transgressionem. Numquam [83] Manichæis aut alijs hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantùm ea, quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare: denuntians, talium amicitias atque sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cùm venissent quidam [84] Ariomanitæ, repertâ eorum post examinationem infidelissimâ sectâ, effugauit eos de monte, dicens, multò serpentibus deteriores horum esse sermones. [85] Mentientibus autem Arianis aliquando, Antonium ita vt se credere, admiratus eorum audaciam, & iusti doloris irâ commotus, rogatusque ab episcopis atque vniuersis fratribus, [86] Alexandriam descendit: ibique Ariomanitas publico sermone condemnauit, vltimam hanc esse hæresim & præcursorem Antichristi affirmans; prædicauitque in populo Filium Dei, non factūram, non ex nullis extantibus, sed proprium, vnius cum Patre substantiæ: ne creatura potiùs, aut adoptio, aut appellatio videretur: impium esse dicens vel mente concipere, Erat quando non erat: cùm Verbum Dei Deus, qui est semper, Patri sit coæternus, quia ex eo natus est Patre, qui semper est. Vnde aiebat: Cum Arianis vobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? vos fideliter credentes, Christiani estis: illi Verbum, id est Filium, qui ex Deo Patre est, creaturam docentes, nullo interuallo à Gentibus separantur, qui seruiunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Ipsa, mihi credite, irascuntur elementa, & omnis contra Arianum furorem, secundùm Apostoli dictum, ingemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum, per quem omnia, & in quo omnia facta sunt, videat aggregari.

Hæreticos & schismaticos deuitat.

Hæreticorum sermo serpente deterior.

Palàm damnat Arianos, vt Antichristi præcursores.

Rom. 1.

Elementa contra Arianismum ingemiscunt.

Rom. 8.

Rom. 11.

Cap. XLII. Hæc tanti viri prædicatio, exprimi non potest, quantum ad fidem populos roborauerit. Lætabantur quippe hostilem & Christo inimicam hæresim anathematizari ab Ecclesiæ columnâ. Nulla tunc ætas, nullus sexus domi remansit. Taceo de Christianis: pagani quoque & ipsi idolorum sacerdotes ad Dominicum imperium conuolabant, dicentes: Precamur vt videamus hominem Dei: quia hoc apud vniuersos conspicuum erant nomen Antonij. Ambiebant quoque saltem fimbriam vestimenti eius attingere, multùm sibi & tactum prodesse credentes. Quot tunc diabolicâ obsidione & varijs infirmitatibus liberati? quot simulacris erepta sunt spolia? quanti etiam ab errore gentilium retracti, nostro iuncti sunt gregi? Tanti certè, vt paucorum dierum spatio ex idolorum

Miraculis firmat fidem.

rum superstitione conuersio omnem per annum credentium vinceret turbam. Præterea cùm irruentem multitudinem comites repellerent, æstimantes tædio illi conuentum populi fore; ille tranquillo animo dicebat: Numquid hic cœtus dæmonum maior est turbis? numquid obsequentium multitudo colluctatorum in monte nostrorum cateruis est numerosior?

Multis Antonij in vrbe præsentia profuit.

CAP. XLIII. Accidit etiam, vt cùm eum redeuntem circa portam prosequeremur, à tergo quædam mulier clamitaret, dicens: Expecta homo Dei, filia mea atrocissimo vexatur dæmonio: expecta obsecro, expecta, ne & ego corruens interream. Hoc audito, mirabilis senex à nobis admonitus, volens tamen & ipse, paululùm substitit. Cumque appropinquante muliere, puella iaceret explosa, orauit tacitus Dominum Iesum: & ad comminationem eius statim spiritus impurus egressus est. Puella incolumis, populus in laudibus Dei, mater in gaudio fuit. Ipse autem lætabatur, quia ad desideratam solitudinem repedabat. Erat autem valdè sapiens, & hoc in se mirabile habebat, quia, cùm litteras non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus erat.

Dæmoniacam curat.

CAP. XLIV. [87] Aliquando etenim Philosophi duo gentiles venerunt ad eum, putantes Antonium se posse decipere. erat verò in superiori monte. Quos cùm vidisset, paganos intellexit ex vultu; & procedens ad eos, [88] per interpretem ita cœpit loqui: Quare tam longè ad stultum hominem, sapientes se vexare voluerunt? Illis dicentibus, non esse illum stultum, sed & nimiùm sapientem; vigilanter respondit: Si ad stultum venistis, superfluus est labor vester: si autem putatis me sapientem esse, & sapientiam habere, bonum est, vt imitemini quod probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad vos venissem, vos imitarer: sed quia vos ad me quasi ad sapientem venistis, estote, sicut ego sum, Christiani. Abscesserunt Philosophi, vtrumque mirantes, & acumen ingenij, & dæmonum expulsiones.

Argutum Antonij ad Philosophos dictum.

CAP. XLV. [89] Alios quoque similiter mundi sapientes, qui eum irridere cupiebant, quia litteras ignoraret, tali disputatione colligauit, dicens: Respondete mihi, quid prius, sensus an literæ? & quid cuius exordium? Sensus ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus, quia sensus esset auctor atque inuentor litterarum, ait: Igitur sicui sensus incolumis est, hic litteras non requirit. Quis præsentium post hanc colluctationem non exclamauerit, cùm obstupuerint & ipsi qui victi sunt, tantam in imperito litterarum sagacitatem animi admirantes? Neque enim, vt in solitudine & montibus versatus, atque omnem ibidem exigens vitam, agrestis & rigidus erat, sed iucundus atque affabilis: sermonem, secundùm Apostoli præceptum, diuino condîtum sale proferebat, ita vt inuidiâ careret, & amore omnium potiretur.

Scita eiusdem contra Philosophos ratiocinatio.

Coloss. 4.

CAP. XLVI. Inter hæc, quasi parum esset bis gentilitatem fuisse separatam, & tertiò venerunt viri ad eum omnis sæcularis prudentiæ nube cæcati, atque vniuersis philosophiæ studijs artium suarum æstimatione doctissimi. Hi cùm rationem ab eo exigerent fidei, quam in Christo habemus, & niterentur argutâ sophismatum interrogatione de diuinâ cruce eum illudere, in silentium paululùm voce compressâ, primùm eorum miseratus errorem est: deinde per interpretem, qui eius verba diligentissimè in Græcum solebat exprimere sermonem, ita exorsus est, dicens: Quid pulchrius est, quídve honestius, crucem colere, an adulteria, parricidium, vel incestum his assignare, quos colitis: cùm in altero sit contemptus mortis, insigne virtutum; in altero turpis religio, obscœnitatis magistra? Quid melius est dicere, quòd Dei Verbum manens vt erat, ob salutem nostram humanum corpus assumpserit, vt societate mortalitatis nos eueheret ad cælum, participesque naturæ cælestis efficeret: an, vt ipsi asseritis, [90] diuinæ mentis haustum, ad terrena veneranda caput submittere, & pecudum atque serpentum formis cæleste nomen includere? [91] Quo ore Christianorum credulitatem audetis irridere, dicentium Christum filium Dei sine sui detrimento, & cœpisse esse quod non erat, & mansisse quod fuerat: cùm ipsi animam de cælestibus detrahentes, non tantùm hominum sed & serpentium & [92] pecudum soleatis sepelire corporibus? Christiana credulitas pro salute mundi Deum suum venisse testatur: vos verò innatam animam prædicantes, vltrò citroque transfertis. Christiana fides, quæ omnipotentiam Dei clementiamque veneratur, consequenter incarnationem dicit Deo fuisse possibilem, ita tamen, vt non euacuauerit dignatio dignitatem: vos qui animam ex splendidissimo Dei fonte manentem turpiter decidisse iactatis, qui mutabilem & conuertibilem eam post sui diminutionem audetis asserere, iam illam quoque naturam dominam sæculorum per animæ contumelias impiâ linguâ temeratis. Imago enim, quæ secundùm vos naturalem similitudinem sui retinet auctoris, cui vna est ex quo defluxit eademque substantia, humilitates proprias & iniurias cõsequenter ad suam originem remittit. Igitur animaduertite, contumelias animarum, ad patrem (vt appellatis) earum

Reuincit Philosophos de Cruce & Verbi incarnatione.

Ridet Pythagoream metempsychosin.

earum per vestram blasphemiam redũdare.

Crux Christi Domini Dei nostri hic nobis ingeritur? Rogo quæ hæc est religionis obscœnitas? nonne potius est crucem aut alicuius generis mortem, ab iniquis hominibus illatam patienter sustinere, quàm [93] Isidis plangere post [94] Osirim vagos incertosque discursus? Pudeat, quæso, vos insidiarum [95] Typhonis: pudeat [96] Saturni fugæ & deuorationis crudelissimæ liberorum. Erubescite parricidium [97] Iouis & incestum, etiam bestiæ raptum eius & coitum mulierum atque puerorum. Ille, sicut vestri fingunt poëtæ, ad explendum immanissimæ libidinis furorem, molles dedit in amore vagitus: ille [98] in Danaës fluxit sinus: ipse amator & pretium: ille modulatus ales [99] Lędæos petiuit amplexus: ille in proprium sæuiens sexum, regium puerum ministris auibus polluit. Hæc vos creditis, hæc colitis, hæc sunt vestrorum ornamenta templorum. Æquo, deprecor, pro vestra salute, nostra dicta pensate iudicio. Cuncta, an nihil credendum in libris Christianis est? Si nihil, nec crucis quoque, cui detrahitis, nomen agnoscitis. Si vniuersa credenda sunt, cur, cùm in iisdem libris crucis resurrectio copuletur, passionem diuinam stolido laceratis eloquio, & non statim iungitis cæcorum visum, surdorum auditum, claudorum gressum, lepræ emundationem, seruiens ambulanti Deo suo mare, dæmonum fugas, resurrectionem mortuorum, & defunctorum, ab inferis reditus? Hæc omnia Scripturis diuinis, quas interpolatis, inserta sunt, & iisdem voluminibus continentur præconia maiestatis, & mortis dedecora. Quamobrem odio, quo imbuti estis, abiecto, inuenietis illicò, & Deum verum esse Iesum, & salutis humanæ gratiâ fragilem assumpsisse naturam.

Perstringit falsorum deorum flagitia & turpitudines.

Dilemmate Philosophos ligat.

CAP. XLVII.

Vestram tamen nobis, si non pudet, narrate religionem. Sed quas error infelix poterit referre culturas de tantâ rerum fœditate atque vecordiâ? nisi fortè (vt audio) fabulas asseratis deorum vestrorum, & obscœnitates, & crudelitates, & vanitates, & mortes, [100] tegentes eas allegoricis velaminibus: [101] Liberæ raptum, terram; semiclaudum [102] Vulcanum & debilem, ignem; [103] Iunonem, aërem; [104] Apollinem, solem; [105] Dianam, lunam; [106] Neptunum, maria; & libidinum principem [107] Iouem, ætherem interpretantes. Nec post hanc excusationis procacitatem deum, sed creaturas, contempto creatore suscipitis. Quòd si pulchritudo vos elementorum ad suam traxit venerationem, modum fas erat custodire; & oportebat mirari tantùm, nec colere; ne facturæ veneratio creatoris esset iniuria.

Refutat allegorias gentilium fabularum.

Nam secundùm istiusmodi, quam vos sequimini, rationem præposteram, & architecti honor migrauit ad domum, & medici scientia ad remedia conferetur, omnium quoque artificum merita vel laudes ad opera transferentur. Quid ad hæc dicitis, vt agnoscamus quæ sit crucis ridicula vobis ignominiosa confessio?

CAP. XLVIII.

Hac disputatione conuertentibus inter se philosophis oculos, simulque mussitantibus, subridens Antonius, rursum per interpretem ait: [108] Prædurum namque cunctò videtur operi, quoties iusto vniuersæ rei tenore calcato, laboris merita factis magis quàm factoribus adstruuntur. Elementa quidem, vt memoraui, ex ipso conspectu suam comprobant seruitutem. Sed quoniam vos obseruatione dialecticâ necessaria, vt putatis, quæque colligitis, hoc quoque artificio etiam nos nostram religionem compellitis affirmare. Respondete mihi: Cognitio Dei quemadmodum manifestiùs approbatur, per collectionem verborum, an per operationem fidei? [109] Et quid antiquius est, operatio fidei, an disputatio per argumenta procedens? Illis respondentibus, firmiorem sermonibus operationem esse, & hanc liquidam de Deo cognitionem: benè eos & ipse dixisse consensit: quia operationem, quæ ex fide descendit, animi generat affectus, dialecticâ verò disputatione ex artificio componentium sumpsit oppositionis exordium. Cùm ergo, ait, operationem fidei animo sitam quis habuerit, superflua erit verborum compositio, per quam conceptam sensu nostro credulitatem tentatis euellere, & tamen sæpè nostras explicare intelligentias non valetis. Ita solidiora sunt mentis opera, quàm sophismatum fraudulenta conclusio.

Cognitio Dei operatione approbatur.

CAP. XLIX.

Nos Christiani mysterium vitæ nostræ non in sapientiâ mundi habemus repositum, sed in virtute fidei, quæ nobis à Deo tributa per Christum est. Hanc orationis meæ veritatem, rerum, quæ quotidie geruntur, ordo commendat: nobis imperitis & litterarum vestrarum ignaris ad Dei cognitionem eius solùm verba sufficiunt. Ecce nos tot gentilitatis gregibus abstracti, in vniuersum orbem quotidie propagamur: vobis verò post aduentum Domini, nodosæ sophismatum defecerũt versutiæ. Ecce nos simplicem Christi fidem docentes, idololatriam debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ crucis, aurata templa ceciderunt. Vos, si potestis, ostendite quibus contextione verborum gentilitatem Christo præponere suaseritis. Per omnes iam terras verus Dei filius Christus est agnitus. nihil eloquentia sophismatum, nihil disputatio philosophiæ multitu-

Virtus crucis ex rebus gestis expenditur.

titudini potest obesse credentium. Crucifixum nominamus, & vniuersi dæmones, quos vos vt deos colitis, rugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? [110] vbi Ægyptiorum incantationes? [111] quò magorum profecere carmina? Certè tūc vastata sunt omnia, cùm de suâ Cruce mundo Christus intonuit. Nihilominùs vos, prętermissis debilitatorum cateruis, gloriosam Iesu mortem irridere conamini.

Gentilitas collapsa.

Illud autem quale est, quòd numquam infestatione regali concussa gentilitas, imò sæculo chara & hominum præsidijs fulta, iam corruit. Nos famuli Christi, quò plus premimur, eò magis assurgimus & floremus. Vestra simulacra ornatis quondam septa parietibus, iam vetustate collapsa sunt. Christi verò doctrina, quæ vobis stultitia videtur & ludus, licet tyrannica persequentium principum tentamenta pertulerit, licet varijs sit incursata terroribus, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur. Quando enim diuinæ scientiæ tantus splendor illuxit? Quando tot simul in se conuenere virtutes? [112] Continentia in matrimonio, virginitas in Ecclesiâ. Floret martyrum pro Domino suo gloriosa constantia: quorum omnium crux Christi principium est.

Vis doctrinæ Euangelicæ.

Cùm interim vos inter tantos virtutum choros syllogismorum retia tenditis, & veram rerum lucem tenebrosis conamini argumentationibus obuoluere: ecce nos, vt dixit Doctor noster, non in gentili persuasione, sed in fide apertissimâ suademus, quæ verborum affirmationem præuenire consueuit. Adsunt quippe patientes à dæmonibus vexati. quos cùm in medium produxisset, verba repetiuit, dicens: Nunc vos collectionibus vestris, & quo vultis malefico carmine deos vestros, quos putatis, expellite: sin autem non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim Crucifixi credulitatem maiestatis potentia prosequetur. Dixit, & inuocato nomine Iesu, cùm vitale signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus vnà cum expulsis dæmonibus vana præsentium philosophorum confutata sapientia est. Expauerunt enim stupentes hominem, cui post tantum ingenium afflueret signorum diuina largitio. At ille vniuersa Christo, qui curat, adscribens, vsus est affatu reciproco, & ait: Nolite me putare his sanitatem dedisse: Christus per seruos suos facit ista miracula. Credite & vos, & videbitis, quia deuota Deo fides, non eloquentiæ vanus tumor talia signa mereatur. Confugite ad Crucifixi legem, nosque eius imitamini famulos: & hoc scientiæ fine contenti, nulla deinceps sæcularis imprudentiæ argumenta quæratis. Hactenus Antonio dicente, miro philosophi stupore perculsi, cum honorifico salutatu ab eo recedentes, multùm eius sibi fatebantur profuisse conspectum.

Fides firmata miraculis.

1. Cor. 2.

Sophistas prouocat ad eiectionem dæmonum.

Signo Crucis dæmoniacus liberatur.

CAP. X.

Hoc in eo viro mirabile est, vt hominem in extremo mundi limite conditum, & fauor principum, & omnis celebraret aula regalis. Nam & [113] Constantinus Augustus, & eius liberi Constans atque Constantius, talia cognoscentes, crebrò ad eum, quasi ad patrem, missis litteris obsecrabant, vt reciprocis eos scriptis hilararet. At ille eiusmodi manens, qualis & antequam litteræ ad eum venirent, fuerat; nec salutatione principum mouebatur, & tamquam non acceptis literis conuocatis monachis aiebat: Reges sæculi epistolas ad nos miserunt, quæ hîc Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diuersa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Ista sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quòd hominibus Deus legem scripserit, quod per Filium suum proprijs ecclesias ditauerit eloquijs. Quæ monachis est ratio cum epistolis regum? cur accipiam literas, quibus consueta nesciam reddere salutationis obsequia? Igitur rogatus ab vniuersis fratribus vt Christianos reges suis litteris refrigeraret, ne scilicet per silentium eius exasperarentur, ad susceptas epistolas conuenientia rescripsit. Laudauit primùm, quòd Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ne præsentis carnis imperio tumentes, & se homines esse nescirent, & iudicandos à Christo obliuiscerentur: ad postremum, clementiæ circa subiectos & iustitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atque vnum sempiternum esse Regem omnium sæculorum Iesum Christum epistolis testatus est. His principes susceptis vehementissimè lætabantur. Sancta quoque apud cunctos Antonij flagrabat opinio, ita vt eius se filios cuperent nominari. Magna etenim cum aduenientibus affabilitas, omnium in se studium conuerterat.

Constantinus & liberi eius ad Antonium scribunt.

Non magni facit Principum fauorem.

Salutaria Principibus rescribit.

CAP. XI.

Postquam ergo gentiles confutati, reges admoniti, fratres ab eo sunt consolatione releuati, [114] ad interiorem montem, & ad rigorem solitum regressus est: ibique sæpè cum introeuntibus deambulans ac residens stupebat, sicuti in Daniele scriptum est: & interiectis horarum spatijs, consequentia respondebat, vt intelligeretur aliqua reuelationis vidisse secreta. Nam & in monte positus, ea quæ in Ægypto longè gerebantur, præ-

Redit ad rigorem solitum.

Dan. 8.

præuidens, [115] episcopo Serapioni ibi constituto narrauit.

[116] Lamentabilis sequitur visio, & omni lacrymarum fonte plangenda. Cùm enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentè fixit oculos in cælum, gemens atque suspirans: & post aliquantum spatium reuelationis incœptæ nimio dolore contremuit: & statim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clementiâ suâ futurum scelus auerteret. Succedunt orationi lacrymæ, metus ingens inuadit præsentes: obsecrant, vt tantæ calamitatis exponeret visionem. Singultus occupant vocem, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tamen cum vociferatione luctuosâ ait: Melius erat, ô filioli, impendens piaculum citâ morte lucrari. Sic incipiens rursum lacrymis vincitur, & inter ægra suspiria tandem pectori commodans vocem, Magnum, inquit, quoddam & vniuersis sæculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim [117] altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altarium meum. nec mora, visionem sequitur effectus: [118] nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata [119] cum assumptione palmarum (quod idololatriæ apud Alexandriam insigne est) ad ecclesiam pergere compellebantur Christiani, vt Arianorum populi crederentur. Prô scelus! horret animus replicare, quæ gesta sunt: virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ouium Christi in Christi templo effusus veneranda respersit altaria: baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit visionis veritati, vt monstrauit effectus, quòd calcitrantium multorum indisciplinatio, Arianorum esset impietas.

Præuidet Ecclesiæ afflictionem ab Arianis.

Sed istam tristitiam consequentis reuelationis prosperitate solatus est, & ait: Nolite, filioli, mœrori vos penitus dare: vt enim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suum citò Ecclesia recuperabit ornatum: eosque, qui in persecutionibus fidem Domini seruauerint, solito videbitis fulgore relucentes. Reuertentur ad foueas suas serpentes, & religio longiùs propagabitur: tantùm videte, ne fidei vestræ sinceritas Arianâ labe sordescat. Non Apostolorum, sed dæmonum & patris eorum diaboli ista doctrina est: ob id per insipientiam iumentorum, similis pecudum eorum expressus est animus.

Prædicit post tempestatem afflictionis, futuram Ecclesiæ serenitatem.

CAP. LII.

Hucusque Antonius. Sed nos minimè conuenit diffidere, tam grande miraculum per hominem potuisse portendi. Saluatoris enim promissio est, ita dicentis: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis huic monti, Transfer te, & transferetur, & nihil impossibile erit vobis. Et iterùm: Amen amen dico vobis, omne quod petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis. Ipse enim suis discipulis & vniuerso credentium gregi nunc subiectionem dæmoniorum, nunc variarum infirmitatum pollicens curationem, aiebat: Gratis accepistis, gratis date. Numquid suæ virtutis imperio curabat Antonius? numquid suæ possibilitatis arbitrabatur esse, quod fecerat? [120] Orationibus, non præceptis dæmones morbique cesserunt, & ad Christi Dei nostri nominationem semper vniuersa perfecta sunt. Nemo sapientum sanitatum admirationem adscribat Antonio, sed Domino Iesu, qui solitam erga creaturas suas exhibens beneuolentiam, nunc quoque per electum famulum suum indulgenter exercuit. Antonius tantùm orabat, & ob vitæ eius merita cuncta Dominus largiebatur.

Matth. 17. *Ioan. 16.* *Matth. 10.*

Sancti viri orando, non imperando sanant.

Ob Antonij merita cuncta Dominus largitur.

CAP. LIII.

Sæpè autem, & contra voluntatem, [121] ad exteriorem montem à fratribus perducebatur. Et cùm iudices, qui ad [122] interius archisterium propter asperitatem itineris, & ob sequentium multitudinem, & horridam solitudinem ire non poterant, peruenirent, & quærerent vt eius fruerentur aspectibus, nec impetrare possent, quia molestissimè ferebat vexationem discursuum; ipsos catenatos, quos aut noxietas, aut vigor publicus constrinxerat, ad eum destinabant, scientes tales ab Antonio non posse contemni: quorum fletibus superatus pertrahebatur ad exteriorem montem, agnoscens laborem suum vtilem miseris fore: suadebatque iudicibus, qui eum inuitauerant, vt in sententiâ proferendâ, & odio & gratiæ, Dei timorem anteponerent; nec ignorare eos debere, quod scriptum est: Quocumque iudicio iudicaueritis, in eo iudicabitur de vobis: attamen inter medios sermones charæ sibi solitudinis recordabatur. Post coactam itaque præsentiam, quam ducis preces, &, quod verius est, miserorum fletus extorserat, post salutaria monita, post reorum commendationem, quorumdam etiam absolutionem, postulanti duci, vt paulò largiùs eidem suam præsentiam indulgeret, ait non posse se diutiùs

Iudices monet, timorem Dei anteponendum odio & gratiæ.

Matth. 7.

ibidem

Pelag. l. 2. n. 5. ibidem morari, grato vsus exemplo, quòd sicuti pisces ab aquâ extracti, mox in arenti terrâ morerentur, ita & monachos cum sæcularibus retardantes, humanis statim resolui confabulationibus. Ob id ergo, inquit, conuenit vt pisces ad mare, ita nos ad montem festinemus, ne tardantibus nobis aliqua [113] propositi succedat obliuio. Pro tantâ hominis sapientiâ dux miratus, iustam de eo tulit veramque sententiam, dicens: Verè iustum esse Dei famulum, nec in rustico homine potuisse tantam aliquando inesse sapientiam, nisi diuino amore regeretur.

Piscis extra aquam, monachus inter sæculares.

CAP. LIV. [124] Præterea cùm Balacius, qui sub Nestorio præfecto Alexandriæ dux Ægypti fuit, homo Arianæ inquitatis studiosissimus fautor, ita Christi Ecclesiam persequeretur, vt animo vesano virgines monachosque nudatos verberaret in publico, ad eum Antonius litteras misit, quarum ista sententia est: Video iram Dei venientem super te, desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximum iam tibi minatur interitum. Legit infelix epistolam, & irrisit, atque in eam exspuens proiecit in terram: portitores quoque multis afficiens iniurijs, Antonio talia renuntiari præcepit: Quoniam cura tibi tantopere monachorum est, etiam ad te mei vigoris transibit disciplina. Sed confestim minatorem oppressit supplicium, & post quinque dies os effrenatum vltio diuina compescuit. Egreditur enim [125] ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum, cum supradicto Ægypti præfecto Nestorio. vehuntur equis, quos inter omnes Balacius, cuius erant, mansuetissimos nutrierat. Cùm ergo pariter solitò sibimet equi alluderent, mitior, quo Nestorius vehebatur, morsu repentino Balacium decussit in terram, ac sic in eum inhians, femora eius lacerauit atque corrosit, vt statim relatus ad ciuitatem post tertium diem moreretur: vniuersique agnoscerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyùs consecutum, digno persecutoris fine completo.

Epistola Antonij ad Balacium Arianum.

Proteruus Balacius iuxta Antonij prædictionem punitur.

CAP. LV. Ceteros ad se venientes mirâ cum modestiâ Antonius admonebat, vt oblitâ sæculi dignitate, remotioris vitæ beatitudinem appeterent. Si qui autem maiori potestate premebantur, nec poterant obtinere iustitiam, ita eos obnixè defendebat, vt ipse pro illis pati videretur iniuriam. Multis vtilis fuit præclari senis oratio: multi magnis diuitijs & altiori gradu militiæ derelicto, eius hærere curriculis cupiebant. Et vt infinita breui sermone comprehendam, bonum Ægypto medicum Christus indulserat. Quis non tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad eius temperauit adspectum? quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abiecto, statim & diuitum despexit opulentias, & in suâ lætatus est paupertate? quis post lassitudinem monachus non eius vegetatus est hortamentis? quis adolescens succensus ardoribus, non ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? quis vexatus à diabolo, sine medelâ redijt? Quis inimici cogitationibus distractus, non cæcâ tempestate sopitâ, sereno regressus est animo? Sciebat enim quo quisque laboraret incommodo, & ex vitæ meritis discretionem spirituum agnoscés, adhibebat morborum, prout erant vulnera, sanitatem. Vnde effectum est, vt post eius doctrinam omnes diaboli panderentur insidiæ. [126] Multæ quoque desponsatæ puellæ, ad eius conspectum ab ipso penè thalamo recedentes, in Ecclesiæ matris gremio consederunt. Quid plura? Totius orbis homines ad eum confluebant, & vniuersarum gentium varietas bellicosissimum contra dæmones virum conspicere gestiebant. nullus se frustrà illuc venisse conquestus est: omnibus delectabile atque iucundum laboris commercium fuit. Fatigatio enim itineris emolumentum viatici reportabat, sicut rei probauit effectus. Nam post resolutionem eius, quasi communi vulnere orbitatis excepto, proprium singuli parentem luxerunt.

Antonius bonus Ægypti medicus.

Diuersis beneficia ab Antonio præstita.

CAP. LVI. Quis autem finis vitæ eius fuerit, dignum est & me commemorare, & vos cum desiderio audire: quia & hoc in eo imitabile cunctis fuit. Iuxta consuetudinem ad visendos fratres qui in exteriori monte erant, venit, ibique à diuinâ prouidentiâ de suâ morte condiscens, ita exorsus est: Vltimam, filioli, patris audite sententiam, non enim arbitror, quòd in hoc sæculo iterùm vos visuri simus. Cogit conditio [127] naturæ, vt post centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Ita locutus, audientium pectora contristauit: gemitus lacrymæque dicta mœrentia cóſecutæ sunt. Amplexabantur eum vniuersi, quasi iam de sæculo recessurum. At ille, tamquam aliena deserens, ad propriam patriam profecturus, magnâ cum lætitia præcipiebat, desidiam instituto non debere subrepere, sed tamquam quotidie morituros, vt antè prædixerat, à sordidis cogitationibus animam custodire, & omnem æmulationem ad sanctos quosque conuertere: ad schismaticos verò ne propè quidem accedere. Scitis enim, aiebat, eorum antiquam peruersitatem: neque cum Arianis communione iungamini, quia impietas eorum iam omnibus manifesta est. His etiam illud addebat, nullum debere Chri-

Fratribus suam mortem prædicit anno ætatis 105.

Postrema Antonij monita.

Christianum, cùm sæculi viderit potestates pro Arianorum & [128] Meletianorum pugnare nequitiâ, à Christi territum discedere veritate: mortalium illam esse defensionem, nec diu fallacem permanere posse phantasiam. Quaproptèr, aiebat, [129] custodienda est pia fides in Christo, & patrum religiosa traditio, quam ex Scripturarum lectione & crebro meæ paruitatis didicistis admonitu.

Fides & Traditio custodienda.

Cap.LVII

Finito sermone, fratres eum vehementissimè retardabant, glorioso patris cupientes termino decorari. Sed multas ob causas, quas & silentio demonstrabat, præcipuè tamen ob præsumptam Ægypti consuetudinem contradixit. Mos etenim Ægyptijs est, nobilium [130] & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare: terrâ verò non abscondere, sed [131] super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inueteratæ consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpè & episcopos deprecatus est, vt populos ecclesiasticâ contestatione corrigerent; & laicos viros ac mulieres rigidiùs ipse conuenit, dicens, nec licitum hoc esse, nec Deo placitum: quippe cùm Patriarcharum & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in sepulchro positum, lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. atque his modis [132] vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid maius aut sanctius corpore potest esse Dominico, quod iuxta consuetudinem gentium ceterarum humo conditum esse scimus? Hæc iusta persuasio multorum insitum euellit errorem, & repositis in terrâ cadaueribus, Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem etiam circa se laberentur errore, celeriter valedicens monachis, qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit.

Mos Ægyptiorum in funere nobilium & martyrum.

Ioan. 16. Matth. 27.

Arguit inueteratum in Ægypto funerandi morem.

Cap.LVIII

Post menses autem paucos, cùm non mediocre incommodum senilia membra turbasset, vocatis ad se [133] duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, quique etiam ei iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem, filioli, secundùm eloquia Scripturarum, patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cælestia. sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, & quasi cœptæ voluntatis fortitudo succrescet. Varias dæmonum nostis insidias, vidistis eorum & impetus feroces, & vires effeminatas. Iesum suspirate, & credulitatem nominis eius vestris figite mentibus, & à certâ fide vniuersi dæmones fugabuntur. Mementote etiam admonitionum mearum & incertæ conditionis, vitam quotidie ancipitem retractate, & cæleste vobis præmium sine cunctamine tribuetur. Schismaticorum quoque & hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter prauam eorum voluntatem, & pertinax contra Christum bellum. In hoc autem magis estote solliciti, vt Domini præcepta seruetis, vt post mortem vestram sancti quique, quasi amicos & notos, in æterna vos recipiant tabernacula. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite: & si qua mei vobis cura, si qua patris memoria est, si mihi vicarium [134] repræstatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati, vt nostis, à me ritus etiam circa me seruentur obsequia. Huius enim rei gratiâ maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mandatum: vt nemo præter vestram dilectionem locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. [135] Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio: Melotem & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio episcopo date, [136] quod mihi nouum ipse detulerat. [137] Serapion episcopus aliam accipiat melotem: vos cilicinum habetote vestimentum, & valete viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti sæculo vobiscum.

S. Antonij extrema ad discipulos verba.

Iosue 23. 3. Reg. 2.

Religiose cogitandum se primum inchoare.

Ad Iesu nomen dæmones horrent.

Vitandi schismatici & hæretici.

Lucæ 16.

Vetat pompam & gloriam funeris.

Testamentum Antonij.

Fidei confessores Antonius honorat muneribus.

Cap.LIX.

Verba finierat, & osculantibus se discipulis, extendens paululùm pedes, [138] mortem lætus aspexit: ita vt ex hilaritate vultus eius, Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur. hos intuens, tamquam amicos videret, animam exhalauit, & additus est patribus secundùm ordinem Scripturarum. [139] Seruauerunt mandata discipuli, inuolutum (vt præceperat) corpus humo operientes: & nemo interim vsque ad hanc diem, præter eos, vbi sit conditum, nouit. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur: & tamquam magnâ hereditate ditatus, [140] lætanter per vesti-

Moritur Antonius lætus præsentibus Angelis.

Athanas. Antonium in Antonij muneribus amplectitur.

vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.

CAP. LX. Hic Antonio vitæ terminus fuit, ista principia meritorum: quæ licet parciori, vt prædixi, sermone narrauerim, tamen ex his potestis aduertere, qualiter homo Dei à pueritiâ ad senectam vsque peruenerit: & quòd omni semper dubitatione calcatâ, nec languori, nec longæuæ quidquam ætati aliquando concesserit. magis autem [141] æqualitatem propositi tenens, nec vestimentum mutauit, nec pedes lauit, nec escam sectatus est molliorem: oculorum quoque aciem, & numerum dentium, licet paululùm ob ætatem viderentur attriti, necnon & pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita contra iura naturæ meritorum gratiâ custodiuit, vt lautorum corporum, quæ balneis atque delicijs confouentur, hilarior eius caro videretur.

Antonius semper in proposito æquabilis.

CAP. LXI. Hoc etiam fratres, quòd per omnes prouincias amor eius famaque volitauit, [142] quẽ nec librorum disseminatorum oratio luculenta, nec mundanæ sapientiæ disputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congestio commendauit; cui omnium ore est adscribendum, nisi Christo, cuius hoc donum est? qui deuotos eius animos erga suam præuidens maiestatem, hominem alio pænè orbe celatum, & inter tantas positum solitudines, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipsi etiam, [143] quæ vrbium caput est, Romæ, vt in exordio promiserat, demonstrauit. Creatoris est ista benignitas, qui famulos suos, licet nolentes, nobilitare consueuit, vt virtus possibilis nec extra humanam esse naturam sanctorum doceatur exemplis, & ad beatæ vitæ imitationem, ex fructu laboris optimus quisque impellatur.

Christi benignitas in seruos suos.

Longè latéq; celebris Antonius.

Cur Deus sanctos nobilitet.

CAP. LXII. Hunc itaque fratribus librum magnopere perlegere curate: vt agnitâ fideli vitâ sublimium Christianorum & monachorum, sciant, quòd Saluator noster Iesus Christus glorificantes se glorificat, & seruientibus sibimet, non tantùm regna cælorum, sed etiam hîc in ipsis montium secretis latêre cupientibus, famæ tribuit nobilitatem: scilicet vt & ipsi fruantur laude meritorum, & ceteri eorum prouocentur exemplis. Si autem necessarium fuerit, & gentibus legite, vt vel sic agnoscant, quia Dominus noster Iesus Christus non solùm est Deus, Dei Filius, sed etiam his, qui eum sollicitè colunt, & in eum fideliter credunt, hanc dedit potestatem; vt dæmones, quos illi deos esse arbitrantur, conculcent atque eijciant, deceptores scilicet hominum, & totius corruptionis artifices,

Vera virtus latêre non potest.

EPILOGVS EVAGRII INTERPRETIS.

ITAQVE prudentes, qui legere voluerint hanc scripturam, obsecramus, vt dent veniam, si Græci sermonis vim exprimere non potuimus, transferentes eum in Latinam linguam. licet contra nostrum propositum hæc fecerimus. Sed non quasi inuidentes nolebamus facere, sed sufficienter sciens, quantam infirmitatem sustinet Græcus sermo translatus in Latinitatem: tamen maluimus Græcum sermonem hoc sustinere, quàm fraudem pati eos lucri deifici, qui quomodocumque interpretatum Græcum sermonem legere possint. Deus autem omnipotens, qui tanto viro cooperatus est ad facienda talia, & nobis cooperetur ad imitandum ipsum vel ex parte, vt in omnibus clarificetur nomen eius per magistrum, & hortatorem, & redemptorem, & Saluatorem nostrum Iesum Dominum cum Spiritu sancto, cui est claritas & perpetua potestas in sæcula sæculorum.

NOTA-

NOTATIO.

PROLOG. 1. INNOCENTIVM.] *Editiones hic adscribunt*, episcopum; *quod deest manuscriptis. Rectè. nec enim Euagrius presbyter Innocentium vocasset* charissimum filium, *vti hic habes, si tunc ille episcopus fuisset.*

Sed quis hic Innocentius? Suspicor eum esse, cuius meminit D. Hieronym. epist. XLI. *ad Ruffinum, quem vnà cum Euagrio in Syriâ sibi socium fuisse asserit:* Innocentium enim, partem animæ meæ, repentinus febrium ardor abstraxit. Nunc vno & toto mihi lumine Euagrio nostro fruor; cui ego semper infirmus ad laborem cumulus accessi. *Alius, opinor, est Innocentius apud Hieronymum epist.* LVI. *ad Apronium, quem presbyterum vocat; vti & epist.* LXXIX. *ad Alipium & Augustinum. Alius item apud Palladium cap.* CIII. *montis Oliueti cultor, & ipse presbyter. Hunc autem Innocentium, in cuius gratiam Euagrius presbyter S. Antonij vitam è Græco Latinè vertit, existimo iuniorem fuisse, nec presbyteratu initiatum, quare eum vocat* charissimum filium, *alio vtique titulo vsurus Euagrius presbyter, si & ipse Innocentius, cui scribit, presbyter fuisset. Nisi fortè ratione ætatis ita vocauerit.*

In eiusdem Innocentij gratiam scripsit D. Hieronymus de muliere septies ictâ historiam, quam habes apud eumdem epist XLIX. *vbi eumdem Innocentium vocat* charissimum. *Ne rectè igitur in Indice Hieronymiano Innocentius hic, cuius Hieronymus meminit epist.* XLI. & XLIX. *confunditur cum eo, cuius meminit epist.* LVI.

Porrò ex hoc Hieronymi loco discimus, quo ferè tempore Euagrius vitam hanc Antonij Latio dederit, videlicet cum Hieronymus in Syria eremo versabatur vnà cum Innocentio, vel paullò antè.

Ad hunc Euagrij Prologum respicit D. Hieronymus epist. CI. *cap.* II. *ad Pammachium, ex eoque, tacito interpretis nomine, quædam citat, vt iam monstraui in Præludiis ad hanc Vitam, vbi actum est de Euagrio huius Vitæ interprete.*

PRÆFAT. 2. INGENS LVCRVM EST, QVOD RECORDOR ANTONII.] *Magni semper sancti viri habiti, ita vt etiam eorum recordatio lucro & vtilitati deputaretur. In vitâ S. Pachomij cap.* XXX. *ait Theodorus:* Credo: quia tanti viri recordatus sum, peccata mea remittentur vniuersa.

3. FREQVENTER ENIM EVM VISITAVI.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCXXXVIII. *Siluestri Papæ* XV. *Constantini* XXIII. *existimat, hoc anno, tertio videlicet episcopatus ipsius, Athanasium Ægypti ecclesias & monasteria visitasse, vt patere ait partim ex Apologiâ* II. *Athanasij, partim ex vitâ Pachomij cap.* XXVII. *Qui igitur Pachomium inuisit, Magnum quoque Antonium, monachorum omnium famâ celeberrimum, vtpote antiquiorem, & vitæ præstantiâ sanctiorem, atque cœnobiorum omnium auctorem & principem, visitasse credendus est. Vide dicenda infrà ad cap.* LVIII. *huius Vitæ.*

Admiranda, inquit Baronius suprà, planè in his quoque elucet Athanasij in omnibus spectata modestia: quippe qui res gestas Antonij scribens, numquam de eiusmodi congressu cum eodem vel verbum facit; verùm & quæ tum cum ipso, tum cum aliis viris sanctissimis transacta fuerint, haud dubium memoriâ digna; silentio obuoluta reliquit, ne videretur, dum aliorum præclaras res gestas contexeret, suarum ipsius laudum prædicator existere: maluens rectè factorum periclitari memoriam, quàm modestiam.

4. QVÆ AB EO DIDICI, QVI AD PRÆBENDAM EI AQVAM, NON PAVLVLVM TEMPORIS CVM EO FECIT.] *Omnino* fecit *legendum. Græcus quoque textus consentit:* Καὶ ἃ μαθεῖν ἠδυνήθην παρ' αὐτοῦ· ἀκολουθήσας αὐτῷ χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ἐπιχέας ὕδωρ κατὰ χειρῶν αὐτοῦ. *quæ habes hic Latinè ab Euagrio expressa. Sed malè hactenus in editis lectum,* feci. *Quod Baronium tomo* III. *anno Christi* CCCXI. *Eusebij Papæ* III. *Constantini* VI. & *an. Christi* CCCXXVIII. *Siluestri Papæ* XV. *Constantini* XXIII. *in errorem induxit, vt existimarit Athanasium S. Antonio inseruisse, & eidem aquam ferentem sedulo officio ministrasse.*

Imò verò Athanasius à pueritiâ, degustato Grammaticæ studio, Alexandro episcopo Alexandrino cœpit conuiuere; vt scribit Ruffinus lib. I. *cap.* XIV. *suæ historiæ:* Apud quem, *inquit*, Alexandrum velut Samuel quidam in templo Domini nutritur, & ab eo pergente ad Patres, in senectute bonâ, ad portandum post se ephod sacerdotale deligitur. *Sozomenus quoque lib.* II. *cap.* XVI. *ait, quòd Alexander* ὁμοδίαιτον καὶ ὑπογραφέα τὸν Ἀθανάσιον εἶχεν, Athanasium & conuictorem suum & scribam constituit. *Et Theodoretus lib.* I. *cap.* XXVI. Συνῴκει δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῷ πανευφήμῳ νέος μὲν ὢν τὴν ἡλικίαν, Qui cùm adolescens esset, consuetudine illius excellentis Alexandri assiduè vsus est.

Quod autem hic dicitur, ad præbendam ei aquam, *Græcè est:* καὶ ἐπιχέας ὕδωρ κατὰ χειρῶν αὐτοῦ. & qui lauanti manus aquas affudit: *simile Elisæi ministerium habetur* IV. *Regum c.* III. Ὃς ἐπέχεεν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας Ἠλιοῦ, qui fundebat aquas super manus Eliæ. *Solemne id olim. Vide Onomasticon.*

5. ANTONIVS.] *Martyrologium Romanum* XVII. *Ian.* In Thebaide S. Antonij abbatis, qui multorum monachorum pater, vitâ & miraculis præclarissimus vixit: cuius gesta Athanasius insigni volumine prosecutus est. Eius autem sacrũ corpus sub Iustiniano Imperatore diuinâ reuelatione repertum, atque Alexandriam delatum, in ecclesiâ S. Ioannis Baptistę humatum est. *Dies hic in Menologio Græcorum è bibliothecâ Card. Sirleti Latinè edito desideratur. Sed memoria Antonij titulo Magni occurrit hoc eodem die in Menæis Græcorũ. Et monachos olim natalem diem S. Antonij hoc die celebrare consueuisse, testis est Cyrillus monachus in Actis S. Euthymij* XX. *Ianuarij, quæ ante mille ducentos annos scripta.*

Meminêre S. Antonij veteres Græcorum *patres & historici, Chrysostomus homil.* VIII. *in Matthæum sub finem. Socrat. lib.* IV. *cap.* XXV. *Sozomen. lib.* I. *cap.* XIII. *Theodoret lib.* IV. *cap.* XXVII. *Niceph. lib* VIII. *cap.* XL. & *alij. Ex* Latinis *Hieronymus in catal. Eccles. Script. cap.* LXXXVIII. & *alibi. Ruffinus lib.* I. *hist. suæ cap.* VIII. *Cassiodorus lib.* I. *Tripart. cap.* XI. & *lib.* VIII. *cap.* I. *Augustinus lib.* I. *de doctr. Christ. in Prologo, & lib.* VIII. *Confession. cap.* VI. & XII. *aliįque. Agit etiam de S. Antonio Vincentius in Spec. hist. lib.* XIII. *cap.* XCI. XCII. XCIII. & *lib.* XIV. *cap.* XIV. *Antoninus part.* II. *titul.* XV. *cap.* III. *per* V. *primos* §. *Petrus in Catalogo SS. lib.* II. *cap.* XCII.

6. IN ÆGYPTO ORIVNDVS FVIT.] *Locum natalem exprimit Sozomenus lib.* I. *cap.* XIII. Ἐγένετο δὲ ἔτος Αἰγύπτιος, τῶν γένει τῶν εὐπατριδῶν, ἀπὸ Κομᾶ. Κώμη δὲ αὕτη ὅμορος Ἡρακλέους τοῖς παρ' Αἰγυπτίοις Ἀρκάδι. Erat

hic quidem ortus ex genere patriciorum, qui Comam (est is quidam pagus prope Heracleam apud Arcades Ægyptiis finitimos) incolebant. *Græcus textus editus habet ἄκραις, montibus; pro Ἀρκάσι, Arcadibus. Sed ex versione Christophorsoni, quã exhibui, apparet eum legisse Ἀρκάσι, vti & interpres Nicephori legit, vt mox parebit. Et sanè Heraclea seu Herculis magna ciuitas, ponitur in Heptanomiâ Ægypti, quæ Heptanomia etiam Arcadia dicta. Quare cùm Heracleam hanc Arcadum vocat Sozomenus, distinguit ab alijs Heracleis, quæ plurimæ in variis regionibus: immò & in eadem Aegypto. Heracleopoles Stephano sunt tres in Aegypto. Prima,* πόλις Αἰγυπτία, ἐξ ἧς Θεοφάνης ὁ φυσικός, ciuitas Ægyptia, vnde ortus Theophanes Physicus. *Secunda,* πλησίον Πηλουσίου, vicina Pelusio. *Tertia,* κατὰ τὸ Κανωβικὸν στόμα, versus Canobicum ostium. *Ex his secunda describitur à Iosepho lib.* V. *cap.* XIV. *belli Iudaici, diciturque Parua Heraclea Ptolomæo, qui Magnam ponit in Nili insulâ, vnde Heracleotes Nomus dictus. Eam existimo primam Stephani. Et apud hanc ortus videtur Antonius.*

Scaliger legit Νομοῦ Ἡρακλείου, *quasi* ex Nomo Heracleote. *sed retinenda communis lectio, cui conformis Nicephorus lib.* VIII. *cap.* XL. Ὅμορος δ' αὕτη Ἡρακλείᾳ τῇ παρ' Αἰγυπτίοις Ἀρκάδων, qui finitimus est Arcadum, quæ apud Ægyptios est, Heracleæ.

Epiphanius Scholasticus apud Cassiodorum Trip. hist. lib. I. *cap.* XI. *ex Sozomeno vertit hunc locum:* Fuit autem Ægyptius genere, ortus insigni vico, in loco Heracleæ apud Ægyptios constituto. *decurtatè & minùs distinctè. Musculus magis deprauatè:* Erat Aegyptius, genere nobili, à pago natus Apoconiâ, quem apud Aegyptios intemperantes Heracleam vocant. *quem vides ex* ἀπὸ Κωμῆς *fecisse* Ἀποκωνίας, *& pro* ἄκραις *legisse* ἀκρατεῖς.

7. NON SE LITTERIS ERVDIRI.] *Infrà capite* XLIII. Et hoc in se mirabile habebat, quia cùm litteras non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus erat. *Sozomenus libro* I. *cap.* XIII. Γράμματα δὲ οὐδὲ ἠπίστατο, οὐδὲ ἐθαύμαζεν, ἀλλὰ τὸν ἀγαθὸν νοῦν πρεσβύτερον τῶν γραμμάτων, καὶ αὐτὸν τούτων εὑρετὴν ἐπῄνει. Litteras neque nouit, neque magni æstimauit, sed bonam mentem, vtpote litteris antiquiorem, & earum inuentricem, laudauit plurimùm. *Vide infrà ad cap.* XLV. *Augustinus lib.* I. *de doctr. Christ. in Prologo tradit Antonium fuisse* θεοδίδακτον: *cui & simile exemplum adiungit.* Nec propterea sibi ab Antonio, sancto & perfecto viro, Aegyptio monacho, insultari debere, qui sine vllâ scientiâ litterarum Scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur. Aut ab illo seruo barbaro Christiano, de quo à grauissimis fideque dignis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam, orando vt sibi reuelarentur, accepit, triduanis precibus impetrans, vt etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.

8. INNOCENTER HABITABAT DOMI.] *Græcè hic est,* ὡς ἄπλαστος ᾤκει ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. *Desumptum ex Genesi cap.* XXV. *vers.* 27. Ἰακὼβ δὲ ἦν ἄνθρωπος ἄπλαστος, οἰκῶν οἰκίαν. *quod vulgatus interpres vertit:* Iacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis. *Loco* ἄπλαστος, *Aquila est* ἁπλοῦς, simplex; *Symmacho* ἄμωμος, sine crimine. *Euagrius videtur legisse* ἀπλάστως, *quia vertit,* innocenter. *De vocabuli huius* ἄπλαστος *significatione & versione agit D. Augustinus lib.* I. *QQ. in Genes. q.* 74. Quod Græcè, *inquit,* dicitur ἄπλαστος, hoc Latini simplicem interpretati sunt. Propriè autem ἄπλαστος non fictus. vnde aliqui Latini interpretes, sine dolo, interpretati sunt, dicentes: Erat Iacob sine dolo, habitans in domo: vt magna sit quæstio, &c. *Paria habet idem Augustinus lib.* XVI. *de ciu. Dei cap.* XXXVII.

Surius hic margini annotauerat, Psal. c. *Nempe, quia ibi versu* II. *habetur:* Perambulabam in innocentiâ cordis mei, in medio domus meæ. *Sed respicit Athanasius ad locum Geneseos, vt dixi.*

9. ET ACCIDIT VT TVNC EVANGELIVM LEGERETVR.] *Augustinus lib.* VIII. *Confess. cap.* XII. *cùm in ancipiti carnis & spiritus conflictu versaretur, hoc Antonij exemplo semetipsum exstimulauit ad fortuitam codicis lectionem, quæ illi saluti fuit. Babylas mimus audiens in Ecclesiâ legi versum hunc ex Euangelio,* Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum, *à luxuriosâ vitâ ad continentem transijt: Pratum spirituale Ioannis Moschi cap.* XXXII. *Doctor Moneta cùm in festo S. Stephani audiret concionantem Fr. Reginaldum in ista verba,* Ecce video cælos apertos, *Ordini D. Dominici se addixit: Vita Fratrum Prædicatorum parte* IV. *c.* X. *Guerricus cùm audiret legi in Ecclesiâ:* Factum est omne tempus, quod vixit Adam, nongenti triginta anni, & mortuus est. Facti sunt dies Enoch nongenti quinque anni, & mortuus est: *se quoque moriturum apprehendens, eidem Ordini se consecrauit: ibidem c.* XII. *Scholaris quidam Parisijs audito Responsorio in vigiliis defunctorum:* Heu mihi Domine, quia peccaui nimis in vitâ meâ, quid faciam miser, vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? *in eamdem religiosam familiam se recepit: ibidem cap.* X. *Quæ tria Dominicani Ordinis exempla habes etiam in Speculo exemplorum dist.* VII. *ex.* XLVII. XLVIII. XLIX. *S. Franciscus cùm ex Euangelio hæc verba in templo pronuntiari audisset:* Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta: *eam sibi regulam, velut Dei monitu, seruandam proposuit. Nicolaus Tolentinas cùm fortè audisset Augustinianum concionatorem differentem super illo Ioannis dicto;* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; *mundi rebus renuntiauit: Vita eius cap.* III. *Septembris* X. Cap. II. Matth. 4. Actor. 7. Gen. 5. Matth. 10. 1. Ioan. 2.

10. ARVRÆ AVTEM ERANT EI TRECENTÆ VBERES ET VALDE OPTIMÆ.] *Mirabitur hic quispiam nouitatem vocis, quæ hactenus hic numquam comparuit: sed vbi veram eam scriptionem probauero, mirari desinet. Aruræ est in manuscriptis Aud. & Camb. In textu Græco:* Ἄρουραι δὲ ἦσαν τριακόσιαι εὔφοροι καὶ πάνυ καλαί. *Vulgò est,* Erant autem ei trecentæ palmæ vberes. *Quod qui primus substituerit verâ lectione repudiatâ, equidem nescio: certè non oportuit. Prudenter Euagrius, interpres vetus, retinuit hic Græcam vocem* aruræ, *quia commodè verti non poterat. Nec enim* ἄρουρα *hic* campus *est, vt Hæschelio nonitio interpreti visum, sed certum genus mensuræ interuallorum apud Aegyptios. Horapollo lib.* I. *cap.* V. Ἔτος τὸ ἐνιστάμενον γράφοντες, τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν. Ἔστι δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα πηχῶν ἑκατόν. Instantem annum significantes, quartam aruræ partem pingunt. Est autem ἄρουρα terræ mensura, centum complectens cubitos. *Vide & Eustathium variis locis ad Homerum. Fusiùs de hoc in Onomastico.*

11. MEMORIAM PRO LIBRIS HABERET.] *Et natura rerum à Deo conditarum, Antonio instar libri erat. Socrates lib.* IV. *c.* XVIII. *& ex eo historia* Tri-

Tripart. lib. VIII. *cap.* I. Τῷ δικαίῳ Ἀντωνίῳ προσελθών τις τῶν σοφῶν, ἢ Πῶς διακαρτερεῖς, εἶπεν, ὦ πάτερ, τῆς ἐκ τῶν βιβλίων παραμυθίας ἐστερημένος; Τὸ ἐμὸν βιβλίον, ἔφη ὁ Ἀντώνιος, ὦ φιλόσοφε, ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστί. καὶ πάρεστιν, ὅτε βούλομαι, τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ Θεοῦ. Cuidam ex eorum numero, qui id temporis sapientes sunt habiti, ad Antonium illum iustum accedenti, quærentique quo pacto vitam posset sustentare, solatio illo quod ex libris capi solet, orbatus? respondit: Meus liber, ô philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, quæ quotiescumque animo libitum sit meo, libros ipsius Dei legendos suppeditat. *Optimus sanè liber & obuius, creatura omnis; eiusque usus sanctis viris semper fuit familiaris.*
Psal. 18. *Quippe* cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

12. QVIDAM VT FILIVM, ALII VT FRATREM DILIGEBANT.] *Pro fratrem, editi quidam habent* patrem. *Sed Græcè est,* ἀδελφὸν, fratrem: *quod magis quadrat in Antonij ætatem, qui mox dicitur* νήπιος adolescens: *nam pro ratione ætatis ista naturæ vocabula indulgebant. Sic & apud Spartianum in Didio Iuliano:* Vbi verò primùm illuxit, Senatum & equestrem ordinem in palatium venientem admisit: atque vnumquemque, vt erat ætas, vel patrem, vel filium, vel parentem affatus blandissimè est. *Vbi frustrà Heraldus ad Tertull. Apolog. capite* XXXIX. *pro* patrem, *rescribit* fratrem. *deceptus, opinor, quòd existimaris per* parentem *hic* patrem *intelligi. Sed* parens *hic est cognatus, vt sæpè apud eius ætatis scriptores. Lampridius in Alexandro Seuero:* Iam verò ipsi milites iuuenem Imperatorem amabant vt fratrem, vt filium, vt parentem. *Quod ait* vt parentem, *id est, vt cognatum, non verò vt patrem. Nec enim iuuenis Imperator à militibus vel ætate paribus vel superioribus haberi poterat vt pater. Rectè Nerua* parens *habitus, quia senex. Ausonius,*

Auson. de Cæsaribus, Tetrast. 13.
Proximus extincto moderatur sceptra tyranno,
Nerua senex, Princeps nomine, mente parens.

Vide Onomasticon.

CAP. IV. 13. ILLE LVBRICVM ADOLESCENTIÆ ITER.] *Proprium hoc ætatis eius epitheton. Ambrosius de obitu Valentiniani:* Tanta enim fuit emendatio vitæ eius, in illo omnibus lubrico adolescentiæ tempore. *Hieronymus ep.* III. *ad Rusticum.* Perfectæ quidem ætatis gradum scandere, sed lubricum iter esse, per quod ingrederis. *Idem epist.* XLIII. *ad Chromatium:* Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter.

14. HINC ET SPIRITVS FORNICATIONIS VOCOR.] *Sic* πνεῦμα πορνείας, spiritus fornicationis, *Osee* IV. *vt hic sequitur. Palladius cap.* LXXXVI. Ei *(Euagrio)* aliquando grauem exhibuit molestiam dæmon fornicationis. *In Vitâ Hilarionis capite* XVI. Qui habebat collegam meum, amoris dæmonem. *Venereæ autem cohortis princeps* Asmodæus, *de quo Tobiæ cap.* III. *&* VI. *Serarius noster copiosè. Certos dæmones certis vitiis incumbentes, ab iisque nomen sortientes, frequens apud Auctores asceticos mentio. Hic pòst cap.* XV. Diuersa autem eorum & partita nequitia est. *Cassianus collat.* VII. *capite* XXXII. Quæ vocabula non casu, nec fortuitò indita illis debemus accipere. *Porrò de variâ dæmonum distinctione & differentiâ, vide Gallicum libellum Ioannis Maldonati nostri nomine editum, vbi eos distinguit ex nomine, ex naturâ, ex locis vbi versantur, ex tempore quo dominantur, ex officiis imperandi & obediendi, & ex vitiis quibus præsident.*

CAP. V. 15. CVM OMNES INFATIGABILEM ADOLESCENTIS MIRARENTVR INSTANTIAM.] *Vsurpat hîc* instantiam, *vt in Sacris litteris vsurpatur 2. Cor.* II. Instantia mea quotidiana *pro contentione, curâ, studióque magno. Sic antè in Præfatione ad hanc Vitam:* aut superare nitentes virtutis instantiâ.

16. ET CVM IN VNA MEMORIA.] *Græcè* μνῆμα. *paulò antè vertit* sepulcrum. *Sic Martyrum memoria Augustino lib.* XXII. *de Ciu. Dei cap.* VIII. *de reliquiis S. Stephani:* Ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & accursus. *& passim apud sacros scriptores.* CAP. VII.

17. PARDVS DISCOLOR TERGO.] *Ita MSS. Colon. editio,* discolor à tergo. *alij simpliciter* discolor. *deest hoc de pardo in textu Græco.* C. VIII.

18. NON OBLITVS IESVS.] *Thyræus de Apparitionibus impersonalibus Christi cap.* VI. *adfert exempla aliqua, quando auditus quidem, non autem visus est Christus. vt hoc Antonij, quando* vox ad eum facta est, dicens: Ego, Antoni, hîc eram. *Sic & cap.* XI. *hîc:* Et facta est vox Domini, dicens: Abominabitur altarium meum. *vide &* XII. *Augusti, in vitâ S. Claræ cap.* XIV. *&* VII. *Martij, in vitâ S. Thomæ Aquinatis, auctore Ioanne Garzone.* CAP. IX.

19. VT THEBÆIS MOS EST.] *Non dubito hîc per panes, qui per annum incorrupti durant, quos Thebæi sibi recondunt, intelligi* paximates, *seu* buccellata. *Suidas:* Παξαμᾶς, ὁ δίπυρος ἄρτος, Paxamas, panis bis-coctus. *Vide Onomasticon nostrum.* CAP. XI.

20. QVÆ IAM MORTVVM EVM SE EXISTIMAVERANT REPERTVROS.] *Ita disertè MSS. Sed Coloniensis editio & Surius,* quidam *pro* quæ iam. *quod credo substitutum, ne videretur in Prisciani regulas peccatum; quia sequitur,* reperturos. CAP. XII.

21. NEC NON ET PATIENTIVM INFINITA SE CATERVA CONGLOMERARET.] *Deest hoc in Græco. Infra cap.* XXXVI. *de dæmonioso:* Aduersus patientis insaniam laboraret. *Cape* patientes, *vel à morbis, vel à dæmonibus: nam mox sequitur:* Plurimos ab immundis spiritibus, & infirmitatibus variis liberauit. *vbi Græcè:* Πολλοὺς γοῦν τῶν παρόντων τὰ σώματα πάσχοντας ἐθεράπευσεν ὁ Κύριος δι' αὐτοῦ· καὶ ἄλλους ἀπὸ δαιμόνων ἐκαθάρισε. Multorum itaque corpora ægrota Dominus per ipsum sanauit; alios à dæmonibus impuris liberauit. CAP. XIII.

22. QVASI EX ALIQVO CÆLESTI ADITV CONSECRATVS APPARVIT.] *Græcè,* Προῆλθεν ὁ Ἀντώνιος ὥσπερ ἔκ τινος ἀδύτου μεμυσταγωγημένος καὶ θεοφορούμενος. *Quare quod Græcè* ἄδυτον; *Latinè Euagrio est* cælestis aditus.

23. QVOD NEC PER QVIETEM INTVMVERAT.] *Coloniensis editio,* inquietem. *In Græco tantùm est,* μήτε παχυνθὲν, neque obesum. *Corpora &* quiete, *siue dum non exercentur,* intumescunt; *&* inquiete, *siue* ἀγρυπνίᾳ.

24. IN ARSINOITARVM OPPIDO.] *Intelligit de Arsinoë, seu Crocodilorum oppido ad Nilum, in Nomo Arsinoite. Adiungit enim hîc de crocodilis. Est & alia Arsinoë in Ægypto. Vide Onomasticon.* CAP. XIV.

25. RIVVLVM FLVMINIS NILI TRANSVADARE ESSET NECESSE.] *Græcè:* Χρείας δὲ γενομένης διελθεῖν αὐτὸν τὴν τοῦ Ἀρσενοΐτου διώρυγα. Necessitate vrgente, vt Arsenoiticæ præfecturæ fossam transiret. *Vide Strabonem lib.* XVII.

26. PLVRIMA FIERENT MONASTERIA.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCXXVIII. *Siluestri Papæ* XV. *Constantini* XXIII. *Cùm verò, ait, ex omni hominum genere ad Antonium inuisendum confluerent, & ab eodem ad contemptum sæculi, & perfectæ*

facta vita studium arripiendum sedulò inuitati, idem viuendi genus & institutum capesserent; complura condidit monasteria, cœnobiticaque ipse primus vitæ iecit in eremo fundamenta: adeò vt cœnobitarum monachorum idem institutor sit habitus, vel potiùs restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur, quos Christianos fuisse, suo loco superiùs perspicuè demonstrauimus.

Cœnobitica vita Antonius restitutor.

Tomo I. anno Christi 64.

Porrò grauioribus persecutionum procellis obortis, quibus non Christiani tantùm simul agentes, & conuentus publicè celebrantes, sed & latentes in penetralibus aliisque latibulis quæsiti, abriperentur ad necem, intermitti illud caleste viuendi genus oportuit: quod S. Antonius non modò restituit, verùm longè lateque in Christianum orbem copiosissimo fœtu propagauit.

Monasteria ab Antonio erecta.

Erant quidem ante Antonium, qui timore persecutionis, ciuitatibus derelictis, siue ruri, siue in desertis locis abditi, Angelis similem vitam ducebant; quorum nonnullos ex Eusebio diximus fuisse martyrio coronatos: reperit & horum aliquos ipsemet Antonius, cùm, vt illatam Ecclesiæ persecutionem vitaret (vt dictum est) in desertum locum secessit, & ab vno illorum prima rudimenta monasticæ institutionis accepit: quæ perfecit delitescens in solitudine: cùm posteà diuino afflatus numine monachos in vnum collegit, & in diuersa loca, tamquam in diuersis aluearijs apum examina, distribuit, qui sub eius disciplinâ à sæculi abdicatione ad monasticam professionem amplexandam fuerant persuasi. De quibus in hac Vitâ cap. XXI. &c.

Qui igitur Antonium adeuntes eidem se subiecêre discipuli, ex iis alij in eisdem cum illo montibus monasticam exercuêre disciplinam: alij verò eadem ex plantâ palmites succidentes, & in diuersis prouinciis complantantes, breui tempore factum est, nempe hoc ipso sæculo, vt replerint terrarum orbem tam sanctâ propagine, nimirum Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, & Boreales regiones, vsque ad latrones Bessos & Dacos; de quibus S. Paulinus hæc cecinit in reditu S. Nicetæ viri sanctissimi, à quo accepit quod scribit:

Paulin. de reditu S. Nicetæ.

O vices rerum! benè versa forma!
Inuij montes priùs & cruenti,
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modò terra vitæ est:
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et fauet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris, &c.

Hier. ep. 3.

Sed & de Bessis meminit S. Hieronymus, cùm scribens ad Heliodorum hæc ait: Indus, Persa, Gothus, Ægyptius philosophantur: Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorē suum in dulce Crucis fregerunt melos. *& ad Lætam:* De Indiâ, Perside, Aethiopiâ, monachorum quotidie turmas suscipimus. *Eorum scilicet qui ad loca sancta visenda pietatis ergô ventitabant.*

Hier. ep. 7.

CAP. XV.

27. AD OMNEM QVIDEM MANDATORVM DISCIPLINAM SCRIPTVRAS POSSE SVFFICERE.] *Quomodo Scriptura sufficiens dicatur, agit Bellarminus tom. I. Controu. I. general. lib. IV. cap. IX. de verbo Dei non scripto, ad secundum argumentum.*

28. SI AVTEM MVLTVM.] *Ita hîc MSS. & veteres editiones. Coloniensis:* Si autē in potestatibus. *Atque ita vulgatus noster interpres Ps. LXXXIX. ex Græco:* Ἐὰν δὲ ἐν δυναστείαις. *Hieronymus epist. XXI. ad Paulum Concordiensem etiam citat* Si autem multum. *& epist. XXXIV. ad Iulianum:* Si autem ampliùs. *Vide eumdem ep. CXXXIX. ad Cyprianum, vbi etiam habet:* Sin autem multū. *citatque ex LXX.* Si autem in potentatibus, *& ex Symmacho:* Contra opinionem.

29. VT IN LIBRO ECCLESIASTIS SCRIPTVM EST.] *Coloniensis editio hîc in textu addit:* Quia nescit homo quid sit post eum in labore suo. *quod deest manuscriptis & veteribus editionibus. Certum est, respici ad sensum Ecclesiastis II. vt in margine notatum est.*

30. CVR ERGO NON FACIMVS DE NECESSITATE VIRTVTEM.] *Prouerbialis vt apparet locutio, quam etiam Teutonismus frequentat. Vtitur B. Hieronymus ep. X. ad Furiam:* Arripe, quæso, occasionem; & fac de necessitate virtutem. *Et Apolog. III. aduersus Ruffinum:* Quin potiùs habeo gratiam, quòd facis de necessitate virtutem.

31. LVBRICÆ CARNIS INCENTIVA.] *Frequens hoc* incentiui *vocabulum de carnis vitio. Hieronymus ep. IV. ad Rusticum monachum:* Et adolescentiæ, immò pubertatis incentiua calcantem. *Idem in Isaia cap. LVIII.* Corporis me superauit ardor, adolescentiæ incentiua vicerunt. *Cassianus Collat. II. c. XIII.* carnalibus incentiuis inquietati. *Sed idem nomen & aliis vitiis tributum. Vide Onomasticon.*

32. ET RVENTEM ANIMAM QVASI EX ALIQVA RVPE SVSTENTAT.] *Græcè est ἀνίστησιν,* erigit: *quod Euagrius interpres adagiali, vti videtur, formulâ exprimit:* Quasi ex aliquâ rupe sustentat. *Sic Ammianus l. XXII. ait, quòd Eusebiū altè spirantem, & summo apud Imperatorem loco,* Adrastia reluctantem, præcipitem tamquam è rupe quadam egit excelsâ.

33. QVOD EX NOSTRO PENDET ARBITRIO.] *Editiones:* Quod ex nostro, Dei gratiâ præcedente, pendet arbitrio. *Quæ verba media quamuis absint à textu Latino MS. & Græco impresso, tamen hîc ex verâ Theologiâ intelligenda.*

34. HVIVS OPERIS HOMINI INSERTA NATVRA EST.] *Quomodo virtutis semina homini insita sint, explicant Scholastici. Vide Onomasticon.*

35. GRÆCI STVDIA TRANSMARINA SECTENTVR.] *Facit ad hunc locum, quod habet Persius Satyrâ VI.*

——— Et Bestius vrget
Doctores Graios: ita fit, postquam sapere vrbi
Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers.

36. NOBIS VERO NVLLA PROFICISCENDI.] *Ex hoc loco Flaccus Illyricus Catalogo testium veritatis, veriùs varitatis & falsitatis, lib. IV. & ex eo moderni hæretici improbant Peregrinationes. Sed prauè Antonij sensum detorquent. Negat Antonius peregrinationes ad Terram sanctam vel aliò, simpliciter ad salutem esse necessarias. quis Catholicorum non vnà cum Antonio hoc negat? Scimus omnibus in terris regnum esse cælorum, Deum vbique præsentem. Sed cur Dei peculiaria munera certo loco præstita non amplectamur? qua cur illo loco potiùs quàm alio præstet, quis ab eo rationem exquirat? Præclarè Augustinus epist. CXXXVII.* Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in

aliis

aliis locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? *Sermo quoque Antonio ad monachos est, quibus non ita peregrinationes competunt, quantumuis sanctæ & laudabiles.*

37. NIHIL DEVM FECISSE QVOD MALVM EST.] *Benè subiungit dæmones non naturâ, sed suo vitio malos esse. Vetus apud Philosophos veteres quæstio de origine mali. Perplexus in eâ re Arnobius lib.* II. *contra Gentes. Breuiter Tertullian. explicat aduersus Marcionem lib.* II. *cap.* XIV. Nos autem adhibitâ distinctione vtriusque formæ, separatis malis delicti, & malis supplicij; malis culpæ, & malis pœnæ; suum cuique parti definimus auctorem; malorum quidem peccati & culpæ, diabolum, malorum verò supplicij & pœnæ, Deum creatorem; vt illa pars malitiæ deputetur, ista iustitiæ, mala condentis iudicia aduersus mala delicti. *Vide & Cassianum Collat.* VIII. *cap.* VI. *quòd nihil à Deo malum creatum sit.*

Vita sancti Auxentij per Metaphrast. 14. Feb. *Mali verò originem à creaturâ esse, eleganti similitudine explicatur in vitâ S. Auxentij:* Quomodo lux Solis est communiter proposita omnibus quibus adest vis videndi; potest autem, si velit quispiam, claudens oculum separari à dono lucis; non quòd Sol in illo effecerit tenebras, sed quòd radij splendorem auersatus, tenebras suâ sponte attraxerit: & quomodo si quis domum sibi construens, nullum luci aditum præbeat intrinsecùs, obscuram domum efficit: ita nos quoque in naturâ habentes bonum & honestum, nostro arbitratu innouamus quæ sunt præter naturam, nostrâ sponte malorum experientiam, in boni & honesti auersione, electione nostrâ & instituto fabricantes. Malum enim extra propositum, propriâ substantiâ consideratum, nullum est in rerum naturâ. Quidquid enim à Deo creatum est, bonum est; & omnia quæ fecit Deus, sunt valdè bona. *Gen. 1.*

38. DIVERSA AVTEM EORVM ET PARTITA NEQVITIA EST.] *Cassianus Collat.* VII. *cap.* XVII. Hoc nosse debemus, non omnes dæmones vniuersas hominibus inurere passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditijs ac libidinum sordibus inquinari, *&c. & eadem Collat. c.* XX. Illud etiam nequaquam ignorare debemus, non esse omnes eiusdem ferocitatis & desiderij, sed ne vnius quidem fortitudinis atque nequitiæ. *De quo idem fusiùs eadem Collat. c.* XXXII. *vbi dicit:* Tot esse in immundis spiritibus, quot in hominibus studia, non dubiè comprobatur. *Vide Augustinum libro* X. *cap.* XI. *de Ciu. Dei, de varijs dæmonum affectibus ex Porphyrio & Iamblico. Palladius cap.* XIX. *&* XX. *in Macario Ægyptio:* Est enim ordo quoque dæmonum, qui dicitur igneus. Sunt enim dæmonum quoque, sicut hominum differentiæ, non mutatâ essentiâ, verùm mente diuersâ. *Vide dicta ad cap.* IV. *num.* 14.

39. AD PRIMVM QVODQVE CRVCIS SIGNVM EVANESCVNT.] *Nota, hæretice, signi Crucis efficaciam, cuius exempla manifesta in hac Antonij vitâ habes etiam cap.* XVIII *& cap.* XXVI. *& capite* XLIX. *Plura de his in operosis Gretzeri nostri de Cruce libris. Vel ex hoc loco Flacci Illyrici redarguitur mendacium, qui in Catalogo testium Veritatis libro* II. *non veritus est scribere:* Multa de Antonij luctis cum satanâ lego: sed nusquam de aquâ benedictâ, Cruce, cerâ, & herbis sacratis. *Nempe tam oculeus fuit Illyricus, vt cùm varijs capitibus Antonius Crucis efficaciam depredicarit, eiusque vexillum extulerit, ne vnum quidem perspexerit.*

40. HAMO CRVCIS VT DRACO ADVNCATVS A DOMINO EST.] *Alludit ad Iobi cap.* XL. *v.* 20. An extrahere poteris Leuiathan hamo? *vbi in Græco:* Ἄξεις δὲ δράκοντα ἐν ἀγκίστρῳ; Duces autem draconem in hamo? *Gregorius Nyssenus orat.* I. *de resurrectione Domini, per hamum diuinitatem Christi quâ diabolus captus est, intelligit:* Dum inhians, *inquit,* ad carnis escam aspirat, diuinitatis hamo transfixus est, atque ita draco per hamum ductus est, vt ait Iob, qui per se, quod futurum erat, prænuntians; Hamo, inquit, draconem duces. *Nec aliter Magnus Gregorius:* Leuiathan iste hamo captus est, quia in Redemptore nostro dum per satellites suos escam corporis momordit, diuinitatis illum aculeus perforauit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo & esca carnis patuit, quam deuorator appeteret; & diuinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. *qui deinde huius hami lineam per antiquorum propaginem tortam docet. Vide eumdem de hamo ad versum Iobi præcedentem. S. Antonius hamo crucem comparat; Olympiodorus in Catenâ Græcorum clauos ei aptat:* Is enim, *ait,* carne suâ quasi quadam escâ obiectâ, clauis suis, quasi hamis, piscem captauit.

41. NVNC MISERABILIS VT PASSER AD LVDVM IRRETITVS A CHRISTO EST.] *Ex eodem Iobi capite desumptum:* Numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? *Hoc queruntur dæmones in vitâ S. Pachomij cap.* XLIX. Ex quo mirabilis incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus: ita vt ab his, qui credunt in nomine eius, illudamur vt passeres. *Apud Clementem libro* VIII. *Constit. Apostol. capite* VII. *in obsecratione pro energumenis, respiciendo ad vim exorcismorum:* Ὁ τὸν ἀνδροφόνον ὄφιν δησμεύσας ὑμῖν, ὡς στρουθίον παισίν. Qui dedisti nobis homicidam serpentem vinculis constrictum, sicut passerem pueris. *Quam exorcismi vim contra diabolos, deos Gentilium, egregiè vrget Tertullianus Apolog. cap.* XXIII. Subiecta est Christianis diuinitas vestra. *& Cyprianus contra Demetrianum cap.* VI. Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas. *Augustinus in Psalmum* CIII. *v.* 27. *de diabolo virtute Christi eneruato hunc versiculum accipit:* Draco hic quem finxisti ad illudendum ei. Iam tu illude draconi: ad hoc enim hic factus est draco. *de quâ illusione consule Magistr.* II. *sent. dist.* III. *§.* Ideoque. *Idem Augustinus serm.* CXCVII. *de Tempore, qui est* II. *Dominica prima post festum S. Trinitatis aliâ similitudine canis alligati diaboli impotentiam explicat:* Alligatus est tamquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit. Iam videte, fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te illi per voluntates & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumit accedere. Latrare potest, sollicitare potest: mordere omnino non potest nisi volentem.

42. ADVENIENTE DOMINO DESTRVCTVS EST INIMICVS.] *Mox:* quia infirmatus es à Domino. *Infrà in vitâ S. Pachomij cap.* XLIX. Ex quo mirabilis incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus. *Cassianus Collat.* VII. *cap.* XXIII. Virtute Crucis etiam deserta penetrante, & vbique eius gratiâ coruscante, retusa est nequitia dæmonum. *Vide dicta ad numerum præcedentem.*

43. QVIA CLAVSO OSTIO INTERIORE.] *In eâ opinione fuit aliquando Alexander ab Alexandro, vt ipse refert*

refert Genial. dier l. v. c. xi. nullum videlicet à lemuribus periculum esse ostiis obseratis. Sed quàm eum sua fefellerit opinio narrat ipse eodem loco. Videsis Thyræum nostrum de Locis infestis, parte III. cap. LX.

44. DVM THEATRALI MVTATIONE FORMARVM.] Obuiâ similitudine diuersas dæmonũ species & apparitiones illustrat. Notus theatris scenaque mos, cùm quis diuersam formam induit, personamque sustinet.

Cap. XVII. 45. MAGNA ADVERSVS DÆMONEM ARMA SVNT VITA SINCERA, ET INTEMERATA IN DEVM FIDES.] Delrio noster tom. III. Disquis. Magic. libro VI. cap. II. sect. III. q. III. agens de remediis supernaturalibus diuinis seu Ecclesiasticis contra maleficia, duo hæc remedia ponit.

Primum, inquit, remedium in hoc genere VERA ET VIVA FIDES, hoc est, charitate Dei & proximi vallata. Hoc scutum nobis præfert & præbet D. Paulus ad Ephesios scribens: hanc loricam vt Thessalonicenses induant, vrget: hanc suis discipulis commendat magnus ille Antonius. Sic Cypriano mago dæmon respondit, se Christi fide munitis nocere non posse. Sic apud Cassianum duo philosophi cùm dæmonum præstigiis Antonium perturbare non possent, comprobarunt magnam professioni Christianorum inesse virtutem. Sic apud Cornelium Kempensem libro III. de origine & situ Frisiæ cap. XXXI. Albarum nympharum præstigiæ post agnitum sincerum Dei Euangelium euanuerunt in Frisiâ per chartam sancti Odulphi de Trinitate scriptam, & per parœcias missam & lectam.

Ephes. 6. 1. Thess. 5.

Nazianz. orat. in Cypr. Cassian. collat. 8. cap. 18.

Secundum est, VITA SINCERA. De mandatorum Dei obseruantiâ & vitæ innocentiâ, quàm sit efficax remedium, docere possunt D. Cyprianus ad Fortunatum de exhortatione Martyrij, Lactantius lib. II. capite XVI. & Ambrosius Ansbertus libro V. in Apocalyp. cap. XI.

46. ITA ET DE NILI INVNDATIONE SOLLENNI.] Infrà cap. XX. quoties augmenta Nili fluminis futura dixerunt. De prædictione dæmonum vide Onomasticon.

47. INDICTO SIBI SILENTIO.] Luce Euangelij coruscante, idolorum defecère oracula. Prudentius Apoth. v. 503.

Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus aluum,
Spiritus ille Dei, Deus; & se corpore Matris
Induit, atque hominem de virginitate creauit,
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra.

Vide Eusebium de præparat. Euangel. lib. V. c. VIII. qui Plutarchi librum citat de Oraculorum defectu. vide & Suidam in Augusto, Niceph. lib. I. cap. XVII. Cedrenum in Compend. hist. Quò illud Iob cap. XL. v. 20 facere volunt interpretes: An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?

48. INTEGRITATE QVA NATA EST.] Ita MS. & Græcus textus. Editi, renata.

Cap. XIIX. 49. BONORVM SPIRITVVM MALORVMQVE DISCRETIO.] Delrio noster tomo II. Disquis. Magic. lib. IV. cap. I. q. III. sect. VI. de indiciis petitis à reuelationum circumstantiis ex hac Antonij doctrinâ docet, aduertendum an quæ initio mentem lætitia demulserat, ea sit posteà in horrorem & mœrorem versa. Item num qui cœpit à principio, sensim horror amotus non fuerit, sed constans permanserit. Duæ enim sunt hæ reuelationum falsarum notæ. Sin autem initio quidem homo perturbetur, & horroris aliquid persentiscat, sed postmodum hac molestiâ & anxietate animi detersâ, dulcedine quadam internâ perfundatur, signum esse diuinæ consolationis. Cuius rei naturalis caussa esse videtur antipathia, quæ est homini cum dæmone homicidâ; & sympathia, quæ homini cum Angelis intercedit.

Ceterùm documentum illud Antonij est accipiendum de verâ internâ dulcedine, quæ famem ac desiderium virtutum adfert & adauget, præcipuè charitatis & humilitatis. Quam limitationem meritò beata Catharina Senensis adiecit: quod confirmat attestatio B. Angelæ Fulginatis, sibi ex visione in animo mansisse vehementius desiderium, cruciatus omnes & iniurias pro Deo sustinendi.

50. MALEDICTA RECIPERENT.] Verborum contumeliis & conuitiis incessere dæmones, sanctis viris olim vsitatum. Sulpicius epist. ad Bassulam de sancto Martino: Quid hîc, inquit, adstas cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies. Etiam in exorcismorum formulis conuitia adhibita. Prudentius Apotheosi, versu 474. Cap. XX.

Intonat antistes Domini: Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas.

Vide Flagellum dæmonum exorcismo IV. vbi larga conuitiorum seges. Etiam Ethnici diris imprecationibus dæmones excipiebant, & ita se pellere posse credebant. Ita Apollonius Tyaneus apud Philostratum libro II. cap. II. Caucasi iuga transiens, diabolicum phasma conuitiis pepulit. De quo vide Thyræum nostrum de Locis infestis, parte III. cap. LVI.

51. COMMOVERVNT ALIQVANDO MONASTERIVM MEVM.] Crebra huius diabolicæ machinationis in Actis SS. memoria. Gregorius Nyssenus in vitâ Gregorij Thaumaturgi de conclaui terræmotu concusso. Vita S. P. N. Ignatij libro I. cap. II. Ribadineirâ auctore. De toto genere infestationis dæmonum vide Thyræum nostrum de Locis infestis.

52. SPVTACVLVM.] Plerique editi spectaculum, malè. In Græco est: Ἐγὼ δὲ τότε μᾶλλον ἐνεφύσησα κατ' αὐτοῦ: cui ego tum magis insufflaui. Vbi quidam Græci codices habent, ἐνεβόησα, inclamaui. noster interpres videtur legisse ἐνέπτυον, insputaui. Dæmones & insufflari, & exsufflari, & insputari soliti. Vide Onomasticon.

53. MONASTERIA TAMQVAM TABERNACVLA PLENA DIVINIS CHORIS PSALLENTIVM.] Antè cap. XX. Solitudines quoque monachorum stipantur choris. Quàm illustrata esset Ægypti eremus sanctorum monachorum classibus, S. Ioannes Chrysostomus narrat homil. VIII. in Matth. cap. LI. Καὶ νῦν ἐλθὼν εἰς τὴν ἔρημον τῆς Αἰγύπτου, παραδείσου παντὸς βελτίω τὴν ἔρημον ταύτην ὄψει γεγενημένην, καὶ χοροὺς ἀγγέλων μυρίους ἐν ἀνθρωπίνῳ σχήματι. Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Qui ibidem prosequitur & feminas hoc philosophiæ genere excelluisse. Epiphanius quoque lib. III. hær. LXXX. contra Massalianos Martyrianos: Καθὼς καὶ ἐν ἑκάστῳ μοναστηρίῳ, ἔν τε τῇ τῶν Αἰγυπτίων χώρᾳ, καὶ ἐν πάσαις χώραις οὕτω κάμνουσιν εἰς δικαιοσύνην, ὡς ἡ μέλιττα χερσὶ μὲν ἔχουσα τὸν κηρὸν τῆς ἐργασίας, τὴν δὲ ψακάδα τοῦ μέλιτος ἐν τῷ στόματι, μετὰ τῆς ἰδίας ὑμνηγόρου φωνῆς, τὸν τῶν πάντων Δεσπότην κατὰ τὴν ἰδίαν αἴσθησιν ὑμνοῦσα. Quemadmodum etiam in singulis monasteriis, tum in Aegyptiorum regione, tum in aliis omnibus sic laborant ad iustitiam, velut apis, in manibus quidem habens ceram opificij, in ore verò guttas mellis, cum propriâ hymniferâ voce vniuersorum Dominum, iuxta proprium sensum laudat. Cap. XXI.

Cap. XXIII 54. CVM PERSECVTIO IMPIISSIMA MAXIMIANI.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCX. *Eusebij Papa* II. *Constantini Imperat.* V. *ait multos Aegyptios Martyres passos hac persecutione; annum tamen certum, quo quisque passus sit, incertum haberi. Inter quas & Potamenia virgo, de quâ Palladius in Lausiac. hist. cap.* I. *narrante Isidoro, qui ab Antonio, rei forsitan inspectore, cùm Alexandria versaretur, accepit.*

55. LAVIT EPENDYTEN SVVM. [*Addunt editiones*, id est, scapulare, *quod manuscriptis deest. Probatamen est interpretatio. Vide Onomasticon.*

56. CANDENTE PRAECINCTVS VESTE.] *Baronius tomo* II. *ad annum Christi* CCLVI. *Lucij Papa* I. *Galli & Volusiani Impp.* III. *agens de nigrâ & albâ veste, priorem quidem vult fuisse reliquorum Christianorum, posteriorem verò Aegyptiorum. Nam, inquit, Clemens Alexandrinus, Christianus Paedagogus, qui Aegypti optimis moribus imbuere curauit Ecclesiam, magnopere suadet, vt fideles candidis vestimentis vtantur. Cuius quidem institutione Christianos in Aegypto candidis vsos esse vestibus existimamus. Hinc illud accidit, cùm S. Antonius, martyrij subeundi immenso ardens desiderio, vt cognosceretur esse Christianus, alba induit indumenta. Hactenus Baronius. Quamquam veriùs fortasse dixeris Antonium alba induisse vestimenta, non vt cognosceretur esse Christianus, qui vel monachi habitu talis cognitus erat: sed vt ad iudicem Aegyptijs alba indutis mixtus securiùs procederet; quod monachis, qui pullâ veste dignoscebantur, ciuitate esset interdictum; vt hoc ipso capite habes. Illud certum, pullam vestem monachorum fuisse. Apud Metaphrastem* V. *Nouembris in vita Galactionis & Epistemes c.* II. *de Honorio monacho:* Albâ veste regens monasticam, erat animo verè monachus. *Et cap.* 9. Quorum vnus choris habebat viros visu honestos, & veste nigrâ indutos. *qui esse dicuntur*, qui se à mundo separant, *id est, monachi. Synesius epist.* CXLVI. *ad Ioannem monachicum institutum arripientem:* ἢ φαιὸν τελώνιον ἀμπίσχεσθαι οἴει φοροῦν. & pullam te lacernam induere narrat. *Athanasius lib. de Virgin. siue Ascetica*, ὁ ἐπενδύτης σου μέλας. Niger tibi ependytes. *Clemens Alexandrinus Paedagogi libro* II. *cap.* X. *& libro* III. *cap.* XI. *Christianos ad albam vestem, relictis diuersicoloribus, hortatur.*

57. EPISCOPO PETRO IAM OB MARTYRII GLORIAM CORONATO.] *Petri Alexandrini Episcopi & Martyris anniuersaria memoria in Ecclesiâ Latinâ celebratur* XXVI. *Nouem. in Graecâ* XXIV. *eiusdem. De coronâ, id est martyrio, vide Onomasticon.*

58. ACRIORIBVS SE IEIVNIIS VIGILIISQVE CONFICIENS.] *Ad verbum periodum hanc ex hac vitâ Antonij Athanasio auctore citat B. Ephraim serm. Ascetico in illud:* Attende tibi ipsi *cap.* X. *Vbi quod in Graeco Athanasij est, & hîc Latino textui deest*, ὃ καὶ ἕως τελευτῆς τετήρηκε, idque ad mortem vsque seruauit, *gestamen videlicet vestis cilicinae & pelliceae, etiam Ephraim expressit, vt patet ex Latinâ Gerardi Vossij interpretis versione.*

Cap. XXIV 59. MARTINIANVS MILITVM PRAEPOSITVS.] *Sic apud Ammianum lib.* XXVI. Petronius ex praeposito Martensium militum.

60. AD PASTORALIA.] *Graecè* Βουκόλια. *Haeschelius vertit*, armenta boum. *non rectè. Nam Bucola, vel Bucolia locus certus in Aegypto, vel apud Alexandriam iuxta mare sub rupibus, vt in vitâ sancti Marci post Abdiam anonymo auctore; vel alibi in Thebaide superiore, vt ex hac vitâ videtur colligi. Vide Onomasticon.*

61. INVENIT MONTEM.] *Secundus hic mons, ad quem secessit Antonius: cuius descriptio amplior exstat capite* XXVI. *vita Hilarionis.*

Cap. XXV. 62. VT SARCVLVM SIBI, BIS-ACVTVM CVM FRVMENTO DEFERRET.] *Ita distinguendus hic locus, vt impressi. Coloniensis editio, & Surius:* vt sarculum sibi bis acutû cum frumento deferret. *MS.* Sarculum sibi cum bis acuto ferramento deferret. *Graecè* δίκελλαν καὶ πέλεκυν καὶ σῖτον ὀλίγον. ligonem, bipennem, & modicum frumenti. *quare proba lectio cum distinctione, quam expressi. Non dubium est*, bis-acutum *hîc absolutè positum pro bipenni. Nec enim aliud est* bisacutum *seu bipennis, quàm anceps securis; seu ferramentum aliquod rusticanum vtrimque incidens. In vitâ Frontonij infra cap.* I. Deferentesque ad eremum secum parua olerum semina, & bis-acutos, paruosque sarculos. *Vide Onomasticon.*

63. BELLVAS.] *Graecè* ὑαίνας, hyaenas. *Vide Onomasticon.*

Cap. XXVI 64. TRICINAM SIVE FVNICVLVM.] *Graecè*, σπάρτον τοῦ ἔργου, funiculum operis. *Si quid de tricinâ inuenero, dicam in Onomastico. An* trichina τριχίνη, *quasi è pilis textus funiculus? Editi exhibent* tritiam, *vel* triciam. *fortè à tricis dicta* tricina.

C. XXVII. 65. QVASI XENIA.] *Graecè*, Καὶ αὐτὸς δὲ ὥσπερ ἐφόδια φέρων ἀπὸ τοῦ ὄρους ἐξένιζεν αὐτοὺς τοῖς λόγοις. Ipse quasi viatica de monte ferens, ipsos spiritalibus muneratur sermonibus. *Quidam MSS. lib. habent* exenia, *vt & veteres editiones. Vide Onomasticon. Sic Ambrosio initio exhortationis ad Virgines*, apophoreta sanctitatis.

C. XXVIII 66. SI TIMEBIMVS PECCATI CERAS CONSCIAS.] *Ita rectè MSS. Coloniensis editio, cum antiquioribus exhibet*, maculas conscientiae, &c. *Eamdem Antonij monitionem habet Sozomenus lib.* I. *c.* XIII.

Cap. XXX. 67. BVSIRIS TRIPOLITANAE REGIONIS.] *Aegypti ciuitas est in Busiritico Nomo regionis Tripolitanae. Quod postremum rectè distinctionis causâ additum; quia & alia ciuitas Busiris in Aegypto, extra regionem Tripolitanam, quam volunt eamdem esse cum Thebis, seu Diospoli magnâ, in Thebarum seu Diospolite Nomo.*

68. PAPHNVTIVM.] *Huius memoria celebris in Martyrologio Romano* IV. *Septemb. de quo Ruffinus lib.* I. *suae historiae cap.* IV. *&* XVII. *Socrates lib.* I. *capite* VIII. *Theodoretus libro* I. *cap.* VII. *Sozomenus libro* I. *cap.* XXII. *Nicephorus libro* VIII. *cap.* XIV. *&* XIX. *vbi* superiorem Thebarum *Episcopum vocat. Idem de eo cap.* XLIX. *eodem libro. Eiusdem quoque honorifica mentio in Actis Metrophanis & Alexandri apud Photium in Bibliothecâ Cod.* CCLVI. *De alijs varijs Paphnutiis vide hîc Notation. ad Ruffin. libro* II. *cap.* XIII.

Quae sequuntur: qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, tali dehonestamento corporis plurimum gloriabatur, *desunt in Graeco exemplari. Inseruit ea interpres Euagrius, vt clariùs ab alijs aliquot Paphnutijs distingueretur.*

69. DEHONESTAMENTO.] *Rarius verbum, saeculo tamen eo & veteri quoque vsitatum. sic hîc c.* XXXVII. probamentum. *vide Onomasticon. Vera ea Martyrum gloria, vulneribus decorari, quae saeculo dehonestamenta sunt. Illustre exemplum apud Nazianzenum Inuectiuâ* II. *in Iulianum.*

C. XXXII. 70. AMMONIS MONACHI ANIMAM.] *Etiam meminit Sozomenus lib.* I. *cap.* XIV. *Socrates lib.* IV. *cap.*

Clemens Alexand. Paedag. l. 2.

cap. XVIII. *manuscripti ferè semper* Amon, *non declinando. sic & Græcè* Ἀμών.

71. ITINERE QVOQVE DIERVM TREDECIM.] *Credo locum Antonij, qui à Nitriâ* XIII. *dierum itinere distat, intelligi de monte secundo, in quo postremum habitauit. de quo suprà cap.* XXIV.

72. FLVMEN NOMINE LYCVM.] *Palladius capite* VIII. *ait Lycum fluuium esse fossam magni Nili.*

CAP.XXXIII. 73. IN EXTERIORI MONTE.] *Infrà cap.* LVI. qui in exteriori monte erant. *Opponit exteriorem montem interiori & superiori. c.* LI. Ad interiorem montem regressus est. *cap.* XLIV. Erat in superiori monte.

74. POLYCRATIA.] *Coloniensis editio & Surius addunt,* Publij filiâ. *quod vnde hauserint, nescio. deest MSS. & Græco textui.*

75. QVÆ IN LAODICEA ERAT.] *Cùm multæ sint Laodiceæ, existimo hanc Cœlesyriæ esse, quæ Aegypto, in quâ Antonius versabatur, vicinior.*

C.XXXV. 76. TARICHORVM.] *Ita MSS. & Græcus textus. Non rectè Coloniensis editio* caricarum *veteres editiones cum Surio* caricarum. *Nota veterum* tarichopolia. *Vide Onomasticon.*

CAP.XXXVII. 77. HORA CIRCITER NONA.] *Horâ nonâ ieiunium resignari solitum nimis nunc notum. Si quis plura desiderat, consulat Onomasticum.*

78. QVO FACTVS ESSET MONACHVS.] *Ex hoc loco Bellarminus tomo* IV. *in Iudicio de libro Concordiæ Lutheranorum, mendacio* XXII. *colligit aliquam inter Baptismum & monachorum religionem esse similitudinem: quòd sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita; ita quoque in susceptione vitæ monasticæ fieri credibile est. quod sanè & sanctorum Patrum testimonijs, & sanctorum virorum exemplis, & Scholasticorum doctrinâ egregiè firmatur.*

Et quidem ad Patrum auctoritatem quod attinet, Hieronymus epist. XXV. *ita Paulum de obitu Blesillæ filiæ solatur:* Reuerà, *inquit,* si sæculare desiderium, & (quod Deus à suis auertat) delicias huius vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat: nunc verò cùm propitio Christo, ante quatuor ferè menses, secundo quodammodò se propositi Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitauerit, non vereris ne tibi Saluator dicat: Irasceris Paula, quia filia tua facta est filia mea? *Eamdem vim habet etiam illa eiusdem Hieronymi cohortatio ad Demetriadem, epist.* VIII. Nunc, *inquit,* quia sæculum reliquisti, & secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei; Renuntio tibi diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: serua fœdus quod pepigisti. *S. Bernardus lib. de præcepto & dispensatione, non procul à fine, non solum id docet, sed duplicem etiam à quibusdam de hoc ipso rogatus caussam adfert:* Audire, *inquit,* & hoc vultis à me, vnde præter cetera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuâ, vt secundum Baptisma nuncupetur.

1. Arbitror ob perfectam mundi renuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quâ præeminens vniuersis humanæ vitæ generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar Baptismi; & quasi denique secundò baptizamur, dum per id quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius.

Sed & quo modo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur charitatis æternæ; ita & in sancti huius secundâ quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. 2. Rom.13.

Atque hæc ex sanctis Patribus nunc sufficiant. Non desunt quoque Sanctorum visiones. Infrà apud Ioannem Subdiaconum libello I. *de contempl. n.* 9. Fuit quidam magnus inter præuidentes. Hic affirmabat, dicens: Quia virtutem, quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum monachi, quando accipit habitum spiritualem. *Leontius Neapoleos insulæ Cypri Episcopus in vitâ Simeonis Sali apud Metaphrastem* I. *Iulij narrat quomodo Simeon & Ioannes sancto habitu velut regenerandi erant; & quantam ipsi primis septem diebus in sic regenerato gloriam viderint. S. Anselmus lib. De similitud. cap.* CXCI. *narrat de Osberno monacho, quomodo eum in extremis Angelus contra diabolum peccata ante ingressum religionis commissa obijcientem defenderit, quòd ea* fuerant professione monasticâ abolita. *Vide & Annales Francisc. de Christophoro religioso, & Angel. responso.*

Inter Scholasticos consulendus D. Thomas IIa. IIæ. *q.* CLXXXIX. *artic.* III. *ad* III. *& in* IV. *Sent. distinct.* IV. *q.* III. *art.* III. *quæstiunculâ* III. *ad* III. *vbi quod ex Vitis-Patrum vtrobique exemplum non assignato loco citat, est illud ipsum quod iam ex Ioanne Subdiacono produxi, quod etiam producit Thomas VValdensis tomo* III. *de Sacrament. Tit.* IX. *capite* LXXX. *quem vide egregiè de hac re disserentem. Vide & Antoninum Summæ parte* III. *Tit.* XVI. *capite* III. *§.* III. *& Paludanum in* IV. *dist.* XXXVIII. *q.* III. *Siluest. verb. Religio. dub.* XXIII. *& Platum nostrum lib.* I. *De bono status relig. c.* XIII.

Quid nunc habent hæretici, quod tantorum Patrum auctoritati, quod testatissimis historiis, quod Scholasticorum receptissimæ doctrinæ opponant?

Quod autem Philippus Melanchthon in lib. Concordiæ Lutheranorum affirmat, docere Catholicos, monasticam vitam esse meliorem Baptismo, mendacium & quidem spissum est, vt ex iam dictis patet.

79. VIDIT QVEMDAM LONGVM ATQVE TERRIBILEM.] *Visionis huius meminit Palladius hist. Lausiac. cap.* XXVII. *narrante Cronio. Non valdè absimilis visio in vitâ Macarij Romani c.* IX. Apparuit nobis homo longâ staturâ, quasi centum cubitorum. CAP.XXXVIII.

80. VIDIT ETIAM PENNATOS QVOSDAM.] *Idem apud Palladium loco iam citato. In vitâ Macarij Romani cap.* XI. In ramis autem ipsis volatilia multa, similia auibus cæli. *Quod verò attinet ad animas euolare & euadere in cælum cupientes, & ab Stygiis portentis impeditas, non vna similis apud Auctores exstat visio. Eamdem historiam Athanasij nomine ex hac Vitâ citatam habes Syntagmate de statu dormientiũ, quod nuper post Viridarium suum SS. vulgauit Raderus noster ex codice manuscr. Boico & Augustano, qui Georgium Hamartolum, seu Georgium Logothetam præferebat: vt huius etiam testimonio vita hac Antonij Athanasio asseratur. In eodem Syntagmate narrat Ioannes Homologetes epist. ad Ioannem cubicularium:* Infelicem animam è corpore iam expulsam quisque in aëre ad se trahere raptareque conatur. *Vide in eodem Syntagmate Cyrillum Magnum, & Martyrium Antiochenum.*

81. Vs-

C. XXXIX. 81. VSQVE AD VLTIMVM GRADVM.] *Vel hinc perspicias veterum graduum in Ordine Clericorum vsum qui gradus dicti, quòd gradatim ad summum fieret adscensus. Syricius I. Papa epist. ad Himerium Tarraconensem Episc. cap.* IX. *&* X. *& Gratianus dist.* LXXVII *cap.* Quicumque, *allegat:* Postque ad Diaconij gradum, si se ipse primitus continentiâ præeunte dignum probarit, accedat. *Concilii Bracarense* I *cap.* XXXVIII. Laicus per gradus eruditus ad Sacerdotium veniat. *Dionysius I. Papa epist.* I *ad Vrbanum Præfect.* Ad hoc diuinæ dispensationis prouisio gradus & diuersos constituit ordines esse distinctos, *&c. Et passim apud Auctores sacros.*

82. AD BENEDICENDVM SE CAPVT SVBMITTEBAT.] *Ea fuit veterum pietas, vt magni Sacerdotum benedictionem facerent, & eam submisso capite exciperent. Vide Onomasticon.*

CAP. XLI. 83. MANICHÆIS.] *Augustinus libro de hæresibus ad Quod vultdeum hær.* XLVI. In Græciâ discipuli eius (*Manetis*) vitantes nomen insaniæ, quasi doctiores, & eo ipso mendaciores, geminatâ n litterâ, Mannichæum, quasi manna fundentem appellauerunt. *Idem lib.* XIX. *c.* XXII. *contra Faustum Manichæum, in pronuntiatione variatum docet:* Neque enim addidistis in parte priore nominis vnam litteram, vt agnosceretur manna: sed addidistis in posteriore duas syllabas, non appellantes Mannichæum, sed Manichæum. *id est, vt idem ibidem vertit,* insanifusorem.

84. ARIOMANITÆ.] *Ita MSS. Latini & Græcus textus impressus. Coloniensis & Surius,* Arrionitæ, *vel* Arrionianitæ: *non rectè.*

85. MENTIENTIBVS AVTEM ARRIANIS.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCXLIII. *Iulij Papæ* VII. *Constantij & Constantis* VI. *Tanti, inquit, facere solebat populus illustrium monachorum de fide Catholicâ testimonium, vt Ariani hoc sentientes, mentiri non sint veriti, magnum Antonium eadem de fide secum vnà sentire, adeo vt eam ob caussam ipsi opus fuerit, relictâ intimâ eremi solitudine, Alexandriam vsque descendere, & de Catholicâ fide, quam coleret, publicè, ne populus laberetur, specimen edere, quam signis quoque sequentibus confirmauit.* Hieron. epist. 33. *Quando autem hæc contigerint, minimè liquet. Hieronymus quoque de eadem S. Antonij profectione Alexandrianâ ad confutandos Arianos ad Castrutium scribit. Vocatum quoque esse ab eodem S. Athanasio aliquando Alexandriam Abbatem Pæmenem, spectatæ sanctitatis virum, habetur* Vit. Patr. parte 2. *in Vitis-Patrum. Hactenus Baronius.*

Quod ex Hieronymo hîc citat Baronius, habetur hîc libro II. *Ruffini n.* 218. *Quod verò de Pœmene ait, vel eum fefellit memoria; vel Pœmenem eumdem putauit cum Pammone. De Pammone hoc habes hîc apud Ruffinum lib.* II. *n.* 164. *quem eumdem esse cum Pambone, non cum Pœmene, colliges ex Pelagij libello* III. *n.* 14. *& libello* XVII. *n.* 11. *vbi eadem apophthegmata narrantur nomine Pambonis, quæ Ruffinus habet nomine Pammonis. Alius ab his Piammon seu Pyamimon, de quo hîc apud Ruffinum lib* I. *cap.* XXXI. *qui Palladio cap.* LXXII. *est Ammonas.*

86. ALEXANDRIAM DESCENDIT] *Cùm plurima sint Alexandriæ, agitur hîc de Ægyptiâ, quæ &* Magna Alexandria *ad distinctionem aliarum dicta.*

C. XLIV. 87. ALIQVANDO ETENIM PHILOSOPHI DVO.] *Baronius tomo* III *anno Christi* CCCXXVIII. *Siluestri Papæ* XV. *Constantini Imp.* XXIII. *Non Christum, inquit, colentes tantùm, sed & Gentiles, & qui inter eos præ ceteris in Christianam religionem oblatrare consueuerant Philosophi Antonium inuisere, & cum eo sermones conferre cupierunt. Etenim molestè ferebant illitteratum hominem tam eximio ferri præconio, quasi summum philosophiæ verticem attigisset. Quòd si victorias ex hostibus armatis, Crucis virtute partas, audire pergratum est; quantò iucundiùs accipi debet, absque armis hostes Christi insuperabiles, potentiâ Crucis penitùs demonstrare superatos? Vide Cassianum Collat.* VIII. *cap.* XVIII.

88. PER INTERPRETEM.] *Ordinarius Antonij interpres videtur fuisse Isaac, de quo diuus Hieronymus in vitâ S. Hilarionis, cap.* XXV. Repertis ibi duobus fratribus Isaac & Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonij fuerat. *Quandoque, vt res ferebat, alij eius fuere interpretes, vt Cronius apud Palladium cap.* XXVI. *de actis eum S. Elogio.*

89. ALIOS QVOQVE SIMILITER MVNDI SAPIENTES.] CAP. XLV. *Quomodo Antonius litteras ignorarit, vide suprà ad c.* I. *n.* 7. *Huius historiolæ apponam Græca verba; vt cum scholio ad Synesium conferri possit. Ita apparebit Synesium memoriâ lapsum, & Ammoni Aegyptio tribuisse, quod Aegyptio Antonio tribuendum erat; nisi Ἀμῶν pro Ἀντώνιος ex compendio litterarum apud eum irrepserit. Ita igitur Græca hîc:* Ἄλλων δὲ πάλιν τοιούτων ἀπαντησάντων πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ὄρει τῷ ἔξω, καὶ νομιζόντων χλευάζειν, ὅτι μὴ μεμάθηκε γράμματα, λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἀντώνιος· Ὑμεῖς δὲ τί λέγετε; τί πρῶτόν ἐστι, νοῦς ἢ γράμματα; καὶ τί τινος αἴτιος; ὁ νοῦς τῶν γραμμάτων, ἢ τὰ γράμματα τοῦ νοῦ; Τῶν δὲ εἰπόντων, πρῶτον εἶναι τὸν νοῦν, καὶ τῶν γραμμάτων εὑρετήν, ἔφη ὁ Ἀντώνιος· Ὧι τοίνυν ὁ νοῦς ὑγιαίνει, οὐκ ἀναγκαῖα τὰ γράμματα. *Quæ ita vertit Euagrius:* Alios quoque similiter mundi sapientes, qui eum irridere cupiebant, quia litteras ignoraret, tali disputatione colligauit, dicens: Respondete mihi, quid prius; sensus, an litteræ? & quid cuiusque exordium? sensúsne ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus, quòd sensus esset auctor atque inuentor litterarum, ait: Igitur cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit. *Synesius verò in Dione seu de ipsius vita instituto, agens de ingenitâ quorumdam animis vi, vt sine subsidio litterarum & scientiarum quæque tractare possint, ait:* Ὁποῖος Ἀμοῦς ὁ Αἰγύπτιος οὐκ ἐξεῦρεν, ἀλλ' ἔκρινε χρείαν γραμμάτων. τοσοῦτον αὐτῷ τὸ τοῦ νοῦ μέρος. Qualis Amus Ægyptius, litterarum vsum non repperit, sed iudicauit. Tanta in eo erat mentis vis. *Ita vertit Petauius noster. quamquam illud,* οὐκ ἐξεῦρεν, *clariùs, & magis ad sensum hîc vertas,* non acquisiuit. *sic* εὑρίσκω *vsurpatur Demosthenis Orat. contra Timocr. vt ibi exponit Vlpianus. Sic Donatus apud Terentium Eunucho Act.* II. *Scen.* I. inuenire *explicat* acquirere.

Scholion in manuscripti Medicæi codicis margine obscura hæc Synesij ita illustrat: Ἐρομένου τινὸς αὐτὸν εἰ ἀναγκαῖα τὰ γράμματα, ἔφη, Εἰ ὁ νοῦς ἔρρωται, τίς χρεία γραμμάτων; Τὸ δὲ, οὐκ ἐξεῦρεν ἀλλ' ἔκρινε χρείαν γραμμάτων, ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἐχρήσατο αὐτὸς γράμμασιν, ἀλλ' ἀπεφήνατο τούτους δεῖσθαι γραμμάτων, οἳ, τινες οὐ μέγεθος ἐντυγχάνουσι νοῦ, ἵνα τὸ τοῦ νοῦ ἔνδειαν ἐπιτηδεύσει ἐπανορθῶσιν. Cùm quidam eum interrogaret, si litteræ necessariæ essent? inquit: Si mens sana est, quis litterarum vsus? hoc verò, quod hîc dicitur, Litterarum vsum non acquisiuit, sed iudicauit, ideò dicitur, quòd ipse non vsus sit litteris, sed manifestauerit eos litteris indigere, quibus parum mentis obtigit, vt inde mentis defectum supplere & corrigere possint.

90 DIVINÆ MENTIS HAVSTVM.] CAP. LVI. *Mox ait:* animam ex splendidissimo Dei fonte manantê. *Baronius*

nius tomo III. anno Christi CCCXXVIII. Silvestri Papæ XV. Constantini Imp. XIII. ait: Erant hi, vt apparet, Platonici Philosophi, qui aiebant animam esse diuinæ mentis manationem atque substantiam. Vide Conimbricenses nostros ad Aristotelis libros de Animâ.

91. QVO ORE CHRISTIANORVM CREDVLITATEM AVDETIS IRRIDERE.] Baronius ibidem: Argutè quidem retorquet illorum de Verbi incarnatione derisionem: nam cùm vnam tantùm Christiani credant Dei incarnationem, & eamdem absque Verbi aliquâ mutatione vel iniuriâ; illi verò, quot homines quotque bestiæ vmquam fuerint, tot Dei factas esse fateri cogebantur incarnationes, cùm dicerent animas diuinam esse substantiam, easdémque turpes fieri & ignominiosas, atque peccatis obnoxias.

92. PECVDVM SOLEATIS SEPELIRE CORPORIBVS.] Ridet Pythagoream metempsychosim. de quâ vide Conimbricenses ad libros Aristotelis de Animâ.

93. ISIDIS.] Isis notissima Ægyptiorum Dea. Nolo hîc notissimas veterum fabulas veterum auctoritatibus firmare. Recentiorum omnium vnus exquentissimè de ijs agit Lilius Gregorius Giraldus in Deorum Gentilium historiâ: quem de Iside videsis Syntagmate XII.

94. OSIRIM.] Osiris Aegyptiis fuit Dionysius seu Bacchus, frater & maritus Isidis. Vide Giraldum Syntagmate VIII.

95. TYPHONIS.] Fuit Typhon Osiridis frater, qui Osiridem discerpsit. Giraldus ibidem.

96. SATVRNI.] Notissimus hic pseudotheus. de quo Giraldus Syntagm. IV.

97. IOVIS.] De Iouis parricidio & incesto passim Poetæ. Giraldus Syntagm. II.

98. IN DANAES.] Arnobius lib. V. & VII.

99. LEDÆOS.] Giraldus Syntagmate V. vbi de Castoribus seu Dioscuris agit Ledâ genitis.

C.XLVII. 100. TEGENTES EAS ALLEGORICIS VELAMINIBVS.] Baronius tom. III. anno Christi CCCXXVIII. Siluestri Papæ XV. Constantini Imp. XIII. ait: Et illa confutauit Antonius, quæ Philosophi dicere potuissent de allegoriis, quibus ijdem contegere solerent pudenda deorum, & cuncta referre ad cælestia corpora, & naturæ diuersos motus: ostendens magnâ affici ignominiâ Creatorem, si debitum sibi honorem & gloriam, non ipsi, sed impendant homines creaturis. Hactenus Baronius. Porrò de allegoricis deorum velaminibus agit Arnobius lib. III. & V. Clemens Recognit. lib. X. cap. VIII. Iulius Firmicus de errore Prof. Relig. Fulgentius Mythologiis. Augustinus de Ciu. Dei lib. IV. & VII. & ex recentioribus copiosè Natalis Comes lib. Mythologiarum.

101. LIBERÆ RAPTVM, TERRAM.] Græcè: τῆς ἁρπαγῆς Κόρης εἰς τὴν γῆν. vt rectè Anglicanus codex Augustanum supplet. Variè Latinæ editiones. quædam, Liberum raptum terram Proserpinæ. Coloniensis, Liberum raptum terram Proserpinæ. Sed intelligitur hîc de Proserpinæ raptu, quæ & Libera dicta. vnde Proserpinæ interpretamentum in textum irrepsit. Vide Ciceronem VI. Verrinâ. Iulius Firmicus de error. Prof. Relig. Proserpinam verò Liberam dicentes. Vide Augustinum lib. IV. de Ciu. Dei, cap. X. & libro VII. c. XXIV. & Giraldum Syntagm. VI. & VIII.

102. VVLCANVM ET DEBILEM IGNEM.] Veteres editiones: Vulcanum & cibilem ignem, manifesto errore. Græcè: Καὶ Ἥφαιστον χωλεύοντα εἰς τὸ πῦρ ἀλληγορεῖτε. Et Vulcani claudicationem allegoricè ignem explicatis, cuius claudicationem duplici epitheto exprimit noster: Semiclaudum Vulcanum & debilem ignem. Minutius Felix Octauio: Vulcanus claudus deus & debilis. Vide Augustinum lib. VII. de Ciu. Dei cap. XVI.

103. IVNONEM AEREM.] Cicero lib. II. de Nat. Deorum, Augustinus libro IV. de Ciuit. Dei cap. X. & lib. VII. cap. XVI.

104. APOLLINEM SOLEM.] Augustinus lib. VII. de Ciu. Dei cap XVI.

105. DIANAM LVNAM.] Augustinus lib. VII. de Ciu. Dei cap. XVI.

106. NEPTVNVM MARIA.] Augustinus lib. IV. de Ciu. Dei c. X. & lib. VII. c. XVI.

107. IOVEM ÆTHEREM.] Cicero lib. II. de Nat. Deor. Augustinus libro IV. de Ciuitate Dei cap. X. & libro VII. cap XVI.

108. PRÆDVRVM, &c.] Tota hæc sententia deest Græco, vsque ad Elementa. C.XLVIII.

109. QVID ANTIQVIVS.] Baronius tomo III. anno Christi CCCXXVIII. Silvestri Papæ XV. Constantini Imp. XIII. Ab opere, inquit, & experimento ipso, verum fidei atque religionis probatum adducit; consentientibus illis (Philosophis) ipsa facta esse verbis potentiora.

110. VBI ÆGYPTIORVM INCANTATIONES?] Exod. VII. v. II. Feceruntetiam ipsi per incantationes Ægyptiacas. vers. 22. Feceruntque similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis. C.XLIX.

111. QVO MAGORVM PROFECERE CARMINA.] Ouidio Fastorum libro II. Magicum carmen. Iuuenali Satyrâ VI. v. 608. Magici cantus. Columellæ libro X. Cantus magici. Prudentio περὶ στεφάνων hymno V. v. 23. Magicum cantamen.

112. CONTINENTIA IN MATRIMONIO.] Huius rei exempla aliquot exstant in his libris de Vitis-Patrum. sed & alia Sanctorum vita alia suggerunt. quorum catalogum aliquem texam in Onomastico.

113. CONSTANTINVS AVGVSTVS.] Baronius tomo III. anno Christi CCCXXVIII. Siluestri Papæ XV. Constantini Imp. XXIII. His, inquit, temporibus Antonij percelebris fama adeò percrebuerat, vt esset vbique terrarum diffusa. Nam cùm Alexandria existeret (vt ex Dione diximus) totius Orbis emporium: quæ natio potuit ignorasse, quæ ibidem fuissent ore omnium peruulgata? Sed & quòd Constantinopolim eiusdem fama peruasit, & in ipsâ regiâ Constantini summo honore nomen Antonij haberetur, alijs quoque colendi vbique hominem amplissimus patuit omnibus aditus, vt habes hîc in fine Vitæ cap. LXI. Antonij igitur virtutum vehementi famâ commotus, atque in omnibus persuasus Constantinus Imperator religiosissimus, atque filij eius Cæsares, ad eum pietatis ergò officij & amoris plenas litteras dedêre, vt quem tam longè positum non liceret adspicere, atque præsentem alloqui, internuntio litterarum inuiserent, & cum eo pariter loquerentur. CAP. L. Tomo I. ad annum Christi 64.

Baronius quoque anno Christi CCCXXXVI. Marci Papæ I. Constantini Imp. XXXI. notat ex Sozom. libro II. cap. XXIX. Antonium persæpè ad Constantinum Imp. scripsisse pro causâ Athanasij.

114. AD INTERIOREM MONTEM.] Suprà c. XLVII. in superiori monte. Interior seu superior mons opponitur exteriori seu inferiori. Vide suprà cap. XXXIII.

115. EPISCOPO SERAPIONI.] Thmueos hic fuit antistes, confessione celebris & scriptione. de quo D. Hieronymus in Catal. illustr. Eccl. Script. c. XCIX. Serapion Θμουέως episcopus, qui ob elegantiam ingenij, cognomen Scholastici meruit, charus Antonij monachi, edidit aduersus Manichæum egregium librum, & de Psalmorum titulis alium, & ad diuer- CAP. LI.

diuersos vtiles epistolas, & sub Constantio Principe etiam in confessione inclytus fuit.

116. LAMENTABILIS SEQVITVR VISIO.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCXXXIX. *Iulij Papæ* III. *Constantini, Constantij, & Constantis Imperatorum* III. *Hic ipse, inquit, annus est, quo sanctus Antonius ille Magnus, monachorum Pater, diuino eleuatus spiritu, horribilem visionem illam, de immensâ Ecclesiæ clade ab Arianis inferendâ, prævidit atque prædixit, biennio scilicet, antequam fieret.*

Chrysost. hom. 8. in Mat. c. 2. *Meminit quoque huius magnæ visionis Antonio demonstratæ S. Ioannes Chrysostomus, cùm primùm huiuscemodi laudum præconio virum exornat:* Ἐννοείτω μέχρι νῦν ἐν τοῖς ἁπάντων στόμασιν ὄντα, ὃν μετὰ τοὺς Ἀποστόλους ἡ Αἴγυπτος ἤνεγκε, τὸν μακάριον καὶ μέγαν Ἀντώνιον, καὶ λογιζέσθω ὅτι καὶ οὗτος ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ γέγονεν, ἐν ᾗ καὶ Φαραώ. Ἀλλ' ὅμως οὐδὲν παρεβλάβη, ἀλλὰ καὶ θείας ὄψεως κατηξιώθη, καὶ τοιοῦτον ἐπεδείξατο βίον, οἷον οἱ τοῦ Χριστοῦ νόμοι ζητοῦσι. καὶ τοῦτο εἴσεταί τις μετ' ἀκριβείας ἐντυχὼν τῷ βιβλίῳ τῷ τὴν ἱστορίαν ἔχοντι τῆς ἐκείνου ζωῆς, ἐν ᾧ καὶ πολλὴν ὄψεται τὴν προφητείαν. Καὶ γὰρ περὶ τῶν τὰ Ἀρείου νοσούντων προανεφώνησε, καὶ εἶπε τὴν ἐξ ἐκείνων μέλλουσαν βλάβην γίνεσθαι, τοῦ Θεοῦ δείξαντος αὐτῷ τότε, καὶ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ μέλλοντα ὑπογράψαντος ἅπαντα. Consideret virum, per cunctorum vsque hodie ora volitantem, quem Apostolis proximum Aegyptus protulit: beatum dico & magnum illum, de quo sæpè audistis, Antonium: & respiciat, quòd hic quoque illius fuerit regionis indigena, cuius etiam Pharao, sed nihil sit inde vitiatus. Nam & visione Dei dignus est habitus, & talem vitam prorsus ostendit, qualem leges Christi requirunt. Hoc autem facilè cognouerit, quisquis eum legerit librum, qui vitæ eius texit historiam, in quo etiam prophetiam lucentem videbit. De his enim, quos Ariana pestis inuasit, manifestissimè prophetauit; quantaque Ecclesiis labes ab illis immineret, docuit, Deo vtique reuelante hæc, & cuncta ante oculos eius figurâ pingente.

Sed rursum (subdit Baronius) quod ad eam visionem magno S. Antonio demonstratam spectat, illud etiam admonendum, errare eos, qui ipsam illi ostensam putarunt, antequam Arij hæresis exoriretur. Non enim emergentis hæresis, sed futuræ cladis per Arianos infligendæ, ea fuit illi visio præmonstrata. Nam longè post exortam Arij hæresim id fieri contigit, cùm iam anteà de cauendis atque vitandis Arianis sæpè suos admonuisset; atque ante hac quoque scripsisset olim ad Constantinum ac filios, & secessisset in montis interiorem solitudinem: quæ quidem omnia longè post ortam hæresim Arianam acciderunt.

117. ALTARE DOMINI MVLORVM CIRCVMDATVM MVLTITVDINE.] *Sozomenus lib.* VI. *capite* V. Λέγεται πρὶν κρατῆσαι τῶν ἐκκλησιῶν τοὺς ἀπὸ τῆς Ἀρείου αἱρέσεως, ἐπὶ τῆς Κωνσταντίου βασιλείας, ὄναρ ἰδεῖν Ἀντώνιον, ἡμιόνους τὸ θυσιαστήριον λακτίζοντας, καὶ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἀναβαίνοντας, καὶ αὐτίκα προειπεῖν, ὡς ἐκ νόθων καὶ ἐπιμίκτων δογμάτων καταλήψεται τὴν ἐκκλησίαν ταραχὴ, καὶ ἑτεροδόξων ἐπανάστασις. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀψευδῶς προεθέσπισε καὶ εἰρῆσθαι ἀπέδειξε τὰ πρὸ τοῦ, καὶ μετὰ ταῦτα γεγενημένα. Traditum est, Antonium, priusquam Ariani essent ecclesiarum potiri gubernaculis, regnante Constantio, secundùm quietem mulos astare insultantes calcibus, & sacram mensam euertentes vidisse: illicoque prædixisse, tumultum ex adulterinis permixtisque doctrinis ortum, & rebellionem ex illis, qui alienam ab Ecclesiâ Catholicâ opinionem tenerent, excitatam, Ecclesiâ Dei posteà occupaturam. Atque hæc quidem verè ab eo & visa esse & prædicta, res, cùm quæ ante hoc tempus, tum quæ pòst accidebant, manifestè declararunt.

118. NAM POST DVOS ANNOS.] *Fuit hic annus Christi* CCCXLII. *Iulij Papæ* VI. *Constantij & Constantis Impp.* VI. *(vt hoc anno notat Baronius) quo Gregorius Arianus Alexandrinam cathedram inuasit manu militari, ope Philagrij Præfecti. Clades autem tunc illatas describit Athanasius in epist. ad Orthodoxos:* Ἡ μὲν ἐκκλησία καὶ τὸ ἅγιον βαπτιστήριον πυρπολεῖται. Ecclesiis & baptisteriis flammæ iniectæ. *Pluraque alia addit planè cum his quæ in hac Vitâ describuntur conformia. Quamquam quòd Baronius hîc cladem hanc & persecutionem Arianorum ab Antonio prædictam anno Christi* CCCXLII. *assignat, nescio an omnino certum sit. De hoc fortè in Onomastico fusiùs.*

119. CVM ASSVMPTIONE PALMARVM (QVOD IDOLOLATRIÆ APVD ALEXANDRIAM INSIGNE EST) AD ECCLESIAM PERGERE COMPELLEBANTVR CHRISTIANI, VT ARIANORVM POPVLI CREDERENTVR.] *Nihil horum in Græco textu comparet: nisi in Græcum textum irrepsisse errorem asseramus, & pro* ὅτε καὶ τὰ σκεύη μετὰ βίας ἁρπάσαντες δι' ἐθνικῶν ἐποίουν βαστάζεσθαι, cùm & vasa vi prærepta paganos portare curarunt, *leui mutatione & transpositione legendum existimemus:* ὅτε καὶ τὰ σκεύη ἁρπάσαντες, μετὰ βαΐας δι' ἐθνικῶν ἐποίουν βαστάζεσθαι, cùm & vasa abripientes ea cum assumptione palmarum ab Ethnicis gestari curarunt. *Fortè quispiam malit* μετὰ βίας *suo loco relinquere, & post* ἁρπάσαντες *addere,* μετὰ βαΐας; *quod ab exscriptore omissum quis suspicari possit, ob affinitatem* μετὰ βίας, *quod tam propinquè præcedit. Potiùs dicas in Græco membrum hoc de Christianis desiderari.*

Quod parenthesi includitur (quod idololatriæ apud Alexandriam insigne est) *valdè verisimile est, esse glossema Euagrij interpretis.*

Ethnicorum esse thallos, seu palmas manu gestando templum ingredi, patet apud Athanasiū Ep. ad solitariam vitam agentes: Ἕτερος δὲ μετὰ θαλλῶν εἰσελθὼν, καὶ ὡς Ἕλλην κινῶν αὐτὰ τῇ χειρὶ καὶ χλευάζων, εὐθὺς ἐσκοτώθη, καὶ οὐκ ἔβλεπεν. Alius cum frondibus ingressus, & vt Ethnicus eas manu per ludibrium agitans, statim obortis tenebris, oculis caligauit.

Sed quomodo habiti sunt Ariani, qui palmas portarent, cùm id sit signum idololatriæ? Quia videlicet Ariani Ethnicorum moribus se accommodabant, vt eos adiutores contra Catholicos haberent. Apud Athanasium suprà: τότε γὰρ εἴδωλα ἑαυτῶν εὐφήμουν, καὶ ἔλεγον· Ἕλλην γέγονε Κωνστάντιος, καὶ οἱ Ἀρειανοὶ τὰ ἡμῶν ἐπέγνωσαν. Idola igitur sua laudibus ferebant, dicebantque: Constantius Ethnicus factus est, & Ariani nostra agnoscunt. *Mox de Arianis cum Ethnicis ad immolationem bucculæ propensis:* Τοιαῦτα μὲν οὖν δι' ἀσέβειαν οἱ Ἀρειανοὶ, νομίζοντες εἰς ἡμῶν ὕβριν ταῦτα φθάνειν, μετὰ τῶν Ἑλλήνων ἔπραττον. Hæc irreligiosi Ariani, quia existimabant in nostram ignominiam redundare, vnà cum Ethnicis faciebant.

120. ORATIONIBVS NON PRÆCEPTIS.] *Rectè monet, Christum non oratione, sed præcepto seu iussione sanasse; Sanctos oratione & precibus. Orauit quidem aliquando Christus, at non suâ, sed populi caussâ, vt præclarè docet Basilius Seleuciensis oratione de suscitatione Lazari, in illud Ioannis* XI. Iesus autem eleuatis sursum oculis. *Iussione aliquando vsi Apostoli, vt Petrus Actorum* XI. Et conuersus ad corpus, dixit: Tabitha surge. *sed preces præcesserant:* Petrus ponens genua orauit. *Vel etiam vocato* IESV *nomine* CAP. LII.

mine miracula patrabant, vt ibidem habuit Basilius. Breuiter Arnobius libro I. ait Christum omnia illa quæ fecit nominis sui possibilitate fecisse. quod pòst dicit: perfecit vi suâ. alios verò eadem facere sui nominis cum affectione permisit.

Quòd verò idem Basilius oratione in Elisæum & Sunamitidem habet, quòd Elisæus τὸν υἱὸν τῆς Σωμανίτιδος μὴ διὰ προσευχῆς, ὡς ὁ Πέτρος ἀνέστησε τὴν Δορκάδα, ἀλλὰ τῷ νεκρῷ τοῦ παιδὸς ἑαυτὸν ἐφήπλωσε σώματι: Sunamitidis filium non ad vitam erexerit oratione, vt Dorcadem Petrus, sed pueri cadaueri seipsum instratum applicauerit: intellige Elisæum figuram gessisse Christi, qui oratione non indigebat, etsi eam Elisæus adhibuerit, vt patet IV. Reg. cap. IV. v. 33. vult tamen Basilius, non vi orationis illius puerum exsuscitatum, sed potiùs accorporatione ipsâ, quæ incarnationis Christi figura erat. Vide D. Augustinum in Psalmum LXX. & Bernardum sermone II. in Cantica. quare nil necesse ad ellipsin confugere, & quasi semiplena esset, locutionem explere, μὴ μόνον διὰ προσευχῆς. Non ignorauit Basilius orationem ab Eliseo adhibitam; sed negat orationis vi puerum vitæ redditum (quo ferè modo Sancti miracula patrabant) sed potiùs corporis adæquatione, quòd Christus incarnatione humanum genus erat exsuscitaturus.

CAP. LIII. 121. AD EXTERIOREM MONTEM.] Suprà capite XXXIII. in exteriore monte. opponitur interiori, seu superiori. Vide ibi dicta.

122. INTERIVS ARCHISTERIVM.] Intelligitur interior & princeps Antonij locus, in quo ipse versabatur. Nempe vt exterior & interior mons erat, in quo sedem collocauerat Antonius, vti iam vidimus; ita quoque exterius & interius archisterium habebat. Quid verò Archisterium sit, vide Onomasticon.

123. PROPOSITI SVCCEDAT OBLIVIO.] Græcè: μὴ ἐπιλαθώμεθα τῶν ἔνδον. ne eorum qui sunt intus obliuiscamur. Frequens propositi vsurpatio pro animi obfirmatione in recto vitæ instituto & voto. Suprà cap. XXVIII. Proposito feruenti gaudet Antonius. Sed infrà cap. LVI. desidiam instituto non debere subrepere. Acta Clementis Papæ Martyris de S. Theodorâ: Deo castitatis propositum profiteri persuasisset. Hieronymus epist. VII. ad Latam: vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. vbi propositum planè est votum, vt patet ex punitione.

CAP. LIV. 124. PRÆTEREA CVM BALACIVS.] Eamdem historiam de Balacio habes breuiter expressam in epistolâ Athanasij, ad solitariam vitam agentes: Ἀντώνιος δέ ποτε γράψαντος πεποίηκε τὸν δοῦκα Βαλάκιον καταπτύσαι τῆς ἐπιστολῆς, καὶ ταύτην ἀποῤῥίψαι. Ἀλλ' οὐ παρεῖδεν ἡ θεία δίκη. μετ' οὐ πολὺ γὰρ τὸν λεγόμενον δοῦκα ἐπικαθήμενον ἵππῳ, καὶ ἀπερχόμενον εἰς τὴν πρώτην μονήν, ἐπιστραφεὶς ὁ ἵππος, καὶ δακὼν εἰς τὸν μηρὸν κατέβαλε, καὶ τριῶν ἡμερῶν ἀπέθανεν. Antonij aliquando epistolam duci Balacio conspuendam abiiciendamque tradidit (Gregorius Arianus Alexandrinæ Ecclesiæ inuasor.) Sed hoc diuina vindictâ inultum non prætermisit. Siquidem non diu posteà Balacij femur proficiscentis ad primam mansionem equus, cui insidebat, ceruicibus retortis ita momordit, atque è dorso excussum humi afflixit, vt intra triduum proximum periret. vbi vides diuersitatem aliquam in narratione. Nam in hac epistolâ dicitur Balacius læsus ab equo, cui insidebat; in Vitâ hac Antonij ab equo, quo Nestorius vehebatur. quod fortassis (inquit Baronius anno Christi CCCXLII.) accidit vitio librariorum. Quamquam alij fortasse asserent eam epistolam non esse Athanasij, cùm ipse Athanasius in eâ passim citetur & interloquatur, quod tamen non obstare, quin Athanasij ea sit epistola, opinatur Baronius.

125. AD PRIMAM MANSIONEM ALEXANDRIÆ, QVÆ APPELLATVR CHÆREVM.] De Chæreo Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. in laudem Athanasij: Ποιητοῦ δὲ ἦν ἄρα καὶ τὸν Νεῖλον εἰπεῖν, τὸν χρυσοῤῥόαν ὄντως καὶ εὔσταχυν, ἔμπαλιν ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ Χεραίου ῥέοντα, ἡμερησίαν ὁδὸν οἶμαι καὶ περαιτέρω. Nilum etiam poëta quispiã diceret, illum verè aurifluum & spicis vberem, ab vrbe ad Chæreum retracto cursu fluentem, diei vnius itinere atque ampliùs. Pro mansione, Græcè est μονή. ita & apud Athanasium epist. ad solitariam vitam agentes; Hæschelius diuinabat νομὴν, præfecturam. nil necesse. Vide Onomasticon.

126. MVLTÆ QVOQVE DESPONSATÆ PVELLÆ.] CAP. LV. Quod olim Theclæ contigit, dum S. Paulum concionantem audiret, vt relicto sponso terreno, cælesti se sponso dedicaret, idem plurimis virginibus ad Antonij exhortationes euenit. Suprà cap. XLIX. Continentia in matrimonio, virginitas in Ecclesiâ. quæ virginitas ita pòst in Ecclesiâ floruit, vt vna familia Aniciana plures Christo virgines, quàm mundo consules dederit. Augustinus epist. CLXXIX. ad Probam & Iulianum de conuersione neptis Demetriadis: Quis verbis explicet, quis digno præconio prosequatur, quàm incomparabiliter gloriosas atque fructuosas habeat ex vestro sanguine feminas virgines Christus, quàm viros consules mundus? Nam volumina temporum si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quanto est maius atque præclarius, cordis & corporis integritate transcendere? Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior sanctitate, quòd sit per diuinum consortium præcipuam in cælis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne numerum adhuc augere mortalium. Hæc est vberior fecundiorque felicitas, non ventre grauescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde condescere; non visceribus terram, sed cælum orationibus parturire.

127. QVEM ANNIS QVINQVE SVPERGREDIOR.] CAP. LVI. Græcè: Εἰμὶ γὰρ ἐγγὺς ἐτῶν πέντε καὶ ἑκατόν. Annorum ferè sum centum & quinque. In multos annos olim eremitæ & monachi vitam producebant; vt frustrà hæretici contra austeram victus rationem, quasi ita viuacitas imminuatur, deblaterent.

128. MELETIANORVM.] Dicti Meletiani à Meletio in Ægypto episcopo. Vide Epiphanium hær. LXVIII. Theodoretum libro IV. hæret. fab. cap. X. Historiam Tripartitam lib. I. cap. XVIII.

129. CVSTODIENDA EST PIA FIDES IN CHRISTO, ET PATRVM RELIGIOSA TRADITIO.] Baronius tomo III. anno Christi CCCLVIII. Liberij Papæ VII. Constantij Imperatoris XXII. Moriturus, ait, Antonius nihil antiquius habuit, quàm fidem Catholicam suis præclarè testatam relinquere; de cuius fidei custodiâ eosdem sæpiùs antè admonuisset. Hoc enim elogio fidem suis discipulis adstantibus, quasi nobile depositum commendauit.

Sed & præter fidem in Christum, religiosam Patrum traditionem custodiendam monet.

130. ET

Cap. LVII. ANTONIVS.

130. ET PRÆCIPVE BEATORVM MARTYRVM CORPORA LINTEAMINE QVIDEM OBVOLVERE.] *Prudentius hymno* x. *Cathemer. qui est de defunctis:*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Et passim in Actis Martyrum. Vide Onomasticon.

131. SVPER LECTVLOS DOMI POSITA RESERVARE.] *Vetus Aegyptiorum gentilium fuit consuetudo, vt cadauera medicata domi seruarent. Cicero* I. *Tusc.* Condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi seruant. *Pomponius Mela lib.* I. *cap.* IX. Mortuos nec cremare nec fodere fas putant: verùm arte medicatos intra penetralia collocant. *Sextus philosophus libro* III. *Pyrrhon. hypothes. cap.* XXIV. Ægyptij intestina extrahentes condiunt defunctos, & secum super terram habent.

Sed & mortuos suos mensis velut conuiuas adhibebant. Lucianus de luctu: Ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος. οὗτος μέν γε, λέγω δ' ἰδὼν, ξηράνας τὸν νεκρὸν, σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο. Muriâ condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem à me visam narro) desiccatum cadauer conuiuam & compotorem adhibet. *Silius Italicus libro* XIII.

——— Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exsanguem haud separat vmbram.

Vbi fortè quis hæreat, quid hic sit saxum odoratum; *& legat,* odorato succo. *Corippus libro* III. *de funere Iustiniani Imp.*

——— & odoro balsama succo
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.

Sed non temerè Silij lectionem sollicitem. Capio igitur odoratum saxum *de vnguento ipso, cui corpus velut includitur, quodque vnà cum corpore ipso saxescit & lapidescit, & velut aeneum redditur. quæ Aegyptij* Gabbaras *vocant, vt habet mox citandus S. Augustinus sermone* CXX. *de diuersis, cap.* XII. *Vnde rectè Orientio in Commonitorio* puluis solidans:

Non modò quæ tumulis benè condita saxa reseruant,
Aut Arabum solidans puluis odorque tenet.

Ita rectè quoque Arabum *pro* aruum *legit Sirmondus noster ad Sidonium lib.* IX. *epist.* XIII.

Daniel Heynsius in Crepundijs Silianis pro odorato saxo *suspicabatur legendum* odoratâ taxo, *id est reconditorio è taxo fabrefacto, &* θηκαίῳ οἰκήματι, *vt loquitur Herodotus. Claudius Dausqueius ad Silium existimat* saxum odoratum *dici, vel quia tale, vel quia cadauer odoribus differtum.*

Dignum notatu, quod est apud Cassianum Collat. XV. *cap.* III. *ex relatione Nesterotis Abbatis, qui, cur Ægyptij cadauera condirent, & in editioribus cellulis conderent, hanc originem & caussam refert.* Hunc Ægyptiis morem Nili fluminis inuexit eluuies, vt quoniam vniuersa terræ illius latitudo, instar immensi pelagi, non paruo anni tempore solitâ aquarum eruptione cōtegitur, ita vt nulla tunc cuiquam viandi copia nisi lemborum transuectione tribuatur, corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis recondantur.

132. VITIVM CIRCA DEFVNCTOS ÆGYPTI.] *Sanctorum Antonij & Athanasij mentem, quantum ad locum hunc attinet, iam olim explicuit Damascenus Orat.* I. *de Imagin.* Ἴσμεν τὸν μακάριον Ἀθανάσιον, ἀπηγορευκότα τὸ ἐν λάρναξι τεθεῖναι τὰ τῶν ἁγίων λείψανα, μᾶλλον δὲ προστάττοντα ὑπὸ γῆν ταῦτα καλύπτειν, τὸ ἄτοπον ἔθος τῶν Αἰγυπτίων καταργῆσαι βουλόμενον, οἳ τοὺς ἑαυτῶν νεκροὺς, οὐχ ὑπὸ γῆν ἔκρυπτον, ἀλλ' ἐπὶ κλινῶν καὶ σκιμποδίων ἐτίθουν. Scimus sanctum Athanasium Sanctorum reliquias, non in vrnis collocandas, sed humi condendas esse eo consilio censuisse, vt absurdum Aegyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terrâ condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant. *Sic Arsenius apud Ruffinum lib.* II. *n.* 163. *alloquens discipulos sub interminatione diuini iudicij ait:* Si alicui de meo corpusculo aliquid velut reliquias dederitis. *quod apud Pelagium libello* XV. *n.* 9. *est:* Si permiseritis cuiquam de corpore meo aliquid facere. *Subiungam & recentiorum explicationem.*

Baronius anno Christi CCCLVIII. *Liberij Papæ* XV. *Constantij Imperatoris* XXII. *Ob quam etiam, inquit, caussam Antonius (ne scilicet æqualis Sanctis in terris honor sibi impertiretur) antiquum illum in Aegypto morem inolitum, & ad Christianos propagatum, detestatus est; quo charorum corpora nequaquam sepulturæ traderentur, sed pollinctorum arte delibuta, ita arida reddebantur, vt absque corruptione integra seruarentur: quæ sic reddita quasi aenea ab Aegyptiis (vt auctor est Augustinus)* Gabbaras *dicebantur: id, inquam, adeò displicuit Antonio, vt nec Sanctorum cadaueribus id officij exhibendum esse diceret; cùm exemplo corporis Christi, Sanctorum quoque corpora essent recondenda sepulcro; quod præstare Ecclesia Catholica consueuit, vt Beatorum cadauera sepulcris clauderet, sed honorificentissimis tamen, nempe sacris altaribus. Hactenus Baronius.*

Dauid Hœschelius Notis ad hanc Vitam: Mirum (inquit vir magni nominis, & iudicio eruditissimus) si Antonius humationem prorsus esse necessariam abscisè docuit: cùm profectò Iosephus Genes. L. *se non terrâ obrui, sed loculo recondi, & ex Aegypto aliquando asportari præceperit. Verius ergo Antonium hoc tantum voluisse, mortuos longè rectiùs humo committi, quàm, quod Aegyptij faciebant, domi conditos asseruari; idque Patriarcharum & Christi exemplo confirmasse.*

In describendâ Aegyptiorum conditurâ multi sunt. Herodotus lib. II. *& Diodorus lib.* I. *ex quibus obserues, cadauera olim domi subrecta, in loculo ad parietem statuta, quod Antonij ætate mutauerat. Athanasius quippe disertè scribit, lectulo imponi consueuisse. Credo, quò commodiùs mensæ accumberent. huc enim ineptiarum Aegyptus descenderat. Lucianus in De luctu, se bellis huius generis conuiuis & compotoribus interfuisse narrat, stantibus an cubantibus, non explicat. Paulò antiquior Silius libro* XIII. *stantes habet:*

——— Aegyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora. ———

Alia addi poterant, sed hæc satis superque euincunt, Antonium tantam stultitiam verius quàm superstitionem ferre non debuisse.

Ex S. Augustino serm. de diuersis CXX. *qui est prior tractatus de resurrectione mortuorum c.* XII. *nomen, quo cadauera sic curata appellarentur, didicimus:* Aegyptij ergo soli credunt resurrectionem, quia diligenter curant cadauera mortuorum: morem enim habent siccare corpora, & quasi ænea reddere, GABBARAS ea vocant. *Quæ mox irridens scribit:* Soli Aegyptij benè credunt resurrectionem mortuorum suorum, aliorum verò Christianorum spes in angusto est. *ostendunt, apud Christianos morem, quantumuis vetitum, etiam post Antonium perseuerasse. Hactenus* ὁ μεγαλώνυμος, καὶ τὸ νοῦ ὀξυδερκέστατος. *Atque hactenus quoque ex ore calamoque magni*

 viri

viri Hæschelius: quem virum magnum Marcum Velserum II. virum PP. Augustanum esse, nullus dubito. adeò vir ille vbique doctrinæ suæ radijs se prodit.

Quare non improbat Antonius Reliquiarum obseruationem & cultum, sed Aegyptiam consuetudinem, de quâ iam suprà ex Cicerone, Melâ, Sexto Empyrico, & alijs Auctoribus dictum. Vide Gretzerum nostrum de fun. Christ. lib. I. cap. VII. & Apolog. II. contra Lithum Misenum lib. II. cap. II.

C. LVIII. 133. DVOBVS FRATRIBVS.] Intelligit, opinor, Amatham & Macarium, Antonij discipulos, quorum alter etiam Antonij corpus sepeliuit: de quibus actum ad Prologum Vitæ S. Pauli, primi eremitæ. nisi fortè intelligantur Isaac & Pelusianus, de quibus in Vitâ Hilarionis cap. XXV. quos statim à morte Antonij Hilarion in monte inuenit: Repertis ibi duobus fratribus Isaac & Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonij fuerat.

134. REPRÆSTATIS AFFECTVM.] Editi libri, rependatis, quod subdititium est. Proba & vera lectio, repræstatis, nec vbique obuium verbû. Habes in Pandectis Florentinis, lib. XIX. Tit. I. de action. empt. & vend. L. XLVII. Lucius: Ita vt si non integras (materias) repræstauerit. vbi vulgò: Ita vt si non integras præstiterit. Item lib. XXXV. Tit. I. ad SC. Trebell. L. XXII. Mulier: Decreuisse diuum Marcum refert fideicommissum eis repræstandum. Vtroque loco Cuiacius lib. III. Obseruat. cap. XV. corrigebat, repræsentauerit. sed lib. XIII. Obseru. cap. XXXV. retractat suam correctionem, & retinet, repræstat.

135. VESTIMENTORVM AVTEM MEORVM SIT ISTA DIVISIO.] Baronius tomo III. anno Christi CCCLVIII. Liberij Papæ VII. Constantij Imp. XXII. ait: Sed & qui fidem Catholicam suis tantopere commendauit, eius defensores gloriosissimos Confessores voluit suis exuuijs honorare, dum ad testamentum fidei eiusmodi apposuit codicillum.

136. QVOD NOVVM IPSE DETVLERAT.] Baronius anno Christi CCCXXVIII. Siluestri Papæ XV. Constantini Imp. XXIII. existimat Athanasium, cùm tertius eius episcopatus annus agebatur, visitasse ecclesias Ægypti, Alexandrinæ subiectas Ecclesiæ. Asserit porrò, quòd tunc simul Antonium visitauit, ad eumque benedictionis gratiâ duo pallia attulit, quorum altero (vt auctor est S. Hieronymus) Pauli primi eremitæ corpus, cùm ex hac vitâ migrasset, eius rogatu, festinè allatum inuoluit: alterum idem Antonius moriens, eidem, qui dederat, Athanasio, vltimo legauit elogio, dicens: Meloten & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio episcopo date, quod nouum ipse detulerat. Cùm verò illud ab eo ad se allatum, non missum, dicat; planè significat, Athanasium S. Antonium visitasse; nec ipsum modò, sed & monachos eius discipulos, ecclesias atque monasteria in eremo posita, episcopali munere perlustrasse. Hieron. in Vitâ Pauli.

137 SERAPION EPISCOPVS.] Thmuneos videlicet in Aegypto, vt iam dictum ad cap. LI.

CAP. LIX. 138 MORTEM LÆTVS ASPEXIT.] Baronius to. III. anno Christi CCCLVIII. Liberij Papæ VII. Constantij Imp. XXII. Hoc eodem, inquit, anno sanctus ille toto orbe conspicuus, Antonius Magnus, XVI. Kal. Febr. ex hac vitâ in cælum migrauit, cùm iam quintum supra centesimum vixisset annum. Hæc quidem cùm Athanasius tum Hieronymus affirmat in Chronico.

Sed inemendato Chronico vsum Baronium, dixi in Præludiis ad hanc Vitam. Emendatum Chronicon obitum Antonij ponit anno XIX. Constantij, cui pro vario cuiusque calculo varius Christi annus assignatur. Vide in dictis Præludiis.

139. SERVAVERVNT MANDATA DISCIPVLI.] Baronius suprà: Sepultus est autem, ait, Antonius incognito loco, eâ nimirum ex causâ, quòd id ipsemet præcepisset, vt S. Hieronymus testatur in Hilarione; ne scilicet Pergamius quidam, ipsius studiosissimus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, Martyrium fabricaret: non enim tanti se meriti esse rebatur, vt æqualem Sanctus in terris honorem sibi impertiri vellet. Cur occulto loco sepultus Antonius. Hieron. in Vitâ Hilarion. c. 26.

Verùm quantumlibet id magnis contestationibus discipulos suos admonens fuerit consecutus, vt corpus suum mandaretur occulto loco sepulcro: haud tamen voluit prohibere, quin honoris Sanctis & Deo dilectis impertiri soliti particeps fieret, vt nempe natalis eius migrationis dies, ex antiquo Ecclesiæ more, peruigilio & sacris ceteris ritibus coleretur. Nam de S. Hilarione scribit Hieronymus, quòd cognito, licet longè absens, Antonij obitu, illuc magno labore se contulit, eâ nimirum ex causâ, vt anniuersariam illius dormitionis diem, eodem in quo defunctus erat loco, præuiis nocturnis vigiliis celebraret: quod pium officium cùm ceteri in Aegypto Catholici, tum etiam vniuersa Ecclesia Catholica præstare hactenus non prætermisit. Vide ad caput XXVI. Vitæ S. Hilarionis.

140. LÆTANTER PER VESTIMENTVM RECORDATVR IMAGINEM SANCTITATIS.] In Vitâ S. Pauli primi eremitæ habes, quàm grata Antonio fuerit palmea Pauli vestis, omni Romanorum palmatâ potior. Nunc Athanasius Antonij legatarius in exuuijs Antonij Antonium amplectitur.

141. ÆQVALITATEM PROPOSITI TENENS.] Sequentia omnia de integritate corporis S. Antonij habes ex hoc Athanasij scripto expressa apud beatû Ephrem suprà in Elogijs. Vbi Vossius eius interpres videtur in vitiosum codicem incidisse, dum vertit: aut si fortè pedes aquâ tingeret, pro, nec pedes lauit. Omittitur quoque apud Ephram de dentium numero ad extremum vsque seruato. CAP. LX.

142. QVEM NEC LIBRORVM DISSEMINATORVM ORATIO LVCVLENTA.] Petrus Damianus libro VI. ep. XVII ad Ariprandum monachum: Antonius non rhetoricatur, sed toto conspicuus orbe, litteris, vt ita dicam, vitalibus legitur. quem vide egregiè de stultè doctis, & sapienter indoctis pertractantem. CAP. LXI.

Baronius tom. III. anno Christi CCCLVIII. Liberij Papæ VII. Constantij Imp. XXII. ait: Licet de Antonio S. Athanasius tradat, nequaquam eum claruisse scriptorum librorum memoriâ, multas tamen ex munere constat scripsisse epistolas, patriâ linguâ; ex quibus septem in Græcum translatas fuisse, auctor est S. Hieronymus. Vide Præludia ad hanc Vitam. Hieron. de Script. Eccles. c. 88.

143. QVÆ VRBIVM CAPVT EST ROMÆ.] Vide aureolos Lipsij libros De magnitudine Romanâ.

Atque hæc nunc ad Vitâ S. Antonij dicta sufficiant; cuius mortem etiam elementa ipsa clauso cælo luxêre, teste Hieronymo: Porrò iam triennium erat, quòd clausum cælum terras illas arefecerat; vt vulgò dicerent, Antonij mortem etiam elementa lugere. Hier. Vitæ Hilar. c. 27

In Coloniensi editione post vitam Antonij addebatur exemplum de D. Antonij insuperabili castitate, ex Germanico libro exceptum. quod quia in nullo manuscripto libro repperi, & fabulam potiùs præfert, omittendum duxi.

Quem hîc Epilogum Euagrij interpretis nomine habes, suggessit vnus è MS. quamquam vereor vt Euagrij nomen ægrè tueri possit; maximè si cum Prologo comparetur.

VITA

VITA SANCTI [1] HILARIONIS MONACHI AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

21. Oct.

PROLOGVS.

IN sanctis orationibus tuis memento mei, decus ac dignitas virginum [2] nonna [3] Asella. Scripturus vitam B. Hilarionis, habitatorem eius inuoco Spiritum sanctum, vt qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrãdas eas sermonem tribuat; vt facta dictis exæquentur. [4] Eorum enim, qui fecêre virtutes (vt ait Crispus) tanta habetur laus, quantum eas verbis potuêre extollere præclara ingenia. [5] Alexander Magnus Macedo ([6] quem vel æs, vel pardum, vel hircum caprarum Daniel vocat) cùm ad Achillis tumulum peruenisset: Felicem te (ait) ô iuuenis, qui magno frueris præcone meritorum; Homerum videlicet significans. Porrò mihi tanti ac talis viri conuersatio vitaque dicenda est, vt Homerus quoque si adesset, vel inuideret materiæ, vel succumberet.

Dan. 2. 7. 8

Quamquam enim [7] S. Epiphanius, Salaminæ Cypri episcopus, qui cum Hilarione plurimùm versatus est, laudem eius breui epistolâ scripserit, quæ vulgò legitur, tamen aliud est locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare virtutes. Vnde & nos fauore magis illius quàm iniuriâ cœptum ab eo opus aggredientes, maledicorum voces contemnimus, [8] qui olim detrahentes Paulo meo, nunc fortè detrahent & Hilarioni: illum solitudinis calumniati, huic objicientes frequentiam: vt qui semper latuit, non fuisse; qui à multis visus est, vilis existimetur. Fecerunt hoc & maiores eorum quondam Pharisæi, quibus nec Ioannis eremus atque ieiunium, nec Domini Saluatoris turba, cibi potusque placuêre. Verùm destinato operi imponam manum, & Scylleos canes obturatâ aure transibo. Opto vt in Christo permaneas, & memor in orationibus tuis sis mei Virgo sacratissima.

S. Epiphanius Salaminæ episcopus S. Hilarionis familiaris.

Matth. 11.

VITA.

HILARION ortus vico [9] Thabathâ, qui circiter quinque millia à [10] Gazâ vrbe Palęstinæ ad Austrum situs est: cùm haberet parentes idolis deditos, [11] rosa (vt dicitur) de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, Grammatico traditus est; ibique, quantum illa patiebatur ætas, magni ingenij & morum documenta præbuit; in breui charus omnibus, & loquendi arte gnarus. Quodque his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuriâ delectabatur; sed tota illi voluntas in Ecclesiæ erat congregatione.

Cap. I. *S. Hilarionis patria.* *Scholis traditur.* *Ecclesiam frequentat.*

Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes Ægypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim vt eum vidit, mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinem vitæ eius, morumque grauitatem. Quàm creber in oratione, quam humilis in suscipiendis Fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis esset: & vt continentiam, cibique eius asperitatem nulla vmquam infirmitas frangeret. Porrò frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones & impetus dęmonum concurrebant, vltrà non ferens; nec congruum esse dicens, pati in eremo populos ciuitatum, sicque sibi magis incipiendum esse, vt cœpisset Antonius, illum quasi virum fortem victoriæ præmia accipere, se necdum militare cœpisse,

Cap. II. *Inuisit Antonium, & duobus mensibus apud eum manet.* *Mutat habitum.*

pisse, reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam: & parentibus iam defunctis, partem substantiæ fratribus; partem pauperibus erogauit, nihil sibi omnino reseruans, & timens illud de Actibus Apostolorum, Ananiæ & Saphiræ vel exemplum, vel supplicium; maximeque Dominicæ sententiæ memor, dicentis: Qui non renuntiauerit omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus. Erat autem tunc annorum quindecim. [1] Sic nudus & armatus in Christo, solitudinem, quæ in septimo milliario à [12] Maiumâ Gazæ emporio per litus euntibus Ægyptum ad læuam flectitur, ingressus est. Cumque essent cruenta latrociniis loca, & propinqui amicique eius imminens periculum denuntiarent, contempsit mortem, vt mortem euaderet. Mirabantur omnes animum, mirabantur ætatem, nisi quòd flamma quædam pectoris, & scintillæ fidei in oculis relucebant. Læues erant genæ, delicatum corpus & tenue, & ad omnem iniuriam impatiens, quod leui vel frigore vel æstu posset affligi.

Substantiam suis fratribus & pauperibus diuidit. *Act. 5.* *Lucæ 24.* *Solitudinē petit.* *Corporis habitudo.*

CAP. III.

Vestes eius, saccus, pelliceum ependytes, sagū rusticum.

Igitur sacco tantùm membra coopertus, [13] & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, [14] inter mare & paludem, vasta & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantùm [15] caricas post solis occasum comedens: & quia regio latrociniis, vt suprà iam dictum est, infamis erat, numquam in eodem loco homo commanserat. Videns hoc diabolus, quid faceret, quò se verteret, torquebatur. Et qui antè gloriabatur, dicens: In cælum ascendam, super sidera cæli ponam thronum meum, & ero similis Altissimo: cernebat se vinci à puero, & priùs ab eo calcatum fuisse, quàm per ætatem peccare potuisset. Titillabat itaque sensus eius, & pubescenti corpori insolita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego te, inquit, aselle, faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat, orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, vt ieiuniorum laborē labor operis duplicaret. Simulque [16] fiscellas iunco texens, æmulabatur Ægyptiorum monachorum disciplinam, & Apostoli sententiam, dicentis: Qui autem non operatur, nec manducet: sic attenuatus, & intantum exhausto corpore, vt ossibus vix hæreret.

Isa. 14. *Tentatur libidinibus.* *Domat eas variis modis.* *Post triduum vel quatriduū cibum sumit.* *Operatur manibus.* *2. Thess. 3.*

CAP. IV.

Quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi muliercularum, leonum rugitus, murmur exercitus, & prorsus barbararum portenta vocum, vt antè sonitu quàm aspectu territus cederet. Intellexit hæc dæmonum esse ludibria: & prouolutus genibus, Christi crucem signauit in fronte: talique armatus casside, & loricâ fidei circumdatus, iacens fortiùs præliabatur, quodammodò videre desiderans, quos horrebat audire, & sollicitis oculis huc illucque circumspiciens: cùm interim ex improuiso, splendente lunâ, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere: cumque inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: Equum & ascensorem proiecit in mare. Et, Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. Multæ sunt tentationes eius, & die noctuque variæ dæmonum insidiæ; quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubitanti, quoties esurienti largissimæ apparuêre dapes? Interdum orantem lupus vlulans, & vulpecula ganniens transiliuit, psallentique gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens, sepulturam rogauit. Orauit semel fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat: insiliuit dorso eius festinus [17] agitator; & latera calcibus, ceruicem flagello verberans, Eia, inquit, eia curre, cur dormitas? cachinnansque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur.

Cruce Christi frontem signat contra dæmonum ludibria. *Iesum inclamat.* *Exodi 15.* *Psal. 19.*

CAP. V.

Igitur à sexto decimo vsque ad vigesimum suæ ætatis annum, æstus & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco & [18] carice texerat. Extructâ deinceps breui cellulâ, quæ vsque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, staturâ suâ humiliore; porrò longitudine paulò ampliore, quàm eius corpusculum patiebatur, vt sepulchrum potiùs quàm domum crederes. Capillum sanè semel in anno Paschæ die totondit, super nudam humum stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit; saccum, quo semel fuerat indutus, numquam lauans; & superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam, nisi cùm prior penitus scissa esset. Scripturas quo-

Tuguriunculum eius. *Cellula eius amplitudo.* *Cubile nuda humus, & stratus iunceus.*

Scripturas memoriter tenet. quoque sanctas memoriter tenens, post orationes & psalmos, quasi Deo præsente recitabat. Et quia longum est, per diuersa tempora magnalia eius dicere; comprehendam breuiter, ante Lectoris oculos vitam eius pariter exponens, & deinceps ad narrandi ordinem regrediar.

CAP. VI. *Sobrietas victus toto vitæ decursu.* A vigesimoprimo itaque anno vsque ad vigesimumseptimum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aquâ frigidâ comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale & aquâ. Porrò à vigesimoseptimo vsque ad trigesimum, herbis agrestibus, & virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A trigesimo autem primo vsque ad trigesimumquintum, sex vncias hordeacei panis, & coctum modicè olus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caliginare oculos suos, & totum corpus [19] impetigine vri, & pumiceâ quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, & vsque ad sexagesimum tertium vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil omnino extrinsecùs aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimoquarto rursus anno vsque ad octogesimum pane abstinuit, incredibili feruore mentis; vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo ceteri solent remissiùs viuere. Fiebat autem ei de farinâ & comminuto olere sorbitiuncula, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus: sicque complens ordinem vitæ, numquam ante solis occasum, nec diebus festis, nec in grauissimâ valetudine soluit ieiunium. *Continuum ieiunium.*

CAP. VII. Sed iam tempus est vt ad ordinem reuertamur. Cùm habitaret adhuc in tuguriunculo annos natus decem & octo, latrones ad eum nocte venerunt, vel æstimantes habere aliquid quod tollerent, vel in contemptum sui reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret. Itaque inter mare & paludem à vespere vsque ad solis ortum discurrentes, numquam locum cubilis eius inuenire potuerunt. Porrò clarâ luce reperto puero, quasi per iocu, Quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit: Nudus latrones non timet. Et illi: Certè, aiunt, occidi potest. Possum, inquit, possum; & ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam eius & fidem, confessi sunt noctis errorem, cæcatosque oculos, correctiorem deinceps vitam pollicentes. *Error latronum totâ nocte.* *Nudus latrones non timet.* *Contemnit mortẽ adhuc puer.*

C. VIII. Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, famâ tantùm notus omnibus, & per totas Palæstinæ vulgatus vrbes, cùm interim mulier quædam [20] Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionem, & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta, Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? Noli me mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis visâ muliere, interrogauit caussas aduentus eius, ac fletuum. Et postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere eam iussit, euntemque lacrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio. *Marci 2.* *Impetrat partum sterili.*

Hoc signorum eius principium, maius aliud signum nobilitauit. [21] Aristæneta Elpidij, qui posteà Præfectus prætorio fuit, vxor, valdè nobilis inter suos, & inter Christianos nobilior, reuertens cum marito & tribus liberis à beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatem remorata est. Ibi enim siue ob corruptum aërem, siue (vt posteà claruit) propter gloriam Hilarionis serui Dei, [22] hemitritæo pariter arrepti, omnes à Medicis desperati sunt. Iacebat vlulans mater, & quasi inter tria filiorum discurrens cadauera, quem primum plangeret nesciebat. Agnito autem, quòd esset quidam monachus in vicinâ solitudine, oblita matronalis pompæ, tantũ se matrem nouerat: vadit comitata ancillulis & eunuchis, vixque ei à viro suo persuasum est, vt asellũ sedens pergeret. Ad quem cùm peruenisset: Per Deum te, ait, Iesum clementissimum Deum nostrum, obtestor, per Crucem eius & Sanguinem, vt reddas mihi tres filios, & glorificetur in vrbe gentilium nomen Domini Saluatoris, & ingrediatur seruus eius Gazam, & [23] Marnas corruat. Renuente illo, & dicente, numquam se egressum de cellulâ: nec habere consuetudinem, vt non modò ciuitates, sed ne villas quidem ingrederetur, prostrauit se humo crebrò clamitans: Hilarion serue Dei, redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Ægypto, à te seruentur in Syriâ. Flebant cuncti qui aderant, sed & ipse negans flebat. Quid multa? Non priùs mulier recessit, quàm ille pollicitus est, se post solis occasum Gazam introiturum. Quò postquam venit, singulorum lectulos & ardentia membra considerans, inuocauit Iesum. Et, ô mira virtus, statim quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit: eâdem horâ acceperunt cibos, lugentemque matrem cognoscentes, & benedicentes Deum, [24] Sancti deoscu- *Tres pueros à Medicis desperatos sanat.* CAP. IX.

deosculati sunt manus. Quod postquam auditum est, & longè latéque percrebuit, certatim ad eum de Syriâ & Ægypto populi confluebant, ita vt multi crederent in Christũ, & se monachos profiterentur. Necdũ enim tunc monasteria erant in Palæstinâ, nec quisquam monachum ante sanctum Hilarionem in Syriâ nouerat. ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouinciâ primùm fuit. Habebat Dominus Iesus in Ægypto senem Antonium: habebat in Palestinâ Hilarionem iuniorem.

Hilarion primus in Syriâ monasteriorũ fundator.

CAP. X.

Cæca mulieri visum sputo restituit.

Facidia viculus est [25] Rhinocoruræ, vrbis Ægypti. De hoc ergo vico decem iam annis cæca mulier adducta est ad beatum Hilarionem: oblataque ei à Fratribus (iam enim multi cum eo monachi erant) omnem substantiam se expendisse ait in Medicos. Cui Sanctus respondit: Si quæ in Medicos perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Iesus. Clamante autem illâ, & misericordiam deprecante, exspuit in oculos eius: statimque Saluatoris exemplum virtus eadem secuta est sanitatis.

Matth. 8.
Ioan. 9.

CAP. XI.

Aurigam percussum à dæmone sanitati restituit.

Auriga quoque Gazensis in curru percussus à dæmone, totus obriguit, ita vt nec manus agitare, nec ceruicem posset reflectere. Delatus ergo in lecto, cùm solam linguam moueret ad preces, audit non priùs se posse sanari, quàm crederet in Iesum, & sponderet arti pristinæ renuntiaturum. Credidit, spopondit, sanatus est, magisque de animæ, quàm de corporis salute exultauit.

CAP. XII.

A Marsitâ dæmonem extorquet.

Prætereà fortissimus iuuenis, nomine Marsitas, de territorio Ierosolymæ, tantum sibi plaudebat in viribus, vt quindecim frumenti modios diu longeque portaret: & hanc haberet palmam fortitudinis suæ, si asinos vinceret. Hic afflatus pessimo dæmone, non catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur, multorum etiam nasum & aures mordicus amputauerat: horum pedes, illorum gulam fregerat; tantumque sui terrorem omnibus incusserat, vt oneratus catenis & funibus in diuersa nitentium, quasi ferocissimus taurus ad monasterium pertraheretur: quem postquam Fratres vidêre, perterriti (erat enim miræ magnitudinis) nuntiauerunt Patri. Ille, sicut sedebat, iussit eum ad se pertrahi & dimitti. Solutoque, Inclina, ait, caput, & veni. Tremere ille miser cœpit, & ceruicem flectere, nec aspicere contrà ausus: omnique ferocitate depositâ, pedes sedentis lambere cœpit. Adiuratus itaque & extortus dæmon qui iuuenem possederat, septimâ die egressus est.

Adiuratio dæmonum vetus Ecclesiæ ritus.

CAP. XIII.

Sed nec illud tacendum est, quòd Orion, vir primarius & ditissimus vrbis [26] Hailæ, quæ mari Rubro imminet, à legione possessus dæmonum, ad eum adductus est. Manus, ceruix, latera, pedes ferro onerati erant, furorisque sæuitiam torui oculi minabantur. Cumque deambularet Sanctus cum Fratribus, & de Scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentium; & dum peruenisset ad sanctum Hilarionem, statim amplexus eum post tergum, in sublime leuauit. Clamor ingens ortus est ab omnibus: timebant enim, ne confecta ieiunijs membra collideret. Et Sanctus arridens: Sinite (inquit) & mihi meum palæstritam dimittite. Ac sic reflexâ super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensoque crine, ante pedes adduxit, stringens è regione ambas manus eius, & plantas vtroque calcans pede, simulque ingeminans, Torquere, ait, dæmonum turba, torquere. Cumque ille eiularet, & reflexâ ceruice terram vertice tangeret: Domine, inquit, Iesu, ô me miserum, solue captiuum. Et vnum, & plures vincere tuum est. Rem loquor inauditam. Ex vno hominis ore diuersæ voces, & confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaque & hic non post multum temporis, cum vxore & liberis venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus, Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint: quorum alter accepit pretium, alter obtulit: ille, vt venderet gratiam Spiritus sancti, hic vt mercaretur? Cumque Orion flens diceret: Accipe, & da pauperibus. Respondit: Tu meliùs tua potes distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum, occasio auaritiæ est: misericordia artem non habet. Nemo meliùs erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in arenis iacenti, Noli, inquit, contristari fili: quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio reuertetur.

Legionem dæmonum ab Orione pellit.

4. Reg. 5.
Act. 8.

Munera respuit.

CAP. XIV.

Zananum Maiumitem paralyticum sanat.

Quis verò possit silentio præterire, quod [27] Zananus Maiumites haud longè à monasterio eius lapides ad ædificandum de orâ maris cædens, totus paralysi solutus est, & ab operum socijs delatus ad Sanctum, statim ad opus reuersus est? Etenim littus, quod Palæstinæ Ægyptoque prætenditur, per naturam molle, arenis in saxa durescentibus asperatur: paulatimque cohærens sibi, glareæ perdit tactum, cùm non perdat aspectum.

CAP. XV.

Sed & Italicus, eiusdem oppidi municeps, Christianus, [28] aduersum Gazensem duumuirum, Marnæ idolo deditum, Circi equos curules nutriebat. Hoc siquidem in Romanis vrbibus iam exinde seruabatur à Romulo,

mulo, vt propter felicem Sabinarum raptum; [29] Conso, quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis aduersæ fregisse, victoriæ sit. Hic itaque, æmulo suo habente maleficum, qui dæmonicis quibusdam præcantationibus & huius præpediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad beatum Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quàm se defendi obsecrauit. Ineptum visum est venerando seni, in huiuscemodi nugis orationem perdere. Cumque subrideret & diceret: Cur enim non magis equorum pretium pro salute animæ tuæ pauperibus erogas? Ille respondit, functionem esse publicam, & hoc non tam se velle, quàm cogi: nec posse hominem Christianum vti magicis artibus, sed à seruo Christi potiùs auxilium petere, maximè contra Gazenses aduersarios Dei, non tam sibi, quàm Ecclesiæ Christi insultantes. Rogatus ergo à Fratribus, qui aderant, [30] scyphum fictilem, quo bibere consueuerat, aquâ iussit impleri, eique tradi. Quem cùm accepisset Italicus, & stabulum, & equos, & aurigas suos, rhedam, carcerumque repagula aspersit. Mira vulgi expectatio: nam & aduersarius hoc ipsum irridens diffamauerat, & fautores Italici sibi certam victoriam pollicentes exultabant. Igitur dato signo hi auolant, isti præpediuntur. Sub horum curru rotæ feruent, illi præteruolantium terga vix cernunt. Clamor vulgi nimius attollitur, ita vt & inimici quoque ipsi concreparent, MARNAS VICTVS A CHRISTO EST. Porrò furentes aduersarij Hilarionem maleficum Christianorum ad supplicium poscunt. Indubitata ergo victoria, & illis, & multis dehinc Circensibus plurima fidei occasio fuit.

Aqua ex scypho Hilarionis soluit maleficium.

CAP. XVI.

Eiusdem Gazensis emporij oppido, virginem Dei vicinus iuuenis deperibat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & ceteris huiusmodi, quæ solent moriturae virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, vt confesso vulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur post annum doctus abs Æsculapij vatibus, non remediantis animas, sed perdentis, venit præsumptum animo stuprum gestiens, & subter limen domus puellæ [31] tormenta quædam verborum, & portentosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Ilicò insanire virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris se in furorem verterat. Perducta ergo à parentibus ad monasterium, seni traditur, vlulante statim & confitente dæmone: Vim sustinui, inuitus abductus sum. quàm benè Memphis somnijs homines deludebam! O cruces, ô tormenta quæ patior! Exire me cogis, & ligatus subter limen licio & laminâ teneor. Non exeo, nisi me adolescens qui detinet, dimiserit. Tunc senex: Grandis, ait, fortitudo tua, [32] qui licio & laminâ strictus teneris. Dic, cur ausus es ingredi puellam Dei? [33] Vt seruarem, inquit, eam virginem. Tu, inquit, seruares, proditor castitatis? Cur non potiùs in eum, [34] qui te mittebat, es ingressus? Vt quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, [35] amoris dæmonem? [36] Noluit autem Sanctus, antequam purgaret virginem, vel adolescentem, vel signa iubere perquiri, ne aut solutus incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: asserens, semper fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos: sed magis redditam sanitati increpauit virginem, cur fecisset talia, per quæ in eam dæmon intrare potuisset.

Tactus, ioci, nutus, sibili, moriturae virginitatis principia.

Liberat virginem à maleficio.

CAP. XVII.

Non solùm autem in Palæstinâ, & in vicinis vrbibus Ægypti vel Syriæ, sed etiam in longinquis prouincijs fama eius percrebuerat. Namque [37] candidatus Constantij Imperatoris, rutilus comâ, & candore corporis indicans prouinciam, (inter Saxones quippe & Alamannos gens est non tam lata, quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur) antiquo ab infantiâ possessus dæmone, qui noctibus eum vlulare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secretò ab Imperatore [38] euectionem petijt, caussam ei simpliciter indicans. Et acceptis [39] ad Consularem quoque Palæstinæ litteris, cum ingenti honore & comitatu Gazam deductus est. Qui cùm à [40] decurionibus illius loci quæsisset, vbi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenses, & putantes eum ab Imperatore missum, ad monasterium adduxerunt: vt & honorem commendato exhiberent, & si quid ex præteritis iniurijs in Hilarionem esset offensæ, nouo officio deleretur. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, & secum de psalmis nescio quid submurmurabat. Vidensque tantam turbam venientem, substitit. Et resalutatis omnibus, [41] manuque eis benedicens, post horam ceteros abire præcepit, illum verò cum seruis suis & apparitoribus remanere. Ex oculis enim eius & vultu, cur venisset, agnouerat. Statim ergo ad interrogationem Sancti suspensus homo, vix terram pedibus tangens, & immanè rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat sermone, respondit. Videres de ore barbaro, & qui Francam tantùm & Latinam linguam nouerat,

Francum Constantij candidatum à dæmonio expurgat.

Diabolus per obsessos diuerso vtitur idiomate.

Syra ad purum verba resonare, vt non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquij. Confessus est itaque immundus spiritus, quo in eum intrasset ordine. Et vt interpretes eius intelligerent, qui Græcam tantùm & Latinam linguam nouerant, Græcè quoque eum interrogauit. Quo similiter & in verba eadem respondente, multasque incantationum occasiones, & necessitates magicarum artium obtendente: Non curo, ait, quomodo intraueris, sed vt exeas, in nomine Domini nostri Iesu Christi impero. Cumque curatus esset, simplicitate rusticâ decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit, audiens quòd qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.

Munera oblata respuit Hilarion.

C. XVIII. Parum est de hominibus loqui, bruta quoque animalia quotidie ad eum furentia pertrahebantur, in quibus [42] Bactriacum camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, triginta & eo ampliùs viri distentum solidissimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, volubilis lingua turgebat, & super omnem terrorem rugitus personabat immanis. Iussit igitur eum dimitti senex. Statim verò & qui adduxerant, & qui cum sene erant, vsque ad vnum omnes diffugêre. Porrò ille solus perrexit obuiàm; & sermone Syro, Non me, inquit, terres diabole tantâ mole corporeâ. Nam & in vulpeculâ, & in camelo vnus atque idem es. Et interim porrectâ stabat manu. Ad quem dum furens, & quasi eum deuoratura belua peruenisset, statim corruit, submissumque caput terræ coæquauit, mirantibus cunctis qui aderant, post tantam ferociam tantam subitò mansuetudinem. Docebat autem senex, hominum caussâ diabolum etiam iumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, vt non solùm ipsos, sed & ea quæ ipsorum essent, cuperet interire. Huiusque rei proponebat exemplum, quòd antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem substantiam eius interfecerit. Nec mouere quempiam debere, quòd Domini iussione duo millia porcorum à dæmonibus interfecta sunt: siquidem eos, qui viderant, non potuisse aliter credere, exisse de homine tantam dæmonum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus, & quasi à multis actus, pariter corruisset.

Camelum à dæmone exagitatum curat.

Cur iumenta diabolus corripiat.

Iob 1.

Lucæ 8. Marc. 5.

CAP. XIX. Tempus me deficiet, si voluero vniuersa signa, quæ ab eo perpetrata sunt, dicere. In tantam enim à Domino fuerat eleuatus gloriam, vt beatus quoque Antonius audiens conuersationẽ eius, scriberet ei, libenterque eius epistolas sumeret. Et si quando de Syriæ partibus ad se languentes perrexissent, diceret eis: Quare vos tam longè vexare voluistis, cùm habeatis ibi filium meum Hilarionem? Exemplo itaque eius per totam Palæstinam innumerabilia monasteria esse cœperunt, & omnes ad eum monachi certatim cucurrêre. Quod ille cernens, laudabat Domini gratiam: & ad profectum animæ singulos cohortabatur, dicens, præterire figuram huius mundi, & illam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis mercaretur incommodo. Volens autem exemplum eis dare & humilitatis, & officij, statutis diebus ante vindemiam lustrabat cellulas monachorum. Quod postquam cognitum est à fratribus, omnes ad eum confluebant: & comitati tali duce, circumibant monasteria, habentes viaticum suum: quia interdum vsque ad duo millia hominum congregabantur. Sed & procedente tempore vnaquæque villa vicinis monachis ad susceptionem Sanctorum gaudens cibos offerebat.

Antonius Hilarioni scribit.

Innumera monasteria in Palæstinâ.

1. Cor. 7.

CAP. XX. Quantum autem fuerit in eo studij, vt nullum fratrem quamuis humilem, quamuis pauperem præteriret, vel illud indicio est, quòd vadens in [43] desertum Cades ad vnum de discipulis suis visendum, cum infinito agmine monachorum peruenit [44] Elusam, eo fortè die, quo anniuersaria sollemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregauerat.[45] Colunt autem illam ob Luciferum, cuius cultui Saracenorum natio dedita est. Sed & ipsum oppidum ex magnâ parte semibarbarum esse, propter loci situm dicitur. Igitur audito quòd sanctus Hilarion preteriret, (multos enim Saracenorum arreptos à dæmone frequenter curauerat) gregatim ei cum vxoribus & liberis obuiàm processere, submittentes colla, & voce Syrâ, Barech, id est, Benedic, inclamantes. Quos ille blandè humiliterque suscipiens, obsecrabat, vt Deum magis quàm lapides colerent: simulque vbertim flebat, cælum spectans, & pollicens, si Christo crederent, ad eos se crebrò esse venturum. Mira Domini gratia: non priùs abire passi sunt, [46] quam futuræ ecclesiæ lineam mitteret; & Sacerdos eorum, vt [47] erat coronatus, Christi signo denotaretur.

Neminem fratrum præterit Hilarion.

Venerem colunt Saraceni.

Elusanitæ Saraceni ab Hilarione benedictionem petunt, & conuertuntur.

CAP. XXI. Alio quoque anno cùm exiturus esset ad visenda monasteria, [48] & digereret in schedulâ, apud quos manere, quos in transitu visitare deberet: scientes monachi quemdam de fratribus parciorem, simulque cupientes vitio eius mederi, rogabant vt apud eum maneret. Et ille: Quid, inquit, vultis & vobis iniuriam, & fratri vexationem facere? Quod postquam frater ille parcus audiuit, erubuit, & annitentibus cunctis, vix ab

Monasteria visitat.

inuito

inuito impetrauit, vt suum quoque monasterium in mansionum ordine poneret. Post diem ergo decimum venerunt ad eum, custodibus iam in vineâ,[49] quasi villa esset aliena, ab eo dispositis: qui cùm lapidibus & glebarum iactu fundęque vertigine accedentes deterrerent: sine esu vuæ manè omnes profecti sunt, ridente sene, & dissimulante scire quod euenerat. Porrò suscepti ab alio monacho, cui Sabas vocabulum est (debemus quippe parci tacere vocabulum, largi dicere) quia Dominicus erat dies, inuitabantur ab eo vniuersi in vineam, vt ante horam cibi vuarum pastu laborem viæ subleuarent. Et Sanctus, Maledictus, ait, qui priùs refectionem corporis, quàm animæ quæsierit. Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad veniam properabitis. Completo itaque ministerio, in sublimi stans benedixit vineæ, & suas ad pascendum dimisit oues. Erant autem qui vescebantur, non minùs tribus millibus. Cumque centum lagenis æstimata fuisset integra adhuc vinea, post dies viginti trecentas fecit. Porrò ille parcus frater multò minùs sólito colligens, etiam id quod habuerat versum in acetum serò doluit. Hoc multis fratribus senex antè futurum prædixerat.

Oratio cibo præmittenda. *Vinea à Sancto benedicta fecundior.* *Auari vinea infecunda.*

C. XXII. *Auaros & curiosos monachos detestatur.*

Detestabatur autem præcipuè monachos, qui infidelitate quadam in futurum reseruarent sua, & diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitus, vel alicuius rei cum sæculo transeuntis. Denique vnum de fratribus in quinto ferè à se milliario manentem, quia compererat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem, & pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat. Qui volens sibi reconciliari senem, frequenter veniebat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille vehementissimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cùm Hesychius posuisset in mensâ ad vesperum, exclamauit senex, se putorem eius ferre non posse, simulque, vnde esset, rogauit. Respondente autem Hesychio, quòd frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis, inquit, putorem teterrimum, & in cicere fœtere auaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide si comedant. Quod cùm ille iuxta præceptum in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus sólito mugientes, ruptis vinculis in diuersa fugerunt. Habebat enim senex hanc gratiã, vt ex odore corporum vestiumque, & earum rerum quas quis tetigerat, sciret, cui dæmoni vel cui vitio subiaceret.

Hesychius Hilarioni charissimus. *Auaritia fœtet.* *Ex putore dæmones vitiaque discernit Hilarion.*

C. XXIII.

Igitur sexagesimotertio vitæ suę anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasque eorum, qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita vt omni genere hominũm solitudo per circuitum repleretur; flebat quotidie, & incredibili desiderio conuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait: Rursum ad sęculum redij, & recepi mercedem meam in vitâ meâ. En omnis Palæstina & vicinæ prouinciæ æstimant me alicuius esse momenti, & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, villæ possessiones & supellectilem habeo. Seruabatur ergo intentè à fratribus, maximeque ab Hesychio, qui miro amore venerationi senis deditus erat.

Dolet se honorari.

C. XXIV.

Cumque ita vixisset lugens biennium, Aristęneta illa, cuius suprà fecimus mentionem, [50] Præfecti vxor, sed nihil de Præfecti ambitu habens, venit ad eum, volens etiam ad Antonium pergere. Cui ille flens, Vellem, ait, ipse quoque ire, si non carcere huius monasterij clausus tenerer, & si eundi fructus esset. Biduũ enim hodie est, quòd totus mundus tali parente orbatus est. Credidit illa, & substitit. Et post paucos dies veniente nuntio, Antonij dormitionem audiuit.

S. Antonij obitum absens diuinitus discit.

CAP. XXV.

Mirentur alij signa eius & portenta quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem: ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoque Christianorum (grandis tentatio) & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile; sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. At ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur, intantum, vt quadam die proficisci statuerit: & adducto asello (nimis quippe exesus ieiunijs vix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cùm percrebuisset, & quasi vastitas & [51] exitium Palæstinæ indiceretur, plus quàm decem millia hominum diuersæ ætatis & sexus, ad retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille ad preces, & bacillo arenas discutiens, loquebatur. [52] Fallacem Deum meum non facio: nec possum videre subuersas Ecclesias: calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. Vniuersi autem qui aderant, intelligebant reuelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet confiteri: & nihilominùs custodiebant eum, ne proficisceretur. Decreuit ergo, publicâ omnes voce contestans, non cibi se, non potus quidquam sumere, nisi dimitteretur. Et post septem dies, inediæ tandem caussâ relaxatus, ac valedicens plurimis, cum infinito agmine pro-

Gloriæ contemptor. *Benedicit panem & oleum.* *Malæ Ecclesiæ & suis imminentia præuidet.* *Maioris solitudinis gratiâ aliò migrat.*

prosequentium venit [53] Betheliam: vbi persuasis turbis vt reuerterentur, elegit quadraginta monachos, qui haberent viaticũ, & possent ieiunantes ingredi, id est, post solis occasum cibum sumere.[54] Quinto igitur die venit Pelusium, visitatisque Fratribus, qui in vicinâ eremo erant, & in loco, qui dicitur [55] Lychnos, morabantur, perrexit triduo ad castrum [56] Thebatum, vt videret [57] Dracontium episcopum & confessorem, qui ibi exulabat. Quo incredibiliter consolato tanti viri præsentiâ, post aliud triduum multo labore [58] Babylonem peruenit, vt inuiseret [59] Philonem episcopum & ipsum confessorem. Constantius enim Rex, Arianorum fauens hæresi, vtrumque in ea loca deportauerat. Inde egrediens post biduum venit ad oppidum [60] Aphroditon: vbi conuento diacono [61] Baisane, qui locatis [62] dromadibus camelis, ob aquæ in eremo penuriam consueuerat euntes ad Antonium ducere, confessus est fratribus, instare diem dormitionis beati Antonij; & peruigilem noctem in ipso quo defunctus fuerat loco, à se illi debere celebrari. Tribus igitur diebus per vastam & horribilem solitudinem, tandem ad montem altissimum peruenerunt, repertis ibi duobus monachis, [63] Isaac & Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonij fuerat.

Dracontium & Philonem episcopos confessores honorat præsentiâ suâ.

Anniuersarium Antonij diem peruigilio celebrat.

Isaac interpres Antonij.

CAP. XXVI.

Et quia se præbet occasio, & ad id loci venimus, dignum videtur breui sermone habitaculum tanti viri describere. Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus, ad radices suas aquas exprimit; quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ, paulatim riuum efficiunt: super quem ex vtraque ripâ palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. Vide res senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij discurrere. Hîc, aiebant, psallere, hîc orare, hîc operari, hîc fessus residere solitus erat. Has vites, has arbusculas ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit. Hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est. Istum sarculum ad fodiendum terram pluribus annis habuit. Iacebat in stratu eius, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus arduo valdè nisu, duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, commoratus est. Verùm hæ in viuo excisæ saxo, ostia tantùm addita habebant. Postquam autem ad hortulum venerant: Videtis, inquit Isaac, hoc pomarium arbusculis consitum, & oleribus virens? Ante hoc fermè triennium cùm onagrorum grex hoc vastaret, vnum è ductoribus eorum stare iussit, baculoque tundens latera, Quare, inquit, comeditis quod non seminastis? Et exinde, exceptis aquis, ad quas potandas ventitabant, numquam eos nec arbusculas, nec olera contigisse. Præterea rogabat senex, vt sibi locum tumuli eius ostenderent. Qui cùm seorsum eum abduxissent, vtrùm monstrauerint, nec ne, ignoratur: caussam occultandi iuxta præceptum Antonij fuisse referentes, ne [64] Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, [65] martyrium fabricaret.

Domicilium S. Antonij.

Stratum Antonij osculatur Hilarion.

Cellula Antonij ad humani corporis mensuram.

Onagri obediunt S. Antonio.

C. XXVII.

Igitur reuersus Aphroditon, duobus secum tantùm retentis Fratribus, in vicinâ eremo moratus est: tantâ abstinentiâ & silentio, vt tunc primùm se cœpisse Christo seruire diceret. Porrò iam triennium erat, quòd clausum cælum terras illas arefecerat: vt vulgò dicerent, Antonij mortem etiam elementa lugere. Non latuit fama Hilarionis accolas quoque illius loci: & certatim virilis ac muliebris sexus, ora luridi & attenuati fame, pluuias à seruo Christi, id est, à beati Antonij successore deprecabantur. Quos ille cernens, mirè doluit: eleuatisque in cælum oculis, & vtrasque in sublime erigens palmas, statim impetrauit quod rogauerat. Ecce autem sitiens arenosaque regio, postquam pluuijs irrigata est, tantam serpentum & venenatorum animalium ex improuiso ebulliuit multitudinem, vt percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolæ atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant.

Triennio clausum cælum luxit mortem S. Antonij.

Precibus pluuiam impetrat S. Hilarion.

Oleo benedicto sanat à serpente percussos.

C. XXVIII.

Videns etiam ibi se miris honoribus affici, perrexit Alexandriam, inde [66] ad vlteriorem Oasim eremum transiturus. Et quia numquam, ex quo cœperat esse monachus, in vrbibus manserat, diuertit ad quosdam Fratres sibi notos in [67] Bruchio, haud procul ab Alexandriâ: qui cùm miro gaudio suscepissent senem, & iam vicina nox esset, repentè audiunt discipulos eius asinum sternere, illumque parare proficisci. Itaque aduoluti pedibus eius, rogabant ne hoc faceret: & ante limen prostrati, citiùs se mori, quàm tanto carere hospite testabantur. Quibus ille respondit: Idcircò abire festino, ne vobis molestiâ generem. Certè ex posterioribus cognoscetis, non frustrà me subitò recessisse. Igitur alterâ die [68] Gazenses cum lictoribus Præfecti (nam pridie eum venisse cognouerant) intrantes monasterium, cùm illum

Fugit, vt gloriam declinet.

illum minimè inueniſſent, inuicem loquebantur: Nónne vera ſunt quæ audiuimus? magus eſt, & futura cognoſcit. Vrbs enim Gaza, poſtquam profecto de Palæſtinâ Hilarione, Iulianus in imperium ſucceſſerat, deſtructo monaſterio eius, precibus ad Imperatorem datis, & Hilarionis & Heſychij mortem impetrauerat: amboque vt quærerentur, toto orbe ſcriptum erat. Egreſſus ergo de Bruchio, per inuiam ſolitudinem intrauit Oaſim: ibique anno plus minùs exacto, quia illuc quoque ſui fama præuenerat, quaſi iam in Oriente latêre non poſſet, vbi multi illum & opinione & vultu nouerant, ad ſolas nauigare inſulas cogitabat: vt quem terra vulgauerat, ſaltem maria celarent.

...aſte- ...m Hilarione à ...ntibus ...itur.

...larion ...ſim pe-

C. XXIX. Eodem fermè tempore Hadrianus diſcipulus eius de Palæſtinâ ſuperuenit, dicens Iulianum occiſum, Chriſtianum Imperatorem regnare cœpiſſe, reuerti eum debere ad monaſterij ſui reliquias. Quod ille audiens deteſtatus eſt: & conducto camelo per vaſtam ſolitudinem peruenit [69] ad maritimam vrbem Libyę Paretonium: vbi Hadrianus infelix volens Palæſtinam reuerti, & priſtinam ſub nomine magiſtri quærens gloriam, multas ei fecit iniurias. Ad extremum, conuaſatis, quæ à fratribus ei miſſa detulerat, neſciente illo profectus eſt. Super hoc ſanè quia alter locus referendi non eſt, hoc tantùm dixerim in terrorem eorum, qui magiſtros deſpiciunt, quòd poſt aliquantulum temporis computruerit morbo regio.

Hadrianus magiſtri contemptor ...ris morbo regio.

CAP. XXX. Habens igitur ſenex Zananum ſecum, aſcendit claſſem, quæ Siciliam nauigabat. Cumque venumdato Euangeliorum codice, quem manu ſuâ adoleſcens ſcripſerat, dare naulum diſponeret, in medio fermè Adriâ, naucleri filius arreptus à dæmone, clamare cœpit & dicere: Hilarion ſerue Dei, cur nobis per te & in pelago tutos eſſe non licet? Da mihi ſpatium donec ad terram veniam, ne hîc eiectus præcipiter in abyſſos. Cui ille: Si Deus meus, ait, tibi concedit vt maneas, mane. Sin autem ille te eiicit, quid mihi inuidiam facis, homini peccatori atque mendico? Hoc autem dicebat, ne nautæ & negotiatores, qui in naui erant, ſe, cùm ad terram perueniſſent, proderent. Nec multò poſt purgatus eſt puer, patre fidem dante, & ceteris qui aderant, nulli ſe ſuper eius nomine locuturos. Ingreſſus autem Pachynum promontorium Siciliæ, obtulit nauclero Euangelium pro ſubuectione ſuâ & Zanani. Qui nolens accipere, maximè cùm videret illos, excepto illo codice, & his quibus veſtiti erant, ampliùs nihil habere, ad extremum iurat ſe non accepturum. Sed & ſenex aſſenſus eſt fiduciâ pauperis conſcientiæ, & in eo magis lætabatur, quòd nihil haberet ſæculi, & ab accolis illius loci mendicus putaretur. Porrò recogitans, ne negotiatores de Oriente venientes ſe notum facerent, ad mediterranea fugit loca, id eſt, vigeſimo à mari milliario, ibique in quodam deſerto agello, lignorum quotidie faſcem colligans, imponebat dorſo diſcipuli. Quo in proximâ villâ venumdato, & ſibi alimoniam, & his qui fortè ad eos veniebant, pauxillulum panis coëmebant.

In Siciliam nauigat Hilarion.

Arreptitium naucleri filium à Hilarione purgatur.

Euãgelium pro naulo offert.

Mediterranea Siciliæ petit Hilarion.

C. XXXI. Sed verè iuxta quod ſcriptum eſt, Non poteſt ciuitas latêre ſuper montem poſita. Matth. 5. [70] Scutarius quidam cùm in baſilicâ beati Petri Romæ torqueretur, clamauit in eo immundus ſpiritus: Ante paucos dies Siciliam ingreſſus eſt Hilarion ſeruus Chriſti, & nemo eum nouit, & putat ſe eſſe ſecretum, ego vadam & prodam illum. Statimque cum ſeruulis ſuis aſcensâ in portu naue, appulſus eſt Pachynum, & ducente dæmone, ante tugurium ſenis ſe proſtrauit, illicoque curatus eſt.

A dæmone proditur.

Curat ſcutarium dæmoniacum.

Hoc initium ſignorum eius in Siciliâ, innumerabilem ad eum deinceps ægrotantium, ſed & religioſorum hominum adduxit multitudinem: intantum, vt de primoribus quidem, tumens morbo aquæ intercutis, eodem die, quo ad eum venerat, curatus ſit. Qui poſteà offerens ei infinita munera, audiuit dictum Saluatoris ad diſcipulos: Gratis accepiſtis, gratis date. Matth. 10.

Tumentem aquâ intercute liberat.

Reiicit munera.

C. XXXII. Dum hæc ita geruntur in Siciliâ, [71] Heſychius diſcipulus eius, toto ſenem orbe quærebat, luſtrans littora, deſerta penetrans: & hanc tantùm habens fiduciam, quia vbicumque eſſet, diu latêre non poſſet. Tranſacto igitur iam triennio, audiuit [72] Methonę à quodam Iudæo, [73] vilia populis ſcruta vendente, prophetam Chriſtianorum apparuiſſe in Siciliâ, tanta miracula & ſigna facientem, vt de veteribus Sanctis putaretur. Interrogans itaque habitum eius, inceſſum, & linguam, maximeque ætatem, nihil diſcere potuit. Ille enim qui referebat, famam ad ſe veniſſe tantùm hominis teſtabatur. Ingreſſus igitur Adriam, proſpero curſu venit Pachynum, & in quadam curui littoris villulâ famam ſenis ſciſcitatus, conſonâ voce omnium cognouit vbi eſſet, quid ageret: nihil in eo ita cunctis admirantibus, quàm quòd poſt tanta ſigna atque miracula, ne fragmen quidem panis à quoquam in illis locis accepiſſet.

Heſychius Hilarionis diſcipulus.

Hilarion mirandus omnibus ob reiecta munera.

C. XXXIII. Et ne longum faciam, ſanctus vir Heſychius ad Magiſtri genua prouolutus, plantaſque

ctasque eius lacrymis rigans, tandem ab eo subleuatus, post bidui triduique sermonem audit à Zanano, non posse senem iam in illis habitare regionibus, sed velle ad barbaras quasdam pergere nationes, vbi & nomen & sermo eius ignotus foret. Duxit itaque illum [74] ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, vbi paucis diebus in vicino agello mansitans, non potuit abscondi. Siquidem draco miræ magnitudinis, ex his quos gentili sermone [75] boas vocant, eo quòd tam grandes sint, vt boues glutire soleant, omnem latè vastabat prouinciam, & non solùm armenta & pecudes, sed agricolas quoque & pastores tractos ad se vi spiritus absorbebat. Cui cùm pyram iussisset præparari, & oratione ad Christum missâ, [76] euocato præcepisset struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaque cunctâ spectante plebe, immanem bestiam concremauit. Vnde æstuans, quid faceret, quò se verteret, aliam parabat fugam, & solitarius terram mente perlustrans, mœrebat quòd tacente de se linguâ, miracula loquerentur.

In Dalmatiam tendit, vt lateat.

Boam draconem concremat.

Miracula Hilarionem produnt.

[77] Eâ tempestate terræmotu totius orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos: & quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cùm viderent Epidauritani, frementes fluctus & vndarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes, quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur, egressi sunt ad senem, & quasi ad prœlium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in [78] sabulo, manusque contrà tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos, ad memoriam in posteros transmittendam. Verè illud, quod ad Apostolos dictum est: Si credideritis, dicetis huic monti: Transi in mare, & fiet: etiam iuxta litteram impleri potest, si tamen quis habuerit Apostolorum fidem, & talem qualem illis habendam Dominus imperauit. Quid enim interest, vtrùm mons descendat in mare, an immensi vndarum montes repentè obriguerint, & ante senis tantùm pedes saxei, ex aliâ parte molliter fluxerint. Mirabatur omnis ciuitas, & magnitudo signi [79] Salonis quoque percrebuerat.

Tribus crucis signis in sabulo pictis diluuium ab Epidauritanis auertit.

Matth. 17.

C. XXXIV. Quod intelligens senex, [80] in breui lembo clàm nocte fugit, & inuentâ post biduum onerariâ naui, perrexit Cyprum. Cumque inter Maleas & Cytheram piratæ, derelictâ classe in littore, quæ non antemnâ sed conto regitur, [81] duobus haud paruis myoparonibus occurrissent; denuò hinc inde fluctus verrente remige, omnes qui in naui erant trepidare, flere, discurrere, præparare contos, & quasi non sufficeret vnus nuntius, certatim seni piratas adesse dicebant. Quos ille procul intuens, subrisit. Et conuersus ad discipulos, dixit: Modicæ, inquit, fidei, quare trepidatis? Numquid plures sunt hi, quam Pharaonis exercitus? tamen omnes Deo volente submersi sunt. Loquebatur; & nihilominùs spumantibus rostris, hostiles imminebant carinæ, iactu tantùm lapidis medio. Stetit ergo in prorâ nauis, & porrectâ contra venientes manu, Hucusque, ait, venisse sufficiat. O mira rerum fides! statim resiluêre nauiculæ, & impellentibus contrà remis ad puppim impetus redit. Mirabantur piratæ, post tergum se redire nolentes, totoque corporis nisu, vt ad nauigium peruenirent laborantes, velociùs multò, quàm venerant, ad littus ferebantur.

Gloriam fugiens, nauigat Cyprum.

Matth. 8.

Extensione manus piratarum naues repellit.

C. XXXV. Prætermitto cetera, ne videar in narratione singulorum volumen extendere. Hoc solum dicam, quòd prospero cursu inter Cycladas nauigans, hinc inde clamantium de vrbibus & vicis, & ad littora concurrentium, immundorum spirituum voces audiebat. Ingressus ergo [82] Paphum vrbem Cypri, nobilem carminibus poëtarum, quæ frequenti terræmotu lapsa, nunc ruinarum tantùm vestigiis, quid olim fuerit, ostendit, in secundo ab vrbe milliario habitabat ignobilis, gaudens vehementer quòd paucis diebus quietus viueret. Verùm non pleni viginti transiere dies, cùm per omnem illam insulam quicumque immundos habebant spiritus clamare cœperunt, venisse Hilarionem seruum Christi, & ad eum se debere properare. Hoc [83] Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, & vrbes reliquæ conclamabant: plerisque asserentibus, scire se quidem Hilarionem, & verè illum esse famulum Dei, sed vbi esset ignorare. Intra triginta igitur nec multò ampliùs dies, ducenti fermè, tam viri quàm mulieres, ad eum congregati sunt. Quos cùm vidisset, dolens quòd se non paterentur quiescere, & quodammodò in vltionem sui sæuiens, tantâ eos orationum instantiâ flagellauit, vt quidam statim, alij post biduum triduúmve, omnes verò intra vnam hebdomadam curarentur.

Secundo à Paphi vrbe milliario quietus degit.

A dæmoniacis proditur.

Fermè ducentos dæmoniacos curat in insulâ Papho.

C. XXXVI. Manens itaque biennio, & semper de fugâ cogitans, Hesychium ad se veris tempore

pore reuersurum, Palæstinam ad salutationem fratrum, & monasterij sui cineres visendos misit. Qui cùm reuertisset, cupienti rursum ad Ægyptum nauigare, hoc est, ad ea loca, [84] quæ vocantur Bucolia, eò quòd nullus ibi Christianorum esset, sed barbata tantum & ferox natio, suasit vt in ipsâ magis insulâ ad secretiorem locum secederet. Quem cùm diu lustrans omnia reperisset, perduxit eum duodecim millibus à mari procul inter secretos asperosque montes, & quò vix reptando manibus genubusque posset ascendi. Qui introgressus, contemplatus quidem est terribilem valdè & remotum locum, arboribusque hincinde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, & hortulum peramœnum, & pomaria plurima, quorum tamen fructum numquam in cibum sumpsit: iuxta quem erat antiquissimi templi ruina, ex quo (vt ipse referebat, & eius discipuli testantur) tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum voces resonabant, vt exercitum crederes. Quo ille valdè delectatus, quòd scilicet [85] antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: & sæpè inuisente se Hesychio, in hoc extremo iam vitæ suæ tempore refocillatus est, quòd propter asperitatem difficultatemque loci, & Vmbrarum (vt ferebatur vulgò) multitudinem, aut nullus, aut rarus ad se vel posset vel auderet ascendere.

Dæmonibus antagonistis delectatur Hilarion.

CAP. XXXVII. Quodam autem die egressus hortulum, vidit hominem toto corpore paralyticum, iacentem ante fores. Interrogauitque Hesychium quisnam esset, & quomodo fuisset adductus. Qui respondens, ait: Procuratorem eum fuisse villulæ, ad quem hortulus quoque, in quo ipsi erant, pertineret. Et ille collacrymans, tendensque ad iacentem manum: Tibi, inquit, dico, In nomine Domini nostri Iesu Christi surge & ambula. Mira velocitas. Adhuc verba in ore loquentis voluebantur, & iam membra solidata ad standum hominem surrigebant. Quod postquam auditum est, etiam difficultatem loci, & iter inuium plurimorum vicit necessitas: nihil per circuitum cunctis validiùs obseruantibus, quàm ne quo modo elaberetur. Disseminauerat enim hoc de eo rumor, diu eum in eodem loco manere non posse. Quod tamen ille non leuitate quadam, aut puerili sensu victus faciebat, sed honorem fugiens & importunitatem: semper enim silentium & vitam ignobilem desiderabat.

Paralyticum erigit.

Cur sedem frequenter mutarit.

CAP. XXXVIII. Igitur octogesimo ætatis suæ anno, cùm absens esset Hesychius, quasi testamenti vice breuem manu propriâ scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens. Euangelium scilicet, & [86] tunicam saccineam, cucullam, & palliolum. Nam minister eius ante paucos dies obierat. Venerunt itaque ad ægrotantem de Papho multi religiosi viri: & maximè quòd eum dixisse audierant, iam se ad Dominum migraturum, & de corporis vinculis liberandum. Sed & Constantia quædam sancta femina, cuius generum & filiam vnctione olei de morte liberauerat: quos omnes adiurauit, vt ne puncto quidem horæ post mortem reseruaretur, sed statim eum in eodem hortulo terrâ operirent, sicut vestitus erat in tunicâ cilicinâ, & cucullâ, & sago rustico. Iamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam viui hominis supererat, & tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? In hæc verba exhalauit spiritum. Statimque humo obrutum, antè vrbi sepultum quàm mortuum nuntiauerunt. Quod postquam Palæstinæ sanctus vir audiuit Hesychius, perrexit ad Cyprum, & simulans se velle habitare in eodem hortulo, vt diligentis custodiæ suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo post decem ferè menses corpus eius furatus est. Quod Maiumam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illæsâ tunicâ, cucullâ & pallio: [87] & toto corpore, quasi adhuc viueret, integro: tantisque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur.

Testamentum Hilarionis Euangelium, saccus, cuculla, palliolum.

Prædicit mortem.

Octogenarius moritur post LXX penè annorum in eremo seruitium.

Mortuum corpus perdurat integrum cum vestibus, & odore fragrans.

CAP. XXXIX. Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctissimæ mulieris deuotio, quæ perlato ad se nuntio, quòd corpusculum Hilarionis Palæstinæ esset, statim exanimata est, veram in seruum Dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum præsente [88] ad adiuuandas orationes suas sermocinari. Cernas vsque hodie miram inter Palæstinos & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in vtrisque locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerit.

Constantia ad sepulcrũ eius excubat. eo ablato exanimatur.

Inter Palæstinos & Cyprios de corpore eius contentio.

NOTATIO.

1. HILARIONIS.] *Martyrologium Romanum* XXI. *Octobr.* In Cypro natalis S. Hilarionis Abbatis, cuius vitam virtutibus atque miraculis plenam S. Hieronymus scripsit. *Menologium Græcorum eodem die:* Commemoratio S. Patris nostri Hilarionis. *De quo fusiùs in Menæis eodem die. vbi* Μεγάλος, Magnus *nominatur, ad distinctionem puto aliorum. Nam* IV. *Maij habetur Hilarion Thaumaturgus.* XXVIII. *Martij Hilarion Iunior, Abbas monasterij Peleceti.* VI. *Iunij Hilarion Iunior, Abbas Dalmatarum.*

De hoc nostro Hieronymus epist. XIII. *ad Paulinum:* Beatus Hilarion cùm Palæstinus esset, & in Palestinâ viueret, vno tantùm die vidit Ierosolymam, vt nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco diuidere videretur. *Sozomenus quoque libro* V. *histor. Ecclesiast. cap.* XIV. *scribit Alaphionem auum suum ab Hilarione Christi nomine inuocato à dæmonio liberatum. quod vtrumque Hieronymus hîc in vitâ non attingit.*

De hoc eodem Hilarione Sozomenus libro III. *cap.* XIII. *& lib.* V. *cap.* IX. *Nicephorus libro* IX. *cap.* XV. *& libro* X. *cap.* VIII. *& libro* XI. *cap.* XXIX. *De eodem breuiter Petrus Damianus lib.* VI. *ep.* XVII. Hilarion Platones & Pythagoras proijcit, vnoque contentus Euangelio, in sepulcrali se cellulæ antro concludit. sed ecce dæmonibus imperat, quem philosophorum studia non exornant.

Vitam hanc Hilarionis ex Latino textu Hieronymi in Græcam linguam transtulit Sophronius, vt testatur ipse Hieronymus Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap. CXXXIV. *Exstat inter vitas Metaphrastæ nomine editas à Lipomano Hilarionis Vita è Græco per Gentianum Heruetum translata. Sed ea Sophronij nomen non præfert. Accepi eam Græcè Parisijs beneficio Sirmondi nostri, vbi nullus vel auctor vel interpres assignatur. Existimo tamen eam esse, quam Sophronius ex Hieronymi textu vertit. Eodem enim ordine procedit; etsi in quibusdam subinde variet, & quædam etiam addat.*

PROLOG. 2. NONNA.] *Hanc allocutionem seu salutationem ante* Scripturus *præmittunt veteres editiones, & quidam manuscripti.* De Nonnâ *Vide Onomast.*

3. ASELLA.] *Ad Asellam habet epistolam diuus Hieronymus tomo* II. *epist.* XCIX. *De eiusdem laudibus habes apud eumdem tomo* I. *epist.* XV. *ad Marcellam. Eiusdem quoque idem meminit tom.* III. *epistolâ* CXIV. *ad Principiam.*

4. EORVM ENIM QVI FECERE VIRTVTES, *&c.*] *Mira hîc differentia tum editorum, tum manuscriptorum. Quidam,* Huius namque conuersatio & abstinentia, ac præclara dona mirabilium, quæ operatus est (vt ait Crispus) tanta ac talia habentur, quantum ea vel ex paruulis verbis potuêre extollere cuiuscumque præclara ingenia. *alij vt expressi. Crispus in Catilinario:* Eorum, qui ea fecêre, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuêre extollere præclara ingenia. *quem etiam æmulatur Flauius Vopiscus in Probo:* Certum est, quòd Sallustius Crispus, quodque M. Cato & Gellius historicæ sententiæ modo in litteras retulerunt: omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerunt eorum ingenia, qui vniuscuiusque facta descripserint.

5. ALEXANDER MAGNVS.] *Expressum ex Flauio Vopisco in Probo: qui superioribus subnectit:* Inde est quòd Alexander Magnus Macedo, cùm ad Achillis sepulchrum venisset, grauiter ingemiscens: Felicem te, inquit, iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperisti; Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum studio finxit, quantum ipse valebat ingenio.

6. QVEM VEL ÆS, VEL PARDVM, VEL HIRCVM CAPRARVM.] *Ne mirere, Lector, de lectionis nouitate. Vetus est lectio, quam exhibeo, ex manuscriptis deprompta, qui* æs, *& non* arietem, *exhibent. Et verò ea lectio & Sacris litteris, & Hieronymianæ menti respondet.*

Nam quod habetur Danielis cap. II. *v.* 32. *de statuâ:* Venter & femora ex ære. *& v.* 39. Regnum tertium aliud æreum; *Hieronymus in Commentario interpretatur de Alexandro & regno Macedonum.*

Quod verò habetur Danielis cap. VII. *v.* 6. Et ecce alia (*bestia*) quasi pardus. *idem Hieronymus de regno Macedonum interpretatur;* De quo, *inquit,* in statuâ legimus: venter & femora eius ex ære.

Quod autem Daniel habet cap. VIII. *v.* 5. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente, *angelus Gabriel interpretatur v.* 21. Hircus caprarum Rex Græcorum est. *& ibidem Hieronymus:* Hircus caprarum Alexander est Rex Græcorum.

Editores, quia sequebatur de pardo & hirco, existimarunt & tertium animal hîc iungendum; quare æs *in* arietem *verterunt. Sed Daniel & Hieronymus* per arietem *non Alexandrum Magnum, sed Darium Regem Persarum & Medorum intelligunt.*

7. EPIPHANIVS.] *Huius epistola de laude Hilarionis hodie, quod sciam, non exstat. De hoc Sozomenus libro* VI. *cap.* XXXII. Ἐπιφάνιος δὲ ἀμφὶ Βησανδούκην μὲν κώμην, ὅθεν ἦν, νόμου Ἐλευθεροπόλεως ἐφιλοσόφησε. Epiphanius autem circiter Besanducem vicum, in Nomo Eleutheropolitano situm, vitam monasticam exercuit. *Eadem apud Nicephorum lib.* XI. *capite* XXXIX. *De Epiphanio & Hilarione se inuisentibus habes apophthegma apud Pelagium libell.* IV. *n.* 15.

8. QVI OLIM DETRAHENTES PAVLO MEO.] *Vide dicta ad Vitam Pauli in Præludijs n.* 4.

9. THABATHA.] *Veteres editiones* Thabacha. *MS. S. Floriani* Thauthac. *Sozomeno lib.* III. *capite* XIV. Θαβαθὰ, *aliàs* Θαναθά. *Nicephoro libro* IX. *cap.* XV. Thabasa. CAP. I.

10. GAZA.] *Palæstinæ vrbs notissima.*

11. ROSA VT DICITVR DE SPINIS FLORVIT.] *Græcè est,* Ῥόδος ἐξ ἀκανθῶν τὸ τοῦ λόγου. *Prouerbialis forma. Ammianus lib.* XVI. *de Eutherio eunucho:* Sed inter vepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnullæ mitescunt.

12. MAIVMA.] *Emporium Gazæ hîc dicitur Hieronymo, quod Ptolomæo & Sozomeno libro* V. *capite* III. ἐπίνειον Γαζαίων, Gazæorum nauale, *in Palæstinâ, viginti stadijs à Gazâ distans.* CAP. II.

13. ET PELLICEVM HABENS EPENDYTEN.] *In Vitâ Antonij cap.* XXIII. Lauit ependyten suum. CAP. III.

sium. *Vide ibi ad n. 55. Ioannes Andreas, epistolarum Hieronymi vetus editor, post ependyten in Vitâ Hilarionis addit*, & eracieftem; *cuius loco apud Adonem in Martyrologio* XXI. *Octobris habes*, & zenattem. *De quibus inquiremus in Onomastico.*

14. INTER MARE ET PALVDEM VASTA SOLITVDINE.] *Sic & infrà cap.* VII. *de latronibus* inter mare & paludem *discurrentibus. Plura de eremis & solitudinibus in Onomastico.*

15. CARICAS.] *Sunt caricæ Plinio libro* XIII. *cap.* V. *ex ficorum genere, quas Syriæ esse peculiares ait. Cassianus Collat.* VIII. *cap.* I. caricas *inter eremitarum edulia refert. Suprà in Vitâ S. Pauli eremitæ cap.* V. quinque caricis per dies sustentabatur.

16. FISCELLAS.] *Manuscripti quidam & veteres editiones addunt*, hoc est sportellas. *sit interpretationis vice. Est enim* fiscella *viminea sporta ad varium vsum.*

Cap. IV. 17. AGITATOR.] *Editi plerique*, gladiator. *Malè. quod irrepsit, quia præcessit de gladiatorum pugnâ. Cicero Academicâ* IV. Ego enim vt agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.

Cap. V. 18. CARICE.] *Editi quidam addunt*, id est, herbâ agresti & spinosâ, *quod aut dubiè ex marginali interpretamento in textum irrepsit. Est enim iunci genus acuti & durissimi, simile sparto.*

Cap. VI. 19. IMPETIGINE.] Impetigo *infectio est & asperitas summæ cutis cum non leui pruritu. quæ Lucillio libro* XXX. *Satyr.* depetigo *dicitur. De remediis contra eam vide Plinium lib.* XX. *cap.* XIX. *& libro* XXII. *cap.* XXV. *& lib.* XXIII. *in proœm. & cap.* VII.

Cap. VIII. 20. ELEVTHEROPOLITANA.] Eleutheropolis, *Palæstinæ vrbs, inter Ierosolymam & Ascalonem, vtrimque ferè vnius diei itinere dissita.*

Cap. IX. 21. ARISTÆNETA ELPIDII, QVI POSTEA PRÆFECTVS PRÆTORIO FVIT, VXOR.] *Infrà cap.* XXIII. Aristæneta illa, cuius suprà fecimus mentionem, præfecti vxor. *De Elpidio Ammianus libro* XXI. Inter tot vrgentia Hermogene defuncto, ad præfecturam promouetur Elpidius, ortus in Paphlagoniâ, aspectu vilis & linguâ, sed simplicioris ingenij, incruentus & mitis.

22. HEMITRITÆO.] *Coloniensis editio addit* (morbo videlicet imperfectæ febris tertianæ) *quod prioris glossema est. Frequens hoc Græcum vocabulum etiam apud Latinos scriptores. Vide Onomasticon.*

23. ET MARNAS CORRVAT.] *Hieronymus epist.* VII. *ad Lætam:* Iam & Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus, & euersionem templi iugiter contremiscit. *Idem in caput* XVII. *Isaiæ:* Serapium Alexandriæ, & Marnæ templum Gazæ in ecclesias Domini surrexerunt.

24. SANCTI DEOSCVLATI SVNT MANVS.] *Et manus & pedes sanctorum virorum, martyrum, episcoporum, sacerdotum osculabantur olim Christiani venerationis ergô. Vide Onomasticon.*

Cap. X. 25. RHINOCORVRA.] *Hieronymus de locis Hebraicis:* Rhinocorura ciuitas Ægypti, cuius meminit Isaias. Sciendum autem, quòd hoc vocabulum in libris Hebraicis non habetur: sed à LXX. Interpretibus propter notitiam loci additum est. quod in libro Hebraicorum nominum diximus. *Idem in caput* XXVII. *Isaiæ:* Pro torrente Ægypti, LXX. Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Ægypti Palæstinæque confinio, non tam verba Scripturarum, quàm sensum verborum exprimentes.

26. HAILÆ.] *Vetus editio* Achile. *Hieronymus de locis Hebraicis:* Ailat in extremis finibus Palæstinæ iuncta Meridianæ solitudini, & mari Rubro: vnde ex Ægypto Indiam, & inde ad Ægyptum nauigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima: & olim quidem Ailat à veteribus dicebatur, nunc verò appellatur Aila. CAP. XIII

27. ZANANVS.] *Ita hîc & cap.* XXX. *&* XXXIII. *in manuscriptis, ita & Sophronius Græcè apud Metaphrastem. etsi Heruetus* Gazanus *vertit & edidit, secutus, opinor, vulgatam lectionem Hieronymi. Sed* Zananum *habent MSS. vt dixi.* CAP. XIV.

28. ADVERSVS GAZENSEM DVVMVIRVM.] *Erant Duumuiri in municipijs instar Consulum. Ad hos editio Circensium spectabat, quæ refertur inter personalia munera libro* L. *D. tit.* IV. *de muner. & honor. Leg.* I. *vbi habes*, equorum Circensium spectacula. *Gaza autem municipium erat, vnde Hieronymus Italicum* municipem *vocat.* CAP. XV.

29. CONSO QVASI CONSILIORVM DEO.] *Cyprianus lib. de Idolor. vanitate cap.* II. Consus, quem Deum fraudis, velut consiliorum Deum, coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit. *Idem libro de Spectaculis cap.* IV. Romulus Conso quasi consilij Deo, ob rapiendas Sabinas, Circenses primus consecrauit. *quæ expressa sunt ex Tertulliani libro de Spectaculis cap.* V. Quamquam & Consualia Romulo defendunt, quòd ea Conso dicauerit, Deo (vt volunt) consilij. *Augustinus libro* IV. *de C. D. cap.* XI. Ipse sit & Deus Consus, præbendo consilia. *Varro de L. L. libro* V. Consualia dicta à Conso, quòd tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram eius ab sacerdotibus fiant ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ.

30. SCYPHVM FICTILEM.] *Isaacus Casaubonus ad Spartiani Iulianum post dicta quadam de ἐν κατοπτρομαντείας speciebus ὑδρομαντείᾳ, κυλικομαντείᾳ, & alijs, Miratus sum, inquit, persæpè antiquissimum monachum Hilarionem, conclamatissimæ virtutis virum, cùm in Christi nomine miraculum esset editurus, curiosorum hominum artes hoc genus esse æmulatum. Historiam narrat Hieronymus. Eadem in Græcorum Martyrologijs fusè descripta. vnde hæc pauca hîc descripsimus:* Ὁ δὲ Ἱλαρίων τοὺς παρόντας δυσωπηθεὶς, ἐδέοντο γὰρ καὶ αὐτοὶ μὴ ὑπεριδεῖν οὕτως ἔχοντα τὸν Ἰταλικὸν (*Christianus hic erat: qui in ludicro Circensi victus à contrariâ factione, non equorum virtute, sed magicis artibus, opem ab Hilarione flens petierat*) πληρῶσαι κελεύει τὸ ποτήριον ὕδατος, ἐν ᾧ πίνειν αὐτῷ συνήθες· ὀστράκου δὲ ἦν· καὶ εἰς χεῖρας τῷ Ἰταλικῷ ἐντεθῆναι. τοῦτο λαβὼν ἐκεῖνος, ὁμοῦ τούς τε ἵππους καὶ τὸν ἱππῶνα, καὶ δὴ καὶ αὐτοὺς μετὰ τῶν ἁρμάτων τοὺς ἡνιόχους ἐνοπτρίζεται καθαρῶς ἐν τῷ ὕδατι· δεδεμένοι δὲ πάντες ἦσαν γοητείᾳ τῶν ἐναντίων. τοῦτο ἰδὼν καὶ Θεῷ χάριν ὁμολογήσας καὶ Ἱλαρίωνι, αὐτίκα μὲν εἰς τὸν οἶκον ἐπανήκει· λαβὼν δὲ ἐκείνου τοῦ ὕδατος, οὗ ἐν τῷ ποτηρίῳ ἵππους πεπεδημένους εἶδε, διαρραίνει πάντας· εἶτα καὶ τῷ σεβασμίῳ τοῦ σταυροῦ τύπῳ ἐπισφραγίζει· καὶ ἀπ' ἐκείνου μεταβαίνει μὲν ἐπὶ τὸν Ἰταλικὸν ἡ νίκη, αἰσχύνη δὲ λαμβάνει τοὺς ἀντιπάλους ἐσχάτη. *Quis neget* κατοπτρομαντείας *his verbis describi illam speciem, quæ cum aquâ & cyatho perficiebatur? Hactenus Casaubonus.*

Imò verò quis non neget, hîc vllam κατοπτρομαντείας *esse speciem, cùm ea non nisi malo dæmone, maloque carmine & diabolicâ pactione perficiatur? Sed quem Græcè dedit locum Casaubonus, antè Latinè ex Herueti versione dabo:* Hilarion reueritus eos, qui aderant (nam ipsi quoque rogabant, ne despiceret sic

 affe-

affectum Italicum) iubet aquâ impleri poculum, in quo ipse solitus erat bibere (erat autem testaceum) & poni in manus Italici. Id cùm ille accepisset, simul & equos & stabulum, quin etiam ipsos quoque aurigas cum curribus in aquâ purè adspicit: erant autem omnes ligati præstigijs aduersariorum. Hoc cùm vidisset, & Deo egisset gratias & Hilarioni, statim quidem domum reuertitur; illâ autem aquâ acceptâ, quos in poculo vidit equos impeditos, omnes adspergit, deinde etiam venerandâ signat Crucis figurâ. Et ab illo quidem tempore victoria transit ad Italicum, summo autem dedecore afficiuntur aduersarij. *Quis hîc dæmon inuocatur? quod malum carmen occentatur? quæ diabolicæ fraudes adhibentur, vt Hilarion dici possit curiosorum hominum artes æmulatus? Fors erit, vt maleuolus Casaubonus prophetiam per* Vrim *&* Thummim, *quæ ex splendore lapidum Rationis colligebatur, ex multorum sententiâ, ad κατοχὴν μαντικὴν referat.*

Quid? Hilarion maleficio soluat dæmonum maleficia, qui hic apud D. Hieronymum cap. IV. contra dæmonum ludibria Christi crucem signauit in fronte? *Sed & ipse Italicus protestatur apud Hilarionem, non esse Christiani hominis,* vti magicis artibus, *atque ideò ad eum se confugisse: & ijs tamen vtatur Hilarion? Addo*, quòd noluit Sanctus antequam purgaret (*à dæmone*) virginem vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: *Et hîc diabolo diabolum pellat.*

Non ita verè Christiani, qui inimicâ potiùs scientiâ, quàm sociâ conscientiâ dæmones pellere, maleficia soluere sueti. Tertullianus libro de Animâ, capite LVII. Ratio fallaciæ (*magicæ*) solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitiæ non quidem sociâ conscientiâ, sed inimicâ scientiâ nouimus: nec inuitatoriâ operatione, sed expugnatoriâ dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatorem. *Augustinus lib.* X. *de C. D. c* XXII. Verâ pietate homines Dei aëream potestatem, inimicam contrariamque pietati, exorcizando eijciunt, non placando: omnes tentationes aduersitatesque eius vincunt orando non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam. *& cap.* XXI. *ait*: Heroas martyres non supplicibus donis, sed virtutibus diuinis Heram & aëreas potestates superasse.

Sed maluit videlicet hæreticus Hilarionem videre maleficum quàm beneficum, apostaticum quàm Apostolicum, malum Ethnicum quàm bonum Christianum. Mirum, ni & Christum magum facturus sit, qui sputo curandis oculis vsus, quia crebra veteris superstitionis in magicis desputatio.

Fuerit igitur aqua scyphi fictilis ab Hilarione vel Cruce signata & benedicta, quo modo benedictum ab eodem panem & oleum non vnus in medelam accepit, teste D. Hieronymo; vel certè ab Hilarionis poculo, quo ipse vti solitus, omnis aquæ vis: qualia exempla non pauca exstant apud Hagiologos.

Ioannes Sauaro ad Carmen XXIII. *Sidonij, locum hunc Hieronymi de Hilarione adducens, notat, aquâ aspersos equos, vt scilicet equi Neptuno sacri aquâ Neptuno sacrâ perfusi, in Circo velociùs currerent. quod nollem viro magno excidisse. Quid enim? Vel aqua hæc magicâ vi equos incitauit, aut naturali. Non magicâ; vt clarè contra Casaubonum monstraui: non naturali; nec enim irrisisset aduersarius, & qui diabolum in Circensi studio consulebat, non opinor idem naturale beneficium repudiasset. Imò quid necesse erat stabulum, rhedam, carcerumque repagula, & aurigas eadem aquâ aspergere, quæ nihil ad equorum cursum conferebant? Fuit, fuit diuina vis aquæ ab Hilarione eiusque poculo consecrata, quæ omne maleficium à stabulo, rhedâ, carceribus, aurigis, equis arcuit. In hunc enim finem subsidium petebat Italicus. Nec communi aquæ ea vis. Vide Onomasticon in* Aqua.

31. TORMENTA QVÆDAM VERBORVM, ET PORTENTOSAS FIGVRAS SCVLPTAS IN ÆRIS CYPRII LAMINA.] *Aliquando ære, aliquando plumbo, ad verba & figuras insculpendas vsi venefici & magi. Tacitus Annal.* II. Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & deuotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia. CAP. XVI.

32. QVI LICIO ET LAMINA STRICTVS TENERIS.] *Ouid. lib.* I. *Amor. Eleg.* VIII.

Scit benè quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Simili arte apud Synesium epist. CXXI. *ad Anastasium hydrocomeam Vlysses Polyphemo persuadere conatus est, se Galateam ei conciliaturum:* Ἀλλ' ἐγώ τοι καὶ ἐπῳδὰς οἶδα, καὶ καταδέσμους, καὶ ἐρωτικὰς κατανάγκας, αἷς οὐκ εἰκὸς ἀντισχεῖν οὐδὲ τὸ βραχὺ τὴν Γαλάτειαν. Etenim ego cantiones quasdam scio, & nexus & amatorias illecebras, quibus vel tantillum Galatea resistere non potest. *Atque has vocat* artes prauas *Ammianus libro* XXVIII. *quibus vsum Marinum caussarum defensorem narrat:* Quem vt ausum Hispanillæ cuiusdam artibus prauis adfectasse coniugium, transeunter iudiciorum fide discussâ, supplicio letali damnauit.

33. VT SERVAREM EAM.] *Vide Serarium nostrum in cap.* VI. *Tobiæ, quæstiunculâ* I. *ad v.* 14. *vbi agit de Asmodæo, quomodo in Græco textu dicatur* Saram amasse.

34. QVI TE MITTEBAT.] *Vide Delrium nostrum tom.* II. *Disquis. Magic. lib.* II. *parte* I. *q.* IV. *sect.* VII. *vbi disputat, an malefici possint & soleant alios deuouere, & dæmoni quasi mancipare. Vide & Thyræum nostrum parte* I. *Disput. de dæmoniac. capite* XVI.

35. AMORIS DÆMONEM.] *Certi dæmones certis vitijs dominantur. infrà capite* XXII. Habebat enim senex hanc gratiam, vt sciret cui dæmoni, vel cui vitio subiaceret. *Vita Antonij capite* IV. Hinc & spiritus fornicationis vocor. *Ibidem notata vide.*

36. NOLVIT AVTEM SANCTVS, &c.] *Hoc loco persuasus Ioannes Hessels à Louanio Prælect. in librum* IV. *Sent. censuit non licere maleficij signum destruere, vt diabolus nocere desinat. Sed receptior est contraria sententia, quam fusè probat Delrio noster Disquisit. Magic. tomo* III. *libro* VI. *capite* II. *sect.* I. *q.* III. *qui ad exemplum illud S. Hilarionis respondet, dumtaxat probare, quòd qui Hilarioni sanctitate & dono miraculorum sunt similes, aut quando aliquod scandali vel superstitionis augendæ subest periculum, debeant id facere, quod ad maiorem Dei gloriam tendit. vt est, dæmonem oratione eijcere: non verò probat, quòd eo periculo cessante, aut quando quis non est certus de dono miraculorum (vt hodie certi nulli sunt in his partibus vbi fides propagata)*

gata) non liceat illi vti remedio, quod ad manum est, & experientiâ frequenti comprobatum nouit. Metuebat autem D. Hilarion, non, ne dæmon hoc pacto solitis incantationibus recederet; sed ne populo videretur ijs recessisse: imò neque hoc simpliciter verebatur, sed alternatiuè; vel hoc, vel ne videretur ipse dictis diaboli fidem habuisse, qui negabat aliter se expelli posse, nisi signo priùs ablato. Quod falsum erat, vt D. Hilarion ostendit. Et quia sponte ingressus, sponte remanebat; nec eum cogendi vim vllam magica illa signa obtinebant.

CAP. XVII. 37. CANDIDATVS CONSTANTII IMPERATORIS.] *Varia* candidati *significatio; sed hoc, opinor, loco vnus è Scholarium numero, qui ob corporis proceritatem ad tutelam Principis eligebantur. Vide Onomasticon.*

38. EVECTIONEM.] *Significat* euectio *cursus publici exhibitionem. Augustinus epist.* LV. Zenobius magister memoriæ factus est, & misit nobis euectionem cum annonis. *Vide Onomasticon.*

39. CONSVLAREM.] *Propriè loquitur. Nam Palæstina prouincia habebat* consularem. *De quo consule Notitiam Orientis.*

40. DECVRIONIBVS.] *In municipijs & colonijs* decuriones *consilio publico præerant, & suæ curiæ quasi Senatores erant. lib.* X. *C. de decurion. L.* XXXII. *quibus grauia incumbebant munia. Existimo Constantij candidatum in profectione suâ* decurionibus *commendatum, quia illi mansionibus præerant. L.* XII. *C. Theod. de decur.*

41. MANVQVE EIS BENEDICENS.] *Infra capite* XX. *Elusates* Barech, *id est,* Benedic *Hilarioni inclamabant. Non hominibus tantùm, sed & rebus inanimis Sancti benedicebant. infrà hic c.* XXI. In sublimi stans benedixit vineæ. *cap.* XXV. Vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. *& capite* XXVII. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolæ atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant.

CAP. XVIII. 42. BACTRIACVM CAMELVM.] *Alij* Bactrum.

CAP. XX. 43. DESERTVM CADES.] *Psalmo* XXVIII. Concutiet Dominus desertum Cades. *Vide diuum Hieronymum in cap.* XLVII. *&* XLVIII. *Ezech.*

44. ELVSAM.] *Græcè,* Λίσαν. *Est* Elusa *oppidum Idumææ Ptolomæo. alij ponunt in Palæstinâ* II. *alij in Palæstinâ* I. *Alia est* Elusa *Galliæ Narbonensis.*

45. COLVNT AVTEM ILLAM OB LVCIFERVM.] *Hieronymus in cap.* V. *Amos*: Luciferum hucusque Saraceni venerantur.

46. QVAM FVTVRÆ ECCLESIÆ LINEAM MITTERET.] Mittere lineam *adagiali specie dictum. Volunt expressum ex Plauti Mostellariâ. Sed ibi longè aliâ significatione. Ne quid dissimulem, manuscripti & veteres editiones habent* limitem mittere. *quæ fors verior lectio à Finitoribus desumpta. De vtraque lectione fusiùs in Onomastico.*

47. VT ERAT CORONATVS.] *Ex veteri sacrificantium ritu, quo sacerdotes erant coronati. Tertullianus de Coronâ militis cap.* X. Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. *Plinius lib.* XVI. *cap.* IV. Deorum honori sacrificantes (*coronam*) sumpsêre, victimis simul coronatis. *& libro* XXI. *cap.* II. Inter sacra tantùm & bellicos honores coronis suum nomen vindicantibus.

CAP. XXI. 48. ET DIGERERET IN SCHEDVLA.] *Siste Lector, & videsis versionem Herueti ex Græco Metaphrastis vel Sophronij*: Cùm verò ad monasterium quoddam primùm accessisset, quod dictum est Scindula. *Non errauit Heruetus, sed quod in Græco inuenit, expressit*: Μονῇ δέ τινι τὰ πρῶτα προσλαβὼν ἣ τῦ Σχινδουλᾶ λέλεκτο. *Vel hinc colligas Sophronium hæc ex Latino Hieronymi textu Græcè interpretatum. Ex* schedulâ *fecit* Scindulam *monasterium. Similem errorem errat infrà capite* XXXIV. *vbi notationem ad n.* 80. *vide. Hoc ipso capite, vbi Hieronymus habet* monachi *nomen* Sabas, *Sophronius vertit* τὴν τῦ Ἰβᾶ μονὴν, monasterium Ibæ.

49. QVASI VILLA ESSET ALIENA.] *Coloniensis editio*: quà venirent illi.

50. PRÆFECTI VXOR.] *In plerisque MSS.* CAP. XXIV *deest* tunc, *quod editi addunt. Tamen vel subintelligendum id esse, videtur colligi ex eo quod sequitur,* sed nihil de præfecti ambitu habens; *quare tunc videtur præfecti vxor fuisse. Quamquam si Ammianum, horum temporum scriptorem, audimus, tunc nondum erat præfectus Elpidius. Potuit ergo Hieronymus eam præfecti vxorem vocare per anticipationem, quia postea præfecti vxor fuit Aristæneta.*

51. ET EXITIVM.] *Coloniensis editio*: & iusti- CAP. XXVI. tium *cum interpretatione,* id est omnium rerum intermissionem, & quasi publicum luctum. *primò malè lectum* iustitium *pro* exitium. *inde glossema quoque substituti verbi in textum irrepsit.*

52. FALLACEM DEVM MEVM NON FACIO.] *Visio hæc explicatur hic infrà cap.* XXVIII. *de Ethnicis monasterium Hilarionis inuadentibus. De Hilarione à Gazensibus quæsito refert etiam Sozomenus libro* V. *cap.* IX. *Meminit effrænis audaciæ Gazeorum tempore Iuliani Imp. Nazianzenus Inuectinâ priore in Iulianum, quæ est oratio ordine tertia, & Sozomenus libro* V. *cap.* VIII. *& Theodoretus libro* III. *cap.* VI. *Ambrosius epist.* XXVIII. Incensæ sunt basilicæ Gazis tempore imperij Iuliani.

53. BETHELIAM.] *Varia hic lectio, quà à scriptis, quà ab editis libris. Vetus editio habet* Bethirium. *quam expressi confirmat Sozomenus lib.* V. *cap.* XIV. *de parentibus suis loquens, qui* πρῶτοι Χριστιανοὶ ἐγένοντο ἐν Βηθηλίᾳ κώμῃ Γαζαίᾳ, primi Christiani effecti in Betheliâ, pago ditioni Gazensium subiecto. *Idem libro* VI. *cap.* XXXII. *agens de discipulis Hilarionis*: Ἐφιλοσόφουν δὲ ἀμφὶ Βηθηλέαν κώμην τῦ Νομοῦ Γάζης. Circa Betheleam vicum in Nomo Gazensi vitam traduxêre monasticam. *Idem Sozomenus priori loco ait, quod Syris* Bethelia, *id Græcis* Πάνθεον *esse.*

64. QVINTO IGITVR DIE VENIT PELVSIVM.] Pelusium *est Ægypti vrbs, ad Nili fluminis ostium, quod ab eo Pelusiacum dicitur.*

55. LYCHNOS.] *Locus circa Pelusium, vetus editio habet* Lichonos.

56. THEBATVM.] *Aliàs* Theubatum: *vetus editio* Thonbaston. *Locus est inferioris Ægypti inter Pelusium & Babylonem, vbi Dracontius exulabat. Ortelius eumdem putat cum* Thaubasio, *qui Antonino Ægypti locus, circa Arabiæ paludes: & cum* Thaubasteo, *quod lib. Notitiar. in Augustamnicâ regione.*

57. DRACONTIVM.] *Meminit huius Athanasius Apologiâ de fugâ suâ, quem ait ab Arianis in exilium pulsum vnà cum multis alijs collegis episcopis. Quem Baronius anno Christi* CCCLVI. *Liberij Papæ* V. *Constantij Imperatoris* XX. *illum esse putat eius nominis virum, quem ex monacho diu renuentem, ipse Athanasius adegit tamen, vt episcopatus onus susciperet. Fuit Dracontius* Ἑρμουπόλεως μικρᾶς, paruæ Hermopolis *episcopus, vt habet Athanasius in epist. ad Antiochenses.*

58. BABYLONEM.] *Ægypti hic ciuitas Babylon, apud Athrebiticum fluuium in Letupolite Nomo. Alia in Assyriâ Babylon.*

59. PHILONEM.] *Et huius apud Athanasium iam citatâ Apologiâ mentio. Baronius ad annum proximè citatum ait, ex Hieronymi testificatione prodi, Hilarionem inuisisse Christi confessores (Dracontium & Philonem) anno qui sequitur Antonij obitum, qui contigit post sequentem annum, videlicet anno Christi* CCCLVIII. *quo Baronius Antonij obitum ponit. Quare Hilarion putatione Baronianâ inuisisset hos confessores anno Christi* CCCLIX.

Sed omnino aliter temporum subducenda est ratio. Nam cùm ex Preludijs ad Vitam Antonij pateat eum obijsse anno Constantij Imp. XIX. *& ex Vitâ Hilarionis cap.* XXVII. *constet, non nisi triennio penè elapso Hilarionem ad montem Antonij perrexisse, vt eius ibi diem natalem celebraret: nam eo capite dicitur, quòd* triennium erat, quo clausum cælum terras arefecerat, vt vulgò diceretur, Antonij mortem etiam elementa lugere. *Atqui immediatè Hilarion à monte Antonij redibat. Constat quoque ex Vitâ Hilarionis capite* XXV. *quòd cùm ad montem Antonij pergeret, confessores Philonem & Dracontium inuiserit; & dierum ibidem ratio, quos in itinere insumpsit, subducitur. Quare si initio anni* XIX. *Constantij, Christi* CCCLV. *Liberij Papæ* IV. *obijt Antonius, Hilarion dicendus est confessores illos inuisisse anno Constantij* XXII. *Christi* CCCLVIII. *sub finem videlicet eius anni, cùm iam* XV. *Ianuarij instaret natalis, ad quem celebrandum properabat.*

Incertus Auctor vitæ Athanasij varios cum Philone & Dracontio in exilium eiectos, post mortem Constantis Imp. cùm Georgius pseudoepiscopus secundò Ecclesiam Alexandrinam inuaderet, commemorat. Καὶ γὰρ εὐθὺς ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Λιβύων, ἐξώθεισαν μὲν ἐπισκόπους, Ἀμμώνιον, Μωΐν, Γάϊον, Φίλωνα, Ἑρμῆν, Πλήνιον, Ψινώσιεν, Λινάμωνα, Ἀγάθωνα, Ἄγαμφον, Μάρκον, ἕτερον Ἀμμώνιον, καὶ Μάρκον, Δρακόντιον, Ἀδέλφιον, Ἀγαθηνόδωρον, καὶ πρεσβυτέρους Γέρακα καὶ Διόσκορον· καὶ οὕτω πικρῶς ἤλασαν, ὥς τινας μὲν αὐτῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς, τινὰς δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ὑπερορίᾳ ἀποθανεῖν. Etenim statim ex Ægypto & Libyâ expulerunt episcopos, Ammonium, Moëm, Caium, Philonem, Hermem, Plenium, Psenosirin, Linamonem, Agathonem, Agamphum, Marcum, alterum Ammonium, & Marcum, Dracontium, Adelphium, Agathenodorum, & presbyteros Hieracem & Dioscorum: & tam acerbè eos expulerunt, vt quidam eorum in itinere, quidam verò in ipsâ expulsione sint mortui. *Quæ desumpta sunt ex ipsius Athanasij Apologiâ de fugâ suâ; quæ etiam habes apud Metaphrastem de vitâ Athanasij, & apud Socratem libro* II. *cap.* XXII. *etsi nomina quædam apud diuersos diuersimodè legantur. Nam Athanasius habet* Μυΐον *pro* Μωΐον, *&* Πηλάμμωνα *pro* Λινάμωνα, *vel* Λινάθωνα, *&* Ἀγαθὸν, Ἀνάγαμφον, *pro* Ἀγάθωνα, Ἄγαμφον; Ἀθηνόδωρον *pro* Ἀγαθηνόδωρον.

Loca, in quæ singuli relegati sunt, habes apud Athanasium in epistolâ ad solitariam vitam agentes: Ἀμμώνιον εἰς τὴν ἄνω Ὄασιν· Μυΐν δὲ καὶ Ψενόσιριν, καὶ Νειλάμμωνα, καὶ Πλήνην, καὶ Μάρκον, καὶ Ἀθηνόδωρον, εἰς τὴν Ἀμμωνιακὴν, *&c.* Δρακόντιον μὲν ἐπίσκοπον εἰς τὰ ἔρημα περὶ τὸ Κλύσμα, Φίλωνα δὲ εἰς Βαβυλῶνα, Ἀδέλφιον εἰς Ψίναβλα τῆς Θηβαΐδος, Γέρακά τε καὶ Διόσκορον τοὺς πρεσβυτέρους εἰς Συήνην ἐξώρισαν. Ammonium in superiorem Oasim; Muim, Psenosirim, Nilammona, Plenem, Marcum, Athenodorum in Ammoniacam; Dracontium episcopum in solitudinem eam, quæ circa Clysma est; Philona verò Babylonem; Adelphium in Psinablâ Thebaidis; Hieracem autem & Dioscorum presbyteros in Soinem, exilio relegarunt.

60. APHRODITON.] Aphrodites & Aphroditopolis *quadruplex in Ægypto vrbs in veteri Ægypti tabulâ apud Ortelium. vna iuxta Athribin, in Deltâ; altera iuxta Nilum in Heptanomiâ; tertia iuxta Nilum in Thebaide; quarta apud Latopolim ad Nilum in Thebaide. Quæ hîc intelligatur, dicam in Onomastico, vbi de eremo & monasterio Antonij.*

61. BAISANE. [*Huius memoria nondum mihi alibi occurrit.*

62. DROMADIBVS CAMELIS.] *Vetus editio,* dromedibus camelis. *Vide Onomasticon.*

63. ISAAC ET PELVSIANO.] *De his nihildum repperi.*

64. NE PERGAMIVS.] *Occultari voluit Antonius corpus suum ex Christianâ modestiâ & submissione, non ex contemptu reliquiarum, vt cauillantur heretici. Notum quantâ religione tunicam S. Pauli primi eremitæ sibi vindicarit. Vide dicta ad Vitam S. Pauli cap.* XIV. *& ad Vitam S. Antonij cap.* LIX. CAP. XXVI

65. MARTYRIVM FABRICARET.] *Et sanctis Confessoribus & Martyribus ædes sacra & Martyria exstructa. Habes hîc de Confessore. de Martyribus Ammianus lib.* XXII. Cineres proiecit in mare: id metuens, vt clamabat, ne collectis supremis ædes ijs exstruerentur vt reliquis, qui deuiare à religione compulsi, pertulêre cruciabiles pœnas, adusque gloriosam mortem intemeratâ fide progressi, & nunc Martyres appellantur.

66. AD VLTERIOREM OASIM EREMVM.] CAP. XXVIII. *Habes apud Ptolomæum in Ægypto* Oasim magnam *& paruam. Sed variant hoc Hieronymi loco & manuscripti & editi libri. MS. S. Floriani:* Ad interius monasterium transiturus. *vetus editio:* Ad interius monasterium Oasan transiturus.

67. BRVCHIVM.] *Plerique editi libri* Brutium. *Est Bruchium locus circa Alexandriam Ægypti, doctorum & sanctorum virorum domicilium. Vide Onomasticon.*

68. GAZENSES CVM LICTORIBVS PRÆFECTI.] *Malè quidam editi,* profecti. *Intelligit præfectum Palæstinæ, in quâ Gaza, & lictores eius præfecti. Quæ autem hîc breuiter narrat Hieronymus, paullò expressiùs habes apud Sophronium interpretem, vel Metaphrastem, qui auctores huius inquisitionis Arianos & Ethnicos facit:* Ἐπεὶ δὲ Κωνστάντιος μὲν σὺν τῇ ἀρχῇ κατέστρεψε καὶ τὸν βίον, Ἰουλιανὸς δὲ εἰς τὸν θρόνον τὸν βασιλικὸν εἰσεφθάρη· ἀνεβίωσέ τε, οἴ δίκη καὶ ἀνοχὴ Θεοῦ καὶ θεσμὰ δυσσεβείας, ἅπερ ἐκεῖνος κακῶς ἐτυράννησε. τῶν Γαζαίων ὅσοι Ἀρειανίζοντες ἔτι καὶ τὰ Ἑλληνικὰ τιμῶντες ὑπῆρχον κινοῦνται μεγάλῳ θυμῷ καὶ φυσήματι κατὰ τοῦ ὁσίου, καὶ πέμπουσί τινας τῶν ὁμοφρόνων περὶ τὸ Βρούχιον, ὥστε, κακοῖς αὐτὸν ἐσχάτοις περιβαλεῖν. οἱ δὲ ἀφικνούμενοι λύκος ἦσαν, τὸ τοῦ λόγου, μάτην χανών. Πάλαι τοῦ ὁσίου τὴν ἐπιβουλὴν προειδότος. καὶ πρὸς τὴν Αὔασιν ὥσπερ ἤδη καὶ ἐγνωρίσαμεν ἀφικομένου. Ἐκεῖνοι δὲ τὴν αἰσχύνην οὐκ ἐνεγκόντες, εἰς μείζονά τε ἐξάγονται τὴν μανίαν, καὶ ἀναστρέψαντες παροξύνουσι τὸν ἀνοσιώτατον βασιλέα καταστραφῆναι μὲν ἕως αὐτῶν κρηπίδων τὴν ἐκείνου μονήν. καὶ τοὺς μονάζοντας πολλὰ πρότερον τιμωρηθέντας ἀπελαθῆναι. Ἱλαρίωνα δὲ καὶ Ἡσύχιον, ὅπου περ ἂν εὑρεθῶσι, τὰ βαρύτατα κολασθέντας, εἶτα καὶ αὐτῷ παραδοθῆναι θανάτῳ. Ἐλάνθανον δὲ, τὸ τοῦ λόγου, ἀετὸν διώκοντες εἰς νεφέλας· ἢ τὸ τοῦ θείου Παύλου, ἀέρα δέροντες ἢ τοξεύοντες. Postquam autem Constantius quidem simul cum imperio vitam finijt, Iulianus verò cum summâ

mâ pernicie inuasit sedem Imperatoriam, impijssima sunt (ô Dei iustitia, & patientia, & leges veræ pietatis!) quæ ille tyrannicè exercuit. Quicumque ex Gazæis erant Ariani, vel in honore habebant falsam gentium religionem, magnâ irâ & magno spiritu mouentur aduersus Sanctum. Et mittunt Bruchium quosdam ex ijs, qui eadem quæ ipsi sentiebant, vt in extrema eum mala impellerent. Illi autem cùm venissent, erant, vt dicitur, lupus hians temerè, cùm Sanctus iam diu antè eorum præuidisset insidias, & iam Oasim venisset, vt priùs diximus. Cùm verò non ferrent dedecus, ad maiorem accenduntur insaniam, reuersi in eum, incitant impium Imperatorem, vt ad fundamenta quidem vsque euerteretur illius monasterium, & monachi priùs multis affecti supplicijs, expellerentur: Hilarion autem & Hesychius, vbicumque essent reperti, grauissimè puniti, extremo deinde afficerentur supplicio. Nesciebant verò se, vt dicitur, aquilam persequi in nubibus; aut, vt diuinus
1. Cor. 9. dicit Paulus, aërem verberare, aut in eum eiaculari.

Baronius tomo IV. *anno Christi* CCCLXII. *Liberij Papæ* XI. *Iuliani Imp.* II. *Quòd, ait, tanto studio ijdem (Gazenses) eius necem expetijssent, ea potissimùm caussa intercessit, nimirum quòd idem S. Hilarion apud eos agens insignia cùm miracula edidisset, vno ex illis in theatro facto perspicuo, ab omnibus fuerat acclamatum, Marnam Gazensium deum esse superatum à Christo.*

Ceterùm adeò furens fuit Gazensium in Christianos persecutio, vt non tantùm Hilarion cogeretur captare fugam; sed & alij omnes, qui degebant in eorumdem Gazensium ditione, fugâ pariter atque latebris sibi consulere sint coacti. Nam de maioribus suis hæc
Sozom. lib. 5. c. 14. *Sozomenus posteris commendauit:* Huius fugæ cùm alij plures meorum maiorum, tum auus meus particeps fuit, *&c.*

CAP. XXIX 69. AD MARITIMAM VRBEM LIBYÆ PARÆTONIVM.] *Ægypti vrbs. Florus libro* IV. *capite* XI. *Paretonium & Pelusium duo cornua Ægypti vocat.*

CAP. XXXI 70. SCVTARIVS QVIDAM.] *Græcè*, nomine Scutarius. *Sed existimo potiùs* scutarium *hîc ab officio dici. Suetonius Augusto cap.* LVI. Adfuit & clientibus: sicut scutario cuidam, euocato quondam suo.

CA. XXXII 71. HESYCHIVS.] *Sozomenus libro* III. *c.* XIII. Hesycam *vocat. Sic & libro* VI. *cap.* XXXII. Ἡσυχᾶς ὁ Ἱλαρίωνος ἑταῖρος ἐφιλοσόφησε δ᾽, ἐν ᾧ ὁ διδάσκαλος. Hesychas eo ipso in loco, in quo magister eius, vitam egit monasticam. *Eadem apud Nicephorum libro* XI. *cap.* XXXIX.

72. METHONÆ.] *Methone est Messeniæ vrbs maritima in Peloponneso.*

73. VILIA POPVLIS SCRVTA VENDENTE.] *Ex Horatio expressum Epistolarum libro* I. *ep.* VII. Vilia vendentem tunicato scruta popello.

CA. XXXIII 74. AD EPIDAVRVM DALMATIÆ OPPIDVM.] *Rectè* Dalmatiæ *additum, quia & aliæ duæ Epidauri in Peloponneso.*

75. BOAS VOCANT.] *Isidorus libro* XII. *Orig. cap.* IV. Boas anguis Italiæ immensâ mole, persequitur greges armentorum & bubulos, & plurimo lacte irriguis vberibus se innectit, & sugens interimit: atque inde à boum populatione Boas nomen accepit. *Quæ adumbrata sunt partim ex Solino, partim ex Plinio. Solinus c.* VIII. Calabria Chelydris frequentissima est, & Boam gignit, quem anguem ad immensam molem ferunt conualescere. Captat primò greges bubulos, & si quæ plurimo lacte rigua bos est, eius se vberibus innectit, suctuque continuo saginata, longo sæculo ita fellebri satietate vltimò extuberatur, vt obsistere magnitudini eius nulla vis queat. Postremò depopulatis animantibus, regiones quas obsederit, ad vastitatem cogit. Diuo Claudio principe in loco, vbi Vaticanus ager est, in aluo occisæ Boæ spectatus est solidus infans. *Solinus Plinium libro* VIII. *cap.* XIV. *paraphrasticè expressit:* Faciunt his fidem in Italiâ appellatæ Boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, vt Diuo Claudio principe occisæ, in Vaticano solidus in aluo spectatus sit infans. Aluntur primò bubulli lactis succo, vnde nomen traxêre. *Videndum, an insula Boas in Dalmatiâ dicta sit à bois serpentibus. Certè hîc apud Hieronymum serpentem boam Dalmatiæ familiarem habes. De insulâ Ammianus libro* XXII. Florentius contrusus est in insulam Dalmatiæ Boas. *Idem libro* XXVIII. eumque (*Hymetium*) ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset. *Huc quoque missus Iouianus hæreticus L.* LIII. *C. Theod. de hæret.*

76. EVOCATO PRÆCEPISSET.] *Editi legunt:* euocato populo præcepisset. *sed* populo *deest manuscriptis Latinis & Græcis. Vult serpentem ipsum euocatum.*

77. EA TEMPESTATE TERRÆMOTV TOTIVS ORBIS.] *Hieronymus in Chronico anno Valentiniani* II. Terræmotu per totum orbem facto, mare littus egreditur, & Siciliæ multarumque insularum vrbes & innumerabiles populos oppressit. *Idem in Isaia cap.* XV. Audiui quemdam Areopolitem, sed & omnis ciuitas testis est, motu terræ magno in meâ infantiâ, quando totius orbis littus transgressa sunt maria, eâdem nocte muros illius corruisse. *Ammianus libro* XXVI. Hoc nouatore (*Procopio tyranno*) adhuc superstite, cuius actus multiplices docuimus & interitum, diem duodecimum Kalend. Augustas, Cos. Valentiniano primùm cum fratre, horrendi tremores per omnem orbis ambitum grassati sunt subitò, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. *cuius tremoris effectus graphicè ibi describit Ammianus.*

78. IN SABVLO.] *Plinius libro* XVII. *capite* IV. Inuicem sabulum album in Ticinensi, multisque in locis nigrum, itémque rubrum etiam pingui terræ permistum, infecundum est. *Dicitur etiam* sabulo. *Columella libro* IV. *cap.* XXXIII. *de castaneâ:* Sabulonem humidum vel refractum tophum non respuit.

79. SALONIS.] Salo *Dalmatarum nauale est Straboni. Est &* Salone *Plinio vrbs & flumen Dalmatiæ.*

80. IN BREVI LEMBO.] *Quis non hæreat, legens apud Metaphrastem ex versione Herueti,* Appellit Berbilimnon emporium Dalmatiæ. *Hæsi, fateor, & vel ob eum locum Parisijs Græcum textum è manuscriptis regijs euocaui, in quibus:* Εἰς Βερβίλιμνον ἐμπόριον τῆς Δαλματίας καταίρει. *qui non euariat à versione Herueti, nisi quòd habeat* Berbelimbon *pro* Berbilimno. *Vereor vt frustrà quis portum hunc in Dalmatiâ quærat. Suspicio mihi est, Sophronium, qui hanc Vitam ex Latino Hieronymi Græcè expressit, ex* breui lembo *Hieronymi fecisse* Berbelimbon Βερβέλιμβον. *Nec vanam coniecturam puto. Similem interpretis Græci errorem habes hîc ad caput* XXI. *n.* 48. CAP. XXXIIII.

81. DVOBVS HAVD PARVIS MYOPARONIBVS.] *Addit Coloniensis editio* (myoparon genus nauigij est ad cursum & celeritatem paratum) *quod haud dubiè insertum glossematis loco. Mira hic lectio, quà in MSS. quà editis. Quidam MS.* myoparonibus desedromonem occurrissent, denuò hinc inde fluctus vehementes, remiges. *Vetus editio:* myoparonibus de se dromone occurrissent, denuò hinc inde fluctus verrente remige. *Fors* dromon *interpretatio est myoparonis. Est enim* dromon, *nauis ad cursum expedita, quales ferè piratica. De* myoparone *plura in Onomastico.*

82. PAPHVM.] *Duplex Paphus in Cypro insulâ*, Palæpaphos, *&* Neapaphos. *Locus autem, in quo apud Paphum commoratus est Hilarion, Sozomeno libro* V. *cap.* IX. *dicitur* Χάρβυρις, Charbyris, *Tripartita libro* VI. *cap.* XII. Charybdis, *Nicephoro libro* X. *cap.* VIII. Charybris.

CAP. XXXV 83. HOC SALAMINA, HOC CVRIVM, HOC LAPETHA.] *Tres hæ in Cypro vrbes. Alia Salamina & insula & vrbs prope Peloponnesum. Aliud quoque Curium in Ætolis & Sabinis. Per Paphum autem quod præcessit, & tres has ciuitates totam Cypri insulam designat. Est Salamina ad Orientem, Curium ad Meridiem, Lapetha ad Septemtrionem, Paphus ad Occidentem.*

CA. XXXVI 84. QVÆ VOCANTVR BVCOLIA.] *Veteres editiones* Bocholia. *alij citant* Bacholia. *Sed Græcè hic est* Βουκόλια, *vti & suprà Vita S. Antonij cap.* XXIV. *vbi Euagrius vertit* Pastoralia. *Vide ibi dicta ad n.* 50. *Plura in Onomastico.*

85. ANTAGONISTAS.] *Coloniensis editio addit* (aduersarios certaminis) *quod interpretamentum est prioris.*

CAP. XXXVIII. 86. TVNICAM SACCINEAM, CVCVLLAM, ET PALLIOLVM.] *Hoc Hilarionis legatum, & totus thesaurus. Ipse mox sepeliri vult* in tunicâ cilicinâ, cucullâ, & sago rustico. *Ne fallare, vt existimes, Hilarioni, quia quædam legat, quædam in sepulturam reseruat, duplicia fuisse vestimenta, vel festorum, vel munditiæ caussâ. Non fuere. Constat suprà cap.* V. *numquam vestem mutasse, nisi cùm prior penitùs scissa esset. Quare quæ nunc legat, recens ipsi cesserant ex ministri morte, qui ante paucos dies obierat, vt hic habes.*

87. ET TOTO CORPORE, QVASI ADHVC VIVERET, INTEGRO.] *De incorruptis Sanctorum corporibus copiosè in Onomastico.*

CA. XXXIX 88. AD ADIVVANDAS ORATIONES SVAS.] *Disce hæretice, Sanctorum orationibus fidelium orationes adiuuari. Augustinus libro* XX. *cap.* XXI. *contra Faustum Manichæum triplex commodum in Martyrum cultu agnoscit:* Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. *Chrysostomus libro de Babylâ martyre aduersus Gentiles ex sepulchris Martyrum non vnam quoque vtilitatem hauriri docet:* Ἡ γὰρ ὄψις τῆς λάρνακος εἰς τὴν ψυχὴν ἐμπίπτουσα, καταπλήττει τε αὐτὴν καὶ διανίστησι, καὶ ὡς αὐτοῦ κειμένου συνευχομένου, καὶ παρεστῶτος καὶ ὁρωμένου, οὕτως αὐτὴν διακεῖσθαι ποιεῖ. εἶτα προθυμίας πολλῆς ὁ τοῦτο παθὼν, πληρωθεὶς, καὶ ἕτερος ἀνθ' ἑτέρου γενόμενος, οὕτως ἐκεῖθεν ἀπέρχεται. Capsulæ enim aspectus in animam inuadens ipsam percellit & exsuscitat, ac perinde efficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensque adesse cernatur: deinde fit, vt qui se sic affectum sentit, mirâ alacritate gestiens, aliusque prorsus quodammodò effectus, ita ex eo loco decedat. *Sanctorum igitur frequenta sepulcra, Sanctorum venerare reliquias, Sanctorum orationes implora.*

Baronius tomo IV. *Annal. anno Christi* CCCLXXII. *Damasi Papæ* VI. *Valentiniani & Valentis Impp.* IX. *Hoc ipso, inquit, anno Hilarion præstantissimus monachorum, post innumera miracula edita, clarissimus sanctitate ex hac vitâ migrauit anno ætatis suæ (vt testatur S. Hieronymus) octogesimo. Ex cuius etiam testificatione colligitur, eumdem hoc ipso anno ex hac vitâ discessisse: siquidem ipsum tempore obitus Antonij Magni, qui contigit anno* XXI. *Constantij Imp. (hic est annus Domini* CCCLVIII.) *egisse annum ætatis* LXV. *tradit: quibus si addas annos* XV. *vt peruenias ad* LXXX. *quo obijt, vtique deduces annos ætatis eius vsque ad præsentem* CCCLXXII. *Hactenus Baronius. Ex cuius putatione natalis dies Hilarionis statuendus erit anno Christi* CCXCII. *huic enim numero si octoginta annos addas, quot eum annis vixisse asserit Hieronymus, efficientur ad mortualem eius diem anni* CCCLXXII. *Sed aliter annos Antonij numerandos esse, ad Preludia in Antonium monui.*

Quòd si breuem annorum Vitæ Hilarionis synopsim desideras, eccistam ex hac ipsâ Vitâ exceptam.

XVI. *anno ætatis inchoante intrat eremum: manetque ibi ad annum* XX. *inclusiuè. Ita hîc cap.* 5.

A XXI. *inchoante ad* XXVI. *ætatis annum inclusiuè, tenuiter victitat,* III. *annis in diem lentis sextario,* III. *alijs pane arido cum sale. Ita cap.* 6.

A XXVII. *inchoante ad* XXX. *ætatis annum inclusiuè herbis victitat. Cap. eodem.*

A XXXI. *inchoante ad* XXXV. *inclusiuè sex vncias panis hordeacei in diem sumit. Cap. eodem.*

A. XXXVI. *inchoante ad* LXIII. *inclusiuè victui oleum adijcit. Cap. eodem.*

A. LXIV. *inchoante ad* LXXX. *inclusiuè pane abstinuit, sicque compleuit vitæ ordinem. Cap. eod. &* 38.

Quibus omnibus subductis iustum efficies numerum octogenarium.

Sed & alia annorum ratio ex eadem vitâ colligi potest.

Anno XVI. *ætatis inchoante, seu* XV. *iam expleto intrat eremum. Cap.* 5.

Post XXII. *annos solitudinis sterili Eleutheropolitana partum impetrat.*

LXIII. *ætatis anno de fugâ cogitat. Cap.* 23. *& post* II. *annos è Palæstinâ discedit. Cap.* 24.

Post III. *annos à morte Antonij inuisit locum Antonij. Cap.* 26. *&* 27.

Anno I. *manet Oasi. Cap.* 28.

Fugit in Siciliam, ibi post III. *annos eum Hesychius inuenit. Cap.* 32.

Manet II. *annis Paphi in Cypro. Cap.* 36.

Manet V. *annis in monte. Cap. eodem.*

Quibus si annum I. *addas, quem varijs profectionibus impendit, conficies annos* LXXX. *quot eum vixisse testatur Hieronymus.*

VITA

VITA SANCTI MALCHI CAPTIVI MONACHI

21. Oct.

AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

PROLOGVS.

3 QVI nauali prælio dimicaturi sunt, antè in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & vncos præparant, dispositumque per tabulata militem, pendenti gradu, & labente vestigio stare firmiter adsuescunt; vt quod in simulacro pugnæ didicerint, in vero certamine non pertimescant. Ita & ego qui diu tacui (silere quippe me fecit, cui meus sermo supplicium est) priùs exerceri cupio in paruo opere, & veluti quamdam rubiginem linguæ abstergere, vt venire possim ad latiorem historiam. Scribere enim disposui (si tamen vitam Dominus dederit, & si vituperatores mei saltem fugientem me & clausum persequi desierint) ab aduentu Saluatoris vsque ad nostram ætatem, id est, Apostolis vsque ad huius temporis fæcem, quomodo & per quos Christi Ecclesia nata sit & adulta, 4 persecutionibus creuerit, martyrijs coronata sit: 5 & postquam ad Christianos principes venerit, potentiâ quidem & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta sit. Verùm hæc aliàs. Nunc quod imminet explicemus.

Hieronym. Ecclesiasticam histo- riam scri- bere propo- suerat.

VITA.

Cap. I.

6 MARONIAS triginta fermè millibus ab Antiochiâ vrbe Syriæ, haud grandis ad Orientem distat viculus. Hic post multos vel dominos vel patronos, dum ego adolescentulus morarer in Syriâ, 7 ad Papæ Euagrij, necessarij mei, possessionem deuolutus est, quem idcircò nunc nominaui, vt ostenderem, vnde nossem quod scripturus sum.

Hieronym. in Syriâ adolescen- tulus mo- ratur.

Erat illic quidam senex nomine Malchus, quem nos Latinè Regem possumus dicere, Syrus natione & linguâ, 8 & vt rebar, eiusdem loci indigena. Anus quoque in eius contubernio valdè decrepita, & iam morti proxima visebatur, tam studiosi ambo religionis, sic ecclesiæ limen terentes, vt Zachariam & Elisabeth de Euangelio crederes, nisi quòd Ioannes in medio non erat. De his cùm curiosè ab accolis quærerem, quænam esset eorum copula, matrimonij, an sanguinis, an spiritus: omnes voce consonâ, sanctos & Deo placitos, & mira nescio quæ respondebant. Quâ cupiditate illectus, adortus sum hominem, & curiosiùs sciscitans rerum fidem, hæc ab eo accepi.

Malchus Syriacè Rex.

Syrus natione & linguâ.

Cum consorte in templo frequens.

Lucæ 1.

Cap. II.

Ego, inquit, mi nate, 9 Nisibeni agelli colonus, solus parentibus fui. Qui cùm me quasi stirpem generis sui, & heredem familiæ ad nuptias cogerent, monachum potiùs me velle esse respondi. Quantis pater minis, quantis mater blanditijs persecuti sint, vt pudicitiam perderem, hæc res sola indicio est, quòd & domum & parentes fugi. Et quia ad Orientem ire non poteram propter vicinam Persidem, & Romanorum militum custodiam, ad Occidentem verti pedes, pusillum nescio quid portans viatici, quod me ab inopiâ tantùm defenderet. Quid multa? Perueni tandem 10 ad eremum Chalcidos, 11 quæ inter Immas & Berœam magis ad Austrum sita est. Ibi repertis monachis, eorum me magisterio tradidi, manuum labore victum quæritans, lasciuiamque carnis refrænans ieiunijs.

A nuptijs abhorret.

Parentes patriamq; vita monastica desiderio deserit.

Fit monachus.

Cap. III.

Post multos annos incidit mihi cogitatio, vt ad patriam pergerem; 12 vt dum aduiue-

Redit in patriam inuito ac reclamante Abbate. uiueret mater, iam enim patrem mortuum audieram, solarer viduitatem eius, & exinde venumdatâ possessiunculâ, partem erogarem pauperibus, & ex parte monasterium construerem (quid erubesco confiteri infidelitatem meam?) partem in sumptuum meorum solatia reseruarem. Clamare occœpit Abbas meus, diaboli esse tentationem, & sub honestæ rei occasione, antiqui
Prou. 26. hostis astutias. Hoc esse reuerti canem ad vomitum suum. Sic multos monachorum esse deceptos, numquam diabolum apertâ fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de Scripturis quamplurima: inter quæ
Gen. 3. illud initio, quòd Adam quoque & Euam spe diuinitatis supplantauerit. Et cùm persuadere non posset, prouolutus genibus obsecrabat, ne se desererem, ne me perderem,
Lucæ 9. ne aratrum tenens, post tergum respicerem. Væ misero mihi, vici pessimâ victoriâ, reputans illum non meam vtilitatem, sed suum solatium quærere. Prosecutus ergo me de monasterio, quasi funus efferret, & ad extremum valedicens, Video te, ait, fili, satanæ cauterio notatum: non quæro caussas, excusationes non recipio. Ouis quæ de ouili egreditur, lupi statim morsibus patet. *E monasterio fugiens velut funus effertur.*

Cap. IV. [13] De Beroeâ Edessam pergentibus, [14] vicina est publico itineri solitudo, per quam Saraceni incertis semper sedibus huc atque illuc vagantur. Quæ suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat, vt imminens periculum auxilio mutuo declinetur. Erant in comitatu meo viri, feminæ, senes, iuuenes, paruuli, numero circiter septuaginta. Et ecce subitò equorum camelorumque sessores [15] Ismaelitæ irruerunt, crinitis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore, [16] pallia & latas calliculas trahentes: pendebant ex humero pharetræ, & laxos arcus vibrantes hastilia longa portabant. Non enim ad pugnandum, sed ad prædandum venerant. Rapimur, dispergimur, in diuersa distrahimur. Ego interim [17] longo postliminio hereditarius possessor, & serò mei consilij pœnitens, cum alterius mulierculâ in vnius heri seruitutem sortitus venio. Ducimur, imò portamur sublimes in camelis, & per vastam eremum semper ruinam timentes, hæremus potiùs quàm sedemus. Cibus semicrudæ carnes, & lac camelorum potui erat. Tandem grandi amne transmisso, peruenimus ad interiorem solitudinem, vbi dominam eiusque liberos ex more gentis adorare iussi, ceruices flectimus. Sic quasi clausus carcere, mutato habitu, id est nudus, ambulare disco. Nam aëris quoque intemperies, nihil aliud præter pudicitiam velari patiebatur.

Ab Ismaëlitis capitur.

Cùm alterius mulierculâ vnius heri fit seruus.

Dominam adorare cogitur.

Nudus incedit.

Traduntur mihi pascendæ oues, & in malorum comparatione hoc fruor solatio, quòd dominos meos & conseruos rariùs video. Videbar mihi aliquid habere sancti Iacob, recordabar Moysi, qui & ipsi in eremo pecorum quondam fuère pastores. Vescebar recenti caseo & lacte. Orabam iugiter, canebam psalmos, quos in monasterio didiceram. Delectabat me captiuitas mea: agebamque Dei iudicio gratias, quòd monachum, quem in patriâ fueram perditurus, in eremo inueneram. *Pascit oues domini sui.* Gen. 29. Exodi 3.

Cap. V. O nihil vmquam tutum apud diabolum! ô multiplices & ineffabiles eius insidiæ! Sic quoque me latentem inuenit inuidia. Dominus videns gregem suum crescere, nihilque in me deprehendens fraudulentiæ: sciebam enim Apostolum præcepisse, dominis sic quasi Deo fideliter seruiendum; & volens me remunerari, quò fidum sibi magis faceret, tradidit mihi illam conseruam mecum aliquando captiuam. Et cùm eam refutarem, diceremque me Christianum, nec licere mihi vxorem viuentis accipere (siquidem captus nobiscum vir eius, ab alio domino fuerat abductus) herus ille placabilis in furorem versus, euaginato me cœpit petere gladio. Et nisi festinus brachio tenere mulierem præoccupassem, illicò fudisset sanguinem. Iam venerat tenebrosior solito, & mihi nimiùm matura nox. Duco in speluncam semirutam, nouam coniugem, [18] & pronubante nobis mœstitiâ, vterque detestamur alterutrum, nec fatemur. Tunc verè sensi captiuitatem meam, prostratusque humi, monachum cœpi plangere, quem perdebam, dicens: Huccine miser seruatus sum? Ad hoc me mea scelera perduxerunt, incanescente iam capite, virgo maritus fierem? Quid prodest parentes, patriam, rem familiarem contempsisse pro Domino, si hoc facio, quod vt ne facerem, illa contempsi? nisi quòd fortè propterea hæc sustineo, quia rursum patriam desideraui. Quid agimus anima? perimus an vincimus? Expectamus manum Domini, an proprio mucrone confodimur? Verte in te gladium, tua magis mors timenda est, quàm corporis. Habet & seruata pudicitia suum martyrium, iaceat insepultus Christi testis in eremo, ipse mihi ero persecutor & martyr. Sic fatus, eduxi in tenebris quoque micantem gladium, & acumine contra me verso, Vale, inquam, infelix mulier, habeto me martyrem potiùs quàm maritum. Tunc illa pedibus meis prouoluta, Ego te, inquit, per Iesum Christum, per huius horæ necessitatem rogo, ne effundas sanguinem tuum in sangui-

Coloss. 3. Ephes. 6.

Cogitur conseruam alterius coniugem in vxorem ducere.

Ne maculetur connubio, seipsum occidere tentat.

Prohibet illum mulier.

sanguinem meum. Vel si mori placet, in me primùm verte mucronem: sic nobis potiùs coniungamur. Etiam si vir meus ad me redierit, seruarem castitatem, quam me captiuitas docuit, vel interirem antequàm perderem. Cur moreris, ne mihi iungaris? Ego morerer, si iungi velles. Habeto enim me coniugem pudicitiæ, & magis animæ copulam amato, quàm corporis. Credant domini maritum, Christus nouerit fratrem. Facilè persuademus nuptias, cùm nos viderint sic amare. Fateor, obstupui, & admiratus virtutem feminæ, coniugem plus amaui. Numquam tamen illius nudum corpus intuitus sum, numquam carnem tetigi, timens in pace perdere, quod in prœlio seruaueram. Transeunt in tali matrimonio dies plurimi, amabiliores nos dominis fecerunt nuptiæ. Nulla fugæ suspicio, interdum & mense toto aberam fidus gregis pastor per solitudinem.

Castitatem in coniugio simulato vterque seruat.

CAP. VI. Post grande interuallum dum solus in eremo sedeo, & præter cælum terramque nihil video, cœpi mecum tacitus voluere, & inter multa, monachorum contubernia recordari, maximeque vultus patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdiderat. Sicque cogitans, aspicio formicarum gregem angusto calle feruere, videres onera maiora quàm corpora. Aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant, aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ venturæ hiemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant. Hæ luctu celebri, [19] corpora defuncta portabant. Quodque magis mirum esset in tanto agmine, egrediens non obstabat intrantibus, quin potiùs si quam vidissent sub fasce & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? Pulchrum mihi spectaculum dies illa præbuit. Vnde recordatus Salomonis, ad formicæ solertiam nos mittentis, & pigras mentes sub tali exemplo suscitantis, cœpi tædere captiuitatis, & monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarum sollicitudinem desiderare, vbi laboratur in medium; cumque nihil cuiusquam proprium sit, omnium omnia sunt. Regresso ad cubile occurrit mihi mulier: tristitiam animi vultu dissimulare non potui. Rogat cur ita exanimatus sim. Audit caussam, hortatur ad fugam: non aspernatur. Peto silentium, fidem tribuit, [20] & iugi susurrio inter spem & metum medij fluctuamus.

Pristini status recordatur.

Prou. 6. Formicarum industriam conspiciens, fugam meditatur.

CAP. VII. Erant mihi in grege duo hirci miræ magnitudinis. Quibus occisis, vtres facio, eorumque carnes viatico præparo. Et primo vespere, putantibus dominis nos secretò cubitare, inuadimus iter, vtres & partem carnium portantes. Cumque peruenissemus ad fluuium, nam decem millibus aberat, inflatis & ascensis vtribus, aquis nos credimus, paulatim pedibus subremigantes: vt deorsum nos flumine deferente, & multò longiùs quàm conscenderamus, in alteram nos exponente ripam, vestigium sequentes perderent. Sed inter hæc madefactæ carnes, & ex parte lapsæ, vix tridui cibum pollicebantur. Bibimus vsque ad satietatem, futuræ nos siti præparantes. Currimus, post tergum semper aspicimus, & magis noctibus promouemur, vel propter insidias latè vagantium Saracenorum, vel propter ardorem solis nimium. Pauco miser etiam referens, & iam securus, toto tamen corpore perhorresco.

Fugit cum muliere.

CAP. VIII. Post diem tertium, dubio aspectu procul aspicimus [21] duos camelos sedentes venire concitè. Statimque mens mali præsaga, putare dominum, meditari mortem, solem cernere nigrescentem. Dumque timemus, & vestigijs per arenas nos proditos intelleximus, offertur ad dexteram specus, longè sub terrâ penetrans. Igitur timentes venenata animalia, (solent quippe viperæ, reguli, & scorpiones, ceteraque huiuscemodi, feruorem solis declinantia, vmbras petere) intrauimus quidem speluncam, sed statim in ipso introitu sinistræ nos foueæ credidimus, nequaquam vltrà progredientes, ne dum mortem fugimus, incurreremus in mortem. Illudque nobiscum reputantes, si iuuat Dominus miseros, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulcrum. Quid putas fuisse nobis animi, quid terroris, cùm ante specum haud procul starent dominus & conseruus, & vestigio indice, iam ad latebras peruenissent? O multò grauior expectata, quàm illata mors! Rursus cum timore & labore lingua balbutit, & quasi clamante domino, mutire non audeo. Mittit seruum, vt nos de specu protrahat: ipse camelos tenet, & euaginato gladio, nostrum expectabat aduentum. Intereà tribus fermè vel quatuor cubitis introgresso famulo, nobis ex occulto tergum eius videntibus (nam oculorum istiusmodi natura est, vt post solem vmbras intrantibus cæca sint omnia) vox per antrum sonat: Exite furciferi, exite miseri, exite morituri. Quid statis? quid moramini? Exite. Dominus vocat. Adhuc loquebatur, & ecce per tenebras aspicimus leænam inuasisse hominem, & gutture suffocato, cruentum intrò trahere. Iesu bone, quid tunc terroris nobis, quid gaudij fuit? Spectabamus hostem

Insequitur fugientes dominus.

Specum subit.

Missus ad extrahendum eos seruus à leænâ suffocatur.

stem nostrum perire, domino nesciente. Qui cùm videret illum moras facere, suspicatus est duos vni resistere. Sed & iram differre non valens, sicut tenebat gladium, ad speluncam venit, & clamore rabido serui increpans vecordiam, priùs à ferâ tentus est, quàm nostras latebras præteriret. Quis hoc vnquam crederet, vt ante os nostrum bestia pro nobis dimicaret?

Dominus item ipse à leænâ occiditur.

CAP. IX.

Sublato autem illo metu, similis ante oculos nostros versabatur interitus, nisi quòd tutiùs esset leænæ rabiem quàm iram hominum sustinere. Pauemus intrinsecùs, & ne mouere quidem nos ausi, præstolamur euentum rei, inter tanta pericula, [22] pudicitiæ tantùm conscientiâ pro muro septi. Leæna insidias cauens, & visam se esse sentiens, [23] apprehensum mordicùs catulum matutina effert, nobisq; cedit hospitio. Neque tamen satis creduli, statim erumpimus, sed expectantes diu, & egredi cogitantes, illius nobis semper figurabamus occursum.

Pudicitiâ pro muro contra bestiam septi.

CAP. X.

Sub tali ergo terrore & illâ transactâ die, exiuimus ad vesperam, vidimusque [24] camelos, quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant, præteritos cibos in ore voluere, & in aluum missos iterùm retrahere. Quibus ascensis, & [25] nouâ sitarciâ refocillati, decimo tandem die ad Romana per desertum castra peruenimus. Oblatique tribuno, rem ordine pandimus, inde transmissi [26] ad Sabinianum Mesopotamiæ ducem, camelorum pretium accepimus. Et quia iam abbas ille meus dormierat in Domino, ad hæc delatus loca me monachis reddo, hanc trado virginibus, diligens eam vt sororem, [27] non tamen ei me credens vt sorori.

Cameli domini conscendunt.

Veniunt ad Romana castra.

Iungit se rursum monachis.

Cauta dilectio.

CAP. XI.

Hæc mihi senex Malchus adolescentulo retulit. Hæc ego vobis narraui senex, & castis historiam castitatis expono. Virgines castitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, vt sciant inter gladios & inter deserta & bestias, pudicitiam numquam esse captiuam: & hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.

Numquam captiua pudicitia.

NOTATIO.

1 MALCHI.] *Martyrologium Romanum* XXI. *Octobr.* Maroniæ in Syriâ prope Antiochiam S. Malchi Monachi. *De Malcho quodam Menæa* XXIV. *Nouembris:*

Ὁ ἅγιος Μάλχος ἐν εἰρήνῃ τελευτᾷ.
Οἱ ψυχοπομποὶ συγκατέπτησαν νόες
Ψυχὴν ἀπάξαι, Μάλχε, τὴν σὴν Κυρίῳ.
Sanctus Malchus in pace consummat.
Angeli animarum ductores simul è cælo deuolarunt,
Vt animam tuam, Malche, ad Deum deducant.

An hic cum hoc nostro idem sit, dubito. Meminit Malchi *cuiusdam Theodoretus lib.* IV. *hist.cap.* XXVI. *quem Baronius annali* CCCLXX. *putat esse eum, de quo agit Hieronymus. Non opinor. quia Malchus Theodoreti vixit in monte, qui imminet Antiochiæ; Malchus Hieronymi in vico Maroniæ triginta millibus ab Antiochiâ.*

Malchum *Syris* Regem *sonare habes hic cap.* I. *Vide Onomasticon.*

2. HIERONYMO.] *Verè Hieronymus huius Vitæ auctor. Ipse in Catalogo Illustr. Ecclesiæ scrip. capite* CXXXV. *eam inter opera sua recenset. Quare quæ apud Metaphrastem habetur tomo* VI. *Aloysij Lipomani ex Græco per Gentianum Heruetum translata, existimo antè ex Hieronymi Latino textu in Græcum versam.*

Magdeburgenses Centuriatores Centur. IV. *c.* X. *Erasmum secuti, volunt Hieronymum vitam Malchi prolixiori narratione conscripsisse, exercendi ingenij magis causâ, quàm rem, vt esset, simpliciter explicandi proposito. Sed rectè eos suismet verbis captat Alanus Copus dialogo* II. *cap.* XI. *Mirantur, inquit,* quòd tot hominis scelera priùs commemoranda, quàm damnanda censuerit *Hieronymus. In quâ isti querelâ se produnt, suamque caussam; & satis se intelligere, seriò & non Rhetoricâ exercitatione Hieronymum ista agitasse. Alioqui quorsum illa contra Rhetorem in ficto argumento ludentem vociferatio? Hactenus Alanus: qui porrò quinque scelera, quæ Magdeburgenses Malcho obijciunt, egregiè dialogo illo* II. *varijs capitibus refutat.*

PROLOG.

3. QVI NAVALI PROELIO.] *Ambrosius libro* I. *Offic. cap.* X. Qui nauem in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, priùs in fluuio præludit. *Labitur Erasmus, qui ex hac similitudine existimauit Hieronymum subsignificare, argumentum hoc non esse serium, sed exercitandi styli causâ sumptum. Quasi verò repugnet serium quid esse, & idem tamen assumi ad exercitandum stylum. Seriò cogitabat Hieronymus de historia Ecclesiastica compositione: quam vt pro dignitate tractare posset; maluit antè* in paruo, *vt inquit,* opere *exerceri,* quàm ad latiorem historiam *perueniret; seriò vtique vtrobique rem acturus.*

MS. Audomarensis initio huius capitis præmittebat hæc verba: Qui legis, imitare quod legis.

4. PERSECVTIONIBVS CREVERIT.] *Hieronymus epist.* LXII. *ad Theophilum aduersus errores Ioannis Ierosol.* Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia: persecutionibus creuit, martyrijs coronata est.

5. ET POSTQVAM AD CHRISTIANOS PRINCIPES VENERIT (Ecclesia) POTENTIA QVIDEM ET DIVITIIS MAIOR, SED VIRTVTIBVS MINOR FACTA SIT.] *Hæretici moderni auidè hæc & similia Hieronymi aliorumque Patrum loca arripiunt.*

Primò, vt Ecclesiæ ornatum & vasa sacra pretiosiora improbent. quos egregiè repercutit Bellarminus noster tomo II. *Controu. general.* IV. *libro* III. *qui est De cultu Sanctorum cap.* VI. *vbi agit de ornatu* tem-

templorum. & tomo III. Controu. generali III. quæ est de Eucharistiâ, libro II. de Missâ cap. XIV. vbi agit de vasis sacris. Quò etiam facit in tempore dictum apophthegma S. Bonifacij, de quo habes de consecr. dist. I. cap. XLIV. Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. quod desumptum est ex Concilio Triburiensi cap. XVIII. Monere videlicet voluit vir sanctus vt aureas simul mentes ad altare sacerdotes adferant. Imitatione quadam expressit hoc apophthegma Trithemius in Chronico suo Hirsaugiensi: Veteres olim monachi cellas quidem, ecclesias, & alias mansiones habebant tenebrosas; sed eorum corda erant lucida valdè in amore Dei omnipotentis, & in scientiâ diuinarum Scripturarum. Nostri autem ecclesias, cellas, domosque, & omnes mansiones iam lucidissimas fabricant; sed corda eorum vitiis & desidiâ plena, tenebrosa sunt: quoniam nec Deum, sicut debuerant, diligunt; nec lectionibus Scripturarum animum intendunt. Ita quoque cùm calices essent cuprei, sacerdotes aurei fuerunt. hodie autem calices sunt aurei, & cuprei sacerdotes.

Secundò, vt clericorum diuitias insectentur & improbent. Quâ in re sequuntur veteres hæreticos, vt Arnaldum de Brixiâ, qui vixit an. Christi MCXXXIX. tempore Conradi Regis Romanorum, qui dicebat (teste Ottone Frisingensi libro II. cap. XX. de gestis Friderici Imp.) Nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliquâ ratione posse saluari. Sequuntur & Ioannem VViclefum, cuius in Concilio Constantiensi sessione VIII. damnati hi sunt articuli. XXXII. Ditare clerum est contra regulam Christi. XXXIII. Siluester & Constantinus errarunt Ecclesiam ditando. XXXIX. Imperator & sæculares sunt seducti à diabolo, vt Ecclesiam ditarent bonis temporalibus. Sed rectè Ambrosius libro VIII. in capite XIX. Lucæ, non in diuitiis crimen, sed in malè vtentibus ponit: Discant diuites non in facultatibus crimen hærere, sed in ijs, qui vti nesciant facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.

Quòd si quis Isaiæ vaticinium, ad Ecclesiã olim sub Ethnicis Imperatoribus quasi derelictam, pòst Christianorum Imperatorum tempore exaltatam retulerit, (Isa. 60.) non omnino aberrabit: Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem, & suges lac Gentium, & mamillâ Regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. (Isa. 49.) Et illud eiusdem: Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedem tuorum lingent. Vide epistolam Æneæ Siluij tum Cardinalis, posteà Pij II. Pontificis, quæ inscribitur De moribus Germaniæ, quâ refutat varias Martini Meir, qui Archiepiscopo Moguntino Cancellarius fuit, calumnias contra curiam Romanam, probatque variis rationibus Romanos Præsules diuites & potentes esse oportere, ac potissimùm ad tria diuitias requirit. I. Ad statum honestum & dignitati conuenientem tenendum. II. Ad alendos pauperes, & ecclesias manu tenendas. III. Ad coërcendos malefactores, qui fidei sinceritati officiunt.

6. MARONIAS.] Ita manuscripti & vetus editio. vulgò Maronia. Ptolemæo nota Syriæ ciuitas Μαρωνίας. Hîc viculus dicitur. Vide Onomasticon.

7. AD PAPÆ EVAGRII.] Antiochiæ episcopus fuit Euagrius, Hieronymo perfamiliaris. de quo ipse Catalogo illust. Ecclesiæ Scriptorum cap. CXXV. Vide dicta ad Præludia in Vitam S. Antonij n. 4. De Papæ nomine in Onomastico.

8. ET, VT REBAR, EIVSDEM LOCI INDIGENA.] Ita MS. & vetus editio. Coloniensis cum Erasmo, & reuerà αὐτόχθων. quod nescio an Erasmus ex ingenio, an ex MS. substituerit. H. Grauius dicit etiam in quibusdam libris legi, Thebastonis indigena. Quidam MS. pro rebar habet erat. Sed vera lectio est quam dedi. Putabat quidem Hieronymus, Malchum, qui Maroniæ versabatur, eiusdem fuisse loci indigenam, sed mox à Malcho docetur Nisibenum se esse. Labuntur cum Erasmo Centuriatores Magdeburgenses Cent. IV. cap. X. qui aiunt Malchum oriundum ex vico Maroniâ

9. MI NATE, NISIBENI AGELLI COLONVS.] MS. S. Floriani: Mi nate Nisiuelli agelli colonus. CAP. II.
MS. Audomarensis: Matheni sibeni agello colonus, quòd coaluit ex mi nate Nisibeni. Erit fortè quispiam, qui hinc Mathe Nisibeni exsculpat, & locum ita dictum in agro Nisibeno arioletur. Vulgò loco Nisibeni habetur Maroniaci. Apud Metaphrasten habetur Seuennia.

10. AD EREMVM CHALCIDOS.] Est Chalcis urbs Syriæ, in regione Chalcidicâ. Apud Ammianum Marcellinum libro XXIV. habes Chalcida Syriacam ciuitatem. Vide Onomasticon.

11. QVÆ INTER IMMAS ET BEROEAM.] Ita legendum ex manuscriptis. quidam manuscripti habebant Veroeam, sollenni quorumdam veterum more, ponentium V. loco B. In editionibus veteribus erat, quæ inter mimas & beroas. In Coloniensi editione, quæ inter Immam & Essam. Abutar otio, si monstrosas quorumdam manuscriptorum & editorum librorum lectiones repræsentem. Et Imæ & Berœa in Syriâ, quæ huic loco quadrant. Vide Onomasticon.

12. VT DVM ADVIVERET MATER.] Ita manuscriptus S. Floriani editi, Et dum adhuc viueret mater. Tertullianus de coronâ milit. cap. VII. Porrò si quæ aliæ idolis faciant, ad dæmones pertinent, quantò magis quòd ipsa sibi idola fecerunt, cùm aduiuerent. vbi non rectè Latinius, cùm adhuc viuerent, reponit. CAP. III.

13. DE BEROEA EDESSAM PERGENTIBVS.] Ita rectè MSS. Malè Coloniensis editio: De Beriâ ad Essam pergentibus. Est Berœa hîc Syriæ ciuitas, in Cyrrhesticâ regione. Edessa quoque hîc Syriæ est ciuitas.

14. VICINA PVBLICO ITINERI SOLITVDO, PER QVAM SARACENI.] Tenditur hæc latissima eremus ab Indiâ ad Mauritaniam vsque & Athlanticum Oceanum, vt scribit Hieronymus in caput XXI. Isaiæ.

15. ISMAELITÆ IRRVERVNT CRINITIS VITTATISQVE CAPITIBVS.] Veteres editiones, nudatisque capitibus. Sed benè MS. cum editione Coloniensi, vittatis. varius gentium habitus. Tertullianus libro de velandis virginibus capite X. Debebunt & ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum, aut stigmata Britonum. Isidorus libro XIX. Orig.

*cap.*XIIII. Nonnullæ gentes non solùm in vestibus, sed in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vindicant. vt videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorũ, stigmata Britonum. Circumcidunt quoque Iudæi præputia; pertundunt Arabes aures; flauent capitibus intextis Getæ; nitent Albani albentibus crinibus; Mauros habet tetra nox corporum, Gallos candida cutis; sine equis inertes extant Alani; nec abest genti Pictorum nomen à corpore, quòd minutis opifex acus punctis expressos natiui graminis succos includit, vt has ad sui specimen cicatrices ferat, pictis artubus maculosa nobilitas.

16. PALLIA ET LATAS CALLICVLAS TRAHENTES.] *Ita MS. S.Floriani. veteres editiones,* calligulas. *Coloniensis editio,* caligas. *Isidorus libro* XIX. *Orig. c.*XXXIV. Caliculæ caligæ vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur. Nam socci non ligantur, sed tantùm intromittuntur. *Notum, quàm frequenter olim g & c inter se commutarint. Vide Onomast.*

17. LONGO POSTLIMINIO.] *Festus:* Postliminium receptum, Galius Ælius in libro I. Significationum quæ ad Ius pertinent, ait esse eum, qui liber, ex quâ ciuitate in aliam abierat, in eamdem ciuitatem redit eo iure, quod constitutum est de Postliminiis. Item qui seruus à nobis in hostium potestatem peruenit, posteà ad nos redit in eius potestatem, cuius anteà fuit, iure postliminij. *Propriè hîc vsurpatur* postliminium *ab Hieronymo. Sæpè aliàs idem metaphoricè vsurpat. Vide Onomasticon.*

CAP.V. 18. ET PRONVBANTE NOBIS MOESTITIA.] *Vetus editio* pronubente.

CAP.VI. 19. CORPORA DEFVNCTA PORTABANT.] *Plinius lib.*XI. *cap.*XXX. *egregiè formicarum sedulitatem describit. inter cetera:* Sepeliuntur inter se viuentium solæ, præter hominem.

20. ET IVGI SVSVRRIO.] *Aliàs* susurro. *Apud Iobum cap.*IV. *veteres Patres legunt,* & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius.

CAP.VIII 21. DVOS CAMELOS SEDENTES.] *Vetus editio:* duos camelis sedentes. *Coloniensis*, duos camelis insidentes. *Sed lectio quam dedi, est ex MS. S. Floriani, & est locutio frequens mediæ ætati. Hieronymus ipse suprà in Vitâ S. Hilarionis cap.*IX. asinum sedens. *ita ibi MSS. Aelius Spartianus in Hadriano:* Sederi equos in ciuitatibus non siuit. *Sic Marci cap.*XI. *de pullo asinæ*: quem nemo adhuc sedit hominum. *Ita citat Ambrosius lib.*IX. *in cap.*XX. *Lucæ, initiò. Vulgatus nunc,* super quem, *&c. Idem lib.*IX. *in Lucam, initiò:* Et ideò pullus sedetur asinæ.

CAP.IX. 22. PVDICITIÆ TANTVM CONSCIENTIA PRO MVRO SEPTI.] *Verè pudicitiæ reuerentes sunt bestiæ. Non tantùm pudicis sæpè non obsunt, sed & eos tuentur. Illustre exemplum in Vitâ Chrysanthi & Dariæ* XXV. *Octobris, vbi Daria in lupanar detrusa à leone propugnata est. Et Thecla Martyrum fortissima maximeque pudica nunc leo, nunc leæna non tantùm non obfuit, sed & subsidio fuit. Vide Acta eius* XXIII. *Septembris. Frequens Hieronymo phrasis*, pro muro esse, *prouerbij specie. Vide Onomasticon.*

23. APPREHENSVM MORDICVS CATVLVM.] *Ita vetus editio, & manuscripti. Coloniensis editio,* apprehensos mordicus catulos. *Videri alicui possit non temerè numero singulari* catulum *positum. Sunt enim, qui semel tantùm à leænâ partum edi velint, etiam ratione allatâ. Plinius libro* VIII. *cap.*XVI. Semel autem edi partum, lacerato vnguium acie vtero in enixu, vulgum credidisse video. *Sed subdit ibidem Plinius diuersam aliorum sententiam:* Aristoteles diuersa tradit, *&c.* Is ergo tradit leænam primo fetu parere quinque catulos, ac per annos singulos vno minùs: ab vno sterilescere. *Vnde si leæna hîc* catulum *non* catulos *extulit, fuerit hic vltimus leænæ partus.*

24. CAMELOS, QVOS OB NIMIAM VELOCITATEM DROMEDARIOS VOCANT.] *Vopiscus Aureliano:* Victa igitur Zenobia cùm fugeret camelis, quos dromadas vocitant. CAP. X.

25. ET NOVA SITARCIA REFOCILLATI.] *Hæc vera scriptio & lectio. Quidam libri editi additâ interpretatione habent:* & nouâ sitarciâ, id est, annonâ refocillati. *Occurrit hæc vox in Biblijs, sed variè à varijs scripta.* I. *Reg. cap.*IX. Panes defecerunt de sitarciis nostris. *vbi* LXX *habent ἀγγεῖα*, vasa. *Regia editio,* sistartiis; *Louaniensis,* cistarciis; *Parisiensis,* sitarchiis. *sed benè Romana* sitarciis, *à σῖτος & ἀρκεῖν* annonam sufficere. *Vox hæc Latinè vsurpata Apuleio Milesiâ* II. *Augustino tom.* IX. *in Tractatu de Cantico nouo, Isidoro libro* XX. *capite* IX. *Orig.* Sitarciæ nautarum sunt, ab eo quòd sutæ sunt. *sed verum etymon ex Græco dedimus.*

26. SABINIANVM MESOPOTAMIÆ DVCEM.] *Ita MSS. & veteres editiones. Coloniensis*, Sabinum; *Lugdunensis,* Sabaudianum. *Sed rectum* Sabinianus. *quem tamen Ammianus libro* XVIII. *non Mesopotamiæ ducem, sed Magistrum militiæ in Oriente & Mesopotamia ponit.* Rebus per Mesopotamiam in hunc statum deductis, *&c.* stetit sententia, vt Sabinianus vietus quidem senex & benè nummatus, sed imbellis & ignauus, & ab impetrandâ magisterij dignitate per obscuritatem longè discretus, præficiendus Eois partibus mitteretur.

27. NON TAMEN ME EI CREDENS VT SORORI.] *Hieronymus epistolâ* II. *ad Nepotianum*: Hospitiolum tuum aut rarò aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige: ne sub eodem tecto mansites, nec in præteritâ castitate confidas. Nec Sampsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione suâ mulier eiecerit. *Apud eumdem tom.*IX. *in Regulâ monacharum quæ inscribitur Eustochio & reliquis virginibus ficto Hieronymi nomine, c.*XVIII. Nihil periculosius viro quàm mulier; nec mulieri quàm vir: vterque palea, vterque ignis. *Bernardus serm.*LXV. *in Cantica:* Cum feminâ semper esse, & non cognoscere feminam, nónne plus est quàm mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; & quod maius est, vis credam tibi?

VITA

VITA SANCTI [1] ONVPHRII EREMITAE

12. Iun.

AVCTORE [2] PAPHNVTIO ABBATE

INTERPRETE ANONYMO.

PROLOGVS *Interpretis anonymi.*

BEATI Onuphrij Vitam inter Græcorum commenta ſcriptam nuper reperi, vt quondam à venerabili ac prudentiſſimo viro, ſcilicet [3] Gregorio, ipſius geſta narrante, cognoui. *Gregorius huius Vitæ narrator.* Hanc Paphnutius, vir quoque ſanctiſſimus, Græco ſermone retexit ab exordio. *Paphnutius auctor.* Quem ego ſecutus, è Græco tranſtuli in Latinum, largiente Domino, vt eius probabilis vita ſecundùm vires meas manifeſtata, admirationem legentibus præbeat & imitationem. Non perpendite quæſo mei ſermonis ruſticitatem, ſed tanti laboris animo reuoluite longanimitatem: quam vir Deo plenus patienter ſuſtinuit, dum mundanæ vanitatis gloriam ſpreuit, & cæleſte regnum diſtrictè viuendo ſibimet hereditauit.

VITA.

BEATÆ memoriæ Paphnutius quædam cogitationum & actuum ſuorum ſecreta taliter reſerauit, dicens:

Cap. I. Quodam die dum ego Paphnutius ſolus taciturſque ſederem, cogitaui in corde meo, quòd deſerta peterem, & vniuerſa loca ſanctorum monachorum, piæque conuerſationis habitum luſtrarem, ac qualiter Deo miniſtrarent, conſiderarem. Vnde factum eſt, vt tacitus iter arriperem, & in eremum curſu deſiderabili properarem. *Luſtrando eremum multa perfert Paphnutius.* Panes itaque cum aquâ exiguâ mecum portaui, ne deficerem à labore itineris cœpti. Quarto autem die peracto, alimenta quæ mecum ſumpſi defecerunt: meaque membra nullo victu refocillata vires perdiderunt. Moxque diuinâ illuſtrante gratiâ, mors imminens ablata eſt: *Roboratur diuinitus.* aſſumptiſque viribus iter arripui, atque dies alios quatuor nihil guſtando peregi. His itaque completis nimiùm feſſus, humo proſtratus iacui velut mortuus. Extemplò quoque cæleſti ſolatus adiutorio, aſſiſtere mihi vidi virum, gloriâ mirabilem, ſplendore terribilem, pulchritudine laudabilem, magnitudine procerum, aſpectu præclarum. Quem vt adſpexi, vehementer obſtupui: ſed tamen ille vultu placido accedens, nunc manus, nunc labia mea tetigit, mihique vires potenter reſtaurauit. *Ab Angelo vires eius reſtaurantur.* Continuò lætus ſurrexi, Deoque fauente, per ſolitudinem exinde decem & ſeptem dierum curſum direxi: *Ioannes libello 3. n. 11.* quouſque ad locum, quem Dominus mihi famulo ſuo indigno prouidebat oſtendere, perueni: illic ab itineris labore ceſſaui.

Cap. II. Igitur dum feſſus requieſcerem, & quàm [4] ægrè profectus eſſem cogitarem: virum procul aſpectu terribilem vidi, in modum beſtiæ pilis vndique circumſeptum: *Onuphrius totus hirſutus.* cui tanta ſcilicet capillorum prolixitas erat, [5] vt corpus illius ipſorum diffuſione tegeretur. Pro veſtimento quoque folijs herbiſque vtebatur, quibus [6] ſubteriora renum tantummodò cingebat. Tali viſo homine, nimio perterritus ſum terrore, anxiatus vltrà quàm credi poteſt timore & admiratione: quoniam tam mira forma meis oculis numquam fuit oſtenſa in humanâ ſpecie. Quid facerem ignoraui: ſed quantum valui, fugam petij, montemque propinquum concito curſu adſcendi: ibique tremefactus corrui, atque me ſub frondium denſitate à facie illius abſcondi, multa dans ſuſpiria.

Defeci pænè ætate & labore abstinentiæ. Hic verò dum me cernebat in monte iacentem, voce nimiâ clamauit, & dixit: Vir Dei, descende de monte. noli timere: ego enim sum homo passibilis, tibi similis. His itaque consolatus verbis, mentem recepi, moxque descendi, & ad virum sanctum perueni, atque pedibus eius me timidus prostraui. Ille quoque me prohibens ante se iacere, Surge, inquit, surge: tu enim es Dei seruus, & vocaris Paphnutius, Sanctorum amicus. Statim surrexi: & quamuis fessus, tamen lætus ante eum sedi, iam feruenti desiderio, quis ipse, & qualis eius esset vita, cupiens dinoscere, dicens: Ecce votum adimpleuit, qui me per hanc eremum direxit. En artus mei fatiscentes aliquod sentiunt solatium: sed mens sitibunda non adhuc inuenit refrigerium. Idcircò te, senior, corde deuoto deprecor, atque per illum, ob cuius amorem huius solitudinis deserta habitas, te contestor, vt vnde sis aut quomodò voceris, seu quando huc adueneris, apertis mihi verbis denunties. Et vir Dei recognoscens, quàm libenti animo sententiam sui laboris audirem, dixit mihi:

Cognoscit Paphnutiū diuinitus.

CAP. III.

Quoniam te, frater dilecte, auidâ mente vitæ meæ longas ærumnas velle scire video, repetere me tibi non dubites has ab exordio. Ego, licet immeritus, vocor Onuphrius. & ecce non minùs sunt quàm [7] septuaginta anni, quòd in hoc deserto laboriosè vixi. Cum feris conuersatus sum crebriùs, pro pane comedi iugiter herbarum fructus, in montibus & in speluncis & in vallibus meum reclinaui miserabile corpus. Tot annis neminem nisi te solùm adspexi, alimentum à nullo hominum sumpsi, [8] in monasterio Hermopolim dicto nutritus, in prouinciâ Thebaidâ nominatâ: vbi simul pænè centum monachi degebât. Porrò vita illorum talis extitit, vt more & actione æquanimiter omnes viuerent, & vno corde & vno spiritu, iugo ac disciplinæ sanctæ regulæ colla submitterent, atque fluctus huius sæculi omnino non formidarent. Quidquid vni placebat, cunctis placebat. Mente sanctâ, fide purâ, charitate perfectâ ante Deum incedebant: cui die noctuque omni mansuetudine & patientiâ ministrare non cessabant. Tanta his erat taciturnitas cum abstinentiâ, vt nullus auderet nisi cum iustâ interrogatione, vel recto responso, reddere verbum. Ibi quoque pabulum sanctæ doctrinæ ab adolescentiâ suscepi: ibi regularis vitæ normam à fratribus didici, à quibus amabiliter diligebar: ab his, qualiter instituta mandatorum Dei seruare deberem, diligenter instruebar.

LXX. annis in eremo neminem vidit.

Erat è monasterio Hermopolis, vbi centum erant monachi.

Quod vni, cunctis placebat.

Mira ibi taciturnitas.

Profectò vitam beati Patris nostri Eliæ, venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui se in eremo in tantâ abstinentiâ & oratione studuit affligere, vt maximam virtutem à Domino meruisset accipere; & igneo curru transuectus, spiritus sancti dona quæ habuerat, discipulo impartiri, ac adhuc longæuus senio, mortis pœnam non videre. Insuper ad exemplum, beatum Baptistam Ioannem protulerunt, qui in noui Testamenti serie clarissimus effulsit, perque plurima annorum spatia diuino mancipatus officio, corpus suum macerauit, donec in Iordanis vndâ Redemptorem mundi baptizare dignus existeret, atque ipsum Dei Agnum esse, digito suo demonstraret.

CAP. IV. Exemplo Eliæ & Baptistæ ad eremum incitatur.

CAP. V.

Ego verò cùm talia eos recitantes audirem, dicebam illis: Quare, seniores mei, vitam & miracula eorum obstupescitis? aut cur illorum facta tam assiduè commemoratis? An sunt vobis fortiores, qui desertum habitant, an leuiores? At illi respondentes, dixerunt: Fili, fortiores nobis sunt, quia sine adiutorio humano viuunt. Nos itaque alter ab altero conspicimur, pariterque diuinum officium à nobis celebratur. Si quando cibum cupimus, paratum reperimus: si quando infirmitas, aut aliqua corporis imbecillitas irrepserit, statim cura fratrum cum omni sollicitudine nos adiuuat. In ædificijs lucidè constructis habitamus, in quibus & ab æstu solis cooperti sumus, & ab inundatione pluuiæ, & à turbine venti ac tempestate manemus defensi. Monachi verò, qui in deserto sunt, nihil consolationis nisi à Deo recipiunt. Si quando angustias aut tribulationes perpessi fuerint, vel cum diabolo antiquo humani generis inimico pugnare cœperint, quis eis astat? à quo adiuuantur? Sed [9] quibus humanum deest solatium, constat eos habere diuinum. Et si esuriunt, quis eis panem dabit? Si sitiunt, quis eis aquam tribuit, vbi panis & aqua non est? Maximus labor in desertis locis esse non dubitatur, vbi nihil necessarium reperitur. Primùm ergo, quando in solitudine definiunt habitare, in Dei timore certant firmiter stare. In fame & siti, in labore & passione corpora sua cruciant: contra diabolicas insidias viriliter dimicant: & vt vincant, contra tela nequissimi ignea gladijs spiritualibus pugnant. Antiquus etenim ille hostis, totius inuentor iniquitatis, studet eos subuertere, & in consortium malitiæ suæ implicare, atque de bonâ voluntate, quam inchoabant, retrahere; & mentes eorum mundanis voluptatibus iterùm irretire, vt in opere cœpto

Eremitarum vita fortior.

Commoda monasteriorum.

Palæstra eremitarum.

Eremitarum protector Deus. cœpto fatiſcant perſiſtere. Omnipotens ergo Deus, qui non derelinquit ſperantes in ſe, circumdat eos armis ſuæ potentiæ, vt hos incurſio ſatanæ non valeat proſternere, quos protegit celſitudo diuinæ miſericordię. *Eremitarum adiutores Angeli.* Quapropter ad eos Angeli Dei iugiter mittuntur, ac per manus illorum quæcumque neceſſaria crebriùs eis adminiſtrantur. Aquam de petrâ hauriunt, quod interpretatur Chriſtus. Scriptum eſt enim: *Iſa. 40.* Sancti qui ſperant in Domino, habebunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ: volabunt, & non deficient; current, & greſſus eorum non labentur. Et alibi: [10] Qui ſitiunt, de ſuperno fonte condiuntur, & herbarum folia in ore eorum tamquam fauus mellis dulceſcunt. Si autem aliquando diabolus aduerſus eos colluctatur, protinus ſurgunt: manus ſuas ad Dominum expandunt, preces ante diuinam maieſtatem fideliter fundunt: mox auxilio cæleſti ſubleuantur, & doloſa iacula inimici penitùs deſtruuntur. Non intelligis, fili, qualiter in *Pſal. 9.* Pſalmo legitur: Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum *Pſal. 106.* non peribit in æternum? Et iterùm: Exaudiuit eos Dominus in die tribulationis, & de omni anguſtia liberauit eos. E nimuerò *1. Cor. 3.* vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, *Prou. 28.* ſecundùm ſuum laborem. Beatus eſt enim vir, qui ſemper eſt pauidus, & voluntatem Dei in hac præſenti vitâ & fragili ſtudioſus agit. *Angeli ſanctis & iuſtis famulantur.* Certiſſimè ſcias, ô fili, quoniam Angeli Dei ſanctis ac iuſtis viris quotidie famulantur, atque è virtute ſupernâ corpora & animæ illorum iugiter illuminantur.

Cap. VI. Tali denique ratione ego pauper Onuphrius à ſanctiſſimis Patribus in meo monaſterio ſubtiliter inſtructus, cœpi tacitâ mente tractare, quàm glorioſâ felicitate perfruuntur in cælis, qui certamina laborioſa propter amorem Domini tolerarunt in terris: cor meum ardebat, mens mea deſiderabiliter feruebat mundi gaudia penitùs ſpernere, patriæ cæleſti totis viribus appropin- *Pſal. 72.* quare, ſicut Pſalmiſta edocet, dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.

Cap. VII. Dumque hæc ſollicitus excogitarem, nocte ſilenti concitus ſurrexi, paruum panem mecum detuli cum exiguis leguminibus, vt vix vſque in quartam diem ſufficeret: ſicque ſecundùm Dei diſpenſationem & eius pietatem profectus ſum, vt mihi oſtenderet meæ habitationis locum. Egrediente autem me de monaſterio in montana, veni in deſertum: cogitanſque vt manerem ibi, continuò lumen ſplendidum ante me, quaſi obuians mihi, vidi. Quo viſo, valdè timui. Idcircò quoque putaui, me debere ad monaſterium regredi, vnde exiui. Extemplò autem de radio præclari luminis vir adſpectu pulcherrimus acceſſit ad me, & dixit mihi: Noli paueſcere, ego enim ſum Dei [11] Angelus, tibi ad cuſtodiendum ab ortu tuo prouidentiâ diuinâ deſtinatus, vt iubente Deo tecum manerem, & te in hanc eremum ducerem. *Ab Angelo Cuſtode deducitur Onuphrius.* Perfectus eſto, humilis incede coram Domino, cum gaudio labora, cor tuum in omni cuſtodiâ conſerua, viue ſine querelâ, in bono opere perſeuera. Ego verò te non derelinquam, donec animam tuam in præſentiam ſummæ maieſtatis offeram. Hæc locutus eſt mihi Angelus, iter inceptum mecum comitatus.

Cap. VIII. Pergebamus ita ſimul ſex milliaria vel ſeptem, & ad quamdam venimus ſpeluncam nimis decoram. Appropiaui, volens ſciſcitari, ſi fortè quiſpiam intus maneret. Secundùm conſuetudinem monachorum clamare cœpi, [12] benedictionem humillimè petij. *Benedictionem ab eremitâ petit.* Inde virum ſanctiſſimum exire vidi, quem proſtratus humo tenus adoraui. Ille verò manus ſuas mihi porrexit, de terrâ me eleuauit, [13] oſculum mihi pacis tribuit, atque dixit: *Oſculo pacis ab eodem excipitur.* Tu es enim frater meus, eremiticæ cooperator vitæ, ô fili ingredere. Deus tibi concedat, vt timor eius in te permaneat, opus tuum in illius conſpectu complaceat. Statim cum eo ſpecum introiui, dieſque plures apud illum pauſaui, opera eius cupiens diſcere, & ſolitariam habitationem curioſiùs inueſtigare: ipſe quoque vt meum deſiderium agnouit, conſilium honorabile mihi præbuit: ac qualiter inſidias diaboli ſuperare deberem, verbis charitatiuis gratanter patefecit. Tranſactis itaque quibuſdam diebus, talibus admonuit me verbis, dicens: Fili ſurge, mecum perge: interiora deſerti debes intrare, & in aliâ ſpeluncâ ſolus habitare: ibi ſi viriliter dimicas, *Ad interiora deſerti ducitur.* omnia dæmoniorum tentamenta ſuperas. Idcircò verò Deus in hoc deſerto vult te probare, ſi mandatis eius fideliter velis obedire. Fidelia omnia mandata eius, confir- *Pſal. 110.* mata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate. Vir autem ſanctus hæc dicens, ſurrexit: & mecum in interiora deſerti iter quatuor dierum perrexit. Quintâ verò die deuenimus in locum, qui [14] Calidiomea dicitur: ibi palmæ propinquæ erant. Tunc vir Dei inquit: Ecce fili, vide locum quem tibi Dominus præparauit ad manendum. Fuit autem ille mecum ſpatio triginta dierum, edocens me ſeruare [15] cautâ diligentiâ doctrinam Dei mandatorum. Quibus ita peractis, oratione ſuâ ſanctâ Domino

me commendauit: & separatus à me, ad propria remeauit. Per singulos verò annos solitus erat me visitare, ac quali industriâ & simplicitate deberem viuere, diuinis alloquiis non cessabat admonere.

CAP. IX. *Moritur Onuphrij director.*

Quodam autem tempore iuxta consuetudinem ad me veniens, inter verba salutationis prostratus in terram corruit: Dominoque remittens animam, obdormiuit. Quod cùm viderem, nimis sum contristatus: & deuolutus humi, lacrymis obortis vberrimè fleui. Corpus eius mox accepi, & secus Calidiomeam terræ commendaui.

CAP. X.

Dum autem ego Paphnutius à viro sanctissimo Onuphrio, rationis huius loquelam audirem, inquam ad eum: Pater sancte, laborem esse non modicum iam sentio, quem pro nomine Christi tolerasti in hac eremo. Vir sanctus respondit: Mihi frater crede dilectissime: in deserto sustinui, vt sæpiùs putarem me morte superari. [16] Absque etiam multoties vitæ, vt vix halitum in corpore sentirē remanere. Per diem æstu & igne solis ardētis vrebar, per noctem rore & pruinâ infectus, fame & siti defectus. O quanta & qualia passus sum! Non sufficit, neque quempiam decet plagas ac labores enarrare, quos homo moriturus pro Dei viuentis amore debet tolerare. Reddet Dominus mercedem laborum Sanctorum suorum. cuius diuitiæ sicut non augentur, ita nequaquam minuentur. Per quem enim famem, sitim, frigus & æstum, atque multigenarum cruciamenta molestiarum sustinui, potens est cum diuitiis cælestibus inter Angelorum cateruas me consolari: alimenta verò spreui corporalia, vt dignus acciperem spiritalia. Sanctus enim Angelus quotidie panem mihi offerebat, & aquam pro mensurâ ministrabat, vt corpus meum confortaretur, ne deficeret, & iugiter in laude Dei perseueraret. Arbores palmarum ibidem constitutæ erant, [17] quæ duodecies in anno dactylorum fructus germinabant. Quos per singulos dies colligens, pro pane edebam, mixtos herbarum foliis: & erant in ore meo tamquam fauus mellis. Nam in Euangelio legitur: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Frater Paphnuti, si implere studes voluntatem Dei, omnia tibi necessaria præparantur ab eo. Vnde ipsa Veritas admonet, dicens: Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis, neque corpori vestro quid induamini: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Multa oportet pati pro futurâ gloriâ. Sap. 10. *Spernens corporalia accipit spiritualia. Quotidie panem & aquam ab Angelo accipit. Palmæ duodecies in anno fructificantes.* Matth. 4. Matth. 6.

CAP. XI.

Cumque hoc à beato viro Onuphrio intentiùs auscultarem, mirans in sermonibus & actibus ac laboribus illius, dixi: Pater benigne, [18] die Dominico vel Sabbato Communionem percipiebas ab aliquo? At ille respondens, ait: Omni die Dominico vel Sabbato Angelum Domini paratum inuenio, sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi secum deferentem: de cuius manu mihi pretiosissima donantur munera, vitæque meæ salus perpetua. Verùm etiam omnes, qui vitam spiritalem ducunt in eremo monachi, tali participantur gaudio. Hi verò sancti eremitæ, qui hanc solitudinem habitant, si fortasse aliquando videre hominem desiderant, ilicò in cælum ab Angelo deportantur: visionem illic animæ iustorum, fulgentium sicut sol in regno Patris eorum, ibi multitudinem contemplantur Angelorum, suasque animas cœtibus mixtas beatorum. Quare omnes qui in agone contendunt, totâ mente, toto corde, totis viribus in bono opere feruent, quatenus gloriam cælestis patriæ cum Christo & cum Sanctis mereantur possidere. Ista denique omnia, venerando Onuphrio narrante, cognoui [19] iuxta summitatem ipsius monticelli, vbi obuiauit mihi. Ita videlicet gaudium meum impletum est, vt omnem aduersitatem, quam in itinere tuleram, traderem obliuioni.

Die Dominico ab Angelo Communionem accipit. Item socij eremitæ. Qui & in cælum subinde rapiuntur.

CAP. XII.

Credo, inquam, Pater, inter felices me deputari, quia videre te & opera tua egregia promerui. Verba tua nimis pulchra, omni dulcedine mellita, ita mei penetrant cordis intima, vt possim dicere cum Psalmistâ: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo! Qui ait: Fili, mecum vade: locum meæ habitationis conspice: parcamus paululùm verbis. Continuò surrexit, præiuit: secutus sum. Duxit me secum quasi trium milliariorum iter: venimus Calidiomeam in spiritalem locum, arboribus palmarum gratanter ornatum. Ibi preces Domino fudimus: eisque completis in terram sedimus, in diuinis altercantes eloquiis. Sole iamiamque in occasum verso, vidi panem positum cum aquâ exiguâ. Vir etenim Dei sentiens me fatigari, dixit mihi: Profectò fili, cerno te periclitari, nisi cibum capias. Surge ergo & comede. Cui inquam: Viuit Dominus, & benedictus Dominus Deus meus, in cuius conspectu erimus: non manduco, neque bibo, donec charitate purâ pariter cibum sumimus. Igitur vix eum coëgi, vt faceret quod volui. Verumtamen vt meum agnouit desiderium, panem fregit, tribuit mihi: manducauimus, & saturati sumus nobis-

Psal. 118. *Orant pariter.* 3. Reg. 17. *Cibum simul sumunt.*

nobisque fragmenta superfuerunt edentibus. Noctem illam insomnem pænè duximus, diuinisque laudibus immorati sumus.

CAP. XIII. *Orationis matutinæ hora.* Manè facto, post horam orationis, videbam vultum eius pallore ita mutatū, & quid acciderit quæsiui ab eo. Qui ait: Non expauescas frater Paphnuti, quoniam omnipotens Deus recto itinere in hanc solitudinem direxit te, vt honorificè sepelias me, atque corpus meum commendes terræ. Hac etenim horâ anima carnis vinculis absoluitur, atque ad creatorem suum in cæleste regnum deportatur. Frater amantissime (scio namque desiderium tuum) quando redieris in Ægyptum, memorare mei in præsentiâ fratrum tuorum, & in conspectu omnium Christum colentium.[20] Hæc est postulatio mea, quam impetraui à Domino Deo. Si quis oblationem ob amorem nominis mei ante conspectum Domini nostri Iesu Christi,[21] & ad laudem eius immolat, ab omni tentatione diaboli, & à vinculo prauitatis humanæ liber existit, atque cum sanctis Angelis in regno cælorū æternæ hereditatis capax fiet. *Liberatur ab omni tentatione, qui in memoriam Onuphrij sacrificat.* Si quis verò oblationem non valet offerre, vel præ inopiâ redimere,[22] is in nomine Domini & ad honorem illius eleëmosynam pauperi tribuat, & ego orabo pro eo in conspectu Dei, vt dignus in cælestibus vitâ supernâ perfrui valeat. *Eleëmosynam dat,* Si quis neque oblationem, nec eleëmosynam potest offerre, pro charitate meâ incensum Domino Deo nostro in odorem suauitatis accendat, & ego rogo pro eo, vt gaudium perenne possideat. *Thus offert,* Cui inquam: Pater mi, ne irascaris si loquar: Si incensum nec quis habet, nec facultatis aliquid,[23] vnde Deum placare potest: vt tamen tuâ benedictione non careat, in quacumque tribulatione te inuocat? Tunc ille respondit: Si quis pauper in deserto, vel in aliquo alio loco oblationem aut eleëmosynam seu incensum non habeat ad immolandum; surgat, & manus suas ad Dominum extendat, ter Dominicam orationem, id est, Pater noster, pro me cum intentâ mente, & in nomine sanctæ Trinitatis psallat. *Pater noster recitat.* Ego verò pro ipso ad Dominum intercedo, vt vitæ cælestis mereatur particeps fieri cum omnibus Sanctis Dei.

CAP. XIV. Iterùm dixi ad eum: Domine si dignus essem, aut si donis gratiæ tuæ mihi liceret, post obitum tuum locum istum libentissimè obtinerem. At ille ait: Nequaquam tibi fili conceditur, nec idcircò misit te Deus in peregrinationem istius solitudinis, vt hîc obtineres locum habitationis: sed vt cum iustis, qui in deserto sunt, gratuleris; & intimare ea studeas mundo, quæ cognouisti in eremo. In Ægyptum perge: ibi esto vsque ad finem vitæ tuæ; opus bonum perfice, & accipies coronam perpetuæ gloriæ.

CAP. XV. *Lxx. annis vixit in eremo Onuphrius.* Hæc cùm homo Dei loqueretur, aduolutus sum pedibus eius, dicens: Pater chare, scio enim quia quidquid petieris à Deo, dabit tibi Dominus propter immensum laborem certaminis longissimi, quo corpus tuum afflixisti septuaginta annis pro nomine Domini: præbe ergo mihi munera tuæ sanctæ benedictionis, quatenus tibi in virtute efficiar similis, & tuâ interuentione spiritus meus dirigatur, & in futuro tecum participari merear. Qui mox econtrà respondens, protulit ista: Paphnuti, ne contristeris: petitio tua, tribuente Domino, erit stabilis. Sta in fide, viriliter age, oculos cum mente ad Deum erige, in mandatis corroborare, *1. Cor. 16.* bonum facere impiger contende, & vitam æternam apprehende. Protegant te Angeli Dei, & conseruent te ab omni consilio prauitatis, vt purus ante Deum & immaculatus in die sui examinis inueniaris. Post hæc surrexit, & ad Dominum lacrymans orauit, genua flexit, atq; subitò dixit, In manus tuas Deus commendo spiritum meum. Cumque hæc dixisset, lumen splendidum corpus eius obumbrauit, & in ipsius claritate luminis anima sancta carne soluta est. *Moribundus luce cingitur.*

CAP. XVI. *Angelorum concentu anima Onuphrij in cælum defertur.* Repentè verò vocem Angelorum multorum audiui, laudantium Deum, & in discessu sanctissimæ animæ S. Onuphrij,[24] æthera scilicet Angelicis canticis resonantia, gaudium ineffabile astris intulerunt, per quę cælestes exercitus animam militis inclyti cælis inuexerunt. Mox oculi mei fletu profluunt, interiora gemitus producunt, lacrymarum riui manarunt, planctus mei miseri Paphnutij exuberant: illud flebilis planxi, quia quem vix inueni, diutiùs habere non potui. Deinde[25] tunicam meam per dimidium scidi, vnâ parte indutus sum, in alteram collocaui corpus beatum, & sepeliui illud in sepulchro quod excisum erat de petrâ. *Sepelit Onuphrium Paphnutius.* Tunc videns me solum remanere, iterùm cœpi lugere. Ita mœrens surrexi, speculq; illius habitaculum intrare volui. Deniq; me adstante, ipsa spelunca cecidit cum magnâ ruinâ, & palmæ radicitus erutæ simul procubuerūt. *Spelunca & palma corruunt.* Cognoui itaq; ego Paphnutius, quia non esset voluntas Domini, me in loco illo habitare: secessi inde, in Ægyptū redij: ibiq; Ecclesiæ retuli quæ vidi & audiui.

Obiit 11. Iunij. Sanctus igitur Onuphrius obijt mense Iunio, die vndecimo, id est, tertio Idus eiusdem mensis. Ibi beneficia eius pręstantur vsque in præsentem diem: ad laudem & gloriam Dñi nostri IESV Christi, cui est honor & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

NOTATIO.

ONVPHRII.] *Apud Metaphrastem* XI. *Iunij dicitur* Honophrius. *Martyrologium Romanum* XI. *Iunij*: In Aegypto sancti Onuphrij anachoretæ, qui in vastâ eremo sexaginta annos vitam religiosè peregit, & magnis virtutibus ac meritis clarus migrauit in cælum: cuius insignia gesta Paphnutius abbas conscripsit. *Menologium Græcorum eodem die*: Sancti Patris nostri Onuphrij Ægyptij, qui cùm esset in cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de Eliæ prophetæ & Ioannis præcursoris vitâ, egressus ex cœnobio habitauit eremum annos sexaginta, hominem omnino non videns. vbi post admirabilem vitæ monasticæ conuersationem in cælum migrauit. quem magnus Paphnutius sepeliuit. Cuius dies natalis celebratur XII. Iunij, in sanctissimo eius oratorio, in monasterio S. Alipij. *Eadem in Menæis, sed quibusdam additis, quæ non exscribo, ne Notæ excrescant.*

Alius est Onuphrius, cuius mentio extat apud Metaphrastem in Actis SS. Galationis & Epistemis MM. v. Nouembris, quæ recitat Lipomanus tom. v. & Surius tom. VI. Qui vixit eo tempore, quo Gentilium in Christianos persecutio sæuiebat. Menologium sub Decio eorum martyrium ponit. Vixit autem apud Emesam Phœniciæ, quæ ad montem Libanum est. Non fuit ille segregatus ab hominum consortio, vt noster hic. Eius precibus Leucippe, antè sterilis, prolem impetrauit Galationem.

1. PAPHNVTIO.] *Varij fuere Paphnutij, de quibus vide hic ad librum* II. *Ruffini cap.* XIII. *De Paphnutio confessore dixi ad Vitam S. Antonij capite* XXX. *n.* 68. *Acta hac Paphnutio auctore (quo tamen Paphnutio, nondum mihi constat) habes etiam apud Metaphrastem, sed Timothei anachoretæ vitâ, & quibusdam alijs intermixtis. quæ recitat Lipomanus tom* VI. *& Surius tom.* III. *Iunij* XI. *Gentiano Herueto interprete. Sed & aliam interpretationem Actorum Onuphrij, quibus etiam intexta est Timothei anachoretæ vita, accepi ex monasterio S. Iacobi Leodij. sed vulgatam hactenus in Vitis Patrum malui nunc retinere: cuius quidem nullum MS. Latinum exemplar habui, sed Græcum tamen textum è Boicâ Bibliothecâ accepi.*

PROLOG. 3. GREGORIO.] *Quis hic Gregorius sit, nondum mihi liquet.*

CAP. II. 4. ÆGRE.] *Vetus editio*, peregrè. *Intelligit per hoc, vt opinor, procul: nisi fortè ibi legendum* peræ̨grè. *Sanè peragrè se profectum viribus deficientibus, testatur ipse capite præcedente.*

5. VT CORPVS ILLIVS IPSORVM DIFFVSIONE TEGERETVR.] *Hieronymus suprà Prologo in Vitam S. Pauli primi eremitæ:* Subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem. *In Vitâ Macarij Romani infrà cap.* XV. Capilli capitis totum viri corpus operuerunt.

6. SVBTERIORA RENVM.] *Intelligit pudenda tantùm foliis herbisque velata.*

CAP. III. 7. SEPTVAGINTA ANNI.] *Ita vett. editiones cum Coloniensi. Martyrolog. Rom. Menologium Græcum, Menæa & Metaphrastes habent* sexaginta anni.

8. IN MONASTERIO HERMOPOLIM DICTO NVTRITVS, IN PROVINCIA THEBAIDA.] *Græcè est:* Ὤικουν γὰρ πρότερον ἐν ἀζαγῇ μοναστηρίῳ Θηβαίων χώρας ἐπιλεγομένης ἐρημοπολίτης. Habitabã priùs in abage monasterio, regionis Thebaidis, quæ dicitur eremopolites. *Non dubium corruptum esse* ἐρημοπολίτης *pro* Ἑρμοπολίτης. *quomodo & in Menæis restituendum* ἐν Ἑρμουπόλει Θηβῶν, *pro* ἐρήμου πόλει. *Apud Metaphrasten est:* Habitaui autem anteà in sancto monasterio, quo nomine appellatur Eriti Hemepolitani Thebanorum regionis. *sine dubio corruptè. Ex Herueti versione* in sancto monasterio, *apparet eum repperisse in Græco* ἐν ἁγίῳ μοναστηρίῳ, *quomodo fortè antè legendum pro* ἐν ἀβαγῇ μοναστηρίῳ.

9. QVIBVS HVMANVM DEEST SOLATIVM, CONSTAT EOS HABERE DIVINVM.] *Hoc expertus est S. noster Xauerius, qui cùm Romæ esset, humanum habebat solatium à sociis; at dum inter barbaros & feras solus versatur, ad Deum confugit, qui mirificis eum gaudiis perfudit.* CAP. V.

10. QVI SITIVNT, DE SVPERNO FONTE CONDIVNTVR.] *Nondum mihi locus hic in Sacris litteris occurrit. Paulò aliter citat Metaphrastes, & ex Isaiâ ait desumptum.*

11. ANGELVS TIBI AD CVSTODIENDVM AB ORTV TVO.] *Angeli Custodis meminêre varij Patres. Hieronymus libro* III. *Comment. in Matth. capite* XVIII. Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. *Idem in c.* LXVI. *Isaiæ*: Quòd autem vnusquisque nostrûm habeat Angelos, multæ Scripturæ docent. E quibus illud est: Nolite contemnere vnum de minimis istis, quia Angeli eorum vident quotidie faciem Patris, qui est in cælis. & puellâ Rhode Petrum Apostolum nuntiante, alij Angelum ipsius esse credebant. Sin autem hoc de minimis dicitur, & de vno homine, quantò magis de omnibus sanctis, & præcipuè de Apostolis, sentiendum est? quorum Angeli quotidie vident faciem Patris, iuxta illud quod scriptum est: Circumdat Angelus Domini in circuitu timentium eum. & Iacob de se loquitur: Angelus qui liberauit me. Isti sunt, qui ascendunt & descendunt super Filium hominis. *Apud Augustinum libro Soliloquiorum cap.* XXXII. Facis Domine Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, vt custodiant me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Ierusalem. CAP. VII. Matth. 18. Act. 12. Psal. 33. Gen. 48. Psal. 130. Psal. 90.

12. BENEDICTIONEM HVMILLIME PETII.] *Benè addit*, secundùm consuetudinem monachorum. *Nihil frequentius in his Vitis, quàm vt aduentans hospes benedictionem ab hospite excipiente petat.*

13. OSCVLVM MIHI PACIS TRIBVIT.] *Solent olim aduentantes excipere osculo ij, apud quos diuertunt. Vide Onomasticon.* C. VIII.

14. CALIDIOMEA.] *Non dubito, quin interpres in codicem Græcum deprauatum inciderit, &* Calidiomea *ortum ex* Καλύβη νέα, *vel simili. Certè Græcè hîc est,* καλυβῷ μικρῷ. *sic & cap.* IX. Et secus Calidiomeam terræ commendaui. *vbi Græcè,* Καὶ κατεθέμην τὸ λείψανον αὐτοῦ πλησίον τῆς ἐμῆς καλύβης. & posui

reli-

reliquias eius iuxta meam calybem siue tugurium. *& cap.* XII. Venimus Calidiomeam, in spiritalem locum, arboribus palmarum granter ornatum. *Græcè*: Κατηλάσομεν καλύβην σημειοτάτην ἔχουσαν καὶ φοινίκων πλῆθος ἱστῶσαν. Venimus ad calybem seu tugurium maximè religiosum, quod palmam iuxtà consistentem habebat.

15. CAVTA DILIGENTIA.] *Vetus editio*: cautem dignitatem.

CAP. X. 16. ABSPES ERAM.] *Ita rectè manuscripti, & vetus editio: Coloniensis*, ab speceram. *Dictum* abspes, *vt* exspes.

17. QVÆ DVODECIES IN ANNO DACTYLORVM FRVCTVS GERMINABANT.] *Infrà apud Ioannem libello* III. *n.* II. *nomine* Anonymi, *eadem res paullò clariùs proponitur.* Inueni istam palmam afferentem mihi botryones duodecim dactylorum. Per singulos menses adfert mihi vnum botryonem, qui mihi sufficit triginta diebus, & post hunc maturatur alter.

CAP. XI. 18. DIE DOMINICO VEL SABBATO COMMVNIONEM PERCIPIEBAS.] *Aliqui libri*; & Sabbato. *Græcè est*: Πόθεν κοινωνεῖς; ἐν Σαββάτῳ ἢ Κυριακῇ; Quando communicas? Sabbato, an Dominico?

19. IVXTA SVMMITATEM IPSIVS MONTICELLI.] *Græcè*: Ὑπὸ κάτωθεν τῷ πτερυγίῳ τοῦ ὄρους. *Hoc tantùm loco mihi lectus* monticellus *à monte, pro monticulo.*

CAP. XIII. 20. HÆC EST POSTVLATIO MEA.] *Singulare omnino Onuphrij priuilegium & apud Deum gratia. In Flerario SS. MS. breue huius priuilegij compendium;* Migrauit à sæculo anno salutis CCCLXX. Hic enim petiit & obtinuit à Domino, vt si quis memoriam eius fecerit seu oblationes, aut pauperes pauerit in nomine eius, aut memoriæ suæ librum scripserit, dimittantur illi vniuersa peccata. Et cùm anima exierit de corpore, erit munda à peccatis, quasi modò genitus infans. *Priuilegia autem hæc, quia in quibusdam libris verba variant, sanè semper intelligenda.*

21. ET AD LAVDEM EIVS.] *Ita est in editione Coloniensi. Veteribus deest.*

22. IN NOMINE DOMINI ET AD HONOREM ILLIVS ELEEMOSYNAM, &c.] *Ita editio Coloniensis. Vetus*: ille pro amore meo in nomine Domini eleëmosynam.

23. VNDE DEVM PLACARE POTEST.] *Ita Coloniensis editio. Vetus:* Vnde te placare potest.

24. ÆTHERA SCILICET ANGELICIS CANTICIS RESONANTIA.] *Refertur quidem* Æther *inter Anomala masculini generis plurali carentia, hîc tamen eius neutrum plurale habes. quod & alibi ex æthere & aëre inuenies. Vide Onomasticon.* CAP. XVI.

25. TVNICAM.] *Græcè* λεβιτωνάριον. *Haud dubiè intelligitur* lebitonarium, *vt apud Metaphrasten est. Quod & alibi hîc occurrit. Vide Onomasticon.*

26. DIE VNDECIMO.] *Ita omnes editiones. & Florarium SS. MS. Græcè tamen est* δωδεκάτῃ, duodecimo. *Atque ita Martyrologium Romanum, Menologium Græcum, & Menæa. Apud Metaphrastem est*: Erat autem dies sextus quidem decimus Pauen, nonus autem Iunij mensis apud Romanos. *Quod quomodo intelligendum sit, vide in Onomastico in* Mensium Tabulâ.

Quòd Florarium SS. MS. annum obitus Onuphrij ponit CCCLXX. *nescio vnde hauserit.*

Manuscriptus Leodiensis S. Iacobi vltimo capite habet de leonibus sepulcrum vnguibus suis Onuphrio effodientibus, cuius mentionem feci ad Vitam S. Pauli primi eremitæ cap. XIII. *n.* 50. *Deest hæc huic Vitæ, & apud Metaphrastem.*

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

IN

IN VITAM S. PACHOMII PRÆLVDIA.

ILLVSTRIVM VIRORVM DE SANCTO PACHOMIO ELOGIA.

SOZOMENVS *Hist. Eccl. lib.* III. *cap.* XIII.

ΠΑΧΩΜΙΟΣ ἀρχηγὸς ἐγένετο τῶν καλουμένων Ταβιννισιωτῶν. σχῆμα δὲ τούτοις ἦν καὶ πολιτεία ἔν τισι παρηλλαγμένη τῆς ἄλλης μοναχικῆς, πρὸς ἀρετὴν μέντοι ὁρῶσα, καὶ τὴν ψυχὴν προσερεθίζουσα, τῶν ἐπὶ γῆς καταφρονεῖν. ἄνω δὲ ὁρᾷν, ἵν' εὐμαρῶς ἐπὶ τὰ οὐράνια χωροίη, ἡνίκα τοῦ σώματος ἀπαλλαγείη, &c.

Pachomius Præses fuit eorum, qui vocantur Tabinisiotæ. Quibus quidem habitus erat & vitæ institutio à reliquorum monachorum disciplinâ in quibusdam rebus discrepans, in virtutis contemplatione aciem mentis defigens: animum sic tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationem excitans, vt cùm è corporis custodiâ migraret, aditum ad cælum haberet perfacilem, &c.

GENNADIVS *de illustr. Eccles. Script. cap.* VII.

Pachumius monachus, vir tam in docendo quàm in signa faciendo Apostolicæ gratiæ, & fundator Aegypti cœnobiorum, Scripsit

[1] *Regulam* vtrique generi monachorum aptam, quam Angelo dictante perceperat. Scripsit &

Ad collegas præpositura suæ [2] *epistolas*, in quibus alphabetum mysticis tectum sacramentis, velut humanæ consuetudinis excedens intelligentiam, clausit, solis, credo, eorum gratiæ vel meritis manifestatum.

Vnam ad Abbatem Syrum. *Vnam ad Abbatem Cornelium.*

Ad omnium monasteriorum Præpositos, vt in vnum antiquius monasterium, quod linguâ Ægyptiacâ *Baum* vocatur, congregati, Paschæ diem velut æternâ lege celebrent, *epistolam vnam.*

Similiter & ad diem Remissionis, quæ mense Augusto agitur, vt in vnum Præpositi congregarentur, *epistolam vnam.* Et

Ad Fratres, qui foras monasterium missi fuerant operari, epistolam vnam.

TRI-

TRITHEMIVS *libro de Script. Eccles.*

BACHOMIVS abbas, & monachorum sui temporis institutor permagnificus, fundator multorum cœnobiorum, ac vir sanctissimæ conuersationis, multis in vitâ & post mortem coruscans miraculis, cùm esset vir doctus, & in diuinis Scripturis eruditus, Scripsit ad ædificationem Fratrum multas epistolas, de quibus subiectæ referuntur:

Ad Cornelium abbatem epist. I.
Ad Syrum abbatem epist. I.
Ad Præpositos cœnobiorum epist. I.
Ad fratres operantes epist. I.
Regulam quoque monachorum lib. I.

Claruit sub Valentiniano & Theodosio principibus, anno CCCXC.

DE DIONYSIO EXIGVO HVIVS VITÆ INTERPRETE.

CASSIODORVS *Instit. diuin. cap.* XXIII.

DIONYSIVS monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in vtraque linguâ valdè doctissimus, reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat æquitatem: qui Scripturas diuinas tantâ curiositate discusserat atque intellexerat, vt vndecumque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliquâ dilatione responsum: qui mecum dialecticam legit, & in exemplo gloriosi magisterij plurimos annos vitam suam præstante Domino gloriosè transegit. Pudet me de consorte dicere, quod in me nequeo reperire.

Fuit enim in illo cum sapientiâ magna simplicitas, cùm doctrinâ humilitas, cum facundiâ loquendi parcitas: vt in nullo se vel extremis famulis anteferret, cùm dignus esset Regum sine dubitatione colloquiis. Interueniat pro nobis, qui nobiscum orare consueuerat: vt cuius hîc sumus oratione suffulti, eius possimus nunc meritis adiuuari.

Qui petitus à Stephano episcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus [4] *Canones Ecclesiasticos* moribus suis, vt erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit, quos hodie vsu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. Hos etiam oportet vos assiduè legere, ne videamini tam salutares Ecclesiasticas Regulas culpabiliter ignorare.

Alia quoque [5] *multa ex Græco transtulit in Latinum*, quæ vtilitati possunt Ecclesiæ conuenire. Qui tantâ Latinitatis & Græcitatis peritiâ fungebatur, vt quoscumque libros Græcos in manibus acciperet, Latinè sine offensione transcurreret, iterumque Latinos Attico sermone relegeret, vt crederes hoc esse conscriptum, quod os eius inoffensâ velocitate fundebat.

Longum est de illo viro cuncta retexere, qui inter reliquas virtutes hoc habuisse probatur eximium, vt cùm se totum Deo tradidisset, non aspernaretur sæcularium conuersationibus interesse. Castus nimiùm, cùm alienas quotidie videret vxores; mitis, cùm ferè gentium vesano turbine pulsaretur. Fundebat lacrymas motus compunctione, cùm audiret garrula verba lætitiæ. Ieiunabat sine exprobratione prandentium, & ideò conuiuiis gratanter intererat, vt inter corporales epulas inquisitus, spiritales copias semper exhiberet. Quòd si tamen aliquando comederet, paruo quidem cibo, sed tamen escis communibus vtebatur.

batur. Vnde summum genus æstimo patientiæ, inter humanas esse delicias, & abstinentiæ custodire mensuram. Sed, vt bona mentis eius infucatâ laude referamus, erat totus Catholicus, totus paternis Regulis perseueranter addictus, & quidquid possunt legentes per diuersos quærere, in illius scientiâ cognoscebatur posse fulgere. Cujus nomini aliqua praui homines calumniosè nituntur ingerere, vnde sua videantur errata aliquatenus excusare. Sed ille iam sæculi peruersitate derelictâ, præstante Domino, in Ecclesiæ pace sepultus, inter Dei famulos credendus est habere consortium.

V. BEDA *de ratione Temp. cap.* XLV.

Primi decemnouennalis circuli versu temporum ordo præfigitur, quem Græci calculatores à Diocletiani principis annis obseruauere: sed Dionysius, venerabilis abbas Romanæ vrbis, & vtriusque linguæ, Græcæ videlicet & Latinæ, non ignobili præditus scientiâ, *Paschales scribens circulos,* noluit eis (sicut ipse testatur) memoriam impij persecutoris innectere; sed magis elegit ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & caussa reparationis humanæ, id est, Passio Redemptoris nostri euidentiùs eluceret.

SIGEBERTVS *Catalogo illustr. Eccles. Script. cap.* XXVII.

DIONYSIVS, abbas Romanus, cognomento EXIGVVS, geminâ scientiâ Græcè & Latinè clarus, transtulit de Græco in Latinum [6] *Proterij Alexandrini episcopi scripta* ad Leonem Papam *de celebrando Pascha* in anno Domini CCCCLV. Transtulit etiam de Græco in Latinum [7] *librum Gregorij Nysseni de conditione hominis*, & [8] *Vitam Pachomij Abbatis.* Scripsit & ipse, post Cyrillum, *Cyclum quinque Cyclorum,* incipiens ab anno nati IESV CHRISTI DXXXII. qui est vltimus annus magni Cycli, qui est annorum DXXXII. semel exacti à natiuitate Christi, *&c.*

TRITHEMIVS *libro de Script. Eccles.*

DIONYSIVS, abbas Romanus, cognomento (vt fertur) EXIGVVS, vir certè ingenio & scientiâ magnus atque clarissimus, in Scripturis sanctis eruditus, & in disciplinâ sæcularium litterarum nobiliter doctus, Græco & Latino eloquio clarus, computista & calculator temporum egregius. Scripsit Latino sermone nonnulla opuscula, de quibus ego tantùm repperi subiecta,

Cyclum Paschalem magnum annorum DXXXII. lib. I.

De ratione festi Paschatis lib. I. *Paschatis festi rationem.*

de [9] ceteris nihil repperi. Transtulit autem de Græco in Latinum

Vitam S. Pachomij abbatis.

Librum quoque Gregorij Emisseni de conditione hominis.

Et scripta Proterij Alexandrini episcopi [10] *ad Leonem Papam.*

[11] *Et quædam alia.*

Inchoauit autem Cyclum suum anno Domini DXXXII. qui fuit vltimus annus magni Cycli Paschalis, qui semel exactus in eumdem semper reuertitur.

Claruit ergo sub Iustiniano Imp. magno, anno Domini DXL.

IDEM *de viris Illust. Ord. S. Benedicti lib.* II. *cap.* IV.

DIONYSIVS, abbas Romanus, cognomento EXIGVI, vir in diuinis Scripturis valdè eruditus, & in sæcularibus litteris peritissimus, calculator & Geometer insignis, Græco & Latino instructus eloquio: qui doctrinæ suæ magnam apud veteres auctoritatem consecutus, edidit non spernenda opuscula, de quibus pauca ad meam notitiam peruenerunt:

De ratione Pascha librum.

Cyclum

Cyclum quoque magnum quingentorum triginta duorum annorum.
Epistolas etiam nonnullas composuit.
De Græco in Latinum transtulit
Scripta Proterij Alexandrini ad Leonem Papam de Paschâ celebrando.
Et librum Gregorij Emisseni de hominis conditione.
Vitam quoque sancti Pachomij Latinam fecit.
Claruit anno Domini DLXX.

BARONIVS *Notat. ad Martyrol. Rom.* XIV. *Maij.*

PACHOMII præclaras res gestas Græcè conscriptas DIONYSIVS abbas Romanus, EXIGVVS cognomento, Latinè conuertit ante annos plus mille ac centum. Exstat eius præfatio ante Vitam S. Pachomij: habes eam in primâ parte Vitæ SS. PP. capp. LIV. Miramur eam à Lipomano & Surio prætermissam: quæ, vt tanti viri ingenij laudatissimi monumentum, prętereunda non fuit: qualis enim quantúsve sanctitate & eruditione fuerit, consule Cassiodorum illi æqualem lib. Instit. ad lect. diuin.

NOTATIO.

1 PACHOMII.] *Martyrologium Rom.* XIV. *Maij:* In Ægypto S. Pachomij Abbatis, qui plurima in eâ regione monasteria erexit, & Regulam Monachorum scripsit, quam Angelo dictante didicerat. *Menologium Græcum* XV. *Maij:* S. P. N. Pachomij Tabennesiotæ. Fuit Pachomius sanctus ex Thebaide inferioris Ægypti, Constantini Magni temporibus. Habuit autem parentes idolorum cultores: conuersus autem ad Christi fidem Baptismum suscepit, & monasticam vitam amplexus ad eremum accurrit, vbi perfectam vitam assecutus, virtutibus & miraculis clarus, multos sibi sectatores effecit, vt antequam ex hac vitâ decederet, Monachorum, qui per illum effecti sunt, mille & quadringentorum numerus effectus sit. *Menæa etiam* XV. *Maij accuratiore compendio vitam eius comprehendunt. De hoc etiam Beda, Vsuardus, Rhabanus, Ado, Notkerus, qui sua ex Gennadio, quæ habes in Elogijs, expresserunt.*

De hoc eodem Pachomio Palladius c. XXXVIII. *Sozom. libro* III. *cap.* XIII. *Niceph. lib.* IX. *capite* XIV. *Vincentius Spec. histor. lib.* XVII. *capite* LXXXII. *& lib.* XVIII. *cap.* XLVII. *Antonin. part.* II. *Tit.* XV *cap.* XI. §. I. *Petrus Equilinus Episcopus in Catal. SS. lib.* IV. *c.* CLXXI.

Nomen Pachomij, Monachorumque ab eo institutorum disciplinam, Athanasius primus in Vrbem aduexit, vt auctor est S. Hieronymus, ep. XVI. *ad Principiam.*

De tempore eius obitus Sigebertus Miræi in Chronico anno VIII. *Arcadij & Honorij, quem Christi statuit* CCCCV. *alijs editionibus sequenti anno ponentibus:* Pachomius Abbas CX. annum agens, in virtutibus consummatur.

Alius est Pachomius *confessor apud Heraclidem in Paradiso, cap.* XI. *qui in Scete vixit; qui Palladio Lausiaca historia cap.* XXIX. *dicitur* Pachon. *de quo Pachomio Petrus suprà libro* IV. *cap.* CLXXII.

Alius quoque Pachomius *episcopus & Martyr apud Eusebium libro* VIII. *Eccles. hist. cap.* XIV. *de quo Petrus suprà lib.* XI. *c.* XXXII.

2. REGVLAM.] *Regulæ huius aliquod breuiarium habes hîc in Vitâ Pachomij cap.* XXII. *Integram eā primus, quod sciam, edidit Achilles Statius Lusitanus, Romanis heredum Antonij Bladij typis, anno Domini* M. D. LXXV. *deinde anno* M. D. LXXXVIII. *Petrus Ciacconeam correctiorem typis quoque Romanis dedit, & Cassiano à se recensito adiunxit.*

Ipsam Pachomij Regulam Aegyptiacè scriptam, translatam in Græcum, Latinè reddidit S. Hieronymus, rogante Siluano monacho eo tempore, quo S. Paula ex hac luce migrauit, Honorio VI. *& Aristeneto Coss. anno Domini, iuxta Fastos Onuphrij,* CCCCIV.

3. EPISTOLAS.] *Nulla harum epistolarum, quarū quidem mihi notitia sit, præter præliminares ante alia opuscula, hodierno die exstat.*

4. CANONES ECCLESIASTICOS.] *Prodière hi olim Canones Moguntiæ in folio, anno* M. D. XXV. *deinde Lutetiæ Parisiorum in* 8. *anno* M. DC. IX. *in quâ posteriori editione ex Bibliothecâ Nicolai Fabri habes ipsius Dionysii epistolam ad Stephanum episcopum Salonitanum, quâ breuiter exprimit, quidquid Canonum ipse conuerterit ac ediderit.* Ac in primis quidem Canones

Apostolorum è Græco: deinde Regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, siue quæ anteà, siue quæ postmodum facta sunt, vsq; ad Synodum CL. Pontificum, qui apud Constantinopolim conuenerunt, sub ordine numerorum, id est à primo capitulo vsque ad CLXII. sicut habentur in Græcâ auctoritate, digessimus. Tum sancti Chalcedonensis Concilij decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præthereà notitiæ vestræ credamur velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilij atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.

5. MVLTA EX GRÆCO TRANSTVLIT IN LATINVM.] *Quæ illa sint, quia Cassiodorus non exprimit, habes ea hîc partim apud Sigebertum, partim apud Trithemium.*

6. PROTERII.] *Scripta hæc, seu epistola ad Leonem Papam nunc non exstant. Quot fuerint, & quid continuerint, clariùs explicant sequentes Auctores. Sigebertus in Catalogo illustr. Ecclesiæ Scriptorum cap.* XXVI. Proterius Alexandrinus episcopus, scripsit & ipse ad Leonem Papam, dubitantem de celebrando Paschâ illius anni; qui cùm esset embolismalis, putabatur ab aliquibus esse communis. *Annus ille erat* CCCCLV. *vt hîc habet Sigebertus in Dionysio Exiguo. De eodem Proterio etiam Isidorus Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap.* X. Proterius Alexandrinæ antistes Ecclesiæ, scripsit epistolas ad Leonem Romanæ Sedis episcopum, de festiuitate Paschali. Hunc autem Leonis Augusti temporibus Dioscori hæretici successores, auctore Timotheo, seditione factâ crudelissimè peremerunt, ipsumque Timotheum sibi pro Alexandrino episcopo posuerunt. *Trithemius Catalogo illustrium Eccl. Scriptorum:* Proterius episcopus Alexandrinus, vir tam in diuinis Scripturis, quàm in sæcularibus litteris eruditissimus, Theologus & computista insignis, quem Leonis Augusti temporibus, successores Dioscori hæretici, seditione factâ auctore Timotheo crudeliter peremerunt, ipsumque Timotheum in locum eius pro Alexandrino episcopo idolum erexerunt. Scripsit inter cetera

Ad S. Leonem Papam de celebratione Paschæ ep. III.

Ad Hilarium de eadem re ep. I. *Quoniam sancti tui vestra nta.*

Epistolas plures ad diuersos.

Et quædam alia.

Claruit sub Leone Imp. an. Dñi CCCCLX.

7. LIBRVM GREGORII NYSSENI DE CONDITIONE HOMINIS.] *Prodijt hic liber Dionysio Exiguo interprete inter Nysseni opera ex Episcopii officinâ anno* M.D.LXII. *cui nō est præfixa Ioannis Cononis epistola, quâ se interpretationem eam nonnihil emendasse quibusdam in locis profitetur, idq; de fragmento Græco, vt exstimauit Levvenclauius. Alteri enim Nysseni libro ibidem ea epistola præfixa est. Deinde idem Levvenclauius typis Ioannis Oporini Basileæ anno* M.D.LXVII. *in* 8. *hunc eumdem Nysseni librum Græcolatinè è suâ versione dedit. Non rectè apud Trithemium est* Emisseni *pro* Nysseni.

8. VITAM PACHOMII ABBATIS.] *Hæc est illa, quæ hactenus inter Vitas Patrum fuit circumlata. Eamdem ex Græco transtulit Gentianus Heruetus, quam habes apud Aloysium Lipomanum tom.* VI. *de Vitis Sanctorum, & Laurentium Surium tomo* III. *quæ hac nostrâ multò est auctior. de quâ vide hîc infrà post numerum* II.

9. DE CETERIS.] *Exstat in Bibliothecâ nostrâ Louaniensi Dionysij Exigui MS. epistola ad Eugypium monachum.*

Citatur & eiusdem epistola ad Petronium episcopum apud Petauium in Epochâ annorum.

10. LEONEM PAPAM.] *Ex hoc Trithemii loco Genebrardus Chronologiæ suæ lib.* III. *existimauit Dionysium hunc vixisse tempore Leonis I. Papæ: quòd non ritè intelligens Trithemium, crederet Dionysium librum suum, quem ex Proterio verterat, Leoni Papæ dedicasse. Non hoc vult Trithemius, sed potiùs Dionysium vertisse Proterij librum, quem ipse Proterius Leoni Papæ miserat. Ita enim ille & hîc, & clariùs in Catalogo illust. Eccles. Scriptorum, in Proterio.* Scripsit *(Proterius)* inter cetera ad S. Leonem Papam de celebratione Paschæ epistolas III.

Grauiùs labitur Levvenclauius, qui Dionysium Nysseni de opificio hominis interpretem existimauit vixisse annis abhinc CCCC.

11. ET QVÆDAM ALIA.] *Inuenio, præter iam citata, Proclum CP. Græcolatinum, Dionysio Exiguo interprete, cum præliminari eiusdem epistolâ ad Felicianum & Pastorem, quem edidit Ioannes Sichardus in Antidoto contra hæreses in fol. Basileæ apud Henricum Petrum anno* M.D.XXVIII. *quem pòst Latinè tantùm Bibliothecæ PP. tomo* III. *inseruit Margarinus de la Bigne.*

Habes in eodem Antidoto duas Cyrilli Alexandrini epistolas ad Successum *episcopum Isauriæ Diocæsariensem* ex Dionysij Exigui interpretatione, *cum eiusdem præfatione ad Ioannem & Leontium; quarum epistolarum non meminère Auctores hîc citati, qui Catalogum illustr. Ecclesiæ Script. texuère.*

Louanii in Collegio nostro est eiusdem Dionysij versio MS. operis Nysseni de naturâ hominis.

Atque

Quis vita Pachomij auctor.

Atq; hactenus tum de Pachomio ipso, tum de Vita eius interprete. Sed quis Vitæ eius auctor?

Aloysius Lipomanus tomo VI. *de Vitis Sanctorum, & Laurentius Surius tomo* III. *Vitam Pachomij Metaphrastæ inscribunt auctori. Sed longè vetustior huius Vitæ auctor indagandus est. Siquidem Metaphrastes vixit circa annum* DCCCC. XXX. *Dionysius verò Vitæ huius interpres circa annum* D. XXX.

Auctor Græcus, quiqui est, fuit ipsi Pachomio synchronus. Nam cap. X. *Vitæ huius ait se accepisse quæ scribit ab ijs qui Pachomio conuixêre.*

Metaphrastes etsi ad verbum, vt à primo auctore Vita composita est, eam exprimat; multa tamen capita inserta habet, quæ apud Dionysium vetustum interpretem non comparent: qualia sunt apud Metaphrastem capita omnia à XL. *vsque ad* LVII. *inclusiuè; item à* LXXIII. *ad* LXXVIII. *inclusiuè; rursus caput* LXXXV. *&* LXXXVI. *postremò* XC. *Vnde videtur Metaphrastes in perfectiora exemplaria incidisse.*

VITA SANCTI PACHOMII ABBATIS TABENNENSIS

14. Maii

AVCTORE GRAECO INCERTO INTERPRETE DIONYSIO EXIGVO ABBATE ROMANO.

PROLOGVS DIONYSII EXIGVI INTERPRETIS.

[1] Dominæ venerandæ mihi, & in CHRISTO quoque magnificentissimæ DIONYSIVS EXIGVVS.

PIO *venerationis vestræ proposito, quâ valui facultate, respondi, sancti Pachomij Vitam, sicut in Græco reperta est, fide translatoris exsoluens: in quâ re cùm diu me morantem vestra compulisset auctoritas, integrum non erat, vt qui reus iam sponsionis extiteram, promissa differrem, præsertim vobis, quæ votum potiùs quàm vires attendere consueuistis. Plura namque per Christi gratiam legenda simul atque imitanda peragentes, auidâ voluntate beatorum Patrum cupitis instituta cognoscere, quatenus eorum studijs facta propria componentes, futuris sæculis documentum diuini muneris singulare præstetis: fatemini quippe, maximam vos operam dare virtutibus, quas diligitis in conuersatione Sanctorum, quibus etiam illustrium operum qualitate cohæretis; quia virtutem nullus amat, nisi qui sequitur, & similitudo morum magnum profert coniunctionis indicium: sicut è contrario vita dispar grandis est & in ipsâ sanguinis affinitate*

tate discordia. Sic frequenter inter propinquos praua succedunt odia, sic iurgia nascuntur infensa, sic vsque ad sanguinem sæuit inexplebilis & cæca malitia, dum bonis inuident praui, liberalibus cupidi, quietissimis turbulenti, studiosis inertes, placidis implacabiles, tranquillis immites, modestis temerarij, sapientibus stulti, simplicibus callidi, mitissimis quoque furiosi. Sed meliùs horum mores Apostolica tuba redarguit: nam cùm nouissimorum pericula temporum gentium Doctor exprimeret, intulit, dicens: Erunt enim homines semetipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei. *Hic beatissimus Paulus quæ superiùs diffusè protulit, mirâ breuitate collegit; ostendens, eos ideò tales fore, quia voluptatum amatores existerent, & quia vitiosissimis se cupiditatibus subiugarent. Hinc enim mala cuncta proueniunt, dum Deus contemnitur, voluptates verò amantur. Per has diabolus illicit vt decipiat, delectat vt fallat, blanditur vt perimat; & ne futura præsentibus, cælestia terrenis, æterna breuibus anteponantur, insistit;* Voluptatum, *inquit,* amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, *hoc est, tantùm nomine videntur esse Christiani, non opere, qui etiam velut interiores hostes peiùs quàm exteriores sæuiunt, & in Ecclesiâ constituti pia Ecclesiæ membra discerpunt. Quos Apostolus nos protinus vitare præcepit, vt ab eorum societate, non tam locorum quàm morum dissimilitudine diuidamur. Nec videatur cuipiam mirum,* [2] *quòd huiusmodi pestes iustis hominibus aduersentur, quando pleni dolis, pleni fallacijs sibi quoque non parcant, & secum ipsi plerumque dissentiant. Tales expertus vir beatus atque gloriosus* [3] *genitor vester Dominus meus, non solùm patienter ac fortiter insectationes eorum semper pro iustitiâ pertulit, sed etiam felice fine pro veritate (quæ Christus est) constanter atque sublimiter totius mundi aduersa superauit. Cuius perfectam vitæ regulam Sanctorum meritis propemodum consonantem, nimis exopto perfectorum virorum doctâ atque facundâ oratione perscribi, vt tanta claritudo vestri generis, tantumque decus ex aliquâ noscatur parte, & virtus admiranda viri vix antiquis effabilis, quæ fauente Christo à vobis hereditario iure perficitur, lectionis officio posteris intimetur.*

2. Tim. 3.

Ibidem.

PROLOGVS AVCTORIS.

DOMINVS noster Iesus Christus sapientiæ fons, & sciẽtiæ verum lumen, verumq; Dei patris Verbum, per quod facta sunt omnia, sciens infirmitatem nostram ad peccata pronam atque præcipitem, plura circa nos remedia suę pietatis ostẽdit. Abraham namque pater noster, cùm diuinis iussis obtemperans, filiumq; suum offerret in sacrificio, placuit Deo: & merito fidei, mox & heredem recepit & præmium. Cui etiam per semetipsum Deus iurauit, dicens: Nisi benedicens benedixero te, & multiplicans multiplicabo te sicut stellas cæli in multitudinem, & sicut arenam quæ est ad oram maris innumerabilis. Et iterùm: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. De quo semine manifestè nos edocet Apostolus, dicens: Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus. Omnes etiam sancti Prophetæ, tantæ salutis arcanum reuelante Spiritu sancto, præuidentes, scientesque Deum nullo modo posse mentiri: ad sanandos languores nostros cælestem medicum nuntiabant esse venturum, atque vt celeri præsentiâ suâ prospiceret humano generi, continuâ supplicatione poscebant. At misericors Deus, qui pia vota semper anteuenit, nec vmquam deserit eos, qui se toto corde quæsierint, promissiones suas nouissimis diebus impleuit, mittens Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, qui

Gen. 22.

Ibidem.

Gal. 3.

Hebr. 2.

qui pro ſimilitudine mortalitatis noſtræ carne pateretur: eumque, qui habebat mortis imperium, ſuâ morte deſtrueret. Denique diuinitate ſuâ manens impaſſibilis, à corruptione atque interitu nos redemit, & à vinculis abſoluit inſolubilibus inferorum: perfectaque diſpenſatione noſtræ redemptionis, omnibus gentibus per lauacrum regenerationis peccatorum indulgentiam contulit, cunctoſque ad veram fidem per doctrinam Apoſtolicam confluentes, iuxta illud quod in Euangelio ait, *Matth. 28.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, gremijs infinitæ pietatis ſuæ amplexus eſt.

Igitur cùm per vniuerſam terram Euangelij præconia coruſcarent, & plures in adoptionem filiorum per gratiam Chriſti concurrerent, *Diaboli in Chriſti aſſeclas odiũ & inuidia.* inimicus humani generis vehementer exarſit: multoque ſæuiora tentationum prælia, quàm priùs ſeruis Dei excitauerat, niſus eſt commouere; ſuſpicatus infelix, quòd poſſet nobis iter indulgentiæ cæleſtis obſtruere. Sed hac ipsâ intentione ſuâ deceptus eſt & eliſus. *Eluditur conſtantiâ fidelium.* Adiutorio namque diuini muneris, à fidelibus & vigilantibus virium eius proteruntur inſidiæ, vt ipſi quidem confuſio, famulis autem Chriſti perennis gloria compararetur. Nam iuxta Domini permiſſionem, cùm ad examen patientiæ ac fidei eorum qui ſpiritualia bella prudenter exercent, pagani Imperatores exiſterent, *Tyrannorũ perſecutione Eccleſia creſcit.* & vbique contra Chriſtianos perſecutionis procella deſæuiret; multi apud Ægyptum Martyres ſancti per varia ſupplicia vſque ad mortem in Chriſti nomine perſtiterunt, *Petrus Alexandrinus martyr.* & ſimul cum Petro Alexandrinæ ciuitatis epiſcopo, perpetuas coronas, & immortalia præmia ſunt adepti.

Creſcebat autem indies fidelium multitudo, & per omnia loca mirabiliter augebatur: nec non eccleſiæ quàm plurimæ & Martyrum memoriæ conſtruebantur impenſiùs: monaſteria quoque frequentiſſima eorum, qui continentiæ ſtudentes, renuntiauerunt ſæculo, ſolitudinis ipſius ſecreta decorabant. *Vitæ monaſticæ origo, SS. Paſſiones imitãdi deſiderium.* Hi namque qui de Gentibus in Chriſto crediderant, conſiderantes Martyrum paſſiones, eorumque ſincerum circa Chriſtum confeſſionis affectum: cœperunt & ipſi per gratiam Domini Sanctorum vitam conuerſationemque ſectari, & huius inſtitutionis eſſe, vt etiam his illud aptaretur Apoſtoli: *Hebr. 11.* Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus, in ſolitudinibus errantes & montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ. Quietem denique ſolitudinis appetentes, gaudia propriæ ſalutis ac fidei diuino munere ſunt conſecuti, ceteriſque mox exempla ſublimioris vitæ ſacratioriſque præbuerunt. Omnibus enim terrenis exuti negotijs, adhuc morantes in corpore, Angelorum æmulati ſunt ſanctitatem: per quam faſtigia ſcandentes celſa virtutum, vltra admirationem enituêre mortalium, ita vt in nullo prorſus antiquiſſimis Patribus inferiores exiſterent: æquiparantes etiam illorum merita, *Anachoretarum æquale cum Martyribus meritũ.* qui pro nomine Chriſti Ieſu Domini noſtri certauerunt vſque ad ſanguinem, inuiſibilium hoſtium molimina deſtruens, de quibus ait Apoſtolus: *Ephes. 6.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, contra mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Quorum multiformes præcauentes incurſus, & caput ſerpentis antiqui fortiter contenentes, ſempiternis præmijs ſunt potiti, de quibus ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, *Iſa. 64.* nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. *1. Cor. 2.*

VITA.

Cap. I. ERAT per id tempus beati Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita: *B. Antonius. vita anachoretica prototypum.* qui magni Eliæ atque Eliſæi, necnon & ſancti Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, ſecreta interioris eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari, vitamque cæleſtium in terris geſſit amore virtutis. Cui ſanctus Athanaſius Alexandrinæ ciuitatis antiſtes, *Vita eius ſcripta ab Athanaſio.* proprio ſtylo teſtimonium præbuit: dignus ſanè relator conuerſationis Antonij, qui iuxta ſupplicationem fratrum, vitam eius pro multorum commoditate perſcriberet, & æmulandum eum viris ſpiritalibus exhiberet. In quo opere ſancti quoque Patris Ammon meminit, *Ammon Nitrienſium fratrũ auctor.* à quo per Dei gratiam, primùm iacta ſunt fundamenta conuerſationis eorum fratrum, qui nunc in monte Nitriæ commorantur, necnon & Theodorum, *Theodorus Ammonis ſocius.* ſanctum admodum virum, qui cum ſene præfato fuerat, idem nobis pontifex indicauit: quem ſingulari ac perfecto propoſito, & fide non fictâ Deo ſubditum, multiplicia retulit diaboli machinamenta ſuperaſſe. Igitur vbique diuinâ gratiâ copioſè diffuſâ, illud quod in Pſalmis ſcriptum canitur, declarauit expletum: *Pſal. 64.* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Nam pro triſtitiâ & gemitu, gaudium prouenit & lætitia: & pro ſollicitudine atque miſeriâ, felicitas ſecuritaſque ſucceſſit.

Hinc itaque Patres monachorum, viri mirabiles, in vniuerſis propemodum regionibus

nibus extiterunt, quorum nomina in libro viuentium probantur adscripta. Paucissimi sanè tunc adhuc per Ægyptum & Thebaidam monachi esse ferebantur. Post persecutionem namque Diocletiani & Maximiani crudelium principum, multitudo Gentium intrauit, sicut diuinitus præordinatum est, & fecunditas Ecclesiæ fructus amplissimos cœpit exhibere, sanctis episcopis iuxta doctrinam tunc Apostolicam, iter fidei sincerâ quoque conuersatione monstrantibus.

Rom. 11.

CAP. II. Pachomius Gentilis Christianus efficitur.

Per idem tempus Pachomius quidam, secundùm ritum ac traditionem parentum Gentilis, apud Thebaidam commanens, diuinâ gratiâ gubernante, Christianus effectus est. Hic ab adolescentiâ suâ præcipuam frugalitatis dicitur arripuisse virtutem. Idcircò autem pro gloriâ Christi, qui nos de tenebris vocauit ad lucem, & pro vtilitate eorum qui ista lecturi sunt, strictim conuersationem eius quæ fuerit à paruulo, refero, quia à tantâ perfectione eius, initia quoque ipsa non discrepant.

CAP. III.

Hic etenim cùm adhuc puer esset, cum parentibus suis ad simulacrum quoddam dæmonis super ripam Nili fluminis collocatum, tamquam victimas oblaturus aduenit. Cumque sacerdos impurissimus sacra sacrilega solito celebrare voluisset, præsentiâ Pachomij dæmonis prorsus euanuere præstigia. Tum diu multumque idem sacerdos hæsitans, in modum simulacri, quod colebat, mansit immobilis; vehementer admirans, cur sollennia dæmones responsa non redderent: tandemque immundo spiritu reuelante cognouit, pueri Pachomij caussâ insolita prouenisse silentia, atque in hæc verba prorupit attonitus: Quid inimicus deorum huc venit? procul hinc eum procul pellite, & quantocyùs amouete. Quod cùm parentes eius audissent, eumque suo conspexissent separari consortio, mœrore magno repleti sunt: eò præcipuè, quòd inimicus deorum tali fuisset contestatione declaratus. Ambigebant ergo parentes eius, quid de eo fieret, quia & anteà cùm paululùm degustasset de vino libationis dæmonum, protinus euomuerat illud. Hæc itaque cùm se viderent non posse discernere, quieuerunt. Instabant autem vt Ægyptiacis imbueretur litteris, & antiquorum studijs informaretur.

Præsente Pachomio obmutescit dæmon.

Vinum libationis degustatum, ilicò euomit.

CAP. IV. Anno XX. ætatis militiæ Constantino Imp. adscribitur.

Eodem tempore [5] Constantino post persecutionem in imperio perdurante, & contra [6] tyrannum Maxentium gerente prælium, [7] præcepta regalia cucurrerunt, vt lectissimi quique iuuenum [8] ad tirocinij militiam vbique tenerentur: inter quos & Pachomius annos natus viginti detentus est, vt ipse posteà retulit. Cumque naui fuisset inter alios ad peregrina transuectus, [9] ad ciuitatem quamdam vesperâ vrgente delati sunt. Ciues ergo loci illius, [10] videntes tirones arctiùs custodiri, & quid illis accidisset edocti, pietate moti sunt, & iuxta mandatum Christi, solatia in maximo mœrore positis, & necessaria corporis attulerunt. Tunc Pachomius animaduertens quod ab eis factum est, & nimis admirans, ab his qui simul aderant inquirit, qui sint viri isti, sic erga misericordiam atque humilitatem prompti ac faciles: audiuitque Christianos esse, qui circa omnes, & maximè peregrinantes, impenderent prona liberalitatis officia. Sciscitabatur autem, quid ipsa sibi velit appellatio nominis Christiani: dictumque est ei, & homines esse pios, & veræ cultores religionis, credentes in nomine Iesu Christi filij Dei vnigeniti, cunctisque pro viribus benefacientes, & sperantes à Deo retributionem bonorum operum in futurâ vitâ percipere. Hæc audiens Pachomius, corde compunctus est: & illustratus diuino lumine, Christianorum miratus est fidem: atque diuini timoris igne succensus, paululùm præsentium conspectibus sese subtraxit, & ad cælum manus eleuans, ait: Omnipotens Deus, qui fecisti cælum & terram, si respiciens respexeris ad precem meam, & sancti tui nominis mihi veram contuleris perfectamque regulam, atque ab hac me compede mœroris exemeris, seruitio tuo me tradam cunctis diebus vitæ meæ, & spreto sæculo iugiter tibi adhærebo. Quæ cùm orasset, ad suos reuersus est comites: & die sequenti de ciuitate illâ profecti sunt. Cumque diuersa loca nauigio circuirent, si quando Pachomium voluptas corporis & mundana titillasset illecebra, nimis auersabatur, sponsionis suæ memor, quâ se Domino seruiturum esse deuouerat. Nam diuinâ gratiâ suffragante, iam ab annis puerilibus amator extiterat castitatis.

Christianorum charitas eum allicit.

Merces bonorum operum.

Orat eleuatis in cælum manibus.

Votum concipit sub conditione.

Voti memoriâ carnis illecebras pellit.

Castitatem à puero colit.

CAP. V.

Igitur Constantinus Imperator pietate ac fide, quâ Christo credidit, victoriam de hostibus consecutus, tirones iussit absolui. Sic Pachomius optatâ sibi libertate concessâ, protinus ad Thebaidis vlteriora regreditur: & ingressus ecclesiam, quæ est in vico, cui cognomen est [11] Chinoboscium, fit ilicò catechumenus, & post paululum gratiam lauacri vitalis adipiscitur. & ipsâ nocte, quâ mysterijs sacris imbutus est, vidit in somnis veluti rorem cælitus allapsum suam replesse dexteram, [12] & in mellis creuisse pinguedinem: audiuit quoque vocem dicentem sibi: Considera Pachomi quod geritur. Est enim hoc

Militiâ absoluitur.

Primò catechizatur, inde baptizatur.

hoc signum gratiæ, quæ tibi à Christo collata est. Hinc itaque diuino inflammatus affectu, & ex dilectionis iaculo salubri vulnere sauciatus, totum se disciplinis atque institutionibus diuinis subiugauit.

CAP. VI. *Palæmonẽ anachoretam adit.*

Audiuit autem quemdam anachoretam, cui nomen erat [13] Palæmon, intra eremi secreta Domino seruientem: ad quem confestim, cum eo cupiens habitare, perrexit, & pulsans ostium cellulæ eius, precabatur ingressum. cui senex aliquãtulum patefaciens aditum, dixit: Quid vis? aut quem quæris? Erat enim seuero adspectu, propter quòd multo tempore solitarius vitam rigidæ conuersationis exegerat. Respondens autem Pachomius, ait: Deus me misit ad te, vt monachus fiam. Cui senior: Non potes hîc, inquit, monachus fieri: non enim parua res agitur, si veri monachi cõuersatio casta pensetur: nam plures huc dudum venientes, affecti tædio, perseuerantiæ non tenuêre virtutem. Et Pachomius: Non sunt, inquit, æquales omnium mores. idcircò precor, vt me digneris excipere: & processu temporis tam voluntatem meam, quàm possibilitatem pleniùs approbabis. Et senior ait: Iam tibi præfatus sum, quòd hîc fieri monachus nullo modo possis. perge magis ad aliud monasterium, & cùm tantisper ibidem continentiæ operam dederis, tunc ad me regredere, teque sine morâ suscipiam. Verumtamen aduerte quod dico. Ego hîc, fili, satis frugaliter viuo. Nam nimis arduâ & durissimâ conuersatione me castigo, nullius rei ciborum vtens, nisi tantùm panis & salis. oleo autem & vino in totum prorsus abstineo. Vigilo dimidium noctis: quod spatium vel in oratione sollẽni, vel in meditatione diuinæ lectionis insumo: interdum quoque totam noctem duco peruigilem. Hæc autem audiens Pachomius, expauit: vt solent pueri magistrorum vereri præsentiam: sed gratiâ Domini roboratus, omnem hunc laborem tolerare proposuit, senique respondit: Credo in Domino Iesu Christo, qui mihi fortitudinem patientiamque præstabit, vt dignus efficiar tuis adiutus precibus, in sanctâ conuersatione per omnia vitæ meæ curricula permanere.

Vt monachus fiat, enixè postulat. — *Palæmonis abstinẽtia, vigilia, preces.*

CAP. VII. *Monachi habitu à Palæmone consecratur Pachomius.* Ephes. 4.

Tunc sanctus Palæmon spiritualibus oculis intuens Pachomij fidem, tandem patefecit aditum: eumque suscipiens, [14] habitu monachi consecrauit. Morabantur ergo simul, abstinentiæ atque precibus operam dantes. Texebant quoque cilicia, & laborabant manibus suis, iuxta beatum Apostolum, non tantùm pro suâ refectione vel requie, sed vt haberent vnde tribuerent necessitatem patientibus. in vigilijs etiam cùm nocturnas orationes celebrarent, si quando senior vidisset somno Pachomium premi, educens eum foras, arenam portare præcipiebat de loco ad alterum locum: & tali exercitio mentem eius grauatam somni põdere subleuabat, instituens ac formãs eum, vt sollicitus esset in precibus, dicens ei: Labora Pachomi, & vigila. ne quando (quod absit) ab hoc nũc incepto proposito te amoueat is qui tentat, & inanis fiat labor noster. Quæ cuncta Pachomius obedienter ac sollicitè suscipiens, ac de die in diem sanctæ continentiæ profectibus crescens, venerabilem senem nimis alacrem lætumque reddebat, ita vt Christo semper pro conuersatione eius gratias ageret.

Somnolentiam exercitio eum pellere docet.

CAP. VIII. *Pascha dies festus vniuersalis Christianorum.*

Per idem tempus sacratissimus dies Paschalis aduenerat, & ait ad Pachomium senior: Quoniam cunctorum Christianorum vniuersalis est ista festiuitas, nobis quoque para, quæ vsui nostro sunt congrua. Tunc ille promptus ad obtemperandum, id quod sibi præceptum est impleuit: præter solitum namque parumper accipiens olei, cum salibus tritis admiscuit. [15] Lapsanas enim, id est, agrestia olera, & herbas alias præter oleum consueuerant edere. Cùm ergo præparasset, ait ad senem: Feci quod tua paternitas imperauit. Cumq; post orationes beatus Palæmon accessisset ad mensam, vidissetque olei apparatum cum salibus, fricans manibus frontem, & vbertim fundens lacrymas, ait: Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam? Cumque rogaret eum Pachomius, vt modicum quid ex eo sumeret, nullatenus acquieuit. Tunc pro more sale & pane allato ad manducandum pariter cõsederunt. Quę senex Crucis Christi signo, sicut consueuerat, benedicens, cibum vterque sumpserunt, Domino gratias (vt par fuerat) humiliter exhibentes.

Lautiores cibi in Paschate. — *Ob memoriam passionis Christi iis abstinet Palæmon.* — *Mensam signo Crucis signandi antiquissimus mos.*

CAP. IX. *Arrogantia monachi hospitis factum.*

Vnâ verò dierum, cùm vigilantes simul Palæmon & Pachomius accenderẽt ignem: quidam frater superueniens, apud eos manere voluit. Qui cùm susceptus esset, inter verba (vt fieri solet) erupit, & dixit: Siquis fidelis est ex vobis, stet super hos carbones ignis, & orationem Dominicam sensim lenteque pronuntiet. Quem beatus Palæmon intelligẽs superbiæ tumore deceptum, commonuit dicens: Desine frater ab hac insaniâ, nec tale quid vlteriùs loquaris. qui correptione senis non solùm non profecit in melius, sed plùs elatione mentis inflatus, super ignem stare cœpit audacter, nullo sibi penitùs imperante: eratque conspicere, quomodo cooperante inimico humani generis, & Domino permittente, nequaquam perustus fuerit ignis attactu. Hoc ipsum

verò quod gessit impune, ad augmentum profecit eius insaniæ, secundùm quòd scriptum est: Ad prauos prauas vias mittit Dominus. Hoc itaque cùm fuisset factum, posterâ die idem frater maturè proficiscens, ac velut exprobrans eis, aiebat: Vbi est fides vestra? Post non multum verò temporis cernens diabolus, eum sibi per omnia mancipatum, & facilè ad quæ vellet facinora eum posse compellere, transfigurauit se in mulierem pulchram, splendidis vestitibus adornatam, & cœpit ostium cellæ eius vehementer extundere. Qui cùm aperuisset, ait ei diabolus in habitum mulieris immutatus: Obsecro te, quia nimis à creditoribus vrgeor, & metuo ne me aliqua pericula comprehendant, recipias me in tuam cellulam, quoniam debitum soluere nequeo, quatenus per te salua facta, gratias referam, Deus enim me direxit ad te. Qui à cæcitate mentis penitus obscuratus, nec valens discernere quis esset, qui sibi talia loqueretur, diabolum miser in suum recepit exitium. Tunc hostis nostræ substantiæ, videns eum ad omne scelus esse præcipitem, immisit ei turpem concupiscentiam. Qui mox cessit inimici suggestionibus: & eius, quasi muliebres, petiuit amplexus. Quem spiritus immundus inuadens, elisit atrociter: & reuolutus super pauimentum, veluti mortuus diu multumque permansit. Post aliquantos autem dies tandem in se reuersus, & dementiæ propriæ serò pœnitens, ad sanctum Palæmonem venit; & cum magno fletu quid sibi accidisset exposuit, vociferans & dicens: Agnosco Pater, agnosco, quòd ego caussa perditionis meæ existam. Benè enim me commonere dignatus es, sed ego infelix, qui te audire contempsi. Quapropter obsecro, vt me sanctis orationibus tuis adiuuare digneris, ne sub ingenti periculo constitutum discerpat inimicus & perimat. Cumque ista cum lamentis prosequeretur & fletibus, & sanctus Palæmon beatusque Pachomius lacrymas pro eo funderent compatientis affectu: subitò correptus ab immundo spiritu, de conspectu eorum prosilijt, & per deserta discurrens agebatur infrenis. Peruenit autem [16] ad ciuitatem Panos nomine, ac deinceps in fornace balnei per amentiam sese præcipitans, incendio protinus interijt.

Prou. 28. *Eccli. 2.* *Mulieris specie dæmonem in cellã suam recipit.* *A dæmone corripitur.* *Miserabilis eius interitus.*

CAP. X.

Hæc audiens videnſque Pachomius, magis ac magis incubuit abstinentiæ tenere mensuram: & cùm in omnibus, tum maximè in orationibus animum seruare peruigilem, iuxta illud quod scriptum est: Omni custodiâ serua cor tuum. intantum, vt eum senex miraretur attonitus, quia non solùm consuetam abstinentiæ regulam alacer extrinsecus exequebatur, sed etiam intrinsecus conscientiam suam iuxta cælestium formam studebat exigere purissimam, sicut beatus Apostolus dicit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ certus, ex hoc magnam sibi in cælestibus parare mercedem. Nam & cùm diuinas Scripturas legeret, memoriæque mandaret, non id passim negligẽterque faciebat, sed vnumquodque præceptum solerter examinans, ac piâ mente pertractans, studebat indies opere perficere, quæ memoriâ retentabat. Præcipuè verò humilitatis ac patientiæ munere, & erga Deum proximumque purissimâ dilectione præ multis nitebatur excellere. Hęc autem aliaque eius plurima didicimus à sanctis hominibus Dei, qui simul cum eo multo tempore sunt morati: quibus etiam vitæ spiritualis exempla contulerat, post lectionem diuinæ legis, ea quæ ad ædificationem animarum pertinent, diligenter exponens. Quæ quia multa sunt, & vires nostræ paruitatis excedunt, non omnia præsenti stylo perscripsimus. Non enim sumus idonei, tanti viri merita eloquio pari depromere.

Prou. 4. *Internum Pachomij perfectionis studium.* *2. Cor. 1.* *Attentio eius in legẽdâ sacra Scripturâ.* *Potissima eius virtutes, humilitas, patientia, charitas.* *Fides historia huius.*

CAP. XI.

Igitur erga locum montis, vbi Sancti morabantur, plena spinis eremus adiacebat: ad quam sæpe Pachomius veniens ligna legere, super spinas nudis pedibus incedebat: & cùm infigerentur ei plurimæ, lætabatur, patienter ac fortiter ferens, recolens quòd Dominus noster in cruce clauis fuerit dignanter affixus. Diligebat autem anachoresim plurimùm, frequenter expetens solitudinem. & illic diu in oratione persistens, Domino supplicabat, vt à tantis se fraudibus clementer eriperet.

Patiẽtiam exercet. *Amat solitudinem.*

CAP. XII.

Quodam verò tempore contigit, vt Pachomius procul à cellâ suâ progressus, veniret ad quẽdam vicum, cui nomen est [17] Tabennense, in quo tunc nullus penitus habitator existebat. Vbi cùm pro more diutiùs in orationibus perduraret, vox ad eum cælitus delata est dicens: Mane hîc, ô Pachomi, & monasterium construe. Vẽturi sunt namque ad te quamplurimi, tuâ cupientes institutione proficere: quibus ducatum præstabis, iuxta regulam quam monstrauero tibi. Et protinus apparuit Angelus Domini, deferens ei tabulam, in quâ erat omnis forma institutionis adscripta, quâ docendi forent, quicumque ad eius magisterij studia peruenissent. Quam regulam Tabennenses hodieque custodiũt, eodem cibo semper vtentes & habitu, ipsam quoque disciplinam sollicitâ circumspectione seruantes. Nam monachi qui ibidem commanent, non solùm more, sed & robore corporis & locorum

Diuinitus in Tabenna vico monasterium extruere iubetur. *Regulam ab Angelo accipit.* *Regula de vitâ & habitu monachorum.*

situ

situ præ ceteris longè diuersi sunt: & necesse est, eos diuersam quoque Regulá custodire.

Hanc ergo vocem Pachomius mentis sinceritate discernens, quam illi diuina gratia & merita vitæ contulerant, agnouit ad se cælitus delatam, Regulasq; valdè mirabiles approbauit. Tunc reuersus ad venerabilem senem Palæmonem, retulit quemadmodum voce sit diuinâ commonitus, obsecrás, vt secum pariter veniret ad locum, quò possent Domini mandata explere. Qui nolens eum in aliquo contristare, vtpote charissimum filium, precibus eius ilicò paruit, atq; ad præfatam villam cum eo peruenit, modicamque ibi cellulam construentes, lætabantur in Domino, promissionum eius beneficia præstolantes. Post aliquantum verò tēporis ait Palæmon ad Pachomium: Quoniam cerno gratiam à Deo tibi collatam, & deinceps istic permanere disponis; veni, statuamus inter nos pactum, vt non diuidamur ab inuicēm, sed quamdiu in hac luce versamur, visitatione nos consolemur assiduâ. Vtrisque placuit hæc pactio, quam omni tempore vitæ suæ tam beatus senex quàm beatus Pachomius sollicitiùs sunt executi.

Palæmoni factam sibi reuelationē indicat.

Pergunt Tabennam ambo.

Indiuiduā societatem paciscuntur.

CAP. XIII

Inter hæc venerabilis idem Palæmon dolore splenis, qui ex nimiâ continentiâ illi prouenerat, toto corpore graui cœpit ægritudinis incommodo laborare. Nam sumebat escam, potu sæpiùs abstinens: item solummodò bibebat, nihil cibi percipiens. Rogatus igitur ab aliquibus fratribus, qui ad eum gratiâ visitationis aduenerant, ne penitùs corpus debile frangeret, sed ei aliquantulum solatij pateretur impendi, tandem cessit orantibus, vt victu congruo attenuata membra refoueret. Sed non hoc diutiùs pertulit. Nam grauiores solito dolores splenis expertus, relictâ ciborum insolentiâ, ad antiquum victum sine dilatione reuertitur, dicens: Si Martyres Christi alij per frusta lacerati, alij capite cæsi, nonnulli etiam ignibus sunt cremati, & tamen vsque ad finem fortiter pro fide tolerauerunt: cur ego patientiæ præmia, paruis cedens doloribus, impatienter abijciam, & desiderio vitæ præsentis, afflictiones momentaneas inaniter expauescam? Denique suadentibus acquieui cibos insolitos sumere, qui mihi dolores auxerunt potiùs, quàm vllam requiem præstiterunt. Recurram igitur ad prisca remedia, & continentiæ subsidia non relinquam, in quibus est (vt ego certus sum) omnis post Deum requies & vera lætitia. Non enim propter homines hæc arma suscepi, sed ob amorem Christi his certare disposui. Sic itaque viriliter agens, intra mensem dierum valido languore consumptus est. Ad quem

Morbo corripitur Palæmon.

Nil de pristinâ abstinentiâ remittit.

Exemplo se Martyrum confirmat.

In continētiâ omnis post Deum requies.

Pachomius veniens, fouebat eum vt patrem, deosculans pedes eius, atque complectens: & veluti valefaciens, sic eum videbatur affari. Venerabilis autem senex, omni virtutum gratiâ cumulatus, & plenus dierum, sicut scriptum est, quieuit in pace. Tunc sanctus Pachomius corpus eius sepeliuit: cuius anima suscepta choris Angelicis, ad cælos euecta est. quo peracto, Pachomius ad proprium diuersorium reuertitur.

Iob. 42.

Moritur Palæmon.

Et non post multum temporis, germanus eius, Ioannes nomine, cuncta de illo comperiens, venit ad eum. Quem cùm vidisset, gauisus est plurimùm. nam ex quo baptizatus in Christum crediderat, & solitariam vitam elegerat, nullum suorum viderat propinquorum. Igitur Ioannes, vt verè Pachomij frater, imitator eius effectus, cum eo permansit, vnum habentes idemque propositum, eumdémque circa Deum dilectionis affectum. Et quia in lege Dei diebus meditabantur ac noctibus, nullis terrenorum negotiorum curis eorum animi deprimebantur. Nam etsi quidquā supererat illis ex his, quæ suis manibus operabantur, id continuò distribuebant egentibus, vt iuxta pręceptum Domini Iesu Christi de crastino minimè cogitarent. In tantum vero vestimentorum penuriâ sese constrinxerant, vt numquam lebitone alio vterentur, nisi cùm indumenti sordes necessitas coëgisset eluere.[18] Lebiton autem linea vestis erat, instar colobij, quâ monachi vtuntur hodieque per Thebaidam & Ægyptum. Sed beatus Pachomius ad humiliandum corpus proprium, induebat se plerumque cilicio.

CAP. XIV.

Venit ad Pachomiū germanus Ioannes.

Ei se adiungit.

Ex residuo operum subueniunt pauperibus.

Matth. 6.

Vnicâ vtitur veste.

Cilicium ad humiliandum corpus.

Et per annos quindecim, post illos ingentes sudores atque labores eximios vigiliarum & abstinentiæ, non iacens somnum capiebat noctibus, sed in medio cellulæ suæ residens: adeò, vt nec dorsum saltem parieti pro sustentatione reclinaret. Cumque nimis ex hoc affligeretur, ferebat tamen æquanimiter hunc laborem, spe quodammodò prælibans illam requiem, quæ sibi parabatur in cælis. Plurimorum namque patrum considerans instituta, dabat semper operam, cum proprio fratre ad maiora virtutis augmenta consurgere. Operabantur etiam sedilia, & vnusquisque sicut poterat, ita viuebat, cum summâ scilicet humilitate & patientiâ, & fide non fictâ.

Somnum in medio cellæ sedens capit Pachomius.

Inter hæc Pachomius iterùm diuinitus admonetur pro Regulis, quibus deberent institui, qui erant per eum Domino credituri: cœpitque cum germano suo habitaculum, in quo mauebant, capaciùs reddere, & ædificijs ampliare quamplurimis, eorum (vt diximus) gratiâ, qui sæculo renuntian-

CAP. XV.

Monasterij septa dilatat Pachomius.

tiantes, ad seruiendum Christo erant sine dubitatione venturi: [19] quatenus essent spatia digna membrorum, in quibus eorum possit recipi multitudo. Cùm ergo sanctus Pachomius in maius, vt dictum est, locorum ambitus extenderet, & monasterij membra dilataret, idem frater eius solitudinem atque anachoresim cogitans, habitaculi diligebat angustias: & nimiùm indignè ferens, erat enim natu maior, ait beato Pachomio: Desine ab hac intentione tuâ: quid agis rem superfluam, inaniter temetipsum dilatare contendens? Qui cùm hæc audisset, grauiter quidem tulit, quòd insolitam audisset iniuriam: verumtamen nihil omnino ei respondit, sed mansuetè sustinens, sese continuit. Consequenti verò nocte ad inferiora domus descendens, cuius aliquam partem ipse construxerat, prostrauit se in orationem: cœpitque flere vehementer, ac dicere: Væ mihi, quia prudentia carnis adhuc in me sibi vendicat locum. Adhuc enim secundùm carnem ambulo, sicut nuper expertus sum. Tantæ namque conuersationis instituta suscipiens, æquum non est, vt me modò impatientia præcipitet, modò mœror vexet, modò furor exagitet, quamuis iure ac meritò videar irasci. Miserere mei Domine, ne peream, ne diaboli deceptus fraude succumbam. Si enim me tua gratia deseruerit, & aliquam in me partem suorum actuum repererit inimicus, durissimæ eius seruitutis subijciar, quia scriptum est: A quo quis superatur, huic & seruus addicitur. Et iterum scriptum est: Si totam legem quis impleuerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Credo Domine, quòd miserationes tuæ multæ sunt: quæ me nullis meritis subnixum adiuuabunt, viamque sanctorum tuorum per te illuminatus ingrediar: & in anteriora me semper extendens, obliuiscar ea quæ retrò sunt. Sic enim famulorum tuorum chorus, qui tibi à sæculo placuit, tuo protectus auxilio, diaboli vitauit incursus, longè lateque pro multorum salute mirabili decore resplenduit. Ego autem, Domine, quomodo alios docere tẽtabo, quos per me ad monachorum propositum vocare dignaberis; cùm nec passiones carnis, quæ aduersus animam militant, antè deuicerim, nec legem tuam immaculatâ mente seruauerim? Sed confido, Christe, quòd tua mihi virtus in omnibus semper assistat: eaque geram, quæ tuis conspectibus placeant. Remitte clementissime Deus, remitte precor omnia peccata mea, & cor meum tuâ iugiter inspectione purifica. Hæc igitur cùm lacrymis Domino confitebatur & fletibus, totâ nocte peruigil in oratione consistens: & præ nimietate sudoris atque lacrymarum (nam tempus erat æstatis) ita pauimentum vbi orauerat humectum reddidit, vt fusa illic aqua crederetur. Consueuerat autem stans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minimè colligebat: sed extensione diuturnâ, veluti cruci confixum corpus retinebat immobile, & sic animũ suum ad vigilandum in precibus excitabat. Et quamuis esset in omni virtutum genere præpotens, incredibili tamen humilitate & mirâ mansuetudine cum suo germano cohabitans, eum per omnia sustinebat. Qui non post multum temporis, vitæ præsentis cursum impleuit. Cuius funus debito curauit honore Pachomius. Nam totam noctem super eius cadauer psalmis egit hymnisque peruigilem: & animam quidem eius Domino commendauit, cui & ipse crediderat; corpus verò sollicitè reddidit sepulturæ.

Reprehensus à fratre mansuetè se continet.

Humiliat se coram Domino variis animi motibus agitatus.

2. Pet. 2.

Iac. 2.

Philip. 3.

Antequam alios doceat, passiones carnis domitas optat.

Orans stãdo in formã crucis manus expandit.

Funus fratris peruigilio, psalmis, hymnisq; prosequitur.

CAP. XVI.

Tunc infatigabilis Pachomius arctâ & singulari conuersatione semetipsum affligens, studebat integrum se atque immaculatum in omnibus exhibere. Si quando namque eum cogitatio pulsasset illicita, mox eam diuino munere repellebat, atque in timore Domini perseuerabat affixus, æternarum memor pœnarum, & dolorum sine fine manentium, ignis scilicet illius inextinguibilis, & vermis numquam omnino morientis. Cùm his itaque Pachomius modis & ab illicitis abstineret, & ad meliora proficeret: dilatandi monasteria curam gerebat immodicam pro susceptione multorum: cui diabolus vehementer cœpit obsistere, stridensque super eum dentibus, [20] veluti singularis ferus, tentationes ei varias excitabat, si forsan aduersus eum fraudis suæ reperisset ingressum. Sed hic scuto fidei communitus, vigilanter inimici declinabat insidias, sanctas Scripturas memoriâ retinens atque decantans.

Æternarũ memoriâ pœnarum noxias cogitationes pellit.

CAP. XVII.

Quadam verò die, cùm Pachomius supplicaret Domino, & genua vellet in oratione curuare, ante conspectum eius dæmonum præstigijs lacus apparuit. Huiuscemodi namque figuras inanes atque superfluas, hostis humani generis semper exhibere festinabat, vt aliquâ subreptione vel fraude mens orantis à propriâ intẽtione distracta, preces Domino purissimas offerre nõ posset. Pachomius ergo dæmonũ machinas, Christo reuelante cognoscens, pariterque despiciens, maxima fidei capiebat augmenta; hos quidem constanter arguens, Deum verò solitâ gratiarum actione benedicens.

Dæmonum variis tentationes ac præstigia.

Consueuerat quoque sanctus vir procul à mo-

à monasterio suo causâ orationis ad loca remotiora descendere. Qui cùm exinde reuerteretur, immundi spiritus illudentes, frequenter eum facto velut ordine præcedebant, exhortantes alter alterum, quasi ante iudicem directis agminibus, ac dicentes: Date locum homini Dei. Pachomius autem spe Christi Redemptoris armatus, spernebat eorum ridiculosa figmenta, & ac si canum latratus, ineptissimos deputabat. Qui magnam viri considerantes instantiam, quòd in nullo prorsus tantis luctaminibus frangeretur, irruunt super eum magno cuneo conglobati: & circumdantes eius habitaculum, visi sunt illud à fundamento conuellere, ità vt putaret sanctus, locum penitùs fuisse collapsum. Qui manens intrepidus, consuetam citharam spiritalis plectri modulatione pulsabat, ingenti voce decantans: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis: propterea non timebimus dum turbabitur terra. Quo psallente, protinus est facta tranquillitas, & impetus inimicorum velut fumus euanuit: paululùm quidem recedentes, vt canes, qui cùm fatigati fuerint, ad præsens videntur abscedere, sed impudentiores posteà reuertuntur: nam cùm idem sanctus post orationes ad opus solitum consedisset, instar galli gallinacei nimiæ magnitudinis coram eo visus est inimicus, crebras iterans voces, & clamores inconditas excitans: deinde insiliens in eum, suis velut vnguibus fœdè lacerauit. Qui signo Crucis frontem suam muniens, [21] exufflauit in eum, moxque fugatus est. Intelligebat enim cunctas inimici versutias: & timore diuino præditus, illusiones eius pro nihilo computabat. Vnde frequenter ab eo lacessitus, in nullo lacessere poterat: sed tamquam turris inexpugnabilis, patientissimus ad omnia certamina perdurabat.

Nituntur dæmones Pachomii habitaculũ euertere.

Psal. 45.

Ad Psalmi cantum instar fumi euanescũt.

Crucis signo frontẽ muniens dæmonem pellit.

Rursus alio tempore cohortes dæmonum, tali genere phantasmatis sanctum Dei famulum tentare moliuntur. Plures enim conuenientes in vnum, arboris folium coram eo magnis funibus colligare videbantur, & summo conamine trahere, dextrâ læuaque ductis ordinibus: ac sese mutuò cohortantes, sic insistere nitebantur, ac si magni lapidis mouerent pondus immensum. Hoc autem nequissimi spiritus idcircò faciebant, vt mentem eius, si possent, in risum fortè resoluerent, & inuenirent vnde illi exprobrarent. Quorum Pachomius impudentiam cernens, ingemuit: atque ad Dominum solitis precibus conuolauit, statimque virtute Christi totus eorum cuneus est ad nihilum redactus.

Frequenter enim cùm resideret ad mensam, Deoque gratias ageret, apparebant illi in habitu pulcherrimarum mulierum, specie differentium, & procaci ac fœdâ nuditate conspicuæ, eidem astare videbantur, & ex appositis velle contingere. Sed athleta fortissimus, quamuis sentiret ex hoc ipso molestiam, tamen exteriores oculos claudens, & interiores ad Dominum referans, eorum molimina proterebat. Aderat enim misericors Dominus, qui etiam nunc contritis ac rectis corde cunctis adesse dignatur, & dicit: Nolite timere: ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: suumque fidelem famulum seruabat in omnibus.

Dæmones mulierum effigie ei apparent.

Matth. 28.

CAP. XIII.

Aliâ quoque vice, cùm idem sanctus grauibus diaboli molestijs vrgeretur, sic ab eo est crudeliter cæsus, vt à vesperâ vsque manè, totum corpus multis esset verberibus exaratum. Et quamquam doloribus cruciaretur immanibus, nullâ tamen desperatione penitùs frangebatur: sed memor erat Domini, qui seruos suos non deserit in tentatione. Tunc quidam monachus, [22] Apollo nomine, gratiâ visendi venit ad eum. Cui Pachomius loquens ea quæ pertinent ad salutem, insidias diaboli multiformes esse pronuntians, cœpit etiam illa quæ circa se gerebantur exponere: quantaque sibi per eorum acerbitates illata essent verbera, recensere. Ad quem monachus ait: Viriliter age, & confortetur cor tuum, venerabilis Pater. Sciens enim diabolus, quia si te suis cedentem conflictibus vicerit, consequenter etiam nos, qui pro virium possibilitate certaminum tuorum sectatores existimus, quique maxima per te capimus exempla virtutum, perfacilè superabit: idcircò te vehementer impugnare non desinit. Sed tu Domini protectione munitus, impetum eius fortiter excipe: ne, quod absit, & pro nobis cogaris reddere rationem. Nam si tu, qui nobis gratiâ diuinâ prælatus es, aliquâ desidiâ cesseris, multis occasionem ruinæ caussamque præstabis. Hæc audiens Pachomius, grandes accepit vires aduersus dæmonum insidias: & glorificans Deum de fratris præsentiâ, precabatur eum, ne se desereret. Exinde memoratus Apollo sæpè veniebat ad senem. Qui post aliquantum temporis, dum solitò Pachomium visitans, paucis cum eo diebus remoratus esset, validâ infirmitate correptus, humanis rebus excessit: iuxta votum senis dies suos perfectâ conuersatione consummans. Sepelitur itaque sanctis manibus, psalmis ab eo & hymnis & canticis spiritalibus ex more celebratis.

Cæditur crudelissimè.

Ab Apollone monacho roboratur.

Apollonis funus psalmis, hymnis & canticis celebrat.

Tan-

CAP. XIX.

Fiducia in Deum serpentes illaesus calcat. Tantam verò post hæc fiduciam beatus Pachomius apud Dominum acquisierat, & ita spe diuinâ magnificus habebatur, vt sæpenumerò calcaret serpentes & scorpiones, & per omnia maneret illæsus: necnon *Crocodilorum ministerio flumina transit.* crocodili, siquando necessitas fluuium transire compelleret, eum cum summâ subiectione portabant, exponentes eum ad locum quocumque præcepisset. Super his ergo Deo gratias referens, quòd ab vniuersis inimici fraudibus seruaretur illæsus, orabat, dicens: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, qui non despexisti humilitatem meam, neque siuisti me nimis infirmum decipi vel illudi fraude diaboli; sed misericorditer ignorantiæ meæ discutiens tenebras, docuisti me facere voluntatem tuam. Nam cùm pusillus essem & abiectus, ac vitæ meæ penitùs nescius, timoris tui sensum mihi largitus es: vt tenebras exteriores & supplicia æterna deuitans, te veram lucem gaudiumque perenne cognoscerem.

CAP. XX.

Cùm ergo se videret assiduâ dæmonis impugnatione pulsari, tamquam fortissimus athleta nimis alacer pro vitæ sanctitate certabat, postulans à Domino, vt si fieri *Insomniam à Deo postulat.* posset, quòd modum humanæ fragilitatis excederet, necessitatem somni superaret: *Ruff. l. 3. n. 35.* quatenus diebus ac noctibus vigilans, aduersariorum machinamenta destrueret, sicut *Psal. 17.* scriptum est: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant. Affligam illos, nec poterunt stare: cadent sub pedibus meis, & præcinxisti me virtute ad bellum. Postquam verò hæc petitio eius, quantum conditio permisit humana, completa est, inuisibilem hostem tamquam videns sustinuit, in elo*Quid Pachomius precabatur assiduè.*quiis cælestibus se perseueranter exercens. Preces autem eius incessabiles erant, vt Domini voluntas in omnibus impleretur.

CAP. XXI.

Quodam autem tempore, cùm Pacho*Apparet ei Angelus.*mius vigilaret in oratione, apparuit illi Angelus Domini, dicens: Voluntas Domini est, ô Pachomi, vt ei purâ mente deseruiens, multitudinem congreges monachorum, & iuxta formam quæ tibi ostensa est, cunctos instituas, ac Deo exhibere contendas. [23] Acceperat enim dudum tabulam, in quâ erant hæc adnotata:

CAP. XXII

Regula Pachomio ab Angelo data. *Victus.* Singulis iuxta vires suas edere concedas & bibere: & pro modo vescentium, laborare compellas: & neque comedere modestè, neque ieiunare prohibeas. Validioribus quidem, & comedentibus, validiora opera: leuiora verò infirmioribus & abstinentibus imponas.

Habitatio. Facies autem diuersas cellulas, & ternos per vnam cellulam manere constituas. Omnium verò cibus in vno loco paretur, atque consumatur.

Induantur autem noctibus [24] lebitones *Vestitus.* lineos, præcincti lumbos: habeantque singuli [25] melotem, id est, caprinam pellem confectam albam, sine quâ neque comedant, neque dormiant.

Accedentes tamen ad Communionem *Communio.* Sacramentorum Christi, & cingulos soluant, & melotem deponant, cucullis vtentes tantummodò.

Hoc etiam præceptum erat, vt iuxta nu*Turmarū distributio.*merum elementorum & Græcarum litterarum, XXIV. monachorum turmæ constituerentur, ita vt singulis turmis imponerentur singularum nomina litterarum, id est, ab α, & deinceps vsque ad ω, vt cùm interrogaret archimandritam de aliquo in multitudine tantâ, facili responsione cognosceret. Verbi gratiâ: cùm diceret, qualiter esset α, vel ζ, [26] & rursus λ, vel ρ, vel σ, proprio quodam signo nominis litteræ, vniuscuiusque turmę mores exprimeret, simplicioribus & innocentioribus ι, nomen imponens, difficilioribus autem & tortuosis, ξ, competenter accommodans: ita vt pro modo conuersationis & propositi, singulis turmis litterarum elementa concinerent, solis spiritalibus hæc ipsa, quæ significarent, scire valentibus.

Sed & hoc in illâ tabulâ ferebatur ad*Hospites.*scriptum, vt peregrinus alterius monasterij, si veniret habens habitum diuersum, nullus cum eo comederet, excepto eo qui iter agens, id obseruare non posset.

Qui verò semel ad hoc intraret monaste*Nouitij.*rium, vt ibi iugiter permaneret, per tres annos à studiis sacratioribus arceretur: operaretur tantùm opera sua simpliciter, & ita post triennium stadium certaminis introiret.

[27] Cùm autem comederent, capita sua *Refectio.* cucullis operirent, ne frater fratrem videret manducantem: & vt nullus comedens loqueretur, nec præter mensam suos alibi circumferret aspectus.

[28] Necnon ab Angelo, qui cum Pacho*Oratio.*mio loquebatur, hoc quoque constitutum est, vt diurnæ orationes XII. fierent, & vespertinæ XII. & nocturnæ XII.

Cumque Pachomius diceret, paucas orationes esse, respondit Angelus: Has constitui, quas possent infirmiores absque labore perficere: ceterùm qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namque in propriis constituti cellulis, orare non desinunt, qui puritate mentis & diuinâ contemplatione pascuntur.

Cumque hoc dixisset, nuntius cælestis abscessit: & Pachomius solitè Deo gratias refe-

referens, de visione certus est redditus, quam trinâ reuelatione cognouerat. cœpitque suscipere cunctos, qui per pœnitentiam se Dei miserationibus offerebant: quos etiam post longam conuersationis experientiam, monachorum cœtibus aggregabat, instruens eos mundi illecebras fugere, sanctisque semper institutionibus inhærere, primitus admonens, vt generaliter monachus vniuerso mundo renuntiet, deinde iuxta Euangelicum præceptum parentibus suis, & ad postremum sibimetipsi, vt ita possit tollere crucem suam, & Christi vestigia veneranda sectari.

De tribus ...us monet Pachomius.

Lucæ 14.

Tali vtique beati senis admonitione formati, fructus pœnitentiæ dignissimos afferebant, maximè considerantes, eum iam ætate defessum, infatigabili studio spiritalis vitæ seruare propositum. Non solùm namque se districtiori regulæ subdiderat, sed & totius monasterij sollicitudinem curamque portabat, vltra vires omnibus seruire contendens. Ad horam namque conuiuij ipse parabat mensam fratribus, & solita exhibebat officia. Nec non in hortulis serebat olera, quæ suis manibus irrigabat. Si quis etiam monasterij pulsasset ostium, vigilanter occurrens, promptè responsa reddebat. Infirmis autem diebus obsequebatur & noctibus: & in his omnibus exemplum se maximum suis discipulis offerebat. Quapropter hi qui nuper ad Domini seruitium veniebant, alacriores ad omnia pietatis officia reddebantur: quos tamen beatus senex, quia talium sollicitudinum munus adhuc obuiare non poterant, securos esse ab vniuersis distentionibus admonebat, dicens: In quo vocati estis fratres, vitiliter in eo persistite, psalmos dicite, libros alios, & præcipuè sanctum Euangelium, memoriâ retinete. Sic enim seruientes Domino, & iuxta mandata eius inuicem diligentes, vos quidem eritis perfecti; meum verò spiritum per omnia refouebitis, præsertim si cælestia præcepta fueritis sollicitiùs executi.

Ministrat fratribus.

Psalmos & Euangelia suis commendat.

CAP. XXIII.

Erant autem tres hi viri, qui primitus ad Pachomium conuenerant: quorum ista sunt nomina, Psentheffus, Suris, & Obsis. quibus Dei verbum Pachomius frequenter insinuans, multùm eos iuuerat, & ad æmulationem spiritualis operis incitauerat. Qui etiam contemplantes, vitam senis specimen esse virtutis, nimis admirabantur, dicentes: Errant valdè, qui putant homines exinde iam à natiuitate parentum, quodam priuilegio beatos existere, vt arbitrij libertas adimatur, & peccatores per pœnitentiam non possint operam dare virtutibus. Ecce enim manifestissimam in hoc venerabili patre Pachomio Domini conspicimus largitatem, qui cùm de parentibus ortus sit gentilibus & profanis, ad tantam beatitudinem diuini cultus se extendit, vt omnia Christi mandata perfecerit. Vnde certum est, & ex nobis quicumque voluerint, adiuuante Dei gratiâ, normam sancti viri posse subsequi, sicut & ipse perfectissimorum patrum æmulatus est sanctitatem. Denique quid est aliud, quod in Euangelio scriptum est, dicente Christo: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: nisi vt iniqua proiicientes onera, quæ deprimunt genus humanum, bono incommutabili sine detrectatione iungamur? Et ideò perseueremus vsque in finem cum hoc sene, vt conglorificari cum ipso in illâ perenni beatitudine mereamur: nam rectè nos instruit ad omnia, non solùm verbo, sed etiam, quod est efficacius, proprio mirabiliter informat exemplo. Tunc accedentes ad sanctum Pachomium, dicunt ei: Pater venerabilis, cur solus monasterij sollicitudinem sustines? Quibus ille respondit: Nemo iugum subitò iumentis imponens, laborare compellit, & tanto premit onere, quo sub fasce deficiant: sed paullatim assuescit ea, leuioribus exercens antè ponderibus, vsque dum valeant, & opportunè possint ad opera grauiora consurgere. Eodem modo nos quoque conuenit mensuram ipsam, quâ nos mensus est Christus, sic agere vobiscum, vt de vestrâ per omnia gaudeamus firmitate. Clementissimus autem Deus, qui numquam preces humilitatis meæ despicit, corda vestra in suâ disciplinâ corroboret, vt omne opus bonum perficere cum patientiâ & longanimitate possitis, sanctorum patrum vestigia subsequentes: vt sinceram ac Deo placitam conuersationem vestram videntes, alij ad Christi seruitium veniant, curamque monasterij patris æquo labore sustentent.

Tres primi Pachomij discipuli, Psenthessus, Suris, & Obsis.

Liberum arbitrium astruitur.

Quid possit diuinâ gratiâ adiutus.

Matth. 11.

Exempli efficacia.

CAP. XXIV

Regulas igitur eis quas acceperat, tradidit: scilicet vt haberent moderatum cibum, vilissimum vestitum, somnum etiam competentem. Vnde factum est, vt iuxta voluntatem Domini, qui omnes homines conuocat ad salutem, cunctaque bonorum incrementa largitur, ad senem plurimi conuolarent, volentes pariter commorari: inter quos erat Pecusius, & Cornelius, Paulus quoque, & Pachomius alter, & Ioannes, qui omnes immaculatam fidem beati patris & doctrinam salutiferam libenter amplexi sunt. Statuitque, vt hi qui poterant, monasterij susciperent curam: & ita in breui multiplicatus est monachorum nume-

Regula monastica.

1. Tim. 2.

Pecusius, Cornelius, Paulus, Pachomius, Ioannes, alij eius discipuli.

L rus.

Eucharistiæ cæleste mysterium. rus. Proinde cùm solemnitas ex more deposceret, vt mysteriorum cælestium participes fierent, ex proximis viculis presbyteros conuocabant, qui eis festiuitatem lætitiæ spiritalis implerent. *Non patitur suos sacerdotio initiari.* Non enim patiebatur idem senex, inter eos esse quempiam, qui clericatus officio fungeretur. Dicebat enim, multò melius esse atque commodius monachis, non solùm nullius prorsus honoris quærere primatus & gloriæ, verùm etiam occasiones huiuscemodi de cœnobiis amputare, quoniam frequenter hinc inter fratres contentiones & æmulationes inutiles nascerentur. Sicut enim scintilla ignis cùm in messem ceciderit, non citò restinguitur, & interdum totius anni fructus exurit: *Ambitio quàm perniciosa sit monachis, pulchrâ similitudine declarat.* ita cogitatio feralis ambitus, si in mentes irrepserit monachorum, vt vel primi cupiant esse, vel clerici, nisi citò suggestionis huius ardorem de suo corde pepulerint, ilicò perdent continentiam multis laboribus acquisitam. Oportet ergo cum omni mansuetudine & puritate communicantes Christi ecclesijs clericos venerari, quia hoc expedit monachis, nullas autem religiosas appetere dignitates. *Sacerdotes ab episcopo ordinati.* Si verò repererimus aliquos ex monachis iam pridem clericos ab episcopis ordinatos, amplectamur eorum ministerium: quia & in veteri Testamento non omne vulgus sacrum præsumebat officium, sed hi tantùm, qui erant de tribu Leui, ad hæc obsequia nascebantur. Si quando autem extraneus frater aduenerit, de quo certum est, quòd sacerdotij fungatur officio: *In honore eos haberi iubet.* non exprobremus ei, tamquam qui sacra iura peruaserit, & his se ministeriis insolenter ingesserit. Quo modo namque hoc de eo suspicabimur, quem nos ad celebranda cælestia Sacramenta enixiùs obsecremus? Imò magis vt patrem, & nobis in hac re obedientem, plus honorare nos conuenit, vtpote qui Sanctorũ vestigia sectetur, & illibatum Deo munus offerre non desinat, maximè si conuersatio eius expectata cunctis est & probata. Si verò, quod absit, in aliquo delicto putatur esse collapsus, de eo nos iudicare non possumus. *Delinquentium iudicium ordinario committit.* Deus enim iudex iustus, constituit episcopos super eos iudices, qui beatorum Apostolorum successores & imitatores existunt, qui possunt spiritali examine discere negotia singulorum, & æquum de eis ferre iudicium. Nos autem compatiamur ex imo pectore talibus: quia & misericordes nos Dominus esse commonet, *Matth. 6.* cui supplicare iugiter oportet, ne nos in aliquam tentationem patiatur induci. Hæc à memorato patre non solùm dicebantur viriliter, sed & cum omni sollicitudine seruabantur. Si quando denique venisset ad eum clericus, qui sub eius Regulâ vellet viuere, dignitati eius honorem reddebat ecclesiæ debitum: ille verò monachorum seruiens institutis, tamquam patri se multâ humilitate subdebat.

CAP. XXV.

Omnes autem Christi famulos beatus Pachomius adeò diligebat, vt eis semper compateretur paterno affectu. *Pachomij erga omnes charitas.* Senibus etiam & ægrotantibus, necnon & paruulis, misericordiæ opera proprijs manibus ingerebat, præ ceteris eorum mentes munimine spiritali corroborans. Cumque in fide & in opere multi proficerent, & magnus fratrum numerus augeretur, omnes propemodum satagebant æmulatores esse virtutis. *Præpositos constituit.* Constituit igitur ex eis 29 præpositos, qui sibi ad lucrandas animas, quæ ad eum quotidie confluebant, adiutores existerent. Plurimis enim (sicut dictum est) ad eum venientibus, & multipliciter in opere spiritali crescentibus, *Eius in regendo prudentia.* magna quædam conuersationis eorum videbatur esse diuersitas. Quibus senex iuxta datam sibi diuinitus Regulam, gratiâ Christi se per omnia moderante, pro viribus & ingeniis singulorum mensuras & formas operum custodire censebat: alijs quidem, vt labore manuum victum quærerent; alijs, vt fratrum occuparentur obsequiis, nec iisdem cunctis temporibus vescerentur, sed vnusquisque pro labore suo vel studio, continentiæ moderamina retineret. Sollicitudinem verò totius dispensationis erga fratres atque peregrinos, eisdem commisit, qui se in ordine sequebantur. *Obedientiam impensiùs suadet.* Vniuersos autem monachos promptos esse ad obedientiam commonebat, vt hoc compendio facilè perfectionis apprehenderent celsa fastigia, cordaque sua in timore Christi diligenter excolerent. sic enim Deo potiùs quàm sibi viuerent, dum fructus obedientię supplices exhiberent. *Supplet aliorum officium.* Hic autem pater venerabilis, quamuis esset spiritalibus actibus occupatus, si quando tamen acciderat, vt abesset is cui monasterij curam commiserat, sic adimplebat omnia solus, velut omnium famulus. Et hoc agebat sine aliquâ ostentatione vel iactantiâ, quæ magnas spiritalium virorum solet euacuare virtutes. *Iactantia virtutes euacuat.* Nam summâ mentis humilitate cunctos ædificabat in Domino, vtiliter vniuersa dispensans. Omnia quoque monasteria sollicitè circuibat, vsque dum rursus ad eosdem filios suos paterno repedaret affectu. Quos inueniens in opere Dei sollicitè vigilare, gaudebat, multumque profectuum eorum lætabatur augmentis.

CAP. XXVI

Quodam verò tempore, videns aliquos mediocres homines in vicinis locis, dum pascerent pecora, à communione Sacramentorum Christi abstinere, nec diuinorum frui *Zelus animarum.* lectione

lectione voluminum, qui per omne Sabbatum atque Dominicum solemniter vbique recitantur, inijt consilium cum S. [30] Aprione Tentyrorum episcopo, vt in vico eorum iam pænè deserto construeretur ecclesia, ad quam conuenirent, & mysteria diuina perciperet. Quod vbi factum est, cùm necdum essent ordinati clerici, qui solemnia plebi peragerent, ipse ad horam conuentus ecclesiæ cum monachis occurrebat, salutiferas plebi paginas relegens: quia, vt dixi, nódum ibidē lectores fuerant constituti, nec alij clerici, qui ministeria sacra celebrarent. Quàm diu ergo presbyter & reliquus ordo clericorum aberat, Pachomius veniebat, & sic alacriter ac inuerecundè lectoris implebat officium, & ita mentis ac corporis oculos habebat intentos, vt videntes eum populi, non hominem, sed Dei Angelum crederent. Vnde plures institutione eius ab errore conuersi, facti sunt Christiani. Erat enim circa proximi charitatem valdè perfectus, & intantum misericors, vt si quando vidisset aliquos diaboli fraude deceptos, eósque non verum Deum colore, sed vanis inseruire simulacris, super eorum perditione ingemisceret fortiter, & vbertim lacrymas pro eorum salute funderet.

C. XXVII. [31] Per idem tempus Alexandrinæ ecclesiæ sanctus episcopus Athanasius præerat, vir omni virtute mirabilis. Qui cùm solemniter superioris Thebaidæ circuiret ecclesias, & salutari doctrinâ in fide Christi plebem institueret, accidit vt ad loca Tabennensium nauigio perueniret. Quod vbi Pachomius agnouit, statim cum vniuersis monachis in eius properauit occursum: omnésque gaudentes & exultantes, cum psalmis & hymnis summum Christi suscepêre pontificem: & erat ingens multitudo fratrum, qui de eius aduētu lætabantur in Domino. Pachomius verò non se ostendebat antistiti memorato, sed ex industriâ subtrahens se, in monachorum turmis occuluit, ex hac videlicet caussâ, quòd antefatus Tentyrorum episcopus de eo sanctum Athanasium sæpiùs exorabat, virum dicens esse mirabilem, & verè famulum Dei, quem ad honorem sacerdotij dignissimè promoueret. Id ergo sciens Pachomius, non ei se manifestè monstrauit, inter monachorum agmina delitescens, vsque dum idem præteriret episcopus, quem intantum venerabatur, vt nullum præstantiorem ipsis temporibus hominem diceret. Compererat enim sanctam vitam eius, & persecutiones innumeras, quas ab Arrianis pro Christi pertulerat confessione: charitatem quoque, quam erga vniuersos, & maximè monachos, exhibebat, intento mirabatur animo, eumque toto cordis affectu venerabatur. Nec solùm hunc diligebat ardentiùs; sed & omnes rectæ fidei viros, summo studio præferebat. Hæreticos autem detestabatur plurimū, & maximè Origenem, velut blasphemum ac perfidum, vehementer horrebat: qui præuius Arrij Meletiique declaratus, sub [32] Heraclâ venerabili Alexandrinæ ciuitatis episcopo, de ecclesiâ pulsus est, quique sacræ Scripturæ dogmatibus exosa atque detestanda, quæ nonnullorum corda subuerterent, expositionibus suis admiscuit. & sicuti solent, qui venena temperant, amaritudinem melle contegere; sic iste proprij virus erroris, cælestiū verborum dulcedine liniens, exitiosa rudibus dogmata propinauit. Quapropter vniuersos fratres sollicitiùs admonebat, vt non solùm ipsi [33] Origenis commenta non legerent, sed neque legentibus quidem aurem penitùs admouerent. Vnde fertur aliquando reperisse volumen eius, & in aquas misisse continuò, testatus his verbis: Nisi scirem nomen Dei in eo esse conscriptum, omnes garrulitates blasphemiarum eius ignibus concremassem. Adeò rectæ fidei erat amator, æmulatorque veritatis. Sicut autem inimicis ecclesiæ odio aduersabatur hostili, ita Catholicorum probabatur adgaudere profectibus, & ipsum Christum redemptorem omnium, se in sacerdotibus eius in Ecclesiæ throno testabatur cernere. Si quando verò fratrem detrahentem cuiquā pro quolibet negotio cognouisset, non solùm non credebat ei, sed etiam auertens se mox ab eo, veluti à facie serpentis concitus abscedebat, illud Psalmographi frequenter insinuans: Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar. Nullus (aiebat) bonus de ore suo profert quidquam mali, nec sanctis patribus venenato ore prorsus obloquitur. De quâ re multis quidem Scripturis, Dei monstrabat indignantis offensam, præcipuè tamen Mariæ proferebat exemplum, quæ mox vt aduersus Moysen querelas obtrectationis effudit, persusa leprâ, diuinum iudicium vitare non potuit. Hæc docens, vtilitatem maximam audientibus conferebat.

Comperit autem germana soror eius, institutionem senis præclaram atque sublimem: cupiensque videre eum, ad monasterium eius aduenit. Quod vbi agnouit Pachomius, huiuscemodi responsum ei per ostiarium direxit: Ecce soror audisti de me quòd viuam & incolumis existam: perge igitur in pace, nec contristeris quòd te non videam corporalibus oculis. Quòd si volueris hanc conuersationem sequi, quam teneo, vt possis apud Dominum misericordiam re- C. XXVIII

Marginalia (left): *Ten[tyrorum] [episco]pus.* — *[Lect]oris [o]fficium [pe]r Pa[cho]mium.* — *S. Athanasius Tabennam venit.* — *Pachomius monachis comitatus eum cum psalmis & hymnis suscipit.* — *Pachomij humilitas.* — *Pachomij de Athanasio iudicium.*

Marginalia (right): *Hæreticos omnes maximéque Origenem detestatur.* — *Vitandi hæreticorum libri.* — *Libros Origenis aquis mergit.* — *Christum in sacerdotibus se cernere profitetur.* — *Detrahētes auersatur.* Psal. 100. — Num. 12. — Ruff. l. 3. n. 34. habet hoc de sorore Theodori. — *Sororem videre renuit.*

 perire,

perire, cogita tecum diligenter & tracta: & si cognouero, hoc sanctum cordi tuo sedisse propositum, præcipiam fratribus meis vt tibi procul ędificent mansionem, in quâ cum disciplinâ verecundiaque persistas. Nec dubito quòd alias exemplo tuo Dominus aduocabit, quæ tecum maneant, & per te mereantur salutis æternæ inuenire subsidium. Nullam namque requiem in hoc corpore mortis habere poterit homo, nisi qui pijs operibus Deo placuerit. Hæc audiens soror eius, fleuit amarè: & compuncta diuinitus, ad exhortationem saluberrimam mox appulit ahimum, seque Christo seruire professa est. Hanc ergo mentem germanæ suæ Pachomius agnoscens, Deo gratias egit, qui ei promptam largitus est voluntatem: & protinus religiosioribus imperat fratribus, vt ei procul à se monasterium construant. Quod vbi factum est, & illa secundùm timorē Dei vitam duceret: conuenerunt ad eam aliæ plurimæ, & breui tempore magnæ multitudinis mater effecta est. Quas instruens & docens, vt corā cupiditatibus carnalibus abstrahentes, ad cęlestia & mansura semper attollerent, ipsa & viuendo pariter & loquendo salutis eis itinera demonstrabat. Sanctus autem Pachomius cuidam Petro, ætate iam grandæuo, & venerandâ senectute conspicuo, præcepit, vt interdum famulas Dei visitaret, & sanctâ exhortatione sustolleret. Habebat enim cum mortificatione passionum omnium, etiam sermonem (sicut scriptum est) sale conditum, eratque oculis mentis & corporis valdè castissimus, qui sæpenumerò virginibus Christi de sanctis Scripturis loquebatur, & insinuabat ea quæ pertinent ad salutem. Pachomius verò descripsit eis Regulas, quibus vtentes, iugiter conuersationis suę momenta dirigerent. Exceptis enim melotis, quas feminæ non habent, omnis institutionis earum forma monachis probabatur esse consimilis. Si quis autem de fratribus habebat in monasterio feminarum propinquam aliquam vel sororem, eamque visitare voluisset, mittebatur cum eo vnus ex senioribus probatæ vitæ: & primùm quidem videbat eam, quæ sororibus præerat: & deinde sub eius præsentiâ & aliarum quæ erant prouectioris ętatis, sororem suam vel proximam frater cum omni pudore & gratiâ sanctitatis cernebat, nihil ei deferens, nec prorsus ab eâ quidquam accipiens. Non enim proprium quid habebant, quod sibi mutuo largirentur: eratque satis vtrisque, solum visitationis officium, memoriaque futurorum cum spe felicitatis æternæ. Si quando verò vel ad structuram, vel ad aliam rem feminæ monachis indigerent, eligebantur magnæ

Nulla homini requies nisi in piis operibus.

Soror Pachomij fit monacha.

Iubet ei monasterium extrui.

Multæ se ei adiungunt.

Petrum senem eis præficit Visitatorem.

Coloss. 4.

Regulam eis scribit Pachomius.

Feminæ non vtuntur melotis.

Visitant propinquas suas fratres sene socio.

Nil proprium habent. Xenia nec dant nec accipiunt.

conuersationis viri, qui fratribus ad quæsita præessent officia: & cum timore Domini laborantes, refectionis horâ reuertebantur ad monasterium, cauentes apud eas quidquam cibi potusque percipere.

Vna verò Regula tam virorum quàm feminarum hodieque perdurat, nisi quòd feminæ melotis (vt diximus) minimè vtuntur. Quòd si defuncta esset virgo, curantes funus eius reliquæ, cunctaque quæ ad sepulturam pertinent, adimplentes, deferebant vsque ad ripam fluminis, quod vtraque monasteria diuidit, psalmos ex more canentes. Tunc transeuntes monachi cum ramis palmarum & oliuarum frondibus, psallentes transuehebant eam, & in sepulcris suis cum hilaritate condebant.

Vna Regula viris & feminis. Pallad. c. 39.

Psalmi, rami palmarum & oliuarum in funere.

C. XXIX.

Hæc talis ac tanta conuersatio longè lateque crebrescens, sanctique Pachomij nomen vbique perueniens, vniuersos ad agendas Deo gratias excitabat. Non pauci quoque contemnentes huius mundi negotia, singularem monachorum conuersationem & spiritalia studia diligebant: inter quos & [14] Theodorus, adolescens annorum fermè xiiij. Christianis ortus parentibus, & secundùm sæculum valdè claris, hoc modo conuersus est. [15] Vndecimo die mensis Tibi, id est, octauo Id. Ian. quædam apud Ægyptum celebratur ex more festiuitas. Cernens itaque domum suam nimis amplam ac splendidam, ac bonis omnibus abundantem, per Dei gratiam corde compunctus, talia secum cœpit voluere: Quid tibi proderit infelix Theodore, si totum mundum lucratus fueris, & temporalibus vtens vsquequaque deliciis, ab illis æternis bonis & immortalibus excludaris? Nullus enim potest & præsentibus deliciis perfrui, & perennis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiscens, penetralia suæ domus ingressus est: & procidens in faciem suam, cum lacrymis ait: Omnipotens Deus, qui occultorum es cognitor: tu scis quia nihil horum quæ sunt in hoc sæculo, amori tuo præpono. Propter quod obsecro te misericors, vt in voluntate tuâ me dirigas, illuminans animam meam miseram, ne in æternæ mortis contenebrata peccatis obdormiat, sed redempta tuo munere, per omnia te collaudet atque glorificet. Hæc eo orante, venit mater illius, & inuenit oculos eius plenos lacrymis, & ait: Quis te contristauit, charissime fili, vt sequestreris à nobis? Nam solliciti ac dolentes vbique te quærebamus, vt nobiscum pariter epulareris. Qui respondit: Perge, quæso, mater, & cibum sume, quia ego nunc manducare non possum. Nec acquieuit precibus eius, vt cum eâ comederet.

Theodori nobilis adolescentis admiranda conuersio.

Matth. 16.

Qui præsentibus deliciis fruitur, non promeretur æternas.

Et

Abstinentia Theodori pueri. Et cùm ad scholam ambularet vt literas disceret, ieiunabat vsque ad vesperam. Frequenter autem & biduana ieiunia transigebat, per duos annos omnibus pretiosis & delicatioribus cibis abstinens, seque ad perfectam continentiam, quantum ætas illa patiebatur, extendens. Cœpit itaque secum tractare, *Fit monachus Theodorus.* quatenus monasterium expeteret, sanctæque se Regulæ manciparet. Et deserens omnia quæ habebat, quosdam religiosos viros reperit, optimâ institutione viuentes: habitauitque cum eis, in Domini timore proficiens.

Cap. XXX. Quodam verò tempore contigit, vt post orationem vespertinam, cùm monachi resedissent, & diuina consuetè meditarentur eloquia: vnus ex eis disputans, audiente quoque Theodoro, *Tabernaculi Mosaici mystica expositio.* tabernaculũ veteris Testamenti & sancta sanctorum ad nouos referret populos, ad circumcisionem scilicet atque præputium, dicens quòd exterius tabernaculum figuram gereret prioris populi Iudæorum, interius autem, quod est sancta sanctorum, vocationem præsignaret omnium gentium, quæ & sacratioris aditus meruisset accessum, & maiorum mysteriorum particeps extitisset. pro hostiis enim animalium, & pro arcâ in quâ erat manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti: pro thuribulo quoque & mensâ & candelabro ac propitiatorio, Deus Verbo nobis in suâ incarnatione clementer apparuit, & illuminauit nos lumine suæ præsentiæ: nostrorumque factus est propitiatio peccatorum, *Pro mannâ corpus Domini edimus.* & pro mannâ corpus propriũ largitus est ad edendum. Hæc cùm monachis qui præsentes aderant, idem frater religiosè dissereret, addidit dicens: Hanc interpretationem à sancto patre nostro Pachomio didici, qui in Tabennensi monasterio monachos primitus congregauit: cum quibus indies Domino auxiliante, profeci. [36] Et credo, quia tanti viri recordatus sum, peccata mea remittentur vniuersa. *Recordationi Pachomij quantum Theodorus tribuat.* Audiens ista Theodorus, accensus est animo, & intra semetipsum precatus est, dicens: Domine Deus, si talis est vir iustus in terris, dignum me fac, vt eum videam, & sequens vestigia eius, vniuersa mandata perficiam: saluus quoque factus, bona tua, quæ diligentibus te promisisti, promerear. Hæc dicens cum lacrymis, vincebatur amore diuino fortiter sauciatus. Post aliquot autem dies venit ad eos quidam venerabilis vir, *Pecusius senex.* Pecusius nomine, longæuâ senectute decoratus, vt visitaret fratres: simulque qualiter agerent, scire desiderãs. Quem valdè Theodorus precabatur, vt se comitem susciperet, & ad sanctum Pachomium perducere dignaretur. Qui nihil differens, eum secum gratanter assumpsit. Cumque peruenissent ad locum, Theodorus adorauit Dominum, dicens: Benedictus es Domine, qui sic celeriter orationem peccatoris audisti: & sicut abs te popósceram, desiderium meum complere dignatus es. Accedens ergo ad ostium monasterij, *Venit ad Pachomiũ Theodorus.* mox vt vidit Pachomium, cœpit flere præ gaudio. Ad quem venerabilis pater ait: Noli fili mi plangere, quia & ego homo peccator sum, licet Dei opus aggressus sim: & hæc dicens, introduxit eum in monasterium. *Fit monachus S. Pachomij.* Qui cùm fratrum multitudinem vidisset, illuminatus mente, circa diuinum cultum pio zelo vehementer incaluit, ac processu temporis magna in virtutibus incrementa percepit. Erat enim largitate diuini muneris præditus, & in operibus bonis ac verbis multùm prudens: & humilitate atque contritione cordis valdè mirabilis, in ieiuniis sedulus, in vigiliis intentus, in oratione sollicitus, numquam penitùs omittens, quò minùs spiritalis gratiæ maiora munera sectaretur. *Maiora semper gratia munera sectatur.* Consolabatur autem plurimos mœrore depressos: & eos qui aliquo peccato deuiauerant, admonitione humili atque beneuolâ corrigebat.

Cap. XXXI. Denique tam præclaram ac fulgentem conuersationem eius Pachomius cernens, satis eum dilexit, & in corde suo conseruit. *Venit ad Pachomiũ mater Theodori.* Audiens autem mater eius, quòd apud beatum Pachomium moraretur, ad eum protinus aduolat, secum deferens episcoporum scripta, quæ præcipiebant, vt ei suus filius redderetur. *Repetit filium.* Hanc ergo susceperunt virgines in monasterio, quod à virorum, vt suprà dictum est, haud procul aberat: quæ mox mittit epistolas sancto Pachomio, *Ruffin. l. 3. n. 34.* similiter obsecrans, vt filium proprium videre permitteret. Tunc aduocans Theodorum Pachomius, ait ad eum: Comperi fili, quòd huc mater tua venerit, & te videre desideret: ecce nobis & episcoporum literas attulit. Pergens itaque satisfacito matri, maximè propter sanctos pontifices, qui nobis per eam dignati sunt scripta dirigere. *Theodorus secum disceptat, an sine offensione matrem videre possit.* Respondit Theodorus: Priùs me venerabilis pater certum facito, quòd post tantam spiritalium rerum cognitionem, si videro eam, non dabo inde rationẽ Domino in die iudicij: & quod præcipis faciam. Hanc enim iuxta mandatum Christi cum toto mundo deserui. Et quomodo eam in offensionem fratrũ nunc audebo conspicere? Nam si priùs ante manifestationem tantæ gratiæ, *Exodi 32. Deut. 33. Leuit. 21.* filij Leui parentes proprios ignorarunt, vt iustificationes legis implerent: quantò magis ego, qui tanti muneris particeps factus sum, parentes non debeo diuinæ præponere charitati, dicente Domino in Euãgelio: *Matth. 10.* Qui diligit patrem aut

matrem super me, non est me dignus? Dicit ei Pachomius: Si probas id tibi non expedire, fili mi, non te cogo. Hoc autem eorum est, qui perfectè renuntiant huic mundo, & seipsos sibi penitùs abnegant. Oportet enim monachos, inutiles & sæculares salutationes & colloquia vana diffugere: & his, qui membra Christi sunt, piâ mente sociari. Si quis autem passione quadam sæculi captus, dicit: Parentes caro mea sunt, eos diligere debeo: audiat beatum Petrum Apostolum prædicantem: A quo quis superatur, huic & seruus efficitur. Qui ergo vincitur amore carnis, seruus sine dubio est carnis. Cumque non acquieuisset Theodorus matri se præsentare, decreuit & illa in ipso monasterio cum Christi permanere virginibus, hæc apud se pertractans: Si voluntatis Domini fuerit, inter alios saltem monachos videbo eum: & propter hanc occasionem, meam quoque lucrabor animam, dum in hac sancta conuersatione persisto. Constat igitur, eos qui rigorem pro nomine Christi, non pro vanâ laude custodiunt, plurimas vtilitatis causâ virtutes ceteris adhibere, licet videantur ad breue tempus nonnullos offendere.

Sæcularis conuersatio fugienda monachis. *2. Pet. 2.* *Renuit videre matrem Theodorus.* *Conuertitur Theodori mater.*

C. XXXII. Igitur sicut huius studium ad æmulationem eorum qui meliora cupiunt imitari, protulimus: ita negligentias aliquorum, iustum credimus intimari, ad cautelam eorum qui ista lecturi sunt. Quidam monachi secundùm carnem viuentes, nec veterem hominem curantes exuere, sanctum Pachomium fortiter affligebant: frequenter itaque salutaribus eos monitis alloquens, nullum penitùs profectum eorum sentiebat. Vnde tristis & anxius, Domino pro eis supplicabat impensiùs, dicens: Dominator Domine, tu præcepisti nobis diligere proximos vt nosipsos. Quia ergo secreta cordis mei agnoscis, obsecro, ne me clamantem ad te pro eorum salute despicias: sed misertus eorum, da illis timorem tuum, vt diuinam tuam potentiam cognoscentes, in veritate tibi deseruiant, spe promissionum tuarum per omnia roborati: quia nimis affligitur anima mea pro eis, & omnes sensus mei turbantur vsquequaque. Hæc dicens, siluit. Post aliquot verò dies videns quòd nec per orationem meliores effecti sunt, iterùm stans ad orationem, pro eis Domino supplicauit: & quasdam priuatas ac proprias Regulas eis orandi atque viuendi tradidit, vt saltem quasi serui statuta complentes, paulatim consuescerent ad filiorum munus affectionis industriâ peruenire. Qui cernentes se post concupiscentias suas ire non posse, præsentiamque sancti Pachomij formidantes, spiritu timoris, non illius casti, decepti sunt: & abierunt retrò post satanam, conuersationem eius admirabilem non ferentes. His itaque recedentibus, grex vniuersus in sui status integritate permansit, magis ac magis ad incrementa virtutum assurgens, sicuti solent in agris optima frumenta lætiùs efflorescere, cùm fuerint ab eis zizania radicitus amputata. Hæc autem retuli, volens ostendere, quia sicut nihil obest hominibus sæculo deditis, si se tradiderint monachorum institutis; ita nihil vtilitatis affert monachis professio venerabilis, si negligentes existunt: sed nec oratio paterna, nec condescensio eos poterit adiuuare torpentes.

Colloss. 3. *Leuit. 19.* *Matth. 19.* *Orat pro dyscolis monachis Pachomius.* *Vocationem suam deseruntur quidam.* *Nihil prodest negligenti monacho professio.*

Confessor intereà Dionysius presbyter & œconomus, id est, dispensator Ecclesię Tentyrorum, amicissimus sancti Pachomij, comperit ab aliquibus, quòd ex alijs monasterijs ad eum venientibus, non concedat cum suis fratribus vesci: sed eos sequestrato loco iuxta monasterij fores excipiat. Contristatus itaque plurimùm super hac re, venit ad eum: & increpantis potiùs assumens animum, quàm monentis, aiebat: Non rectè facis abba, charitatem fratribus debitam non æqualiter omnibus exhibens. Qui correctionem eius cum multâ longanimitate patientiaque suscipiens, ita respondit: Nouit Dominus propositum meum, & paterna tua cognoscit affectio, quòd nunquam cuiuslibet animam cupiam contristari, ne dicam spernere. Quomodo igitur hoc auderem agere, vt meum contra me Dominum prouocans irritarem, qui manifestè testatur in Euangelio dicens: Quamdiu fecistis vni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis? Accipe itaque satisfactionem meam venerabilis pater, quia non velut vitans atque spernens eos qui huc veniunt, hoc quod asseris, facio: sed quia in cœnobio congregationem suscepi; plurimos qui nuper conuersi sunt, & diuersos eorum mores esse cognosco. Nonnullos autem noui intantum ipsius conuersationis ignaros, vt nec monachorum habitum nouerint. Inter quos sunt paruuli, tantâ simplicitate viuentes, vt nec dexteram valeant scire neque sinistram. Idcircò credidi esse commodius, vt superuenientes fratres seorsum susciperentur, in honore maximo constituti. Hinc ergo non æstimo patribus vel fratribus qui ad nos diuertunt, vllam contumeliam fieri, sed magis debitam reuerentiam commodari: præsertim cùm statutis horis ad reddendum nobiscum Deo vota sua conueniant, & post hoc singuli ad loca destinata concurrant, quieti operam dantes, me secundùm Deum sollicitiùs vsibus eorum

C. XXXIII. *Dionysius presbyter Pachomiũ reprehendit quòd seorsim ab aliis hospites exciperet.* *Rationem ei reddit facti sui Pachomius.* *Matth. 25.* *Etiam pueri olim monachi.*

eorum necessaria prouidente. Hæc audiens præfatus presbyter, omni eum laude dignissimum comprobauit, certò cognoscens, quòd secundùm Deum cuncta ageret: multúmque releuatus sancti Pachomij satisfactione, lætus remeauit ad propria.

C. XXXIV. Mulier autem quædam in eadem Tentyrorum ciuitate, patiebatur fluxum sanguinis, & hac infirmitate iam prolixo tempore laborabat. Hæc audiens Pachomium Dei esse cultorem, sanctaque conuersatione mirabilem, insuper & Dionysium presbyterum amicum eius esse charissimum, rogat eum vt sui misereatur, & quasi per occasionem necessariam ad se Pachomium conuocet. Qui precibus mulieris flexus, hoc agere non moratur. Cùm ergo venisset Pachomius ad ecclesiam, & post orationem Dionysium salutasset, iuxta eum protinus assedit. Dumque loquerentur ad inuicem, mulier fiducià fidei roborata, credensque dicenti Christo: Confide filia, fides tua saluam te fecit; post tergum eius latenter accessit, & cucullum, quod operiebat caput eius, tremens attigit: statimque sanata est. Et procidens in faciem suam, adorauit Dominum, glorificans eius clementiam, quòd tanta per seruos suos beneficia credentibus contulisset. Tunc sanctus vir Dionysius factum sentiens, benedixit mulieri, & protinus ad sua repedauit.

Hæmorrhoissa tactu cuculli Pachomij sanatur. — Matth. 9.

CAP. XXXV. Aliquando verò necessitas exegit, vt sepis munimine monasterium vallaretur: in quo opere laborantibus fratribus, ipse lætus ferebat maximum auxilium.

Post aliquantos autem dies monachus quidam presbyter, multorum fratrum pater existens, qui solitus erat sanctum Pachomium crebrò visitare, venit ad eum cum vno fratre, propter contentionem quæ in monasterio orta fuerat, ex hac videlicet caussâ: Is ipse frater, qui cum eo peruenerat, molestus erat ei nimiùm, clericatus desiderans dignitatem: quem sciens indignum tali munere, diuerso modo ne hoc ipsum fieret, differebat. Et cùm ampliùs importunitatem eius ferre non posset, venit ad sanctum Pachomium, cuncta quę negotij erant eidem pandens, certus quòd ipse solus contentiones huiusmodi posset absoluere. Qui cùm caussam penitùs cognouisset, ait presbytero: Nónne ad hoc venisti, vt per me cognosceres Domini voluntatem? Audi ergo me, & da ei quod postulat, nihil in hac parte desperans. Fortassis enim per hoc officium liberabitur anima eius de captiuitate diaboli. Sæpè namque contingit, vt homo malus affectus beneficiis, ad bonos se conferat mores. Desiderium namque meliorum, pium nouit ingenerare propositum, his dumtaxat animabus, quæ non vsqueadeò negligentiæ torpore prolapsæ sunt, vt possint studere virtutibus. Nos ergo frater hoc agere decet, quod Deo placeat. Sic enim dilectio eius in nobis esse probabitur, si compatiamur alterutrum. Hoc accepto responso, senior fecit quod sibi fuerat imperatum. Sed frater ille voti compos effectus, ad beatum Pachomium reuersus est, iam mente sobrius atque compunctus, & cadens in faciem confitebatur dicens: O homo Dei, multùm sublimatus es à Deo, qui discernens ea quæ pertinent ad salutem, malum in bono vicisti. Si ergo non fuisses erga me mitis atque longanimis, sed aliquid in me rigidum protulisses: ab hoc discedens habitu, à Deo prorsus alienus efficerer. Nunc autem benedictus tu Domino, per quem anima mea salua facta est. Tunc alleuans eum de terrà venerabilis senex, hortabatur sedulò, vt vitam sumeret congruam dignitati, ne quando negligens, perpetua in futuro tormenta sentiret. Et osculatus eum, dimisit in pace: quem etiam vsque ad fores monasterij prosecutus est.

Prudentià suâ monachum, clericatum desiderantem, seruat Pachomius.

Honores quandoque mores in melius mutant.

Clementiæ fructus.

C. XXXVI. Adhuc autem sancto Pachomio ibidem stante, ecce vir à longè festinus veniens, ad eius vestigia prouoluitur, obsecrans vt filiam suam à dæmonio vexatam, per Christi gratiam curare dignaretur. Quo relicto præ foribus ingressus, ipse tale ei responsum per ostiarium dirigit: Non est nobis consuetudo cum mulieribus loqui: sed si quid habes ex vestimentis eius, mitte nobis, quod in nomine Domini benedicentes, tibi protinus remittam: & credimus in Christo, quòd filia tua isto modo ab inimici liberetur incursu. Cumque tunica puellæ sancto fuisset allata, seuerè nimis intuitus ait: Non est eius iste vestitus. Affirmante verò patre atque dicēte eius esse, respondit ei: Et ego noui quòd eius sit; sed virginitatem suam Deo dedicans, non seruauit sanctimonię puritatem: propter hoc eius inspiciens tunicam, & intelligens castitatem suam minimè custodisse, non eius esse testatus sum. Spondeat itaque tibi in conspectu Domini deinceps viuere continenter, & propitiabitur ei Christus, sanamque restituet. Pater igitur indignans & mœrens, filiam suam perscrutatus est: & sic esse, vt sanctus Pachomius dixerat, puellæ confessione cognouit. Quæ cùm iuramento pollicita fuisset, numquam se talia gerere velle, pro eâ vir beatus Domino supplicauit, benedicensque oleum misit. Quo peruncta, sine morà curata est, & glorificabat Dominum iugiter, quòd non solùm dæmone, sed

Non est monachis consuetudo cum mulieribus loqui.

Benedictio vestimentorum.

Nouit occulta aliorum peccata Pachomius.

Virgo contra votum impudica à dæmonio vexatur.

Oleo benedicto sanatur.

etiam detestabili conuersatione caruisset, & in reliquum continentiæ se studiis per Christi mancipasset auxilium.

C. XXXVII. Tali igitur opinione de sancto viro vbique currente, alius nihilominus, qui filium suum à dæmonio possessum, sine intermissione deflebat, nec eum perducere poterat ad monasterium, genu nixus supplicabat Pachomio, vt pro eo precaretur omnipotentiam Christi. Qui cùm orasset, dedit ei benedictum panem: sollicitè præcipiens, vt ante cibum ex eo paululum semper energumenus sumeret. Cumque esurisset filius eius, ex ipso pane particulari ei tradidit: sed non permisit immundus spiritus, vt exinde omnino gustaret: ex aliis autem panibus, qui erant appositi, manus suas impleuit, cœpitque comedere. Pater ergo benedictum panem per frusta comminuens, in interioribus palmarum, sublatis exinde ossibus, immisit: & has ei tantummodò palmas apposuit, vt nesciens id quod factum est, benedictionem percipere mereretur. Quas adaperiens, ille frusta quæ iniecta fuerant, proiiciebat: & ipsas execratus palmas, nihil penitus escæ volebat accipere. Cumque pater eum sine cibo manere diebus plurimis compulisset, fame coactus, ex benedicto pane percepit: ac protinus somno detentus, à maligno spiritu liberatus est. Quem secum pater ad sancti Pachomij vestigia perduxit, laudans & glorificans Deum, qui per seruos suos operatur magnalia & gloriosa, quorum non est numerus. Alias quoque sanitates plurimas in virtute sancti Spiritus vir beatissimus faciens, non extollebatur, nec vmquam cor eius elatum est. habebat autem hanc à Domino gratiam, vt idem semper & æqualis esset in omnibus, animumque in disciplinâ Domini sollicitum retineret. Et si quando poscens aliquid à Domino, petitionis suæ non consequeretur effectum, non contristabatur omnino, sed patientissimè sustinebat, sciens hoc expedire vel sibi vel omnibus, quidquid diuina misericordia censuisset: quia frequenter intentione sincerâ videmur postulare contraria, quæ Domini bonitas cùm non concedit, præstare dignatur: & tunc potiùs clementer exaudit, cùm vota nostræ ignorantiæ nocte velata, non perficit.

Dæmon panem benedictum auersatur.

Benedicto pane dæmoniacus liberatur.

Pachomius in omnibus idem semper & æqualis.

A Deo quandoque se non exaudiri patienter fert.

CAP. XXXVIII. Quidam denique iuuenis, Siluanus nomine, de scenâ conuersus, ad sanctum Pachomium venit, volens in eius monasterio commorari. Qui cùm susceptus esset, infectus peruersâ consuetudine sæculi, nullis disciplinæ regulis poterat coërceri: salutémque propriam negligens, dies suos vanitatibus pristinis atque ridiculis occupabat: adeò vt nonnullos ex fratribus euerteret, & ad studium simile commoueret. Quod plurimi non ferentes, sancto Pachomio suggerunt, vt eum de monasterio pelli preciperet. Ad quam rem non eis annuit: sed æquanimiter ferens, admonuit præfatum fratrem, vt se corrigeret, & antiquæ conuersationi renuntiaret. Pro quo etiam iugiter Domino supplicabat, vt ei compunctionem cordis, solitâ pietatis abundantiâ largiretur. Cumque memoratus iuuenis in propriâ persisteret prauitate, & alijs exemplum perditionis ostenderet: ad postremum visum est omnibus, vt à sanctâ congregatione velut indignissimus arceretur. Sed beatus Pachomius hoc idem credidit differendum. Quem etiam mitissimâ atque sapientissimâ correptione conueniens, & cælestibus erudiens institutis, ita diuino timore succendit, & sic anima eius futurorum fide compuncta est, vt se deinceps abstinere non posset à lacrymis. Emendatus itaque per omnia, magnum ceteris documentum conuersionis exhibuit. In omni namque loco & in omni operatione flebat iugiter: & nec tunc quidem, cùm cibum inter fratres caperet, à lamentatione cessabat. Quæ res etiam permouit multos ex monachis, qui & dixerunt: Tandem à planctu te cohibe, nec tantâ quæsumus afflictione deiicias. Qui respondit: Conor quidem, sicut iubetis, à lacrymis temperare, nec possum. Pectus enim meum veluti quædam flamma comburens, quietum me esse non sinit. Rursum ipsi dixerunt: Apud te in secreto tuo, vel certè in orationibus plangito: cùm verò conuenimus ad mensam, cibum sumere debes, & à fletibus abstinere. Nam possibile est, animam & sine istis exterioribus lacrymis semper in compunctione persistere: quia plures è fratribus videntes te flentem, manducare non possunt. Et cogebant eum fateri, cur ita se suis dilueret fletibus. Tunc ait ad eos: Non vultis vt plangam, cùm videam me foueri multis obsequiis sanctorum fratrum: quorum & puluis pedum mihi venerandus est, nec eis me conferre dignum prorsus existimo. Non ergo plangam, quòd homo de scenâ multis peccatis obnoxius, officia tanta percipiam? Timeo valdè, ne sicut Dathan & Abiron, me quoque profanum hiatu suo terra deglutiat. Num. 16. Illi namque impijs ausibus manibusque pollutis sancta sibimet vsurpare tentauerunt: ego verò post tantam cognitionem diuini muneris, animæ meę salutem desidiosâ conuersatione neglexi. Ideò quippe ista recolens, non erubesco flere coram omnibus: quia multa facinora mea esse cognosco, quæ iugibus lacrymarum fontibus debeam expiare.

Negligit salutem suam Siluanus.

Patienter eum fert Pachomius.

Perseuerantē eum in pristinā vitā corripit.

Compungitur Siluanus.

Iugiter fletui indulget.

Ratio assidui fletus profunda humilitas.

piare. Quòd si ipsam miseram animā meam per lamenta diffunderem, nihil facerem magnum: quia nullū pro factis meis in præsenti dignum possum reperire supplicium.

S. Pachomij de Siluano testimoniū.

Cumque per dies singulos idem frater ad meliora proficeret, omnesq; propemodum in humilitate superaret, ita de eo sanctus Pachomius cœpit coram omnibus dicere: Testor vos fratres ac filij coram Deo & sanctis eius Angelis, quia ex quo cœnobium hoc fundatum est, nullum de fratribus qui mecum sunt vel fuerunt, humilitatem meam secutum esse cognosco, nisi vnum tantummodò. Quo fratres audito, nonnulli putabant hunc vnum esse Theodorum, alij Petronium, alij verò Orsesium. Cúmque rogaret Theodorus eum, vt quis ille esset depromeret: & sanctus vir indicare differret, rursus eum Theodorus vehemēter vrgebat. alij quoque maiores ex fratribus plurimùm precabantur, vt diceret quis esset, cui testimonium tale perhiberet. Tunc respondit Pachomius: Si scirem eum de quo dicturus sum, vanæ gloriæ stimulis incitari, numquam eum ostenderem: sed quia proculdubiò credo, quod per Christi gratiam quantum laudis ei accesserit, tantum ipse munus humilitatis acquiret; idcircò vt eum possitis imitari, sine metu palàm beatificare non desino. Tu quidem Theodore, & quicumque tui sunt similes, fortiter in monasterio certantes, [17] diabolum vinxistis vt passerem, & sub vestris pedibus allisistis eum, per Dei gratiam conculcantes vt puluerem: sed si (quod absit) neglexeritis in aliquo, consurgens is qui sub vestigiis vestris est, aduersus vos graui furore bacchabitur. Iuuenis autem Siluanus, quem dudum propter negligentiam de monasterio pellere volebatis, ita prostrauit inimicum, & à suis sensibus effugauit, vt nusquam coram eo compareat: altáque humilitate eum per omnia superauit. Et vos quidem fratres habentes opera iustitiæ, in his quæ gessistis, gloriosi confiditis: hic autem quantò fortiùs pugnat, tantò se deteriorem omnibus iudicat, ex totâ mente totaque virtute inutilem se reprobumque pronuntians. Ideò denique & lacrymas habet in promptu, quia semetipsum nimis humiliat & inclinat, nec alicuius momenti quod gesserit, existimat. Diabolum autem nil ita reddit inualidum, sicut humilitas de corde puro, cui tamen correctionis opera probantur adiuncta. Sic itaque viriliter antefatus iuuenis Siluanus per octo annorum curricula Deo militans, cursum vitæ suæ finiuit in pace. De cuius exitu testatus est beatus Pachomius, quòd multitudo sanctorum Angelorum cum magnâ lætitiâ sumentes animam eius, velut electam hostiam Christi conspectibus obtulerunt.

Diabolus instar passeris à sanctis monachis vinctus tenetur.

Siluanus humilitate diabolum superauit.

Humilitate diabolus maximè fugatur.

Moritur Siluanus.

Ab Angelis in cælum eius anima deportatur.

CAP. XXXIV.

A Varo Panos episcopo ad monasteria in eius diœcesi extruenda euocatur Pachomius.

Eodem tempore [18] Panos ciuitatis episcopus, Varus nomine, per omnia venerabilis ac Deo deditus, rectæque fidei feruentissimus amator existens, audiuit dispositionem conuersationis Pachomij. Quem missis epistolis euocauit, plurimis verbis exorans, vt etiam circa ciuitatem eius monasteria optata construeret. Cumque multis ex caussis precibus acquieuisset episcopi, dum properat ad eum, iustum credidit, vt per iter omnia monasteria quæ ab eo curabantur, inuiseret. Et cùm vni ex ipsis monasterijs propinquasset, cuiusdam fratris occurrit exequijs, qui vitam suam negligenter consumpserat. Fratres autem ipsius monasterij funus prosequebantur hònorificè, psalmos solitos concinentes, præsentibus quoque defuncti parentibus ac propinquis. Qui cùm vidissent Pachomium, feretrum continuò deposuerunt, vt tam pro mortuo quàm pro se Domino supplicaret. Qui mox vt orationem debitam Deo persoluit, conuersus ad fratres ait: Desinite psallere. Præcepitque defuncti vestimenta splendida, quibus indutus erat, auferri: quæ coram omnibus fecit exuri, & ita cadauer efferri iussit, ac præter aliquam psalmodiam sepeliri. Igitur fratres cum parentibus eius, & vniuersis qui tunc aderant, nouum genus spectaculi contuentes, & obstupefacti nimium, precabantur senem, vt consuetam super eum psalmodiam celebrari permitteret. Quibus cùm non acquieuisset, cœperunt parentes defuncti, culpantes eum, dicere: Quid est hoc spectaculum nouum? Quis mortui non misereatur, licet sit inimicus? Sufficiens per se est ipsa calamitas. Noli, quæsumus, inferre mortuo, quod nec beluæ facerent, nec tuam condecet penitùs sanctitatem. Nam & nos hinc notamur maximo opprobrio, aliaque quamplurima suspicionum probra nascuntur. Vtinam numquam ad hunc locum venissemus, vtinam nec iste monachus fuisset effectus: non hunc æternum dolorem nobis infligeret. Rogamus ergo, vt solitam psalmodiam defuncto restituas. Qui respondens ait: Verè fratres ac filij, plus vobis præsentis mortui misereor, intantum vt vobis de visibili re ac temporali curantibus, ego de inuisibili eius substantiâ sollicitudinem geram, & idcircò hæc erga eum fieri decernam. Et vos quidem maiores illi dolores per hunc honorem, quem putatis, acquiritis: [19] ego autem quantulamcumq; ei requiem vel satisfactionem per hanc iniuriam præparo. Propter quod non curo pro hoc exanimi

Monasteria visitat.

Defuncti vestimenta splendida iubet exuri

Honores iniquè defuncto exhibiti in dolores ei cedunt.

animi corpusculo, sed pro immortali eius animâ satago, quæ & hanc carnem rursus in resurrectione receptura est incorruptam & integram. Aliàs autem si hoc quod vultis, annuero, veluti placens hominibus iudicabor: atque vt ad præsens vobis satisfecisse videar, id dispicio, quod ei prodesse poterit in futuro. Fons enim bonitatis Deus noster existens, occasiones quærit, per quas opulenta super nos data pietatis suæ effundat, remittatque nobis peccata, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Nam cùm dicat in Euangelio, qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro; dat indubitanter intelligi, quòd sunt quædam delicta, quæ possunt & post hanc vitam, si pro eis supplicetur, ignosci. Nos ergo quos dignos iudicauit Christi potentia diuinæ suæ dispensationis exercere medicinam, si non vnicuique congruens adiutorium proferamus, profectò veluti contemptores æstimabimur, & audiemus illud quod scriptum est in prophetiâ: Videte contemptores & admiramini, & disperdimini. Et ideò, quæso, finite defunctum à propriis malis aliquatenus exui, & quantulamcumque requiem in illo futuro examine promereri. Sepelite ergo eum sine psalmis, vt dixi. Potens est enim Deus benignus & clemens, multumque misericors, pro supplicatione nostræ paruitatis eum in æternam suam requiem collocare. Hæc cùm dixisset, abierunt, & secundùm quod venerabilis pater præceperat, eum in monte, vbi erant parata monumenta, sepelire curauerunt.

Peccata etiam in futuro sæculo remittuntur.

Matth. 12.

Humiliatione & contemptu expiatur defunctus.

Act. 13. Habac. 1.

Supplicatio pro defunctis.

CAP. XL.

Moratus est autem sanctus ibidem cum monachis duobus diebus, docebatque in primis singulos timorem Domini, deinde qualiter aduersus diabolum dimicare deberent, & insidias eius per Christi possent declinare gratiam.

Tunc nuntiatur ei, quòd frater quidam de Chinobosciorum monasterio graui infirmitate detentus, benedictionem precis eius vltimam postularet. Hæc audiens homo Dei, confestim secutus est eos, qui hæc sibi retulerant. Cumque concitus proficisceretur, & duobus vel tribus millibus abesset à monasterio quod petebat, audiuit suauissimam vocem in aëre personantem: suspiciensque vidit ipsius fratris animam veloci cursu ab Angelis Domini laudantibus ad beatam vitam perennemque sustolli. Comites autem Pachomij cùm neque vocem audirent, nec quidquam sentirent penitùs, sed tantummodò cernerent eum ad Orientem diu suspicere, dicunt ei: Cur stetisti pater? Properemus, vt possimus occurrere. Qui respondit: Frustrà iam currimus: hoc enim est quod diu considero, quemadmodum frater ipse ad gaudia perpetua deducatur. Quem cùm rogarent, vt eis exponeret quomodo vidisset animam: quantum poterant audire, narrauit eis ex his quæ ipse conspexerat. Quidam igitur ex his euntes ad memoratum monasterium, & diligenter inquirentes quâ horâ frater ille dormisset: ea quæ à sancto didicerant viro, vera omnia cognouerunt. Hæc autem retulimus duabus ex caussis: primùm, volentes ostendere, beatum senem nimiùm fuisse perspicacissimum, gratiamque possedisse propheticam, ac longè posita intellectualibus oculis præuidisse: deinde, vt tales semper imitantes, malorũ consortia sollicitè vitaremus. Et de his quidem nobis hactenus dicta sufficiant.

Frater moribundus benedictionem à Pachomio petit.

Pachomius videt animam eius ab Angelis in cælum tolli.

Gratiam propheticam habuit Pachomius.

CAP. XLI.

Sanctus ergo Pachomius ad antefatum episcopum cum suis monachis veniens, ab eo in summâ veneratione susceptus est. Nam festiuitatem maximam in eius celebrauit aduentu, deditque ei loca vbi sperata monasteria conderet, sicut dudũ per scripta rogauerat: quæ etiam venerabilis vir cum alacritate construxit. Et cùm maceriæ munimen in circuitu duceret, ne quis facilè posset irrumpere: quidam pestilentes homines, quos diaboli cæcauit inuidia, nocte venientes, quæ constructa fuerant, destruebant. Sed non in longum malignitatis eorum pœna dilata est. Nam cùm senex discipulos suos ad tolerantiam commoneret, & illi nequissimi iuxta consuetudinem conuenissent, vt facinorum suorum cœpta perficerent: ab Angelo Domini protinus exusti sunt, & velut cera à facie ignis ad nihilum sunt redacti. Fratres ergo velociter vniuersum consummauerunt ædificium: in quo beatus Pachomius constituit monachos, religiosos viros, quibus Samuelem præposuit, hilarem virum, & dono frugalitatis eximium. Quia verò prædicta monasteria in suburbano fuerant instituta, idem sanctus ibi voluit manere diutiùs, vsque dũ hi quos ordinauerat, Christi munere firmarentur.

Suscipitur honorificè à Varo episcopo.

Monasteria extruit.

Viui ab Angelo exuruntur destructores.

Samuelem præficit.

CAP. XLII.

Intereà philosophus quidam ciuitatis ipsius, auditâ seruorum Dei opinione, venit ad eos, scire volens quid essent, quidve profiterentur: & videns aliquos ex monachis, ait ad eos: Vocate mihi patrem vestrum, quia de rebus necessarijs cum eo disputaturus sum. Cùm cognouisset autem sanctus vir, quia philosophus esset, misit ad eum Cornelium & Theodorum, præcipiens eis, vt ad ea quæ sciscitauerit, prudenti responsione satisfacerent. Egressus igitur ad eum, philosophus ait: Multus ad nos sermo delatus est, quòd sapientiæ geratis studium, & iuxta

Venit ad viros Dei philosophus.

iuxta religionem vestram, quietem diligatis impensius, insuper etiam prudenter his qui proponunt aliquid, satisfacere videamini: & ideò de his quæ legistis, vos interrogare disposui. Cui Theodorus: Profer, ait, quod vis. Et philosophus, Habes, inquit, tu mecum disceptationē, vt quæ fuerint quæsita, dissoluas? Cui Theodorus respondit: Exprime iam quod intendis. Tunc philosophus ait: Quis, non natus, mortuus est? Quis rursum natus, à morte subtractus est? Quis autem, cùm sit mortuus, non est fœtore corruptus? Et ait Theodorus: Non grandis, inquit, hæc propositio tua ô philosophe: nam facilè quod inquiris soluam. Quis non natus, mortuus est, habetur Adam protoplastus. Qui verò natus est, nec tamen mortuus est, existit Enoch: qui Deo placuit, atque translatus est. Qui mortuus est autem, nec fœtore vllo corruptus, vxor est Loth: quæ conuersa in statuam salis, quæ vsque nunc in eo habitu pro incredulorum perdurat exemplo. Et ideò consilium do tibi, ô philosophe, vt has ineptas propositiones tuas & inanes deserens quæstiones, ad verū Deum quem colimus, te sine dilatione conuertas, remissionemque peccatorum tuorum pro æternâ salute percipias. Ad hæc philosophus obstupefactus, nihil inquisiuit vlteriùs: sed discedens, acumen viri, responsionemque tam celerem paratamque miratus est.

Triplicem quæstionem proponit Theodoro.

Soluuntur à Theodoro.

Gen. 19.

C. XLIII. Proinde Pachomius in iisdem monasteriis nuper extructis, diebus plurimis immoratus est. Exinde profectus est, atque ad aliud monasterium, quod sub eius erat ditione, peruenit. Quem cùm fratres omnes, in occursum eius properantes, summâ veneratione susciperent, infantulus quidam de ipsâ congregatione, qui inter alios occurrerat, clamare cœpit ac dicere: Verè, pater, ex quo hinc ambulasti, nullus nobis olera nec legumen aliquod coxit. Ad quem sanctus gratâ mente respondit: Non contristeris fili mi: ego iam coquam. Ingressusque monasterium, post orationem venit ad coquinam: & inueniens fratrem qui coquinę præerat, psiathos (id est, tegetes) operantem, quas mattas vulgus appellat, ait ad eum: Dic mihi frater, quantum temporis habes, ex quo non coxisti fratribus olera vel legumina? Qui respondit: Sunt ferè duo menses. Et sanctus Pachomius ait: Quare contra præceptum facere voluisti, vt tanta fratrum negligeretur vtilitas? Qui sub humili satisfactione respondit: Optaueram quidem, venerabilis pater, quotidie implere ministerium meum: sed quia quidquid coquebam, non consumebatur à fratribus, quia omnes abstinent: (soli quippe pueri aliquid cocturæ percipiunt) ne tanto labore paratæ proiicerentur expensæ: propterea pulmentum non coxi. At ne otiosus essem, 40 psiathos elegi cum fratribus texere, sciens vnum de his qui mihi deputati sunt, ad opus huiuscemodi posse sufficere, vt paruas escas, id est, oliuas & herbulas ad refectionem fratribus pararet. Hæc audiens Pachomius: Et quot sunt, inquit, psiathi, quos te fecisse dixisti? Qui respondit: Quingenti. Et ille. Defer, inquit, huc omnes, vt videam. Qui cùm fuissent allati, protinus eos igne supposito iussit exuri. Tunc ait illis: Sicut vos traditam vobis erga dispensationem fratrum Regulam despexistis, sic ego passim labores vestros incendio concremaui: quatenus cognoscatis, quàm perniciosum sit, patrum instituta conuellere, quæ pro animarum salute prouisa sunt. An ignoratis, quòd gloriosum sit semper, abstinere præsentibus? Nam si quis ab eâ re, quæ in eius est potestate, diuinâ consideratione se continet, magnum consequitur à Dominó præmium. Ab eâ verò re, cuius vtendi licentiam non habet, quadam noscitur necessitate cohiberi: & ideò propter abstinentiam coactam atque inutilem, frustrà videtur exspectare mercedem. Denique cùm plures escæ appositæ fuerint, si fratres parciùs his vtuntur propter Deum, tunc apud Deum sibi maximam spem reponunt. De cibis autem quos non vident, nec eis ad percipiendum facultas vlla tribuitur, quomodo pro parsimoniâ præmium conceditur? Ideoque propter exiguos sumptus tantâ fratrum non debuit intermitti commoditas.

Conqueritur de coquo infantulus nouitius monachus.

Ingreditur culinam Pachomius.

Reprehendit coquum præposteræ parsimoniæ.

Inobedientiæ punitio.

Meritoriū est abstinere ab appetitis.

CAP. XLIV. Hæc cùm loqueretur ad eos, & sufficienter eorum delicta corriperet: ostiarius ad eum festinus ingressus est, magnos viros &, anachoretas egregios indicans aduenisse, qui eum videre desiderarent. Quos ilicò iussit intrare, debitaque reuerentia salutans eos, post orationem per fratrum ducebat cellulas, & omnia eis monasterij loca monstrabat. Qui rogauerunt senem, vt cum eo de quibus cuperent rebus, secretò loquerentur. Tunc verò duxit eos seorsum, seditque cum eis. Illis autem de rebus abditis atque arcanis altiùs disputantibus, cœpit sanctus Pachomius odorem sentire teterrimum. Videbat enim eos exculto satis vti sermone, & in Scripturis sanctis paratos existere: nec poterat de intolerantiâ fœtoris aliquid vel cogitare, vel dicere. Vbi ergo de diuinis eloquijs diutiùs disputarent, & hora nona iam refectionis tempus indiceret, surgentes ipsi, mox abire voluerunt. Quos sanctus vir enixiùs orabat, vt cibum pariter sumerent. Qui noluerunt penitùs acquiescere, dicentes, festinare se ante occasum solis ad

Pachomius ex fœtore præsentium hæresim persensit.

ad propria remeare. Et vale dicentes ei, sine morâ profecti sunt. Tunc sanctus Pachomius volens certiùs caussam foetoris agnoscere, in orationem prosternitur, exorans Dominum, quatenus sibi quales essent, pandere dignaretur. moxque cognouit, quòd impietatis eorum dogmata, quibus probabantur imbuti, tantam perniciem de eorum cordibus exhalarent. Nec mora, viros ipsos insequitur, & apprehensis ait: Vnum volo vos interrogare sermonem. Qui dixerunt: Interroga. Numquid, ait, Origenis commenta legistis? Qui negantes, dixerunt: Nequaquam. Quibus ait: Ecce contestor vos coram Domino, quòd omnis homo qui legit Origenem, & consentit his quæ prauè disseruit, in profunda perueniet inferorum, hereditasque eius erunt vermes & exteriores tenebræ, quibus iniquorum animæ sine fine punientur. En ego, quod mihi manifestatum est à Domino, vobis sollicitè nuntiaui. ex hoc innocens ero: vos videritis, si ea quæ sunt recta, respueritis. Quòd si mihi vultis acquiescere, Deoque placere per omnia, cunctos Origenis libros in flumen mergite, ne ab illis vosipsi mergamini. Hæc dicens, discessit ab eis. & rediens ad exercitium solitæ virtutis, reperit fratres in oratione consistere, cum quibus alacriter hymnos cantilenæ spiritalis explicuit.

Legentibus Origenem eiq; adhærentibus inferni pœnas denuntiat.

CAP. XLV. Monachis igitur ad vescendum conuenientibus, venerabilis senex in cellulam, vbi consueuerat supplicare Domino, se recepit. & obserans ostium, orabat intentè, memor visionis quam aliquando conspexerat: & obsecrabat Dominum, quatenus ei declararet statum monachorum qui futurus esset, vel quid post eius obitum in tantâ congregatione contingeret: & ab horâ nonâ vsque ad illud tempus, quo frater qui nocturnis orationibus præerat, vocem mitteret, & ad preces solitas excitaret, instantiam suæ supplicationis extendit. Cumque precaretur attentiùs, subitò circa mediam noctem visionem cernit, quæ eum iuxta petitionem propriam, de statu posterorum suorum pleniùs edoceret. Nam monasteria sua vehementiùs dilatando, nonnullosque piè victuros & continenter agnouit, neglecturos etiam plurimos didicit, suamque salutem penitùs esse perdituros. Vidit ergo, sicut ipse narrauit, multitudinem monachorum in valle quadam profundâ satis atque caliginosâ consistere: & alios exinde velle conscendere, nec valere: quia occurrebant ex aduerso sibi, nec inuicem dinoscere poterant, nec de profundo illo & tenebroso loco prorsus emergere: alios autem frustrà conatos, præ lassitudine ruere atque ad inferos peruenire: alios iacentes, miserabili ac lacrymosâ voce deflere: nonnullos verò cum maximo labore conscendere, quibus in adscensu ipso lux protinus occurrebat, in quâ constituti, referebant Deo gratias quòd euadere potuissent. Ita Pachomius intellexit, quæ nouissimis essent euentura temporibus: cæcitatemque mentis eorum qui pòst futuri sunt, & errorem cordis, bonorumque defectum valdè doluit: maximè verò, quod præpositi tunc negligentes ac desides forent, nec in Deo confiderent, sed concordiâ discordiosè vterentur; placentes stultæ multitudini, & ostentantes habitum monachorum, nullaque bona opera præferentes. Semel autem pessimis primatum tenentibus, ipsumque nomen sanctæ conuersationis ignorantibus, necesse est æmulationes ac iurgia generari, & quis præsit ac maior sit, ambitiosâ lite contendere: & reprobari quidem bonos, ac malos eligi: nec probitate morum, sed antiquitate vel ordine vnumquemque velle ceteris anteferri. vnde neque aliqua bonis viris loquendi fiducia suberit pro vtilitate communi, sed erunt in silentio & quiete: aut certè sub colore honestatis, magnis persecutionibus affligentur. Et quid est opus singula recensere, cùm omnia pænè quæ sunt regulis subnixa diuinis, humanis commutabuntur illecebris? Tunc Pachomius exclamauit ad Dominum, cum lacrymis dicens: Omnipotens Deus, si sic erit, vt quid permisisti cœnobia ista constitui? Si enim in tempore nouissimo, quicumque fratribus præerunt, peruersi futuri sunt, quales erunt illi qui sub eorum regimine versabuntur? Cæcus enim si cæco ducatum præbet, vterque in foueam cadit. Heu me, quia frustrà & superuacuè laboraui. Memento Domine studiorum meorum, quæ tuo munere perfecisti: memento famulorum tuorum, qui tibi totâ mente deseruiunt: memento testamenti tui, quod vsque ad consummationem sæculi à tuis promisisti custodiri cultoribus. Tu nosti Domine, quia ex quo suscepi hunc habitum monachi, nimis humiliatus sum in conspectu tuo, numquam satiatus sum pane, & aquâ, vel qualibet creaturâ aliâ quam fecisti.

De statu futuro suorum diuinitus edocetur.

Cernit præpositorum negligentiâ cuncta in peius lapsura.

Præpositi non antiquitate, sed morum probitate eligendi.

Cum Deo oratione expostulat.

Matth. 15.

Toto conuersionis suæ tempore nullâ vmquam creaturâ satur fuit Pachomius.

Hæc eo dicente, vox ad eum facta est, dicens: Ne glorieris Pachomi, cùm sis homo, & indigeas misericordiâ: quia cuncta quæ condidi, meâ miseratione subsistunt. Qui confestim prostratus in terrâ, misericordiam Domini postulabat, dicens: Omnipotens Deus, veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: & ne auferas misericordias tuas à me, quia misericordia & veritas tua semper susceperunt me. Scio enim ego Domine, quia

Psal. 118.
Psal. 32.

nutant

nutant & claudicant vniuersa sine protectionis tuæ auxilio. Hæc cùm dixisset, astiterunt super eum Angeli lucis: & iuuenis in medio eorum, ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et leuantes à terrâ Pachomium Angeli, dicunt ei: Quoniam petisti à Domino misericordiam, ecce venit tibi misericordia tua, Deus gloriæ Iesus Christus Filius Dei Patris vnigenitus, qui missus est in hunc mundum, & pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam. Et Pachomius ait: Oro Domine, numquid ego te crucifixi? Et Dominus placidior ait ad eum: Non tu quidem crucifixisti me, sed parentes tui. Verumtamen animæquior esto, & confortetur cor tuum, quia posteritas tua manebit in sæculum, nec vsque in finem mundi deficiet: ipsique qui post te futuri sunt, de profundâ illâ caligine liberabuntur, quotquot vixerint abstinenter, & curam salutis propriæ gesserint. Modò namque qui præsentiâ tuâ se continent, tuarum sequentes exempla virtutum, maximâ gratiæ luce resplendent: post te verò, qui in huius sæculi caligine fuerint immorati, quia prudenter intelligent quæ petenda sunt, quæve fugienda: & spontaneâ voluntate nullo humanitus vtentes exemplo, de tantis exilierint tenebris, omnémque iustitiam seruantes, æternam vitam toto corde dilexerint: amen dico tibi, quia cum istis erunt, qui nunc tecum in summâ continentiâ & sanctitate præclari sunt, eamdémque salutem ac requiem sortientur. Hæc dicens Dominus, adscendit in cælum. Sic autem illustratus aër est, vt splendor lucis illius non possit humanis sermonibus explicari.

Pachomius ab Angelis à terrâ leuatur.

Promittit ei Dominus posteritatis durationem.

C. XLVI. Tunc S. Pachomius super his quæ sibi ostensa sunt, vehementer admirans, ad nocturnam synaxim cum vniuersâ fraternitate conuenit. Et officio sancto solemniter adimpleto, cuncti monachi iuxta consuetudinem coram sene ad audiendum verbum Dei constiterunt. Qui aperiens os suum, docebat eos, dicens: Filioli mei, quantacumque vobis est virtus atque possibilitas, pro salute vestrâ certate fortiter, & aduersus armatum hostem viriliter dimicate: priùs quàm veniat tempus, quo nosmetipsos, si tamen inertes fuerimus ac desides, miserabili lamentatione plangamus. Non negligamus dies nostros, quos largitus est nobis Dominus: sed operemur in eis cum omni alacritate virtutem. Dico enim vobis, quoniam si sciretis quanta sanctis in cælestibus bona parata sunt, & quæ tormenta maneant eos, qui à virtutis itinere deuiauerunt, cognitaque veritate, non in eâ dignè versati sunt, summis vtique viribus æterna supplicia vitantes, hereditatem illam beatam, quæ Dei famulis promissa est, festinaretis adipisci: quam nemo, nisi malus ac perditus, fugit ac negligit: quia quid amittat, penitùs nescit: quem iam iamque resipiscere oportet, & terrenis absolui cupiditatibus; vt mala præterita deflendo iugiter, indulgentiam Domini consequatur, & sic ad meliora conuersus, iter suum dirigat, quatenus in exitu vitæ lætus existens, ad cælestem Regem cum magnâ laude perueniat: quando terrestre hoc habitaculum deserens anima, ad cognitionem suæ substantiæ properat: quando cælestibus sociata virtutibus, ad Patrem luminum peruenire festinat. Quid extollitur homo per vanam gloriam? Quid erigitur puluis? Quid superbit terra & cinis? Plangamus nosipsos potiùs dum tempus habemus: ne cùm fuerit expleta singulis terminata dilatio, tunc inueniamur tempus pœnitentiæ exposcere, quando iam accipere non meremur. In hac enim vitâ nobis peccata deflere permissum est: in inferno autem, sicut à sancto Dauid prophetâ didicimus, quis confitebitur Deo? Nimis anima illa probatur infelix, & omni lacrymarum fonte plangenda, quæ sæculo renuntians, iterùm sæculi actibus implicatur: & inutilibus dudum curis exuta, rursum redit ad duræ seruitutis obsequia. Et ideò, charissimi fratres, ab hoc instabili mundo, & post paululum transituro, perpetuam beatamque vitam nobis non patiamur auferri. Vereor autem, & totus penitùs intremisco, ne carnis nostræ parentes vsi sæculi rebus, & vitæ præsentis occupati negotijs, qui putabant nos deseruisse mundi mala, & ab hinc iam vitâ frui perpetuâ, suo nos iudicio condemnent, dicentes nobis: Quomodo lassati estis in semitis vestris, tantis obsessi miseriis? Ex vestrâ namque tam magnâ tristitiâ, nobis etiam mœror accessit, & pœnis nostris vester ignis adiectus est. Rami quippe nostri facti sunt inutiles: nec fructus, quos in flore monstrauerunt, ediderunt. Sed & illud propheticum ne nobis ingerant, expauesco: Ideò in deprædationem venerunt dilecti, facti sunt abominabiles, & corona capitis eorum sublata est. Ciuitates ad Austrum sitæ, clausæ sunt: nec est qui aperiat eas. Tollatur enim impius, ne videat gloriam Dei. Hæc cogitantes, fratres mei, totis certemus viribus, ne ab hoste superemur. Ille semper insistit vt perimat: nos sollicitè vigilemus, ne (quod absit) eius fraude perimamur.

Concio Pachomij.

Hortatur suos ad perseuerantiam virtutisque studium.

Alietio premiis, pœnis terret.

Eccli. 10.

Psal. 6.

Sap. 5.

Ierem. 23.

Isa. 26. secundùm Septuag.

Ante omnia præ oculis habeamus vltimum

Dies mortis infernique supplicia semper præ oculis habenda.

mum diem, & momentis singulis æternorum dolorum supplicia formidemus. His enim caussis anima se consueuit agnoscere, corpusque proprium ieiunijs ac vigilijs deprimens, ipsa in mœrore luctuque continuo perseuerat, donec Spiritus sancti calore succensa, supernæ contemplationis mereatur auxilium: & à contagijs exsoluta terrenis, diuinis iugiter exsatietur alloquijs. Aliàs etiam qui semper hæc cogitat, puritatem mentis obtinet, humilitatem cordis acquirit: vanam gloriam respuit: omni sæculari prudentiâ carere contendit. Philosophetur ergo, charissimi fratres, anima spiritalis quotidie aduersus crassam carnis suæ materiam: omnique circumspectione cum eâ taliter agat, quatenus ad meliora sibi consentiat. Et cùm vespere peruenitur ad stratum, singulis membris corporis sui dicat: Donec simul sumus, obedite mihi suadenti quæ recta sunt, mecumque Domino cum alacritate seruite. Manibus quoque suis dicat: Veniet tempus, quando iactantia vestra cessabit, quando pugillus administrator iracundiæ, non erit, quando palmæ, quæ ad rapinas extensæ sunt, conquiescent. Pedibus dicat: Erit quando ad iniquitatem non valebitis prorsus excurrere, quando prauitatis itinera non poteritis intrare. Cuncta quoque membra sua similiter alloquatur, & dicat eis: Antequam mors nos ab inuicem dirimat, & separatio quæ per peccatum primi hominis accidit, impleatur: certemus fortiter, stemus perseueranter, viriliter dimicemus, sine torpore atque pigritiâ Domino seruiamus, vsque dum rursus adueniat, & temporales abstergens sudores nostros, ad immortalia nos regna perducat. Fundite lacrymas oculi, demonstra caro tuam nobilem seruitutem, collabora mecum in precibus, quibus Deo confiteor: ne, cùm requiescere vis atque dormire, perpetua nobis cruciamenta conquiras. Et ideò vigila semper in operibus tuis: quia si te sobriè gesseris, bonorum tibi retributio copiosa proueniet. Quòd si neglexeris, tormentorum genera miseranda te succident: & tunc audietur vlulatus animæ deflentis ad corpus: Heu me, quia colligata sum tibi, & propter te pœnam perpetuæ condemnationis excipio. Si hæc intra nos assiduè retractemus, efficiemur verè templum Domini, & Spiritus sanctus habitabit in nobis, nec vlla nos satanæ poterit vlterius circumuenire versutia. Super decem millia quoque pædagogorum magistrorumque doctrinam, timor Domini per cogitationes huiuscemodi nos erudiet, prudentésque custodiet: & quæcumque forsitan humano sensu non valemus attingere, hæc nobis Spiritus sanctus inspirabit. Nam quid oremus, vt beatus ait Apostolus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Erant quidem & alia plurima quæ diceremus: sed ne vos multum laborare cogamus, hunc terminum sermonibus nostris imponimus. Deus pacis & gratiæ confirmet vos, atque corroboret in timore suo, fratres, Amen. Hæc dicens, sine morâ surrexit, & commendans eos Domino, profectus est.

Anima ad corpus & membra colloquium athleticũ.

1. Cor. 4.

Timor Domini optimus virtutum magister ac pædagogus.

Rom. 8.

C. XLVII. *Tabennam redit.*

Cumque pergeret ad monasterium, cui cognomen erat Tabennense, cum Theodoro & Cornelio, ceterisque quampluribus fratribus, substitit parumper in itinere, velut interrogans aliquem de quodam secreto negotio: & cognouit in spiritu, vnum de mandatis quæ præfixerat in monasterio, fuisse neglectum. Præceperat enim fratribus, qui in pistoriâ arte laborabant, vt si quando facerent oblationes, nihil loquerentur superuacuum, sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia. Vocauit ergo Theodorum, qui ipsius monasterij curam gerebat, & dicit ei: Vade secretò, & sollicitiùs inquire, quid fratres serò, cùm oblationes facerent, sunt locuti: & quidquid deprehenderis, ad me referre curabis. Qui pergens, diligenter inuestigauit omnia: & ea, quæ didicit, sancto Pachomio nuntiauit. Qui dixit: Num existimant fratres, quòd traditiones quas eis dedimus seruandas, humanæ sint: & nesciunt, quòd pro contemptu etiam minimi mandati, magna pericula negligentes maneant? Nónne VII. diebus Israël silentium circa Ierichuntinam ciuitatem concorditer tenuit, deinde tempore cõstituto totus populus exclamans ciuitatem protinus cepit: & ita præceptum Dei, quamquam datum per hominem, nullâ dissimulatione contempsit? Nunc ergo vel deinceps monachi præcepta nostra custodiant, vt hoc eis peccatum negligentiæ remittatur: siquidem & nosipsi, quæ alijs indicimus, omni sollicitudine custodimus.

Oblationum panem silentio fieri iubet.

Silentij violationem absens cognoscit.

Contemptus etiam minimi mandati periculosus.

Tunc ingressus monasterium, post orationem venit ad fratres, qui psiathos operabantur, sedensque cum eis, cœpit & ipse texere. Transiens autem puerulus, qui constitutus erat ad obsequium eius, & qui septimanam faciebat, intendit texentem beatum Pachomium; & dicit ei: Non benè pater operaris, alio modo abbas Theodorus intexit. Et mox surgens ait ad puerum: Ostende mihi fili quomodo texere debeam. Et cùm didicisset ab eo, sedit rursus ad opus suum, mente tranquillus, & in hoc

A puero reprehensus, mattas texere discit.

facto ſuperbiæ ſpiritum comprimens. Nam ſi ſecundùm carnem quantulumcumque ſaperet, nequaquam pueri monitis acquieſceret; ſed potiùs increpaſſet eum, quòd vltra ætatem ſuam loqui præſumeret.

C.XLVIII. Alio verò tempore, cùm ſe remouiſſet ab omni conſpectu, & in ſecreto ſuo moraretur, introiuit ad eum diabolus habitu ſimulato, & ex aduerſo conſiſtens: Aue, inquit, Pachomi. [42] Ego ſum Chriſtus, & venio ad te fidelem amicum meum. Tunc ipſe, reuelante ſibi Spiritu ſancto, viſionem renuens inimici, cogitabat intra ſe, atque dicebat: Aduentus Chriſti tranquillus eſt, & viſio eius omni timore libera, & gaudio plena eſt: protinus enim & humanæ cogitationes abeunt, & deſideria æterna ſuccedunt: ego autem nunc turbatus, varijs cogitationibus æſtuo. Et continuò ſurgens, & Chriſti ſigno ſe muniens, extendit manus ſuas vt ipſum comprehenderet. Et exſufflans in eum dixit: Diſcede à me diabole, quia maledictus es tu, & viſio tua, & artes inſidiarum tuarum: nec habes locum apud famulos Dei: & factus veluti puluis, cellulam eius moleſtiſſimo fœtore compleuit, ita vt ipſum corrumperet aërem, voce magnâ proclamans: Modò te lucratus eſſem, & ſub meam poteſtatem redegiſſem, ſed præcelſa eſt virtus Chriſti: ideò deludor à vobis in omnibus. Verumtamen quantum poſſum, vos impugnare non deſinam: oportet enim me opus meum ſine intermiſſione complere. Pachomius ergo confortatus Spiritu ſancto, confitebatur Domino, gratias ei agens de miris erga ſe beneficiis atque muneribus.

Apparet ei dæmon Chriſti effigie.

Qualis Chriſti aduentus, & qualis diaboli.

Munit ſe ſigno crucis.

Recedit cum fœtore & clamore dæmon.

C.XLIX. In hoc etiam monaſterio quadam nocte cum Theodoro deambulans, ſubitò procul intuitus eſt grandem phantaſiam, multâ ſeductione compoſitam. Erat enim in habitu mulieris, excedens omnem humanam pulchritudinem, ita vt formæ eius expoſitio & viſus exponi non poſſet. hanc videns etiam Theodorus, turbatus eſt valdè, & vultus eius immutatus eſt. Quem venerabilis ſenex videns nimiùm formidare; Confide in Domino, ait, ô Theodore, nec aliquatenus expaueſcas. Hæc dicens, ſtetit in oratione, ſupplicans Domino, vt ſtupenda illa phantaſia diuinæ maieſtatis præſentiâ ſolueretur. Cumque ſimul orarent, cœpit illa proxima fieri, quam præcedebat plurima dæmonum multitudo. Cùm ergo preces ſuas Pachomius explicaſſet, illa veniens, ait ad eos: Quid ſuperfluè laboratis, dum contra me nihil agere poteſtis? Ego namque poteſtatem accepi à Domino, tentare quos volo. Et interrogauit eam Pachomius, dicens: Quid vis eſſe, vel vnde venis, aut quem tentare tu quæris? Quæ ait: Ego ſum diaboli virtus, & mihi eſt caterua dæmonum tota ſubiecta. Ego ſum quæ ſancta lumina in terram præcipito, & caligine mortiferæ voluptatis inuoluo. Ego Iudam quoque decepi, & ab Apoſtolatus deieci faſtigio. Et te igitur, ô Pachomi, expetiui à Domino, & impugnare non ceſſo: nec poſſum ampliùs opprobria dæmonum ſuſtinere, quòd vniuerſis impugnationibus ac præliis meis ſuperiorem te eſſe demonſtraueris. Nullus enim me, ſicut tu, ſine viribus reddidit. Nam iuuenibus & ſenibus, necnon & pueris doctrina tua me ſubdidit: & vt ab eis penitùs conculcer, effecit: tantum congregans contra me exercitum monachorum, & muro inexpugnabili Dei timore circumdans ita, vt miniſtri mei non valeant ex vobis quemquam ſuâ multiplici fraude ſeducere. Hæc autem nobis omnia contingunt propter verbum Dei, factum hominem: qui vobis poteſtatem tribuit, noſtram proculcare virtutem. Et Pachomius ait: Quid igitur? Me ſolum, ſicut dixiſti, tentare veniſti, an non alios? Et te, ait, & qui tui ſunt ſimiles. Iterùm ſanctus vir interrogauit eam, dicens: Ergo & Theodorum? Illa reſpondit: Et Theodorum expetiui, & poteſtatem accepi tentare vos: ſed appropinquare vobis penitùs nequeo. Et interrogantibus eam, cur non poſſet id agere, reſpondit: Si vobiſcum pugnauero, non parua vobis vtilitatum commoda miniſtrabo, maximè tibi, ô Pachomi, qui ad tantam celſitudinem perueniſti, vt corporeis oculis gloriam Domini dignus ſis habitus intueri. Sed numquid in perpetuum cum tuis monachis habitabis, quos nunc & orationibus protegis, & exhortatione corroboras? Erit tempus poſt obitum tuum, quando inter eos, prout libuerit, debacchabor, & agam de his quæcumque placuerint mihi. Tu namque facis vt nunc à tantâ monachorum congregatione conculcer. Et ſanctus vir: Nónne ſcis, inquit, infelix, quòd forſitan poſt nos meliores erunt, qui Chriſto ſincerâ voluntate ſeruientes, eos qui ad diſciplinam Domini confugerint, & docti inis ſpiritalibus imbuant, & piis exemplis ædificent. Noui, ait illa, quòd contra caput tuum modò mentitus ſis. Tunc Pachomius ait: Tu mendacij principatum geris, nam præſcire nihil omnino præuales. Hoc enim ſolius Dei eſt, & maieſtatis eius ac potentiæ proprium, cuncta prænoſcere. Quæ reſpondit: Secundùm præſcientiam quidem, vt dicis, penitùs nihil noui, coniiciendo tamen

Rurſum ei apparet dæmon pulcherrimæ mulieris ſpecie.

Loquitur cum dæmone Pachomius, variáque ex eo ſciſcitatur.

Doctrinâ Pachomij dæmon ſubditur.

Timor Dei murus inexpugnabilis.

Chriſti incarnatio vires dæmonis infregit.

Pachomius gloriam Domini corporeis oculis vidit.

Ignorat futura contingentia in ſuâ cauſsâ dæmon.

men

men plurima cognosco. Et sancto Pachomio sciscitante, quomodo coniiciat, ait illa: Ex præcedentibus quæ sunt ventura, considero. Et vir sanctus ait ad eam: Quomodo coniicere possis, exprime. Et illa: Omnis, inquit, rei principium processu temporis ad constitutum tendit augmentum, deinde ad detrimentum diuergit. Sic ergo & in hac diuina vocatione coniicio, quæ inter initia sua cælesti roborata præsidio, signis & prodigiis, variisque virtutibus creuit. Cùm igitur senescere cœperit, à propriis minuetur incrementis, aut temporis diuturnitate lassescens, aut negligentiæ torpore deficiens, tunc aduersus huiuscemodi potero præualere. Sed & nunc opus meum est, supplantare quos possum, magnosque viros tentare non desino. Cui Pachomius ait: Si, vt dicis, magnos viros tentare non desinis, propriumque opus tuum animarum perditionem esse professa es, vtpote quæ cunctos excellis in malitiâ dæmones: dic, quomodo nunc aduersus Dei famulos non potes præualere? Et illa: Iam tibi, inquit, antè prædixi, ex quo mirabilis incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus: ita vt ab his qui credunt in nomine eius, 43 illudamur vt passeres. Verumtamen etsi infirmi sumus redditi, non vsque adeò gerimus otia, vt non quos possumus, decipere moliamur: Numquam quippe quiescimus aduersari generi vestro, serentes malas cogitationes in animabus eorum, qui contra nos decertare contendunt. Et si nobis titillantibus annuere eos ex parte aliquid senserimus, tunc ampliùs nequissimas cogitationes immittimus, & diuersarum voluptatum incendia ministramus: & ita præliantes acerrimè, subintramus eos, nostræque pleniùs potestati subiicimus. Si verò viderimus ea quæ suggeruntur à nobis, eos è contrario non solùm non suscipere, verùm nec libenter attendere, fideque quæ in Christo est, vigilanter & sobriè se munire, sicut fumus dissipatur in aëre, sic ab eorum cordibus pellimur & fugamur. Non omnibus etiam viribus nostris permittimur cum omni homine congredi; quia non omnes possunt nostros impetus sustinere. Nam si concederetur nobis passim contra omnes nostrâ fortitudine depugnare, multos possemus, qui nunc tuo fouentur labore, decipere. Sed quid agimus? quia iuuantur precibus tuis, & virtute atque potentiâ Crucifixi muniuntur. Tunc sanctus Pachomius voce magnâ cum gemitu dixit ad eam: O indormitabilis nequitia vestra, quæ numquam aduersus genus humanum sæuire desistit, donec iterùm diuina virtus, id est, Dei Filius de cælis adueniens, ex integro vos consumat & perdat. Hæc dicens, increpauit cateruam dæmonum sub nomine Christi. Quæ mox dissipata est, & ad nihilum dissoluta.

Modus quo futura per coniecturã cognoscit dæmon.

A naturali & frequenti rerum euentu argumentatur.

Proprium opus dæmonis animarum perditio.

Incarnatio Christi vires elisit diaboli.

Modus, quo pijs insidiatur dæmon.

Non permittit Deus dæmoni quemlibet quomodolibet tentare.

Fugat dæmonum turbam Christi nomine.

Manè autem facto, conuocans Pachomius omnes fratres, qui vel sanctitate vitæ, vel antiquitate temporis præcedebant, exposuit eis cuncta quæ viderat atque audierat à malignis spiritibus. Insinuauit etiam per epistolas suas absentibus, muniens eos indisciplinâ atque timore Domini, & instruens prouidenter, vt in nullo prorsus phantasiis dæmonum cedant, nec insidiarum multiformium præstigia extimescant. Qui videntes & audientes quæ per diuinam gratiam ab eo miracula gerebantur, corroborati atque solidati fide, cum omni alacritate laborem continentiæ sufferebant.

CAP. L.

Intereà alicuius fratris, qui patientiæ senis æmulus & imitator erat, cùm staret ad orationem, percussit scorpius pedem: & adeò virus infudit, vt vsque ad cor eius dolor excurreret, & spiritum paulo minùs exhalaret. Qui licet sit affectus extremo cruciatu, non tamen se commouit à loco suo, donec finiretur oratio: pro quo statim Pachomius preces Christo fudit, & pristinæ sanitati restituit.

Ictus à scorpione quidam in oratione perseuerat.

Orante Pachomio sanatur.

CAP. LI.

Theodoro quoque grauis passio capitis inflicta, dolores acerrimos excitabat. Qui cùm rogaret Pachomium, vt eum suis releuaret orationibus, ait ad eum: Putásne, fili, quòd alicui contingat dolor, aut passio, aut aliquid huiusmodi sine permissione Dei? Idcircò in dolore sustine, & in humilitate tuâ patientiam habe: & quando voluerit Dominus, conferet tibi sospitatem. Quòd si te diutiùs probare dignatur, esto gratus, vt fuit perfectissimus & patientissimus Iob, qui multas tribulationum & cruciatuum tentationes excipiens, Dominum benedicebat. Et sicut ille, tu quoque pro doloribus tuis maiorem requiem à Christo percipies. Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseuerantia: tamen infirmus magis præmium adipiscitur, cùm longanimis & patiens inuenitur. Et quia nobis de magnanimis viris sermo processit, necessarium reor, vnius adhuc viri tolerantiam, quæ cunctam laudem transcendit humanam, proferre in medium pro vtilitate multorum.

In infirmitate Dominus benedicendus.

Patientia in ægritudine meritum maximum.

CAP. LII.

Zachæus quidam monachus, post longa continentiæ tempora, regio morbo correptus, sequestratam à fratribus habuit cellulam, totâ vitâ suâ pane tantùm & sale contentus. Semper autem psiathios operabatur: tantamque contritionem propter Dominum sustinebat, vt sæpenumerò funiculos

Zachæus totâ vitâ pane & sale contentus.

Ladit manus assiduo labore. culos intorquens, compungerentur manus eius, & sanguinis guttæ effluerent: intantum, vt ex ipso opere magna viri tolerantia monstraretur. In tantâ igitur infirmitate corporis constitutus, numquam fratrum collectam deseruit: sed ad explendas omnes diurnas orationes, sollicitè conuolauit, adeò vt numquam dormiret interdiu. Consueuerat autem per singulas noctes, priusquam caperet somnum, quædam de Scripturis sanctis meditari: totaque membra sua Christi signaculo muniens, glorificabat iugiter Dominum, & ita paululùm quiescebat. *Cubitum iturus signat se cruce.* Deinde circa noctis medium surgens, vsque ad matutinas orationes alacer permanebat. Huius aliquando manus quidam frater inspiciens, operis nimietate atque violentiâ fortiter sauciatas, & respersas sanguine, dicit ei: Quid ita pater durissimo labore te discrucias, maximè tali infirmitate depressus? An fortè metuis, ne apud Deum contrahas offensam, vel otij crimen incurras, si non sedulò fueris operatus? Scit Dominus quid pateris, & quia nemo tantis tribulationibus afflictus, vllum valet opus attingere: præcipuè tu, qui nullâ necessitate constringeris. Nam si peregrinis post Deum sufficientia'n pauperibusque largimur, quantò magis tibi tanto patri cum deuotione maximâ seruiemus? Ad quem ille respondit: Impossibile est mihi non operari. Et frater ait: Si hoc, inquit, tibi placet, saltem manus tuas oleo perunge: ne tantum sanguinem profluentes in labore deficiant. *Medicinâ læsæ manus dolor augetur.* Qui consilio eius acquiescens, fecit quod hortatus est eum: & intantum vulneratæ manus eius grauatæ sunt, vt nequaquam posset ferre cruciatus. Ad quem visendum beatus Pachomius veniens, caussamque cognoscens, ait ei: Putabas frater quòd te oleum posset iuuare? Quis enim te coëgit ita sedulò laborare, vt sub prætextu operis, in hoc visibili oleo magis quàm in Deo spem tuam poneres? Aut numquid impossibile est Deo sanare te? Aut ignorat ægritudines singulorum, nostrisque commonitionibus indiget? vel despicit nos qui est naturâ misericors? Sed vtilitatem considerans animarum nostrarum, sinit ad momentum nos pati tristitiam, vt tolerantiæ perpetua præmia largiatur. Super ipsum igitur omnem curam nostram sollicitudinemque iactemus: & quando voluerit, vel quomodo iudicauerit, ipse terminum doloribus nostris benignus imponet. Qui respondens, ait: Ignosce mihi, venerabilis pater, & ora pro me Dominum, vt & hoc mihi delictum remittere pro suâ pietate dignetur.

Asseuerabant etiam plurimi de hoc sene, quòd per annum integrum se defleuit, post biduanum ieiunium parum cibi percipiens. *Biduanum ieiunium.* Hunc S. Pachomius monachis proponebat, velut exemplum bonorum operum, firmamentumque virtutum. Ad quem etiam eos qui erant in mœrore positi, dirigebat: quia habebat & consolatorium verbum, sicut nullus alius. Qui vsque ad finem fortiter decertans in senectute sanctâ, pro doloribus tantis æterna solatia recepturus, ad cælestia regna transiuit. *Moritur Zachæus monachus.*

C. LIII.

Certus itaque Pachomius, quòd talentum sibi creditum numquam prorsus absconderat, sed omnibus prærogans, & hunc & alios quamplures perfectæ conuersationis ad Christum antè præmiserat, diem festum lætâ mente celebrabat super tantis ac talibus fructibus à Domino sibi concessis, de quibus noster hic sermo diu productus est, Deo gratias referens. Post beatissimum verò Paschalis festi diem, multis fratribus ad Dominum præmissis, ad postremum ipse quoque S. Pachomius infirmatus est: & ministrabat ei Theodorus, cuius sæpè meminimus. *Infirmatur Pachomius.* Et quamuis esset toto corpore nimis attenuatus ac debilis, faciem tamen habebat hilarem atque fulgentem, ita vt ex hoc quoque videntibus piæ mentis ac sincerissimæ conscientiæ suæ monstraret indicia. *Hilaris facies puræ mentis indicium.* Ante duos ergo dies sanctæ dormitionis suæ, conuocans vniuersos fratres, ait ad eos: Ego quidem, charissimi, viam patrum securus ingredior: nam video me à Domino protinus euocari. Vos ergo mementote verborum, quæ à me frequenter audistis: & vigilantes in precibus, sobrij estote in operibus vestris. Nulla sit vobis coniunctio cum sectatoribus Meletij, vel Arrij, vel Origenis, seu ceteris Christi præceptis aduersantibus. *Hæreticorum consortia vitanda monet.* Cum illis autem conuersamini, qui Dominum metuunt, & possunt prodesse vobis conuersatione sanctâ, & animabus vestris spiritualia præstare solatia. Ego namque iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. *2. Tim. 4.* Eligite igitur ex vobis fratrem, me præsente, qui post Deum præsit omnibus, curamque vestrarum gerat animarum. *Iubet Prælatum se præsente eligi.* Quantum verò meâ discretione perpendo, Petronium ego ad hoc opus idoneum iudico: vestrum autem est, quod expedit vobis, eligere. *Petronium nominat ipse.* Receperunt ergo & in hoc obedientissimi filij consilium patris. Erat enim Petronius potens in fide, humilis in conuersatione, intellectu prudentissimus, bonis moribus, discretione perfectus. Pro quo precem Domino sanctus Pachomius fudit: quia & ipsum in monasterio, cognomento Chinobosciorum ægrotare compererat. Cui, licet absenti, cunctam

cunctam fraternitatem commendauit in Domino, mittens ad eum protinus vt veniret. Et signaculo Christi se muniens, atque Angelum lucis qui fuerat ad se directus, adspectu intuens hilari, sanctam reddidit animam, [44] quarto decimo die mensis Pachon, secundùm Ægyptios, quod est iuxta Romanos, ad septimum diem Iduum Maiarum.

Moriturus signaculo Christi se munit. *Moritur Angelo conspecto Pachomius.*

Cuius venerabile corpusculum discipuli eius, sicut decebat pro more curantes, totam noctem super illud duxêre peruigilem, psalmos hymnosque canentes: sequenti verò die sepelierunt eum in monte, vbi fuerat constitutum. Illi autem qui missi erant ad sanctum Petronium, eum deduxerunt, adhuc infirmitate ipsâ laborantem. Qui paucis diebus totam fraternitatem gubernans, & hic in pace defunctus est, relinquens post se virum iustum & acceptum Deo, [45] Orsesium nomine.

Vigiliæ, Psalmi & hymni funebres. *Moritur Petronius.* *Petronio Orsesius succedit.*

CAP. LIV. Hæc igitur nos ex multis eorum meritis descripsimus pauca, & ex magnis parua digessimus, non vt illis honor aliquis præstaretur: nec enim fas est, eos indigere præconiis, quibus sufficiens est æterna laus & indeficiens gloria, quam coram Christo & sanctis Angelis eius adepti sunt, & pleniùs cum suis corporibus in resurrectione omnium consequentur. Fulgebunt enim sicut sol in regno Dei, qui glorificantes se glorificare testatus est: sed & nos æmulatores eorum pro nostris efficiamur viribus, cùm vitas eorum præclarissimas agnoscentes, eas imitari Christo donante contendimus, precibus semper adiuti beatorum patrum, Patriarcharum, Prophetarum Apostolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum, per quos omnipotens & clemens Deus noster, beata & coæterna & consubstantialis & inseparabilis Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, glorificatur iugiter & collaudatur: quia ipsi debetur omnis laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 13. 1. Reg. 2. *Adiuuemur à Sanctorum precibus.*

NOTATIO.

1 PROLOG. DOMINÆ.] *Totus hic Prologus interpretis deest editioni Coloniensi. Habetur in MSS. & veteribus editionibus. sed in editionibus non rectè est* Domine, *tamquam si viro alicui primario hæc Vita inscribatur. Imò verò vel ipsa dedicatio & constructio* Dominæ *legendum suadent, vt habent manuscripti S. Laurentij Leodij & Gemblacensis.*

Sed quæ hæc Domina? *Difficile est diuinare. Suspicor tamen Gallam indicari, Symmachi Consulis & Patricij filiam, claris ortam natalibus, & religione præstantem, quæ Dionysij huius Exigui tempore vixit Romæ in monasterio ad S. Petri ecclesiam. Ducor duobus sequentium numerorum argumentis, quibus Symmachi delatores, & eiusdem gloriosum pro Christo martyrium designantur.*

Gallæ huius celebris memoria in Martyrologio Romano, v. *Octobris:* Romæ S. Gallæ viduæ, filiæ Symmachi Consulis, quæ viro suo defuncto, apud ecclesiam B. Petri multis annis, orationi, eleëmosynis, ieiuniis, aliisque sanctis operibus intenta permansit: cuius felicissimum transitum sanctus Gregorius Papa descripsit. *Quamquam de die obitus sanctæ Gallæ disceptat Arnoldus VVion Ligni vitæ parte* II. *libro* III. *ad diem* VI. *Aprilis, quo eius obitum contigisse ex S. Gregorio probat. &* v. *Octobris potiùs diem Translationis vel Commemorationis eius esse pertendit.*

De eâ S. Gregorius libro IV. *Dial. capite* XIII. Gothorum namque temporibus Galla, huius vrbis nobilissima puella, Symmachi Consulis atque Patricij filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in vnius anni spatio eius est morte viduata, & ad Petri Apostoli ecclesiam monasterio se tradidit, *&c. Ex hoc ceteri recentiores sua desumpsêre, Petrus in Catalogo SS. lib.* IX. *c.* XXV. *Trithemius de Viris illust. Ord. S. Benedicti lib.* III. *cap.* XIII.

Scripsit quoque Fulgentius egregiam ad Gallam de consolatione super morte mariti, & statu viduarum epistolam, in quâ inter ceteras Disce igitur tu quoque nihil de nobilitate generis assignare. & licet auo, patre, socero, marito Consulibus pridem fueris inter sæculares illustris, nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit. *vbi etiam se ad Probam sororem eius (quia videlicet in eodem monasterio vti sorores viuebant) scripturum asserit:* Disposuimus etiam (si Dominus voluerit, & si vixerimus) ad sororem tuam, sanctam Christi virginem Probam, quam Dominus hoc tempore præcipuum in vrbe Româ dare dignatus est virginitatis & humilitatis exemplar, de ieiunio & oratione aliquid scribere. *Quo tempore etiam Eugypius ad Probam virginem scripsit librum Thesaurorum ex Augustino, vt testatur Cassiodorus Diuin. lect. cap.* XXIII.

Alia est, opinor, Galla senior, Q. Aurelij Symmachi senioris Cons. ordinarij & Præfecti vrbis neptis, cuius ipse meminit libro VI. *epist.* XXXII. *quamque nepoticulam suam vocat.*

Alia quoque Galla, Eucherij, pòst Lugdunensis Episcopi, vxor, cuius dum de Eucherio agit, meminit Ado in Martyrologio XVI. *Nouembr. & Petrus in Catalogo SS. libro* X. *cap.* LXVII.

Alia est, de cuius sepulcro agit Gregorius Turonensis de gloriâ Confess. cap. XXXVI. *quæ sepulta fuit in ecclesiâ S. Venerandi in Aruerniâ: quam Baronius in Martyrologio eamdem cum priore putauit. Sed ea inclusa fuit Lugduni, hæc in Aruerniâ sepulta.*

Alia item Galla vidua cum filiâ Simpliciolâ, quam S. Augustinus laudat epistolâ CIII. *quæ in Africâ vixerunt.*

2. QVOD HVIVSMODI PESTES.] *Statim infert:* Tales expertus vir beatus, atque gloriosus genitor vester, Dominus meus. *Intelligit, opinor,* dela-

PACHOMIVS.

delatores Symmachi & Boëtij, de quibus ita Procopius libro I. *de Bello Gothico:* Σύμμαχος καὶ Βοέτιος ὁ τούτου γαμβρὸς, εὐπατρίδαι μὲν τὸ ἀνέκαθεν ἤστην· πρώτω δὲ βουλῆς τῆς Ῥωμαίων καὶ ὑπάτω ἐγενέσθην· ἄμφω τε φιλοσοφίαν ἀσκήσαντε, καὶ δικαιοσύνης ἐπιμελησαμένω οὐδενὸς ἧσσον· πολλοῖς τε ἀστῶν καὶ ξένων χρήμασι τὴν ἀπορίαν ἰασαμένω καὶ δόξης ἐπὶ μέγα χωρήσαντε, ἄνδρας ἐς φθόνον τοὺς πικροτάτους ἐπηγαγέτην, οἷς δὴ συκοφαντοῦσι Θευδέριχος ἀναπεισθεὶς ἅτε νεωτέροις πράγμασιν ἐγχειροῦντας τὼ ἄνδρε τούτω ἔκτεινε καὶ τὰ χρήματα εἰς τὸ δημόσιον ἀνάγραπτα ἐποιήσατο. Symmachus, & huius gener Boëtius, à suis maioribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & senatorios viros principes erant, & Consulatus vtrique dignitate perfuncti, philosophiæ super ceteros, & æquitati studuerunt, multisque tam ciuium quàm externorum inopiæ succurrendo saluti fuêre. Hi postquam ad ingentem gloriam euasêre, deterrimos quosque in sui inuidiam concitarunt. Nam his calumniatoribus Theodoricus Rex persuasus, Symmachum Boëtiumque, perinde ac rebus nouis studentes, occidit, eorumque bona omnia publicauit. *Meminit & delatorum suorum Boëtius lib.* I. *Consol. Philos. Pros.* IV. *Symmachi & Boëtij iussu Theodorici occisorum mentionem facit Anastasius Bibliothecarius in Vitis Pontificum in Ioanne I. & Paulus Diaconus Historiæ miscellæ libro* XV.

3. GENITOR VESTER.] *Fuerit hic Q. Aurelius Memmius Symmachus Exconsul ordinarius & Patricius, ad quem exstat epistola Ennodij libro* VII. *epist.* XXV. *cuius etiam lib.* VIII. *epist.* XXVIII. *idem meminit. Theodoricus quoque Rex eidem scribit apud Cassiodorum libro* II. *epist.* XIV. *& lib.* IV. *epist.* VI. *&* LI. *Eiusdem apud eumdem mentio inter Senatores, quibus examen Pretextati & Basilij, qui magiæ arcessebantur, demandatum lib.* IV. *ep.* XXII. *Meminit & Symmachi Hormisda Papa ep.* XXXVII. *&* LXVI. *quas habes inter decretales Pontificum epistolas.*

Intelligi autem hîc à Dionysio Symmachum, Gallæ genitorem, qui martyrium pro Christo sustinuit, videtur colligi ex verbis sequentibus: Non solùm patienter & fortiter insectationes eorum semper pro iustitiâ pertulit, sed etiam felici fine pro veritate (quæ Christus est) constanter atque sublimiter totius mundi aduersa superauit.

CAP. I. 4. AMMON.] *Habes de eo & Theodoro apud Athanasium in Vitâ Antonij cap.* XXXII. *In veteribus editionibus deest hîc integra linea post* fundamenta, *videlicet;* conuersationis eorum fratrum, qui nunc in monte Nitriæ commorantur.

CAP. IV. 5. CONSTANTINO POST PERSECVTIONEM IN IMPERIO PERDVRANTE.] *Ita MSS. & veteres editiones. In Coloniensi deest* post persecutionem; *& malè ibi* properante *pro* perdurante. *Intellige de persecutione Diocletiani & Maximiani, quæ durauit decem annis, vt est apud Eusebium libro* VIII. *capite* XXXVII. *Hist. Ecclesiast. & in Chronico. Incepit ea persecutio* XIX. *anno Diocletiani, & durauit ad annum* VI. *Constantini (iustus enim ita annorum denarius exurgit) quo Maxentius occisus, vt habet incorruptum Eusebij Chronicon Amandinum manuscriptum, & Pontaci & Scaligeri editum. Rectè igitur* post persecutionem, *scilicet Diocletiani & Maximiani. Nam licet illi secundo persecutionis anno purpuram deposuerint, vt habet Eusebij Chronicon; eorum tamen nomine sæuiebat persecutio per sequentes Imperatores & Cæsares, qui tamen omnes extincti intra illud decennium. Nam Seuerus Cæsar primo anno Constantini interfectus est, Galerius Maximianus* III. *Constantini, Maximinus* IV. *eiusdem anno moriuntur. Maxentius* VI. *Constantini anno superatus occubuit. ipse Herculius Maximianus* II. *Constantini anno occisus. Ita annos hos digerit Eusebij MS. Chronicon Amandinum, cui Hieronymus multa, vt fatetur in præfatione, inseruit. Vt mirum non sit, si de morte Maximini Chronicon dissentiat ab Eusebij historiâ Ecclesiasticâ, qui libro* IX. *c.* VIII. *Maximi ni mortem refert post mortem Maxentij.* Ὁ δ' ἀνατολῆς οὐ πολὺν ἐπιζήσας ἐκείνῳ χρόνον. Orientis (*tyrannus Maximinus*) non longo tempore post illius (*Maxentij*) occasum in vitâ manens. *Et Baronius Maximini mortem adfert ad* IX. *annum Constantini. Quidquid sit, post Maxentij necem cessauit persecutio. Nam etsi Maximinum post Maxentium vixisse ponamus cum Eusebio in historiâ suâ Ecclesiasticâ, idem tamen eodem loco testatur, quod edictum pro Christianis dederit. Et licet vsque ad Constantini annum* X. *vixerit Diocletianus, quia tamen Imperio priuatus viuebat, cessauit, vt dixi, persecutio* VI. *anno Constantini. Vide Baronium tomo* III. *ad annum* VII. *Constantini.*

6. TYRANNVM MAXENTIVM.] *Nulli hactenus editi libri tyranni nomen expressêre. Expressit manuscriptus S. Laurentij. Etiam* tyranni *nomine absolutè posito Prudentius libro* I. *contra Symmachum v.* 483. *intellexit Maxentium:*

Muluius exceptú Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans. ——

Baronius anno Christi CCCXVI. *Siluestri Papæ* III. *Constantini Imp.* XI. *quia in vulgatis hactenus tyranni nomen defuit, referebat ad Licinium. Sed Maxentium intelligendum, vt manuscriptus iam citatus præfert, probatur: quia hîc post dicitur, quòd Constantinus iussit* tirones absolui. *Non vno integro igitur anno durauerit bellum, quo tirones militauerint, si, dum adhuc tirones existerent, militiâ soluti sint: cùm tirocinium vno tantùm anno duret, vt mox dicturus sum. Iam verò bellum contra Maxentium non durauit vno anno; contra Licinium verò annis aliquot.*

Pachomium bello Maxentiano non Liciniano militasse, manifestè deducitur ex ipsius vitâ Pachomij, & Eusebij ac Sigeberti Chronico. Nam cùm cap. IV. *Vitæ Pachomij dicatur ipse Pachomius fuisse* XX. *annorum cùm in tirocinium ascriptus est, & in Sigeberti Chronico dicatur Pachomius annum agens* CX. *in virtutibus consummatus, seu obiisse, & anno obitus eius ibidem annus* CCCCV. *Christi assignetur; bellum verò Maxentianum in Eusebij Chronico notetur anno Christi* CCCXV. *iustè colliges annos* XC. *inter annum Christi* CCCXV. (*quo bello Maxentiano Pachomius tiro existens annorum* XX. *militauit*) *& annum Christi* CCCV. (*quo ipse obiit.*) *Iam si addas* XX. *annos, quot natus erat, cùm relatus est in numerum tironum, rectè statues eum annorum* CX. *obiisse. Et per consequens natalis eius statui poterit anno Christi* CCCXCV. *qui est* VIII. *annus imperij Diocletiani.*

7. PRÆCEPTA REGALIA CVCVRRERVNT.] *Baronius anno Christi* CCCXVI. *Siluestri Papæ* III. *Constantini Imp.* XI. *Hic ille, inquit, planè annus esse videtur, qui, dum ad sequens prælium Licinius vbique delectum haberi iuberet, & tirones describi, in Ægypto inter alios magnus ille Pachomius, tunc adhuc Ethnicus, militiæ ascriptus est.*

Posset ex Baronij mente, qui Pachomium meruisse vult

vult æra sub Licinio, huc referri, quod habet Zosimus libro II. *historiæ suæ, vbi agit de bellico Licinij apparatu:* Διέπεμπε ἀγγέλους κατὰ τὰ ἔθνη: Dimisit ad nationes hinc inde nuntios.

Sed non rectè Baronium colligere, ipse textus euincit: qui clarè insinuat, Constantini præcepta regalia cucurrisse, eumque iussisse tironum delectum agi. ita enim habet: Itaque Constantino post persecutionem in Imperio perdurante, & contra tyrannum gerente prælium, præcepta regalia cucurrerunt, vt lectissimi quique iuuenum ad tirocinij militiam vbique tenerentur. *Nec enim hic Licinius* tyranni *titulo afficeretur, & ibidem vocarentur eiusdem* regalia præcepta.

Vix dubito, Baronio occasionem fuisse referendi hunc tironum delectum ad Licinium, quod Licinio Ægyptus parebat, vt insinuat Sozomenus libro I. *cap.* XI. *& Zosimus libro* II. *Quomodo enim Constantinus delectum iussisset agi in prouinciâ aduersarij sui? Rectè quidem ita Baronius subduxisset, modò hic ageretur de bello Liciniano contra Constantinum. Sed cùm iam probauerimus, agi hic de bello contra Maxentium, & verba de tironum delectu modò data, à Constantino eum indictum clarè significent; etsi Aegyptus Licinio cessisset & pareret, quia tamen bello contra Maxentium Licinius cum Constantino conspirabat, potuit delectus vtriusque nomine in Aegypto fuisse indictus.*

8. AD TIROCINII MILITIAM VBIQVE TENERENTVR.] *Ita quandoque opus fuit, vt milites & tirones in subitario delectu, ne refugerent, teneri & prehendi debuerint. Liuius libro* III. Quemcumque lictor iussu Consulis prehendisset, Tribunus mitti iubebat. *Vide Lipsium de Militiâ Romanâ libro* I. *Dialog.* IV.

9. AD CIVITATEM QVAMDAM.] *Metaphrastes habet,* oppidum quoddam Thebarum.

Baronius anno Christi CCCXVI. *Siluestri Papæ* III. *Constantini Imp.* XI. *Haud otiosum, inquit, erit locum perscrutari, in quo Pachomius, Christianorum ibi agentium admiratus collatam in gentiles etiam homines charitatem pariter ac pietatem, Christianæ religionis concepit affectum, qui velut semen diligenter excultum, in ingentem arborem excreuit.*

Euagrius in Vitis SS. Patrũ, cap. 5. *Thebarum ciuitatem vnam illam fuiße cùm scribat auctor (Metaphrastes) in mentem reuoco, eamque ciuitatem existimo, quæ Oxyrynchus dicta, diuersis sanctorum virorum ac mulierum, pro status cuiusque diuersitate, classibus abundabat; quæque erat sanctissimorum virorum asylum, & collectio ciuium beatorum: quorum præclarissimæ virtutes, cùm in omnibus actionibus elucerent, in suscipiendis tamen hospitibus, solis instar radiorum adeò effulgebant, vt etiam gentiles homines in maximam sui admirationem adducerent, & ad capeßendum Christianam fidem, eorum animos prouocarent.*

Ita quidem Baronius: qui Thebarum ciuitatem *idem existimat atque* Thebaidis ciuitatem; *quod nescio an omnino hic admittendum sit. Quidquid sit, Oxyrynchum non esse eam ciuitatem, ad quam venerit, quamque transierit Pachomius, vel inde probari potest:*

Primò, quòd dicatur naui vesperâ vrgente ad ciuitatem delatus: *atqui Oxyrynchus procul à mari & à Nilo distat: diciturque Ptolomæo Oxyrynchitis Nomi* μέσον μητρόπολις mediterranea metropolis.

Secundò, quòd dicatur ad peregrina transuectus peruenisse ad ciuitatem Thebarum: *atqui Oxyrynchus in Thebaide est, ex quâ prouinciâ Pachomius oriundus, & militiæ adscriptus est.*

Baronio duæ caussæ fuere, ob quas de Oxyryncho cogitauerit, eamque existimauerit ciuitatem, ad quam Pachomius appulerit.

Primò, quod Metaphrastes dicat fuisse oppidum quoddam Thebarum. *Sed inde non posse colligi Oxyrynchum, iam dixi.*

Secundò, quòd Euagrius (imò Ruffinus, vt in Prolegomenis docui) in Vitis SS. Patrum cap. V. *paria quædam habeat de Christianorum benignitate & hospitalitate, quæ dicit se suo tempore Oxyrynchi expertum, cum ijs, quæ olim Pachomius ait se inuenisse in Thebarum quadam ciuitate. Sed non inferiora beneficentiæ officia à Christianis etiam aliis locis præstita, & quidem Pachomij ætate, narrat Eusebius libro* IX. *cap.* VII. *vt non potior ratio sit de Oxyryncho quàm aliâ aliquâ ciuitate cogitandi.* Ruff. hic lib. 2. c. 5. de Vit. PP.

Quare existimo, cùm multæ Thebæ sint, vnam Thebarum ciuitatem fuisse, ad quam ex Thebaide & Aegypto soluens cum reliquis tironibus, & ad Constantinum properans peruenerit Pachomius, & eam Christianorum expertus fuerit charitatem.

10. VIDENTES TIRONES ARCTIVS CVSTODIRI.] *Metaphrastes:* cùm ciues vidissent eos in satis tutâ esse custodiâ. *ex veteri Romano ritu, quo tironibus custodes dati. Seruius ad lib.* VII. *Æneid.* Ante vrbem pueri. Romani anno XVII. militabant, quo etiam solo sub custodibus agebant. *Cicero in Cælianâ:* Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium togâ constitutus, vt exercitatione ludoque campestri tunicati vteremur; eademque erat, si statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio ac militaris. *Plautus Mostellariâ, Act.* I. *Scen.* II.

Ad legionem cùm itant, adminiculũ eis danunt
Tum aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt à fabris.
Vnum vbi emeritum est stipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quò eueniat ædificatio.

11 CHINOBOSCIVM.] *Non rectè in veteri editione* Cynobostium. *& cap.* IIII. Thynobostium. *Hic infrà cap.* XL. Frater quidam de Chinobosciorum monasterio. *& cap.* IIII. quia & ipsum in monasterio, cognomento Chinobosciorum, ægrotare compererat. Χηνοβοσκία Chenoboscia *vrbs est Thebaidos, ita fortè dicta, quòd ibi* anseres pascerent. *Vide Onomasticon.* CAP. V.

12. ET IN MELLIS.] *Ita in primitiuâ Ecclesiâ baptizati mellis & lactis dulcedinem gustabant. Tertullianus de coronâ militis cap.* III. *agens de Baptismi cærimoniis, postquam iam de Baptismo ipso egit.* Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. *Idem libro* I. *contra Marcionem, cap.* XIV. *agens de deo Marcionis, qui aliàs creaturam Dei respuens, in suis sacramentis tamen eam non respuebat, sed Ecclesiæ ritus æmulabatur:* Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris, quâ suos abluit; nec oleum, quo suos vngit; nec mellis & lactis societatem, quâ suos infantat. *B. Agnes, teste Ambrosio serm.* XC. *dicebat:* Lac & mel ex ore eius suscepi.

Hieronymus aduersus Luciferianos c. IV. *ex Traditione in Ecclesiis hoc obseruari docet, simulque mysterium explicat, vt scilicet recens baptizati meminerint, se instar infantum esse.* Nam & multa, *inquit,* alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur,

uantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, velut in lauacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem. *Infantum autem propria est innocentia. Vnde Clemens Alexandrinus libro I. Pædag. cap.* VI *viros innocentes & iustos ab Homero dici* γαλακτοφάγους, lacte vescentes, *animaduertit.*

Originem huius rei existimo manasse ex illo Exodi III. Educam de terrâ illâ in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle. *quod Clemens Alexand. sup. ad catechesin perfectam refert.*

Aliam nec valde absimilem consuetudinem notat Hieronymus fuisse in Occidentis Ecclesiis, vt videlicet recens Christo renati vinum & lac degustarent, quo rationale lac & sapientiam desiderare discerent. Quod originem ex illo Isaiæ LV. *traxit:* Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac. *In quem locum ita scribit Hieronymus:* Quod vinum miscuit & Sapientia in cratere suo, omnes stultos sæculi, mundique sapientiam non habentes prouocans ad bibendum. Et non solùm vinum emamus, sed & lac: quod significat innocentiam paruulorum. qui mos ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie vsque seruatur: vt renatis in Christo vinum lacque tribuatur. De quo lacte di-
1.Cor. 3. cebat & Paulus: Lac vobis potum dedi, non soli-
1.Pet. 2. dum cibum. Et Petrus: Quasi modò nati paruuli rationale lac desiderate. vnde & Moyses vinum & lac in Christi intelligens passione, mystico
Gen. 49. sermone testatur: Gratiosi oculi eius à vino, & candidi dentes eius à lacte.

Sanè cùm iam per Baptismum renati instar infantum sint, rectè suprà dixit Tertullianus, Ecclesiam lactis & mellis societate suos infantare. *Et Paulinus epist.* XII. *sacro tinctos fonte,* infantes *vocat:*

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niueo corpore, corde, habitu.

vnde hodieque in Ecclesiâ Catholicâ, Dominicâ in Albis, dum baptizati olim albam vestem deponebant, canitur: Quasi modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.

Cap. VI. 13. PALÆMON.] *Huius memoria exstat in Martyrologio Romano* XI. *Ianuarij:* In Thebaide S. Palæmonis abbatis, magistri S. Pachomij.

Cap. VII. 14. HABITV MONACHI CONSECRAVIT.] *Aduerte, hæretice, quanta fuerit olim sacra monachorum vestis reuerentia, vt eâ laici Religioni consecrarentur. Vide de initiatione & consecratione monachi apud Dionysium Areopagitam Ecclesiast. hierarchiæ c.* VI. *vbi inter cetera habes* vestis mutationem, *dum quis in monachum consecratur. Tertullianus libro de velandis virginibus cap.* III. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. *Hieron. ep.* XV. *ad Marcellam:* Tunicam fusciorem induta se repentè Domino consecrauit.

Cap. VIII. 15. LAPSANAS ENIM ID EST AGRESTIA OLERA.] *Ita editi omnes & MSS. Solent quandoque Auctores etiam in textu verborum difficiliorum explicationem adiungere, quod videtur hic factum. Cassianus libro* IV. *Instit. cap.* XI. Illud quoque arduum atque sublime genus continentiæ similiter prætermittens, in quâ summæ reputantur deliciæ, si herba sale condita, quam lapsanium vocant, aquâ dilutâ, ad refectionem fratribus apponatur. *Idem libro eodem cap.* XXII. Apud quos secta singulis mensibus porrorum folia, lapsania, sal frictum, oliuæ, pisciculi minuti saliti, quos illi mænidia vocant, summa voluptas est. *Vide prouerbium,* Lapsanâ viuere, *de tenui & paupere victu. Dioscorides libro* II. *capite* CXLII. λαμψάνην *vocat.*

16. AD CIVITATEM PANOS.] Panos *Aegypti vrbs est in Thebaide, quæ* Πανόπολις *Ptolomæo; quam & Chemnim dictam volunt.* Cap. IX.

17. TABENNENSE.] *Cassianus libro* IV. *Inst. cap.* I. Cap. XII.
Quædam scilicet de Ægyptiorum, quædam de Tabennensiotarum regulis admiscentes; quorum est in Thebaide cœnobium, quanto numero populosius cunctis, tanto conuersationis rigore districtius. Siquidem in eo plusquam quinque millia fratrum sub vno abbate reguntur.

18. LEBITONE.] *Quid* lebiton *sit, ipse hîc explicat:* Lebiton, *inquit,* linea vestis erat, instar colobij, quâ monachi vtuntur hodieque per Thebaidam & Ægyptum. *Hic infrà cap.* XXII. *in Regulâ Pachomij:* Induantur autem noctibus lebitones lineos. *Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomij* lebitonarium *vocat:* Nihil habent in cellulis præter psiathium, & duo lebitonaria (quod Ægyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis) *Isidorus lib.* XIX *Orig. cap.* XXII. Lebitonarium est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptij vtuntur. *Vide Onomasticon.* Cap. XIV.

De colobio *Cassianus libro* I. *Instit. cap.* V. Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt. *Quid autem diuersus hic monachorum, qui sub Regulâ Pachomij viuebant, habitus designet, vide apud Sozomenum lib.* III. *c.* XIV. *& infra in Onomastico.*

19. QVATENVS ESSENT SPATIA DIGNA MEMBRORVM.] *Mox:* Et monasterij membra dilataret. *Notum verbum, sed non omnis eius significatio æquè nota. Veteres* Membrum *pro parte ædium vel cubiculo vsurpabant. Plinius libro* II. *epist.* XVII. Cubiculo adhæret dormitorium membrum, transitu interiacente. *Idem libro* V. *epist.* VI. Multa in hac membra. *Columella libro* I. *cap.* VI. membra villæ *in tres partes*, vrbanam, rusticam, & fructuariam *diuidit. Sidonius libro* II. *epist.* II. effecit membrum benè frigidum. *Cassiodorus in Psalmum* CXLVIII. Dicimus vnum esse palatium, quod multis membris, multis spatiis ambiatur. *Occurrit etiam aliquoties apud IC. veteres.* Cap. XV.

20. VELVTI SINGVLARIS FERVS.] *Habetur Psalmo* LXXIX. singularis ferus. *vbi in Græco est,* μονιὸς ἄγριος. *Intelligitur de certo aprini generis animante. Vide Onomasticon.* Cap. XVI.

21. EXSVFFLAVIT IN EVM.] *Infrà cap.* XLVIII. Et exsufflans in eum dixit. *Dæmones ab vsque primitiuâ Ecclesiâ ad hanc ætatem exsufflari soliti. Vide Onomasticon.* Cap. XVII.

22. APOLLO.] *Varij fuêre Apollines, vel Apollones, vel Apollonij monachi. Quis hic fuerit, difficile est distinctè dicere.* Cap. XIX.

23. ACCEPERAT ENIM DVDVM TABVLAM.] *De Regulâ illâ, quam in tabulâ scriptam ab Angelo accepit, habes hic suprà cap.* XII *in textu. De Regulâ eadem vide in Præludiis ad hanc Vitam n.* 2. *Accepit videlicet Pachomius veluti alter Moyses, in deserto diuinas leges, quibus suos ad vitam in terris perfectam beatamque ducendam imbueret.* Cap. XX.

24. LEBITONES LINEOS.] *Vide hîc suprà ad caput* XIV. *n.* 18. Cap. XXII.

25. ET MELOTEM.] *Et hîc rursus explicatio obscurioris vocis in textu apponitur,* id est, caprinam pellem. *Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomij:*

chomij: Et captinam pelliculam quam meloten vocant. *Cassianus libro* I. *Instit.c.*v. Vltimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur.

26. ET RVRSVS A VEL ρ VEL σ.] *Ita constanter MSS. Coloniensis editio:* & rursus: Salutate ρ. vel σ. *Sic in Palladio cap.*XXXVIII. Saluta ρ. *Quidam manuscripti ad longum omnia nomina exprimunt:* Et rursus, lapda, ro, vel simma. *Ita MS. Gemblacensis. In manuscripto S. Laurentij est:* & rursus lauta, ro, vel simma. *Sozomenus lib.* III. *Eccles. hist. c.*XIII. *ait in Tabulâ Pachomij, quam ab Angelo accepit, scriptum fuisse:* Πᾶσαν δὲ τὴν συνοικίαν εἰς εἰκοσιτέσσαρα τάγματα διελεῖν, καὶ ἐπονομάσαι ταῦτα τοῖς Ἑλλήνων στοιχείοις, καὶ ὅπως ἔχει βίου καὶ ἤθους ἑκάστῳ τάγματι τὴν προσηγορίαν ἐφαρμόσαι, οἷον ἁπλουστέροις α μὲν ι ἀποκαλοῦντας, σκολιοῖς δὲ ζ ἢ ξ, καὶ ἄλλους ἄλλως, καθὼς ἐκλαμβάνειν εὔστοχον ἐδόκει πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ γράμματος τὴν προαίρεσιν τοῦ τάγματος. Postremò vt totus conuentus in quatuor & viginti classes distribueretur, & singulæ singulis litteris Græcis vocarentur, verbi gratia, vt simpliciores vocarentur α vel ι, vt vafri ζ vel ξ: vt alij aliarum litterarum nominibus appellarentur, quemadmodum forma litteræ rationem vitæ classis cuiusque aptè videretur exprimere.

27. CVM AVTEM COMEDERENT, CAPITA SVA CVCVLLIS OPERIRENT.] *Cassianus libro* IV. *Instit. cap.*XVII. *de Aegyptiis monachis, & maximè Tabennensiotis:* Tantaque vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis, ne scilicet liber adspectus habeat curiosiùs copiam euagandi, nihil amplius intueantur, quàm mensam, & appositos in eâ vel quos in eâ capiunt cibos.

28. NECNON AB ANGELO, &c. VT DIVRNÆ ORATIONES XII. &c.] *Cassianus libro* II. *Instit. capite* IV. *meminit duodenarij Psalmorum numeri, tam in vespertinis, quàm in nocturnis solemnitatibus custoditi:* Qui, *inquit*, intemeratus nunc vsque perdurat, quia non humanâ adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed cælitus Angeli magisterio patribus fuisse delatus. *Vide infrà Palladium capite* XXXVIII.

CAP. XXV. 29. PRÆPOSITOS.] *Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomij:* Qui (*Tabennenses monachi*) habent per singula monasteria patres & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros, & singularum domorum præpositos.

CAP. XXVI 30. APRIONE TENTYRORVM EPISCOPO.] *Coloniensis editio pro* Aprione *habet* Pycerio. *Nomen* Aprionis *occurrit in Inscriptionibus antiquis apud Gruterum pag.* DCXCV.

P. LIVIO ARTICVLO
APRIO PATER L. D. AB
HEREDIBVS.

Occurrit etiam in iis Aprius. *Apud Athanasium Apolog.* II. *de fugâ suâ pag.* DCXVIII. *est* Saprion *episcopus. & ibidem pag.* DXCVI. *est* Aprianus *inter episcopos, qui subscripsere Sardicensi Concilio.*

C. XXVII. 31. PER IDEM TEMPVS.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCXXVIII. *Siluestri Papæ* XV. *Constantini Imp.* XXIII. *Hoc, inquit, anno Athanasius, qui ante superiorem annum creatus episcopus Alexandrinus, mox lacessitus Meletianorum calumniis, conuenientibus Eusebianis, anno proximo elapso (vt vidimus) laborantibus iis pro restitutione Arij Alexandriam, in præsentem vsque annum dirè exagitatus est; repulsis his, persuasoque Constantino, tandem quieuit, nactusque nunc primùm hosce tranquillitatis dies Alcyonios diutiùs exspectatos, vt susceptum episcopale munus, vti par erat, obiret; quod magis sibi necessarium visum est, opus aggreditur, perdifficile quidem, nempe vt vniuersam eamdemque amplissimam Alexandrinæ Ecclesiæ subiectam perlustrando diœcesim, quod hæresis & schisma, prauique mores in Ecclesiâ corrupissent, vigilantissimo studio restauraret, restitueretque in eis fidem & pacem exulem, moresque corruptos Ecclesiasticâ disciplinâ componeret, &c. Huius quidem peregrinationis ex episcopali suscepta munere ipse meminit, &c.*

Cùm igitur S. Athanasius cunctas ex officio visitaret Ecclesias, non in ciuitatibus tantùm, oppidis atque vicis positas, sed & quæ in solitudinibus desertisque locis penes sanctos monachos erant, inuisit; & visitatione eadem ad monasterium S. Pachomij peruenit. Athanas. Apol. 2.

Qui igitur anno primo belli Liciniani Pachomius natus erat annos XX. *eo anno scilicet; qui Domini numeratur (sicut dictum est superiùs)* CCCXVI. *erat hoc anno ætatis annorum* XXXII. *habens monasticæ institutionis annos* XII. *Quamobrem quòd ipse in Actis illis senex sit dictus, veneratione potiùs quàm ætate sic nominatus apparet, vtpote quòd pater multorum monachorum effectus erat, qui & ipsi egregiâ floruerunt sanctitate. Hactenus Baronius.*

Sed Pachomij anni reformandi sunt ad iam dicta superiùs cap. IV. *n.* 6. *vbi probauimus Pachomium bello Maxentiano militasse, quod gestum est anno Christi* CCCXII. *vnde hoc anno* CCCXXVIII. (*quo eum existimat Baronius ab Athanasio visitatum*) *fuerit annorum* XXXVI.

32. HERACLA.] *Fuit hic Alexandrinæ ciuitatis episcopus, de quo Eusebius in Chronico anno* VIII. *Alexandri Imp.* Alexandrinæ Ecclesiæ XII. episcopus ordinatur Heraclas annis XVI. *Eiusdem meminit Eusebius libro* VI. *capite* XII. XIV. XXIV. & XXVIII. *Ecclesiast. histor. Exstat huius memoria in Martyrologio Romano* XIV. *Iulij:* Alexandriæ S. Heraclæ antistitis, ob cuius celeberrimam opinionem Africanus historiographus memorat se Alexandriam ad eum visendum properasse.

33. ORIGENIS COMMENTA.] *Infrà cap.* XLV. Quòd si mihi vultis acquiescere, Deoque placere per omnia, cunctos Origenis libros in flumen mergite, ne ab illis vosipsi mergamini.

Baronius anno Christi CCCCII. *Anastasij Papæ* V. *Arcadij & Honorij Impp.* VIII. *de eodem quoque, ait, Origenis* περὶ ἀρχῶν, *errorum fonte, puto intelligendum, quod reperitur in gestis B. Pachomij, ipsum execratum esse monachos legentes libros Origenis. Circumferebantur enim libri illi* περὶ ἀρχῶν *per Ægypti monasteria, qui auctoritate Didymi eos notationibus illustrantis apud nonnullos magno erant in pretio. vnde & factum est, vt idem Pachomius, ex hac vitâ migraturus, quasi testamento Origenis errores damnatos reliquerit. quod posteriùs in hac Vitâ habes capite* LIII.

34. THEODORVS.] *De eo Gennadius in Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum capite* VIII. Theodorus presbyter, successor gratiæ & præpositurae supradicti abbatis Pachumij, scripsit ad alia monasteria sanctarum Scripturarum sermone digestas, in quibus tamen frequenter meminit magistri & institutoris sui Pachumij, ac doctrinæ eius ac vitæ proponit exempla, quæ ille vt doceret Angelo administrante didicerat: simul & hortatur permanendum in proposito cordis & studij, & C. XXIX.

redire in concordiam & vnitatem eos, qui post abbatis obitum discessione factâ, à cœtu semetipsos absciderant vnitatis: sunt autem huius exhortationis epistolæ tres.

Theodori huius memoria agitur in Græcâ Ecclesiâ xv. Maij, vt habet Menologium Græcum: Eodem die Theodori sanctificati. Hic beatus Theodorus cùm Dei legem meditatus esset, castissimo animo totus purus effectus, & vas vtile ac sanctificatum, ostensum est, supergrediens visibilium rerum sensum, cum sancto Pachomio, & contubernio & moribus coniunctus; & verè dignus, qui Sanctificatus appellaretur; quippe qui miraculorum operatione diues factus est. Cùm igitur tam benè vitam egisset, in summâ senectute migrauit ad Dominum. *Quæ etiam habes, quibusdam additis, in Græcorum Menæis, vbi* XVI. *Maij dies eius festus notatur. vt error in Menologium irrepsisse videatur, vbi* XVI. *dies Maij omittitur; qui signandus erat, & Theodoro ascribendus. Eiusdem mentio est in Menæis in Vitâ S. Pachomij* XV. *Maij, vbi dicitur etiam* ἡγιασμένος, sanctificatus.

35. VNDECIMO DIE MENSIS TYBI, ID EST, OCTAVO ID. IANVAR.] *Ne mirere vndecimum diem Tybi mensis Aegyptiorum respondere diei sexto Ianuarij Romanorum mensis, seu* VIII. *Iduum Ianuariarum. Nam Ægyptij mensem suum Tybi auspicabantur sexto Kalendarum Ianuariarum, seu* XXVII. *Decembris. Iam verò à* XXVII. *Decembris ad sextum Ianuarij habes* XI. *dies. Vide in Onomastico* Mensium Tabulam.

Cap.xix. 36. ET CREDO QVIA TANTI VIRI RECORDATVS SVM.] *Ita Athanasius memoriâ S. Antonij multum tribuit. Suprà in præfatione ad eius Vitam*: Etenim mihi ingens lucrum est atque vtilitas hoc ipsum quòd recordor Antonij. *Ex Sanctorum memoriâ triplex in se desiderium agnoscit Bernardus serm.* V. *in festo omnium Sanctorum*: Planè quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum intereſt nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, & desiderium triplex. *Reliqua apud eum vide.*

37. DIABOLVM VINXISTIS VT PASSEREM.] *Ipse diabolus infrà cap.* XLIX. *suam infirmitatem & captiuitatem fatetur*: Ex quo mirabilis incarnatio Christi facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus: ita vt ab his, qui credunt in nomine eius, illudamur vt passeres *Simile habet suprà Athanasius in Vitâ S. Antonij cap.* XVI. *Aliam & contrariam de illusione passeris, quâ diabolus peccatores prauâ consuetudine vinctos tenet, iisque illudit, historiolam & similitudinem habet Edinerus in Vitâ S. Anselmi libro* II. *cuius dies festus occurrit* XXI. *Aprilis*: Aliâ vice conspexit puerum cum auiculâ in viâ ludentem, quæ auis pedem filo annexam habens, sæpè, cùm laxiùs ire permittebatur, fugâ sibi consulere cupiens, auolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam vsque ad se deiiciebat: & hoc ingens gaudium illi erat. Factum est id frequentiùs. Quod pater aspiciens, miseræ condoluit aui, ac vt rupto filo libertati redderetur, optauit. Et ecce filum rumpitur, auis auolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis: Considerastis, inquit, iocum pueri? & confessis considerasse, ait: Simili consideratione iocatur diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos pro suâ voluntate in diuersa vitia pertrahit. Sunt enim quidam, vt verbi gratiâ dicam, aut auaritiæ, aut luxuriæ, & similium flammis succensi, & ex magnâ consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, vt sua facta considerent, defleant, seque amodò à talibus cessaturos sibi promittant. En more auis se volare liberos autumant. Sed quia prauo vsu irretiti ab hoste tenentur volantes, in eadem vitia deiiciuntur. Fitque hoc sæpiùs, nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ Dei, filum prauæ consuetudinis dirumpatur. *Quod etiam habes apud Anselmum lib. de Similitudinibus cap.* CLXXXIX. *& Antoninum tom.* II. *Chronic. tit.* XVI. *cap.* XI. *§.* II. *paullò explicatiùs.*

38. PANOS CIVITATIS EPISCOPVS, VARVS NOMINE.] *Apud Metaphrastem est cap.* LXII. Ciuitatis episcopus nomine Panuarius. *quod haud dubiè ex Panos & Varus deprauatum.* C.xxxix.

39. EGO AVTEM QVANTVLAMCVMQVE EI REQVIEM VEL SATISFACTIONEM.] *Apud D. Gregorium libro* IV. *Dialog. cap.* L. *inquirit Petrus, An prosit animabus mortuorum, si corpora in ecclesiâ sint sepulta? Respondet diuus Gregorius*: Quos grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiâ sepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem loca sacra conueniunt, suorum sepulcra conspiciunt, recordantur, & pro eis preces Domino fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad absolutionem potiùs quàm ad maiorem damnationis cumulum, eorum corpora in ecclesiis ponuntur. *Quod posterius membrum tribus sequentibus capitibus per exempla probat. Totum eum locum expressum habes in responsione Nicolai I. Pontificis ad consulta Bulgarorum cap.* XCIX.

Quo modo autem obsit malis sacra sepultura, explicat idem Gregorius cap. LIII. *dicens*: Ex quâ re, Petre, collige, quia his, quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de suâ præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accuset.

Quo modo etiam D. Thomas in Supplemento q. LXXI. *art.* XI. *ad* V. *respondens priori loco Gregorij ait*: quòd sepultura in sacro loco, impio defuncto non nocet, nisi quatenus hanc sepulturam sibi indignam propter humanam gloriam procurauit. *quem vide eâ quæstione egregiè disputantem, vtrùm cultus exequiarum defunctis prosint.*

Atque ad horum sanctorum Doctorum mentem, mens quoque Pachomij reuocanda est. Huc etiam referri potest, quod habet Ioannes infrà libello I. *qui est* de Præuidentiâ *n.* 13. *vbi Nilopoli diues damnatus honorificè sepelitur, vt qui parum boni viuens in hoc sæculo fecerat, parum quoque boni in hoc sæculo reciperet. contrà verò Eremita sanctus à belluis comeditur, quia parum culpæ in hac vitâ contraxerat, quâ ita expiabatur.*

40. PSIATHOS.] *Infrà cap.* XLVII. Venit ad fratres, qui psiathos operabantur. *& cap.* LII. Semper autem psiathios operabatur. *Sunt autem* psiathi, psiathij, *&* psiathia *mattula. Ridiculè quædam editiones* ciathos *habent. Occurrit sæpè hæc vox in his Patrum Vitis. Vide Onomasticon.* C.xliiii.

41. QVI SEPTIMANAM FACIEBAT.] *Dicebatur hic* hebdomadarius, *cui minister, vti & hic, adiungebatur. Hieronymus præfatione in Regulam sancti Pachomij*: Habent per singula monasteria C.xlvii.

patres,

patres, & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros.

C.XLVIII. 42. EGO SVM CHRISTVS.] *Simili fraude apparuit S. Martino, vt est apud Seuerum Sulpitium de Vitâ S. Martini, cap.* XXV.

CAP.XLIX 43. ILLVDAMVR VT PASSERES.] *Vide dicta suprà ad Vitam S. Antonij cap.* XVI. *n.* 41.

CAP.LIII. 44. QVARTO DECIMO DIE MENSIS PACHON, SECVNDVM ÆGYPTIOS, QVI EST IVXTA ROMANOS AD SEPTIMVM DIEM IDVVM MAIARVM.] *In veteri editione pro* Pachon *est* Chon. *Sed rectum est* Pachon, *vt habent manuscripti, qui notus est mensis apud Aegyptios. Rectè autem dies Aegyptij mensis assignatus respondet diei mensis Romani ibidem positi. Siquidem primus dies Pachon incipit iuxta Romanos* XXVI. *die mensis Aprilis: quare dies* XIV. *mensis Pachon respondet septimo Iduum Maiarum seu* IX. *Maij: nam à* XXV. *die Aprilis vsque ad* IX. *Maij sunt dies* XIV. *Vide in Onomastico* Tabulam mensium.

45. ORSESIVM NOMINE.] *De eo Gennadius in Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap.* IX. *quem ipse Oriesiesim vocat:* Oriesiesis monachus, amborum, id est Pachumij & Theodori collega, vir in sanctis Scripturis ad perfectum instructus, composuit librum diuino conditum sale, totiusque monasticæ disciplinæ instrumentis constructum; & vt simpliciter dicam, in quo totum penè vetus & nouum Testamentum compendiosis dissertionibus, iuxta monachorum dumtaxat necessitatem, inuenitur expositum: quem tamen vice testamenti prope diem obitus sui fratribus obtulit. *In Regulâ Pachomij per Achillem Statium editâ vocatur* Orsiesius: *occurrit apud Pelagium infrà libello* XI. *n.* 37. *& libello* XV. *n.* 51. Orsisius. *Oriesis Regulas de institutis monasticis habes tomo* V. *Bibl. PP.*

VITA
16. MAR. SANCTI [1] ABRAHÆ EREMITAE
AVCTORE S. [2] EPHRAEM DIACONO.
[3] INTERPRETE ANONYMO.

PROLOGVS AVCTORIS.

FRATRES mei, cupio vobis enarrare conuersationem bonam perfecti atque admirabilis viri Abrahæ, quam sic inchoauit, vt in consummatione eius gloriam perpetuam mereretur. Sed paueo admirandam & luculentam de eo historiam texere, cùm imaginem virtutum eius considero. Ecce enim conuersatio quidem viri perfecta est & optima, ego verò infirmus & rusticus. Equidem imago virtutis eius admiranda ac splendida: colores autem verborum quibus depingenda est, admodum tristes ac tetri sunt. Attamen licet imperitus, vel ex parte tentabo, quamquam comprehendere perfectè non valeam, enarrabo tamen, inquantum sufficio de eodem viro differere: quoniam qui secundus Abraham meruit nuncupari, non facilè humano ore potest referri. *Abraham eremita, secundus Abraham.* Extitit enim nostris temporibus, Angelicam vitam in terris agens. Acquisiuit autem patientiam, quasi adamas fortissimus, per quam cælestem gloriam adipisci meruit. Et quia à iuuentute castitatis pudicitiam conseruauit, templum sancti Spiritus factus est, tamquam sanctificatum vas: & ita semetipsum exhibuit Deo, vt eum habitatorem in mentis suæ hospitio haberet. *Castitatem à puero seruauit.*

VITA.

CAP. I. HIC itaque beatus Abraham habuit parentes valdè locupletes, qui eum tenerè ac supra modum diligentes, ita vt etiam affectum humanum eorum dilectio transcenderet, [4] desponsauerunt ei puellam adhuc in pueritiâ constituto, expectantes ac desiderantes in aliquâ eum dignitate sæculari proficere. *Sponsalia etiamnum puer contrahit.* Sed hic longè aliter sentiens, in ipso primo adolescentiæ gradu ecclesiarum conuenticula iugiter frequentabat: & quæcumque ibi ex diuinis Scripturis recitabantur, aurem libenter accommodans audiebat, & in cordis sui memoriam ita recondе- *Adolescens ecclesiam frequentat. Verbi Dei studiosus.*

condebat, vt etiam cùm absens esset, ea quæ didicerat, meditatione intentissimâ ruminaret. Cumque memorati parentes eius tempus nuptiarum 5 propinquabile iudicarent, compellebant eum matrimonij vinculis obligari. Sed cùm hæc ille primò renueret, postmodum molestiam eorum iugem sedulamque non ferens, pudoris verecundiâ superatus, acquiescere perurgetur. Cùm itaque celebratis nuptijs, sponsa 6 die septimo in thalamo resideret, repentè quasi lux quædam in corde eius diuina gratia refulsit, quam veluti ducem quemdam sui voti inueniens, ilicò exiliuit, & secutus est, & ab vrbe egreditur.

Matrimonio iungitur.

Sponsam è thalamo fugiens deserit.

CAP. II. Duobus autem ferè millibus procul à domo suâ cellulam vacantem reperit: vbi se constituens, & glorificans Deum cum ingenti lætitiâ permanebat: stuporem verò maximum, tam parentibus suis quàm vicinis, de hoc facto incusserat. Qui exeuntes, in diuersa dispersi, vbique Dei hominem requirebant. Post dies autem decem & septem in memoratâ cellulâ eum orantem reperiunt. Beatus autem vir, cùm eos stupore perculsos adspiceret: Quid me, inquit, vos admirantes adspicitis? Glorificate potiùs misericordissimum Deum, qui me ex cœno iniquitatum mearum eripuit: & orate pro me, vt iugum hoc suauissimum, sub quo me indignum suscipere dignatus est Dominus, vsque in finem valeam baiulare, conuersationemque meam beneplacitam secundùm voluntatem eius, possim in omnibus coaptare. Qui cùm omnes eum audientes, respondissent Amen, deprecatus est eos, ne ei vellent crebrò molestiam obtentu visitationis inferre. Quibus recedentibus, aditum cellulæ suæ obstruxit: & concludens semetipsum intrinsecus, paruissimum fenestræ foramen reliquit, per quod alimenta die consuetâ reciperet.

Cella se includit.

Aditum cella obstruit.

Itaque mentem eius remotam à turbulentis interpellationibus, diuina gratia illustrabat: proficiensque quotidie in optimâ conuersatione, primum quasi fundamentum vitæ suæ continentiam possidebat: necnon vigilijs & orationibus, cum fletu & humilitate atque charitate, studebat. Cumque per omnem locum de eo sancta opinio diuulgaretur, cuncti audientes, ad videndum eum, & vt ædificarentur ab eo, vndique confluebant. Sermo quoque ei sapientiæ ac scientiæ & consolationis à Deo affluenter datus est, qui in mentibus audientium quasi luminare lucidissimum radiabat.

Continentia spiritualis vitæ fundamentum.

Fit ad eum multorum concursus.

Sapientia sermone affluit.

CAP. III. Contigit autem anno duodecimo renuntiationis eius, vt parentes eius ex hac vitâ recedentes, aurum ei copiosum prædiaque magna relinquerent. qui rogans amicum quemdam admodum sibi charum, ad distribuenda vniuersa indigentibus ac pupillis officium religiosum illi iniungit, ne ipsius orationibus impedimentum, huius rei gratiâ gigneretur. Et cùm hoc fecisset, securus animo & mente quietâ permansit. Hoc enim bono viro maximum studium erat, vt cor eius nullis terrenis negotijs vinciretur: & idcircò super terram nihil aliud possidebat, excepto vno sago, vnaque nihilominùs tunicâ cilicinâ quâ vtebatur.7 Caucum quoque permodicum, in quo edere seu bibere solitus erat, habebat: necnon & vnum 8 psiathium, in quo cubitare consueuerat. Cum his autem omnibus humilitatem supra modum, & charitatem ad omnes æqualiter possidebat: nec proponebat in honore locupletum pauperi; nec principem subiecto, vel nobilem ignobili præferebat: sed omnes similiter diligens, honorabat vniuersos, sine cuiusquam acceptione personæ. Nec aliquando quemquam procaciter increpabat, sed erat sermo eius charitate & suauitate conditus. Quis audiens eius eloquium, satiari potuit aliquando de his, quæ aliquando ex sermonis eius dulcedine proferebantur? vel quis vultum illius, sanctitatis imaginem præferentem, respiciens, non magis videndi eum sæpiùs desiderium sumpsit? In omni tempore,9 abstinentiæ suæ regulam quam semel arripuit, non mutauit: quinquaginta annos institutum proprium, omni alacritate compleuit, & ob nimium amorem ac desiderium quod habebat in Christo, omne æuum temporis illius, quasi dies paucissimos reputabat: & totus rigor acerrimæ conuersationis eius, apud eum pro nihilo videbatur.

Hereditatem opulentam in pauperes distribui curat.

Vestis eius sagum & cilicium.

Supellex caucus & psiathium.

Aequaliter erga omnes afficitur.

Sermo eius suauitate conditus.

Vultus sanctitatis imago.

Quinquaginta annis in instituto perseuerat.

Erat autem haud procul ab vrbe illâ vicus admodum spatiosus ac magnus, in quo vniuersi pariter à minimo vsque ad maximum pagani crudelissimi existebant: quos ab idolorum cultu nullus omninò valebat auertere. Nonnulli quidem presbyteri & diaconi, in hoc ipsum illic ordinati & directi ab episcopo, sine vllo salutis eorum fructu recedebant, nequaquam afflictionis ferentes laborem: quia non solùm non suaderi, & ad consensum animus eorum ferox non poterat flecti, verùm etiam persecutiones in eos, qui se monebant, ac seditiones vehementissimas concitabant. Sed turba nihilominùs monachorum semel atque iterùm adire nitentes, nihil penitùs pro conuersione eorum agere potuerunt. Porrò vnâ die residens cum clericis suis episcopus, beatissimi huius viri habuit mentionem, dixitque ad eos: Ego talem virum tempori- CAP. IV.

Gentiles crudeles, & idololatriæ impensè dediti, Euangelium respuunt.

bus meis videre non potui, ita in omni opere bonitatis perfectum, & sic cunctis virtutibus adornatum, in quo elegit Deus habitare, vt habetur nunc sanctissimus Abraham. Respondentes autem clerici, verum esse eum Dei famulum monachumque perfectum affirmabant. Et episcopus: Volo, inquit, eum in vico illo Gentilium ordinare presbyterum: potest enim eos patientiâ ac nimiâ charitate ad Deum conuertere. Et consurgens protinus, ad cellulam sancti viri cum suis proficiscitur clericis. Cumque salutasset eum, statimque de Gentilibus vici illius insinuat, vt ad eos ob salutem eorum pergeret, rogans. Qui cùm audisset, tristis vehementer effectus, ait ad episcopum: Quæso, inquit, pater sanctissime, permitte mihi vt meas iniquitates defleam, neque huiusmodi negotium infirmo & exiguo existenti iniungas. Ad quem rursus episcopus dixit: Per Dei gratiam, inquit, potens es: ne velis ergo in hac bonâ obedientiâ fieri cunctabundus. Cui vir beatus iterùm respondens, dixit: Obsecro sanctitatem tuam, vt me mala mea plangere permittas. Et ait ad eum episcopus: Ecce totum mundum & quæ in eo sunt reliquisti, & vitam crucifixam amplexatus es: attamen cùm hæc vniuersa compleueris, agnosce te obedientiam, quæ cunctis virtutibus eminet, non habere. Hæc ille cùm audisset, cœpit flere amarè, dicens ad eum: Quid sum ego, canis mortuus? & quæ est vita mea, quoniam talia de me, ô sanctissime pater, iudicasti? Cui ait episcopus: Ecce hic residens, tuam solummodò salutem acquiris: ibi autem plurimi per te, diuinâ gratiâ operante, saluandi sunt, quoscumque ad Dominum Deum conuerteris. Considera itaque vnde ampliorem mercedem habeas: vtrùm, si teipsum saluaueris solùm, an si plurimos tecum ad salutem adduxeris. Tunc beatus vir Dei flens, ait: Fiat voluntas Domini: verumtamen propter obedientiam, quocumque iusseris, pergam.

Patientiâ & charitate Gentiles conuertendi.

Reluctanti Abrahæ episcopus officium prædicationis iniungit.

Obedientia virtutum omnium eminentissima. 1. Reg. 24.

CAP. V.

Ordinatur presbyter per impositionem manus episcopi.

Educens ergo eum de cellulâ in ciuitatem ilicò introduxit: ibique [10] per impositionem manus presbyter ordinatus, statim ad vicum paganorum sine morâ dirigitur. Quò dum S. Abraham pergeret, precabatur Dominum, dicens: Clementissime ac benignissime Deus, respice infirmitatem meam, gratiamque tuam cælestem ad meum præsidium dirige, vt glorificetur nomen tuum sanctum. Perueniens autem ad vicum, vidensque omnes in insaniâ idololatriæ vehementer esse detentos, ex imo pectore ingemiscens, grauiter fleuit: & eleuans oculos suos ad cælum, dixit: Tu solus qui sine peccato es Deus, ne despicias opera manuum tuarum. festinanterque direxit nuntium in ciuitatem ad amicum illum charissimum sibi, vt pecuniam ex reliquijs patrimonij sui afferret. Quam cùm accepisset, inter paucos dies construxit ecclesiam. Et velut sponsam optimam, multo eam mirificoque decorauit ornatu. Attamen dum ædificaretur, quotidie homo Dei per media simulacra Gentilium transiens, nihil penitùs loquebatur, nisi in corde suo orabat solummodò, gemitusque cum fletu mittebat ad Dominum. Postquam verò ecclesia est consummata, quasi munus quoddam cum multis lacrymis obtulit Deo; ibi genubus positis, has preces suppliciter in suâ oratione profudit: Tu, inquiens, omnipotens Fili Dei viui, qui totum mundum erroris depressum caligine, ad cognitionem luminis tui per tuam præsentiam deduxisti, hunc quoque populum tuum dispersum congrega in sinum ecclesiæ tuæ, & illumina oculos mentis eorum, vt respuentes simulacrorum culturam, te solum amatorem hominum ac benignum Deum cognoscant.

Ecclesiam è patrimonio suo construit.

Orat pro Gentilium conuersione.

Cumque hanc orationem finisset, continuò egressus ab ecclesiâ, perrexit ad templum Gentilium, arasque eorum & simulacra manibus suis euertit atque destruxit. Quod factum cùm cerneret turba Gentilium, quasi agrestes feræ insiliunt, eumque laceratum multis verberibus fugauerunt. Ipse autem clàm nocte in ecclesiâ residens, plagarum suarum lacerationem non curans, sed tantummodò cum fletibus ac gemitibus, vt salui fierent, Dominum precabatur. Facto autem manè aduenientes pagani, inueniunt hominem Dei orantem: & nimio stupore perculsi, quasi [11] enei quidam effecti sunt. Vnde & ad ecclesiam quotidie veniebant, non tamen orationis gratiâ, sed vt oculis suis ecclesiæ contemplantes ornatum ac pulchritudinem, delectarentur. Cœpit itaque quadam die vir beatus Abraham deprecari eos, vt agnoscerent Deum. Illi verò sæuiores effecti, fustibus eum quasi lapidem quemdam atque exanimem ceciderunt: & deinde pedibus eius fune ligatis, extra vicum traxerunt, lapidibus obruentes: mortuumque eum arbitrantes, semineсem reliquerunt.

Aras Gentilium diruit.

Grauiter verberatur.

Capiuntur ecclesiæ ornatu Gentiles.

Rursum à Gentilibus crudelissimè caditur.

Semimortuus relinquitur.

Mediâ autem nocte in semetipsum reuersus, cœpit flere vehementissimè, ac dicere: Vt quid Domine despexisti humilitatem meam, & quare faciem tuam auertis à me? & cur repellis animam meam, & despexisti Domine opera manuum tuarum? Et nunc Domine respice super seruum tuum, & exaudi deprecationem meam, & corrobora me:

Rursus orat pro Gentilium conuersione.

me: & absolue seruos tuos à vinculis diaboli, & præsta eis, vt cognoscant te quoniam tu es solus, & præter te non est alius Deus. Deinde consurgens ab oratione, intrauit in vicum: ingressusque ecclesiam, Domino Psalmos canebat. Rursus autem facto diluculo, venientes viderunt eum. & stupefacti atque in insaniam versi, nulla habentes viscera misericordiæ, acerrimis illum tormentis crudeliterque conficiunt: & solitò funibus alligatum, extra vicum traxerunt.

Tertiò à Gentilibus extra vicū trahitur.

Cap. VI. Hæc autem cùm per triennium pateretur, quasi verus adamas tolerabiliter perdurabat: nec tot tantisque insectationum tribulationibus cessit: sed cùm cæderetur, cùm traheretur, cùm persecutiones pateretur, cùm lapidaretur, cùm fame & siti laboraret, in omnibus his quæ ei acciderant, numquam ad iracundiam prouocatus, numquam ad indignationem commotus est: numquam pusillanimitate distabuit, numquam tædio fatigatus est: sed cùm aspera omnia pateretur, magis ac magis amor eius in eos & charitas augebatur. modò admonebat, modò blandiebatur, modò blandimentis suauissimi eloquij liniebat. Et quidem seniores, veluti patres rogabat; iuuenes, vt fratres; adolescentes, vt filios: cùm econtrariò ab eis subsannaretur, irrideretur, atque mille opprobria pateretur.

Crescit persecutione viri Dei zelus.

Cap. VII. Quadam igitur die habitatores vici illius congregati, nimioque stupore mirantes ac perterriti, adinuicem colloquentes: Cernitis, inquiunt, tam magnam patientiam viri, & ineffabilem circa nos charitatem: quomodo in tantis tribulationibus, quas ei intulimus, nequaquam ex hoc loco discesserit, neque alicui nostrûm malum verbum locutus sit, neque auersus est à nobis, sed cum gaudio magno sustinuerit vniuersa. Vnde nisi esset (vt asserit) Deus verus quem prædicat, & regnum & paradisus, vltio quoque malorum, non hanc tribulationem pateretur inaniter. Illud etiam considerandum, quoniam deos nostros, cùm esset solus, euertit: & in nullo eum lædere valuerunt. Verè seruus Dei est homo hic, & cuncta vera sunt quæ de eo fama dispersit. Venite itaque, credamus in Deum quem prædicat. Et hæc inter se colloquentes, pariter omnes in ecclesiam pergunt, clamantes atque dicentes: Gloria Deo cælesti, qui misit famulum suum, vt nos ab errore saluaret.

Patientiâ eius conuertuntur Gentiles.

Cap. VIII. Tunc beatus homo Dei hæc videns, lætitiâ ingenti repletus est, & facies eius quasi ros matutinus mutata est. aperiensque os suum, ait ad eos: Patres mei, fratres ac filij, venite, demus gloriam Deo, qui illuminare dignatus est oculos mentis vestræ, vt eum possitis agnoscere; & percipite signaculum vitæ vt purificemini ab immunditiâ idolorum: & credite ex toto corde & animo, quòd vnus sit Deus cæli & terræ & omnium quæ in eis sunt, sine initio, inenarrabilis & incomprehensibilis, dator luminis, & amator ac redemptor hominum, terribilis ac suauis; & in Filium eius vnigenitum, qui est sapientia eius; & in Spiritum sanctum, qui viuificat omnia: vt cælestes ex terrenis effecti, vitam cælestem possitis adipisci. Respondentes autem vniuersi, dixerunt: Ita pater noster, ita dux vitæ nostræ quemadmodum denuntias nobis & doces, ita credimus & faciemus. Et confestim sanctus Abraham assumens sacrum Baptisma, baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, à minimo vsque ad maximum. Erant autem vsque ad mille animas. Deinde per singulos dies diuinas Scripturas eis legebat, docebat eos de regno Dei, de paradisi delicijs, de gehennæ supplicijs, de iustitiâ, de fide & charitate. Illi verò, sicut bona terra percipit semen bonum, & affert fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum: ita verba eius libentissimè audientes, atque in timore Domini proficientes, fructus largissimos afferebant. In conspectu autem eorum quasi Angelus Dei videbatur, & quasi quædam ædificij ligatura. Sic enim charitas eorum circa ipsum erat per doctrinam sermonis dulcissimi, vt ex hoc Deum credere viderentur.

Omnes baptizantur.

Matth. 13.

Instar Angeli habetur.

Cap. IX. Completo igitur anno postquam crediderunt, vir beatus Abraham non cessabat diebus singulis verbum eis Domini prædicare. At vbi eorum studium circa Deum fidemque firmissimam vidit, & quòd erga eum nimiâ essent charitate connexi, & honorem sibi maximum exhiberent: verens ne obtentu eorum, abstinentiæ suæ regulam destruere cogeretur, & quocumque modo mens eius terrenis curis astringeretur; consurgens in medio noctis, hanc orationem fudisse fertur ad Dominum: Tu solus sine peccato Deus, qui cùm sis sanctus, requiescis in sanctis: qui solus amator es hominum ac misericors Dominus, qui mentis oculos huius multitudinis illuminasti: qui eos ab aduersarij vinculis absoluisti, qui implicatos eos ab simulacrorum erroribus conuertisti, & tuæ cognitionis ei scientiam tribuisti: quæso Domine, vt vsque in finem regere eos & conseruare digneris, & auxilium tuum gregi huic optimo, quem possidere voluisti, perpetuum copiosumque clementer impartias: & quasi muro validissimo eos gratiâ bonitatis tuæ circumdes, & cor eorum semper illumines, vt ea quæ sunt tibi

Prædicat verbum Dei Neophytis.

Abraha oratio.

placita perficientes, æternam vitam percipere mereantur: mihi quoque infirmissimo adminiculum tribuas, neque reputes in peccatum, quòd ab eis festino discedere. Tu enim nosti, vniuersorum cognitor, quòd te solum desidero, & te mihi Dominum esse cognosco. Consummataque oratione discedens, tertiò consignauit vicum Christi signaculo: abijtque latenter in alium locum, & quibus potuit latebris occultauit.

Benedicens vico à se conuerso clàm inde discedit.

Cap. X.

Manè autem solito more ad ecclesiam turbæ conueniunt. Cumque eum minimè reperissent, maximo stupore percussi, & quasi errantes oues, diuersis locis pastorem proprium perquirebant: nomenque vlulantes cum lacrymis inclamant. Cùm autem diutissimè perquirendo eum inuenire non possent, nimio mœrore deiecti, confestim, quod eis acciderat, pergentes episcopo nuntiauerunt. Qui cùm hoc agnouisset, ipse quoque admodum tristis effectus, statim plurimos ad requirendum Dei hominem destinauit, maximè ob consolationem gregis eius, eò quòd cerneret eos flebiliter contristari. Cumque ab omnibus tamquam lapis pretiosissimus quæreretur, & prorsus inueniri non posset: habito consilio cum clericis suis, episcopus memoratum vicum ingreditur. cœpitque ad eos consolatorium proferre sermonem: & dolorem maximum, quem de discessu hominis Dei conceperant, blandâ prædicatione lenire. Cernens autem in fide Christi eos firmissimos, elegit ex eis viros probabiles, quos presbyteros ac diaconos lectoresque constituit. Audiens verò hoc sanctissimus Abraham, vehementer gauisus est: & glorificans Deum, dixit: Quid retribuam tibi Domine Deus meus, benignissime Pater, atque amator hominum suauissime, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Honorifico & glorifico dispensationem tuam. Tunc continuò ad pristinam cellulam reuertitur. Fecit igitur alteram extrinsecus cellulam, & semetipsum magnâ cum lætitiâ in interiore conclusit. O miraculum, charissimi, laudibus plenum & gloriæ sempiternæ! In tantis namque afflictionibus, quas in sæpè dicto vico perpessus est, numquam abstinentiæ suæ regulam fregit, neque in dexteram, vel sinistram ab eâ diuertit. Gloria & magnificentia Deo, qui ei talem tolerantiam tribuit, quâ & alios possit conuertere, & sui propositi gratiam custodire.

Studiosè ab omnibus quæritur.

Reuertitur ad cellam suam.

Cap. XI.

Cernens autem diabolus bonorum hominum æmulus, quòd tantas in eum tribulationum molestias excitans, non in desidiam Dei hominem trahere, non in aliquo mentem viri Dei valuisset à Domino separare: & quod maius est, sicut aurum in fornace, pressuris fulgentior redderetur, atque in maiorem patientiam & alacritatem charitatis proficeret: vehementer irritatus & acriter efferatus, aduersus eum cùm magnâ phantasiâ aduenit, vt saltem sic ei pauorem incutiens, decipere eum posset ac fallere.

Armatur contra eum dæmon.

Cap. XII.

Igitur cùm staret in medio noctis ac psalleret, repentè lux copiosa veluti solis, in cellâ eius refulsit, & vox quasi cuiusdam multitudinis audita est, dicens: Beatus es Abraham, verè beatus es & fidelis, nullusque sicut tu in omni conuersatione inuentus est, qui omnes voluntates meas explesti. Protinus autem vir sanctus dolum maligni cognoscens, exaltauit vocem suam, ac dixit: Obscuritas tua tecum sit in perditionem, ô plene dolo atque fallaciâ. ego enim homo peccator sum, habens tamen spei præsidia, per gratiam Dei in nullo tuas insidias pertimescam. Neque enim plurimæ phantasiæ pauorem mihi incutiunt. Nomen siquidem Domini mei & Saluatoris Iesu Christi, quem dilexi & diligo, mihi validissimus murus est, in quo te increpo immunde canis, ac ter miserande. Et dicente eo hæc, confestim vt fumus ab oculis eius euanuit. Sanctus autem Dei famulus cum multâ alacritate tranquilloque animo benedicebat Dominum, quasi qui nullam phantasiam vidisset.

Boni Angeli specie eum decipere conatur.

Dæmonis laudi humilitatem opponit.

Nomine Iesv prolato fugatur dæmon.

Cap. XIII.

Rursus verò post dies paucos orante eo noctu, tenens securim diabolus, cellulam eius conabatur euertere. Et cùm iam putaretur perforasse eam, voce magnâ clamauit & dixit: Festinate amici mei, festinate celeriter: atque introeuntes, vitam eius violenter eripite. Ait autem contra eum beatus Abraham: Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini vindicabor in eis. At ille protinus cùm hanc vocem audisset, euanuit; cella autem beati viri integra atque illæsa permansit.

Securi cellam eius diffringere tentat.

Psal. 117.

Cap. XIV.

Item post paucos dies cùm mediâ nocte psalleret, psiathium suum, super quod consistebat, cœpit vehemens flamma comburere. Tunc ille intrepidus ignem conculcans, dicebat: Super aspidem & regulum ambulabo, leonem & draconem conculcabo: & omnem virtutem inimici, in nomine Domini mei Iesu Christi, qui mihi præbet auxilium, superabo. Diffugiens itaque satanas, voce magnâ proclamabat: Ego te, inquiens, malâ morte deuincam, inueniamque artes, quibus te conteram, qui me nunc quasi contemptibilem reputas.

Ignem à dæmone immissum calcat illæsus.

Psal. 90.

Cap. XV.

Quadam die igitur cibum eo sumente, transfiguratus dæmon in habitu adolescentis, cellulam eius ingreditur, & appropinquans,

Adolescentis specie iterum ei apparet.

quans, caucum eius nitebatur euertere. Vir autem Dei manu illud retinens, manducabat intrepidus. Tunc exiliens diabolus, aliam phantasiam repentè confingit: & ecce quasi candelabrum statuens ante eum, & lucernam desuper ardentem, ore polluto ac fœtido Psalmos cantabat voce magnâ: Beati, inquiens, in viâ immaculati, qui ambulant in lege Domini. Cumque ex eodem Psalmo verba plurima cecinisset, nullum ei sermonem sanctus ille respondit: donec cibum solitum percepisset. Postquam verò de mensâ surrexit, cum omni constantiâ ait ad eum: Canis immunde & ter miserande, atque infirmissime & mendacissime: si nosti quòd beati sunt, cur eis molestus es? Nam beati sunt reuerà omnes, qui ex toto corde diligunt Deum. Respondens autem diabolus, ait: Idcircò illis infestus sum, vt superem eos, vt ab omni opere bono præpediti, meis facinoribus socientur. Cui vir beatus ita respondit: Non tibi benè sit maledicte, vt quempiam timentium Deum superare vel impedire præualeas: nisi fortè eos, qui tibi similes existentes, à Deo propriâ voluntate discedunt. Illos vincis ac fallis, quoniam Deus non est in eis. Ab his autem qui diligunt Deum, tamquam fumus à vento, exhalescis ac deficis. Vna siquidem eorum oratio sic te persequitur ac deturbat, quemadmodum puluis à vento insectatus dispergitur. Viuit autem Deus meus, qui est benedictus in sæcula, qui est gloriatio mea, quia non te pertimescam, etiam si omni tempore hîc constiteris. Sic autem pro nihilo te spernam, veluti si vnus catulus contritus ab aliquo contemnatur. Hæc eo dicente, confestim ille (vt solebat) euanuit.

Psallit dæmon. — *Psal. 116.* — *Orationis vis contra dæmonem.*

Cap. XVI.

Rursus post dies quinque, cùm psalmodiam suam noctis tempore consummasset, aliud phantasiæ argumentum ab inimico confingitur. Ecce enim quasi turba plurima cernitur aduenisse: & velut trahentes inuicem, cum clamoribus se mutuò cohortantur, vt homo Dei in foueam proijceretur. Quos circumspiciens vir beatus, Circumdederunt me, inquit, sicut apes fauum, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini vindicabor in eis. Tunc satanas exclamans, ait: Heu heu me, quid tibi de cetero faciam nescio. Ecce enim me in omnibus victum ac superatum intelligo, & vniuersas vires meas esse despectas, & me vndique conculcatum. Verumtamen nec sic quidem à te aliquando discedam, donec superans, humilem te mihique subiectum faciam. Vir autem Dei ait ad eum: Anathema tibi & omni virtuti tuæ, pollutissime dæmon: gloria autem & honor Domino soli sancto ac sapienti Deo, qui nobis dilectoribus suis te tradidit conculcandum. & idcircò versutias tuas subsannamus atque contemnimus. Agnosce itaque infirmissime atque infelicissime dæmon, quia nos neque te, neque tuas pertimescimus phantasias.

Psal. 117. — *Victum se clamat satanas.*

Cap. XVII.

Per multum autem tempus diuersis argumentis ac machinis contra virum fortissimum dimicans, non quiuit cogitationibus eius solidissimis, saltem pauorem certans incutere. Magis autem præliando, alacritatem in eo & charitatem apud Deum maximam suscitabat. Diligens namque Deum ex toto animo, & conuersationem suam secundùm voluntatem eius instituens, affluenter gratiam diuinam promeruit: & propterea non valebat diabolus lædere eum. Perseueranter namque pulsauerat, vt ei thesauri diuinæ gratiæ panderentur. Cumque patefactus fuisset ingressus, tres sibi inde pretiosissimos lapides sumpsit, fidem, spem, & charitatem, quibus in eo perfectè ac firmiter virtutes reliquæ ornabantur. Texens quoque pretiosissimam coronam bonis operibus, Regi regum Domino, à quo munus acceperat, offerebat. Quis enim sic ex toto corde Deum & proximum tamquam seipsum dilexit? Aut quis ita laborantibus compatiebatur & misericors existebat? Quem aliquando monachum audiens benè conuersari, non pro eo deprecatus est Dominum, vt liber ab omnibus diaboli laqueis seruaretur, & cursum vitæ suæ inculpabiliter consummaret? Aut quem peccatorem vel impium audiens, pro eo, vt saluaretur, cum lacrymis diebus ac noctibus Dominum non postulabat? Et in omni tempore institutionis suæ non præteriuit eum sine lacrymis dies. Labia sua non soluebat facilè in risum. Non appropinquauit oleum corpusculo eius; facies, vel etiam pedes, à die conuersionis suæ numquam diluti sunt. Sic namque se exhibebat, tamquam quotidie moriturum.

Imperterritus aduersus dæmonis terriculamenta perstat. — *Fides, spes, charitas tres lapides pretiosi.* — *Corona bonorum operum.* — *Lucæ 10.* — *Faciem pedesque numquam lauit.*

Cap. XVIII.

O verè, fratres, gloriosum miraculum, in tantâ abstinentiâ, iugibusque vigilijs, fletibus mixtis,[13] chameunijs quoque & contritione corporis numquam omnino lassatus est, numquam infirmatus segnitiâ obtorpuit, numquam tædio fatigatus est: sed veluti esuriens quisquam aut sitiens, sic ille auiditate quadam sustinens omnia, numquam sui propositi potuit mens eius dulcedine satiari. Erat autem adspectus eius quasi flos quidam immarcescibilis, atque in facie eius puritas animi noscebatur. Sed & totum corpusculum eius, quasi nihil egisset, validum ac robustum apparuit, vtpote qui diuinâ gratiâ in omnibus frueretur, & iucunditate

Animi puritas ex facie noscebatur.

spiritalis lætitiæ potiretur. In horâ namque dormitionis suæ ita splendidissimus vultu apparebat, quasi qui nequaquam vitæ suæ tempus in abstinentiâ peregisset. Sed & aliud in eo per dispensationem miraculum gestum est. In omnibus siquidem quinquaginta annis abstinentiæ suæ, vestem ciliciam, quâ indutus fuerat, non mutauit.

Quinquaginta annorum spatio cilicium non mutauit.

Reliqua de Vitâ Abrahæ & eius nepte, vide infrà inter Vitas Feminarum.

NOTATIO.

1 ABRAHÆ.] *Memoria huius habetur in Ecclesiasticis tabulis. Ita enim Martyrologium Romanum* XVI. *Martij:* In Syriâ S. Abrahæ eremitæ, cuius res gestas beatus Ephraim diaconus conscripsit. *Menologium Græcorum* XXIX. *Octobris:* Natalis S. Patris nostri Abrahami. *Fusiùs eodem die in Menæis, vbi & Maria neptis eius iungitur.*

2. EPHRAIM.] *Auctor hic Actorum S. Abrahæ, vt MSS. præferunt, & editio Coloniensis: quæ etiam hoc auctore habes apud Lipomanum tomo* II. *qui ea ex Vitis Patrum editionis Coloniensis desumpsit. Nam quæ in alijs editionibus habentur, in fine decurtata sunt. Desunt enim tria vltima capita post Vitam Mariæ neptis Abrahæ, quæ ibidem huic iuncta est. Meminit eiusdem idem Ephraim in libello, qui* Testamentum Ephraim *inscribitur.*

Metaphrastes quoque eiusdem res gestas fusiùs enarrauit, quas habes apud Lipomanum tomo VI. *& Surium tomo* II.

Meminit de Abraham S. Ephraim discipulo Sozomenus libro III. *cap.* XV. *& Nicephorus lib.* IX. *capite* XVI.

3. INTERPRETE ANONYMO.] *Eadem hæc Acta ex nouâ Gerardi Vossij interpretatione prodiêre his proximè elapsis annis, inter opera beati Ephraim tomo* III.

CAP. I. 4. DESPONSAVERVNT EI PVELLAM ADHVC IN PVERITIA CONSTITVTO.] *Saltem septennes esse oportebat, vt contraherent sponsalia, vt notat Barnabas Brissonius de ritu nuptiarum. Modestinus IC. lib.* IV. *differentiarum L. In sponsal. D. De ritu nupt.* In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, vt in matrimonijs. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt; si modò id fieri ab vtraque personâ intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septem annorum. *quæ verba certam nominatim sponsalibus contrahendis præscriptam ætatem non fuisse significant.*

Quamquam quod ad legis Papiæ præmia attinet, ea demum sponsalia probari admittique Augustus constituit, quibus biennio pòst iustæ ac legitimæ nuptiæ accedere possent. vt proinde minores natu decem annorum virgines frustrà sponsæ haberentur. Cuius rei constituendæ caussa fuit, quòd sponsaliorum obtentu, quæ ad exitum & effectum breui perduci per sponsarum immaturam ætatem non poterant, Legi fraudem fieri animaduertisset. Dio libro LIIII. *in Actis anni* DCCXXXVI. Ὡς δ' οὖν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς τῶν γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν μεθ' ἣν οὐ δυοῖν ἐτοῖν διελθόντοιν γαμήσει τις· τουτέστι δεκέτιν πάντως ἐγγυᾶσθαι, τόν γέ τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντα. δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις εἰς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη, καθάπερ εἶπον, νομίζεται. *Quæ verba ita Brissonius reddidit, quòd ea ab interprete Xylandro minùs fideliter & planè versa essent:* Quoniam autem quidam infantes puellas despondentes præmijs quidem coniugum fruebantur, ceterùm effectum rei & coniugum opus non præstabant; ea sponsalia vires nullas habere constituit, post quæ duobus transactis annis sponsa duci minimè posset: hoc est vt omnino decennis virgo desponderetur, siquidem ex eâ commodi quid sponsus capere vellet. Duodecimo namque anno virgo matura viro, & nubilis, vt iam antè dixi, existimatur. *Quæ adducit etiam ijsdem penè verbis Zonaras tom.* II. *Annalium, & mentem Dionis clarè proponit. Hoc ipsum strictim tangit Suetonius Augusti cap.* XXXIV. Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebrâ mutatione vim Legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctauit. *Quò pertinet Caij locus L. pen. D. De sponsal. quem ex eius lib.* I. *ad L. Iuliam & Papiam Pandectarum concinnatores delibarunt:* Sæpè iustæ ac necessariæ caussæ non solùm annum vel biennium, sed etiam triennium aut quadriennium, & vlteriùs trahunt sponsalia: veluti valetudo sponsi sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt. *Vide etiam Cuiacium libro* XVI. *Obseruat. cap.* XXXV.

5. PROPINQVABILE.] *Aliàs*, propinqui habile. *Tunc delendum*, memorari parentes.

6. DIE SEPTIMO.] *Ita MS. Audomarensis, & Metaphrastes. Deest impressis. Exprimitur hic ritus quarumdam gentium septem diebus nuptias celebrantium: Gen.* XXIX. *v.* 27. *de nuptijs Iacob & Liæ:* Imple hebdomadam dierum huius copulæ. *Iudicum* XIV. *v.* 12. Quòd si solueritis mihi intra septem dies conuiuij. *& v.* 17. Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum. *Tobiæ* VIII. *v.* 23. Adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se. *Nempe, ait Serarius noster, epulum nuptiale in decimum quartum diem porrigitur, propter duplicatam scilicet lætitiam ob nuptias & demonium illud expulsum. Augustinus q.* LXXXIX. *in Genesim:* Quòd ait, Consumma septimanam istius; ad nuptiarum celebrationem pertinet, quæ septem diebus celebrari solent. *Hieronymus Tradit. in Genes.* Dicitur ei à socero Laban, vt septem dies pro nuptijs prioris sororis expleat. *Obtinuit is mos apud Orientales, & apud Iudæos etiamnum seruatur. Ex hac Vitâ colligitur etiam, viguisse apud Ægyptios.*

7. CAVCVM.] *Ita MS. Audomarensis: uti & hic infrà cap.* XV. *Editiones*, catinum. *Vsurpatur hæc vox tum à Græcis, tum à Latinis. Glossæ Græcolatinæ*, Καῦκα, patera. *Suidas:* Καυκίον παρ' ἡμῖν, κάλιξ δὲ παρὰ σοφοῖς. Quòd vulgò caucium, doctioribus dicitur calix. *Marcellus Empiricus cap.* XXV. Vermis terrenus exfoditur, & in ligneo cauco ponitur, si fieri potest, fisso, & ferro illigato. *Hieronymus libro* II. *contra Iouinianum cap.* IX. Quodam verò tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concauâ bibere. *Ita ibi legen-* CAP. III.

dum

dum esse, ex MS. monui suprà ad Vitam S. Pauli primi eremitæ cap. XIV. n. 55. Vide Onomasticon.

8. PSIATHIVM.] *Frequens hæc dictio apud Asceticos scriptores de lecto & mattulâ Ascetarum. Hac eadem Vitâ cap.* XIV. *pro* psiathio *alia editio habet* mattulam. *Vide dicta ad Vitam Pachomij cap.* XLIII. *n.* 40.

9. ABSTINENTIÆ SVÆ REGVLAM &c. NON MVTANT.] *Ephraim sermone ascetico siue de vitâ monasticâ:* Sancti probatissimique olim Patres, iactis firmiter vnius regulæ fundamentis, canonem, quem semel arripuerant, ad finem vsque vitæ retinuerunt. Nam alij quinquaginta annis, alij pluribus, &c. *Idem sermone parænetico de Aduentu Domini:* Canonem vnum retine, sicut etiam sancti fecerunt Patres, qui ad quinquaginta & vltra annos non mutarunt canonem ac regulam.

CAP. V. 10. PER IMPOSITIONEM MANVS PRESBYTER ORDINATVS.] *Ita ab ipsis Apostolorum temporibus ordinatio præsbyterorum manuum impositione seu* χειροθεσίᾳ *est facta:* 1. *Timoth.* IV. *v.* 14. & V. *v.* 22. *Vide Onomasticon.*

11. ENEI] *Ita scribendum & legendum. Hactenus editum* ænei. *quod etsi intelligi possit, quòd instar æris præ stupore diriguerint; non tamen ita scribit Auctor. Græcè est* ἐνεοί. *Est autem Græcis* ἐνεὸς perculsus. *Hesychius:* ἐνεοί, ἐκπληκτοι. *Vide Onomast.*

12. CVM MAGNA PHANTASIA.] *Id est, apparatu. Nicephorus libro* XI. *cap.* XVIII. *de Valente Imperatore:* Cùm autem Epiphaniorum festus dies adesset, cùm vniuersâ, quam secum habebat phantasiâ, inanique & splendidâ pompâ in Ecclesiam venit. *Græcè est*, σὺν τῇ πάσῃ αὐτοῦ φαντασίᾳ. CAP. XI.

13. CHAMEVNIIS] *Ita legendum. Quæ vox etiam in manuscripto sæpè deprauata est. Vetus editio habet*, cammenijs. *Colonensis*, caumenijs. *Quod postremum ortum ex transpositione litterarum, quæ in quibusdam vocibus valde solemnis fuit.* CAP. XIII.

VITA SANCTI BASILII CAESAREAE CAPPADOCIAE ARCHIEPISCOPI

1. IAN.

AVCTORE AMPHILOCHIO ICONII EP. INTERPRETE VRSO S.R.E. SVBDIACONO.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

BEATI *Basilij, Cæsareæ Cappadociæ præsulis, Vitam me in Latinam vertisse dictionem, secundùm postulationem tuam, cognosce. Neque enim inobediens esse tibi debeo, qui omnibus fratribus meis & proximis debitor sum. Sed vtinam tam benè quàm promptè, tam vtiliter quàm feliciter, quod postulasti, fuerim executus: præsertim cùm necessariò super hoc fueris exhortatus, & vt tantus vir apud Latinos, quemadmodum apud Græcos, celebris habeatur, iure sategeris. Denique licet eius quædam salutifera scripta sermo Latinus habeat, vita tamen illius quàm sit admirabilis hactenus ignoratur. Et certè satis incongruum est, quod docuerit sciri, & quid fuerit operatus nesciri. cùm sanctus Vir (vtpote imitator illius, de quo Lucas scribit, quia cœpit Iesus facere & docere) non* ACT. 1. *solùm verba Dei docebat homines, sed, vt magnus vocaretur in regno cælorum, anteà faciebat. Fruere igitur salubriùs doctrinis eius: & ne fortè dicas illum docuisse & non fecisse, iam nunc scies quia fecit quod docuit, & de cetero habebis quod imiteris.*

Licet antè hoc opus ego non præsumpserim aggredi, putans, vt ipse nosti, ab alio iam translatam, in quo meritò ipse me reprehendi. Numquidnam quia Scripturam sacram quidam interpretati sunt, idcircò posteriores interpretes hanc minùs interpretati sunt? Si hoc esset, eamdem sacram Scripturam Latinitas ex ipso Hebraico fonte per beatum [4] Hieronymum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, & diuinæ Bibliothecæ cultorem, hactenus non hausisset.

Verùm diligenter inquirens, nihil scriptum de vitâ huius Sancti apud Latinos inueni, [5] nisi duo miraculorum eius, id est, de puero Christi negatore liberato, & muliere à peccatis ereptâ: quæ tamen adeò deprauata reperi, vt rursus ea interpretari quàm emendare maluissem.

Sanè notandum est, quia cùm quidam legunt in his actibus, quæ sanctus Amphilochius scripsit, discrepasse autumant ab his, quæ S. Gregorius Nazianzenus [6] in epitaphio huius magni viri commemorat: cùm alter fortè tacuerit, quòd alter non tacuit, idipsum nobis inter Euangelistas reperientibus. Præsertim cùm & idem Amphilochius, qui super tanti viri vitâ scripserint, hæc expositurus aptè designet.

PROLOGVS AVCTORIS.

CHARISSIMI, non inconueniens erat, sed iustum, deuotos filios super obitu patrio contristari, & ei dona lacrymarum offerre: quod hactenus compatienter egimus. At verò postquam luctus turbinem, secundùm quod scriptum est, deposuimus, ad gratificam supplicationem omnium Domino Christo Deo nostro rependendam commoti sumus; operæpretium duxi, tam memorabilem Vitam, quàm vera miracula pastoris & magistri nostri Basilij, ne diutino transcursu temporis obliuioni profundæ tradantur, scripturæ fore mandanda.

Vita Basilij à varijs scripta. Tribus enim sacratissimis & egregijs viris, [7] Gregorio videlicet, qui in Theologiâ claruit, & [8] Gregorio memorabili Nysseorum ciuitatis Episcopo, sed & [9] beato Ephræm, alijs atque aliter sermonibus epitaphicis tantum virum fulgidum exhibentibus: visum est & mihi tamquam abortiuo, *1. Cor. 15.* vt cum Apostolo dicam, cùm præ manibus accepissem narrationes, quæ ab vtrisque admirandis viris editæ sunt, ea quæ his deesse videbantur suppleui, *Omissa ab alijs Amphilochius supplet.* more scilicet deuoti filij debitum patri repræsentantis, de sursum quædam, vt æstimari potest, assequentis, & certam scientiam percipientis. Nouit enim, nouit nubes abscondere solem, & morosus bonarum narrationum transcursus facilè introducit obliuionem.

Magnus igitur exstitit pastor noster, & famosus mundo Basilius cælestium virtutum consermocinator, Angelorum ordinum comminister, prædicabilis Ecclesiæ Doctor, incorrupta dogmatum orthodoxorum columna; qui naturam existentium enucleatiùs explanauit, qui pessimum Trinitatis [10] apostatam Iulianum deposuit, [11] qui Valentis os blasphemum obstruxit, qui Arrianorum expressè nequissimum errorem deuastauit, qui Christianorum liquidò stabiliuit rectam opinionem. Pastor acceptabilis Ecclesiæ populi, regalis sacerdotij consors, circumamictus veritate Christi, ouium aries, diuinæ fidei magister inclytus: *Varia sancti Basilij elogia.* qui & viuens & post obitum magnis coruscauit miraculis, qui Deo odibilis Iuliani, vt dictum est, extollentis in altum cornu, & loquentis aduersus Deum iniquitatem, corruptionem oratione suâ parauit. Intereà Valens accipiens indignè Imperialem purpuram, & Arrianorum nequam sensui patrocinium præstans, venit ad illustrem, quæ apud nos est, Cæsaris vrbem. Verùm qualiter, vel quâ caussâ, non est præsentis temporis enarratio. Sed ad propositum redeamus, virtutes illius, quas à vuluâ vsque ad finem habuit, narraturi.

VITA.

BASILIVS solus super terram æqualitatem ostendit, vitam videlicet operibus decoratam, & sermonibus diuinæ sapientiæ illustratam, omnia Christo dans, *CAP. I.* animam & corpus, [12] verborum palmas. propter quod & gentilem errorem vt araneorum telas dirupit. Hic septem annorum factus, ad litteras traditur à parentibus: *Septennis litteris traditur.* vacans autem in Mathematicis quinquennio, fructificabat plurimùm in philosophicâ disciplinâ, naturæ mansuetudine. *Duodennis est philosophus.* Rursus relictâ

lictâ patriâ, Cappadox enim erat genere, peruenit ad matrem sermonum, id est, [13] Athenas, & castitate seu multâ continentiâ & temperantiâ decenter ornatus, adhæret præceptori Græcorum sapientiæ, [14] Eubulo nomine, & ita sese disciplinis tradidit, vt eum tam præceptores quàm condiscipuli imitarentur. Erant enim huius cooperatores, magnus Gregorius Nazianzenus episcopus, [15] qui throni Apostolici gubernacula per duodecim moderatus est annos, & Iulianus, qui ad breue tempus Christianus fuit, atque [16] Libanius. Hic autem præ omnibus admirabilis vir posuit in corde suo non participari pani vel vino, donec ex supernâ prouisione sapientiæ penetraret arcana. Moratus autem in eruditionibus quindecim annos, & omnem gentilem philosophiam transcurrens, in fine Astronomiam quoque ac Geometriam, & optima quæque legens, cùm nullo modo valuisset per ea inuenire omnium conditorem, quadam nocte vigilante illo, diuinus quidam splendor insit, vt transcurreret nostræ religionis scripturam.

Præceptor eius Eubulus.

Condiscipuli eius Gregorius Nazianzenus, Iulianus, Libanius.

15. annis operam dedit studijs.

Diuinitus monetur sacram Scripturam legere.

[17] Surgens ergo properauit Ægyptum, & accedens ad quemdam Archimandritarum, nomine [18] Porphyrium, petiuit dari sibi sacros libros ad perceptionem diuinorum dogmatum. Et hoc percepto mansit illic, dans operam meditationi diuinorum eloquiorum, aquâ & oleribus educatus. Anno verò integro ibidem moratus, & veritatis rationem fide considerans, perseuerauit scrutatus verbum veritatis, & petiuit se dimitti [19] Ierosolymam causâ orationis iturum, & illic miracula inspecturum: qui exoratus dimisit eum.

Abit in Aegyptum ad Porphyrium Archimandritam.

Aquâ & oleribus victitat.

CAP. II. Rediens autem illò, vbi Græcorum institutus est philosophiâ, cœpit persuadere multis philosophis & multitudini Gentilium ostendere Christum, demonstrans illis viam salutis. Requirebat verò & præceptorem suum Eubulum (qui erat dux verbi) in vicissitudinem studiorum, quibus ab ipso fuerat institutus, ad trahendum eum & inclinandum immaculatæ fidei, vtpote ipse benè currens ad eam. Omnesque docebat, qui philosophiâ imbuti erant, illum sequi quasi magistrum. Requirens autem eum in omnibus scholis, inuenit [20] in proastio cum philosophis. nihil erat enim apud eos studij quàm dicendi quid ac audiendi nouum. Disputante autem illo, reprehendit eum astans Basilius. Et quidam eorum, qui cum ipsis erant, dixit: Reprehendit te quis, ô philosophe. Qui ait: Aut Deus, aut Basilius. Recognoscens ergo eum, & hos qui secum erant dimittens, aderat cum Basilio, & tribus diebus ieiuni perseuerantes, quæstiones inuicem proponebant. Interrogauit itaque Eubulus Basilium: Quæ est definitio philosophiæ, Basili? Qui ait: Prima definitio philosophiæ, meditatio mortis. Ille verò admirans, ait: Quis est mundus? ait: Qui est super mundum. Et dulces quidem sunt mundi sermones, ipse verò mundus vehementer amarus; si quis hunc vitiosè retineat. & alia est voluptas corporis, & alia incorporalis naturæ. Et pariter hæc cuiquam inesse impossibile constat. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Verùm, quantum virtus suppeditat, frangimus esurientibus panem scientiæ, & eos, qui per malitiam quorumdam sine tecto sunt, per virtutem ducimus sub tectum. Si verò eum nudum videmus, amictu circumdamus, & domesticos seminis non despicimus. Cumque dixisset hæc, imaginans ei parabolicè Saluatoris nostri misericordiam, quam circa nos per pœnitentiam operatur, [21] tres tabulas sensim proponit in prosoribus mentis, vnam quidem in superioribus portarum virtutes ferentem, Prudentiam videlicet, Fortitudinem, Temperantiam, & Iustitiam. In sinistrâ verò parte Seductionem. Porrò hinc & indè Intemperantiam, Profanationem, Linguositatem, Suasionem, & huiuscemodi examen malorum. Pœnitentiam autem decenter astantem intrepidam, hilarem, lenem, & contrarijs quidem aduersantem, populo verò bona omnia imprecantem. Præterea iuxta hanc, Abstinentiam, Sagacitatem, Clementiam, Pudicitiam, Pudorem, Humanitatem, & multorum bonorum plebem. Sensus verò huius historiæ videntibus quidem est monitio, audientibus autem zeli potioris occasio. Hæc & ipse ego videns delectatus sum, & in hoc ductus sum, ô Eubule. Sunt quippe in nobis non imagines neque ænigmata, sed ipsa liquidò veritas ad salutem adducens. Resurgemus enim omnes, hi in vitam æternam, hi in opprobrium & confusionem perpetuam: & adstabimus ante tribunal Christi, quemadmodum docent nos magniloqui prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & Dauid rex, & egregius Paulus. Et post hos ipse Dominus pœnitentiæ dator, & huius recompensator, qui ouem perditam requisiuit, qui recedentem à paternis finibus cum multis diuitijs puerum, & his luxuriosè consumptis posteà redeuntem, fame tabefactum, germanè amplexus est, & adornans fulgidâ stolâ & annulo ac vestibus pretiosis, suadet nihil puero peccanti, non sæuire, sed veluti fratri veniam dare: sic absque inuidiâ Dominus excellens bonitatem æqualem his, qui circa vnde-

Conatur præceptorem & condiscipulos ad fidem adducere.

Eubuli de Basilio testimonium.

Prima definitio philosophiæ, meditatio mortis.

Matth. 6.

Tribus velut Cebetis tabulis mentem parabolicè instruit.

Resurrectionem docet.

2. Cor. 5.

Matth. 18

Lucæ 14.

LIVS, Matth. 20. vndecimam horam venerunt, mercedem dat. Ipse & nobis pœnitentibus, & resipiscentibus, ex aquâ & Spiritu sancto regenerationem donabit, quia nec oculus vidit, nec 1. Cor. 2. auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus diligentibus se. Horum ergo sensu intellecto Eubulus ait: O Basili, cælestis Trinitatis assertor, per te credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, & cetera, expectans resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, amen. Opere autem ostendam tibi fidem, quæ in me est: quoniam omnibus, quæ mihi adsunt, in manibus tuis datis, residuo vitæ meæ tempore, si placitum in conspectu Dei fuerit, tecum ero, susceptâ ex sanctâ aquâ seu Spiritu regeneratione. Ait autem Basilius: Benedictus Dominus Deus noster, ex hoc nunc & vsque in sæculum, ô Eubule, qui illustrauit lumen verum in mente tuâ, & transtulit te à multorum errore deorum in agnitionem misericordiæ suæ. Porrò si, vt fassus es, mecum pariter esse vis, ostendam tibi quo saluti nostræ modo prouideamus, à vinculis istius sæculi liberandi. Venumdemus omnia quæ nobis insunt, & tribuamus egenis, sicque demum ad sanctam ciuitatem pergamus, inspectores per nos efficiendi patratorum ibidem miraculorum, & acquiramus fiduciam apud Deum. Taliter itaque ambo rebus suis piè distributis, sola ex his indumenta, quæ sancto Baptismati præparari solent, ementes, Ierosolymam tendunt, conuertentes ad Dominum Gentilium multitudinem copiosam.

Eubulus ad fidem Trinitatis conuertitur, & Baptismum expetit.

Basilius & Eubulus societatem ineunt.

Bona sua piè erogãt.

Hoc Caput sequẽs deest in Vitis-Patrũ.

CAP. III. *Antiochiã perueniũt.*

Peruenientes verò ad Antiochi vrbem, diuerterunt ad receptaculum quoddam. Filius autem hospitis, nomine Philoxenus, sedebat præ foribus in meditatione multâ: erat autem hic discipulus Libanij sophistæ, à quo susceperat versus Homericos ad transferendum eos in Rhetoricos. Et cùm in multâ tribulatione consisteret, laborando deficiebat: quem aspiciens Basilius dixit ad eum: Quare ita tristis es, adolescens? ait: Quæ mihi vtilitas erit, si dixero tibi? Perseuerante autem Basilio, & ei prodesse pollicente, dixit ei tam sophistam, quàm etiam versus, & quia propter hoc laboro. Qui susceptis versibus cœpit dicere horum translationem. At vero adolescens stupefactus pariter & gauisus, in scriptis exponi eam rogauit. Qui scripsit horum solutionem in tribus editionibus: puer autem suscepit eos gaudens, & diluculò pergit ad Libanium, & dat ei versuum enucleationem. Accipiens autem Libanius, & consternatus super translatione, dixit: Per diuinam prouidentiam nullus præsentium sapientum tale quid potest interpretari. Vnde ergo est horum innouator? ait puer: Peregrinus quidam veniens ad hospitium meum, paratissimè dissetuit mihi horum dissolutionem. Nihil ergo negligens Libanius, cursim ad hospitium venit, & videns Basilium vnà cum Eubulo, & recognoscens eos, obstupefactus est pro insperato vtriusque aduentu. Rogauit autem eos diuertere in domum suam; & hoc consecutus, rogauit etiam, vt suauem seu conditam sumerent escam. Qui pane & aquâ secundùm consequentiam, quæ ab ipsis tenebatur, mensuratè perceptis, gratias egerunt Deo, & omnium datori bonorum. Paratissimè itaque Libanius cœpit cum ijs quærere, ac protendere verbositates Rhetoricas. Illi autem proposuerunt ei de fide sermonem. At verò Libanius sentiens quæ dicebantur: Nondum est, inquit, tempus huius operationis: cùm autem iusserit superna prouidentia, non est qui resistat. Sed quia in maximis mihi profuisti, ô Basili, disputare quoque ad nouitios meos ne dedigneris. Qui celeriter congregatis iuuenibus, docebat eos munditiam animæ & impassibilitatem corporis, gressum mitem, vocem temperatam, sermonem ordinatum, cibum & potum imperturbabilem, coram senioribus silentium, ante sapientiores auditionem, circa prælatos subiectionem, circa æquales seu minores charitatem non fictam, pauca effari, plura verò intelligere: non exasperari sermone, non superabundare loquelis, non esse promptos ad risum, pudore ornari, cum mulieribus impudicis non colloqui, deorsum visum habere, sursum animam, fugere contradictiones, non didascalicam sequi dignitatem, nihil æstimare à quibuscumque collatos honores. Quòd si quisquam vestrûm aliis etiam prodesse potest, à Deo mercedem expectet, & æternorum bonorum vicissitudinem à Christo Iesu Domino nostro. His dictis Basilius ad discipulos Libanij, & miris ab omnibus laudibus cumulatus, vnà cum Eubulo carpebat iter.

Basilius puero anxio thema dictat.

Libanius Basilium & Eubulũ ad lautam mensam inuitat.

Lautitiam respuunt.

Pane & aquâ viuũt.

Basilius Libanij discipulos ad omnia honesta hortatur.

CAP. IV. *Ierosolymã sacra loca lustrant.*

Cumque Ierosolymam peruenissent, & omnem locum sacrosanctum fide & amore perlustrassent, & in eis Deum, qui super omnia est, adorassent, manifesti facti sunt episcopo ciuitatis, nomine [22] Maximino. Et huic procidentes, postulauerunt adipisci diuinam regenerationem [23] in Iordane flumine. Quos intuens sanctus hic vir Dei, gratiâ plenus, adimpleuit petitionem ipsorum, & vnà cum fidelibus viris venit ad Iordanem. Cùm autem Basilius accessisset ad ripam, proiecit se super humum, & cum lacrymis & clamore valido petebat signum suæ fidei reuelari. Et mox cum tremore consurgens deponit

Postulant Baptismũ ab episcopo Ierosolymitano.

deponit vestimenta sua, & cum eis procul dubio veterem hominem, sic demum descendens in aquam orabat: & accedens sacerdos baptizauit eum. Et ecce fulgur ignis præfulsit eis, [24] & columba ex eo veniens descendit in aquam, & turbatâ aquâ conuolauit in cælum; hi verò qui astabant tremefacti glorificauerunt Deum, baptizatus autem Basilius exiuit ab aquâ. Admirans autem Maximinus Basilij dilectionem quam in Deum habebat, & oratione fusâ super eum induit vestibus resurrectionis Christi. Baptizauit autem & Eubulum, [25] & vngens etiam sancto chrismate, tradidit viuificam Communionem, & rogauit Basilium Dei sacerdos post orationem sumere cibum, quod & fecit dicens: Domine Iesu Christe Deus noster, ita credo Euangelicæ voci tuæ, & spero in benignitate tuâ, ait, mâducans & bibens, vincam resistentem nobis diabolum cooperatione Spiritus sancti tui. Stupefactus autē sacerdos Dei in fide illius, reuersus est cum eis in sanctam ciuitatem.

Baptismus Basilij fulgure & columbâ firmatur. *Baptizatur Eubulus.* *Chrisma & Communio post Baptismū.*

Anniuersario verò tempore illic demorantes, communi consilio venerunt Antiochiam, & Basilius [26] à Meletio eiusdem vrbis episcopo ad diaconij ordinem promotus, [27] & Prouerbiorum sermonem interpretatus, multâ est admiratione prouectus.

Reuertuntur Antiochiam. *Basilius à Meletio diaconus creatur.* *Scribit in Prouerbia.*

CAP. V.

Pòst non multo tempore transacto, properauit vnà cum Eubulo ad Cappadocensium regionem; & cùm iam iamque ingressuri essent Cæsariensium ciuitatem, in visione noctis reuelatus est tunc episcopo ipsius vrbis, [28] Eusebio nomine, horum aduentus, & quòd Basilius eius esset futurus successor. Qui expergefactus vocauit principem ecclesiasticæ administrationis, & quosdam venerabilium clericorum, & misit eos ad Orientalem portam vrbis, dicens eis visionem: cumque irent ad portam, obuij fuerunt eis, cùm ingrederentur. Quos videntes & agnoscentes rogauerunt vt ascenderent ad episcopum. Cumque intrarent, intuitus eos sanctissimus episcopus, & stupefactus in similitudine visionis, Deo gratias egit. Interrogauit autem vnde venirent, & quò abirent, & quæ eorum essent vocabula, & discens, dixit diaconibus præbere quæ ad requiem eorum congruerent: qui adducentes eos [29] ad insigne habitaculum, omnia obtulerunt ad suauitatem eorum. Eadem autem horâ aduocans sanctissimus vir lectissimos cleri & ciuitatis, enarrauit eis ea, quæ à Deo fuerant sibi reuelata. Qui vnâ voce dixerunt: Veraciter & hoc digna est munda vita tua, vt diuinitus de cælo reuelaretur is, qui post te futurus est pontificalem thronum ornare. Vnde nihil hæsitans fac quod tibi videtur. Episcopus autem aduocato Basilio vnà cum Eubulo, cœpit scrutari cum eis sacras Scripturas: & admirans pelagus sapientiæ, quæ inerat illis, & habitis eis idoneis assistoribus; non post multum temporis obijt. Conuenientes ergo episcopi ad [30] Synodum, cum operatione Spiritus sancti eligunt Basilium ad thronum episcopalem. Qui videlicet consecratus gubernabat Ecclesiam Dei prouidentiâ.

Redit cum Eubulo in Cappadociam. *Eusebio Cæsariensi episc. eorum aduentus diuinitus innotescit.* *Honorificè ab eo excipiuntur.* *Basilius Cæsariensium episcopus creatur.*

CAP. VI.

Post aliquod verò tempus postulauit à Deo, quò concederet sibi gratiam sapientiæ & intellectus, vt offerret per propria verba sua incruentum Deo sacrificium, & veniret in præsentiam sancti Spiritus: & post sex dies, velut in excessu mentis aduentu Spiritus sancti factus, septimo die cœpit ministrare Deo per singulos dies, & post aliquod tempus fide ac oratione multâ, inchoauit propriâ manu scribere Missæ mysteria. & quadam nocte astans ei Dominus in visu cum Apostolis propositionem panis faciens in sancto altari, erexit Basiliū, dicens ei: Secundùm petitionem tuam repleatur os tuum laude, vt per propria verba tua incruentum offeras sacrificium. Qui non ferens oculis visionem, surrexit tremefactus, & accedens ad sanctum altare cœpit dicerè ac scribere in chartâ, ita: [31] Reple os meum laude, vt laudem gloriam tuam Domine Deus, qui creasti nos, & adduxisti ad vitam hanc; & reliquas sanctæ Missæ orationes. Et post finem orationum [32], exaltauit panem, prolixè orans & dicens, Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, & hîc nobiscum inuisibiliter ades, & dignare potenti manu tuâ tribuere nobis & per nos omni populo sancta sanctis. Populus respondit: Vnus sanctus, vnus Dominus IESVS Christus cum sancto Spiritu in gloriâ Dei Patris, Amen. Et diuidens panem in tres portiones, vnam quidem suscepit cum timore multo, aliam verò seruauit [33] ad consepeliendum sibi, tertiam autem positam [34] super columbam auream, suspendit super altare. Eubulus autem & cleri princeps simul præ foribus templi stantes, videbant lumen intelligibile in templo, & homines clarissimè candidatos, & vocem populi glorificantis Dominum, & Basilium altari astantem: & consternati super visione, ceciderunt in faciem, cum lacrymis glorificantes Dominum. Cùm autem exisset Basilius, ceciderunt ad pedes. Qui interrogauit caussam adorationis & aduentum eorum. Illi verò dixerunt gloriosissimum miraculum, quod viderunt in templo. Tunc Basilius extensè gratias agens

Quotidie Missam celebrat. *Diuinitus edoctus Liturgiam scribit.* *Eleuatio Hostiæ sacræ in Eucharistiâ.* *Hostiam sacram in tres partes diuidit.* *Clarissimo lumine & Angelis circumdatur Basilius sacrificans.*

Incolumbâ super altare suspensâ Eucharistiâ asseruatur.

agens Domino, enarrauit gloriosissima. Et aduocato aurifice, fecit columbam de auro mundissimo, & in eâ posuit portionem, suspendens super sanctam mensam, instar sanctæ illius columbæ quæ apparuit in Iordane Domino baptizato. Hoc autem facto, repromisit sermonem exhortationis se dicere ad populum: & collocata est infinita multitudo in ecclesiâ, inter quas erat vir magnus, Dei cultor [35] Ephræm, de quo postmodum enarrabimus, qualiter ex apparitione diuinâ inspector factus fuerit memorandi Basilij.

CAP. VII.

Hebræo in Eucharistiâ infantulus apparet.

Itaque cùm diuinum celebraretur officium, [36] Hebræus quidam, vt Christianus, se populo miscuit, ordinem officij & donum Communionis explorare volens, & videt infantulum membratim incidi in manibus Basilij: & communicantibus omnibus venit & ipse, & data est ei in veritate caro: deinde adest & calici, qui erat sanguine plenus, & ipsius particeps est effectus. Atque ex vtroque conseruatas reliquias pergens in domum suam, ostendit vxori suæ, ad confirmationem eorum quæ dicebantur, enarrans quæ proprijs viderat oculis. Credens ergo quòd reuerà horrendum sit & gloriosum Christianorum mysterium, in crastinum adit Basilium supplicans ei, quò sine dilatione acciperet in Christo signaculum. qui nihil negligens, solitas grates ei, qui omnes vult saluari, referens, baptizauit eum cum omni domo suâ credentem in Dominum.

Credit Hebræus & baptizatur.

CAP. VIII.

Helladius Basilij successor.

[37] Helladius autem sanctæ recordationis, qui inspector & minister fuit miraculorum quæ ab eo patrata sunt, quique post obitum eiusdem Apostolicæ memoriæ Basilij sedem illius suscipere meruit, vir miraculis & clarus, atque omni virtute ornatus, retulit mihi, quia cùm senator quidam fidelis, nomine [38] Proterius pergeret ad sancta & percolenda loca, & ibidem filiam suam [39] tondere, & in vnum venerabilium monasteriorum mittere, & sacrificium Deo offerre voluisset; diabolus, qui ab initio homicida est, inuidens eius religioso proposito, commouit vnum ex seruis eius, & hunc ad puellæ succendit amorem. Hic itaque cùm tanto voto esset indignus, & non auderet propositum saltem contingere, alloquitur vnum ex detestandis maleficis, repromittens illi, vt si fortè arte suâ posset illam commouere, multam ei auri tribueret quantitatem. at verò veneficus dixit ad eum: O homo, ego ad hoc impos existo: sed si vis, mitto te ad prouisorem meum diabolum, & ille faciet voluntatem tuam, si tu dumtaxat feceris voluntatem eius. Qui dixit ad eum: Quæcumque dixerit mihi, faciam. Ait ille: Abrenuntias, inquit, Christo in scriptis? Dicit ei: Etiam. Porrò iniquitatis operarius dicit ei: Si ad hoc paratus es, cooperator tibi efficiar. Ille autem ad ipsum: Paratus sum, tantùm vt consequar desiderium. Et factâ epistolâ, pessimæ operationis minister ad diabolum destinauit eam, habentem dictatum huiusmodi: Quoniam domino & prouisori meo oportet me dare operam, quò à Christianorum religione discedant, & ad tuam societatem accedant, vt compleatur portio tua; misi tibi præsentem, meas deferentem litterulas, cupidine puellæ sauciatum. Et obsecro vt huius voti compos existat, vt & in hoc glorier, & cum affluentiori alacritate colligam amatores tuos. Et datâ ei epistolâ, dixit: Vade tali horâ noctis, & sta supra monumentum alicuius pagani, & erige chartam in aëra, & adstabunt tibi, qui te debent ducere ad diabolum. Qui hoc alacriter gesto, emisit miserrimam illam vocem, inuocans diaboli adiutorium: & continuò adstiterunt ei principes potestatis tenebrarum, spiritus nequitiæ, & suscepto qui fuerat deceptus, cum gaudio magno duxerunt eum vbi erat diabolus, quem & monstrauerunt ei super excelsum solium sedentem, & in gyro eius nequitiæ spiritus circumstantes: & susceptis venefici litteris, dixit ad infelicem illum: Credis in me? Qui dixit: Credo. Dixit ei diabolus: Tergiuersatores estis vos Christiani, & quidem quando me opus habetis, venitis ad me; cùm autem consecuti fueritis affectum, abnegatis me & acceditis ad Christum vestrum, qui, cùm sit bonus atque misericors, suscipit vos. Sed fac mihi in scriptis tam Christi tui & sancti Baptismatis voluntariam abrenuntiationem, quàm in me per sæcula spontaneam repromissionem, & quia mecum eris in die iudicij simul perfruiturus æternis supplicijs, quæ mihi sunt præparata. At ille exposuit propriæ manus scriptum, quemadmodum fuerat expetitus. Rursusque ille corruptor animarum draco destinat [40] dæmones fornicationi præpositos, & exardescere faciunt puellam ad amorem pueri, quæ proiecit se in pauimentum, & cœpit clamare ad patrem: Miserere mei, miserere: quia atrociter torqueor propter talem puerum nostrum. Compatere visceribus tuis, ostende in me vnigenitam tuam paternum affectum, & iunge me puero, quem elegi. Quòd si hæc agere nolueris, videbis me amarâ morte post paululum mortuam, & rationem dabis Deo pro me in die iudicij.

Proterij famulus filiam heri deperit.

Maleficum consulit.

Abrenuntians Christo, diaboli operam quærit.

Malefici ad diabolum epistola.

Ephes. 6.

Proterij famulus diabolo sistitur.

Chirographo Christum & Baptismi eiurans, diabolo fidem signat.

Inflammatur herilis filia in amorem famuli.

Pater

Dolet pater de filiæ dementatione.

Pater autem cum lacrymis dicebat: Heu mihi peccatori! quid est quod contigit miseræ filiæ meæ? quis thesaurum meum furatus est? quis filiæ meæ iniuriam intulit? quis dulce oculorum meorum lumen exstinxit? ego te semper supercælesti sponso consiliatus sum desponsare Christo, & Angelorum contubernio sociam constituere, & in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus canere Deo accelerabam: tu autem in lasciuiam petulantiæ insanisti. Dimitte me, sicut volo, cum Deo contractum facere, ne deducas senectutem meam cum mœrore in infernum, neque confusione nobilitatem parentum tuorum operias. Quæ in nihilum reputans, quæ à patre sibi dicebantur, perseuerabat clamans: Pater mi, aut fac desiderium meum, aut priùs pauxillùm mortuam me videbis. Pater itaque eius in magnâ dementatione constitutus, tam immensitate mœstitiæ absorptus, quàm amicorum consilijs acquiescens se admonentium ac dicentium, expedire potiùs voluntatem puellæ fieri, quàm sese manibus interficere, consensit, & præcepit fieri desiderium puellæ potiùs, quàm eam exitiabili tradere morti. & mox protulit puerum qui quærebatur, simul & propriam genitam, & dans eis omnia bona sua, dixit: Salue nata verè misera; multùm lamentaberis rèpœnitens in nouissimis, quando nihil tibi proderit. Porrò nefandi matrimonij coniugio facto, & diabolicæ operationis completo facinore, & pauco tempore prætereunte, notatus est puer à quibusdam, quòd non ingrederetur ecclesiam, neque attrectaret immortalia & viuifica Sacramenta, & dicunt miserandæ vxori eius: Noueris quia maritus tuus, quem elegisti, non est Christianus, sed extraneus est à fide, & penitùs est alienus. Quæ tenebris & dirâ plagâ referta, proiecit se in pauimentum, & cœpit vngulis semetipsam discerpere, & percutere pectus, atque clamare: Nemo vmquam qui parentibus inobediens fuit, saluus factus est. Quis annuntiabit patri meo confusionem meam? Heu mihi infelici! in quod perditionis profundum descendi! quare nata sum? vel nata quare non statim * indireptibilis facta sum? Huiusmodi ergo eam complorantem seductus vir eius agnoscens, venit ad eam, asseuerans non se ita rei veritatem habere: quæ in refrigerium suasorijs eius verbis deueniens, dixit ad eum: Si vis mihi satisfacere, & infelicem animam meam certificare, cras ego & tu pergemus vnanimiter ad ecclesiam, & coram me sume intemerata mysteria, & taliter mihi poteris satisfacere. Tunc coactus dixit ei sententiam capituli. Protinus ergo puella femineâ infirmitate depositâ, & consilio bono accepto, currit ad pastorem & discipulum Christi Basilium, aduersus tantam clamans impietatem: Misericordiam mihi miseræ præsta sancte Dei, miserere mei discipule Domini, quæ contractum cum dæmonibus feci. Miserere mei, quæ proprio patri facta sum inobediens. & cognita illi fecit rei gestæ negotia. Porrò sanctus Dei conuocato puero, sciscitabatur ab eo si hæc huiusmodi essent. Qui ad sanctum cum lacrymis ait: Etiam sancte Dei. Nam etsi ego tacuero, opera mea clamabunt. & enarrauit ei & ipse malignam diaboli operationem, qualiter ab exordio vsque ad finem fuerit subsecutus. Tunc dicit ei: Vis conuerti ad Dominum Deum nostrum? Qui dixit: Etiam volo, sed non possum. Dicit ei: Cur? Respondit: In scriptis abrenuntiaui Christo, & fœdus pepigi cum diabolo. Dicit ei sanctus: Non tibi sit curæ: benignus est Deus noster, & suscipiet te pœnitentiam agentem. Benignus enim est super malitiis nostris. Et proiiciens se puella ad pedes eius, euangelicè rogabat eum, dicens: Discipule Christi Dei nostri, si quid potes, adiuua nos. Dicit sanctus ad puerum: Credis posse saluari? At ille dixit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et confestim adprehensâ manu eius, & facto super eum Christi signo simul & oratione, retrusit illum in vno loco, [41] intra quem sacri habebantur amictus. & datâ ei regulâ orauit & ipse pro illo per tres dies. Post quos visitauit eum, & dixit: Quomodo te habes, fili? Dicit ei puer: In magnâ sum, domine, defectione. Sancte Dei, non suffero clamores, pauores, iacula, & lapidationes ipsorum. Tenentes enim propriæ manus meæ scripturam, obiurgantur in me, dicentes: Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et dicit ei sanctus: Noli timere, fili mi, tantummodò crede. Et datâ ei modicâ escâ, & facto super eum Christi denuò signo & oratione, inclusit eum: & post paucos dies visitauit illum, & dixit: Quomodo te habes, fili? Ait: Pater sancte, à longè clamores eorum audio simul & minas; nam non video illos. Et rursus dato ei cibo, & effusâ oratione clausit ostium, & discessit. Præterea quadragesimo die abiit ad eum, & dicit illi: Quomodo te habes, frater? Respondit & dicit ei: Benè, sancte Dei. Vidi enim te hodie in somnis pugnantem pro me, & vincentem diabolum. Mox ergo secundùm consuetudinem factâ oratione eduxit illum, & duxit illum ad cubiculum suum. Manè

Filia, vt famulo nupsui detur, patrem vrget.

Perficitur iniquum coniugium.

Maritus abhorret à Sacramento Eucharistiæ.

Gr. ἀδιάρπαστος, abrepta

Vxor maritum ad Eucharistiam inuitat.

Reuelat maritus vxori patratum facinus.

A Basilio opem flagitant.

Marci 9.

Cruce signatus, & oratione munitus recluditur in sacrario.

Variè à dæmonibus infestatur.

Rursus Crucis signo & oratione roboratur.

Educitur post 40. dies

Clerus, monachi, populus, peruigilium pro misero celebrant. Manè autem facto, conuocato tam venerabili clero, quàm monasterijs & omni Christo amabili populo, dixit eis: Filij mei dilecti, vniuersi gratias agamus Domino: ecce enim futurum est, vt ouem perditam pastor bonus super humeros suos imponat, & reducat Ecclesiæ: & nos oportet peruigilem ducere noctem, & deprecari voluntatem ipsius, vt non vincat corruptor animarum. *Lucæ 15.* Quo protinus acto, & promptissimè populo congregato, per totam noctem vnà cum bono pastore deprecati sunt Deum, cum lacrymis pro ipso clamantes, Kyrie eleison. Et diluculò vnà cum omni multitudine populi assumit sanctus puerum, & tenens dexteram manum eius, duxit eum in sanctam Dei ecclesiam cum psalmis & hymnis. Et ecce diabolus, qui vitæ nostræ semper inuidet, si hanc sine tristitiâ viderit, cum totâ perniciosâ virtute suâ venit, & puero inuisibiliter comprehenso, voluit rapere illum de manu sancti: & cœpit puer clamans dicere: Sancte Dei auxiliare mihi, & adeò contra illum impudenti instantiâ venit, vt ipsum egregium Basilium simul cum illo impelleret & subuerteret. *Conflictus Basilij cum dæmone.* Conuersus ergo sanctus ad diabolum ait: Impudentissime, & animarum violator, pater tenebrarum & perditionis, non tibi sufficit tua perditio, quam tibimet ipsi & his, qui sub te sunt, acquisisti, sed adhuc non quiescis, & Dei mei plasma tentando? Diabolus verò dixit ad eum: Præiudicas mihi, Basili, ita vt multi ex nobis audirent voces eius. At verò sanctus Dei ad illum: Increpat, inquit, tibi Dominus, diabole. *Iudæ ep.* At ille: Basili, præiudicium mihi facis. non iui ego ad eum, sed ille venit ad me, abrenuntiando Christum, mecumque est sponsione pactuatus, & ecce scriptum habeo, & in die iudicij coram communi Iudice deferam illud. Sanctus autem Domini dixit: Benedictus Dominus Deus meus, non deponet populus iste manus ab excelso cæli, nisi reddideris scriptum. Et conuersus dixit plebi: Tollite manus vestras in cælum, vniuersi clamantes cum lacrymis, Kyrie eleison. Cumque staret populus horâ multâ extensas habentes manus in cælum, ecce scriptum pueri in aërem deportatum, & ab omnibus visum venit, & positum est in manus egregij patris nostri pastoris Basilij. *Chirographum miseri recipitur.* Suscepto autem illo, gratias egit Deo, gauisusque vehementer vnà cum vniuersâ plebe, dixit ad puerum: Recognoscis litterulas has, frater? At ille dixit ad eum: Etiam sancte Dei, propriæ manus meæ scriptura est. Et diruptâ scripturâ introduxit eum in ecclesiam, & dignus habitus est sacris interesse Missarum officijs, & participatione sacrorum mysteriorum, & muneribus Christi. Et factâ susceptione magna recreauit vniuersum populum, & ducto puero & instructo, atque datâ ei decenti regula, tradidit eum vxori eius, indesinenter glorificantem & laudantem Deum. Amen.

CAP. IX. Enarrauit autem & hoc prædictus nobilis vir Helladius, quoniam vnâ dierum resplendente, sanctus pater & magnus Basilius profectus est de ciuitate nostra, nemini dicens quò esset iturus. Et ingressus coram nobis dixit: Filij mei sequimini me, vt videatis mecum gloriam Dei, & admiremur discipuli magistrum. Mox ergo vt proficisci cœpit de ciuitate nostra communis pater noster, agnouit eum per virtutem Spiritus sancti [42] Anastasius presbyter, & dicit nominatim quidem vxori suę, [43] vsu autem sorori: Ego vadam ad culturam agri, domina mi soror, sed surge & orna domum tuam, & circa horam nonam [44] tolle thuribulum & cereos, obuiàm vade sancto Basilio Archiepiscopo; venit enim applicare in domo nostrâ. *Anastasius presbyter aduentantem Basilium diuinitus cognoscit.* Illa autem tremefacta super tam gloriosum dictum, fecit vt edocta est, erat autem illa virgo pudicè viuens quadraginta transiens annos cum coniuge suo conseruans secretum, sterilem se simulans hominibus. *In cõtinentiâ 40. annis cum coniuge vixit.* Obuians autem nobis cum debitâ modestiâ, congruentem salutationem tribuens primùm quidem benedicitur à sancto patre nostro: deinde dicit illi: Quomodo habes domina [45] Theognia? illa verò stupefacta de vocatione nominis dicit ei: Benè sancte Dei. *Theognia Anastasij vxor, vsu soror.* Dicit illi sanctus pater noster: Vbi est dominus Anastasius presbyter, frater tuus? Dicit ei: Maritus meus est, domine, & iuit ad colendam terram. Qui dixit: In domo tuâ est, & ne fatigeris. *Basilius Anastasiũ iam domi esse prædicit.* Verecunda ergo mulier non solùm de verbo hoc, atque vocabulo nominis sui, verùm etiam quòd dixerat ei deifer pater noster, quoniam quidem mulier existeret nomine, soror vero vsu. Et stupefacta, tremoreque concussa cecidit in terram, clamans & dicens: Sancte Dei, ora pro me peccatrice, quia magna & miranda intueor opera. Et factâ super illam benedictione, coram omnibus dixit ei: Extende pannũ inter brachia tua. Et cùm extendisset, iussit effundi carbones de thuribulo in pannum, superponens incensum: & ante omnes ibat, & venientibus nobis in domum presbyteri, obuiauit: *Theognia accensos carbones illæso sinu fert.* & ipse deosculans honorabiles eius pedes, & dedit illi in Domino salutationem, & dicit ei presbyter: Vnde mihi hoc vt veniat sanctus Dei ad me? Et dicit ei pater noster: Benè te inueni, discipule Christi, eamus & faciamus sanctam Dei Missam. Erat enim ipse presbyter Dei ieiunans per singu-

singulos dies, absque Sabbato & Dominicâ, non contingens aliquid nisi panem & aquam. Et pergentibus nobis ad ecclesiam, præcepit presbytero, vt Missas caneret. Ille autem ait ad eum: Sancte Dei, sicut doces, qui malus est à meliore benedicitur. Dicit ei sanctus pater noster: Cum omnibus studijs tuis habeto obedientiam. Consentiens autem presbyter astitit ad sanctam Missam, & tempore exaltationis viuificæ Corporis Domini nostri Iesu Christi vidit sanctus Dei, & quidam de dignis, sanctum Spiritum descendentem in specie ignis, circumdantem presbyterum, & sanctum altare. Communicantes autem, & gratias agentes Domino, iuimus in domum presbyteri, & sumentes escam dixit illi sanctus Dei: Refer mihi vnde tibi thesaurus iste, & quæ est vita tua? Dixit ei presbyter: Ego, sancte Dei, peccator sum, subiacens publicis tributis. habeo iuga boum duo, vnum quidem
46 ego duco, alterum autem mercenarius meus: & vnum quidem est in administratione peregrinorum, vnum autem in administratione vectigalium, & est consamula mea hæc, ministrans hospitibus & mihi. Dicit illi: Voca illam sororem, iuxta quod & est. & dic mihi actus tuos. Dicit ei presbyter: Non possideo bonum super terram, extraneus sum omnium virtutum. Dicit ei communis pater noster: Surge & eamus simul: & ducit illum in vnam cellulam domus eius, & dicit ei: Aperi ianuam. & dicit ei: Sancte Dei, ne iubeas ingredi, 47 quoniam necessaria est domus. Dicit ei sanctus: Et ego ad hoc opus veni. Nolente ergo presbytero aperire claue, sermone aperuit pater noster egregius, & ingressus inuenit illic virum vlcerosum, cui defluxerant plurima corporis sui membra, & nullus eum sciebat illic esse, nisi presbyter & huius soror. Dicit ei sanctus pater: Quare voluisti abscondere thesaurum istum? Dicit ei presbyter: Furiosus est domine, & iniuriosus, & timui ne forte caderet in verbo. Dicit ei pater: Benè certasti in illum, sed dimitte me nocte istâ ministrare illi, vt & ego per te mercedem consequar. Et dimittente sanctum cum vlceroso in cellulam, nec vocem habente loquendi præ imbecillitate passionis, claudente ostium discessimus. Medicus autem vulnerum, faciens super eum orationem, per totam noctem deprecans Deum, omnem languorem & omnem infirmitatem sanans, curauit eum. Dicit ergo nobiscum presbyter: Gloria tibi Deus, qui facis mirabilia timentibus te, & orationes eorum exaudis. Ecce medicus ægrotum fecit sanum. & statim clamauit sanctus Dei vt aperiremus ianuam. Eduxit itaque vlcerosum totum sanum, non habentem cicatricem in corpore suo, loquentem clarè, & glorificantem Deum. Hoc autem magno miraculo facto, reuersi sumus in ciuitatem nostram, cum gaudio laudantes & benedicentes Deum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

S. Spiritus ignis specie sacrificantem Anastasium circumdat.

Leprosus clàm fouetur ab Anastasio.

Leprosum illum Basilius sanat.

CAP. X.

48 Mulier quædam nobilis genere, & diuitibus sæcularibus orta, & vanitatibus huius mundi composita, & in omnibus superexaltata, & vidua effecta, indecenter deuorauit pecuniam, luxuriosè viuens, stupro semetipsam subijciens, nulla quæ Deo sunt placita agebat, sed porcorum similitudine in sterquilinio peruoluta. Nutu quidem Dei aliquando in semetipsam reuersa, immensurabilium eius facinorum illuminatâ mente, taciturno silentio recordabatur multitudinem peccatorum suorum, & dolenter plorabat dicens: Væ mihi peccatrici, quomodo reddam rationem de multitudine peccatorum meorum: spirituale templum corrupi, habitantem in corpore animam coinquinaui. Væ mihi, væ mihi, quid operabar? quid mihi contigit? dicam sicut meretricem illam, aut sicut publicanum illum peccasse? * Hæc omnia infra se considerante, ille qui omnes vult saluos facere, & in censuram veritatis reducere, & neminem vult perire, in eius memoriam reducere dignatus est, quæ à iuuentute suâ perpetrarat peccata. Et sedens ea quæ ab adolescentiâ suâ vsque ad senectutem fecerat delicta, scripsit in chartâ. Nouissimè verò scripsit magnum quod fecerat pessimumque peccatum, & plumbo 49 bullauit chartam illam. Præuidens verò tempus aptum, quando sanctus Basilius solitus erat orationis caussâ ad ecclesiam accedere, præcurrens subitò iactauit chartam illam ante pedes eius: & prosternens se ante faciem eius, dicebat: Miserere, miserere mihi peccatrici, sancte Dei, super omnibus peccatis. Stans verò beatissimus ille, sollicitè inquirebat ab eâ, quidnam esset eius mugitus & vlulatus. Illa dixit: Ecce, sancte Dei, omnia peccata & delicta mea scripsi in hac chartâ: & bullaui, tu autem sancte Dei bullam istam minimè moueas, sed tantummodò de tuis sanctis orationibus omnia hæc dele. Magnus quidem sanctus Basilius eleuans chartam illam, & attendens in cælum dixit: Tibi, Domine, soli sunt operâ istius manifesta, tu quidem mundi huius abstulisti peccata, & de solâ istâ animâ faciliùs delere potes. Omnia quidem nostrorum facinora dinumerata sunt apud te: tu enim misericordiâ immensâ es, & inuestigabilis.

Mulier libidinibus dedita resipiscit.

** Alius interp. addit:* Sed nemo sicut ego peccaui, maximè post sanctũ Baptisma. Quomodo ergo certa ero, quia pœnitẽtem me suscipiet Deus?

Peccata sua in chartâ scripta & bullata Basilio offert.

gabilis. Et hæc dicens introiuit in sanctam ecclesiam, tenens præfatam chartam in manibus: & prosternens se coram altari, & per totam noctem, & in crastinum per tota Missarum solemnia deprecans Deum. Et accersitâ feminâ illâ, porrigit ei chartam, & dixit ad eam: Audisti mulier, quia nullus potest dimittere peccata nisi solus Deus? Illa dixit: Audiui pater, & ideò te promoui pater, ad intercedendum apud Deum misericordissimum pro me. Et hæc dicens soluit chartam, & reperit eam totam deletam. Remanserat enim magnum illud peccatum, quod fecerat, solum scriptum. Videns autem illa hoc peccatum minimè deletum, percutiens se in pectore, angustiari cœpit, ceciditque ante pedes eius, cum lacrymis clamans, & dicens: Miserere mihi serue Dei excelsi, & sicut de omnibus peccatis meis certamen habuisti, & exauditus es, & pro hoc solo intercedere vales, vt ipsum peccatum deleatur. Sanctus verò Basilius lacrymatus est præ misericordiâ, & dixit: Surge mulier, & ego homo sum peccator, necesse habens indulgentiam. Qui deleuit, remisit tibi peccata quæ voluit: potens est enim Deus & hoc vnum peccatum auferre à te, ille qui abstulit peccata mundi: si amodò obseruaueris, & in vijs Domini ambulaueris, non tantùm indulgentiam habebis, sed & gloriâ digna eris. Vade autem in eremum, & illic inuenies sanctum hominem nominatum inter omnes sanctos patres, nomine Ephræm. Illi porrige hanc chartam, & ipse intercedet, & obtinebit apud Dominum pro te. Tunc mulier commendauit se sancto Dei episcopo, & cucurrit in eremum, & pertransiuit longitudinis iter. Peruenit ad magnum & mirabilem eremitam, nomine Ephræm, & pulsans ianuam clamabat dicens: Miserere mihi, miserere sancte Dei. Ille verò præuidens in spiritu, pro quâ petitione aduenerat, dicit ei: Vade mulier, quoniam ego peccator homo sum, necesse habeo & ego adiutorium. Illa autem iactauit chartam dicens: Sanctus Basilius Archiepiscopus misit me ad te, vt depreceris Deum, vt peccatum quod in hac chartâ scriptum est, deleatur. Reliqua verò plura peccata sanctus Basilius orans deleuit, & tu sancte Dei de vno delicto ne pigriteris intercedere ad Deum, quia ad te missa sum: Tunc confessor ille dixit: Non, filia. Numquid qui de multitudine illorum facinorum potuit obtinere apud Deum, & de hoc vno non potest intercedere & obtinere? Vade etenim, ne tardaueris, vt eum iungere debeas, priusquam anima eius de corpore proficiscatur. Tunc mulier illa commendauit se sancto confessori Ephræm, reuersa est in Cæsaream. Cùm autem ingressa esset vrbem, obuiauit corpus deducentibus sancti Basilij, & videns prostrauit se in terram, cœpit clamare aduersus sanctum Dei, dicens: Væ mihi peccatrici, væ mihi consumptæ, væ mihi, sancte Dei, pro hoc direxisti me in eremum, vt de me sine fatigatione proficisceres: & ecce sine operibus reuersa sum, in vanum deuorans tantæ multitudinis pelagi viam iteranti. Videat Dominus Deus, & iudicet inter me & te, quoniam potuisti intercedere & obtinere apud Deum, nisi ad alium me dirigeres. Et hæc dicens, iactauit præfatam chartam supra stratum, in quo ducebatur corpus sancti Basilij. & minutiùs referebat rei euentus coram omni populo. Vnus quidem ex clero volens cognoscere quodnam esset peccatum illud, eleuans chartam illam & soluens, reperit eam totam deletam, & mundam, clamans voce magnâ illi feminæ: O mulier, charta ista scripta non est, quid enim in tali labore & angustiâ consumeris, nesciens magnalia Dei in te facta, & inuestigabilem eius misericordiam. Multitudo quidem populi videntes tale gloriosum miraculum & magnum, glorificabant Deum, qui potestatem talem habet, vt in terris remittat omnium peccata; & daret gratiam seruis suis, vt post discessum eorum sanent omnem languorem, & omnem infirmitatem, remittendique omnium delictorum facinora potestatem concessit his qui rectam fidem Domino conseruant, certantes in bonis operibus, & glorificantes Deum & Dominum nostrum Iesum Christum.

Basilij precibus peccata eius vno dempto diluuntur.

Ablegatur mulier ad sanctum Ephræm.

Remittitur ad S. Basilium.

Reuersa proiicit chartam super feretrum Basilij, & deletam recipit.

CAP. XI.

50 Fratres, narrationem volo facere de Basilio, nobili scilicet, & Ephræm Syro. Et quædam quidem ex patris nostri, quædam autem ex non mentientis ore sancti & mirabilis Ephræm audiui. Est verò ita:

Ephræm nobilis existens in eremo, quædam quidem illustratione sancti Spiritus videns, quædam verò ex desiderio & interrogatione ediscens miranda nobis nostri patris Basilij, sine intermissione 51 rogabat reuelari sibi, qualis esset Magnus Basilius. In extasi ergo factus, vidit columnam ignis, cuius caput pertingebat ad cælum, & vox desursum dicens: Ephræm, Ephræm, quemadmodum vidisti columnam hanc ignis, talis est & Magnus Basilius. Et statim tollens interpretem, eò quòd nesciret loqui linguam Græcam, venit in magnam ecclesiam magni nominis Cæsareæ, & peruenit in sanctam festiuitatem

Ephræm in spiritu apparet Basilius instar columnæ ignis.

tem Theophaniæ, & ingrediens occultè vidit procedentem in ecclesiâ magnum Basilium; & dixit sequentibus se: Quoniam in vanum laborauimus; puto enim, frater iste, in tali ordine existens, non est iuxta quod vidi: erat enim circumdatus stolâ candidâ; & circa eum venerandus clerus candidatus & obsequens ei. Et stans in loco absconso ecclesiæ aspexit ordinem, dicens in semetipso: Nos qui portauimus pondus diei & æstus, nihil proficimus: & hic in tali obsequio & honore humano, columna ignis exstitit! miror. Hæc eo dicente, mittit sanctus Archidiaconum suum, dicens: Vade contra portam Occidentalem, & in angulo ecclesiæ inuenies abbatem cum alio quodam, habentem cucullam, raribarbium, pusillum, & cetera vultus eius, & dices ei; Ingredere [52] sacrarium, inuitat te pater tuus Archiepiscopus. & discens per interpretem dictum, respondit dicens: Errasti frater: nos hospites sumus. Et pergens Archidiaconus renuntiauit hæc magno Basilio sacros libros recitanti. Videt sanctus Ephræm linguam igneam loquentem per os eius, & dicit Diacono: Vade, & dices domino Ephræm, iube intrare [53] in sanctum tribunal, vocat te Archiepiscopus vt ingrediaris in sanctum tribunal. Stupefactus ergo super his sanctus, glorificans Deum, [54] & faciens metanœam, respondens ei dixit: Veraciter magnus Basilius, veraciter columna ignis Basilius, veraciter Spiritus sanctus loquitur per os eius. Rogauit autem Archidiaconum, vt renuntiaret ei, quoniam magis [55] post Missas in secretario salutabo eum. Ingrediens ergo post absolutionem Missæ in secretarium, vocauit sanctum Ephræm, & in Domino [56] osculum tradidit ei. Dicit illi: Benè venisti, quia multiplicasti discipulos Christi in Ecclesiâ, & dæmones expulisti per Christum, in quo est labor tuus. Pater, venisti videre peccatorem hominem. det tibi Deus mercedem secundùm laborem tuum. Et respondens ei honorabilis Ephræm, & dicens omnia quæ in corde suo versabantur, vnà cum abbate qui cum illo erat communicauit in sanctas manus eius, & faciente eo charitatem dixit sanctus Ephræm: Pater honorande, vnam peto gratiam abs te, & hanc concede dari mihi. Qui dixit ad eum: Iube, dic quæ videntur tibi; multa enim tibi debeo: & maximè propter laborem tuum, & tui aduentus. Dicit ei Ephræm: Scio, pater sancte, quia quæcumque petis à Deo, concedet tibi; volo vt depreceris Deum, vt loquar [57] Græcè. Qui dixit ei: Super potentiam meam petijsti: sed quia fideliter petijsti, veni pater, & eremi præceptor, deprecemur Dominum: potens est enim facere voluntatem tuam. Scriptum est enim: Voluntates timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet; & saluos faciet eos. Et facientibus orationes per plurimas horas, & surgens dixit magnus Basilius: Quare, domine Ephræm, non accipis consecrationem presbyterij, quoniam congruit tibi? Dicit ei per interpretem: Quoniam peccator sum. Respondit illi: Vtinam peccata tua ego haberem! Et dicit ei: Mittamus genuflexionem, & iacentibus super pauimentum; posuit manum super sanctum Ephræm magnus sacerdos, & dixit orationem Diaconij, & dicit illi: Iube, subleua nos. Repletâ ergo linguâ eius, dicit sanctus Ephræm Græcâ linguâ, Salua, miserere, suscipe, & conserua nos Deus in tuâ gratiâ: & consummatum est, quod scriptum est: Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua babbatientium. Et loquente eo Græcè, ipsâ horâ glorificauerunt Dominum, qui omnia potest, & exaudit orationes timentium se. Et spiritaliter lætantes per tres dies, & consecrans illum interpretem diaconum, & ipsum [58] presbyterum, dimisit illos in pace, glorificantes Deum pro omnibus quæ audierunt, secundùm quod dictum fuerat ad illos.

Basilius curat accersiri Ephræm.

Ephræm vidit in Basilio linguam igneam.

Basilius Ephræm osculo excipit.

Ephræm Basilij intercessione petit loqui Græcè.

Psal 44.

Loquitur Ephræm Græcè.

Isa. 35.

Ephræm ordinatur presbyter.

Lucæ 2.

NOTATIO.

1 BASILII.] *Martyrologium Romanum* 1. *Ianuarij:* Cæsareæ in Cappadociâ depositio S. Basilij episcopi, cuius celebritas XVIII. Kalendas Iulij, quâ die ordinatus fuit episcopus, potissimùm recolitur. *De quâ eius ordinatione in episcopum ibidem* XIV. *Iunij:* Cæsareæ in Cappadociâ ordinatio S. Basilij episcopi, qui tempore Valentis Imperatoris doctrinâ & sapientiâ insignis, omnibusque virtutibus ornatus, mirabiliter effulsit, & Ecclesiam aduersus Arrianos & Macedonianos mirâ constantiâ defendit. *Menologium Græcum* 1. *Ianuarij:* Eodem die commemoratio S.P.N. Basilij. *In Menæis eodem die fusiùs de eo agitur. Cuius etiam memoria cum Gregorio Nazianzeno Theologo, & Ioanne Chrysostomo ibidem celebratur* XXX. *Ianuarij, & vtroque loco* μεγάλου, magni *epitheto honestatur. Euagrius in Gnostico Basilium vocat* veritatis columnam. *ita refert Nicephorus libro* XI.

 cap.

cap. XLIII. *Gregorius Nyssenus in Encomio Ephrem, ait Basilium esse* ὀφθαλμὸς Ecclesiæ, auream doctrinæ luscinian. *Ipse Ephrem dicitur in encomio eius,* ὁ βάσις τῶν ἀρετῶν, στῆλος τῶν ἐπαίνων, gressus virtutum, liber laudum. *qui & alijs præclaris elogiis eum ibi exornat. Theodoreto libro* IV. *cap.* XIX. Ὁ τῆς οἰκουμένης φωστήρ: præfulgidum lumen orbis vniuersi. *Varia eius elogia vide initio Operum eius. Res eius præclarè gestas laudatissimis suis Annalibus intexuit Cardinalis Baronius. Qui ex veteribus Basilij encomium scripserint, declarat hîc ipse Amphilochius in Prologo.*

2. AMPHILOCHIO.] *Martyrologium Romanum* XXIII. *Nouembris:* Iconij in Lycaoniâ sancti Amphilochij episcopi, qui sanctorum Basilij & Gregorij Nazianzeni in eremo socius, & in episcopatu collega, post multa certamina pro Catholicâ fide suscepta, sanctitate & doctrinâ clarus quieuit in pace. *Menologium Græcum eodem die:* Natalis S.P.N. Amphilochij, episcopi Iconij, sub Theodosio Imp. Magno, vir diuinarum litterarum peritiâ, & sanctitate vitæ, rectæ & Catholicæ fidei sinceritate insignis, Basilij Magni amicitiâ & testimonio commendatus. Hic libros orthodoxam fidem continentes conscripsit, & ad summam senectutem prouectus in pace quieuit. *Fusiùs de eodem in Menæis die eodem.*

Amphilochium Vitæ huius auctorem esse, iam olim ante annos DCCC. *existimauit Vrsus S.R.E. Subdiaconus Cardinalis, qui eam tunc Latinitati donauit, de quo plura numero* 3. *& Sigebertus Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap.* VII. Amphilochius Iconij episcopus scripsit vitam Basilij Cæsariensis episcopi. *Eam etiam Sixtus Senensis lib.* IV. *Bibl. Sanctæ Amphilochio tribuit. Et eo auctore recitat eam Vincentius in Spec. hist. lib.* XIV. *capitibus* LXXVIII. LXXIX. LXXX. *Antoninus part.* II. *tit.* IX. *cap.* IV. *§.* I. *&* II. *Petrus episcopus Equilinus in Catalogo SS. lib.* II. *cap.* XXVIII. *Eius exemplar Græcum nomine Amphilochij insignitum accepi Parisijs ex Bibliothecâ Regiâ.*

Baronius tamen in Martyrologio Romano ad diem I. *Ianuarij ait: Extat Amphilochij nomine scripta Vita Basilij, quæ tamen prudentiorum omnium sententiâ, alterius cuiuspiam potiùs, quàm Amphilochij æqualis Basilio esse putatur; cùm aliqua illic habeantur, quæ illi minus conuenire videntur. Idem in Annalibus tomo* IV. *varios in Vitâ hac næuos notat, quos singulos hîc suis locis indicabo, vt magno hoc censore sincera ab interpolatis discernas.*

Iam olim Glycas, cùm videret hanc Vitam Amphilochij nomine circumferri, eam Amphilochio abiudicauit, hoc potissimùm argumento: Quamquam, *inquit,* perscriptum reperiamus in libro de S. Basilij miraculis, quæ magnus ille vir Amphilochius litteris commendasse perhibetur, mandato perpetuæ Virginis Deiparæ per S. Mercurium, Magni Basilij precibus, desertorem hunc traiectum fuisse: non tamen hæc narratio meretur, vt ei continuò fidem adhibeas. Quam ob rem istud? quoniam in eodem scripto legimus, Magnum Basilium Cæsareæ pontificem id temporis fuisse, cùm eas regiones Imperator improbissimus contra Persas expeditione susceptâ peragraret. At verò aliter eximius ille Gregorius cognomento Theologus memoriæ prodidit. Nam si Basilius, hoc ita narrante, in Ponto degebat sub initium imperij Valentis, qui aliquanto pòst tempore regnauit, cùm Cæsareæ pontifex esset Eusebius; multò minùs Iuliano imperante Basilius antistitis munere fungebatur. De quo satis euidenter apparet, Iulianum iter per Cappadociam facientem, neque Basilium istic pontificem reperisse, neque ipsius ecclesiæ minatum esse. Consimili modo nec precatus est hoc nomine Deum Basilius pontifex, nec ad tollendum è medio desertorem Mercurius ille Christi testis fuit ablegatus. quippe si hoc pacto res gesta fuisset, obscurum non esset in hodiernum vsque diem, à quo Iulianus telo confixus fuerit. Nam iaculo traiectum constat, auctore facti prorsus incognito.

Glyc. 4. part. Annal.

Cuius sententiæ etsi Baronius tomo IV. *anno Christi* CCCLXIII. *accedat: At ipse tamen, inquit, Glycas haud in eo nobis probari potest, cùm eam ob caussam, quòd ea commentitia Amphilochij nomine scripta haberentur, derogat penitùs fidem historiæ, quæ auctoritate Helladij citati à Damasceno, quem ipse non vidit, aliter tamen rem gestam recitantis, egregiè testata redditur.* Damasc. de Imagin. Orat. I.

Quidquid sit de dissensione narrationis ab Helladio & Amphilochio instituta (si tamen diuersorum Auctorum ea sit narratio, & non potiùs Amphilochius Helladium integrè expresserit, quem Damascenus compendiosè citat) certè in hac Vrsi interpretatione ea historia non comparet, vt eius rationem reddere minimè cogamur.

Etsi certior & solidior Vita Basilij, ex ipsius & Gregorij Nazianzeni scriptis, & alijs synchronis Auctoribus colligi possit, quod ferè in Annalibus suis præstat Baronius, & iam præ manibus habet Doctorum Ecclesiæ, aliorumque aliquot Vitas noster Petrus Halloix; quia tamen nobis nunc propositum fuit, non quid de quoque Sancto undecumque indagari possit, hîc exprimere, sed potiùs Vitas Patrum, quæ toties typis excusæ sunt, & in multorum manibus versantur, atque à doctis viris citantur, recensere, dubia in iis explicare, notare apocrypha: permisi hanc quoque Vitam inter ceteras suum tenere locum: præmittens tamen hanc Baronij monitionem, quam habet tomo IV. *anno Christi* CCCLXXVIII. *Damasi Papæ* XII. *Valentis* XV. *Gratiani* XII. *Valentiniani* III. *Imp.*

Quæ Amphilochij falso nomine fertur Vita Basilij, haud digna satis habetur, quæ eruditorum auribus ingeratur, nisi adeò sint perspicaces, qui in eis quæ sint vera à falsis disquirere ac secernere valeant. Complura enim ibi vera esse, inficias nemo iuerit, vt ea præsertim, quæ ab ambobus Gregoriis, Nazianzeno atque Nysseno, necnon ex Ephram esse noscuntur accepta, vel ab Helladio mutuatus est Auctor. Hactenus Baronius.

3. VRSO.] *Baronius ad Martyrologium Romanum* I. *Ianuarij: Dedit, inquit, (Vitam Basilij ab Amphilochio, vt creditur, scriptam) Latinitati Vrsus S.R.E subdiaconus, cuius præfationem, quæ desideratur in ceteris, legimus in veteri manuscripto codice nostræ Bibliothecæ, quam possidemus liberalitate piæ memoriæ optimi ac eruditissimi viri Achillis Statij Lusitani.*

In iisdem prætereà quædam miracula eiusdem Basilij, Helladio auctore scripta habentur, in Latinum versa ab Anastasio Bibliothecario, temporibus Nicolai I. Romani Pontificis, cuius ibidem habetur præfatio ad prædictum Vrsum conscripta. Hactenus Baronius.

Ex his colligimus Vrsi Vitæ huius interpretis ætatem, cùm

cùm Anastasius floruerit circa ann. Domini DCCCLX.

Ceterùm doctus hoc Baronij iudicio, exstare Romæ Vrsi præfationem in Vitam Basilij, quæ nondum lucem vidisset, Romam scripsi ad R. P. Andream Zazzaram, Congregationis Oratorij prælustre decus, qui statim eam ex manuscriptis codicibus exscribendam curauit, mihique transmisit. Quâ acceptâ deprehendi stylum aliquantò meliorem esse, quam textus Vitæ Basilij in vulgatis hactenus Patrum Vitis exhibeat. quare & textum Vitæ Basilij eodem interprete indidem euocaui: quem hîc repræsento.

Ne fallare tamen, octo tantùm priora capita cum præfatione, Vrsi nomine insignita, ad me Româ missa sunt. Reliqua tria indidem accepi ex manuscriptis Congregationis Oratorij, sed Vrsi nomen non præferebant, vt dubitem an ex eius officinâ sint. Sanè Vrsum etiam illa transtulisse, saltem x. ipse indicium facit præfatione hac n. 5. An verò hæc ex eius translatione sint, affirmare non habeo.

PRAEF. INTERP. 4. HIERONYMVM ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTERVM.] Vides, iam olim, etiam Vrsi interpretis huius ætate inualuisse opinionem eam de presbyteratu Romano Hieronymi. Quam etiam refert Vita Hieronymi manuscripta, quæ penes me est. Sed ipse Hieronymus contraít, qui Antiochiæ se ordinatum asserit; ita tamen, vt nulli certæ ecclesiæ adstringi cogeretur. Ita enim ipse epist. LXI. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolym. loquens de Paulino Antiocheno episcopo: Num rogaui te vt ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, vt monachum nobis non auferas: tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri, tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui: ego habeo, quod semper habui: nullum dispendium in ordinatione passus es.

Quòd si quis fortè Hieronymum vocari velit Romanum presbyterum, quia Damaso Pontifici ab epistolis fuit, non valdè abnuero.

5. NISI DVO MIRACVLORVM EIVS.] Ergo ætate Vrsi nihil Latinè ad eius manus, de Vitâ & miraculis Basilij auctore Amphilochio peruenerat, præter duo illa miracula, quæ hîc habes cap. VIII. & X. quæ quia styli ruditate offendebant, paulò ipse cultiùs ea conatus est exprimere.

6. IN EPITAPHIO.] Basilij epitaphium seu oratio funebris à Gregorio Nazianzeno conscripta, habetur tomo I. Operum Nazianzeni oratione XX. Idem quoque epitaphium seu carmen funebre de eodem composuit, quod exstat tomo. II. Operum Nazianzeni, Carmine XIV.

PROLOG. AVCTOR. 7. GREGORIO VIDELICET, QVI IN THEOLOGIA CLARVIT.] Nicephorus libro XI. cap. XIX. Gregorius, qui à veteribus Nazianzenus, à nobis autem, quòd tali cognomine dignus sit, Theologus est vocatus.

8. GREGORIO MEMORABILI NYSSEORVM.] Gregorij Nysseni orationem, quâ fratris sui laudes & memoriam concelebrat, habes inter eiusdem Opera, Laurentio Sifano interprete. In eâ Basilium Moysi, Samueli, Eliæ, Ioanni Baptistæ, & Paulo, ob singulares cuiusque virtutes & actiones comparat.

9. BEATO EPHRÆM.] Habes Basilij encomium ab Ephremo scriptum inter Opera Ephræm tom. III. Latinitati donatum à Gerardo Vossio, cuius encomij meminit ipse Ephræm in Oratione in XL. Martyres.

10. APOSTATAM IVLIANVM.] Respicit, opinor, ad historiam de Iuliani morte, quæ Basilij precibus impetrata dicitur ab Helladio apud Damascenum Orat. I. de Imagin. Quæ paulò aliter in vulgato Amphilochio narratur. Sed deest ea in hac Vrsi Cardinalis versione. De morte Iuliani vide accuratè inquirentem Baronium tom. IV. an. Christi CCCLXIII. Liberij Papæ XII. Iuliani Imp. II.

11. QVI VALENTIS OS.] Quàm constans Basilius contra Valentem perstiterit, describit Gregorius Nazianzenus Oratione funebri in laudem Basilij, Ephræm Oratione de eiusdem laudibus, Sozomenus lib. VI. cap. XV. Socrates libro IV. cap. XXI. Theodoretus lib. IV. cap. XVII. Gildas Sapiens Orat. in Eccles. Ordin. Nicephorus lib. XI. cap. XVIII. Vide Baronium tom. IV. ad an. Christi CCCLXX.

CAP. I. 12. VERBORVM PALMAS.] Vulgatæ editiones, sermonum manus. Græcè est, λόγων παλάμας, sermonem palmas. Vterque interpres legit λόγων παλάμας. Chrysostomus homil. II. de Machab. quæ est ordine XLIX. tomo I. editionis Frontonianæ: ἀλλὰ καθάπερ χερσὶ τῇ παρακλήσει τῶν λόγων: Sed quasi manibus cohortatione verborum. Idem homil. I. de Machab. quæ est in eâdem editione ordine XLIV. Ἐπῆγεν ἀντὶ χειρῶν τῇ τῶν λόγων πρὸς αὐτὸν χρησαμένη παρακλήσεως συμβουλῇ: Pro manibus eum verbis exhortationis vsa impulit.

13. ATHENAS.] Gregorius Nazianzenus Oratione funebri in Basilium, ex quâ Nicephorus lib. XI. capite XVII. Antè tamen Cæsareæ, & Constantinopoli operam litteris dederat, vt idem Gregorius testatur.

Vt hîc Athenæ dicuntur verborum mater, sic Gregorius loco proximè citato vocat eas τῶν λόγων ἐδαφος, litterarum sedem seu domicilium. Libanius Declamat. XXIX. Τῶν λόγων ἐργαστήριον, sermonum officinam.

14. EVBVLO.] Sozomenus lib. VI. cap. XVII. alios Basilio & Gregorio Nazianzeno præceptores assignat: Ἄμφω νέοι ὄντες, Ἱμερίῳ καὶ Προαιρεσίῳ τοῖς τότε δοκιμωτάτοις σοφισταῖς ἐν Ἀθήναις ἐφοίτησαν, μετὰ ταῦτα δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ Λιβανίῳ τῷ Σύρῳ. Ambo cùm adhuc adolescentes essent, Himerio & Proæresio, sophistis id temporis facilè præstantissimis, se in disciplinam Athenis tradebant: posteà autem Antiochiæ Libanio Syro. Baronius tomo III. annio Christi CCCLIV. leui memoriæ vel calami lapsu, Libanium Athenis cum Himerio docentem ex Sozomeno statuit.

15. QVI THRONI APOSTOLICI GVBERNACVLA DVODECIM.] Non vnius tantùm Amphilochij opinio Gregorium Nazianzenum duodecim annis ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisse. Ita enim & Menæa XXX. Ianuarij in memoriâ SS. trium Ecclesiæ Doctorum: Προέστη δὲ καὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας χρόνους δώδεκα: Præfuit ecclesiæ Constantinopolitanæ annos duodecim. Intelligit annos, quibus ibi vixit, & ecclesiam eam contra Arianos propugnauit.

16. LIBANIVS.] Sozomenus suprà ad n. 14. Libanium Basilij magistrum fuisse asserit.

17. SVRGENS ERGO PROPERAVIT AEGYPTVM.] Constat ex Nazianzeni Oratione funebri iam antè citatâ, Basilium peregrinationes aliquas suscepisse: Ἔπειτα ἐκδημίαι τινές, ἐπειδὴ ἡμᾶς οὐκ εἶχε, τῶν ἀναγκαίων ἀντιλαμβάνεται, οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τῆς προκειμένης φιλοσοφίας: Ac deinde, quoniam me carebat, necessarias quasdam peregrinationes, minimeque à propositâ sibi philosophiæ scopo alienas iniuit. Nicetas Gregorij commentator existimat Basilium profectum Seleuciam ad Theclæ templum, vel orandi causâ, vel etiam quietæ ac tranquillæ vitæ studio.

Sed profectionis suæ in Ægyptum ipse Basilius duabus epistolis meminit. Ac in primis epist. CLXV. ad

ad Eustathium philosophum, nondum benè doctus Basilius penè in fortunæ offensacula referebat, quod longâ peregrinatione Eustathium minimè reperisset, nec in patriâ, nec in Syriâ, nec in Ægypto. Clariùs animi sui æstum, & peregrinationes ad veritatem inquirendam susceptas exprimit ipse epist. LXXIX. *ad Eustathium episcopum Sebastiæ*: Ἐγὼ πολὺν χρόνον προσαναλώσας τῇ ματαιότητι, καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν ἐμαυτοῦ νεότητα ἐναφανίσας τῇ ματαιοπονίᾳ, ἣν εἶχον προσδιατρίβων τῇ ἀναλήψει τῶν μαθημάτων τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ μωρανθείσης σοφίας, ἐπειδή ποτε ὥσπερ ἐξ ὕπνου βαθέος διαναστὰς, ἀπέβλεψα μὲν πρὸς τὸ θαυμαστὸν φῶς τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου, κατεῖδον δὲ τὸ ἄχρηστον τῆς σοφίας, τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τῶν καταργουμένων, πολλὰ τὴν ἐλεεινήν μου ζωὴν ἀποκλαύσας ηὐχόμην δοθῆναί μοι χειραγωγὸν πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῶν δογμάτων τῆς εὐσεβείας. καὶ πρό γε πάντων ἐπιμελὲς ἦν μοι, διόρθωσίν τινα τοῦ ἤθους ποιήσασθαι, πολὺν χρόνον ἐκ τῆς πρὸς τοὺς φαύλους ὁμιλίας διαστραφέντος. καὶ τοίνυν ἀναγνοὺς τὸ εὐαγγέλιον, καὶ θεασάμενος ἐκεῖ μεγίστην ἀφορμὴν εἰς τελείωσιν τὴν διάπρασιν τῶν ὑπαρχόντων, καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἐνδεεῖς τῶν ἀδελφῶν κοινωνίαν, καὶ ὅλως τὸ ἀφροντίστως ἔχειν τοῦ βίου τούτου, καὶ ὑπὸ μηδεμιᾶς συμπαθείας πρὸς τὰ ὧδε τὴν ψυχὴν ἐπιστρέφεσθαι, ηὐχόμην εὑρεῖν τινα τῶν ἀδελφῶν, ταύτην ἑλόμενον τὴν ὁδὸν τοῦ βίου, ὥστε αὐτῷ συνδιαπεραιωθῆναι τὸν βαθὺν τοῦτον τοῦ βίου κλύδωνα. καὶ δὴ πολλοὺς μὲν εὗρον κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, πολλοὺς δὲ κατὰ τὴν λοιπὴν Αἴγυπτον. καὶ ἐπὶ τῆς Παλαιστίνης ἑτέρους, καὶ τῆς κοίλης Συρίας καὶ Μεσοποταμίας. ὧν ἐθαύμαζον μὲν, τὸ περὶ τὴν δίαιταν ἐγκρατές. ἐθαύμαζον δὲ τὸ καρτερικὸν ἐν πόνοις: Ego sanè posteaquam multum temporis vanitati impendissem, & omnem prope iuuentutem inani studio attriuissem quo tenebar, cùm apprehendendis infatuatæ à Deo sapientiæ disciplinis immorabar; tandem aliquando, vbi velut ex graui somno expergefactus ad euangelicæ veritatis admirabile lumen respexi, agnouique inutilitatem sapientiæ principum huius sæculi, qui abolentur: deploratâ plurimùm in miserabili meâ vitâ, ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret. Et cum primis hoc mihi curæ, vt morum correctionem aliquam instituerem, quos per diutinam consuetudinem cum improbis contractam peruerteram. Lecto itaque Euangelio, animaduersoque illic, quòd plurimum occasionis & momenti adferat ad perfectionis studium, si quis bona sua vendat, deque illis egenis fratribus communicet, & prorsus nullâ teneatur vitæ istius curâ, nec patiatur mentem suam aliquâ rerum præsentium affectione turbari, optabam dari aliquem ex fratribus, cui istud vitæ genus arrideret, quo vnà cum profundum vitæ huius pelagus superare liceret. Inueni sanè multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquum Ægyptum, deinde & alios in Palæstinâ, & Cælesyriâ, & Mesopotamiâ, quorum admiratus sum cùm in seruandâ diætâ temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam.

18. Porphyrivm.] *In Menæis Græcorum inuenire est varios sanctos Porphyrios: sed nescio an vllus eorum huic historiæ quadret.*

19. Ierosolymam cavssa orationis.] *Iam olim peregrinatio hæc celebris vel ab ipso Christi in cælum ascensu. Hieron. ep.* XVII *ad Marcellã:* Longum est nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ ecclesiasticâ virorum venerint Ierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm Euangelium de patibulo coruscauerat. *Varia exempla Ierosolymam orationis caussâ tendentium vide apud Gretzerum nostrum libro* I. *de Peregrinat. cap.* IV. *& aliquot seqq.*

20. In proastio.] *Alia versio*, in suburbano. *Sæpè ætatis mediæ interpretes retinent Græcum vocabulum. Infrà apud Ruffinum l.* III. *n.* 19 *Vide Onomasticon.* Cap. II.

21. Tres tabvlas.] *Alia versio* tres catinos. *Græcè est*, τρεῖς πίνακας. πίναξ *& tabulam, & discum seu catinum Græcis sonat. Sed rectè hic noster tabulam vertit. Adumbratum ex Tabulâ Cebetis, vbi tres sunt* περίβολοι *seu septa, vti hic tres tabulæ. Habes ibidem etiam virtutes & vitia, vti hic.*

22. Maximino.] *Hieronymus in Chronico* Maximum *vocat, anno* XI. *Constantij & Constantis. cui Christi annum assignant* CCCXLIX. Quadragesimus Maximus post Macariũ Ierosolymorum episcopus moritur. *Baron. tomo* III. *anno Christi* CCCXXXI. *Siluestri Papæ* XVIII. *Constantini Imp.* XXVI. *Maximi subrogationem in sedem Ierosolymitanam ponit. De eo etiam Sozomenus libro* II. *cap.* XIX. Cap. IV.

22. In Iordane.] *Fuere olim, qui ob aquas Iordanis baptismo Christi consecratas, in Iordane quoque baptizari expetierint. Tali desiderio flagrasse Constantinum Magnum, narrat Eusebius in eius Vitâ libro* IV. *cap.* LXII.

14. Et colvmba.] *Ita iam antè Spiritus sanctus, dum Christus à Ioanne baptizaretur, apparuit. Cuius rei rationem aliquam assignat Nicephorus l.* I. *cap.* XVIII. Factum id cùm propter volucris ipsius puritatem, tum quòd ea olim diluuij finem læto prædixit nuntio.

Vti hîc Basilio, ita non rarò alijs Sanctis columba in Baptismo apparuit. Et vetus olim in quibusdam Ecclesijs mos fuit, columbam super baptisteria appendere; vt habetur in Synodo Constantinopolitanâ sub Mennâ CP. episcopo celebratâ, Actione V. *quem locum vide hic infrà citatum ad n.* 34.

25. Et vngens etiam sancto Chrismate.] *Sacri huius Chrismatis in Baptismo & post Baptismum vsus, etiam nunc ab ipsis Ecclesiæ primordijs in ecclesiâ Catholicâ durat. De quo consule Bellarminum tom.* III. *contr. Gen.* II. *lib.* II.

26 A Meletio.] *Nicephorus libro* XI. *c.* XVII. Basilius à Meletio Antiochiæ episcopo diaconus creatus, posteà patriæ suæ Cæsareæ Cappadocum antistes factus, cum curâ & fide ecclesiis præfuit.

27. Proverbiorvm] *Inter opera Basilij exstat in Prouerbiorum principium Tractatus.*

28. Evsebio] *Nicephorus libro* XI. *cap.* XVIII. Eusebio, qui ante Basilium ecclesiæ Cæsariensis gubernator fuit, dissidium quoddam cum Basilio etiamnum diacono intercessit. *Vbi narrat posteà Basilium Eusebio reconciliatum, & eidem in cathedrâ episcopali successisse.* Cap. V.

29. Ad insigne habitacvlvm.] *Alia editio:* ad insignem zætam. *Græcè est*, ἐν ἐπισήμῳ διαίτῃ. *quod alter interpres deflexit in* zætam, *vt subinde* δι *in* ζ *commigrare solet. Vide Onomasticon.*

30. Synodvm.] *Quæ hæc Synodus fuerit, nondum mihi liquet. Fortè intelligit tantùm Synodum de congregatione hac episcoporum, quâ ad creationem Basilij in episcopum conuenerunt.*

31. Reple os mevm lavde.] *Hæc prima hîc ex Liturgiâ Basilij citata verba, non inuenio in eiusdem Liturgiâ Parisiis Græcè editâ typis Regiis anno* M. D. LX. Cap. VI.

Sed

Sed non mirum, tanto temporis spatio aliquid in Liturgiis immutatum esse, aliquid additum, aliquid demptum. Quin & sæpè diuersa eiusdem Liturgiæ Græcæ deprehenduntur exemplaria. Sanè editio Græca Morelliana Liturgiæ Chrysostomi, valdè dissidet à versione Latinâ Erasmi.

Quæ hic sequentia ex Liturgiâ Græcâ Basilij citantur verba, habes in editione Morellianâ penè eadem. Verba in Vitâ hac citata habent ita Græcè: Πρόσχες Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς ὁ ἄνω τῷ Πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών, καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Ο ΛΑΟΣ, εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός, ἀμήν. *quæ ita Latinè reddidit Ursus:* Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & veni ad sanctificandum nos; qui sursum cum Patre sedes, & hîc nobiscum inuisibiliter ades; & dignare potenti manu tuâ tribuere nobis & per nos omni populo sancta sanctis. POPVLVS RESPONDIT; Vnus sanctus, vnus Dominus Iesus Christus cum sancto Spiritu in gloriâ Dei Patris, Amen. *Iam verò Græca Basilij editionis Morellianæ vix dissident à superioribus.* Πρόσχες Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου, καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης τῆς βασιλείας σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς ὁ ἄνω τῷ Πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συμπαρών· καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ.

32. EXALTAVIT PANEM.] *De eleuatione panis seu Eucharistiæ in Missâ, vide Claudium Sainctesium, de Eucharistiâ, Repetitione* IX. *quæ est de Adoratione Eucharistiæ cap.* VII.

33. AD CONSEPELIENDVM SIBI.] *Fuit olim quorumdam consuetudo, vt Eucharistiam etiam mortuis ingererent & consepelirent, quam abrogauit Concilium Carthaginense* III. *can.* VI. Placuit vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur: dictum est enim à Domino: Accipite & edite. cadauera autem nec accipere possunt, nec edere. Cauendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, cùm Eucharistiam mortuis non dari animaduerterit. *Subscripsit huic Concilio S. Augustinus: & idem canon repetitur in Concilio Hipponensi can* V. *& in Concilio Antissiodorensi anno* DXL. *can.* XII. *& in Concilio Generali* VI. *(quod est Constantinopolitanum* III.*) quod celebratum est in Trullo anno Christi* DCLXXX. *Agathonis Papæ anno* III. *Constantini Pogonati, (cùm solus regnauit) anno* XIII. *vbi canon* LXXXIII. *ita habet:* Μηδεὶς τοῖς σώμασι τῶν τελευτώντων τῆς εὐχαριστίας μεταδιδότω· γέγραπται γὰρ· λάβετε, φάγετε· τὰ δὲ τῶν νεκρῶν σώματα οὔτε λαβεῖν δύνανται, οὔτε φαγεῖν. Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet. Scriptum est enim: Accipite, & comedite. Mortuorum autem corpora non possunt accipere nec comedere. *Frustrà est Petrus Crespetius in Summâ Catholicâ, qui existimauit de hac re agere Cyprianum lib.* I. *epist.* II. *& lib.* IV. *epist.* VI. *Nam cùm ait Cyprianus:* Non morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est; *agit ibi de lapsis, quibus non tam morientibus vult communionem dandam, quàm viuentibus: scilicet cùm iam resipiscerent, & pararent se ad quotidie imminentia martyria.*

Matth. 26.

34. SVPER COLVMBAM.] *Columbæ olim & super altaria & super baptisteria in memoriam Spiritus sancti appensæ. Hinc clerici Antiocheni epistola ad Ioannem CP. episcopum, contra Seuerū episcopum suum hæreticum:* Τὰς γὰρ εἰς τύπον τοῦ ἁγίου Πνεύματος χρυσᾶς τε καὶ ἀργυρᾶς περιστερὰς, κρεμαμένας ὑπεράνω τῶν θείων κολυμβηθρῶν, καὶ θυσιαστηρίων, μετὰ τῶν ἄλλων ἐσφετερίσατο, λέγων, οὐ χρῆναι ἐν εἴδει περιστερᾶς ὀνομάζειν τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Columbas aureas & argenteas, in formam Spiritus sancti super diuina lauacra & altaria appensas, vnà cum alijs sibi appropriauit; dicens, non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare. *Lecta est hæc epistola in Synodo Constantinopolitanâ Act.* V. *quæ Synodus habita est Constantinopoli post obitum Agapeti, tempore interregni Pontificij sub Mennâ CP. episcopo anno Christi* DXXXVI. *Eadem hæc citantur in Synodo Generali* VII. *(quæ est* II. *Nicæna) Act.* V.

35. EPHRÆM.] *Narratio, quæ hîc de S. Ephræm promittitur, habetur infrà cap.* XI.

CAP. VII.

36. HEBRÆVS.] *Exemplum hoc, quo Christus formâ pueri in Eucharistiâ monstratur, ex hac Vitâ citat D. Thomas Opusculo* LVIII. *cap.* XI. *Similem habet visionem Paschasius libro De corpore & sanguine Domini cap.* XIV. *quâ oblata fuit Plego presbytero, cùm Christum formâ pueri in altari vidit & amplexus est:* Quatenus, *inquit Paschasius*, & veritas patesceret in ostenso, & sacerdotis desiderium impleretur ex miraculo, nostraque fides firmaretur ex relatu. *Quod exemplum ex Paschasio citat D. Thomas suprà: vbi non rectè* Ægidius *legitur loco* Plegus.

CAP. VIII.

37. HELLADIVS.] *Vitam S. Basilij fuisse scriptam ab Helladio eius discipulo & successore, testatur Ioannes Damascenus Oratione* I. *de Imagin. vbi ex eâ sequentem historiolam citat:* Οὐ γὰρ καινὸν εὕρημα τὸ τῶν εἰκόνων, ἀλλ' ἀρχαῖον, καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ ἐκκρίτοις πατράσιν ἐγνωσμένον τε καὶ εἰθισμένον, ἄκουε· γέγραπται ἐν τῷ βίῳ Βασιλείου τοῦ μάρτυρος, τῷ δι' Ἑλλαδίου τοῦ αὐτοῦ μαθητοῦ καὶ διαδόχου τῆς αὐτοῦ ἱεραρχίας, ὡς παρειστήκει ὁ ὅσιος τῇ τῆς Δεσποίνης εἰκόνι, ἐν ᾗ καὶ ὁ χαρακτὴρ ἐγέγραπτο Μερκουρίου τοῦ ἀοιδίμου μάρτυρος. παρειστήκει δὲ ἐξαιτῶν Ἰουλιανοῦ τοῦ ἀθεωτάτου, καὶ ἀποστάτου τυράννου ἀναίρεσιν. ἐξ ἧς εἰκόνος ἐμυήθη ταύτην τὴν ἀποκάλυψιν· ἑώρα γὰρ πρὸς μὲν βραχὺ, ἀφανῆ τὸν μάρτυρα, μετ' οὐ πολὺ δὲ τὸ δόρυ ἡμαγμένον κατέχοντα. Quòd autem imaginum institutio non noua, sed prisca sit, & apud sanctos & eximios Patres nota, & vsitata; disce ex ijs quæ in vitâ beati Basilij ab Helladio eius discipulo, in pontificatuque successore conscripta sunt. Pius enim vir, vt ipse narrat, Dominæ nostræ adstabat imagini, in quâ Mercurij etiam celebris Martyris figura descripta erat. Adstabat autem supplicans, vt impius Iulianus apostata tolleretur. Ex quâ quidem imagine didicit, quid esset euenturum. Vidit autem Martyrem exiguum ad tempus ab oculis suis euanescentem, non autem multò pòst hastam cruentam tenentem.

38. PROTERIVS.] *Hæc narratio apud solum inuenitur Amphilochium.*

39. TONDERE.] *Alia editio*, consecrare. *Græcè est*, ἀποθρίξαι, tondere. *Nempe quia per tonsuram Deo consecranda virgo erat, ideò alter interpres vertit*, consecrare.

40. DÆMONES FORNICATIONI PRÆPOSITOS.] *Vide dicta suprà ad Vitam S. Hilarionis cap.* XVI. *num.* 35.

41. INTRA QVEM SACRI HABEBANTVR AMICTVS.] *Alia versio:* vno loco interioris sacri periboli. *Græcè est:* Ἐν ἑνὶ τόπῳ τῶν ἱερῶν περιβόλων. *Alter interpretum retinuit Græcum vocabulum, alter rem explicuit.*

42. ANA-

BASILIVS. CAP. IX. 42. ANASTASIVS.] *Hæc narratio apud vnum est Amphilochium.*

43. VSV AVTEM SOROR.] *Insigne exemplum castitatis coniugalis, quod miraculo probatum, dum ignem sinu illæso gestat Theognia, vti hîc ex thuribulo pruna in sinum Theogniæ ad castitatis testimonium iniecta: ita in Vitâ Ioannis Eleëmosynarij cap.* XLVI. *habes simile continentiæ exemplum & miraculum de Abbate, qui Porphyriam meretricem conuertit.*

Quæ antè vxores, pòst sorores & erant & dicebantur, cùm mariti ad sacros Ordines transibant. Idacius in Chronico MS. apud Sirmundum nostrum de Paulini episcopi Nolani vxore: Terasia de coniuge facta soror. *Fortunatus libro* I. *carm.* XV. *de Placidinâ Leontij Burdigalensis episcopi coniuge:*

Quæ tibi nunc coniux, est modò chara soror.

44. TOLLE THVRIBVLVM ET CEREOS.] *Vt in deorum cultu olim thus, lucerna, & faces, eadem in Imperatorum veneratione adhibita. Herodianus in Commodo de Lucillâ sorore eius,* καὶ τὸ πῦρ προεπέμπετο αὐτῇ, & ignis eam præcedebat. *quem honorem negatum Marcia Commodi concubina idem refert; Pertinacem quoque hoc principatus insigne non permisisse sibi præferri. M. quoque Antoninus libris Vitæ suæ,* λαμπάδας *inter Imperij insignia ponit. Persarum Regi prælatum ignem docet Xenophon libro* VIII. *de Asiaticis quoque insinuat Ammianus l.* XXIII. *Vide Lipsium ad lib.* I. *Annalium Taciti.*

Sic lampades Imperatori CP. & Imperatrici prælata, vt habet Codinus de Offic. aulæ Palatinæ, & Theodorus Balsamo mox citandus.

Hinc res hæc ad viros primarios abijt, maximè Patriarchas & primarios Episcopos. Theodorus Balsamo de Priuileg. Patriarch. lib. VII. *Iuris Græco-Romani:* Ἐπεὶ δέ τινες λέγουσιν ὡς οὐκ ἐξεῖται τῷ Ἀλεξανδρείας ἢ τῷ Ἀντιοχείας τυχὸν, μετὰ λαμπάδος πατριαρχικῆς τὰς ὁδοιπορείας ποιεῖν εἰς τὴν τῆς πόλεως βασιλεύουσαν ἢ εἰς ἑτέραν διοίκησιν, παρὰ τὰς ἀπονεμηθείσας ὑπὸ τῶν κανόνων αὐτοῖς. ἡ γὰρ λαμπὰς τοῦ διδασκαλικοῦ (φασὶν) ἐστιν ἀξιώματος, παρ' ἐνορίαν δὲ διδάσκειν οὐκ ἔξεστι ἀρχιερεῖ, κατὰ τὸν κʹ κανόνα τῆς ἐν τῷ Τρούλλῳ ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου: Quia verò nonnulli dicunt non esse permissum Alexandrino vel Antiocheno, verbi gratiâ, vt cum lampade vel face Patriarchali faciat iter ad vrbem Imperatoriam, vel aliam diœcesim, exceptis illis prouincijs, quæ per canones eis attributæ sunt. Quippe fax, inquiunt, ad officium doctoris spectat. Extra prouinciam verò docere, non permissum est Pontifici, secundùm canonem XX. habitæ in Trullo sanctæ atque vniuersalis sextæ Synodi. *Apud quem plura vide de harum lampadum prælatione, & qui eâ vti possint.*

45. THEOGNIA.] *Alia versio:* Theogenia. *Sed Græcè est* Θεογνία.

46. EGO DVCO.] *Alia versio:* ego mino. *Græcè est:* Τὸ δὲ ἵν ἐγὼ ἐλαύνω.

47. QVONIAM NECESSARIA EST DOMVS.] *Alia versio:* quia necessaria sunt domus. *Græcè est:* ὅτι χρεία ἐστὶ τοῦ οἴκου.

CAP. X. 48. MVLIER QVÆDAM.] *Non absimilis historia occurrit in Vitâ S. Ioannis Eleëmosynarij infrà cap.* LI.

49. BVLLAVIT.] *Alia versio:* sigillauit: *Græcè est:* ἐβούλλωσε. Bullare, *pro sigillare frequens vox mediæ ætati. In Vitâ Ioannis Eleëmosynarij infrà c.* LI. Non potes scribere, & bullare, & afferre mihi? *& pòst:* Dat ei proprium pictacium bullatum.

CAP. XI. 50. FRATRES.] *Hoc caput Amphilochio asserit MS. codex Græcus, quo vsus est Gerardus Vossius, & vocat* Comparationem ac similitudinem sanctorum Patrum Basilij & Ephræm Syri. *Præmittit eam Vossius ante opera Ephram. Quædam hoc capite contenta etiam ipse Ephram describit in encomio sancti Basilij.*

51. ROGABAT REVELARI SIBI.] *Vide Delrio nostrum tom.* II. *Disquis. Magic. lib.* IV. *cap.* I. *quæstione* III. *sect.* I. *vbi agit,* An reuelatio à Deo peti possit.

52. SACRARIVM.] *Alia versio,* presbyterium. *Græcè est,* ἱερατεῖον.

53. IN SANCTVM TRIBVNAL.] *Græcè:* εἰς τὸ ἅγιον βῆμα. *Erat* βῆμα *certus locus in templis antiquorum iuxta altare. Vide Onomasticon.*

54. ET FACIENS METANOEAM.] *Græcè,* καὶ ποιήσας μετάνοιαν. *Alia versio:* & genuflectens. *Rectè expressit phrasim Græcam istius sæculi, quo* βαλεῖν μετάνοιαν *erat* genuflectere, honoris causâ ad alicuius pedes se abiicere, & venerabundo animo prosternere, benedictionem petere. *Occurrit in Vitâ S. Chrysostomi, quam citat Ioannes Damascenus Orat.* I. *de Imagin.* βαλὼν μετάνοιαν τῷ Ἰωάννῃ, Ioanni venerabundus ad pedes accidens. *vbi non rectè Franciscus Zinus verterat:* Ioanni desiderium iniiciens. *Vide Iacobum Billium ad locum citatum Damasceni.*

55. POST MISSAS.] *Alia versio:* post ministrationem. *Græcè* μετὰ τὴν λειτουργίαν.

56. OSCVLVM.] *Alia versio,* salutationem. *Vtrumque verum fuit. Nam osculo se salutabant. Ipse Ephram in Panegyrico in laudem Basilij in hac ipsâ re:* Cumque me apprehendisset, sancto suo osculo consalutauit.

57. GRÆCE.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXX. *Damasi Papæ* IV. *Valentiniani & Valentis Impp.* VII. *Addunt, inquit, nonnulli tunc temporis sanctum Basilium eam Ephram fuisse gratiam impertitum, vt Græcè dicta intelligeret, atque Græcè pariter loqueretur. Sed quoniam nihil de his ipse Ephram, qui testatur sibi Basilium per interpretem esse locutum, libentiùs dicere prætermittimus, pauciora potiùs referre contenti, quæ omni sunt fide munita, atque acceptatione dignissima, quàm plura veritate nutantia inculcare. Hactenus Baronius.*

Historia tamen hæc, quæ hîc Amphilochij auctoris nomine circumfertur, habetur etiam in Menologio Græco MS. quod est apud Cardinalem Cremonensem inter Vitas à Basilio Imp. (quem VIII. *laudat Synodus) cum suis Iconibus collectas, vbi ita habes:* Atque vt magis etiam mortalibus prodesse posset (*Ephram*) cùm Cæsaream venisset, à Basilio Magno creatus presbyter, repentè linguam Græcam (cuius erat, vt homo mediâ Syriâ natus, prorsus rudis & expers) callere cœpit. *quæ ex manuscripto citata habes apud Gerardum Vossium initio tomi* I. *Operum S. Ephram.*

58. PRESBYTERVM.] *Idem testatur iam proximè citatum Menologium. Sozomenus tamen libro* III. *cap.* V. *narrat Ephram in ordine clericali ad diaconatum solùm elatum.*

Atque hactenus Vita S. Basilij, vti eam Româ ex Congregatione Oratorij accepi, interprete Vrso, S. R. E. Subdiacono. Quæ planè conuenit cum eâ quæ hactenus barbaro & rudi stylo, incerto interprete, in Vitis-Patrum est diuulgata. Nisi quòd in eâ in fine addatur seu interseratur historia, de Ioseph Hebræo medico, & morte Basilij, *quæ hîc deest. In hac contrà habes caput* III. Quomodo Basilius Antiochiam peruenerit, & Libanij discipulos instruxe-

ſtruxerit. *quod caput deeſt in Vitis-Patrum; vt appareat Vitam hanc olim per varia fragmenta deſcriptam & translatam.*

Integram Vitam Baſilij Græcè ſcriptam, & Amphilochij nomine inſignitam, accepi Pariſijs ex Bibliothecâ Regiâ, quam iam olim vertit neſcio quis: cuius interpretationem habeo ex codice Marchianenſi vetuſtiſſimo, quæ ſtylo conuenit cum eâ, quæ in Vitis-Patrum eſt, rudem planè & impolitam. In Græco tamen exemplari caput vnum eſt, De miraculo Baſilij in Petrum fratrem ſuum & eius vxorem. *quod etiam in illâ verſione deeſt.*

Græcâ hac Vita, & Latina vetus innominati interpretis verſio, continet hæc prætereà capita, quæ & in hac Vitâ Baſilij, interprete Vrſo, & in illâ quæ in Vitis-Patrum hactenus fuit, deſunt. De myſticâ reuelatione & morte Apoſtatæ Iuliani. *Item*, De ſcripturâ, quam muliercula fecit. *Ad hæc*, Quomodo Spiritus ſancti aduentum vidit, & de quodam diacono, & Libanio Sophiſtâ. *Prætereà*, De quibuſdam Gentilibus, & interpretatione Hexaëmeri. *Deinde*, Quomodo ductus eſt Antiochiam, & de filio Valentis. *Denique*, De Valente Deo odibili, ſeu apertione eccleſiæ in Nicæâ.

Surius offenſus impolitiâ veteris verſionis, quam manuſcriptam integram habuit, excepto capite iam dicto, De Petro fratre Baſilij, *eam ſtylo Latiniore reformauit, & tomo ſuo primo de Vitis Sanctorum* 1. *Ianuarij inſeruit. Sed quia ipſi exemplar Græcum defuit, dum inſiſtit confragoſis veteris verſionis veſtigiis, non potuit non ſubinde cæſpitare. Sed aliàs hac de re accuratiùs.*

VITA S. [1] EPHRAEM SYRI [2] DIACONI EDESSAE

1. FEBR.

AVCTORE [3] GRÆCO INCERTO INTERPRETE [4] GERARDO VOSSIO.

CAP. I.

Patria Ephræm.

SANCTVS hic pater noſter Ephræm, ex Oriente oriundus, Syrus genere, pijs parentibus [5] natus in Edeſsâ. Vixit temporibus Conſtantini Magni Regis, & aliorum qui poſt ipſum regnarunt. Abſtinens à puero ab omni re mala. Cuius parentes eo adhuc puero, per ſomnium videlicet viſionem conſpexerunt, quòd ex ore ipſius Ephræm [6] vitis adſcenderet valdè frugifera, quæ excreſcebat, & replebat omnem ſub cælo regionem: veniebantque cuncta volatilia cæli, & comedebant de fructu vitis, & præter quæ comedebant, adhuc ſuperabat fructus. Hic ab ætate iuuenili eremum incoluit, compunctionis ſibi abyſſum vindicans, per quam & diuinam Spiritus ſancti gratiam ſuſcepit.

Viſio parentum.

CAP. II.

Alia de Ephræm viſio.

De quo, quidam diuino afflatus ſpiritu, per ſomnium vidit virum terribilem, tenentem chartę volumen, & interrogabat: Quis, putas, accipere & cuſtodire illud poterit? factaque eſt vox ad eum: Nullus alius, niſi Ephræm ſeruus meus. Quo quidem adſtante, & os aperiente, illudque deuorante, illicò fons ſermonum à Deo proficiſcentium ſcaturijt, compunctione & pœnitentiâ plenus, timorem commemorans iudicij, & ſecundi cum maieſtate aduentus vniuerſorum Regis & Domini Ieſu Chriſti, veri Dei noſtri, vt reddat vnicuique ſecundùm opera ſua. Prætereà etiam diuinorum dogmatum rectitudinem ac veritatem libris mandauit.

Matth. 16. Rom. 2.

CAP. III.

Alius autem quidam ſanctorum ſenum, rurſus in viſione vidit [7] Angelorum agmina ex cælis diuino iuſſu deſcendentia, & in manibus caput, id eſt volumen intus & extrà conſcriptum tenentia. Et dicebant inter ſe: Cui debet liber iſte committi? Et alius quidem hunc, & alij alios nominabant. Alij autem reſponderunt dicentes: Verè ſancti & iuſti ſunt iſti: verumtamen nemini hoc volumen credi poterit, niſi Ephræm miti & humili corde. Viditque ſenex, quòd ſancto Ephræm tradidiſſent caput.

Alia viſio de ſancto Ephræm.

Quanti factus ſit Ephræm.

caput. Et surgens manè, audiuit ex ore ipsius aptissimos pro aliorum instructione sermones, omnis compunctionis & timoris diuini, velut ex fonte aliquo scaturiente, profluentes. Et agnouit senex, à Spiritu sancto illa suggeri, quæ ex illius ore manabant.

CAP. IV.

Cogitat Edessam.

Captus est autem desiderio sanctus hic pater noster Ephræm [8] visendæ Edessenorum vrbis, orauitque Deum dicens: Domine Iesu Christe, dignare me videre ciuitatem illam, & cùm ingrediar, obuiàm mihi habere merear hominem eiusmodi, qui mecum à Scripturâ sermonem exordiatur.

Precatio S. Ephræm.

Et ingredienti iam ei in locum, & pertranseunti portam ciuitatis, [9] occurrit mulier, quæ in ciuitate erat meretrix: quam adspiciens seruus Dei Ephræm, indoluit, sic secum loquens: Domine Iesu Christe, despexisti preces serui tui Ephræm: quo pacto enim hæc de Scripturâ mecum disserat? Substitit autem meretrix, intuens illum. Ad quam sanctus: Dic mihi puella, quid subsistis, & ita intentis in me intueris oculis? Cui respondens meretrix, ait ad eum: Intueor te, quia ego mulier ex te viro sumpta sum. Tu autem ne me intuearis, sed terram ex quâ tu vir sumptus es. Quæ cùm audiret seruus Dei Ephræm, suspexit, & glorificauit Deum, qui talem ei sapientiam dederat, vt eiusmodi ab ipsâ responsum acciperet. Et cognouit suam à Deo nequaquam fuisse spretam orationem. Veniensque in vrbem, diuersatus est ibi.

Occursus mulieris cuiusdam peccatricis.

Responsum planè egregium.

CAP. V.

Casu autem iuxta eius hospitium [10] alia meretrix habitabat: quæ, cùm ille per complures dies in vrbe commoraretur, dixit ad eum: Benedic domine abbas. Et fixis oculis fenestram intuens, vidit illam prospicientem, aitque ad eam: Deus benedicat tibi. Ad quem illa: Quid tuo deest septo atque domicilio? Cui sanctus: Tres lapides & argilla modica, vt fenestra obstruatur, per quam prospicis. Cui ipsa respondit, dicens: Cùm primùm te alloquor, reijcis me: ego dormire tecum cupio, & tu vel à collocutione me excludis? Respondens autem illi seruus Dei Ephræm, ait: Si mecum dormire velis, veni quò dixero tibi, vt ibi simul dormiamus. Ad quem meretrix: Dic mihi, inquit, locum, & veniam. Et sanctus ad illam: Si condormire mihi cupias, non poteris alio in loco, nisi in vrbe mediâ. Respondens autem illa, dixit ad illum: Et non erubescimus conspectum hominum? Et respondens magnus Ephræm, dixit ei: Si homines erubescimus, multò magis Deum erubescere simul & timere oportebit, qui nouit etiam occulta hominum: quoniam ipse est, qui veniet iudicaturus mundum, & redditurus vnicuique secundùm opera sua. Hæc audiens meretrix, compuncta est ex verbis illius: & accedens procidit ante pedes eius, plorans, dicensque: Serue Dei, deduc me in viam salutis, vt à multis meis malis, operibusque improbis liberer. Sanctus autem senex multis eam admonens ex sacrâ Scripturâ, confirmansque illius pœnitentiam, misit ipsam in monasterium, & saluauit eius animam ex cœno flagitiorum.

Alterius scorti insidia.

Argutum Ephræm dictum.

Responsum efficax & salutare.

Rom. 2.

Scortum resipiscit, & monasterium ingreditur.

CAP. VI.

Et discedens à ciuitate illâ, venit Cæsaream Cappadociæ, vbi ingressus templum, reperit sanctum Basilium Archiepiscopum concionantem ad populum: & cœpit magnâ voce beatissimus Ephræm prædicare eum. Dicebant autem quidam de turbâ: Quis est iste peregrinus, qui sic laudat episcopum; quippe adulatur ipsi potiùs, vt aliquid ei largiatur. Peractâ autem iam concione, ait Basilius: Accersite ad me hominem, qui insistebat laudando me. Et accersito eo, dicit ipsi: Quid ita instanter vociferabaris laudando me, domine Ephræm? Respondens autem sanctus senex, dixit: Ideò perseuerabam clamando, & laudando te; quia aspiciebam [11] immaculatam columbam stantem in humero tuo dextero, & in aures tibi suggerentem, quæ populo concionabaris. Magnus autem Basilius Spiritu sancto plenus, ipsum agnouit, & dixit ad eum: Tu ne Ephræm es Syrus? Verè quemadmodum intellexi, sic & in te comperi, quietis amator. Scriptum habetur in prophetâ Dauid: Ephræm fortitudo capitis mei. Nam mansuetudo tua atque clementia, & simplicitas clara est, velut lumen apparens omnibus.

Ephræm Cæsaream venit ad S. Basilium.

Videt in humero eius columbam suggerentem concionem.

Psal. 59. & 107.

CAP. VII.

Alibi rursus transeunte sancto Ephræm, fraudulenter accessit ad ipsum [12] meretrix, quæ assentatoriè eum ad turpem pertrahere nitebatur commistionem: sin minùs, saltem vt ad indignationem ipsum commoueret, quòd nemo vmquam illum vidisset iratum. Qui dixit ad illam: Sequere me. Cùm autem iam appropinquaret ad locum à magnâ ciuitatis turbâ frequentatum, dixit ad eam: Isto in loco, veni faciamus vti cupis. At illa videns turbam, dicit ad eum: Quomodo poterimus istud hîc agere, in tantâ hominum præsentiâ? nónne nos pudet? Et ait ad illam: Si homines erubescis, quantò magis erubescere oportet Deum, abscondita tenebrarum redarguentem. At illa confusa, re infectâ abiit, nihil perficere cum illo valens, & ne ad iram quidem eum concitare.

Scortum vel ad flagitium vel ad iram concitare nititur Ephræm.

Pelag. libello 10. n. 11.

1. Cor. 4.

Nihil proficit.

Atque

CAP. IIX. Atque ista sunt certamina Magni Ephræm. Vir enim erat clemens ac patiens, mansuetus, purus ac simplex, in cognitione diuinâ velut omni fuco carens, se-
Iob. I. cundùm quod scriptum est, demissus atque modestus, humilis, & compunctione plenus, supra fidem; vt etiam ipso tacente, [13] vel ex solo aspectu intuentes ipsum docere videretur. Totus precibus ad Deum fundendis intentus erat. Hic igitur sanctus pater noster, post vitam benè beateque peractam, & cùm se exemplum diuinæ virtutis exhibuisset, plurimosque sanctæ doctrinæ sermones exposuisset, præscius sui obitus, composuit testamentum ad discipulos, & quoscumque monachos, de futuris eos commonefaciens: & sic modicùm ægrotans, quieuit in Domino, à monachis eremi sepulturæ traditus. Precibus igitur & intercessione sancti Ephræm, dignetur & nos peccatores Christus Deus noster facere imitatores diuinæ vitæ ipsius: per quam consequi possimus misericordiam, & remissionem peccatorum nostrorum, in quæ collapsi sumus. Quoniam ipsi Christo & Deo nostro conuenit omnis honor & adoratio, cum Patre, & sancto ac viuifico Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

Etiam tacens solo aspectu populum docet Ephram · *Testamentum ab Ephram piè conditum.*

NOTATIO.

1. EPHRÆM.] *Martyrologium Romanum* I. *Februarij:* S. Ephræm Edessenæ ecclesiæ diaconi, qui post multos labores pro fide Christi susceptos, sub Valente Imperatore sanctitate & doctrinâ conspicuus quieuit in Domino. *Menologium Gracum* XVIII. *Ianuarij:* Natalis S. Patris reuerendissimi Ephræm Syri, ex patriâ Edessâ, in cuius laudem exstat sermo S. Gregorij Nysseni. *Eiusdem eodem die breue in Menais habes elogium.*

2. DIACONI EDESSÆ.] *Ita Hieronymus Catalogo illustrium Ecclesia Scriptorum c.* CXV. Ephræm Edessenæ ecclesiæ diaconus, multa Syro sermone composuit: & ad sanctam venit claritudinem, vt post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam ecclesijs eius scripta recitentur. Legi eius de Spiritu sancto Græcum volumen, quod quidam de Syriacâ linguâ verterat, & acumen sublimis ingenij etiam in translatione cognoui. Decessit sub Valente Principe. *Palladius quoque cap.* CI. *Lausiaca historia* diaconũ ecclesiæ Edessenæ *vocat.*

3. GRÆCO INCERTO.] *Inuenta est hac Vita Roma in vetustissimis MSS. Gracis Vaticanis & alijs anonyma; nisi quòd in vetustissimo manuscripto Graco Cod. Bibliothec. Crypta fer. sub litt.* XX. *eiusmodi inscriptio reperitur:* Περὶ τοῦ Κυροῦ Ἐφραίμ. ἴσ. τοῦ Ἀμφιλοχίου ἐπισκόπου. De Domno Ephræm. fortè, Amphilochij episcopi.

Habes egregium Ephram encomium à Gregorio Nysseno Gracè conscriptum, Gerardo Vossio interprete, inter Opera Ephram, & in postremâ Nysseni editione: qui testatur, ex varijs scriptis Ephram Vitam eius se continnasse, & sedula instar apis, ex plurimis floribus fauum spiritualem confecisse. Metaphrastes quoque vitam Ephram conscripsit, quam habet Lipomanus tomo V. *de Vitis SS. & Surius tomo* I. *De Ephram quoque Vincentius in Spec. historial. lib.* XIV. *cap.* LXXXVI. *Antoninus part.* II. *tit.* IX. *cap.* IV. §. I. & II. *Petrus episcopus Equilinus in Catalogo SS. lib.* III. *cap.* LXX. *qui sua desumpserunt ex Vitâ S. Basilij per Amphilochium, qua in eius Vitâ pracedente habes cap.* XI.

4. GERARDO VOSSIO.] *Fuit hic Doctor Theologus, Prapositus Tungrensis, patriâ Borchlonius, è Comitatu Lossensi, diœcesis Leodiensis. qui multis annis Roma vixit, & varia Patrum Opera è Graciâ in Latinum deduxit. Quorum, qui volet, catalogum reperiet in fine tomi* III. *Operum S. P. N. Ephram.*

5. NATVS IN EDESSA.] *Ita etiam Metaphrastes. Sozomenus libro* III. *cap.* XV. *Nisibi natum ait:* ὃς ἐκ Νισίβης ὤν, τῇ τῇ δὲ ἐπιχωρίων τὸ γένος εἶχεν: Qui Nisibi natus, genus ex illius vrbis indigenis duxit. CAP. I.

6. VITIS ASCENDERET.] *Eamdem visionem habes assertore Gregorio Nysseno in encomio S. Ephram, & Metaphraste in eius Vitâ, & Menologio Graco manuscripto Cardinalis Cremonensis, capite vltimo pracedentis Vita citato.*

7. ANGELORVM AGMINA.] *Et huius visionis assertorem habes Nyssenum iam citatum, & Metaphr.* CAP. III.

8. VISENDÆ EDESSENORVM VRBIS.] *Non ex nouitate quadam, sed desiderio inuisendi loca sancta, & hauriendi aliquam vtilitatem ex consortio sapientum, & eam quoque alijs impartiendi. Nyssenus suprà:* Hisce verò de caussis eò concessit, vt loca ibi sancta inuiseret, tum vt sapientem aliquem conueniret virum, ac cognitionis ipse fructum vel caperet, vel alijs præberet. *Eo animo Ephram properasse Edessam, refert etiam Metaphrastes.* CAP. IV.

9. OCCVRRIT MVLIER.] *Eadem habes apud Gregorium Nyssenum in encomio S. Ephram, item apud Metaphrastem.*

10. ALIA MERETRIX.] *Hanc historiam, opinor, respicit Gregorius Nyssenus in encomio S. Ephram, dum ait:* Ex impudicâ pudicam, ex lasciuâ grauem, ex inquinatâ puram castamque reddidit. *Tota est apud Metaphrastem, vbi quod hic est tuo* septo, *ibi est* tuo cibo. CAP. V.

11. IMMACVLATAM COLVMBAM.] *Idem narrat Gregorius Nyssenus in encomio Ephram: & habes etiam apud Metaphrastem.* CAP. VI.

Simile habes in Vitâ S. Gregorij apud Ioannem Diaconum libro IV. *cap.* LXIX. *vbi Petrus Diaconus, qui S. Gregorij familiarissimus fuit, narrat,* quòd super caput *(Gregorij)* ipse Spiritum sanctum in similitudine columbæ tractantis frequentissimè perspexisset. *Et sequenti capite subdit Ioannes Diaconus:* Hinc est, quòd consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie columbæ super scribentis Gregorij caput depingitur.

12. MERETRIX.] *Idem habes infrà libro* V. *De Vitis PP. apud Pelagium libello* X. *n.* 21. CAP. VII.

13. VEL EX SOLO ASPECTV.] *Nyssenus suprà:* Aspectusq; eius Angelicus sufficiens erat, qui per se absque vllâ oratione intuentes ad commiserationem permoueret. CAP. VIII

VITA SANCTI [1] SIMEONIS [2] STYLITAE

V. IAN.

AVCTORE [3] ANTONIO EIVS DISCIPVLO.

CAP. I.

Simeon electus ex vtero matris.

SANCTVS Simeon ex vtero matris suæ electus est à Domino, & meditabatur parêre & placere illi: [4] erat autem isti pater Susocion nomine, & nutriebatur à parentibus suis. Qui cùm factus fuisset annorum tredecim, pascebat oues patris sui: *Pascit oues.* & videns [5] ecclesiam, relictis pecoribus, ingressus est: audiuitque Apostolum ibi legi. interrogansque vnum seniorem, ait: Domine, quid est istud quod legitur? senex respondit ei: Pro substantiâ animæ vt discat homo timere Deum ex toto corde, & ex totâ mente suâ. *Inuestigat viam salutis. Lucæ 10.* Dixit beatus Simeon: Quid est timere Deum? Dixit ei senior: Quare me flagitas fili? Et ille: Quasi Deum, inquit, interrogo te. Ista enim, quæ à te audio, discere volo, quia ignarus sum & stultus. Respondit ei senior: Si quis ieiunauerit iugiter, & obsecrationes fecerit per momenta, & humiliauerit seipsum omni homini, & non dilexerit aurum, neque parentes, neque vestimenta, neque possessiones, & honorat patrem & matrem, & sacerdotes Dei prosequitur, hic hereditabit regnum æternum: & qui econtrariò ista non custodit, hic hereditabit tenebras exteriores, quas parauit Deus diabolo & angelis eius. *Matth. 22. Eiusdẽ 25.* Ista omnia, fili, in monasterio exaggerantur. Audiens hæc beatus Simeon, cecidit ad pedes eius, dicens: Tu es pater meus & mater mea, & doctor operum bonorum, & dux ad regna cælorum. *Doctorem salutis pro patre habet.* Tu enim acquisisti animam meam, quæ iam mergebatur in perditionem. Dominus reddat tibi vicissitudinem pro animâ meâ. Ista sunt enim quæ ædificant. ego autem iam nunc vadam, sicut docuisti, in monasterium, vbi Deus voluerit: & fiat voluntas eius in me. dixit illi senior: Fili, priusquam ingrediaris monasterium, audi quæ dico. Tribulationem habiturus es: necesse est enim te seruire & vigilare in nuditate, & indesinenter sustinere mala: & iterùm confortandus es, vas pretiosum Deo.

CAP. II.

Et statim exiens beatus Simeon de ecclesiâ, ibat [6] in monasterium sancti Timothei [7] magnifici viri: & procidens ante fores monasterij, iacebat per dies quinque non manducans neque bibens. *Petit monasterium S. Timothei.* Et die quintâ egrediens abbas Timotheus, interrogauit eum, dicens: Vnde es fili? aut quos parentes habes qui sic afflictus es? aut quod est nomen tuum, ne fortè aliquid mali gesseris, aut forsitan seruus sis, & dominum tuum fugias? *Examinatur ante susceptionẽ.* Tunc beatus Simeon cum lacrymis dixit: Nequaquam domine, sed opto vt sim seruus Dei, si ipse voluerit, quia volo seruare animam meam perditam. Iube ergo me introire in monasterium, & omnibus deseruire: noli me foris diutiùs dimittere. Tunc apprehensa manu eius, introduxit eum abbas in monasterium, dicens fratribus: Filioli mei, ecce trado vobis istum fratrem, docete eum canones monasterij. *Canones monasterij.* Fecit autem in monasterio quasi menses quatuor, seruiens omnibus sine querelâ, in quibus Psalterium ex integro memoriæ commendauit, quotidiè percipiens cibum diuinum. *Quotidie communicat.* Cibum verò quem simul cum fratribus accipiebat, tacitè pauperibus erogabat, non sollicitus de crastino. Fratres ergo ad vesperam, ille verò septimo die cibum sumebat. *Septimo tantùm die cibum sumit.*

CAP. III.

Vnâ autem dierum ingressus ad puteum aquam haurire, sumpsit funem de situlâ, vnde fratres aquam hauriebant, & inuoluit eum toto corpori suo nudo à renibus vsque ad collum: *Fune totũ corpus constringit.* & ingressus, dicit fratribus: Exiui haurire aquam, & non inueni funem in situlâ. Et illi dixerunt: Tace frater, ne fortè agnoscat abbas, quousque tempus prætereat. Putrefactum est autem corpus eius de obligatione & asperitate funis, quia seca-

secabat eum vsque ad ossa: ingressus est enim in carnem ita, vt vix appareret. Quadam autem die exeuntes aliqui de fratribus, *Cibum pauperibus erogat.* inuenerunt eum cibum suum dantem pauperibus: & regressi, dixerunt abbati: Vnde nobis adduxisti hominem istum? Non possumus abstinere sicut ille: de Dominicâ enim in Dominicam ieiunat, cibos quos accipit, pauperibus erogat: sed & fœtor grauissimus egreditur de corpore eius, ita vt nullus iuxta eum stare possit: & *Corpus eius scatet vermibus.* cùm ambulat, vermes de corpore eius cadunt, lectusque eius plenus est vermibus. Tunc exiens abbas inuenit sicut illi dixerunt; cui ait: Fili, quid est quod dicunt fratres de te? Non tibi sufficit ieiunare sicut nos? An non audiuisti Euangelium, de doctoribus dicens, *Matth. 10.* quia non est discipulus super magistrum: erit autem omnis perfectus, si sit sicut doctor eius? dic mihi fili, fœtor iste vnde procedit? Stans beatus Simeon, nihil respondit. Et iratus abbas, iussit eum spoliari, & inuenerunt funem circa corpus eius, ita vt nihil pareret de eo nisi summitas tantùm. exclamans autem abbas voce magnâ, dixit: Vnde nobis aduenit iste homo, destruere volens regulam monasterij? Rogo ergo te, discede hinc, & perge quò vis: cum multo tamen dolore & labore tulerunt à corpore eius funem, de quo erat *Curatur à fratribus.* inuolutus, vnà cum carne eius putridâ. facientes autem illi studium per multos dies, sanauerunt eum.

Cap. IV. Sanatus autem post hæc, exiuit de monasterio, nullo sciente: & ingressus est puteum desertum, vbi non erat aqua, non *Puteum desertum ingreditur.* longè à monasterio, vbi immundi spiritus inhabitabant. Et ipsâ nocte reuelatum est abbati, quòd multitudo populorum circumdarent monasterium suum cum fustibus & gladijs, dicentes: Da nobis seruum *Visio abbatis Timothei.* Dei Simeonem, Timothee. Sin autem, incendemus te cum monasterio tuo, quoniam exasperasti hominem iustum. Qui euigilans, ait fratribus: Filioli mei, visionem vidi, & multùm turbatus sum in eâ. Et in aliâ nocte vidit multitudinem virorum fortium adstantium & dicentium ei: Da nobis seruum Dei Simeonem: dilectus est enim Deo & Angelis: quare illum vexasti? maior te est apud Deum: omnes enim Angeli contristantur propter illum. ipsum autem præponere habet Deus in mundo, ita vt per illum multa signa fiant, qualia nemo *Quæritur à monachis.* fecit. Tunc exurgens abbas, cum magno timore dixit fratribus: Requirite mihi hominem illum, & adducite in hunc locum, ne fortè omnes moriamur propter illum. Verè enim sanctus Dei est: mirabilia enim magna vidi & audiui de illo. Tunc omnes monachi exierunt eum quærere, & omnia perlustrantes & non inuenientes, renuntiauerunt abbati dicentes: Nullum locum reliquimus, vbi eum non quæsissemus; nisi tantum in deserto puteo. Respondit abbas: Rogo vos, fratres, ite ad perquirendum eum: sed & ego vadam vobiscum. verè sanctus & seruus Dei est. Et sumens secum quinque ex illis, venit ad puteum. Et faciens orationem, descendit cum fratribus in puteum. Vidensque illum beatus Simeon, *Reperitur in puteo.* cœpit rogare, dicens: Rogo vos serui Dei, dimittite me vnâ horâ, vt reddam spiritum meum: adhuc enim modicum, deficiens est. valdè autem fatigatur anima mea, quoniam exasperaui Dominum. Dixitque ad illum abbas: Veni serue Dei, vt deducamus te in monasterium: cognoui enim de te, quia seruus Dei es. Illo verò nolente, adducunt eum vi ad monasterium: & omnes prosternunt se ad pedes eius, flentes & dicentes: Peccauimus in te, famule Dei, indulge nobis. Beatus autem Simeon gemebat, dicens: Quare grauatis infelicem & peccatorem? Vos autem estis serui Dei & patres. Stetit autem ibi quasi annum vnum.

Cap. V. Post hæc egressus occultè, pergit non longè à monasterio, ibique multo tempore fuit, ædificauitque sibi [8] clausuram ex lapide sicco, ibique fuit annos tres: & veniebant ad eum multi ad orationem. Deinde *Columnæ insistit.* fecit columnellam cubitorum quatuor, stetitque in eâ annos quatuor. crescebat autem de eo fama sancta per orbem terræ, & faciunt ei columnam habentem cubitos duodecim, & stetit in eâ annos duodecim. Rursumque fecerunt columnam cubitorum viginti, stetitque in eâ annos duodecim. Tunc congregati sunt omnes habitatores loci illius, & ædificauerunt iuxta ipsam columnam basilicas duas, & columnam cubitorum triginta: & super ipsam stetit annos quatuor, & cœpit virtutes facere. Multi languidi veniebant ad eum, & *Admiranda signa edit.* dæmonia habentes, & curabat eos: cæci visum recipiebant, debilium manus restituebantur, surdi auditum recipiebant, leprosi mundabantur. Multas hic gentes in*Gentes varias ad Deum conuertit.*clinauit ad fidem Christianam, id est, Saracenos, Persas, [9] Armacenos & [10] Laotos: similiter & Allophylos. audientesque de eo & de virtutibus eius, conueniebant & adorabant eum.

Cap. VI. Tunc inuidus diabolus transformauit se in speciem Angeli, fulgens in splendore *Diaboli præstigia.* cum equis igneis. & currus igneus apparuit iuxta columnam, vbi stabat beatus Simeon,

meon, illuxitque cum fulgore & splendore quasi specie Angeli fulgens. Et dixit diabolus blandis sermonibus: Simeon, audi verba mea, quæ tibi Dominus mandauit. Misit me Angelum suum cum curru igneo & equis igneis, vt rapiam te, quomodo rapui Eliam. Tempus tuum iam est. Et tu similiter ascende iam mecum in currum: quia Dominus cæli & terræ transmisit hunc. ascendamus pariter in cælos; vt videant te Angeli & Archangeli cum Mariâ matre Domini, cum Apostolis & Martyribus, Confessoribus & Prophetis: quia gaudent videre te, vt ores Dominum qui te fecit ad imaginem suam. Etiam locutus sum tibi, ne tardes adscendere. Simeon completâ oratione, dixit: Domine, vis rapere me peccatorem in cælum? Et eleuans dexterum pedem vt adscenderet in currum, leuauit dexteram manum, & fecit signaculum Christi. Cùm signum crucis fecisset, continuò diabolus nusquam comparuit. cum argumento suo euanuit, sicut puluis ante faciem venti. Tunc intellexit Simeon artem esse diaboli.

Diaboli ad Simeonem blanditia. *4.Reg. 2.* *Signo crucis pellit diaboli præstigias.*

CAP. VII.

Præpropero pedi pœnam indicit.

Reuersus ergo in se, dixit pedi suo: Non reuerteris retrorsum hinc, sed stabis hic vsque ad obitum meum, donec accersiat Dominus me peccatorem. Intereà diabolus in frigore apposuit vulnus super femur eius, & putrefactum est ita vt multitudo vermium scatescens de eo, descenderet de corpore eius, decurrebatque de pedibus eius in columnam, & de columnâ in terram. Anno autem integro stetit in columnâ super vnum pedem. Quidam autem iuuenis adstitit ei, Antonius nomine, qui vidit & scripsit hæc. Iuxta præceptum illius colligebat vermes, qui cadebant ad terram, porrigebatque illi sursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere, ad similitudinem iusti Iob, dicens: Manducate quod vobis Dominus dedit.

Vno pede columnæ insistit anno integro. *Antonius scriptor huius Vitæ.*

CAP. VIII.

Basilicus Rex Saracenorum eum inuisit. *Vermis in margaritam vertitur.*

Audiens autem [11] Basilicus rex Sarracenorum famam eius, venit ad eum. Videns autem illum stantem sursum & orantem, subitò cecidit vermis de corpore eius. At ille currens apprehendit eum in fide, [12] & posuit super oculos suos. Et videns Simeon, ait: Quare hoc fecisti, vir illustris, & me grauasti? Vermis est enim de corpore meo putrido. Et cùm hæc audisset rex Basilicus, aperiens manum suam, inuenit margaritam pretiosissimam. Et dixit ad beatum Simeonem: Non est vermis putridus, sed margarita pretiosissima; cui ille respōdit: Homo, secundùm fidem tuam data est tibi, & benedicetur in manibus tuis omnibus diebus vitæ tuę. Et ita ingressus est homo ille plenus fide.

CAP. IX.

Renuit matris aspectum. *Locus mulieribus interdictus.*

Post multum verò temporis, audiens [13] mater eius famam de eo, venit videre eum: sed prohibita est videre eum, [14] quia locum illum mulier non ingrediebatur. Cùm autem audisset beatus Simeon vocem matris suæ, dixit ei: Sustine mater modicum tempus, & simul nos videbimus, si Deus voluerit. At illa hæc audiens, flere cœpit, & rogare vt eum videret, & solutis crinibus, increpabat eum, dicens: Fili, quare hoc fecisti? pro vtero quo te portaui, satiasti me luctu: pro lactatione quâ te lactaui, dedisti mihi lacrymas: pro osculo quo te osculata sum, dedisti mihi amaras cordis angustias: pro dolore & labore quem passa sum, imposuisti mihi sæuissimas plagas. Et tantum locuta est, vt nos omnes faceret flere. Audiens beatus Simeon vocem genitricis suæ, posuit faciem suam in manus suas, & plorauit amarè, mandauitque illi, dicens: Domina mater, quiesce modicum tempus, & videbimus nos in æternâ requie. At illa cœpit dicere: Per Christum qui te plasmauit, si est possibilitas videndi te, in tanto tempore alienum à me, permitte me videre te, aut si non, vel vocem tuam audiam, & statim moriar, quia pater tuus in tristitiâ propter te mortuus est. Et nunc ne me in ipsâ amaritudine perdas, fili. Hæc dicens, præ tristitiâ & planctu in somnum conuersa est: habebat autem tres dies & tres noctes, non cessans deprecari eum. Tunc beatus Simeon orauit ad Dominum pro illâ, & statim reddidit spiritum. Colligentes verò corpusculum eius, adduxerunt in conspectu eius. Et ille flens, ait: Dominus suscipiat te in gaudio, quia tribulata es propter me, & portasti me in vtero mensibus nouem, atque lactasti simul etiam & nutristi cum labore. Hæc eo dicente, matris vultus sudabat, & corpus eius commotum est, nobis omnibus inspicientibus. Ille autem eleuans oculos ad cælum, dixit: Domine Deus virtutum, qui sedes super Cherubim, & scrutaris fundamenta abyssi, qui cognouisti Adam antequam esset, qui promisisti regni cælorum diuitias diligentibus te, qui locutus es Moysi in rubo ignis, qui benedixisti Abraham patrem nostrum, qui introducis in paradisum animas iustorum, & animas impiorum mergis in perditionem, qui duos leones humiliasti, & fortia Chaldæorum incendia mitigasti seruis tuis, qui Eliam coruis deferentibus escam pauisti, suscipe animam eius in pace, & colloca eam in locum patrum sāctorum, quia tibi est potestas in sæcula sæculorum.

Matrem spe æternæ visionis solatur. *Mater eius præ dolore exspirat.* *Orat pro animâ defunctæ matris.* *Exodi 3.* *Gen. 22.* *Dan. 6.* *Dan. 3.* *3.Reg. 17.*

CAP. X.

Post hos verò dies rursum fecerunt ei columnam habentem cubitos quadraginta, & stetit

stetit super ipsam annos sedecim vsque ad obitum suum. In quo tempore draco grandis nimis habitabat iuxta eum in partibus Aquilonis, vnde nec herba ibidem nascebatur, cui etiam intrauit lignum in oculo dextero. Et ecce quadam die veniebat cæcus ille draco, & trahens se applicuit ad habitaculum in quo vir Dei morabatur, totus in gyrum se complicans, quasi veniam poscens, humiliatoque capite iacebat. Quem beato Simeone intuente, statim exiuit de oculo eius lignum habens cubitum vnum. Videntes autem omnes, glorificauerunt Deum, tamen ab eo fugerunt propter metum. Sed bestia ipsa inuoluit se, & mansit in vno loco immobilis, quamdiu omnis populus pertransiret. Deinde surgens, adorauit ostium monasterij ferè per duas horas, & sic reuersa est in cubile suum, & neminem læsit.

Draconi beneficium præstat.

Adorat eum draco.

Cap. xi. Mulier quædam sitiens nocte, venit ad hydriam aquam bibere, in quâ erat paruulus serpens: & bibens, deglutiuit illum, & creuit in vtero eius. Sed multi medici, & incantatores, & magi, adhibentes studium, nihil profecerunt. Post aliquod verò tempus adducitur ad sanctum Simeonem: at ille iussit eam poni in terram, & de aquâ monasterij in os eius mitti, tunc exclamauit fortiter, & statim exiuit de ore eius serpens, cuius longitudo erat cubitorum trium. Eadem horâ crepuit serpens, qui etiam ad multorum testimonium suspensus est ibi septem diebus. Et sana facta est mulier ex illâ horâ.

Mulierem à serpente liberat aquâ monasterij.

Cap. xii. Virtutes eius quamuis alicuius facundia enumerare vix valeat, tamen prout sunt vires, omnino silentio eas tegi minimè patiar. Factum est autem vt aqua in loco non inueniretur, & totus populus periclitabatur, & omnia animalia præ aquæ penuriâ. Videns verò sanctus Simeon contritionem eorum, stetit ad orationem. Circa decimam autem diei horam subitò dirupta est terra, & factum est chaos magnum ab Orientali parte ipsius monasterij: & inuenta est quasi spelunca, inæstimabiliter multam habens aquam. Tunc iussit fodi septem cubitis, & ex eo tempore superabundauit aqua in illo loco vsque in præsentem diem.

Aquam oratione impetrat.

Quo in tempore expetentes quidam de longè orationem ipsius & opera, meridianâ horâ diuerterunt paululùm ad vmbraculum arboris propter æstum ad repausandum. Cùmque sederent, ecce subitò prægnans cerua præteribat secus illos, & dixerunt ad illam: Per orationem sancti Simeonis te coniuramus: modicum sta, vt te comprehendamus. Quæ stetit eadem horâ. Apprehendentesque eam, occiderunt, & comederunt partem aliquam ex eâ. statimque obmutuerunt, & sic veniebant, sicut & cerua illa. Currentes autem, venerunt ad sanctum Simeonem, portantes corium eius, & fecerunt ibi duos annos, & vix aliquando sanitatem recipere potuerunt. Iniquum est enim, peccatum eorum recitare. Corium autem ceruæ suspenderunt ibi ad testimonium multorum.

Ad nomen Simeonis cerua sistitur.

Cerua corium velut miraculi anathema in templo suspenditur.

Sed & pardus immanis erat in locis illis, qui & homines & animalia interficiebat, & in gyro omnia vastabat. Venientes autem homines loci illius ad sanctum Simeonem, nuntiauerunt ei quòd tanta ac talia mala pardus operaretur. Tunc sanctus Simeon iussit de terrâ vel de aquâ monasterij adspergi in illa loca. Et factum est. Exquirentes verò postmodum, inuenerunt ipsum pardum iacentem mortuum: & omnes glorificauerunt Deum Simeonis. C. xiii.

Sparso puluere vel aquâ monasterij noxius pardus interit.

Quemcumque tamen sanabat, præcipiebat illi, dicens: Vade in domum tuam, & honorifica Deum qui te sanauit, & ne audeas dicere quòd te Simeon curauerit, ne tibi subitò deterius contingat: & ne præsumas iurare per nomen Domini, quia graue peccatum est: sed [15] in me humili & peccatore iura siue iustè siue iniustè. Quam ob caussam omnes Orientales & barbaræ gentes, quæ sunt in illis regionibus, per eum iurant. Cap. xiv.

Curationum honorem Deo tribuit.

Iuramentum in nomine Simeonis.

Latro quidam de Antiochiâ, qui nominabatur [16] Ionathas, multa mala faciens, cùm à multis persequeretur, nec posset se iam ab illis abscondere, quasi leo à facie multorum persequentium fugiens, subitò ingressus est monasterium: & amplexus columnam sancti Simeonis, cœpit amarissimè flere. At ille dixit ei: Quis es? aut vnde venisti homo, aut cur hîc introisti? At ille: Ego sum Ionathas latro, qui omnia mala feci, veni hîc pœnitere. Ait itaque sanctus Simeon: Talium est regnum cælorum. sed ne velis me tentare, ne iterùm inueniaris in sceleribus ipsis quæ reliquisti. Hæc illo loquente, ecce [17] officiales veniebant ab Antiochiâ, dicentes: Trade nobis inimicum & maleficum Ionathan, ne subitò commoueatur ciuitas in seditionem. Bestiæ enim paratæ sunt ad deuorandum eum. Respondit eis beatus Simeon: Filioli mei, ego non adduxi eum huc: quoniam qui adduxit eum, maior nobis est, & istis talibus subuenit: etenim talium est regnum cælorum. Et si potestis intrare, rapite eum hinc. ego autem non possum, quia timeo eum qui illum misit ad me. Audientes autem hæc viri illi, regressi sunt cum timore Cap. xv.

Ionathas latro ad columnam velut ad asylum fugit.

Matth. 19.

Ibidem.

magno, & renuntiauerunt omnia Antiochiæ: sed Ionathas latro per septem dies amplexans & tenens columnam, dicit ad beatum Simeonem: Domine, si iubes, ambulare volo. Respondit illi iustus: Iterùm in ipsa mala festinas? Dixit illi Ionathas: Non domine, sed tempus meum impletum est. Et sic loquens cum eo, reddidit spiritum. Et volentibus eum sepelire iuxta monasterium, ecce alij officiales veniebant ab Antiochiâ propter illum, & cœperunt clamare & dicere: Da nobis inimicum nostrum: omnis enim ciuitas turbata est propter illum. Respondit ei beatus Simeon: Qui illum adduxit, venit cum multitudine cælestis militiæ, qui potens est in tartarum mittere ciuitatem vestram cum habitantibus in eâ, qui etiam hunc reconciliauit sibi: & ego timui ne subitò occideret me: ne ergo ampliùs fatigetis me humilem & pauperem. Et ita cum timore regressi sunt, nuntiantes omnia quæ viderant & audierant.

Feliciter exspirat Ionathas.

CAP. XVI.

Post paucos verò annos, factum est vnâ die, hoc est, sextâ Sabbati, & inclinauit se ad orationem, sustinens tres dies, id est, sextâ, Sabbato, & Dominico. Tunc ego pauefactus ascendi ad ipsum, & steti in conspectu eius, dixique ad eum: Surge domine: benedic nos: quoniam populus tres dies & tres noctes habet, exspectans benedictionem à te: & non respondit mihi. & rursus aio ad eum: Quare me contristas domine, aut quid offendi? Supplico, mitte mihi manum: aut forsitan iam à nobis migrasti? Et sentiens quòd non loquebatur mihi, cogitaui vt nulli dicerem, quia timebam illum tangere. & stans quasi horâ mediâ, inclinaui me, & posui aurem meam ad auscultandum: & non erat flatus, nisi tantùm quasi odor multorum aromatum adscendebat de corpore eius: & sic intellexi quia requieuit in Domino. & hebefactus, planxi amarissimè: & inclinans me, [18] osculatus sum oculos eius, & barbam complexus crinesque capitis eius. & increpans dixi: Cui me domine derelinquis? vel vbi requiram tuam Angelicam doctrinam? Quale responsum reddam pro te? aut cuius anima respiciat columnam sine te, & non lugeat? Quale responsum reddam infirmis, quando veniunt & requirunt te hîc, & non inueniunt? Quid dicam, aut quid loquar ego humilis? Hodie video te, crastinâ verò considero ad dexteram siue ad sinistram, & non inuenio te. Aut quo amictu operiam columnam tuam? Heu me, quando veniunt aliqui de longè quærentes te, & non inueniunt! Et præ multâ tristitiâ obdormiui. Statimque apparuit mihi, dicens: Non derelinquam columnam hanc, nec locum & montem hunc benedictum, in quo illuminatus sum: sed descendens, satisfac populo: & annuntia de me Antiochiæ secretè, ne tumultus fiat in populo. Ego enim requieui, sicut Dominus voluit: tu autem ne cesses ministrare in hoc loco, & reddet tibi Dominus mercedem in cælis. Exurgens autem à somno, pauefactus dixi: Domine, memento mei in requie sanctâ tuâ. Et subleuans vestimenta eius, procidi ad pedes eius, & osculatus sum vestigia illius: & tenens maius eius, posui super oculos meos, dicens: Benedic, obsecro, mi domine. Et iterùm fleui & dixi: Quales reliquias tollam à te in memoriam? Et hæc dicens, motum est corpus illius. ego autem timui tangere eum.

Per triduum ante obitum orat Simeon.

Mortui corpus odorem spirat.

Simeonis lipsanum osculatur venerabundus Antonius.

Simeon apparet Antonio discipulo.

Eius preces postulat Antonius.

Amor reliquiarum.

CAP. XVII.

Et vt nemo sciret, descendi celeriter: & fidelem fratrem misi Antiochiam [19] ad episcopum. Qui statim veniens cum tribus episcopis, & cum illis [20] Ardaborius magister militum cum suis, tendentes cortinas circa columnam eius, defixerunt vestimenta sua. Erant autem conficta ab auro. Et deponentibus eum iuxta altare ante columnam, colligentibusque se, aues volabant super columnam, clamantes & quasi lugentes, ita vt omnes viderent. Planctus etiam populi & iumentorum resonabat per milliaria septem. sed & montes, & campi & arbores contristati sunt circa loca illa: vbique enim nebula tenebrosa facta est per circuitum. Ego autem considerabam [21] Angelum venientem ad visitandum eum. Circa horam septimam seniores septem loquebantur cum Angelo, vultus cuius erat sicut fulgur, & vestimenta sicut nix. Et vocem eius in timore & tremore tamdiu consideraui, quamdiu audire potui: quid tamen fuisset, ignoro.

Ardaborius magister militum.

Aues aliaque creatura mortem Simeonis plangunt.

Ab Angelis deducitur Simeon.

CAP. XIIX.

Cùm autem iaceret sanctus Simeon in feretro, volens Papa Antiochiæ de barbâ illius pro benedictione aliquid contingere, extendit manum, statimque arefacta est: multæque obsecrationes & orationes fiebant ad Deum pro eo, & sic restituta est manus eius.

Pœna volentis mutilare corpus Simeonis.

CAP. XIX.

Supponentes autem corpus feretro, [22] cum psalmis & hymnis duxerunt Antiochiam. Omnis autem populus, qui erat per circuitum regionis illius, plangebat, quòd patrocinium tantarum reliquiarum tolleretur ab eis, & quòd episcopus Antiochiæ iurasset, vt nemo tangeret corpus illius.

Cum psalmis & hymnis funus ducitur.

Reliquiarum patrocinium.

CAP. XX.

Venientes verò in quintum milliarium ab Antiochiâ, in vicum qui vocatur [23] Meroë, nullus potuit mouere eum. Tunc quidam

dam homo annis quadraginta surdus & mutus, subitò cecidit ante feretrum, & cœpit clamare, & dicere: Benè venisti serue Dei, tuus enim aduentus me saluabit: & si meruero viuere, ego tibi seruiam omnibus diebus vitæ meæ. Et eleuans se, apprehendit vnum [24] de burdonibus qui portabant feretrum, statimque mouit se de loco isto. Et ita sanus factus est homo ex illâ horâ. Peccatum autem hominis illius tale erat: Hic amabat vxorem alienam, & volens eam adulterare, non potuit: & mortua est, & posita in monumento. At ille iuit, & violauit sepulcrum eius: statimque obmutuit, & surdus factus est, & obligatus est in illo loco annis quadraginta.

Surdus idem mutúsque sanatur.

Adulter sepulcri violator 40. annis obmutuit & obsurduit.

Cap. XXI. Tunc exeuntes omnes de ciuitate Antiochiæ, suscipiunt super argentum & aurum corpus sancti Simeonis, cum psalmis & hymnis, & [25] cùm multis lampadibus portauerunt in ecclesiam maiorem, & inde in aliam ecclesiam, quæ vocatur Pœnitentia. Multæ etiam virtutes fiunt ad sepulcrum eius, magis quàm in vitâ suâ: & homo qui sanus factus est, ibi seruiuit vsque in diem mortis suæ. Multi autem obtulerunt thesauros episcopo Antiochiæ pro fide, poscentes reliquias de corpore eius: sed propter iusiurandum minimè præstitit.

Lipsanum Simeonis cum hymnis, psalmis & lampadibus suscipitur.

Ecclesia Pœnitētia.

Ego humilis & peccator Antonius, inquantum potui, lectionem hanc breuiter exposui. Beatus autem qui habet illam scriptam in libro, & legit in ecclesiâ & in domo Dei: & cùm memoriam eius fecerit, mercedem ab Altissimo recipiet: cui est honor, potestas, & virtus in sæcula sæculorum, Amen.

Antonius scriptor huius Vitæ.

NOTATIO.

1. SIMEONIS STYLITÆ.] *Martyrologium Romanum* V. *Ianuarij:* Antiochiæ S. Simeonis monachi, qui in columnâ stans multos annos vixit: vnde & Stylitæ nomē accepit. cuius vita & conuersatio exstitit admirabilis. *Menologium Græcorum* I. *Septembr.* Commemoratio sancti Patris nostri Simeonis Stylitæ, qui fuit sub Imperatore Leone Magno, & Martyrio Antiochenæ vrbis Pontifice, à prouinciâ Ciliciæ, ex castello Sesan, qui monasticam vitam ingressus in columnam ascendit, in quâ quadraginta septem annos stetit, & multis per eum editis miraculis in pace quieuit. *quæ verbotenus sunt in Menæis, vbi pro* Sesan est Σισᾶν.

Tres fuêre Simeones Stylitæ.

Tres fuêre Simeones Stylitæ, qui non rectè quandoque à viris doctis confunduntur. Trium insimul meminit Triodium pag. XXXII. Ο᾿υρανὸς τετραφώσηρος ἐφάνη ἐν γῇ, ἡ δὺς δύο αὕτη Συμεώνιος ὁμωνυμία, οἱ ἐν τοῖς στύλοις τρεῖς εἰσι, καὶ εἷς ὁ Σάλος. Cælum quatuor instructum luminibus in terrâ apparuit; bis bina ipsa Simeonia cognominatio, quorum in columnis tres sunt, & vnus Salus. *Trium quoque Stylitarum meminêre Menæa.*

Apud quos memoria huius exstet.

Noster hic, de quo agimus, senior est: cuius meminit Theodoretus in Philotheo cap. XXVI. *qui eum Cilicem dicit ex Sesâ vico, & pastorem ouium. De eo quoque Euagrius libro* I. *histor. Eccles. cap.* XIII. *&* XIV. *Theodorus Lector lib.* I. *Collect. Nicephorus lib.* XIV. *cap.* LI. *qui à Theodoreto in Philotheo, & à Simeone Metaphraste Vitam eius scriptam refert. Prioris exstat inter opera Theodoreti, non item posterioris; nisi hæc quæ Antonium auctorem habet, etiam titulum Metaphrastæ olim prætulerit. Eiusdem etiam meminit Eulogius Archiepiscopus Alexandriæ, Oratione* IX. *apud Photium, Cod.* CCXXX. *Metaphrastes in Vitâ Theodosij Cœnobiarchæ* XI. *Ianuarij, & in Vitâ Danielis Stylitæ* XI. *Decemb. Gregorius Turonensis De gloriâ Confess. cap.* XXVI. *Suidas in* Συμεὼν, *Cedrenus in Compendio historiæ anno* XXV. *Theodosij iunioris, Glycas* IV. *parte Annal.*

Hic primus *absolutè dicitur* Stylites: (*licet Suidas eum etiam* Θαυμαστὸν admirabilem *vocet*) *alij cum additione aliquâ.*

Quatrium Simeonum Stylitarum distinctio.

Vt secundus, *in Menæis* XXIV. *Maij*: Ο῾ ἐν θαυμαστῷ ὄρει: in admirabili monte. *qui iunior fuit sub Iustino seniore, vt ibi notatur: qui in Menologio* XXIV. *Maij dicitur* Stylites admirabilis; *in Synodo* V. *quæ est* II. *Nicæna, Actione* V. Συμεὼν Στυλίτης, ὁ εἰς τὸ θαυμαστὸν ὄρος: Simeon Stylita, qui in mirabili monte fuit. *vbi etiam sub Iustino iuniore dicitur vixisse à Ioanne Damasceno Orat.* III. *de Imaginibus*, Συμεὼν τοῦ θαυμαστοῦ ὄρους: Simeon admirandi montis: *quòd, vt scribit Euagrius lib.* VI. *hist. Eccles. cap.* XXII. *(qui eum nouit)* Ε᾿ν κίονι ἑστὼς ἀνωτάτω τῆς ὄρους ἀκρορείας. Stetit in columnâ, in summo montis vertice positâ. *De quo etiam Nicephorus lib.* XVIII. *cap.* XXIV.

Tertius *in Menæis* XXVI. *Iulij notatione* πρεσβυτέρου καὶ ἀρχιμανδρίτου, presbyteri *vel* senioris & archimandritæ *afficitur. An hic idem sit cùm aliquo duorum præcedentium, vel cum eo, de quo Moschus in Prato Spirituali cap.* LVII. *qui quadraginta milliaribus ab Ægis ciuitate Ciliciæ vixit, & fulmine ictus interijt, mihi incertum est.*

Si diuersus, quartus *Simeon Stylita apud Moschum fuerit, cuius nulla nec in Menæis, nec in Menologio exstat memoria.*

Error in primis est in Menologio XXIV. *Maij, vbi cùm agatur de Simeone Stylita iuniore tempore Iustini, malè assignatur de eo agere Theodoretum, cùm ille de seniore agat. quod fortè Baronium quoque in errorem induxit, cùm Notat. in Martyrol. Rom. ad diem* V. *Ianuarij, ait de seniore Stylitâ agi in Menologio* XXIV. *Maij, & de iuniore* I. *Septembris. Nam contrà affirmari oportuit.*

Huius egregia sanctitas toti orbi innotuit. Imago eius Romæ in vestibulis officinarum ad tutelam figebatur, vt est apud Theodoretum suprà. Genouefa quoque in Gallijs diuinitus eum velut præsentem nouit, vt habent eius Acta III. *Ianuarij. Extat ad eum Theodosij iunioris epistola in Actis Concilij Ephesini tomo* V. *cap.* XV. *edit. Pelt. Scripsit quoque ad eum Leo M. Imp. teste Euagrio lib.* II. *hist. cap.* IX.

Imago eius. Nominis eius celebritas.

De tempore, quo vixit, ex Theodoreto, inquit Baronius, eius primordia colligi possunt, dum ait columnam iam incoluisse temporibus Meletij episcopi Antiocheni, qui sub Valente Imp. vixit, desiitque ab humanis eo anno, quo celebrata est magna Synodus Constantinopolitana, Siagrio & Euchario Coss. qui numeratur annus à Christo iuxta veriores Chronographos CCCLXXXI. *Superuixit autem Simeon, vt ait Cedrenus, vsque ad* IV. *annum Leonis M. Imp. quod etiam colligitur ex Actis Danielis Stylitæ. Est annus is à Christo* CCCCLX. *quâ ratione iam centenario maior obdormisse dignoscitur. Apud Nicephorum in margine habetur vixisse Simeonem* CIII. *annos. sed nihil tale in textu.*

Tempus quo vixit.

Euagrius summam Vitæ eius seuerè actæ ita colligit lib. I. *cap.* XIII. Διέβιψε τοίνυν ἐν σαρκὶ τὸν διὰ τῶν ϐίων διαβλέψων ἔτη ἓξ καὶ πεντήκοντα. ἐν μὲν τῷ πρώτῳ φροντιστηρίῳ, ἔνθα τὰ θεῖα κατηχήθη, ἔτη ἐννέα· ἐν δὲ αὐτῷ καλουμένῃ Μάνδρᾳ, ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα· ἐν τινι μὲν στενωπῷ ἔτεσι δέκα τὸ ἀγῶνα διανύσας· ἐν δὲ κίοσι βραχυτέροις ἑπτά· καὶ ἐπὶ τεσσαρακονταπήχει, ἔτη τριάκοντα: Iste Simeones hoc seuerum viuendi genus in carne traducens, vitam ad LVI. annos propagauit. Nam in monasterio, in quo primùm diuinas viuendi præceptiones didicit, annos vixit IX. In Mandrâ autem, sic enim vocatur, XLVII. atque horum annorum, X. in loco admodum angusto confecit: in columnis arctioribus, VII. denique in columnâ quadraginta cubitorum, XXX. *Eadem habet Nicephorus libro* XIV. *cap.* LI. *in quo error in numerum irrepsit. Nam pro* vndetriginta *scribendum* triginta. *Quæ putatio si vera est, non potuit peruenisse ad centesimum annum. Alioqui necesse esset asserere eum, cum* XLIV. *erat annorum, primùm ingressum esse monasterium, quod non quadrat cum Vitâ hic ab Antonio scriptâ, qui eum statim ab adolescentiâ ingressum esse monasterium scribit.*

Ex quo hæc Vita summa colligitur: Cùm erat tredecim annorum, pascebat oues. Inde videtur ingressus monasterium, vbi vixit anno I. *inde* III. *annis in clausurâ: post* IV. *annis in columnâ cubitorum* IV. *iterum* XII. *annis in columnâ cubitorum* XII. *rursus* XII *annis in columnâ cubitorum* XX. *post* IV. *annos in columnâ cubitorum* XXX. *demum* XVI. *annos in columnâ cubitorum* XL. *Atque ita exercitationis anni exsurgunt* LII. *haud multùm differentes à numero Euagrij.*

Apud Theodoretum habetur, quòd II. *annos mansit in primo monasterio:* X. *annis in monasterio Heliodori:* III. *annos in vico Telanesso:* XXVIII. *annis in columnâ; in id tempus, quo Theodoretus eius Vitam scripsit. Hîc tantùm habentur anni* XLIII. *exercitationis. sed eo tempore adhuc viuebat.*

Cedrenus in Compendio historiæ ait, an. XXV. *Theodosij iunioris eum columnam ascendisse, & an.* IV. *Leonis vitâ functum. Ex quo interuallo iuxta computum Annalium Baronij conficiuntur tantùm anni* XXVIII.

Contra calumniatores Magdeburgenses Stylitam hunc egregiè defendit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus tom. II. *Controu. general.* II. *lib.* II. *De monachis c.* XXXIX. *& Alanus Copus Dial.* II. *c.* XIIX.

2. STYLITAE.] *Ducitur à Grammaticis & στῦλος & στήλη ab eadem origine* ἵστημι, sto. *Suidas:* Στυλίτης, ὁ ἐπὶ κίονος ἱστάμενος, Stylita qui columnam insistit. *Quis primus apud Romanos super columnam cellulam struxerit, docet nos Asconius in Ciceronis Orationem in Q. Cæcilium, quæ Diuinatio in Verrem dicitur:* Mænius cùm domum suam venderet Catoni & Flacco Censoribus vt ibi basilica ædificaretur, exceperat ius sibi vnius columnæ, super quam tectum proiiceret ex prouolantibus tabulis, vnde & ipse & posteri eius spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur. *vnde ab eodem Mænio dicta sunt* Mæniana. *Festus:* Mæniana ædificia à Mænio sunt appellata: is enim primus vltra columnas extendit tigna, quò ampliarentur superiora. *Glossæ:* Mænianum, ἐξέδρα. Menianus, ἐκθέτης.

3. ANTONIO.] *Auctor Vitæ huius est non incertus, vt putauit Baronius, sed Antonius, qui ipse nomen suum declarat cap.* VII. Quidam autem iuuenis adstitit ei Antonius nomine, qui vidit & scripsit hæc. *Et capite vltimo:* Ego humilis & peccator Antonius, inquantum potui, lectionem hanc breuiter exposui. *De hoc puto intelligere Euagrium libro* I. *hist. Eccl. cap.* XIII. Τούτου τὰς θεοσημείας γέγραφε μὲν καί τις τῶν αὐτοπτῶν γενομένων, γέγραφε δὲ, καὶ λογίως ἀπέδειξε καὶ Θεοδώρητος ὁ τῶν Κυρεστῶν ἐπισκοπήσας: Huius res gestas litteris prodidit cùm alius quidam, qui eum oculis aspexisset; tum Theodoretus ecclesiæ Cyrenensis episcopus eadem disertè exposuit.

4. ERAT AVTEM ISTI PATER SVSOCION.] *Vetus editio:* Erat autem iste filius Susocion. *A nullo alio scriptore patris hoc nomen exprimitur. Tantùm dicitur fuisse ex vico* Sesan *vel* Sisan: *quem vicinum suæ regioni & Cilicum ait Theodoretus.* Sisan *vicum habet etiam Theodorus Lector libro primo Collectan.* CAP. I.

MS. Leodiensis S. Laurentij & in patris nomine variat, & matris quoque nomen exprimit: Is erat filius cuiusdam Isici nomine, mater autem eius Mathana dicta est.

5. ECCLESIAM.] *Theodoretus ait fuisse ecclesiam* SS. Martyrum.

6. IN MONASTERIVM S. TIMOTHEI.] *In Theodoreto nomen huius viri non exprimitur. exprimuntur aliorum virorum monasteria, vt Ammiani & Eusebij; Eusebonæ & Abitonis, item Heliodori. cui posteriori quædam conueniunt, quæ hîc habentur de Timothei monasterio.* CAP. II.

7. MAGNIFICI VIRI.] *Magnificus hîc est, qui magna signa & miracula facit. Vide Onomasticon.*

8. CLAVSVRAM EX LAPIDE SICCO.] *In Menæis* XXII. *Februarij in Vitâ Thalassij & Limnæi est* ξηρόλιθος. *quod Longus & Heruetus simpliciter* lapidem *vertunt in Theodoreti Philotheo cap.* XXII. *si tamen* ξηρόλιθος *in eius textu Græco fuit. Suidas:* Ξυρὸς λίθος, ὁ ἄνευ πηλοῦ κτισόμενος. ἦν γὰρ λίθῳ ξηρῷ διεσκεδασμένον τὸ φρούριον, ἐκ μεγάλων λίθων συνηρμοσμένον. Siccum saxum, quod sine luto ædificiis adhibetur. Erat lapide sicco castellum interpolatum, ex magnis saxis coagmentatum. *Apud Theodoretum in Philotheo cap.* XVIII. *in Eusebio:* Lapidibus ne luto quidem coniunctis. *Contrà est in eodem Theodoreto cap.* XXIX. Luto & lapidibus, *quod in Menæis,* πηλῷ καὶ λίθοις. CAP. V.

9. ARMACENOS.] Armaca *Antonino Cappadociæ vrbs. Sed magis hîc puto intelligi* Atmenios, *vt habet Theodoretus.*

10. LAOTOS.] *Gentem hanc nullibi inuenio.* Auritum populum *vox Græcè sonat. An ijdem qui* Panotij? *Isidorus lib.* XI. *Orig. cap.* III. Panotios apud Scythiam esse ferunt tam diffusâ aurium magnitudine, vt omne corpus ex eis contegant.

τῶν

πᾶν enim Græco sermone *omne*, *ὦτα aures* dicuntur *Quas hæc Vita gentes habet*, Sarracenos, Persas, Armacenos, Laotos, & Allophylos, *eorum loco apud Theodoretum habes* Ismaëlitas, Persas, Armenios, Iberes, Homeritas. *Iidem apud Cedrenum excepto* Homeritis; *nisi quis scripsit carkveliu*, *apud eum* *ὁσημέραι*, quotidianos, *ex* Homeritis *deprauatum*; *vel contrà apud Theodoretum. vel potiùs Cedrenus sua expressit ex posteriore loco Theodoreti*, *vbi* Homeritas *omittit*, *licet priore loco eos alijs adiungat*.

Cap.VIII 11. BASILICVS REX SARRACENORVM.] *Quærendum in historijs. Habet Theodoretus, quòd præfectus quidam vnius tribus seu Phylarchus Sarracenorum Simeonem accesserit: sed sine nomine, & in aliâ re.*

12. ET POSVIT SVPER OCVLOS SVOS.] *Ritus venerationis hic est, quo rem sibi oculos contra charam indicabant. Sic cap.* XVII. Manus eius posui super oculos meos dicens: Benedic, obsecro, mi domine.

Cap.XII. 13. MATER.] *Gregorius Turonensis De gloriâ Confessorum cap.* XXVI. Legitur in eius (*Simeonis Stylitæ*) Vitæ libro, Nullam vmquam mulierem post conuersionem oculis attentis inspexit: postquam verò columnæ editiori se sanctitate feruens inuexit, non modò extraneæ mulieri, verùm etiam nec propriæ matri se videndum permisit.

14. QVIA LOCVM ILLVM MVLIER NON INGREDIEBATVR.] *Idem habet Theodoretus. item Euagrius libro* I. *cap.* XIV. *& Nicephorus lib.* XIV. *cap.* LI. *& Gregorius Turonensis suprà*, *qui mirum quid de mulieris cuiuspiam temeritate refert*; Ferunt, *inquit*, quamdam mulierem indutam fuisse veste virili, & in basilicam ingredi voluisse columnæ. Tractauit secum misera, agere posse per indumentum, quod latere posset Altissimum, ignorans illud

Gal. 6. Apostoli: Quia Deus non irridetur, & licet ibi veniens ad templum erexit pedem, vt sanctum ingrederetur limen, tamen protinus retrorsum ruens cecidit, & mortua est: satisque fuit populis, ne hæc vltrà mulier vlla præsumeret, cùm in istam cerneret vltionem pessimè irrogatam.

Cap.XIV. 15. IN ME HVMILI ET PECCATORE IVRA, SIVE IVSTE SIVE INIVSTE.] *Sanè hoc capiendum; nec enim iniustè iurandum. Vult tantùm prauam iurandi per Deum abrogare temeritatem, suum potiùs nomen ei exponens. Huc spectat pœna cuiusdam apud Theodoretum, qui votum teste Simeone factum violauerat, in cuius ore & pectore caro anis lapiduit.*

Cap.XV. 16. IONATHAS.] *De hoc non memini legere: fors nec alius quispiam. In Græco est* Ἀγόνατος, sine genibus. *quod illi latroni cognomen fortasse an ex euentu adhæsit. Vnde deprauatè primò scripsere* Gonathas, *inde* Ionathas.

17. OFFICIALES.] *Ita vocabant ministros publicos. Sic* officium *frequenter apud Auctores accipitur.*

Cap.XVI. 18. OSCVLATVS SVM OCVLOS EIVS.] *Ritus venerationis, quâ præstantissima quaque membra, & partes corporis osculo delibabant. S. Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* XI. Osculatus eius oculis manibusque. *Sic mox ex humilitate:* & osculatus sum vestigia illius.

19. AD EPISCOPVM.] *Is tunc erat* Martyrius, *vt constat ex Euagrio & Nicephoro suprà.* Simeon Stylit. Cap.XVII

20. ARDABORIVS MAGISTER MILITVM.] *Apud Euagrium lib.* I. *cap.* XIII. Ἀρδαβυρίου δὲ αὐτῶν ἑῴων στρατηγοῦντος ταγμάτων: Ardaburio præterea præfecto præsidiorum in Oriente. *Idem apud Nicephorum suprà.*

21. ANGELVM.] *Solemnem pompam exhibitam à cælitibus, ipsâ die, quâ triumphans cælum conscendit Simeon, Daniel Stylita longè latèque absens agnouit, vt habetur in Vitâ eius per Simeonem Metaphrastem conscriptâ* XI. *Decemb. Eadem de Simeonis triumpho visio oblata fuit S. Auxentio cùm esset in Bithyniâ, vt habent eius Acta apud Metaphr.* IV. *Febr.*

22. CVM PSALMIS ET HYMNIS.] *Mox capite* XXI. Cum psalmis & hymnis, & cum multis lampadibus portauerunt in ecclesiam maiorem. *S. Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ c.* XIII. Hymnos quoque & psalmos ex Christianâ traditione decantans. *Frequens is primorum Christianorum ritus in his Vitis occurrit.* Cap. XIX.

23. MEROE.] *Vicus quinque millibus ab Antiochiâ, vti hic dicitur, distans. de hac Stephanus:* Ἔστι δὲ Μερόη κατὰ ἀνατολὰς τῆς περὶ Δάφνην Ἀντιοχείας. τὸ ἐθνικὸν Μεροαῖος, ἢ Μερούσιος, κατὰ τὸ τῆς ἑορτῆς ὄνομα· καὶ τὸ κτητικὸν, Μερουσιακός: Locus ad Orientem non longè à Daphne Antiochiæ. cuius gentile, Meroæus vel Merusius, secundùm festi nomen: possessiuum, Merusiacus. Cap. XX.

24. DE BVRDONIBVS, QVI PORTABANT FERETRVM.] *Etsi* burdo *ambiguum sit vocabulum, clarum hîc intelligi de animali; quia in Græco* μούλων. *Isidorus lib.* XII. *Orig. cap.* I. Burdo, ex equo & asinâ. *Glossarium:* Burdo, ἡμίονος ἐξ ἵππου καὶ ὄνου θηλείας. *sic* Mulus ἡμίονος ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου. *quod apud Varronem est* II. *de RR. cap.* VIII. Ex equâ & asino fit mulus; contrà ex equo & asinâ hinnus. *Burdonum mentio fit in L.* XLIX. *D. De legat. libro* III.

25. CVM MVLTIS LAMPADIBVS.] *Et lampadibus, & cereis, & facibus, & scolacibus funera religiosè olim celebrata. Acta S. Cypriani:* Cum cereis & scolacibus. *Male hactenus ibi obtinuit*, scholaribus, *vt ex vetustis libris docui in Notationibus ad Martyrologium Adonis* XIV. *Septembris in martyrio S. Cypriani.* Cap. XXI.

Omisit Auctor hîc, vti & Theodoretus, de obedientiâ eius erga monachos Ægypti, de quâ ita Suidas: Συμεὼν, ὁ θαυμαστὸς, περὶ οὗ οἱ ἐν Αἰγύπτῳ μοναχοὶ μαθόντες, ὅτι ἐπὶ κίονος ἵσταται, μεμψάμενοι τὸ ξένον, πρῶτος γὰρ αὐτὸς τοῦτο ἐποίησεν, ἀκοινωνησίαν αὐτῷ ἐπεμψαν. εἶτα ἐγνωκότες τὸν βίον τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὸ ἄτυφον, πάλιν αὐτῷ ἐκοινώνησαν. ὁ δὲ Μαρκιανὸς ὁ βασιλεὺς ἐν σχήματι ἰδιώτου πρὸς αὐτὸν ἀφανῶς παρεγένετο: Simeon mirabilis ille, de quo cùm Ægyptij monachi intellexissent, eum in columnâ stare, insolitam rem auersati quòd primus id attentasset, eum suo cœtu excluserunt. Pòst autem cognitâ viri vitâ, & animo fastus experte, rursus eum susceperunt. Marcianus verò Imperator hominis priuati habitu clàm eum adijt. *quæ fusiùs deducta vide apud Euagrium lib.* I. *c.* XIII. *& Niceph. lib.* XIV. *cap.* LI. Supplementum vitæ.

VITA

XXIII. IANVARII.

VITA SANCTI [1] IOANNIS ELEEMOSYNARII

AVCTORE [2] LEONTIO NEAPOLEOS CYPRORVM EP.

INTERPRETE [3] ANASTASIO S.R.E. BIBLIOTHECARIO.

PRÆFATIO ANASTASII INTERPRETIS AD [4] DOMNVM NICOLAVM PAPAM.

COGITANTE *me, ac diu tacitè sollicitéque mecum considerante, quid in domo Dei commodius ac dignius operari possem: ne ea videlicet præsumerem, quæ mihi ex ministerio credita non sunt: nec rursus illa arriperem, quæ ingenioli mei vires excedunt, secundùm illud Salomonis: Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. Et alibi: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Ecce subitò quidam strenui ac studiosi viri me cohortari voluerunt, vt in Latinum sermonem verterem* [5] *Leontium de Vitæ residuis Ioannis Alexandrini antistitis, quem Græci propter multiplicem compassionem, quam erga omnes possidebat, meritò & absolutè Eleëmona, id est, misericordem appellant: quatenus tantus vir non tantùm sermone Græco, verùm etiam Latino eloquio pollentibus vtilitati esset & commodo.*

Prou. 25.
Eccli. 3.

Quapropter quia me dignum ad tantum opus atque idoneum minimè perspexi, leuaui oculos meos in montes, vnde veniret auxilium mihi: sicque solatia patrum & orationes adhibens, tam proficuum virum non passus sum celare Latinis. Sed licet membranas inciderim, scedulas præparauerim: non tamen hunc in codicem conficere ausus sum, antequam à Dominatione vestrâ, ô millies beate, licentiam adipisci promerui. Neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque clauigero cæli, absque curru & aurigâ spiritualis Israëlis, absque vniuersitatis Pontifice, absque vnico Papâ, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, [6] *absque te omnium arbitro aliquid consummetur aut diuulgetur. Tu enim tenes claues Dauid, tu accepisti claues scientiæ. In arcâ quippe pectoris tui tabulæ testamenti & manna cælestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo soluit: quod soluis, nemo ligat: qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei.*

Psal. 120.
Egregia Pontificis elogia.
Lucæ 11.
Math. 16. Apoc. 13.

Cùm

Cùm autem hunc beatum in Latinum verterem eloquium, nec Græcorum idiomata, nec eorum ordinem verborum sequi potui vel debui. Non enim verbum è verbo, sed sensum è sensu excerpsi. Sed nec Latinas regulas vsquequaque seruare curaui, dum tantùm intentio mea illò tenderet, ex quo vtilitas nasceretur legentibus. Quâ de re coangelice Domne, non personam tantillitatis meæ intuens, non astutiam inuestigans, non verborum phaleras requirens: sed potiùs pio cordis oculo profectum legentium prænoscens, vt tantus vir tamquam exemplar & speculum sit omnibus, vestrâ Apostolica auctoritate translationem hanc, si vestro arbitrio placet, firmate; si displicet, emendate: dummodò Latinitas se tanto non doleat esse sale priuatam, quo Græcia se gaudet optimè conditam. Pontifex Domnus coangelicus.

Suscipe ergo Sanctum à peccatore interpretatum: & noli attendere per quem translatus sit, sed quis translatus sit. Neque enim [7] propter fistulam plumbeam, aquam limpidissimam despicis: neque propter spinas quæ producunt, rosam quæ producitur, spernis. Custos denique & amator tuus, quando voluit, Pharaoni & Nabuchodonosor iniquis regibus somnia, quibus futura prænoscerentur, ostendit: & per Caipham impium, quod expediebat protulit: quinimò & quando voluit, asinæ loqui articulatâ voce permisit. Gen. 41. Dan. 4. Ioan. 11. Num. 22.

Salue Præsul amate Deo, per sæcula salue,
Totius atque orbis Papa beate vale.

PROOEMIVM AVCTORIS.

INTENTIO quidem vna est nostra quoque & eorum qui ante nos fuerunt studiosorum, & sanctorum virorum, super præsenti memorabilis viri Vitę narratione: id est, vt ex hoc omnibus quidem imitatio pia & vtilitas fiat, gloria autem & magnificentia sanctæ & adorandæ Trinitati referatur: & in hoc, sicut & in omnibus, quæ semper in generationem & generationem propria luminaria ostendit, ad illuminandos qui in tenebris & in vmbrâ mortis sedent & peccati. (Luc. 1.) Quoniam verò amici Christi non valdè miramur, qui ante generationem nostram fuerunt viri, qui Deo placitâ conuersatione vixerunt; sed de diabolicâ operatione illos sermones semper dicimus ad alterutrum, quia sub viris qui ante nos fuerunt, non erat ita iniquitas hominum multiplicata sicut modò, vt prædixit diuina Scriptura, eò quòd abundauit iniquitas, refrigescit charitas multorum; (Matth. 24.) ideò non valemus ad eorum consurgere meritum: huius rei gratiâ ad præsentem sanctæ huius Vitæ narrationem ex parte venimus ad ostendendum etiam diebus nostris volentes, & propositum suum cogentes, excellentiores nobis demonstrari, & angustam & arctam viam posse incedere, (Matth. 7.) & obstruere os loquentium iniqua, & animæ nocuos intellectus. (Psal. 62.)

Iam quidem & alij ante nos optima atque excellentissima de hoc admirabili viro & summo sacerdote Ioanne philosophati sunt, potentes existentes in opere & in sermone. Dico enim [8] Ioannem & Sophronium Dei cultores, & amatores virtutum, & pietatis propugnatores: (Ioannes & Sophronius Vita Ioan. Eleémos. scriptores.) attamen quamuis tales essent, de dignitate & merito studij viri istius & ipsi omiserunt, & idipsum perpessi sunt, quod nonnulli studiosi agricolæ, vineam vberem & fructuosam vindemiantes: nam relinquunt vtique ex fructu benedictionem, etiam nolentes, retrò se sequentibus egenis eligentibus vineam: ex quibus sumus & nos minimi. Nam & omnes sancti isti, quamuis omni fortitudine suâ fructiferam hanc oliuam, quæ in domo Dei, vt ait Psalmista, plantata est, (Psal. 51.) propter multiplices reuerà oliuas, quæ in eâ sunt, zelo Dei vindemiare studuerint: attamen latuit eos multus oliuæ fructus, Domino dispensante. Nostram ergo vilem & frigidam alacritatem suscipite, vt duo viduæ minuta: (Lucæ 21.) non enim illis detrahentes, neque qui possimus eorum à Deo donatam sapientiam imitari, iusti gesta scripturæ tradere festinauimus: (Caussa, ob quas Leontius vitam Ioannis scribit.) sed primò quidem vt quod intelligimus non iustum esse, ea quæ possunt vtilitatem audientibus facere, silentio occultare: ne & nos incidamus in iudicium serui illius, qui talentum in terrâ abscon- (Matth 25.)

abſcondit, Secundò autem, vt in hac narratione noſtrâ correctiores & delectabiles hiſtoriæ conſcribantur, quæ ſcriptæ non ſunt ab optimis viris, in laudibus ſanctiſſimi reuerà atque beatiſſimi Ioannis. Deinde verò, quia ſapientes & potentes in ſermone, amatores hiſtoriæ erant, ſapienter & ſublimiter materiam depinxerunt: quod maximè & peramplius erexit nos ad præſentem ſollicitudinem, vt eo qui ineſt nobis, pedeſtri, deformi, humilique charactere enarraremus, vt poſſet & idiota & ſine litteris, de his quæ dicuntur, proficere.

VITA.

CAP. I.

Peregrinatio Leontij ad ſepulcra SS. martyrum Cyri & Ioannis.

CVM perueniſſem Alexandriam ego indignus ad amplectendos ſanctos & victores martyres [9] Cyrum & Ioannem, & eorum iucundis epulis & refectione frueremur, conuenientibus & colloquentibus ibidem quibuſdam viris venerabilibus atque [10] philochriſtis, & diſputaremus de Scripturis & de animæ inſtitutione: venit ad nos quidam peregrinus petens eleëmoſynam. Dicebat enim ſe nuper de captiuitate Perſarum ereptum. Accidit igitur vt nullus de conſidentibus inueniretur habens pretium aut nummum. Vnus ergo de conſidentibus habebat illic adſtantem mercenarium, callidè datorem, accipientem tres tantùm nummos per ſingulos annos, & habentem vxorem & duos filios. Cumque receſſiſſet qui petebat, proſecutus eſt eum ingenioſè: & abſtulit à ſe quam ferebat [11] cruciculam argenteam, & dat ei: dicens ſe non habere aliud aliquid [12] vſque ad ſiliquam vnam in vitâ ſuâ. Ego igitur de hoc quod acciderat, imò quod geſtum videram, per gratiam Dei conſiderans quod fecerat: & compunctus, enarraui ſtatim propè ſedenti, Mennæ nomine, viro induſtrio & timenti Deum: qui & erat ordinans diſpenſationem ſanctiſſimæ eccleſiæ ſub nobili & beatiſſimo Ioanne patriarchâ. Qui cùm me intuitus eſſet admirantem & laudantem eum qui eleëmoſynam fecerat, dixit mihi: Ne mireris, eò quòd ex traditione & doctrinâ huiuſmodi actionis operator extitit. Et dicente me ad eum, Quomodo? propter charitatem prodeſto mihi. ipſe reſpondens ait: Sanctiſſimo ter beato patriarchæ noſtro miniſtrans permanſit Ioanni, & tamquam filius proprius patris induſtriam ſuſcepit, dicente ſancto ad eum: Humilis Zacharia, eſto miſericors: & verbum habes ex Deo per infelicitatem meam, quia neque in vitâ meâ neque poſt mortem deerit à te Deus. quod ſeruat vſque hodie. Multas enim benedictiones

Zacharias Ioannis diſcipulus cruciculam argenteam, quam ferebat, pauperi dat.

Mennas œconomus eccleſiæ Alexandrinæ.

mittit ei Deus, ſed non dimittit quidquam, quod non ſtatim det pauperibus, propemodum conſtringens & in nihilum redigens domum ſuam. Multoties autem in exultatione inuenerunt eum quidam, dicentem Deo: Sic ſic, aut tu mittendo, aut ego diſpergendo; videbimus verò quis vincat. Liquet enim quoniam tu diues Domine, & vitæ noſtræ miniſtrator es. Porrò eſt, quando iuxta euentum non habet ad horam aliquid quod det à ſe petenti; & triſtatus dicit ad tabernarium aut ad negotiatorem: Da mihi vnum [13] tremiſſem, & ſeruiam tibi vno menſe vel duobus, vt vis & vbi vis, quoniam eſuriunt valdè qui in domo meâ ſunt. Et ſumens dat egeno, rogans vt nemini dicat. Cùm ergo ſenſiſſet me idem Dei cultor [14] Mennas, tamquam Euangelium audientem ſe, dicit mihi cum compunctione: In hoc miraris domine? Iam ſi inueniſſes ſanctum patriarcham, quid? Aio ei: Quid ampliùs viderem? Tunc dixit mihi: Crede per indulgentiam Dei. ipſe me fecit preſbyterum, & [15] vicedominum ſanctiſſimæ eccleſiæ, & vidi in eo opera, vniuerſam pænè naturam excedentia. Et ſi dignatus fueris in ſeruilia tua hodie veniendo, ſanctificare nos, enarrabo tibi geſta, quæ ipſe inſpector eorum factus, adſpexi. Cumque hoc dixiſſet, tenui manum & erexi eum: apprehenſenſque, duxit me in à Deo ſeruatam domum ſuam. Itaque cùm voluiſſet nobis menſam dignatus apponere, dixi ad eum: Non iuſtum eſt, ô domine, animæ cibum relinquentes, corpus ante animam reficere: ſed magis cibum, qui non perit, ſumamus: & poſtmodum corpori neceſſitatem præſtemus. Cùm ergo cœpiſſet vitam ſancti ſine mendacio recitare, Primum, inquit, & præcipuum bonum eius fuit, quoniam omnimodis non iurauit. Petij igitur chartam & atramentarium, & quæ dicebantur, per ordinem annotabam.

Zacharias cum Deo dante certat erogando.

In ſeruitiũ ſe tradit, vt mercedem pauperi eroget.

Mennas Leontio narrat acta Ioannis.

Numquam iurauit Ioannes Eleëmoſynarius.

CAP. II.

Promotus ergo, & in throno reſidens in amicâ Chriſti magnâ ciuitate Alexandriâ, decreto diuino veraciter, & non ex hominibus, neque per homines, hoc primum forte factum & præmium omnibus demonſtrauit. Mittens enim mox diſpenſatores, & eum qui dicebatur [16] ſuper pacem, dicit coram omnibus ad eos [17] in honorabili ſecreto: Non iuſtum eſt, fratres, nos antè alterius cuiuſquam curam habere, quàm Chriſti. Omni verò multitudine quæ conuenerat, audito verbo compuncta ac ſuſtinente, dicit iterùm ille beatus: Euntes ergo per totam ciuitatem, conſcribite mihi

Pauperes dominos suos vocat. mihi vsq; ad vnum omnes dominos meos. Illis autem non intelligentibus, qui hi essent, sed rogantibus dicere, & mirantibus, quinam patriarchæ domini existerent: respondit rursus angelicum illud os, & ait: Quos vos egenos & mendicos vocatis, illos ego dominos & auxiliatores prædico. Ipsi enim nobis verè & auxiliari, & cælorum regnum donare poterunt. Et cùm hoc multâ velocitate vidisset factum Christi imitator, præcepit eis per singulos dies stipendia tribui, & per proprium dispensatorem præbens eis sufficientem necessitatem: plus autem erant, quàm septem millia quingenti. *Quotidie plusquam septem millia quingentos alit.* Tunc quasi pastor verus & non mercenarius, cum sacro suo ouili & cum conuenientibus sanctis viris episcopis ad ecclesiam sanctam pergens, [18] consecratus est diuino iudicio. *Consecratur patriarcha.*

CAP. III. Iustum verò est & hoc gestorum eius non postponere bonum. In crastinum enim iterùm mittens per totam ciuitatem eosdem Dei amicos, œconomos & [19] cancellarios, & reliquos quibus erat dispositio ciuitatis credita, non permisit mensuram qualemcumque, vel pondus paruum vel magnum in totâ ciuitate: sed omnia [20] in vnâ Campanâ staterâ, [21] modio & artabe, vendere & emere contestabatur, scribens in subscriptione suâ conditionem per omnem regionem, habentem formam hanc: *Vocat se seruum seruorum.* Ioannes humilis, & exiguus seruus seruorum Domini nostri Iesu Christi, omnibus « sub paupertate nostrâ degentibus, quique « ab eodem Domino & Deo nostro regimini, « hæc: Egregio beato Paulo, per eum qui in « eo loquebatur, Christum iubente, & omnibus legem ponente, Obedite præpositis *Hebr. 13.* " vestris & subiacete eis: ipsi enim peruigi" lant, quasi rationem pro animabus vestris " reddituri: credit tantillitas mea, verbo diui" no obedientes vos, suscipere petitiones no" stras vt ex Deo, & non ex homine: vnde " hoc sciens, moneo charitatem vestram, vt " nequaquam in quopiam vestrûm appareat " huiuscemodi præuaricatio. Denique, vt *Prou. 11.* ait diuina Scriptura, Stateram magnam & " paruam odio habet Deus. Si verò quis apparuerit post præsentem subscriptionis nostræ conditionem, istiusmodi crimen incidens, *Multam miquus imponit.* " dens, vniuersas facultates suas indigentibus, " non volens, sine mercede, apponet. Ergo, vt dignum memoria, & hoc ipsum publicum præceptum hîc ponere festinauimus.

CAP. IV. Relatum est autem aliquando huic diuinitus sapientiam consecuto, quòd per xenia ecclesiæ rectores empti personas acciperent circa dispositiones captiuorum. Quos nihil negligens, conuocauit: & neminem penitùs exasperans, superauxit mercedes quæ eis prius dabantur, ponens verbum, quatenus munera à quolibet omnimodis non acciperent: Quoniam, inquit, ignis consumet domos munera accipientium. *Prohibet ab officialibus suis munera accipi.* Ex tunc igitur per gratiam Dei abundauerunt domus eorum, ita vt quidam ex eis additæ sibi mercedis quantitatem dimitterent.

CAP. V. Discens verò aliquando iterùm ille ter diues, quòd quidam iniuriam paterentur ab aduersarijs suis, & volentes adire eum, timore cancellariorum & [22] ecclesiæ defensorum atque ei adstantium prohiberentur, considerauit tale quid Deo acceptum negotium: & quartâ & sextâ feriâ publicè ponens sellam & duo scamna, sedebat ante ecclesiam, colloquens quibusdam strenuis viris, aut sancta Euangelia præ manibus tenens, nullum tanti obsequij appropinquare sibi permittens, excepto vno defensore ecclesiæ, licentiam & confidentiam dare festinans se adire volentibus: *Modus quo possit adiri ab omnibus.* quibus & confestim quod dignum erat, per ecclesiæ defensores faciebat: & præcipiebat, vt nemo eorum gustaret, quoadusque ordinarent capitulum. & audientibus dicebat: Si nos homines existentes, permissionem semper pro petitionibus nostris habemus ingrediendi domum Dei, & petitiones nostras notas facere ei, videlicet intractabili ac omni creaturæ supereminenti: atque operam damus, quò preces nostræ impleantur, nec non & rogamus eum, ne tardet, sed illud Prophetæ dictum protinus exclamamus: Citò anticipet nos misericordia tua *Psal. 78.* Domine; quomodo, putas, nos cõseruorum nostrorum petitiones cum omni festinatione debemus peragere, memores Domini dicentis: In quâ mensurâ mensi fueritis, *Matth. 7.* remetietur vobis. & Prophetæ iterùm perhibentis: Quemadmodum perfecisti, erit tibi? Vnâ ergo dierum simili modo hic mirabilis procedens, & in solito loco residens vsque ad horam quintam, & nemine accedente, mœstus & collacrymans recessit: *Flet quòd nemo afflictus ad se venerit.* nullo autem audente eum interrogare caussam mœroris, sanctus Sophronius ait ad eum secretò (illic enim erat tunc:) Quæ caussa est, Dei curator, retinentis animum tuum sanctum tristitiæ? omnes quippe nos repentè conturbauit. Qui dixit ei mansuetâ voce: [23] Hodie humilis Ioannes qualemcumque mercedem à quopiam non habuit, neque Christo pro innumeris peccatis eius aliquid obtulit, sicut nec aliquando. Cui sanctus Sophronius diuinitus inspiratus, respondit (mox enim intellexit caussam, ob quam idem tristabatur patriarcha:) Hodie quidem gaudere & lætari

oportet beatissime: veraciter enim beatissimus es, ita pacificans à Christo creditum tibi gregem, vt nullam habeat contra proximum suum litem aut dubietatem, sed velut Angelos sine litigio & sine iudicio homines esse fecisti. Ille autem verè mitis pastor, credens quod dictum erat verum esse, oculos in cælum extendens, dicebat: Gratias ago tibi Deus, quia & immeritam pusillanimitatem meam sacerdotio fungi, & me exiguum & peccatorem, sacerdotem tuum vocari, & pascere rationabilem gregem tuum dignatus es. Mox ergo pusillanimitate omni depositâ, gaudium in humilitate multum illi affuit. Hunc verò (vt quidam aiunt) in hoc imitatus est Constantinus, qui post Heraclium imperatorem extitit, cuius & filius erat.

Imitatur eum Imp Constantinus filius Heraclij.

CAP. VI.

A Persis captiuos fugientes benignè suscipit.

Huius sancti patriarchæ temporibus adscendentes [24] Persæ captiuauerunt & deprædati sunt Syriam. Itaque pænè omnes qui effugiebant manus Persarum, ad nomen huius ter beati, tamquam ad portum sine fluctu accurrebant, ab eo & ipsi suffragio & susceptione perfrui postulantes. Quos beatus iste hospitio recipiebat, & consolabatur non tamquam captiuos, sed quasi naturâ veraciter fratres. Continuò ergo plagatos quidem & infirmos in xenodochijs & nosocomijs fecit recumbere, præcipiens curam eis & medicinam gratis impendi: & tunc recedere, quando vnusquisque eorum propriâ voluntate vellet. Eorum verò, qui cùm sani essent & egeni, veniebant ad [25] rogam, masculis quidem singulas siliquas dabat: mulieribus autem & puellis, tamquam infirmioribus membris, binas. Venientibus autem quibusdam indutis ornamentis aureis & dextralibus, & quærentibus eleëmosynam: referebant de eis patriarchæ hi, quibus erat roga credita. Ad quos beatus ille toruo oculo ac seuerâ voce vsus, quamquam mitis esset & visus hilaris, dixit: Si quidem humilis Ioannis, imò Christi dispensatores vultis esse, diuino præcepto sine calliditate obedite, dicenti: Omni petenti te da. Si autem venientes curiosè inuestigaueritis, Deus curiosorum ministrorum non indiget, neque humilis Ioannes. Si enim quæ dantur, mea existerent, & mecum nata essent, fortasse benè in meis tenax existerem. Si verò quæ dantur Dei sunt, vtique in suis præceptum suum custodiri vult. Si autem ex incredulitate aut modicâ fide illud timetis, ne fortè multitudo eorum quibus dantur, superet introitum pecuniarum: ego vestræ pusillæ fidei communicari non patior. Etenim si beneplacito Dei actum est, vt essem ego indignus dispensator eius munerum, si totus mundus congregaretur Alexandriæ eleëmosynæ indigens, immensos thesauros Dei non angustabunt, neque sanctam ecclesiam.

Vulneratos & infirmos fouet.

Ornatis auro æquè dari præcipit, si petant, eleemosynam.

Lucæ 6.

Fiducia eius in Deū.

CAP. VII.

Cumque istos dimisisset, vniuersam quæ circumdederat illos defectionem & modicam fidem scindens, loquebatur his qui ei consedebant; & admirabantur de à Deo datâ ei compassione: Cùm essem, inquiens, in Cypro adhuc iuuenis quasi annorum quindecim, video vnâ noctium in somnis puellam quamdam, cuius species supra solem splendebat, ornatam supra omnem humanum sensum: quæ venit & stetit ante lectum meum, & pulsauit me in latere. Expergefactus verò, video eam in veritate stantem, & æstimaui eam esse mulierem: figurâ igitur Crucis signatus, dixi ei: Quæ es tu? & quomodo ausa es intrare super me dum dormirem? Habebat & coronam de oliuarum ramis super caput suum. Tunc illa hilari vultu & subridendo labijs dicit mihi: Ego sum prima filiarum Regis. Cumque hæc audissem, statim adoraui eam. Tunc dicit mihi: Si me possederis amicam, ego te ducam in conspectu Imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri & saluare homines. Et hæc dicens, disparuit. Ego verò in memetipsum reuersus, intellexi visionem, & dixi: Credo, Compassio ac Eleëmosyna est, & ideò habet in capite ex oliuæ folijs coronam. Etenim veraciter compassio & benignitas erga homines, Deum carne vestiri fecit. Statim ergo vestiui me, & nullum domus meæ excitans, in ecclesiam abij. erat enim iam aurora. Et cùm irem obuiàm fratri frigore [26] vexanti, expoliaui me indumento caprino, & dedi ei, dixique intra me: Ecce in hoc sciam, si vtique vera est visio quam vidi, an dæmoniaca. Et veritate testante, nec dum ecclesiam comprehenderam, & subitò obuians mihi quidam, albis indutus vestibus, dat mihi [27] ligaturam centum numismatum, dicens: Accipe hæc frater, & dispensa vt vis. Ego autem præ gaudio statim hæc suscipiens, reuersus sum, volens reddere ei ligaturam illam, quasi nihil indigens: & ampliùs non vidi aliquem. Tunc dixi mihi, Veraciter non erat phantasia. Ex illâ ergo horâ sæpè dabam aliquid fratribus, & dicebam: Videbo si mittat Deus mihi, vt dixit, centupla. Et cùm tentassem Dominum, malefaciens, & satisfactus essem diuersis modis per eas res, dixi: Cessa misera anima, tentando intentabilem. Tot igitur certitudines habente ex Deo humili animâ

Signo Crucis se signat ad insolita mulieris speciem.

Eleemosyna oliuâ coronata ei apparet.

Infrà hîc cap. 51.

Dat pauperi indumentum suum.

Deus citissimè compensat.

Experitur tentando Dei promissionem de centuplo.

animâ meâ, hi increduli fortasse hodie venerunt, & me in diffidentiam secum cadere hortabantur.

CAP. VIII. * Adhuc existente eadem populi multitudine in ciuitate, quidam peregrinorum videns tantam eius compassionem, voluit tentare eum: & indutus vestimenta vetera, adijt eum, euntem ad visitandos qui in nosocomio iacebant. Bis enim per hebdomadam vel ter ibat illuc. Et dicit ad eum: Miserere mei, quoniam captiuus sum. Dicit datori: Da ei sex numismata. Deinde cùm hæc accepisset, vadit & mutat habitum, & obuiat ei aliunde, & procidit ei, dicens: Miserere mei, quia coarctor. Dicit denuò patriarcha datori: da ei sex nummos aureos. Cùm ergo isset, dicit ille distributor ad aurem illius patriarchæ: Per orationes tuas domine, idem ipse accepit secundò. Fecit verò seipsum patriarcha, tamquam nesciret. Venit itaque tertiò iterùm accipere, & tetigit dator patriarcham qui aurum ferebat, significans quòd ipse esset. Tunc respondit ei Dei amicus, ille veraciter misericors: Da ei duodecim numismata, ne fortè Christus meus sit, & tentet me.

Bis vel ter in septimana infirmos visitat.

Christum in paupere recognoscit.

CAP. IX. Nauclerus quidam peregrinus damna pertulit: & accedens hunc beatum virum rogabat eum multis lacrymis, vt compateretur ei, sicut & omnibus alijs. Præcepitque eum accipere quinque libras auri. Cumq; accepisset has, abiens emit [29] enthecam, & misit in nauim. Mox accidit, vt extra [30] pharum naufragium pertulisset: nauim verò non perdidit. Accessit iterùm ad eum, de bona eius voluntate præsumens, & dixit: Miserere mei, vt Deus mundi misertus est. Cui ille patriarcha dixit: Crede frater, nisi miscuisses pecuniæ ecclesiæ illas pecunias quæ tibi remanserant, nullatenus naufragium pertulisses. De malis enim habuisti eas, & perditæ sunt cum eis & quæ fuerunt ex bonis. Verùm præcepit denuò dari ei decem libras auri, denuntians ei ne commisceret eis alias pecunias. Emens prætereà enthecam, & nauigans vno die, vento valido flante, proiectus est in terram: & omnia perdidit, & ipsam nauem, & non sunt saluatæ nisi animæ tantùm. Voluit ergo præ confusione & angustiâ idem nauclerus necare seipsum: sed Deus qui semper saluti hominum prouidet, reuelauit hoc beato patriarchæ. Et cùm audisset quod acciderat ei, nuntiat ei venire ad se nihil omnino dubitans. Tunc aspersit se puluere, & tunicam scindens, indecenter accedit ad eum. Cumque vidisset eum in tali habitu ille sanctus, redarguit eum, & dixit: Misereatur tui Dominus benedictus Deus. credo ei quòd ab hodiernâ die nequaquam naufragium incidas, vsquequò moriaris. Hoc verò tibi contingit, eò quòd & ipsa nauis tua ex iniustitiâ esset possessa. Mox ergo iussit tradi ei vnam magnam nauim, plenam frumento viginti millium modiorum, de illis nauibus, quæ sanctissimæ ecclesiæ subiectæ ministrabant. Quam recipiens, exiit Alexandriâ: & affirmabat ipse nauclerus, asseuerans: Viginti diebus ac noctibus vehementi vento nauigauimus, non valentes omnino scire quò issemus, neque per stellas, neque per loca, excepto quòd gubernator videbat illum patriarcham secum tenentem temonem, & dicentem sibi: Ne timeas, benè nauigas. Igitur post vigesimam diem apparuimus in insulis Britanniæ: & descendentibus nobis in terram, inuenimus illic famem magnam. Cùm ergo dixissemus primo ciuitatis, quòd frumentum in naui portaremus, dixit: Benè Deus adduxit vos. Quidquid vultis, eligite: aut per singulos modios numisma vnum, aut eiusdem ponderis accipite stannum. Elegimus itaque dimidium sic, & dimidium sic. Rem autem vadit dicere sermo, inexpertis munerum Dei incredibilem quidem & sine fide, his verò qui experientiam miraculi eius habent, credibilem atque acceptam. Naui prætereà Alexandriam cum gaudio reuersâ quieuimus in [31] Pentapoli: & asportauit nauclerus de illo stanno, vt venumdaret illud. habebat enim illic antiquum socium in negotijs petentem ex eodem stanno. Dat ei in sacco quasi quinquaginta libras. At ille volens probare speciem si bona esset, soluit illud in igne, & inuenit argentum purum. Putauitque se esse tentatum, & retulit ei saccum dicens: Deus indulgeat tibi. Numquid inuenisti me impostorem erga te, quia tentando argentum pro stanno dedisti mihi? Expauescens verò de sermone illo nauclerus, dicit: Crede, ego pro stanno illud habeo. Si verò ille qui fecit de aquâ vinum, ipse per orationes patriarchæ fecit & stannum argentum, nihil mirum. Et vt satisfias, veni ad nauim, & videbis cetera istius metalli socia, quod accepisti. Ascendentes itaque, inuenerunt stannum argentum optimum factum. & non est peregrinum miraculum, ô philochristi. Qui enim quinque panes multiplicauit, & rursus aquam Ægypti transmutauit in sanguinem, & virgam in serpentem transmutauit, & transtulit flammam in rorem; faciliùs & hoc tam gloriosum miraculum operatus est, quatenus & famulum suum

Nauclero insignem eleemosynam erogat.

Ecclesiæ pecunia alteri malè partæ mixta, vtraque perit.

Rursus eidem nauclero eleemosynam dat.

Nauis iniustè possessa perit.

Nauim ecclesiæ eidem naufrago tradit.

A Ioanne absente nauis dirigitur.

In Britanniam appellit.

Stannum in argentum conuertitur.

Ioan. 2. Ioan. 6. Exodi 7. Dan. 3.

ditaret, & nauclero misericordiam suam præstaret.

CAP. X. Descendente sanctissimo isto viro aliquando in ecclesiam Dominico die, accessit ad eum homo, qui multas possederat facultates: & fures ingressi domum eius, despoliauerunt eum vsque ad stramentum: & cùm multa quæstio esset facta, & non inuenisset qui hæc perpetrauerant: compulsus est multâ nimis paupertate, deprecari cum magnâ reuerentiâ sanctissimum illum patriarcham, dicens ei & calamitatem suam. Misertus ergo illius multùm (fuerat enim ex clarissimis & magnis principibus) dicit ad aurem illius cui aurum creditum erat, vt daret ei quindecim libras auri. Cùm autem has daturus abiret, apprehendit consilium [32] logothetæ & œconomi: & ex diabolicâ operatione inuidentes, non dederunt ei nisi quinque libras. Cùm ergo reuerteretur de [33] collectâ idem honorabilissimus Archiepiscopus, dat ei in scriptis mulier vidua habens vnicum filium, [34] notitiam xenij quinque centenariorum auri. Cùm autem suscepisset, & honorabile secretum dimisisset, conuocauit dispensatores, & dixit eis: Quot libras dedistis illi qui ad me accessit? Qui dixerunt: Domine, vt iussit sacratissima sanctitas vestra, quindecim libras. Cùm autem cognouisset per inhabitantem in se gratiam, illos esse mentitos, adducit eum qui acceperat: & interrogauit eum, quid accepisset? Illo verò dicente quinque libras, proferens de honorandâ manu suâ ille sanctus [35] pittacium, quod sibi traditum fuerat, dixit eis: A vobis exquirat Deus & illa alia decem centenaria: quoniam si dedissetis quindecim libras, vt dixit humilitas mea, qui attulit quinque centenaria, quindecim daret. Et vt certos vos faciam, mittens adducam quæ has attulit. Et mittens duos venerabiles viros, vt accersirent reuerendam feminam, quæ in baptisterio pittacium ei porrexerat, cui & indicat, dicens: Benedictionem, quam Deus sibi offerendam misit in cor tuum, ferens tecum, veni ad humilitatem meam. Quæ cursim surgens, apprehendit vestigia sancti viri vnà cum quantitate auri. Cùm ergo suscepisset ille patriarcha oblationem, & orasset super eam, & super filium eius sufficienter, dixit: Obsecro te [36] Nonna, hæc tantùm voluisti dare Christo, an aliud aliquid? Cùm autem sensisset deiferum, illud quod fecerat cognouisse: tremore compressa, dixit: Per sanctas domini mei orationes, [37] & sanctum meum Mennam, quindecim centenaria scripseram in pittacio: & ante vnam horam cùm starem in synaxi, vt darem hoc tibi domino meo, dissoluens illud, importunè legi. Ego enim indigna ancilla tua scripsi hoc propriâ manu, & inueni decem deleta à seipso. Tunc stupefacta intra memetipsam, dixi: Vtique non est voluntas Dei, vt dem nisi quinque. Dimittente autem patriarchâ reuerendam illam feminam, ceciderunt ad pedes eius dispensatores, qui transgressi sunt voluntatem eius, petentes indulgentiam, & affirmantes nihil tale se vlteriùs acturos fore.

Quinque libræ quinque centenariis compensantur.

Fraudem furum eleemosynas defraudantium diuinitus agnoscit.

Confirmat eam Nonam, quæ oblationem dederat.

CAP. XI. Intuens [38] Niceta patricius huius viri virtutibus pleni magnanimitatem, & sine parcitate manum expansam, & tamquam ex fonte iugiter omnibus præstantem, instinctu quorumdam diabolum imitantium, subit ad sanctum, & dicit ei: Regnum arctatur, & pecuniâ eget. Iam, quia sine parcitate eroganutr, quæ deferuntur tibi pecuniæ, da eas Imperio, da eas in publicum saccellum. Ille verò de hoc quod dictum fuerat, imperturbatus manens, dicit ad eum: Non iustum est, vt arbitror, domine Patrici, ea quæ supercælesti Regi oblata sunt, terrestri dare. Si verò & omnino tale aliquid iudicasti, crede, humilis Ioannes ex eis nummum non dabit tibi: sed ecce sub humili lectulo meo est apotheca Christi: vt volueris, fac. Surgens itaque statim Patricius, vocat de suis hominibus qui portare deberent, & imponit super eos pecunias totas, non relinquens ex eis nisi vnum centenarium. Et cùm descenderent, qui portabant huiusmodi pecuniam, ascendebant quidam alij portantes pusillas lagunculas, habentes pecunias missas patriarchæ de Africâ, superscriptas alias quidem MEL OPTIMVM, alias autem MEL SINE FVMO. Cùm ergo descendens Patricius legeret superscriptiones lagenarum, insinuat patriarchæ vt sibi mitteret de tali melle, quo ad opus suum vteretur. Nouerat enim eum mali esse immemorem. Ascendente igitur qui lagunculas habebat creditas, & responsa reddente, & indicante pecunias esse pro melle in vasis: statim verè mitis pastor misit ei vnam langunculam, superscriptam MEL OPTIMVM, faciens ei & pittacium, continens ita: Dominus qui dixit; Non te deseram neque derelinquam, Hebr. 13. Iosu. 1. sine mendacio est; & Deus verus: idcircò „ Deum, qui omnibus escam & vitam præ- „ bet, homo corruptibilis constringere non „ potest. Vale. Præcepit autem abeuntibus „ & portantibus lagunculam, vt dicerent ei, vt ante se faceret eam aperiri: & dicerent ei, quòd omnes quas viderat deferri lagunculas, pecunijs essent pro melle repletæ. Contigit

Niceta patricius specie necessitatis Imperij thesaurum Ioanni auferat.

Dei prouidentiâ alia ei pecunia submittitur.

Ioannis epistolium ad Nicetam patricium.

tigit ergò sedente eo ad mensam, vt nunciaretur adesse eos qui lagunculam portabant, & pittacium patriarchæ. Adscendentibus itaque eis, cùm vidisset vnam tantùm laguneulam, dixit eis Patricius: Dicite ei; Credo domine, magnam iracundiam aduersum me retines; nam vnam solam non mitteres mihi. Tradito autem pittacio eodem, & [39] bullam dissoluentibus, & euacuantibus coram omnibus pecuniam, agnouit & reliquas lagunculas, quas vidit, similiter plenas esse. Cùm ergo legisset, quòd homo corruptibilis Deum constringere non posset, compunctus de sermone, dixit: Et viuit Dominus, neque Niceta constringet eum: homo etenim, & ipse peccator & corruptibilis est. Et relinquens mox prandium, & sumens secum quotquot pecunias ab honorando patre abstulerat, & lagunculam quæ ab eo transmissa fuerat, & de suo centenaria tria, apprehendit honoranda eius vestigia, nullo in obsequium proprium sumpto: sed in humilitate multâ adscendens, rogabat eum, quasi alijs accusantibus motum, indulgentiam à Deo exposceret: satisfaciens ei, quòd etsi pœnitẽtiam ei daret, promptè hanc susciperet & custodiret. Admirans autem Archiepiscopus velocem viri conuersionẽ, nihil de commisso conquestus est, sed & magis consolabatur eum verbis consolatorijs. Talis autem amborum cõfirmata est ex tunc à Deo charitas, vt compater supradicti fieret Patricij.

Reddit Niceta Ioanni raptas & acceptas pecunias cũ fenore.

Ioannes fit compater Nicetæ patricij.

CAP. XII.

Qui Abraham in hoc quod expediebat, tentauit, vt eius fidem soli Deo cognitam, vniuersus mundus discens imitaretur: tentauit & memorabilem istum Ioannem. Modus autem illius tentationis, forma vtilitatis sanctis eius ecclesijs extitit. est autem forma hæc: Inæstimabili multitudine fugientium à Persis, sicut iam dictum, & adueniente Alexandriam, & sterilitate multâ ciborum factâ, eò quòd non subiret fluuius Nilus secundùm consuetudinem, & auro cuncto erogato quod possederat patriarcha, misit, & mutuò accepit à multis philochristis circa decem centenaria. Et his iterùm consumptis, & adhuc fame manente, & de cetero mutuum dare ei nullo volente, sed omnibus pertinaciam famis timentibus, & necessitate compresso eorum qui ab eo alebantur, & in multâ curâ & oratione beato perseuerante, sensit quidam ciuitatis habitator eam, quæ circumdederat sanctissimum illum, ariditatem & omnimodam egestatem: bigamus existens, desiderat diaconus sanctæ ecclesiæ fieri. & per necessitatem quæ sanctum vndique circũdederat, volebat suadere ei, vt eum consecraret: fecitque ei deprecationem, continentem ita: (in facie quippe ei non audebat tale aliquid dicere:) Sanctissimo & ter beato patri patrum Ioanni vicario Christi, deprecatio & postulatio [40] à Cosmâ indigno seruo seruorum sanctitatis vestræ. Ediscens sanctissime domine, quæ obtinet honorandum caput tuum secundùm permissionem « Dei, immò pro peccatis nostris, escarum pe- « nuriam, non iustum existimaui seruus tuus, « in refectione conuersari, domino meo in « [41] subtilitate manenti. Sunt igitur indigno « seruo tuo frumenti ducenta millia modio- « rum, & auri libræ centum octoginta, quas « rogo dari Christo per te dominum meum: « tantùm ego indignus in ministerio vestri « diaconatu frui merear, vt per talem cum te « domino sancti altaris ministrationẽ, emun- « det à peccatorum meorum luxuriâ. Dicit « enim verè Dei prædicator sanctus Apostolus, quoniam ex necessitate & legis translatio fit. Hæc suscipiens diuinitus sapiens, & virum aduocans, ait ad eum: Tu es qui preces nobis per notarium tuum & filium misisti? Quo dicente; Etiam domine: misit omnes foras beatus & misericordissimus, nolens coram omnibus hunc confundere, & cœpit dicere ad eum: Oblatio quidem tua valdè iusta & tempori necessaria, sed maculosa est: & nosti quòd in Lege ouis siue parua, siue magna, nisi immaculata esset, non in sacrificium offerebatur: & ideò ad sacrificium Cain non respexit Deus. Quoniam verò dixisti, frater, quòd ex necessitate & legis translatio fiat, de lege veteri hoc dicit Apostolus: nam quomodo ait frater Domini Iacobus, quòd quicumque obseruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus est omnium reus? De fratribus verò meis egenis & de sanctâ ecclesiâ; Deus qui eos nutriuit antè quàm ego & tu nasceremur, ipse & nunc nutriet eos, tantùm, si sermones eius illæsos custodierimus. Ille enim qui tunc quinque panes multiplicauit, potest & decem horrei mei modijs benedicere. Quapropter illud dico ad te, fili, quod in Actibus Apostolorum dictum est: Non est tibi portio neque hereditas in hac parte. Cumque hunc tristem & sine effectu dimisisset, nunciatur ei duas ecclesiæ magnarum nauium ad terram esse submissas, quas miserat in Siciliam propter frumentum. Hoc autem audiens ille beatus, cadens in terram, gratias egit omnipotenti Deo, dicens: Gratias refero tibi Domine, quoniam non permisisti seruo tuo pecunijs vendere gratiam tuam. Verè inquirentes te Domine, & sanctæ Ecclesiæ tuæ regulas custodientes,

Tentat Dominus Ioannem. — *Gen.22.* — *Suprà c.6.*

Epistolium Cosmæ bigami muneribus diaconatũ appetentis, ad Ioannẽ. — *Hebr.7.* — *Nõ acquiescit eius Simoniæ Ioannes.* — *Leuit.22.* — *Gen 4.* — *Iac.2.* — *Ioan.6.* — *Act.8.* — *Aliâ ratione Deus egenti Ioanni succurrit.*

Psal.33. dientes, non deficient omni bono.

CAP. XIII. *Clericos percussores excommunicat.* Quibusdam duobus clericis in culpam cadentibus, hoc est, manum in alterutrum iniicientibus, hos excommunicauit canonice per aliquot dies. Horum quidem vnus libenter suscepit increpationem, & cognouit culpam suam: alter verò malitiosus existens, gaudens præceptum suscepit. Occasionem enim quærebat miser, ne ingrederetur ecclesiam, sed licentiam haberet perseuerandi in nefandis actibus suis. Irascebatur autem contra sanctum patriarcham, & quantum in se erat, minabatur ei nocere. Quidam verò dicebant, & ipsum esse qui prodiderat pecunias ecclesiæ ad patricium Nicetam: quas & rapuit manu, vt præscriptum est. (Sup.c.11.) Nuntiatum est igitur, quòd ille mali memor, malitiam reseruaret, & non rectàm erga beatum hunc voluntatem haberet. Ille autem verè pastor, memor dicti illius: Quis infirmatur, & ego non infirmor? (2.Cor.11.) & iterùm: Vos qui potentes estis, debetis infirmitates impotentium portare: (Gal.6. Rom.15.) voluit hunc accersire, & decenter admonere, & soluere eum ab excommunicatione; videbat enim lupum conantem rapere ouem. Dispensatione verò Dei actum est, vt innotesceret omnibus patriarchæ immemor mali animus. oblitus est accersire eum, & soluere ab excommunicatione. Cùm ergo ad sanctum Dominicum diem peruenisset, [41] & sancto altari adstitisset, vt incruentum sacrificium offerret, iam diacono generalem orationem pænè consummante, [42] sanctum velum exaltaturo, in mentem malitiæ immemoris venit: (*Subsistit in sacrificio, quia nondū clericus ei erat reconciliatus.*) & statim diuini præcepti recordans, asserentis: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, &c. (Math.5.) [44] intimat diacono facienti orationem, quam diaconus solitus facere erat, vt reinciperet à capite: & si impleretur, iterùm recapitularet, vsque dum perueniat eius sanctificatio. Finxit enim se, tamquam si eum ventris necessitas compulisset. Et veniens in honorabile [45] cimiliarchium, misit statim ferè viginti hebdomadarios, quærentes iam dictum [46] mali modi clericum. Intentio enim pastoris hæc erat, vt educeret de ore leonis ouem. Deus verò, qui voluntatem timentium se facit, fecit præ manibus inueniri mox clericum. (*Humilitate reducit clericum contumacem.*) Et veniente eo, & veritati testimonium perhibente, prior patriarcha genu flexit, dicens: Indulge mihi frater. Veritus ergo illius honorabile pontificium, & eorum qui aderant præsentiam, magis verò timens iudicium Dei, & horrens ne fortè descenderet ignis de cælo eadem horâ & consumeret eum, videntem honorandam illam canitiem humi iacentem, genu flexit & ipse, petens veniam & misericordiam. Et dicente patriarchâ: Deus nobis omnibus indulgeat, surrexerunt & ingressi sunt ambo ecclesiam: (*Clericos reconciliatus, sacrificium peragit.*) & tunc cum multo gaudio & lætitiâ adstitit sancto altari, cum mundâ conscientiâ valens dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (Math.6.) Ita autem sanâ ex tunc & compunctâ mente factus est lector ille, vt presbyterij consecratione potiri mereretur.

CAP. XIV. [47] Deiferi quidam sanctorum patrum dixerunt: Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimodâ & perpetuâ pace consistere: hominum verò est altercari quidem, sed statim reconciliari: dæmonum autem est litigare, & totum diem transire inreconciliatos. Hoc propterea præfati sumus, amatores Christi, propter præsentem narrationem. Placuit huic aliquando nobili, vnà cum commemorato Nicetâ patricio, de quadam publicâ re altercari. (*Lis inter Ioannem & Patricium.*) Modus autem litigij erat talis: necessarium est enim dicere, cùm sit animæ vtilis: Patricius quidem disponere volebat forum propter lucra publica: patriarcha autem id non patiebatur, pauperum in hoc procurans salutem. Multùm ergo [48] contra se secretò contendentes, & inflexibiles manentes, recesserunt ambo ab inuicem irati & irreconciliati. Erat autem hora quinta: & quidem patriarchæ erat refragatio & amaritudo pro mandato Dei: Patricij autem, propter pecuniaria lucra erat. Tamen ait ille iustus: Neque pro rationabili, neque pro irrationabili occasione debet homo irasci. Adueniente ergo horâ vndecimâ, mandat per archipresbyterum vnà cum clero patriarcha Patricio hoc dignum memoriâ verbum: Domine, sol ad occasum est. Cùm autem hoc verbum ille audisset, non tolerans cordis sui ardorem, sed tamquam diuino igne inflammatus, sancti sermone compunctus est, infectusque lacrymis statim totus factus est: (*Compunitur prudentiâ Ioannis, ex Apostoli dicto Ephes.4.*) & surgens, venit ad beatum hunc. Quem cùm vidisset, ait: Beneuenisti fili ecclesiæ, obediens voci eius. [49] Mittentibus igitur ambobus metanœam, & amplexantibus alterutrum, sederunt. Et aperiens os suum patriarcha, dixit: Crede mihi domine, nisi quia vidi te valdè tribulatum de hoc, iam non pigritarer ego venire ad claritatem tuam. Etenim Dominus & Deus noster, ipse circuibat ciuitates & castella & domos, visitando homines. Omnibus autem humilitate summi sacerdotis ædificatis, & admiratione plenis, respondit ad

ad eum Patricius: Crede pater, quia vlterius non capient aures meæ eorum verba, qui litigiosas mihi suggerunt res. Tunc sapiens doctor dixit ei: Crede fili & frater, si omnibus his voluerimus credere, multorum peccatorum erimus domini, maximè in tempore hoc, quando facti sunt multi hominum inuicem odientes. Multoties enim & mihi suadere tentauerunt hi, qui suggerebant mihi dispositiones rerum: & cum facerem sæpè finem, vt seductus fueram, postmodum alij quidam suggerebant mihi, quòd fuerim deceptus in capitulo. cùm ergo secundò & tertiò hoc fuissem perpessus, dedi terminum mihimetipsi absque vtrorumque parte, ne darem definitionem alio in capitulo. Quòd si qui suggerebant mihi, mentirentur, ipsi pœnam soluerent, quam accusatus ferret, si contra eum calumnia veraciter fuisset iniecta. Et ex eadem die improuidè suggerere mihi contra aliquem omnino aliquid nullus iam ausum habet: quod deposco & moneo magnum decorem tuum, fili, similiter facere. Sæpè enim & cædes iniustas faciunt, qui sublimitatem creditam habent, si fuerint verbis suasorijs commoti, & si sine cruciatu reciderint quæ ad eos veniunt capitula. Et Patricius tamquam à Deo iussus, pactus est eius mandatum se custodire omni tempore illæsum.

Pœna iniquorum delatorum.

CAP. XV. Iste memorabilis habebat quemdam nepotem, nomine [10] Georgium. Vnâ itaque dierum faciens iste cum quodam ciuitatis tabernariorum rixam, conuitijs ab eo seuere affectus est: qui amarè dolens, non solùm quia publicè, verùm etiam quia à viliori inhonoratus esset, maximè verò, quia erat nepos patriarchæ; subijt ad eum in conclaui, eo in secreto morante, flens vehementer. Cùm autem hunc ita æstuantem & lacrymantem vidisset mitissimus patriarcha, interrogat caussam detinentis eum anxietatis, scire hanc volens. Cumque ille non posset præ amaritudine, quæ circumdederat eum, exprimere sermonem, hi qui præstò fuerunt, quando eum exhonorari à negotiatore contigerat, cœperunt recitare Archiepiscopo caussam: Et quia non debuerat, inquiunt, ita sanctitas vestra contemni, vt proprios suos ac propinquos à despectis exhonorari pateretur hominibus. Ille autem verus medicus, volens primò veluti emplastro quodam curare nepotis sui furiam, & tamen tamquam ferro incisionem & liberationem passionis, per sapientissimum os suum huic afferre, talibus verbis cœpit extinguere morbum, & dicere: Et omnino ausus est aliquis os aperire, & contradicere tibi? Crede fili mi patri tuo, quoniam faciam in eo hodie rem, vt tota Alexandria miretur. Cumque vidisset eum remedium recepisse, & tristitiam cunctam proiecisse, putantem videlicet, quòd ageret contra eum qui se contumelijs affecerat, & faceret eum flagellari per eum, qui super forum erat constitutus, & varijs pompis dehonestari: dicit ei, deosculans pectus ipsius; Fili mi, si ex veritate humilitatis meæ nepos existis, præpara teipsum & flagellari, & conuitia pati ab omni homine. Vera enim cognatio non ex sanguine & carne, sed ex virtute mentis agnoscitur. Confestim igitur accersiuit eum, qui super caupones erat constitutus, & præcepit ei, ne ab illo caupone acciperet neque consueta sua, neque publica, neque pensionem ergasterij eius. Et ipse enim sanctissimæ ecclesiæ erat. Et omnes expauescentes immobilem longanimitatem eius, intellexerunt esse hoc quod dixit: Quoniam faciam in eum rem, vt miretur tota Alexandria: videlicet quia non solùm vicissitudinem non reddidit, verùm etiam pro vltione adiutorium impendit.

Conuitijs appetitur nepos Ioannis.

Vera cognatio ex virtute, nõ sanguine.

Benè meretur de nepotis conuitiatore.

CAP. XVI. Nuntiatum est aliquando huic beato, quòd quidam clericorum malitiam in corde aduersus quemdam reseruaret, & inreconciliatus ei permaneret. Ille verò quærebat huius nomen & gradum nosse. In crastinum ergo die Dominico didicit hunc, Damianum quidem nomine, diaconem verò esse officio. Præcepit itaque archidiacono, vt sibi, quando idem Damianus ad ecclesiam veniret, demonstraret. Igitur cùm in crastinum statio Dominico die fieret, venit & diaconus ad stationem: & videns archidiaconus, ostendit eum patriarchæ. Ob eam enim tantummodò controuersiam adstabat tunc Pontifex sancto altari: quid verò vellet facere, nulli credidit. Cùm ergo venisset diaconus Damianus, vt susciperet ab eo sanctam Communionem secundùm proprium gradum, tenuit manum illius ille sanctus, & dixit. Vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, dignè suscipe immaculata, immemor malitiæ, Christi mysteria. Matth. 5. Reueritus ergo coram tantâ multitudine clericorum contradicere illi, maximè in tali loco & in tali horrendâ horâ, spopondit hoc facere: & tunc de sanctis mysterijs dedit ei. Igitur ex tunc omnes clerici & laici custodiebant se, ne inter se malitiam retinerent: timentes, ne & ipsos confunderet, triumpharetque quemadmodum & illum diaconum.

Damiano diacono Cõmunionem negat, nisi reconcilietur.

CAP. XVII. Habebat quidem sanctissimus hic vir scientiam diuinarũ Scripturarum: non autem

tem in sapientiâ sermonis, has tamquam ex inani gloriâ memoriter dicens, sed per eamdem ipsam operum actionem, & mandatorum obseruationem: & in secreto quotidiani consilij sui nullus sermo otiosus audiebatur, nisi fortè ordinatio rei ciuilis exigeret: sed aut relationes sanctorum patrum, aut scripturales quæstiones, aut dogmatica problemata, propter multitudinem nec nominandorum hæreticorum, qui regionem circumdederant. Si verò alicui aliquis detrahere inciperet, hunc patriarcha per alteram sermocinationem, vt sapiens, ingeniosè remouebat: & si iterùm permaneret, nihil quidem ei dicebat; sed hunc annotans, præcipiebat hebdomadario, ne sineret vlteriùs eum intrare cum his qui nuntiabantur, quatenus per eum ceteros temperaret atque erudiret.

Sermo viui relatio SS. PP. Scriptura, dogmata.

Detractores odit & excludit.

CAP. XVII. Definitionem autem & aliam, quam affectauit hic sanctus, non est iustum postponere. Audiens quòd [51] postquam coronatus est Imperator, nullus vniuersi senatus & adstantium exercituum antiquum memoriale aliquod nuntiet, sed mox hi, qui dicuntur monumentorum ædificatores, sumant quatuor vel quinque minutias marmorum pusillas de diuersis coloribus, & ingrediantur ad eum, & dicant: Domine, quali metallo imperium tuum iubet fieri monumentum tuum: insinuantes videlicet ei, quia tamquam homo corruptibilis & transitorius curam habeto tuæ ipsius animæ, & piè regnum dispone: imitabatur & iste beatus veraciter hanc dignam laude traditionem, & præcepit sibi monumentum ædificari, vbi & reliqui prædecessores eius patriarchæ iacebant: imperfectum verò manere vsque ad obitum suum, vt imperfecto existente, per celebrem festiuitatem assistente clero ingredientes qui dicebantur [52] studiosi, dicerent ad eum: Domine, monumentum tuum imperfectum est, præcipe ergo vt consummetur, eò quòd nescias quâ horâ fur veniat. Hoc autem faciebat ille sanctus vt ita fieret, volens imitationem bonam & post se futuris relinquere patriarchis.

Imp. coronatum primò marmorarij accedunt de sepulcro quærentes.

Ioannes, dum adhuc viueret, monumentum exstrui iubet.

Matth. 24.

CAP. XIX. Domino ob multitudinem peccatorum nostrorum permittente, propria templa quæ erant Ierosolymis, à percutiendis à Deo Persis cremari: discens hic sanctissimus patriarcha, in multâ egestate esse sanctum [53] Modestum patriarcham Ierosolymorum, ad horum releuationem & reædificationem mittit ei numismata mille, & mille saccos plenos frumento, & mille legumina, mille libras ferri, [54] mille restes siccatorum piscium, qui menomenæ dicuntur, mille vascula vini, & mille Ægyptios operarios, mittens ei per litteras: Da mihi veniam, vere Christi operator, nihil dignum templis Christi mittenti. Vellem « enim, crede mihi, si esset conueniens, & « ipse eò venire, & ipse operari in domo san- « ctæ Christi resurrectionis. Verumtamen il- « lud rogo honorandum caput tuum, vt nul- « latenus hoc imputes minimo nomini exi- « guitatis meæ: sed hoc potiùs petas à Chri- « sto, vt ibi me conscribat, vbi veraciter con- « scriptio beata consistit. «

Mittit munera pro ecclesiâ Ierosol.

Epistola Ioannis ad Patriarcham Ierosol.

CAP. XX. Arripit ille sanctus & hoc, bonum dico, videlicet quòd infimo stratu recumberet, & vilibus operimentis in cellulâ suâ vteretur. Quod cùm audisset quidam possessorum ciuitatis, adscendens ad eum, & videns quòd opertorio scisso & laneo tegeretur: transmisit ei coopertorium numismatum triginta sex, rogans multùm eum, vt eo cooperiretur ad memoriam, inquit, mittentis. Ille verò hoc suscipiens, propter multam viri postulationem coopertus est hoc vnâ nocte, per totam pænè noctem dicebat ad semetipsum, vt recitabant cubicularij eius: Quis dicet, quòd humilis Ioannes (habebat enim semper verbum istud in ore) pallio triginta sex numismatum tegatur, & fratres Christi frigore necentur? Quanti sunt modò, qui dentibus strident præ glacie? quanti sunt modò, qui [55] psiathum habentes subtus dimidium, & supra dimidium, & non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt [56] vt glomus trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucernâ, habentes duplicem cruciatum tam ex frigore quàm ex ieiunio? Quanti desiderant saturari de folijs olerum, quæ proijciuntur de coquinâ meâ? Quanti vellent tingere panem suum in [57] zemate quod proijciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorare vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in ciuitate istâ in hac horâ peregrini, non habentes vbi hospitentur, & in foro iacent, fortasse & pluuiâ madefacti? Quanti, putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum. Quanti sunt, qui non habent alterum vestimentum in æstate, & alterum in hieme, & ita miserijs affliguntur? Tu verò expectans etiam æternam iucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes deuoras, & in cubiculis demoraris: modò autem cum omnibus malis & in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis? Veraciter ita viuens & in tali laxatione conuersans, non expectabis illic præparatis gaudijs frui, sed audies vtique quod & diues ille audiuit: Recepisti bona

Vilis eius stratus & stragulum.

Secum de stragulo pretioso sibi oblato altercatur.

Praeclarum Ioannis ratiocinium, quod vtinam diuites omnes æmulentur.

Lucæ 16.

bona in vitâ tuâ, pauperes verò mala: nunc ergo consolantur, tu verò cruciaris. Benedictus Deus, humilis Ioannes aliâ nocte non cooperietur illo. Iustum est enim, & benè acceptum Deo, vt tegantur centum potiùs quadragintaquatuor fratres & domini tui, quàm tu infelix. Venumdabantur enim quatuor [58] rachanellæ numismate vno. Mox ergo transmisit illud in crastinum, vt venumdaretur. Et videns is qui obtulerat, emit illud triginta sex numismatibus,& rursus obtulit patriarchæ. Cùm verò in crastinum vidisset illud, emit hoc similiter, & rursus obtulit patriarchæ, deposcens vt tegeretur ab eo. Cùm autem tertiò hoc fecisset, dicit ei gratulabundus ille sanctus: Videbimus quis deficiet, ego an tu. Erat enim opulentus valdè, & suauiter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens: & dicebat semper, quòd posset aliquis intentione dandi pauperibus [59] expoliare diuites, & ipsum etiam hypocamisum ab eis beneuolè auferre, & non peccare: & maximè, si sunt aliqui immisericordes & auari. Duo enim lucratur talis: vnum quidem, quia animas illorum seruat: alterum autem, quoniam & ipse ex hoc mercedem non modicam habet. Attulit autem ad credulitatem verbi & testimonium verax, [60] quod circa sanctum Epiphanium & Ioannem episcopum Ierosolymorum factum est: quomodo sanctus Epiphanius per artem tulit argentum patriarchæ, videlicet Ioannis eiusdem,& dedit egentibus.

Datum sibi pretiosum stragulum vidi curat.

Modus vindemiādi diuites.

CAP. XXI.

Dignum & congruum prædicto capitulo referebat semel coram omnibus iste sanctus, dicens: Habebam, inquit, quemdam ministrum in apothecâ meâ in Cypro, fidelem valdè, & virginem vsque ad obitum suum. Hic ergo narrabat mihi, quia in Africâ existente me, facta est res huiusmodi: Permanebam enim, ait, cum quodam telonearío, diuite vehementer & immisericordi. Semel ergo pauperibus in hieme sedentibus ad solem, seque calefacientibus, cœperunt singuli domos eleëmosynatorum collaudare,& pro eis orare per singulos eorum, similiter & domos eleëmosynam non facientium vituperare. Inter quæ venit in medium eorum & nomen senioris mei telonearij, & cœperunt singuli interrogare proximum: Verè tu frater accepisti aliquando de domo illâ benedictionem? Et omnibus interrogantibus inuicem, nullus inuentus est accepisse aliquando de domo eius aliquid. Dicit ergo vnus ex eis: Quid dabitis mihi, & ego accipiam hodie ex eo benedictionem? Et facientibus cum eo pactum, venit & stat foris portam domus, expectans quando ad domum suam reuerteretur. Ex dispensatione Dei peruenerunt simul, ipse ingrediens portam, & animal portans siligines [61] à mancipio, caussâ prandij ipsius. Videns igitur egenum, non inueniens lapidem, per furorem arripit siliginem de clitellâ, & iactauit in faciem eius. Ille verò suscepit eam, & abijt vt satisfaceret confratribus suis, quòd ex eisdem manibus accepisset eam. Itaque post duos dies ægrotauit infirmitate ad mortem idem telonearius, & vidit in somnis seipsum rationem ponentem, & omnes actus suos super stateram appendere: in [62] vnâ quidem acie congregabantur Mauri quidam deformes: altera autem acies, aliorum quorumdam erat candidatorum & terribilium specie. Qui nihil inuenientes boni, vt & ipsi appenderent econtrà aduersum mala opera, quæ collecta erant à Mauris in acie ipsorum, nimis tribulabantur & tristabantur, & mente consternebantur ad alterutrum,& dicebant: Ergo ne nihil habemus hîc? Tunc dicit vnus eorum: Verè nihil habemus, nisi vnam siliginem, quam dedit ante duos dies Christo,& ipsam non voluntariè. Et mittentibus eis siliginem, æqualitas facta est. Tunc dicunt telonearío hi, qui apparuerant ei candidati: Vade, & auge ad siliginem hanc: nam verè Mauri isti te apprehendent. Eiulans ergo, agnouit quæ visa sunt ab eo, non esse mendacia, sed veracia. Omnia verò quæ à iuuentute suâ commiserat, & quorum ipse erat oblitus, videbat Æthiopes illos congregare, & deportare ad libram, & dicebat: [63] Vaè, si vna siligo quam iactaui per furorem ita profuit, à quantis malis se liberat, qui dat in simplicitate suâ bona indigentibus? Et de cetero ita modestus & prudens atque summus eleëmosynator factus est, vt etiam corpori proprio non parceret.

Insignis de Petro telonario historia.

Petrus telonearius in pauperē siligineum panem proijcit.

Actus eius in staterā appenduntur.

Patrocinatur ei quòd indignabundus dederat pauperi.

Insignis eleëmosynator euadit.

Contigit enim aliquando secundùm consuetudinem procedere eum diluculò ad teloneum, & obuiat ei nauta, qui à naufragio nudus vt natus est, euaserat: & cecidit ante eum, rogans vt protectionem apud eum impetraret. Ille ergo putans quòd egenus esset, expoliauit se [64] esophorium suum, quod illius melius erat, & dat ei: rogauitque eum, vt hoc ipse vestiretur. Pergens verò ille & erubescens vestiri hoc, dedit illud venditori vt venumdaretur. Et cùm recederet telonearius, vidit hoc suspensum, & tristatus est vehementer: & adscendens domum suam, nihil passus est gustare: sed claudens ostium couclauis sui, sede-

Esophorium suum pauperi largitur.

sedebat plorans & cogitans; Quia non fui dignus, inquit, vt mei memoriam haberet egenus. Cùm ergo anxiaretur, obdormiuit: & ecce vidit quemdam speciosum tamquam solem, ferentem crucem super caput suum & esophorium, quod dederat nautæ, adsistentem sibi & dicentem: Quid ploras domine Petre? Hoc enim erat ei nomen. Ille verò dixit, vt ad Deum disputans: Quia, Domine, ex quibus largiris nobis, damus alicui, & in turpe lucrum vertunt accipientes. Tunc dicit ei: Cognoscis hoc? Et ostendit ei, quia deintus vestitus esset eius esophorio. Dicit ei: Ecce ego illo vestior, ex quo dedisti mihi hoc: & gratias ago voluntati tuæ bonæ: quoniam frigore affligebar, & tu cooperuisti me. Ad se ergo reuersus, admiratus est: & cœpit beatificare egenos, & dicere: Viuit Dominus, si inopes Christus meus sunt, non moriar, & fiam tamquam vnus ex eis.

Christus eo se indutum ostendit.

Christus in pauperibus nudus est, vestitur.

Accersito verò notario suo, quem & emerat, dicit ei: Secretum volo credere tibi: & crede, si propalaueris me, barbaris vendam te, aut si non audieris me. Dat verò ei decem libras auri, & dicit ei: Vade, & eme tibi negotium: & sume me, & duc in sanctam ciuitatem, & vende me cuilibet Christiano, & pretium da pauperibus. Notario autem recusante, dicit ei iterùm: Quoniam si me non vendideris, ego vendam te barbaris, vt prædixi tibi. Obediuit ergo ei notarius: & peruenientibus eis ad sancta loca, inuenit idem notarius amicum suum charum, fabrum argentarium, qui damna inciderat. Ad locutionem verò venientibus ambobus, dicit ei notarius: Audi me Zoile, & eme seruum vnum, quia habeo tam bonum, vt dicat homo quòd patricius sit. Et audiens argentarius quòd seruum haberet, admiratus est, & dicit ei: Crede mihi, quia non possideo vnde emere possim. Dicit ei rursum notarius: Accipe mutuum, & eme eum: multùm enim est bonus, & benedicet tibi Deus per eum. Acquieuit ergo ei, & emit eum sordidis vestibus indutũ, numismatibus triginta. Relinquens autem eum notarius, abijt Constantinopolim, satisfaciens quòd nulli hoc manifestaret: & quòd de pretio nequaquam sibi retinendo aliquid defraudaret, sed hoc totum pauperibus daret. Ergo aliquando idem Petrus coquinam faciebat domino suo, aliquando autem lauabat pannos eius, numquam aliquando in quolibet horum assuetus. Afflixit autem seipsum & ieiunio multo. Cùm verò vidisset se benedici dominus eius super omnem benedictionem, dicit ei, verecundatus enormem eius virtutem & humilitatem; Volo humilis Petre liberare te, & vt sis de reliquo frater meus. Ille verò noluit. Viderat autem eum frequenter conuitia perferre, & percuti à conseruis suis. Habebant autem eum tamquam amentem, ita vt & nomen ei imponerent Amentis. Quotiescumque ergo tribulabant eum conserui sui, & dormiebat in tribulatione; apparebat ei qui in Africâ illi apparuerat, vestitus esophorio eius, tenens & illa triginta numismata in manu, dicens ei: Noli mœstus esse frater Petre, ego suscepi & pretium tui, sed sustenta vsque dum cognoscaris.

Iubet se vendi Petrus, & pretium dari pauperibus.

Officia Petri venditi & pia opera.

Renuit libertati restitui.

Instar amentis habetur.

Christus eum solatur.

Post aliquod verò tempus, venerunt à patriâ eius quidam argenti venditores, vt orarent ad loca sancta: & inuitauit eos ad prandium dominus domini Petri: & cùm ministraret, statim ille cognouit eos. Ipsi autem dum prandèrent, cœperunt affigurare eum, & inuicem ad aures dicere: Quàm similat puer iste domino Petro teloneario. Ille verò occultabat, quantum poterat, vultum suum. Iterùm ergo comedentibus eis, cœperunt dicere ad eum qui eos inuitauerat: Verè putamus, res tibi magna euenit domine Zoile: etenim, nisi erramus, publicam personam in ministerio tuo habes. Neque enim sciebant certiùs, quia erat de coquinâ & ieiunio commutatus vultus eius. Diu igitur considerantibus eum, dicit vnus ex eis: Vere dominus Petrus est: surgam & tenebo eum. Valdè enim Imperator audiens, tristatur de eo, quia dudum non comparuit. Foris itaque stans audiuit hæc: & ponens catinum à se, non est ingressus, sed recto cursu cucurrit ad portam. Erat itaque ei qui eum tunc habebat, ostiarius mutus & surdus à natiuitate, qui per nutum tamen aperiebat & claudebat. Festinans ergo seruus Dei exire, dicit surdo & muto: Tibi dico in nomine Christi. Ille verò audiuit statim, & dixit: Etiam domine. Iterùm verò ille ad eum: Aperi. Respondit mutus & surdus secundò: Ego domine. Statim ergo surrexit, & aperuit ei. Et exeunte eo, subijt ostiarius, & clamauit coram omnibus gaudens & exultans, quia audiuit & locutus est, Domine, Domine. Porrò omnibus qui in eadem domo erant perterritis, quoniam audiebant eum loquentem. Iterùm dicit ille quondam mutus: Ille qui coquinam faciebat, exijt currens: sed videte, ne fortè fugâ lapsus sit: magnus enim seruus Dei est. Quando discedebat, dixit mihi: Tibi dico in nomine Domini: & mox vidi de ore eius exeuntem flammam, & tangentem aures meas: & statim audiui, & locutus sum. Et exilien-

Agnoscitur à conterraneis.

Fugiens surdo & muto auditum & loquelam impetrat.

exilientes & sequentes eum cuncti, vlterius non viderunt eum. Tunc pœnitentiam omnes agebant, qui in domo illâ erant: & ipse dominus eius qui Petrum emerat, quia in tali exhonorantiâ humiliassent eum: & maximè hi qui vocabant eum Amentem.

Hæ sunt beatissimi à Deo honorati Ioannis patriarchæ narrationes. Non solùm enim de vitâ suâ contentus erat volentem proficere ædificare, verùm etiam de Deo acceptis & veracibus relationibus suis: & dicebat semper hæc audientibus: Si proprio sanguini non pepercerunt quidam hominum, sed hunc dederunt in manus fratrum, imò Christi: quomodo putas nos cum alacritate & humilitate debemus de facultatibus nostris dare Christo & egenis atque pauperibus, vt recompensationem recipiamus à iusto & mercedum redditore Deo, in illâ timendâ & horrendâ retributionis die? Qui nunc seminat parcè, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, id est, largè & magnanimiter, multipliciter & metet: hoc est, bona illa hereditabit, quæ omnem mentem transscendunt. (2. Cor. 9.)

CAP. XIII

Sermo Ioãnis de actibus SS. Patrum & eleemosynæ cultoribus.

Omnibus ergo rectis moribus iste sanctus adornatus, nec hoc carebat: valdè enim diligebat eloqui de actibus sanctorum patrum, & eorum qui eleëmosynæ cultores fuerunt. Vnde cùm vnâ dierum recitaret de vitâ sancti Serapionis, qui vocabatur Sindonius, & inueniret eum (vt fertur) amictum suum dedisse egeno, & iterùm paululùm processisse illinc, & frigus patienti obuiasse: & illi tunicam præbuisse, & quia nudus sedebat, tenens sanctum Euangelium, & interrogatus à quodam: Quis te expoliauit abba? demonstrans sanctum Euangelium, ait: Iste. Et alio tempore hoc ipsum Euangelium vendidisse, & dedisse eleëmosynam: & discipulo suo dicente, Abba, Euangelium vbi est? & illo dicente ad eum: Crede fili, qui dixit mihi, Vende quæ habes, & da pauperibus: ipsum vendidi & dedi eis, vt in die iudicij habeamus fiduciam abundantiorem apud Deum. Et quia aliàs iterùm vidua mulier petisset ab eodem sancto Serapione eleëmosynam, quoniam esuriebant filij eius, & non habente eo aliquid omnino, tradidit se ei, vt venderet eum ad mimos Græcos, quos & Christianos fecit in paucis diebus.

(Pallad. cap. 83.) (*Serapion Sindonites dicis se spoliatum ab Euangelio.*) (Matth. 13.) (*Vendit etiam Euangelium.*) (*Tandem seipsum vendit.*)

Hæc legens sanctus de sancto Serapione, stupefactus & miratus sancti industriam, totus lacrymis infectus vocauit omnes dispensatores proprios, legit & eis omnia de sancto Serapione; & dicit ad eos: Vauæ, ô philochristi, quid prodest homini colloquenti de actibus sanctorum patrum? Credite mihi, quia vsque hodie putabam, quòd vel aliquid facerem, datis, quas habere possum, pecunijs: nesciebam autem quòd & seipsos venderent, quadam compassione superati.

CAP. XIIII.

Semper quidem honorabat monachicum schema sanctus hic, & colebat & compatiebatur, vbi maximè adspiciebat monachum corporalibus vtilitatibus angustatum. Habebat autem & hoc super multos præcipuum, quia accusationem quamcumque, siue mendacem siue veracem, non suscipiebat cōtra aliquem circumamictum monachico habitu. Semel enim euenit ex immissione quorumdam criminatorum, pertulisse eum aliquid tale: Quodam monacho gyrante in ciuitate cum puellâ vnâ iuuenculâ, & petente eleëmosynam per dies aliquot, quidam qui hoc viderant, scandalizati, & existimantes quòd mulier eius esset, attulerunt patriarchæ contra eum querelas, dicentes: Propter quid, à Deo honorate, derogat talis Angelicæ monachicæ vitæ schemati, puellam quamdam habens mulierem? Mox ergo Dei famulus, putans prohibere contra Deum commissa peccata, tamquam qui ad hoc ab eo esset prouectus, præcepit mulierem quidem flagellis cædi, & separari ab eo: ipsum autem verberari, & in carcere secretò recludi. Dum ergo cum omni celeritate iussio sancti in opus procederet, apparuit ei nocte per visum monachus, ostendens ei dorsum suum putrefactum (non parcentes enim ceciderant eum ecclesiæ defensores) dicens ei: Ita placet tibi domine patriarcha: hac vnâ vice errasti vt homo: crede mihi, quia de proximo est vita & mors. Et hæc dicens, discessit ab eo. Manè autem facto, recordatus est ille beatus visionis nocturnæ: & sedebat super lectum suum mœstus: mittitque statim, & conuocat per cancellarium suum monachum de loco in quo erat reclusus, cogitans intra se beatus ille patriarcha, si similis esset illi, qui nocte sibi apparuerat. Cùm ergo venisset cum labore multo, (neque enim propter plagas moueri poterat;) cumque vultum eius vidisset patriarcha, remansit sine voce immotus, non valens loqui: solâ autem manu suâ innuit, vt sederet prope se in lectulo suo. In semetipsum verò reuersus & signatus, rogauit monachum præcinctum linteo, vt sine verecundiâ despoliaret se, quatenus videret dorsum eius, si ita esset sicut & in somnis viderat. Vix ergo suasus vt id ageret, despoliauit se. Cùm verò despoliaretur, vt monstraret dorsum suum viro sancto, per admirandum Dei consi-

(*Contrà monachum accusationem non recipit.*) (*Monachũ iubet verberari.*) (*Nocte corripitur à monacho Ioannes.*)

Monachus cocupiscentia accusatus, eunuchus deprehenditur.

consilium solutus est, quo erat indutus amictus, & cecidit in terram: & viderunt eum omnes esse eunuchum. Sed quia recens erat, nulli hoc existebat manifestum. Videntibus ergo eum omnibus & sancto Pontifice, & maximè dorsi eius perniciosa verbera: mittens mox, segregauit illos qui hunc inconsideratè tractauerunt. Venerabilissimo autem monacho complura rationabatur, in ignorantiâ dicens se in eum peccasse, & in Deum verum. & in hoc admonebat eum ille sanctus: Non, inquit, ô fili, ita sine custodiâ in ciuitatibus conuersari oportet eos, qui sancto Angelico vestro indumento circumamicti sunt, maximè & feminam circumducere ad scandalum aliorum videntium. Tunc monachus cum omni humilitate rationem reddebat sancto, dicens: Crede domine, non mentiar. Gazæ eram ante paucos dies: & exeunte me de ciuitate, vt venirem [65] & salutarem sanctum abbatem Cyrum, obuiauit mihi hæc benè visa puella foris portam, vespere incumbente: & accurrens ad pedes meos, rogabat vt mecum ambularet. Dicebat enim se Hebræam esse, & velle fieri Christianam: & cœpit eadem narrare verbis horribilibus, vt non permitterem perire eam. Timens itaque ego iudicium Dei, sumpsi eam, æstimans quòd non immitteret tentationem satanas spadonibus. nesciebam verò quòd nemini parcat. Igitur venientibus nobis, sanctissime pater, & orationem perficientibus, baptizaui eam ad sanctum abbam Cyrum, & gyrabam cum eâ in simplici corde, exposcens modicum sumptum, quatenus introducerem eam in monasterium. Cùm hæc audisset patriarcha, dixit: Papæ! quot absconsos seruos habet Deus, & nescimus nos humiles? Et enarrabat his qui præstò erant, visionem quam viderat nocte de eo. & protulit patriarcha centum numismata de manu, daturus ei: Dei autem amicus ille verè monachus, non passus aliquid accipere ex eis, dignum memoriâ verbum ad patriarcham locutus est, dicens: Ego hoc non postulo domine: monachus enim si fidem habet, horum non indiget. Si autem horum eget, fidem non habet. Quod maximè amplius satisfecit omnibus qui audierant, quòd seruus Dei iste monachus esset. Genu flexit igitur patriarchæ, & exiit in pace. Extunc igitur plus honorabat & hospitio recipiebat monachos, & bonos æstimatos & malos: & ædificabat mox xenodochium seorsum, & appellauit hoc Receptaculum omnium monachorum.

Peregrinatio ad templũ S. Cyri.

Ioannes numismata monacho offert.

Responsum dignum monacho.

Ioannes xenodochium adificat.

CAP. XXIV.

Mortalitate aliquando ciuitatem comprehendente, ibat & ipse sanctus, vt videret funerum obsequia. valdè enim dicebat hoc esse proficuum, & sepulcrorum considerationem. Multoties verò assidebat & his, qui morituri, vexationem in exitu animæ patiebantur: & ipse eorum oculos proprijs manibus claudebat, memoriam habere ex hoc sempiternam volens, & curam proprij exitus. præcipiebat autem & collectiones pro defunctis [66] impigrè & sine dubio perficere. Etenim dicebat, quia ante paucum tempus captiuus ductus est ad Persas quidam, & descendens in Persidam, retrusus est in carcerem, qui appellabatur Lethe, hoc est, obliuio. Quidam ergo fugientes illinc, venientesque in Cyprum, & interrogati à parentibus illius, si fortè vidissent eum: respondentes dixerunt eis, quia nos proprijs manibus sepeliuimus eum. Non autem erat iste, de quo interrogabant eos: sed alius, indissimiliter eum similans. Dixerunt verò eis & mensem, & diem obitus ipsius. Illi verò tamquam pro mortuo, faciebant ei tres collectas per singulos annos. Post quatuor itaque annos venit in Cyprum, fugâ lapsus à Persis. Dixerunt ergo ei sui: Verè, frater, nos audiuimus quòd mortuus esses, & memoriam tui faciebamus ter in anno. Cùm ergo audisset, quòd in anno ter facerent pro eo memoriam, interrogat eos in quo die, & in quo mense hæc celebrarent. Et illis dicentibus, [67] sanctis Theophaniis, & Dominicâ sanctâ, atque sanctâ Pentecoste: dixit ille, Quia tribus istis temporibus anni veniebat quidam candidatus vt sol, & dissoluebat me à vinculis ferreis & à custodiâ: & mouebar deambulando totâ die, & nemo recognoscebat me, & in crastinum inueniebar vincula ferrea portans. Dicebat igitur sanctus episcopus, quia ex hoc discimus habere dormientes quietem, quando pro eis collectas facimus.

Funerum obsequia, & moribundos libenter frequentat.

Viuens refrigerium capit ex collectis pro se tãquam mortuo factis.

CAP. XXV.

Quod in Actibus Apostolorum audiuimus factum, hoc frequenter & huic compatientissimo accidebat. Videntes enim multi indesinentem eius & inscrutabilem circa gentes compassionem, mouebantur multoties ad vendenda multa de substantiis suis: & ferentes, præbebant Dei deuoto ministro. Vnde & quidam veniens vnâ dierum, offerebat ei septem libras auri & dimidiam, satisfaciens sancto, quòd non possideret aliud aliquid in auro. Petebat autem ab eo cum multis genuflexionibus, vt oraret, quatenus Dominus Deus filium eius saluaret. Habebat enim vnum solummodò filium quasi annorum quindecim, vt reduceret nauim eius cum bono ab Africâ: illuc enim abierat. Accipiens igitur summus sacerdos quantitatem auri de manu eius, mira-

Act. 4.

Multi bona sua Ioanni offerunt.

miratus est eum tam esse magnanimum ad offerendam totam quantitatem auri quam possidebat. 69 Orauit quidem ei & in facie multùm, & sic eum dimisit. Tamen propter eius multam fidem, posuit subtus sanctam mensam ligaturam quantitatis auri patriarcha in oratorio cubiculi sui: & synaxim fecit statim perfectam super eam pro illo qui hanc obtulerat: satis abundeque Deum rogans, quatenus & filium eius saluaret, & nauem cum salute reduceret, secundùm quod fuerat postulatus ab illo. Necdum ergo triginta transactis diebus, defunctus est filius hominis illius, qui obtulerat septem libras & dimidiam patriarchæ: & in tertiâ die mortis pueri, recepit & nauim suam ab Africâ, in quâ erat & frater germanus eiusdem viri creditor. Et veniens iuxta Pharum, retulit quomodo nauis naufragium pertulit, & perdiderit totum quo erat plena, & quòd non essent saluatæ nisi animæ, & vna scapha vacua. Cùm ergo & hunc casum didicisset euenisse sibi dominus nauis & pater pueri, secundùm verbum Prophetæ, paullominùs in inferno habitauit anima eius. Nondum enim tribulatione filij sui extinctâ, comprehendit eum & nauis. Relata sunt itaque omnia quæ acciderant ei, patriarchæ: & pænè plus quàm is qui hæc perpessus fuerat, in tristitiâ morabatur, maximè propter filium eius vnicum. Nesciens ergo quid faceret, rogat misericordissimum Deum, vt consolaretur virum immensâ pietate suâ. Conuocare enim eum, & consolari in facie sanctus erubescebat: verumtamen mandauit ei, vt nullatenus desperaret: neque enim sine iusto iudicio Deum facere aliquid, sed omnia in hoc quod expedit, quod nos ignoramus. Ergo vt non perdat mercedem, quam fecit in septem & dimidiâ librâ auri, & fidem quam possidebat circa sanctum patriarcham; iam verò vt & nos in tentationibus, quæ nobis eueniunt, quando aliquid boni fecerimus, imperturbati & gratias referentes ad Deum permaneamus: vidit in somnis iam dictus vir philochristus posterâ nocte quemdam, quasi in habitu sanctissimi patriarchæ, dicentem sibi: Vt quid tribularis frater, & mœrore dissolueris? Nónne tu me rogasti, vt peterem à Deo, vt saluus fieret filius tuus? Ecce saluus factus est. Crede mihi, si viueret, prauus & immundus homo fieret. & de naui tuâ, verè, nisi Deus placaretur pro bono quod fecisti paruitati meæ, sententia erat data, quatenus tota, vt iacet, cum animabus in profundum pergeret, & perderes fratrem tuum. Sed surge, & glorifica Deum, qui dedit tibi eum, & saluauit filium tuum mundum de hoc sæculo vano. Euigilans itaque vir, inuenit cor suum consolatum, & vniuersam tristitiam eius eiectam: & indutus vestimenta sua, venit cursim ad honorabilissimum patriarcham, & iactat se ad pedes eius, gratias agens Deo & ei, & narrans visionem quam viderat. Quam audiens iustissimus, dixit: Gloria tibi benigne & misericors Deus, qui & deprecationem peccatorum exaudis. Iterumque ad hominem dixit: Nequaquam, ô fili, gratiam hanc orationi meæ adscribas, sed Deo & fidei tuæ: hæc enim omnia ista impetrare valuit. Erat enim valdè humiliter sentiens sanctus, verbis scilicet atque prudentiâ.

Orat pro eo qui aurum obtulit, & eius filio.

Filius moritur, & nauis naufragium patitur.

Psal. 93.

In somnis Ioannes apparet viro, eumq; docet filium à malo præseruatum.

CAP. XXVI

Pauperes visitat.

Pergebat aliquando hic beatus ad visitandos pauperes, in locum qui dicitur Cæsarium: illic enim eis fecerat quasi 69 tholos quosdam prolixos, ligneis tabulis pauimento strato ad requiescendos eos, & simul cum storeis & 70 rachanis per totam hiemem, cùm quodam episcoporum eorum qui cum eo erant, amatore pecuniæ, passibili modo presso. Dixitque beatus patriarcha ad eum: Ama ac honora, frater Troile, fratres Christi; hoc enim ei erat nomen. Nuntiauerunt enim quidam patriarchæ, quòd triginta libras auri portaret in ipsâ horâ domesticus eiusdem episcopi Troili, vt emeret speciem argenti anaglyphi, gratiâ mensæ suæ. Episcopus autem tamquam veritus sermonem patriarchæ, imò ad horam calefactus, singula dari omnibus fratribus præcepit ei, qui triginta libras illas portabat. Celeriter ergo huiusmodi auri quantitas erogata est. Recedentibus itaque vtrisque, patriarcha scilicet, & qui inuitam (vt ita dicam) eleëmosynam fecerat, episcopo Troilo in proprijs episcopijs, velut quædam amens & animæ periculosa in eum cogitatio irruit, propter pecuniarum dationem: horroris & amoris pecuniæ, & crudelitatis & negligentiæ geminen eum sequebatur, febre extra naturam mixtâ: propter quod ægrotus inuitus in lectum cecidit. Hebdomadario ergo à sanctissimo patriarchâ ad eum veniente, & ad mensam eiusdem patriarchæ eum inuitante, recusauit: frigore enim & febre se vexari pro quadam caussâ dicebat. Igitur cùm hoc audisset patriarcha, mox agnouit caussam, quia propter exitum viginti librarum, infirmatus est ille inuitus eleëmosynator. Erat enim (vt prædictum est) valdè immisericors, & amator pecuniæ. Non sufferens ergo beatus se quidem super mensam reficere, illum autem super lectum cruciari grauiter, peruenit celeriter ad eum ille

Aegrotat Troilus episcopus eleëmosynator inuitus.

ille verè sine superbiâ, & dixit ad eum hilari vultu: Fac charitatem fili Troile. Æstimas quòd in veritate dixerim tibi fratribus huiuscemodi dare? crede mihi, per iocum dixi tibi dare. Ego enim volui præstare eis singula numismata propter sanctam festiuitatem: sed quia non habebat distributor meus secum sufficientem quantitatem, huius rei gratiâ mutuam dedisti eam mihi, & ecce attuli tibi illas triginta libras. Vt verò vidit quantitatem episcopus in honorabili manu sapientis existentis medici & pastoris, febris quidem subitò disparebat, frigus etiam recedebat, fortitudo quoque & corporis eius calor ad eum reuertebantur: vt ex hoc non posset latere, hanc esse caussam repentè comprehendentis eum commutationis. Suscipiens ergo aurum ab honorandis manibus patriarchæ, & nihil omnino contradicens, exspectabat ab eo patriarcha conscriptionem abrenuntiationis mercedis earum, quæ datæ sunt, triginta auri librarum. Fecit autem hoc cum gaudio Troilus episcopus, scribens proprijs manibus ita: Deus, domino meo Ioanni beatissimo patriarchæ huius Alexandrinorum magnæ ciuitatis, da mercedem triginta librarum, quæ data sunt tibi, quoniam ego recepi mea. Hoc scriptum itaque sanctus accipiens, sumpsit secum & eumdem episcopum ad prandium. vt enim iam dictum est, statim sanus factus est. Volens ergo mercedis redditor Deus, corripere eum, simul autem & ad miserationem contribulatorum & compassionem erigere, ostendit ei eadem die dormienti post prandium patriarchæ in somnis, quâ mercede priuatus esset. Vidit enim (vt ait) domum, cuius pulchritudinem atque magnitudinem non potest ars hominum imitari, & ianuam huius totam auream, & super ianuam titulum conscriptum: MANSIO ÆTERNÀ, ET REQVIES TROILI EPISCOPI. Cùm ergo hoc, inquit, legissem, gauisus sum: sciebam enim donandam mihi ab imperatore talis domus epulationem. Nondum autem huiusmodi tituli superscriptionem perlegeram, & ecce quidam regius cubicularius, habens secum & alios obsequij diuini: & cùm peruenisset ad talem nitentis domus ianuam, dixit ad proprios officiales: Deponite mihi titulum. Et cùm deposuissent, iterùm dixit: Mutate eum, & ponite quem misit orbis terrarum rex. Et attulerunt & adfixerunt aliud adspiciente me, superscriptum ita: MANSIO ÆTERNA, AC REQVIES IOANNIS ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ, EMPTA LIBRIS TRIGINTA. Et cùm hoc vidisset, surrexit à somno: & magno summoque pastori, quæ visa sunt ei in somnis, enarrauit. Proficiens eâ de caussâ Troilus episcopus, factus ex tunc eleëmosynator magnificus.

Reuertente pecuniâ auaro sanitas reuertitur.

Troili chirographum quo eleëmosyna mercedem Ioanni transcribit.

Eleëmosynâ hic datâ palatium in cælo struitur.

Videt episcopus, quâ se mercede priuarit.

CAP. XXVII.

Dominus qui diuitias in tempore quodam beato Iob abstulit, fecit simile & huic omni bonitate pleno, sancto patriarchæ Ioanni. Nauibus enim sanctissimæ ecclesiæ comprehendentibus violentam hiemem, in loco qui dicebatur [71] Adria, proiecerunt omnia sua, quæ naues portabant: erant verò omnes naues simul. Erat autem summa multa valdè enthecarum suarum. habebant enim tantùm vestimenta & argentum, & alias res altiores: vt computaretur pondus, quod iuit in perditionem, quantitatis centenariorum triginta quatuor. Plus enim erant quàm tredecim naues, capientes per singulas decem millia modiorum. Venientibus verò Alexandriam & pergentibus, statim reliqui creditores & primi nautæ in ecclesiam confugerunt. Sanctus verò hoc audiens, & caussam propter quam fugerant, mittit eis verbum manibus suis conscriptum, habens ita: Dominus dedit, fratres, Dominus vt voluit, abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Exite filij, nihil ex hoc veriti: Dominus enim sollicitus erit de crastino. Ascendit itaque pænè dimidium ciuitatis in secretum: die autem altero [72] volentes consolari nobilem istum: ipse verò præoccupans, cœpit omnibus dicere: Nequaquam, ô filij & fratres, caussâ nauium difficultatis tristemini: nam humilis Ioannes, credite, inuentus est culpabilis: quippe nisi extollentiam haberem, nullo modo hoc ferrem. Sed quia extollebar in his quæ Dei erant, & æstimabam quòd magna opera facerem, dans quæ hominum erant, hoc mihi euenit: volens ergo Deus vt hoc intelligerem, ista permisit. Eleëmosyna enim non vigilantem plerumque in extollentiam eleuat: inuitus verò casus humiliat sustinentem. Ait enim diuina Scriptura: Paupertas virum humiliat. Et iterùm Dauid hoc sciens, dicebat: Bonum mihi quòd tu humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Dum enim malis factus sum obnoxius, quia dationem per vanam gloriam perdebam, & quoniam per vitium meum perditæ sunt tantæ pecuniæ, habeo nunc iudicium animarum quæ in arcto sunt. Verùm dilectissimi, qui tunc tempore iusti illius Iob fuit Deus, & nunc idem ipse est: qui non propter egestatem meam, sed ob indigentium necessitatem, non derelinquet nos. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam.

Enthecæ 13. nauium Alexandr. ecclesiæ naufragio perit.

Ecclesia asylum.

Iob. 1.

Ioannes fortis & humilis in aduersis.

Psal. 118.

Hebr. 13.

Matth. 6. linquam. Et rursus: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Volentes ergo consolari eum ciuitatis habitatores, vt dictum est, ipsi magis inuenti sunt econtrà consolationem ab eius beatitudine recepisse. Nimis ego breue tempus præterijt, & in duplum restituit Deus nouo nostro Iob facultates: & iterùm erat ipse magnanimus circa misericordiam, fortasse autem & religiosior quàm anteà fuerat.

Duplum ei Deus restituit.

CAP. XXVIII. Ad extremam paupertatem peruenienti cuidam de domesticis ministris, propriâ manu iste sanctus, vt nullus sciret, duas libras auri dedit: & audiens ab accipiente, Quoniam hæc accipiens, domine, vlteriùs non habeo vultum intendendi in honorabilem & angelicam faciem tuam: verè dignum laude, vt sapiens, locutus est verbum: Nondum, inquiens, sanguinem meum pro te, frater, effudi, sicut mandauit mihi Dominus meus & omnium Christus Deus.

Ministro suo egeno duas auri libras dat.

Ioan. 10.

CAP. XXXI Districtus quidam ab his qui pensionem exigebant, cùm non haberet quod daret: (erat enim regio in magnâ difficultate, eò quòd fluuius Nilus secundùm consuetudinem non irrigaret aquis terram:) ipse abiens deprecatus est ducem quemdam magnatorum, vt mutuas sibi daret quinquaginta libras auri: & dicebat se dare pignora, si vellet, dupla. Repromisit ergo dux dare ei, ad præsens verò distulit. Exactoribus ergo constringentibus eum, vadit ipse, vt omnis, ad portum à quo cuncti recipiuntur, videlicet ad mitissimum & dignum admiratione patriarcham. Et nondum pænè propriam necessitatem ei narrauerat, dixit sanctus ad eum: Do, fili, si volueris, & quo vestior, vestimentum. Etenim cum admirabilibus suis bonis & hoc possidebat, quòd non posset videre aliquem de necessitatibus lacrymantem, & non statim se proprijs rigaret lacrymis: vnde & mox petitionem volentis ab eo mutuum accipere, adimpleuit. Et sequenti nocte videt dux, quòd staret super altare quidam, cui offerebant multi oblationes: & per vnam quam ponebant, accipiebant centum pro ipsâ de altari. Erat autem & patriarcha post tergum eius. Iacebat ergo vna oblatio ante eos in vno scamno, & dicit quidam duci: Vade, domine dux, accipe oblationem illam, & offer ad altare, & tolle pro eâ centum oblationes. Illo verò pigritante, cucurrit patriarcha, licet post eum staret, & tulit hanc ante eum & obtulit: & accepit, sicut omnes, centum de altari. Euigilans itaque, non poterat discernere somnium. Misit autem & adduxit eum, qui volebat mutuum accipere, vt præstaret ei. Et cùm venisset, dicit ei dux: Accipe quod petisti mutuum. Respondens ille, dixit ei: Antè tulit mercedem tuam dominus patriarcha. Etenim te domino differente me, compulsus sum ad illum tamquam ad portum confugere: multa enim erat vis inquietudinis exactorum. Cùm ergo audisset hoc, statim recordatus est somnij, & dixit: Verè benè dixisti, Quia antè tulit mercedem tuam. Antè tulit enim, & væ illi qui vult facere bonum, & differt. Et enarrauit ei & omnibus somnium quod viderat.

Promptissimè mutuum præstat.

Dux ad mutuum præstandum tardior, visione templa remuneratione docetur.

Bona opera non differenda.

CAP. XXX. Pergente aliquando sancto ad templum sanctorum victoriosorum martyrum Cyri & Ioannis, in gloriosâ eorum memoriâ orationis gratiâ: exeunte portam ciuitatis, suscepit eum mulier procidens, & dicens: Vindica me, quoniam iniuriam patior à genero meo. Quibusdam ergo de obsequio eius, qui habebant confidentiam apud eum, dicentibus: Quia cùm reuersus fueris, caussam eius facies. Respondit sapientissimus: Et quomodo Deus orationem nostram suscipiet, si ego istam postposuero? Quis mihi spopondit, vt viuam ego in crastinum? & ibo ad Christum, pro ea rationem redditurus? Et non recessit de loco illo, vsque dum quod satis ei erat, fieri faceret.

Promptè mulieri à genero vexata succurrit.

CAP. XXXI Ad voluntatem igitur memorabilis huius, quæ tota in Deo erat, misit ei Deus viros sapientes & semper memorandos, Ioannem & Sophronium. Consiliarij enim erant veraciter boni, quibus & tamquam patribus indiscretè obediebat, & gratias agebat, tamquam constantibus maximè & viriliter agentibus militibus pro pietate religionis. Etenim sancti Spiritus virtute freti, & cum
73 Seuerianitis ac ceteris circa regionem existentibus immundis hæreticis, sapientiâ suâ ac disputationibus pugnam habentes & conflictum, multa quidem castella, pluresque ecclesias, similiter & monasteria ab ore talium bestiarum, tamquam boni pastores, euellere studuerunt: propter quod & maximè plurimùm honorabat sanctos hos ille vere sanctissimus.

Ioannes & Sophronius consiliarij Ioannis Eleemos.

Certant contra Seuerianitas.

CAP. XXXII. Si verò alicubi aliquem durum & inhumanum & percussorem circa proprios seruos sentiebat ille beatus, hunc primò conuocabat, & cum multâ lenitate rogabat, dicens: Fili, venit quidem ad aures peccatrices meas, quòd ex operatione inimici modicum duriùs circa proprios pueros tuos feraris: sed rogo, des locum iræ. Non enim vt percutiamus eos, dedit nobis hos Deus, sed vt seruiant. fortasse verò nec propter hoc, sed vt sustententur à nobis, ex quibus

Corripit in mansuetudine, qui seruos duriùs tractabat.

Deus præstitit nobis. Quid enim (edic mihi) & dedit homo; & emit eum qui ad imaginem & similitudinem Dei creatus & honoratus est? Numquid enim tu dominus eius, aliquid plus possides in proprio corpore, manum, aut pedem, vel auditum, aut animam? Numquid non similis est tibi per omnia? Audi lumen gloriosum, Paulum dicentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber: omnes enim vos vnum estis in Christo. Si ergo apud Christum æquales sumus, & ad inuicem æquales efficiamur. Etenim Christus formam serui assumpsit, docens nos non superbire contra seruos nostros. Vnus enim est Dominus omnium, in cælis habitans, & humilia respiciens: non dixit sublimia, sed humilia. Quantum enim aurum dedimus, vt honorificatum & emptum nobiscum eum sanguine diuino & Dominico, nobis seruituti subijciamus? Propter eum cælum, propter eum terra, propter eum stellæ, propter eum sol, propter eum mare & quæ in eo sunt. Est autem verum, quia & Angeli ei ministrant, propter eum Christus pedes seruorum lauit, propter eum crucifixus est, & cetera omnia propter eum passus est. Tu autem eum qui à Deo honoratur, inhonoras: & quasi non sis eiusdem naturæ, non parcens feris? Dic, obsecro, velles, quoties culpam admittis, vt mox redderet tibi Deus? Nequaquam. Dic, quomodo oras quotidie, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? His & his similibus verbis de habitante in se thesauro, monens hunc absoluit: & nisi didicisset istum emendatum, præparabat & instruebat seruum afflictum, vt fugam arriperet, & venditionem peteret: & hunc comparans iustus, statim liberum statuebat.

Gal. 3.

Apud Christum æquales, inuicem æquales simus.

Psal. 112.

Matth. 6.

Seruum emit, & libertate donat.

CAP. XXXIII.

Audiens aliquando cuiusdam eleëmosynatoris puerum orphanum derelictum, parentibus suis morientibus, & in multâ paupertate conuersari hunc: dicebant enim hi, qui in testamento patris eius inuenti sunt testes, quia non dimisit ei, domine, pater eius moriens vsque ad vnum numisma: sed habens decem libras auri, adducit eum ipsâ horâ quando testamentum scribebat, & dicit ei: Has decem libras habe fili mi. Quid, vis dimittam tibi istas, an vis Dominam meam Dei genitricem curatorem & prouisorem? Puero verò eligente sanctam Dei genitricem, præcepit dare cuncta pauperibus. Et ecce, inquiunt, sanctissime, in multâ inopiâ consistit, nocte ac die domum Dominæ nostræ non deserens. Cùm ergo hæc audisset à scientibus sanctus hic, nemini aliquid dicens, adducit quemdam tabellionem: & narrabat ei rem, dans ei terminum vt nulli crederet, quam præcepit ei facere rem, dicens ei: Vade, & in veteribus chartulis scribe testamentum cuiusdam nomine Theopenti: & fac in eadem chartâ me & patrem pueri consobrinos fratres, & vade, & dic iuueni: Scis frater, quòd genus existens patriarchæ, non debueras ita in paupertate versari? & ostende ei chartam, & dic: Quoniam si erubescis, ego ordino caussam tuam apud patriarcham, & vide quid tibi dicet. Cùm ergo omnia quæ iussa sunt ei à patriarchâ, tabellio fecisset, venit ad eum dicens: Quia pactus est puer mihi, vt ego loquar caussam suam domino, & magnas gratiarum actiones referebat mihi. Dixit itaque sanctus: Vade & dic ei, Quia locutus sum patriarchæ. Et dixi: Quoniam & ego scio, quia habuit consobrinus meus filium, sed ex vultu hunc non recognosco. Benè ergo facis, adducens hunc ad me. Adducens ergo eum, porta & chartam tecum. Cùm verò peruenissent, tulit eum secretò ille iustus, & cœpit deosculari eum, & dicere: Benè venit filius consobrini mei. Ditauit igitur eum, & vxori tradidit in Alexandriâ: & domum & omnia quibus opus habuit donauit ei: demonstrare festinans, quoniam non derelinquet Dominus sperantes in se.

Puer pro pecuniâ Dei matrem curatorem eligit.

Eum mirâ industriâ Ioannes ditat.

Iudith. 6.

CAP. XXXIIII.

Imprætermissè autem & huius mandati curam habuit hic admirabilis, legem ponentis: Volenti mutuare à te, ne auertas aliquando: non prohibuit aliquem huiusmodi ab eo suffragium postulantem. Vnde hoc sciens quidam malignus & impostor, petijt ab eo vt sibi mutuas daret viginti libras auri. Erat autem de his, qui dicuntur 74 Gallodromi. Contemnens ergo sanctum quemadmodum & alios multos, dicebat: Quia nihil mihi dedit. Quæsierunt itaque ecclesiæ pastores & ordinatores, vt in carcerem hunc mitterent, & publicarent eius substantiam. At imitator dicentis, Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos; nequaquam illis consensit, vt eum affligerent. His autem turbantibus contra eum, vtpote qui patriarchæ illuserat, & dicentibus ad eumdem sanctum: Non iustum est, domine, vt quod pauperes acciperent, hic luxuriosus accipiat. Respondit econtrà ille ter beatus, dicens: Credite fratres, quia si extra voluntatem acciperetis aliquid ab eo, duo mandata transgrederemini: & vnum adimplebitis, quando & ad pauperes data fuerit

Deut. 15.

Luc. 6.

Non permisit impostorem eleëmosynæ puniri.

Luc. 6.

fuerit huiuſcemodi quantitas. Vnum quidem, quia apparebitis impatientes circa damnum, & efficiemini alijs forma mala: alterum autem, quoniam non obedientes eritis Domino Deo, dicenti: Ab eo qui abſtulerit tua, ne repetas. Expedit ergo, ô filij, vt efficiamur omnibus exemplum patientiæ. Etenim Apoſtolus dicit: Quare non magis iniuriam ſuſtinetis? quare non magis fraudem patimini? Et bonum eſt quidem veraciter, fratres, omni petenti dare: excelſius autem & honorabilius, & non petenti: ei autem qui aufert veſtimentum ſine voluntate à nobis, dare & tunicam, Angelicæ verè naturæ imitatio, imò diuinæ eſt. Ex his enim quæ habemus, Dominus præcepit benefacere proximo: Bonum, inquit, facies fratri tuo, iuxta quod poſſidet manus tua: nōn ex his quæ ex lite & contentione & ab iniuriam paſſo auferuntur.

Luc. 6. *1. Cor. 6.* *Luce 6.* *Benefacere, naturæ diuinæ imitatio.*

CAP. XXXV Senex quidam magnus, quaſi annorum ſexaginta, audiens tales res beati, voluit tentare eum, ſi poſſet verbis ſuaderi, & ad ſcandalum facilè inclinari, & vt contigit, ſi condemnaret aliquem. Et habitans priùs in monaſterio abbatis 75 Seridonis, exijt & venit Alexandriam: & ſumit conuerſationem hominibus quidem reprehenſibilem, ſed Deo gratam, qui dat (vt ait Dauid) ſingulis ſecundùm cor eorum. Ingrediens itaque ciuitatem, ſcribit omnes quæ notæ erant meretrices, & cœpit laborare opuſcula, & accipere per ſingulos dies ſiliquam vnam. Cum ergo occumberet ſol, manducabat 76 vnius ærei lupinos, & intrabat ad vnam meretricum, & dabat ei æreos nummos, & dicebat: Dona mihi noctem iſtam, & noli fornicari. Et manebat iuxta eam nocte illâ, obſeruans eam ne fornicaretur. Stabat ergo à veſpere in vno angulo cellulæ vbi dormiebat mulier, pſallens & orans pro eâ, & mittens genuflexiones vſque ad auroram: & exiens, accipiebat verbum ab illâ, quòd nulli diceret actionem eius. Ita agebat ſemper, quouſque vna earum manifeſtauit vitam eius, quòd non, vt fornicaretur, intraret ad eas, ſed vt ſaluaret. Orauit ſenex, & cœpit mulier à dæmonio vexari, vt per illam ceteræ timerent, & non manifeſtarent eum omni tempore vitæ eius. Dicebant ergo quidam ei quæ à dæmonio vexabatur: Quid eſt? Reddidit tibi Deus quoniam mentita es. Vt fornicetur enim ingreditur peſſimus iſte, & non eſt aliud aliquid. Iam enim & ſanctus Vitalius (hoc quippe nomen erat ei) volens hominum gloriam fugere, & animas à tenebris reuocare, dicebat audientibus cunctis, cùm laboraret in opere, & ſolueret veſperi: Eamus modò, domina talis exſpectat nos. Vbi ergo erat ordo ipſius? Multis ergo criminantibus & illudentibus ei, dicebat: Numquid ego non veſtio corpus vt omnes? Aut monachis ſolis iratus eſt Deus? Verè & ipſi homines ſunt vt omnes. Dicebat itaque ei quidam: Accipe tibi vnam mulierem abba, & muta veſtimentum tuum, vt non blaſphemetur Deus per te, & habebis iudicium quæ ſcandalizantur animarum. At ille reſpondebat eis iterùm, dicebatque ſe demonſtrans quaſi iratum: Verè non obaudiam vobis: ite à me. modò nihil aliud faciam, vt vos non ſcandalizemini, niſi accipiam mulierem, quatenus curam habeam domus, & faciam malos dies. qui vult ſcandalizari, ſcandalizetur: & det frontem in parietem. Quid vultis ex me? Numquid iudices conſtituti eſtis ſuper me à Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me Deo non reddetis rationem. Vnus eſt iudex, & ſancta dies iudicij, qui ſingulis reddet ſecundùm opera eorum. Dicebat autem hæc clamans. Quidam ergo eccleſiæ defenſorum, hæc multoties audientes ab eo, referebant patriarchæ quod fiebat. Deus verò ſciens, quòd nollet ille ſanctus offendere abbatem Vitalium, indurauit cor eius, ne crederet eis. Recordabatur enim antè memorati eunuchi: ſed increpauit vehementer eos, qui contra Vitalium abbatem accuſationem ei afferebant, dicens ad eos: Quieſcite accuſare monachos. An neſcitis, quod circa ſanctæ memoriæ 77 Conſtantinum Imperatorem actum fuiſſe, conſcriptiones quæ de eo leguntur, contineant? Quoniam, ait, quidam non timētes Deum, cùm celebraretur 78 ſecunda Synodus in Nicæa, cœperunt contra ſe dare in ſcriptis famas turpes beato illi Imperatori; quidam clerici quidem exiſtentes, quidam monachi: & ad faciem adducens ſanctus Dei Conſtantinus accuſatorem & accuſatum, vtrumque audiuit. Et cùm inueniſſet multas talium criminatorum veras eſſe, afferens ardentem cereum, incendit omnes, quæ datæ ſunt in ſcriptis, malas opiniones, dicens: Verè, ſi propriis oculis vidiſſem ſacerdotem Dei, vel aliquem eorum qui monachico habitu circumamicti ſunt, peccantem: chlamydem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Nam & in ſeruum Dei illum, videlicet eunuchum, ita putaſtis, & miſiſtis me extra viam, & feci animæ meæ peccatum magnum. confundens ergo eos multùm, abſoluit. Seruus autem Dei Vitalius à propriâ operatione non ceſſabat. Deprecabatur ergo, vt quibuſdam poſt mortem eius in

Pſal. 19. *Abbas Vitalius pretio feminâ à meretricio ſeruat.* *Femina bonum eius opus detegens à dæmonio vexatur.* *Vitalius à multis calumniam patitur.* *Conſtantinus M. criminantium ſe ſacerdotum chartas exuſſit.* *Ioannes iſtus ſapit, ne temerè iudicet.*

in somnis manifestaret Deus, vt non imputaretur in peccatum his qui scandalizabantur in eum: eò quòd rem quam agebat, dicerent scandalo esse plenam; & non haberet homo peccati iudicium ex eâ, quidquid locutus fuisset. Multas igitur de talibus mulieribus in compunctionem induxit hæc operatio eius: & maximè, quando videbant eum nocte extendentem manus, & orantem pro vnaquaque earum: propter quod quædam earum à fornicatione cessabant, quædam verò accipiebant viros, & pudicè conuersabantur: quædam verò & modis omnibus mundum relinquentes, singularem vitam ducebant. Nullus tamen sciuit vsque ad eius dormitionem, quòd ipsius admonitione & oratione impudicæ mulierculæ à fornicatione cessarent.

Vitalius multas conuertit meretrices.

Vnde quodam die exeunte eo à primâ talium mulierum diluculo, obuiat ei quidam homo immundus, intrans ad fornicandum cum eâ: & cùm vidisset sanctum Vitalium ex eâ egredientem, dedit ei alapam in faciem, dicens ad eum: Vsquequò pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitijs tuis? Qui dixit ad eum: Crede mihi, accipies alapam à me humili, vt tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Nondum breui tempore transacto, dormiuit cum pace in cellulâ suâ S. Vitalius, nemine sciente omnino. Habebat enim valdè pusillam cellulam, super locum qui dicitur [79] Porta solis. Vnde & plerumque, cùm collecta celebraretur iuxta cellulam eius in ecclesiâ [80] Metræ, conuenientes quædam mulierculaarum harum, ad alterutras dicebãt: Eamus, eamus: iterùm abbas Vitalius collectam habet. Et venientibus eis, curabat eas. Igitur dormiente eo, vt prædictum est, in propriâ cellulâ, & nullo sciente, mox quidam dæmon tamquam Æthiops deformis, adstat ei qui dederat alapam abbati Vitalio, & dat ei alapam, dicens: Suscipe alapam, quam misit tibi abbas Vitalius. Et cadens, statim cœpit spumare. Congregata est igitur secundùm prophetiam Vitalij pænè tota Alexandria in violentiam, quam patiebatur à dæmone: & maximè, quia sonitum datæ ei alapæ audierunt quidam, quasi ad vnius ictum sagittæ. Post aliquantas verò horas in mentem rediens is qui patiebatur, scidit vestimenta pectoris sui, & cucurrit ad cellulam, clamans & dicens: Culpam feci tibi, serue Dei Vitali, miserere mei. Cucurrerunt verò cum eo omnes audientes. Cùm peruenisset ad cellulam sancti, exijt iterùm dæmonium, iactans eum omnibus adspicientibus. Et cùm ingrederentur intrò hi qui cum eo cucurrerunt, inuenerunt sanctum stantem in geniculis suis, & orantem, & animam Domino tradentem, & in pauimento scripturam huiusmodi: VIRI ALEXANDRINI, NOLITE ANTE TEMPVS ALIQVID IVDICARE, QVOADVSQVE VENIAT DOMINVS. Confitebatur verò & homo, qui à dæmonio vexabatur, quod sancto fecerat, & quod dixerat sanctus ei. Recitata sunt ergo beatissimo Ioanni patriarchæ omnia, quæ circa sanctum Vitalium acta sunt: & descendens cum clero, venit ad corpus sancti Vitalij: & cùm vidisset superscriptionem, dixit: Verè hanc humilis Ioannes per Deum euasit. nam alapam quam accepit qui patitur, ego acciperem.

Fornicator alapam Vitalio impingit.

Obitus sancti Vitalij.

Dæmon nomine S. Vitalij alapam fornicatori reddit.

Idem à dæmone ad cellulam Vitalij liberatur.

1. Cor. 4.

Lætatur Ioannes, quòd non temerè iudicauerit.

Tunc itaque omnes fornicariæ, & quæ abrenuntiauerunt ex eis, & viros susceperant, cum cereis & lampadibus præibant eum flentes, & dicentes: Perdidimus salutem nostram & doctrinam. Enarrabant enim iam conuersationem eius omnibus: & quoniam non propter turpem rem ad nos intrabat: & quia numquam aliquando vidimus eum super latus dormientem, aut vnam ex nobis tenentem manu suâ. Et reprehendentibus eas quibusdam & dicentibus: Quare hæc non omnibus dicebatis, sed scandalizabatur in eo tota ciuitas? enarrabant iam capitulum, quod circa eam gestum est, quæ à dæmonio vexationem sustinuit, & quia hoc timentes tacebamus. Sepulto ergo eo in multo honore, permansit is qui ab eo correctus & sanus factus est, faciens memoriam eius. Postmodum autem & renuntiauit sæculo, ingressus monasterium abbatis Seridonis in Gazâ, & suscepit cellulam abbatis Vitalij secundùm fidem, & in eâ permansit vsque ad mortem suam. Et sanctissimus patriarcha multas gratias egit Deo, quia non permisit eum peccare in seruum suum Vitalium. Multi autem multùm ex tunc in Alexandriâ profuerunt sibi, & hospitio recipiebant monachos: & monebantur vt non condemnaretur aliquis ab eis sicut euenerat. Fecit autem & sanitates post mortem honorabile nomen sancti Vitalij per diuinam gratiam: cuius orationibus det nobis Dominus bonam conuersationem, & misericordiam in die, quando manifestabit abscondita hominum, & nuda faciet consilia cordium.

Manifestatur virtus Vitalij, & scandalum tollitur.

Renuntiat sæculo fornicator, qui alapam Vitalio impegerat.

Vitalius claret miraculis.

1. Cor. 4.

CAP. XXXVI.

Præcipiens aliquando dari cuidam petenti eleēmosynam, decem nummos æreos tantùm, conuitia ab eo patiebatur in facie atrociter ille beatus, quia non dederat ei quotquot voluit. His autem qui de obsequio erant, quærentibus cædere eum qui conuitiabatur, increpauit eos vehementer patriarcha, dicens: Sinite eum fratres: habeo

Pauperi conuitianti pro arbitrio eleëmosynam tollere iubet. beo ego sexaginta annos, blasphemans per opera mea Christum: & vnum conuitium non portabo ab isto? Et præcepit datori soluere sacculum, vt fineret pauperem tollere quantum vellet pretium.

CAP. XXXVII. Si verò aliquando audiebat sapientissimus, quoniam eleëmosynator est talis: adducebat eum in hilaritate seorsum, & dicebat ei: Quomodo factus es eleëmosynator? naturaliter, an teipsum violenter cogens? Vnde quidam qui ab eo interrogabantur, *Eleëmosynarios consulit.* verecundati, occultabant quidem, quidam autem dicebant ei. Propter quod vnus interrogatus à sancto, respondit ita: Crede mihi domine, quia nihil do aut facio boni: verumtamen ipsum quod facio & præbeo, ex quibus Deus & orationes tuæ largiuntur, ita facere assueui. Eram priùs valdè immisericors & crudelis: & semel damna pertuli, & in subtilitatem deueni: cœpit cogitatio mea dicere mihi: Verè si esses eleëmosynator, non relinqueret te Deus. Statui ergo per singulos dies dare quinque æreos nummos pauperibus: & cùm cœpissem dare, statim satanas prohibebat me, dicens: Verè quinque nummi isti sufficiunt domui ad olera, aut ad balneum percipiendum: & statim, tamquam si de faucibus natorum meorum priuarem eos, nihil dabam. Cùm ergo vidissem quòd superarer à vitio, dico *Danti vel inuito eleëmosynam, à Deo redditur.* puero meo: Per singulos dies furare, me nesciente, quinque nummos, & da eleëmosynam. Sum ego enim trapezita, domine. Ille verò benefaciens, cœpit furari [81] denos. Erat autem quando & siliquam. Cùm ergo vidisset, quia benedicebamur, & diuitijs abundabamus, cœpit & tremisses furari, & dare. Semel itaque admirans benedictiones Dei, dixi ei. Verè multùm profuerunt fili quinque nummi illi: volo ergo vt des decem. Tunc dicit mihi & puer, subridendo: Vade, ora furtis meis. Nam verè hodie non haberemus quem manducassemus panem. sed si est fur iustus, ego sum. Tunc ergo dixit, quoniam tremissia dabat & siliquas etiam, & ex fide illius, assueui domine de animo dare. Ædificatus ergo sanctus valdè, dixit ad eum: Crede mihi, multas conuersationes patrum legi: tale aliquid non audiui.

CAP. XXXVIII. Malitiam reseruantem quemdam illustrium, contra alium principem, audiens hic magnus Ioannes, monuit eum sæpè, & suasit ad concordiam: & non potuit eum conuertere ad pacem. Semel ergo mittit & adducit eum sanctus, quasi pro re publicâ: & [82] facit Missas in oratorio suo, nullum habens nisi ministrum suum. Cùm ergo sancta benedixisset patriarcha, & orationem Dominicam inchoasset, cœperunt dicere tres tantùm illi, Pater noster. Et cùm peruenisset ad sermonem, quo dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; innuit domestico patriarcha, vt taceret. Siluit ergo & patriarcha. & remansit princeps solus, dicens versum: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Et statim conuersus sanctus, dicit ei mansuetâ voce: Vide in quali terribili horâ quid dicas Deo: Quoniam sicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi. Tamquam ab igne statim cruciatum ferens prædictus princeps, cecidit in faciem ad pedes sancti, dicens: Quæcumque iusseris domine, faciet seruus tuus. Et reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate. *Principem iram seruantem ad reconciliationem adducit.*

Superbum autem si, videbat aliquem beatus, hunc quidem non arguebat in facie: quando autem eum in secreto suo sedentem videbat, afferebat de humilitate sermones, vt per tale magisterium sensim percuteret superbum, & modestum faceret, dicens ita: Miror domini mei, quomodo non recordatur misera anima mea humilitatis, quæ demonstrauit nobis super terram apparere Filium Dei: sed intumesco & extollor super fratrem meum, si fuero modicùm aut pulchrior eo, aut ditior, aut gloriosior, aut principatum officij cuiuscumque habuero: non intelligens diuinam vocem, quæ dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: neque sanctorum voces cogitans, quoniam quidam terram, quidam cinerem, quidam vermem & non hominem, quidam aut impeditioris & tardioris linguæ se nominabant: & quia Isaias, quando Deum videre meruit, vt capit homo, tunc immunda labia se habere pronuntiauit. Quid enim & sum humilis? Nónne de luto fictus sum, vnde sunt & lateres? Nónne omnem quam puto habere gloriam, vt flos fœni marcescit? His ergo & huiusmodi, & alijs pluribus verbis sapientissimus, quasi de se dicens, eum qui languorem inflationis & superbiæ habebat, cauterio comburens proderat eius animæ. Intelligebat enim is qui vlcus habebat, quòd de eo patriarcha hæc intimaret. CAP. XXXIX. *Superbos sermone de humilitate instituto sanat.* Matth. 11. Gen. 18. Psal. 21. Exodi 4. Isa. 6. Isa. 40.

CAP. XL. Et hoc frequenter ille à Deo honoratus, afferebat in medium, ad humilitatis argumentum, dicens: Quòd si considerassemus & cogitassemus Dei erga nos misericordiam & bonitatem, nec in cælos subleuaremus oculos nostros, sed semper in humili habitu ac prudentiâ degeremus. Vt enim præteream, qualiter non existentes, vt essemus, produxit nos fictor, & peccato & inobedientiâ deceptos, iterùm viuificauit, & *Sermo Ioannis ad humilitatem exhortans.*

proprio sanguine redemit à morte: & omnem terram & ipsum cælum in obsequium hominum subdidit: sed & nunc, qualiter peccantes non dissipat, sed longanimiter magis expectat immobilis illa natura, & patiens ille oculus: & nobis plerumque blasphemantibus, ipse consolatur & blanditur per miserationem suam, desursum pluuias propter vitam nostram tribuens. Quantos malos operarios, pergente vt occidant aut furentur, tegit & non tradit, ne capiantur & puniantur? Quantos existentes in nauibus in pelago, vt prædentur obuiantes sibi naues, & occidant qui in eis sunt, non permittit in profundum demergi, sed imperat mari ne absorbeat eos, expectans conuersionem malitiæ ipsorum? Quanti [83] peierant corpus & sanguinem eius sacrosanctum; & patitur & longanimiter agit, non reddens eis hîc aliquid difficile? Quantos in itinere latrocinantes, non tradit in cibum obuiantibus sibi bestijs? Quantos euntes in cõcaua terrarum, & itinerum seditiones operantes, protegit, vt non consumantur à custodientibus canibus, vel etiam hominibus? Et me interdum aut cum meretrice recumbente, aut cum his qui se inebriant, aut cum turpia loquentibus conuersante, aut cetero quolibet sæculi huius implicato peccato, apis quidem circumfertur, & valles & alueos circuit, quærens colligere fructum, vt dulce faciat mihi guttur, quod fœda & iniqua pronuntiat: vua autem festinat per calorem maturari, vt repleat os & lætificet cor, quod factorem suum præuaricatum est. Flores inuicem se præoccupant, vt delectent oculos, qui fornicationibus & alienis mulieribus ad luxuriam innuunt. [84] Ficus turbatur, quatenus perueniat, vt repleat manum per magnitudinem, & os per dulcedinem, quod tenet & basiat alienam mulierem. Talia ergo, inquit, opera fratres agentes, & tales retributiones recipientes à benigno Deo, qualem debueramus habere prudentiam, considerantes nouissimam nostram & horrendam horam? Multùm enim de memoriâ mortis & exitu animæ disputabat semper ille beatus, ita vt frequenter quidam ad eum superbo schemate intrarent & ridenti vultu, & inconsiderato oculo; & exirent humili more, & compunctâ facie, & lacrymantibus oculis. Propter quod & dicebat: Quia (vt æstimo ego humilis) sufficit ad salutem assiduè & dolenter cogitare, & sollicitudinem habere de morte, quoniam nemo nobis in illâ horâ compatietur, aut comitabitur ex vitâ istâ, nisi opera bona nostra. Et quomodo Angelis venientibus & properantibus turbatur tunc anima, si inuenta non fuerit præparata? quomodo rogat, vt addatur sibi modicum tempus vitæ, & audiet: Quid enim? Tempus quod vixisti, benè consumpsisti? Et iterùm dicebat tamquam de semetipso: Quomodo humilis Ioannes transire poteris bestias arundineti, quando obuiabunt tibi exactores? Væ qualis timor & tremor obtinet animam tunc rationem ponentem, tantis exquisitoribus tam amaris & immisericordibus? Etenim sanctus iste in memoriâ semper retinebat, quod sancto [85] Simoni, qui in columnis stetit, per reuelationem factum est notum: Quia (vt ait) exeunte animâ è corpore, obuiant ei cùm adscenderit à terrâ in cælum, chori dæmonum, singuli in proprio ordine. Obuiat ei chorus dæmoniorum superbiæ, inuestigat eam, si habeat opera eorum. Obuiat chorus spirituum detractionis: adspiciunt si quando oblocuta sit, & pœnitentiam non egerit. Obuiant iterùm superiùs dæmones fornicationis: scrutantur si recognoscant in eâ voluptates suas. Et quando à terrâ vsque ad cælum misera anima positura rationem peruenerit, seorsum ab eâ sancti Angeli stabunt, & non adiuuabunt eam nisi bonitates suæ. Hæc considerans hic nobilis, perterritus pro tali horâ & sollicitus factus est, ferens in memoriam & sancti Hilarionis eloquium: quia cùm è vitâ egressurus esset, formidauit, & dixit animæ suæ: Octoginta annos, ô humilis anima, habes seruiens Christo, & times exire? Exi, quia misericors est. Et dicebat sibi patriarcha: Si is qui octoginta annos seruiuit Christo, & mortuos suscitauit, & signa fecit, timuit amaram illam horam, quid habes tu humilis Ioannes dicere aut facere, quando obuiauerint in faciem tuam crudeles illi & immisericordes exactores & inquisitores? Ad quantos poteris rationem reddere, ad eos qui exquirunt de mendacio, ad eos qui de detractione, ad eos qui de crudelitate, ad eos qui de auaritiâ, ad eos qui de memoriâ mali, ad eos qui de odio, ad eos qui exquirunt de periurio? Et dementatus dicebat: Deus, tu eos increpa: nam omnis fortitudo hominum eis resistere non valet. Tu Domine, da nobis ductores sanctos Angelos, qui custodiant & gubernent nos: multa enim est contra nos eorum insania, multus tremor, multus timor, multum periculum pelagi aëris huius. Si enim de ciuitate in ciuitatem super terram ambulantes, deprecamur eos qui nobis ductores sunt, ne in præcipitia cadamus, aut in agrestium bestiarum loca, aut in flumina infinita, aut in inaccessibiles & inuios montes, aut in latronum manus, aut in eremum incomprehensibilem

Creatura ingratitudinis erga Deum hominem arguunt.

Vtilis cogitatio de morte.

Psal. 67.

Animæ egredienti de corpore dæmones obuiant, vt sua in eâ opera quærant.

Vita Hilarionis c. 38.

sibilem aut inaquosam, & pereamus. Quot ductoribus fortibus & diuinis custodibus opus habemus, pergentes longâ viâ hac & æternâ, videlicet, quæ ex corpore est egressio, & ad cælum adscensio? Hæ sunt sapientiâ plenæ beati ad se & ad omnes doctrinæ: hæ sunt eius quotidianæ curæ atque meditationes.

CAP. XLI. Multam autem & de sanctâ statione curam habebat, & sollicitudinem demonstrabat. Vnâ enim dierum volens multos resecare, vt non egrederentur post solutionem sancti Euangelij de ecclesiâ, & otiosis sermonibus pro oratione vacarent, quid fecit? Reliquit mox, postquam lectum est sanctum Euangelium, ecclesiam: & ipse exiit, & sedit cum turbâ. Omnibus verò obstupentibus, dixit ad eos iustus: Filioli, vbi oues, illic & pastor. Aut intrate intrò, & ingrediemur: aut manete hîc, & hîc manebo. Ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam: nam poteram facere mihimet Missas in episcopio. Semel ergo & bis fecit hoc ipsum schema ille beatus. Erudiuit & in hoc plebem magnificè, & emendauit: timebant enim, ne iterùm idipsum schema faceret eis ille semper memorandus.

Egredientes ante finitam Missam dextrè corrigit.

CAP. XLII. Loqui autem in sacrario omnino non permittebat, sed in conspectu omnium foras mittebat eum, dicens: Si quidem vt orares, venisti huc; in hoc mentem tuam & os tuum vacare exopta: Si verò propter locutionem, scriptum est: Domus Dei domus orationis vocabitur: noli ergo facere eam speluncam latronum.

Colloquia in ecclesiâ prohibet.

Matth. 21.

CAP. XLIII. Hoc autem erat admirabilius sanctissimi huius patriarchæ, quoniam nec monachicam vitam ducens, neque in clero moratus in ecclesiâ: sed & 86 feminæ legitimè dudum coniunctus, ita tenuit vigorem ecclesiæ ab ipso initio quo patriarcha consecratus est: & in talem sublimitatem exaltatus est, vt multos eremitarum & in arctâ vitâ degentium superaret.

Omni tempore vigorē ecclesiæ seruat.

CAP. XLIV. Volens autem nec huius boni esse inexpers, videlicet monachicæ vitæ connumerationis, studet rem talem: Congregans duos ordines sanctorum monachorum, statuit in eis omnem vtilitatem tribui de villis suis in ciuitate suâ: & faciens eis cellulas in duobus oratoriis Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, & sancti Ioannis, quæ ipse à fundamentis ædificauerat, dicens amantissimis Deo monachis ita: Ego post Deum vtilitatem corporalem vestram procurabo, vos autem spiritualis habetote meæ curam salutis. Vespertina & nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur: quidquid verò in cellulis vestris officij feceritis, pro vestris sit animabus. Hoc autem fecit, volens sollicitiores efficere Dei amicos monachos. Vnde & permansit Deo talis grata constitutio ordinum: & ad similitudinem monasterij ex his ciuitas pæne viuit, in diuersis locis peruigiles hymnodias Deo referens.

Duos monachorum ordines alit.

CAP. XLV. Et hoc beatus iste ita omnes docebat, & contestabatur dicens: Nullatenus aliquando hæreticorum communionis, imò coinquinationis participemini, etiam si omni vitâ vestra ex aliquâ impulsione vel necessitate, communionem Catholicæ Ecclesiæ non inuenientes, sine communione permanseritis. Si enim, ait, vxorem corporalem legitimè possidentes, in regione aliquâ longinquâ absque istâ tempore multo morantes, relinquere hanc & alij copulari, à Deo & legibus prohibemur: si verò hoc egerimus, punimur: quomodo putas, Deo per rectam fidem & Catholicam Ecclesiam coniuncti, vt ait Apostolus, aptaui vos vni viro virginem castam exhibere Christo, si orthodoxam & sanctam fidem adulteraueritis per communionem hæreticorum, non in futuro sæculo tormenti, quod exspectat hæreticos, erimus facti participes? Communio enim, ait, ideò dicitur, eò quòd communem faciat, & firmet communicantem quibus communicat. Ne igitur, quæso, ait, ô filij, huiusmodi oratoriis applicetis.

Vitandam hæreticorū communionem monet.

2. Cor. 11.

Communio quid?

CAP. XLVI. Cum omnibus bonis suis & hoc beatus hic possidebat, quòd (vt dictum est) non condemnaret proximum, nec condemnantes reciperet. Dicam verò & eius doctrinam de hoc omnibus proficuam: Iuuenis quidam rapiens monacham, fugit Constantinopolim. Hoc discens iustus, tristis factus est vsque ad mortem. Tempore verò aliquo transacto, consedente eo vnâ dierum in honorabili cimiliarchio cum quibusdam clericis, & sermonem animæ vtilem mouente, venit in medium & memoria iuuenis, qui ancillam Dei rapuerat, & cœperunt, qui sancto consedebant, anathematizare talem iuuenem, tamquam qui duas animas perdiderat, suam videlicet & sanctimonialis. Compescuit ergo & resecauit eos beatus, dicens: Ne sic, filij, ne sic: nam ostendam vobis, quia & vos duo peccata facitis: vnum: quia transgredimini mandatum dicentis: Nolite iudicare, vt non iudicemini: deinde, quia nescitis certiùs, si vsque hodie peccent, & non pœniteant.

Neminem cōdemnat, nec condemnantes recipit.

Etiam publica peccata non iudicanda.

Matth. 7.

Legi enim vitam patris, aliquid tale habentem: quia in ciuitate quadam duo monachi abierunt in ministerium. Et cùm transiret vnus per locum, clamabat ei vna fornicaria, dicens: Salua me pater, vt Christus meretricem. Ille verò hominum confusio-

fusionem omnino non curans, dixit ei: Sequere me. Et tenens eam per manum eius, exijt publicè de ciuitate, omnibus aspicientibus. Facta est ergo fama, quia abbas accepit mulierem Domnam Porphyriam (ita enim vocabatur mulier.) Pergentibus ergo eis, vt mitteret eam in monasterium, inuenit mulier in vnâ ecclesiâ puerum in terram proiectum, & sustulit eum vt nutriret illum. Itaque post annum quidam venerunt in patriam, vbi erat abbas & Porphyria, quæ fuerat de meretricibus: & videntes eam habere puerulum, dicunt ei: Veraciter bonum abbati pullum genuisti. Nondum enim sanctum schema acceperat. Euntes ergo Tyrum qui viderant eam, (inde enim abbas tulerat illam,) diffamauerunt, quia genuit de abbate Porphyria, & nos vidimus puerulum oculis nostris similantem ei. Quando ergo cognouit ex Deo abbas obitum suum, dicit nonnæ Pelagiæ: sic enim mutauit nomen eius, quando tradidit ei sanctum schema: Eamus Tyrum, quia habeo illic responsum, & volo vt venias mecum. Illa verò non valens contradicere ei, secuta est eum: & venerunt ambo, habentes & puerulum septem annorum existentem. Cùm ergo ægrotasset abbas in infirmitate ad mortem, adscenderunt ad visitationem eius de ciuitate vsque ad centum animas. Et dicit: Afferte prunas. Itaque cùm venisset [87] thuribulum plenum prunis, tulit & euacuauit eas in vestimentum suum, & dixit: Credite fratres, quia sicut Deus rubum custodiuit incombustum ab igne; sicut nec tunicam hanc meam incenderunt prunæ istæ: ita nec ego agnoui peccatum mulieris, ex quo natus sum. Et omnes mirati sunt, quomodo non ardebat vestimentum ab igne: & glorificauerunt Deum habentem occultos seruos. Ex occasione autem nonnæ Pelagiæ quondam meretricis, aliæ fornicariæ secutæ sunt eam, abrenuntiantes mundo, cùm eâ pergentes in monasterium eius. Seruus enim Dei monachus, qui totonderat eam, postquam satisfecit omnibus, tradidit Deo spiritum in pace. Ideò, inquit, dico vobis filij, ne præcipites ad condemnanda & iudicanda sitis aliena. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus: pœnitentiam verò eius, quam fecit occultè, non adspeximus. Et est, quia furtum facientem quemdam vidimus; suspiria verò & lacrymas quas produxit Deo, nescimus. Et nos quidem habemus eum, qualem vidimus illum, furem, aut fornicatorem, aut periurum: apud Deum verò recepta est occulta eius confessio & pœnitentia, & est ab ipso pretiosus. Omnes igitur admirabantur super doctrinâ industrij pastoris huius atq; magistri.

Abbas quidã Tyriam meretricem Porphyriã conuertit.

Pelagia ei nomen imponit.

Purgat se à suspicione sceleris & scandali, veste illæsâ ignem ferens.

Cauendum temerariũ iudicium.

CAP. XLVII.

Duobus clericis calceamenta facientibus, & iuxta se laborantibus: vnus quidem habebat filios multos, & vxorem, & patrem, & matrem: vacabat verò ecclesiæ sine intermissione, & omnes post Deum alebat de arte suâ. Alter verò quamuis doctior esset illo, eò quòd non permaneret in ecclesiâ, sed etiam Dominicis diebus laboraret, nec seipsum tantùm nutrire valebat. Inuidebat ergo iste vicino suo. & vnâ vice non sufferens inuidiam, dicit ei cum irâ: Vnde tu sic diues factus es? Ego verò vacans plus arti meæ quàm tu, in paupertatem deueni. Dicit verò ei, volens facere eum vacare ecclesiæ: Inuenio pretium in terrâ, & inde paulatim diues factus sum: sed si vis, semper voco te, & veni mecum: & quidquid inuenerimus, accipies dimidium. Cùm ergo acquiesceret ille, & sequeretur eum euntem ad ecclesiam, sine intermissione benedixit ei Deus, & diuitem fecit eum. Tunc dixit ei ille bonus consiliarius: Vidisti frater [88] vnum mendacium propter Deum, quantum profuit animæ tuæ & substantiæ tuæ? Crede, nihil inueniebam aliquando in terrâ, vt æstimasti gratiâ pretij: sed quoniam dixit Dominus, Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis: idcircò occasionem feci, tantùm vt seducerem te: & ecce non sine caussâ laboraui, sed inuenisti, & superinuenisti. Hoc igitur discens sanctus patriarcha, fecit illum bonum consiliarium presbyterum, tamquam dignum: erat enim lector.

Clericus calcearius vacans ecclesiæ, fit ditior alio assiduo operatore.

Matth. 6.

CAP. XLVIII.

Et quidem hactenus antè memoratus Dei cultor Mennas, qui fuerat vicedominus sanctissimæ ecclesiæ Alexandrinorum magnæ ciuitatis, enarrauit nobis. Sequentia autem vilitas mea depinxit; quædam verò à quibusdam, quibus dignè credendum est, audiui. Dicentibus ergo nobis in prædictis in quodam capitulo, quòd multâ spirituali dilectione patriarcha & Niceta patricius adinuicem colligati essent, dignum indicium talis exhibitionis præsens existit capitulum.

A quibus reliqua Scriptor hauserit.

Sup. c. 11.

[89] Quando permittente Deo pro peccatis nostris, futurum erat vt traderetur Alexandria sine Deo Persis, reminiscens pastor dicentis: Cùm persecuti vos fuerint in ciuitate istâ, fugite in aliam: fugam arripuit in propriam patriam, videlicet in Cyprum, in ciuitatem suam. Vnde occasione acceptâ, præfatus Niceta patricius dixit ad sanctum: Obsecro, si inueni gratiam ante te, ne dedigneris fatigari vsque ad reginam ciuitatem, & benè acceptas preces tuas donare pijssimis Imperatoribus. Ille verò multæ fidei

Matth. 10.

Fugit Ioãnes in Cyprum.

viri

viri consentiens, obediens ad hoc factus est Deo & voluntati eius: & à se datum honorem quantus erat, circa beatum ostendere volente. Fatigatâ igitur naui multipliciter à vi ventorum, in quâ sanctus cum Patricio erat, & in profundum mittendâ: videt sæpè memoratus Patricius, & optimates qui cum eo erant, vnâ nocte, in quâ tempestas facta est, patriarcham modò quidem cum pauperibus per nauim vbique circumcurrentem, modò autem iterùm cum eis manus in cælum extendentem, & ab alto adiutorium abstrahentem. Cumque [90] in Rhodum peruenissent adscendentes, videt expergefactus à Deo vocatus hic quemdam eunuchum coruscantem formâ, & aureum sceptrum in dextrâ tenentem, assistentem sibi & dicentem: [91] Veni iube, Rex regnantium quærit te. Nihil ergo statim negligens, aduocat patricium Nicetam, & dicit ei cum multis lacrymis: Tu quidem, ô domine, ad terrenum Imperatorem me vocasti: sed præueniens cælestis, antè vocauit exiguitatem meam. Et retulit ei eunuchi, imò Angeli visionem, quæ apparuerat sibi. Gauisus ergo & tristis factus idem gloriosissimus vir, impedire sanctum non potuit. Abundè igitur sanctis eius repletus orationibus, & Imperatoribus has deferens, cum multo honore redire ei in Cyprum iussit.

Per Angelum vocatur ad Deū.

Nicetæ patricio vocationem suam aperit.

CAP. XLIX

Testamentum Ioannis Eleemosynarij.

Adueniente ergo eo in propriam ciuitatem, quæ [92] Amathunta vocabatur, testamentum proprium scribere citò ministris suis præcepit. Velociter verò & sine dilatione chartam & calamum præsentantibus, præcepit sacrum illud os scribere sic: Ioannes seruus, propter eam verò quæ supposita » est mihi sacerdotij dignitatem, Dei gratiâ » liber. Gratias ago, Deus, tibi, quoniam ex- » audisti miseriam meam, rogantem bonita- » tem tuam, ne inueniretur morienti mihi » nisi vnus tremissis. Inueniente enim me in » honorabili episcopio sanctissimæ ecclesiæ » Alexandrinorum magnæ ciuitatis, quam » per indulgentiam Dei suscepi, quando in » eâ consecratus sum episcopus, circiter octo- » ginta centenaria auri, & quæ intrauerunt » mihi ab amicis Christi, pænè numerum ho- » minis transcendunt: in seipsam mentem » colligens, & cognoscens hæc omnia domi- » natoris omnium esse, festinaui ea quæ Dei » erant, Deo dare. Vnde & quod remansit » mihi hoc tremisse, Dei & hoc existens, iu- » beo dari his qui sunt Dei. O gloriosa res! ô deuotionem sancti! Non attendit, sicut debuisset, suis; quod faciunt multi qui in diuitijs sunt, qui Dei dona aut ex iniustitiâ collecta, tamquam propria, & tamquam si ea secum ferre possunt, thesaurizant, & non largè egenis præbent: sed illa quærebat, quæ semper manent, & aliquando non minuuntur. Vnde sine mendacio repromissionibus non est fraudatus, quæ asseuerant ex personâ Dei, quoniam qui glorificant me, glorificabo. Verè enim magnificè glorificauit sanctum hunc, qui in suis semper bonis glorificatus est Dominus. Non enim ferens nobilis hic, temporali vitâ suâ conquiescere sancta & digna laude bona, quid egit? Xenodochia, gerontocomia, atque monasteria à fundamentis ædificans, & choros sanctorum monachorum statuens, incessabilem veræ iustitiæ memoriam possidet, per ea quæ celebrantur in eis bona opera. Quod enim de his qui mala agunt, & successores propriorum malorum post mortem in vitâ hac relinquunt, ait Domino plenus Apostolus: Quoniam quorumdam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium; quosdam autem & subsequuntur. [93] Hoc econtrà de hoc beato dicendum est: Quoniam quorumdam iustitiæ manifestæ sunt præcedentes in regnum cælorum, quosdam autem & subsequuntur: de quibus vnus & iste extitit. Et quoniam non fabula, neque ad gratiam est, quod dictum constat: testimonium nobis perhibeat planè, quod mox in pretiosâ eius dormitione gestum est prodigium. Tradente enim eo & commendante propriam animam in manu Domini, vt ait alicubi Sacra littera, Iustorum animæ in manû Dei sunt: & hanc ei vt sacrificium immolatum offerente, cùm recondendum esset honorabile eius corpus honorificè, & cum congruo sacerdotibus ritu in quodam oratorio sancti miraculorum factoris [94] Tychonis, fit quoddam tale signum gloriosum.

Quanta pauperibus dederit, & quàm pauper moritur.

1. Reg. 2.

Xenodochia, gerontocomia, & monasteria ædificauit.

1. Tim. 5.

Sap. 3.

CAP. L.

Iacebant in quodam tumulo, vbi & iustus hic reponendus erat, duorum quondam episcoporum, qui antè dormierant, sancta veraciter corpora sanctorum: quæ & in naturâ exanimi interim degentia, tamquam si viua reuerà essent, æqualem sancto honorem tribuerunt. Cùm enim beati corpus inter duos illos componendum esset, honorantes summum pastorem pastores, & multam eius fiduciam apud Deum reuerentes, simul & mirantes, Dei iussione tamquam viui [95] corpora sua separantes, in medio sacrum hunc susceperunt, honorem & ipsi ei præceptione Dei, sicut à Deo honorato offerentes: & omnibus statim ostendentes, quæ à Deo ei donata est, gloriam atque sublimitatem. Quod maximum & gloriosissimum miraculum, non vnus, neque decem, neque centum viderunt, sed omnis turba quæ conuenit ad pretiosam eius sepulturam.

Ioanni duorum episcoporū corpora in medio locū cedunt.

Aliud

CAP. LI. Aliud autem eius gloriosius, quod quidem adhuc viuens in carne cœpit miraculum, sed postquam migrauit ad Deum, compleuit, sermo commemorare tentabit. Mulier quædam de eâ, quæ sanctum protulit, ciuitate existens, cùm audisset eum venisse [96] à Rhodo, & Angelum ei ibidem apparuisse, & vocationem ad communem Dominum ei denuntiasse: peccamen grauissimum in se recognoscens, quod nec auditus hominum posse intrare affirmabat: fidem inambiguam sumens, ad sanctum cursim peruenit. & pedes eius comprehendens, cum lacrymis multis clamabat, & dicens secretò sancto: Peccatum, ô ter beate, habeo misera, quòd ad aures hominum venire non potest: & scio, quòd si vis, potes id mihi indulgere. dixit enim vobis Dominus: Quoniam quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis: & quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hæc verba audiens à muliere sanctus, & timens, si petitionem eius refutaret, noxius eius tormenti fieret, dum posset liberari à proprio peccato per fidem quam habebat in eum, dicit ad eam humiliter: Si vtique credis, ô mulier, Deo, quòd per infelicitatem meam ignoscatur tibi crimen quod dicis, confitere mihi hoc. Quæ dixit: Non possum domine dicere id: neque enim potest auditus hominum portare illud. Dicit ad eam iterùm sanctus: Et si erubescis, vade & scribe illud, si nosti litteras, & fer mihi. Illa iterùm respondit: Verè, domine, non possum. Exspectans ergo modicum quid tacens, dixit ei: Non potes scribere & bullare, & afferre mihi? Tunc dixit ei: Possum, domine, hoc facio, rogans honorabilem & coangelicam animam tuam, ne soluatur, neque vllo modo inueniatur à quolibet [97] pittacium hoc aliquando. Verbum igitur accipiens à Deo honorabilis, quòd nullus homo solueret aut legeret eius pittacium, abiens scripsit propriâ manu peccatum, & bullans portauit beato. Suscipiens ergo sanctus pittacium, post quinque dies ad Dominum profectus est, nemini aliquid de huiusmodi pittacio aut disponens, aut indicans. Mulier itaque fortuitu, imò dispensatione Dei, non existens in ciuitate die, in quâ translatus est in pace de sæculo isto ad aliud patriarcha, volente & in hoc demonstrare Deo, quantam apud eum, vtpote proprius famulus, fiduciam possidebat. Sed post vnam diem reconditionis pretiosi eius [98] lipsani aduenienς, cùm audisset dormitionem eius, amens & desipiens propemodum facta est, existimans pittacium quod dederat, in episcopio relictum, omnibus faceret culpam eius manifestam. Citò ergo resiliens, & priorem fidem suam indubitabilem super animam resumens, arcam à Deo honorati apprehendit: & sicut viuenti ei veraciter, ita turbata perhibebat: Homo Dei, tibi hoc peccatum non potui enarrare, eò quòd supra modum existeret graue: & ecce nunc omnibus factum est forsitan manifestum & cognitum, vtinam non tibi rem meam manifestassem. Heu heu mihi! putans confusionis absolutionem inuenire, confusio omnibus facta sum; pro medelâ blasphemiam recepi. Quid mihi ad te opus erat secretum animæ meæ patefacere? Tamen non deficiam neque diffidam, neque remouebo à tumulo lacrymas, vsque dum satisfactionem de petitione meâ accepero. Neque enim mortuus es sancte Dei, sed viuis. Scriptum est enim, quia iusti in perpetuum viuent. Iterumque eadem verba assumens, dicebat: Nihil homo Dei peto à te, nisi vt certum facias cor meum, quidnam de dato tibi pittacio factum sit? Deus ergo qui dixit aliquando ad Chananæam: Fides tua te saluam fecit, ipse & hanc certam fecit. Tribus enim diebus perseuerans ad sepulchrum sancti, & cibum aut potum omnino non gustans: tertiâ nocte, dum rursus cum lacrymis eosdem duros ac fideles sermones beatissimo diceret, ecce egreditur Dei famulus de tumulo suo, oculatim apparens cum duobus episcopis, qui cum eo iacebant, [99] vno hinc, & altero hinc aspitantibus, & dicit ad eam: Vsquequò mulier hos qui hîc sunt, commoues, & non dimittis eos quiescere? Insuderunt enim stolas nostras lacrymæ tuæ. Et hæc dicens, dat ei proprium pittacium bullatum, dicens: Suscipe, recognoscis hoc? solue, adspice. Et in seipsam ex visione veniens, vidit iterùm sanctos ingredientes in proprium locum: & soluens, inuenit litteras suas deletas, & subscriptionem sub eis, habentem sic: PROPTER IOANNEM SERVVM MEVM, DELETVM EST PECCATVM TVVM. Quis loquetur potentias Domini, ô amici & fratres? Quis ita misericors & amator hominum, faciens voluntatem timentium se, & glorificans glorificantes se, & per miraculorum operationes magnificans eos? Non autem in hoc loco solùm, in quo pretiosa dormitio eius facta est, gratia quam habuit apud Deum, manifestata est, sed vbique longiùs claruit.

CAP. LII. Eadem enim die, in quâ ad Deum ex hac vitâ beatus iste profectus est, quidam eorum qui angelicam vitam & schema monachi-

Mulier peccato graui per Ioannis suffragium veniam quærit.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Pittacio peccatum inscribit.

Sap. 5.

Matth. 15.

Triduo mulier ad sepulcrum Ioannis perseuerat.

Ioannes è sepulcro surgens mulieri pittacium reddit.

nachicum habent, vir admirabilis & industrius, Sabinus nomine, Alexandriæ habitans, vidit quasi in excessu mentis factus, diuinitùs honoratum Ioannem de proprio episcopio egredientem cum clero omni cerea portantem, & ad Imperatorem euntem, tamquam eunucho quodam (vt ipse dicebat Sabinus) cubiculario hunc vocante, postquam ianuam episcopij exijt, quod significat proprij corporis separationem, & vnam puellam vt Solem, suscipientem eum, & manu tenentem, & super caput coronam ex oleæ ramis circumamictam. Mox ergo agnouit sanctus Sabinus migrationem patriarchæ ad Dominum ipsâ horâ fuisse factam. Quapropter adnotantes quidem mensem & diem, erat enim celebris, videlicet [100] sancti martyris Mennæ, quibusdam venientibus de Cypro percunctantes quidam qui habitabant Alexandriæ de migratione sancti patriarchæ, agnouerunt veram fuisse visionem: eò quòd eadem horâ fieret, in quâ obijt beatus, & maximè de exemplo puellæ, quæ manu tenebat eum. Acceperat enim repromissiones ab eâ sanctus, sicut in præcedentibus verbis Vitæ diximus: Quia si me possides amicam, ego te ante Imperatorem introducam: quod & reuerà fecit.

Sabini visio de animâ Ioãnis. *Eleemosyna Ioannis animam ad Deum deducit.* *Obijt Ioannes die sancti Mennæ.* Sup.c.7.

CAP. LIII. Non autem ex hoc tantùm omnes satisfactionem acceperunt, quòd eleëmosyna & misericordia quâ habuit circa egentes, eum in cælorum regnum deduxerunt: sed quia alius eorum qui habitabat ciuitatem Alexandriam, timens Deum, vidit ipsâ nocte, in quâ & sanctus Sabinus, omnes pauperes & orphanos atque viduas, oleæ ramos baiulantes, & in patriarchæ obsequio euntes, & ad ecclesiam pergentes. Non solùm duo, aut decem, aut centum satisfactiones sunt, per quas scimus clarè, quoniam Sanctorum numerum meruit memorabilis hic: sed ecce & aliæ, quas subsequens forma ostendit.

Alterius visio de beatitate animæ Ioannis.

CAP. LIV. Hymnodia enim anniuersaria post multum temporis dormitionis sancti celebrata, in templo superiùs memorati sancti Tychonis, vbi pretiosum lipsanum beatissimi patriarchæ Ioannis repositum est: erat autem quæ colebatur sacra vigiliæ hymnodia, annuæ recordationis sancti miraculorum factoris Tychonis. Is, qui est miraculorum Dominus, volens ostendere omnibus, quali honore seruum suum sanctum Ioannem dignum fecerit, placuit de honorabili eius lipsano vnguenti saniferam suauitatem emanare, quâ vniuersi in lætitiâ freti gloriam retulerunt Patri & Filio & Spiritui sancto; vero scilicet Deo nostro, qui proprios Sanctos gloriâ glorificat infinitâ.

Sup.c.49. *Lipsanum eius vnguentum sudat.*

CAP. LV. Et nullus, ô amici Christi, tanti miraculi incredulus sit. etenim vsque nunc videtur in amicâ Christi Cyprorum insulâ, in diuersis Sanctis talem Dei gratiam operantem, & tamquam ex fontibus vnguentorum suauitatem de pretiosis eorum lipsanis profluentem, ad gloriam eiusdem bonitatis, & ad honorem Sanctorum eius, atque alacritatem & zelum bonum, qui pòst futuri sunt, hominum: quatenus secundùm imitationem eorum conuersantes, eisdem & nos honoribus digni efficiamur à iusto mercedum retributore Deo. Efficiamur igitur, dilectissimi, & nos consummatores præscriptarum rectitudinum sanctissimi huius patris nostri Ioannis: & quasi incolæ existentes & peregrini in vitâ istâ, in æternum thesaurizemus futurum, per largam quæ indigentibus tribuitur donationem. Etenim secundùm diuinitùs inspiratum Apostolum, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: & pro corruptibilibus incorruptibilia, pro temporalibus æterna, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non adscenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se: quæ omnes nos impetremus per gratiam & misericordiam Iesu Christi Domini nostri, cum quo est Patri vnà cum sancto Spiritu gloria & honor & imperium, nunc & semper in sæcula sæculorum. Amen.

In Cypro multa lipsana vnguento manant. 2.Cor.9. 1.Cor.2.

NOTATIO.

IOANNES.] *Martyrologium Romanum* XXIII. *Ianuarij*: Alexandriæ S. Ioannis Eleëmosynarij, eiusdem vrbis Episcopi, misericordiâ in pauperes celeberrimi. *Menelogium Græcum* XII. *Nouembris*: Commemoratio S. P. N. Ioannis Archiepiscopi Alexandrini, cognomento Eleëmonis. Hic fuit Cyprius genere, Epiphanij illius regionis Ducis filius: qui cùm omnem diligentiam atque operam ad virtutis studium, & Dei gratiam conciliandam contulisset, propter vitæ splendorem, Heraclio Imp. petente, factus est Archiepiscopus Alexandrinus. Itaque vt lucerna in candelabro posita, eluxit: multisque annis in sacerdotio transactis, multa efficiens miracula, abundè pauperibus & egenis vitæ necessaria suppeditans. Vnde Eleëmonis cognomentum accepit, omnibus, & ipsis etiam infidelibus venerabilis migrauit ad Dominum. *Eadem eodem die reperiuntur in Meneis, pauculis additis.*

Quod Baronius ad dictum XXIII. *Ianuarij diem ait, Græcos etiam eodem die de eo agere, licet natalis dies sit* III. *Februarij, nescio vnde hauserit. Iam vidimus ex Meneis & Menologio* XII. *Nouembris memoriam eius apud Græcos celebrari. Et infrà in*

Vitâ cap. LII. *dicitur Ioannes obiisse die S. Menna, Mennam autem Megalo-martyrem habes in Menais & Menologio* XI. *Nouembris, eodem cum Ioanne mense, die vix differente.*

Addit ibidem Baronius: Puto hanc, inquit, ipsam (XXIII. *Ian.*) *esse diem ordinationis eius, quam & natalem dici consueuisse & sollenniter etiam celebrari, supra diximus, dum egimus de Cathedrâ S. Petri. In Annalibus tamen tomo* VIII. *anno Christi* DCXX. *Bonifacij V. Papa* III. *Heraclij Imp.* XI. *ait diem anniuersariam quâ obiit, esse* XXIII. *Ianuarij.*

2. LEONTIO.] *Sigebertus Catalogo illust. Ecclesia Script. cap.* XVII. Leontius Neapolis Cypriorum insulæ episcopus, scripsit Vitam Ioannis Alexandrini episcopi, qui ob eximiam in pauperes misericordiam agnominatur Eleëmosynarius. *Trithemius Catalogo illust. Ecclesia Scriptorum de eo etiam agit, & nihil prater hanc vitam ex eius scriptis citat.*

Plura Leontij opera enumerat Septima generalis Synodus Act. IV. Οὗτος ὁ ἀναγνωσθεὶς πατὴρ, ἐν μιᾷ τῶν πόλεων Κύπρου ἱεροπρεπῶς διέπρεψε. καὶ πολλὰ ἐγκώμια καὶ πανηγυρικοὺς λόγους αὐτοῦ ἔχομεν· μεθ' ὧν καὶ εἰς τὴν μεταμόρφωσιν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν. συνεγράψατο δὲ καὶ τὸν βίον τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἐλεήμονος. ἔτι μὴν καὶ τοῦ ὁσίου Συμεὼν τοῦ Σαλοῦ, καὶ ἕτερά τινα· καὶ ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ ὀρθόδοξος γνωρίζεται. ἤκμαζε δὲ κατὰ τοὺς χρόνους Μαυρικίου τοῦ βασιλέως. Hic qui lectus est Pater, in vnâ vrbium Cypri, decore sacratissimo claruit. & multa præconia, & festiuos sermones eius habemus: cum quibus est etiam sermo eius in Transfigurationem Saluatoris nostri. Conscripsit autem & Vitam S. Ioannis Archiepiscopi Alexandriæ cognomento Eleëmonis, id est, Misericordis: quin & sancti Simeonis Simplicis, & alia quædam. Atque in omnibus sermonibus suis orthodoxus cernitur. Floruit autem temporibus Mauritij Imperatoris. *Anastasius Bibliothecarius in suâ versione* VII. *Synodi post Simeonem addit, eum scripsisse*, turbationesque propter Christum circa ea tempora in ecclesiâ factas, *quod hîc deest in Graco. Quare vel ipse perfectius Gracum exemplar nactus fuit, vel certè* τοῦ Σαλοῦ, *quod epitheton est Simeonis, quo simplex & stultus Syris designatur, ipse metaphrasticè explicat. ex Graco* τοῦ σάλου. *Nam* σάλος *Gracis* iactatio, turbatio. *Quare fortè nihil deest textui Graco, sed Anastasius lapsus fuerit ambiguo vocabuli* σαλοῦ *&* σάλου.

Qua res Baronio tom. VIII. *anno Christi* DXCIV. *& anno* DCXX. *labendi occasionem prabuerit, vt existimarit Leontium hunc historiam sui temporis scripsisse incipientem à Mauritio narrare eas qua fuerunt in Ecclesiâ perturbationes. Eadem habet Posseuinus noster in Apparatu Sacro. Quare liber ille fortè non excidit, nec alicubi delitescit, quia numquam fortè scriptus fuit. Nec rectè priore loco apud Baronium, & apud Posseuinum dicitur Leontius* Constantiæ *episcopus, imò* Neapolis *fuit. Vide Onomasticon in* Neapolis.

Habes in eadem Synodo Actione eadem citatos aliquot libros Leontij contra Iudaos pro Christianorum apologiâ, ex quibus etiam quadam adducit Ioannes Damascenus Orat. I. *&* III. *de Imagin.*

Baronius Notatione ad Martyrologium Romanum XXIII. *Ianuarij, existimat duplicem Leontij editionem & translationem esse inter se diuersam; in quarum alterâ aliqua habentur, qua in alterâ desiderantur. Est quidem duplex editio, & translatio Vita Ioannis Eleëmosynarij, sed diuerso auctore, vna auctorem habet Leontium, qua hactenus exstitit in Vitis Patrum, & habetur tomo* II. *Lipomani. altera auctorem habet Metaphrastem, quam habes apud Lipomanum tomo* V. *& Surium tomo* I.

3. ANASTASIO.] *Sigebertus suprà cap.* CIV. Anastasius iubente Nicolao Papâ transtulit in Latinum Vitam Ioannis Eleëmosynarij, scriptam Græcè à Leontio episcopo. *Idem de eo habet Trithemius suprà, vbi plura alia ab Anastasio è Graco translata recenset.*

4. DOMNVM.] *Ita manuscrip. Gemblacensis & Aquic. deest hac inscriptio editis.* Domnus *olim vsurpatum, cùm de hominibus ageretur loco* Dominus *quod soli Christo venerationis ergô reseruabant. Infrà in hac Vitâ cap.* XLVI. Domina Porphyria. *Vide Onomasticon.* PRAEFAT.

5. LEONTIVM DE VITÆ RESIDVIS.] *Leontius agit de Vita residuis Ioannis Eleëmosynarij, qua videlicet à Ioanne & Sophronio eius Vita prioribus scriptoribus fuerant pratermissa, vt ipse Leontius asserit sequenti procemio.*

6. ABSQVE VICARIO DEI.] *Egregia hîc habes Pontificis elogia, quòd sit* Vicarius Dei, clauiger cæli, auriga spiritualis Israëlis, vniuersitatis Pontifex, vnicus Papa, singularis pastor, specialis pater, omnium arbiter.

7. PROPTER FISTVLAM PLVMBEAM.] *Non absimilis apud D. Augustinum libro* IV. *de Doct. Christ. similitudo*: Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est?

8. IOANNEM ET SOPHRONIVM.] *Horum de Ioanne Eleëmosynario scripta nondum mihi videre contigit. Horum & mentio infrà cap.* XXXI. PROOEM.

9. CYRVM ET IOANNEM.] *Infrà cap.* XXX. ad templum sanctorum victoriosorum martyrum Cyri & Ioannis. *Martyrologium Romanum* XXXI. *Ianuarij:* Romæ viâ Portuensi SS. martyrum Cyri & Ioannis, qui post multa tormenta pro confessione Christi capite truncati sunt. CAP. I.

10. PHILOCHRISTIS.] *Editi hactenus* philosophis. *sic & inf. cap.* XII. & mutuò accepit à multis philochristis. *cap.* XXII. Vanæ, ô philochristi. *& cap.* XXV. Vidit in somnis iam dictus vir philochristus. *Nempe* philochristus *est amator Christi, vt hîc explicatur cap.* XIV. Hoc præterea præfati sumus amatores Christi.

11. CRVCICVLAM ARGENTEAM.] *Ecce morem Christianorum è collo gestandi cruciculas. V. Onomast.*

12. VSQVE AD SILIQVAM VNAM.] *Isidorus l.* XVI. *Orig. cap.* XXIV. Siliqua, vigesimaquarta pars solidi est, ab arboris semine vocabulum tenens.

13. TREMISSEM.] *Editi libri addunt*, id est tertiam partem solidi aurei. *quod interpretamenti vice in textum irrepsit. Isidorus vbi suprà:* Tertiam partem (*solidi*) ideò dixerunt tremissem, eò quòd solidum faciat ter missus. *Inf. cap.* XXXVII. tremissia.

14. MENNAS.] *Narrauit hic Leontio Acta omnia Ioannis Eleëmosynarij, qua habentur à cap.* II. *vsque ad* XLVIII. *vt ibi in textu dicitur.*

15. VICEDOMINVM.] *Id est, œconomū seu dispensatorem ecclesia: paulò ante de eodē:* Cui & erat ordinãs dispensationē sanctissimæ ecclesiæ. *Vide Onomast.*

16. SVPER PACEM.] *Intelligit diaconum, qui ante sacrum pronuntiabat* εἰρηνικά, pacifica. *qua erant certa formula, quas habes in Euchologio. Vide Onomasticon.* CAP. II.

17. IN

17. IN HONORABILI SECRETO.] *Metaphrastes*, τῶν ὑπὸ τῷ σεκρέτῳ, qui erant à ſecreto.

18. CONSECRATVS EST DIVINO IVDICIO.] *Baronius tomo* VIII. *anno Christi* DCX. *Bonifacij* IV. *Papæ* IV. *Heraclij Imp.* I. *Ioannis in Patriarcham Alexandrinum conſecrationem ponit.*

CAP. III. 19. CANCELLARIOS.] *Infrà cap.* V. Cancellariorum, & eccleſiæ defenſorum. *&* *cap.* XXIII. Conuocat per cancellarium ſuum monachum. *Apparet hîc officium eſſe eccleſiaſticum. Vide Onomaſticon.*

20. IN VNA CAMPANA STATERA.] *Editi:* in vnâ Campanâ, id eſt, iuſtâ & æquali ſtaterâ. *Iſidorus lib.* XVI. *Orig. cap.* XXIV. Statera Campana à regione Italiæ nomen accepit, vbi primùm eius vſus repertus eſt. Hæc duas lances non habet; ſed virga eſt ſignata libris & vnciis, & vago pondere menſurata. vnicuique autem ponderi certus eſt modus, nominibus propriis deſignatis.

21. MODIO, ET ARTABE.] *Editi:* modo, & artabâ, id eſt menſurâ modios tres continente, & tertiam partem modij. *qua eſt explicatio* artabæ. *quam explicationem in margine habebat manuſcrip. Aquicinct. Iſidorus lib.* XVI. *Orig. cap.* XXV. Artaba menſura eſt apud Ægyptios, ſextariorum LXXII. compoſita ex numero, propter LXXII. gentes vel linguas quæ orbem impleuerunt.

CAP. V. 22. ECCLESIÆ DEFENSORVM.] *Infrà cap.* XXIII. ceciderant eum eccleſiæ defenſores. *Et hoc officium eſt eccleſiaſticum. Vide Onomaſticon.*

23. HODIE.] *Tale olim Titi Imperatoris dictum apud Suetonium in Tito c.* VIII. *quod in Metaphraſte eſt*, Τὸ μὴ βασιλεῦσαι σήμερον ἐπεὶ μηδένα εὐεργετήσαμεν.

CAP. VI. 24. PERSÆ.] *Contigit hæc Perſarum incurſio & depredatio in Syriam anno Christi* DCXIV. *Bonifacij Papæ* IV. *Heraclij Imp.* V. *vt habet Paulus Diaconus hiſtoriâ Miſcellâ ex Theophane lib.* XVIII. Anno V. imperij Heraclij ceperunt Perſæ Iordanem bello, & Palæſtinam, & Sanctam ciuitatem, & multos in eâ per Iudæorum manus interfecerunt, id eſt (vt quidam aiunt) millia nonaginta: iſti enim ementes Chriſtianos, prout vnuſquiſque habere poterat, occidebant eos: Zachariam verò Ieroſolymitanum præſulem comprehenſum & pretioſa & viuifica ligna S. Crucis cum multâ prædâ abduxerunt in Perſidem. *Huius calamitatis miſeriam deflet Antiochus monachus Palæſtinæ variis homiliis. Vide Baronium dicto anno Christi, & Adonem in Martyrol.* XIV. *Septemb.*

25. ROGAM.] *Ita rectè MS. Aquic. & editiones vett. cum Colonienſi. in MS. Gemblacenſi eſt*, rogandum. *malè. Mox*: quibus erat roga credita.

CAP. VII. 26. VEXANTI.] *Ita manuſc. Aquicinct. Editi*, vexato. *Sed ſollemne huius æui Scriptoribus, ita ſimilia verba vſurpare. Ita ſæpè in ſequentibus libris* tribulantes *pro* tribulati.

27. LIGATVRAM.] *Gracè Metaphraſtes:* ἀπόδεσμον. *Infrà cap.* XXV. ligaturam auri.

C. VIII. 28. ADHVC.] *Editi*, Adrione. *Quod vnde irrepſerit, neſcio.*

CAP. IX. 29. ENTHECAM.] *Vet. editio & Colonien.* anthecam, id eſt archam. *Nota* IC. entheca, *& poſterioris æui Scriptoribus. Caſſianus libro* IV. *Inſtit. cap.* XIV. Cumque totam enthecam cœnobij ſuam credat eſſe ſubſtantiam. *Hîc infrà cap.* XXVII. Erat autem ſumma multa enthecarum ſuarum.

30. PHARVM.] *Ita vterque manuſcr. & Metaphraſtes Gracè* φάρον. *Malè in editis*, forum. *Intelligit locum prope Alexandriam notiſſimum. Idem habes infrà cap.* XXV.

31. PENTAPOLI.] *In Metaphraſte eſt* Decapoli.

32. LOGOTHETÆ.] *Editi vett.* Logothetæ, id eſt rationatoris. *Colonienſ.* ratiocinatoris. *manuſcrip. Aquicinct. ſuperſcribebat*, id eſt cauſſarum & ſermonum poſitoris. *Erat Logothetarum certum inter eccleſiaſticos officium, de quo plura in Onomaſtico.* CAP. X.

33. COLLECTA.] *MS. Aquic. ſuperſcribebat:* id eſt, diſtributiones ad pauperes.

34. NOTITIAM XENII.] Notitia, *hîc eſt* pittacium, *vt mox ſequitur. Apud Metaphraſtem Gracè eſt* χάρτην, chartam.

35. PITTACIVM.] *Sæpiùs hæc vox hîc occurrit. Significat paruam ſchedulam. Vide Onomaſticon.*

36. OBSECRO TE NONNA.] *Ita rectè vterque manuſc. & vet. editio. Non rectè in Colonienſi*, nonne. *Hoc loco* Nonna *notat Dominam. Eadem vox & alibi in his libris occurrit. Infrà cap.* XLVI. Nonna Pelagia.

37. ET SANCTVM MEVM MENNAM.] *Intelligit, opinor, Mennam Oeconomum eccleſiæ tempore Ioannis noſtri, vt habetur ſuprà cap.* I. *Notus aliàs Mennas ſanctus martyr.*

38. NICETA PATRICIVS.] *Videlicet*, filius Gregoræ patricij per Alexandriam & Pentapolim, *vt habet hiſtoria Miſcella ex Theophane anno* I. *Heraclij, libro* XVIII. *apud Paulum Diaconum.* CAP. XI.

Quod Nicetas regnum arctari dicit, eò facere exiſtimat Baronius tomo VIII. *anno Christi* DCXX. *Bonifacij V. Papæ* III. *Heraclij Imp.* XI. *quod habet Paulus Diaconus in hiſtoriâ Miſcellâ libro* XVIII. Anno XII. imperij Heraclij, menſe Aprili, die IV. Indictione X. Imperator Heraclius celebratâ ſollemnitate Paſchali mox ſecundâ feriâ veſperi motus eſt contra Perſidem. Sumptis autem mutuò venerabilium domorum pecuniis aporiâ coarctatus, accepit etiam eccleſiæ magnæ multa candelas ferentia, ſimul & alia vaſa miniſtratoria. Quibus conflatis exarari fecit in his numos aureos & argenteos plurimos.

Porrò, ſubdit Baronius, collectio eiuſmodi pecuniarum non facta eſt Conſtantinopoli tantùm, ſed & in aliis totius Imperij ciuitatibus, in quibus pretioſum aliquid inuentum eſſet. Legati ſunt in Orientalem plagam ab Imperatore Quæſtores viri quidem inſignes: Alexandriam autem & in vniuerſam Ægyptum miſſus eſt Nicetas patricius. Hic igitur cùm Alexandrina eccleſia pecunias in fiſcum inferre conaretur, nactus eſt aduerſantem Ioannem Alexandrinum epiſcopum, qui cuncta ſolebat in pauperes erogare, cùm negaret ſe daturum, quod ſuum non eſſet, ſed pauperum.

Sed pace Baronij dixerim, non quadrant hæc cum ætate & hiſtoriâ Ioannis. Siquidem Paulus Diaconus eam pecuniæ exactionem ponit anno XII. *Heraclij, Baronius verò anno* XI *eiuſdem Imp. At, vel ipſo Baronio ibidem teſte, Ioannes anno* XI. *Heraclij obiit. Accedit quòd tam Leontius quàm Metaphraſtes in Ioannis Vitâ aſſerunt, poſt hanc Ioannis & Nicetæ de pecuniâ contentionem, eos amicos inter ſe vixiſſe, adeò vt Ioannes poſt factus ſit eius compater: an liberos eius è ſacro fonte ſuſcipiens? Et ipſa Leontij & Metaphraſtæ narratio ſatis indicat, hanc contentionem non vltimo Ioannis anno, ſed longè antè contigiſſe.*

39. BVLLAM.] *Manuſcr. Aquic. ſuperſcribit*, id eſt ſigillum. *Infrà c.* LI. Bullare, *item* pittacium bullatum. *Sæpiùs hæc vox in variis Auctoribus eo ſigni-*

significatu occurrit, vti & in Vitâ S. Basilij suprà cap. x *Vide Onomasticon.*

CAP. XII. 40. COSMA.] *Iam ante Ioannis tempora inualuerat in ecclesiâ Alexandrinâ labes Simoniaca, ad quam extirpandam Gregorius Papa libro* XI. *epist.* XLIX. *Indict.* VI. *Eulogium Alexandrinum episcopum hortatur.*

41. SVBTILITATE.] *Editi* subtilitate, id est tenuitate & paupertate. *Inf. cap.* XXXVIII. *rursus eodem significatu occurrit.*

42. ET SANCTO ALTARI ADSTITISSET.] *Græcè apud Metaphrastem:* Αὐτοῦ δὲ τῷ βήματι παρεστῶτος. *quod Heruetus vertit:* cùm ipse autem adstaret in tribunali. *imò* altari: *ita enim Græcis in re sacrâ* βῆμα *accipitur.*

CAP. XIII 43. SANCTVM VELVM EXALTATVRO.] *Metaphrastes clariùs:* Κατ' αὐτὴν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ τὸ ἱερὸν καταπέτασμα τῶν θείων ἀφαιρεῖται δώρων: Eâ ipsâ horâ, in quâ sacrum velum aufertur à sanctis donis. *Sic in Guilielmo Bibliothecario de Vitis Pontiff. cap.* CXII. *in Stephano VI.* velothera circa altare, *habes.* Contulit in eadem basilicâ Apostolorum (*Iacobi & Philippi*) cortinam lineam vnam, velothera serica tria in circuitu altaris. *Atque ibidem sæpiùs habes vela circa altaria.*

44. INTIMAT DIACONO FACIENTI ORATIONEM, QVAM DIACONVS SOLITVS FACERE ERAT, VT REINCIPERET A CAPITE.] *Metaphrastes:* Δηλοῖ τῷ διακόνῳ τὴν συναπτὴν αὖθις ἐπαναλαβεῖν: Significat diacono vt connexam resumat petitionem. *Anastasius interpres videtur legisse,* συνήθη *pro* συναπτήν. *Nisi potiùs paraphrastem egerit. Nam* συναπτὴ *à diacono dici solita oratio, quæ & διακονικὰ dicebatur. quod fortè hìc in Græco fuit. De vtraque vide Euchologium.*

45. CIMILIARCHIVM.] *Occurrit & infrà capite* XLVI. *Editi:* cimiliarcîum, id est secretarîum principale. *& ita in manusc. Aquic. superscriptum erat. Propriè* κειμηλιαρχεῖον cimeliarchium *est vestiarium seu archiuum cimeliorum, vbi ornamenta & donaria ecclesiæ reponebantur. Anastasius Bibliothecarius in Vitis Pontificum cap.* LXXII. *in Seuerino:* Sigillauerunt omne vestiarium ecclesiæ, seu cimilia episcopij, quæ diuersi Christianissimi Imperatores seu Patricij & Consules pro redemptione animarum suarum B. Petro Apostolo reliquerant. Cimelia *hæc, vestiariorum gazæ dicuntur Guilielmo Bibliothecario in Vitis Pontiff. cap.* CXII. *in Stephano VI.* Quid mirum si vestiariorum gazas ablatas reperit, qui sacraria perquirens, de pluribus donariis & ecclesiarum ornamentis pænè nihil inuenit.

46. MALI MODI CLERICVM.] *Quod explicat manusc. Aquic. superscribendo:* id est, malos mores habentis. *Græcè fortè fuerit* χαλεπότροπον.

CAP. XIV. 47. DEIFERI QVIDEM SS. PP.] *Cuius hæc sententia sit, nondum mihi compertum.*

48. MVLTVM ERGO CONTRA SE SECRETO CONTENDENTES.] *Editi:* Coram secretario contendentes. *MS. Gemblac.* contra se acriter contendentes. *Manuscrip. Aquic.* coram secreto contendentes.

49. MITTENTIBVS IGITVR AMBOBVS METANOEAM.] *Editi addunt* : id est pœnitudinem siue recognitionem. *Quid sit* βάλλειν μετάνοιαν *iam explicui ad Vitam S. Basilij cap.* XI. *num.* 54. *Infrà capite* XXXV. Et mittens genuflexiones.

CAP. XV. 50. GEORGIVM.] *Ita vterque manusc. ita & Metaphrastes. Coloniensis editio,* Gregorium. *Baronius tomo* VIII. *anno Christi* DCXX. *Bonifacij V. Papæ* III. *Heraclij Imp.* XI. *quia apud Nicephorum in Chronico Ioannem Georgius in episcopatu Alexandrino sequitur, existimat hunc illum esse consobrinum eiusdem Ioannis, de quo hìc agitur. rationem coniecturæ suæ addit; quòd antiquitus in more esset positum Ecclesiæ Alexandrinæ, vt defunctis illis episcopis, qui præstantiores fuissent, & eam illustrassent Ecclesiam, aliquis ex eorum propinquis successor eligeretur, vt vidimus de Cyrillo nepote Theophili in locum eius subrogato.* Baron. c. 4. an. 412. *Hactenus Baronius.*

Valdè ego dubito an eâ tunc ætate esse potuerit Georgius Ioannis nepos, vt episcopi Alexandrini munere fungi posset: quem hoc capite flentem instar pueri vel adolescentis habemus.

51. POSTQVAM CORONATVS EST IMPERATOR.] C. XIII. *Quod de more hoc, dum coronatus est Imperator, hìc dicitur, non memini alibi legere. Consultò hoc imitatus est Ioannes Eleemosynarius, & post eum alij aliud non absimile excogitarunt. Illustre exemplum edidit Maximilianus I. Imperator, cui cùm displicuisset palatium, quod apud Œnipontem fabricabatur, aliam se domum, quæ magis placitura erat, ædificaturum se esse affirmabat. Eaque die sarcophagum cum omni supellectile libitinariâ clàm parari iussit, eumque omnibus expeditionibus secum vexit, & quàm diligentissimè singulis noctibus conseruari iussit. Arbitrabantur plerique aulici, thesaurum aliquem illic conseruari: alij nonnihil librorum, quibus historia veteres continerentur. Cæsar verò subridendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum, deferri illum dicebat. Ita refert Reinhardus Lorichius Hadamarius.*

Sed olim Philoromus presbyter Galata annos sex in sepulcris mortuorum habitasse dicitur, vt mortis formidinem superaret. Palladius cap. CXIII. *Heraclides cap.* XXXII.

52. STVDIOSI.] *Quid hìc in Græco fuerit, diuinare non possum.* σπουδαῖοι *respondet Latino verbo. Sed qui hi* studiosi? *Metaphrastes habet*: Qui præfecti erant operi.

53. SANCTVM MODESTVM PATRIARCHAM IEROSOLYMORVM.] CAP. XIX. *Ita legendum ex manuscripto Aquicinctino. Vetus & Coloniensis editio,* sanctum & modestum. *Modesti huius sæpiùs meminit Antiochus monachus Lauræ Sabæ abbatis, qui hoc tempore vixit, in epistolâ ad Eustathium præpositum monasterio Datalenæ Ancyræ ciuitatis Galatiæ, quam habes in eiusdem Antiochi Pandectæ. In quâ hæc hùc facientia:* Modestus sanctitatis eximiæ vir (de quo non semel dictum) non eorum modò prouidam gerit curam sollicitus, quæ per hanc vastam eremum sparsim disiecta sunt, monasteriorum, sed & moderandæ huic ciuitati, ac vniuersæ circùm finitimæ regioni solerter prospicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad viuum nobis exprimit imaginem noui cuiuspiam Beseleëlis, aut certè Zorobabelis. Gratiâ etenim plenus Spiritus sancti, templa Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ quidem barbarico igne conflagrarunt, in sublime erigit omni prorsus digna veneratione, puta ædes sanctæ Caluariæ, ac sanctæ Resurrectionis, domum insuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ mater ecclesiarum est, sed & sanctæ Assumptionis ædem à fundamentis exædificauit: adeò vt per hæc læta initia de futuris quoque spes amplissimas concipiamus,

idque vel ob eos maximè, qui huc sperantur venturi ab externis regionibus, sancta hæc loca vt adorent, vt omnes in commune glorificemus Deum.

Patriarcham Ierosolymorum, *& alij Auctores Modestum ponunt præfuisse Ierosolymorum ecclesiæ. Acta Anastasij Persæ* XXII. *Ianuarij*: De eo refert ad Modestum, qui sedi præerat Apostolicæ. *Suidas in Heraclio*: Ἐς τὰ Ἱεροσόλυμα ἀφίκετο, καὶ Μοδέστῳ ἀρχιερεῖ καὶ τῷ αὐτοῦ κλήρῳ ταῦτα ἐπέδειξεν. Ierosolyma profectus Modesto Pontifici & eius clero monstrauit. *Menæa Græcorum diem illi assignant* XVI. *Nouembris, &* Ἱεροσολύμων ἀρχιεπίσκοπον. Ierosolymorum archiepiscopum *vocant*.

Baron. t. VIII. *anno Christi* DCXVI. *Deusdedit Papæ* II. *Heraclij Imp.* VII. *Quod ait, Zacharias viuente, non alius admissus est Ierosolymorū episcopus; cùm non liceret in eodem loco episcopos duos esse; licet ob episcopalem præfecturam idem, viuente adhuc Zachariâ, fuerit nominatus Ierosolymorum Præfectus, vt in Actis S. Anastasij martyris, dum agitur de eius Baptismo post Zachariæ reditum per Modestum Ierosolymis exhibito. Sed reuerâ si non episcopus, loco tamen episcopi, vsquedum idem postliminiò rediit Zacharias, Modestus illam administrauit ecclesiam, cuncta restituens.*

Huius autem cladis Ierosolymitanæ, quo Zacharias Pontifex quoque abductus est, meminit Paulus Diaconus l. XVIII. *historicorū.* Anno quinto imperij Heraclij ceperunt Persæ Iordanem bello, & Palæstinam & sanctam ciuitatē, & multos in eâ per Iudæorum manus interfecerunt, id est vt quidam aiunt millia nonaginta. Isti enim ementes Christianos, prout vnusquisque habere poterat, occidebant eos. Zachariam verò Ierosolymitanū præsulem comprehensum, & pretiosa & viuifica ligna cum multâ prædâ adduxerunt in Persidem.

54. MILLE RESTES SICCATORVM PISCIVM, QVI MENOMENÆ.] *Ab hoc reste, quo siccati pisces & allia colliguntur, existimo hodièque vulgò dici,* **een rist** *vel* **rest buckinghs, een rist aiupn.**

Menomenas *existimo esse, quas Plinius lib.* XXXII. *cap.* XI. Mænas *vocat.*

CAP. XX. 55. PSIATHVM.] *Manusc. Aquic superscribit,* id est mattam. *Iam aliquoties de eo dictū. Vide Onomasticū.*

56. VT GLOMVS TREMENTES.] *Ita editi & manuscriptus Gemblac. sed in manuscr. Aquic. est*, vt glomus trenantes.

57. ZEMATE.] *Ita MS. Aquic. & superscribit*, id est iacturâ aquarum vbi carnes coquuntur, vel fermento aut fæce. *MS. Gemblac.* Zimate. *Editi*, schemate. *malè. Vide Onomasticon.*

58. RACHANELLÆ.] *Ita vterque MS. & Aquicinct. superscribit*, id est panniculi. *Editi*: recanellæ. *malè. Formantur* rachanellæ à rachanæ, *vt infrà vocantur cap.* XXVI. *Quamquam vtrumque puto esse* ῥάκη. *Vide Onomasticon.*

59. EXPOLIARE DIVITES, ET IPSVM ETIAM HYPOCAMISIVM, &c.] *Sanè intellige: ipse se explicat, cùm dicit* beneuolè *auferendum. Nec enim furandum, vt quis eleemosynas largiatur. Augustin. serm.* XXXV. *de verbis Domini*: Hoc (Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis) quidā malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est, *&c.* De iustis laboribus facite eleëmosynas. Ex eo quod rectè habetis, date, *&c.* Nolite velle eleëmosynas facere de fœnore & vsuris. Fidelibus dico. Lucæ 16.

Hypocamisium. *Manuscrip. Gemblacens.* ypocamissum. *MS. Aquicinct.* yppocamisium, *cum superscriptione*, id est vestimentum, quod subtus camisiam est. *quod post in omnes textus editos irrepsit.*

60. QVOD CIRCA S. EPIPHANIVM ET IOANNEM.] *De hac historiâ vide Vitā S. Epiphanij* x. *Ian.*

61. A MANCIPIO.] *Id est pistrino. Hoc paucis notum. Vide Onomasticum.* CAP. XXI.

62. IN VNA QVIDEM ACIE.] *An intelligit lancem trutinæ? An in Græco erat* φάλαγξ, *ambiguum vocabulum, quod & trutinam & aciem exercitus significat? Vide Onomasticon.*

63. VAVÆ.] *Editi veteres* ve ve. *Colon.* Papè!

64. ESOPHORIVM.] *Manusc. Aquic. explicat.* id est vestimentum interius, quod meerula, vel fibula collo appensa vocatur. *Vide Onomast.*

65. ET SALVTAREM SANCTVM ABBATEM CYRVM.] *Explicatius Metaphrastes*: ad adorandum sanctos Cyrum & Ioannem. *Erat horum celebris Alexandriæ memoria, & templum quoque ijs dicatum. Vide sup. cap.* I. *n.* 9. C. XXIII.

66. IMPIGRE.] *Ita rectè in manuscriptis. Vetus editio* impingere. *Coloniensis* iniungere. CAP. XXIV

67. SANCTIS THEOPHANIIS, ET DOMINICA SANCTA, ATQVE SANCTA PENTECOSTE.] *Triplici hoc tempore pro eo qui defunctus putabatur collecta facta. Simile exemplum de vinculis captiui solutis, dum sacrum pro eo tamquam defuncto fieret, habet Gregorius hom.* XXXVII. *in Euang.*

68. ORAVIT QVIDEM EI.] *Puto intelligi*, orauit pro eo. *Infrà c.* XXXVII. Vade, ora pro eis meis. CAP. XXV.

69. THOLOS.] *De hoc ædificij genere vide Onomast.* CAP. XXVI

70. CVM STOREIS ET RACHANIS.] *Manuscr. Aquicinct.* cum toris & rachanis: *MS. Gemblacen.* cum storis & rachanis. *vetus editio*: cum storis & raconis. *Coloniensis*: cum storeis & racis. *Dicuntur hic,* rachanæ, *vnde suprà cap.* XX. *dictæ sunt* rachanellæ.

71. ADRIA.] *Coloniensis editio*: Adhira. *Sed vterque MS. vt impressi.* C. XXVII.

72. VOLENTES.] *Ita vterque manusc. Editi*, volebant. *Sed mutarunt veriti barbarismum sic infrà, capite* XXXIII. *initio* Audiens *pro* Audiui.

73. SEVERIANITIS.] *Intelligit, opinor*, Acephalos *hæreticos, qui paulò ante tempora Ioannis Eleemosynarij orti circa annum* DXIII. *à Seuero Antiocheno episcopo. de quo Euagrius hist. Eccl. libro* III. *capite* XXXIII. *&* XXXIV. CAP. XXXI

74. GALLODROMI.] *MS. Aquic. superscribebat*: mangones discurrentes & fraude decipientes. *Ita & textus editionis veteris & Coloniēsis. Sic apud Palladium cap.* XV. *&* XVI. *est* παντοδρόμος, *quod vertunt mercatorem negotiantem in Hispaniâ.* C. XXXIV.

75. SERIDONIS.] *Infrà hoc capite*: Ingressus monasterium abbatis Seridonis in Gazâ. *Occurrit S. Seridon vel Siridon episcopus in Martyrologio Romano* II. *Ianuarij.* C. XXXV.

76. VNIVS ÆREI LVPINOS.] *Ita supplet manusc. Aquic. quod deest editis. MS. Gemblac. habet*, vnius nummi ærei pretium.

77. CONSTANTINVM.] *Habetur historia apud Sozomenum lib.* I. *cap.* XVII. *Theodoretum libro* I. *capite* XI.

78. SECVNDA SYNODVS IN NICÆA.] *Imò prima generalis in Nicæâ: nisi fortè ante eam aliqua particularis Synodus ibi habita sit. vel intellige secundam Synodum in Nicæâ respectu Synodi Apostolorum, quæ omnium prima generalis fuit.*

79. PORTA SOLIS.] *Locus Alexandriæ, cui proxima est ecclesia S. Metræ, vt hic sequitur.*

80. IN ECCLESIA METRÆ.] *Editio Coloniensis*, in ecclesiâ matris. *Vetus*, in ecclesiâ metre. *Manusc. Aquicinctinus*, in ecclesiâ metræ. *Manuscrip.* Gem-

Gemblacensis, in ecclesiâ meretriculæ. Metras, *seu* Metranus *martyr Alexandriæ* XXXI. *Ianuarij. Martyrologium Romanum* XXXI. *Ianuarij*: Alexandriæ natalis S. Metrani martyris, qui sub Decio Imp. cùm ad iussionem paganorum nollet impia verba proferre, illi totũ eius corpus fustibus colliserunt, vultumque & oculos præacutis calamis terebrantes, ipsum extra vrbem cum cruciatibus expulerunt, ibique lapidibus oppressum interemerunt.

C. XXXVII. 81. DENOS.] *Ita vterque MS. Editi* denarios. *Iubebat dominus, vt quinque nummos furaretur, ille denos furabatur.*

CAP. XXXVIII. 82. FACIT MISSAS IN ORATORIO SVO, NVLLVM HABENS NISI MINISTRVM SVVM.] *Ecce vsum in Ecclesiâ celebrandi Missas priuatim.*

CAP. XL. 83. PEIERANT CORPVS.] *Ita vterque manuscr. Vetus editio*, petierant corpus. *Coloniensis*: indignè percipiunt corpus.

84. FICVS TVRBATVR.] *Ita vetus & Coloniensis editio, & manusc. Aquicinct. At in manusc. Gemblac. est*, ficus tunditur.

85. SIMEONI, QVI IN COLVMNIS STETIT.] *Visio hæc deest in Vitâ Simeonis Stylitæ sup. Ait autem eum* stetisse in columnis, *quia varias columnas instituit idem Simeon. Vide suprà in Vitâ eius, cap.* V.

C. XLIIII. 86. FEMINÆ LEGITIME DVDVM CONIVNCTVS.] *Nõ ait femina coniunctũ cùm Patriarcha esset, sed dudũ, & iam olim. Clarè Metaphrastes initio Vitæ eius.*

C. XLVI. 87. THVRIBVLVM.] *Simile castitatis exemplum sup. in Vitâ S. Basilij cap.* IX.

C. XLVII. 88. VNVM MENDACIVM PROPTER DEVM.] *Caue intelligas vllâ vmquam ratione mentiendum. Ipse se explicat quomodo piam hanc fraudem intellexerit, etsi alter verum in terrâ pretium inuentum existimabat.*

C. XLVIII. 89. QVANDO PERMITTENTE DEO.] *Baron. t.* VIII. *anno Christi* DCXX. *Bonifacij V. Papæ* III. *Heraclij Imp.* XI. *Porrò, inquit, qui exscripsit ex prototypo, Metaphrastẽ paraphrasticè aliquid addidisse ad Acta Leontij, non negamus, vt quæ posteà addidit haud veritate constantia verbis istis*: Hic reuerà bonus pastor, diuinus inquã Patriarcha, credens Principi pastorum

Matth. 10. Christo, qui iubet: Si persecuti fuerint vos in vnâ ciuitate, fugite in aliam: cùm esset Alexandria tradenda Persarũ manibus, diuinâ prouidentiâ illinc quidem recedit, migrat autem in suam patriã Cyprum, suũ ei corpus largiturus, vt quę eum aluerat: præsciuerat enim, iam appropinquare decessum.

Hæc, inquam, ab ipso addita, nulla est apud me dubitatio. Etenim Persarum incursionem factam in Ægyptum diu antè contigisse, certum est ex iis, quæ superiùs dicta sunt: quo tempore ipse nequaquam suam reliquit ecclesiam, etsi latebras, ne captiuus duceretur, captasse potuit. Ceterùm huius Alexandriâ profectionis alia caussa longéque diuersa fuit. Cùm enim virtutẽ tanti viri Nicetas patricius cognouisset, optauit eum ducere ad Imperatorem Constantinopolim, quo ab ipso perceptâ benedictione, securior ille ad Persicum bellum proficisceretur. id quod demonstrant ipsius verba Leontij, quæ sequuntur. Hactenus Baronius.

Optassem equidem, Baronio in memoriâ hæsisse, quod scripserat in Martyrologio Romano ad diem XXIII. *Ianuarij, vbi ait duplicem esse editionem & translationem Actorum Ioannis: non de periodo illâ, quasi à Metaphraste inserta sit, illi in mentem venisset. Nam & Leontius, quem hic edimus, eamdem periodum habet; vt nulla mihi dubitatio sit, quin & Metaphrastes eam ex Leontio hauserit.*

Etsi verò anno VI. *Heraclij (cui Baron. Christi annũ* DCXV. *assignat) habeat Paulus Diaconus in Historiâ miscellâ l.* XVIII. *Persas Ægyptũ depopulatos; tamen statim ad propria redierũt. Post verò imminebat grauis tẽpestas, quâ non tantũ opes, sed & vita Christianorum periclitabatur; de qua idem Paulus*: Anno XI. imperij Heraclij durus Chosroes iugũ suum super omnes homines fecit in effusione sanguinis & ratione tributorum. *Atque eam tempestatẽ fugit Ioannes noster, quâ occasione arreptâ (vt narrat Leontius & Metaphrastes) Niceta patricius eum ad Imperatorẽ deducere voluit, qui se iam ad bellum contra Persas accingebat, vt illi videlicet benedictionẽ suam impertiretur.*

90. IN RHODVM.] *Ita vterque manuscr. Editi*, interdum. *Notissima insula Rhodus.*

91. VENI IVBE.] *Ita manusc. Aquicinct. Gemblacẽsis*, veni. *Editi*, venire iuberis. *Vox hæc* iubeo, *à posterioris æui Scriptoribus variè vsurpata. Aurelius Victor*: Maximianũ Imperatorem iubet. *Idem*: Cæsarem iubet. *Quod Casaubonus Notis ad Æliũ Verum Spartiani capit, pro* creat. *Sic* non iubere *dictũ notat pro* prohibere, *in Alexandro Seuero Spartiani.*

92. AMATHVNTA.] *Ita formabantur hoc sæculo nomina.* Amathus *Ptolomæo est oppidum Cypri. vt à* Persis Persidos *formabant* Persida *nominandi casu, ita ab* Amathus Amathuntis *formarunt* Amathunta, *etiam nominandi casu.* C. XLIX.

93. HOC ECONTRA.] *Totum hoc membrum contrarium, & tamen sensui necessarium, deest omnibus editionibus. Suppleui ex vtroque manuscripto.*

94. TYCHONIS.] *Manusc. Aquicinct.* Thiconis. *manuscr. Gemblacen.* Tichonis. *editi* Tyronis. *Omnino* Tychonis *legendum, cuius memoria exstat in tabulis Ecclesiasticis. Martyrologium Romanum* XVI. *Iunij*: Amathuntæ in Cypro S. Tychonis episcopi tempore Theodosij iunioris. *Menologium Græcum & Menæa* XVI. *Iunij.*

95. CORPORA SVA SEPARANTES.] *Etiam in primogeniâ Ecclesiâ simile quid factum. Tertul l. de Animâ c.* LI. Est & alia relatio apud nostros, in cœmiterio corpus corpori iuxtà collocando, spatium recessu commuunicasse. Si & apud Ethnicos tale quid traditur, vtique Deus potestatis suę signa proponit, suis in solatium, extraneis in testimonium. *Similia exempla in alys SS. vitis legisse videor. Vide Gregor. Turonensem de Gloriâ Confess. c.* XXXII. *de duobus amantibus, vbi sepulcra à se inuicẽ exarata, se iunxere.* CAP. L.

96. A RHODO.] *Ita vterque MS. Editi*, Arbodo. *pessimè.* CAP. LI.

97. PITTACIVM.] *Ita vterque MS. Editi*, peccatum. *Sed* pittacium *rectum esse, suadent sequentia. Scribitur plerumque* pyctacium *vel* pictacium. πτύχτις *est libellus, epistola, tabella. Vide Onomast. Simile exemplum in Vitâ Basilij suprà cap.* X.

98. LIPSANI.] *Ita rectè vterque MS. & Aquic. superscribebat*: id est, corporis vel reliquiarum. *Vetus editio* lipsam. *Vnde Coloniensis fecit*, ipsa.

99. VNO HINC ET ALTERO HINC ASPITANTIBVS.] *Ita manuscriptus Aquicinctinus. Editi*: vno hinc & altero inde ei assistentibus. *Ex lectione Aquicinctini codicis fors quis diuinabit legendum*, astantibus *vel* aspectantibus. *Repræsentaui veterem lectionem, si fortè proba sit, & alibi etiam reperiatur. Inuenio in Glossis Isidori*: Aspita, ruina. *Ita & in Glossario MS. Camberonensi.*

100. S. MARTYRIS MENNÆ.] *Festum eius occurrit in Menologio & Menæis* XI *Nouembris. Et tamen in iisdem Ioannis festum ponitur* XII. *Nouembris. An hoc factum ex Translatione festi, quòd Mennas celeberrimus erat martyr toto Oriente notus? vt Ioanni diem sequentem dederint?* CAP. LII.

VITA

VITA SANCTORVM EPICTETI PRESBYTERI ET ASTIONIS MONACHI,

8. Ivlii.

AVCTORE INCERTO.

Cap. I.

TEMPORIBVS Diocletiani profanissimi imperatoris, erat quidam presbyter in partibus Orientis, nomine Epictetus, religiosam vitam agens, & castus in omni suâ conuersatione existens. Hic namque à paruâ ætate in seruitio Domini enutritus, exercebatur in omnibus iustificationibus Iesu Christi. Cùm autem ad maturam peruenisset ætatem, vt Samuel, quondam ephod sacerdotale promeruit portare, eò quòd multa signa ac prodigia per eum diuina gratia in omnibus operabatur. Denique cæcorum sæpè oculos orationibus illuminabat, sed & leprosos ad se venientes emundabat, paralyticos sanabat, ac de obsessis corporibus dæmonia effugabat.

A puero pius Epictetus. Psal. 118. 1. Reg. 2. *Miracula facit.*

Cap. II.

Igitur vnâ è diebus dum solus suâ in cellâ resideret, ac solitas orationes Christo exhiberet, quædam puella Comitis cuiusdam filia, omnibus membris præter linguam tota mortua ad eum perducitur. Cumque pro foribus eius pater filiam posuisset, ingressus ipse ad sanctum, genibus eius subitò aduolutus, taliter clamans & dicens: Miserere mei, ô homo Dei excelsi, eò quòd Deus tuus, totus misericors & miserator à seruis suis pronuntiatur. Ne velis me, quæso, proiicere à facie tuâ, cùm ille gratanter suscipiat omnes ad se confugientes. Ego enim vnicam habeo filiam annos ferè xv. ætatis agentem, sed hæc per triennium temporis à nimia paralysi dissoluta est. Itaque non dubito quòd ille qui xii. annorum fluxum sanguinis restrinxit, poterit, si voluerit, & filiæ meæ per te integram incolumitatem præstare, eò quòd fidei ipsius nos vouimus, & filij sanctæ Ecclesiæ existimus, atque in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti sumus baptizati. Hoc audiens sacerdos Domini, iussit puellam intrò ad se perduci. Quâ cùm ante ipsius pedes pater posuisset, taliter pro eâ homo Dei preces profudit ad Dominum Deum dicens: Deus æterne, agitator Cherubim, qui de cælo descendisti, vt paradiso exulatum in antiquam reduceres possessionem, qui per humanitatis tuæ dispensationem nostram infirmitatem suscepisti, vt te nos in nostris vasis fictilibus possidere promereamur: quæso Domine quæso, dignare respicere in fidem famuli tui: & sicut filiam archisynagogi de mortis ianuis reuocasti ad vitam, ita & nunc huius vnicum pignus per tuam gratiam recuperare in priorem habitum dignare, vt agnoscat hæc generatio incredula & peruersa, sanctum & terribile nomen tuum colere, & enarrare mirabilia tua in omni tempore. Et finitâ oratione, de sanctificato oleo puellæ membra vniuersa perunxit. Quæ hanc sanitatem ac medelam consecuta, vnà cum parentibus suis Dominum benedicebat. Tunc sanctus Epictetus præcepit patri puellæ dicens: Si cupis, ô charissime mi, vt nulla de reliquo infirmitas seu vexatio aliqua in domo tuâ præualeat, per singulas septimanas cum omni tuâ familiâ Dominica Sacramenta cum deuotione intimâ, & mundo corde percipere festina. Hæc cùm dixisset, lætum eum & bono animo cum omnibus ad propria abire imperat.

Matth. 9. *Oratio Epicteti.* Marc. 5. *xv. annorum paralyticam oleo sancto inunctam sanat.* *Patri cum familiâ, vt omni hebdomade communicet, suadet.*

Cap. III.

Item alio tempore dæmoniacus quidam ad eum deductus. Quem cùm secum degere Dei homo fecisset, cœpit triduum taliter diabolus ad eum vociferari & dicere: O crux, ô tormenta, quæ sine caussâ patior. Quàm benè mihi semper in Phrygiæ partibus erat, quomodo quotidie hominibus meum

meum sacrificium ritumque suadebam? in quantis itaque honoribus ego miser illic degebam, sed nunc vsque non intellexi, eò quòd leuitate quadam inde recessi & huc perueni. Ego namque sum ille, qui per Montanum plurima verba, & blasphemiâ plena protuli. Ego per Maximillam diuersa perpetraui scelera. Ego totam illam regionem ad meam culturam sordesque detraxi. Ego per Arium Alexandrinam vrbem inuasi, atque vt Filium Dei viui creaturam diceret, persuasi. Ego per Manem Manichæorum hæresim institui, atque vt mihi ieiunia consecrarent, o..ndi. Ego per Donatum totam Africam deuastaui. Et ecce, nunc ab vno famulo tuo vt mancipium fugitiuum ligatus teneor, ô Christe. Hæc & plura horum dæmone vociferante, à beato viro increpatus, tertio die à suo domicilio recessit, purgataque persona Christo Domino gratias referebat.

Dæmon multorum hæreticorum patrem se profitetur.

Dæmoniacum sanat Epictetus.

CAP. IV.

Alio rursus tempore cæca mulier ad eum perducta est, & stans coram ipso, taliter deflebat dicens: Qui sis, agnosco; sed & quantum apud Deum valeas, credo. Ne ergo velis despicere fletum meum, nec in vanum ducere obsecrationem meam. Totius namque prouinciæ huius medici suam in me prudentiam industriamque exercentes, in nullo prodesse potuerunt: sed & quantum in me suam artem demonstrauerunt, in tantum ego misera doloribus dissoluebar. Vnde obsecro sanctitatem tuam, vt digneris tantummodò dexteram tuam super oculos meos in nomine Christi tui imponere: & credo, quòd mox meorum luminum visio per te mihi tribuatur. Tunc sanctus Epictetus admirans huius feminæ fidem, dexteram suam super oculos eius posuit, glorificans Domini bonitatem, & dicens ad eam: Secundum quod credidisti ô filia, fiat tibi. Adhuc verba in ore Christi sacerdotis voluebantur, & repentè patefactis oculis mulier lumen aspexit, clamans & dicens: Gloria tibi Deus Christianorum, qui non despicis peccatores in errore positos, sed propter magnam misericordiam tuam suscipis & saluas ad te conuertentes se. Et cùm hæc dixisset, statim cum vniuersâ domo suâ credidit in Deum Saluatorem. Et quia satis longum est, si velimus vniuersa mirabilia, quæ per eum Dominus operatus est, studioso Lectori exponere: hæc interim pauca de multis in transcursu perstrinxisse sufficiat. nunc verò ad propositum opus reuertamur.

Cæca lumen restituit.

CAP. V.

Vna itaque è diebus dum quidam adolescens nimiùm decorus vultu, & pulcher aspectu, Astion nomine, visitationis gratia ad eum deuenisset, atque iuxta se eum sedere beatus presbyter rogasset: ponens manum super caput eius, cœpit cum blandis sermonibus taliter ad fidem Domini cohortari dicens: Quis, inquit, es tu, ô dulcissime fili, & vnde venis, aut quò vadis? aut cuius filius seu generis sis indica mihi. At ille respondens dixit ad eum: Originem vel genus meum, qualiter beatitudini tui exponam, ô beatissime pater, ignoro. Hoc ergo quod scio, tantummodò breuiter & in transcursu tibi indicabo. Pater meus primarius vrbis huius & nimiùm ditissimus habetur: mater verò de illustrium genere & Iuliani senatoris extitit filia, qui me quotidie quasi vnicum pignus ac pretiosissimam inspiciunt margaritam. Et sanctus ad hæc: Benè dixisti, mi nate, quia velut margaritam inspiciunt: non enim iam habent; sed inspiciunt tantummodò, eò quòd benedicta anima tua pretiosior omni margaritâ omnique metallo habetur Christo, quam sibi ipse Saluator noster iam in suum ministerium & ad seruiendum elegit vt video. Veni ergo mi nate, & respue ea quæ in mundo hoc habentur, vt cum sanctis omnibus illa in futuro percipias quæ hîc non videntur. Ista enim omnia quæ hîc intuentur, transitoria sunt & peritura; illa autem quæ Deus sibi seruientibus præparauit, manent in æternum, quomodo & ipse manet in æternum. Nam aurum hoc, fili, quod videtur, non est verum, sed quædam vanitas est phantasiæ, per quam in hoc mundo illuduntur animæ iustorum. Similiter & argentum quod istis oculis cernitur, falsum possidet nomen, quod ab omnibus fabricatur & limatur, tantummodò vt decipiat rapaces & suadeat insipientes. Veni ergo, & audi me, fili dulcissime, & ego tibi ostendo quale aurum tibi est eligendum, vel quale argentum sit concupiscendum, illud scilicet quod Dominus noster atque Saluator in se credentibus impartitur dicens: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Aurum ergo hoc ignitum probatum, Christus Dominus noster est. Et, fili, qui voluerit eum in sede sui pectoris habere, statim diuitias cælestes promerebitur, & vestimentis albis induetur, id est, Fide, Spe, & Charitate, per quas de reliquo non hunc visibilem mundum tantùm, sed & diabolum, quem vos vt dominum colitis, cum vniuersis angelis eius poteris superare. Nam & pater tuus iste qui videtur, fili, non est verus pater, sed omnipotens dicitur Deus pater tuus, & ideò alius dicitur ille, & alius iste pronuntiatur. Ille namque

Astionem adolescentem conuertit.

Apoc. 3.

Quid interfit inter Deum & patrem carnalem.

namque inuisibilis & inenarrabilis existit, hic verò visibilis & corruptibilis est. Ille incomprehensibilis permanet & immortalis, hic corruptibilis & mortalis in omnibus degit. Per illius igitur dispensationem constant vniuersa, per istius verò ordinationem nihil permanet stabilitum. Ille iussit, & factus es; mandauit, & in vtero matris formatus es; præcepit, & egressus es; imperauit, & ad hanc iuuenilem ætatem perductus es. Et quidem iste visibilis pater honorandus est, fili, non tamen sicut ille; eò quòd ille ad imaginem & similitudinem suam nos condidit & creauit, intellectum quoque ac prudentiam donauit, sensum peruigilem, & memoriam bonorum habere concessit, atque super omnia opera sua nos constituit dominatores, ex seruis in filios & fratres atque amicos nos sibi per suam gratiam adoptauit: & ideò hunc verum patrem, qui nobis tanta præstitit bona, semper conuenit, fili, agnoscere & adorare. Nam & isto visibili patri ad hoc tantùm honor est deferendus, quòd serui ministerium erga nos sæpè exercuit in paruâ ætate constitutos, frequenter nos dum pauit, sæpiùs dum sollicitus fuit ad ea quæ infantiæ nostræ erant necessaria, dum osculata est caro quæ carnis sunt, dum sollicitudinem habuit pro visceribus propriis. Ecce itaque pro talibus caussis honor ei deferendus est.

Cur parentibus honor deferendus.

Sed & mater nostra alia habetur, fili. Non hæc visibilis, sed immortalis permanet: & quæ dignè Saluatori nostro est desponsata, atque per Angelos est adornata, per prophetas exornata, per apostolos glorificata, per martyres & confessores exaltata, atque in Christo, & per Christum in cælesti thalamo est eleuata: quæ & ab hominibus hæc sancta mater Ecclesia pronuntiatur. Cuius vox, vt turturis habetur, ad cuius labia distillant aromata: scilicet apostolorum doctrina. Cuius oculi, duo sunt cæli luminaria! cuius dentes sunt candidi, & quasi de lauacro ascendentis. Quem mysticum sensum 4 vigintiquatuor libri sacratissimâ habent in figurâ. De cuius manibus stillat myrrha, quod est iustitia & fides vera. Cuius decem digiti, decalogi virtutem continent & sacramentum. Cuius vbera duo sunt Testamenta: Moysaica scilicet lex, & Euangelij gratia. Cuius pedes similes sunt aurichalco: cuius venter & interiora, sacratissimi fontem Baptismi, & omnium gentium declarant regenerationem. Veni ergo, dulcissime mi nate, & huius verissimæ matris tuæ vbera suge: & acquiescens monitionibus, respue quæ in hoc sæculo videntur, vt illis frui merearis, quæ in futurâ vitâ suis filijs se Deus repromisit donare. Sed & verum patrem nostrum audi dicentem: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in illam terram, quam demonstrauero tibi: in terram scilicet viuentium, & regionem Sanctorum: in terram fluentem lacte & melle, id est, in doctrinâ apostolorum & prophetarum. Et cùm vniuersa quæ tibi præceperat expleueris, tunc tradet possessiones paradisi, pandet tibi sacramenta cælestia, donabit regni cælorum gloriam, demonstrabit apostolorum immensam lætitiam, martyrum choros, Angelorum atque Archangelorum frequentiam sæpiùs declarabit. Sed super hæc omnia, vt filium & fratrem te sibi per gratiam adoptabit. Hæc audiens iuuenis sapientissimus, procidit ad senis genua, & rogare eum cœpit, vt illi se potiùs offerret, cui ipse ab ineunte ætate deseruiret, qui & tantæ potentiæ & magnitudinis solus haberetur. Et quia propter seruos seu ministros, quia ad eius erant obsequium, ne quispiam eorum hæc patri indicaret, ampliùs nihil Astion in die illâ ad hominem Dei locutus est.

Matris Ecclesiæ descriptio ex Canticis.

Gen. 12.

Aliâ verò die surgens primo diluculo, vt apis prudentissima, ad eumdem locum vnde hesternâ die cælestes flores fuerat depastus, properauit. Et ingressus in mansionem sacerdotis Domini, taliter eum salutauit, dicens: Aue, ô apostole Christi, & noui Testamenti minister. Et sanctus ad hæc: Aue & tu iuuenis, qui martyrij stolam & coronam varijs gemmis contextam in capite gestas. Cumque iuxta se eum sedere fecisset, taliter ad eum locutus est: Quid est, fili? Semen Dominicum, quod hesternâ die in terram cordis tui per diuinam gratiam seminauimus, ascendit ad fructum, an adhuc infidelitatis vitio detinetur? Et Astion ait: Vt nouit beatitudo tua, ô sanctissime pater, vnicus mei genitoris, nimiumque charus existo: & satis timeo, si Christianus effectus fuero, ille præ nimiâ desperatione, aut spiritu violenter careat, aut in profundum maris semetipsum præcipitet: & aut verè, quod absit, propter me amens efficiatur: atque vnde mihi salutem spero deuenire, illi mortem perpetuam, & gehennæ præparem ignes. Ergo si dignaris consilium meum accipere, facito interim quæ dico; Iube me hodie fieri catechumenum, & impone mihi ieiunium in quantos volueris dies, & post dies definitos mihi sacramentum Baptismatis tribue. Cumque omnia, quæ Christianæ pertinent religioni, expleuero: tunc precor vt pariter ab hac vrbe ambo egrediamur, & in regionem longinquam,

CAP. VI.

Timet patri Astion.

Baptizatur.

quam, vbi nos Spiritus sanctus perduxerit, properemus, ne immaculatam conscientiam meam per suas lacrymas polluat pater. Cúmque in prudentissimo iuuene, quæ disposuerat ipse, consummata fuissent, post dies paucos, oratione ad Christum præmissâ, ambo ab vrbe egrediuntur: & descendentes nauim, in Scytharum fines ingressi sunt, atque in 5 Almiridensium ciuitatem deuenerunt, vbi nullus erat, qui eos vel eorum patriam posset agnoscere.

Fugiunt simul in Scythiam.

CAP. VII. Igitur cùm hanc sanctam fugam beatissimi viri perpetrassent, cœperunt parentes sancti Astionis per diuersa loca eum requirere, & nomen eius, huc illucque discurrentes, cum nimio mœrore inclamare. Siquidem pater eius vociferabatur, dicens: Fili dulcissime, & vnicum meum pignus, Astion charissime, quid tibi factum est, vel qualis fera te subitò deuorauit, vt nec parum aliquid reliquiarum tuarum potuerim reperire? O baculus senectutis meæ, & viscerum meorum lumen, vbi te iam vlteriùs requiram nescio, & in quam regionem propter te meos mittam famulos ignoro. Tu enim eras vrbis huius pretiosissima margarita, tu inter tuos ciues vt columba pulcherrima incedebas; tu vt radius solis inter omnes fulgebas; tu vt splendidissima luna inter populare vulgus coruscabas; tu inter sapientes sapientior existebas. Et quid multa? Per tua melliflua verba, vniuersos ad tui amoris desiderium prouocabas. Hæc quidem pater. Sed & mater scindens vestimenta sua, ac feriens manibus pectus, tali modo deflebat, dicens: Quis te à me separauit, vel quis seduxit? seu qualis auis demens de gremiis rapuit, ô dulcissime fili Astion, ignoro. Sed, vt suspicor, fortè ille Christianorum Deus, vnum misit de suis, & peruertit cor tuum, & abalienauit te à nobis. Et nunc væ mihi miseræ soli, eò quòd infinita tristitia, & intolerabilis dolor me apprehendit, & tantorum annorum labor inanis inuentus est. Cecidit corona capitis mei. Aruit siquidem fructus ventris mei, & sedeo vt ciuitas desolata. Mater fui vsque hodie per te fili mi, ac regina, & nunc te amittens, nec reginæ gloriam, nec matris gaudium habeo. Sed & tu, nate dulcissime, arbor fuisti, & excisa es; margarita, & 6 à Galilæis furatus es; gemma pretiosa, & in obscuro collocatus es; vt lampas, & extincta es; columna eras, & deiectus es; regalis statua, & euersus es. Et quid multa? Homo fuisti, & in momenti hora, vt suspicor, subitò mortuus es. Et nunc propter te, fili mi, amens effecta sum, vt nec vel vitam, vel nomen meum intelligam. Hæc & huiuscemodi verba pater eius & mater dicentes, nullo modo se poterant à mœrore maximo releuare.

Querela patris. *Tob. 9.* *Matris planctus.*

CAP. VIII. Igitur cùm in memoratâ vrbe, sancti Dei homines mansiones sibi aptas inuenissent, in eâ gratiarum actiones soli Deo exhibebant. Et quia scriptum est, Non potest ciuitas abscondi super montem posita, neque diuina gratia latere sub modio: cœpit iterùm cælestis virtus per sanctum Epictetum plura signa & prodigia in regione Scytharum, quàm ea quæ in Orientis partibus fecerat, operari. Nam vnâ dierum quædam mulier ad eum veniens, obtulit ei filium suum, annorum ferè XV. mutum, & surdum, & aridum existentem: proiiciensque eum ad pedes sancti Epicteti, taliter ad illum loquebatur, dicens: Vnde adueneris nescio, vel de quâ regione existas ignoro. Hoc autem tantummodò credo, quia si vis, potes languentibus sanitatis medelam præstare: eò quòd habitus tuus atque religio, Nazareni illius te esse discipulum declaret. Audiuimus siquidem, quanta signa & prodigia, alij de numero tuo in illius sunt nomine operati. Ergo quia vnus ex illius discipulis haberis, subueni infirmitatibus nostris. Prædica nobis de mirabilibus illius, expone de natione ipsius, seu diuinitatis sacramentum, vt & nos serui eius per te effici mereamur. Hæc audiens sacerdos Domini, taliter mulieri locutus est, dicens: Si credere vis mulier in eum, quem ego prædico, Deum, & nullum deinceps infidelitatis vitium in animo tuo resederit, sed credideris ex toto corde tuo, quòd ipse sit conditor cæli & terræ, maris quoque & fontium aquarum, & omnium quæ in eis sunt, erit quod petisti. Nec enim longè est ab vnoquoque nostrûm, eò quòd in ipso sumus, viuimus, & mouemur. Hæc dicens, puerum dissolutum iubet eleuari: & subleuatis oculis ad cælum, taliter pro eo Dominum deprecabatur, dicens: Omnipotens Deus, qui es immensus & inuisibilis, inenarrabilis quoque & incomprehensibilis, salus Christianorum, infirmantium medicus, gubernator nauigantium, periclitantium portus, lumen cæcorum, pes claudorum, via errantium: respice, quæso Domine, super hunc famulum tuum, & solue vinculum linguæ illius ad laudem nominis tui. Aperi quoque aures ipsius, ad audiendum tua cælestia sacramenta. Sana vniuersa membra eius contrita, tam animam quàm etiam corpus, sicut illius paralytici, quem post triginta & octo annos, tuus venerabilis aduentus integrâ donauit sanitate, vt agnoscant nomen tuum qui te non nouerunt,

Matth. 5. *Quindecim annorum mutus, surdus & aridus illi offertur.* *Act. 17.* *Orat pro eo.* *Ioan. 5.*

& credant quia tu es solus & verus Deus, qui regnas & permanes vnà cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Explicitâ

Ter exspuit in os pueri, & eum sanat. oratione, exspuit ter in os infantis, atque interrogans eum, dixit: Fili, in quem Deum nos conuenit credere, in idola quæ ab hominibus fiunt, aut in Iesum Christum crucifixum, qui te hodie sanare dignatus est? At ille cum magnâ voce exclamauit, dicens: In Iesum Christum nos conuenit credere, ô beatissime, qui tanta beneficia semper & vsque in præsentem diem in hominibus operatur. Cumque hoc miraculum cerneret Almiridensium multitudo, dedit gloriam Deo: & plus quàm mille animæ in illâ die crediderunt in Dominum saluatorem. *Plusquam mille ex Almiridensibus in Deum credunt.*

Cap. IX. Non solùm igitur sanctus Epictetus, sed & beatissimus Astion plurima miracula in nomine Domini operabatur. Denique collata est eis plurima gratia aduersus omnes infirmitates: sed & contra dæmones maxima illis potestas tributa est. Vnâ igitur è diebus, dum ad hauriendum aquam pergeret ad Danubium, occurrit ei homo, qui à dæmonio vexabatur. Et appropians iuxta illum, & orans pro eo sufficienter, salutare signum in fronte eius fecit, & per vniuersa membra eius depinxit. Qui eadem horâ egressus est ab eo. Fugiens autem diabolus, dicebat: Fides tua, ô Astion, ac puritas mentis, magnam aduersus genus nostrum à Saluatore accepit potestatem. Et hæc dicens, nusquam comparuit. *Astion dæmoniacum curat signaculo crucis.*

Cap. X. Item alio tempore vidit hominem, qui de nimiâ altitudine lapsus, semimortuus à parentibus in domum propriam ducebatur. Cumque intueretur illos de repentino facto nimiùm lamentari, piâ miseratione commotus, secessit in quemdam locum occultum: & stans, taliter Dominum nostrum pro eo precatus est, dicens: Christe Deus, qui per beatum Paulum apostolum, Eutychum de fenestrâ ruentem à mortis ianuis reuocasti ad vitam, & qui Æneæ ab annis LXXX. in grabato iacenti, per sanctum Petrum stabilitatem tribuisti membrorum, & claudo ex vtero matris existenti integram sanitatem præstitisti: & nunc quæso, Domine, respice super istum hominem, qui per diaboli operationem à tantâ cecidit altitudine: dona ei integram sanitatem, facitoque eum esse de numero gregum tuorum, quia tu es pastor noster, verus Dominus, qui in tuo sancto Euangelio locutus es, dicens: Ego sum pastor bonus, & cognosco meas oues, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Oratione finitâ, accedens iuxta hominem, taliter ad eum locutus est, dicens: In nomine Iesu Christi surge, & ambula. Et apprehensâ eius manu dexterâ eleuauit eum: & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ, & exiliuit & ambulauit. Et veniens vnà cum parentibus suis vsque ad habitaculum sanctorum, exclamauit magnâ voce, dicens: Vnus Deus Epicteti & Astionis, verè vnus Deus Christianorum: ideoque non recedo hinc, nisi hodie Christianus cum meis parentibus fuero effectus. Tunc sacerdos Domini assumens hominem, cum vniuersis qui aderant, eadem horâ catechumenos effecit, & post paucos dies sacramentum eis Baptismi tradidit.

Semimortuum reddit pristinæ sanitati. *Act. 20.* *Act. 3.* *Ioan. 10.* *Qui Christianus fit cum parentibus.*

Cap. XI. Alio quoque tempore, dum ad hauriendam aquam ex flumine ipse beatissimus Astion, sine iussione vel commendatione senis perrexisset, turpis quædam cogitatio in viâ eunte illo, mentem eius subitò inuasit. Et cùm per triduum hic talis ac tantus vir non potuisset de suo pectore eam extrudere, nimiùm tristis effectus est, & vultus eius valdè pro hoc permanebat confusus. Quem intuens venerabilis senior, ait ad eum: Quid est hoc, fili, quòd sic tristem te intueor, & insolito mœrore aspicio confectum? Hæc siquidem tristitia, quæ te nunc detinere videtur, non est illa quam sancti solent habere in vultu, vel pœnitentes pro suâ communi salute: sed puto hanc esse illam mortiferam tristitiam, quæ aut apostatam Iudam, vel Achitophel consiliatorem Absalonis necauit. Tunc ille: Ante hoc triduum, quando tua venerabilitas cum hominibus illis de cælesti mysterio loquebatur, pudore vetante, ego te nesciente, ad hauriendam aquam ad fluuium perrexi. Eunte me verò in viâ, turpis quædam & satis sordida cogitatio, & vt puto, per diabolum in mentem mihi ascendit. Et nunc itaque, ecce iam per triduum, quantum valeo cum lacrymis & oratione Scripturarum laboro ad expellendam eam, & nullo modo valeo superare. Tunc sanctus Epictetus terribilem ei suum vultum ostendens, & indignans quodammodò aduersus dæmonem, taliter ad eum locutus est, dicens: Et quare absque meâ sententiâ ostium cellulæ egressus es, vel sine oratione Christi sacerdotis perrexisti ad fluuium? An ignoras, quia commendatio præpositi semper iunioribus murus inexpugnabilis, & lorica fidei, ad superandum diabolum existit? Et hæc dicens, iubet eum pariter secum in oratione ante Dominum prosternere. Cumque diu multumque Saluatoris mise-

Astion egressus sine senis imperio, turpi cogitatione affligitur. *Matth. 27.* *3. Reg. 17.* *Commendatio præpositi iunioribus murus inexpugnabilis.*

misericordiam precati fuissent, & finitâ oratione ex solo surrexissent, vidit beatus Astion puerum quemdam nigrum cum igneâ faculâ de suo sinu egredientem, ac talia sibi dicentem: Confessio tua, Astion, magnas meas contriuit hodie vires, & vna oratio vestra me inermem in omnibus reddidit, ac desolatum. Ideoque egressus hinc, intrabo in cor [7] Latroniani ducis, & excitabo eum aduersum vos celeriter, & per varia suppliciorum genera vos expendet, eò quòd ingressi estis, vt quidam latrones, siue malefici in prouinciam ipsius, & multos homines à culturâ deorum ipsius per veneficia vestra auertentes, Deo vestro sociatis. Et hæc dicens dæmon, vltrà non comparuit.

Confessione curatur Astion.

CAP. XII.

Igitur cùm huiuscemodi spiritualibus exercitiis sancti Dei famuli conuersarentur, & Saluatori nostro Iesu Christo in psalmis & orationibus vnanimiter deseruirent; ac multa mirabilia non solùm in hominibus, verùm etiam & in pecoribus diuina gratia per eosdem operaretur, subitò aduenit Latronianus dux in Almiridensium ciuitatem. Et cùm per triduum opera publica, & imperialia ministeria quæ ibidem erant, peruidisset: quartâ die nuntiauerunt ei quidam de officio de beatissimis viris, dicentes ei, & quòd malefici sunt & magi, multos per sua veneficia auerterent iam à sacrificijs deorum. Hæc cùm ille audisset, continuò imperat aliquos ex quæstionariis, vt post solis occasum pergerent ad habitaculum sanctorum: & comprehensos eos ferro vinctos perducerent in custodiam carceris. Cùm ergo comprehensi beatissimi viri, in [8] vinculatorium ducerentur, psallebant dicentes: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Et iterùm: Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Rursumque: Multæ tribulationes iustorum, & non impiorum: sed tamen ex omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Cumque ingressi fuissent in carcerem, totam noctem more sibi solito, in psalmis & orationibus transegerunt. Post expletam autem vigiliarum sollemnitatem, hoc modo sanctus Epictetus ad beatum Astionem locutus est, dicens: Si nos, ô dulcissime fili, crastino die interrogauerit iudex, dicens: Quod genus, vel quæ nomina vestra, vel ex quâ prouinciâ estis, & vnde huc venistis? nos nihil illi penitùs respondeamus: neque genus ei, vel nomina nostra indicemus: sed nec patriam, vnde sumus oriundi, illi fateamur: nisi hoc tantùm dicamus, quia Christiani sumus, & hoc nomen nobis, hoc genus, hoc patria: & nihil aliud sumus, quàm veri Dei cultores. Et iterùm: Si nobis post hanc confessionem supplicia iusserit adhiberi, nihil aliud in tormentis positi dicamus, nisi: Domine Iesu, tua voluntas semper fiat in nobis.

Comprehenduntur à Latroniano duce.

Psal.45.

Ibidem.

Psal.33.

CAP. XIII.

Igitur aliâ die, primo diluculo iubet Latronianus dux tribunal præparari in mediâ ciuitate: & præconibus imperat, vt cum nimio clamore ad tam nefandum & horridum spectaculum multitudinem populi inuitarent. Et factâ iam horâ diei tertiâ, quasi furibunda bestia Latronianus procedit. Et populo vndique exspectante, sedens pro tribunali iubet adduci sanctos in conspectu suo. Cumque exhibiti coram eo astarent, mox vt vidit eos, à pauore nimio totus obriguit: non enim poterat intendere in sanctos, eò quòd instar solis, præ nimiâ gratiâ quam gerebant, fulgebant facies eorum. Erat siquidem sanctus Epictetus annorum ferè sexaginta, statura procerus, barbâ prolixâ, & splendore caniciei decoratus. Similiter & beatissimus Astion monachus, staturâ & ipse procerus existebat: sed & nimiùm pulcher ac delicatus, & quasi trigintaquinque annos ætatis agens. Cumque vnius horæ spatium transisset, interrogauit eos Latronianus dux, dicens: Quæ sunt vocabula vestra, quod genus, seu de quali prouinciâ vos estis oriundi, nobis in conspectu huius multitudinis explanate. Respondentes sancti, dixerunt: Nos Christiani sumus, & de parentibus nati Christianis, atque de Christianorum patriâ nos sumus oriundi. Latronianus dux dixit: Ego nomina vestra interim volui audire. Nam eò quòd de illâ maledictâ perfidiâ estis, & ego noui, & vniuersi circumstantes. Ad hæc sancti martyres dixerunt: Nos Christiani sumus, & Iesum Christum Dominum nostrum, in cuius potestate cuncta habentur, agnoscimus & adoramus, vniuersa idola tua abominamur, dicente Scripturâ: Similes illis fiant qui faciunt ea, sed & omnes qui confidunt in eis. Hæc audiens dux, nimiùm iratus est: & imperat, vt exspoliatos fortiter verberarent. Cumque à ministris Christi martyres cæderentur, oculorum suorum obtutum eleuantes ad cælum, taliter dicebant: Domine Iesu, magister noster, tua voluntas fiat in nobis. Sed cùm diu multumque cæderentur, & nihil eius immanitas aduersus Dei cultores præualuisset, taliter iratus contra eos Latronianus locutus est, dicens: Vbi est mirabilis ille vester defensor, quem sine cessatione

Latronianus sanctos videns obrigescit.

Aetas Epicteti & Astionis.

Interrogati respondent se Christianos esse.

Psal.113.

Cæduntur.

tione vobis in auxilium inuocastis? Veniat itaque nunc, & si potest, de meis vos eripiat manibus. Sancti martyres dixerunt: Christiani sumus, ô tyranne: fiat voluntas Dei nostri in nobis. Hæc cùm audisset Latronianus, iussit eos in eculeum leuari, & fortiter vngulis ferreis radi. Cùmque raderentur, iterùm dicebant: Christiani sumus, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei nostri in nobis. Tunc deinde iussit tyrannus, vt lampades ardentes, cùm adhuc in eculeo penderent, ad latera eorum applicarent. Cumque & hoc tormenti genus magnanimiter tolerarent, dicebant: Christiani sumus, ô tyranne: fiat voluntas Dei in nobis. Et cùm iam hora septima facta fuisset, iussit eos Latronianus de eculeo deponi; & in custodiam carceris perduci.

In eculeo torquentur.

Cap. XIV. Vnus autem ex quæstionarijs, nomine Vigilantius, audiens hunc versiculum sanctos martyres in tormentis positos, frequenter & sæpiùs iterare, id est, Christiani sumus, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei nostri in nobis: existimans quòd aliquam magnificæ præcantationis in se haberet virtutem: quia dicebant, nullo modo posse meditantibus eum dolorem sentire: cœpit hunc ipsum versiculum incessabili meditatione ruminare: infra domum & in plateis, dormiens atque exurgens, & in omni tempore decantare. Cumque per triduum iugiter non quiesceret decantando, quartâ demum die cœpit voce publicâ proclamare, dicens: Ego Christianus sum, ô tyranne Latroniane: fiat voluntas Dei nostri in nobis. Et perueniens ad beatissimos martyres in custodiâ carceris, signaculum vitæ ab eis promeruit percipere: & cum omni domo suâ credens in Deum Saluatorem, beatorum sancta corpora ipse postmodum cum honore maximo sepeliuit.

Vigilantius vnus ex quæstionarijs fit Christianus.

Cap. XV. Igitur post quintam demum diem, sedens iterùm Latronianus dux pro tribunali, iussit sanctum Epictetum presbyterum, & Astionem monachum in conspectu suo perduci. Cumque à ministris dæmonum ducerentur, psallebant, dicentes: In te inimicos nostros ventilabimus Domine, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu nostro speramus, & gladius humanus nequaquam saluare nos poterit: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam tu complacuisti in nobis. Cumque ante subsellium profanissimi ducis Christi martyres astitissent, ait ad eos Latronianus dux: Acquiescitis mihi, & sacrificatis dijs, an adhuc in vestrâ insaniâ perduratis? Sanctus Epictetus respondit: Sæpiùs nos interrogasti, frequenter nobis blanditus es, multotiesque dona plurima, & honores nobis maximos promisisti: & tamen penitùs nihil aliud à nobis audire potuisti, nisi quia Christiani sumus: & ecce, nunc hoc ipsum iterare non quiescimus. Cùm autem audisset Latronianus hæc omnia verba, dedit mugitum vt leo: & exclamans voce magnâ, taliter ad suos milites locutus est, dicens: Velociter, ô ministri huius splendidissimi culminis, sal & acetum huc afferte, & prioribus eorum lacerationibus confricate, simulque picem & adipem in cacabum æneum mittite, & cùm cœperit fortiter ebullire, eos in eumdem mittite. Et sancti hæc audientes dicebant: Christiani sumus, ô tyranne: fiat voluntas Dei in nobis. Cumque hoc tormenti genus pro Christi nomine magnanimiter tolerassent, & in nullo penitùs læsi fuissent, imperat sæuissimus tyrannus, vt inde eos eijcerent, & in custodiam carceris denuò perducerent: Ne fortè, inquit, & constantia eorum nobis ignominiam, & Christianis audaciam generare videatur. Et sic iussit, vt per XXX. dies nullus ad eos introiret, neque ab aliquo cibus potusque deferretur. Sed athletæ Christi de plenitudine verbi diuini, & de illo pane qui de cælo descendit, quotidie reficiebantur, atque indesinenter psallebant, dicentes: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri: vt cognoscamus in terrâ viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Psal. 43.

Iterùm cruciantur.

XXX. dies manens ieiuni.

C. XVI. Igitur cùm in vrbe Almiridensium sancti martyres hæc tormenta pro Christi nomine tolerarent, quidam peregrinus quodam die videns beatissimum Astionem ante tribunal iudicis consistentem, & cognoscens quis cuiusque generis haberetur, festinanter nauigans in partibus Orientis descendit: & veniens in ciuitatem vnde erat oriundus, nuntiauit patri eius & matri hæc vniuersa quæ illi acciderant, dicens eum cum sene quodam Christiano, Epicteto nomine, in martyrio consistere. Similiter nomen ciuitatis in quâ essent, diligentissimè eos edocuit. At illi hæc audientes, mox ad genua sibi ista referentis aduoluuntur: & fortiter eum rogare cœperunt, vt ea quæ vera essent eis diceret. At ille iureiurando vera hæc esse affirmabat. Tunc cœpit dicere pater eius: Si ego infelix meritus fuero vt videam faciem filij mei, quidquid illud est quod mihi mandauerit & docuerit, hoc sine aliquâ morâ facturus sum. Similiter verò & mater dicebat: Ego miserabilis & humiliata per omnia, si illum adhuc in hoc corpore merita fuero intueri, & do-

Astionis parentibus peregrinus quidam martyrium eius nuntiat.

& domum vniuersamque meam substantiam derelinquam, & illi soli adhærebo, eò quòd super hac omnia ipse solus mihi charior & dulcior habeatur. Quòd & si me imperauerit fieri Christianam, nec hoc recusabo facere, & cum ipso postmodum, si voluerit, parata sum tormenta sustinere, & mortem gratanter accipere. Et hæc dicentes, vniuersam substantiam suam ac diuitias sub actoribus & procuratoribus reliquerunt. Et egressi cum tribus pueris de domo suâ, nauim protinus conscenderunt, & nauigare cœperunt, vt in Scytharum terram, atque in Almiridensium ciuitatem deuenirent. Cuius prouinciæ tunc Pontifex & Præpositus sanctarum Dei ecclesiarum, beatissimus Euangelicus habebatur.

Euangelicus Scytharum Pontifex.

CAP. XVII

Igitur expleto numero triginta dierum, iussit tyrannus, vt sancti martyres coram se exhiberentur. Qui cùm hilari animo & vultu splendido coram illo constitissent, sic ad eos Latronianus dux locutus est, dicens: Sæpiùs vos de nominum vestrorum vocabulo interrogaui, vel genere, seu vnde estis oriundi: & numquam mihi veritatem dixistis. Nunc itaque, cùm nec patriam noui, nec genus agnosco, sed nec nomina vestra potui addiscere, hoc cogitaui apud memetipsum, dicens: Eò quòd nihil aliud vos esse videmini, nisi corporei dæmones, qui sine nomine vel genere esse noscuntur: & ideò secundùm quod digni estis, hoc vos vocabulo nuncupabo. Et adiecit dicere ad eos: Dicite mihi vos, ô corporei dæmones: si non sacrificatis immortalibus dijs, facio hodie vt capita vestra abscindantur. Christi martyres dixerunt: Nos Christiani sumus, & in nomine Christi dæmones, quos vos vt deos adoratis & colitis, nos de obsessis corporibus effugamus. Vtinam in te dæmon pessimus non habitaret. Hoc audiens vesanus ille, & horrendus, nimiùm efferatus est: & iussit ministris suis, vt cum lapidibus ora sanctorum contunderent. Deinde imperauit, vt virgas afferrent fraxineas, & sic ex eis tam diu eos verberarent, quamdiu spiritum exhalarent. Beatissimi verò athletæ Christi taliter patientes, nihil aliud dicebant, nisi: Domine Deus noster, tua voluntas fiat in nobis. Sed cùm diu multúmque cæderentur, & semper hilares magnanimésque in confessione Domini perdurarent: videns minister ille diaboli, eò quòd nullo modo præualuisset eius insania contra ipsorum constantiam, iussit ministris scelerum duci eos foris ciuitatem, & capita eorum gladio amputari. Cúmque ducerentur psallebant, dicentes: Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum: quia facta est voluntas Dei nostri in nobis per omnia.

Rursus cruciantur martyres.

Gladio plecti iubentur.

Psal. 134.

C. XVIII.

Cùm autem peruenissent ad locum vbi feriendi essent, stantes contra partem Orientis, expansis manibus, & subleuatis oculis in cælum, taliter Dominum orauerunt, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & superexaltatus in sæcula: eò quòd non humana, sed tua voluntas per omnia facta est in nobis. Tu es enim qui doces in te credentes, vt faciant voluntatem tuam, & vt annuntient mirabilia tua in omni tempore, eò quòd Spiritus tuus sanctus gubernat vnumquemque in bono secundùm propositum cordis sui, & secundùm propriam voluntatem. Tu es enim qui Abraham secundùm tuam voluntatem semper gubernasti, Isaac sanctificasti, & cum Iacob colluctatus es, imponens illi nomen nouum Israël: qui Ioseph à persuasionibus Ægyptiæ & blandimentis castum custodisti, & Susannam similiter à pollutione insidiatorum immaculatam conseruasti: qui sanctorum prophetarum tuorum corda purificasti, & beatissimorum apostolorum mentes, per donum sancti Spiritus illustrasti, dicens ad eos: Accipite Spiritum sanctum, qui athletas tuos per gratiam tuam coronasti, & pro nomine tuo dimicantibus semper victoriam condonasti: qui nos humillimos & peccatores famulos tuos ad hanc patriam perduxisti, vt annuntiemus in eâ, ac prædicemus Euangelij tui doctrinam, his qui in eâ habitant: qui noster gubernator ac magister, ac bonus prouisor in omnibus extitisti: qui vsque ad hanc horam secundùm tuam voluntatem nos semper gubernasti. Quæsumus Domine, vt digneris nobis sanctos tuos Angelos transmittere, qui nos liberent & defendant ab aduersariorum potestate: & victores nos ac triumphatores per tuam gratiam vsque ad thronum tuæ maiestatis perducant. Sed & viros huius regionis seu ciuitatis conserua in timore tuo, protege in misericordiâ tuâ, custodi in bonitate tuâ, guberna secundùm voluntatem tuam: benedic pusillis eorum cum magnis, atque pro honore quem nobis propter nomen sanctum tuum exhibuerunt, repræsenta eis mercedem in beatitudine sempiternâ. Tribue quoque nobis fiduciam, vt quotiescumque diuinam tuam maiestatem exorauerimus, adimpleas petitiones nostras in bono. Et nunc quæsumus Domine, suscipe nos in manibus tuis sempiternis, & introduc nos in Ierusalem cælestem, quæ est mater omnium Sanctorum, cuius ipse es lumen, & sponsus: conditor quoque ac fabricator, vt vnà cum Angelis & Archangelis, patribus, patriarchis, prophe-

Extrema ad Deum oratio.

Ioan. 20.

phetis, apostolis, martyribus, confessoribus, iugiter collaudemus & glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sæcula sæculorum.

CAP. XIX. Et cùm respondissent circumstantes, Amen: rogare cœpit carnifices sanctus Epictetus, vt ante se prius beatum percuterent Astionem. Sed cùm ille diceret: Quia te primum decet, ô beatissime pater, hanc salutiferam propriamque propitiationem mereri, sanctus Epictetus respondit: Veterana, inquit, calliditas serpentis, satis subtilis & circumuentosa est, fili: & ideò quod nunc iubeo fieri, pro tuâ salute ac meâ requie habetur. Hodie namque decem & septem annos per diuinam gratiam munus castum immaculatumque te seruaui, & modò vis vt in puncto vnius horæ tantorum annorum laborem perdam? Non ita. Quod enim cupio facere, mi fili, per inspirationem Spiritus sancti facio. Sic enim Abraham in holocaustum Isaac filium obtulit; Iephte filiam Domino in sacrificium exhibuit; Petrus quoque Stephanum ante se in cælestibus præmisit. Et quamuis ego non possim esse incredulus de bonitate Dei, eò quòd potest te & sine meâ præsentiâ in omnibus conseruare, sicut & vsque in hodiernam diem custodiuit immaculatum: tamen agnoscere debes, eò quòd bonus pastor semper pro ouibus suis animam ponit. Ergo quod facio, pro me & te facio, fili. Noli igitur amodò de meâ societate dubitare. Credo enim quòd iam S. Michaël cum Angelis, & Abel cum prophetis, Petrus quoque cum apostolis, Stephanus cum martyribus, Daniel cum confessoribus, in occursum tibi venerit, fili, qui te nunc in suis gremijs suscipiant, & vsque ad thronum Christi Saluatoris nostri cum hymnis & canticis spiritualibus perducant. Hæc & horum ampliora audiens beatissimus Astion, respondit, dicens: Fiat voluntas Dei & tua, ô sacerdos Dei, ac venerande pater. Et faciens signaculum crucis in fronte suâ, taliter orauit ad Dominum, dicens: Quoniam tu es protector meus Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, statim à spiculatore caput eius amputatur. Hoc cùm factum fuisset, cernens sanctus Epictetus, dedit gloriam Deo. Et proijciens se super corpusculum eius, rogare cœpit à carnificibus, vt quomodo iaceret super cadauer sancti martyris, sic & ipsum percuterent. Quod cùm expletum fuisset, intuentes vniuersi qui aderant Christiani pariter ac gentiles, de bono magistro Epicteto, ac de perfectâ discipuli obedientiâ, cum lacrymis Deo gratias retulerunt.

Epictetus Astionem iuniorem ad cantelam martyrio prius offert.

Ioan. 10.

Psal. 30.

Astion capite plectitur.

Item Epictetus.

Et dum illi darent Deo gloriam & honorem, ecce subitò corpora sanctorum martyrum in modum niuis visa sunt candida: atque præ nimietate splendoris, quasi solis radij esse videbantur. Omnes qui ¶ quacumque infirmitate detenti esse videbantur, statim vt cadauera ipsorum ex fide contingebant, seu cum veneratione deosculabantur, continuò vniuersa anxietas seu dolor ab eis fugabatur. Circa solis verò occasum veniens Vigilantius cum omni domo suâ & cum alijs Christianis, occultè tulit corpora sanctorum martyrum: & perfundens ea myrrhâ & aromatibus pretiosissimis, in loco congruo & aptissimo cum hymnis & psalmis, & cum magnâ deuotione sepeliuit. In quo loco multa signa & prodigia ad laudem nominis Christi vsque in præsentem diem celebrantur. Latronianus verò superueniente nocte inuaditur à pessimo dæmone, & surgens primo diluculo venit in prætorium, atque ibi positus cœpit plurima amentiæ inaniaque verba proferre: deinde arrepto gladio, priores quosque de officio suo insequi & vulnerare: super alios verò vt canis rabidus insilire, atque aliorum indumenta dilanians, huc illucque discurrere. Hoc illi intuentes & videntes, quia amens & insanus extiterit, despoliantes illum, pugnis ac verberibus mactare fortiter cœperunt: ac deinde ligatis eius manibus ac pedibus in paruissimo domicilio proiecerunt. Qui post biduum suffocatus à dæmone, violenter spiritum exhalauit.

CAP. XX.

Splendent corpora sanctorum.

Sanantur infirmi.

Cum hymnis & psalmis sepeliuntur.

Latronianus à dæmone corripitur.

Suffocatur.

CAP. XXI. Igitur cùm dies tertia passionis sanctorum martyrum illuxisset: & Vigilantius ad sepulchrum eorum orationis gratiâ deuenisset subitò apparuit ei beatus Astion, & dicit ad eum: Genitores mei ad quærendum me, de patriâ nostrâ hodie huc sunt venturi. Rogo igitur te, frater charissime, festina descendere ad portum, & suscipe eos in domum tuam, atque per omnia consolare eos, eò quòd propter me validâ sunt tristitiâ macerati: sed & in prostremo de Saluatoris nostri fide, atque diuersis magnalibus facias eos monere. Hæc & plura horum audiens Vigilantius, dedit gloriam Deo: & statim cum festinatione ad fluuium descendit. Et ecce, circa horam tertiam cernit nauiculam paruam subitò applicuisse ad portum. Cumque egressi de naui [10] epibatæ fuissent, cœperunt à circumstantibus ibidem viris sollicitè inquirere, si aliquis eorum aliquando audisset ibidem, aut vidisset iuuenem, Astion nomen habentem. Cumque multi multa de eo dicerent, Vigilantius superuenit, & dixit: Ego verè vidi & noui eum. Sed interim venite in domum meam, & quiescite

Astion apparet Vigilantio ad sepulchrum suum oranti.

Parentes Astionis Vigilantius excipit.

scite pusillùm, eò quòd valdè fatigati estis in naui, & postmodum si vultis, ego vos ad eum, cùm opportunum fuerit, sine aliquâ morâ perducam. At illi procidentes ad genua eius, cœperunt fortiter plantas eius constringere, osculantes atque obsecrantes, vt si possibile sibi esset, antequam cibum caperent, perduceret eos ad illum. Et Vigilantius ad hæc: Facite priùs interim quæ rogo, vt & ego vestram petitionem atque voluntatem impleam. Cumque domum ipsius ingressi fuissent, & ad mensam consedissent, cœpit mater sancti Astionis ad Vigilantium taliter dicere: Si mihi locum illum demonstraueris, ô dulcissime frater, vbi nunc meus vnicus demoratur Astion, hodie coronam auream capiti tuo imponam. Similiter quoque & pater eius dicebat: Ego si illum per te, ô iuuenis, merear hodie videre, indumenta auro texta te adoperiam, atque dimidium bonorum meorum tibi condonabo. Ad hæc Vigilantius respondit: Ille ante triduum hinc egressus, in regionem ambulauit longinquam, atque dimidium substantiæ suæ vnà cum domo mihi cum quadam chartulâ commendauit, dicens: Si aliquis venerit, missus à patre meo ad quærendum me, introduc eum in hanc domunculam meam, & dicito ei: Hæc dicit Astion monachus: Sustine me hîc, quoadusque redeam ad te cum salute. Quòd & si volueris heres meæ substantiæ esse, festina vniuersa illa, quæ in hoc libro scripta sunt adimplere, & esto feliciter nihil dubitans. Et mater, Quæ dicitur, inquit, regio illa, quò perrexit dulcissimus meus & vnicus Astion? Vigilantius respondit: Regio robustorum, seu fortium virorum. Et mater: Sunt aliqui homines ibidem commanentes? Vigilantius respondit: Plures & valdè nobiles habentur, quorum possessio paradisus dicitur; quorum tabernacula ex lumine sunt constructa; quorum vita Deus est, & conuersatio immortalis existit; quorum vestes sanguine sunt respersæ, & in capite coronę ex auro purissimo, cum gemmis variis fabricatæ habentur. Sed & Rex nimiùm potentissimus ac metuendus est in eadem regione, cuius nomen Deus deorum, & Dominus dominantium appellatur: cuius nuntij Angeli dicuntur iustitiæ, quorum vestis vna est omnibus, & tactus eorum igni assimilatur vrenti. Sed & senatus huius Imperatoris valdè clarus habetur: & media pars prophetæ nuncupatur, alij verò apostoli pronuntiantur. Sed & ciuitas istius Regis valde est præclara, nomenque eius Christicolis pronuntiatur cuius murus ex auro purissimo est constructus, habens portas duodecim & in ipsis singulæ dependent margaritæ, atq; singuli ex senatoribus per singulas sedent indesinenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreæ, quarta Ioãnis, quinta Iacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octaua Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, vndecima Simonis, duodecima Matthiæ. Sed & templum mirificum est in eâ, habens Sancta sanctorum, & altare aureum; ante cuius conspectum vir quidam astat mirificus, tenens decem chordarum psalterium, ac iugiter ibidem degentes ad laudem Regis illius cohortatur, dicẽs: Laudate Dominum de cælis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen, Dauid, filius Iesse pronuntiatur. Sed & plateæ huius ciuitatis ex auro purissimo sunt stratæ: cuius fluuius vitam æternam emanat, cuius pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, & folia eorum ad medicamentum procedunt animarum: cuius lumen inenarrabile est, & portæ numquam clauduntur, eò quòd numquam ibi nox erit, nec vllæ tenebræ habentur: sed semper gaudium & perpetua lætitia ibidem iugiter commoratur. Et mulier ad hæc respondit: Et non intellexisti, charissime frater, à quo vocatus illic meus Astion perrexit, ne in aliquâ culpâ deprehensus sit, vel ne quispiam ex comitibus, aut è senatoribus qui illic demorantur eum conuocauit, & sibi forsitan præ nimiâ pulchritudine eius in filium eum adoptauit? Et Vigilantius, Ab ipso, inquit, principe regionis illius cum multo honore & comitatu ibidem vocatus perrexit. Ego siquidem tunc ministros ipsos videre non potui: attamen sicut ipse mihi referebat, valdè pulcherrimo ac splendido vultu habebantur, gerentes aurea arma & hyacinthina indumenta. Et quia in hac nostrâ regione fideliter ex toto animo quæ sibi ab illo iniuncta fuerant adimpleuit, hac de caussâ eum illuc per suos ministros dicebat vocitatum fuisse, vt principatum ei, videlicet super decem ciuitates condonaret. Et mater: Putas igitur in tantâ gloriâ nunc ibidem positus habet memoriam nostri? Et Vigilantius: Ille quidem memoriam vestri nimiùm habet in mente, & valdè cupit vos iuxta se habere semper, si tamen ea quæ scripta sunt in libro illo, quem mihi reliquit, adimplere volueritis. Et mater ad hæc: Age ergo, & depositum nobis celeriter repræsenta. Et hæc dicentes, è mensâ pariter consurgunt.

Vigilantij de alterâ vitâ cum parentibus Astionis colloquium.

Apoc. 21.

Psal. 148.

Filij propè parentibus in cælo solliciti.

CAP. XIII

Tunc Vigilantius assumens eos, in cellam sanctorum martyrum introduxit: & ostẽdens eis Dominicam Crucem & sacrosanctum

Testamentum Astionis, Crux Dominica, & sanctum Euangelium. sanctum Euangelium Christi, ait ad eos: Hæc sunt quæ Astion filius vester mihi dereliquit. Si ergo mysterium huius diuinæ virtutis, & ea quæ in hoc codice scripta sunt, feceritis; profectò videbitis eum, & cum ipso in perpetuum eritis in illâ regione. Hæc audiens pater eius, accepit Euangelium Christi præ manibus, & aperiens peruenit ad eum locum, vbi Dominus Iesus locutus est ad discipulos suos, dicens:
Matth. 19. Amen amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnes qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem sunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Et pater: Quis est, inquit, iste Dominus Iesus, & qui sunt qui secuti sunt eum? sed & qui sunt illi, qui iubentur relinquere patrem aut matrem, vxorem & filios, propter nomen eius: quos dicit percepturos esse in futurâ beatitudine vitam æternam? Quæsumus te, frater charissime, vt si aliquid in his, quæ vera sunt, nosti, nobis explanare non pigriteris. Aperiens autem Vigilantius os suum, & incipiens à Scripturâ istâ, euangelizauit illis Dominum Iesum Christum: qualiter ab origine mundi omnia per ipsum facta sunt, & qualiter hominem ad imaginem & similitudinem suam fecerit, & in paradisum deliciarum posuerit: & quomodo vnam costam tulerit de latere ipsius, & finxit eam in mulierem: sed & quomodo propter serpentem Adam de paradiso deliciarum in hanc terram mortalium expulit; & qualiter Eua, quia ipsi serpenti magis obedire voluit, quàm Domino Deo suo, anxietatibus & doloribus in parturitione est condemnata: sed & qualiter sancti prophetę ante primum aduentum Filij Dei venientes, prædicauerunt eum esse venturum, & non sunt recepti: vel quomodo Dominus Deus noster Iesus Christus, qui est vnicus Patris, Verbum ac Sapientia, virtus scilicet ac splendor gloriæ, dignatus sit in nouissimis diebus, de Spiritu sancto & Mariâ semper virgine in mundo nasci: & quomodo illos qui secuti sunt eum, discipulos suos fecit esse, & mittens eos ad prædicandum verbum salutis gentibus, Apostolis imposuerit nomen: sed & quòd regni sui participes eos effecerit, qui huius sæculi contempserint vanitatem, & ipsum solum super amorem propinquorum diligerent. Cumque hæc & horum ampliora sapienter eis Vigilantius disseruisset, iterùm venerunt in locum illum, vbi scriptum est: Et dixit Iesus discipulis suis: Amen amen dico vobis, quia omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis: qui autem negauerit me coram hominibus, denegabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Nolite igitur arbitrari, quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et qui inuenit animam suam, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium meum, inueniet eam. Et iterùm: Cùm autem tradiderint vos apud reges & præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & surgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus, propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Rursumque perueniens in vltimam partem sancti Euangelij, cœpit secundùm Ioannem iterùm legere, dicens: Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illic sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Et denuò: Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti: dilexisti eos, sicut & me dilexisti.

Matth. 10. — *Vigilantius parentes Astionis catechismo instruit.* — *Ioan. 17.*

C. XXIII.

Hæc & ampliora horum dum legisset pater, ad Vigilantium ait: Precor, frater charissime, iterùm explana nobis diligentiùs ea, quæ modò legimus: eò quòd nos penitùs in his verbis nihil intelligimus. Vigilantius respondit: Illos quos dicit Dominus Iesus noster: Quia qui me confessi fuerint coram hominibus, confitebor & ego eos coram Patre meo, qui est in cælis: qui autem denegauerint me coram hominibus, denegabo eos & ego coram Patre meo, qui est in cælis: nos sumus qui in eum credimus, & in nomine sancto eius speramus. *Matth. 10.*

mus. Si ergo euenerit tempus persecutionis,& dixerint nobis principes huius sæculi: Abnegate Deum vestrum, & adorate nobiscum idola, qui sunt magni dij nostri, qui & vniuersa fecerunt: si eis non consenserimus, vel quæ iusserint, non fecerimus, sed pro nomine eius, tyrannorum minas tormentaque tolerauerimus: continuò & ipse in illa sua felici regione, coram Patre, & coram sanctis suis Angelis confitebitur nos: id est, amicos, & nimiùm charos sibi constituet nos. De quorum numero extitit nunc ille vester vnicus, & nimiùm sanctus Astion. Nam ante hos paucissimos dies, dux prouinciæ istius Latronianus, dum compelleret eum vt abnegaret Iesum Christum, verum illum, quem nos dicimus, Imperatorem cælestem, vt consentiret eius voluntati, & dæmonibus famulatum exhiberet: ille nullo modo acquiescens iussibus eius parêre, fortis in fide sua, & nimiùm magnanimus aduersus ea, quæ sibi ingerebantur, mala: cum alio quodam venerabili sene Christiano, Epicteto nomine, perstitit vsque in finem immobilis in suâ sanctâ confessione. Hoc intuens eius Imperator ille cælestis, & valdè admirans de beneuolentiâ & sincerâ ipsius erga se dilectione: mittens suos ministros, hoc est, salutiferos Angelos, cum ingenti eum honore in illam ciuitatem, vbi ipse demoratur, assumpsit, vt illi præmia sempiterna, pro eo quòd viriliter contra ipsius aduersarios decertatus sit, condonaret. Et ideò tam Astioni vestro, quàm eius similibus, aptantur ea, quæ legisti, sacramenta: Vt omnes, inquit, vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti: & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi illis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ideò quicumque meruerint esse de numero Astionis vestri, ô honorabilis pater, Saluatoris nostri Martyres vocitantur.

Vigilantius narrat Astionis martyriū.

Ioan. 17.

CAP. XXIV. Et mater ad hæc: Ne, inquit, mortuus est, & non vis nobis facere manifestum? Vigilantius respondit: Mortui nos sumus, qui in hac mortali carne degimus, & in hoc sæculo vano, absque notitiâ nostri factoris existere videmur. Nam vera vita ibi est, & verus cibus potusque ibidem habetur, ac dignitas sine fine, his qui meruerunt eam accipere: ibi est, vbi semper immortalitas regnat, & perpetua gaudia commorantur. Tunc mater: Volebam, inquit, modò eum videre in illâ gloriâ consistentem. Putas ne agnoscere me habeat, eò quòd genitrix eius fuerim aliquando? Aut fortè in tanto honore ibidem positus, vt dicis, modò inspicere contemnet, eò quòd pulchritudinem mei vultus, ipsum lugendo amisi? Et Vigilantius: Si feceris itaque, quæ scripta sunt in hoc libro, quem mihi dereliquit sanctus Epictetus & Astion, & credideris ex toto corde in Iesum Christum regem ipsius, in quem & iste credidit, poteris eum videre. Sin verò nolueris credere, impossibile est, vt tu illum videas, vel matrem suam nominet aliquando, eò quòd incredula extitisti in mandatis Patris ipsius. Et mater: Ecce, inquit, pater ipsius iste est. Vigilantius respondit: Verùm Pater eius ille est, qui & Dominus, cum quo nunc demoratur, qui & tanta bona ei in futurâ beatitudine condonauit. Et iste verò mortalis est, & mortales filios habet: & dum putatur stare, subitò cadit: dum dicit se viuere, repentè moritur, eò quòd nec iste illum Patrem verum agnoscit, quem ille agnouit: de quo scriptum est; Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.

CAP. XXV. Igitur cùm per vnam septimanam inter se disputarent, & Christi mirabilia dicerent ad inuicem, & libenter audirent: Dominicâ die adueniente, ambo pariter crediderunt in Christum. Quos assumens Vigilantius, perduxit ad quemdam presbyterum sanctum, nomine Bonosum, qui persecutionis atrocitatem deuitans, in quodam secreto loco occultè degebat. Qui orans pro eis sufficienter, & catechizans eos, eadem hora catechumenos fecit. Igitur cum inde egressi fuissent, cœperunt dicere ad Vigilantium: Ecce adimpleuimus ea, quæ in libro illo, quem nobis dedisti, continentur: veni modò, & thesaurum illum ostende nobis, quem Astion noster, vt ipse affirmasti, tibi commendauit. Et Vigilantius: Sequimini me, ego eum vobis sine morâ aliquâ demonstrabo. Sed interim eum habeo absconditum, & nescio, si modò possum eum inde eiicere. Ergo, si vobis placet, de noctibus eamus ad locum, & vsque ad lucem ibidem permaneamus operantes, forsitan poterimus eum inuenire, eò quòd satis illum in profundo abscondi. Et cùm sol declinasset, assumens eos Vigilantius, foras ciuitatem cum illis egreditur. Et peruenientes ad sepulchrum Sanctorum, admonet eos, secum totam noctem in orationibus vigilare. Cumque iam aurora ascenderet, & lucere inciperet dies, ecce vident subitò circa se lumen refulsisse immensum, ac nimium suauitatis odorem fragrare, sanctosque Martyres, qui iam dormierant, in corpore iuxta se consistere, ac Dominum secum collaudare. Tunc sanctus Astion irruens in amplexibus matris suæ,

Parentes Astionis à Bonoso presbytero catechesi instruuntur.

Orant in loco Martyrum.

Apparet Astion & Epictetus parentibus.

suæ, cœpit osculari eam, dicens: Benè aduenisti ex Orientis partibus, ô discipula Christi, & mea mater Marcellina. Similiter & beatissimus Epictetus, apprehenso capite viri eius, exosculabatur eum, dicens: Lætare in Domino, ô dulcissime frater Alexander, eò quòd dignus habitus es in numero fidelium deputari, & perennem beatitudinem promereri. Sed & ad Vigilantium dixerunt: Gaude & tu in Domino, ô dulcissime frater Vigilanti, eò quòd dignus effectus es, vt impleatur in te, quod scriptum est: Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

CAP. XXVI. Tunc sanctus Astion hoc modo cœpit dicere ad matrem: O dulcissima ac benedicta domina mea mater, illa omnia quę in sacrosancto Euangelio Christi Domini nostri scripta sunt, vera sunt & firma. Festina ergo ea sine morâ aliquâ adimplere: vt ea quæ illic scripta sunt, consequi promerearis. Igitur portionem mihi de tuâ substantiâ obtingentem,[11] pro meâ requie ac tuâ salute pauperibus diuide ac distribue: vt sic merearis cum iustitiæ coronâ & bonis operibus decorata ad nos peruenire. Et mater: Benè, inquit, haberis à Rege tuo, seu à familiaribus eius, dulcissime fili? Respondit Astion: In tantum dego benè, vt qualiter tibi exponam nesciam: filium namque suum Dominus ac Deus noster, ex seruo per suam gratiâ me adoptauit: in ciuitate suâ mansionem mihi tribuit: in palatio suo militare me fecit: inter senatores maximam dignitatem mihi condonauit: paradisi amœnitatem mihi ad delicias tradidit. Sed & ministri eius tamquam de suis me habere dignati sunt, ac diligunt. Pergo namque cum eis per singulos dies ad visitandum infirmos, ad eleuandum elisos, ad illuminandum cæcos, ad saluandum periclitantes in mari, ad expugnandum gentes barbaras prælиantes in terra: ad consolandum mœstos, ad defendendum impotentes, atque effugandos dæmones de obsessis corporibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Sed & quotidie de vobis mihi præcipiunt, dicentes: Admone patrem tuum & matrem, vt ad hæc perueniant loca. Et mater: Agnoscunt itaque nos, fili mi? Respondit sanctus Astion, & dixit: Nimiùm vos diligunt & agnoscunt, domina mater: tantùm si vestra voluntas est agnoscere eos, vt ad illam beatitudinem sine aliquâ dubitatione possitis peruenire. Et mater præ nimio gaudio feriens pectus suum, dicebat: Putas quandoque infelix & misera illuc perueniam? Et beatissimus Astion respondit: Si credideris perfectè in Iesum Christum Dominum ac Deum nostrum, quemadmodum credidit Vigilantius, atque omnia bona tua distribueris indigentibus, sine dubio & viuere & exultare habes mecum in illâ, in quâ & ego dego, beatitudine sempiternâ. Cumque his & huiuscemodi verbis athletæ Christi instructi essent, recesserunt ab eis.

Astion bona sua pauperibus distribui petit.

Sanctorum in cælis de viuorum salute cura.

C. XXVII. Igitur cùm quadragesima dormitionis eorum dies illuxisset, & Christi pontifex Euangelicus in vrbem Almiridensium deuenisset: assumens eos Vigilantius vnà cum sancto presbytero Bonoso, ad eum perduxerunt, exponentesque illi per ordinem cuncta quæ acta fuissent, rogabant, vt in numero fidelium eos Christo consecraret. At ille nimium gauisus in Domino, assumens eos, & orans pro eis sufficienter, sacramentum Baptismi tradidit. Et exultans cum eis per dies octo, in aliam ciuitatem, quæ in proximo habetur, remeauit. Cumque sacerdos Domini inde remeasset, taliter ad Vigilantium Alexander & Marcellina dicere cœperunt: Multa beneficia tua erga nos habentur, ô dilectissime & nimiùm nobis amabilis frater, eò quòd per tuam salutiferam doctrinam iugum diaboli meruimus euadere, & ad Christi Saluatoris nostri notitiam peruenire. Siquidem nimis existis in sapientiâ gloriosus in sanctâ ecclesiâ, præclarus in doctrinæ gratiâ: perfectam habens dilectionem erga sancti Euangelij religionem, & nimium amorem in peregrinorum susceptione, inenarrabilem beneuolentiam circa impotentium defensionem, seu infirmorum visitationem: feruens fidei calore erga idolorum destructionem, vel sanctorum Martyrum amorem: ac secundùm tui nominis sacramentum, vigilans existis in cunctis bonis operibus propter Dei amorem. Igitur nihil aliud est de te pronuntiandum, nisi eo quòd vnus ex intimis Dei amicis haberis. Et hæc dicentes, tam eum quàm sanctum ac venerabilem presbyterum Bonosum ducentes secum ad propriam ciuitatem, hilares animo, & perfecti in Domino remearunt: atque vniuersa bona sua egentibus distribuentes, glorificabant Deum Patrem omnipotentem, qui eos de tenebris ad cognitionis suæ lumen perducere dignatus est.

Baptizantur parentes Astionis.

Bona sua distribuunt in pauperes.

Pertulerunt autem martyrium sancti atque athletæ Christi, Epictetus presbyter & Astion monachus in Almiridensium ciuitate, octauâ die mensis Iulij, temporibus Diocletiani tyranni, sub duce Latroniano. Secundùm nos verò, regnante in cælis Iesu Christo Saluatore nostro: quem decet gloria & imperium vnà cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

NOTATIO.

1 EPICTETI PRESBYTERI ET ASTIONIS MONACHI.] *Horum Sanctorum nullibi in tabulis Ecclesiasticis mentionem inuenio, praterquam in Florario SS. manuscripto, vbi ita habetur,* VIII. *Iulij:* In Oriente sanctorum martyrum Epicteti & Astionis pro Christo interfectorum sub Diocletiano Imp. quorum miri actus & passiones leguntur. Passi sunt anno salutis CCXC. *Idem dies assignatur in Martyrologio Vsuardi aucto à Carthusianis Coloniensibus anno* M.D.XXI. *Ex hac autem Vitâ citat exemplum Speculum Exemplorum distinct.* IIX. *qua est ex Vitis Sanctorum, exemp.* XXI. *quod hîc habetur cap.* XI.

Huius Vita nullum exemplar manuscriptum habui, prater vnum ex ecclesiâ S. Saluatoris Vltraiecti, à recenti manu. Nullum quoque impressum, prater vnum Coloniense in Vitis-Patrum. Nam reliqua editiones hac Vitâ carent.

CAP. I. 2. DIOCLETIANI PROFANISSIMI IMPERATORIS.] *Editus addebat:* qui regnauit circa annos Domini CXC. *quod deest manuscripto, & planè erroneus est numerus.*

CAP. III. 3. EGO.] *Qua sequuntur vsque ad* Ecce, *deerant in edito. Quadam ex narratis historiis conueniunt quidem temporibus Diocletiani, & eo superioribus: quadam tamen videntur Diocletiano posteriores. Vnde colligeretur, assumentum hîc aliquod accessisse.*

4. VIGINTI QVATVOR LIBRI.] *Variè olim numerus initus Sacrorum librorum; pro quâ varietate locus hic intelligendus est.* CAP. V.

5. ALMIRIDENSIVM CIVITATEM.] *Scythia ciuitatem esse, Vita hac indicat. Vide Onomast.* CAP. VI.

6. GALILÆIS.] *Ita olim vocati Christiani. Lucianus in Philopatr. Vide Onomasticon.* CAP. VII.

7. LATRONIANI DVCIS.] *Scythia hoc tempore Dux vel Prases fuit iste Latronianus. De quo porrò inquirendum.* CAP. XI.

8. VINCVLATORIVM.] *Carcerem intelligit. Sic Graci vocant δεσμωτήριον, quòd ibi δεσμῶν* vinculorum *copia.* CAP. XII.

9. EVANGELICVS.] *Diuersissima Scytharum natio. Quidam ante tempora Diocletiani, quidam pòst conuersi. Iam Scytha aliqui ad Christum conuersi erant tempore Tertulliani, vt constat ex libro eius aduersus Iudaos cap.* VII. *&* VIII *Imò S. Philippus dicitur Scythia fidem intulisse, vt habet Breuiarium Romanum* I. *May. vt non mirum sit imperante Diocletiano Euangelicum fuisse Scythia episcopum.* CAP. XVI.

10. EPIBATÆ.] *Ita Hirtio dicuntur, qui naualibus operis as merent. Hic nauta intelliguntur.* CAP. XXI.

11. PRO MEA REQVIE.] *Sanè hac intellige, pro maiori videlicet gloriâ accidentali. Nam scitum illud ex Augustini serm.* XXII. *de verbis Apost.* Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. C. XXVI.

VITA
23. OCT. S. [1] MACARII ROMANI
SERVI DEI
qui inuentus est iuxta Paradisum,
AVCTORIBVS
[2] THEOPHILO, SERGIO, ET HYGINO.

CAP. I. GLORIA & magnificentia Deo soli benignissimo, qui per innumerabilia miraculorum exempla nos tepidos & indignos quotidie inuitat ad beatæ vitæ cælestis gaudia. Nos itaque miseri & humiles monachi Theophilus, Sergius & Hyginus, deprecamur vos omnes sanctissimos patres & fratres, vt accommodetis aures his, quæ vobis narraturi sumus de vitâ & conuersatione sanctissimi Macarij Romani, qui apparuit nobis prope Paradisum ad viginti miliaria. Et hoc rogamus, vt fidem dictis adhibeatis, qui quidem multò meliùs nobis fuisse credimus sub silentij portu innoxios remanere, quàm falsitatis reos puniri.

CAP. II. Igitur nos prætitulati fratres, Theophilus, Sergius & Hyginus propitiâ diuinitate abrenuntiantes sæculo, venimus ad monasterium, quod est in Mesopotamiâ Syriæ in medio duorum fluminum Tygris & Euphratis,

phratis, in quo vir clarissimus [3] Asclepion hegumenus, multorum extitit pater monachorum. Ibi denique coniungentes, à prænominato patre & omni cœtu fratrum gratanter suscepti, ac iugo regulæ colla submittentes, communi vitâ conuersati sumus.

CAP. III. *Synaxis expletur horâ nonâ.* * Sequētia desunt in Menæis, & à viris quibusdam doctis censentur apocrypha.

* Factum est autem tempore longo post hæc, [4] horâ nonâ quadam die synaxi expletâ, accedentes ad Euphratis fluminis littus, consedimus ibi, & aliquamdiu inter nos de sustinentiâ & conuersatione simul & labore seruorum Dei disputatum est. Tunc mihi misero Theophilo venit in mentem cogitatio: & respondens, dixi fratribus meis Sergio & Hygino: Velle mihi adest, ô fratres dilectissimi, cunctis vitæ meæ diebus ambulare, illoque ire, [5] vbi cælum terræ se coniungit. At illi, Te, inquiunt, frater Theophile, vt fratrem spiritalem semper habuimus, & priorem, & amodò nullatenus à te separabimur; nobis enim verba tua placent: idcircò, vbi corde concepisti, perge; & nos in vitâ & morte tecum erimus. Itaque surgentes de loco, intrauimus monasterium: factaque vesperâ, omnique diurni officij oratione completâ, ceteris quiescentibus clàm monasterio egressi sumus. Post hæc verò decem & septem dies ambulantes, [6] coniunximus Ierusalem, & sanctam resurrectionem IESV Christi & Crucem adorauimus. Deinde exeuntes in Bethlehem, vidimus & salutauimus sanctum Præsepe, vbi Christus nasci dignatus est, & vbi stella Magos addúxit, Christo munera deferentes: & vidimus locum mirabilem, vbi Angelus cum multitudine exercitus cælestis, gloriam in altissimis Deo canebat: qui locus ad duo milliaria longè à Bethlehem situs est. In montem quoque Olíueti ascendimus, & in ipso loco sancto adorauimus, vbi Christus pedibus stetit, quando eleuatus est, & à nube susceptus adscendit ad cælos. Exinde Ierusalem reuersi adorauimus Deum, & [7] consignantes nos & commendantes Christo & Sanctis eius, exiuimus non habentes iam animum & mentem in hoc sæculo.

Crucis adoratio. *Loca Ierosolymis religiosa visuntur.* *Ad ingressum itineris signant se signo Crucis.*

CAP. IV. Igitur nos Christi comitante gratiâ, viam continuò aggredientes, ac quinquagesimo die fluminis Tygris alueum pertranseuntes, terram Persarum ingressi sumus, & venimus in campum magnum & planitiosum vocabulo [8] Assia, in quo martyr Christi Mercurius apostatam Iulianum peremisse legitur. Deinde ciuitatem Persidis, nomine [9] Kitissefodo, intrantes, in quâ tres pueri Ananias Azarias, Misaël requiescunt, nō longè à Babylone, adorauimus ibi; & in eodem loco manducantes, & Domino laudis hymnum offerentes, mansimus dies aliquot. Inde profecti post menses quatuor, pertransiuimus Persidis regionem, & Indiæ terram sumus ingressi. Ingredientes verò domum quamdam, & neminem ibi habitatorem reperientes, duos ibidem fecimus dies. Et ecce tertiâ post hæc die, apparuerunt aduenientes duo armati, vir & femina: nos verò nimio terrore perterriti, surreximus, illisque obuiàm ire deliberauimus. Ipsi autem nos videntes, simul & exploratores esse credentes, concito gradu per viam, quâ venerant, redierunt: & post aliquantulum congregati, de suis quasi tria millia Æthiopes aduenerunt. Qui festinanter domum, in quâ eramus orantes, vallo circumdantes, nosque cuncti aspicientes, per quatuor eiusdem domus angulos ignem copiosum applicuerunt, viuos nos cremare nitentes. Quod nos vt aspeximus, timore valido exterriti, Christum omnium Saluatorem inuocauimus, & in medium illorum prosiliuimus. Tunc ipsi linguâ suâ multum inuicem murmurantes, diuque contra nos frendentes, cùm neq; nos illos, nec ipsi nos vllatenus intelligere possemus, comprehendentes nos, in obscuro clauserunt carcere. Sedentibus ergo nobis in tenebris, non erat qui panem vel aquam tribueret. Nos denique cum lacrymis omnipotentis Dei creatoris omnium misericordiâ inuocare haud omisimus. Facientibus autem nobis ibi dies aliquot, iterùm congregati, cùm nos fame & siti exanimes credidissent, circumdederunt carcerem. Sed cùm orantes nos adspexissent, aperientes ianuam eduxerunt nos: & cùm multùm inter se murmurantes loquerentur, nouissimè cum [10] lignis agrestibus cædentes nos acriter, de finibus suis eiecerunt, & octoginta dies sine cibo expleuimus, sicut testis est nobis Deus.

Assia vbi S. Mercurius Iulianum interemit. *In Kitissefodo Ananias, Azarias, Misaël requiescūt.* *Periculum ab Æthiopibus.* *Octoginta dierum inedia.*

CAP. V. Eiecti itaque à finibus illis, iter fecimus dies multos in Orientem: & deuenimus in locum admirabilem, & campū gloriosum, qui arboribus altissimis plenus, & mellifluis fructibus abundabat. Denique nos glorificantes & laudantes Deum, manducauimus dulcifluos fructus, & saturauimus nos valdè. Itaque exeuntes inde, terram [11] Chananæorum ingressi sumus, qui ab aliis Cynocephali dicuntur: & videntes illos, in aspectu eorum valdè mirati sumus. Ipsi verò cum mulieribus suis & paruulis, subtus in petris habitantes, nos omnino non tetigerunt, Christi nos protegente gratiâ.

Terra Chananæorum.

CAP. VI. Inde igitur profecti contra Orientem, cùm centum & decem dies eos pertranseuntes, iter nostrum fecissemus: intrauimus terrā gentis, quæ nominatur [12] Pichiti: ipsa verò gens in staturâ & altitudine suâ non plus

Pichiti seu Pygmæi.

plus quàm mensuram vnius cubiti habebat. Et videntes nos, timore perculsi fugerunt. Nos autem Deum collaudantes, qui de illorum manibus nos liberauit, cursum nostrum quotidie accelerauimus.

CAP. VII. Post hæc autem deuenimus in montes altissimos terribilesque, vbi sol non intrat, nec arbor nec herba crescunt: ibi ergo serpentes innumerabiles, & dracones & aspides, sed & basiliscos, & viperas, & vnicornes, & bubalos vidimus multos: alias quoque bestias mortiferas multas, & venenosa animalia, quorum nomina vel naturam penitùs ignoramus. Dexterâ igitur Dei nos protegente, illæsi pertransiuimus illa; sed & sibilos draconum & serpentium per viginti continuos dies in auribus habuimus, & non nisi aures obturantes, illos ferre quiuimus.

In magnas itineris difficultates incidunt.

CAP. VIII. Intereà in locum incidimus terribilem, rupes habentem asperrimas, in altum erectas, & in ima descendentes. Nos ergo septem dies ibi fecimus, vltrà progredi non valentes. Septimâ autem post hæc die apparuit ceruus ante nos ambulans rugiendo, quem surgentes secuti sumus. Iter autem facientes, multò maiores inuenimus ante nos rupes. Nos verò maximo cum labore & angustiâ exinde euasimus, & venimus in campum planum & magnum, in quo elephantorum magna multitudo stabat: & per medium illorum illæsi transiuimus. Post hæc itaque minimè nobis apparuit via. Tunc nos cum lacrymis clementiam Domini inuocantes, & per nouem dies sine cibo per deuia ambulantes, coniunximus tamdem in locum planitie largum, qui fructibus plurimis abundabat. Iam ergo tenebræ densissimæ cuncta illa repleuerant loca: nec aliquid lucebat; sed nebulæ obscurissimæ erant. Tunc nos nimiùm turbati & afflicti, cadentes in terram cum planctu valido orantes clamauimus ad Deum, & in eodem loco dies septem compleuimus, non manducantes nec bibentes, nec lumen cæli videntes. Nobis autem valdè afflictis, & in oratione persistentibus, post dies septem affuit columba, quæ nobis appropinquans, ac diu circa nos volitans, & pennulas fortiter percutiens, quasi ad ambulandum nos confortabat. Tunc nos Deo agentes gratias, surreximus: illaque præcedente, per deuia iter fecimus: & ecce ante nos maximam inuenimus [13] absidam, in circuitu scriptam. Videntes verò scripturam illam, gauisi sumus, & collaudauimus Dominum. Hæc autem erat scriptura: ABSIDAM ISTAM FECIT ALEXANDER PHILIPPI MACEDO IMPERATOR, QVANDO PERSECVTVS EST DARIVM REGEM PERSARVM. QVI TERRAM HANC INGREDI VOLVERIT, AD MANVM SINISTRAM VADAT: AD DEXTERAM ENIM TERRA INVIA, ET RVPIBVS ET ANGVSTIIS EST PLENA.

Versantur in locis tenebrosis.

Septem dierum inedia.

Columba iter monstrat.

Absida inscripta ab Alexandro Magno, via index.

CAP. IX. Nos igitur ad læuam intrantes, ambulauimus dies multos. Et factum est post quadraginta dies, euntibus nobis venit pessimus & intolerabilis fœtor, ex quo velut exanimes effecti, & cadentes in terram, orauimus Dominum, vt iam clementer recipi iuberet animas nostras. Post modicum verò surgentes à terrâ, adspeximus lacum magnum, & multitudinem serpentium in eo ignitorum: & ex ipso lacu exierunt voces, & audiuimus vlulatum & planctum magnum, quasi populi innumerabilis, & de cælo vox sonuit, dicens: Locus iste iudicij & pœnarum est, in quo cruciantur qui Christum negauerunt. Nos autem vocem hanc audientes, & pectora percutientes cum lacrymis & timore nimio ipsum transiuimus lacum: & venimus inter montes duos altissimos, & in medio ipsorum apparuit nobis [14] homo longâ staturâ, quasi centum cubitorum, & ipse catenis constrictus æreis, toto ligatus erat corpore. Duæ autem catenæ de vnâ corporis parte, in monte vno erant fixæ, & duæ in monte altero, & ignis maximus in circuitu eius ex omni parte. Vox autem clamoris illius audiebatur, quasi per quadraginta milliaria. Qui vt nos vidit, plorans & eiulans fortissimè exclamauit: crudeliter enim ab igne cremabatur.

Locus iudicij & pœnarum.

Centum cubitorum homo catenis alligatus.

CAP. X. Cumque nos talia cerneremus, valdè pertimuimus: & cooperientes facies, à longè ipsos transiuimus montes: & ecce in alium continuò deuenimus locum, vbi rupes multæ & profunditas magna erat. Ibi etiam quamdam vidimus feminam crinibus solutis stantem, toto corpore à maximo & terribili dracone inuolutam. Quandocumque ergo ad loquendum os suum aperire voluisset, caput suum draco confestim in os eius mittens, linguam ipsius mordebat. Capilli autem huius mulieris ad terram vsque descendebant. Cumque in illam mirantes & pauidi aspiceremus, subitò de ipsâ profunditate vallis miserabiles audiuimus voces, dicentes: Miserere nobis, miserere Christe fili Dei altissimi. Nos itaque vehementer exterriti, ponentes genua in terram orauimus, dicentes cum lacrymis: Domine, qui nos creasti, tolle animas nostras, quoniam iudicia tua oculi nostri viderunt in terrâ.

Mulier dracone circumuoluta.

CAP. XI. Surgentes autem, ingenti luctu, & mœrore simul & timore venimus in locum alium, in quo arbores multas & maximas vidimus, habentes similitudinem ficorum:

in

Volatilia loquentia. in ramis autem ipsis [15] volatilia multa, similia auibus cæli, voce humanâ fortiter » clamabant, dicentia: Parce nobis, Domi» ne, qui plasmasti nos; parce nobis, miseri» cors: quid peccauimus ante faciem tuam, » super omnem terram. Nos autem orauimus: dicentes: Domine misericordissime, » ostende nobis ista, quæ vidimus, miracula » tua, quoniam ignoramus, quid sint. Venit » ergo vox dicens: Non est vestrûm nosse » mysteria, quæ vidistis: viam pergite ve» stram.

CAP. XII. Inde igitur cum ingenti pauore egressi, „ deuenimus ad locum honorabiliorem ac „ speciosissimum, in quo quatuor viri sta- *Quatuor viri cum igne & gladio viam muniunt.* bant, habentes figuras venerabiles, tamquam mirâ pulchritudine decoras, vt credi aut fari omnino facilè vix possit: isti siquidem coronas aureas, gemmis & lapidibus » honorificè compositas, in capitibus habe» bant, & in manibus palmas aureas gesta» bant: ignis verò maximus ac terribilis ante » illos, & spathas acutissimas ante se tene» bant. Nos verò ista cernentes, ac valido » perculsi timore, exclamauimus ad illos, di» centes: Domini & serui Dei excelsi, mise» remini nostri, vt spathæ & iste ignis nobis » non præualeant nocere. At illi responden» tes nobis, dixerunt: Nolite timere, viam » quam vobis Deus demonstrauit, ite securi: » nos enim Dominus in isto posuit loco, vt » viam hanc seruaremus & custodiremus, » vsque in diem iudicij, quando orbem terræ » iudicaturus adueniet.

CAP. XIII. Hæc nos audientes à sanctis viris illis, ac » de longè eos salutantes, pertransiuimus lo» cum ipsum: & per quadraginta continuos *Quadraginta dierum inedia.* dies ambulauimus, nullum omnino cibum sumentes, aquam tantùm bibentes. Am„ bulantibus ergo nobis, [16] subitò voces po„ puli innumerabilis audiuimus psallentium, „ & odor suauissimus, quasi balsami optimi „ & pretiosissimi, venit nobis, & sicut de „ mellis fauo dulcissimo, os nostrum indulco„ rauit. De suauissimo igitur odoris necta„ re, ac cælestis melodiâ cantilenæ sopor nos „ arripuit. Post modicum autem surgentes è „ somno, vidimus ante nos ecclesiam, mira- *Ecclesia crystallina admiranda.* bili ornatu decoratam, ac pretiosissimam, quæ tota quasi crystallina videbatur, in medio autem ipsius ecclesiæ altare honorifi» cum, & de altari aqua egrediebatur, quæ » lactis candidissimi colorem habebat. Nos » autem aquam ipsam in veritate lac speraui» mus. In circuitu verò fontis illius, stabant » viri sancti & honorabiles, & cantabant » canticum cæleste, id est, voces Cherubim. » Nos autem hæc intuentes, timuimus val» dè. Ipsa verò ecclesia à parte Meridianâ similitudinem habebat lapidis prasini pretiosi, à parte Australi colorem sanguinis " mundissimi prætendebat, à parte autem " Occidentali tota erat alba, instar lactis & ni" uis candidissimæ: stellæ super ipsam eccle" siam plus quàm huius mundi sidera luce" bant, sol ibi septemplicior lucebat & cale" bat, quàm in huius terræ regione: alpes & ar" bores omnes plus altæ, & folia ac fructus plu" res & dulciores, quàm istius mundi arbores " habebant: sed & aues cæli aliter resonabant, " quàm aues terræ istius: omnis autem terra " ipsa duplices habebat colores, id est, vna fa" cies alba erat vt nix, & alia rubicundissimis " coloribus erat. Nos igitur stupentes, & in " eodem loco adorantes, ac ipsos viros salu" tantes, cum timore egressi, cœptum iter ar" ripere festinauimus. "

CAP. XIV. Denique post hæc centum impleti sunt dies, vt Dominus testis est nobis, quòd nul- *Centum dierum inedia.* lo refecti sumus cibo, aquâ nos frequentiùs refocillantes: cùm ecce subitò euntibus no" bis, venit populi innumerabilis multitudo " virorum ac mulierum obuiàm, in vnum *Homines cubitales seu Pychiti & Pygmæi.* conglobati: non autem inter illos longiorem, præterquàm vnius cubiti staturam, vidimus. Igitur visis illis, valdè pertimui" mus. Tunc miserabilis ego peccator Theo" philus dixi fratribus meis Sergio & Hygi" no: Soluentes capillos nostros, veniamus " aduersus eos, forsitan fugient à nobis, & " liberabit nos Dominus de manibus illo" rum. Quod cùm ipsis visum fuisset bonum, " solutis fasciolis & capillis nostris, irrui" mus super eos repentè, ipsi autem hoc cer" nentes, confestim filios suos arripientes, stri" dentesque dentibus, citiùs aufugerunt om" nes. Nos autem Dominum collaudaui" mus, qui eripuit nos: & transeuntes flumen, " inuenimus herbas candidas & albas, sicut " lac, dulces velut mel, altas verò vsque ad " vnum cubitum. Manducantes itaque de " herbis mellifluis, ac nos saturantes ex eis, " gratiarum actiones Creatori omnium obtu" limus, qui nos per tanta seruauit pericu" la, ac gratuitâ nos suâ gratiâ nutriebat. Nos " intereà iter agentes per deuia, subitò semi" tam inuenimus speciosam: & cadentes in " terram, adorauimus & collaudauimus Do" minum misericordem, qui eam nobis de" monstrauit.

CAP. XV. Igitur per dies plurimos ipsam viam sequentes, tandem ad speluncam peruenimus honorabilem. Tunc signaculo sanctæ *Signo Crucis membra muniunt.* crucis membris vndique munitis, in eamdem ingressi sumus cryptam, sed nullum ibi inuenientes habitatorem, diximus inter nos: Munditia hæc non est, nisi de manu hominis. Maneamus ergo hîc, vsque ad vespe-

vesperam, & videre habebimus loci huius habitatorem. His ergo dictis, vnâ horâ, vtpote lassi, resedimus, & subitò odore suauissimo perfusi, obdormiuimus. Rursum igitur paruo interuallo excitati à somno, foràs speluncam exiuimus, & contra Orientem respeximus: & ecce subitò figuram hominis à longè properantis vidimus, cuius capilli capitis, instar lactis candidissimi aut niuis, quasi in aëra volantes, totum viri corpus operuerunt. Ipse autem mox, vt nos à longè respexit, semetipsum in terram proiecit protinùs, ac rursum eleuans se, ad nos ita clamare cœpit: Si vos ex Deo estis, sanctæ Crucis signaculo munite vos, ad me vsque properantes: sin autem ex diabolo, fugite à me Dei seruo. Hæc eo dicente, tali voce affati sumus: Benedic nobis, pater sancte, & noli turbari: quoniam & nos serui sumus Iesu Christi, Domini & Saluatoris nostri. Renuntiauimus siquidem sæculo huic vano, factique sumus monachi. Talia vt audiuit, illicò ad nos venit: & manus suas ad cælum eleuans, diutiùs orauit: & surgens ab oratione, capillos ab ore & facie suâ tollens, benedixit nos, ac locutus est nobis. [17] Ipsius verò capilli capitis ac barbæ, erant candidi vt lac, faciesque eius, sicut vultus Angeli. Erat enim sicut lignum, secus aquarum decursus plantatum, & præ senectute nimiâ, oculi eius non aperiebantur, eò quòd supercilia eos cooperiebant: vngulæ quoque manuum eius ac pedum longæ nimis, barba verò & capilli, corpus eius omne circumdederunt: loquela illius exilis, & quasi de profunditate emissa: cutis faciei eius quasi pellis testudinis.

Spelunca Macarij Romani. *Signaculum Crucis.* *Forma habitusque Macarij.* Psal. 1.

CAP. XVI. Tunc ipse cum lacrymis ad nos exorsus est ita: Fratres mei benedicti, vnde estis? vel vnde huc aduenistis? dicite nobis, qualiter se habeat genus humanum, vel quomodo fides Christianorum, & si Sarraceni vel Ethnici hactenus Christi populo persecutionem ingerunt. Nos itaque vt interrogati sumus, ei per ordinem responsum dedimus, simul dicentes angustias & pericula, quæ per omnem passi sumus viam, & quia voluntas ac desiderium esset ire, vbi cælum terræ se iungit, aperuimus. Ipse autem ad hæc respondens, ait: Filioli mei charissimi, audite me. Ab isto loco vltrà ad paradisi loca non potest ire homo carne vestitus. Ego enim peccator exiguus, valdè in hac etiam voluntate laboraui, cupiens vltrà procedere, vt finem terræ ac poli cernere quiuissem, sed nocte quadam adstitit mihi in visu Domini Angelus, dixitque ad me: Ne vltrà procedas, neque Dominum tentare præsumas. Cui ego: Quam ob caussam, inquam, mi Domine, in anteà pergere non licet? At ille: De isto, inquit, loco viginti sunt milliaria vsque ad paradisum, vbi Adam & Eua in delicijs erant. Posuit denique Dominus ante eumdem paradisum [18] Cherubim cum igneâ rhomphæâ atque volubili, ad custodiendum vitæ lignum: & habet à pedibus vsque ad vmbilicum similitudinem hominis, pectus sicut pectus leonis, manum sicut crystallum, habens gladium vt seruet paradisum, ne aliquis illuc proximare valeat. Ego itaque hæc audiens ab Angelo, amplius non respondi, nec vltrà procedere tentaui. Igitur ego Theophilus, & itineris mei socij ac fratres, ista à sancto audientes, prostrato omni corpore, collaudauimus Dominum, & ipsum seruum Christi salutauimus.

Paradisus terrestris inaccessus. *Cherubim paradisi custos.* Gen. 3.

C. XVII. Vespere autem facto, dixit nobis: Fratres mei dilectissimi, exite foràs cellulam, & exspectate paululùm: habeo enim leones duos, [19] qui per diem foràs ambulantes, serò ad me reuertuntur, ne ipsis subitò venientibus, mali aliquid patiamini ab eis. Nobis ergo cum pauore paululùm exeuntibus, leones rugiendo extemplò aduenerunt, & ipsum sanctum Dei adorauerunt. Ipse verò manus super eos ponens, ac colla demulcens, ait illis: Filioli mei, boni fratres tres de sæculo venerunt ad nos, ne faciatis illis malum. Continuò nos aduocans, dixit: Fratres venite, & iam timere nolite. Nos verò cum pauore nimio intrantes, salutauimus illum, & vespertinâ synaxi celebratâ, resedimus, glandes ac herbarum radices pro cibo sumentes, & aquam bibentes cum silentio. Manè autem facto, locuti sumus viro sancto, dicentes: Pater sancte & domine, obsecramus tuam beatitudinem, vt conuersationem tuam nobis enarres, & quomodo huc, aut vnde venisti, & quo nomine voceris, edicito nobis.

Leones familiares S. Macario. *Vespertina synaxis.*

CAP. XVIII. At sanctus nobis tale dedit responsum: Ego, inquit, mi amantissimi fratres & filij, Macarius vocor, in regali ciuitate natus & nutritus, filius viri Romani, qui inclytus fuit, & in imperiali pollebat ciuitate. Cùm autem pueriles excessissem annos, me renuente ac nolente, pater meus desponsauit mihi vxorem, diemque statuit nuptiarum. Intereà thalamo adornato, cùm iam frequentia populi fuisset inuitata, & sponsâ sedente, pater meus hilarior effectus, cunctos inuitatos hortatur ad voluptatem conuiuij. Omnibus autem, qui aderant, iocis ac saltationibus intentis, furtim exiui, & domum viduæ cuiusdam familiaris intraui, ac septem dies cum illâ latitans permansi.

Sanctus Macarius à nuptiis fugit.

Ipsa

Ipsa autem diebus singulis domum patris mei ingressa, audiuit quæ de meâ inquisitione loquebantur: & veniens, cuncta mihi replicans dixit. Pater autem meus cùm me vndique requirendo non inueniret, fleuit amarissimè, sed & mater, ac tota familia. Octauâ exinde die, id est, nocte Dominicâ, mulierem illam salutaui, & egressus in publicam viam, inueni virum quemdam canitie venerabilem, quasi ad ambulandum paratum stantem. Quem adorans, dixi: Quò pergere habes, senior sancte? At ille hilari vultu ad me conuersus, dixit: Quò tu ire desideras, ego tecum ire dispono, eò quòd itinera ipsa mihi oppidò sunt cognita. Tunc ego confortatus, cœpi hominem sequi. Per domos verò exinde intrantes vicinas, per viam panem rogauimus accipere, & accepimus. Per plurimos autem dies ambulantes, tandem peruenimus ad locum tormentorum, & intrauimus angustias viarum omnium, vnde vos venire dixistis. Cùm ergo ad triginta milliaria prope locum istum venissemus, quadam die sedentibus nobis, inter ipsa mutua colloquia, repentè socius meus disparuit. Tunc ego nimiùm turbatus, & quò me verterem, ignarus, cadens in terram, plangebam validissimè. Et ecce confestim sine morâ is, qui antè dispauit, cum magnâ claritate apparuit, & ita affatus est me: Noli turbari, dilectissime, ego enim sum angelus [20] Raphaël, in adiutorium tibi missus, qui te huc perduxi præcepto Altissimi. Dominus autem viam tuam prosperam fecit. Loca siquidem tenebrarum, loca tormentorum, loca pœnarum pertransisti, in lucem venisti, fontem aquæ viuæ & loca iustorum vidisti: idcircò noli timere, sed surgens, viam tuam proficiscere. Quo dicto, rursus qui apparuit, disparuit.

Raphaël dux S. Macarij.

CAP. XIX.

Ab onagro in viâ dirigitur.

Ego verò intereà viribus receptis, surgens ambulare cœpi, & à longè onagrum intuitus, clamaui, dixique illi: Aue, per Christum, qui te creauit, ostende mihi viam, per quam ambulem: ipse autem concitè occurrens, ingressus est ante me per semitam quamdam paruulam & angustam. Quem ego subsecutus sum, sicque duos compleuimus dies, simul ambulantes. Die autem tertiâ adspeximus ceruum miræ magnitudinis à longè. Quem onager videns & pertimescens, declinauit à me: iterùm ego solus relictus, angustiatus sum, viam omnino non habens. Tunc contra ceruum clamans, dixi: Quia adiutorium mihi tulisti, per Deum te coniuro, semitam mihi ostende. Ad hanc vocem veluti animal domesticum ad me declinans, angustum ingressns ad callem, post tergum me semper adspiciens. Sic ergo tres insimul ambulauimus dies. Tum ecce quartâ die immensum ac terribilem offendimus draconem, mediam distentum per viam. Quem vt ceruus vidit, repentè fugâ elapsus euasit. Ego interim timore valido perculsus, in terram cecidi: deinde confortatus in Domino, surrexi: ac me signo sanctæ Crucis muniens, ad draconem dixi: Deum omnipotentem time, & noli mihi nocere. Tunc ipse terribiliter de terrâ se erigens, humana me affatus est voce, dicens: Veni benedicte domine, tu enim es seruus Dei altissimi Macarius. Angelus autem sanctus Raphaël, figuram & vultum tuum mihi demonstrans, præcepit concitè, vt tibi occurrerem, atque perducerem in locum à Deo tibi præparatum. Ego itaque quarto hodie die te hîc exspectaui, nihil omnino comedens. Hac verò nocte in nube lucidissimâ te sedentem adspexi, simul & vocem desuper audiui, dicentem mihi: Accelera, vt eripias Macarium seruum Dei, qui adest, vt tibi prædixi. Quapropter surgens, sequere me, ne dubites, sed veni, & locum monstrabo tibi, vbi Dominum debeas collaudare. His ergo dictis, quasi vir iuuenis apparuit, & mecum ad speluncam hanc vsque peruenit. Cumque ingressi fuissemus, repentè euanuit.

Signaculo Crucis draconem sine noxâ euadit.

CAP. XX.

Tunc ego peccator in parte alterâ prospexi duos leonis catulos iacentes, mater autem illorum iuxta illos mortua iacebat. Quam ego foras eiiciens, sepeliui, & Dominum collaudans, glorificaui, qui tanta in me mirabilia fecit, & de tam grauibus angustiis liberauit, ipsos autem leunculos, frondes arborum decerpens ac illis porrigens, vt proprios enutriui filios; sicque duos annos insimul quietè habitantes compleuimus. Cùm ecce post hæc laqueus diaboli, cuius numquam à seruis Dei cessat inuidia, affuit. Nam die quadam, horâ quasi septimâ, è speluncâ foras egressus, sole feruescente resedi: tunc subitò subtile [21] fasciolum & oculis delectabile, iuxta me in terrâ positum adspexi. Ego verò in memetipso cogitans dixi, Vnde in hac solitudine fasciolum? Æstimans tamen quia in veritate esset fasciolum, oblitusque ego miserrimus me signo Crucis munire, quoniam quidem sacrosanctæ Crucis signaculum omnem inimici eneruat phantasiam, misi manum, & leuans fasciolum reportaui in speluncam. Alterâ nihilominùs die egressus, [22] calceos femineos repperi iacentes in terrâ: sed nec tunc miser ego insidias diaboli aduertens, nec Crucis vexillo me muniens, calceos leuaui, & in speluncam portans, fasciolo iunxi.

Signaculum Crucis omnem inimici eneruat phantasiam.

Tertiâ autem iam die iterùm exiens, diabolum in decore vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, stantem inueni: ego verò miserabilis nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, aio ad illam: Vnde huc aduenisti? aut quis te in hanc adduxit solitudinem? Illa continuò flere amarissimè cœpit. Tunc ego misellus, simul cum illâ veluti compatiendo valdè plorauì. Post hæc respondens dixit: Ego miserrima, ô pater sanctissime, filia sum viri Romani: quæ cùm me inuitam ac nolentem desponsasset iuueni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, & thalamum ac conuiuium ordinarent, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cumque turbati omnes, huc illucque eum inquirendo, turbarentur, ego gauisa effecta, clàm exij: & nocte eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens, per angusta montium ac vallium errando hucusque perueni. Hæc ego cùm audissem, & omnia ita esse credidissem, simul & sponsam meam fore sperans, per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi speluncam: lacrymæ verò ab eius oculis nullatenus cessabant. Tunc ego miserijs & lacrymis eius compatiens, & valdè super eam dolens, sedere eam iuxta me feci: similiter & glandes illi ad manducandum præbui; non enim insidias diaboli intellexi, neque vllatenus Crucis me signo muniui: sed similiter sedentes, diutiùs colloquia habuimus. Tunc cœpi quasi de labore nimio somno grauari: at illa manibus suis mea omnia membra mulcendo palpauit, & eò ampliùs somno grauatus sum. Quid morer? miser ego, qui anteà numquam cum feminâ peccare consensi, in somnis me peccatum perpetrasse cognoui: nam subitò expergefactus è somno, quasi cum feminâ discoopertum me in terrâ iacentem inueni, ipsa iam verò non apparuit.

Diabolus mulieris specie apparet.

Decipitur Macarius.

CAP XXI.

Tunc infelix ego insidias diaboli serò aduertens, foras speluncam citiùs exiui, & pectus feriens, ingentes lacrymas fudi. Ipsi intereà leones, qui mecum aderant, meum intelligentes delictum, quantocyùs fugerunt à me. Hæc autem cùm cernerem, fugisse scilicet leones, cum luctu nimio ac dolore, cœpi Christi misericordiam deuotè inuocare, quatenus & mihi pœnitentiæ normam ostenderet, ac leones redire iuberet. Nec mora, clementissimus Pater, qui me ad pœnitentiam seruare voluit, illos confestim fecit redire leones, mecumque ingressi in hanc speluncam, humum pedibus suis ad vnius staturam hominis aggerebant: ego autem hæc intelligens, collotenus ipsam intraui fossam, ipsis imperans leonibus, vt in eodem me sepelirent loco. Quod cùm factum fuisset, annos tres sepultus in eadem fossâ peregi. Intereà ingenti pluuiâ descendente, rupta est spelunca desuper caput meum vbi stabam, & lucem vidi, & foras manus emittens, herbas quæ in circuitu super caput erant, decerpsi & comedi. Tribus itaque annis euolutis, affuerunt leones, & lumen circa me videntes, effodiebant humum in quâ me sepelierunt, ego quidem toto corpore sanus egressus sum, virtutem pristinam in me sentiens. Tunc glorificans Dominum meum Iesum Christum, exiui de speluncâ, ponensque genua mea in terrâ, quadraginta dies & quadraginta noctes in eodem immobilis permansi loco, collaudans & obsecrans Deum, & gratiarum actiones offerens, qui tanta misericordiarum munera nobis peccatoribus iugiter præstat.

Leones fugiunt post peccatum à Macario perpetratum.

Collotenus triennio in terrâ stat sepultus Macarius.

CAP. XXII

His ergo completis diebus, respexi in speluncam, & ecce quatuor anguli eiusdem speluncæ, lumine cælesti resplenduerunt valdè: & vidi Saluatorem Christum in schemate viri, quasi auream habentem in manibus virgam, ac dulcisonâ voce mirabilem cantum personantem; vox autem illius vehemens & fortis, quasi mille hominum audiebatur. Cùm verò iam melodiæ cælestis cantici explerentur, repentè vox tribus vicibus insonuit, dicens: Amen, & in sempiternum amen. In ipsâ igitur horâ egressus à speluncâ Saluator, scandebat ad æthera, & ecce continuò maxima ignis columna, quasi nubes valida, intrauit speluncam, & facta sunt tonitrua, & immensæ coruscationes, & omnia cæli volatilia secundùm proprias audiui voces canere, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus. Ego itaque dum hæc cernerem, simulque audirem, propter visionis magnitudinem territus valdè sum, & in extasi raptus, cecidi in terram, & octo dies inde permansi, tunc namque intellexi, quia Saluator mundi Christus Dominus hanc ingressus speluncam benedixerit, illamque sanctificauerit. Tunc ego introgressus in eam, pro ignorantiâ propriâ ac negligentiâ, cœpi satisfacere, collaudans & glorificans Christum Saluatorem ac redemptorem nostrum, & creatorem omnium, qui tantâ me sustinuit patientiâ, & perduxit ad pœnitentiam, & rursus talem mihi demonstrauit clementiam. Quando autem hæc acta sunt, septem in hac speluncâ, ætatis verò quadraginta annorum habebam.

Christus ei apparet in speluncâ.

Ecce nunc vobis, velut filijs charissimis, omnem vitam meam in veritate enarraui.

Vos

Vos ergo, si pugnas vel insidias maligni hostis sufferre potestis, considerate, & hîc nobiscum manete: sin aliàs, ad monasterium, de quo egressi estis, reuertimini, & Dominus sit in itinere vestro.

C.XXIII. Nos autem cùm ista à sancto Dei audissemus, cadentes in terram, glorificauimus Dominum, qui facit mirabilia solus, & ad sanctum seruúmque Christi locuti sumus Macarium, dicentes: Pater beatissime Macari, ora pro nobis ad Dominum, vt ad nostrum remeare possimus monasterium, atque conuersationem tuam sanctam per omnes Christi ecclesias enarrare: credimus enim, quia Dominus idcircò nos perduxit ad te. Tunc senior diutiùs super nos orationem fudit, & fusâ oratione, benedixit atque osculatus est nos omnes, & commendauit Christo, vt in pace dirigeret viam nostram, deinde tradidit nos leonibus illis, præcipiens eis, vt transducerent nos, quousque loca tenebrarum pertransiremus, vbi pridem septem dies, & totidem noctes in tenebris iacuimus. Dimissi ergo à seruo Christi sancto Macario, prosperè ad absidam Alexandri peruenimus, vbi leones salutantes nos, concito gradu reuersi sunt ad seruum Dei.

Benedicti à Macario, leonibus ducibus ad monasterium reuertuntur.

CAP.XXIV. Igitur fauente Christo Deo, sine angustiâ aliquâ nostram ambulauimus viam, & introëuntes terram Persarum, venimus in campum mirabilem, qui dicitur Assia, vbi sanctus Mercurius interfecit apostatam Iulianum, & ingressi denuò sumus ciuitatem Kitissefodo, in quâ pueri tres requiescunt, non longè à Babylone. Post hæc Tigrim flumen pertranseuntes, quintodecimo die intrauimus Ierusalem, & ad sepulcrum Domini nostri IESV Christi, per cuncta loca sancta sanctorum orantes, gratiarum actiones Christo Saluatori omnium libauimus, qui nos suâ gratiâ incolumes seruauit euntes & redeuntes. Inde igitur egressi, veloci cursu ad nostrum peruenimus monasterium; & nostrum hegumenum, & fratres nostros omnes in pace & sospitate reperientes, per ordinem, quæ vidimus & audiuimus mirabilia, & misericordias Domini, sed & vitam & conuersationem beatissimi Macarij illis enarrauimus. Quotquot autem hæc audiebant, laudabant & glorificabant, & hymnum dicebant Deo Patri omnipotenti, & Filio eius vnigenito, Domino ac Saluatori nostro, nec non & Spiritui viuificatori & illuminatori animarum nostrarum, qui trinus in personis, vnaque Deitate nominatur, viuit & regnat vbique Deus benedictus & laudabilis, nunc & semper, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

Fratribus visa narrant.

NOTATIO.

1 MACARII ROMANI.] *Nulla huius mentio in Martyrologio Romano: Menologium Græcorum* XXIII. *Octobris:* Eodem die commemoratio S.P.N. Macarij Romani. *Menæa fusè eodem die Acta eius exprimunt, quæ cum his nostris planè conueniunt. In Menæis, tamen peregrinatio & itinerum difficultates, quas tres peregrinantes Vitæ huius auctores subière, omittuntur. Vnicum Vitæ huius MS. exemplar habui ex Abbatiâ Einhamensi, charactere planè recenti.*

Baronius in Martyrologio Romano ad diem XI. *Ianuarij, existimat de hoc Macario Romano agere Palladium, dum cap.* CXXIII. *enumerat eos, qui ad Pinianum maritum paruæ Melaniæ, quæ nunc in Siciliæ, nunc in Campaniæ agris exercebatur, accesserunt:* Similiter, *inquit*, etiam quidam nomine Macarius ex vicariâ. *Baronius hîc intelligit vicariam præfecturam. rectè, quòd ex eâ monasticam vitam amplexus sit.*

Non existimo tamen Macarium hunc nostrum Romanum, eumdem esse cum Macario Palladij: imò potiùs Macarium Palladij esse eum, cuius meminit Ruffinus in Apologiâ suâ. Vide dicenda ad Palladium. Baronius ait Acta hæc, auctore Theophilo, minùs probari; quæ autem in Actis offendant, non exprimit. Ego ea passus sum in hac editione comparere, quia hactenus in omnibus editionibus prodierunt. Et verò Menæa Græcorum ea quoque suo inserunt Officio, & Gratianus XXVII. *q.* II. *cap.* XXVI. *ex eis testimonium citat. Acta igitur hæc cum Menæis comparaui, vt appareat in quibus Græci cum Latinis conueniant. Erunt fortasse, qui ea saltem amplectenda censeant, in quibus vtrique consentiunt. Vertit ea ex Menæis Raderus noster, & Viridario suo Sanctorum parte* I. *inseruit.*

Quòd si D. Hieronymus in Vitâ Pauli primi eremitæ ad hanc historiam (in quâ cap. XV. *dicitur,* quòd barba & capilli corpus eius omne circumdederunt,) *respicit, vbi ait in Prologo, inquirens de primo eremi cultore:* Nonnulli & hæc & alia, prout voluntas tulit, iactitant: subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem, & multa, quæ persequi otiosum est, incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur. *Si, inquam, Hieronymus ad hanc historiam respicit, omnino vetus est fabula, & eius iudicio explosa.*

2. THEOPHILO, SERGIO ET HYGINO.] *Ita auctores hos exprimunt Menæa. Editi Latini pro* Hygino *exhibent* Thimum, *MS.* Gunnum.

3. ASCLEPION HEGVMENVS.] *Menæa:* Ἐκ τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Ἀσκληπιοῦ, ex sancti Asclepij cœnobio. *Theodoretus in Philotheo cap.* XXV. *meminit Asclepij admirabilis monachi, decem stadiis à Citticâ vico, vbi Zebinas sepultus, & Polychronius eius discipulus videtur vixisse. Sed cùm illi ætate Theodoreti* CAP. II.

vixerint, antiquiorem aliquem Asclepium fuisse existimo, qui huic monasterio in Mesopotamiâ sito præfuerat, à quo & nomen accepit.

CAP. III. 4. HORA NONA QVADAM DIE SYNAXI EXPLETA.] *De horâ nonâ, quâ synaxis solui solet, & ieiunium resignari, vide Onomasticon.*

Omnia hæc sequentia capita, quibus lunulas curaui præfigi, quæ stupendas continent peregrinationes, desunt Menæis. Existimo tamen fuisse in exemplari prototypo, ex quo Menæa suam de Macario historiam hauserunt. Sed omissa in Menæis esse, quòd Vitam Macarij non spectarent. Certè Menæa horum trium sequentes peregrinationes satis his verbis insinuant: Καὶ τῆς πορείας ἀρξάμενοι ἀλλεπάλληλα, ἤνεγκον δεινά, τῇ μὲν ἐξ ἀνθρώπων, τῇ δὲ ἐκ θηρίων θλιβόμενοι κατεχόμενοι, καὶ αὐτοῖς ἔστιν ὅτε τῆς ἐκ τῶν ἀγρίων βοτάνων τροφῆς στερούμενοι: Iter auspicati alia ex alijs mala experti sunt, modò ab hominibus, modò à feris illata, nonnumquam ab herbarum agrestium pastu retardati. *Quibus apparet Menæa paucis hæc peregrinantium incommoda, quæ aliquot sequentibus capitibus narrantur, exprimere.*

5. VBI CÆLVM TERRÆ IVNGITVR.] *Fuit veterum multorum sententia, planam esse terram, nec Antipodes vllos esse; atque ita cælum alibi terræ iungeretur. Quin multi Paradisum certâ terræ regione statuerunt, sublimiore, vbi cælum terræ iungitur. Alcimus Auitus lib. I. de Genesi:*

Ergo vbi transmissis mundi caput incipit Indis,
Quò perhibent terram confinia iungere cælo,
Lucus inaccessâ cunctis mortalibus arce
Permanet. ——

6. CONIVNXIMVS IERVSALEM.] *Phrasis istius sæculi. sic antè cap.* II. ibi denique coniungentes. *sic pòst:* coniunximus tandem, *id est, peruenimus. Quàm frequens olim fuerit Ierosolymitana peregrinatio, patet variis horum librorum locis. Vide Onomasticon.*

7. CONSIGNANTES NOS, ET COMMENDANTES CHRISTO, ET SANCTIS EIVS.] *Religiosus antiquorum Patrum mos ad ingressum itineris signare se signo Crucis, & Deo Sanctisque iter suum commendare.*

CAP. IV. 8. ASSIA, IN QVO MARTYR CHRISTI MERCVRIVS.] *Certum, in Perside Iulianum occisum. Vide Baronium tomo* IV. *anno Christi* CCCLXIII. *Liberij Papæ* XII. *Iuliani Imp.* II. *variè inquirentem de percussore Iuliani.*

9. KITISSEFODO.] *Existimo hîc intelligi Ctesiphontem Persidis ciuitatem. Quod autem addit, Ananiam, Azariam, & Misaëlem hîc quiescere, nescio vnde hauserit. Martyrologium Romanum* XVI. *Decembris:* Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis, quorum corpora apud Babyloniam sub quodam specu sunt posita. *Certè Ctesiphon non procul à Babyloniâ, vti etiam hoc loco in Vitâ Macarij dicitur.*

10. LIGNIS AGRESTIBVS.] *Intelligit, opinor, rudia & impolita ligna. An phalanges Plinij lib.* VII. *cap.* LVI. *quibus olim prælia committebant Afri?*

CAP. V. 11. CHANANÆORVM.] *Mirum hoc, nec alibi mihi lectum, Chananæos eosdem esse cum Cynocephalis.*

12. PICHITI.] *Manuscriptus* Pytici. *vnde quis fortè formet* Pythecos, *vnde* Cercopytheci. *Sed* Pichiti *habent veteres editiones & manuscr. addit:* & hi alio nomine vocantur Pigmæi. CAP. VI.

13. ABSIDAM.] *Manuscriptus addit*, id est arcum. *Olim &* absis, & absida *æquè erant in vsu. Vide Onomasticon.* CAP. VIII

14. HOMO LONGA STATVRA.] *Non nouum, pœnarum locis vel à diabolo infestatis monstrosa quædam apparere. In Vitâ Antonij cap.* XXXVIII. Vidit quemdam longum atque terribilem caput vsque ad nubes attollentem. CAP. IX.

15. VOLATILIA MVLTA SIMILIA AVIBVS CÆLI.] *In Vitâ S. Antonij cap.* XXXVIII. Vidit etiam pennatos quosdam se eleuare cupientes ad cælum. *quod apud Paschasium cap.* XIX. *n.* 4. tamquam aues inquietas animas volantes vidit Antonius. CAP. XI.

16. SVBITO VOCES POPVLI INNVMERABILIS.] *Multorum opinio fuit, animas quasdam versari in campo amœnissimo. Ita Beda lib.* V. *hist. Anglic. cap.* XIII. *Dionysius Carthusianus in Dial. de Iudicio particulari art.* XXXI. *& Ludouicus Blosius Monili spirituali cap.* XIII. *Vide Bellarminum tomo* II. *contr. gen.* III. *quæ de Purgatorio, lib.* II. *cap.* VII. *Suarezium in* III. *part. disp.* XLVI. CAP. XIII

17. IPSIVS VERO CAPILLI CAPITIS AC BARBÆ.] *Ita hæc Macarij delineatio ad verbum est in Menæis Græcis:* Ἦσαν δὲ αἱ τρίχες αὐτοῦ λευκαὶ ὡσεὶ χιών· τὸ δὲ σῶμα αὐτοῦ, ὡς δέρμα χελώνης. ἐκ δὲ τοῦ πολλοῦ γήρως, κεχαλασμέναι ἦσαν αἱ ὀφρύες αὐτοῦ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, καὶ οἱ ὄνυχες τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν αὐτοῦ πλεῖον εἶχον τῆς σπιθαμῆς· αἱ δὲ τρίχες τοῦ πώγωνος αὐτοῦ μέχρι τῶν ποδῶν αὐτοῦ. CAP. XV.

18. CHERVBIM CVM IGNEA RHOMPHAEA.] *Varia de Cherubim Paradisi custodibus opinio.* Non est credendum, *inquit Theodoretus*, Cherubim dicere virtutes quasdam inuisibiles, vt quidam existimant: quoniam inuisibilis natura nihil isthic contulisset, cùm visio sensibilis esse deberet, qui ipsum Adam exterreret. Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, sed visu talis: neque Cherubim erant animalia; sed talia videbantur. *Addit porrò:* Et statuit Cherubim. *Genesis* III. *dictum:* vt indicet potentem quamdam & terribilem visionem, & formam, perinde ac si quædam animalia in ingressu paradisi collocasset, quibus inde arceretur Adam. *In eadem opinatione fuit Theodorus Heraclea episcopus, itemque Procopius Gazæus. Vide Pererium nostrum ad cap. Genesis* III. CAP. XVI.

19. QVI PER DIEM FORAS AMBVLANTES.] *Contra aliorum morem:* Leo, *ait Hieronymus in cap.* II. *Nahum*, semper noctibus circuit. *Et Psalmo* CIII. In ipsâ (*nocte*) pertransibunt omnes bestiæ saltus.

20. RAPHAEL.] *Dux hic fuit Macario, vt olim Tobiæ.* C. XIIX.

21. FASCIOLVM.] *Menæa*, σουδάριον. CAP. XX.

22. CALCEOS.] *Manuscript.* caligas. *nempe caligæ erant olim calceorum loco. Sic Actor. cap.* XII. Calcea te caligas tuas.

VITA

VITA BEATI [1] POSTHVMII PATRIS Quinque millium Monachorum, INCERTO AVCTORE.

PROLOGVS.

QVONIAM desiderio desiderasti semper audire quæ sancta sunt; & nos, ne silentio tempora peragantur, curare debemus: idcircò de operibus Domini tacere non possumus, quæ in seruis suis indesinenter ostendit. At primùm, de sancto Posthumio Dei seruo sciendum, quo ordine eum Dominus ad suam vocare dignatus est gratiam, sicut referentium iactauit oratio, qui conuersionis eius ordinem nouerunt. Hæc vestræ dilectioni scriptis intimare curaui, quomodo per rusticos Dominus credentibus in se manifestauit regni sui mysterium.

Vide huius historia.

VITA.

Cap. I. ERAT Posthumius Mempheus genere, gentilis natus, ab infantiâ innocens, ignarus litterarum, & ab omni peritiâ alienus Ægyptiorum, ab eorum gentilium delubris semper extraneus. Fuerat restium [2] spatarius, numquam se adolescentium gregibus commiscuit, nec publici vsus fabulas aliquando cognouit, pes eius ad saltandum non est commotus. In vitâ sua numquam de ore eius turpis sermo processit, neque auaritia in cor eius aliquando adscendit. Ad feminam oculos suos, cùm adhuc esset in sæculo, non leuauit: mendacium omni virtute vitauit: discordiam vel odium aduersus proximum suum, neque contra extraneum, nouerat: custodiebat pacem in animo suo per omne tempus.

Posthumius Memphæus. *Restio.* *Varia eius virtutes.*

Cap. II. Cùm ergo hæc ab eo gererentur, & annorum esset trigintaseptem, placuit Deo eripere eum de corruptione peccatorum, & ad incorruptionem vitæ æternæ euocare. Vnde fertur introisse ad eum angelum Domini, quando ipse [3] plectam de spato plectebat. Aitque ad eum Angelus: Posthumi. At ille ait: Quid est? Et dixit ad eum angelus Domini: Quid est in manu tuâ? Ille ait: Funis plectacius. Et dixit ad eum Angelus Domini: Deum excelsum, qui habitat in cælo, nosti? Posthumius dixit: Domine: nescio si est Deus in cælo; sum enim rusticus, & nulla est mihi sapientia. Arti meæ inseruio ab infantiâ meâ, & nihil ab vrbanis hominibus audiui, quod discerem: sed & publicum semper fugi accessum. Dixit ad eum Angelus: Ora Deum, & dabitur tibi sapientia & intellectus. Posthumius dixit: Deum non noui orare, nescio enim quid dicam. Et accepit Angelus folium lauri, & scripsit in eo verba orationis, & dedit illud Posthumio, dicens: Manduca illud, & erit amarum in ore tuo sicut fel, ventremque tuum implebit obsecrationibus sapientiæ, & dabit tibi formam orationis & sanæ doctrinæ. Et accipiens Posthumius, manducauit: & factum est os eius amarú. Porrò venter eius dulcedine impletus est, & magnificauit Dominum valdè. Verè autem credimus in eo impletum illud prophetæ Ezechielis, vel Ioannis apostoli, qui librum de manibus Angelorum accipientes, comederunt, & adimpleti sunt sapientiâ ad prophetandum.

Docetur ab Angelo. *Ezech. 3.* *Apoc. 10.*

Cap. III. Item angelus Domini tetigit labia Posthumij. Et depulsâ amaritudine, lingua eius de Deo loquebatur ingentia. Dixitque ad eum Angelus: Posthumi, fige genua tua in terrâ, & faciem tuam ad Orientem; & tunc dabitur tibi à Deo, quemadmodum possis orare. Et posuit Posthumius genua sua in terram, faciem quoq; etiam ad Orientem, & infusa est ei oratio, & ait: Benedicam te Domine Deus omnipotens, rex cælestis, qui ignorantibus te nomen tuum innotescere

Orat genu flexo. *Orat ad Orientem.* *Prima oratio Posthumij.*

scere facis, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, nomen tuum efficiens manifestum, vt populum tibi congregaret ex omnibus gentibus adoptiuum. Nam volens mundo succurrere labore laboranti, propter generis humani salutem, vnico Filio non pepercisti. Per eum ergo te obsecro, & tuam misericordiam, vt mihi cæco verum lumen in tenebris constituto ostendas. Tu enim Domine nosti, quia nullum sciebam omnino sermonem: & dignatus es donare, quòd loquerer ad te; & docuisti me, quibus te rogarem. Ex me ipso cognosco, Domine Deus meus, quia verè cæci vident, surdi audiunt, mutorum linguæ soluuntur, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, peccatores vocantur. Quis eram ego, quia recordatus es mei? In quo præualet apud te pusillanimitas mea, quia requisisti me? Quare nunc peto, vt à sordibus me abluas peccatorum naturalis miseriæ meæ, quæ me longo tempore pressit; viuebam enim eruditus à parentibus infideliter more gentilium tamquam socius iumentorum. Misisti tu mihi Angelum tuum, & percussisti femur meum, aperuistique mihi saxeum pectus. Væ tacenti de te, quia ignis vstione trucidatur in sempiternum. Ecce in breui cognoui, quoniam non est gaudium impijs apud te, nec peccatoribus lætitia post obitum veniet: nisi ad te conuertentur, salui esse non possunt. Et quoniam non est visum tibi perdere me, Domine redemptor humilitatis meæ, ostende mihi in melius, vt in pleno cognoscam Dominum & Saluatorem Iesum, & quòd non est alius absque te; qui es benedictus in sæcula. Hæc oratio sancti Posthumij prima, per quam eum introduxit angelus Domini ad viam fidei requirendam.

Matth. 11.

CAP. IV. Erat intentus ex hoc beatus Posthumius, quando ad eum angelus Domini remeare posset: fretus ex hoc sperabat, quòd esset eum Dominus semper visitaturus. Cùm autem pauci dies transissent, ecce Posthumius iuxta consuetudinem suam restim torquebat ex iunco. Et ingressus angelus Domini ad eum, ait: Aue Posthumi. Statimque pauefactus surrexit Posthumius. Et ait illi Angelus: Vis ducam te ad virum sacerdotem Dei, qui te baptizet in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti? Et respondit Posthumius: Domine mi sancte Dei, hoc est mihi optabile iucundumque valdè, vt plenè me viam doceas Dei, & quæ sit perfecta salus operum supernorum. Et apprehendit eum angelus Domini à vertice capilli capitis eius, & duxit eum ad quemdam nomine 4 Priscum, sanctum virum & timentem Deum. aitque illi: Hunc doce quæ sit via Domini, sapientiæ & intellectus: & baptiza eum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Porrò sacerdos Domini audiens, gratulatus est valdè: sed sacerdos non intellexit angelum Dei esse, qui introduxit eum ad se. Statimque Angelus in splendidâ mutatus effigie refulsit in faciem sacerdotis in albis vestibus, vultuque decoro. Tunc Christi sacerdos timore perterritus cecidit consternatus in terrâ. rursumque Angelus erexit eum, & ait: Ne timeas; conseruus enim tuus & omnium fratrum tuorum ego sum. Oportuit enim tibi manifestare gloriam Dei nostri, vt scias quo modo hunc doceas verbum Domini, erudiens eum secundùm saluationem eius, vt viuat in æternum coram Domino. Hæc dicens, discessit ab eis.

Transfertur ab Angelo. *Apoc. 22.*

CAP. V. Priscus autem episcopus accepto secum Posthumio, docuit eum ieiunare. Cui manum imponens, catechumenum fecit; atque ita velociter baptizauit, docens eum symbolum Sacramenti. Qui mox, vt baptizatus est, impletus est Spiritu sancto, & dixit hanc orationem: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui per Spiritum sanctum reconciliare me dignatus es Deo Patri, & redemisti me à morte & à pœnâ æternâ: quam non credentes in te consequuntur, peccatorum suorum ponderibus aggrauati. Sunt autem peccata plumbo grauiora, quibus ego lætor extractus: & de omnibus iniquitatibus & necessitatibus liberatus, exulto. Verè enim personarum acceptio apud Deum non est, sed misericordia multiplex. Quomodo igitur indignus ego ad sedes accederem creaturæ tuæ, nisi tu me cælesti digito tangeres, fœnum malè aridum, quod in corporis materia habitare præceperas? velociter mihi voluisti subuenire, inimicum legis tuę, qui mihi in carne dominabatur, subuertens; à sordibus aquâ, Spiritus sancti regeneratione, mundasti. loquitur in me anima renouata, quæ longo tempore inter oues perditas iacebat abiecta. Accepto signo lętatus sum quasi nominis magni: 5 census imperatoris militi infixo reparatur in gratiam. Quasi mutus accepi vocem. loqui cupio filijs tuis, & hymnum narrare in confessione, quoniam absoluisti captiuum migrantem. Quęsisti stultum per sapientiam, vitam donasti, egentem ditasti, mortuum resuscitasti, longè positum appropinquare tuæ maiestati fecisti: alienum à conuersatione Israël, socium Sanctorum tuorum per Christi gratiam esse voluisti. Ideò confiteor tibi, & psalmum dicam nomini tuo, cùm me docueris ordinem: psallam tibi, & benedicam nomini tuo in æternum, & in sæcula sæculorum.

Ieiunium ante Baptismum. Manus impositio in catechizatione. Baptizatur à Prisco episcopo. Secunda Posthumij oratio. *Act. 10.*

Igitur

CAP. VI. Igitur Posthumius Baptismum consecutus, litteras nesciebat: sed tamen nomen Domini fidei augmento & robore de die in diem crescebat. Accendebatur fraternæ studio charitatis, humilitatis vinculo ad vniuersos colligatus fuerat fratres. Charitatis iugum vehementer amabat: cunctosque fratres, qui aderant, ecclesiæ proxima loca inhabitantes, sollicitè requirebat. Studiosè psalmos dicebat; corpus verò suum ieiunijs affligebat, in oratione Dei quotidie pernoctabat. Agrestes edebat herbas, & aquam frigidam bibebat. Cilicio corpus opertum fatigabat, per eremum currens, vt miserum frangeret corpus: asserens esse peccatum, aliquando ab opere si vacasset. Verbositatem sermonis cauebat, diuinis libris accommodabat aurem, iurare omnino detestabatur: mundum se in omni oratione suâ exhibebat: plangere non desinebat: nam cùm frequentia pateretur in corpore dæmonum tentamenta, ad nota orationum præsidia conuolabat. Et ne ampliùs somno indulgere videretur, vt mortalia membra foueret, paululùm super saxa requiescebat: vt cùm duritia lectuli doloribus ageret corpus, statim ad Dei consurgeret opus. Panem etiam suum ad mensuram accipiebat, & aquam ad mensuram bibebat. Numquam pleno ventre à mensâ recessit, nec sitim suam vmquam satiauit, dicens, Non esse dignum si carnis voluntas esset impleta. Obedientiam verò & fecit, & docuit: patientiâ verò superbos & iracundos homines humiliter mitigauit. Sed quando satanas suggestionibus suis cupiebat propositum ipsius impedire, oculos in cælum leuabat, & statim sanctum adesse sibi sentiebat auxilium. Talis eius vita vsque ad senectam fuit, qualis ab initio fuit, cùm hæc gererentur in eo, vt omnino vsque ad extremum, suum despiceret corpus.

Variis ornatur virtutibus.

Eius ieiunium, Vigilia, Victus, Cilicium.

Orationis præsidio tentationes dæmonis superat.

Saturnumquam à mensâ recessit.

Et si quando infirmitas febrium aut stomachi dolores graui tormento eum afficerent, non dedit indulgentiam morbo infirmitatis, nec calidis vsus est rebus, nec ieiunia minorauit, æstimans, quòd si corpori calido cibo consuleretur, à Domino redemptio animæ non daretur. Nam si aliquando valetudo grauis debilia genua fatigaret, ita vt ad vigilias Posthumius exurgere non valeret, orando & psallendo in stratu suo non desinebat. Si lingua præ siti siccaretur, cordis intima rugiebant, ne silentio eius hostis animæ diabolus lætaretur, aut in opere Dei vir sanctus negligens inueniretur. Sed cùm in tam districtiori vitâ Posthumius permaneret, ad baptizatorem suum perrexit, & ab eo commendatoriam orationem poposcit, & sine aliquo victu eremi petiuit arcana; ibique multo tempore demoratus, innumeras dæmonum insidias pertulit. Sed Dominus, qui de mundo venerabilem conuerterat virum, quotidie cor eius armabat ad sustinendas versutias dæmonum.

Contra morbos fortis luctator.

Iugis orator.

CAP. VII. Nota igitur facta est sancto Macario, scilicet beati Antonij discipulo, conuersatio Posthumij, & celebre eius factum est nomen: visumque est illi, ad hunc abire in eremum. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio monachorum ferè quinquaginta millia susceperat gubernanda. Eiusdem igitur Macarij exitus de sæculo appropinquabat, & Dominico gregi, quis post eius excessum magisterij nomine subrogaretur, inquirebatur. Sanctus itaque Macarius cùm ad sanctum venisset Posthumium, excepit eum libenter, præcipuè cuius iam ab Angelo famam audierat. Non ergo ille vt hospes, sed eius subtiliter explorare propositum venerat. Porrò Macarij adspectibus, Posthumij complacuit conuersatio, & eum suadere cœpit, vt sancti Antonij anachoretarum principis non grauaretur visitare reliquias. Sed cùm omni virtute reniteretur, & abire penitùs noluisset, in somnis Posthumius sine aliquo cunctamine ire iussus, diuinæ contradicere non poterat maiestati. Itaque cum Macario aggreditur iter, multitudinem congregationis monachorum, quæ à solo gubernabatur Macario, ingressus. de quo sæpè diximus, corpus sepelisse magistri, cùm spiritus eius vocatus est ex sæculo.

Innotescit Macario.

Macarius quinquaginta millium monachorum pater.

Visitatio reliquiarum S. Antonij.

Qui cùm se in extremo vitæ istius temporalis adspiceret, aduocato ad se sancto Posthumio, ita exorsus est ei: En frater, tempus resolutionis meæ instat: quapropter audiens bonum testimonium de te, finem senectutis meæ debilitatis supposui gressibus ad pertingendum vsque ad te. Nunc igitur benè fecisti venire mecum. Suscipe ergo paterno amore gregem Dei ad regendum. Noli quærere quod tibi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant: ne ergo neges suscipiendi honoris gratiam, mercedem à Domino recepturus tempore opportuno. 1. Cor. 10.

Tunc sanctus Posthumius pedibus eius prouolutus, ait: Charissime pater, quomodo mihi tam magnæ multitudinis curam imponis, rustico homini, litteras nescienti? prouide igitur ex eis meritum hominem, qui possit cum sollicitudine tantas animas regere populorum. Tunc Macarius ait Posthumio: Excusationes non audio, neque caussas recipio: hi enim omnes sub tuâ ditione manebunt, nec alius est tantæ abstinentiæ vir, qui possit istius populi guberna-

re animas, ac sollicitè pertractare. & vt certiùs dicam, dilectissime frater, te electione suâ Dominus designauit ad suscipiendum hunc ministerij locum: nequaquam ergo cælesti poteris contradicere iussioni. Nihil ex hoc Posthumius locutus est Macario: sed dum eius verba secum in animo volueret, Macarius emisit spiritum: statimque populorum ingens turba intentè ad funus currunt. Ibi psallentium multitudo, diuersis hymnorum vocibus, quasi vno ore laudes Deo canebant, donec corpus ad sepulcrum deduceretur humandum: nemo tamen vehementer dolebat, eò quòd sanctus Macarius tam velociter monasterium relinqueret, quoniam Dominus similem ei Posthumium gregi suo magistrum prouiderat.

Macarius moriens suorum regimen Posthumio imponit.

Psalmi in funere.

CAP. VIII.

Tribus ergo diebus post sancti Macarij decessum orabat Posthumius, vt acciperet de cælo fontem doctrinæ per Iesum in Spiritu sancto, vt posset tantam populorum militiam docere prudentiam. Tertio igitur die venit ad eum secundùm consuetudinem, qui eum conuerterat Angelus, & locutus est ad eum: & constituit eum monasteriorum doctorem & principem, in eum locum à quo Macarius recesserat: deditque ei formam spiritualium præceptorum, & abiit. Porrò Posthumius congregatis fratribus cunctis, aperiens os suum, locutus est eis, dicens:

Posthumius ab Angelo Regulam accipit.

Audite filioli verbum, quod Dominus locutus est vobis, præclaram præceptorum iustitiam & charitatis Regulam sensibus nostris volens infundere. Paternâ enim voce loquor ad vos in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Dei nostri. Accepi enim formam de manu Angeli, vt dicam vniuersa, quæ acciderint sensui meo, ad vestram ædificationem. Intentè igitur præbete aures: Deus ipse mandauit, quod de ore meo procedit.

Eam discipulis suis tradit.

Prima est enim mandati confœderatio, in omnibus vos obedire maioribus. *1. Obedientia erga maiores.*

Secunda mandati est subiectio, vt in timore casto seruiatis Domino. *2. Timor castus.*

Tertia positio est, vt temperanter & piè & iustè viuatis in hoc sæculo. *3. Temperantia. Tit. 2.*

Quarta mandati ratio, vt corpora vestra affligatis per omnia, quò possitis acquirere animarum salutem, domando ieiunijs, ac mortificando carnem, quia hæc est delectatio bonorum operum. *4. Corporis afflictio.*

Quinta constitutio, orationi frequenter instare, sicut & Apostolus indesinenter orare nos iubet. Orantes quippe semper ac ieiunantes, & fidei dona in memoriâ mentium tenebimus infixa, vt possimus scaturientium dæmonum superare naturam. *5. Oratio frequens. 1. Thess. 5.*

Sequitur aliud genus erroris, in quo maius est animæ damnum, superbiæ malum per omnia esse cauendum: hæc angelum in primordio mundi de cælo deiecit: & nouimus, superbiam originale esse peccatum. Ad quam excludendam de cogitationibus nostris, Deum semper deprecemur, vt donetur nobis forma humilitatis. *6. Humilitas.*

Accedit & alia infestatio mortis in corpore, si de sæculari vitiorum caussâ monachorum sollicitet quemquam. *7. Fuga sæcularium.*

Funiculum verò charitatis ante omnia inter vos habete, fide continuâ in spe manentes: quoniam ad regnum Dei festinatis æternitatis. Cura ergo disciplinæ monachorum, perfecta est dilectio. Hæc vincula charitatis & pacis exornant fine auaritiâ. Igitur in dilectione sincerâ modus sufficiens est præsentibus: & qui inuicem diligunt, filij regni vocabuntur. Perfectiùs inuicem diligentes, ipsi sunt qui manducant panem in regno Dei sine maculâ. Perfecti ergo eritis, si mundum sacrificium charitas in odorem suauitatis zelo succendet. Gaudebit enim Dominus Iesus in vobis, quia fecistis fideliter quod ipse mandauit. Nam prima legis in monte Sinâ ordinatio hæc ad Moysen data est: Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ. Secunda: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Vacat enim dilectio Dei, nisi iungatur & proximi. Plenum ergo præceptum veritatis, vt maneat in sensu indiuidua regula charitatis. Tunc ergo dilectio beata erit in pleno, si colla obedientiæ posueritis proposito. *8. Funiculus charitatis. Lucæ 14. Deut. 6. Luc. 10. Leuit. 19.*

Obedientia quoque in congregatione laudatur. Nihil vobis proderit, filioli, si diligitis inuicem, & non vultis inuicem obedire. Dilectio sine obedientiâ faciet criminosum, & conscientiâ ægrum. Quomodo enim gramen seminales impedit fructus; sic inobediens homo frustrà ieiunat, & orationis nullum accipit fructum. Igitur qui in vno esse concupiscunt, & viuere mente communi disposuerunt, hi consilijs maioribus seruiant. Quidquid ex consilijs processerit patrum, hoc faciat qui à perfectione adhuc procul est. Quicumque frater oneris quidpiam collo suo portauerit, nec quidem sustinet, de humero suo onus extare, si abbas præsens fuerit, reperiens [7] aquam scatiuam siue germinantem, præter abbatis consilium diuerterit ad bibendum, aut alterius fratris secum comitantis, etiam iunioris, peccatum fecisti, qui præter benedictionem aquam potasti. Quòd si calor solis exarserit, & volueris bibere, & abbas ad te doman- *9. Obedientia erga pares.*

domandum prohibuerit: si vel mente murmuraueris, deliquisti. Deinde si in viâ calcaueris spinam, non est educenda, donec abbas præceperit.

10. *Dormitorij ratio.* Procul ab inuicem contextas vites sternite.

Cùm ad dormiendum secediti, interstitium cubitus habeatur vnius: ne, dum ad inuicem proximant corpora, nutriantur libidinis incentiua.

11. *Vigiliarum cura.* Porrò negotium noctis, propter lucifugas dæmones & noctipetas, in spiritali opere peragatur. Experrectis autem nulla de sæcularibus caussa ingerenda, donec ad galli cantum, fraternarum orationum communis hora succedat. Alterius vocis cantus alterum non excitet ad orandum: sed cùm suum pectus tundere cœperit, qui primùm experrectus est, prouocetur etiam ille qui dormit, exurgere. Sæpè enim satanas somno animam captam nocturnis inuoluit tenebris, vt ab orationis patrocinio separata sit, operante diabolo socio tenebrarum. *Matth.24.* Ideò dico vobis, filioli, vigilate: quia nescitis, quâ horâ fur veniet animarum.

12. *Dei dilectio.* Studete igitur complacere Deo, conuersationem habentes spiritalem. Diuina mandata in dilectione Dei cum sapientiâ, legis præcepta in tabulis cordium vestrorum sint: nec quidem ampliùs sapiatis, quàm simplicitas confirmat Scripturarum Dei. Multi autem de Deo aliter sentientes, exciderunt à dilectione ipsius & proximorum suorum. Qui autem huiusmodi sunt, *Baruch 5.* audiant Baruch prophetam dicentem: Pax iustitiæ, & honor pietatis. Sic enim videns populi sui dilectionem fraternitatis esse incorruptam, inter cunctos facit eos amicitiæ Dei fieri socios. Quoniam qui diligunt Deum, secundùm boni operis gloriam, inuicem in operibus bonis irritam faciunt vitam istius mundi: profanantes quidquid ex diabolo est cogitationum malarum, in cordibus Dei seruorum: quoniam cupiunt Anachoretarum perfrui vitâ, si corpus abdicant adhuc in terrâ positi: iam cælestibus delectentur, nihil terrenum prorsus exquirant, vt iam sæcularium tenebrarum caussas conculcantes ac prosternenentes.

13. *Sermo sale conditus.* Verùm quia cælestibus regionibus apti, vos satis placere conuenit Creatori, virgines mente & corpore permanentes, fructus fidei & limam sermonis quam maximè conseruantes: nefas est enim, vt monachum quis reprehendat in modico vel in maximo. Irreprehensibiles enim nos esse oportere, *Coloss.4.* Apostolus docet, & vt sermo noster in gratiâ sale semper sit condîtus, scilicet condimento quo nos Euangelista condiuit, dicens: *Matth.5.* Vos estis sal terræ. Quod peto, vt non in vobis euanescat, ne forte, cùm euanuerit, extra congregationem multitudinis foras proijciatur, linguis inimicorum quotidie conculcandum.

14. *Detractio fugienda.* Hoc autem obsecro, filioli, secundùm formam quæ mihi data est de manu Angeli, fugere linguam detrahentium iniquorum, qui mordaci dente, etiam sine caussâ, Ecclesiæ Christi insultare festinant.

15. *Dissensiones cauendæ.* Dissensiones, quas habetis inter vos, proijcite ab inuicem: scientes, Dominum nostrum non esse dissensionis, sed pacis. *1.Cor.14.* Si qua igitur scandala, inimico suggerente, frater habet aduersus fratrem, propter obedientiam fide extante, dimittat: quoniam ego non ex me loquor, sed ex Deo, qui in manu nuntij sui docuit me.

16. *Obedientia prælato, hospitalitas peregrino exhibenda.* Et si obedientiam prælato præbueritis, hospitalitatem peregrinanti, ex præcepto Domini facitis.

17. *Ira profliganda.* Si fieri potest, nullo pacto miles Dei debet irasci, non solùm ad socios, verumetiam ad extraneos.

18. *Contentio vitanda.* In quocumque negotio, nullus sæcularium seruum Dei audeat iudicare: quia inter se & illum distat. Non patiaris coniugatum iudicio tecum contendere: melius est enim monacho fraudem & iniurias sustinere, quàm vt audiatur vox militis Christi in clamore.

19. *Negotiatio indigna monacho.* Non decet monachum, caussâ pecuniæ esse negotiatorem, sed cælestium bonorum lucra mercantem. Prædicet verbum salutis, animas inuitet ad cælum, ad nihilum deducat sæculi desiderium. Cor enim Christianum exultat, maximè serui Dei: tyrannum fraudatorem animarum, diuinæ virtutis oratione expugnat.

Dæmon fugatur Cruce, oratione, ieiunio, recursu ad Deum. Quòd si terrores aliquos intulerint, currat ad auxilium Crucis: statim ille recedet: versutia eius crebris orationibus & ieiunijs deuincitur. Filioli, quid ad vestram pertinet curam, si aduersus vos conueniant dæmonum castra, potestis & vos multis adiuuari agminibus Angelorum. Sed cùm dæmonum cateruæ crescere cœperint, oculos vestros ad cælum leuetis, dicentes: Domine Iesu Christe, adiuua infirmitatem meam. Tunc sermo vobis prophetæ Elisæi conueniat aduersus eos, qui de Samariâ comprehendere eum venerant, qui terrenti se puero suo respondit: *4.Reg.6.* Aperi Domine oculos serui tui, & videat, quòd plures sunt nobiscum quàm cum illis. Statim ergo ad adiuuandum vos, angelorum Dei legiones aduenient, qui fidei vestræ auxilium præbeant.

Cap. IX. Hæc sunt, filioli, mandata, quæ vt pusillanimitas

nimitas cordis inuenit, vobis de diaboli certaminibus explanaui. Nolo autem ea, quæ nobis ipso immittente acciderunt, silentio præterire, vt & vos possitis malitijs eius resistere.

Quadam die in monte sedenti mihi, ingens velut militum turba occurrit. Quos dum oculis cernerem venientes à longè, satanæ angelos statim esse cognoui. Ego autem deposito omni terrore, genibus prouolutus humo, vt secederent orabam, Dominum inuocans redemptorem. Tunc turba quæ venerat, velut stipula, quæ à vento rapitur, nusquam comparuit. Gratias ergo egi Domino per Iesum Christum Dominum nostrum, quòd meo certamini finem imposuit citò, & orationem meam illicò exaudiuit. Multas itaque insidias passus sum, & ex omnibus me eripuit Dominus. Vnde & vos, filioli, constantes estote, quia mitis est Dominus ad liberandum nos. Amate ergo Dominum, odite malignum: & Deus misericordiæ erit vobiscum, vt possitis eius insidias euadere, Amen.

Posthumius cateruas dæmonum oratione profligat.

NOTATIO.

1 POSTHVMII.] *Aliæ editiones habent* Pasthumij. *De hoc nihil mihi occurrit vel in tabulis ecclesiasticis, vel apud historicos. Multa hic affinia cum Pachomio, eiusque Regulâ. Et cùm Pachomius dicatur quibusdam* Pachumius, *vereor ne* Pasthumius *ex* Pachumio *irrepserit.*

CAP. I. 2. SPATARIVS.] *Ita omnes editiones. mox:* plectam de spatho plectebat. *Nota* spathulæ palmarum. *Leuit.* XXIII. *Et ex palmis ferè restes suos & plectas plectebant eremitæ. Alias existimabam legendum* spartarius, *quasi qui è sparto restem plectat. qui Polluci lib.* VII. *cap.* XXXIII. *dicitur* σπαρτοπλόκος.

CAP. II. 3. PLECTAM.] *Mox* funis plectacius. *à Græco* πλεκτὸν, *id est, plexum seu flexum. Quæ vox non rarò in his libris occurrit.*

CAP. IV. 4. PRISCVM.] *Hic dicitur* sacerdos: *sequenti capite* episcopus.

CAP. V. 5. Census Imperatoris.] *Videtur hæc periodus melioris styli fragmentum esse. Fors ex eleganti aliquo Patre adumbratum. Alludit ad militiam, cùm nomen Imperatoris militi inscribebatur. Vt hic de oue & milite, sic apud Augustinum epist.* L. Sic error corrigendus est ouis, vt non in eâ corrumpatur signaculum Redemptoris. Neque enim si quisquam regio charactere à signato desertore signetur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, illo autem esse in militiâ, in quâ nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character ille rescinditur, an non potiùs in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam regius est, approbatur?

6. DE QVO SÆPE.] *Hinc apparet, auctorem huius Vitæ & alias sanctorum Vitas consarcinasse. De Macario, qui Antonium dicitur sepelisse, vide suprà Prologum in Vitam sancti Pauli primi eremitæ, n.6.* CAP. VII.

7. AQVAM SCATIVAM SIVE GERMINANTEM.] *Ipse explicat, quid scatiua sit aqua, nempe quæ scaturit & germinat. an ex suâ origine? Nisi fortè corruptam aquam intelligat, & scatentem vermibus. vel* statiuam *quis legat, vt in Martyrol. Adonis* XXX. *Iulij ex MS. reposui, quæ ferè lutulenta. Sic alius lutulentam aquam bibit in Vitâ Pauli primi eremitæ, cap.* V. C. VIII.

VITA

14. APR. SANCTI 1 FRONTONII ABBATIS

AVCTORE INCERTO.

PROLOGVS.

QVONIAM sæpè desiderastis audire quæ sancta sunt, & ego placidè disposui operari: iam non in pellibus caprarum, sed auro & argẽto gemmisq; pretiosissimis decreui construere templum Dei: vt & nos tamquam lapides viui ædificemur in domum spiritualem, ex operibus meliorum proficientes in Christo Iesu Domino nostro: quid nunc apud Nitriam gestum sit, referam: & non præteribo veritatem vllo modo, quoniam satis ædificat monachos præsens opusculum.

1. Pet. 2.

VITA.

IGitur Frontonius, verus Dei seruus, studio Dei timoris de die in diem proficiens, publicam communemque vitam perhorrescens, CAP. I.

rescens, auiam desiderans solitudinem, conuocatis ad se fratribus, dixit, (erant enim cum eo viri circiter septuaginta:) En quid nobis & mundo damnabili, cuius operibus renuntiare omni modo condecet, vt cælestem consequamur vitam? Quapropter pergamus ad eremum, nihil nobiscum ferentes, ad acquirendam cælestem gloriam, & superiorem inuestigemus ex virtutibus disciplinam. His dictis, vniuersi consensêre: deferentesque ad eremum secum parua olerum semina, & [a] bis acutos, paruosque sarculos, vnde humum defoderent, profecti sunt, & venerunt ita in eremum: rursusque Frontonius ait: Dominus in Euangelio ait: Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Teneamus promissum, & inueniemus in nobis opus Domini conseruatum. Omnes ergo habitabant in eremo, in opere Domini iugiter laborantes, & in agone spirituali proficientes: adiuuabat enim Dominus seruos suos. Ipse verò Frontonius non pro se tantùm, sed pro cunctis orabat, sciens scriptum esse: Non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis, vt salui fiant.

Oratio Frontonij ad 70. fratres.

Ad eremū tendunt.

Matth. 6.

1. Cor. 10.

CAP. II. Cumque in eadem eremo longo tempore morarentur, tentare eos aduersarius Christianorum cœpit, vt cogitarent in corde suo, quòd debuissent in sæculo demorari, quia Anachoretarum vita durissima est, & nemo eam potest sufferre. Murmurauere ergo in cordibus suis, dicentes: Quid est, quòd voluit pater noster Frontonius, vt habitemus in eremo? Numquid illi qui in vrbibus & in castellis habitant, Deum videre non possunt: & qui in eremo habitant, soli vident? Nónne eos boni actus commendant? Quisnam poterit cibo viuere Angelorum? Ecce morimur fame: defectus vigiliarum non capit labor, sed acriora nos frangunt ieiunia, fiuntque debilia genua, vt vnusquisque nostrûm non possit stare.

Murmurant fratres contra instituti rigorem.

CAP. III. Audiens Frontonius eorum murmur, antequam ad eum conuenirent dicentes aliquid, ipse præueniens eos ait: Quousque irritatis Deum murmurantes in cordibus vestris, & dicentes: Numquid qui eremum inhabitant, hi tantùm sunt Dei serui? & quis ex cibo poterit viuere Angelorum? Conueniamus ad abbatem, & loquamur ad eum, vt habitemus in ciuitate: quia si qui nos illic viderint, opportunè nobis iuxta Dei votum dirigunt escas, prout cuique Dominus dederit facere. Illud autem scitote, quia non necabit Dominus fame animam iusti. Ecce oculi Domini super timentes eum, vt alat eos fame. Et illud non memoramini scriptum, quod ait Apostolus: In fame & siti? Sed vobis quoque in eremo numquam defuerunt radices herbarum, nec mansistis aliquando ieiuni. Recordamini autem, quia anteà locutus sum vobis: Nolite cogitare, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Nouit Dominus cibum dare timentibus se. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Si enim Dominus volatilia pascit, & coruos non deserit: quomodo nos derelinquere poterit, ipsum iugiter in mente habentes, eumque assiduè orantes? Certè si fame defecerimus in eremo, nos Dominum accusemus, & improperemus ei, cùm ad ipsum venerimus, dicentes: Credidimus Euangelio tuo, vbi dixisti, quòd vniuersos in te credentes, cæli pabulo pasces: fecimus cuncta quæ præcepisti, sperauimus in te, & tu nos despexisti. Sed quia ibi nos probasti, hîc magis, vt probes veritatem, redde quod promisisti. Nolite ergo murmurare aduersus Deum, ne murmurantes, sicut patres nostri in hoc deserto, à serpentibus pereatis. Quòd si exspectaueritis Dominum, quando voluerit, dabit bona timentibus se. Quo dicto, siluerunt omnes paululùm à murmuratione suâ: erant tamen in mœrore positi.

Frontonius occurrit murmurationi.

Psal. 32.

2. Cor. 11.

Matth. 6.

Cessant fratres à murmuratione.

CAP. IV. Ego verò proposui vniuersa breuiter exequi, & cuncta sermone rustico comprehendere, quæ cum suo prosequi titulo fas est: & per huiusmodi libelli sententias ac syllogismos dulci eloquio currere, prout potest vnusquisque Lector audire. Redeamus ad ordinem cœpti opusculi, vt non nostra videamur asserere.

CAP. V. Pergit itaque Angelus, missus à Domino ad quemdam diuitem nocte, & dicit illi: Tu epularis in diuitijs splendidè, & serui mei in eremo indigent pane. Surge ergo diluculò, & mitte seruis meis escas ex omnibus quæ tibi dedi, quia procuratorem te posui gregis mei, qui te cælo lactante iugiter paui, nec vmquam dimisi. Ita ergo placuit mihi ex eleëmosynâ tuâ reficere pauperes meos, qui in deserto spiritualiter viuunt, & se mihi suo Domino crediderunt: idcircò facias sermonem, quem modò, missus à Domino, loquor ad te. Quod nisi feceris, dissipasti fœdus pacificum Domini Dei tui.

Angelus diuiti præcipit escas monachis mittere.

CAP. VI. At ille tanto terrore conuentus, ex illo somno expergiscitur: consurgensque manè, conuocatis necessarijs amicis, seruisque suis

Quò mittere debeat, diues inquirit.

suis fidelibus, locutus est ad eos, dicens: Iacenti mihi nocte in lecto, quidpiam soporis ceperam; & ecce subitò nuntius adstitit, dicens: En tu epularis in diuitijs tuis splendidè, serui verò mei in deserto indigent panibus. Surge ergo diluculò, & mitte seruis meis escas ex omnibus quæ dedi tibi, quia procuratorem te posui gregis mei. Ecce mittere quæro: sed vbi morentur serui Dei, ignoro. Cupio præceptum implere admonitus: sed quis mihi, ad quem dirigam locum, ostendet? Conuênit me Angelus, præcepit & Deus. Sed vos, qui seniores estis, ostendite locum. Et nemo valuit illi indicare locum, quia in abdito montis manebant: & nemo, vbi morarentur, agnouerat.

CAP. VII.

Iterùm diuiti Angelus apparet, & de morâ castigat.

Igitur alterâ nocte duriori comminatione conuentus, plagisque confossus diues ille, corripitur & vrgetur, vt seruis Dei dirigeret escas. Iterùm diluculò consurgens, à prioribus amicis quærebat consilium, vt sibi dicerent, aut certè ab alijs inquirerent, vbi serui Dei morarentur. Aiebat quoque ista cum maximo fletu, plagas ostendens, quibus de manu Angeli fuerat nocte correptus. Sed cùm nemo posset locum habitationis seruorum Dei ei ostendere, vnus qui præ ceteris maioris erat consilij, respondit & ait: Si volueris accipere consilium meum, charissime, forsitan erit hoc tibi salubre. Sunt tibi cameli septuaginta, onera eos ex omnibus bonis, quibus intelligis Dei famulos posse vesci: & dirige camelos per viam, nemine ducente. Et si ex Deo hoc factum est imperium, animalia tua salua regredientur ad te: si verò tibi ex diabolo iactura imminet, libenter tolera flagella temporis, quàm acriori fortè cæde corripiaris. Quòd si hoc tibi consilium displicet, quære aliū qui poterit dare melius responsum. Hæc dicens, conticuit: sed ipsi diuiti, & qui cum eo erant, huiuscemodi consilium benè placuit. Onerauit ergo [3] sexaginta quinque camelos ex his quæ serui Dei comedere possent: quinque verò camelorum cibaria facta imposuit, escam cunctorum animalium, in maximo dolore dicens: Si quis inuenerit eos, & eorum exposuerit onera: visis cibarijs miserebitur eis, & dabit eis manducare. Et cum ingenti fletu vno ordine innectens chordas, direxit eos per viam, commendans Domino, vt si ex Deo esset imperium, remearent celeriter cum salute. Nullus verò [4] ducator cum animalibus abijt.

Cameli sine directore mittuntur in incertū.

C. VIII.

Et quando egressi sunt ianuam, dimisit seruulus primum camelum, cuius [5] ducalem tenebat, quem ceteri sequebantur, & abierunt per viam [6] iuxta præcinctum montis, euntes soli. Sed nescio an soli cameli pergere poterant, sed Domini nuntio præeunte, viam directam (vt intellectum est posteà) abierunt: & quarto die confecto itinere, horâ nonâ agentibus opus Dei fratribus, sicut quidam posteà retulit nobis, ecce primus ante fores accubauit camelus: sed [7] campanæ sonitum audire non potuit perstrepens sonus hymnorum. Abbas tamen, quoniam prope ostium erat, ipse prior vidit, & gauisus est valdè. Angustus enim erat introitus monasterij, & solus abbas fores suo statu claudebat, ceterisque interpositis fratribus tacuit, nihil respondens, donec hymni complerentur. Tunc completo hymnorum ordine, aduocatis fratribus, pænè improperans, ait: Vbi sunt murmurationes vestræ? Ecce Dominus improperio forti nobis escas ab alto misit, cui voluit viro prudenti imperans, adduxit nobis camelos onustos. Venite, deponamus onera, vt possint refici animalia lassa. Tunc omnes mirâ gratulatione læti, communiter gratiarum actionem Deo reddiderunt: & gaudentes deponebant onera camelorum. Supra quinque verò camelos, reseratis farcinis, cibaria reppererunt. Abluentes igitur animalium pedes, de stratu eorum fecerunt præsepia: & apposuerunt eis escas, quas ipsi sibi apportauerant; necnon & ipsi etiam discurrebant per omnes montis anfractus, notas inquirere herbas, vt laborantia animalia escis pluribus reficerentur.

Angelico ductu quarto die perueniunt ad monasterium abbatis Frontonij.

Abbas increpat murmurantes.

CAP. IX.

Manè autem facto, abbas consilium vtile eligens, & auaritiam omnino spernens, medietatem sumpsit escarum, aliam verò partem diuidens, super camelos omnes, ne alij viderentur portare, & fieret alijs iniuria, omnibus medium imposuit onus, velut [8] eulogias reuocans Domino rerum, vt auaritiæ legem scinderet, & medietatem oblationis proprio domino camelorum reddidisset. Erant igitur supradicti amici cum domino camelorum, consolantes eum de animalium tantorum periculo, simulque Dominum deprecantes, ne accideret innocenti viro tanta iactura. Octauâ autem die, cùm essent omnes in vnum collecti, ieiuni; vnus qui leues ac tinnulas aures habebat, per flamina ventorum campanulæ rapiens sonitum, paululùm reticuit: & cùm benè tandem sonantem comprehenderet, ait: Puto, quòd ex altitudine montium campanæ sonantis motus auditur. Tunc omnes egressi, senserunt camelorum aduentus; gratulando mirabilis accidit lætitia, secunda verò de consolatione viri. Nam qui defuncta animalia aut perdita iam lugebat, gaudens de receptis animali-

malibus lætabatur. Venerunt omnes illæsi, non tristes vultu, nec maciem necessitatis habentes. Suscepit ergo camelos suos homo ille, cum magnâ gratiarum actione: & visis oneribus, multò amplius recreatus, exultat. Tunc & illos amicos, & pauperes plures, ad prandium nobile vocat, easdemque eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat. Sed & amicis qui aderant, ex eis largitus est: & ipse quoque benedictionem sanctæ iucunditatis accipiens, gaudebat in Domino.

Pauperibus dat, quæ remissa sunt, diues.

Cap. x. Ex illo igitur anno, vsque in mortem Frontonij, sic diues ille notato tempore, quando primùm miserat, escas necessarias ipsis dirigebat: & alijs sic diuitibus Dominus imperabat, vt ex omnibus dapibus irrigati, nihil Dei serui cum sancto Frontonio minus haberent. Vigilabant in operibus Dei filij cum patre, spiritualibusque eos admonens dapibus, implebat quotidie sermone cælesti: exultansque lætabatur in Domino, qui sibi talem dederat intellectum, ut auia solitudinis loca digna quæsisset.

Quotannis cibos eodem dirigit.

Cap. xi. Legendum hoc tradite, multorum ad ædificationem monachorum. Ille enim magis erit melior in conspectu Dei, non quicumque legerit, sed qui credendo Dei seruis sic fecerit. Mercedem autem à Christo Iesu Domino nostro recipiet, qui eleëmosynam pauperum non despexerit, & seruos Dei, directo corde intuitus fuerit, in gloriâ Domini nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.[9] Hæc sub Antonino Imperatore gesta sunt, tertiodecimo anno imperij eius.

NOTATIO.

1 FRONTONII.] *Alijs* Fronto *dicitur. Martyrologium Romanum* XIV. *Aprilis*: Alexandriæ sancti Frontonis abbatis, cuius vita sanctitate & miraculis claruit. *Eadem apud Vsuardum & Adonem. addit Beda*: qui septuaginta fermè pater exstitit monachorum. *Rhabanus & Notkerus fusiùs aliquantò rem narrant, ex hoc loco, vt apparet, depromptam. Miror vnde in Florario Sanctorum manuscripto*: Obijt anno salutis CLXXIV. *De hoc Petrus in Catalogo SS. libro* XI. *cap. vltimo, num.* CXX. *Cauendus lapsus Petri lib.* IX. *cap.* CIX. *& Antonini in Chron. parte* I. *Tit.* VI. *cap.* XXVI. *§.* I. *qui confundunt Acta huius Frontonij cum Actis Frontonis discipuli S. Petri, episcopi Petragorici. Distinguendi sunt, & vnius Vita ab alterius separanda.*

Rectè aduertit Petrus Maturus noster, Antonini commentator, quæ de camelis hîc narrantur, non conuenire Galliæ regionibus, nisi dicatur, inquit, huius Vitæ auctorem, quicumque ille, camelos pro iumentis sarcinarijs quibuscumque vsurpasse.

Sed, vt dixi, Frontones hi duo distinguendi, quorum vnus in Gallijs floruit, alter in Ægypto, vbi camelorum vsus. Frontonis Galli memoria celebris exstat XXV. *Octob. in Martyrologio Romano.*

Alius quoque Fronto martyr vnus ex XVIII. *martyribus Cæsaraugustanis, de quo in Martyrologio Romano* XVI. *Aprilis, & Prudentius hymn.* IV. *περὶ στεφάν. Petrus in Catalogo SS. lib.* IV. *cap.* LVI.

2. BISACVTOS, PARVOSQVE SARCVLOS.] Bisacuta *seu* bisacutus *hîc peculiare instrumentum est, vt & in Vitâ S. Antonij cap.* XXV. *n.* 62. *Glossarium Camberonense manuscriptum*: Bisacuta, ferramentum quoddam vtrimque incîdens. *Planè quâ formâ* bipennis *dicitur, quasi bis pennatum seu acutum.* Cap. I.

3. SEXAGINTA QVINQVE CAMELOS.] *Ita manuscr. Audomarensis, & vetus editio. Rhabano & Notkero* quinque *deest. Requiritur hoc ad numerum septuaginta. Nam mox alia quinque sequuntur.* Cap. VII.

4. DVCATOR.] *Ita vsurpabant pro* ductor. *Tertullianus libro aduersus Iudæos cap.* XIII. cùm ducator eius in eâ pati haberet.

5. DVCALEM.] *Eadem formâ, quâ antè* ducator. *Sic* ducatio, *apud Tertullianum de Coronâ milit. cap.* XI. Vel ipse hæc præstruxerim, & ceteras officialium coronarum caussas, quibus familiarissima ista ducatio necessitatis.

6. IVXTA PRÆCINCTVM MONTIS.] *Ita MS. Vetus editio*: iuxta præcinctorium montis. *Coloniens.* iuxta prædictam viam montis. Cap. VIII

7. CAMPANÆ SONITVM.] *Hinc apparet, iam olim gregibus tintinnabula apposita. Vide Onomast.*

8. EVLOGIAS.] *Frequens vox hæc Græca apud Latinos scriptores pro* benedictionibus *seu* munere benedictionis. *Vide Onomast.* Cap. IX.

9. HÆC SVB ANTONINO.] *Ita manuscript. & Coloniensis. Malè in veteri editione*, Antonio. Cap. XI.

[1]VITA SANCTORVM [2]BARLAAM EREMITAE ET IOSAPHAT INDIAE REGIS,

AVCTORE S. [3]IOANNE DAMASCENO,

INTERPRETE [4]IACOBO BILLIO PRVNÆO.

PROLOGVS AVCTORIS.

[4]QVICVMQVE spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, vt ait Apostolus. (Rom. 8.) Illud porrò Spiritu sancto donari, & filios Dei fieri, expetendorum omnium extremum est; & quò cùm ventum fuerit, conquiescit omnis contemplatio, quemadmodum diuinis litteris proditum est. (Nazianz. Orat. de Athanas.) Hanc igitur excellentem, & expetendarum omnium rerum supremam beatitudinem, sancti omnes, qui ab æuo condito extiterunt, per virtutum cultum ac studium diuino beneficio consecuti sunt; vt qui partim martyrium subierint, atque ad sanguinem vsque aduersus peccatum in acie steterint, partim religiosæ ac Deo deuotæ vitæ certamen exantlarint, arctamque viam tenuerint, animique destinatione martyres extiterint.

Quorum luculentas virtutes ac præclara facinora (hoc est & eorum qui martyrio perfuncti sunt, & eorum qui per religiosam exercitationem angelicum vitæ genus imitando expresserunt) litterarum monumentis commendare, atque ob virtutis exemplum ad posteras ætates transmittere, à diuinis apostolis, & beatis patribus Christi Ecclesia accepit: (Religiosa exercitatio angelicæ vitæ imitatio.) hoc videlicet, ad nostri generis salutem velut latâ lege promulgantibus. Etenim via ea quæ ad virtutem ducit, aspera est atque ardua & permolesta, ijs præsertim qui nondum sese totos ad Deum transtulerunt, verùm adhuc vitiorum animique perturbationum tyrannide conflictantur. Quo fit, vt multis ad eam illecebris indigeamus, nimirum & consilijs ac cohortationibus, & exemplis eorum qui hanc viam priores inierunt.

Id quod etiam minore cum molestiâ ad eam attrahit, efficitque ne ob vitæ difficultatem animis frangamur, ac desperatione afficiamur. (Exemplis potius quã præceptis ad virtutis studium trahimur.) Siquidem ei quoque cui ardua & difficilis via ineunda est, non perinde quispiam monendo ac cohortando, vt eam ingrediatur, persuaserit. At cùm multos ostendit, qui eam confecerint, ac tandem percommodum diuersorium nacti sint, tum verò magis eum adducet, vt eamdem quoque viam capessat.

Huic igitur ipsæ quoque regulæ insistens, ac prætereà impendens ignauo illi seruo periculum metuens, qui talentum à Domino acceptum in terram abdidit, (Matth. 25.) quodque ei quæstus faciendi caussâ datum erat, ita occultauit, vt nihil ex eo lucri faceret, historiam animabus vtilem, ad me vsque allatam silentio minimè præteribo, (Historia hæc ex commentarijs Indiæ accepta.) quam mihi pij quidam viri interioris Æthiopiæ (quos Indos vocant) ex veris commentarijs translatam narrauerunt. Hæc porrò ad hunc modum se habet.

VITA.

INdia, quæ ingens ac frequentissima est regio, procul ab Ægypto distat, atque vndique (CAP. I.)

dique ab Ægypti parte mari alluitur: à continente autem ad Persidis fines accedit. Ea porrò atrâ idololatriæ caligine olim obducebatur, atque extremâ barbarie scatebat, nefarijsque flagitijs addicta erat. Posteaquam autem vnigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, figmentum suum peccati seruitute oppressum indigno animo cernens, misericordiâ erga ipsum commotus, instar nostri excepto peccato apparuit, ac Patris throno relicto, nostræ salutis caussâ (hoc est vt nos in cælis habitaremus, atque à veteri lapsu excitaremur, ac peccato liberati priorem adoptionem reciperemus:) in Virginis corpore habitauit, atque expletis omnibus carnis propter nos assumptæ muneribus, crucem ac mortem suscipiens, ac terrenis mirandum in modum cum cælestibus coniunctis, à morte ad vitam rediens, & cum gloriâ in cælos ascendens, & in Patris dextrâ magnificè sedens, Spiritum paraclitum discipulis, à quibus conspectus fuerat, pro eo ac promiserat, in ignearum linguarum formâ misit, ipsosque ad omnes gentes legauit, vt eos qui in ignorantiæ tenebris sedebant, illuminarent, atque in Patris & Filij & Spiritus sancti nomine baptizarent, adeò vt deinceps illi, partim Orientales sedes, partim Occidentales regiones, quæ ipsis obtigerant, circumirent, ac Septemtrionalia & Meridionalia climata peragrarent, vt imperatum munus exequerentur, tum sanctissimus quoque [5] Thomas, vnus ex duodecim Christi Apostolis, in Indiam, salutiferæ doctrinæ illic prædicandæ caussâ missus est. Domino autem cooperante, ac sermonem per sequentia signa confirmante, Gentilitiæ superstitionis tenebræ depulsæ sunt, atque illi simulacrorum sacrificijs & cultu liberati, ad rectam fidem se adiunxerunt. Sicque Apostolicis manibus velut refecti, Christo per Baptismum conciliati sunt: ac tacitis incrementis augescentes in fide, ab omni labe alienâ proficiebant, ecclesiasque per totam regionem extruebant.

India idolis dedita. — *Ioan. 1.* — *Luc. 1.* — *Apostoli in omnes orbis partes dispersi.* — *Thomas in Indiam mittitur.* — *Marci vlt.*

Cùm autem etiam in Ægypto monasteria exædificari, ac monachorum ingentia agmina cumulari cœpissent, atque eorum virtutis & vitæ rationis, ad Angelorum imitationem accedentis, fama orbis terrarum fines peruasisset, atque ad Indos vsque peruenisset, ipsos quoque ad eiusdem vitæ studium excitauit: adeò vt complures ipsorum, relictis omnibus rebus in solitudines concederent, atque in mortali corpore, eorum qui corporis expertes sunt vitæ rationem susciperent. Cùm igitur res præclaro statu essent, [6] atque aureis pennis, vt dici solet, in cælum plerique conuolarent, exurgit quidam rex in eadem regione, [7] Abenner nomine, vir opibus quidem ac potentiâ, victorijsque & bellicâ fortitudine, corporisque proceritate insignis, ac præterea vultus elegantiâ clarus, atque ob mundanos ocyssimeque marcescentes rerum successus insolenter se efferens; ceterùm, quantum ad animam attinebat, extremâ paupertate laborans, ac multis malis constrictus & enectus, quippe qui Gentilium partes teneret, ac superstitioso idolorum errori magnopere addictus esset. Porrò cùm rex in magnis delicijs ac vitæ oblectamentis & voluptatibus versaretur, nec res vlla esset, quæ non ex ipsius voluntate ac cupiditate succederet, vnum id demum erat, quod ipsi lætitiam interrumperet, animumque ipsius curis pulsaret, nimirum sterilitatis malum. Nam cùm filijs careret, hæc eum cura sollicitum habebat, quonam pacto his vinculis solueretur, ac susceptis liberis patris nomen obtineret: quo videlicet apud plerosque nihil est optatius. Atque huiusmodi rex hic erat, eaque mente ac sententiâ.

Monachorum vita angelicæ vitæ imitatio. — *Abenner Indorum rex idolis deditus.* — *Dolet quòd liberis careat.*

At illustrissima Christianorum natio, & monachorum cateruæ, regis cultum ac venerationem pro nihilo ducentes, nec ipsius minas metuentes, per Dei gratiam amplissimos progressus faciebant, vt qui in multitudinem omni sermone maiorem excrescerent, ac paruam omnino regis rationem haberent; ijs autem rebus, quæ ad Dei cultum pertinebant, singularem in modum dediti essent. Ac propterea permulti ex ijs, qui ad monasticum ordinem sese contulerant, omnia quidem ea quæ in vitâ iucunda sunt, peræquè contemnebant, soliusque pietatis amore tenebantur, ac mortis pro Christo subeundæ siti, futuræque beatitudinis cupiditate flagrabant. Eoque nomine, non timido ac dubitante animo, verùm perquam fidenti ac libero salutiferum Christi nomen prædicabant, Christumque vnum in ore habebant, atque fluxam & caducam præsentium rerum naturam, futuræque vitæ firmitatem & immortalitatem omnibus palàm apteque demonstrabant, ac velut subsidia quædam, & semina ipsis porrigebant, quorum ope ad Deum sese conferrent, vitamque in Christo absconditam consequerentur. Ex quo effectum est, vt multi, suauissimâ illâ doctrinâ perceptâ, ab acerbis erroris tenebris abscederent, atque ad dulcem veritatis lucem sese adiungerent: vsque adeò, vt nonnulli etiam illustres viri ac senatores, abiectis huius vitæ sarcinis, in monachorum album sese adscriberent.

Christiani & monachi intrepidè Christum prædicant. — *Coloss. 3.* — *Ex Indis senatoribus multi monachi fiunt.*

Rex autem vbi hæc intellexit, ingenti

iracundiâ commotus, atque indignatione feruens, statim edicto sanxit, vt Christiani omnes pietatem eiurare cogerentur. Ac deinceps noua suppliciorum genera comminiscebatur, atque inusitata mortis genera minabatur, litterasque ad omnes regionis ditioni suæ subiectæ partes mittebat, quibus & præfectis & ducibus imperabat, vt tormentis atque iniquis cædibus in homines pietate præditos grassarentur. Præsertim autem, in præstantissimos quosque monastici ordinis excandescebat, atque implacabile aduersum eos bellum excitabat. Ob eamque caussam piorum plerique animo vacillabant: alij autem, quia cruciatibus ferendis impares erant, nefario ipsius imperio parebant. At verò monasticæ classis duces atque antistites, partim ipsius iniquitatem coarguentes ac refutantes, martyrio vitam finiebant, atque ad sempiternam beatitudinem perueniebant; partim in solitudinibus & montibus sese occultabant, non tormentorum, quæ ipsis denuntiabantur, metu; verùm diuiniore quodam consilio ac prouidentiâ.

Rex Abenner monachos persequitur.

CAP. II. Cùm itaque huiusmodi caligo Indorum regionem inuasisset, ac pij & sancti viri vndique vexarentur, impietatis autem propugnatores opibus ac potentiâ florerent, atque cruoribus & victimarum nidore ipse quoque aër inficeretur, vnus è regiorum satraparum principibus, animi fortitudine, corporisque magnitudine ac pulchritudine, ceterisque alijs rebus, quibus corporis elegantia & animi generositas, tamquam certis quibusdam notis exprimi solent, alios omnes antecellebat. Quamobrem cùm impium illud edictum audisset, inani hac atque humi serpente gloriâ & delicijs valere iussis, ad monachorum cœtum sese aggregauit, atque in locis solitarijs exulans, ieiunijs & vigilijs, ac diligenti oraculorum diuinorum meditatione sensus suos apprimè repurgabat, animumque ab omni vitiosâ affectione solutum & abductum, eâ luce, quam tranquillitas à vitiosis affectionibus parit, illustrabat. Rex autem, cùm eum maiorem in modum diligeret, atque in honore ac pretio haberet, vt hoc audiuit, de amici iacturâ dolorem animo cepit, vehementiusque aduersus monachos exarsit. Atque cùm homines ad eum conquirendum quaquauersum misisset, & quemadmodum vulgò dicitur, [8] nullum non lapidem mouisset, quò eum inueniret, aliquantò pòst illi qui ad eum inuestigandum missi fuerant, vt eum in solitudine commorari senserunt, ita perscrutati sunt, vt tandem eum arriperent, atque ad regis tribunal sisterent. Rex autem, cùm eum, qui quondam splendidis vestibus vtebatur, atque in magnis delicijs vitam exigebat, tam viliter & abiectè amictum, ac religiosæ exercitationis asperitate afflictum, vitæque solitariæ signa haud obscurè gestantem conspexisset, mœrore simul atque iracundiâ implebatur, atque ex vtroque affectu temperato sermone, ita eum allocutus est:

Princeps quidam Indicus monasticam vitam suscipit.

Vestitus asperitas in monachis, & dura conuersatio.

O vecors & demens, quid te adduxit, vt honorem cum ignominiâ, & illustrem gloriam cum turpi ac dedecoris pleno habitu commutares? Siccine tu, qui regno meo præeras, atque in copias meas imperium militare obtinebas, teipsum puerorum ludibrium effecisti, ac non modò meæ amicitiæ memoriam ex animo procul eiecisti, verùm etiam aduersus ipsam naturam impetum fecisti, ac ne tuorum quidem filiorum miseratione affectus, tum opes, tum omnem vitæ splendorem pro nihilo putasti, tantamque ignominiam tam luculentâ gloriâ potiorem & præstabiliorem habuisti? Quidnam te ad hoc impulit, cuiusnam lucri spes, vt eum, qui Iesus nominatur, omnibus dijs atque hominibus anteponeres, ac duram hanc & superstitiosam vitæ rationem suauissimæ huiusce vitæ oblectamentis anteferres?

Regis impij mundo addicti oratio.

Hac oratione auditâ, vir ille Dei, lepidâ simul ac placidâ, & æquabili voce ad hunc modum respondit: Si sermones mecum conserere in animum inducis, ô rex, fac hostes tuos è medio tribunali submoueas: ac tum de his rebus, quas intelligere cupis, tibi respondebo. Illis autem præsentibus, nullus mihi ad te sermo erit. Citra sermonem autem excrucia, obtrunca, fac denique quidquid lubet. Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo, vt ait meus magister. Cumque rex dixisset: Quinam tandem sunt hi hostes mei, quos me hinc ablegare iubes? Iracundia, inquit ille, & cupiditas. Nam eæ primùm quidem ab omnium rerum parente atque architecto ita productæ sunt, vt naturæ opitularentur, ac nunc etiam eamdem ijs operam præbent, qui non vt carni, sed vt spiritui consentaneum est, viuunt. In vobis autem, qui prorsus carnales estis, nec vllam spiritus partem habetis, aduersariæ exstiterunt, eaque quæ inimicis & hostibus conueniunt, exsequuntur. Cupiditas etenim, cùm ei à vobis opera datur, voluptatem excitat: cùm autem aboletur, iracundiam. Proinde facessant ipsæ hodierno die abs te; præsint autem ad eorum, quæ à me dicentur, auditionem ac iudicium, prudentia & iustitia. Nam si iracundiam & cupiditatem de

Egregia viri Dei responsio.

Gal. 6.

Ira & cupiditas à tribunalibus ablegandæ.

de medio sustuleris, atque earum loco prudentiam & iustitiam induxeris, verè omnia tibi dicam. Atque rex his verbis est vsus: En petitioni tuæ cessi, atque cupiditatem & iracundiam è concilio eijciam: daboque operam, vt prudentia & iustitia interponantur.

Iam igitur absque vllo metu mihi expone, vnde tibi hic error obortus sit, vt ea quæ in vanâ spe posita sunt, ijs rebus quæ manibus tenentur, atque oculis cernuntur, anteponas. Respondens autem eremita dixit:

Pij principis responsio. Si intelligere cupis, ô rex, vnde hoc primùm mihi animo iniectum fuerit, vt caducas res contemnerem, ac me totum sempiternarum rerum spei traderem, audi. Olim, cùm adhuc iuuenili ætate essem, bonum ac salutare verbum audiui, cuius vis maiorem in modum me rapuit, ipsiusque memoriâ, diuini cuiusdam seminis instar, pectori meo insita ita permansit, vt numquam à me diuelli potuerit: adeò vt & radices egerit, & germen ediderit, ac maturo tempore fructum in me tulerit. Huius autem verbi hæc vis erat: Excordes, inquiebat ille, ac stolidi homines, animo ita comparati sunt, vt ea quæ sunt, perinde ac si non sint, aspernentur: ea autem quæ non sunt, perinde ac si sint, amplectantur, ac mordicus retineant. Qui autem eorum quæ sunt, dulcedinem minimè degustauit; is eorum, quæ non sunt, naturam perfectam habere non poterit. hanc porrò nisi exploratam habuerit, quonam modo ea contemnet ac pro nihilo putabit? Porrò per ea quæ sunt, hæc oratio sempiternas res, atque à iactatione alienas intelligebat: per ea autem quæ non sunt, hanc vitam & delicias, ac mendacem prosperitatem: quibus, ô rex, heu! cor tuum malè affixum est; egoque item quondam ea complectebar. Verùm huius sermonis vis, animum meum sine vllâ intermissione vellicans, mentem, quæ mei principatum tenet, ad id quod melius erat, eligendum excitabat. Ceterùm lex peccati, cum mentis meæ lege pugnans, ac velut quibusdam compedibus me vinciens, per affectum erga res præsentes, captiuum tenebat.

Cùm autem Saluatoris nostri benignitati ac bonitati me ex hac acerbâ captiuitate vindicare placuit, atque ipse menti meæ ad superandam peccati legem robur addidit, oculosque meos aperuit, vt mali ac boni delectum haberem; tum scilicet, tum, inquam, animaduerti ac vidi, præsentia omnia vanitatem & afflictionem spiritus esse, *Eccli. 1.* quemadmodum etiam sapientissimus Salomon quodam loco dixit. Tum peccati velamen è corde meo sublatum est, atque obscuritas ea, quæ ex corporis crassitie, animo meo incumbebat, discussa & dissipata: atque cuiusnam rei caussâ procreatus sum, agnoui: mihique faciendum esse, vt per mandatorum obseruationem, ad summum illum rerum omnium effectorem ascendam. Quapropter relictis omnibus rebus, eum secutus sum. Gratiasque Deo per Iesum Christum Dominum nostrum ago, quòd me ex luto & lateritio labore, ac crudeli & pestifero tenebrarum huius sæculi principe liberarit, viamque mihi compendiariam & procliuem ostenderit, per quam in hoc fictili corpore angelicam vitæ rationem amplexari possim. Cuius adipiscendæ studio, arctam hanc & angustam viam ingrediendam mihi duxi, sic videlicet animo constitutus, vt præsentium rerum vanitatem atque instabilem earum iactationem & conuersionem vehementer improbem, neque adduci possim, vt credam aliud quidquam, præter id quod verè bonum est, bonum appellandum esse. A quo tu, ô rex, miserè te abrupisti ac seiunxisti. Eaque de caussâ nos etiam à te disiuncti ac distracti sumus, quoniam tu in perspicuum & indubitatum exitium ruis, ac nos in idem periculum præcipites ferri cogis. Nam quamdiu in solâ mundi militiâ censebamur, nullam officij partem prætermittebamus. Ac tu quoque optimus testis eris, nos nec negligentiæ, nec socordiæ nomine vmquam esse notatos ac reprehensos.

Per mandatorum obseruationem, non per solam fidem, ad Deum adscendēdum.

Matth. 7.

Monachismus via compendiosa per quam angelicam quis potest ducere conuersationem.

Posteaquam autem id quoque, quod omnium bonorum caput est, hoc est pietatem, nobis extorquere, Deique detrimento (quod detrimentorum omnium extremum ac grauissimum est) nos afficere studuisti, nobisque interim honores ob eam caussam in nos collatos, atque amplissima beneficia in memoriam reuocas: quî fieri potest, vt non optimo iure te veri boni inscitiâ laborare dicam, vt qui omnino hæc inter se componas, pietatem scilicet erga Deum, cum humanâ amicitiâ & gloriâ instar aquæ defluente? Quonam item modo in hac re socij tibi futuri sumus, ac non contrà tum amicitiam, tum honorem, tum liberorum amorem, & si quid aliud maius esset, aspernabimur, cùm te, ô rex, in Deum sceleratè gerere conspiciamus, qui tibi ipsum esse & spiritum ducere præbuit, qui est Christus Iesus omnium Dominus: qui cùm principio careat, eiusdemque cum Patre æternitatis sit, cælosque ac terram sermone procrearit; hominem tamen

men suismet manibus effinxit, eumque immortalitate coornauit, regemque omnium rerum, quæ in terrâ sunt, constituit, eique, quod omnium rerum præstantissimum erat, hoc est paradisum, tamquam regiam quamdam aulam, attribuit. At ille inuidiâ deceptus, & in fraudem inductus, & voluptatis illecebris delinitus, his omnibus miserè deiectus est: & qui priùs beatus censebatur, miserum spectaculum præbebat, lacrymisque ob acceptam calamitatem dignus erat. Verùm enimuerò is, qui nos effinxerat ac procreauerat, benignis rursum oculis manuum suarum opus conspicatus, nullam diuinitatis suæ mutationem suscipiens, nostræ salutis caussâ, id quod nos sumus, citra peccatum factus est, atque crucem & mortem spontè subiens, hostem eum, qui iam inde ab initio generi nostro inuidebat, prostrauit, nosque acerbâ illâ captiuitate liberatos in priorem libertatem, pro suâ erga nos bonitate, restituit, eoque rursum, vnde nos inobedientia exturbauerat, ob suam erga nos humanitatem reduxit, maioreque quàm anteà honore prosecutus est.

Gen. 3. Sap. 2.

Hunc igitur, qui nostrâ caussâ tot cruciatus pertulit, tantisque rursum nos beneficijs affecit, hunc, inquam, ipse reijcis, atque eius Crucem dicterijs insectaris, totusque corporis delicijs, ac perniciosis affectibus affixus, ignominiosa ac turpitudinis plena simulacra deos appellas. Nec teipsum dumtaxat à cælestium bonorum coniunctione abstraxisti; verùm etiam omnes, qui tuis imperijs obtemperant, ab eâ remoues, atque in animæ periculum conijcis. Quocircà velim noscas, me minimè commissurum, vt tibi paream, in eademque tecum erga Deum ingratitudine verser; atque eum, qui præclarè de me meritus est, mihique salutem attulit, abiurem, etiamsi feris me lacerandum & absumendum obijcias, aut gladio, aut igni me addicas: quæ quidem in tuâ potestate sita sunt. Neque enim mortem extimesco, nec præsentia expeto: quippe quæ perquam imbecilla & vana esse compertum habeam. Quid enim in ipsis vtilitatis est? quid quod stabile sit ac diuturnum? Neque id solùm: verùm etiam, tum quoque cùm adsunt, ingens ipsis ærumna coniuncta est, ingens mœror, ingens & perpetua sollicitudo, siquidem eorum voluptati ac perceptioni nihil non mœstitiæ ac doloris adnexum est: ipsorum diuitiæ, paupertas sunt: ipsorum sublimitas, extrema deiectio. Quisnam autem eorum mala enumerando consequi possit? Quæ quidem paucis verbis Theologus meus mihi demonstrauit, his verbis vtens: Totus mundus in maligno positus est. ac rursum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Et mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Hanc igitur ego bonam Dei voluntatem quærens, omnia pro derelicto habui, cum ijsque me coniunxi, qui eâdem cupiditate tenentur, atque eumdem Deum expetunt. Inter quos non simultas est, non liuor, non mœrores & curæ: sed omnes idem curriculum obeunt, vt ad sempiternas eas mansiones perueniant, quas luminum pater ijs, à quibus amatur, præparauit. Hos ego pro parentibus, hos pro fratribus, hos pro amicis & familiaribus habeo. Ab ijs autem, qui quondam amici mei ac fratres erant, elongaui fugiens, & mansi in solitudine, Deum exspectans, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Præsentiũ rerum vanitas & instabilitas.

1. Ioan. 5. & 2.

Iac. 1. 1. Cor. 2.

Psal. 54.

Hæc cùm ita commodè ac iucundè à Dei homine dicta essent, rex iracundiâ quidem impellebatur, ac sanctum virum acerbis supplicijs excruciare cupiebat: rursum autem se reprimebat, atque id aggredi cunctabatur, venerandam ipsius dignitatem ac splendorem veritus. Sermonem verò excipiens, his eum verbis est allocutus:

Vndique, ô miser, exitio tuo studuisti, vt qui ad ipsum, fortunâ, vt videtur, te impellente, tum mentem tum linguam acueris, ac proinde obscuram quamdam atque inanem verborum næniam effuderis. Ac nisi sermonis principio me tibi facturum recepissem, vt è medio concilio iracundiam depellerem, nunc carnes tuas in ignem coniecissem. Quoniam autem ipse anteuertens, tibique cauens, huiusmodi verbis me obuinxisti; audaciam tuam, ob pristinam meam erga te amicitiam fero. Quamobrem exurge, atque ab oculis meis profuge. non iam te videbo, sed malè mactabo.

Ita egressus Dei homo in solitudinem secessit, mœrore quidem eo nomine affectus, quòd martyrium minimè obijsset, ceterùm nullo non die, quantum ad conscientiam attinet, martyrio fungens, atque aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum huius sæculi, aduersus spiritualia nequitiæ, vt ait beatus Paulus, dimicans. Cùm igitur ille abijsset, rex grauiore iracundiâ concitatus, acriorem persecutionem aduersus monasticum agmen exercere, maioreque honore

Ephes. 6.

nore simulacrorum cultores ac sacerdotes afficere cœpit.

CAP. III. Cùm autem rex in tam graui errore atque impostura versaretur, nascitur ei elegantissima forma filius, atque ex eâ pulchritudine, quæ ipsi affusa erat, id quod futurum erat præsignans. Sic enim sermone ferebatur, in illâ terrâ puerum, pari pulchritudine ac venustate nusquam extitisse. Rex autem ob pueri natiuitatem maximo gaudio perfusus, eum Iosaphat nominauit: atque ad idolorum templa demens se contulit, vt dementioribus sacrificia offerret, laudesque ad edendam grati animi significationem persolueret: ignorans nimirum, quisnam bonorum omnium verè auctor esset, ad quem spirituale sacrificium adhiberi deberet. Ille igitur rebus inanimis & surdis filij ortum acceptum ferens, quaquà versum missis nuntijs plebem ad eius natalitia celebranda cogendam curabat. Ac cernere erat omnes regis metu confluentes, secumque ea, quæ ad sacrificium accommodata erant, afferentes, pro cuiusque scilicet facultatum modulo, atque erga eum beneuolentiâ. Præsertim autem ipse stimulos eis ad munificentiam admouebat, vt qui quamplurimos & maximos boues mactandos offerret. Atque ad hunc modum luculentissimo festo peracto, omnes, tam qui Senatorij ordinis erant, magistratuque fungebantur, quàm militum manum, atque etiam plebeios & ignobiles amplissimis donis prosequebatur.

Regi nascitur filius Iosaphat.

Ob natalē Iosaphat sacrificia offert.

In ipso autem natalitiorum filij sollemni die, delecti viri circiter quinquaginta, qui in eâ Chaldæorum sapientiâ, quæ in conspiciendis notandisque sideribus versatur, studium atque operam collocarent, ad regem conuenerunt. Quos cùm rex propiùs ad se accedere iussisset, de singulis percunctabatur, quidnam puer in lucem editus futurus esset. Illi autem longâ consideratione habitâ, futurum dicebant, vt opibus ac potentiâ floreret, atque omnes, qui regnum ante ipsum obtinuissent, superaret. Vnus verò Astrologus, qui socios omnes suos eruditione anteibat, his verbis vsus est: Quantum ex siderum cursu addiscere possum, ô rex, filij, qui nunc ex te ortus est, amplitudo atque profectus non in tuo regno erit, sed in altero præstantiore, atque incomparabiliter excellentiore. Atque ipsum Christianorum quoque religionem, quam tu insectaris, arrepturum existimo: nec eum ab hoc scopo ac spe aberraturum puto. Hæc scilicet dixit Astrologus, vt olim Balaam: non quòd Astrologia veritate nitatur, sed quòd Deus, vt omnis impijs excusatio amputaretur, veritatem per ipsos aduersarios ostenderet.

Rex Astrologos de filio consulit.

Vnus dicit Christianū fore.

Num. 23.

Rex autem, vt hæc intellexit, eiusmodi nuntium grauiter ac molesto animo excepit, voluptatemque suam mœstitiâ interrumpi sensit. Nihilominùs tamen, in priuatâ quadam ciuitate, pulcherrimo palatio extructo, splendidaque domo elaboratâ, illic filium collocauit, iussitque vt exactis primis ætatis annis, nullis ad eum accessus pateret. Atque pædagogos ipsi & ministros ætate florentes, eximiaque formâ præditos constituens, hoc ipsis mandauit, vt nihil eorum quæ in hac vitâ molesta sunt, perspectum ipsi facerent, non mortem, non senectutem, non morbum, non paupertatem, non quidquam aliud molestiæ, quodque ipsi oblectationem interpellare posset: verùm omnia iucunda, & cum suaui fructu coniuncta proponerent, vt in his ipsius animus cum voluptate ac delicijs versans, nihil omnino rerum futurarum cogitatione complecti posset, ac ne verbo quidem tenus de Christi religione, ipsiusque decretis quidquam audiret. nam hoc præ omnibus rebus ipsi occultare in animo habebat, Astrologi nimirum vaticinium veritus. Quòd si ministrorum aliquem in morbum incidere contigisset, eum statim illinc eijci iubebat, alterumque nitidum optimeque valentem ipsi substituebat: vt ne quid omnino salebrosi atque acerbi in filij oculos incurreret. Ad hunc modum se rex gerebat, atque hæc cogitabat, & agebat. Videns enim non videbat, & audiens non intelligebat.

Rex omnes molestias procul à filio arcere studet.

Cùm autem certior factus fuisset, monachos nonnullos (quorum ne vestigium quidem vllum reliquum esse putabat) adhuc superesse, iracundiâ æstuabat, atque acerrimo impetu in eos ferebatur, ac præcones passim totâ vrbe & regione procursare imperabat, qui edicerent, ne monastici ordinis quisquam vsquam omnino post triduum inueniretur: quòd si inueniretur, flammis addiceretur. Hi enim sunt, inquiebat, quorum auctoritate populus adducitur, vt eum, qui cruci suffixus est, pro Deo colat. Intereà autem huiusmodi quiddam accidit, quod maiorem ipsi indignationem excitauit, eumque monachis infensiorem reddidit.

CAP. IV. Inter homines dignitate præditos quidam erat, qui primas in aulâ obtinebat, vir eleganti vitâ, ac fidei pietate, quique saluti suæ operam summo studio dabat: occultè tamen, ob regis metum. Quamobrem nonnulli, ob eam, quâ apud regem pollebat, auctoritatem ipsi inuidentes, eum crimina-

Quidam princeps occultè Christianus.

minari studebant, ac summopere laborabant. Et quidem cùm rex aliquando satellitum manu pro suo more septus, ad venationem profectus fuisset, in venatorum numero probus ille vir erat. Cùm autem ipse solus ambularet (diuino, vt opinor, consilio ita ferente) hominem inter densas arbores humi prostratum, ac pede à ferâ quadam grauiter contritum, offendit. Qui quidem ipsum prætereuntem intuens, precibus ab eo contendebat, ne se præteriret, verùm calamitatis suæ miseratione afficeretur, atque in domum suam abducendum curaret. Simul etiam illud adiunxit, suam operam ipsi non prorsus inutilem atque inanem fore. Præclarus autem ille vir ei dixit: Equidem ipse virtutis studio atque amore te assumam, tuique quàm maximam potero curam geram. verùm quæ tandem est hæc vtilitas, quam abs te ad me redituram esse ais? Pauper autem ille & imbecillis: Ego, inquit, sermonibus læsis medeor. Nam si quando in verbis aut colloquijs vulnus aliquod aut afflictio inueniatur, consentaneis medicamentis ea curo, ac ne malum vlteriùs serpat, prohibeo. Pius itaque ille vir, quamquam id quod dixerat, nullius momenti duceret, tamen diuini mandati caussâ eum in domum suam deferri, eique quam par erat, curam adhiberi iussit. At inuidi illi & liuore perciti homines, de quibus antè locuti sumus, improbitatem, quam iam pridem parturiebant, in lucem proferentes, ipsum apud regem hoc nomine accusant, quòd non solùm amicitiæ ipsius oblitus, deorum cultum neglexisset, atque ad Christianam religionem animum inflexisset, verùm etiam aduersus ipsius maiestatem grauia moliretur, popularem scilicet turbam peruertens, omniumque beneuolentiam sibi concilians. Quod si pro certo scire cupis, inquiunt, nihil nos fingere atque comminisci, priuatim ei, tentandi ipsius caussâ, dic te relictâ patriâ religione ac regni gloriâ, Christianam fidem amplecti, habitumque monasticum, quem olim tamquam parùm honestum persecutus es, induere velle. Nam qui hæc aduersus virum illum scelerate confingebant, ipsius animi institutum ad compunctionem propensissimum exploratum habebant: nec dubitabant, quin si hæc verba à rege audiret, statim ipsi quod præstantius esset suadens, auctor futurus esset, vt ijs quæ rectè consulta essent, nullam moram afferret, atque hinc vera esse, quæ dicebant, inuenirentur.

Pauperem à pede misero suscipit.

Accusatur callidè ab æmulis.

Rex autem, quâ vir ille erga se beneuolentiâ esset, minimè ignorans, ea, quæ dicebantur, probabilitate omni carere, ac falsa esse censebat. Neque sibi faciendum esse ducebat, vt ea temerè susciperet, verùm rem ipsam, atque obiectum crimen exploraret. Quapropter cùm eum remotis arbitris acciuisset, tentandi ipsius caussâ ita eum est allocutus: Nosti, ô amice, quonam modo aduersum eos, qui monachi dicuntur, atque adeò aduersus omnes Christianos me gesserim: nunc autem eo nomine pœnitentiâ ductus, atque præsentium rerum pertæsus, ad spes illas, quas eos commemorantes audiui, nempe immortalis cuiusdam regni, quod in aliâ vitâ futurum est, me conferre cupio: (nam præsens regnum morte omnino interrumpitur.) istud autem me nullo alioqui modo consequi, ac voti mei compotem esse posse existimo, nisi Christianus fiam, regnique mei gloriæ ac reliquis huiusce vitæ iucunditatibus & voluptatibus dictâ extremâ salute, illos religiosæ vitæ cultores, & monachos, quos iniquè & scelerate expuli, quocumque tandem in loco sint, inquirens, ipsis me admisceam. Ad hæc, quid ipse ais? & quid mihi faciendum censes? dic quæso, per veritatem ipsam te obtestor. Non enim me fugit, te supra omnes mortales veri studiosum, atque animi probitate præditum esse. Bonus autem ille vir, vt hæc audiuit, abstrusam fraudem nullo modo agnoscens, animi compunctione affectus est, lacrymisque profusus, simplici animo respondit: Rex, æternùm viue: bonum & salutare consilium inijsti. Quoniam etiamsi cælorum regnum ægrè inueniri potest: tamen ipsum omnibus viribus quærendum est: Qui enim quærit, inquit ille, ipsum inueniet. Præsentium autem rerum fructus licet in speciem oblectet ac voluptatem afferat, pulchrum tamen est eum propellere ac propulsare. Etenim noster tum denique est, cùm est: & quos oblectat, multò magis rursum excruciat. Nam & ipsius suauitatis & molestiæ vmbrâ imbecilliores sunt, ac velut nauis in mari cursum tenentis, aut auis aërem peragrantis vestigia quàm ocyssimè euanescunt. Contrà, futurorum spes, quam Christiani prædicant, firma ac tutissima est, tametsi in mundo pressuram habeat. Ac iucunditates quidem eæ, quibus nunc fruimur, breues sunt: illic autem nihil omnino præter supplicium, ac numquam finiendos cruciatus accersunt. Harum enim rerum suauitas fluxa & temporaria est; acerbitas autem sempiterna: Christianorum contrà labor quidem temporarius est, voluptas autem & vtilitas immortalis. Quamobrem feliciter velim cedat bonum tuum consilium.

Callida regis oratio ad pium principem.

Rex monachum se velle fieri simulat.

Pij Principis pia responsio.

Lucæ 11.

Sap. 5.

Ioan. 16.

lium. Pulchrum est enim, ac valdè pulchrum, ea quæ interitu obnoxia sunt, cum sempiternis commutare.

Rex iram premit. His verbis auditis, rex vehementer quidem indignatus est: ceterùm iracundiam compressit, neque ipsi tum quidquam locutus est. At ille, vt qui prudens ac sagax esset, regem sua verba grauiter & molestè accepisse animaduertit, versutoque animo id dumtaxat egisse, vt ipsius animum exploraret: domumque reuersus, in mœrore atque languore versabatur, addubitans videlicet, quonam modo regis animum mitigaret, atque impendens sibi periculum effugeret. Cùm autem insomnis noctem totam exigeret, eius, qui pedis infractione laborabat, in mentem ipsi venit: eumque ad se accitum ita est allocutus: Memoriâ teneo, te mihi hoc dixisse, quòd noxijs verbis medearis. Ille autem, Est ita, inquit: & si opus est, scientiæ meæ specimen edam. Senator autem sermonem excipiens, ipsi veterem suam erga regem beneuolentiam & auctoritatem, quam apud eum obtineret, exposuit: recentemque item sibi versuto animo adhibitum sermonem: & quemadmodum ipse quidem probè respondisset, ille autem ipsius sermonem molesto animo accipiens, per vultus mutationem, iram in intimo pectore latitantem ostendisset.

Pauper pio principi dat consilium. Pauper autem ille & infirmus, re cum animo suo consideratâ, dixit: Noscas oportet, vir illustrissime, regem malam ac sinistram aduersum te opinionem concepisse, nempe quòd ipsius regnum occupare studeas: atque tentandi tui studio ea dixisse, quæ dixit: quamobrem fac exurgas, ac tonso capite, splendidisque his vestibus abiectis, atque induto cilicio, cùm primùm luxerit, ad regem adeas. hoc autem sciscitante quidnam sibi hic habitus velit, responde: De ijs rebus, de quibus mecum hesterno die collocutus es, ô rex, en adsum, paratus te in hac viâ, quam ingredi constituisti, sequi. Nam etsi deliciæ ac voluptates iucundæ sunt: absit tamen vt eas post te retineam. At verò virtutis iter, quod ingredi paras, licet arduum & asperum sit, tamen, modò tecum sim, facile & procliue ac iucundum erit. Vt enim me oblectamentorum huius vitæ socium habuisti, ita etiam molestiarum habiturus es: quò etiam in futurorum bonorum societatem tecum veniam. Præclarus igitur ille vir infirmi hominis verba comprobans, fecit quemadmodum ipse monuerat. Eum itaque rex videns atque audiens, hac quidem de caussâ delectatus est, ipsius nimirum erga se beneuolentiam admirans: atque falsa esse, quæ aduersus eum ad se delata fuerant, intelligens, maiore eum honore atque apud se auctoritate ac familiaritate donauit. Ceterùm aduersus monachos rursum irâ exarsit, eorum scilicet hæc præcepta esse dicens, vt homines ab huiusce vitæ voluptatibus abstineant, atque incertâ spe, tamquam per somnium sese illudi sinant.

Cùm autem rursus ad venationem egrederetur, duos monachos per desertum iter facientes cernit. Quos statim comprehendi, & ad currum suum adduci iussit. *Rex duos monachos capit.* Atque iracundis oculis eos intuens, [19] ignemque, vt dici solet, spirans; An non audijstis, inquit, ô impostores & circumscriptores, præcones meos apertè proclamantes, nequis vestri diabolici instituti, post triduum in vrbe aut vllâ regni mei regione inueniretur, aut alioqui prorsus igni cremaretur? Monachi autem, En, inquiunt, pro eo ac iussisti, ex vrbibus tuis ac regionibus excedimus. Verùm cùm longum nobis iter propositum sit, vt ad fratres nostros proficiscamur, ac cibo careamus, hac viâ incedimus, vt nobis viatica suppetant, nec fame absumamur. Rex autem inquit: Qui mortis minas metuit, huic cibos comparare minimè vacat. Monachi autem, Rectè dixisti, ô rex, inquiunt: qui mortem metuunt, id curant, quonam pacto eam effugiant. Quinam autem hi sunt, nisi qui fluxis rebus intabescunt, easque ad stuporem vsque mirantur? *Quibus mors terrori esse soleat.* Qui quidem cùm in alterâ vitâ quidquam boni sese consecuturos esse desperent, à præsentibus diuelli nequeunt, ob eamque caussam mortem timent. At nos, qui iam pridem mundum, & ea quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamque & angustam viam Christi caussâ ingredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur: verùm futurarum dumtaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam & præstantiorem vitam transitus efficitur, idcircò cupiditati potiùs nobis est quàm terrori. *Mors pijs transitus est ad vitam.*

Hîc rex per solertiam, videlicet monachos arripere cupiens, dixit: Quid? An non paulò antè vos secedere dixistis, vt meo imperio pareatis? Quòd si mortem minimè timetis, quid est quamobrem fugam ineatis? En hæc quoque frustrà & inaniter iactantes, mentiti estis. Responderunt monachi: Non idcircò fugimus quòd denuntiatam nobis abs te mortem pertimescamus: verùm tui miseratione commoti, ne grauiorem condemnationem tibi accersamus, secedere in animum induximus. *Cur pij interdum grassante persecutione secedant.*

Nam

Nam alioqui, quantum ad nos attinet, nullo modo minas tuas expauescimus. Ad hæc rex irâ commotus ipsos exuri iussit. Sicque Dei famuli extremo vitæ die functi, martyrij coronam per ignem adepti sunt. Statimque editum promulgatum est, vt si quis monachus inueniri posset, sine vllâ inquisitione trucidaretur. Atque ita nullus huiusmodi ordinis in illâ regione reliquus factus est, nisi qui in montibus, & speluncis, & cauernis terræ sese occultarant. Verùm hæc hactenus.

Duo monachi igne cremantur.

CAP. V.

Regis filij studia.

At regis filius, de quo initio nobis oratio instituta est, in palatio quod ipsi exstructum fuerat, ita manens, vt à nemine adiri posset, iuuenilem ætatem tandem attigit (cùm intereà omnem tam Æthiopum quàm Persarum doctrinam percepisset) prudens & cordatus, atque omnibus virtutum dotibus illustris. Quin naturales etiam quæstiones præceptoribus suis proponebat: adeò vt ipsi quoque adolescentis ingenium animique acumen admirarentur, rexque etiam ipse ex vultus ipsius venustate, animique habitu, in stuporem traheretur. Mandabat autem his, qui cum eo versabantur, vt darent operam, ne quid prorsus eorum quæ in hac vitâ molesta sunt, intelligeret, nec omnino quòd mors præsentes voluptates exciperet. Ceterùm inani spe nitebatur, atque (vt prouerbio dicitur) [11] in cælum sagittas mittere conabatur. Quonam enim modo mors humanæ naturæ incognita esse posset? itaque ne pueri quidem cognitionem effugit. Nam cùm animum summâ sagacitate ornatum & instructum haberet, secum ipse considerabat, quidnam patrem adduxisset, vt ipsi omnium aditum interdiceret, nec quemlibet ad se accedere pateretur. Per se enim intelligebat, hoc citra patris imperium non fieri. Ceterùm ipse interrogare verebatur, tum quòd minimè vero consentaneum esse diceret, quin pater ea, quæ ipsi conducerent, animaduerteret: tum quòd illud secum reputaret, si id de patris voluntate fieret, quantumlibet ipse percontaretur, se tamen rei veritatem minimè intellecturum esse. Quapropter ex alijs, ac non à patre hæc scire constituit. Itaque cùm vnum è pædagogis reliquis chariorem ac familiariorem haberet, eumque maiore adhuc beneuolentiâ sibi deuinxisset, atque amplissimis muneribus affecisset, ab eo sciscitabatur, quidnam regem impulisset, vt eum in hoc septo inclusum teneret. Illud etiam adiungebat: Si mihi apertè hoc exposueris, omnibus te anteponam, perpetuæque amicitiæ fœdus tecum feriam. Pædagogus autem, vt qui etiam ipse prudens & cordatus esset, puerique sagacitatem ac numeris omnibus absolutam prudentiam exploratam haberet, neque sibi ab eo periculum vllum conflatum iri existimaret, omnia ei sigillatim exposuit, nempe & persecutionem aduersus Christianos, ac potissimùm aduersus eos, qui se pietati colendæ totos deuouissent, promulgatam: & quemadmodum ab omnibus finitimis locis expulsi & eiecti fuissent: atque item ea, quæ ipso in lucem edito Astrologi prædixissent. Ne igitur, inquit, auditâ eorum doctrinâ, eam religioni nostræ præferas, idcircò à rege data opera est, ne multi tecum consuetudinem haberent, sed pauci omnino. Ac nobis etiam atque etiam mandauit, vt studeremus, ne quid huiusce vitæ molestiarum per nos intelligeres.

Rogat quâ de caussâ exire sibi non liceat.

Respondetur, ne Christianus fiat.

Hæc vt adolescens audiuit, nullum alterum verbum adiunxit. Ceterùm salutaris sermo ipsius pectus tetigit, ac Paracliti gratiâ spirituales ipsius oculos aperire aggressa est, eum ad verum Deum, tamquam porrectâ manu ducens, quemadmodum orationis progressu demonstrabimus. Cùm autem rex ipsius pater crebrò eum viseret, (singularis etenim ipsius erga eum amor erat) quadam die his verbis ad eum filius vsus est: O here ac rex, aliquid ex te scire cupio, cuius caussâ perpetuus mœror, atque omnis intermissionis expers sollicitudo animum meum exest ac conficit. Pater autem ex hoc ipso sermone intimis visceribus discruciatus, ait: Dic mihi, charissime fili, quisnam sit hic mœror, qui te obsidet; ac statim eum in gaudium commutare studebo. Tum puer, Expone, inquit, quidnam caussæ sit, cur hîc detinear, atque inter muros & ianuas abs te concludar, eoque statu sim, vt à nemine adiri ac cerni queam. Quoniam, ô fili, inquit rex, nolo quidquam videas, quod pectori tuo molestiam afferat, tibique voluptatem interpellat. Siquidem hoc ago ac specto, vt in perpetuis delicijs, atque omni gaudio animique voluptate, omne vitæ tempus traducas. At velim scias, ô here, inquit filius ad patrem, me hoc modo non in gaudio atque animi voluptate, sed potiùs in afflictione atque ingenti angustiâ vitam agere: adeò vt ipse quoque cibus ac potus fastidio mihi & acerbitati sit: etenim gestit animus ea, quæ extra has ianuas sunt, perspicere. Quamobrem si me lætè ac iucundè viuere cupis, iube me arbitratu meo foras progredi, atque earum rerum, quarum prospectus mihi negatur, spectaculo animum oblectare.

Petit à patre vt egredi possit.

Hæc vt rex audiuit, mœstitiâ affectus est,

est, illudque cogitabat fore, vt si illi quod petebat denegaret, maiorem ei mœrorem ac sollicitudinem afferret. Quocircà se, quæ grata ipsi essent, facturum dixit. Ac statim eximios equos ac satellitum manum regiæ dignitati congruentem parari iussit, eique foras, quoties vellet, progrediendi potestatem fecit. Ijs autem, qui cum eo versabantur, summopere mandauit, vt curarent, ne quid iniucundi obuiam haberet: verùm quidquid pulchrum & amœnum ac iucundum esset, ipsi ostenderent; choreasque in vijs agitarent, suauissimisque cantionibus operam darent, ac varia spectacula constituerent: vt ipse mentem his rebus occuparet atque oblectaret.

Concedit pater.

Cùm igitur regis filius ad hunc modum foras crebrò progrederetur, quadam die ministrorum obliuione factum est, vt duos viros perspiceret, quorum alter leprâ, alter cæcitate laborabat. Quos conspicatus, atque animi mœstitiâ affectus, ab ijs qui secum erant, quinam hi essent, & quodnam graue hoc spectaculum esset, percontatus est: illi autem, cùm id, quod in ipsius aspectum venerat, occultare non possent, has humanas calamitates esse responderunt, quæ ex corruptâ materiâ, & corpore vitiosis humoribus pleno, mortalibus contingere solent. Tum ille: Cunctísne hominibus hæc accidere consueuerunt? Non cunctis, inquiunt illi, verùm ijs dumtaxat, quorum valetudo propter improbos humores deprauata sit. Rursum igitur sciscitari perrexit adolescens: Si non omnes homines in has calamitates incidere consueuerunt, sed quidam dumtaxat, exploratum ne est, quinam sint, quos malorum acerbitates arrepturæ sint; an contrà citra vllam distinctionem atque ex improuiso conflantur? Et quis tandem hominum, responderunt illi, futura perspicere, ac perfectè intelligere queat? Hoc enim humanæ naturæ captum excedit, ac solis immortalibus dijs attributum est. Hic percontandi quidem finem fecit regis filius: verùm ex huiusmodi spectaculo dolorem animo cepit, reique nouitate ita affectus est, vt oris ipsius forma immutaretur.

Iosaphat leprosum conspicit & cæcum.

Rogat morborum caussam.

Rursum autem foras progrediens, in capularem quemdam senem incidit, rugatâ facie, fractis ac dissolutis tibijs, curuo corpore, capite prorsus cano, qui præterea dentibus carebat, atque concisum quiddam & interruptum loquebatur. Stupore itaque correptus, cùm hominem eum propiùs ad se adduci iussisset, eos, qui tum aderant, interrogabat, Ecquidnam tam insolens spectaculum esset. Illi autem dixerunt: Hic ætate valdè prouectus, ac paulatim decedentibus ipsi viribus, membrisque imbecillitatem contrahentibus, ad hanc quam cernis ærumnam peruenit. Et quisnam, inquit ille, ipsius finis est? Nihil aliud, inquiunt illi, quàm mors ipsum excipiet. Omnibúsne hominibus, inquit ille, hoc propositum est, an quibusdam dumtaxat contingit? Responderunt illi: Nisi mors anteuertens aliquem hinc abducat, fieri non potest, quin temporis progressu status huiusce periculum non faciat. Tum adolescens: Quoto anno hoc cuipiam contingit? atque prorsúsne mori necesse est, neque ars vlla est, quâ mortem effugiamus, atque in hanc calamitatem minimè incidamus? Dicunt ei: Octogesimo, aut centesimo anno ad hanc senectutem homines perueniunt, ac deinde moriuntur: nec aliter fieri potest. Debitum enim naturale mors est, hominibus ab initio impositum: neque vllâ ratione ipsius aduentus vitari potest.

Miratur decrepitum senem.

Mors, naturale debitum est.

Hæc omnia, vt sagax ille ac prudens adolescens audiuit atque intellexit, intimo corde ingemiscens, dixit: Acerba hæc vita est, atque omni dolore ac mœstitiâ plena, si res ita se habet. Et quonam modo quispiam in incertæ mortis exspectatione, cuius aduentus non modò vitari non potest, sed etiam, vt dixistis, incertus est, securo animo erit? Abijtque hæc secum voluens atque assiduè considerans, mortisque memoriam identidem animo repetens, ac deinceps in doloribus animique consternatione viuens, atque in perpetuo mœrore degens. Atque apud se dicebat: Ergóne mors me aliquando corripiet? Et quisnam erit, qui mei post mortem meminerit, cùm tempus omnia obliuione contriuerit? Num præterea morte functus in nihilum dissoluar: an contrà, altera quædam vita est, & alter mundus? Hæc, & his similia perpetuò cogitans, pallore conficiebatur. Præsente tamen patre, si quando ad eum veniret, hilarem ac mœrore vacuum animum præ se ferebat: quòd scilicet ea, quæ cogitabat, ad ipsius cognitionem venire nollet. Incredibilem autem in modum aliquem nancisci cupiebat, qui ipsius pectori certam fidem faceret, ac bonum sermonem ipsius auribus instillare posset.

An moriturus sit rogat.

Apud patrem dissimulat.

Quocircà de pædagogo eo, cuius antè mentionem fecimus, rursum quærit, num quem norit, qui ad eam rem, cuius cupiditate flagrabat, adiumento ipsi esse, ipsiusque mentem, grauibus cogitationibus æstuantem, atque huiusmodi curam abijcere nequeuntem, confirmare possit. Ille autem

Quærit qui se instruat.

autem ea quæ priùs dicta fuerant, in memoriam rursus ipsi reuocans, dicebat: Iam quoque priùs tibi exposui, quemadmodum pater tuus sapientes illos viros, ac pietati colendæ deuotos, qui de huiusmodi rebus disputant, partim obtruncarit, partim irato atque infenso animo expulerit: nec vllum eiusmodi in totâ hac vndique regione cognosco. Quo quidem nomine magnâ ille molestiâ impletus, grauique animi vulnere affectus, ei similis erat, qui ingentem thesaurum amisit, atque in eius inuestigatione mentem totam occupatam ac defixam habet. Ac proinde in perpetuo languore & sollicitudine versabatur, omnesque mundi iucunditates & voluptates in ipsius oculis piaculi cuiusdam & execrationis instar erant. Cùm autem hoc animi statu esset, ac magno cum gemitu bonum inuenire cuperet, insomnis ille oculus, qui omnia cernit, atque omnes saluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire vult, ipsum aspexit, suamque ipsi consuetam benignitatem ostendens, quodnam iter tenendum esset, hoc modo demonstrauit.

1. Tim. 2.

CAP. VI.

Erat enim eo tempore monachus quidam diuinarum rerum peritus, vitaque ac sermone ornatus, atque in omni monasticâ viuendi ratione summopere versatus: vnde oriundus, aut ex quo genere, dicere nequeo, verùm in solitudine quadam Sennaaritidis terræ domicilium habens, ac sacerdotij dignitate præditus. Huic porrò seni Barlaam nomen erat. Hic igitur cùm diuino quodam admonitu, quonam statu regis filius esset, comperisset, è solitudine egressus, ad cultam & habitabilem terram profectus est: mutatoque habitu suo, atque indutis mundanis vestibus, & conscensâ naui, ad Indorum regnum se contulit, ac mercatorem se esse fingens, in eam vrbem in quâ regis filius palatium habebat, ingreditur. Permultosque dies illic commoratus, qui rerum ipsius status esset, diligenter exquisiuit, & quinam essent qui propiùs ad eum accedere solerent: cùm igitur pædagogum eum, de quo superiùs à nobis mentio facta est, ipsi omnium familiarissimum esse intellexisset, seorsim eum conueniens, his verbis vsus est:

Barlaam monachus in Sennaaritide terrâ.

Barlaam diuino admonitu in Indiam proficiscitur.

Regis filij pædagogum consulit.

Scias velim, domine mi, me mercatorem esse, atque ex longinquâ regione venisse, eximijque pretij lapidem habere, cui nullus vmquam similis inuentus est: quemque nemini adhuc ostendi. Tibi autem hoc declaro, quòd te prudentem ac cordatum virum esse videam, vt me ad regis filium introducas, ipsique eum dono dem. Siquidem bona omnia incomparabiliter antecellit. Nam & ijs qui cordis oculis capti sunt, sapientiæ lucem affert, & surdis aures aperit, & mutis vocem impertit, & ægrotantes in sanitatem asserit, & stultos sapientiâ donat, & dæmones pellit, ac denique quidquid pulchrum & expetendum est, domino suo vberrimè suppeditat. Ait ad eum pædagogus: Te quidem hominem grauis atque constantis animi esse video; cęterùm verba tua immodicam quamdam iactantiam præ se ferunt. Quod enim excellentes atque ingentis pretij lapides & vniones viderim, quonam modo enumerando recensere queam? nec tamen vmquam aut vidi aut audiui, qui eas quas commemorasti, vires haberent. Verumtamen eum mihi ostende, ac si talis est qualem ais, sine vllâ cunctatione ad regis filium te introducam, quite maximis honoribus ac beneficijs ornabit. Priusquam autem per ipsum oculorum obtutum, qui falli nequit, dicta tua confirmaris, fieri non potest, vt domino meo ac regi de re incertâ & incognitâ, hæc tam immodica ac prætumida renuntiem. Dixit autem Barlaam: Rectè dixisti, te huiusmodi vires ac facultates nec vmquam perspexisse, nec audisse. Etenim oratio ad te mea non de re vulgari, sed ingenti quadam & admiranda est. Quod autem eum cernere quæsiuisti, audi quid dicam.

Regis filio lapidem pretiosum se daturum promittit.

Lapis hic summi pretij, præter eas quas dixi vires & facultates, hanc etiam habet. Eum enim promptè ac facilè prospicere non potest, qui sanum ac firmum oculum, corpusque purum atque ab omni spurcitie alienum non habet. Nam si quis his duabus rebus non rectè comparatis, in hunc pretiosum lapidem oculos temerè ac petulanter iniiciat, ipsâ quoque scilicet, quâ præditus est, cernendi vi ac mente insuper mulctabitur. Ego porrò, vtpote medicinæ minimè rudis & ignarus, oculos tuos parum sanos esse conspicio: ac proinde vereor, ne hanc quoque quam habes, cernendi facultatem amittas. Verùm de regis filio audiui, eum tum vitæ castitate præditum esse, tum pulchros ac perspicaces oculos habere. Quocircà thesaurum hunc ipsi ostendere minimè dubitabo. Quamobrem ne commiseris, vt hoc negligas, ac re tanti momenti dominum tuum priues. Ille autem ad eum dixit: Si hæc ita se habent, ne mihi lapidem ostendas. siquidem plurimis peccatis vita mea inquinata est, ac præterea ne oculos quidem satis sanos habeo. De hac autem re dominum meum regem certiorem facere minimè cunctabor. Hoc sermone habito, ad regis filium

Lapis hic non nisi casto oculo videri potest.

filium ingressus, omnia ei sigillatim exposuit. Ille autem vt præceptoris verba audiuit, spirituali quadam lætitiâ & voluptate pectus suum afflari sensit: ac velut numine correptus, hominem celeriter introduci iussit.

Barlaam regis filium accedit. Vt igitur ingressus est Barlaam, eique quam conueniebat, pacem dedit, sedere iussus est. Cumque præceptor secessisset, Iosaphat ad senem dixit: Velim mihi pretiosum illum lapidem ostendas, de quo magna & admiranda âbs te commemorari præceptor meus mihi narrauit. Barlaam autem suam ad eum disputationem ad hunc modum auspicatus est: Haudquaquam æquum est, ô rex, ad illustrem tuam excellentiam quidquam falsò & inconsideratè à me dici. Omnia enim, quæ de me ad te allata sunt, vera atque ab omni dubitatione aliena sunt. Verùm nisi prudentiæ tuæ priùs periculum fecero, nefas est hoc mysterium tibi declarare. Ait enim *Matth. 13.* Dominus meus: Exijt qui seminat, seminare. Et dum seminat, alia quidem ceciderunt secus viam, & volucres cæli comederunt illa. Alia ceciderunt super petrosa, vbi non erat terra multa, & confestim exorta sunt, eò quòd non haberent terram multam. Sole verò exorto æstuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt inter spinas, & surgentes spinæ suffocauerunt ea. Alia postremò ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum centuplum. Quocircà si in *Quibus piadoctrina prædicanda sit.* corde tuo frugiferam ac bonam terram inuenero, diuinum semen in te conijcere, atque ingens mysterium tibi aperire minimè dubitabo. Si autem petrosa ea & spinea fuerit, viaque à quolibet calcata, omnino salutare hoc semen haudquaquam serere, ipsumque auibus & feris, ante quas margaritas proijcere mihi prorsus interdictum est, in prædam obijcere præstiterit. Verùm de te meliora ac saluti viciniora confido: nempe quòd & lapidem qui pretium omne superat, videbis, ac per luminis ipsius splendorem hoc consequêris, vt ipse quoque lumen efficiaris, fructumque centuplum feras. Etenim tuâ caussâ longam viam conficere studui, vt quæ numquam vidisti, tibi ostenderem, atque ea docerem, quæ numquam audijsti.

Dixit autem ad eum Iosaphat: Equidem ipse, venerande senex, incredibili quodam, atque eiusmodi, quod nullo modo coërceri queat, desiderio teneor, nouum quemdam ac bonum sermonem audiendi. Atque ignis in pectore meo incensus est, qui me ad necessarias quasdam quæstiones intelligendas vehementer inflammat. Ceterùm adhuc hominem nancisci mihi non licuit, qui de hac re certam mihi fidem facere posset. Quòd si sapientem quemdam, & doctrinâ præditum virum nactus fuero, ac salutarem sermonem audiero, nec auibus, vt opinor, nec feris eum tradam: nec rursum petrosus & spineus, vt tuis verbis vtar, ero. Quin potiùs & candido ac sincero animo eum excipiam, & eruditè ac diligenter conseruabo. Tu verò si quid eiusmodi nosti, ne quæso id reticeas, verùm mihi narres. Quamprimùm enim è longinquâ regione te venisse audiui, animi voluptate affectus sum, atque in bonam spem veni fore, vt operâ tuâ id quod cupiebam consequerer. Eoque nomine statim te ad me introduxi, comiterque tamquam familiarium meorum & æqualium aliquem excepi. Atque vtinam spe meâ minimè fallar. Dixit autem Barlaam: Præclarè, atque vt regiâ magnificentiâ dignum erat, hoc fecisti, vt non ad externæ vilitatis speciem animum adijceres, verùm abstrusæ spei teipsum traderes.

Erat enim aliquando magnus quidam & *Rex quidam duos religiosos honorat.* illustris rex, cui, cùm in aureo curru, satellitum manu regiæ maiestati dignâ cinctus iter faceret, contigit, vt duos viros, laceris ac sordidis vestibus, atque ore macie confecto, ac maiorem in modum pallido, obuios haberet. Regi porrò exploratum erat, eos corporis afflictatione, ac vitæ Deo consecratæ laboribus carnes suas ita confecisse. Vt igitur eos vidit, è curru statim desiliens, atque humi prostratus, eos adorauit: ac deinde surgens, amicissimè complexus est, & salutauit. Proceres autem ipsius ac præfecti hoc molestè tulerunt, eum facinus regiâ gloriâ indignum admisisse existimantes. Verùm cùm coràm ipsum reprehendere minimè auderent, cum germano ipsius fratre agebant, vt regem admoneret, ne diadematis amplitudinem & sublimitatem ad hunc modum dedecore ac contumeliâ afficeret. Cùm itaque ipse hæc fratri dixisset, atque intempestiuam & præposteram ipsius humilitatem accusasset, responsum ipsi rex dedit, quod à fratre minimè intellectum est.

Mos enim regi erat, vt cùm aliquem mortè mulctaret, præconem cum tubâ, *Tuba mortis præco.* quæ quidem mortis idcircò dicebatur, ad ipsius fores mitteret: atque ex tubæ illius clangore omnes ei moriendum esse intelligebant. Itaque cùm aduesperasset, letalem tubam ad fratris sui fores clangorem edituram rex misit. Vt igitur ille hanc tubam audiuit, desperatâ salute per totam

noctem domesticis rebus consuluit. Manè autem atrâ ac lugubri veste indutus, cum vxore ac liberis ad palatij fores flens ac lamentans profectus est. Cùm autem rex ipsum ad se admisisset, atque ita eiulantem vidisset, his verbis vsus est: O stulte ac demens, si fratris tui, cum quo idem tibi genus & par honor est, in quem nullius omnino sceleris tibi conscius es, præconem ita extimuisti; quonam modo mihi reprehensionis notam idcircò inussisti, quòd Dei mei præcones, qui mortem, ac Domini, in quem me multa & grauia scelera perpetrasse scio, pertimescendum aduentum mihi quauis tubâ vocaliùs altiusque denuntiant, humiliter ac demissè salutarim? En igitur, vt tuam dementiam coarguerem, hac ratione vsus sum: quemadmodum etiam eos, qui tibi, vt me reprehenderes, in animum induxerunt, statim stolidos & amentes esse demonstrabo. Atque ita curatum & vtiliter instructum fratrem suum, domum remisit.

Mortis præcones religiosi.

Iussit autem è ligno quatuor arcas effici: quarum cùm duas vndique auro contexisset, fœtidaque cadauerum ossa in eas iniecisset, aureis seris eas obfirmauit: reliquis autem duabus pice ac bitumine oblitis, pretiosisque lapidibus & exquisitis vnionibus, omnique vnguentariâ fragrantiâ impletis, asperisque funibus constrictis, proceres eos, à quibus ob virorum illorum occursum reprehensus fuerat, ad se acciuit, ipsisque quatuor has arcas proposuit, vt quanti hæ, quantique illæ pretij essent, æstimarent. Illi autem duas eas quæ inauratæ erant, maximi pretij esse asserebant: neque enim aliter fieri posse inquiebant, quin in ipsis regiæ coronæ ac cingula recondita essent. Eas contrà quæ pice ac bitumine oblitæ erant, viles omnino ac nullius pretij esse aiebant. Rex autem ipsis dixit: Ne me quidem fugiebat, vos hoc dicturos esse; nam sensibilibus oculis, ea quæ in sensum cadunt, perspicitis. Atqui non ita faciendum est: verùm interioribus oculis siue pretium, siue vilitatem & fœditatem, quæ intus condita sunt, spectare oportet. Ac protinus inauratas arcas aperiri iussit. quibus patefactis, grauis quidam ac teter odor exhalauit, atque iniucundissimum spectaculum oculis obiectum est.

Homines non ex habitu externo æstimandi.

Ait itaque rex: Hic eorum typus est, qui cùm splendidis & illustribus vestibus vtantur, atque ob ingentem gloriam & potentiam insolenter se efferant, intus tamen fœtidis cadaueribus ac flagitijs pleni sunt. Pòst autem, cùm eas quæ pice ac bitumine oblitæ erant, aperiri iussisset, omnes eos qui aderant, splendore atque odoris suauitate, quæ in ipsis recondita erat, oblectauit. Dixitque eis: Scitis cuinam rei hæ arcæ similes sint? humilibus nimirum atque abiectis illis viris, vilibusque vestibus indutis, quorum vos externum habitum intuentes, contumeliæ ac probro mihi duxistis, quòd ante eos in terram me abiecissem. Ego autem eorum dignitatem, atque animorum pulchritudinem spiritualibus oculis considerans, ex ipsorum contactu gloriam contraxi, eosque quauis corona & quauis regiâ purpurâ præstantiores existimaui. Ad hunc igitur modum pudorem ipsis incussit, eosque in his rebus, quæ in aspectum cadunt, minimè oberrare docuit, verùm ijs animum adiungere, quæ intellectu percipiuntur. Itaque ad pij & sapientis regis similitudinem ipse quoque accessisti; vt qui bonâ spe nixus me susceperis, quæ quidem, vt opinor, minimè te fallet. Dixit autem ad eum Iosaphat: Hæc omnia pulchrè atque concinnè dixisti. Verùm illud scire aueo, quisnam sit tuus Dominus, quem tu orationis initio de illo seminatore verba fecisse dicebas.

Quibus similes qui externè tantùm pulchri.

CAP. VII.

Rursus igitur sermonem assumens Barlaam, dixit: Si quisnam Dominus meus sit intelligere cupis, Dominus Iesus Christus est, vnigenitus inquam ille Dei Filius, ille beatus & solus potens, ille Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, ac lucem habitat inaccessibilem, qui cum Patre & Spiritu sancto glorificatur. Neque enim ex eorum numero sum, qui multos hos & petulantes deos colunt, atque hæc animæ expertia & surda simulacra venerantur: verùm vnum Deum agnosco & confiteor, qui in tribus personis, hoc est Patre & Filio & Spiritu sancto, atque vnâ naturâ & essentiâ, in vnâ gloriâ & regno minimè diuiso glorificatur. Hic igitur in tribus personis vnus Deus, principij ac finis expers, sempiternus, increatus, immutabilis, corpore vacans, inuisibilis, circumscriptione carens, animi comprehensionem fugiens, solus bonus ac iustus est; qui omnia, tam quæ oculis cernuntur quàm quæ oculorum obtutum fugiunt, ex nihilo in ortum produxit.

Barlaam fidem Iosaphat exponit.

1. Tim. 6.

Naz. 2. Ora. de Pasch.

Rerum creatio.

Primùm scilicet inuisibilium ac cælestium virtutum innumerabilem quamdam multitudinem, à materiâ & corpore secretam, hoc est administros diuinæ maiestatis spiritus: deinde autem mundum hunc in aspectum cadentem, hoc est cælum, ac terram, & mare; quem etiam lætissimâ luce exornauit, cælum nempe sole ac lunâ & sideribus, terram autem omnis generis stirpi-

stirpibus ac varijs animantibus, mare denique numerosissimis piscium generibus. Hæc omnia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Pòst autem hominem suismet manibus effingit, sumpto nimirum à terrâ ad corporis compositionem luto, animâ autem rationis & intelligentiæ participe per suam insufflationem ipsi tributâ, quæ quidem ad Dei imaginem & similitudinem effecta esse scripta est: ad imaginem videlicet, propter vim intelligendi, atque arbitrij libertatem: ad similitudinem autem, propter virtutis ipsius, quoad eius fieri potest, imitationem. Hunc porrò hominem, arbitrij libertate atque immortalitate donatum, eorum quæ in terra sunt, regem constituit; atque ex ipso feminam, quæ ipsi auxilio esset, ipsi similem effecit.

Psal. 148. *Gen. 1.* *Homo creatur cum libertate arbitrij.*

Consitoque in Eden ad Orientem paradiso, voluptatis omnis atque oblectamenti pleno, hominem, quem effinxerat, in ipso collocauit: sic quidem, vt diuina bonitas omnia ligna, quæ illic erant, sine vllo impedimento eum percipere iuberet: vnius autem dumtaxat degustatione ipsi interdiceret (quod quidem lignum scientiæ boni & mali appellatum est) his verbis vtens: Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. Enimuerò vnus ex prædictis angelicis copijs, qui vni agmini præerat, cùm naturalis vitij ne minimum quidem vestigium à creatore accepisset, verùm boni caussâ procreatus fuisset, liberâ mentis inductione à bono in malum deflexit, atque insolentiâ elatus, aduersus Dominum ac Deum rebellare voluit. Ac propterea ex ordine suo ac dignitate expulsus est, atque pro beatâ illâ gloriâ & angelico nomine, diaboli ac satanæ nomen consecutus est. Deus enim ipsum, & cælesti gloriâ indignum, præcipitem è cælo exturbauit. Cum eo porrò simul auulsa & eiecta est ingens angelorum qui ipsi suberant, multitudo: qui quidem mentis inductione mali effecti, ac boni loco principis sui defectionem secuti, dæmonum nomen, vt impostores ac circumscriptores acceperunt.

In paradiso constituitur. *Diaboli à Deo defectio.*

Diabolus igitur, abiurato prorsus bono, malaque naturâ assumptâ, inuidiam aduersus hominem concepit, propterea quòd seipsum è tantâ gloriâ eiectum, illum autem ad tantum honorem subuectum perspiceret: eumque è beatâ illâ viuendi ratione deijcere moliebatur. Quare serpentem imposturæ suæ officinam nactus, per eum feminam conuenit. Cumque eam spe diuinitatis adduxisset, vt interdictum lignum degustaret, per eam posteà etiam Adamum (nam hoc primo homini nomen fuit) in fraudem impulit. Porrò autem, vt primus homo contra diuinum imperium interdictam plantam degustauit, à summo parente atque architecto è deliciarum paradiso exterminatur, atque beatæ illius & ab exitio immunis vitæ loco in hanc (heu!) miseram vitam incidit, ac postremò morte mulctatur. Atque hinc vires nactus diabolus, & victoriâ elatus, aucto hominum genere, omne improbitatis genus ipsis in animum iniecit. Ex quo factum est, vt Deus ingentem peccati impetum coërcere ac reprimere volens, terræ diluuium induxerit, atque omnem animam viuentem extinxerit. Cùm autem vnum dumtaxat in illâ ætate iustum virum inuenisset, hunc cum vxore ac liberis in arcâ quadam seruatum, solum in terrâ constituit. Posteaquam autem rursum homines numero augeri cœperunt, Dei obliuione capti sunt, atque ad grauiorem impietatem proruperunt, vt qui diuersis peccatis in seruitutem se addixerint, atque in varia errorum genera distraxerint.

Diaboli in hominem inuidia. *Sap. 2.* *Diluuium* *Gen. 7.*

Alij enim casu ac fortuito omnia ferri, prouidentiæque expertia esse censuerunt: tamquam scilicet nullus Dominus sit, qui ea regat ac moderetur. Alij fatum inuexerunt, natalitijsque sideribus omnia commiserunt. Alij multos deos malos, ac multis vitiosis affectionibus laborantes coluerunt: quò videlicet suarum affectionum & grauium flagitiorum defensores & patronos eos haberent. Quorum etiam formas picturâ exprimentes, surdas statuas, ac sensu carentia simulacra in altum erexerunt, eaque in templis inclusa coluerunt & adorarunt, seruientes nimirum creaturæ potiùs quàm creatori. Quidam enim solem & lunam ac sidera, quæ Deus ad lucem terreno huic mundo afferendam posuit, coluerunt: quæ quidem animâ & sensu carent, ac creatoris prouidentiâ illuminantur & conseruantur, non autem quidquam per se virium habent. Alij autem ignem & aquam ac reliqua terræ elementa, quibus nec anima nec sensus inest. Neque eos qui animâ & ratione præditi sunt, eiusmodi rebus cultum adhibere puduit. Alij feris, & reptilibus, & pecudibus, & quadrupedibus animantibus venerationem tribuerunt: hinc scilicet sese rationis magis expertes ostendentes, quàm ea ipsa quæ colebant. Alij turpium quorumdam & abiectorum hominum formas depinxerunt, eosque deos appellarunt, partim masculos, partim feminas: quos etiam ipsimet adulteros, & homicidas, & iracundos, & inuidos, & furiosos, & parricidas, & fratricidas, & fures,

Varia falsæ religionis genera.

& raptores, & claudos, & debiles, & veneficos, & insanos esse tradiderunt, atque horum nonnullos mortem obijsse, nonnullos fulmine percussos fuisse, nonnullos hominibus seruijsse, atque exules extitisse, nonnullos vulnera accepisse, ac lamenta edidisse, atque ob improba & fœda flagitia in animalia sese immutasse. Quo fiebat, vt homines ab ipsis dijs occasionem sumentes, omni impuritatis genere sese contaminarent. Ac tum horrenda quidem caligo genus nostrum tenebat: neque erat qui intelligeret, nec qui Deum requireret.

Psal. 13.

Abraham ex rebus conditis conditorem agnoscit.

Eâ autem ætate Abraham solus inuentus est, qui animæ sensum firmum ac valentem haberet, atque ex rerum conditarum prospectu conditorem agnosceret. Nam cùm cælum, ac terram, & mare, solem item & lunam ac reliqua considerasset, huiusmodi ornatum concinnitatis plenum admiratus est. Cumque mundum, & ea quæ in ipso sunt, conspexisset, non casu ac fortuito ea extitisse atque conseruari existimauit. Nec rursum terræ elementis, aut inanimis simulacris ornatus huiuscemodi caussam ascripsit: sed Deum verum per hæc agnouit, atque vniuersi effectorem & conseruatorem esse intellexit. Deus autem eius probitatem animi atque candorem, rectumque iudicium comprobans, seipsum ei patefecit (non quidem vt naturâ est; neque enim fieri potest, vt creata natura Deum cernat: verùm per dispensatorias quasdam Dei visiones, quemadmodum ipse nouit) plenioremque sui cognitionem in ipsius animo inserens, gloriâ eum affecit, sibique famulum adsciuit. Qui quidem per successionem his qui ab ipso promanarunt, transmissâ pietate, eos veri Dei cognitione instruxit. Eamque ob caussam Dominus semen ipsius in infinitam multitudinem excrescere voluit, populumque sibi peculiarem appellauit: eosque Ægyptiæ gentis, ac tyranni Pharaonis seruitute pressos, editis horrendis atque admirandis signis & prodigijs per Moysen & Aaronem, viros sanctos ac prophetiæ dono præditos eduxit. Quorum etiam operâ Ægyptios, pro eo atque ipsorum improbitas merebatur, excruciauit: & Israëlitas (sic enim populus ille, qui ab Abrahamo ortum duxit, vocabatur) siccis pedibus per rubrum mare, scissis videlicet aquis, atque tum à dextrâ tum à sinistrâ muri instar effectis, traiecit. Cùm autem Pharao & Ægyptij à tergo eos sequerentur, reuersæ aquæ eos prorsus deleuerunt. Ac posteà, cùm per maxima miracula diuinosque prospectus, quadraginta annorum spatio populum in deserto deduceret; ac cælesti pane eum aleret, Legem (quæ futurorum typus atque adumbratio erat) lapideis tabulis diuinitus inscriptam dedit, eamque Moysi in monte tribuit. Quæ quidem ab omnibus simulacris & flagitiosis actionibus abducebat, solumque verum Deum venerari docebat. Sic igitur per ingentia miracula ipsos in bonam quamdam terram induxit, quam olim patriarchæ illi Abrahamo se ipsius semini daturum receperat. Ac longum esset commemorare, quot quamque magna & admiranda & illustria atque eximia beneficia, quæ numerum omnem excedunt, in eos contulerit. Quibus omnibus id agebatur, vt ab omni nefario cultu & flagitio genus humanum abstraheret, atque in veterem statum reuocaret. Nihilo seciùs tamen adhuc natura nostra erroris libertati seruiebat, ac per diaboli tyrannidem mors in homines regnum obtinebat, omnesque diuinâ sententiâ condemnatos in infernum transmittebat.

Deus vt naturâ est, à nemine videri potest.

Gen. 15.

1. Pet. 2.

Exodi 15.

Exodi 31.

Legis Moysaica effectus.

Lex vetus solum docet verum colere Deum, & bonis operibus inhærere.

Cùm igitur in eiusmodi calamitatem ac miseriam venissemus, minimè nos despexit is, à quo effecti atque in ortum producti fueramus: neque manuum suarum opus funditus perire siuit. Verùm benignâ Dei ac Patris voluntate vnigenitus Filius, & Dei Verbum, qui est in sinu Patris, ille, inquam, eiusdem cum Patre ac Spiritu sancto substantiæ, ille æuo omni antiquior, ille principij expers, qui in principio erat, & apud Deum ac Patrem erat, & Deus erat, ad seruos suos indulgenter se demittit: & quidem ita, vt hæc demissio nec verbis declarari, nec mente comprehendi possit. Nam cùm Deus perfectus esset, perfectus homo ex Spiritu sancto & sanctâ Mariâ virgine Dei genitrice efficitur, non ex viri semine aut voluntate aut concubitu, in labis omnis experte Virginis vtero conceptus, sed ex Spiritu sancto, quemadmodum ante conceptionem Archangelorum vnus missus est, qui nouam illam & admirandam conceptionem Virgini nuntiaret. Etenim Dei Filius ex Spiritu sancto sine semine conceptus est: compactaque sibi in Virginis vtero carne animatâ animâ rationis ac mentis participe, prodijt in vnâ personâ, & duabus naturis, perfectus Deus, & homo perfectus, matris virginitatem etiam post partum ab omni labe conseruans. Atque ijsdem omnino quibus nos, excepto peccato, passionibus obnoxius effectus, infirmitates nostras suscepit, ac morbos nostros portauit. Quoniam enim per peccatum mors in mundum introierat, necesse erat, vt qui redemptionis munere

Christi incarnatio.

Ioan. 1.

Heb. 4.

Isa. 53.

Rom. 5.

munere perfuncturus erat, ab omni peccato purus esset, peccatique morti minimè obnoxius.

Triginta porrò annis cum hominibus versatus, in Iordanis vndis à Ioanne viro sancto, ac prophetarum omnium præstantissimo, baptizatus est. Eoque baptizato vox eiusmodi de cælo à Deo Patre delata est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: atque Spiritus sanctus columbæ specie in ipsum descendit. Ac deinceps magna & admiranda signa efficere cœpit, mortuos videlicet ad vitam reuocans, cæcis lucem adferens, dæmones in fugam vertens, surdos & claudos curans, leprosos purgans, atque inueteratam naturam nostram vndique renouans, operibusque erudiens, ac virtutis viam edocens, atque à corruptione abstrahens, & ad sempiternam vitam iter monstrans. Vnde etiam duodecim discipulos elegit, quos Apostolos nominauit, ipsisque negotium dedit, vt cælestem vitæ rationem prædicarent, quam vt in terrâ ostenderet, ac nos humiles & terrenos per incarnationem suam cælestes efficeret, venerat.

Lucæ 3. *Christi miracula.* *Matth. 19.*

At verò admirandæ ipsius ac Deitati consentaneæ vitæ atque infinitorum miraculorum inuidiâ & furore commoti Iudæorum pontifices ac principes, apud quos scilicet commorabatur, & ad quorum vtilitatem admiranda huiusmodi signa & prodigia perpetrarat, beneficiorum omnium immemores, eum morte mulctarunt, vno nimirum ex ipsius discipulis ad ipsum prodendum arrepto, comprehensumque ipsum Gentibus dediderunt, ipsum inquam, qui omnium vita erat, ac spontè hæc suscipiebat. Hac enim de caussâ venit, vt nostrâ caussâ omnia perpeteretur, quò videlicet nos à vitiosis affectionibus in libertatem vindicaret. Cùm autem multa in eum suppliciorum genera exercuissent, eum ad extremum cruce condemnarunt. Atque omnia in carnis, quam ex nobis assumpserat, naturâ pertulit: diuinâ interim ipsius naturâ ab omni perpessione liberâ manente. Nam cùm duplici naturâ præditus esset, hoc est diuinâ, & eâ quam à nobis assumpserat; humana quidem natura perpessa est; diuinitas autem perpessione immunis & immortalis erat. Cruci igitur in carne affixus est innocens Dominus noster Iesus Christus. Peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; proindeque morti obnoxius non erat. Quandoquidem, vt iam dixi, mors per peccatum in mundum introiuit. Verùm nostrâ caussâ carne mortem oppetijt, vt nos à mortis tyrannide redimeret.

Christi crucifixio. *Isa. 53.* *Rom. 5.*

Descendit ad inferos, iisque contritis, eas quæ ab orbe condito illic inclusæ tenebantur, animas liberauit. In sepulcro conditus, tertiâ die resurrexit: cùm scilicet mortem superasset, victoriàmque nobis aduersus eam donasset, atque immortalitatis largitor immortalitatem carni conciliasset, discipulis visus est, ipsisque pacem impertiuit, ac per eos vniuerso mortalium generi.

Christi resurrectio. *Ioan. 20.* *Act. 1.*

Post quadraginta autem dies in cælos ascendit, atque in Patris dextrâ sedet, rursùmque venturus est iudicare viuos & mortuos, ac reddere vnicuique iuxta opera sua. Post gloriosam autem suam in cælos ascensionem, sanctissimum Spiritum ad sanctos suos discipulos in ignis specie misit: cuius instinctu peregrinis linguis loqui cœperunt, quemadmodum ipse dabat eloqui illis. Hinc igitur per ipsius gratiam in omnes Gentes dispersi sunt, atque orthodoxam fidem prædicauerunt, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & docentes seruare omnia Saluatoris præcepta. Ad hunc igitur modum Gentes à rectâ viâ aberrantes illustrarunt, ac superstitiosum idolorum errorem de medio sustulerunt. Quamuis autem hostis, cladem suam indignissimè ferens, nunc quoque bellum aduersus pios excitet, stultis videlicet ac stolidis persuadens vt idolorum cultum adhuc retineant: imbecilla tamen ipsius vis effecta est, atque ipsius frameæ per Christi potentiam in finem defecerunt. En tibi Dominum meum ac Deum & salutis auctorem paucis verbis declaraui: pleniùs autem eum cognosces, si ipsius gratiam in animâ tuâ acceperis, diuinoque beneficio tibi contigerit, vt ipsius seruus fias.

Psal. 67. *Christi adscensio.* *Spiritus sancti missio.* *Matth. 28.*

CAP. VIII.

Iosaphat lumen fidei accepit.

Hæc verba vt regis filius audiuit, ipsius animus lumine perstrictus est, ac præ lætitiâ è solio suo exurgens, Barlaamque complectens, dixit: Fortasse, nisi me coniectura fallit, vir præstantissime, hic est inæstimabilis ille lapis, quem non abs re occultum tenes, nec cuilibet promiscuè ostendis; verùm ijs demum, qui sanis ac firmis animi sensibus præditi sunt. Ecce enim vt hæc verba auribus excepi, suauissima lux pectus meum subijt, & graue illud mœroris velamen, quod iam pridem animo meo vndique incumbebat, statim sublatum est. Si igitur rectè conijcio, fac quæso sciam. Sin autem aliquid his, quæ abs te commemorata sunt, præstantius nosti, ne cuncteris id mihi rursus aperire.

Rursum igitur respondit Barlaam: Ita sanè, mi domine ac rex, hoc est illud magnum mysterium, quod absconditum

Coloss. 1.

est à sæculis & generationibus: in extremis autem temporibus hominum generi patefactum. Cuius declarationem olim per Spiritus diuini gratiam multi prophetæ ac iusti viri prædixerunt, multifariàm multisque modis edocti, atque altâ voce annuntiantes. Cumque salutem omnino futuram prospicerent, eiusque cernendæ cupiditate tenerentur, non tamen eam perspexerunt: verùm vltima hæc generatio diuino beneficio salutis auctorem suscepit. Quamobrem qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Hebr. 11.

Mar. 16.

Dixit autem Iosaphat: Omnia ea, quæ abs te dicta sunt, sine vllâ dubitatione credo: cumque, quem annuntias, Deum gloriâ afficio. Hoc vnum peto, vt sine vllo errore cuncta mihi declares; quidque mihi faciendum sit, exactè doceas. Atque etiam quidnam Baptismus sit, quem ab ijs, qui fide præditi sunt, accipi ais, deinceps fac intelligam.

Baptismus Christianæ fidei radix. Ille autem ad eum respondit: Sanctæ huius & incontaminatæ Christianorum fidei velut radix ac certum fundamentum diuini Baptismi gratia est, vt quæ omnia à natiuitate contracta peccata expiet, atque ea inquinamenta, quæ ex vitio conflata sunt, prorsus expurget. Sic enim Saluator mandauit, vt per aquam ac Spiritum regeneremur, atque ad veterem dignitatem redeamus: per orationem videlicet ac salutarem inuocationem, ad aquam accedente Spiritu sancto. Baptizamur igitur iuxta Saluatoris sermonem in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Atque ita Spiritus gratia in eius qui baptizatur animâ immoratur, eam illustrans, ac diuinam reddens, atque imaginem illam ac similitudinem Dei, ad quam condita est, ipsi instaurans. Ac deinceps, veteribus omnibus vitij operibus abiectis, nouæ vitæ cum Deo pactum inimus, ac puriorem viuendi rationem auspicamur: quò nimirum etiam coheredes eorum efficiamur, qui ad immortalitatem regenerati sunt, ac sempiternam salutem consecuti sunt. Citra Baptismum autem fieri non potest, vt quisquam bonam spem consequatur: quamlibet etiam pios omnes pietate antecelluerit. Sic enim Deus Verbum, qui, vt generi nostro salutem afferret, humanitatem suscepit, dixit: Amen dico vobis, nisi quis regeneratus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Quamobrem ante omnia te rogo, vt animo fidem accipias, ac statim ardentissimo quodam desiderio ad Baptismum accedas, nec vllam omnino moram adhibeas. Periculosa siquidem est dilatio: propterea quòd præstitutus morti dies incertus est.

Math. 28.

Baptismi effectus.

Naz. orat. de sanct. Baptism.

Sine Baptismo nulla bona spes esse potest.

Ioan. 3.

Periculosa est salutis dilatio.

Iosaphat autem ad ipsum dixit: Et quænam bona illa spes est, cuius fieri posse negasti, vt quisquam citra Baptismum compos fiat? Quidnam etiam illud est, quod cælorum regnum appellas? Vndenam item Dei humanitate induti verba audiuisti? Quinam rursus est incertus morti præstitutus dies, de quo ingens sollicitudo pectus meum subiens, mœroribus ac doloribus carnes meas conficit, atque adeò ipsum ossium robur exest? Denique vtrùm morientes in nihilum dilabimur, an contrà post præsentem peregrinationem alia vita superest: hæc & his consentanea ex te scire auebam.

Barlaam huiusmodi responsum his verbis dedit: Bona ea spes, de quâ locutus sum, regni cælestis est. Ea autem est eiusmodi, vt nulla omnino humana lingua explicari possit. Ait enim Scriptura: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, præparauit Deus diligentibus se. Cùm autem abiectâ hac crassâ carne, beatitudinem illam diuino beneficio consecuti fuerimus, tum ille, cuius beneficio spes nostra nos minimè fefellerit, nos docebit, efficietque, vt bonorum illorum gloriam, omnem mentis captum superantem, lucem illam, quæ nullâ oratione exprimi potest, vitam illam, quæ morte non interrumpitur, ac denique illam cum Angelis vitæ consuetudinem cognoscamus. Nam si hoc diuinitus consequamur, vt cum Deo, quantum humanæ naturæ fas est, consuetudinem habeamus, omnia ea, quæ nunc nobis ignota sunt, ab eo sciemus. Hoc enim, Scripturis diuinitus inspiratis edoctus, omnium maximè cælorum regnum esse duco, nempe ad sanctæ, & quæ vitæ initium dedit, Trinitatis contemplationem accedere, atque incomparabili ipsius lumine puriùs illustrari, ac reuelatâ facie ipsius gloriam omnem verborum facultatem superantem contueri. Nec verò mirandum est, gloriam illam ac lucem & arcana bona nullis verbis declarari posse: neque enim ampla & eximia essent, si nos terreni & mortales, ac grauem hanc & affectionibus obnoxiam carnem gestantes, ea tum cognitione percipere, tum verbis exprimere possemus. Quæ cùm explorata tibi sint, ea fide solâ citra vllam dubitationem accipe, atque ab omni fictione abhorre: illudque stude, vt per bona opera immortalem illam gloriam arripias. Quâ cùm tibi potiri contigerit, perfectiùs hæc cognosces.

Isa. 64. 1. Cor. 2.

Cælorum regnum in quâ re potissimùm consistat.

1. Cor. 3.

Fide & bonis operibus ad æternam gloriam peruenitur.

Quòd

Quòd autem ex me quæsiuisti, quonam modo nos incarnati Dei verba audierimus: hoc habeto, nos per sacrosancta Euangelia, ea, quæ ad theandricam, hoc est Dei cum homine coniuncti, dispensationem pertinent, didicisse. Nam ita sanctus ille liber appellatur, vt qui immortalitatem & statum à corruptione alienum, & sempiternam vitam, & peccatorum remissionem, & cælorum regnum, nobis qui mortales interituique obnoxij ac terreni sumus, faustè annuntiet. Quem quidem scripserunt, qui spectatores ac ministri Verbi fuerunt. De quibus superiùs dixi, quòd Saluator noster Christus discipulos & apostolos elegerit. Qui quidem nobis post gloriosam Dei in cælos ascensionem, ipsius in terrâ vitæ rationem, & doctrinam ac miracula, quantùm ab hominibus præstari poterat, litterarum monumentis mandarunt. Sic etenim in extremâ libri sui parte eximius ille inter diuinos Euangelistas dixit: Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum eos qui scribendi sunt, capere posse libros.

Fides Christi hauritur ex Euangelijs.

Ioan. 21.

In hoc igitur diuino Euangelio, tum incarnationis, tum declarationis, tum miraculorum, tum præceptorum ipsius historia, Dei spiritu exarata continetur. Ac deinde supplicij illius ab omni labe remoti, quod Dominus nostrâ caussâ subijt, sanctæque triduò pòst resurrectionis, atque in cælos ascensionis, ac denique illustris ac metuendi ipsius secundi aduentus mentio habetur. Rursum enim Dei Filius cum gloriâ, omni sermone præstantiori atque ingenti cælestis militiæ multitudine in terram venturus est, vt de mortalium genere sententiam ferat, atque vnicuique pro eo ac gessit, rependat. Etenim cùm Deus hominem ab initio effinxisset (quemadmodum etiam iam tibi exposui) insufflauit in eum spiraculum vitæ: quæ quidem anima rationis atque intelligentiæ particeps appellatur. Quoniam autem morte damnati sumus, omnibus nobis mori necesse est: nec fieri potest, vt hic calix hominem vllum prætereat. Nihil autem est aliud mors, quam animi à corpore disiunctio. Ac quidem illud corpus, quod è terrâ effictum est, posteaquam ab animo seiunctum est, in terram, ex quâ sumptum fuerat, reuertitur, ac corruptum dissoluitur. Anima autem immortalis cùm sit, eò proficiscitur, quò summus ille effector imperat, vel, vt rectiùs loquar, quemadmodum ipsa sibi, cùm adhuc in carne versaretur, hospitium præparauit. Vt enim quisque vitæ munere hîc functus fuerit, illic recepturus est.

Luca 21. *Gen. 2.* *Quid sit mors.* *Gen. 3.* *Eccli. 3.* *Merita vitæ.*

Denique confectis longis temporum curriculis, Deus noster cum metuendâ & sermonis facultatem superante gloriâ ad iudicium de orbe ferendum veniet. Cuius metu cælorum virtutes commouebuntur, atque omnis Angelorum exercitus tremore correptus coram ipso adstabit: tum videlicet, cùm in Archangeli voce ac diuinâ tubâ mortui ad vitam redibunt, ac tremendo ipsius throno sistentur. Est autem resurrectio, animæ rursus cum corpore coniunctio. Quocircà hoc ipsum corpus, quod interit ac dissoluitur, ita resurget, vt deinceps interire nequeat. Nec verò huic rei fidem vllo modo abrogare in mentem tibi veniat. Neque enim ei, qui ipsum primùm è terrâ effinxit, posteaquam in terram, ex quâ sumptum est, redijt, iuxta Creatoris sententiam rursus ad vitam excitare impossibile est. Nam si, quòd Rex Deus ex nihilo in ortum produxerit, tecum reputes, istud satis magno argumento tibi futurum est. Etenim sumptâ terrâ, quæ priùs non erat, hominem procreauit. Quonam igitur modo è terrâ homo factus est? Quonam modo ipsa ex nihilo producta est? Quonam item fundamento nititur? Quonam denique modo ex ipsâ, infinita tum brutorum, tum seminum, tum stirpium genera producta sunt? Quinetiam in nostro quoque ortu velim, hoc consideres. An non enim perexiguum semen in terram, hoc est in vuluam ipsum excipientem emittitur? Vnde igitur hæc tanta animalis effectio?

Iudicium. *Luc. 21.* *1. Thess. 4.* *Resurrectio.* *1. Cor. 15.* *Gen. 2.*

Quamobrem ei, qui omnia ex nihilo produxit, atque etiamnum producit, minimè impossibile est, corpora ea, quæ morte extincta atque corrupta sunt, è terrâ ad vitam reuocare, vt vnusquisque consentaneam operibus suis mercedem recipiat. Laboris enim est, inquit ille, præsens tempus: futurum autem, mercedis. Alioqui, vbinam Dei iustitia erit, nisi sit resurrectio? Siquidem multi probi viri, cùm in hac vitâ multas calamitates ac multa supplicia tulissent, per vim tandem de medio sublati sunt. Nonnulli contrà impij ac facinorosi homines, in delicijs ac prosperis rerum successibus præsentem vitam consumpserunt: at Deus, vt qui simul & bonitate & iustitiâ præstet, resurrectionis ac referendarum rationum diem constituit: vt, cùm quæque anima corpus suum receperit, improbus quidem & sceleratus, qui hîc omnia secunda ac læta habuerit, illic scelerum pœnas luat: probus contrà eorum quæ iniquè gesserit, pœnis in hac vitâ persolutis illic bonorum hereditatem consequatur. Audient enim, inquit Dominus, qui in monumen-

2. Cor. 5. *Psalm. 61.* *Dei iustitia sine resurrectione constare non potest.* *Ioan. 5.*

numentis sunt, vocem Filij Dei. Et exibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Quo scilicet tempore sedes quoque recollocabuntur, atque Antiquus dierum, rerumque omnium parens & architectus præsidebit. Ac libri aperiuntur, in quibus omnium nostrûm actiones, sermones, cogitationes inscriptæ continentur. Atque igneus fluuius rapido cursu voluetur, cunctaque quæ in abstruso delitescunt, patefient. Non illic patronus, aut verborum lenocinium, aut falsa excusatio, aut opum potentia, aut dignitatum fastus, aut amplissimæ munerum largitiones rectum iudicium supprimere poterunt: verùm incorruptus ille ac verus iudex, ad iustitiæ laucem omnia perpendet, hoc est, & actionem, & sermonem, & cogitationem. Ac proficiscentur, qui virtutibus operam dederunt ad sempiternam vitam, & lucem omnem orationis vim excedentem, vt cum Angelis oblectentur, atque arcanis bonis fruantur, sanctæque Trinitati purè astent. Qui autem turpibus flagitijs sese deuinxerint, atque omnes impij & peccatores ad sempiternum cruciatum, qui quidem gehenna dicitur, & exteriores tenebræ, & insomnis vermis, & stridor dentium, aliaque innumera tormenta.

Dan. 7.

Grauissima pœna damnatorum est visione Dei carere.

Quorum omnium nullum æquè graue & acerbum est, atque à Deo abalienari, & à dulcissimâ ipsius facie abijci, gloriaque illâ, quæ nullis verbis exponi potest, orbari, atque inspectante vniuerso orbe traduci, & ignominiâ, quæ numquam finem habitura sit, notari. Posteaquam enim horrenda illa sententia edita fuerit, omnia deinceps immutabilia, & conuersionis omnis expertia manebunt: sic videlicet, vt nec vita læta iustis finem habitura, nec afflictio & pœna peccatoribus terminum acceptura sit. Neque enim sublimior post eum alter iudex est, nec per sequentia opera purgatio, nec præstitutus emendationis terminus, nec alia vlla ijs qui in cruciatu versabuntur, ars & ratio: quippe cùm supplicium vnà cum ipsis in sempiternum duret.

2. Pet. 3.

Quæ cùm ita sint, quales tandem nos in sanctis conuersationibus ac pijs actionibus esse oportet, vt digni habeamur venturas minas effugere, atque à dextris Filij Dei stare? Nam hæc iustorum statio est: quemadmodum contrà miserrima ad sinistram pars peccatoribus assignata est. Pòst autem Dominus iustos Patris sui benedictos vocans, in perpetuum regnum introducet: peccatores autem cum irâ & execratione à suaui & tranquillâ facie suâ abiectos (quo nihil grauius & acerbius excogitari potest) ad sempiternam pœnam ablegabit.

Matth. 25.

CAP. IX.

Iosaphat futurorum rationem exquirit.

Iosaphat autem his ad eum verbis vsus est: Magnas quasdam & admirandas res, magnoque metu ac tremore dignas mihi, ô homo, narras, si quidem hæc ita se habent, atque postquam fatis concesserimus, & in cinerem ac puluerem dissoluti fuerimus, resurrectio & regeneratio futura est, rerumque in vitâ gestarum examen ac merces. Verùm quo argumento hæc probas? & quonam ei rei, quæ nondum oculis perspecta est, auditæ atque intellectæ vsque adeò firmam & indubitatam fidem adhibuistis? Nam quæ iam gesta ac re ipsâ declarata sunt, etiamsi ipsi minimè videritis, at ab ijs qui ea viderunt ac memoriæ prodiderunt, audiuistis. Quonam autem modo de rebus futuris tam magna & prætumida prædicantes, certam de ijs fidem nacti estis?

Probantur futura ex praecedentibus.

Respondit Barlaam: Ex ijs, quæ iam contigerunt, de futuris etiam certam fidem nactus sum. Nam qui hæc prædicarunt, nec vllâ in re à vero aberrarunt, verùm per signa & prodigia, variasque virtutes sermonibus suis robur conciliarunt, ijdem etiam de futuris nos admonuerunt. Quemadmodum igitur hîc nihil præposterum ac fictum docuerunt, verùm omnia ea quæ ab ipsis dicta & facta sunt, sole clariùs effulserunt: eodem quoque modo illic verè omnia tradiderunt. Quæ quidem etiam ipse Dominus noster ac herus Iesus Christus, tum sermone, tùm opere confirmauit. Amen enim, inquit, dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Ac rursum: Venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Ac rursum ait: De mortuorum autem resurrectione non legistis quod dictum est vobis à Deo, dicente, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus porrò mortuorum Deus non est, sed viuentium. Vt enim colliguntur zizania, & comburuntur: sic erit in consummatione sæculi huius. Mittet Filius Dei Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis: illic erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

Ioan. 12.

Lucæ 20.

Matth. 24.

Hæc dicens addidit: Qui habet aures audiendi, audiat. His igitur pluribusque alijs verbis

Luc. 8.

verbis Dominus corporum resurrectionem declarauit. Reipsâ autem sermonibus suis fidem astruxit, cùm mortuos ad vitam re-
[Ioan. 11.] uocauit, ac sub terrestris vitæ suæ catastrophen Lazarum quemdam amicum suum, qui iam quatriduo mortuus erat, ac fœtebat, è monumento vocauit, eumque qui animam efflauerat, viuum exhibuit. Quin ipse quoque Dominus perfectam, nec iam morti subiectam resurrectionem auspicatus est: quippe qui morte in carne degusta-
[1.Cor. 16.] tâ, triduo pòst ad vitam rediit, ac mortuorum primogenitus effectus est. Quamquam
[*Quâ ratione Christus resurgentium primitiæ.*] enim alij quoque à morte ad vitam excitati sunt: morte tamen rursus functi sunt, nec futuræ veræ resurrectionis imaginem exhibere potuerunt. Solus autem ipse resurrectionis illius auctor ac princeps extitit, vt qui immortali resurrectione ad vitam redierit. Hæc illi etiam, qui ab initio spectatores ac ministri verbi fuerunt, prædi-
[Gal. 1.] carunt. Ait enim beatus Paulus, qui non
[Rom. 4.] ab hominibus, sed è cælo vocatus est: Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod annuntiaui vobis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, & quòd sepultus est, & quòd resurrexit, secundùm Scripturas. Si autem Chri-
[1.Cor. 15.] stus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam, quòd resurrectio mortuorum non est? Nam si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est fides vestra. Adhuc estis in peccatis vestris. Si in hac tantùm vitâ sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, per hominem autem resurrectio mortuorum. Vt enim in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes viuificabuntur. Et paucis interiectis: Oportet enim, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriâ. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Destruetur autem prorsus ac delebitur mortis potentia, vt quæ iam vim suam non exerat, verùm deinceps hominibus immortalitas atque incorruptibilitas sempiterna concedatur. Erit igitur, erit, inquam, sine vllâ dubitatione mortuorum resurrectio: idque certissimè credimus. Quinetiam rerum in vitâ gestarum, examen ac præmia & pœnas fore perspectum habemus, in metuendo videlicet aduentus Christi die, in quo cæli igne sol-
[1.Pet. 2.] uentur, & elementa ardore contabescent, vt Theologi cuiusdam verbis vtar. Nouos autem cælos, ac nouam terram secundùm ipsius promissionem exspectamus. Nam
[*Operum merces asseritur in die iudicij.*] quòd illic operum præmia & pœnæ sint, nihilque omnino bonorum vel malorum negligatur, verùm & actionum, & verborum, & cogitationum merces recondita sit,
[Matth. 10.] ex his Christi verbis constat: Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Ac rursum ex
[Matth. 25.] his: Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei: possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Cur his verbis vtitur; nisi quia beneficia, quæ à nobis in egentes conferuntur, sibi asciscit? Et alio
[Lucæ 12.] loco ait: Omnis quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.

[*Merces ac præmia bonorum operum asseruntur ex historiâ de Lazaro & epulone.*] En per hæc omnia, ac plura alia, firma & certa esse bonorum operum præmia declarauit. Quemadmodum etiam contrà improbarum actionum pœnas illic reconditas esse denuntiauit, per admirandas scilicet & eximias parabolas, quas ille sapientiæ fons prorsus sapienter exposuit.
[Lucæ 16.] Etenim diuitem quemdam inducit, purpurâ & bysso indutum, ac quotidie splendidè epulantem; tenacem autem atque à misericordiâ remotum, adeò vt pauperem quemdam, Lazarum nomine, ad fores suas iacentem despiceret, ac ne ipsas quidem mensæ suæ micas ei impertiret. Vtroque igitur extremo vitæ die functo, pauper quidem ille atque vlcerosus in Abrahæ sinum delatus est (quo nempe vocabulo proborum virorum sedem declarauit) diues contrà acerbissimo flammæ supplicio in inferno addictus est. Ad quem etiam Abraham his verbis vtebatur: Recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala. Nunc autem ipse consolatur, tu verò cruciaris.

Rur-

Rursum alio loco cælorum regnum homini regi simile esset ait, qui filio suo nuptias fecit. Per nuptias porrò futura lætitia & claritas indicatur. Etenim ad humiles ac terrenis affectibus imbutos homines verba faciens, ab ijs rebus quæ ipsis vsitatæ ac familiares erant, parabolas ducebat: non quòd nuptias & mensas in æuo illo esse ostenderet, sed ad eorum crassitiem sese demittens, his vocabulis vtebatur, vt futura ipsis perspicua faceret. Omnes itaque, inquit, rex ille sublimi præconio ad nuptias inuitauit, atque vt bonis illis ad satietatem vsque fruerentur.

Item ex parabolâ de rege qui nuptias filio fecit. Matth. 22.

Multi autem eorum, qui inuitati fuerant, ire neglexerunt: verùm se ipsos partim in agris, partim in negotiationibus, partim in vxoribus nuper acceptis occupantes, nuptialis thalami splendore caruerunt. Illis autem suâ sponte à suauissimâ illâ lætitiâ exclusis, alij vocati sunt, atque impletæ sunt epulæ discumbentibus. Ingressus autem rex vt videret discumbentes, vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali. Et dixit ei: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus ac manibus eius, tollite eum, & mittite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & stridor dentium. Per hos porrò qui nuptijs interesse recusarunt, nec ei, à quo vocabantur, vllo modo morem gesserunt, illi significantur, qui ad Christi fidem minimè accurrerunt, verùm aut in idolorum cultu, aut in aliquâ hæresi perstiterunt. Per eum autem qui veste nuptijs consentaneâ carebat, is demum intelligitur, qui fide quidem præditus fuit, ceterùm spiritualem vestem impuris flagitijs conspurcauit, meritoque proinde à nuptialis thalami lætitiâ submotus est.

Explicatio superioris parabola.

Quin aliam quoque huiusmodi parabolam eòdem pertinentem attulit, propositis nimirum decem quibusdam virginibus, quarum quinque prudentes erant, & quinque fatuæ. Quæ quidem fatuæ acceptis lampadibus suis non sumpserunt oleum secum, prudentes autem sumpserunt. Hoc autem loco per oleum probarum actionum possessionem significauit.

Item ex parabolâ decem virginum. Matth. 25.

Oleum quid significet.

Mediâ autem nocte, inquit, clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Porrò per mediam noctem diei illius incertitudinem indicauit. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: & quæ paratæ erant, exierunt obuiam sponso, & intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Quæ autem imparatæ erant (quas etiam idcircò non abs re stultas appellauit) cùm lampades suas extingui perspicerent, ad oleum emendum sese contulerunt. Postea que clausis iam foribus accedentes, clamabant, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Ipse autem respondens, dixit eis: Amen dico vobis, nescio vos. Ex his omnibus perspicuè constat, improbis actionibus, atque adeò sermonibus, ipsisque etiam cogitationibus, suam esse mercedem constitutam.

Quid media nox.

Dixit enim Saluator: Dico vobis, quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Ac rursum: Vestri verò & capilli capitis omnes numerati sunt. Quo scilicet loco per capillos minutissimas etiam considerationes, animique cogitationes significauit. Consentanea autem his quoque beatus Paulus tradit: Viuus est, inquit, sermo Dei, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & corporis, spiritus quoque & compagum ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt in oculis eius: ad quem nobis est sermo.

Matth. 12. Matth. 10. *Ex Scriptura noui Testamenti.* Hebr. 4.

Hæc etiam Prophetæ longis ab hinc temporibus, Spiritus sancti gratiâ illustrati, apertissimè nuntiauerunt. Ait enim Isaias: Ego opera illorum noui, & reddam eis. Ecce [illegible]nio vt congregem omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam: & erit cælum nouum, & terra noua, quæ ego faciam manere coram me. Et veniet omnis caro, & adorabit me in conspectu meo, dicit D[illegible]minus: & exibunt, & videbunt cadauera hominum, qui præuaricati sunt in me. Nam vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur. Et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. Ac rursum de die illo ait: Et inuoluetur cælum sicut liber, omnes stellæ cadent sicut folium de vineâ. Ecce enim dies Domini venit plenus furore & irâ, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos ex eâ. Quoniam stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum. Et obtenebrabitur sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Ac rursus ait: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri, peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam

Ex Prophetis. Isa. 66. Isa. 13. Isa. 5.

tiam iusti aufertis ab eo. Qui declinatis iudicium pauperum, & diripitis substantiam egenorum, vt sit vobis orphanus in prædam. Et quid facietis in die visitationis? & ad quem confugietis in auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne in visitationem incidatis? Propter hoc, sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemauerunt.

Eódem accedit, quod ait alius Propheta: Iuxtà est dies Domini magna & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo malignos, & ambulabunt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpus eorum sicut stercora. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die furoris Domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Insuper etiam Dauid rex & propheta ad hunc modum clamat: Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum. Ac rursum: Exurge Deus, inquit, & iudica terram: quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Ac rursum: Tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Complura autem etiam alia huiusmodi, tum Psalmista, tum omnes prophetæ diuino Spiritu edocti, de futuro iudicio ac mercede prædicarunt. Quorum sermones Saluator quoque certissimè confirmans, nos mortuorum resurrectionem, rerumque in vitâ gestarum mercedem, atque immortalem futuri sæculi vitam credere docuit.

Soph. 1. *Psal. 49.* *Psalm. 77.*

CAP. X. *Iosaphat quid sibi faciendum inquirit.*

Iosaphat autem ingenti ob hæc verba animi compunctione plenus, lacrymis perfundebatur, atque his ad senem verbis vsus est: Omnia mihi perspicuè declarasti, ac horrendam hanc & admirandam narrationem luculentâ oratione complexus es. His itaque nobis propositis, quid tandem faciendum est, vt ea supplicia, quæ sceleratis hominibus parata sunt, effugiamus, ac iustorum gaudium consequamur?

Respondit Barlaam: Litteris sacris proditum est, quòd cùm Petrus, qui apostolorum princeps vocatus est, plebem doctrinâ instrueret, corde compuncti sunt: quemadmodum scilicet tu quoque hodierno die. Cumque dixissent: Quid faciemus? Petrus ad eos dixit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est promissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. En igitur ipse misericordiæ suæ diuitias in te effudit, teque qui animo ac voluntate procul ab eo dissitus eras, & alienis, non dicam dijs, sed pestiferis dæmonibus, & surdis ac sensus expertibus statuis cultum adhibebas, acciuit. Quocircà ante omnia ad eum, qui te vocauit, accede: à quo veram tam eorum quæ oculis cernuntur, quàm quæ ab oculorum sensu remota sunt, cognitionem consequêris. Quòd si posteaquam vocatus es, accedere recusas, aut moras nectis, iusto Dei iudicio exheres eris, ac repudiaberis, quia ipse repudiasti. Ad hunc enim modum ipse quoque apostolus Petrus ad quemdam discipulum dixit: Ego autem credo, quòd & obediuisti vocationi, & adhuc sincerius obediens, crucem tolles, Deumque ac Dominum te vocantem sequêris, qui te à morte ad vitam, & à tenebris ad lucem inuitat. Nam profectò Dei ignoratio, animæ caligo ac mors est: & simulacra colere ad naturæ exitium, amentiam omnem excedit.

Act. 2.

Barlaam eum ad pœnitentiam & Baptismum hortatur.

Hæc ex libro quodam apocrypho sumpta videntur.

Dei ignoratio animæ caligo est.

Quos quidem homines cuinam rei similes esse dicam? & quanam imagine eorum stoliditatem tibi ob oculos ponam? Sed tamen exemplum quoddam tibi proponam, quod mihi à viro quodam summâ sapientiâ prædito commemoratum est. Aiebat enim, simulacrorum cultores aucupi similes esse, qui cùm lusciniam, perexiguam auiculam, cepisset, gladiumque arripuisset vt eam iugularet ac comederet, ea, concessâ sibi articulatâ voce, ad aucupem dixit: Quidnam, ô homo, ex mea nece ad te vtilitatis rediturum est? neque enim per me ventrem tuum explere poteris. At si me vinculis liberaueris, tria præcepta tibi tradam: quibus si parueris, magnis per omnem vitam commodis afficieris. Ille autem ex ipsius sermone admiratione commotus, sese facturum recepit, vt si nouum aliquid ab eâ audiret, statim eam libertate donaret, ac missam faceret. Conuersa itaque luscinia, homini ait: Numquam rem, quam consequi nequeas, aggredere. Numquam rei præteritæ te pœniteat. Rei incredibili numquam fidem adhibe. Hæc tria mãdata serua:

Cui similes sint idolorum cultores, egregio de lusciniâ apologo docet.

&

BARLAAM ET IOSAPH.

& præclarè tecum agetur. Ille autem horum verborum sagacitatem ac prudentiam admiratus, eam vinculis solutam in aërem emisit. Luscinia itaque periculum facere cupiens, an ille verborum eorum, quæ audierat, vim intellexisset, atque aliquam ex ipsis vtilitatem percepisset, per aërem volitans, ad eum dixit: Prô quàm nihil est in te consilij, ô homo! qualem thesaurum hodie amisisti! Est siquidem in meis visceribus vnio, struthionis ouum magnitudine excedens. Quæ vt ille audiuit, mœrore conturbatus est, eumque pœnituit quòd luscinia ex ipsius manibus effugisset. Atque eam rursum arripere tentans, dixit: Veni quæso in ædes meas: atque vbi præclarè & humaniter à me acccepta fueris; honorificè te dimittam. Luscinia autem ipsi dixit: Nunc planè te stolidum ac vecordem esse scio. Nam posteaquam ea, quæ ad te dicta sunt, prompto animo excepisti, ac libenter audijsti, nihil ex eis emolumenti consecutus es. Admonui enim te, ne ob rem præteritam pœnitentiâ ducereris: & ecce mœrore conturbatus es, propterea quòd è manibus tuis fugâ me subduxerim, pœnitentiâ videlicet ob rem præteritam affectus. Præcepi tibi, ne ea, quæ assequi non posses, aggredereris: & tamen arripere me conaris, cùm iter meum assequi nequeas. Ad hæc id quoque tibi edixi, ne incredibili sermoni fidem arrogares: & tamen in visceribus meis vnionem, staturæ meæ modum excedentem inesse credidisti: neque tantulum tibi prudentiæ fuit, vt intelligeres, me totam ad oui struthionis magnitudinem minimè accedere. Quoniam itaque pacto tantum vnionem corpusculum istud caperet?

Ad hunc igitur modum illi quoque in summâ stultitiâ versantur, qui in simulacris confidunt. Nam ea manibus suis effecerunt, & opera digitorum suorum adorant, dicentes: Hi opifices nostri sunt. Quî fit igitur, vt eos quos effecerunt & condiderunt, opifices suos esse censeant? Quin etiam cùm ea magno studio custodiant, ne à furibus surripiantur, tamen salutis suæ custodes nuncupant. Atqui, quæ hæc stultitia est, illud non intelligere, fieri non posse, vt qui sibiipsis opem ferre ac se tueri nequeunt, alios tueri ac seruare possint? Ac præterea opes suas effundunt, dum statuas & simulacra dæmonibus excitant, eosque bonorum datores esse nugantur: ab ijs ea sibi dari, quæ nec ipsi vmquam habuerunt, nec vmquam habituri sunt. Eoque nomine scriptum est: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Qui quidem aurifice mercede conducto simulacrum manu effecerunt, ac prono corpore ipsum adorarunt. Humeris illud tollunt ac proficiscuntur: si autem ipsum vspiam collocarint, illic manet, nec moueri potest. Et quantumlibet quis ipsi clamauerit, non exaudiet, nec ex calamitatibus eum eripiet. Quamobrem confundantur qui in sculptilibus confidunt: & qui dicunt ijs quæ conflata sunt, Vos dij nostri estis. Immolauerunt enim dæmonijs, & non Deo, dijs quos ignorabant. Noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Generatio enim peruersa est, nec iam fides ipsis inest.

Idololatrarum vecordia. *Psal. 113.* *Deut. 32.*

Ex hac igitur peruersâ & incredulâ generatione Dominus te vocat, his verbis vtens: Exi de medio eorum, ac separare, & immundum noli tangere: verùm à generatione hac peruersâ te eripe. Surge & ambula: quia non habes hîc requiem. Etenim multiplex deorum, qui à vobis coluntur, principatus præposterus est, & cum dissidio coniunctus, atque eiusmodi, qui nullo modo consistere queat. Apud nos autem non sunt dij multi, nec Domini multi, verùm vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, & omnium sæculorum, quoniam in ipso creata sunt omnia, tam quæ in cælis quàm quæ in terrâ, tam visibilia quàm inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est: & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia, qui Dominus est, & viuificat, qui Deus est, & diuinitatem affert, Spiritus bonus, Spiritus rectus, Spiritus paraclitus, Spiritus adoptionis filiorum. Horum vnusquisque Deus est, si separatim consideretur: vt Pater, sic Filius: vt Filius, sic Spiritus sanctus. Vnus autem Deus in tribus personis, vna natura, vnum regnum, vna potentia, vna gloria, vna substantia: quæ personarum ratione diuiditur, sed Deitatis respectu vna est. Vnus enim est Pater, cui proprium est genitum non esse. Vnus item vnigenitus Filius, cui proprium est genitum esse. Vnus denique Spiritus sanctus, cui proprium est processisse. Sic enim nos ex lumine, hoc est ex Patre, lumen, id est Filium, in lumine, hoc est Spiritu sancto, cernentes, in tribus personis vnam diuinitatem laude ac gloriâ afficimus. Atque ipse verus ac solus Deus est, qui in Trinitate agnoscitur: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia sunt.

Dij falsi multi. *Num. 16.* *Mich. 2.* *Verus vnus.* *1. Cor. 8.* *Coloss. 1.* *Ioan. 1.* *Trinitatis mysterium.* *Psal. 35.* *Rom. 11.*

Huius beneficio & gratiâ ipse quoque, cùm de tuo statu certior factus esset, missus sum

sum, vt ea te docerem quæ didici, atque ab ineunte ætate vsque ad hanc canitiem seruaui. Quocirca si credideris, & baptizatus fueris, saluus eris: si autem non credideris, condemnaberis. Nam ea quæ hodierno die cernis, & quibus gloriaris, hoc est, gloria, & deliciæ, & opes, & omnis huiusce vitæ impostura, iam iamque præteribunt, teque inuitum etiam ac repugnantem hinc eijcient.

Marc.16.

Res mundi fluxa ac breui peritura.

Ac corpus quidem perexiguo sepulchro includetur, solum relictum, atque omni amicorum & cognatorum cœtu destitutum. Facessent autem mundi iucunditates, atque ingens quædam insuauitas ac fœtida corruptio præsentis pulchritudinis & fragrantiæ loco tibi vndique affundetur. Anima verò tua inferno addicta, in inferiores terræ partes vsque ad postremam resurrectionem conijcietur. Quo scilicet tempore anima recepto corpore suo à Domini facie proijcietur, ac gehennæ, cuius flamma sempiterna est, mancipabitur. Hæc tibi, atque etiam longè his grauiora contingent, si in infidelitate perstiteris.

Barlaam pœnu terret Iosaphat.

Si autem ei, qui te ad salutem inuitat, prompto animo parueris, atque ad eum cupido & læto animo accurrens, ipsius lumine signatus fueris, eumque ita sequaris, vt à tergo minimè respectes, atque omnibus rebus abiectis & contemptis, ipsi soli adhæreas, quantam inde fiduciam ac lætitiam consequêris, audi: Si sederis, securus eris: si dormieris, iucundè conquiesces: nec timebis terrorem superuenientem, nec impiorum dæmonum impetus; verùm confidenter vt leo incedes, ac cum lætitiâ & sempiternâ exultatione viues. Etenim super caput tuum exultatio & laus & lætitia te comprehendet. Effugiet dolor, & mœror, & gemitus. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum. Ego enim sum, qui deleo iniquitates tuas, & non memorabor. Tu verò memor esto, & iudicemur. Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Si fuerint peccata tua vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Os enim Domini locutum est.

Promissis inuitat. *Psal.4.* *Prou.3.* *Prou.28.* *Isa.58.* *Isa.43.* *Isa.1.*

Cap.xi.

Ait ad eum Iosaphat: Hæc tua verba præclara & admiranda sunt: eaque credidi, & credo, omnemque idolorum cultum ex animo odi ac detestor. Etenim prius etiam quàm ad me accederes, obliquè quodammodò ac dubitanter erga ea afficiebatur animus meus. Nunc autem postea quam eorum vanitatem, hominumque qui ea colunt stultitiam ex te intellexi, perfectò odio ea insector, ac Deo vero me in seruitutem addicere gestio, modò me ipse, hominem indignum, ob iniquitates meas minimè submoueat: verùm pro suâ, vt doces, benignitate mihi omnia condonet, meque seruum sibi adsciscere dignetur. Iam itaque Baptisma suscipere paratus sum, atque omnia quæ præscripseris, seruare. Quidnam autem mihi post Baptismum faciendum est? Satisne est ad salutem, credere ac baptizari? an etiam alia quædam adiungere necesse est?

Iosaphat Baptismũ petit.

Dixit autem ad eum Barlaam: Audi quid tibi post Baptismum faciendum sit: nempe vt ab omni peccato, & ab omni vitiosâ affectione abstineas, atque orthodoxæ fidei fundamento virtutum studium superstruas. Quoniam fides sine operibus mortua est: quemadmodum etiam opera remotâ fide. Ait enim Apostolus: Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perficiatis. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, auaritia, maledictiones, amor voluptatum, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, sanctificatio animæ & corporis, cordis afflictatio & contritio, eleëmosyna, iniuriarum obliuio, humanitas, vigilia, sincera de omnibus præcedentibus peccatis pœnitentia, compunctionis lacrymæ, luctus tum pro suis tum pro aliorum peccatis, aliaque eiusdem generis: quæ quidem tamquam gradus & scalæ inter se cohærentes, atque aliæ ab alijs suffultæ, animum in cælum subuehunt. En hæc sunt quæ post Baptismum amplecti iubemur, atque ab alijs, quæ cum his pugnant, abstinere.

Præter Baptismum necessaria bona opera. *Iacob.1.* *Gal.5.* *Virtutes velut scala quadam cæli sunt.*

Quòd si post acceptam veritatis cognitionem priora mortua opera rursum arripiamus, ac canis instar ad nostrum vomitum reuertamur, illud nobis vsu veniet, quod à Domino dictum est: Cùm enim, inquit, exiuerit immundus spiritus ab homine, (per Baptismi scilicet gratiam) ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inuenit. Permolestè autem ferens se diutiùs tecti ac laris expertem esse,

2.Pet.2. *Lucæ 11.*

ait: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam scopis mundatam & ornatam, ceterùm inanem ac vacantem, vt quæ gratiæ cultum atque operationem minimè susceperit, nec se ipsam virtutum opibus cumularit. Tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressus habitat illic. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. *Quid agat Baptismus.* Siquidem Baptismus priorum quidem omnium peccatorum syngraphas aquâ obruit, ac prorsus delet & oblitterat, atque in posterum firmissimus nobis murus est ac turris, & forte telum ad prælium cum hoste conserendum. Non tamen arbitrij libertatem tollit, neque peccata ea, quæ post Baptismum contrahuntur, remittit, nec secundam in piscinam immersionem continet. Vnum enim Baptisma confitemur: ac *Quid post cauendum.* proinde summâ diligentiâ cauere debemus, ne in nouas sordes incidamus, verùm Domini mandata capessamus. *Marc.16.* Nam cùm ipse apostolis dixisset, Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; non hîc constitit, verùm adiecit, Docentes eos seruare omnia quæcumque præcepi vobis.

Matth.5. Mandauit porrò vt spiritu pauperes simus (tales enim beatos, cælestique regno dignos esse pronuntiat.) Deinde vt in præsenti æuo lugeamus monet, quò videlicet in futuro consolatione afficiamur. Mox vt mites simus, ac iustitiæ fame & siti teneamur. Tum vt misericordes & liberales, atque ad commiserationem propensi simus. Cordis item puritate præditi, atque ab omni inquinamento carnis & spiritus abstinentes. Pacifici etiam tum erga alios, tum ipsi cum animis nostris; nimirum id quod deterius est præstantiori subijcientes, atque intestinum ac perpetuum bellum recto iudicio comprimentes. Postremò, vt omnem persecutionem & afflictionem & probrum iustitiæ caussâ pro ipsius nomine nobis illatum sustineamus, quò sempiternum gaudium in præclarâ illâ donorum distributione consequamur. Quinetiam cùm adhuc in mundo versaretur, ad hunc modum suos hortabatur: *Matth.5.* Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.

Differentia legis antiquæ & nouæ. Etenim Moysis quidem lex antiquitus Israëlitis data dicebat; Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices. Christus autem ait: Omnis qui irascitur fratri suo sine caussâ, reus erit iudicio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. Ac rursum: Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Et quicumque viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo (spurcitiem nimirum animæ, ac libidinis assensum, adulterium vocans.) Ad hæc, cùm lex periurium prohibeat, Christus iurare omnino vetat, nec quidquam aliud permittit, quàm, Est, est; Non, non. Oculum pro oculo, & dentem pro dente, illic: hîc autem, Quicumque percusserit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Et qui tecum vult iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei. Et volentem à te mutuari ne auertas.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicũ tuum. *Luc.6.* Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Dimittite, & dimittetur vobis. Nolite thesaurizare *Matth.6.* vobis thesauros in terrâ, vbi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: scit enim Pater vester cælestis, quoniam his omnibus indigetis. Quare qui animam & corpus dedit, prorsus etiam cibum & indumentum dabit: ille inquam qui cæli aues nutrit, & agri lilia tantâ pulchritudine ornat. Quærite autem primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite solliciti esse de crastino: nam crastinus dies sibi ipsi sollicitus erit.

Omnia quæcumque vultis vt faciant vo- *Luc.18.* bis homines, eadem & vos facite illis. In- *Matth.7. Luc.13.* trate per angustam portam: quia lata est porta, & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam angusta est porta, & stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniant eam. *Matth.7.* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. *Matth.10.* Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Et qui diligit filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus. Et qui non acci-

accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. En hæc omnia, & his similia, Saluator apostolis mandauit, vt fide prædictos docerent. Atque hæc omnia nobis obseruanda sunt, si quidem nobis cordi sit perfectionem adipisci, & iustitiæ coronas ab omni corruptione alienas consequi, quas reddet Dominus in die illa iustus iudex omnibus his qui ipsius aduentum dilexerint.

2. Tim. 4.

Dixit autem ad eum Iosaphat: Ergo cùm tam perfecta doctrina purissimam vitam desideret, dic quæso, si mihi ab vno vel duobus mandatis aberrare contigerit, an propterea toto scopo aberrabo, spesque mea omnis inanis futura est?

De pœnitentiâ disserere incipit.

Respondit Barlaam: Non est quod ita existimes: Nam Deus Verbum, qui salutis nostræ caussâ humanitatem induit, ingentem naturæ nostræ imbecillitatem & ærumnam exploratam habens, ne in hac quidem parte nos incurabili morbo laborare permisit: verùm, vt sapientissimus medicus, lubricæ nostræ ac peccandi cupidæ voluntati pœnitentiæ medicamentum admiscuit, eam videlicet ad peccatorum remissionem prædicans. Posteaquam enim veritatis agnitionem suscepimus, ac per aquam & Spiritum sanctificati, atque ab omni peccato & spurcitie sine vllo labore purgati sumus, si nobis in aliqua peccata labi contigerit, non quidem superest iam altera per Baptismum regeneratio, quæ in piscinæ aquâ per Spiritum comparatur, ac perfectè nos instaurat (hoc enim beneficium semel dumtaxat conceditur) verùm per asperam pœnitentiam, & calentes lacrymas, & labores ac sudores, propter viscera misericordiæ Dei nostri, purgationem ac peccatorum remissionem consequimur. Etenim per Domini gratiam lacrymarum fons Baptismus appellatur: tametsi alioqui labore ac tempore opus habeat. Ac complures è multis peccatis eripuit: quoniam nullum peccatum est, quod Dei benignitatem vincat, si quidem priùs resipuerimus, ac delictorum maculas lacrymis eluamus: ne alioqui mors anteuertens, nos scelerum maculis inquinatos hinc eijciat. Non enim est in inferno pœnitentia nec confessio. Quamdiu autem vitæ vsurâ fruimur, dummodò orthodoxæ fidei fundamentum firmum maneat, etiamsi trabium aliquid aut tecti labefactetur, quod per peccata corruptum est, pœnitentiæ adiumento sarcire ac renouare licet. Neque enim miserationum Dei multitudo numerari potest, nec misericordiæ ipsius magnitudo in mensuram cadit. Peccata contrà, quæcumque tandem illa fuerint, mensuræ ac numero subijciuntur. Quo fit, vt ea, cùm in mensuram ac numerum cadant, immensam Dei misericordiam, atque innumerabiles miserationes vincere nequeant.

Hebr. 6.

Pœnitentia lacrymæ Baptismi nomen obtinent.

Psal. 6.

Psal. 144.

Ob peccata minimè desperandum est.

Ac proinde ob peccatorum multitudinem animum despondere minimè iubemur, sed Dei bonitatem agnoscere, ac peccata nostra condemnare: quorum remissio propter Christi benignitatem proposita est, qui pro sceleribus nostris sanguinem suum effudit. Porrò cùm ex multis Scripturæ locis pœnitentiæ vim addiscamus, tum potissimùm ex Domini nostri Iesu Christi actionibus ac parabolis. Ex tunc enim, ait, cœpit Iesus docere, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Quin etiam in parabolâ filium quemdam inducit, qui cùm acceptis paternis opibus in longinquam regionem profectus fuisset, easque in omni luxus atque intemperantiæ genere consumpsisset, posteà, regione illâ fame laborante abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Qui etiam illum in agrum, vt porcos, hoc est aspertimum & execrandum peccatum, pasceret, misit. Cùm itaque multis calamitatibus affectus fuisset, atque in tantam miseriam venisset, vt ne porcorum quidem siliquis ipsi ventrem suum implere liceret, tandem aliquando hanc vsque adeò grauem ignominiam agnoscens, vitamque suam lugens, dicebat: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater suus, & misericordiâ motus est, ac accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, atque in pristini honoris locum restituit, & ob ipsius inuentionem lætissimum festum celebrauit, occiso vitulo saginato. En hanc parabolam de ijs, qui à peccatis resiliunt, atque ad pœnitentiam accurrunt, nobis commemorauit. Quinetiam bonum quemdam pastorem rursus inducit, qui cùm centum oues haberet, atque vnam amisisset, relictis nonagintanouem, ad conquirendam eam, quæ aberrabat, profectus est, donec eam inuenisset, atque humeris sublatam, cum ijs quæ minimè aberrauerunt, coniunxisset. Qui etiam hoc nomine amicos ac vicinos ad conuiuium ob eam inuentam celebrandum inuitauit. Ita, inquit Saluator, gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.

Matth. 3.

Luc. 15.

Filius prodigus.

De bono pastore.

Luc. 15.

Atque adeò discipulorum princeps Petrus, illa inquam fidei petra, ipso salutiferæ passionis tempore certo quodam consilio aliquantisper à Deo desertus (nempe vt humanæ imbecillitatis vilitatem ac miseriam perspectam haberet) eò peccati prolapsus est, vt Dominum abiuraret. Pòst autem confestim, inquit, verborum Domini recordatus, foràs exiuit, & fleuit amare, ac per calentes illas lacrymas acceptum detrimentum sarciuit, victoriamque in alteram partem inflexit. Nam cùm rei militaris peritus esset, etiamsi cecidit, non tamē animo fractus est, nec salutis suæ spem abiecit: verùm resiliens, acerbissimas ex oppresso pectore lacrymas profudit, ac statim vt eas hostis conspexit, non secùs atque vehementissimæ cuiusdam flammæ ardore ambustis oculis, pedem retulit, procul fugiens, atque horrendum in modum eiulans. Contrà autem ille principem rursum locum tenuit: quemadmodum totius orbis magister institutus fuerat, ita etiam pœnitentiæ exemplar effectus. Post resurrectionem autem, cùm Christus tertiò ad eum dixisset, Petre, amas me? triplicem abiurationem correxit, respondens scilicet, Etiam Domine, tu scis quia amo te.

Cur Petrus labi permissus sit.

Luc. 22.

Petrus orbis magister, & principem locum tenet.

Ex his igitur omnibus, alijsque quamplurimis, atque adeò numerum omnem superantibus exemplis, lacrymarum ac pœnitentiæ vim intelligimus. Tantùm opera detur, vt ipsa, quemadmodum rationi consentaneum est, fiat, hoc est ex affectu peccatum execrante, ipsumque odio insectante, atque cōdemnante, ac lacrymas emittente: quemadmodum ait propheta Dauid: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Ac tum peccatorum purgatio per Christi cruorem in misericordiæ ipsius magnitudine, ac miserationum multitudine continget. Ipsius enim hæc verba sunt: Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur: si autem vt vermiculus, quasi lana alba erunt.

Psal. 6.

Quomodo agitur vera pœnitentia.

Isaiæ 1.

Operæpretium est itaque, vt posteaquam veritatis cognitionem accepimus, atque regenerationem & filiorum adoptionem consecuti sumus, diuinaque mysteria percepimus, omni studio ac diligentiâ prouideamus, ne corruamus. Neque enim cadere athletam decet: quandoquidem multi, cùm cecidissent, sese erigere minimè potuerunt. Etenim alij, cùm ianuas vitiosis affectionibus aperuissent, atque arctissimo nexu ipsis hæsissent, non iam ad pœnitentiam sese conuertere potuerunt. Alij autem morte priùs abrepti quàm contractas vitiorum sordes per pœnitentiam abstersissent, condemnati sunt. Propterea periculosum est, in vitium, quodcumque tandem illud sit, labi. Ceterum, si labi contigerit, statim enitendum est, vt resiliamus, rursumque ad præclarum certamen obeundum stemus. Et quoties cadere contigerit, toties etiam statim vsque ad extremum vitæ diem curandum est, vt resurgamus, atque in procinctu stemus. Conuertimini enim ad me, & ego conuertar ad vos, ait Dominus.

Periculosus in peccatum lapsus est.

Zachar. 1.

Ad hæc autem Iosaphat dixit: Quanam igitur ratione seipsum quispiam post Baptismum ab omni peccati labe purum seruabit? Nam etsi peccantibus, vt ipse ais, pœnitentia patet, tamen labore & fatigatione, ac fletu & luctu opus est: quæ quidem eiusmodi mihi esse videntur, vt non ea multi facilè consequi possint. Quocircà viam potiùs nancisci cuperem, quâ sincerè atque exactè Dei præcepta seruarem, nec ab ijs deflecterem, nec post priorum peccatorum veniam impetratam, suauissimū illum Dominum ac Deum ad iracundiam prouocarem.

Cap. XII.

Inquirit Iosaphat de viâ tutiore.

Respondit autem Barlaam: Rectè hæc dixisti, domine mi ac rex, atque hoc mihi pergratum est, verùm arduum est, ne dicam impossibile, vt quispiam in igne versetur, nec tamen fumo offundatur. Eodem item modo arduum est ac perquam difficile, vt qui huiusce vitæ negotijs tamquam vinculis quibusdam astrictus tenetur, eiusque curis ac tumultibus distinetur, atque in opibus ac delicijs viuit, sine vllâ inflexione mandatorum Dei viam peragret, purumque seipsum atque incolumem ab ijs seruet. Ait enim Dominus: Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Quin etiam charus ipsius discipulus Ioannes Euangelista & Theologus in epistolâ suâ ait: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniā omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Difficile est, inter mundi tumultus saluti studere.

Matth. 6.

1. Ioan. 2.

Hæc igitur cùm diuini ac diuinitus inspirati patres nostri animaduertissent, atque illud Apostoli audissent, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, in id omni animi contentione incubuerunt, vt post Baptismum, immaculatum ac labis omnis expers incorruptionis indumentum conseruarent. Ac proinde quidam eorum alterum etiam Baptismum insuper assumpserunt, hoc est, eum, qui in sangui-

Act. 14.

ſanguinis profuſione, ac martyrio ſitus eſt. Baptiſmus enim hic quoque appellatus eſt, & quidem præſtantiſſimus, ac ſummâ veneratione dignus: neque enim poſterioribus peccati ſordibus inquinatur. Quem etiam Dominus meus accipiens, Baptiſmum meritò nuncupauit. Deinde ipſius imitatores effecti, primùm quidem ipſius ſpectatores, & diſcipuli, atque apoſtoli, deinceps autem vniuerſus ſanctorum martyrum chorus, idolorum cultoribus, regibus ac tyrannis ſeipſos pro Chriſti nomine obijcientes, omnia ſuppliciorum genera ſuſtinuerunt, feris videlicet obiecti, atque igne cremati, & gladijs obtruncati. Cumque præclaram confeſſionem edidiſſent, & curſum conſummaſſent, ac fidem ſeruaſſent, iuſtitiæ palmam conſecuti ſunt, Angelorum contubernales, & Chriſti coheredes effecti. Quorum virtus vſqueadeò emicuit, vt in omnem terram eorum ſonus exierit, & in fines orbis terræ fulgor eorum, quæ rectè cum virtute geſſerunt, rutilarit. Horum non verba dumtaxat & opera, ſed ipſe quoque cruor & oſſa, omni ſanctitate plena ſunt. Dæmones namque per vim in fugam vertunt: atque ijs qui cum fide accedunt, incurabiles alioqui morbos profligant. Quin veſtes quoque ipſæ, & ſi quid aliud ad pretioſa eorum corpora propius acceſſit, omnibus venerationi ſunt.

Martyrij baptiſmus omnium præſtantiſſimus. *Lucæ 12.* *Pſal. 18.* *Martyrum reliquiæ ad varia efficaciſſima.*

De quibus longâ oratione mihi opus eſſet, ſi præclara eorum facinora ſigillatim exponere vellem. Poſteaquam autem crudeles illi ac belluini tyranni miſerè, vt eorum improbitas merebatur, perierunt, perſecutioque finem accepit, ac pij Imperatores totius orbis imperio potiti ſunt, ſuccedentes alij, ac zelum illum, diuinamque cupiditatem ſibi imitandam proponentes, eodemque timore ſauciam animam habentes, illud optimè ſecum conſiderabant atque ſpectabant, vt ab omni ſpurcitie puram animam ac corpus Deo exhiberent: ſic nimirum ſe comparantes, vt omnes vitioſarum affectionum actiones amputarent, ſeipſoſque ab omni carnis & ſpiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non aliâ ratione, quàm per mandatorum Chriſti obſeruationem, à ſe præſtari poſſe intelligebant, mandatorum porrò obſeruationem ac virtutum cultum in medijs mundi tumultibus ægrè conſequi ſe poſſe perſpiciebant, nouum quoddam atque ab alijs diuerſum vitæ genus ſibiipſis inſtituerunt, ac iuxta diuinam vocem relictis omnibus rebus, hoc eſt parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, delicijs, cunctiſque mundi commodis contemptis, in ſolitudines, tamquam exules quidam, ſeſe contulerunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ, ac ſeipſos ab omnibus terrenis iucunditatibus & voluptatibus procul remouentes, atque adeò panis etiam & veſtimentorum graui penuriâ laborantes.

1. Cor. 7. *Cur monaſtica vita à piis viris ſuſcepta.* *Hebr. 11.*

Quod vt facerēt, duplex eos cauſſa impellebat: altera, vt vitioſarum affectionum materias minimè cernentes, earum cupiditates radicitus ex animis ſuis euellerēt, earumque memoriam oblitterarent, ac diuinarū & cęleſtium rerū amorem & deſideriū in ſeipſis insererent: altera, vt per afflictionem corpus cōficerent, animoque ac voluntate martyres effecti, eâ gloriâ, quam ij qui martyrio perfuncti ſunt, obtinent, minimè carerent; verùm cùm ipſi quoque, quantum in ſe eſſet, Chriſti paſſionē expreſſiſſent, ipſius quoque regni participes eſſent. Ad hunc igitur modum optimâ conſideratione adhibitâ, monaſticam ac ſolitariam vitam cōſectati ſunt.

Atque alij quidem ſub dio durantes, ſolis æſtu, atque aſperrimis frigoribus ac pluuijs, & ventorum turbinibus affligabantur: Alij conſtructis tugurijs, aut in ſpeluncis & antris ſeſe occultantes, vitam agebant. Sicque virtutem colentes, omnem carnalem conſolationem & quietem ad extremum vſque repudiarunt, crudis oleribus & herbis, aut pomis, aut etiam ſicco ac duriſſimo pane vitam tolerantes: nec ſuauium ciborum qualitati dumtaxat nuntium remittentes, ſed præ exuberanti quadam continentiâ magnitudinem animi ſui ad ipſam quoque quantitatem extendentes. Tantulum enim dumtaxat, etiam ex ipſis vilibus maximeque neceſſarijs cibis percipiebant, quantum ad tolerandam famem ſatis eſſet. Quidam enim eorum integram hebdomadam per inediam tranſigentes, Dominico demum die cibum admittebant. Quidam bis tantùm hebdomadâ quaque ipſius meminerant: alij alternis diebus ſub veſperam edebant, ſic vt cibum dumtaxat deguſtarent: precibuſque ac vigilijs propemodum cum Angelis quoque certantes, atque auri & argenti poſſeſſione, emptionibuſque & venditionibus prorſus valere iuſſis, inter homines omnino ſe eſſe obliuiſcebantur.

Monaſtica vita quoddam martyrij genus eſt. *Ciborum delectus.* *Ieiunia, orationes, & vigiliæ, paupertas volūtaria, & vita innocentia.*

Inuidiæ autem & animi elationi, quæ potiſſimùm bonorum operum comites eſſe ſolent, locus inter eos nullus erat. Neque enim is qui in vitæ monaſticæ exercitationibus inferiorem locum tenebat, aduerſus eum, cuius illuſtrior virtus erat, liuoris cogitationem in animum admittebat: nec rurſus eum qui virtutibus pollebat, arrogantia

& fastus aduersus imbecilliores efferebat, atque in hanc fraudem impellebat, vt proximum nihili penderet, aut de religiosâ exercitatione gloriaretur, ob eaque quæ cum laude præstitisset, magnificè atque arroganter de se sentiret. Nam qui virtute alterum antecellebat, id totum non suis laboribus, sed Dei virtuti adscribens, humili mente hoc sibi persuadebat, se nihil omnino efficere, verùm multò plura sibi præstanda esse, iuxta illud quod ait Dominus: *Luc.17.* Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite; Serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Ac quidam etiam hoc sibi persuadebant, se ne ea quidem vllo modo fecisse, quæ ipsis à Deo præcepta essent, verùm multò plura esse quæ sibi deessent, quàm quæ iam præstitissent. Rursum is, qui in religiosâ exercitatione, ob corporis fortasse imbecillitatem inferior erat, seipsum nihili pendebat, ac miserum dicebat, animi scilicet ignauiæ, ac non naturæ imbecillitati defectum suum assignans. Ita alij alijs, atque omnes omnibus modestiores se præbebant. Inanis porrò gloriæ affectus, aut hominibus placendi studium, quonam tandem pacto *Cur monachi de mundo fugiebant.* in illis inesset, quippe qui hac de caussâ orbem fugâ reliquerant, atque in desertis morabantur, vt virtutes suas non hominibus, sed Deo, à quo virtutum quoque præmia sperabant, demonstrarent. Illud quippe probè norant, religiosa exercitia, *Opera quæ laudis humanæ studio fiunt, mercede carent.* quæ inanis gloriæ caussâ obeuntur, mercede carere: vt quæ non Dei, sed humanæ laudis caussâ fiant. Ac proinde huiusmodi homines duplici detrimento afficiuntur: dum nimirum corpus conficiunt, nec tamen mercedem vllam ferunt. Qui autem cælestis gloriæ desiderio flagrant, atque ad eam omni celeritate contendunt, terrenam omnem & humanam aspernantur.

Ex huiusmodi porrò hominibus alij sic degunt, vt in secessu ac solitudine pietatis certamen obeant, & ab hominum contubernio per omne vitæ tempus sese remoueant, atque ad Deum appropinquent. Alij procul inter se constructis ædiculis, Dominicis diebus ad vnam & eamdem ecclesiam pergunt, ac diuina mysteria, hoc est *Eucharistiæ effectus.* incruentum puri corporis ac pretiosi sanguinis Christi sacrificium percipiunt: quæ quidem Dominus pijs in peccatorum remissionem, ac tum animi tum corporis illuminationem & sanctificationem donauit. Atque diuinorum oraculorum exercitatione, mirabilibusque consilijs & cohortationibus mutuò sese pascentes, & occulta hostium bella patefaciẽtes (ne quis videlicet luctandi adhuc ignarus ab ijs superetur) domum rursus singuli redeunt, virtutis mel in *Monachorum in desertis consuetudo.* pectorum suorum fauis studiosè recondentes, suauissimumque fructum ac cælesti mensâ dignum excolentes: alij autem cœnobiacam vitam consectantur.

Monachorum obedientia. Qui quidem maximo numero in vnum coacti, vnius præfecti atque antistitis (qui omnibus virtute præstat) imperio se ipsos subdunt: ac voluntatem suam obedientiæ mucrone prorsus truncantes, seque velut emptitia mancipia vltrò reputantes, non iam sibi ipsis viuunt, sed ei, cui ob Christi *Gal.2.* amorem sese submiserunt, vel vt aptiùs loquar, viuunt iam non sibiipsis, viuit autem in his Christus, quem rebus omnibus abiuratis secuti sunt. Nam in in hoc demum secessus à mundo consistit, *Quid sit secedere à mundo.* vt propter earum rerum quæ naturâ subliniores sunt cupiditatem, voluntarium suiipsius odium quispiam concipiat, ac naturam abiuret. Hi igitur Angelorum instar in vitâ versantur, psalmos videlicet & hymnos concordibus animis Domino canentes, & Confessorum nomen propter obedientiæ certamina obtinentes. In quibus etiam Dominicum illud oraculum *Matth.18.* expletur: Vbicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio illorum. Quibus verbis non hoc dumtaxat numero eos qui in ipsius nomine congregantur, circumscripsit, verùm per duos aut tres indefinitum numerum significauit. Nam siue pauci siue multi ob sanctum ipsius nomen in vnum conueniant, eique ardenti amore cultum adhibeant, illic eum in medio seruorum suorum adesse minimè dubitamus.

Per hæc exempla, & per huiusmodi coitiones & actiones, terreni cælitum vitam imitati sunt: vt qui in ieiunijs, & precibus ac vigilijs, in calentibus lacrymis & luctu ab omni animi distractione libero in peregrinatione ac mortis memoriâ, in lenitate animiq; affectu ab iracundiâ remoto, in labiorum silentio, in paupertate atque inopiâ, in castitate ac pudicitiâ, in humilitate & quiete, ac denique in perfectâ erga Deum & proximum charitate præsentis vitæ curriculum confecerint, Angelosque moribus expresserint. Ob eamque caussam Deus miraculis ac signis, varijsque virtutibus eos exornauit, effecitque vt admirandæ eorum vitæ rationis sono, ipsi quoque orbis terrarum fines *Antonius monasticæ vitæ princeps.* personent. Ac si vnius ipsorum, hoc est Antonij, qui etiam monasticæ vitæ auspex ac princeps extitisse dicitur, vitam tibi sigillatim exponerem, nimirum ex vnâ arbore fructum eorum, qui eiusdem generis ac speciei sint,

sint, dulcedinem prorsus intelligeres, quodnamque ille exercitationis religiosæ fundamentum iecit, & quodnam fastigium struxit, & quantas à Saluatore gratias consecutus est. Plerique etiam alij post eum eodem certamine perfuncti, ad easdem coronas & eadem præmia peruenerunt.

Descriptio vitæ monasticæ. Beati certe illi ac ter beati, vt qui Dei amore flagrarunt, atque ob ipsius charitatem omnia pro nihilo duxerunt. Siquidem lacrymas profuderunt, diuque ac noctu in luctu versati sunt, vt perpetuam consolationem adipiscerentur: se ipsos vltrò depresserunt, vt illic in altum attollerentur: carnes suas fame ac siti & vigilijs confecerunt, vt illic paradisi deliciæ & exultatio ipsos exciperent. Spiritus sancti tabernaculum per cordis puritatem extiterunt, quemadmodum scriptum est: *2.Cor.6.* Inhabitabo in ipsis & inambulabo. Seipsos mundo crucifixerunt, vt ad Christi *Ephes.6. Matth 25.* dexteram starent: lumbos suos in veritate succinxerunt, atque in promptu semper lampades habuerunt, immortalis sponsi aduentum exspectantes. Nam cùm mentis oculis præditi essent, horrendum illum diem semper prospiciebant: atque tum futurorum bonorum, tum futuri supplicij contemplationem ita in corpore defixam gerebant, vt ab ipsa numquam diuellerentur. Atque hic laborare studuerunt, vt sempiternæ gloriæ compotes essent. Perturbationum expertes, non secus atque Angeli, fuerunt: ac nunc cum illis quorum vitam imitati sunt, choreas agunt. Beati illi ac ter beati, quoniam firmis mentis oculis præsentium rerum vanitatem, atque humanæ prosperitatis incertitudinem & inconstantiam perspexerunt, eaque reiecta, sempiterna bona sibi ipsis condiderunt, ac vitam eam, quæ numquam occidit, nec morte interrumpitur, arripuerunt.

Hos igitur admirandos & sanctos viros nos quoque indigni ac despicabiles imitari studemus; verùm eorum vitæ cælestis fastigium minimè assequimur, sed pro infirmitatis nostræ ac miseræ facultatis modulo *Cultus monachorum habitus.* eorum vitam exprimimus. Atque ipsorum habitum gerimus, etiamsi opera non assequamur. Etenim diuinam hanc professionem peccatum propulsare, atque incorruptionis per diuinum Baptisma nobis cōcessæ sociam & opitulatricem esse perspectum habemus. Ac beatorum illorum virorum sermonibus adducti, caducas atque interitui *Vanitas rerum huius vitæ.* obnoxias huiusce vitæ res magnopere condemnamus, in quibus nihil firmum & æquabile, quodque eumdem semper statum reti- *Eccles.5.* neat, inueniri potest; verùm omnia vanitas sunt & afflictio spiritus; multas temporis puncto mutationes ferens: siquidem in somnijs, & vmbris, ac ventis aërem perflantibus, imbecilliora sunt. Quorum parua & *Mundus fallax in promissis. 1.Ioan.2.* breuis voluptas est, imò non voluptas, sed fraus quædam & impostura peruersitatis mundi, quem nullo modo diligere, verùm potius ex animo odisse atque insectari docemur. Ac sanè odio ac detestatione dignus est: nam quidquid amicis suis dono dat, idem rursus animo irato eripit, atque omni bono spoliatos, ignominiáque indutos, grauibusque sarcinis onustos ad sempiternam calamitatem transmittit. Et quos in sublime attollit, extremæ humilitati atque afflictioni obnoxios quamprimùm reddit, hostiumque suorum ludibrio exponit. Huiusmodi enim sunt ipsius beneficia, huiusmodi ipsius munera. Amicorum enim suorum hostis est, omnibusque qui ipsius voluntatibus obsequuntur, insidias struit: horrendum videlicet in modum eos qui ipsi innituntur, conturbans, & eorum qui fiduciam suam in eo collocant, neruos omnes elidens. Cum stultis fœdus sancit, falsasque pollicitationes init: hoc tantùm animo, vt eos ad se pertrahat. Illis autem sincero animo sese ad ipsum adiungentibus, improbus ipse ac mendax esse comperitur, nihil eorum quæ pepigerat, præstans.

Mundi inconstantia. Nam cùm iucundis cibis eorum fauces hodie deliniuit, cras eosdem hostibus suis deuorandos obijcit. Hodie regem aliquem creat, & cras eumdem in miseram seruitutem addicit: hodie innumeris bonis florentem reddit, cras mendicum & mancipiorum mancipium: hodie insignem coronam ipsius capiti imponit, cras ipsius faciem terræ allidit: hodie ipsius collum splendidis dignitatum honoribus exornat, cras eumdem ferreis catenis vinctum deijcit. Ad breue tempus omnium amorem ac beneuolentiam ipsi conciliat; aliquantò pòst autem eidem omnium odium & execrationem conflat. Hodie ipsum voluptate afficit, & cras eumdem luctibus ac lamentis conficit. Quemnam autem etiam ipsis finem imponat, audi. Incolas enim gehennæ, eos à quibus adamatus est, miserandum in modum efficit. Hæc semper ipsius mens ac sententia est, hoc institutum. Nec eos qui præterierunt luget, nec eorum qui relicti sunt commiseratione afficitur. Illis enim graui detrimento mulctatis, retibusque suis inclusis, ad hos rursus artem suam transferre nititur, neminem videlicet, qui periculosos ipsius laqueos effugiat, esse cupiens.

Quamobrem eos, qui tam pestifero ac

Eleganti parabolâ mundi amatorum stultitia ostenditur.

crudeli domino seruiunt, quique à bono ac benigno per summam dementiam seipsos remouentes, rebus præsentibus inhiant & intabescunt, nec futura vllo modo cogitant, verùm ad corporeas quidem voluptates sine vllâ intermissione sese cõferunt, animas autem suas fame confici, & innumeris malis conflictari sinunt, homini à furentis vnicornis facie fugienti similes esse censeo, qui cùm clamoris ipsius sonum atque horrendos mugitus ferre nequeat, magno impetu, ne ipsi in prædam cedat, aufugit. Dum autem celeriter currit, in ingentem quamdam scrobem ruit, ac ruendo manus extendens, arborem quamdam arripit, eamque arctissimè retinet, atque gradu quodam affirmatis pedibus, pacata deinceps omnia, atque ab omni periculo aliena esse arbitratur. Respiciens autem, duos mures cernit, alterum candidum, alterum atrum, arboris illius, quam arripuerat, radicem perpetuò corrodentes, iamque pænè eam amputantes. Atque insuper, coniectis in imam scrobem oculis, horrendum draconem conspicit, aspectu ipso ignem spirantem, ac toruis oculis ipsum intuentem, horrendeque ipsi deuorando inhiantem. Ac rursum in gradu illo, cui pedes ipsius innitebantur, oculorum acie defixâ, quatuor aspidum capita videt, è pariete, in quo consistebat, prominentia. Sursum autem oculos conuertens, nonnihil mellis ex arboris illius ramis stillans perspicit. Quocircà calamitatum earum, quibus vndique obsidebatur & vrgebatur, omissâ consideratione, nimirum quonam pacto externè quidem vnicornis vehementi furore percitus eum deuorare quæreret, ab inferiore autem parte acerbus draco eum deglutire vehementer expeteret, ac rursus arbor ea, quam arripuerat, iam iamque amputanda esset, pedes denique ipsius lubrico & infido gradui inniterentur. Horum inquam tantorum periculorum oblitus, in exigui illius mellis dulcedine percipiendâ seipsum occupauit.

Homo raptus exigui mellis suauitate periculum negligit.

Hæc eorum, qui præsentis vitæ ludibriis intabescunt, figura est: cuius quidem explanationem protinus tibi exponam. Vnicornis igitur mortis typum gerit, quæ semper mortalium genus persequitur, atque arripere contendit. Scrobs autem mundus est, qui omnis generis malis ac mortiferis laqueis scatet. Arbor ea quam compressis manibus tenemus, & quæ à duobus muribus indesinenter arroditur, cuiusque hominis vitæ curriculum est: quod quidem per diei ac noctis horas absumitur & conficitur, ac paulatim ad excisionem accedit. Quatuor autem aspides, humani corporis super quatuor lubrica & instabilia elementa constitutionem designant: qui cùm immoderatè se habent ac perturbantur, corporis compages dissoluitur. Ad hæc igneus ille ac truculentus draco, horrendum inferni ventrem adumbrat, qui eos suscipere gestit qui præsentes voluptates futuris bonis anteponunt. Mellis verò guttula distillans, mundi iucunditatem & dulcedinem significat, per quam ille amicos suos ludificans, eos saluti suæ prospicere minimè sinit.

Vnicornis est mors. *Scrobs, mundus.* *Arbor, vita.* *Duo mures, nox & dies.* *Quatuor aspides, quatuor corporu elementa.* *Draco, infernus.* *Mellis gutta, mundi suauitas.*

CAP. XIII

Fallax mundi vanitas aliâ parabolâ trium amicorum ostenditur.

Hanc parabolam maiorem in modum comprobans Iosaphat, dixit: Quàm verus hic sermo est, ac concinnitatis omnis plenus! Quamobrem ne te quæso huiusmodi figuras mihi assiduè demonstrare pigeat: quò certò intelligam, qualis nostra vita sit, & quas res amicis suis accersat. Dixit autem senex: Similes rursum sunt ij, qui voluptatum huius vitæ amore capti, earumque suauitate deliniti, res fluxas & imbecilles futuris atque à iactatione alienis antiquiores habuerunt, homini, qui tres amicos habuit, ex quibus duos quidem ingenti animi affectu colebat, ac vehementer amabat, adeò vt ad mortem vsque pro ipsis dimicare, ac pericula quæuis adire minimè recusaret, tertium autem admodum aspernabatur, ita vt nec honorem vmquam, nec quam par erat beneuolentiam ipsi præstaret, sed exiguam quamdam dumtaxat, eamque fictam ac simulatam amicitiam exhiberet. Venerunt autem quodam die immanes atque horrendi milites, qui eum summâ cum festinatione ad regem traherent, vt decem millium talentorum, quæ debebat, rationem redderet. Ille igitur in summam angustiam redactus, aliquem quærebat, qui in metuendâ illâ rationum apud regem redditione opem ipsi ferret. Currens itaque ad primum, omniumque aliorum charissimum amicum, ad eum ait: Non te fugit, ô amice, quemadmodum tuâ caussâ vitam meam semper in discrimen adduxerim: nunc autem hodierno die, vrgente necessitate, ope tuâ atque auxilio indigeo. Ecquid ergo te mihi auxilio fore polliceris? & quænam in te, vir charissime, spes mihi constituta est? Respondens autem ille, ait: Amicus tuus non sum, ô homo, nec qui sis noui. Sunt enim mihi alij amici, quibuscum hodie oblectari me oportet, quosque in posterum pro amicis habiturus sum. Quare duo tantum cilicia tibi porrigo, vt ea in viâ, qua pergis, habeas, quę etiam ipsa nihil tibi emolumenti allatura sunt: nec est quòd à me quidquam

Primus amicus, duo cilicia offert.

quam exspectes. Hæc ille audiens, ac de auxilio, quod ab eo exspectabat, spem omnem abijciens, ad secundum amicum se confert, ad eumque ait: Recordare amice, quantum à me honoris & beneficiorum acceperis. Hodierno autem die in maximam calamitatem & afflictionem prolapsus, opitulatore aliquo opus habeo. Quidnam igitur adiumenti nunc mihi afferre queas, fac sciam. Ille autem ait: Hodie mihi per negotia tecum certamen subire minimè licet. Curis enim & sollicitudinibus vndique vrgeor, atque in afflictione sum. Paulùm tamen tecum pergam: quamuis nihil hinc commodi ad te rediturum sit: ac pòst statim domum reuersus, negotijs meis operam dabo.

Secundus comitatur parum.

Inanibus igitur manibus homo inde reuersus, atque omni ex parte auxilio destitutus, de vana spe, quam in perfidis & ingratis amicis suis collocarat, & de inutilibus laboribus, quos pro suo erga eos amore susceperat, seipsum deplorabat. Pergit autem etiam ad tertium amicum, quem nec vllo vmquam loco habuerat, nec lætitiæ suæ socium adsciuerat. Atque ad eum pudibundo & in terram deiecto vultu his verbis vsus est: Vix mihi ad te loquendi facultatem os concedit. Etenim illud perspectissimum habeo, me numquam tibi benignè fecisse, nec amico erga te animo fuisse. Ceterùm, quoniam grauissimâ calamitate oppressus in reliquis meis amicis nullam salutis spem inueni, ad te accedo, teque rogo atque obsecro, vt si exiguam aliquam opem mihi afferre queas, ne id, ingratitudinis meæ memor, facere recuses. Ille autem hilari & amœno vultu ait: Sanè sincerissimum amicum meum te esse profiteor: atque exiguæ illius tuæ erga me beneficentiæ memor, eam tibi hodierno die cum fœnore rependam. Quocircà ne metuas ac pertimescas. Nam ego ante te proficiscar, regemque tuo nomine obsecrabo, ne te hostium manibus dedat. Quare fac bono animo sis, vir amicissime, nec te mœrore excrucies. Tum ille compunctione affectus, & lacrymis perfusus, dicebat: Heu me miserum, quidnam priùs deflebo ac lamentabor? Vanámne meam in immemores & ingratos falsos illos amicos beneuolentiam condemnabo? an potiùs insanam eam ingratitudinem, quâ in hunc verum & sincerum amicum vsus sum, insectabor?

Tertius fidelis amicus.

Parabola explicatio.

Iosaphat autem hunc sermonem non sine admiratione suscipiens, eius explicationem requirebat. Dixit itaque Barlaam: Primus amicus, opum copia est, & diuitiarum amor, ob quem homo in sexcenta pericula incidit, ac multas ærumnas perfert. Cùm autem extremus vitæ dies clausus est, ex illis omnibus opibus, præter inutiles quosdam pannos, qui ad funus adhibentur, nihil omnino secum accipit. Secundus autem amicus, vxor ac liberi sunt, ceterique cognati & familiares, quorum affectione ac beneuolentiâ cōstricti tenemur, vt ab his diuelli vix queamus, ac præ eorum amore corpus etiam & animam nostram negligamus. Ex ipsis porrò nemo in mortis horâ vtilitatis aliquid percipit, nisi quòd ad sepulchrum vsque dumtaxat cadauer comitantur, ac protinus domum reuersis, suis curis ac negotijs operam dant, memoriam eius, qui quondam ipsis charus erat, non minus obliuioni, quàm corpus sepulcro relinquentes. At verò tertius amicus, qui contemptui ac fastidio erat, cuiusque aditum horremus & auersamur, optimorum operum chorus est, hoc est, fides, spes, charitas, misericordia, benignitas, reliquusque virtutum cœtus: qui quidem ante nos, cùm è corpore excedimus, proficisci, ac nostrâ caussâ Deum precibus inflectere, atque ab hostibus nostris & horrendis exactoribus, qui de referendis rationibus acerbam nobis in aëre litem mouent, ac crudeliter nos arripere contendunt, liberare potest. Hic nimirum est candidus ille ac probus & gratus amicus, qui quamlibet etiam exiguum bonum nostrum opus memoriâ tenet, ac cum fœnore nobis illud rependit.

Primus amicus, opes.

Secundus, parentela.

Tertius, bonorum operum chorus.

CAP. XIV.

Rursùm igitur Iosaphat dixit: Vtinam tibi à Domino Deo tuo omnia fausta & iucunda sint, hominum sapientissime. Siquidem optimis tuis aptisque sermonibus animum meum exhilarasti. Quocircà vanitatis huius mundi rursum imaginem mihi exprime: & quâ ratione hanc vitam in pace ac securitate peragrare queam.

Excipiens igitur sermonem Iosaphat, ait: Huiusce quoque quæstionis similitudinem audi. Vrbem quamdam magnam extitisse accepi, in quâ ciues hoc in more atque instituto positum habebant, vt peregrinum quemdam & ignotum virum, ac legum & consuetudinum ciuitatis omnino rudem & ignarum acciperent, eumque sibiipsis regem constituerent, penes quem per vnius anni curriculum rerum omnium potestas esset, quique libere & sine vllo impedimento quidquid vellet, faceret. Pòst autem, dum ille omni prorsus curâ vacuus degeret, atque in luxu & delicijs sine vllo metu versaretur, perpetuumque sibi regnum fore existimaret, repente aduersus eum insurgentes, regiamque ipsi vestem detrahentes, ac nudum per totam vrbem tamquam in triumphum agentes, in magnam quamdam ac longè

Pulchra parabola de bonis per eleemosynam in cælum præmittendis.

Quis sibi malè cauit.

gè remotam insulam eum relegabant, in quâ nec victu nec indumentis suppetentibus, fame ac nuditate miserrimè premebatur, voluptate scilicet atque animi hilaritate, quæ præter spem ipsi concessa fuerat, in mœrorem rursus præter spem omnem & exspectationem commutatâ.

Quis sibi melius prouidit. Contigit ergo, vt pro antiquo ciuium illorum more atque instituto, vir quidam magno ingenij acumine præditus ad regnum adscisceretur. Qui statim subitâ eâ felicitate, quæ ipsi obtigerat, haud quaquam præceps abreptus, nec eorum, qui ante se regiam dignitatem obtinuerant, misereque eiecti fuerant, incuriam imitatus, animo anxio ac sollicito id agitabat, quonam pacto rebus suis optimè consuleret. Dum ergo crebrâ meditatione hæc secum versaret, per sapientissimum quemdam consiliarium, de ciuium consuetudine, ac perpetui exilij loco certior factus est: quonam pacto sine vllo errore ipse sibi cauere deberet, intellexit. Cùm igitur hoc cognouisset, futurumque propediem, vt ad illam insulam ablegaretur, atque aduentitium illud & alienum regnum aliis relinqueret, patefactis thesauris suis, quorum tunc promptum ac liberum vsum habebat, aurique atque argenti, ac pretiosorum lapidum ingenti mole famulis quibusdam, quos fidissimos habebat, traditâ, ad eam insulam, ad quam abducendus erat, præmisit. Vertente autem anno ciues commotâ seditione nudum eum, quemadmodum superiores reges, in exilium miserunt. Ac ceteri quidem amentes, & breuis temporis reges, grauissimâ fame laborabant: ille contrà qui opes suas præmiserat, in perpetuâ rerum copiâ vitam ducens, atque infinitâ voluptate fruens, perfidorum ac sceleratorum ciuium metu prorsus abiecto, sapientissimi consilij sui nomine beatum se prædicabat.

Parabolæ superioris explanatio. Hîc porrò per ciuitatem, vanum hunc atque impostorem mundum intellige. Per ciues autem, principatus & potestates dæmonum, ac mundi rectores tenebrarum huius sæculi, qui nos per voluptatis molliciem inescant, atque in animum nobis inducunt, vt de rebus caducis & interituris, velut de immortalibus cogitemus, tamquam scilicet earum fructus nobis perpetuus ac sempiternus futurus sit. Cùm igitur ad hunc modum decepti atque in fraudem impulsi sumus, nec de certis illis ac sempiternis vllum vmquam consilium iniimus, nec nobis in futurum æuum *Prou. 1.* quidquam recondidimus, repentinus nobis mortis interitus ingruit. At tum demum nudos nos, atque omnibus huius vitæ rebus spoliatos improbi illi ac sæui tenebrarum ciues accipientes, vt qui tempus illis omne impenderimus, in terram tenebrosam & obscuram abducunt, in terram sempiternæ caliginis, vbi lux non est, nec mortalium vitam intueri licet. *Iob 10.* Per probum verò consiliarium, qui prudenti ac perquam sapienti illi regi omnia verè aperuit, ac sublata consilia tradidit, me vilem & humilem homunculum intellige, qui huc idcircò venio, vt tibi viam bonam & ab omni errore liberam commonstrem, teque ad sempiterna & numquam finienda bona traducam, illucq; omnia tua recondere suadeam, contraque te ab impostore hoc mundo abducam. Quem quidem ipse quoque aliquando misere amabam, eiusq; voluptates & oblectamẽta complectebar. Ceterùm cùm rectis mentis oculis animaduertissem, quemadmodum in his rebus vniuersa mortalium vita conteritur, *Nihil in mundo firmum ac stabile.* aliis nimirum accedentibus, alijs decedentibus, nec vllo omnino firmâ & stabili sede constituto, hoc est, nec diuitibus & copiosis in opibus, nec potentibus in potentiâ, nec sapientibus in sapientiâ, nec ijs quibus prosperè res succedunt, in prosperitate, nec luxui deditis in luxu & cupediis, nec iis qui securè sibi viuere videntur, in inani suâ & imbecillissimâ securitate, nec in vllâ aliâ re ex ijs quæ laudibus efferuntur. Verùm hæc res torrentium aquarum in profundum mare labentium transitui similis est: eodem enim modo fluxa sunt & fragilia omnia præsentia. *Res huius vitæ torrentis similes.* Hinc scilicet hæc omnia vana esse, neque quidquam vtilitatis habere intellexi. Quin potiùs quemadmodum priora omnia obliuione obruta sunt (siue gloriam dixeris, siue regnum, siue dignitatum splendorem, siue potentiæ amplitudinem, siue tyrannorum audaciam, siue quid aliud eiusdem generis) eodem modo præsentia quoque tandem vetustas obscurabit. Quorum in numero cùm ipse quoque sim, consuetæ immutationi prorsus subijcior. Vt enim ijs, qui ante me extiterunt, præsentium rerum voluptatibus perpetuò frui minimè cõcessum est, sic ne mihi quidem concedetur. Animaduerti enim, quemadmodum tyrannus hic ac turbulentus mundus homines tractet, eos nimirum huc atq; illuc inuertens, *Quo pacto mundus cum hominibus agat.* hos scilicet ex opibus ad egestatem, illos rursus ex grauissimâ paupertate ad gloriam, hos è vitâ ducens, illos rursum eorum loco in vitam inducens: sapientes quosdam & ingeniosos viros improbans ac reijciens, eosq; qui in honore ac splẽdore erant, contẽptos & despicabiles reddẽs; alios contrà insipientes ac stolidos in gloriæ throno collocans, eosque

eosque qui abiecti & obscuri erant, ita euehens, vt ipsis ab omnibus honor tribuatur.

Ac cernere est, hominum genus ita comparatum esse, vt ante crudelem ipsius tyrannidem nihil omnino firmum ac stabile habeat. Quemadmodum enim columba aquilam aut accipitrem fugiens, locum subinde commutat, ac nunc quidem in hac arbore, nunc autem in illo frutice, ac deinde in rupium cauernis, ac varijs spinis pedem affigens, nec tutum vsquam perfugium inueniens, in perpetuâ iactatione atque ærumnâ versatur: eodem modo se habent, qui res præsentes ad stuporem vsque mirantur: quippe qui inconsiderato quodam impetu miserè laborent, nec quidquam omnino firmum aut stabile habeant, nec ad quem finem peruenturi sint, intelligant, nec quò tandem vana vita, cui, perquam infeliciter ac miserè mala bonis præferentes, ac probitatis loco vitium consectantes, sese subiecerunt, eos ducat; nec quisnam frigidos multorum ac miserorum laborum suorum fructus excepturus sit, hoc est, propinquúsne an alienus, ac persæpè ne amicus quidem aut notus, verùm inimicus & hostis.

Similitudo columbæ quæ accipitrem fugit.

Hæc inquam omnia, & quæ his consentanea sunt, cùm ipse in animæ meæ foro disceptassem, totius vitæ meæ, quam in rebus vanis consumpsi, ac terrenis laboribus addictus transegi, odium me cepit. Cumque eorum amorem ex animo excussissem & eiecissem, ea sese oculis meis obtulerunt, quæ verè bona sunt, hoc est, Dei metu præditum esse, atque ipsius voluntati obsequi. Nam hoc bonorum omnium caput esse compertum habui. Hoc enim sapientiæ initium esse dicitur, atque adeò perfecta sapientia. Etenim mœroris expers vita est, atque ab omni offensione libera ijs qui eam amplectuntur, & qui ei tamquam Domino innituntur, tuta & ab omni periculo immunis. Cùm itaque animum meum ad erroris omnis expertem mandatorum Domini viam adiecissem, nihilque in ipsis obliquum & anfractuosum, ac voraginibus & scopulis & sentibus & tribulis plenum esse certò comperissem, verùm eam omnino planam & æquabilem esse; eorum quidem, qui hanc ingrediuntur, per clarissimas contemplationes oculos oblectantem, pedibusque pulchritudinem conciliantem, atque eos ad præparationem Euangelij pacis calceantem, me ipsum prioris imposturæ ac stolidæ fraudis nomine miserum existimaui, ac per rectam illam incedere aggressus sum: quam etiam optimo iure rebus omnibus antetuli, atque collapsam & dirutam animæ meæ domum instaurare cœpi.

Quænam vera bona existimanda sint. Psal.110. Prouer.1.

Vita sanctæ suauitas.

Cùm ergo ad hunc modum rebus meis consulerem, ac mentis lubricum corrigere studerem, sapientis cuiusdam magistri vocem audiui, hæc mihi inclamantis: Egredimini, inquit, omnes, quos salutis cupiditas tenet, atque à mundi vanitate vos remouete, transit enim ipsius figura. Iam iamque, & ecce non erit. Irretortis oculis excedite: nec tamen inanes & vacui, verùm sempiternæ vitæ viatica ferentes. Etenim longum iter vobis ineundum est, quodque multo huiusce vitæ viatico opus habeat; atque ad sempiternum locum, duas regiones, in quibus mansiones multæ sint, habentem, peruenietis. Quarum alteram quidem Deus ijs qui ipsius amore flagrant, eiusque mandatis obtemperant, præparauit, omnibus bonis florentem & circumfluentem.

1.Cor.7.

1.Cor.2.

Cæleste iter multo viatico opus habet.

Ad quam qui diuino beneficio admittuntur, in sempiternâ incorruptione degunt, vt qui immortalitate interitus omnis experte fruantur, vnde effugit dolor, tristitia & gemitus. Altera autem, quæ tenebris, & calamitate, ac dolore conferta est, diabolo & angelis eius parata est. In quam etiam conijcientur, qui per flagitiosas actiones eam sibi conciliauerint, atque ab interitu aliena & sempiterna bona cum præsentibus commutarint, totosque sese ignis æterni pabulum effecerint.

Isa.35.

Hac ego voce auditâ, atque ipsius veritate intellectâ, in hoc vnum opus incubui, vt ad illud hospitium peruenirem, quod omni dolore & mœstitiâ vacat, tantaque contrà securitate, ac tantis bonis scatet: quorum cognitio nunc mihi dumtaxat ex parte est, vt qui spiritualis ætatis ratione puer sim, ac velut per specula dumtaxat & ænigmata res futuræ vitæ perspiciam. Cùm autem venerit quod perfectum est, ac facie ad faciem cognoscam, tum demum euacuabitur quod ex parte est. Quocircà gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim lex spiritus vitæ in Christo Iesu, à peccati & mortis lege me liberauit, oculosque meos aperuit, vt carnis affectum mortem esse, spiritus autem affectum vitam & pacem, liquidò cernerem. Quemadmodum igitur ego præsentium rerum cognitâ vanitate, perfecto odio eas habui: eodem modo, vt de ipsis existimes, te moneo, atque erga eas, non secùs ac alienas, & quam primùm diffluxuras afficiaris: atque hinc ereptis omnibus facultatibus, in immortali æuo, ad quod tibi sine vllâ morâ proficisci necesse est, thesaurum, qui furto compilari nequeat, & opes

1.Cor.13.

Rom.8.

Luc.12. Matth.6.

opes quæ exhauriri nullo modo possint, tibi recondas: vt cùm eò accesseris, haudquaquam penuriâ labores, verùm opibus circumfluas, quemadmodum tibi aptissimam imaginem superiùs proposui.

CAP. XV. Dixit autem Iosaphat ad senem: Quanam igitur ratione pecuniarum thesauros illuc præmittere queam, vt eorum, cùm hinc abscessero, fructum ab omni furto & interitu alienum nanciscar? quonamque item pacto meum in res præsentes odium demonstrare, resque sempiternas consequi possim, apertè mihi velim explices. Ait igitur Barlaam: Diuitiæ ad sempiternam regionem per pauperum manus præmittuntur. Ait enim quidam sapientissimus propheta, Daniel nomine, ad regem Babylonis: Propter hoc, rex, consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleëmosynis redime, atque iniustitias tuas in miserationibus pauperum. Quinetiam Saluator his verbis vtitur: Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Multaque de eleëmosynâ & largitione erga pauperes, in Euangelico volumine inculcat. Ad hunc scilicet modum quàm tutissimè fortunas tuas omnes per egentium manus illuc præmiseris. Nam quidquid in eo beneficij contuleris, Dominus sibi adsciscens, magno cum fœnore tibi rependet. Etenim eos, qui ipsius amore præditi sunt, beneficiorum remunerationibus semper superat. Ad hunc inquam modum huius sæculi, cui diu iam non sine ingenti afflictione seruijsti, surreptis thesauris, ex his præclarè viaticum tibi in futurum comparabis, atque alieno eos eripiens, tibiipsi prius recondes, per fluxa nempe & caduca hæc bona, ea quæ firma & stabilia sunt emens. Deinde autem, Deo tibi opem ferente, huius mundi incertitudinem & inconstantiam perspicies: omnibusque rebus valere iussis, ad futurum te transferes, atque ea quæ prætereunt ipse præteriens, iisque rebus quæ in spe positæ ac firmæ sunt, te addicens, tenebrasque cum mortis vmbrâ relinquens, odioque tum mundum tum mundi principem insectans, carnemque interitui obnoxiam hostem tibi esse ducens, ad lucem inaccessibilem accurres, cruceque humeris sublatâ, Christum irretortis oculis sequêris, vt etiam cum ipso glorificeris, vitæque, non iam caducæ & fallacis heres efficiaris.

Diuitiæ ad cælum per pauperum manus mittendæ.

Daniel. 4.

Luc. 16.

Matth. 25.

Quidquid in pauperes confertur, Christus sibi adsciscit.

1. Tim. 6.

Iosaphat itaque ad eum ait: Istud ipsum, nempe omnia pro nihilo putare, atque vsqueadeò asperum vitæ genus suscipere, quemadmodum superiùs dixisti, vetúsne institutum est, ab apostolorum doctrinâ manans, an recens mentis vestræ solertiâ excogitatum; tamquam scilicet hoc, vt melius ac præstantius, vobis amplexandum duxeritis?

Senex autem ait: Non recens inductam legem tibi affero (absit istud;) verùm antiquitus nobis traditam. Dixit enim Dominus ad diuitem quemdam, qui ex ipso percontabatur, quidnam sibi faciendum esset, vt vitam æternam consequeretur, iactabatque se cuncta, quæ in lege scripta erant, seruasse; Vnum tibi deest, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, ac sublatâ cruce me sequere. At ille his auditis mœstitiâ affectus est. Erat enim admodum diues. Cùm igitur Iesus eum mœrore affectum vidisset, dixit: Quàm difficile ij qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei: facilius enim est camelum per foramem acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Hoc igitur mandato audito, sancti omnes id studuerunt, vt ab huiusmodi opum difficultate sese abstraherent, ac per largitionem erga pauperes, dispersis omnibus facultatibus, sempiternisque diuitiis sibiipsis reconditis, crucem sustulerunt, Christumque secuti sunt: sic nimirum vt quidam, velut iam à me dictum est, martyrio perfungerentur, quidam autem religiosæ vitæ exercitatione concertarent, atque, quantum ad veræ huiusce philosophiæ rationem attinet, nihilo illis inferiores essent. Quocircà illud scias velim, Regis nostri ac Dei mandatum hoc esse, per quod homines sempiternorum bonorum participes redduntur.

Vetus de rerum abdicatione doctrina.

Marc. 10.
Luc. 18.

Euangelium consulit propriarum rerum abdicationem.

Cùm igitur, inquit Iosaphat, tam antiquâ & necessaria huiusmodi philosophia sit, quid caussæ est, quamobrem hodiernâ die pauci sint, qui hanc vitam imitentur?

Respondit senex: Multi quidem eam imitati sunt, & etiamnum imitantur. At multò plures cunctantur, ac moras nectunt. Pauci enim sunt, vt ait Dominus, qui per arctam & angustam viam incedant: qui autem per facilem & latam, quàm plurimi. Nam qui semel pecuniarum cupiditate, & vitiorum quæ ex voluptatibus oriuntur, amore correpti, vanæque & inani gloriæ addicti sunt, vix ab ipsis diuelli possunt, vt qui alieno domino, quique omnia, contrà ac Deus, imperat, atque ipsos tamquam catenis quibusdam vinctos tenet, vltrà seipsos manciparint. Animus quippe, cùm semel salutis suæ spem abiecerit, habenas suas auersis à ratione cupiditatibus permittens, quaquauersum fertur. Ac proinde Propheta offusam

Matth. 7.
Luc. 13.

fusam huiusmodi animis amentiam deplorans, caliginisque ipsos vrgentis crassitiem lugens, his verbis vtebatur: Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quemadmodum etiam quidam sapiētum magistrorum nostrorum, vir rerum diuinarum peritissimus, eamdē cum Propheta cantilenam canens, ac quædam à seipso adiungens, tamquam ex alta quadam & editissima specula omnibus inclamat: Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, magnum nimirum aliquid hanc vitam, & delicias, & exiguam gloriolam, & mendacem prosperitatem esse existimantes? quæ quidem non magis eorum sunt qui fruuntur, quàm qui ea in spe habuerunt: nec rursus horum magis, quàm eorum, qui ne ea quidem vmquam exspectarunt, & quæ non secus ac puluis à turbine ad alios atque alios subinde perflantur, ac vicissim iactantur, aut fumi instar defluunt, ac velut insomnium homines ludificātur, & vt vmbra retineri nequeūt, ac deniq; ita naturâ comparata sunt, vt nec cùm absunt, ea se habituros esse homines desperēt, nec cùm adsunt, possidentibus certa & stabilia sint.

Psal.44. Naz. Ora. de suis ser. & ad Iuliū Exæquatorem.

Rerum mundanarum vanitas.

Cùm igitur ad hunc modum Saluator præcipiat, prophetæ & apostoli prædicent, ac sancti omnes viri tum re ipsâ tum sermone ad virtutis viam ab omni errore maximè immunem nos impellant, etiamsi pauci hanc teneant, contrà autem multi latam atque in exitium ducentem sibi deligant; non tamen propterea diuinæ huius philosophiæ institutum minoris æstimandum est. Vt enim sol, cùm illuminandi caussâ exoriens radios suos affluenter emittat, omnesque ad excipiendum lumen cohortetur, si quidam clausis oculis splendorem ipsius intueri nolint, non propterea reprehensionem meretur, aut à reliquis negligi debet, nec splendoris ipsius gloria ob illorum stultitiam in contemptu versatur: quin potius illi quidem seipsos lumine orbantes, tamquam cæci, parietes palpant, atque in multas scrobes præcipites ruunt, multisque spinis eorum oculi punguntur; sol contrà splendorem suum retinens, eos illustrat qui ipsius lumen detectâ facie contuētur: ad eumdem quoque modum Christi lumen omnibus quidem illucet, splendoremque suum nobis affatim impertit: at verò pro suâ quisque cupiditate, animique alacritate ipsum percipit. Nam nec ille iustitiæ sol vllum ex his qui oculorum aciem in ipsum intendere cupiunt, beneficio eo priuat; nec rursum his vim infert, qui suapte sponte tenebras eligunt: verùm suæ quisque liberæ voluntati & electioni, quamdiu in hac vitâ est, relinquitur.

Simile de eo, qui solem aspicere renuit.

Cùm autem Iosaphat, quidnam arbitrij libertas atque electio esset, quæreret, respondit senex: Arbitrij libertas, est animæ ratione vtentis voluntas, sine vllo impedimento ad id quod vult, hoc est siue ad virtutem siue ad vitium, incitata, atque à summo illo parente & architecto ita effecta. Rursum, Arbitrij libertas est intellectualis animæ pro suo arbitratu agitatio. Electio autem est earum rerum quæ in arbitrio nostro sitæ sunt, cum consilio coniuncta appetitio. Siquidem rem eam, quæ inito consilio melior iudicata est, eligentes appetimus. Consilium, est inuestigatrix appetitio de rebus gerēdis, quarum penes nos potestas est. Deliberat enim quispiam, expediátne aliquid agere, nec ne. Deinde quod præstantius est, iudicat, ac iudicium efficitur. Mox autem afficitur, atque id quod ex consilio iudicatum est, amat, ac sententia dicitur. Nam si ita iudicet vt tamen erga id quod iudicatum est, minimè afficiatur, hoc est, id minimè amet; sententia haudquaquam appellatur. Tum post affectionem fit electio. Nam electio nihil aliud est, quàm è duabus rebus propositis alteram præ alterâ amplecti & eligere. Atque illud vel ex ipsâ etymologiâ perspicuum est, electionem esse consilium cum diiudicatione coniunctum. προαιρετὸν enim est alterum præ altero electum. Nemo porrò quidquam adhibito iudicio alteri præfert, nisi priùs consilium inierit: nec rursum eligit, nisi priùs iudicārit. Nam quoniam non ea omnia quæ nobis recta & præclara esse videntur, in opus perducere studemus, tum deniq; electio & eligendum efficitur id quod ex consilio propositum est, cùm appetitionem comitem adsciuerit.

Quid sit liberum arbitrium.

Consilium, quid.

Quid sit electio.

Ex quo concluditur, electionem esse appetitionem cum deliberatione cōiunctam, earum rerum quæ in nostrâ potestate sitæ sint. Etenim id quod ex consilio præpositum est, eligentes appetimus. Omne quippe consilium actionis caussâ & propter actionem suscipitur. Ita consilium quidem electionem antecedit, electio autem omnem actionem. Quocircà non modò actiones, sed ea etiam quæ animo agitantur (quæ quidem electiones exhibent) tum coronas tum pœnas accersunt. Etenim electio in his rebus quæ in arbitrio nostro sitæ sunt, versans, tum peccati tum iusti operis origo est. Nam quarum rerum facultates penes nos sunt, harum etiam actiones facultatibus cōsentaneæ penes nos sunt. Quamobrem cùm facultates virtuti consentaneæ in nostrâ potestate sint, in nostrâ quoq; potestate

In hominis potestate virtus est, præsupposita tamen diuinâ gratiâ.

a

testate virtutes sint necesse est. Propriè enim in arbitrio nostro consistunt ea omnia, quæ animam attingunt, & de quibus deliberamus. Ad hunc igitur modum liberè consultantibus hominibus, ac liberâ item voluntate eligentibus, quatenus quispiam eligit, hactenus quoque diuinam lucem percipit, atque in philosophiæ studijs progressus facit. Varia enim electionum sunt genera. Et quemadmodum quædam aquarum fontes è terræ visceribus scaturientes, partim è superficie terræ oriuntur, partim aliquantò profundiùs, partim profundissime: atque harum aquarum, aliæ è propinquo emanant, gustuque dulces sunt; aliæ ex imo exeunt, ac salsæ aut sulphureæ sunt; atque item aliæ vberrimè profluunt, aliæ paulatim stillant. Eodem modo in electionibus quoque cogita, alias celeres ac perquam feruidas esse, alias segnes & frigidas, ac rursum alias ad virtutem omnino propensas, alias ad vitium omnibus viribus inclinatas. Igitur quales earum affectiones sunt, tales quoque ad agendum impetus consequuntur.

Simile à fontium aquis.

CAP. XVI.

Dixit autem ad senem Iosaphat: Sunt ne etiam alij nonnulli, qui eadem quæ tu prædicent, an verò tu hodierno die solus es qui hæc doces, ac præsentem vitam vsque adeò auersandam, atque odio insectandam esse mones?

Ille autem ad hunc modum respondit: In hac vestrâ infelicissimâ regione neminem noui. Nam patris tui tyrannis innumeris mortis generibus eos mulctauit, deditque operam, ne prorsus inter vos diuinæ cognitionis prædicatio audiretur. Apud reliquas autem nationes hæc cantantur ac celebrantur, ab alijs quidem rectissimâ ratione, ab alijs autem peruersè: quippe cùm animarum nostrarum hostis eos à rectâ viâ transuersos egerit, atque in alienas opiniones diuiserit, eosque loca quædam diuinæ Scripturæ, aliter quàm germanus sensus ferat, interpretari docuerit. Ceterùm vna est veritas, quæ ab illustribus apostolis & diuinis patribus prædicata est, & in catholicâ, atque ab extremis orbis finibus ad extremos vsque fines diffusâ Ecclesiâ sole splendidiùs lucet. Quam quidem ego vt tibi prædicarem ac traderem, ad te missus sum.

Vna est veritas intertâ Ecclesiâ & per vniuersum mundum.

Dixit autem ad eum Iosaphat: Nihilne horum pater meus vmquam didicit?

Respondit senex: Perspicuè quidem, atque vt par erat, nihil didicit. Occlusis enim sensibus, bonum de industriâ repudiat, atque in malum liberâ animi inductione propendet.

At vellem, inquit Iosaphat, ille quoque hac doctrinâ imbueretur.

Respondit senex: Hæc apud homines sunt impossibilia: apud Deum autem nihil est quod fieri non possit. Ecquid enim scis, futurúmne sit, vt patri tuo salutem afferas, atque admirando modo patris tui pater tandem voceris? Narratum enim mihi est, regem quemdam extitisse, qui præclarè admodum regiam suam dignitatem administrabat, leniterque ac placide populum, qui ipsius ditioni atque imperio suberat, tractabat, in hac autem vnâ re labebatur, quòd diuinæ cognitionis lumine careret, atque idolorum cultu constrictus teneretur. Erat autem ei probus quidam consiliarius, ac tum erga Deum pietate, tum ceteris virtutibus ornatissimus, qui cùm regis errore angeretur, eumque permolestè ferret, atque ipsum hoc nomine coarguere in animo haberet, tamen hac de caussâ sese reprimebat, quòd vereretur, ne & sibi & socijs suis perniciem accerseret, eamque vtilitatem quæ ex ipso ad alios promanabat, amputaret. Occasionem autem nihilominùs quærebat, quâ commodè ipsum ad bonum pertraheret. Dixit igitur nocte quadam ad eum rex: Adesdum, egrediamur, ac ciuitatẽ circumeamus, num fortè aliquid quod in rem futurum sit, perspiciamus. Cùm autem illi per vrbem obambularent, lucis splendorem per foramen quoddam radiantem cernunt: cui, cùm oculos adiecissent, subterraneum quoddam & cauernosum domicilium conspicantur, in quo præsidebat vir quidam extremâ inopiâ laborãs, ac vilibus quibusdam & laceris pannis indutus. Astabat autem ipsius vxor, vinum ipsi temperans. Cumq; ipse poculũ manibus accepisset, illa suaue quoddam carmen canens, voluptatem ipsi afferebat, saltans nimirum, ac maritum laudibus deliniens. Rex igitur aliquantisper hæc perspiciens, mirabatur, quòd cùm tantâ egestate premerentur, vt nec domus nec vestis ipsis suppeteret, tamen vsqueadeò lætam & hilarem vitam ducerent. Atque ad primarium suum consiliarium his verbis vtitur: O rem miram, ô amice! quod scilicet, nec mihi, nec tibi, vita nostra, quamuis alioqui tantâ gloriâ & delicijs & voluptate vndique collucens, vsque adeò vmquam placuerit, vt vilis hæc & ærumnosa vita væcordes istos oblectat & exhilarat, vt quæ, tametsi alioqui aspera & auersanda, facilis ipsis ac blanda videatur. Opportunam autem horam nactus princeps ille consiliarius, inquit: Tu verò, ô rex, cuiusmodi tandem horum vitam esse existimas? Omnium, inquit ille, quas vmquam viderim, insuauissimam & miserrimam, execratione que dignam & auersandam. Tum ait ad eum prima-

Matth 19.

Barlaam alterius regis exemplo Iosaphat docet.

primarius ille consiliarius: Ad eumdem ita modum mihi crede, ô rex, ac multò etiam acerbior vita nostra ijs esse videtur, qui sempiternam illam gloriam, ac bona illa quæ omnem mentis captum superant, contemplantur atque cognoscunt. Atque auro rutilantes ædes, ac præclara hæc indumenta, ceteræque vitæ deliciæ, ijs qui cælestium tabernaculorum non manu factorum, vestisque diuinitus cõtextæ, ac diadematum corruptionis omnis expertium, quæ rerum omnium architectus ac Dominus diligentibus se præparauit, stercoribus & cœno fœtidiores videntur. Quemadmodum enim isti iudicio nostro ac sententiâ desipiũt: ita etiam, ac multò magis nos qui in mundo oberramus, atque in mendaci hac gloriâ, stultisque delicijs nobis placemus, in eorum oculis, qui bonorum illorum dulcedinem degustarunt, luctu & lacrymis digni sumus.

Quæ in hoc mundo magni æstimantur, pijs contemptui sunt.

1.Cor.2.

His autem verbis perculsus rex, inquit: Quinam igitur illi sunt, qui præstantiorem nobis vitam agunt? Omnes, inquit ille, qui sempiterna caducis & fragilibus prætulerunt. Cumque rex rursum, quænam sempiterna illa essent, quæsiuisset; respondit ille: Regnum ab omni successione alienum, ac vita morti minimè obnoxia, & opes egestatem non metuentes, lætitia item & oblectatio ab omni mœstitiâ & dolore seiuncta, paxque perpetua, & ab omni inimicitiâ & contentione libera. His bonis, quibus diuinitus frui contigerit, beati illi ac sæpè beati: vitâ enim omni labore & mœstitiâ vacuam in omne æuum ducent, omnibus regni Dei iucunditatibus & oblectamẽtis sine vllo labore fruẽtes, ac cum Christo in perpetuum regnantes. Cumque rex dixisset: Quisnam tandem hæc cõsequi promerebitur? respondit ille: Omnes qui vitam illuc ducentem arripuerint: aditu enim nemo prohibetur, qui modò voluerit. Tum rex, Et quænam, inquit, est via, quâ illuc itur? Respondit ille præclari animi vir: Cognoscere solũ verum Deum, & Iesum Christũ vnigenitum ipsius filium, & sanctum ac viuificum Spiritum.

Ioan.17.

Rex igitur, regiâ sanè prudentia præditus, ad eum inquit: Et quidnam hactenus te prohibuit, quò minus mihi hæc exponeres? Neque enim hæc cunctatione ac dilatione mihi digna esse videntur, si quidem vera sunt. Quòd si dubia sunt, sedulò & accuratè inuestigandum est, quoadusque ea citra vllam ambiguitatem ac dubitationem inueniamus. Non negligentiâ & socordiâ factum est, ait ille, vt tibi hæc exponere cunctarer, cùm vera sint atque ab omni dubitatione remota: verùm quòd excellentem gloriæ tuæ magnitudinem vererer, atque illud metuerem, ne tibi grauis ac molestus essem. Quocircà si mihi famulo tuo hoc imperas, vt te de his rebus in posterum submoneam, imperio tuo obsequar. Sanè, inquit rex, non interdiu solùm, sed etiam qualibet horâ mihi harum rerum memoriam renoua. Neque enim negligenter ac perfunctoriè, verùm summo studio ac feruore his rebus animum intendere oportet.

Audiui igitur, ait Barlaam, hunc regem deinceps piè ac religiosè vitam instituisse, præsentisque vitæ curriculo placidè ac tranquillè confecto, sempiternam beatitudinem consecutum esse. Quamobrem si quis etiam patrem tuum de his rebus tempestiuè admoneat, fortassis intelliget atque exploratum habebit, quantis malis implicitus teneatur, atque ab ijs sese auertens, quod bonum est, amplectetur. Nam in præsentiâ quidem cæcus est, & manu tentans, vt qui vero lumine sese orbarit, atque ad impietatis tenebras transfugerit.

Præcipua 2.Pet.1.

Dixit autem ad eum Iosaphat: De patre meo, quod Dominus iusserit, fiat. Nam ipsi, velut etiam abs te dictum est, ea omnia possibilia sunt, quæ apud homines impossibilia esse videntur. Ego verò per eximios ac singulares tuos sermones, vanitatis præsentium rerum pertæsus, ab his quidem omnino animum abducere constitui, ac reçtum quidquid mihi vitæ superest, traducere: ne per fluxa & fragilia sempiternorum bonorum & omni interitu alienorum fructu excidam.

Præcipua Dei clementia ... perit ... continentiam.

Respondit senex: Si hoc feceris, prudentissimo cuidam iuueni, quem copiosis atque illustrissimis parentibus natum esse intellexi, similem te præbebis. Cui cùm pater nobilis cuiusdam atque in primis copiosi viri filiam insigni pulchritudine præditam despondisset, ac de huiusmodi matrimonio cum filio sermonem conseruisset, quidque in animo haberet exposuisset, hæc vt ille audiuit, quasi absonum quiddam ac præposterum, huiusmodi rem excutiens, relicto patre profugit. Cumque iter faceret, apud senem quemdam pauperem, vt à diei æstu sese recrearet, diuertit.

Pulchra parabola, de eo qui vitam religiosam amplexatur.

Filia porrò senis illius, quæ vnica illi virgo erat, pro foribus sedens, manibus operabatur, ore autem Deum sine vllâ intermissione laudabat, ex intimo pectore gratias ipsi agens. Ipsius autem laudem iuuenis audiens, ait: Quodnam, ô puella, tuum institutum est? Et quam ob caussam, cùm in tantâ vilitate & inopiâ verseris, tamquam ob ingentia beneficia accepta, horum auctorem laude afficis? Ipsa autem ad eum respondit: An nescis quòd quemadmodum exiguum pharmacum è magnis plerumque

Simile de pharmaco.

morbis hominem eripit, eodem modo etiam ob paruas res Deo gratias agere, ingentia bona conciliat? Ego igitur pauperis senis filia, ob exigua hæc gratias ago ac Dominum laudibus afficio, illud nimirum exploratum habens, quòd qui hæc dedit, maiora quoque dare potest. Atque hæc quidē de rebus externis ac minimè nostris, ex quibus nec his qui multa possident, fructus vllus, imò etiam sæpe damnum oritur, nec his qui pauciora acceperunt, incommodum vllum ac detrimentum existit: quippe cùm vtrique eamdem viam obeant, atque ad eumdem finem contendant. At in ijs quæ magis necessaria maiorisque momenti sunt, multis maximisque, atque adeò innumeris beneficijs à Deo affecta sum: etenim ad Dei imaginem condita, ipsiusque cognitione imbuta, & ratione præter omnia animantia exornata, & ex morte, per viscera misericordiæ Dei nostri ad vitam reuocata sum, ac percipiendorum ipsius Sacramentorum potestatem accepi. Denique paradisi porta patefacta est, liberum mihi, si quidem voluero, aditum præbens. De tot igitur ac tantis beneficijs, quorum pauperes æquè ac diuites participes sunt, dignas Deo gratias agere prorsus nequeo. Quòd si exiguam hanc quoque laudem, ei qui me tot muneribus cumulauit, minimè obtulero, quam tandem excusationem habitura sum?

Præcipua Dei erga nos beneficia.

Præcipua Dei beneficia diuitibus & pauperibus communia sunt.

Iuuenis autem ingentem hanc prudentiam admirans, accito ipsius patre; Da mihi, inquit, filiam tuam: (siquidem ipsius prudentiam ac pietatem amore complector.) Senex autem ait: Non licet tibi, qui diuitibus & copiosis parentibus ortus es, hanc pauperis viri filiam accipere. Rursum autem iuuenis ait: Certè hanc accipiam, nisi tu prohibeas. Etenim filia quædam nobilis ac diues mihi desponsa fuerat: verùm eâ repudiatâ atque abiectâ, in fugam me dedi. Contrà filiæ tuæ, ob ipsius erga Deum pietatem ac prudentiam amore correptus, matrimonio cum eâ iungi paratus sum. Senex autem ad ipsum ait: Eam tibi dare nequeo, vt in paternam domum abducas, atque à meis vlnis abstrahas: vnica enim mihi est. At ego, inquit iuuenis, apud vos manebo, vestramque vitæ rationem suscipiam: ac posteà, luculentâ veste abiectâ, senis illius vestes petijt, ijsque se induit. Cumque ille ipsum diu multumque tentasset, varijsque modis ipsius animum explorasset, vt eum mentis grauitate præditum esse cognouit, nec stulto quodam amore obsessum filiam suam in matrimonium petere, verùm pietatis studio pauperem vitam amplexari, eamque gloriæ suæ ac nobilitati anteferre, arreptâ ipsius manu in conclaue suum eum introduxit, & ingentes opes illic reconditas, atque innumerabilem pecuniarum molem, quantamque iuuenis ille numquam viderat, ipsi commonstrauit. Aitque ad eum: Fili, hæc omnia tibi dono do: propterea quòd mearum opum heres esse in animum induxisti. Quâ hereditate perceptâ, ille omnes terræ diuites & claros homines superauit.

Dixit autem Iosaphat ad Barlaam: Aptè sanè hæc etiam narratio rerum mearum statum exprimit; ac proinde de me quoque hæc abs te dicta esse existimo. Verùm quodnam tandem est illud experimentum, per quod animi mei constantiam exploratam habere cupis? CAP. XVII

Respondit senex: Equidem ipse etiam periculum feci, & intellexi, quanta in te mentis prudentia atque constantia, quamque rectus & integer tibi animus sit: verùm actionis tuæ finis hæc confirmabit. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Deum nostrum, qui in Trinitate celebratur, ad eum inquam, qui omnia, tam quæ aspectu sentiuntur, quàm quæ oculorum sensum fugiunt, procreauit: qui verè ac sempiternè est, nec gloriosi status sui aut principium vmquam habuit, aut finem habiturus est: ad illum inquam metuendum atque omnium rerum præpotentem, bonumque & ad miserationem propensum, vt cordis tui oculos illuminet, detque tibi spiritum sapientiæ & reuelationis ad ipsius agnitionem, vt cognoscas quæ sit spes vocationis tuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis ipsius in sanctis, & quæ supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in nos qui credidimus, vt iam non sis hospes & aduena, sed ciuis sanctorum & domesticus Dei, superædificatus super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.

Ephes. 3. *Barlaam orat pro salute Iosaphat.* *Ephes. 1.* *Ephes. 2.*

Iosaphat autem ingenti animi compunctione affectus, dixit: Hæc scilicet omnia ipse quoque scire gestiens, abs te peto, vt & diuinæ gloriæ diuitias, & ipsius potentiæ excellentiam mihi declares.

Dixit autem ad ipsum Barlaam: Deum supplex rogo vt hæc te doceat, atque huiusmodi rerum cognitionem animo tuo inserat. Quandoquidem apud homines ipsius gloria ac potentia nullo modò commemorari potest, quamuis etiam omnes omnium hominum, tam qui nunc sunt quàm qui aliquando fuerunt, linguæ in vnum coëant. Deum enim, inquit Euangelista & Theologus, nemo

Dei diuitiæ nullis verbis exponi possunt. *Ioan. 1.*

mo vidit vmquam. Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Eius porrò qui oculorum obtutum fugit, atque immensus est, gloriam & maiestatem, quis tandem eorum qui e terrâ concreti sunt, comprehensam habere queat, nisi ipse arbitratu suo eam patefecerit, quemadmodum scilicet prophetis suis & apostolis patefecit? Nos autem tum ex eorum prædicatione, tum ex ipsâ rerum naturâ, quantam assequi nobis datur, eam discimus. Ait enim Scriptura: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Ac rursus: Inuisibilia ipsius à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ipsius potentia & diuinitas.

Psal. 18. *Rom. 1.*

Simile, quomodo ex rebus conditis conditor agnoscitur. Quemadmodum enim quispiam domum præclarè ac summâ arte constructam, aut vasculum eleganter concinnatum perspiciens, architectum aut fabrum statim ob animum sibi proponit: sic etiam ego ex nihilo effictus, atque in ortum productus, etiamsi fictorem ac productorem meum cernere nequeam, tamen ex aptissimâ maximeque admirandâ mei structurâ ad sapientiæ ipsius cognitionem veni, non quatenus est, sed quatenus intelligere queo: nempe quia non casu ac fortuitò productus sum, nec à me ipso extiti, verum ipse arbitratu suo me effinxit: sic nimirum vt me rerum omnium conditarum principem constituerit, quibusdam autem inferiorem fecerit, ac contritum etiam diuino suo imperio me ex hac vitâ educens, ad alteram vitam finis expertem ac sempiternam transferat. Quibus omnibus in rebus prouidentiæ ipsius viribus obluctari nequeo, nec mihi quidquam, vel quantum ad staturam, vel quantum ad formæ figuram attinet, adijcere aut subtrahere, nec ea quæ in me vetustate confecta sunt, renouare, nec quæ labefactata & corrupta sunt, in integrum restituere. Neque enim mortalium vllus vmquam fuit, qui horum quidquam efficere posset, non rex, non sapiens, non diues, non potens, non denique alius quispiam humana studia consectans. Nullus enim, inquit ille, regum, aut eorum qui in sublimitate sunt, aliud habuit natiuitatis initium. Vnus enim est omnium introitus ad vitam, & idem exitus.

Sap. 7.

Quamobrem ex ijs quæ ad me pertinent, ad magnificentiæ summi illius architecti cognitionem, velut porrectâ manu ducor. Prætereà autem aptissimam rerum omnium conditarum structuram atque conseruationem consideraui, nempe quòd suapte quidem naturâ cuncta mutationi atque conuersioni subiecta sunt, nimirum ea quæ mente prædita sunt, ratione voluntatis, progressusque in bono aut recessus à bono; ea autem quæ in sensum cadunt, ratione ortus & interitus, accretionisque, & imminutionis, & mutationis eius, quæ in qualitate posita est, ac denique localis motus. Ac per ea tacitis quibusdam vocibus prædicant, se à Deo creatore ac mutationis omnis & conuersionis experte procreata esse, atque contineri & conseruari, semperque gubernari. Quonam enim alioqui modo naturæ inter se pugnantes ad vnius mundi ornatum omnibus numeris absoluendum in vnum coiissent, ac dissolutionis expertes permansissent, nisi vis quædam omnipotens hæc & copulasset, & semper à dissolutione aliena conseruaret. Quonam enim pacto, nisi voluntas ipsius ita tulisset, aliquid mansisset? aut quonam pacto, vt Scripturæ verbis vtar, quod ab eo minime vocatum est, conseruari potuisset?

Item, ex rerum conseruatione.

Simile de naui sine gubernatore. Nam cùm nauis remoto gubernatore consistere nequeat, verùm statim pessum eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus stare possit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat; quonam tandem pacto mundus, opus vsqueadeò ingens, atque ita præclarum & admirandum, sine eximiâ aliquâ & ingenti atque admirandâ gubernatione sapientissimaque prouidentia, tam diuturno temporis spatio constitisset? Ecce enim quantum iam temporis fluxit, ex quo cælum est, nec tamen obscuritatem contraxit, nec terræ vis tamdiu parens elanguit, nec fontes, ex quo orti sunt, scaturire destiterunt, nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit, nec solis ac lunæ cursus immutationem vllam subierunt, nec diei ac noctis ordines inuersi sunt. Ex his nimirum omnibus Dei potentia & magnificentia, quæ omnem orationis facultatem superat, nobis declaratur, prophetarum atque apostolorum testimonio confirmata. Verùm ipsius gloriam nemo vmquam pro dignitate cogitare aut collaudare poterit. Siquidem diuinus Apostolus, ille inquam qui Christum in seipso loquentem habebat, cùm ea omnia, tam quæ intellectu percipiuntur, quàm quæ sensibus subiecta sunt, cum animo suo considerasset, dixit; Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Ac proptereà ex immensis sapientiæ ipsius opibus admiratione ac stupore perculsus, apertè exclamauit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

2. Cor. 12. *1. Cor. 13.* *Rom. 11.*

1.Cor. 12. Quòd si ille, qui ad tertium vsque cælum peruenerat, atque arcana verba audierat, huiusmodi voces emisit; ecquis mei similium in tantorum mysteriorum abyssum oculos aduertere, atque aliquid pro dignitate, non dicam dicere, sed ne quidem cogitare poterit, nisi ipse sapientiæ subministrator atque insipientium corrector dederit? Etenim in ipsius manu & nos & sermones nostri sunt, & omnis prudentia ac solertiæ scientia. Atque ipsius beneficio veram earum rerum, quæ sunt, cognitionem habemus, mundique concretionem intelligimus, elementorum vires, temporum initium & medietatem & finem, partium anni vicissitudines, ac tempestatum mutationes: quoniam omnia in modo & mensurâ cōstituit. Sap.11. Siquidem multum posse, ipsi semper præstò est: & brachij ipsius robori quis resistet? Etenim tamquam momentum stateræ, sic est ante eum orbis terrarum, & tamquam gutta roris matutini, quæ descendit in terram. Sed miseretur omnium, quia omnia potest, & dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Neminem enim ex ijs qui ad ipsum accurrunt, execratur, nec auersatur solus ille bonus, atque animorum amans Dominus. Daniel.3. Benedictum sit nomen gloriæ ipsius sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula, Amen.

CAP. XVIII.

Dixit autem ad eum Iosaphat: Si diuturno tempore tecum reputasses, vir sapientissime, quonam pacto propositarum quæstionum solutionem mihi perspicuam redderes, meo quidem iudicio id meliùs præstare non potuisses, quàm ea mihi, quæ nunc exposuisti, commemorans: quippe qui omnium quidem rerum effectorem & conseruatorem Deum esse docueris, maiestatisque ipsius gloriam omnem mentis humanæ captum excedere, clarissimis rationibus demonstraris; neque vllâ aliâ ratione quemquam eam consequi posse, nisi cui ipse arbitratu suo eam patefaciat. Quo quidem nomine eloquentissimam tuam sapientiam maiorem in modum admiror.

Sed illud velim mihi dicas, vir beatissime, quanā ipse ætate sis, & quibus in locis commoreris, quosque philosophiæ socios habeas: siquidem anima mea tuæ arctissimè hæret, atque per omne vitæ tempus ne latum quidem vnguem à te discedere cupio.

Ait autem senex: Annos ni fallor, quinque & quadraginta natus sum, atque in terræ Sennaar desertis vitam dego. Commilitones porrò eos habeo, qui ad superni itineris cursum mecum laborant ac certant.

Quid ais, inquit Iosaphat? Mihi enim septuaginta annos excedere videris. Quid igitur est, quamobrem te quadraginta quinque tantùm annos habere dicas? neque enim hac in re mihi vera loqui videris.

Dixit autem ad eum Barlaam: Si annos meos ab ipso vitæ ortu nosse quæris, rectè sanè eos plusquam septuaginta esse coniecisti. At mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ annos censentur, qui in huius mundi vanitate consumpti sunt. *Quanam vera vita existimanda sit.* Nam cùm, peccatis in seruitutem addictus, carni viuerem, quantum ad interiorem hominem attinet, mortuus eram. Quamobrem mortis annos, vitæ annos numquam appellarim. Ex quo autem mundus Gal.6. mihi crucifixus est, & ego mundo, atque exuto veteri homine, qui secundùm erroris desideria corrumpitur, Ephes.4. non iam carni viuo, sed viuit in me Christus: quòd autem viuo, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & pro me seipsum tradidit: hos vitæ annos & salutis dies optimo iure vocauerim. Quos quidem quinque & quadraginta esse asserens, consentaneâ ratione, ac non absurdè, horum numerum tibi dixi. Quin tu quoque eâ semper mente ac sententiâ sis velim, nimirum vt eos, qui quantum ad omne probum opus mortui sunt, *Mundo addicti in mortuis habendi.* peccatis autem viuunt, atque eorum qui humi prouoluti sunt principi obsequuntur, & in voluptatibus ac pestiferis cupiditatibus vitam absumunt, nullo modo viuere existimes, verùm eos extinctos esse tibi persuadeas, vitæque functioni mortuos. Nam peccatum immortalis animæ mortem esse, sapiens quidam non immeritò pronuntiauit. *Peccatum animæ mors.* Atque etiam his verbis Apostolus vtitur: Cum serui essetis Rom.6. peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis? Finis enim illorum mors est. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti iustitiæ, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

Dixit autem ad eum Iosaphat: Quandoquidem vitam quæ in carne ducitur, vitam esse minimè censes, par est igitur, vt ne mortem quidem hanc quam omnes subeunt, mortem esse censeas.

Respondit senex: Sine vllâ dubitatione de his quoque ita censeo, quippe qui temporariam hanc mortem minimè pertimescam, *Mors hæc temporaria propriè non est mors.* imò nec omnino mortem eam appellem, si quidem me per diuinorum præceptorum viam incedentem arripuerit: quin potiùs transitum à morte ad præstantiorem & perfectiorem vitam, atque in

Christo

Coloss. 3. Christo absconditam. Cuius quidem consequendæ cupiditate flagrantes optimi viri, præsentem hanc vitam permoleste ferebant. Vnde etiam ait Apostolus: Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluitur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes, si tamen vestiti & non nudi inueniamur.

2. Cor. 5.

Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vitâ. Ac rursum: Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et alio loco: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et propheta Dauid: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Quòd autem ego quoque omnium infirmus corpoream mortem nullo modo extimescam, hinc facilè tibi intelligere licet, quòd patris tui minis contemptis ac pro nihilo habitis, intrepidè ad te accesserim, vt salutiferam doctrinam tibi exponerem: tametsi alioqui compertissimum haberem fore, vt si hæc rescisceret, sexcentis me, si fieri posset, mortibus afficeret. Verùm ego Dei sermonem omnibus rebus anteponens, ipsoque frui cupiens, nec temporariam hanc mortem perhorresco, nec eam huiusmodi nomine appellandam duco, Domini scilicet mandato obtemperans dicentis: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animum autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.

Rom. 7.
Philip. 1.
Psal. 41.
Matth. 10.

Hæc, inquit Iosaphat, veræ vestræ philosophiæ præclara facinora, terrenorum hominum qui à præsenti hac vitâ vix auelli possunt, naturam longè multumque superant. Ac vos beati, qui hac strenuissimâ mente præditi estis. Quinam porrò tibi ac socijs tuis in huiusmodi solitudine victus sit, atque, item vnde, & cuiusmodi vobis vestes suppetant, verè mihi expone.

De victu & vestibus Barlaam & sociorum eius.

Barlaam autem dixit: Victus quidem nobis ex pomis, & stirpibus, quas solitudo, cælesti rore perfusa, & creatoris imperio parens, alit, nobis suppetit. Ob quæ nemo est qui aduersum nos pugnam ineat atque contendat, maioremque partem, vt auaritiæ lex præscribit, arripere quærat: verùm vberrimè omnibus illaboratus cibus, & extemporalis mensa proponitur. Quòd si quando piorum fratrum, qui nobis vicini sunt, aliquis panis benedictionem afferat, hunc tamquam ad eorum qui cum fide obtulerunt, benedictionem à diuinâ prouidentiâ missum suscipimus. Vestes autem nobis ex asperis ciliciis & ouium pellibus sunt, vetustæ omnes, atque ex varijs pannis consutæ, imbecillam nostram carnem atterentes. Etenim eadem nobis est tum æstatis tum hiemis vestis. Quam etiam vt semel induimus, exuere posteà nobis non licet, quousque vetustate confecta prorsus deleatur. Ad hunc enim modum & frigoris & æstus molestijs corpus affligantes, futuræ immortalitatis vestem nobis comparamus.

Asperitas vestitus monachorum antiquorum.

Cumque hîc Iosaphat quæsiuisset, vndenam vestem illam, quâ indutus erat, sibi comparâsset, respondit senex: A quodam piorum fratrum eam, cùm ad te profecturus essem, vtendam accepi: neque enim par erat, vt cum eâ quam ferre soleo, veste accederem. Quemadmodum enim quispiam charissimum quemdam cognatum in alienam regionem captiuum abductum, illinc educere cupiens, abiectâ veste suâ, atque hostium susceptâ personâ, ad eorum regionem sese confert, varijsque artibus propinquum suum ex acerbâ tyrannide in libertatem asserit: eodem modo ego quoque de tuis rebus certior factus, hoc habitu suscepto veni, vt diuinâ prædicatione pectus tuum consererem, atque à truculenti principis mundi seruitute te vindicarem. Ac nunc per virtutem diuinam, quantum quidem in me fuit, ministerio meo perfunctus sum. Etenim ipsius cognitionem tibi annuntiaui, ac prophetarum & apostolorum prædicationem exposui, vereque ac sine vllo errore præsentium rerum vanitatem demonstraui, quantisque malis hic mundus scateat, eos qui ipsi obtemperant in fraudem inducens, varijsque modis irretiens. Deinceps igitur, eò vnde huc veni, reuertendum est, ac tum alieno habitu deposito, meum induam.

Simile, cur vestem mutauerit, docet.

Obsecrauit autem senem Iosaphat, vt se ipsi cum consuetâ veste ostenderet. Cùm itaque Barlaam vestem eam, quam gerebat, exuisset, horrendum Iosaphat spectaculum sese obtulit. Etenim tota carnis ipsius * qualitas absumpta erat, ac pellis ex solis æstu atque ardore circum ossa tensa erat, non secus ac si quis pellem subtilibus calamis tetendisset. Pannoso porrò ac perquam aspero cilicio è lumbis vsque ad genua cingebatur, idemque pallium humeris gerebat.

** πιότης fortasse legendum, id est, pinguedo.*

Admiratus itaque Iosaphat huiusmodi vitæ duritiam & asperitatem, atque ex ingenti eâ & singulari tolerantiâ stupore affectus ingemuit, profusisque lacrymis ad senem ait: Quoniam ea tibi huc veniendi caussâ fuit, vt me ex acerbâ diaboli seruitute extraheres, beneficio tuo extremam

manum impone, atque animã meam de custodiã educ, ac me itineris tui sociũ adhibe: vt mundi imposturã prorsus liberatus, tum deniq; salutaris Baptismi sigillum accipiam, sociumq; me tibi admirandæ huius philosophiæ atque eximiæ exercitationis præbeam.

Psal. 141. *Optat Iosaphat comitari Barlaam.*

Parabolã valdè ad rem accommodatã dissuadet id Barlaam.

Dixit autem ad eum Barlaam: Capreæ hinnulum diues quispiam olim alebat: cùm autem ipse creuisset, naturali affectu pertractus solitudines expetebat. Egressus igitur quodam die, caprearum gregem pastui operam dantem inuenit, atque ad eas sese adiungens, per agros & campos oberrabat, ac serò quidem domum se referebat, manè autem famulorum negligentiã foràs egrediebatur, atque cum siluestribus capris se aggregabat. Porrò cùm illæ pabulatum longiùs processissent, ipse quoque eas comitatus est. At verò diuitis illius viri famuli, re cognitã, conscensis equis eas à tergo insecuti sunt, ac suam quidem capream viuam captam, domumque reductam posthac ita tenuerunt, vt nulli ad eam aditus pateret; reliquum autem gregem partim trucidarunt, partim malè mulctarunt. Eodem modo ne nobis accidat metuo, si mihi te comitem adiungas. Hoc est, ne & tuo contubernio priuer, & ingentes socijs meis calamitates, ac sempiternam patri tuo condemnationem accersam. Vult itaque te Dominus nunc quidem diuini Baptismi sigillo consignari, atque hîc manentem omni pietatis generi studere, præceptisque suis operam dare. Posteaquam autem illius bonorum omnium datoris munere occasio sese obtulerit, tum demum & ad nos venies, & per reliquum omne huiusce vitæ tempus nobiscum deges. Ac Domini benignitate fretus, haudquaquam dubito, quin in futurã vitã ita coniungamur, vt numquam diuelli possimus.

Iosaphat offert munera.

Iosaphat autem lacrymis rursum perfusus, ad eum ait: Si Domino ita placet, ipsius voluntas fiat. Quocircà cùm diuino Baptismate me initiaueris, pecuniasque à me & vestes, tam ad tuum quàm ad sodalium tuorum victum ac vestitum acceperis, in religiosæ exercitationis locum, diuinæ pacis præsidio septus, abscede: meaque caussa sine vllã intermissione Deum roga, vt ne spe meã frustrer, verùm primo quoque tempore ad te peruenire, atque in altã quiete vtilitatem ex te percipere possim.

Barlaam ea respuit.

Barlaam autem ait: Quin Christi quidem sigillum accipias, nihil est quod prohibeat. Quare teipsum iam adorna, ac Deo iuuante Christianæ fidei sacris initiaberis. De ijs autem pecunijs, quas te tum mihi tum sodalibus meis daturum dixisti, quî tandem fieri posset, vt tu qui pauper es, diuitibus eleemosynam impertias? Siquidem diuitum est de pauperibus benè mereri, non autem contrà pauperum de locupletibus & copiosis. Nam sodalium omnium meorum postremus, opibus omnino te superat. Verum diuinis miserationibus fretus, hoc mihi persuadeo, te propediem locupletissimum fore. Quod cùm contigerit, minimè ad largiendum promptus ac procliuis eris. Dixit autem ad eum Iosaphat: Expone mihi quæso, quonam pacto sodalium tuorum extremus opibus me antecellat, cùm paulò antè tu eos in magnã inopiã viuere, atque extremã paupertate conflictari dixeris. Quidnam item sit, quamobrem nunc me pauperem appelles: cùm autem amplissimis opibus præditus fuero, minimè liberalem fore dicas, qui nunc ad largiendum promptus ac propensus sum.

Auari semper pauperes.

Respondit Barlaam: Non eos paupertate conflictari dixi, sed inexhaustis potius opibus florere. Nam opibus opes semper adiungere, nec cupiditatem tamquam fræno coërcere, verùm sine vllã satietate plura appetere, extremæ paupertatis argumentum est. Contrà, qui sempiternarum rerum cupiditate præsentia omnia contemnunt, eaque pro stercoribus ducunt, vt Christum solum lucrentur, omnique ciborum & indumentorum excussã atque in Deum proiectã curã, maiorem ex inopiã voluptatem capiunt, quàm quisquam eorum qui mundi amore flagrant, ex opum & pecuniarum abundantiã capiat; quique amplissimas virtutum diuitias sibi aggesserunt, atque immortalium bonorum spe sese alunt, hos ego optimo iure, te, atque adeò quouis terreno rege locupletiores dixerim. Quòd si Deo tibi fauente, tu quoque spirituales huiusmodi diuitias arripueris, eas summo studio ac diligentiã seruabis, ac semper, & quidem meritò, augere cupies, nec vllam omnino earum partem effundere sustinebis. Nam in hoc demum veræ diuitiæ sitæ sunt. Earum autem opum quæ in sensum cadunt, moles detrimento potiùs quàm commodo amicos suos affecerit. Quare non abs re eas extremam paupertatem appellaui, quas cælestium bonorum amatores, rebus omnibus remisso nuntio, ita fugiunt, vt quispiam serpentem fugit. Si verò eum hostem, quem mei piæ exercitationis socij & commilitones iam obtruncarunt, ac pedibus proculcarunt, viuum rursus abs te acceptum ad ipsos detulero, bellorumque ac perturbationum caussa ipsis fuero, prorsus ipsis exitiosus nuntius ero. Quod quidem absit vt faciam.

Qui verè diuites sint. *Philip. 3.*

Idem

Vestes recusat Barlaam Christo vestitus. Idem autem de indumentis etiam intelligas velim. Nam eos, qui vetustatis labem & corruptelam exuerunt, atque inobedientiæ vestem, quantum in ipsis fuit, deposuerunt, Christum autem tamquam vestimentum salutaris, & pallium lætitiæ induerunt; quonam tandem modo rursus pelliceis tunicis induerem, ipsisque ignominiæ amictum imponerem? Quin potiùs, cùm sodales meos, vt qui piâ & religiosa solitudinis exercitatione contenti sint, eamque pro verissimis delicijs ducant, nullis omnino eiusmodi rebus indigere compertum habeam, pecunijs & vestibus, quas te ipsis daturum dicebas, in pauperes distributis, fac tibi eiusmodi thesaurum in futurum recondas, qui nullo modo surripi possit, Deum scilicet in ipso per illorum preces opitulatorem tibi adiungens. Sic enim hoc consequêris, vt opes ad optima quæque tibi adiumento sint. *Ephes. 6.* Ac deinde, cùm Spiritus armaturam acceperis, & lumbos in veritate succinxeris, ac iustitiæ loricam indueris, & salutis galeam capiti tuo imposueris, & pedes in Euangelij pacis præparationem calceâris, fideique scutum ac Spiritus gladium, quod est verbum Dei, manibus sumpseris, atque vndique te præstantissimis armis instruxeris ac munieris, ita demum fidenti animo ad bellum cum impietate committendum egredere: vt eâ in fugam versa, atque ipsius duce diabolo in terram alliso, à dextrâ Domini manu quæ vitæ principium affert, victricem coronam consequaris.

CAP. XIX.

Ante Baptismi susceptionem ieiunandum & orandum. Cùm Barlaam huiusmodi doctrinis ac salutiferis sermonibus, regis filium imbuisset, atque ad diuinum Baptismum præparasset, eique, vt consuetudo fert, ad aliquot dies ieiunare ac precibus incumbere præcepisset, ad eum crebrò ventitare non desinebat, atque omnia orthodoxæ fidei dogmata ipsi tradebat, diuinumque Euangelium exponebat, ac prætereà apostolicas cohortationes & prophetarum loca ipsa explanabat. Nam cùm vir ille diuinitus traditâ doctrinâ polleret, omnem tam veteris quàm noui Testamenti scripturam memoriter recitabat. Cumque diuino Spiritu incitatus ferretur, adolescentem veræ Dei notitiæ luce collustrauit. Eo autem die quo baptizandus erat, docendi caussâ his ad eum verbis vtebatur: *Oratio Barlaami ad Iosaphat.* En Christi sigillum accipere, atque Dominici vultus lumine consignari, *Psal. 4.* Deique filius, ac viuifici Spiritus templum effici properas.

Instruit eum fidei Nicæna symbolo. Quocircà in Patrem & Filium & Spiritum sanctum crede, sanctam inquam, ex quâ vita initium duxit, Trinitatem, quæ in tribus personis & vnâ diuinitate celebratur, ac, quantum quidem ad personas & personales proprietates attinet, distincta est; quantum autem ad essentiam, coniuncta & copulata: vnum Deum ingenitum agnoscens, atque vnum Filium vnigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum ante omnia sæcula. (Etenim ex bono Patre bonus Filius genitus est, & ex vnigenito lumine sempiternum lumen effulsit, & ex verâ vitâ viuificus fons prodijt, & ex ipsamet potentiâ, Filij potentia emicuit, qui est splendor gloriæ, & Verbum verè subsistens, qui in principio erat, *Hebr. 1.* *Ioan. 1.* & apud Deum erat, & Deus erat, principij expers & sempiternus; per quem omnia facta sunt, tam quæ oculis cernuntur quàm quæ cerni nequeunt.) Et vnum Spiritum sanctum, ex Patre procedentem, agnoscens, Deum perfectum, & vitam afferentem, ac sanctitatem præbentem, eâdem voluntate præditum, omnipotentem, eamdem æternitatem habentem, verè subsistentem. Ad hunc igitur modum Patrem & Filium & Spiritum sanctum adora, in tribus personis seu proprietatibus, atque in vnâ diuinitate. Communis enim his tribus est diuinitas, atque vna ipsorum natura est, vna substantia, vna gloria, vnum regnum, vna potentia, vna auctoritas. Commune autem est Filio & Spiritui sancto, quòd ex Patre sunt: at verò Patri proprium est, ingenitum esse; Filio, genitum esse; Spiritui denique, processisse.

Non inquirendum quo pacto vel Filius genitus sit, vel Spiritus processerit. Sic igitur hæc crede: at generationis aut processionis modum comprehendere minimè studeas, (neque enim comprehendi potest) verùm integro corde ac sine vllâ superuacaneâ inuestigatione illud tene, nimirum Patrem & Filium & Spiritum sanctum omnibus modis vnum esse, exceptâ ingeniti proprietate, & generatione, & processione: illudque item, vnigenitum Filium ac Dei Verbum, & Deum, salutis nostræ caussâ Patris decreto, ac Spiritus sancti adiunctâ operâ, in terram descendisse; sine semine in sanctæ Virginis ac Dei genitricis Mariæ vtero per Spiritum sanctum conceptum, ac sine vllâ labe genitum, perfectumque hominem effectum: illudque prætereà, ipsum perfectum Deum, ac perfectum hominem esse, ex duabus naturis, hoc est diuinitate & humanitate, ac in duabus naturis intelligentiâ & voluntate & operatione & arbitrij libertate præditis, atque omni ratione perfectis, iuxta normam ac rationem vtrique naturæ, hoc est diuinæ & humanæ consentaneam, vna autem compo-

composita persona. Hæc inquam simpliciter atque sine vllâ curiosâ inuestigatione accipe: nec illud intelligere stude, quonam pacto Dei Filius seipsum exinaniuerit, atque ex virgineis sanguinibus homo sine semine atque corruptione factus fuerit: aut quonam pacto duæ naturæ in vnam personam conuenerint. Nam hæc quæ diuinitus nobis à Scripturâ sanctâ dicta sunt, fide tenere docemur: modum autem nescimus, nec exponere possumus.

Christus omnes humanas affectiones, quæ vitio carent, suscepit. Crede Filium Dei, qui per viscera misericordiæ suæ homo factus est, omnes eas humanas affectiones, quæ naturales sunt, nec vitio dantur, suscepisse. Fame enim, quantum ad humanam naturam attinet, ac siti laborauit, & dormiuit, & in angore versatus est, & pro nostris iniquitatibus ad mortem ductus, crucique affixus, ac degustatâ morte sepulturâ affectus est, diuinâ interim naturâ ab omni perpessione ac mutatione liberâ manente. Nullam enim omnino perpessionem ipsius naturæ ab omni perpessione alienæ attribuimus: verùm in eâ naturâ quam assumpsit, eum passum & sepultum esse agnoscimus, ac diuinâ gloriâ à morte ad vitam & immortalitatem excitatum esse, atque in cælos ascendisse, tandemque rursum cum gloriâ venturum esse, vt de viuis ac mortuis sententiam ferat, atque vnicuique pro eo ac meritus est rependat. Resurgent enim mortui, & excitabuntur qui in monumentis sunt. Atque illi quidem, qui Christi mandata obseruauerint, & in rectâ fide ex hac vitâ excesserint, sempiternam vitam hereditariò possidebunt: qui autem in peccatis sese corruperint, atque à rectâ fide deflexerint, ad sempiternum supplicium abituri sunt. Crede nec vllam mali essentiam, nec regnum vllum esse: nec principij expers illud esse statue, aut in seipso extitisse, vel etiam à Deo ortum traxisse (procul à te sit hæc absurditas:) verùm opus nostrum ac diaboli hoc esse, quod nostrâ incuriâ & negligentia obrepit, propterea quòd libero arbitrio præditi sumus, ac sponte nostrâ tam bonum quàm malum eligimus. Ad hæc vnum Baptisma ex aquâ & Spiritu sancto in peccatorum remissionem confitere.

Math. 16. Apoc. 22. Ioan. 5. *Aduersus Manichæos.*

Quid de Eucharistiâ credendum. Atque insuper ab omni labe pura Christi mysteria accipe, certissimè credens, Dei nostri corpus & sanguinem esse, quæ hominibus fide præditis, ad peccatorum veniam dono dedit. Christus enim eâ nocte quâ tradebatur, testamentum nouum discipulis suis & apostolis, ac per eos omnibus qui in ipsum credituri erant, in hæc verba sanxit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Eodemque modo sumptum calicem ipsis porrexit, dicens: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effunditur in remissioné peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Ipse igitur Dei sermo viuus & efficax, atque suâ virtute nihil non efficiens, per diuinum ac sacrosanctum sermonem, ac Spiritus sancti aduentum, ex oblationis pane & vino corpus suum ac sanguinem efficit, atque immutat: & iis, à quibus cupido animo percipitur, sanctitatem & lucem affert.

1. Cor. 11. Hebr. 4.

De imaginibus honore afficiendis. Venerandam characteris Domini, hoc est, Dei Verbi, humanitate nostrâ caussâ indati, effigiem adora, cum fide exosculans, atque ita existimans, te ipsummet creatorem in imagine contueri. Siquidem imaginis honor, vt à sancto viro proditum est, ad exemplar refertur. Exemplar porrò est id, cuius imago effingitur, atque ab eo deriuatur. Etenim cùm picturam in imagine cernimus, ad veram formam, cuius imago est, mentis oculis transimus, eum qui nostrâ caussâ carnem sibi adiunxit, pie adorantes: non ipsi quidem picturæ diuinitatem attribuentes, verùm vt incarnati Dei imaginem, pro nostro erga eum, qui nostrâ caussâ etiam vsque ad serui formam sese exinaniuit, amore ac beneuolentiâ complectentes. Eodemque modo etiam puræ ipsius Matris, atque omnium Sanctorum effigies, eadem ratione complectens, atque item viuificæ ac venerandæ crucis typum fide adorans, exosculare, ob Christum videlicet ac Deum & mundi seruatorem, qui salutis nostræ caussa carne in ipsa suspensus est, nobisque ad victoriam aduersus diabolum obtinendam hoc signum dedit. Cohorrescit enim ille ac tremore afficitur, ipsius vim intueri minime sustinens. In his dogmatibus, atque huiusmodi fide baptizaberis, eam mutationis omnis expertem, atque ab omni hæresi puram vsque ad extremum vitæ spiritum retinens: omnem autem doctrinam, atque omnia dogmata, quæ huic à reprehensione alienæ fidei aduersantur, execrare, atque ab alienationem à Deo esse existima. Ait enim Apostolus: Etiamsi Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Neque enim aliud est Euangelium, aut alia fides, præter eam quæ ab apostolis prædicata, atque à diuinis patribus in varijs Concilijs confirmata est.

Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 18. *Christi effigies.* *Diabolus crucis signũ timet.* Gal. 1.

Hæc cùm dixisset Barlaam, atque illud fidei symbolum, quod in Nicæno Concilio editum est, regis filio exposuisset, in nomine

Baptizatur Iosaphat. mine Patris & Filij & Spiritus sancti, eum in piscinâ, quæ in ipsius horto erat, baptizauit, ac super eum Spiritus sancti gratia venit. Cumque ad ipsius cubiculum redijsset, atque incruenti sacrificij sacrum peregisset, immaculata Christi mysteria ipsi impertiuit. Postea que ille spiritu exultabat, Christum Deum laude atque gloriâ afficiens. *Bar'aam Missam priuatam celebrat.*

1. Pet. 1. Dixit autem ad eum Barlaam: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui pro ingenti suâ misericordiâ regenerauit in te spem viuam, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis in Christo Iesu Domino nostro per Spiritum sanctum. Hodierno enim die à peccato liberatus, accepto sempiternæ vitæ pignore, Deo mancipatus es, ac relictis tenebris lumen induisti, adoptatus in libertatem gloriæ filiorum Dei: Quotquot enim, inquit ille, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Itaque non iam seruus es, sed filius & heres Dei, per Christum in Spiritu sancto. Quocircà, charissime, id stude vt mundus & immaculatus ipsi inueniaris, supra fidei fundamentum proba opera extruens. Fides enim sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide. *Post Baptismum de varijs Iosaphat monet.* Ioan. 1. Gal. 4. 2. Pet. 3. Iac. 2.

Atque, vt iam prius, me ad te dicere memini, depositâ iam omni malitiâ, veterisque hominis, qui secundum erroris desideria corrumpitur, operibus omnibus odio habitis, tamquam modò genitus infans, rationabile & sine dolo virtutum lac sugere concupisce: vt in eo crescas, atque ad mandatorum Dei cognitionem peruenias in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt non iam sis paruulus sensibus, vitiosarum affectionum fluctibus ac tempestate iactatus & circumactus, verùm malitià quidem paruulus sis, ad bonum autem firmam ac solidam mentem habeas, atque vt dignum est eâ vocatione quâ vocatus es, in mandatorum Domini obseruatione verseris, excussâ nimirum atque à te remotâ prioris vitæ vanitate, quemadmodum gentes ambulant in vanitate sensus sui, obscuratum habentes intellectum, alienati à gloriâ Dei, cupiditatibusque suis & motibus à ratione auersis subiecti. Tu verò quemadmodum ad Deum viuum & verum accessisti, sic etiam vt filius lucis ambula. Fructus enim Spiritus est in omni bonitate, & iustitiâ, & veritate. Atque illud operam da, ne nouum eum hominem, quo hodie indutus es, priori posthac vetustate labefactes: verùm quotidie in iustitiâ & sanctitate & veritate renoueris. Nam hoc nemo non potest, si velit: quemadmodum audisti, quòd potestatem dederit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quapropter non iam hoc dicere possumus, nos virtutes adipisci minimè posse. Procliuis enim ac facilis via est: atque etiamsi ob corporis afflictionem arcta quodammodò & angusta dicta est, tamen ob futurorum suorum spem ijs recta & clara est, qui non stulte ambulant, verùm Dei voluntatem exactè intelligunt, atque ad dimicandum aduersus diaboli hostis versutias ipsius armaturam induunt, & in oratione atque obsecratione, cum patientiâ & spe in hoc ipsum inuigilant. Ephes. 4. 1. Pet. 2. Ephes. 4. Gal. 5. Ioan. 1. *Quâ ratione facilis in cælum via sit.* Matth. 11. Ephes. 6.

Ac proinde facito, vt quemadmodum à me audisti & eruditus es, firmumque fundamentum iecisti, in ipso abundes, crescens videlicet & proficiens, ac boni militis officio fungens, fidem habens, & bonam conscientiam proborum operum testimonio confirmatam: iustitiam colens, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, lenitatem: vitam sempiternam, ad quam vocatus es, apprehendens: omnem autem voluptatum ac vitiosarum affectionum cupiditatem, non modò quantum ad actionem, sed etiam quantum ad cogitationem, procul à te remouens: vt animam tuam ab omni spurcitie puram Deo exhibeas. Non enim actiones dumtaxat, verùm etiam cogitationes nostræ apud Deum in numerato sunt, coronasque aut supplicia nobis conciliant. Siquidem Christum simul cum Patre ac Spiritu sancto in puris cordibus habitare perspectum habemus. Ac rursum illud non ignoramus, quòd quemadmodum fumus apes, eodem modo prauæ cogitationes diuini Spiritus gratiam à nobis propellunt. 1. Tim. 6. *Cogitationes nostræ apud Deum in numerato sunt.* *Simile.*

Quamobrem summo studio in hoc enitere, vt omni vitiosâ cogitatione ex animo tuo extinctâ & deletâ, optimas quasque cogitationes in eâ inseras, templumque Spiritus sancti teipsum efficias. Siquidem per cogitationes ad actiones ipsas venimus: atque omne opus à cogitatione animique agitatione progrediens, paruum primò initium arripit, ac deinde tacitis incrementis augescens, ingens ad extremum efficitur. Ob eamque caussam, nullo modo permitte, vt improba consuetudo tibi dominetur: verùm donec recens est, paruam radicem è pectore tuo euelle; ne alioqui cùm pullularit, ac radices suas altè infixerit, posteà non nisi longo tempore, ac magno cum labore extirpari possit. Ob id enim maiora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent, quoniam iis quæ minora esse viden- *Per cogitationes ad actiones venimus.* *Cauenda peccandi consuetudo.*

videntur, hoc est improbis cogitationibus, inhonestis sermonibus, malisque colloquijs consentanea correctio minimè adhibetur. Vt enim in corporibus qui parua vulnera negligunt, saniem plerumque ac mortem sibiipsis accersunt: ad eumdem modum etiam in animis hoc vsu venit, vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, grauiora sibi inuehant. Quatenus autem grauiora peccata ipsis oboriuntur, contracto tandem habitu anima in contemptum cadit. Impius enim, inquit ille, cum in profundum venerit, contemnit. Ac deinceps, vt sus in cœno volutari gaudet, sic etiam anima illa prauæ consuetudini immersa, ne peccatorum quidem fœtorem sentit, verùm potiùs ipsis gaudet & oblectatur, vitiumque instar boni cuiuspiam arctissime retinet. Atque vt etiam aliquando, receptà meliori mente, scelerum suorum sensu afficiatur, non tamen sine magno labore ac sudore à prauâ consuetudine, cui vltrò ac sponte se in seruitutem addixit, liberatur.

Simile de vulneribus.

Prouer. 8.

2. Pet. 2.

Quocircà omnibus viribus ab omni malâ cogitatione atque omni vitiosâ consuetudine te remoue, ac potiùs virtutibus assuesce, easque ita cole atque exerce, vt earum habitus tibi cōparetur. Nam si paulum laboris in ipsis susceperis, atque earum habitum contraxeris, posteà, Deo iuuante, citra laborem vllum proficies. Siquidem virtutis habitus animæ insitus, vtpote naturalem cū eâ cognationem habens, Deique ope adiutus, vix omnino mutationem vllam recipit, atque in primis firmus est, quemadmodum vides fortitudinem & prudentiam, temperantiamque item ac iustitiam, vix omnino mutationem vllam admittere, propterea quòd animæ habitus & qualitates & operationes sint, eam penitùs penetrantes. Nam cùm vitij affectiones, quæ nobis non naturales sed aduentitiæ sunt, posteaquam ad habitum peruenerint, vix omnino dimoueri possint: quid afferri potest, quin virtus, quæ & naturaliter nobis à summo illo parente & effectore insita est, ipsiusque ope & adiumento nititur, si nobis nonnihil laborantibus per habitum in animâ radices egerit, multò minùs immutari queat?

Virtus ad habitum perducta vix euelli potest.

Cap. XX.

Vnde etiam mihi quidam ipsius cultor rem huiusmodi narrauit: Cùm, inquit, firmissimum diuinæ cōtemplationis habitum mihi comparassem, ipsiusque meditatione anima mea tincta esset, huius rei periculum aliquando facere cupiens, mentem meam ita continui, vt eam pro suo more meditationi sese adiungere minimè sinerem. Quod quidem id eam peræ̀grè ac permolestè ferre intellexi, atque ad eam effrænata quadam cupiditate properare, nec ad contrariam vllam cogitationem vllo modo inflecti posse. At cùm habenas ipsi nonnihil permisissem, statim ad studium suum & operam celerrimo cursu ferebatur: extabatque id quod ait Propheta, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Ex his igitur omnibus demonstratum est, in nobis hoc situm esse, vt virtutem adipiscamur; idque nostri arbitrij ac potestatis esse, eámne amplecti, an contrà peccatum ipsi anteferre velimus. Et quidem ij qui vitio in seruitutem se addixerunt, ægrè ab eo abstrahi possunt, quemadmodum à me superiùs dictum est.

Virtutis habitu præditus sponte in opus fertur.

Psal. 41.

In nobis virtutem adipisci situm est, accedente tamen Dei gratiâ.

Tu verò, qui per viscera misericordiæ Dei nostri eo liberatus es, ac per Spiritus diuini gratiam Christum induisti, fac te totum ad Dominum transferas, nec vitiosis affectionibus ianuam vllo modo aperias, verùm animam tuam suaui virtutum odore ac splendore coornatam, sanctæ Trinitatis templum reddas, atq; in ipsius contemplatione omnes mentis tuæ facultates occupes, Nam cùm is qui cum terreno rege degit atque colloquitur, beatus ab omnibus prædicetur; non est dubium, quin is, cui diuino beneficio contigit, vt mente cum Deo colloquatur, consuetudinemque cum eo habeat, omni beatitudine cumuletur. Quæ cùm ita sint, eum semper ob oculos tibi propone, atque cum ipso colloquere. Quanam autem ratione cum Deo colloqueris? Nimirum per orationem & obsecrationem ad Deum appropinquans. Nam qui ardentissimo desiderio ac purgato pectore orat, atque ab omnibus rebus ex materiâ concretis & terrenis abductâ mente, tamquam coram Deo astat, ac cum metu & tremore preces ad eum adhibet, hic nimirum cum eo consuetudinem habet, facieque ad faciem cum eo colloquitur.

Quâ ratione quispiam cum Deo colloquatur.

Siquidem bonus noster Deus ac Dominus vbique adest, eos qui sincero ac puro animo ipsum precantur, exaudiens, quemadmodum ait Propheta; Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Quo fit, vt patres, hominis cum Deo coniunctionem, orationem esse definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ præludium appellent. Siquidem in hoc potiùs quàm in vllis alijs rebus situm esse cælorum regnum censent, vt quis ad sanctam Trinitatem appropinquet, eamque contempletur. Quam quidem ad rem cùm precandi assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius præludium ac velut effigies quædam appellata est.

Psal. 33.

Oratio futuræ beatitudinis præludium.

Verùm

Quænam vera oratio censenda sit. Verùm non omnis oratio eiusmodi est: sed ea demum hoc nomine nuncupanda est, quæ Deum, qui orationis materiam suppeditat, magistrum habet, quæque supra terrena omnia assurgit, atque cum Domino Christo sine vllâ intermediâ re versatur.

Hanc velim tibi acquiras, atque in eâ prouehi contendas. Etenim ipsa hanc vim habet, vt te à terrâ in cælos subuehere possit. Ceterùm non temerè, ac sine vllâ præparatione in ipsâ progressus facies: verùm ita demum, si animam tuam ab omnibus vitiosis affectionibus priùs repurgâris, eamque ab omni improbâ cogitatione detersam, puri cuiusdam ac recens abstersi speculi instar effeceris, & ab omni iniuriarum recordatione atque irâ (*Ira orationi maximo impedimento est.*) (quæ maiori quàm reliqua omnia impedimento est quò minùs preces nostræ ad Deum sublimes ferantur) teipsum procul remoueris, cunctisque qui te læserint, offensionem ex animo remiseris, atque per eleëmosynas & pauperum miserationes, orationi velut pennas quasdam additas, eam Deo cum calentibus lacrymis obtuleris. Ad hunc quippe modum orans, ijsdem verbis vti poteris, quibus beatus ille Dauid, qui rex erat, ac sexcentis curis distrahebatur, nihiloque seciùs tamen animam suam à vitiosis affectionibus per-
Psal. 118. purgauerat, ad Deum vtebatur, dicens: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ. Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Sic videlicet clamante te, Deus exaudiet,
Isa. 85. & adhuc loquente te dicet, Ecce adsum. Quocircà, si huiusmodi orationem adeptus fueris, beatus eris. Neque enim fieri potest, quin is qui cum huiusmodi animi alacritate Deum orat atque obsecrat, quotidie nouos in virtute progressus faciat, atque omnes hostis laqueos superet. Nam qui mentem suam, vt cuiusdam viri sancti verbis vtar, excalefecit, animamque suam erexit, atque in cælum se transtulit, sicque Dominum suum inuocat, sceleraque sua in memoriam reuocat, ac de eorum remissione cum Deo colloquitur, calentissimisque lacrymis eum obsecrat, vt pro suâ benignitate propitium ac facilem se ipsi præbeat, ex huiusmodi sermonum & cogitationum vsu & consuetudine hoc consequitur, vt omnem huiusce vitæ curam deponat, atque humanis affectionibus superior existat, dignusque habeatur, qui Dei congerro appelletur. Quo quid beatius aut sublimius contingere possit? Vtinam itaque Dei beneficio beatitudinis huiusce compos fias!

Ecce enim mandatorum Domini viam tibi demõstraui, nec quidquam subtraxi, quo- Act. 20. minùs omne Dei consilium tibi annuntiarem. Ac iam quidem ego ministeriũ meum absolui. Superest, vt succinctis lumbis mentis tuæ, instar Sancti illius qui te vocauit, ipse quoque in omni vitæ tuæ ratione sanctum te præbeas. Sancti enim estote, quoniam ego Leuit. 19. sanctus sum, dicit Dominus. Atque etiam apostolorum princeps ad hunc modum loquitur: Si Patrem inuocatis eum, qui sine 1. Pet. 1. personarum acceptione secundùm cuiusque opus iudicat, in timore incolatus vestri tempore conuersamini, scientes quoniam non corruptibilibus auro & argento liberati estis de vanâ vestrâ cõuersatione paternarum traditionum, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.

Hæc igitur omnia in mente condita sine vllâ intermissione recordare, Dei metum & horrendum ipsius tribunal, & splendorem eum quem iusti in futuro æuo accepturi sunt, ac contrà peccatorum in teterrimis tenebris mœrorem; præsentium item rerum imbecillitatem & vanitatem, ac futurorum æternitatem semper ob oculos habens: illudque prætereà, quòd omnis caro fœni in- Isa. 40. star est, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in 1. Tim. 4. æternum. Hæc semper meditare: & pax Dei Philip. 4. tecum sit, quæ te illuminet, & sapientiâ instruat, & ad salutis viam ducat, improbamque voluntatem procul à tuâ mente depellat, atque animam tuam crucis signo imprimat, ne vllum peruersi spiritus scandalum ad te propiùs accedat, verùm diuino beneficio in omni virtutum perfectione futurum illud ac finis & successionis expers regnum adipiscaris, ac beatæ & vitæ initium afferentis Trinitatis, quæ in Patre & Filio & Spiritu sancto glorificatur, lumine collustreris.

Cùm huiusmodi doctrinis ad mores in- CAP. XXI. formandos accommodatis, præstantissimus senex regis filium instruxisset, ad suum hospitium se contulit. At adolescentis ministri & præceptores frequentem ipsius in palatium ingressum perspicientes, admiratione afficiebantur. Vnus autem ex ijs qui priorem inter eos locum obtinebat, & quem rex velut fidelissimum ac sui studiosissimum filij sui palatio præfecerat, Zardan nomine, regis filium his verbis allocutus est: Non te fugit, here, quanto patris tui metu afficiar, quaque erga eum fide sim; eoque etiam nomine me tamquam fidissimum famulum tibi administrum esse iussit. (*Zardan monet Iosaphat de Barlaam extero homine ablegando.*)

Nunc autem exterum hunc virum crebrò tecum colloqui videns, illud vereor, ne Christianæ religionis, quam pater tuus ingenti odio insectatur, cultor sit; sicque ego capitali sententiæ obnoxius reperiar. Proinde vel de eo patrem certiorem fac, vel posthac cum eo colloqui desine: vel certè, ne in reprehensionem incurram, à facie tuâ me ablega, atque alium, qui mihi subrogetur, à patre tuo postula.

Regis autem filius ad eum dixit: Hoc primum, ô Zardan, faciamus. Velo quodam obductus sta, ipsiusque ad me sermones audi: atque ita, quidnam tibi faciendum sit, exponam.

Zardane audiente exponitur summa doctrinæ Christianæ. Cùm igitur Barlaam ad ipsum accessurus esset, Zardane intra velum introducto, ad senem ait: Diuinam tuam doctrinam mihi summatim repete, quò firmiùs pectori meo inseratur. Excepto igitur sermone, Barlaam longam de Deo, atque erga eum pietate orationem habuit, quodque eum solùm ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ mente amare, ipsiusque mandata cum timore ac desiderio obseruare oporteret: *Matth. 22.* quodque ipse esset, qui omnia, tam quæ in cernendi sensum cadunt, quàm quæ ab oculorum sensu remota sunt, condidisset. Ac deinde primi hominis effictionem, mandatumque ipsi datum, latamque in eum, ob violatum edictum, à creatore sententiam commemorauit. Deinceps bona ea recensuit, quibus nos reiecto ipsius mandato nosmet exclusimus. Mox earum molestiarum mentionem fecit, quæ postquam ab illis bonis excidimus, miserè nos inuaserunt. Tum autem ea, quæ ad benignitatem & amorem erga hominum genus pertinebant, subiunxit; nempe quonam modo summus ille opifex salutis nostræ curam gerens, magistros ac prophetas Vnigeniti incarnationem prædicantes miserit. Deinde etiam ipsius descensum, incarnationem, beneficia, miracula, tolerataque pro nobis ingratitudinis vitio laborantibus supplicia, crucem, lanceam, voluntariam mortem, ac denique nostram in integrum restitutionem & reuocationem, atque ad primum bonum reditum: ac posteà cælorum regnum, quod homines eo dignos manet, reconditum improbis cruciatum ignem numquam extinguendum, perpetuas tenebras, immortalem vermem, ceterasque omnes pœnas, quas ij qui peccati seruitute se constrinxerunt, sibiipsis aggesserunt. Hæc cùm oratione prosecutus esset, ac sub finem in doctrinam ad mores accommodatam delapsus fuisset, multaque de vitæ puritate verba fecisset, præsentiumque rerum vanitatem damnasset, eorumque qui his totos se addicunt, miseriam coarguisset, orationem tandem precatione conclusit, à Deo nimirum ipsi firmam & constantem orthodoxæ fidei confessionem, vitamque ab omni reprehensionis notâ immunem, ac purissimam muneris sui administrationem optans. Ac posteà precationi fine imposito, ad hospitium suum rursus se recepit.

Explorat Iosaphat mentem Zardanis. Regis autem filius accito Zardane, quid animi haberet, periclitans, dixit: Audijsti, quæ mihi rabula iste dixerit, me videlicet inani suo verborum lenocinio in fraudem inducere studens, ac iucundâ hac oblectatione & amœnitate priuare, atque ad peregrini Dei cultum traducere? Zardan autem, Quidnam, inquit, tibi visum est, ô rex, famulum tuum tentare? Perspectum enim habeo, viri sermones pectus tuum altissimè penetrasse. Nam nisi ita esset, non tam lubenter ac perpetuò cum eo sermones misceres. Et quidem nos istiusmodi prædicationem haud quaquam ignoramus. Verùm ex quo tempore pater tuus atrocissimam aduersus Christianos persecutionem excitauit, illi hinc expulsi sunt, atque ipsorum prædicatio conticuit. Quòd si tibi dogma hoc arridet, ipsiusque duritiem & laborem subire potes, faustum sanè ac felix sit id quod animo tuo insedit. Ego autem quid tandem faciam, qui huiusmodi duritiem ne aduersis quidem oculis intueri possum, ac regis metu animum doloribus atque acerbitatibus distractum habeo? Quanam apud eum excusatione vtar, qui ipsius imperia neglexi, atque huic viro ad te aditum permisi?

Dixit autem ad eum regis filius: Equidem nihil aliud, quod ingenti tuæ erga me beneuolentiæ satis præmij afferret, agnoscens, hoc vnum beneficio tuo maius reperi, nimirum vt tibi bonum illud, quod naturam superat, perspicuum reddere studerem, hoc est, vt quem ad finem procreatus sis, intelligeres, ac creatorem agnosceres, relictisque tenebris ad lucem accurreres. Atque in hac spe eram, fore, vt simul atque de eâ aliquid audijsses, ardentissimâ quadam cupiditate illam sequereris. Verùm spe meâ, vt video, falsus sum, vt qui ad ea quæ dicta sunt, tepidè affectum te conspiciam. Regi autem ac patri meo si hæc indicaueris, nihil aliud hinc consequêris, quàm vt ipsius animum curis ac mœroribus conficias. Verùm si candido ac sincero in eum animo es, caue ne ipse antequam commoda occasio se obtulerit, quidquam huiusmodi ex te rescifcat. Hac oratione ad eum habitâ, tamquam [11] in aquam seminare videbatur. Neque enim sapientiæ ad stolidum

dum animum aditus vmquam patebit.

Barlaam discedendi potestatem à Iosaphat petit.

Postridie autem Barlaam ad eum accedens, de discessu suo sermonem ingerebat. Ille autem ab eo diuelli minimè sustinens, animo excruciabatur, lacrymisque totus perfundebatur. Senex verò cùm longum ad eum sermonem habuisset, eumque vt firmissimus in bono perstaret, obtestatus esset, verbisque ad cohortandum accommodatis ipsius pectus confirmasset, precibus ab eo contendebat, vt læto atque hilari animo discedendi potestatem sibi faceret. Illud etiam adiungebat, eam breui inter se coniunctionem mutuam fore, quæ dissidij omnis expers esset. At regis filius, cum nec diutiùs seni negotium facessere, nec eum expetito itinere prohibere posset, ac prætereà metuens ne Zardan ille regem de eo certiorem faceret, ac supplicijs eum afficeret, his ad eum verbis vsus est: Quandoquidem ita tibi hoc animo insidet, spiritualis pater ac præceptorum optime, mihique omnis boni auctor, vt me in mundi vanitate versantem deseras, atque ad spiritualis quietis locum proficiscaris, non vltrà te retinere atque impedimento tibi esse audeo. Abi igitur Dei pace septus, ac meæ miseriæ in præclaris tuis ad Dominum precibus memoriam ne intermittas, quò tandem ad te peruenire, ac faciem tuam perspicere queam.

Inuitè eam concedit Iosaphat.

Vnam autem rem à te postulo, nimirum, vt, quoniam pro tuis religiosæ vitæ sodalibus nihil accipere voluisti, saltem pro te exiguum aliquid pecuniæ in victum ac vestem in indumentum accipias. Ille autem ad eum respondit: Cùm pro fratribus meis nihil à te acceperim (neque enim illi aliquid ex huius mundi rebus, à quibus vltrò sese remouerunt, accipere opus habent) quonam tandem pacto mihi id acquiram, quod ipsis interdixi? Nam si pecuniarum possessio bona esset, illis certè ante me eas impertiissem. Quoniam autem exitiosam earum possessionem esse scio, nec illos, nec me item huiusmodi laqueis implicabo.

Barlaam à regis filio nihil accipere vult.

Hoc intelligẽdo de diuitiis, quibus aliquis abutitur.

Cùm igitur ne hoc quoq; ipsi persuadere potuisset, ad alteram petitionem rursum se conuertit, supplexque ab eo petijt, ne preces suas omnino negligeret, nec se omni mœstitiæ genere profligaret, verùm vt detritum illud & asperum ac vetustate confectum palliũ (tum ad religiosæ magistri sui vitæ refricandam memoriã, tum ad præsidium aduersus omnes satanæ afflatus) sibi relinqueret, atque ipse pro eo aliud acciperet: quò scilicet, inquit, id quod à me datum fuerit, perspiciens, humilitatis meæ memoriam retineas.

Ait autem senex: Vetus meum ac detritum pallium tibi dono dare, aliudque nouum indumentum accipere, mihi non licet, ne exigui mei laboris mercedem hîc recepisse diuina sententia pronunciet. Ceterùm, ne tuam animi alacritatem retundam, vetusta, nec à meis quidquam diuersa, ea indumenta sint, quæ mihi abs te porrigentur. Regis itaque filius, cùm asperos quosdam ac vetustos pannos quæsiuisset, eosque seni dedisset, ipsius veste inuicem acceptâ, magnam inde lætitiam concepit, quauis purpura ac regio ornamento, citra omnem comparationem præstantiorem eam existimans.

Iosaphat quauis purpurâ meliorem æstimat vestem Barlaam.

Diuinissimus autem Barlaam iam iamque discedere cupiens, ea quæ ad discessum pertinebant, loquebatur, postremámque hanc ipsi doctrinam adhibuit. Charissime frater, inquit, ac suauissime fili, quem ego per Euangelium genui, scis cui Regi nomen dedisti, & cum quo pacta iniuisti. Quare firma ea serues necesse est, atque omnia militiæ munia, quæ in huiusmodi pactorum chartâ, præsente ac testante, atque etiam pacta ipsa litteris mandante vniuerso cælesti exercitu, promisisti, alacri animo exequaris. Quæ quidem si præstiteris, beatus eris. Quocircà tibi prouidendum est, ne quid præsentium rerum Deo, ipsiusque bonis anteponas. Quid enim rerum præsentium tantum terroris afferre potest, quantum ignis æterni cruciatus, qui ita ardet, vt interim lucis omnis expers sit, nec vmquam exurendi finem faciat? Ac rursum, quodnam est huius mundi bonum, quod tantâ animũ voluptate perfundat, vt Deus se ipsum ijs, à quibus diligitur, donans: cuius & pulchritudo sermone omni præstantior est, & potentia inuicta, & gloria sempiterna, & cuius bona ea, quæ ipsius amicos manent, omnia quæ oculis cernuntur, incomparabiliter antecellunt: quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Quorum vtinam tibi, robustissimâ Dei manu septo ac munito heredem esse contingat.

Postrema Barlaami ad regis filium oratio.

1. Cor. 4.

Nullum bonũ cum Deo conferendum.

1. Cor. 2.

Regis autem filius lacrymis perfusus, angebatur, ac summâ molestiâ afficiebatur: vt qui ab amantissimo patre ac præstantissimo magistro relinqui minimè sustineret. Et quisnam, inquiebat, ô pater, tuas partes explebit? aut quem tandem huiusmodi pastorem ac ducem consequi potero? & quonam solatio desiderium tui lenibo? Ecce enim me improbum ac rebellem seruum ad Deũ adduxisti, atque in filij & heredis classe collocasti: ac me perditum, atque omnibus bestijs prædam expositum, exquisijsti,

& cum ijs Dei ouibus, quæ minimè aberrauerant, copulasti, atque compendiariam veritatis viam mihi demonstrasti, méque de tenebris & vmbrâ mortis eduxisti, ac pedes meos è lubricâ & exitiosâ, ac peruersâ & curuâ viâ extraxisti. Magna & admiranda mihi à te bona orta sunt, atque eiusmodi, vt singularem eorum magnitudinem nulla oratio consequi possit. Magnorum igitur ipse quoque pro me exiguo homunculo ipsius beneficiorum vtinam sis particeps! atque id quod meæ gratiarum actioni deest, expleat Dominus, qui solus beneficiorum relatione, eos qui ipsius amore præditi sunt, superat. *Luc. 15. Psal. 85. Lucæ 1.*

Oratio Barlaami pro Iosaphat. Barlaam autem, ipsius lamentationes amputans, surrexit, atque ad orandum se comparauit; manibúsque in cælum sublatis, his verbis vsus est: Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ea quæ priùs tenebris obducta erant, luce perfudisti, atque res omnes conditas, tam quæ aspectu sentiuntur quàm quæ ab oculorum sensu remotæ sunt, ex nihilo produxisti, qui figmentum tuum conuertisti, nec nos post insipientiam nostram abire permisisti: gratias tibi agimus, ac tuæ potentiæ & sapientiæ, hoc est Domino nostro Iesu Christo, per quem etiam sæcula fecisti, nósque prolapsos & iacentes excitasti, & delinquentibus peccata remisisti, errore vagantes reduxisti, captiuos redemisti, morte extinctos per Filij tui ac Domini nostri pretiosum sanguinem ad vitam reuocasti. *Heb. 1.*

Te igitur inuoco, atque vnigenitum Filium tuum, & sanctissimum tuum Spiritum. Respice in oratione præditam hanc ouem, quæ per me indignum hominem ad altare tuum accedit: atque ipsius animam per virtutem ac gratiam tuam sanctifica. Visita vineam hanc, quæ per Spiritum sanctum tuum plantata est: atque hoc ei da, vt iustitiæ fructum ferat: corrobora eum, pactum tuum in ipso confirmans; ac per boni tui Spiritus sapientiam eum à diaboli fraude atque impostura eripe. Doce eum facere voluntatem tuam, & auxilium tuum ab eo ne auferas. Atque & ipsi & mihi seruo inutili, bonorum tuorum quæ finem nesciunt, hereditatem consequi beneficio tuo contingat. Quoniam benedictus es & gloriosus in sæcula, Amen. *Psal. 142. Ibidem. Psal. 50. Dan. 3.*

Absolutâ autem oratione conuersus, ipsum iam cælestis Patris filium exosculatus est, pacemque ipsi ac sempiternam salutem precatus, ex aulâ excessit, lætúsque abijt, gratias Deo agens, cuius fauore iter ipsi ex animi sententiâ successerat.

C. XXII. Iosaphat autem, posteaquam exijt Barlaam, precibus sese dedit, calentissimisque lacrymis profusis ad hunc modum locutus est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Quoniam tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Respice in me, & miserere mei, qui omnes vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Serua me, quæso, indignum licet homunculum, atque corrobora, vt in sanctorum mandatorum tuorum viâ ambulem. Quoniam ego imbecillis ac miser sum, nec ijs viribus, vt boni quidquam facere possim. Tu verò salutem mihi afferre potes, qui omnia, tam quæ oculis cernuntur quàm quæ cerni nequeunt, contines atque conseruas. Ne me post improbas carnis meæ voluntates abire sine: verùm doce me facere voluntatem tuam, atque in sempiternam ac beatam vitam me conserua. O Pater, & Fili, & diuine Spiritus, consubstantialis, ac diuisionis expers Diuinitas, te inuoco, te gloriâ afficio. Te enim laudat quidquid creatum est: ac te gloriâ afficiunt intellectuales ac corpore vacantes virtutes in sæcula, Amen. *Post Barlaami discessum Iosaphat orationi se dat. Psal. 69. Psal. 9. Psal. 85. 1. Tim. 2. Psal. 142.*

Deinceps igitur quàm diligentissimè seipsum conseruabat, atque ita comparabat, vt & animæ & corporis puritatem acquireret, atque in continentiâ, & orationibus, obsecrationibúsque, per totum noctis curriculum sese prorogantibus, vitam duceret. Nam cùm plerumque diurno tempore, tum ob eorum qui cum ipso versabantur, contubernium, tum etiam interdum ob regis ad eum accessum, aut quòd ipse ab eo acciretur, sese interrumpi videret, nox ipsi, quod diei deerat, supplebat: vt qui in precibus & lacrymis ad diluculum vsque staret, ac Dei opem imploraret. Vnde etiam prophetica illa vox in ipso implebatur: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. *Psal. 133.*

Zardan autem ille, cùm huiusmodi ipsius vitæ rationem intellexisset, summaque inde mœstitiâ afficeretur, grauibúsque animi curis vexaretur, nec quid faceret, haberet, ad extremum mœrore oppressus, simulato morbo in suas ædes concessit. Quod vt rex comperit, alium quemdam ex his, quos fidissimos habebat, misit, qui ipsius loco filio ministraret. Ipse autem valetudinis Zardanis curam gerens, celeberrimum ad eum medicum mittit, eúmque, vt summam ad ipsius curationem sollicitudinem adhibeat, rogat. *Zardan discedit ab Iosaphat. Simulat morbum.*

Medicus igitur, quoniam eum regi gratum & acceptum esse perspiciebat, sedulò eum inuisebat. Cúmque ipsius statum accuratè considerasset, regi confestim indicauit, se

se nihil, quod morbum ipsi accerseret, in eo reperire potuisse: ac proinde ita existimare, eum aliquo animi mœrore affectum, in morbum incidisse. Rex autem his verbis auditis, hoc arbitratus est eum à filio asperiùs acceptum fuisse, atque hac de caussâ concepto mœrore recessisse. Quidnam autem id esset deinceps scire cupiens, Zardani se eum, vt oborti morbi caussam intelligeret, crastino die inuisurum significauit.

Regem adit. Zardan autem huius promissi certior factus, statim vt diluxit, indumentis acceptis ad regem proficiscitur, eumque simulatque ingressus est, humi prostratus adorauit. Rex autem, Quid, inquit, tibi vim attulisti, vt ad me accederes? Nam ipse ad te proficisci, meumque erga te amorem omnibus declarare in animo habebam. Ille autem respondit: Morbus meus, ô rex, non ex eorum numero est, quibus homines laborare solent, verùm ex animi mœstitiâ & anxietate corde in dolorem prolapso corpus quoque condoluit. Amentiæ porrò mihi ducendum esset, si cùm ita me haberem, non vt seruum decet, ad te accederem; verùm vt regia tua maiestas ad me famulum veniens sese fatigaret, exspectarem. Percontante autem rege, quidnam eum in hunc mœrorem coniecisset, respondens Zardan, Magnum, inquit, periculum mihi impendet, magnisque supplicijs ac multis mortis generibus dignum me agnosco, quoniam præceptis tuis negligenter obsequendo ingentem tibi iam iamque mœrorem accersiui.

Omnia de filio aperit. Rursum autem ex eo quærente rege quænam huiusmodi negligentia esset, in quam incidisset, quodque periculum illud in quo versatur: In custodiâ domini mei filij tui, inquit, negligentem me præbui. Improbus enim quidam ac præstigiator ingressus, de Christianæ religionis doctrinâ ad eum verba fecit. Posteaque regi, quos ad ipsius filium senex sermones habuisset, sigillatim exposuit, quantamque ille ex ipsis voluptatem cepisset, quodque prorsus Christo se addixisset. quin etiam senis nomen ipsi indicauit, Barlaam ipsum nuncupari dicens. Nam etiam anteà rex de Barlaam, ac summâ religiosæ ipsius vitæ asperitate, multâ auditione acceperat. Vt autem hæc ad regis aures peruenerunt, tantus ei mœror obortus est, vt totus concuteretur, iracundiâ æstuaret, atque hoc nuntio pæne exanimaretur. *Rex Arachen ad se accersit.* Ac statim Arachen quemdam, qui etiam secundum ab eo dignitatis gradum obtinebat, primusque in omnibus arcanis consilijs erat, ac præterea Astrologiæ scientiam tenebat, ad se acciuit, eique magno cum mœrore atque animi consternatione quod acciderat narrauit. Ille autem ipsius perturbatione animique confusione conspectâ; Mœsto, inquit, ô rex, ac perturbato animo esse desine: neque enim me ipsum de sententiâ deducturum diffido: quin potius illud certissimum habeo, breui fore, vt ille impostoris illius doctrinam abiuret, tuæque voluntati morem gerat.

Cùm igitur his verbis Araches regem ad animi hilaritatem conuertisset, ad huiusmodi negotij considerationem animum adiecit. Ac primùm, ô rex, inquit, hoc agamus: demus operam, vt pestiferum illum Barlaam arripiamus. *Arachis consilium vt Barlaam quaratur.* Quod si consequamur, à scopo, mihi crede, non aberrabimus, nec spe nostrâ fallemur. Nam ille ipse, aut verbis ad persuadendum accommodatis, aut varijs tormentorum instrumentis impulsus, inuitus etiam ac repugnans, falsa & erroris plena verba sua esse confitebitur, atque dominum meum filium tuum de sententiâ dimouebit, adducetque vt patris dogmatibus hæreat: sin autem illum arripere nequeamus, alium ego senem eremitam noui, Nachor nomine, qui Barlaamo ita prorsus similis est, vt vix ab illo internosci possit. Hic porrò eamdem nobiscum doctrinam profitetur, eumque in Mathemathicis magistrum habui. Ad hunc igitur ego noctu me conferam, eique omnia sigillatim exponam, ac deinde rumore hoc sparso, Barlaamum scilicet comprehensum esse, ipsum exhibebimus. Qui etiam ipse Barlaami sibi nomen attribuens, se Christianorum sacra colere simulabit, eaque intueri ac defendere præ se feret. Ac posteà longâ disputatione habitâ, tandem fractus manus dabit. Quod cùm filius tuus perspexerit, hoc est, Barlaamum victum esse, ac doctrinam nostram palmam tulisse, non est dubium quin ad victorum partes sese adiuncturus sit. Quam etiam ad rem istud magni momenti est, quòd ille maiestatem tuam veretur, tibique obsequi magnopere studet. Adde quòd ille etiam qui Barlaami personam geret, resipiscet, seque in errore versatum esse affirmabit.

Hoc sermone rex delectatus est, hominisque consilium optimum esse iudicauit, inani videlicet spe nixus. Quocircà cùm Barlaamum nuper recessisse comperisset, eum comprehendere festinabat. Itaque militibus ac centurionibus missis, varios itinerum exitus occupauit, eâ autem viâ, quam ex omnibus suspectiorem habebat, ipse conscensis equis, cum omni celeritate persequebatur, atque omni ratione assequi cogitabat. Ceterùm cùm sex totos dies inani labore

bore sese fatigasset, ipse quidem in regio quodam palatio, quod ruri situm erat, remanet. Arachen autem cum equitibus haud paucis ad ipsam vsque Sennaaritidem solitudinem conquirendi Barlaami caussâ misit. Qui cùm ad eum locum peruenisset, omnium incolarum animos perturbauit: atque cùm illi virum eum à se visum esse negassent, in solitudinem, vt pios viros venaretur, sese contulit. Cumque solitudinem illam magnâ ex parte peragrasset, ac montes cinxisset, vallesque quasdam minimè tritas, & accessu difficiles, cum eâ hominum manu quam secum habebat, pedibus peruasisset, ad tumulum quemdam profectus, in eius fastigio eremitarum turmam inambulantem cernit: nullaque interpositâ morâ, eos ad se adduci iubet. Milites itaque celerrimo cursu, atque alij alios anteuertere contendentes, tumulum petunt. Eoque cùm peruenissent, circumdederunt eos tamquam canes multi, aut tamquam pestiferæ quædam & immanes belluæ: atque ipsos tum oris specie, tum habitu venerandos, solitariæque exercitationis notas in vultu ferentes, comprehendunt, raptatosque Arachi exhibent, sic animo comparatos, vt nec vllo modo perturbarentur, nec ignauum aliquid ac triste vel præ se ferrent, vel loquerentur. Qui autem ipsos omnes tamquam antistes præibat, ex cilicio contextam peram, quorumdam sanctorum patrum, qui ex hac vitâ discesserant, reliquijs confertam gestabat.

Psal. 21.

Antistes peram secum deferebat, plenam reliquijs sanctorum Patrum.

Conspectis autem ipsis Araches, vt Barlaamum minimè vidit, (nam eum norat) mœrore conturbatus est, atque ad eos dixit: Vbinam est impostor ille, qui regis filium in errorem induxit? Is autem qui peram gestabat, respondit: Non est ille inter nos, absit (siquidem Christi gratiâ pulsus, à nobis fugit:) verùm apud vos domicilium habet. Eum ergo, inquit dux, nosti? Certè, inquit eremita, eum qui impostor dicitur, noui, hoc est diabolum: qui in medio vestri habitat, atque à vobis adoratur & colitur. Hic dux: De Barlaam ego quæro, deque eo percontabar vbi nam esset. Monachus autem, Cur igitur, inquit, præposterè locutus es, de eo qui regis filio imposturam fecit, me interrogans? Nam si Barlaamum quærebas, omnino ita loqui oportebat, Vbinam ille est, qui regis filium ab errore in viam reduxit, ac salute donauit? Nam ille frater noster est, ac religiosæ exercitationis socius. Multi autem iam dies sunt, cùm eum non vidimus. Tum Araches; Domum illius, inquit, mihi demonstra. Respondit monachus: Si ipsi vos videre cordi esset, obuiàm vobis ipsemet prodijsset: nobis autem ipsius domum indicare minimè licet.

Quâ de caussâ indignatione percitus dux, atque irato ac furioso vultu eum intuens, ad eum dixit: Nouis & inusitatis vos mortis generibus nunc mactabo, nisi statim Barlaamum mihi exhibueritis. Et quid, inquit monachus, in nobis perspicis, cuius studio & amore ab hac vitâ ægrè diuellamur, mortemque à te nobis inuehendam pertimescamus? Quin potiùs gratiam tibi habituri sumus, quòd virtutis studio hærentes è vitâ eduxeris. Neque enim incerta exitus alea paruum nobis metum inijcit, quòd scilicet, quo statu nos arreptura mors sit, minimè compertum habeamus: ne fortè aut voluntatis lubricum, aut quidam diaboli impetus instituti nostri constantiam inflectat, aliterque nobis, quàm vt pactis cum Deo à nobis initis consentaneum est, aut sentire aut facere persuadeat. Quocircà cùm ea, quæ vobisipsis pollicebamini, consequi iam omnino desperetis, sine vllâ cunctatione, quod lubet, facite. Neque enim pij fratris nostri domicilium, quamuis nobis cognitum, ostendemus, nec alia vlla vobis ignota monasteria prodemus, vt videlicet hac ratione mortem turpiter effugiamus: quin potiùs præclarè mortem oppetemus, vt prius virtutis sudores, sic nunc fortitudinis animi cruorem Deo offerentes.

Monachorum constantia.

Hanc eorum sermonis libertatem sceleratus ille minime ferens, verùm ex huiusmodi animi magnitudine grauissimâ iracundiâ commotus, multis eos verberibus ac tormentis affecit. Quæ tamen illi sic pertulerunt, vt eorum animi robur ac fortitudo ipsi quoque tyranno admirationem moueret. Cùm autem multis illatis supplicijs eos tamen flectere non potuisset, nec quisquam inter eos inuentus esset, qui Barlaamum ipsi ostendere sustineret, arreptos eos ad regem duci, atque inter eundum percuti contumelijsque affici iubet, reliquiarum etiam peram interim gestantes.

Flagris cæduntur monachi.

Interiectis itaque haud paucis diebus, ad regem ipsos adduxit, deque eorum statu eum certiorem fecit. ac deinde ipsi acerbissimâ iracundiâ inflammato eos sistit. Quibus perspectis, ipse indignatione æstuans, furentis hominis speciem præbebat. Cumque ipsos crudelissimè cædi iussisset, posteaquam plagis atrocem in modum concisos vidit, vix tandem ex ingenti furore emergens, carnificibus verberandi finem facere imperauit, atque ad eos ait: Quanam de caussa hæc mortuorum ossa gestatis?

Cap. XXIII. Monachi sistuntur regi.

De Sanctorum reliquijs disputatio. gestatis? Si eorum, ad quos pertinent, desiderio hæc fertis, hac ipsâ horâ vos etiam cum illis collocabo, vt votorum vestrorum compotes effecti, gratiam mihi habeatis. Diuinæ autem illius cohortis dux atque antistes regias minas pro nihilo ducens perinde ac si nihil ipsi aduersi contigisset, liberâ voce ac splendido vultu, gratiamque in ipsius animâ insidentem significante, ad hunc modum respondit: *Quintuplex reliquiarum vtilitas.* Hæc pura & sancta ossa idcircò circumferimus, vt admirabilium virorum, quorum ipsa sunt, desiderium vtcumque leniamus, eorumque religiosam exercitationem, Deoque charam vitam nobis in memoriam reuocemus, atque ad eiusdem vitæ studium nosipsos excitemus: ac requiem eam, & delicias eas, in quibus nunc versantur, ob oculos nobis proponentes, ipsos quidem beatos prædicamus, nos autem ad sequenda eorum vestigia nosipsos mutuò acuimus. Quinetiam mortis memoriam, quæ permagnam vtilitatem affert, atque ad religiosæ vitæ certamina promptos nos ac velut pennatos reddit, nobis hinc comparamus, ac prætereà ex eorum contactu sanctitatem haurimus.

Rursum igitur rex, Si, inquit, mortis recordatio vestrâ sententiâ vtilitatem parit, quidnam caussæ est, cur non in corporum potiùs vestrorum ossibus, quæ vestra sunt, ac propediem interibunt, quàm in his alienis atque corruptis hanc memoriam vsurpatis?

Respondit monachus: Cùm quinque caussas attulerim, quamobrem reliquias circumferamus, tu ad vnam dumtaxat respondens, cauillis in nos vteris. Verùm expressiùs, mihi crede, eorum qui iam decesserunt, ossa mortis memoriam repræsentant, quàm eorum qui huius vitæ vsurâ fruuntur. Ceterùm quoniam tu de his ita statuis, atque ossa ea, quæ in carne tuâ sunt, mortem tibi oculis obijciunt; qui fit, vt ipse iam iamque venturæ mortis memor, tuis rebus rectè non consulas, verùm animam tuam omni flagitiorum generi addictam habeas, Dei autem cultores ac pietatis studiosos, qui te nihil læserunt, nihil præsentium rerum tecum commune habent, aut tibi eripere contendunt, immanè & crudelem in modum de medio tollas?

Rex mortem monachis minatur. Rex autem ait: Vos vt pestiferos homines ac populi seductores supplicijs afficio: quoniam omnes in fraudem impellitis, atque à vitæ iucunditatibus auocatis, ac pro dulci vitâ & suauissimâ cupiditate huc eos adigitis, vt duram & sordidam atque ærumnosam hanc vitæ rationem amplexentur, deorumque honorem Iesu tribuendum esse prædicatis. Quocircà, ne populus imposturam vestram sequens, desertam terram relinquat, atque à patrijs dijs deficiens, alienum adoret, supplicijs vos ac morte multare dignum esse iudicaui. Monachus autem inquit: Si omnes bonorum huiusce vitæ participes esse cupis, cur non omnibus ex æquo delicias & opes tuas impertis? *Egregia abbatis libertas & constantia.* Verùm alij quidem quamplurimi paupertate conflictantur, tu verò ipsorum facultates per vim ereptas tuis adiungis? Ex quo perspicuum est, te salutis populi curâ minimè tangi, verùm carnem tuam saginare, materiam videlicet corrosuris vermibus præparantem. Ac propereà omnium Deo abiurato, eos qui non sunt, & qui omne flagitiorum genus inuenerunt, deos appellasti: vt dum ad eorum imitationem libidinosè ac flagitiosè viuis, id assequaris, vt deorum imitator esse prædiceris. Nam quid afferri potest, quin quæ vestri dij fecerunt, eadem quoque homines, qui ipsis animum adjjciunt, faciant? Quapropter in magno profectò errore versaris, ô rex. Vereris autem, ne quosdam populares tuos adducamus, vt nostris decretis assentientes, à tuo imperio desciscant, atque ad eius, qui omnia continet ac tuetur, partes se adiungant. Cupis enim multos te auaritiæ tuæ administros habere: vt ipsi quidem ærumnas subeant, tibi autem eorum operâ quæstus augeantur: quemadmodum videlicet si quispiam canes aut aues *Simile à canibus & auibus venaticis.* ad prædam cicuratas alens, eos quidem ante prædam demulceat, posteaquam autem aliquid arripuerint, ex ore prædam ipsis extorqueat. Ad eumdem enim modum tu quoque multos habere cupiens, qui tibi partim è terrâ, partim è mari tributa & vectigalia deferant. Ais quidem tibi eorum salutem curæ esse, ceterùm sempiternum ipsis, priusquam etiam tibi ipsi exitium accersis, tibique illud satis est, vt opes quouis stercore ac cœno viliores tibi affluant: nec animaduertis, te luminis loco tenebras complecti. Verùm ex hoc graui somno, quæso, emerge, clausosque tuos oculos aperi, ac Dei nostri gloriam, omnibus vndique illucentem, cerne, tandemque aliquando ad teipsum redi. *Psal. 39.* Intelligite enim, inquit, insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Illud scias, alium deum non esse præter Deum nostrum: nec vllam, nisi in ipso salutem. *Psal. 17.*

Rex autem: Stultis, inquit, his tuis nugis finem impone, ac mihi protinus Barlaamum ostende: aut alioqui eiusmodi pœnarum instrumēta experieris, quorum numquam abs te periculum factum est. Fortissimus autem ille, ac præstanti animi magnitudine monachus, cælestisque philosophiæ amator, ob regias minas nullo modo de sententiâ dimouebatur, sed intrepido pectore stans,

 dicebat:

dicebat: Ea quæ à te iubentur, ô rex, facere, minime à nobis indictum est, sed quæ à Domino nostro imperata sunt; qui nos temperantiæ studere, atque omnes voluptates & cupiditates in potestate tenere, fortitudinemque colere, ac laborem omnem & afflictionem iustitiæ caussa sustinere docet. Quò igitur grauiora nobis pietatis caussâ mala intuleris, eò præclariùs de nobis meritus fueris. Quocircà quidquid lubet, fac: neque enim committemus, vt aliquid quod à recto abhorreat, faciamus, ac peccato nos addicamus. Nec enim leue hoc scelus esse putes, si colluctatorem ac commilitonem nostrum tibi in manus tradamus. Verùm hoc nomine minimè nos irridebis, quamuis etiam sexcentas mortes nobis inferas. Neque enim adeò ignaui sumus, vt tormentorum tuorum metu philosophiam nostram prodamus, atque aliquid diuinâ lege indignum perpetremus. Aduersus hæc, quæcumque tormentorum instrumenta nosti, Philip. 1. ea expedias licet. Nobis quippe viuere Christus est, ac mori præstantissimum lucrum.

Ob huiusmodi verba rex furore inflammatus, theologas eorum linguas amputari iubet, oculosque erui, manusque simul ac pedes truncari. Quâ sententiâ pronuntiatâ, lictores & satellites circumstantes inhumanè ac crudeliter ipsos demutilabant. *Septemdecim monachorum cædes.* Ac linguas quidem eorum vncinis ex ore extractas belluinâ quadam feritate abscindebant, oculos autem ferreis vnguibus eruebant, ac denique instrumentis quibusdam eorum manus ac pedes luxantes, amputabant: at beati illi ac venerandi & generosi viri, tamquam ad epulas vocati, strenuo & forti animo ad cruciatus accedebant, mutuis cohortationibus sese acuentes, atque ad mortem pro Christo subeundam forti atque intrepido animo pergentes.

In huiusmodi varijs supplicijs [13] sacrosancti monachi, numero decem & septem, fortes ac tolerantiâ præditas animas suas *Quòd ratio affectibus imperet.* Domino commendarunt. Ex quo perspicuè constat, animum pietate præditum vitiosis affectionibus imperare, quemadmodum quidam à nostris decretis alienus prodidit, *Iosephus.* senis sacerdotis ac septem filiorum certamina commemorans, qui vnà cum matre pari omnino sententiâ præditâ pro patriæ legis defensione dimicarunt. Quibus tolerantiâ & animi magnitudine nihilo inferiores hi eximij patres ac supernæ Ierusalem ciues extiterunt.

CAP. XXIV. His igitur piâ morte perfunctis, rex ad primarium consiliarium suum Arachen dixit: Quoniam prius consilium minimè successit, ad posterius animum adijce, ac Nachorem accersendum cura. Araches igitur intempestâ nocte ad eius speluncam se contulit: siquidem in solitudine habitabat, diuinationi operam dans. Cumque ipsi consilium id omne, quod cepissent, declarasset, *Nachor ab Arache subornatur, vt se Barlaam fingat.* simulatque diluxit, ad regem se recepit. At tum quæsitis rursus equis, ad inuestigandum Barlaamum sese abire simulauit. Cùm autem exijsset, ac loca solitaria perlustraret, virum vnum ex voragine quadam egredientem conspicit. Quem cùm persequi iussisset, ipsius comites eam celeritatem adhibuerunt, vt hominem arriperent, eumque ad ipsum adducerent. De quo cùm quisnam esset, quamque religionem coleret, & quonam nomine vocaretur, quæsiuisset, Christianum ille se esse professus est, Barlaamumque nuncupari (quemadmodum videlicet ab ipsis instructus fuerat:) quo nomine gaudio perfusus Araches, vt quidem præ se ferebat, accepto eo quamprimùm ad regem reuertitur, eique ipsum exhibet. Atque rex audientibus ijs, qui astabant: Tune *Nachor regi sistitur.* es ille dæmonis administer Barlaam? Ille autem respondit: Dei administer sum, ac non dæmonum: quamobrem ne me conuitijs incessas. Plurimas enim mihi gratias agere debes, quoniam filium tuum errore atque imposturâ liberatum ad Dei cultum erudiui, atque cum vero Deo in gratiam reductum omni virtutis genere institui. Rursum autem rex irati animi speciem præferens, dixit: Par sanè erat, vt tibi sermonis omnis ac defensionis facultate præcisâ, sine vllâ interrogatione te morte mulctarem. Verùm pro meâ humanitate tantisper te fero, quousque ad certum diem de te quæstionem habuero. Ac siquidem mihi optemperandum duxeris, veniam obtinebis: sin minùs, pessimam mortem oppetes. Hæc locutus, Arachi eum tradit, mandatque vt eum quàm diligentissimè custodiat.

Postridie autem illinc ad palatium suum reuersus est. Repentè igitur captum esse Barlaamum rumore ferebatur, adeò vt ipse quoque regis filius hac re auditâ grauissimo animi dolore afficeretur, nec vllo modo lacrymis moderari posset, verùm gemitibus ac luctibus Deum obsecraret, ipsumque vt seni opem ferret obtestaretur. Nec verò lugentem eum bonus ille Deus despexit: benignus *Iosaphat regis filio Deus omnia reuelat.* enim est ijs qui ipsius opem in die tribulationis exspectant, atque eos qui ipsius metu præditi sunt, agnoscit. Vnde etiam iuueni per nocturnum visum omnia declarat, roburque ipsi addit, atque ad pietatis certamen eum confirmat. Experrectus itaque cor suum paulò antè mœstitia ac dolore profligatum, lætitiâ & fiduciâ suauissimoque lumine

mine perfusum reperit. Rex autem his ita gestis, atque initâ huiusmodi cogitatione, gaudebat, præclarâ consideratione se vti existimans, amplissimamque Arachi gratiã habens. Verùm, vt diuini Dauidis verbis vtar, mentita est iniquitas sibi: atque iustitia aduersus iniquitatem palmam tulit, prorsus videlicet eam sternens ac deijciens, perijtque memoria eius cum sonitu (quemadmodum sermonis progressu à nobis ostendetur.)

Psal. 29. Psal. 9.

Biduò quippe pòst rex ad filij palatium accessit, eoque ipsi obuiàm prodeunte, pater eum suo more minimè osculatus est: verùm indignanti atque irato similis, in regium cubiculum ingressus, mœsto vultu consedit. Ac deinde accito filio, his ad eum verbis vtitur: Fili, quænam hæc fama est, quæ ad aures meas permeauit, animúmque meum mœrore conficit? neque enim existimo vllum vmquam hominem ob filij ortum tanto gaudio perfusum fuisse, quantam ego tuâ caussâ voluptatem percepi: nec rursum vllum vmquam tantum mœroris ex filio contraxisse credo, quantum nunc ex te contraxi. Meam enim canitiem dedecore affecisti, ac lucem oculorum meorum abstulisti, neruorúmque meorum robur excidisti. Timor enim, quem tuâ caussâ timebam, euenit mihi: & quod verebar, accidit mihi. Factúsque sum hostibus meis in ludibrium, & in risum aduersarijs meis. Stultâ mente ac puerili animo impostorum verbis fidem adhibuisti, atque improborum & maleuolorum hominum consilium consilio meo antiquius habens, ac deorum nostrorum cultũ relinquens, ad alieni Dei cultum te contulisti. Quidnam tibi, fili, in mentem venit, vt hæc faceres: ac tu, quem in omni securitate alere me sperabam, quemque senectutis meæ baculum ac robur habiturum, optimúmque regni mei successorem relicturum me existimabam, inimici atque hostilis in me animi argumentum exhibere minimè dubitares?

Regis ad filium oratio.

Iob 3.

An non consentaneũ erat, vt mihi potiùs paréres, meaque secreta sequereris, quàm versipellis ac putidi senis nugis stultisque sermonibus cederes, qui tibi hoc in animum immisit, vt pro dulci vitâ acerbam susciperes, ac pro suauissimis delicijs duram illam & asperam viam, quam Mariæ filius tenere admonet, ingredereris? An non autem etiam summorum deorum iram pertimescis, ne fulmine te feriant, aut tonitruo interimant, propterea quòd repudiatis ac pro nihilo habitis ijs qui nos tot tantisque beneficijs affecerunt, ac regio diademate ornarunt, gentesque numerosissimas ditioni nostræ atque imperio subiecerunt, ac deni que vt precum mearum & orationum operâ gignereris, ac dulcissimæ huius lucis particeps fieres, præter spem effecerunt, ei qui cruci affixus est, arctissimè te coniunxisti, inanibus videlicet ipsius cultorum promissis deceptus, qui noua quædam sæcula confingũt, mortuorúmque corporum resurrectionem nugantur, aliáque sexcenta, vt stolidis hominibus fucum faciant, introducunt?

Verùm nunc saltem, charissime fili, si quid mihi patri tuo obtemperandum putas; prolixis his nugis longum valere iussis, benignis dijs quæso sacrifica, atque eos plurimis victimis & sacrificijs placare studeamus, vt errati veniam ab ipsis impetres: siquidem hanc vim illi habent, vt & beneficijs & supplicijs afficere possint.

Ac nos eorum quæ diximus, exemplum tibi sumus, qui ipsorum beneficio ad hoc imperium peruenimus; atque hanc ipsis beneficij vicem rependimus, vt & eorum cultoribus honorem tribuamus, & eos qui adduci nequeunt vt ipsis sacrificent, supplicijs excruciemus. Multas igitur huiusmodi nugas commemorante rege, ac nostra quidem dogmata suggillante & traducente, idolorum autem cultum laudibus & encomijs prosequente; diuinissimus iuuenis rem eo loco esse videns, vt non iam angulum & latebras, verùm candelabrum potiùs ac speculum desideraret, quò omnibus in perspicuo esset, libertate ac fiduciâ plenus, ad hunc modum locutus est:

Matth. 5.

Quod à me factum est, ô here, haudquaquam inficias iuerim. Tenebris enim fugâ relictis ad lucem accurri, ac relicto errore ad veritatem me adiunxi; nuntióque dæmonibus remisso, ad Christi ordines me contuli, qui Dei Patris Filius ac Verbum est, cuiúsque verbo omnia ex nihilo in ortum producta sunt, quique efficto è terrâ homine vitalem ipsi spiritum insufflauit, eúmque in voluptatis paradiso, vt illic degeret, collocauit. Cúmque ipsius mandatum violasset, mortique proinde obnoxium se reddidisset, atque horrendi mundi principis potestati subiecisset, non tamen omnia facere destitit, quò eum ad pristinam dignitatem reuocaret. Ac propterea ille rerum omnium conditarum effector, generisque nostri architectus, nostrâ caussâ homo effectus est, atque in terram veniens, & è sanctâ Virgine nascens, cum hominibus consuetudinem habuit. Ac pro nobis ingratis seruis Dominus mortem subijt, & quidem mortem crucis: vt videlicet peccati tyrannis de medio tolleretur, priorque condemnatio deleretur, ac cæli portæ nobis rursum paterent. Nam illuc naturam nostram

Filij ad patrem pia responsio.

Baruch 3. Philip. 2.

nostram euexit, atque in gloriæ throno collocauit, regnumque finis expers, ijs qui ipsius amore præditi sunt, donauit, bonáque omni sermone atque auditu præstantiora. Ipse enim est fortis ille, ac solus potens, Rex regum & Dominus dominantium, cuius robur inuictum est, & potentia eiusmodi quæ omnem ingenij coniecturam excedat: qui solus sanctus est, & in sanctis requiescens; qui cum Patre & Spiritu sancto glorificatur: in quorum nomine baptizatus sum, & quos confiteor, celebro atque adoro, vnum Deum in tribus personis, consubstantialem, ac confusionis expertem, increatum, immortalem, sempiternum, infinitum, ab omni circumscriptione remotum, corpore vacantem, à perturbationibus & mutatione atque conuersione alienum, omni termino carentem, bonitatis & iustitiæ ac sempiternæ lucis fontem, rerum omnium conditarum, tam quæ cerni possunt quàm quæ oculorum sensum fugiunt, effectorem, atque omnia continentem & conseruantem, omnibus prospicientem, atque in omnia regnum & imperium obtinentem. Neque enim sine ipso res vlla facta est, nec sine ipsius prouidentiâ quidquam conflari ac consistere potest. Ipse siquidem est omnium vita, omnium coagmentatio, omnium illuminatio, totus dulcedo, ac totus sine vllâ saturitate desiderabilis, omniumque rerum expetendarum summus vertex. Quocircà Deum hunc, qui tantâ bonitate ac potentiâ præditus est, relinquere, atque impuros dæmones vitiorumque omnium architectos colere, surdisque ac mutis statuis, quæ nec aliquid sunt nec erunt, cultum ac venerationem tribuere, cuius tandem, ô pater, stultitiæ ac dementiæ fuerit? Ecquando enim vox ab ipsis audita est? Ecquando vel exiguum ijs, qui preces ad ipsos adhibebant, dederunt? Ecquando ambularunt, aut sensum vllum acceperunt? Nam neque hi, qui stabant, sessionis vmquam meminerunt: nec qui sedebant, stantes vmquam visi sunt. Horum turpitudinem ac fœtorem & stuporem, atque etiam dæmonum in ipsis operantium, ac per ipsos imposturam vobis facientium, infirmitatem atque imbecillitatem, cùm à viro sancto intellexissem, eorumque improbitatem reiecissem, ac perfecto odio insectatus fuissem, ad Deum viuum ac verum me adiunxi, ipsique ad extremum vsque vitæ spiritum seruiam, quò etiam in ipsius manus spiritus meus veniat.

1. Cor. 2. *Apoc. 19.* *Cant. 5.* *Idola despicit Iosaphat.*

Cùm igitur tanta bona, quæque nullâ oratione explicari possint, mihi occurrissent, gaudebam quidem me improborum dæmonum seruitute liberatum, atque ab horrendâ captiuitate reuocatum, ac Dominici vultus lumine collustratum esse: illud autem me angebat, animumque meum distrahebat, quòd tu, dominus ac pater meus, huiusmodi beneficiorum minimè particeps esses. Verùm animi tui in sententiâ tuâ pertinaciam metuens, mœrorem meum pectore premebam, quòd tibi stomachum mouere minimè vellem. Deum autem orare atque obsecrare non intermittebam, vt à longinquo exilio, quod tibiipsi accersiuisti, cùm pietatis fugitiuus, vitijque omnis & impietatis minister effectus es, te reuocaret. Quoniam autem tu ipse, ô pater, res meas in apertum protulisti, quæ mea omnino sententia sit, audi: Pacta cum Deo meo inita non frangam: non inquam, per eum qui me pretioso cruore suo à seruitute vindicauit. Quamobrem, cùm quid animi habeam, tibi exploratum sit, negotium tibiipsi facessere desine, à præclarâ confessione me deducere moliens. Nam quemadmodum si cælum manu arripere, aut totum mare exsiccare in animum induxeris, irritus atque inutilis tibi hic conatus fuerit: eodem modo hoc quoque irritum tibi fore persuade. Ac propter eà, aut ipse consilio meo obsequens, ad Christum te adiunge, vt bona ea, quæ cogitationem omnem superant, percipias, socijque inter nos, vt naturæ ita etiam fidei simus: aut à tuâ filietate, mihi crede, abscedam, puraque conscientiâ Deum meum colam.

Psal. 4. *Filius perstat in sententiâ.*

Hæc igitur omnia vt rex audiuit, impotenti furore confestim percitus, iracundè ad eum loquebatur, dentibusque furentis instar frendens, his verbis vsus est: Quisnam alius mihi tantorum malorum auctor est, vt ego ipse, qui te tanto amore complexus sum, eaque tuâ caussâ feci, quæ nullus vmquam pater fecit? Quâ etiam de caussâ mentis tuæ peruersitas ac peruicacia, ex licentiâ meâ collectis viribus, vt in meum caput insanires, fecit. Non abs re igitur in ortu tuo Astrologi malum & improbum virum atque arrogantem, & aduersus parentes contumacem, te fore dixerunt. At si nunc quoque commiseris, vt consilium meum frustrà cadat, hostilem in te animum geram, atque ita te mulctabo, vt ne in hostes quidem suos tantæ sæuitiæ specimen quisquam exhibeat.

Rursum autem ille: Quidnam est, ô rex, cur iracundiâ inflammeris, eoque nomine discrucieris, quòd tanta bona diuinitus sim consecutus? Et quis vmquam pater filij felicitate dolere atque angi visus est? Aut quonam modo pater ille, ac non potiùs hostis vocan-

Pater appellandus non est, qui filij salute angitur.

vocandus sit? Quocircà nec ego posthac te patrem appellabo, verùm à te abscedam, non secùs atque is qui serpentem fugit: siquidem te saluti meæ inuidere, meque in exitium per vim impellere perspectum habuero. Nam si mihi vim afferre, ac tyrannice mecum agere velis, quemadmodum etiam dixisti, nihil aliud, mihi crede, hinc lucri facies, quàm vt patris loco, tyrannus & carnifex appelleris. Quandoquidem facilius tibi fuerit aquilæ vestigia consequi, ac per ipsum aërem volare, quàm me de meâ in Christum fide, ac præclaro fœdere cum ipso inito, deducere. Verùm intellige, ô pater, atque ista oculorum mentis lippitudine & caligine discussâ, suspice, ac Dei mei lumen, omnes vndique collustrans, intuere: atque ipse tandem aliquando suauissimo illius splendore illuminare. Vt quid enim te ipsum carnis affectionibus ac voluntatibus totum te tradidisti, nec vllo modo ex ipsis emergis? Illud intellige, quòd omnis caro fœnum est, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Exsiccatum est fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini mei, quod omnibus annuntiatum est, manet in æternum. *1.Pet.2.*

Quid igitur ita perditè atque insanè gloriam eam retines & amplecteris, quæ instar recentium florum marcescit atque deletur, & execrandas ac fœtidas delicias, ventrisque & eorum quæ infra ventrem sunt affectiones, quæ quidem ad aliquod tempus stultorum sensus oblectant, ceterùm amariùs felle posteà digeruntur, tum nimirum cùm vmbræ istæ, atque inanis huiusce vitæ insomnia præterierint, atque in perpetuo ignis numquam extinguendi ac tenebrosi cruciatu eorum amatores, & qui iniquitati operam dant, prouoluentur, vbi insomnis vermis absque vllo fine ipsos corrodet, ac perpetuus ignis in infinita sæcula eos concremabit? Inter quos, ô rem grauem, tu quoque conclusus, ob scelerata consilia tua graui pœnitentiâ afficieris, atque hos dies multùm requires, meorumque verborum recordaberis. Verùm nihil ex eiusmodi pœnitētiâ vtilitatis percipies: siquidem in inferno pœnitētiæ atque cōfessioni locus non est. *Voluptates mundi cum amaritudine digeruntur.* *Sera impiorum pœnitentia.* *Psalm. 6.*

Nam præsens tempus labori præstitutum est, futurum autem mercedi. Ac profectò etiamsi præsentes voluptates fluxioni & interitui minimè subiectæ essent, verùm cum dominis suis in æternum durarent, non tamen propterea eas Christi beneficijs, ac bonis omni cogitatione præstantioribus anteferre oportebat? Nam quantò sol profundâ nocte clarior est atque splendidior, tantò quoque atque etiam multò magis bona ea, quæ Dei amore præditis promissa sunt, quouis terreno regno illustriora & magnificentiora sunt. Proindeque omnino consentaneum erat, ea quæ maiora & præstantiora sunt, inferioribus ac vilioribus antiquiora habere. Cùm autem omnes huiusce vitæ res & corruptioni obnoxiæ sint; & insomnij atque vmbræ instar prætereant ac deleantur, adeò vt instabilibus potiùs auris, & nauis per mare currentis vestigijs, quàm hominum prosperitati fides habenda sit; quæ tandem simplicitas, vel vt rectiùs loquar, stultitia & dementia hæc est, ea quæ caduca & imbecilla, corruptionique obnoxia sunt, imò nihil prorsus sunt, ijs quæ à corruptione aliena ac sempiterna sunt, potiora ducere, ac propter caducarum rerum fructum, bonorum illorum fructu ab omni successione remoto priuari? An non hæc, ô pater, intelliges? An non prætereuntia præteribis, atque ad ea quæ fixa & certa sunt, animum adiunges? An non patriam peregrinationi antepones, lucem tenebris, spiritum carni, vitam æternam vmbræ mortis, ea quæ non dilabuntur, fluxis & fragilibus? An non ex atroci hac horrendi mundi principis, hoc est peruersi diaboli seruitute, fugâ te subduces, teque ad bonum & ad misericordiam propensissimum Dominum conferes? An non à multorum commentitiorum deorum cultu teipsum abduces, atque vni viuo ac vero Deo cultum adhibebis? Nam etsi in Deum peccasti, cùm multas in eum blasphemias effudisti, atque ipsius seruos grauibus tormentis excruciatos necasti: non tamen dubito, quin te ad meliorem mentem redeuntem suscepturus sit, omniaque delicta tua è memoriâ eiecturus. Non enim mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, ille vult, qui vt nos à rectâ viâ aberrantes requireret, ex eâ sublimitate quæ nullis verbis exponi potest, descendit, crucemque & mortem nostrâ caussâ pertulit, ac nos qui sub peccato venditi eramus, pretioso suo sanguine redemit. Ipsi laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Pergit Iosaphat serio monere patrem.* *Iob. 14.* *Psal. 143.* *Ezech. 18.* *Rom. 7.*

Rex autem stupore simul atque irâ correptus est: illud nempe, ob filij prudentiam, atque eiusmodi sermones, qui nullo pactò refelli possent; hoc autem, quia ipsius deos traducere ac criminari non desinebat, totamque ipsius vitam suggillabat ac proscindebat. Atque huiusmodi quidem sermonis splendorem ob internam tenebrarum crassitiem haudquaquam admisit. Cùm autem ob amoris à naturà insiti affectum in ipsum animaduertere, aut eum malo aliquo mulctare non posset, rursumque ipsum de senten- *Irâ & admiratione repletur pater.*

sententiâ dimouere se posse prorsus desperaret, veritus ne si pluribus eum sermonibus lacesseret, eo liberè ac fidenter loquente, deosque suggillante atque cauillis insectante, maiore ipse iracundiâ inflammatus, hostile aliquid in eum designaret, irato animo surgens secessit, his dumtaxat verbis vtens: Vtinam numquam natus fuisses, nec in lucem prodijsses, si quidem futurum erat, vt in deos tam impius & contumeliosus esses, atque à paternâ amicitiâ & admonitione absc[e]deres. Verùm aduersarij deos, quorum in[uic]tum robur est, non perpetuò subsannabunt, nec diu gaudebunt, nec eorum præstigiæ vim habituræ sunt. Nam nisi mihi dicto audientem atque erga deos gratum te præbueris, multis priùs ac varijs tormentis affectum acerbissimâ morte te de medio tollam, nec tecum vt cum filio, sed vt cum hoste aliquo ac rebelli agam.

Minatur mortem filio.

Cap. XXV. *Egresso rege, Iosaphat diuinam opem implorat. Oratio Iosaphat ad Deum.*

His minis cùm in eum pater vsus esset, atque iratus secessisset, filius in cubiculum ingressus, sublatis ad sui certaminis arbitrum oculis, ex intimo corde exclamauit: Domine Deus meus, dulcis spes, minimeque mendax promissio, ac firmum eorum qui se tibi totos deuouerunt perfugium, propitio ac benigno oculo pectoris mei contritionem cerne, nec me derelinquas, nec discedas à me: verùm iuxta pollicitationem tuam ab omni mendacio alienam, mecum, hoc est, cum indigno atque abiecto homunculo sis. Te enim rerum omnium conditarum effectorem & gubernatorem agnosco & confiteor. Quocircà in hac præclarâ confessione velim me confirmes, vt ad extremum vsque spiritum in eâ permaneam. Respice in me, & miserere mei: mihique asta, illæsum atque incolumem ab omni satanæ operatione me conseruans. Respice, ô Rex: siquidem anima mea vehementi tui desiderio flagrat, atque ita incensa est, tamquam in sitis ardore in terrâ inaquosâ, te immortalitatis fontem concupiscens. Ne tradas bestijs animam confitentem tibi: & animæ pauperis tui ne obliuiscaris in finem. Verùm mihi beneficio tuo contingat, vt per omnem vitæ cursum pro tuo nomine, tuaque confessione omnia perpetiar, meque totum tibi immolem. Te enim robur afferente, imbecilles etiam viribus pollent: quoniam tu solus inuictus es propugnator, ac Deus misericors, quem quidquid creatum est, benedicit ac celebrat in sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 37. *Psal. 24.* *Psal. 62.* *Psal. 73.*

Hac oratione functus, diuinam consolationem in pectus suum illabi sensit: fiduciaque perfusus, totam noctem in precibus traduxit. Rex autem cùm de filij statu cum Arache sermones contulisset, ipsique rigidam ipsius libertatem animique in sententiâ peruicaciam declarasset, hoc consilium capit, vt quàm fieri posset amicissimè atque obsequiosissimè cum eo colloqueretur, blanditijs videlicet perfecturum se sperans, vt eum ad se pertraheret. Crastino itaque die ad filium se confert, ac propiùs sedens, ipsum accersit, atque complectitur & exosculatur, leniterque ac placidè irrepens: O charissime & amantissime fili, inquit, patris canitiem honore affice, precibusque meis auditis accede, ac dijs sacrificium adhibe. Sic enim & illos benignos & faciles habiturus es, & dierum diuturnitatem, gloriamque omnem, & inoffensum regnum, omnisque generis bona ab ipsis percipies, & mihi patri tuo per omnem vitam charus eris: ac denique hoc assequêris, vt omnes homines te in honore habeant, laudibusque efferant. Siquidem ad laudem adipiscendam magni interest patri obedire, ac præsertim in ijs rebus, quæ ad bonum & ad deorum beneuolentiam spectant. Quidnam autem, fili, censes, vtrùm ne me consulto ac de industriâ à bonâ viâ deflexisse, atque contrariam ingredi maluisse, an verò boni ignoratione & imperitiâ meipsum pestiferis dogmatibus dedidisse? Certe si me spontè ac de industriâ, contrà quàm vtile sit, mala bonis præferre, mortemque vitâ potiorem habere existimas; vehementer, ô fili, à recto iudicio mihi aberrare videris.

Totam noctem in precibus absumpsit.

Regis ad filium blanda oratio ex consilio Arachis.

An non vides, quot ærumnis & afflictionibus meipsum persæpè tradam, tum in expeditionibus aduersus hostes, tum in publicorum negotiorum procuratione meipsum occupans, adeò vt famem etiam ac sitim, cùm ita necesse est, perferam, ac pedibus ambulem, humique somnum carpam? Opum autem & pecuniarum tanta in me contemptio ac despicientia est, vt interdum profusâ manu palatij mei thesauros exhauriam, quò amplissima dijs delubra extruam, omnique ornatu illustrem, aut pecuniarum aggeres militibus liberalissimè distribuam. Cùm itaque tantus in me voluptatum contemptus, tanta in periculis tolerantia sit, si Galilæorum religionem, eâ quam manibus tenemus præstantiorem esse cognoscerem, an non summo studio id agerem, vt contemptis omnibus rebus, salutem mihi compararem? Sin autem mihi boni ignorationem atque imperitiam vitio vertis, illud tecum reputa, quot noctes insomnis exegerim, quæstione aliquâ propositâ, & quidem interdum haut admodum necessariâ, nullam omnino mihi requiem concedens, priusquam perspicuam & accommodatissimam

mam ipsius solutionem inuenissem.

Quocircà cùm caducarum harum rerum ne minimam quidem contemnendam ducam, verùm omnino conducibiliter, atque ad omnium vtilitatem eam excutiam & absoluam: (sic enim inter omnes constare arbitror, neminem omnium qui sub sole sunt, arcanarum rerum cognitionem accuratiùs vmquam inuestigasse, quàm ipse fecerim) quonam pacto res diuinas, & ea quæ venerari, ac deorum honore afficere oportet, contemnenda duxissem, ac non potiùs omni studio, omnibus viribus, toto denique animo ac totâ mente in eorum inuestigatione tempus atque operam posuissem, vt quæ vera & maximè consentanea sunt, inuenirem? Etenim magno cum labore sic ea quæsiui, vt & multas noctes ac multos dies in his consumpserim, & multos item sapientes & eruditos viros ad consilium adhibuerim, atque etiam cum multis eorum, qui Christiani appellantur, sermones contulerim. Ac per impigram conquisitionem & ardentem inuestigationem, via veritatis à me inuenta est, sapientum virorum, atque tum doctrinâ tum ingenio præditorum testimonio confirmata. Quorum hæc sententia est, nullam aliam esse, præter eam quam hodierno die tenemus, summos deos colentes, ac dulcem & cum voluptate coniunctam vitam omnibus hominibus ipsorum munere concessam, ac iucunditate animique oblectamento perfusam arctissimè complectentes. Quam quidem Galilæorum duces & antistites stultè repulerunt, adeò vt suaue hoc lumen, atque omnes voluptates, quas nobis fruendas dij concesserunt, alterius cuiusdam incertæ vitæ spe prompto animo abiiciant, nescientes
1.Tim.1. videlicet, nec quid dicant, nec de quibus affirment.

Tu verò, charissime fili, patri tuo, qui per accuratam ac verissimam inuestigationem id quod verè bonum est, inuenit, obtempera. En enim demonstratum est, me nec spontè nec per ignoratione à bono aberrasse; verùm & illud inuenisse & accepisse. Cupio autem te quoque in stulto errore minimè versari: verùm meis vestigiis hærere. quamobrem fac patrem tuum verearis. An nescis quantum bonum sit patri obtemperare, atque ipsi in omnibus rebus obsequi: quemadmodum contrà quàm exitiosum & execrandum, patris animum exacerbare, ipsiusque iussa pro nihilo habere? Omnes enim qui hæc fecerunt, malo mortis genere interierunt. Quo in numero, fili, vtinam ne censearis! verùm ea quæ parenti grata sunt, faciens, bonorum omnium compos fias, regniique mei heres sis.

Magnanimus autem, ac verè nobilis adolescens, cùm superuacaneam patris orationem ac stultum consilium audiisset, atque flexuosi serpentis artes animaduertisset, nempe quòd à dextris laqueum pedibus ipsius parasset, id scilicet agens ac moliens, vt diuinam ipsius animam inflecteret, atque ipsi ad propositam palmam impedimentum afferret, illud Domini præceptum sibi ante oculos posuit: Non veni mittere pacem, sed gladiũ. Veni enim separare filium aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & quæ deinceps sequuntur. Illudque item: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Ac rursum illud: Quicumque me negauerit coram hominibus, negabo etiam eum coram Patre meo, qui in cælis est. Hæc cùm secum ipse reputasset, diuinoque metu animam constrinxisset, illud Salomonis dictum perquam tempestiuè vsurpauit: Tempus amandi, & tempus odiendi: tempus belli, & tempus pacis. Ac primùm quidem mente ad hunc modum precatus est: Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea: & in vmbrâ alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benè fecit mihi; ac reliqua quæ deinceps in Psalmo sequuntur.

Fraudem filius intelligit.

Matth.10.

Eccle.3.

Psal.56.

Pòst autem ad patrem his verbis vsus est: Patrem quidem colere, atque ipsius imperiis parêre, ipsique amico & beneuolo animo inseruire, communis magister noster docet, vt qui naturalem huiusmodi charitatem in animis nostris inseuerit. At cùm parentum amor atque erga eos beneuolentia animæ ipsi periculum creat, eamque à summo illo effectore procul remouet, hunc affectum prorsus exscindere iubemur, ac nullo modo iis qui nos à Deo abstrahunt, cedere ac manus dare, verùm eos odisse & auersari: quamuis etiam is, qui execranda præcipit, pater sit, quamuis mater, quamuis rex, quamuis denique penes eum vitæ nostræ potestas sit. Quæ cùm ita sint, paternæ beneuolentiæ caussâ Dei iacturam facere prorsus nequeo; ac proinde tum tibiipsi, tum mihi negotium facessere desine: verùm mihi morem gere, ac viuum & verum Deum ambo colamus. Nam quæ nunc veneraris, simulacra sunt, hominum manibus effecta, spiritus expertia & surda, nihilque omnino aliud quàm exitium & sempiternum cruciatum cultoribus suis accersentia.

Iosaphat patri respondet.

Exodi 20.

Sin autem id recusas, quidquid lubet, mihi infer: seruus enim Christi sum. Ac neque blanditiis neque tormentis ab eius

amore desciscam: quemadmodum etiam pridie tibi dixi, Domini mei nomen interponens, ac sermonem interposito iureiurando confirmans. Quòd autem nec te sponte malè agere, nec rursum ignoratione à bono aberrare dixisti, verùm ingenti ac laboriosâ inuestigatione hoc cognouisse, nempe bonum esse simulacra colere, ac libidinum voluptatibus affixum esse, certè te sponte malè agere, dicere haud nequeo. Quòd autem magnâ inscitiæ caligine circumfusus sis, ac tamquam in tractabilibus tenebris ambulans, ne minimum quidem luminis splendorem perspicias, ob idque rectâ viâ amissâ in præcipitia & barathra oberres, id verò certissimum ac compertissimum habeo, teque etiam, ô pater, id intelligere cupio. Ac propterea tenebras lucis loco tenens, ac mortem vitæ instar complectens, vtilia consilia iniisse, fructuosasque cogitationes suscepisse tibi videris. At non ita est, non inquam est ita. Nam nec ea quæ veneraris, dij sunt, sed dæmonum statuæ, omnem eorum execrandam operationem intus continentes: nec rursum vita ea, quam suauem & voluptariam appellas, iucunditatisque omnis & hilaritatis plenam esse censes, eiusmodi naturam habet: sed si veritatis iudicio standum est, execranda ac modis omnibus auersanda est. Quamuis enim ad aliquod tempus fauces deliniat, pòst tamen, vt à magistro meo dictum est, felle amariùs digeritur, gladioque ancipiti acutior est.

Improborum vita nil veræ iucunditatis habet.

Et quonam tandem pacto eius mala tibi recensere possem? Dinumerabo ea, & super arenam multiplicabuntur: diaboli enim hamus est, execrandâ voluptate, tamquam illecebrâ quadam obductus, per quam eos qui in fraudem inducuntur, ad imum inferni gurgitem trahit. Bona autem à Domino meo promissa, quæ quidem tu incertæ vitæ spem nuncupasti, ab omni mendacio & mutatione aliena sunt, finem nesciunt, corruptioni subiecta non sunt: denique nulla est oratio, quæ illius gloriæ & iucunditatis, illius inenarrabilis gaudij ac perpetuæ lætitiæ magnitudinem exprimere queat. Omnes enim, quemadmodum ipse vides, morimur, nec est homo qui viuat, & mortem visurus non sit: futurum est autem, vt rursum ad vitã redeamus, tum nimirum, cùm Dominus Iesus Christus Dei filius in gloriâ, quæ nullis verbis declarari potest, ac tremendâ potentiâ veniet, ille inquam Rex regum ac Dominus dominantium, cui omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum: quique tantùm omnibus pauorem commouebit, vt etiam ipsæ cælestes

Psal. 138.

Præsens vita diaboli hamus est.

2. Reg. 14.
Psal. 88.

Matth. 25.

Apoc. 19.

Philip. 2.

Lucæ 21.

virtutes obstupescant. Astabunt porrò ei cum timore millia millium, & decies centena millia Angelorum & Archangelorum, cunctaque metu ac tremore plena erunt. Vnus enim Archangelorum buccinâ clanget: ac statim cælum sicut liber inuoluetur, terra autem effracta omnium hominum, qui vmquam à primi hominis Adami ortu vsq; ad diem illum fuerunt, corpora sursum emittet, ac tum omnes, qui ab orbe condito morte functi sunt, in ictu oculi ad Domini tribunal sistentur, atque vnusquisque rerum in vitâ gestarum rationem reddet. Tunc iusti, qui in Patrem & Filium ac Spiritum sanctum crediderunt, atque in probis actionibus præsentis vitæ curriculum confecerunt, solis instar fulgebunt. Quonam autem pacto gloriam eam, quæ ipsos exceptura est, tibi commemorabo? Nam etiamsi ipsorum splendorem ac pulchritudinem solis lumini, aut etiam clarissimæ fulgetræ comparem, nihil tamen, quod huic splendori par sit, dixero. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, quæ Deus in cælorum regno, in incomparabili luce, in arcanâ & finis experte gloriâ, iis qui ipsius amore præditi sunt, præparauit. Ac iusti quidem eiusmodi bona atque eiusmodi beatitudinem consequetur.

Dan. 7.

1. Cor. 15.

Matth. 13.
Non tantùm credere, sed & operari necesse est.

1. Cor. 2.

Qui autem verum Deum abiurarunt, ac fictorem & opificem ignorarunt, impurosq; dæmones coluerunt, ac surdis simulacris venerationem tribuerunt, voluptatumque huius vanæ vitæ cupiditate flagrarunt, atque in vitiosarum affectionum cœno porcorum instar sese volutarunt, suasque animas vitij omnis officinam effecerunt, nudi & aperti stabunt, ignominiâ suffusi, mœsti, ac tum gestu tum re ipsâ miserabiles. Atque omnes ipsorum sermones, & actiones, & cogitationes ante ipsorum ora venient, ac deinde post grauissimam ignominiam, atq; intolerandum illud probrum, gehennæ igni numquam extinguendo, ac lucis omnis experti, exterioribus tenebris, dentium stridori, ac venenato vermi addicentur. Hæc illorum portio erit, hæc hæreditas: in his per sempiterna sæcula versabuntur, scelerum pœnas dantes, propterea quòd bonis iis quæ in pollicitatione recondita erant, propter breuem voluptatem repudiatis & abiectis, æternum sibi ipsis supplicium accersiuerunt. Pro his igitur, hoc est, vt & gaudium illud omni sermone præstantius consequamur, & arcanâ illâ gloriâ fruamur, Angelosq; splẽdore adæquemus, ac bono & dulcissimo Domino fidenti animo astemus, atque atrocissimas & numquam finiendas pœnas, & acerbissimam illam infamiam effugiamus, quas non pecu-

Impiorum miseria.

Regni cælestis consessu nullus dolor recusandus.

pecunias, quæ non corpora, imò etiam ipsas animas profundere par fuerit? Quis tam ignaui animi est, quis tam excors, quin sexcentas temporarias mortes subire in animum inducat, vt à sempiternâ & finis omnis experte morte liberetur, beatamque & ab omni interitu remotam vitam hereditariò possideat, ac sanctæ & vitæ initium afferentis Trinitatis lumine collustretur?

CA. XXVI. Hæc verba cùm rex audiisset, filijque firmitatem atque constantiam perspexisset, nec blanditiis, nec sermonum lenocinio, nec denique suppliciorum minis cedentis, orationis quidem illius probabilitatem, ac responsa quæ refelli non possent, admirabatur, atque etiam à propriâ conscientiâ, quæ ipsum vera & iusta dicere demonstrabat, coarguebatur: verùm à prauâ consuetudine, atque à vitiosis affectionibus, quarum habitum contraxerat, & quæ eum velut camo & fræno coërcebat, nec veritatis lumen perspicere sinebat, in diuersum trahebatur. Ac propterea nullum non lapidem, vt dici solet, mouens, in eo quod priùs sibi proposuerat, hærebat, consilium nimirum, quod cum Arache ceperat, in opus perducere cupiens. Itaque ad filium ait: Oportebat quidem, fili, te meis imperiis omnibus in rebus simpliciter obsequi. Quoniam autem pro tuâ duritiâ atque contumaciâ mihi ita vehementer restitisti, hoc vnum contendens, vt tua sententia maioris apud te, quàm omnia alia, ponderis atque auctoritatis esset: age, inani contentione valere iussâ, rationibus ad persuadendum aptis agamus. Ac quia Barlaam, à quo tibi fucus factus est, vinctus à me tenetur, amplissimo cœtu habito, atque omnibus tum nostris tum Galilæis in vnum coactis, præconibusque disertis verbis edicere iussis, ne quisquam Christianorum vllius periculi metu afficiatur, verùm omnes omni metu vacui per sodalitia & cognationes in vnum coëant, communi consilio rem consideremus. Atque aut vos & vester Barlaam, nobis in sententiam vestram adductis, ea quæ optatis consequimini: aut contrà vos in sententiam nostram adducti, iussis meis sponte ac prompto animo parebitis.

Pater compungitur, sed non conuertitur.

Prudens autem reuerà & cordatus iuuenis per visum quod diuinitus ipsi contigerat, regis versutiâ cognitâ, ait: Domini voluntas fiat, sitque quemadmodum iussisti. Ipse autem bonus Deus ac diuinus hoc nobis concedat, ne à rectâ viâ aberremus: nam in ipso confidit anima mea, & ipse mei miserebitur. Tunc igitur rex, omnes tam idolorum cultores, quàm Christianos in vnum conueniri iubet, litteris nimirum quaquauersum missis, ac præconibus qui per omnia oppida proclamarent, ne quis Christianorum, tamquam inopinati aliquid perpessurus, in metu versaretur; verùm omnes per sodalitia & cognationes in vnum coirent, quòd veritatis studiosa, ac non coacta & violenta inquisitio vnà cum eorum duce atque antesignano Barlaamo futura esset. Eodemque modo idolorum etiam cultores ac sacerdotes, Chaldæorumque & Indorum sapientes, qui in vniuerso ipsius imperio erant, quosdamque etiam augures, & præstigiatores, ac vates conuocauit, vt aduersus Christianos victoriam obtinerent.

Disputatio indicitur.

Et quidem ingens ad regem execrandæ ipsius religionis multitudo confluxit: Christianorum autem vnus tantùm, Barachias nomine, inuentus est, qui Barlaamo (vt quidem existimabatur) suppetias ferret. Nam pij viri partim extremo vitæ die functi fuerant, à furiosis scilicet vrbium prætoribus obtruncati: partim impendentium periculorum metu in montibus ac speluncis delitescebant: partim denique regis minas pertimescentes, in lucem prodire minimè audebant, verùm nocturni pietatis cultores erant, in occulto dumtaxat Christum colentes, non autem liberè ipsius fidem profitentes. Ille autem solus, vtpote generoso animo præditus, ad propugnandam veritatem accessit. Cùm igitur rex in alto atque edito solio consedisset, filium vnà sedere iussit. At ille pro suo erga patrem honore ac reuerentiâ id facere recusauit: atque in terrâ non longè ab eo sedit. Astiterunt igitur viri infatuatę à Deo sapientiæ periti, quorum, vt Apostoli verbis vtar, insipiens cor errauit. 1. Cor. 1.
Putantes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilium hominum, & quadrupedum, & serpentium. Rom. 1.
Hi, vt cum regis filio, atque iis qui ab ipsius partibus stabant, sermonem consererent, in vnum conuenerunt. Atque in eis illud adagium implebatur, [14] Caprea cum leone pugnâ iniit. Etenim ipse Altissimum posuerat refugium suum, & in alterum ipsius vmbrâ sperabat. Psal. 90.
Illi autem in huius sæculi Principibus qui destruuntur, ac mundi principe tenebrarum, cui se ipsos miserè subiecerunt, fiduciam suam collocabant. Psal. 56. Ephes. 6.

Prodit pro filio Barachias Christianus vnus.

Producitur itaque Nachor, qui Barlaamum se esse simulabat. Ac rex quidem hoc sibi propositum habebat: verùm sapiēs Dei prouidentia cælitus aliud administrabat. Astantibus enim his omnibus, rex ad oratores suos & philosophos, vel potiùs plebis seductores & stolido corde præditos, ait:

Rex disputationis legem statuit.

En vobis certamen, & quidem maximum propositum est. Duorum enim alterum vobis continget, nempe vt vel doctrinâ nostrâ confirmatâ, errorisque conuicto Barlaamo ipsiusque sociis, maximam gloriam & honorem tum à nobis tum à senatu consequamini, ac victricibus coronis ornemini: vel fracti ac superati, cum omni ignominiâ grauissimam mortem oppetatis, atque omnes vestræ facultates populo addicantur, quò memoria vestra prorsus à terrâ deleatur. Nam & corpora vestra bestiis deuoranda obiiciam, & liberos vestros perpetuâ seruitute mulctabo.

Hac oratione à rege habitâ, ipsius filius his verbis vsus est: Æquam sententiam hodierno die tulisti, ô rex, eamque velim Deus confirmet: atque ego eadem magistro meo dico. Conuersusque ad Nachorem, qui Barlaam esse putabatur, ad eum ait: Non te fugit, ô Barlaam, in quâ gloriâ, quibusque deliciis me inueneris. Tu tamen permultis sermonibus me adduxisti, vt à patriis legibus & institutis abscederem, atque ignotum Deum colerem, arcanorum quorumdam videlicet ac sempiternorum bonorum spe mentem meam ad sequenda tua dogmata, & exacerbandum patris mei ac domini animum me pertrahens. Quocircà ita existima, te nunc velut in trutinâ stare. Nam si ex proposito certamine superior discesseris, eam scilicet quam mihi tradidisti doctrinam veram esse demonstrans, atque eos qui hodiernâ die nobis aduersantur, in errore versari ostendens, tu quidem maiorem quàm vllus vmquam habuerit, gloriam referes, ac veritatis præco vocaberis: atque ego in tuâ doctrinâ perstabo, Christumque, quemadmodum prædicasti, ad extremum vsque spiritum colam. Sin autem, siue dolo siue seriò ac verè superatus, ignominiam mihi conflaueris, contumeliam meam statim vlciscar. Etenim meismet manibus cor tuum ac linguam euellam, eaque cum reliquo tuo corpore canibus in prædam dabo: vt tuo exemplo omnes regum filiis imposturam minimè facere condiscant.

Filij verba ad falsum Barlaam Nachor.

His verbis auditis, Nachor ingentem tristitiam ac mœrorem concepit: vt qui seipsum in foueam quam fecerat, incidere, ac laqueo quem absconderat, implicari, suoque gladio se confodi perspiceret. Cùm igitur rem secum reputasset, ad filij regis partes, vt impendens vitæ discrimen effugeret, sese potiùs adiungere, ipsiusq; dogmata confirmare statuit, quòd videlicet ille optimo iure supplicio eum afficere posset, si quidem ipsius animum offendisset. At id totum diuinæ prouidentiæ erat, quæ religionis nostræ decreta sapienter per aduersarios confirmabat. Nam cùm idolorum antistites & Nachor sermones conferere inciperent, vt Barlaam ille, cùm sub Balaac Israelem quondam execrari ac diris deuouere constituisset, multis tamen eum ac variis benedictionibus cumulauit: ad eumdem etiam modum Nachor insipientibus ac stolidis sapientibus vehementer obluctabatur. Cùm enim rex in throno sederet, atque ipsius filius, vti iam à nobis dictum est, ipsi assideret, eique etiam stulti rhetores astarent, qui vt gladium linguas suas ad opprimendam & euertendam veritatem acuerant, quique, vt cum Isaiâ loquar, laborem parturiunt, & iniquitatem pariunt, plebis etiam ad certaminis spectaculum innumerabilis multitudo confluxisset, vt vtra pars victoriam adipisceretur, cognosceret, rhetorum vnus, qui omnibus doctrinâ præstabat, ad Nachorem dixit: Túne es ille vsque adeò audax, atq; in deos nostros contumeliosus Barlaam, qui charissimum regis filium in eiusmodi errorem coniecisti, eumque crucifixum colere docuisti? Respondit Nachor: Sanè, ego sum Barlaam, qui deos tuos, quemadmodum dixisti, nihili pendo: quique regis filium non in errorem conieci, sed errore liberaui, atque ad verum Deum adiunxi. Tum rhetor ille ad hunc modum locutus est: Quoniam magni & eximij viri, à quibus omnis sapientia & scientia inuenta est, sublimes deos atque immortales eos nuncupent, omnesq; orbis terræ reges & illustres viri ipsos colant ac venerentur, quonam modo ipse linguâ aduersus eos acuis, atque omnino eò audaciæ prorumpis, vt hæc proferas? Quonam item argumento probas eos deos non esse, sed eum qui cruci affixus est? Excipiens autem sermonem Nachor, rhetorem quidem illum nullo responso dignatus est: verùm cùm plebi silentium manu indixisset, atque os suum, tamquam illa asina Balaam, aperuisset, ea quæ dicere minimè instituerat, prolocutus est, aitque ad regem: Ego, rex, Dei prouidentiâ in mundum veni: conspectoque cælo, terrâ, mari, sole, ac lunâ, reliquisque eiusmodi rebus, earũ ornatum admiratus sum. Mundum autem, eaque omnia, quæ ipsius complexu continentur, necessariò moueri conspiciens, eum à quo mouetur & conseruatur, Deum esse intellexi. Etenim quidquid mouet, eo quod mouetur fortius est: & quod continet atque conseruat, fortius est eo quod continetur & conseruatur. Quocircà ipsum Deum esse dico, qui omnia procrea-

Transit Nachor ad partes filij.

Num. 22. *Psal. 63.* *Isaiæ 59.* *Disputationis initium.* *Nachoris oratio.* *Ex creaturis vnus Deus agnoscendus.*

procreauit atque conseruat, quique principij expers est, & sempiternus & immortalis, & nullâ re indigens, omnibusque perturbationibus ac defectibus sublimior, hoc est irâ & obliuione atque ignorantiâ, reliquisque omnibus rebus generis eiusdem. Per ipsum autem omnia coagmetata & concreta sunt. Nec verò sacrificiis aut libaminibus, aut vllâ aliâ re in aspectum cadente opus habet: verùm contrà omnes eo opus habent.

Psal. 15. Actor. 17.

Cap. xxvii.

His ita de Deo commemoratis, quemadmodum ipsius beneficio mihi de ipso loqui concessum est, ad humanum genus veniamus, vt quinam ipsorum veritatis, quinam erroris participes sint, conspiciamus. Illud enim, ô rex, inter nos constat, tria in mundo hominum genera esse, nimirum eos qui apud vos deorum cultores dicuntur, & Iudæos, & Christianos. Ac rursum eorum qui multos deos colunt, triplex genus esse, nempe Chaldæos, Græcos, & Ægyptios. nam hi reliquis nationibus plurium deorum cultus & adorationis duces ac magistri fuerunt. Quocircà quinam ipsorum in veritate, quinam in errore versentur, videamus. Ac Chaldæi quidem Deum ignorantes, post elementa aberrauerunt, resque conditas creatoris loco colere cœperunt: quarum etiam cùm formas quasdam effecissent, eas cæli, & terræ, & maris, & solis, ac lunæ, reliquorumque elementorum & siderum figuram appellarunt: easque res in templis conclusas adorant, ac deos appellant. Quos etiam diligenter ac studiosè seruant, ne à furibus surripiantur. Nec illud ipsis in mentem venit, quidquid seruat, eo quod seruatur maius esse, & item eum qui aliquid efficit, eo quod efficitur præstantiorem esse. Nam si ipsorum dij eâ imbecillitate sunt, vt saluti suæ consulere nequeant, quonam tandem pacto aliis salutem afferent? Itaque magno errore Chaldæi lapsi sunt, mortuas & vtilitatis expertes statuas venerantes. Atque etiam mihi mirari subit, ô rex, quonam modo ij qui apud eos philosophorum nomen obtinent, illud haudquaquam animaduerterint, elementa quoque interitui obnoxia esse. Quòd si elementa interitui omnino obnoxia ac subiecta sunt, qui tandem dij esse queant? Quòd si elementa dij non sint, quonam modo statuæ, quæ eorum nomine construuntur, dij erunt?

Tria in mundo religionis genera, Gentiles, Iudæi, Christiani.

Multorum deorum cultus ab Aegyptiis fluxit.

Elementa deos non esse.

Ad ipsa igitur elementa, ô rex, accedamus, vt ea deos non esse demonstremus, sed corruptioni ac mutationi subiecta, atque ex nihilo in ortum veri Dei iussu producta esse, qui quidem corruptionis & immutationis expers est, & inuisibilis, contraque ipse omnia cernit, & arbitratu suo immutat atque conuertit. Quid igitur de elementis dico?

Qui cælum deum esse arbitrantur, errant. Nam ipsum conuerti, ac necessariò moueri, atque ex multis rebus constare videmus: propterea enim κόσμος, id est mundus appellatur. Mundus porrò artificis cuiusdam constructio est. Quod autem constructum est, principium ac finem habet. At cælum vnà cum sideribus suis necessariò mouetur: siquidem astra certo ordine ac spatio impulsa, à puncto in punctum, partim occidunt, partim exoriuntur, certisque temporum spatiis iter suum obeunt, vt æstates & hiemes, quemadmodum ipsis à Deo imperatum est, efficiant. Nec leges sibi iuxta ineuitabilem naturæ necessitatem constitutas cum cælesti ornatu infringunt. Ex quo perspicuum est, cælum non deum, sed Dei opus esse.

Cælum deũ non esse.

Qui autem terram deam esse censent, errant. Videmus enim eam ab hominibus iniuriâ affici, & eorum imperio subiectam esse, effodi etiam & contaminari, atque inutilem fieri. Nam si igne torreatur, emoritur: siquidem ex testâ nihil oriri potest. Ac prætereà si imbribus nimiùm perfundatur, tum ipsa, tum ipsius fructus corrumpuntur. Quin ab hominibus reliquisque animantibus proculcatur, interfectorum sanguine inquinatur, effoditur, completur, cadauerum theca efficitur. Quæ cum ita sint, fieri non potest vt terra dea sit, sed res à Deo ad hominum vsum effecta.

Terram deam non esse.

Eodem modo, qui aquam deam esse putant, errant. Nam ea quoque ad hominum vsum procreata est, eorumque dominationi subest. Contaminatur etiam & labefactatur, & cùm igne cocta est, immutatur: alios atque alios subinde colores sumit, vtpote quæ & frigore concrescat, & ex cruore spurcitiem contrahat, & ad impurarum omnium rerum ablutionem adhibeatur. Ex quo liquidò constat aquam deam esse non posse, sed Dei opus.

Aquam deam non esse.

Iam verò, qui ignem deum esse arbitrantur, ipsi quoque errant. Etenim ignis ad hominum vsum creatus est, ipsorumque dominationi subest, & ab ipsis ad omnis generis carnes, partim elixandas, partim assandas, atq; etiam ad mortua corpora concremanda, è loco in locum circumfertur; atque insuper multis modis corrumpitur, & ab hominibus extinguitur: ac proinde ignis deus esse non potest, sed Dei opus.

Ignẽ deum non esse.

Ad eumdem etiam modum, qui ventorum flatum deum esse existimant, errant. Perspicuum enim est, ventum alteri inseruire,

Ventos deos non esse.

BARLAAM ET IOSAPH.

uire, atque hominum causâ ad transuehendas naues ac frumenta comportanda, reliquosque ipsorum vsus à Deo conditum esse. Huc accedit, quòd pro Dei iussu atque imperio tum augescit tum imminuitur. Quare fieri non potest, vt ventus deus sit, verùm Dei opus.

Solem deũ non esse.

Porrò qui solem deum esse putant, ipsi quoque errant. Siquidem eum necessariò moueri perspicimus, atque à puncto in punctum migrare & commutari, & occidere & exoriri, vt ad hominum vtilitatem stirpes & plantas calore afficiat: atque insuper eum diuisionem cum reliquis sideribus habere, ac multis partibus cælo minorem esse, luceque interdum defici, nec vllum imperium & principatum obtinere. Ex quo illud planum est, fieri non posse, vt sol deus sit, sed Dei opus.

Lunam deam non esse.

Consimili etiam modo ij, qui lunam deam esse opinantur, errant. Nam ipsam necessariò moueri & immutari videmus, atque à puncto in punctum migrare, & ad hominum vtilitatem nunc exoriri nunc occidere, ac sole minorem esse: augeri etiam atque imminui, ac deliquia interdum pati. Quare fieri non potest, vt luna dea sit, verùm Dei opus.

Hominem deum non esse.

Denique qui hominem deum esse arbitrãtur, errant. Nam eum necessariò moueri, & ali, & inuitum etiam senescere videmus, atq; interdum delectari, interdum mœrore affici, ciboque ac potu & veste indigere. Iracundum etiam atque inuidum esse, & libidine incitari, & pœnitentiâ duci, ac multis defectibus laborare. Verùm multis etiam modis corrumpitur, nimirum ab elementis, & animantibus, ac postremò à morte ipsi imminente. Ex quo efficitur, vt homo deus esse nequeat, sed Dei opus. Quocircà ingenti errore Chaldæi lapsi sunt, dum opinionum suarum commenta sequuntur. Elementa enim, in quæ interitus cadit, ac mortuas statuas venerantur, nec se in deorum numerum ea referre sentiunt.

Disputatio aduersus Græcos.

Ad Græcos iam veniamus, vt si quid fortè de Deo rectè sentiant, videamus. Græci igitur sapientiæ laudem sibi arrogantes, stultiores etiam Chaldæis se præbuerunt, complures videlicet deos inducentes, partim masculos, partim feminas, vitiosarum omnis generis affectionum ac scelerum architectos. Etenim ridicula, & stulta, & impia, ô rex, Græci induxerunt, eos qui non sunt, iuxta peruersas suas cupiditates deos appellantes: vt nimirum eos vitij patronos ac defensores habentes, adulteria perpetrent, rapiant, trucident, atque atrocissima quæque scelera committant. Nam cùm ipsorum dij huiusmodi flagitia designarint, quonam pacto ipsi quoque non eadem perpetrabunt? Ex his igitur erroris studiis & institutis, hominibus bella & cædes, atque acerbas captiuitates crebrò experiri contigit. Quin etiam, si de ipsorum diis sigillatim verba facere velimus, ingentem absurditatem perspecturus es.

De Saturno.

Siquidem Saturnum ipsi ante omnes deum inducunt, eique filios suos mactant. Qui quidem ex Rheâ multos filios habuit, quos etiam ipse furore percitus deuorabat. Aiunt autem Iouem ipsi genitale membrum abscidisse, atque in mare proiecisse: ex quo Venerem ortam esse fabulantur. Iupiter autem patrem suum vinculis constrictum, in tartarum præcipitem dedit. Vides errorem ac libidinem, quam aduersùs deum suum inuehunt. Num enim fieri potest, vt Deus catenis vinciatur, ipsique genitales partes amputentur? O singularem amentiam! Quis mente præditus hæc dixerit?

De Ioue.

Secundus Iupiter inducitur, quem in omnes deos suos regnum tenere aiunt, atque in varias animantium figuras immutari, vt mortalibus mulieribus stuprum inferat. Etenim eum in taurum sese immutasse tradunt, vt Europâ potiretur: in aurum, vt Danaę: in cygnum, vt Ledâ: in Satyrum, vt Antiopâ: in fulmen, vt Semelâ. Ac posteà multos ex iis filios extitisse, Bacchum scilicet, Zethum, Amphionem, Herculem, Apollinem, Dianam, Perseum, Castorem & Pollucem, Helenam, Minoëm, Rhadamantum, Sarpedonem, & nouem item filias, quas Musas nuncupant.

De Ganymede.

Ac demum de Ganymede sermonem inducunt. Hinc itaque, ô rex hominibus contigit, vt ad dei sui imitationem hæc omnia imitarentur, atque adulteri essent, & insano masculorum amore tenerentur, & alia horrenda flagitia perpetrarent. Quonam igitur modo fieri potest, vt Deus adulter sit, aut pædico, aut parricida?

De Vulcano.

Quin Vulcanum etiam quemdam deum esse tradunt, eumque claudum, malleumque ac forcipem tenentem, & ferrariæ arti victus causâ operam dantem. Ergo rerum penuriâ laborabat. Atqui à Deo abhorret, claudum esse, atque hominum ope indigere.

De Mercurio.

Adhæc Mercurium etiam nobis deum inducunt, qui cupidus sit, & fur, & auarus, & magus, & versipellis, ac sermonum interpres. Quod quidem item in Dei naturam minime cadit.

De Aesculapio.

Æsculapium insuper in deorum numero habent, qui medicus erat, & pharmaca confi-

conficiebat, atque emplastra, victus parandi caussâ (nam in egestate versabatur) componebat. pòst autem eum propter Tyndarei Lacedæmonij filium à Ioue fulmine percussum interiisse narrant. Quòd si Æsculapius, cùm deus esset, ac fulmine percuteretur, sibiipsi opitulari nequiuit, quî tandem aliis opem ferre poterit?

De Marte. Mars etiam ab iis deus belli studiosus & iracundus, ac pecudum aliarumq; rerum cupidus inducitur. Quem item posteà, cùm Venerem constupraret, à puero Cupidine ac Vulcano vinculis astrictum fuisse dicunt. Quî igitur deus is esse queat, qui cupiditate flagrat, ac bellis delectatur, adulteriumque perpetrat, ac vinculis constringitur?

De Baccho. Rursum autem Bacchum inter deos numerant, nocturna festa celebrantem, temulentiæ magistrum, aliorumque vxores abstrahentem, furore æstuantem, fugientem, ac postremò à Titanibus obtruncatum. Quòd si Bacchus cùm interimeretur, sibiipsi opitulari non potuit, verùm & furore præceps agebatur, & ebrietati studebat, & profugiebat, quonam pacto Deus esse queat?

De Hercule. Tum autem Herculem inducunt, qui se vino obruat, atque in furorem ruat, suosque filios iugulet, ac deinde flammis absumptus intereat. Quî autem Deus esse is queat, qui se vino obruit, ac liberos suos obtruncat, ignisque ardore conflagrat? Aut quo tandem modo aliis auxilio esse poterit, qui sibi auxilium afferre non potuit?

De Apolline. Præterea Apollinem inducunt, inuidiâ laborantem, atque arcum & pharetram, ac nonnumquam etiam citharam & tibiam tenentem, hominibusque quæstus caussâ vaticinia edentem. Egebat igitur. Atqui fieri non potest, vt Deus egeat & inuideat, & citharœdus sit.

De Dianâ. Eodem etiam modo Dianam ipsius sororem inducunt, venationi studentem, atq; arcum & pharetras habentem, solamque cum canibus vagantem, vt ceruum aut aprum intercipiat. Quonam igitur modo dea erit venatrix mulier, & cum canibus oberrans?

De Venere. Postremò Venerem etiam deam esse adulteram dicunt. Aliquando enim cum Marte concubuit, aliquando cum Anchise, aliquando cum Adonide, cuius etiam mortem deplorat, amasium suum requirens. Quin etiam eam ad inferos descendisse aiunt, vt Adonidem à Proserpinâ redimeret. Vidistìne vmquam, ô rex, dementiam hac maiorem? deam nimirum inducere, quæ adulterij crimine se obstringat, & ploret ac lamentetur.

De Adonide. Adonidem autem etiam deum venatorem inducunt, eumque ab apro percussum violentâ morte interiisse aiunt, nec in huiusmodi calamitate opem sibiipsi afferre potuisse. Quonam itaque pacto hominum curam geret adulter & venator, quique violentâ morte interiit?

Hæc omnia ac multa alia eiusmodi, adhuc fœdiora & sceleratiora, ô rex, de diis suis Græci inducunt, quæ nec dicere, nec memoriâ vllo modo vsurpare fas est. Vnde homines à diis suis occasionem arripientes, omne sceleris & libidinis atque impietatis genus perpetrarunt, horrendis flagitiis suis terram & aërem contaminantes.

Aduersus Aegyptios disputat. Aegyptij autem eos stultitiâ & stoliditate superantes, grauiùs quàm vllæ aliæ nationes aberrarunt. Neque enim Græcorum deos venerari satis habuerunt: verùm insuper bruta animantia, tam terrestria quàm in aquis degentia, tam stirpes quàm plantas in deorum numero habuerunt, atque omni insaniæ ac libidinis genere grauiùs quàm vllæ terræ nationes sese conspurcarunt. Antiquitus enim Isidem colebant, virum simul ac fratrem Osiridem habentem, qui à fratre suo Typhone obtruncatus est. *De Iside.* Eaque de caussâ Isis cum filio suo Oro in Byblum Syriæ fugit, Osiridem quærens, atque acerbè lamentans, quoad tandem Orus creuisset, ac Typhonem de medio sustulisset. Ergo nec Isis fratri suo ac viro suppetias ferre potuit, nec Osiris, cùm à Typhone trucidaretur, sibiipsi auxilio esse potuit, nec denique Typhon fratricida, cùm ei ab Oro & Iside exitium afferretur, seipsum à morte vindicare. Et tamen cùm hi ob huiusmodi calamitates ad hominum notitiam peruenissent, à stultis Aegyptiis dij habiti sunt.

Aegyptiorum impietas. Quin neque his aut reliquis Gentium numinibus contenti, bruta enim animantia inuexerunt. Nonnulli etenim ipsorum ouem, alij hircum, alij vitulum & suem, alij coruum & accipitrem, alij vulturem & aquilam, alij crocodilum: quidam felem, & canem, & lupum, & simiam, & draconem, & aspidem: alij cepas, & allia, & spinas, ceterasque res conditas coluerunt. Nec homines miseri nihil omnino virium his omnibus rebus inesse sentiunt. Nam cùm deos suos ab aliis hominibus & comedi, & igne cremari, & iugulari atque corrumpi videant, non tamen proinde eos deos non esse intellexerunt.

Quocircà magno errore tum Aegyptij, tum Chaldæi, tum Græci lapsi sunt, deos huiusmodi inducentes, atq; ipsorum statuas efficiẽtes, surdaq; & sensus expertia simula-

cra pro diis habentes. Ac demiror, quo pacto, cùm deos suos ab artificibus secari, & dolari, ac truncari, atque temporis longinquitate inueterascere & immutari, atque igne conflari cernerent, hinc eos minimè deos esse non animaduerterint. Nam qui in suæ salutis negotio nullam vim habent, quonam tandem modo hominum saluti consulent? At verò poëtæ ipsorum, & philosophi tam Chaldæorum quàm Ægyptiorum, cùm versibus suis ac litterarum monumentis deos suos exornare studuerunt, eorum ignominiam magis detexerunt, nudamq; omnium oculis proposuerunt. Nam cùm hominis corpus, quamuis alioqui multis partibus constet, nullum tamen membrorum suorum abiicit, verùm firmissimam cum ipsis omnibus coniunctionem habens, secum ipsum concordat, quî tandem in Dei naturâ tanta pugna & discordia futura est? Nam si vna Deorum natura esset, deus deum insectari, aut obtruncare, aut malo aliquo mulctare minimè debebat. Quòd si dij à diis vexati, & interempti, & spoliati, ac fulmine percussi sunt, non iam vna eorum natura est, sed distinctæ voluntates, atque omnes exitiosæ ac pestiferæ.

Mutua deorum inter se pugna, eos deos non esse ostēdit.

Ex quo concludendum est, neminem eorum deum esse. Perspicuum est igitur, ô rex, omnem eorum de deorum naturâ disputationem erroris plenam esse. Quonam autem pacto ij qui apud Græcos sapientiæ atque doctrinæ famâ floruerunt, illud minimè intellexerunt, eos qui leges tulerunt, suismet legibus iudicari? Nam si leges iustæ sunt, iniusti omnino ipsorum dij sunt, qui contra legum præscripta mutuò sese interfecerint, atque in veneficia, & adulteria, & furta, & præposteras libidines proruerint. Sin autem rectè fecerunt, leges certè iniquæ sunt, vtpote aduersus deos constitutæ. Nunc autem leges præclaræ ac iustæ sunt, vt quæ & virtutes laudent, & vitia prohibeant: deorum autem, quos ipsi colunt, iniqua sunt opera, quare iniqui etiam ipsorum dij sunt, omnesque impij ac morte mulctandi, qui eiusmodi deos inducunt. Nam si ea, quæ de ipsis litterarum monumentis prodita sunt, ficta & fabulosa sunt, nihil aliud sunt, quàm meri sermones: si autem naturalia, non iam dij sunt, qui hæc fecerunt ac perpessi sunt: quòd si allegorico sensu ea dicuntur, fabulæ sunt, ac nihil prætereà. Demonstratum est itaque, ô rex, hos omnes cultus, qui multis diis tribuuntur, erroris atque exitij opera esse, (neque enim deos appellare conuenit, qui videntur, ac non vident: verùm eum, qui cùm ipse cerni nequeat, omnia cernit,) Deumque, qui omnia condidit, colendum esse.

Veniamus igitur, ô rex, etiam ad Iudæos, vt quidnam ipsi quoque de Deo sentiant, videamus. Nam ipsi ab Abraham, Isaac, & Iacob oriundi, Ægyptum incoluerunt. Illinc autem Deus eos in manu potenti & brachio excelso, per Moysen ipsorum legislatorem eduxit, ac per multa prodigia & signa suam ipsis potentiam declarauit. Verùm ipsi quoque perfidos atque ingratos sese præbentes, Gentium deos sæpenumerò adorarunt, prophetasque ad se missos ac iustos viros morte affecerunt. Ac deinde, posteaquam ita Dei voluntas tulit, vt Filius suus in terram veniret, eum contumeliâ affectum, Pontio Pilato Romanorum duci tradiderunt, crucisq; supplicio condemnarunt, nullâ videlicet ipsius beneficiorum atque innumerabilium miraculorum, quæ inter ipsos designarat, habitâ ratione, suoque scelere perierunt. Nam nunc quoque, solum quidem omnipotentem Deum colunt, sed non secundùm scientiam. Siquidem Christum filium Dei negant, Gentilibusque similes sunt, etiamsi ad veritatem, à quâ procul se remouerunt, propiùs aliquanto accedere videantur. Ac de Iudæis hactenus.

Aduersus Iudæos disputat.

Rom. 10.

At Christiani à Domino nostro Iesu Christo doctrinæ suæ originem ducunt. Hic autem Dei altissimi Filius in Spiritu sancto creditur. Qui quidem humanæ salutis caussâ de cælo descendit, atque ex sanctâ Virgine genitus est, ac sine semine & corruptione carnem suscepit, hominibusque apparuit, vt eos à falso multorum deorum cultu reuocaret. Atque admirandâ incarnationis suæ dispēsatione perfunctus mortem sponte, atque ingenti quodam consilio, per crucem degustauit. Triduo autem pôst resurrexit, atque in cælos ascendit. Cuius præsentiæ gloriam ex Scripturâ, quæ apud eos Euangelica vocatur, si eam legere in animum induxeris, perspicere licet, ô rex. Hic duodecim discipulos habuit, qui post ipsius in cælum ascēsum in orbis terræ prouincias exierunt, ipsiusq; augustam amplitudinem promulgarunt: quemadmodum etiam vnus ex ipsis regiones nostras peragrauit, vt veritatis dogmata prædicaret: vnde etiamnum ij, qui prædicationis eorum iustitiæ administram operam nauant, Christiani appellantur. Atque hi sunt, qui veritatem supra omnes terræ nationes inuenerunt. Siquidem Deum rerum omnium conditorem atque architectum in Filio vnigenito & Spiritu sancto agnoscunt, nec præter eum vllũ alium Deum venerantur. Habent autem Domini Iesu Christi manda-

Christianorum doctrina.

Thomas in Indiam profectus est.

Suprà c. 1.

Verorum Christianorum nota. mandata cordibus suis insculpta, eaque custodiunt, mortuorũ resurrectionem ac futuri sæculi vitam exspectantes. Non adulterij, non fornicationis crimine sese deuinciunt, non falsum testimonium dicunt, aliena non concupiscunt, patri & matri honorem tribuunt, proximos amant, iustum iudicium ferunt; quæ sibiipsis fieri nolunt, aliis non faciunt; eos, à quibus læduntur, obsecrant, ac sibi eorum amicitiam conciliant. Inimicos beneficiis afficere student, lenes & faciles se præbent, ab omni iniquo concubitu atque ab omni impuritate abstinent, viduam non contemnunt, pupillo mœrorem non inferunt, qui habet, non habenti prolixè subministrat. Peregrinum si viderint, tecto admittunt, eiusq; non secùs ac veri & germani fratris aduentu delectantur. Non enim carnis, sed animi ratione fratres se vocant. Vitam suam Christi caussâ profundere parati sunt: nam ipsius præcepta firmè obseruant, sanctè videlicet ac iuste, quemadmodum Dominus Deus ipsis imperauit, *Ephes. 5.* viuentes: gratias ipsi omni horâ in omni cibo & potu, ac reliquis bonis agentes. Verè enim hæc veritatis via est, quæ quidem eos qui eam ingrediuntur, ad sempiternum regnum, quod à Christo in futura vitâ promissum est, tamquam porrectâ manu ducit.

Atque vt intelligas, ô rex, me hæc ex cerebro meo minimè fingere, si ad Christianorum scripturas oculos adieceris, me nihil à veritate alienum loqui reperies. Quare præclarè filius tuus intellexit, optimoque iure Deo viuo cultum adhibere didicit, vt in futuro æuo salutem obtineat. Magna etenim atque admiranda sunt, quæ à Christianis tum dicuntur tum geruntur. Neque enim hominum, sed Dei verba proloquuntur, reliquæ autem nationes errant, ac sibiipsis imposturam faciunt: siquidem in tenebris ambulantes, ebriorum instar in seipsos impingunt. Atque hic sit, ô rex, meæ ad te orationis finis, quam quidem veritas in mente meâ dictauit. Desinant itaque væcordes tui sapientes aduersus Dominum nugari. Nam vobis Deum creatorem venerari, atque ipsius verbis ab interitu alienis aurem accommodare expedit, vt condemnationem ac supplicium effugientes, vitam interitus expertem hereditariò possideatis.

Cap. XXVIII.

Muti stãt, qui à parte regis. Hæc posteaquam à Nachore commemorata sunt, rex iracundiâ æstuabat: rhetores autem ipsius & sacerdotes muti stabant, vt qui nihil contrà, præter infirmos quosdam ac nullius momenti sermunculos afferre possent. At verò regis filius spiritu exultabat, atque hilari vultu Dominum celebrabat, qui iis quorum fiducia in ipso posita est, in rebus perplexis & impeditis exitum dat, quique etiam per inimicum & hostem veritatem confirmabat, efficiebatque vt & qui erroris antesignanus erat, rectæ doctrinę patronum se præberet.

Rex porrò, quamuis alioqui Nachori vehementer irasceretur, nullo tamen eum malo afficere potuit, propterea quòd lege coram omnibus antè promulgatâ, ei pro Christianis liberè verba facere permisisset. Cęterùm ipse persæpè sermonibus ipsius obluctans, eum per signa quædam admonebat, vt illam pugnandi acrimoniam remitteret, atque rhetorum disputationi manus daret. At ille vehementiùs inualescebat, omnes ipsorum propositiones atque argumenta refutans, errorisque, quo tenebantur, fraudem ac fallaciam detegens. Cùm autem pænè ad vesperam vsque disputatio producta fuisset, rex concionem solui iussit; tamquam scilicet postridie rursum de hac re agitari vellet.

Iosaphat autem regem ita est allocutus: *Iosaphat à patre Nachorem socium postulat.* Vt primò iustè omnia geri iussisti, ô rex, ita iustitiæ quoque finem impone, duorum alterum faciens, nempe vt vel magistrum meum hac nocte mecum manere permittas, vt de his rebus, de quibus crastinâ die cum iis qui nos bello lacessent, verba facienda sunt, vnà dispiciamus, ac tu item tuos assumens, arbitratu tuo cum illis ea quæ in rem futura videbuntur, mediteris: aut tuos mihi hac nocte concedens, meum accipe. Quòd si vtrique apud te sint, meus nimirum in afflictione & metu, tui autem in lætitiâ & animi remissione, æquum mihi iudicium istud esse non videtur, sed principatus licentia, & pactorum violatio. Rex itaque huius orationis lepôre victus, assumptis sapientibus & sacerdotibus suis, Nachorem filio concessit, hac nimirum spe fretus, fore, vt ea quæ pollicitus fuerat, præstaret.

Iosaphat secum Nachorem abducit. Regis itaque filius in palatium suum proficiscitur, non secùs atque Olympicus quidam victor superatis aduersariis, secum Nachorem habens. Quem cùm remotis arbitris acciuisset, his ad eum verbis vsus est: Ne me, qui sis, ignorare existimes. Certissimum enim habeo te diuinissimum Barlaamum haudquaquã esse, verùm Nachorem Astrologum. Ac miror, quid vobis in mentem venerit, vt huiusmodi fabulam fingeretis, atque hoc vobis persuaderetis, vos eas clarissimâ die oculis meis tenebras obiecturos esse, vt pro oue lupum acciperem. Verùm non abs re prouerbio fertur, Cor stulti vana cogitare. Atque hæc quidem cogitatio & consilium vestrum rancidum sanè ac prorsus stolidum erat, opus autem quod ipse egisti, omni prudẽtiâ & sagacitate plenum est,

ac

ac propterea gaude, ô Nachor,& exulta.

Agit gratias quòd pro veritate fuerit.

Multas enim tibi hoc nomine gratias habeo, quòd veritatis patrocinium hodierno die suscepisti, nec sceleratis verbis ac versutâ simulatione labia tua contaminasti: quin potiùs ea multis sordibus expurgasti, falsorum nimirum deorum errore confutato, atque Christianorum dogmatum veritate confirmatâ. Ego verò duplici de caussâ, vt te mecum adducerem, operam dedi: altera, ne te rex priuatim tenens, supplicio afficeret, propterea quòd non ea es locutus, quæ ipsi grata essent: altera, vt hodierno tuo beneficio gratiam tibi rependam. Quonam autem tandem pacto istud? Nimirum te admonens, vt à prauâ & periculosâ hac viâ, quam ad hunc vsque diem tenuisti, deflectas, ac rectam & salutarem semitam ingrediaris: quam quidem non ignorans, sed sponte malum amplectens, effugisti, in iniquitatis barathra & præcipitia teipsum impellens. Intellige itaque, ô Nachor, cùm prudens & sagax sis, ac Christum solum, & vitam apud ipsum abstrusam elucrari stude, fluxis his & caducis contemptis ac pro nihilo habitis. Non enim in æternum viues; sed cùm mortalis sis, iam iamque hinc abiturus es, quemadmodum & omnes, qui ante te extiterunt. Atque, ô te miserum! si, vbi iustum iudicium, ac iusta operum merces est, grauem peccati sarcinam tecum ferens abeas, nec eam priùs abieceris, cùm abijcere procliue sit.

Nachor itaque ob huiusmodi sermones animo compunctus, his verbis vsus est: Rectè dixisti, ô rex, rectè inquam. Nam ipse quoque verum & ab omni mendacio alienum Deum, per quem omnia facta sunt, noui: atque item futurum iudicium scio, ex multis videlicet Scripturæ sacræ verbis id edoctus: verùm improba consuetudo, atque antiqui supplantatoris versutia cordis mei oculos cæcauit, densasque animo meo tenebras offudit. Nunc autem ad verbum tuum abiecto tenebroso velamine, ad vultus Dominici lucẽ accurram: fortasse enim mei miserebitur, pœnitentiæq; ianuam mihi improbo ac rebelli seruo aperiet. Quamquam mihi fieri non posse videtur, vt peccatorum meorum, quę arenâ grauiora sunt, & eorum, quæ tum sciens tum ignorans perpetraui, veniam obtineam.

Nachor serio resipiscit.

Hac oratione auditâ, regis filius statim exurgit, atque animo incalescit, animumq; Nachoris ad desperationem propendentem recuperare atque erigere incipit. Nulla enim, ô Nachor, inquit, nulla de hac re dubitatio animum tuum subeat. Scriptum est enim, posse Deum etiam ex his lapidibus excitare filios Abrahæ. Quod quidem, vt aiebat pater Barlaam, quid aliud est, quàm quòd homines deploratæ improbitatis, atq; omni iniquitatis genere contaminati, salutem consequi possint, Christique filij effici: qui pro suâ summâ & incredibili humanitate omnibus sese ad meliorem frugem recipientibus cælestes portas patefecit? Neque enim cuiquam omnino salutis aditum præclusit: verùm eos, quos scelerum pœnitet, misericordi animo suscipit; ob eamq; caussam iis, qui horâ primâ, & tertiâ, & sextâ, & nonâ, & vndecimâ ad vineam accesserunt, æqua merces attribuitur, quemadmodùm Euangelicis scriptis proditum est. Ac proinde etiamsi ad hunc vsque diem in peccatis consenueris: tamen si feruenti animo accedas, eadem quæ ij qui ab adolescentiâ certamen subierunt, præmia consequêris. Hæc & multa alia cùm diuinissimus iuuenis ad Nachorem in malis inueteratum de pœnitentiâ locutus fuisset, ipsique veniam spopondisset, Christumque facilem ac propitium ipsi fore promisisset, illudque pro certo affirmasset, eum pro suâ bónitate semper peccatoris pœnitentiam suscipere paratum esse, ægram ipsius animam, tamquam medicamentis quibusdam emolliens, ipsum prorsus in sanitatem asseruit.

Illum Iosaphat in spem erigit.

Ioan. 8.

Matth. 20.

Nachor Iosaphat ad constantiã hortatur.

Statim enim ad eum Nachor dixit: Tu quidem, ô animo etiam quàm corpore nobilior, qui admirabilibus his mysteriis præclarè imbutus es, ad extremum vsq; in præclarâ confessione velim maneas: nec eam aut vllum tempus, aut vllus modus è tuo pectore euellat. Ego autem hac ipsâ horâ proficiscar, vt salutem meam quæram, mihique Deum, quem ad iram prouocaui, per pœnitentiam propitium ac facilem reddam. Non enim posthac, nisi tibi aliter videatur, regis faciem conspiciam. Ingenti autem animi lætitiâ affectus regis filius, atq; hunc sermonem libenter excipiens, ipsum complectitur & exosculatur, attentisque ad Deum fusis precibus, eum è palatio emittit.

Nachor abit in eremum.

Egressus autem Nachor, animo compunctus in densissimam solitudinem cerui instar prosiliit, atque in monachi cuiusdam, qui sacerdotij dignitate ornatus erat, speluncam se cõfert: in quâ ille propter imminentem metum delitescebat. Atq; ante ipsum feruentissimo pectore humi sese prouoluit, ipsiusq; pedes, instar videlicet veteris illius meretricis, lacrymis perfundit, ac diuinum Baptismum exposcit. Sacerdos itaque, vtpote diuinâ gratiâ plenus, ingẽtem animo voluptatem cepit, eumque confestim, vt mos ferebat, per dies haud paucos Christianæ fidei rudimentis institutum, diuino

Luc. 7.

Baptizatur.

Bapti-

Marc vlt. Baptismate perficit in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Mansit auté cum illo Nachor, perpetuâ ob ea peccata quæ perpetrarat, pœnitudine ductus, Deúque benedicés, 2. Pet. 3. Ezech. 18. qui neminem perire vult, verùm omniũ resipiscentiam exspectat, atque eos qui pœnitentiam agunt, humanè ac benignè excipit.

Regij animi anxietas. Rex autem, cùm de Nachoris rebus manè certior factus fuisset, ac spe suâ excidisset, & prætereà sapientes suos ac stolidos oratores nullo negotio superatos fuisse conspexisset, in magnâ animi anxietate versabatur: eosque cùm graues priùs contumelias ac dedecora ipsis intulisset, ac nonnullos etiam bubulis neruis atrocem in modum lacerasset, ipsorúmque oculos fuligine illeuisset, à se ablegauit. Ipse autem falsorum deorum imbecillitatem damnare incœpit: etiamsi alioqui nondum ad Christi lucem plenè ac perfectè oculos coniicere in animum induceret. Etenim densa caliginis nubes ipsi vndique affusa, cordis ipsius oculos adhuc tenebat. Ceterùm non iam sacerdotes suos in honorem habebat, nec festa & libamina simulacris suis peragebat, verùm animo in vtramque partem vacillabat: hinc nimirum deorum suorum imbecillitatem improbans, illinc autem Euangelicæ vitæ sinceritatem reformidans, prauaque consuetudine ita constrictus, vt ab eâ vix auelli posset. Siquidem corporearum voluptatum seruituti maiorem in modum addictus erat, vitiosisque affectionibus prorsus operam dabat, captiui instar ductus, atque absque vino, vt Isaiæ verbis vtar, ebrius, Esaiæ 51. & ab improbâ consuetudine tamquam fræno quodam retractus.

Cùm igitur rex cum duplici cogitatione ad hunc modum luctaretur, nobilissimus ipsius filius, ac verè regio animo præditus, in suo palatio quietus degebat, naturæ suæ generositatem, modestiamque & constantiam per opera cunctis declarans. Nam theatra & equorum certamina, & venationum exercitationes, & inania omnia iuuenilis ætatis studia, & imposturas quibus stulti animi deliniuntur & inescantur, nihili omnino ducebat: verùm ex Christi mandatis omnino pendebat, ac diuino amore sauciatus, eum expetebat, qui verè expetendus est, totus suauis ac totus desiderabilis, atque eiusmodi, vt sine vllâ saturitate expetatur. Cant. 5.

In memoriam autem rediens magistri sui Barlaam, atque ipsius vitam sibi ante oculos proponens, ipsius amore animum suum demulceri sentiebat, ac quonam pacto ipsum videret, summo studio curabat: atque ipsius sermones sine vllâ intermissione in corde suo circumferens, erat tamquam arbor secùs aquarum decursus plantata, perpetuóque irrigata, ac tempestiuos domino fructus afferens. Multas enim animas è diaboli laqueis eripuit, Christóque seruatas obtulit: siquidem multi ad eum sese conferentes, salutaribus sermonibus fruebantur. Ex quibus non pauci, fugâ relicto errore, ad salutarem doctrinam accurrebant. Alij autem rebus huius vitæ longùm valere iussis, monasticam palæstram capessebant. Ipse Iosaphat orationibus vacabat & ieiuniis. autem orationibus & ieiunijs operam dabat, idemtidemque hanc vocem ad Deum mittebat: O Domine mi, ô Domine mi ac Rex, cui ego credidi, ad quem ego profugi, atque errore liberatus sum, dignam famulo tuo Barlaamo mercedem repende, pro eo quòd mihi oberranti, te, qui via, vita, & Ioan. 14. veritas es, demonstrauit. Ac mihi hoc concede, vt rursum illum in corpore angelum, quo mundus dignus non est, conspiciam, Heb. 11. atque cum eo, quod mihi vitæ superest, conficiam, vt vitæ ipsius vestigijs insistens, tibi Deo ac Domino placeam.

Eo autem tempore publicum falsorum CA. XXIX. deorum festum in vrbe illâ erat. Regem porrò huic festo interesse, ac copiosissimis victimis illud exornare oportebat. Verùm cùm sacerdotes ipsum in deorum cultu segnem ac tepidum esse conspicerent, id verebantur, ne ad templum venire negligeret, sicque ipsi muneribus ijs, quę à rege accipere consueuerant, ceterisque prouentibus orbarentur. Surgentes itaque, ad speluncam quamdam in vastissima solitudine sitam proficiscuntur, in quâ vir quadam magicis artibus deditus, atque falsi idolorum cultus acerrimus propugnator habitabat, Theudas Theudas magus ab impiis sacerdotibus accersitur. nomine, quem etiam rex singulari honore complectebatur, charúmque magistrum existimabat, ipsius nimirum vaticinijs regnum suum omnium rerum copiâ florere, atque in dies augeri dicens. Cùm igitur sacerdotum cultores ad ipsum venissent, eius opem atque auxilium implorabant: eique deorum improbationem, in quam rex inciderat, exponebant: quæque regis filius fecisset, & quemadmodum Nachor ad ipsius voluntatem atque sententiam concionem habuisset. Ac nisi tu ipse venias, inquiebant, nobisque opem offeras, spes omnis extincta est, omnisque deorum cultus ac veneratio perijt. Nam tu vnicum nobis calamitatis solatium relictus es, atque in te vno spes omnes nostras positas habemus.

Theudas itaque cùm satanico eo exercitu, quem secum habebat, in expeditionem Theudas ad regem se confert. pergit, atque aduersus veritatem arma comparat: accitis nimirum multis prauis spiritibus, quos ad res improbas promptè ac liben-

libenter auxiliarem manum afferre norat, & quos ipse semper ministros adhibuerat, his comitatus ad regem accedit.

Vt autem ipsius aduentus regi nuntiatus est, atque ipse palmarum virgam manu tenens, ouinaque pelle indutus ingressus est, rex è throno suo exsiliit, ipsiq; obuiàm prodiit, eumque osculatus est. Cumque cathedram afferri iussisset, ipsum prope se collocauit. Posteaq; Theudas his ad regem verbis vtitur: Rex in æternum viue, maximorum deorum fauore ac beneuolentiâ septus. Ad me enim allatum est, te ingens certamen aduersus Galilæos iniisse, ac luculentissimam palmam retulisse. Eoque nomine huc veni, vt ad edendam grati animi significationem, festum vnà celebremus, atque eleganti formâ præditos adolescentes ac formosas puellas diis immortalibus immolemus, taurosque centum, ac plurima alia animalia ipsis offeramus: quò eos quoque in posterum inuictos adiutores habeamus, qui nobis vniuersum vitæ curriculum planum & æquabile reddant.

Theudæ ad regem impudens oratio.

Ad hæc rex: Minimè verò, inquit, ô senex, vicimus, minimè inquam vicimus: verùm nullo potiùs negotio victi sumus. Nam qui à nobis stabant, repentè aduersum nos extiterunt, ac velut furore & insaniâ laborantem atque imbecillam nostram aciem nacti, prorsus eam fregerunt ac prostrauerunt. Nunc autem, si qua tibi facultas & vis suppetit, quâ tu humi iacenti religioni nostræ opitulari, eamq; rursùm excitare queas, velim exponas. Theudas autem regi ad hunc modum respondit: Galilæorum contentiones atque inanes sermones, ô rex, minimè pertimesce. Quæ enim sunt ea, quæ ab ipsis afferuntur, quantum quidem ad viros ratione ac prudentiâ præditos attinet? Meo quidem iudicio faciliùs deiicientur, quàm folium à vento excussum. Neque enim vel conspectum meum sustinebunt, tantum abest vt sermones conferant, atque ad mecum disputandum pedem conferant. Ceterùm, vt & propositum istud certamen, & quidquid aliud in animo habuerimus, recto cursu feratur, resque nobis ex animi sententiâ succedant, fac publicum hoc festum exornes, deorumque beneuolentiam, tamquam firmissima quædam arma induas, ac tum fausta omnia habiturus es. Hæc cùm ille iactasset, qui, vt cum Dauide loquar, in malitiâ potens erat, atque iniquitatem totâ die meditabatur, turbidamque, vt Isaiæ verbis vtar, subuersionem amico suo propinabat, improborum spirituum, quos ipse comites habebat, ope atque adiumento perfecit, vt rex cogitationes

Psal. 51.

Memoriæ lapsus: est 2. Habac.

eas, quæ ipsum salutis submonebant, prorsus è memoriâ eiiceret, eisdemque, quibus solebat studiis sedulò hæreret. Ac proinde cùm regiæ litteræ quaquauersum commeassent, quibus omnes ad execrandum deorum festum conuenire iubebantur, cernere erat ingentem hominum multitudinem confluentem, atque oues & boues, variaque animalia secum adducentem.

Cùm igitur omnes coiissent, surgens rex, vnà cum impostore Theudâ ad templum profectus est, vt tauros ac permulta animâtia immolarent. Sicq; nefarium & execratione dignum festum celebrabant: adeò vt & brutorum animantium mugitibus tota vrbs personaret, & victimarum nidore ipse quoque aër inficeretur. His ad hunc modum confectis, cùm improbi spiritus de Theudæ victoriâ maiorem in modum gloriarentur, sacerdotesque gratias ipsi habuissent, rex rursum ad palatium se recepit, aitque ad Theudam: En quemadmodum iussisti, nihil omnino studij à me prætermissum est, quod quidem ad festi splendorem, & sacrificiorum magnificentiam pertineret. Iam itaque tempus est, vt quæ mihi promisisti expleas, filiumq; meum, qui à religione nostrâ desciuit, à Christianorum errore vindices, ac cum benignis diis in gratiam reducas. Nam ego cùm artem omnem adhibuerim, atque omnem lapidem mouerim, nullam tamen morbi medicinam reperi, sed ipsius mentem omnibus rebus superiorem esse perspexi. Nam si blandè ac leniter cum eo agere institui, ne sic quidé eum mihi vllo modo animum adiicere comperi. Rursùm si seuerè atque acerbè eum accepi, in peruicaciam potiùs inde ipsum attolli conspexi. Quamobrem calamitatem eam quæ mihi accidit, sapientiæ tuæ committo. Ac siquidem ea, ope tuâ & auxilio liberatus, filium meum mecum rursus deos meos colentem, atque voluptuariæ huius vitæ cupiditatibus ac regni voluptatibus fruentem videro, auream tibi statuam erigam, efficiamque vt posthac in sempiternum idem tibi qui diis honor à cunctis tribuatur.

Rex cum Theudâ diis sacrificat.

Theudas igitur attentam aurem diabolo subiiciens, atque ab illo improbum ac pestiferum consilium edoctus, ipsique linguæ atque oris operam nauans, ad regem ait: Si filium tuum in potestatem tuam redigere, ipsiusque in pugnando peruicaciam inanem reddere cupis, ars à me excogitata est, cui obluctari nullo modo poterit, verùm durus ipsius animus faciliùs emollietur, quàm cera ingenti rogo admota. Rex itaque vanum hominem inani tumore inflatum videns, ad voluptatem statim animique lætitiam sese con-

conuertit, ſperans videlicet, petulantem illam & audacem linguam animum diuinitus edoctum ac philoſophiæ plenum ſuperaturam eſſe. Cumque, quænam illa ars eſſet, ex eo ſciſcitaretur; tum Theudas, tamquam nouacula acuta dolum contexit, callideque pharmaca comparat. Atque improbam technam, diabolique conſilium, quæſo, perſpice. Omnibus, inquit, ô rex, qui filio aſtant atque inſeruiūt, ab eo procul diſiunctis, pulchrâ & perquã eleganti formâ præditas mulieres, atque ad pelliciendos animos adornatas, cum eo perpetuò verſari, ipſique miniſtrare, vitæque conſuetudinem & contubernium cum eo habere iube. Ego autem vno ex iis ſpiritibus, quos ad res huiuſmodi comparaui, ad eum poſteà ſubmiſſo, acriorem voluptatis ignem excitabo. Ac ſimulatque vel cum vnâ ſolâ huiuſmodi mulierculâ rem habuerit, niſi tibi omnia ex animi ſententiâ fluant, erit iam cur me contemnas, atq; vt nullius vſus hominem, non honoribus, ſed maximis ſuppliciis afficiendum ducas. Nihil enim maſculorum animos perinde allicere ac demulcere ſolet, vt feminarum conſpectus. Atque vt ſermonibus meis fidem adhibeas, hiſtoriam hanc velim audias.

Pſal. 67.

Suadet Theudas dandas filio in miniſterium feminas pulchras.

Cap. xxx. Theudas fabulam narrat.

Rex quidam cùm maſculâ prole careret vehementer animo angebatur, eamque calamitatem haud paruam exiſtimabat. Hoc igitur cùm ſtatu eſſet, filium in lucem edidit: eoque nomine ſummâ voluptate perfuſus eſt. Dixerunt autem ad eum eruditi quidam medici, fore, vt ſi puer intra duodecim annos ſolem aut ignem videret, lumine prorſus otbaretur; id enim ex oculorum ipſius ſitu deſignari. Quæ cùm pater audiiſſet, cubiculum quoddam obſcurum ex rupe quadam condidiſſe, filiumque illic vnà cum nutricibus incluſiſſe fertur, nec ante duodecim annos exactos vllum omnino ipſi lucis ſplendorem oſtendiſſe. Confecto autem huiuſmodi temporis curriculo, filium, qui nihil omnino rerũ mundanarum ad hunc vſque diem perſpexerat, ex hoc cubiculo educit: ac tum ipſi omnia, iuxta ſuum quodque genus exhiberi ac demonſtrari iubet, viros nimirum in vno loco, in alio feminas, aliunde aurum, aliâ ex parte argentum, vniones & lapides exquiſiti pretij, veſtes luculentas & elegantes, currus inſigni pulchritudine ſimul cum regiis equis aureo fræno inſtructis, cum aulæis purpureis, ac ſeſſoribus armatis, boum item armenta, & pecudum greges: atque, vt ſummatim dicam, omnia certo ordine puero demonſtrabat. Percontante autem eo, quonam ſingulæ res nomine appellarentur; regis ſatellites ac ſtipatores vniuſcuiuſque nomen exponebant. Cùm autem mulierum nomen ſcire cuperet, tum regis armiger lepidè ac feſtiuè, dæmones eas appellari dixit, à quibus hominum mentes in errorem traherentur. Pueri autem pectus earum amore atque cupiditate vehementiùs quàm vllius alius rei deſiderio illectum ac delinitum eſt. Cùm igitur omnibus rebus peragratis ad regem eum adduxiſſent, ac rex ex ipſo, quidnam ex omnibus rebus quas vidiſſet ipſi magis arrideret, quæſiuiſſet: Quid, inquit, aliud quàm dæmones illi, qui homines in fraudem inducunt? Neque enim vllius rei ex his omnibus quas hodierno die vidi, perinde atque eorum amore animus meus incenſus eſt. Atque hunc pueri ſermonem rex ille admiratus eſt, quamque violenta ac tyrannica res feminarum amor eſſet, hinc iudicauit. Quocircà tu quoque non vllâ aliâ ratione, quàm iſtâ, te filium tuum in poteſtatem redacturum putes.

Quid amor feminæ.

Rex hoc conſilium excipit, atque confeſtim ad eum delectæ puellæ præſtanti atque egregiâ formâ inducuntur. Quas etiam cùm ipſe eleganti ornatu illuſtraſſet, atque omnino ad pelliciendum iuuenis animum inſtruxiſſet, omnes ipſius famulos & miniſtros è palatio eiicit, eaſque in eorum locum ſubſtituit. Hæ itaque ipſi vndique hærebant, eumque complectebantur, atque ad nefarium concubitum extimulabant, per omnes videlicet geſtus ac ſermones ipſum ad voluptatem prouocantes. Neminem alium habebat quem conſpiceret, cum quo colloqueretur, aut cœnaret; ipſæ enim omnia ipſi erant. Atque hæc quidem rex faciebat. Theudas autem rurſum ad peſtiferam ſuam ſpeluncam profectus, libros, qui res huiuſmodi efficere poterant, in manus ſumit: euocatumque vnum ex improbis ſpiritibus ad Chriſti militem bello laceſſendum emittit, neſciens ſcilicet miſer ille, quantum ſui riſum excitaturus, quantamque ſimul cum vniuerſâ ſuâ diabolicâ cohorte infamiæ notam ſubiturus eſſet. Improbus autem ſpiritus, aliis inſuper nequioribus ſpiritibus aſſumptis, ad generoſi adoleſcentis cubiculum ſe confert, in eumque impetum facit, vehementiſſimam carnis fornacem ſuccendens. Ac diabolus quidem internas ipſi flammas admouebat, puellæ autem, vt corporis pulchritudine inſignes, ſic animo deformes improbam materiam externè ſuppeditabant.

Puellæ ad Ioſaphat introducuntur.

Theudas eidem mittit ſpiritũ fornicationis.

At verò pura illa anima peſtiferi ſpiritus impetum agnoſcẽs, ac præpoſterum cogitationum bellum, quod magno ac vehemẽti

d aduer-

BARLAAM ET IOSAPH.

aduersum se impetu veniebat, conspiciens, perturbabatur, tantóque malo liberari, purúmque sese Christo exhibere cupiebat, nec sanctam illam stolam, quâ eum Baptismi gratia induerat, libidinis cœno contaminare. Confestim itaque amori amorem, hoc est impudico diuinum opponit, sibique pulchritudinem illam ac gloriam omni sermone præstantiorem, quam puræ animæ in Christi sponsi nuptiis, ex quibus illi qui nuptialem tunicam conspurcarint, eijcientur, vinctisque manibus & pedibus in exteriores tenebras protrudentur, habituræ sunt, in memoriam reuocat. Hæc cum animo suo considerans, & lacrymas profundens, pectus verberabat, improbas illas cogitationes, non secùs ac fucos quosdam in fugam vertens. Deinde surgens, ac manus attollens, calentibus lacrymis ac gemitibus Dei opem atque auxilium implorabat, iisque verbis vtebatur: Omnipotens Domine, qui solus viribus polles, atque ad misericordiam procliuis es, Domine inquam, spes desperatorum & eorum qui auxilio carent, mei, quæso, inutilis tui serui nunc recordare, facilique ac propitio oculo me intuere, animamque meam à diabolicâ frameâ eripe, ac de manu canis vnicam meam: nec me in hostium meorum manus incidere permittas. Non supergaudeant mihi, qui oderunt me iniquè: nec me in iniquitatibus corrumpi sinas, corpusque meum, quod tibi castum exhibere promisi, probro & contumeliâ afficere. Te enim concupisco, teque adoro, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in sæcula.

Amori impudico amorem diuinum obiicit Iosaphat.

Matth. 22.

Orat Iosaphat aduersus ingruentem carnis tentationem.

Psal. 21.

Psal. 34.

A Deo accipit solatium.

Cumque Amen subiunxisset, diuinam consolationem cælitus ipse sibi aduenire sensit, atque improbæ cogitationes sese subduxerunt. Ipse autem ad matutinum vsque tempus in precibus perstitit: intellectisque versipellis hostis technis atque artibus, corpus suum tum cibi penuria, tum siti aliisque afflictionum generibus premere cœpit, in orationibus erecto corpore pernoctans, sibique ipsi pacta ea quæ cum Deo inierat, in memoriam reducens, atque tum eorum qui iustitiam coluerint, futurum splendorem animo & cogitatione informans, tum denuntiatam improbis gehennam apertè sibi ob oculos proponens. Quod scilicet eâ de caussâ faciebat, ne hostis inertem ac solutam ipsius animam nactus, prauas cogitationes ipsi nullo negotio insereret, animique ipsius puritatem turbaret & inficeret. Cùm igitur hostis omnino mente concideret, seque strenuum iuuenem deiecturum prorsus diffideret, ad aliam callidiorem fraudem sese confert (vt qui semper malus sit, nec vmquam aliquid moliri, atque incommodum aliquod & detrimentum afferre intermittat) in id omni studio incumbens, vt quæ sibi à Theudâ mandata fuerant, exequatur. Itaque rursus huiusmodi pharmaca comparat.

Ad iuuenem enim ex puellis illis vna omnium formosissima ingreditur, quæ etiam regis cuiusdam filia erat, captiuaque à patriâ suâ abducta, regi Abenner, præstantissimi cuiusdam muneris instar, oblata fuerat: quam pater, vt eximiâ pulchritudine præditam, ad labefactandum ac deijciendum filij animum miserat. Hanc impostor ille subit, ipsique eiusmodi sermones suggerit, qui animi ipsius prudentiam ac sapientiam perspicuè declararent: siquidem diabolus omnes ad vitium accommodatas artes facilè ac promptè exercet. Posteaque regis filium à dextris adortus, puellæ amorem ipsi inserit, ob ipsius videlicet prudentiam & grauitatem, atque etiam ob eam caussam, quòd cùm eâ nobilitate esset, atque è regiâ stirpe prodiisset, patriâ tamen simul ac gloriâ orbata esset. Adhæc huiusmodi quoque cogitationes ipsi subserit, vt eam ab insano idolorum cultu liberaret, Christianamque efficeret.

Alia fraus diaboli.

Hæc autem omnia versuti draconis technæ erant. Nam cùm regis filius animo ita comparatus & constitutus esset, vt nullam obscœnam cogitationem aut libidinosum amorem ad puellam vacillantem in seipso perspiceret, verùm ipsius dumtaxat calamitate animæque exitio se commoueri sentiret, rem hanc diabolicum commentum esse minimè animaduertebat. Siquidem reverà caligo ille est, ac lucem assimulat. Vt enim regis filius puellam alloqui, diuinæque cognitionis oracula ipsi exponere cœpit; Agnosce, inquiens, ô mulier, Deum in omne æuum viuentem, nec te idolorum errore detineri sine, verùm Dominum rerum omnium effectorem intellige, ac beata eris, immortali sponso adiuncta. Multa, inquam, eiusmodi cùm ipse dixisset, statim improbus spiritus mulieri in mentem immittit, vt fraudis laqueos explicaret, ac Deo charam illam animam ad libidinis foueam præcipitem traheret, quemadmodum videlicet olim generis humani auctorem Euæ operâ è paradiso ac Deo miserè exterminauit, eumque beatæ atque immortalis vitæ loco morti addixit.

Nazianz.

Posteaquam igitur puella verba illa omni sapientiâ referta audiuit, pro suâ stultitiâ ea non intellexit, verùm huiusmodi responsum edidit, quale ab eâ edi consentaneum

erat,

erat, quæ diaboli lingua atque os erat: aitque: Si salutis meæ, ô domine, curâ tangeris, ac me Deo tuo conciliare, abiectæque animæ meæ salutem afferre studes, fac tu quoque vni meæ petitioni annuas, ac statim patriis omnibus diis meis repudiatis, Deo tuo me adiungam, ipsumque ad extremum vsque spiritum colam. Ita tu salutis meæ, atque ad Deum conuersionis, mercedem referes.

A puellâ regiâ in maritum expetitur. Cùm autem ille, quænam hæc petitio esset, quæsiuisset: tum illa & habitu, & aspectu, & sermone, ac denique omni ex parte sese ad alliciendum ipsius animum comparans, Matrimonio, inquit, mecum coniungere, atq; ego imperiis tuis lubens obsequar.

Renuit Iosaphat. At ille, Incassum, inquit, ô mulier, duram huiusmodi petitionem mihi proposuisti. Nam quamquam ingenti salutis tuæ curâ teneor, teque ex mortis & exitij voragine extrahere cupio: mihi tamen corpus meum per fœdum concubitum inquinare nimis graue est, imò prorsus impossibile.

Illa verò planam ipsi viam ad scelus sternens, Ecquid, inquit, huiusmodi sermone vteris, qui omni sapientiæ genere polles? Ecquid, inquam, hanc rem spurcitiem ac fœdum concubitum appellasti? Neque enim ipsa quoque Christianorum librorum ignara atque expers sum: verùm & multos in patriâ meâ libros perlegi, & sæpè cum Christianis sermones contuli. Quid igitur? Nónne in quodam librorum vestrorum scriptum est: Honorabile connubium & torus immaculatus? (*Hebr. 13.*) Ac rursum: Melius est nubere quàm vri? (*1. Cor. 7.*) Ac rursum: Quod Deus coniunxit, homo non separet? (*Matth. 16.*) Nónne omnes veteres iusti, tam patriarchæ quàm prophetæ legitimo matrimonio copulatos fuisse Scripturæ vestræ docent? Nonne Petrus ille, quem apostolorum principem fuisse prædicatis, vxorem habuisse scribitur? (*Luc. 4.*) Quid igitur te adduxit, vt rem huiusmodi spurcitiem appellares? Magnopere sanè mihi à dogmatum vestrorum veritate aberrare videris.

Cui ille respondit: Ita profectò, mulier, hæc se habent, quemadmodum abs te dictum est. Licet enim quibuslibet matrimonio copulari, exceptis tamen iis, qui virginitatem Christo semel promiserint. *Votum castitatis.* Ego enim ab eo die, quo per diuini Baptismi lauacrum à iuuentutis & ignorantiæ meæ peccatis purgatus sum, purum meipsum Christo exhibere pollicitus sum. Quonam igitur modo pacta ea, quæ cum Deo sanxi, dissoluere atque infringere audebo?

Rursum autem ad eum mulier his verbis vsa est: Sit sanè de hac re, vt ipse vis. At exiguam alteram, ac nullius momenti cupiditatem meam exple, si quidem animæ meæ salutem afferre tibi cordi est. *Ad fornicationem à regiâ puellâ illicitur.* Hac dumtaxat nocte mecum rem habe, atque effice, vt & ego tuâ pulchritudine fruar, ac tu rursum formæ meæ elegantiâ explearis. Quod si feceris, hoc tibi polliceor, me simulatque dies illuxerit, Christianam religionem suscepturam, atque omnem deorum meorum cultum fugâ relicturam esse. Atque ob huiusmodi consilium, non modò veniam, sed etiam beneficia, salutis meæ caussâ, à Deo tuo consequêris. Gaudium enim, inquit Scriptura tua, est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. (*Lucæ 19.*) Nam si ob scelerati hominis resipiscentiam lætitia in cælo excitatur; quod afferri potest, quin huius resipiscentiæ auctori magnum præmium debeatur?

Ita certè res se habet: nec est quòd dubites. Quid? An non apostoli quoque religionis vestræ duces, complura certo consilio faciebant, diuinum præceptum maioris præcepti caussâ interdum violantes? An non Paulus Timotheum, præstantioris consilij caussâ, circumcidisse dicitur: (*Actor. 16.*) atqui circumcisio apud Christianos in crimine censetur; nec tamen ille hoc facere dubitauit. Atq; alia huiusmodi permulta in Scripturis tuis reperies. Quocircà si seriò animæ meæ salutem afferre cupis, exiguam hanc meam cupiditatem exple: & ego, quamquam alioqui perfecto matrimonij nexu tecum copulari cupiens, tamen quoniam id tibi minimè gratum est, non iam tibi vim afferam, verùm quidquid animo tuo insederit, posthac faciam. Tu igitur ne me quoque prorsus abiicias & execreris, verùm in hac vnâ re mihi obsequens, salutem mihi affer, atque à superstitioso errore me libera: tu autem deinceps per omnem vitæ cursum, quæ tibi visa fuerint, facias licebit.

His verbis vtens (nam & habebat qui ipsi suggereret, cui etiam aures clàm admouebat: atque Scripturarum peritus est ille vitij artifex diabolus) his inquam verbis vtens, eumque demulcens, ac retia & laqueos ipsi tum à dextris tum à sinistris vndique nectens, animi ipsius turrim labefactare, institutique ipsius neruos debilitare, ac voluntatem & sententiam emollire incipiebat. Vitij autem sator, ac proborum virorum hostis, labantem ipsius animum conspiciens, ac summâ inde lætitiâ perfusus, statim pestiferos spiritus, qui vnà cum illo aderant, appellat: Cernite, inquiens, quonam pacto puella ista ea perficere contendat, quæ à nobis perfici nequiuerunt. Agite igitur, acriter nunc in eum impetum

BARLAAM ET IOSAPH.

Dæmones faces admouent.

faciamus. Neque enim ad explendam eius à quo missi sumus, voluntatem aliud æquè opportunum tempus nanciscemur. Hæc cùm versipellis ille ad socios dixisset, in Christi militem insiliunt, omnes animi ipsius vires perturbantes, atque acerrimum puellæ amorem ipsius pectori inserentes, vehementissimumque libidinis ignem in ipso inflammantes.

Ille autem cùm seipsum vehementer vri, captiuumque ad peccatum trahi perspiceret, atque cogitationes suas, puellæ salutem conuersionemque ad Deum ipsi proponentes, flagitium tamquam hamum quemdam escâ occultare, hostisque instinctu sibi negotium facessere, perinde videlicet ac scelus minimè esset, seruandæ animæ causâ cum muliere semel rem habere, in huiusmodi animi anxietate consiliique penuriâ alto pectore ingemiscens, seipsum statim ad orationem confert, atque vberes lacrymarum riuos ex oculis profundens, ad eum, qui salutem iis qui in ipso confidunt, afferre potest, clamabat: In te, Domine, speraui, non confundar in æternum: neque irrideant me inimici mei, dextræ tuæ hærentem: verùm hac horâ pro tuâ voluntate mihi asta, vias meas dirigens, vt sanctum tuum & gloriosum ac formidandum nomen in me famulo tuo illustretur, quoniam benedictus es in sæcula, Amen.

Oratione superat carnis tentationes. Psal. 30. Psal. 24.

Cùm autem per aliquot horas cum lacrymis preces fudisset, genuaque persæpè flexisset, in terram se prostrauit, paulumque obdormiscens seipsum à quibusdam horrendis viris arripi videt, regionibusque quibusdam, quas numquam viderat, peragratis, in amplissimum campum perduci, pulchris floribus atque ingenti suauitate præditum, vbi & plantas omnis generis cernebat, inusitatis quibusdam & admirandis fructibus, tum visu iucundissimis, tum perceptu suauissimis redundantes. Arborum porrò folia ex tenuissimâ quadam aurâ dulcem sonum edebant: ac dum impellerentur, inexplebilem odoris fragrantiam emittebant. Quin etiam sedes illic sitæ erant, auro atq; ingentis pretij lapidibus structæ, luculentum sanè splendorem afferentes: lectique item illustres, miris quibusdam stragulis, atque elegantiâ omnem orationis facultatem superante coornati. Adhæc aquæ profluebant perquam limpidæ, oculosque ipsos oblectantes. Tum autem per ingentem atq; admirandum hunc campum horrendi illi viri eum in vrbem quamdam introduxerunt, inenarrabili splendore rutilantem, ex pellucido quidem auro muros, ex lapidibus autem à nemine vmquam visis pinnas ac propugnacula extructa habentem. Et quis tandem est, qui vrbis illius pulchritudinem ac splendorem sermone consequi possit? Lux porrò supernè radiis identidem micans, omnes ipsius vicos implebat, atque alati quidam exercitus, lucidi omnes in eâ morabantur, eiusmodi cantum edentes, quem numquam mortalis auris audiuit. vocemque dicentem audiit: Hæc eorum qui iustitiam coluerint, est requies: hoc eorum qui Domino suæ vitæ rationes probarint, oblectamentum. Hunc autem ex illo loco eductum terribiles illi viri retrorsum ducere velle dicebant. At ipse iucunditate illâ lætitiaque animi omnino raptus: Ne me quæso, inquiebat, ne me inquam hac lætitiâ, quæ nullis verbis exprimi potest, priuate: verùm hoc mihi concedite, vt in vno amplissimæ huiusce ciuitatis angulo degam. Illi autem ad hunc modum respondebant: Fieri nunc minimè potest, vt hîc sis: hoc autem multis laboribus ac sudoribus tandem consequêris, si quidem tibiipsi vim intuleris.

Visio Iosaphat. *Ducitur ad loca amœna.*

Hoc sermone habito, ac maximo illo campo rursus peragrato, eum in tenebrosa loca, omnisq; mœroris plena, atque cum eo splendore, quem priùs conspexerat, ac lætitiâ illâ è diametro pugnantia, duxerunt. Etenim obscura prorsus ac tenebrosa caligo erat, atq; afflictione ac tumultu totus ille locus redundabat. Illic ignis fornax accendebatur, & carnificum vermium genus serpebat, vltricesq; virtutes fornaci imminebant. Ac nonnulli miserum in modũ igni conflagrabant, voxque huiusmodi audiebatur: Hic sceleratorum locus est, hic eorum cruciatus qui fœdis flagitiis seipsos contaminarunt. Pòst autem ab his qui eum illuc introduxerant, ex eo loco eductus est. Statimq; ad sese rediens, toto corpore contremiscebat, lacrymæque fluminum instar ex ipsius oculis fluebant: atq; omnis impudicæ illius puellæ, reliquarumq; aliarũ, pulchritudo quouis cœno & sanie fœtidior ipsi visa est: memoriaq; ea quæ viderat recolens, tum bonorum illorũ cupiditate tum dolorum illorũ metu correptus, in lecto iacebat, sic affectus, vt nulla ipsi exurgendi potestas esset.

Ducitur ad loca tristia. *Ad se redit.* *Aegrotat.*

Vt autem de aduersâ filij valetudine ad regem allatum est, statim ad eum profectus, quidnam ipsi accidisset, percontabatur. Ille autem, quidnam vidisset, exponit, aitque: Cur pedibus meis laqueum parasti, & incuruasti animam meam? Nisi enim Dominus adiuuisset me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Verùm quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde, qui etiam eripuit humilitatem meam de me-

Pater eum visitat. Psal. 56. Psal. 39. Psal. 72.

medio catulorum leonum, dormiui conturbatus. Sed visitauit me Deus salvator meus, mihique quantis ij, qui eum ad iracundiam prouocant, bonis sese priuent, quantisque rursum tormentis obnoxios se reddant, demonstrauit.

Admonet patrem. At nunc, ô pater, quoniam tu aures tuas occlusisti, ne vocem meam bona atque vtilia tibi occinentem audires, ne me saltem quò minùs rectam viam capessam, impedias. Hoc enim cupio, hoc expeto, vt omnibus rebus liberatus, ad ea loca contendam, in quibus Barlaam Christi famulus habitat, ac cum eo quod mihi reliquum est vitæ conficiam. Quòd si me per vim retinere in animum induxeris, quàm primùm me mœrore ac tædio extinctum videbis. Ita fiet, vt nec tu pater iam appelleris, nec me filium habiturus sis.

Cap. xxxi. Rursum igitur ingens regem mœstitia inuasit; rursum omnem vitæ suæ spem despondere cœpit; atque acerba secum animo agitans, in palatium suum abiit. At verò improbi illi spiritus, qui aduersus diuinum iuuenem à Theudâ missi fuerant, ad eum pudore suffusi redeunt, atque quamuis alioqui mendacio gaudeant, acceptam tamen cladem confitentur. Quippe perspicua cladis signa in scelerato suo vultu gerebant. Ille autem, Vsqueadeóne, inquit, imbecilles ac miseri estis, vt adolescentem vnum vincere minimè potueritis? Tunc improbi spiritus virtute diuinâ excruciati, veritatem inuiti in lucem protulerunt, his verbis vtentes: Christi potentiæ ac passionis ipsius signo, quod Crucem appellant, ne tantillum quidem obluctari possumus. Nam cùm ea effingitur, statim quotquot aëris principes ac mundi rectores tenebrarum sumus, quàm celerrimè fugimus, ac priùs etiam quàm ea plenè ac perfectè expressa sit, propulsamur. Quamobrem nos quidem in hunc iuuenem impetu facto, grauiter eum perturbauimus: verùm ille cùm Christi opem implorasset, ac crucis signo seipsum muniuisset, nos irato animo propulit, atque firmissimum sibi præsidium comparauit. Ac proinde nullâ interpositâ morâ instrumentum illud arripuimus, cuius operâ etiam princeps noster primum hominem aggressus est, eumque potestati suæ subiecit. Et quidem profectò nos quoque vanam adolescentis spem pro nihilo ducebamus; verùm ad auxilium rursus accitus Christus, cælestis iræ igni nos exustos in fugam vertit. Quare stat sententia, non vltra ad eum accedere. Ad hunc scilicet modum improbi spiritus Theudæ ea quæ contigerant perspicuè declararunt.

Crucis signum dæmonibus terrori est. Ephes. 6.

Rex autem omni ex parte animo hærens, consilioque destitutus, Theudam rursus accersit, ad eumque ait: Omnibus iis quæ docuisti, vir sapientissime, perfectis & absolutis, nihil tamen vtilitatis consecuti sumus. Nunc igitur, si quod tibi aliud consilium superest, illud experiamur. Fortasse enim aliquam depellendi mali rationem nanciscemur.

Cùm autem Theudas, vt cum ipsius filio in colloquium veniret, petiisset, manè rex, eo secum assumpto, ad visendum filium proficiscitur. Cumque prope eum consedisset, eum alloqui, ac probris insectari, atque ipsius contumaciam animique rigiditatem accusare cœpit. Illo verò recta dogmata rursum confirmante, Christique amore nihil antiquius habendum esse clamante, Theudas in medium prodiens, his verbis vsus est: Quidnam, ô Iosaphat, quod in immortalibus diis nostris reprehendendum sit, inuenisti, vt tu ab eorum cultu discederes, ac regis patris tui animum ita offendendo, totius populi odium tibi commoueres? An non ab iis vitam accepisti? An non ipsi patri tuo te dono dederunt, auditis videlicet ipsius precibus, eoque sterilitatis vinculis soluto? Cùm autem multos inanes sermones, ac multas inutiles quæstiones ille inueteratæ improbitatis homo proponeret, atque de Euangelij prædicatione argumenta necteret, hoc videlicet animo, vt eam suggillaret, atque idolorum cultum confirmaret, ille superni Regis filius, atq; illius vrbis, quam non homo, sed Deus construxit, ciuis, posteaquam sese paulisper continuisset, tum demum ad Theudam ait:

Theudas rursus oppugnat Iosaphat.

Hebr. 8.

Audi, ô imposturæ vorago, ac palpabilibus tenebris caliginosior, semen Babylonicum, atque Chalanicæ turris extructorum, quorum caussâ mundus confusus est, nepos; vane inquam atque infelix senex; qui grauioribus, quàm quinque illæ diuino igne concrematæ vrbes, sceleribus te constrinxisti. Ecquid salutis prædicationem, per quam ea quæ tenebris circumfusa erant, lucem acceperunt, per quam errantes viam inuenerunt, per quam ij qui perierant, ac miserâ seruitute premebantur, in pristinum statum restituti sunt, cauillis insectari conaris? Cedò, vtrum tandem ex his duobus præstantius est, nempe omnipotentem Deum cum vnigenito Filio & Spiritu sancto colere, Deum inquam increatum & immortalem, bonorum omnium fontem, cuius nec imperium ac robur coniecturâ percipi, nec gloria mente comprehendi potest, cui angelicorum ac cælestium ordinum millia millium, & decies

Egregiè resistit Iosaphat. Gen. 11.

BARLAAM ET IOSAPH.

millia millium astant, cuius gloriâ cælum & terra plena sunt, per quem omnia ex nihilo in ortum producta sunt, per quem mundus continetur ac conseruatur, ipsiusque prouidentiâ gubernatur, colere ac venerari; an verò pestiferos dæmones atque inanima simulacra, quorum laus & gloria adulterium est, ac puerorum constupratio, ceteraque flagitia quæ de dijs vestris in superstitionis vestræ voluminibus conscripta sunt?

Non vos pudet, miseri, atque ignis sempiterni cibus, Chaldaicique generis similitudinem gerentes; non vos inquam mortuas statuas humanâ manu exstructas adorare pudet? Cæsum enim lapidem aut lignum ac fabrili arte politum, deum nuncupatis: ac deinde eximium taurum, aut aliud fortasse ex pulcherrimis cuiusque generis animantibus assumentes, mortuo numini, quâ væcordiâ estis, immolatis. Atque victima deo tuo præstantior est. Nam illum homo elaborauit, Deus autem animal procreauit. Ac proptereà etiam brutum animal te, qui ratione præditus es, prudentiâ & sagacitate antecellit. Illud enim eum à quo alitur nouit, tu contrà eius, à quo ex nihilo productus es, cuiusque beneficio viuis & conseruaris, ignoratione laboras. Ac deum appellas, quem paulò antè ferro verberari, atque igne conflari, & malleis tundi videbas, quem argento atque auro cinxisti, atque à terrâ in altum sustulisti: posteaque in terram abiectus abiecti lapidis abiectior es adorator, non Deum adorans, sed mortua & animæ expertia manuum tuarum opera. Imò verò, ne mortuum quidem æquum est simulacrum appellare: verùm nouum quoddam ac tantâ amentiâ dignum nomen excogitare par est. Nam lapideus comminuitur, testaceus confringitur, ligneus corrumpitur, æreus rubigine inficitur, aureus & argenteus igni conflatur. Quinetiam dij tui partim exiguo ac vili, partim summo pretio venduntur. Neque enim ipsis diuinitas, sed materia pretium dat. Atqui Deum quisnam emere aut vendere queat? Iam quonam pacto Deus appellatur qui motus expers est? An non illud cernis, nec eum qui stat, vnquam sedere; nec eum qui sedet, vnquam stare?

Idololatrarum amentia.

Pudeat te, ô væcors: manum ori appone, ô stulte, qui res huiusmodi laudas. Etenim à veritate auersus, falsis picturis deciperis atque in fraudem induceris, statuas videlicet effingens, rebusque manu tuâ effectis Dei nomen attribuens. Resipisce miser, atque illud intellige, te deo abs te facto antiquiorem esse. Cuius tandem furoris ista sunt? Hoccine tibi persuasisti, te, cùm homo sis, Deum efficere posse? Qui tandem istud fieri queat? Quocircà non hominem efficis, verùm hominis aut cuiuspiam animantis formam, non linguâ, non faucibus, non cerebro, non vllâ aliquâ internâ parte præditam: ac proinde ne hominis quidem aut animantis similitudo est, sed inutilis omnino res ac vanitatis plena. Quid igitur rebus sensus expertibus blandiris? Quid mente carentibus & inutilibus assides? Nisi latomi, aut architecti, aut malleatoris ars adesset, deum non haberes. Nisi custodes præstò essent, deum tuum amisisses. Nam quem sæpè stolidorum hominum copiosissima vrbs tamquam deum, vt ab eo custodiatur, obsecrat, cum eo ipso pauci custodes, ne surripiatur, remanent. Ac si quidem ex argento vel auro constet, diligenter custoditur: si autem ex lapide, aut argillâ, aut aliâ quadam viliori materiâ, seipsum custodit. Ita de vestrâ sententiâ valentior est is, qui ex argillâ, quàm qui ex auro conflatus est.

An non igitur optimo iure vos stultos & cæcos ac stolidos homines irridere, vel potiùs luctu prosequi possumus? Quippe opera vestra furorem potiùs quàm pietatem redolent. Nam qui rei militari studet, statuam ad militaris speciei similitudinem expressam, ac certo loco positam, Martem nuncupat. Qui autem mulierum amore ad insaniam vsque flagrat, animæ suæ cupiditatem picturâ informans, vitium suum deum efficit, Veneris scilicet nomine eum appellans. Alius rursus temulentiæ suæ causâ, effecto simulacro, Bacchum ipsum nominat. Eodemque modo aliorum vitiorum cupidi, eorum simulacra constituerunt, vitijsque suis deorum nomen imponunt. Eaque de causâ apud eorum aras libidinosæ saltationes existunt, ac meretricij cantus, furiosique impetus. Quisnam autem execrandum eorum flagitium deinceps commemorare queat? Aut quis fœdissimam ipsorum libidinem oratione complectens, os suum conspurcare sustineat? Verùm hæc omnibus perspicua sunt, etiam si ipsi taceamus. Hi tui dij sunt, ô statuis tuis stupidior Theuda. Hos vt adorem, hos vt venerer, admones. Tuæ profectò improbitati ac stultæ sententiæ consentaneum est istud consilium: at similis ipsis tu fias, atque omnes qui confidunt in eis. Ps. 113.

Laudat fidem Christianam.

Ego autem Deum meum colam, meque totum ipsi consecrabo: Deo inquam creatori,

tori, ac rerum omnium gubernatori, per Dominum nostrum Iesum Christum, Ephes. 2. spem nostram, per quem etiam ad luminum Patrem in Spiritu sancto accessum habuimus, per quem ab acerbâ seruitute in ipsius sanguine liberati sumus. Nisi enim Philip. 2. ipse etiam vsque ad seruilem formam sese abiecisset, haudquaquam id consecuti essemus, vt in filios adoptaremur. Quippe nostrâ caussâ seipse abiecit, nec Deitatem rapinam arbitratus est, sed quod erat permansit, & quod non erat assumpsit. Con-Baruch 3. suetudinem cum hominibus habuit, carne suâ in crucem ascendit, triduo in sepulcro conditus est, ad inferos descendit, inde eos, quos sub peccato venditos horrêdus mundi princeps vinctos tenebat, eduxit. Quidnam igitur hinc detrimenti tulit, quòd eo nomine eum cauillis insectari videris? An non perspicis, in quot fœda & obscœna loca radios suos sol demittat, quotque fœtida cadauera conspiciat? An hinc labem aliquam contrahit? An non potiùs ea quæ sordida ac putida sunt, exsiccat atque constringit, quæ caliginosa sunt illuminat, atque interim ipse prorsus incolumis, ac labis omnis expers manet? An non item ignis ferrum, quod suâ naturâ nigrum ac frigidum est, assumens, prorsus inflammat atque candefacit, nec interim ferri proprietates vllâ ex parte recipit? Non enim eo malleis contuso aliquid perpetitur aut detrimenti quidquam accipit.

Quocircà si hæc quæ creata sunt, eamque naturam habent, vt aliquando intereant, ex viliorum ac deteriorum rerum contagione nullo incommodo afficiuntur, qua tandem ratione, ô stolide ac saxeo corde prædite, irridere me idcircò audes, quòd Filium ac Deum Verbum à paternâ gloriâ nullo modo discessisse, sed cùm Deus esset, humanæ salutis causâ corpus humanum assumpsisse dicam, vt homines diuinæ ac spiritualis naturæ participes efficeret, nostramque substantiam ex subterraneis inferni partibus eductam, cœlesti gloriâ exornaret, atque item vt tenebrarum huius sæculi principem, susceptæ carnis tamquam illecebris quibusdam inescatum superaret, genusque nostrum ex ipsius seruitute ac tyrannide liberaret? Vnde etiam crucis tormentum sine perpessione subiit, Duæ in Christo naturæ duas videlicet suas naturas declarans. Vt enim homo, in crucem agitur: vt Deus Lucæ 23. autem, soli tenebras offundit, terram quatit, ac multa corpora morte functa è sepulcris excitat. Rursum, vt homo moritur: vt autem Deus, spoliato inferno, ad vitam redit. Ob idque etiam clamauit Propheta: Infernus in amaritudine fuit, occurrens tibi deorsum. Siquidem in amaritudine fuit atque illusus est, cùm nudum hominem sese accepisse putans, in Deum incidit, ac repentè inanis & captiuus extitit. Resurgit itaque vt Deus: atque in cælum, vnde nullo modo digressus fuerat, ascendit, ac nostram despicabilem atque omnibus inferiorem naturam omnibus superiorem reddidit, immortalique gloriâ rutilantem in gloriæ throno collocauit. Quidnam igitur hinc Deo Verbo detrimenti conflatum est, quod tu eum maledictis atque contumeliis insequi non erubescis? Vtrum quæso ex his duobus præstantius est, nempe hæc confiteri, atque hunc bonum hominumque amantem Deum venerari (qui iustitiam mandat, continentiam præcipit, puritatem præscribit, ad misericordiam propensum esse docet, fidem præbet, pacem prædicat, ipsamet veritas & nominatur & est, ipsamet charitas) hunc inquam venerari; an contrà improbos & plurimis flagitiis deuinctos, ac tam rebus ipsis quàm nominibus fœdos & obscœnos deos tuos? Væ vobis, ô saxis duriores, & brutis amentiores, atq; exitij filij, ac tenebrarum heredes. Beatus autem ego ac Christiani omnes, qui bonum ac benignum Deum habemus. Nam qui ei cultum adhibent, etiamsi ad breue aliquod tempus in hac vitâ rebus aduersis conflictentur, at immortalem tamen mercedis fructum in sempiternæ ac diuinæ beatitudinis regno percipient.

BARLAAM ET IOSAPH.

Dixit autem ad eum Theudas: En illud perspicuum est, multos & magnos & CAP. XXXII. sapientes viros atque interpretes, ac tum virtute tum doctrinâ admirabiles, religionem nostram instituisse, omnesque orbis terræ reges ac principes eam vt præclaram atque omni periculo vacuam excepisse: Galilæorum contrà doctrinam rusticos quosdam ac pauperes & abiectos viros, eosque perpaucos, nec plures quàm duodecim, prædicasse. Num igitur ignobilium ac rusticorum prædicatio, multorum ac magnorum virorum, quique tantâ sapientiæ laude floruerunt, legibus atque institutis potior habenda est? Quid autem habes, vnde hos vera dicere, illos mentiri demonstres?

Theudas Christianis paupertatem & rusticitatem obijcit.

Rursum igitur regis filius respôdit: Asinus es, ô Theuda, vt dici solet, lyram audiens, atque intellectus expers manens; vel, vt rectiùs loquar, aspis, aures obturans, Psal. 57. ne præclarè incantantium vocem exaudias. Rectè igitur de te à Prophetâ dictum est: Si mutare queat Æthiops pellem suam, ac Ierem. 13.

pardus varietates suas, tu quoque stulte & cæce, benefacere poteris, cùm mala didiceris. Quin te vis veritatis sensu afficit? Nam hoc ipsum quod ais, à multis admirabili sapientiâ præditis viris nefarios tuos cultus laudari, atque à multis regibus confirmari, contraque Euangelicam prædicationem à paucis, iisque obscuris viris prædicari, id verò tum religionis nostræ vim, tum improborum vestrorum dogmatum imbecillitatem ac perniciem demonstrat: quippe cùm doctrina vestra, quamuis eruditos patronos ac firmos adiutores habeat, debilitetur tamen & extinguatur, nostra autem religio, licet omni humano subsidio careat, sole tamen clariùs luceat, orbemque totum occuparit: nam si ab oratoribus & philosophis edita fuisset, regesque ac principes adiutores habuisset, dicere fortasse, vir improbe, potuisses, humanam potentiam id totum præstitisse. Nunc verò sanctum Euangelium à vilibus piscatoribus conscriptum, atque ab omnibus tyrannis vexatum, nihilo tamen seciùs totum orbem obtinere perspiciens (in omnem enim, inquit ille, terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum) quid iam aliud dicere possis, quàm diuinam & inuictam potentiam esse, salutis humanæ caussâ cultum suum confirmantem? Ecquod autem, ô væcors, argumentum iis quæ iam allata sunt, præstantius quæris, quo tuos mentiri, nostros vera loqui probem? Nam nisi tua omnia nugæ ac figmenta essent, profectò cùm tantis humanis viribus nitantur, minimè imminuerentur ac debilitarentur. Vidi enim, inquit ille, impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. De vobis, qui insani idolorum cultus propugnatores estis, hæc dixit Propheta. Iam iamque enim, & non inuenietur ipsius locus: sed sicut deficit fumus, deficiet, & quemadmodum deficit cera à facie ignis, sic peribitis.

Argumentum Theuda in eum retorquet Iosaphat.

Psal. 18.

Rom. 10.

Psal. 36.

Psal. 67.

Contrà de Euangelicâ Dei cognitione dixit Dominus: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Ac rursum Propheta his verbis vtitur: In principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ac diuini quidem aduentus Christi præcones, & sapientes orbis terrarum piscatores, qui ex erroris ac fraudis voragine omnes extraxerunt (quos quidem tu, qui peccati verè seruus es, aspernaris ac nihili pendis) per signa & prodigia solis instar in mundo fulserunt, cæcis lucem donantes, surdis auditum, claudis gressum, mortuis deniq; vitam impertientes. Nam vel eorum dumtaxat vmbræ omnes hominum morbos profligabant. Dæmones quos vos vt deos metuitis, non modò ab humanis corporibus depellebant, sed etiam crucis signo ex ipso terrarum orbe fugabant: cuius ope atque adiumento omnem quidem magiam deleuerunt, veneficiaque omnia irrita reddiderũt. Atque illi quidem humanâ infirmitate per Christi virtutem ad hunc modum sanati, rebusq; omnibus conditis renouatis, tamquam veritatis præcones ab omnibus iis qui sapientiâ præditi sunt, laudantur, admirationique habentur. Quid autem habes, quod de sapientibus atque oratoribus tuis, quorum Deus sapientiam stultam fecit, de illis inquam diaboli patronis in medium afferas? Quid memoriâ dignum mundo reliquerint, expone. Quid de ipsis quod prædices, habes, nisi dementiam ac turpitudiné, inanemq; artem, verborum elegantiâ fœtidæ suæ religionis cœnum contegentem?

Lucæ 21.

Psal. 101.

Euangelij duratio.

Actor. 5.

1. Cor. 1.

Quinetiam ex poëtis tuis, quicumque ab ingenti furore atque insaniâ vel tantulum emergere potuerunt, id quod verius erat, dixerunt, nempe eos qui dij appellantur, homines extitisse, ac propterea quòd quidam eorum vrbibus ac regionibus imperarunt, quidam autem aliud quiddam nullius penè momenti, dum viuerent, effecerunt, homines errore lapsos, deorum nomine eos appellasse. Principio enim [16] Seruch ille statuas inuenisse litterarum monumentis proditus est. Siquidem eos qui antiquitus vel strenui animi, vel amicitiæ, vel cuiuspiam alterius virtutis opus memoriâ dignum edidissent, statuis ornasse dicitur. Posteri autem, maiorum mentem ignorantes, nempe quòd memoriæ dumtaxat caussâ iis qui laude dignum aliquid effecissent, statuas & columnas erexissent, dæmonis vitij auctoris operâ paulatim aberrantes, homines iisdem passionibus obnoxios ac corruptioni subiectos, tamquam immortales deos adorarunt, sacrificiaque ipsis ac libamina excogitarunt: dæmonibus videlicet in statuis habitantibus, atque huiusmodi honorem & sacrificia ad sese pertrahentibus. Illi itaque eos, qui Deum in notitiâ habere minimè probant, duplici de caussâ, vt se deos esse existiment, adducunt: alterâ, vt ipsi hoc nomine celebrentur; gaudent enim ipsi, vtpote fastu atque arrogãtia pleni, cùm ipsis tamquam diis honor tribuitur: alterâ, vt

Seruch statuarum inuentor.

Rom. 1.

vt eos, quos in fraudem induxerint, ad præparatum sibi sempiternum ignem trahant. Eoque nomine omni flagitij ac turpitudinis genere ipsos erudierunt, adeò vt eorum fraudi atque imposturæ semel addicti homines, mentis tenebris circumfusi, atque ad malorum colophonem venientes, sui quisque vitij ac sui cupiditatis statuam fixerint, deumque nominarint. Quâ quidem in re, cùm erroris sui nomine execrandi sint, tum verò ob earum rerum quas adorant absurditatem maiori execratione dignos se præbuerunt. Id autem tamdiu locum habuit, quoad Dominus per viscera misericordiæ suæ nos qui ipsius fide præditi sumus, ex improbo ac pestifero huiusmodi errore liberauit, veraq; Dei cognitione imbuit. Neque enim in alio vllo salus est, nec præter ipsum solum qui mundum effecit, ac virtutis suæ verbo omnia portat, alius deus aut in cælo aut in terrâ est. Verbo enim Domini, inquit ille, cæli firmati sunt: & spiritu oris eius, omnis virtus eorum: atque omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Actor. 5. Heb. 1. Psal. 32. Ioan. 1.

Theudas autem cùm hæc verba audiuisset, atque huiusmodi sermonem diuinitus infusâ sapientiâ plenum esse cerneret, tamquam tonitrui sono perculsus, silentio tenebatur. Tandem autem aliquando miseriam suam agnoscens (obtenebratos enim cordis ipsius oculos salutaris doctrina tetigerat) ingenti anteactæ vitæ pœnitudine affectus est: atq; condemnato idolorum errore, ad pietatis lucem accurrit, ac deinceps à sceleratâ & execrandâ vitæ ratione vsqueadeò sese remouit, tantumque cum turpibus animi affectionibus magicisque artibus bellum gessit, quantum antè amoris fœdus cum ipsis ferierat. Nam tum in medio concilio stans, præsidente rege, magnâ voce exclamauit: Verè, ô rex, spiritus Dei in filio tuo habitat, verè fracti ac superati sumus, nec defensionem vllam habemus, nec ad ea quæ ab ipso commemorata sunt, vel oculos ipsos obuertere possumus. Magnus igitur re verâ Christianorum Deus est, magna ipsius fides, magna mysteria.

Theudas oratione Iosaphat ad fidem adducitur.

Conuersus itaque ad regis filium, ait: Dic quæso, ô claro ac illustri animo prædite, Deúsne me excepturus est, si ab improbis actionibus abscedens, ad eum me conuertero? Sanè, inquit veritatis præco, sanè inquam te excipiet, omnesque item qui ad ipsum sese conuerterint. Nec verò vulgari modo excipiet: verùm vt filio è longinquâ regione redeunti, hoc est, à sceleratâ vitæ ratione ad meliorem frugem sese conuertenti, obuiàm prodibit, eumq; amplectetur & exosculabitur: ac peccati fœditate detractâ, statim ipsi vestimentum salutaris imponet, charissimaq; gloriæ stolâ eum induens, mysticum supernis virtutibus epulum peraget, ob receptam videlicet ouem perditam festum diem celebrans. Ipsemet enim Dominus ingens in cælo gaudium esse dixit super vno peccatore pœnitentiam agente. Ac rursum: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et per Prophetam: Viuo ego, dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur à viâ suâ, & viuat. Conuertimini à viâ vestrâ malâ: & quare moriemini domus Israël? Iniquitas iniqui non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab iniquitate suâ, & fecerit iustitiam, & in mandato vitæ ambulauerit; vita viuet, & non morietur. Omnia peccata quæ admisit, non memorabuntur, quia iudicium & iustitiam fecit: in ipsis viuet. Ac rursum per alterum Prophetam exclamat: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tamquam nix dealbabuntur: & si fuerint rubra velut vermiculus, sicut lana alba erunt. Cùm igitur hæ pollicitationes, iis qui ad meliorem frugem sese receperint, à Deo propositæ sint, ne cuncteris, ô homo, nec moram vllam adhibeas: verùm ad Christum benignum Deum nostrum accede, & illuminare, & facies tua non confundetur. Nam simulatque in diuini Baptismatis piscinam immersus fueris, tota veteris hominis spurcities, atque vniuersa scelerum sarcina in aquâ sepelietur, atque in nihilum dilabetur: tuque nouus illinc ac recens, atque ab omni labe purus conscendes, nullam peccati labem aut rugam tecum ferens. Ac deinceps in te situm erit, vt purgationem per viscera misericordiæ Dei nostri hinc contractam tuearis, atque conserues.

Luca 15. Ibidem. Luca 5. Ezech. 33. Isaiæ 1. Psal. 32.

Baptismus omnia peccata prorsus eluit.

Theudas igitur his verbis institutus, statim ex aulâ excedit, atque ad sceleratam speluncam suam profectus, magicos libros suos tamquam sceleris omnis primitias, ac diabolicorum arcanorum thesauros, exussit. Ipse autem ad sacrosancti illius viri, ad quem etiam Nachor perrexerat, antrum sese confert, rerumque suarum omnium statum ipsi exponit, capiti suo terram aspergens, grauesque gemitus edens, ac seipsum lacrymis perfundens, nefariaque sua flagitia seni ordine commemorans. Ille autem, vt qui salutis animæ afferendæ, atq; ex versipellis draconis faucibus eripiendæ peritissimus esset, salutaribus verbis eum demulcet,

Libros magicos exurit Theudas.

Ad sacerdotem Baptismi caussâ adit.

cet, ac velut excantat, veniam spondet, ac propitium & facilem ipsi iudicem fore pollicetur. Ac posteà cùm eum Christianæ fidei rudimentis imbuisset, multorumque dierum ieiunium ipsi indixisset, eum diuino Baptismo lustrauit. Ac deinceps per omnem vitæ cursum ille sincero animo de admissis sceleribus pœnitentiam egit, lacrymisque ac gemitibus Deum placare studuit.

Ieiunium indictum pro peccatorum cõmissorum satisfactione.

CAP. XXXIII.

Quid de filio Iosaphat faciendum, rex deliberat.

Quæ cùm ad hunc modum euenissent, rex consilij inopiâ vndique destitutus, in graui planè mœrore versabatur, animoque magnopere iactabatur. Coacto autem rursum senatu, quidnam de filio suo faceret, dispiciebat. Cùm autem multi multas sententias in medium protulissent, Araches ille, de quo superiùs mentionem fecimus, qui & ducum omnium clarissimus erat, & principem in senatu locum obtinebat, his ad regem verbis vsus est: Quidnam, ô rex, filio tuo facere oportuit, quod non fecerimus, vt ad sequenda nostra dogmata, deosque nostros colendos eum induceremus? Verùm, vt video, impossibilia aggredimur: siquidem à naturâ ipsi, aut etiam fortasse à fortunâ, peruicacia & animi durities insita est. Itaque si ipsum suppliciis ac cruciatibus afficere in animum induxeris, tum ipse naturæ hostem te præbebis, patrisque nomen amittes, tum ipsius iacturam facies, vt qui pro Christo mortem oppetere paratus sit. Reliquum est igitur, vt hanc rationem ineas, nempe vt regnum cum eo partiaris, eique in eâ parte, quæ ad eum attinuerit, regij muneris administrationem committas. Ac si quidem negotiorum natura, rerumque mundanarum cura eum ad institutum nostrum vitæque genus amplectendum pertraxerint, res nobis ex sententiâ succedet. Mores etenim in animo vehementer corroborati, ægrè expungi atque oblitterari possunt, verborumque potiùs blanditiis, quàm vi commutantur. Sin autem in Christianorum religione perstiterit, illud ipsum certè, quòd filio non sis orbatus, mœrorem tuum aliquâ ex parte mitigabit. Hanc orationem cùm Araches habuisset, omnes ipsius sententiam comprobarunt: ac proinde rex se ita facturum assensit.

Inueterati mores vix possunt per vim euelli.

Itaque postridie cùm illuxisset, filium acciuit, eumq; ita est allocutus: Hic mihi, ô nate, postremus ad te sermo est, cui nisi quamprimùm parueris, atque in hac saltem re pectoris mei dolorem leniueris, non vltrà, mihi crede, indulgenter tecum agam. Percontante autem illo, quid sibi hoc sermone vellet: Quoniam, inquit ille, multis susceptis laboribus perfractum & cõtumacem te ad omnes reperi, vt qui nullis vmquam sermonibus meis parendum tibi duxeris: age, diuiso imperio meo id faciam, vt tu separatim degas, ac regnum geras. Ita iam tibi, quam cupis, viam ingredi tutò licebit. Diuina autem illa anima, quamquam alioqui regem hoc sibi labefactandi sui instituti caussâ proponere compertum haberet, obtemperandum tamen duxit, hoc scilicet animo, vt ex ipsius manibus elapsus, viam quam expetebat, ingrederetur. Sermonem igitur excipiens, ad regem ait: Equidem ipse diuinum illum virum, qui mihi salutis iter commonstrauit, quærere gestiebam, rebusque omnibus valere iussis, cum eo, quidquid mihi vitæ reliquum est, traducere. Verùm quoniam per te, ô pater, mihi ea quæ cordi sunt, facere minimè licet, hac in re tibi morem gero: siquidem in iis rebus, in quibus perspicuum exitium atque abalienatio à Deo non proponitur, patri obtemperare pulchrum est.

Rex filium regni participem facit.

Rex itaque summâ lætitiâ perfusus, regionem omnem imperio suo ac ditioni subiectam in duas partes diuidit, filiumque regem creat, ac diademate exornat, regiaque omni gloriâ insignitum in eam regni partem, quæ ipsi attributa erat, cum luculentâ satellitum manu emittit: principibus autem ac ducibus, reique militaris præfectis & satrapis, si quorum voluntas ita tulisset, cum filio suo ac rege proficiscendi potestatem facit. Atque ingentem quamdam ac numerosissimam vrbem, in quâ regiam sedem haberet, assignat, omniaque ea quæ regibus conueniunt, ipsi impertit. Tum igitur regiam auctoritatem ac potestatem nactus Iosaphat, cùm ad eam vrbem, in quâ ea quæ ad regnum gerendum pertinebant parata erant, venisset, Dominicæ passionis signum, hoc est, venerandam Christi crucem in singulis vrbis turribus collocauit. Idolorum autem delubra & aras deiecit, atque à fundamentis ipsis eruit, nullas videlicet impietatis reliquias linquens.

Parentiis diuisionem morem gerit.

Erigit crucem in regni auspicijs.

Atque in mediâ vrbe ingens ac præclarum templum Christo Domino excitauit, plebiq; imperauit, vt ad eum locum crebrò commeans, Deo per crucis adorationem cultum adhiberet. At tunc ipse ante omnes in medium prodiens, intentissimo animo preces fundebat, omnesq; eos qui sub ipsius potestate ac ditione erant, monebat, obsecrabat, nihil denique prætermittebat, quò ipsos à superstitioso errore abstraheret, atq; ad Christum adiungeret: idolorum cultus fraudem atq; imposturam indicabat, Euangelij prædicationem exponebat, Dei verbi plenam

Templum Christo ædificat.

plenam indulgentiæ demissionem commemorabat, aduentus ipsius miracula prædicabat, crucis supplicium, per quod salutem consecuti sumus, declarabat, resurrectionis vim atque in cælos ascensionem narrabat, denique tremendum illum diem annuntiabat secundi ipsius horrendi aduentus, atque tum recondita piis bona, tum eos cruciatus qui impios ac sceleratos manent. Hæc omnia perquam lenibus ac blandis verbis complectebatur. Neque enim tam potestatis amplitudine ac regiâ magnificentiâ, quàm modestiâ & lenitate venerationem ac terrorem sibi commouere cupiebat. Quæ etiam res omnes ad eum magis pertrahebat, nimirum quòd, vt vitâ & actionibus admirandus, ita etiam animo facilis ac modestus esset. Ex quo effectum est, vt potentia magnum à modestiâ & mansuetudine subsidium nacta, omnes eò adduceret, vt ipsius verbis parerent.

Omnes ad se trahit.

Siquidem in tam breui adeò temporis curriculo, plebs omnis ipsi subiecta, tam oppidani quàm finitimi, diuinis ipsius sermonibus in Christianâ religione instituebantur, ac falsum multorum deorum cultum eiurabant, & ab idolorum sacrificiis & execrando eorum cultu sese abrumpebant, atque ad fidem erroris expertem sese conferebant, ipsiusque doctrinâ innouati, ad Christum adiungebantur. Omnes autem sacerdotes & monachi, ac nonnulli episcopi, qui ob patris ipsius metum in montes & speluncas sese abdiderant, è latibulis suis exeuntes, læto animo ad eum proficiscebantur. Ipse verò iis qui Christi caussâ tantis molestiis & acerbitatibus, totque calamitatibus affecti fuerant, obuiàm prodiens, eos honorificè excipiebat, atque in palatium suum introducebat, pedes ipsorum lauans, squalidam comam abstergens, atque omni officij genere ipsos complectens. Pòst autem ecclesiam recèns à se constructam dedicandam curat, atque episcopum quemdam, qui fidei Christianæ caussâ multis ærumnis conflictatus fuerat, suique episcopatus thronum amiserat, antistitem in eo instituit, virum inquam sanctum, & ecclesiasticorum canonum peritum, diuinoque zelo prorsus flagrantem. Ac tum piscinâ ex tempore factâ, eos, qui ad Christum sese conuerterant, baptizari iubet. Et quidem principes ac magistratus primi baptizati sunt: pòst autem, qui militaris ordinis erant, ac reliquum vulgus. Ac qui Baptismum suscipiebant, non modò animarum sanitatem consequebantur, verùm etiam quicumque corporis morbis & febribus laborabât, abiectâ omni aduersâ valetudine, tum animo puro, tum integro corpore è piscinâ reuertebantur, perceptâ videlicet tum animorum tum corporum sanitate.

Qui se abdiderant, prodeunt.

Ab episcopo curat dedicari ecclesiam.

Sanantur baptizati ab omni infirmitate.

Ob eamque caussam ingens hominum multitudo ad regem Iosaphat vndecumque confluebat, pietatis doctrinâ ab eo imbui exposcens, atque omnia idolorũ templa euertebantur, omnesque opes ac pecuniæ in fanis reconditæ abstrahebantur, eorumque loco sacrosancta templa Deo exædificabantur, opesque illas, ingentisque pretij vestes ac thesauros rex Iosaphat ipsis assignabat: vilem scilicet ac superuacaneam illam materiam hac ratione vtilem ac fructuosam efficiens. Execrandi porrò dæmones, qui in fanis illis & altaribus commorabantur, atrocissimum in modum vexabantur, ac fugabantur, coortamque sibi calamitatem audientibus multis clamabant. Atque finitima illa vniuersa regio tenebrosâ ipsorum fraude atque imposturâ liberabatur, ac Christianorum fidei ab omni labe ac reprehensione liberæ luce collustrabatur.

Dæmones lugent.

Siquidem ipse quoque rex omnibus virtutis exemplar erat, ac permultos ad eamdem voluntatem & sententiam excitabat & inflammabat. Huiusmodi quippe principatus atque imperij natura est: semper enim subditi ad eum qui rerum potitur sese componunt, eaque amare ac consectari solent, quibus principem delectari sentiunt. Hinc Deo adiuuante pietas ipsis augebatur, nouosque in dies progressus faciebat, ac rex in Christi mandatorum obseruationem totus incumbebat, atque ex ipsius charitate pendebat. Eratque verbi gratiæ dispensator, ac multarum animarum gubernator, ad Dei portum eas appellens. Etenim illud exploratum habebat, omnium regiorum munerum hoc primarium & præstantissimum esse, vt homines ad Dei metum ac iustitiæ cultum erudiat: quod etiam ipse faciebat, seipsum videlicet ad imperio tenendas animi perturbationes comparans, subditosque suos admonens, atque optimi naucleri instar iustitiæ clauum sedulò tenens. Nam hæc demum veri regni lex ac norma est, nimirum voluptatibus imperare, iisque dominari, quemadmodum ipse etiam faciebat. Quippe nec de maiorum nobilitate, nec de regiâ gloriâ, in quâ versabatur, vllo modo sese efferens (quandoquidem luteum omnes generis auctorem habemus, eiusdemque argillæ pauperes æquè ac diuites sumus) verùm in humilitatis abyssum mentem suam assiduè coniiciens, futuramq; beatitudinem animo & cogitatione com-

Subditi principes imitari solent.

Quodnam præcipuum regis munus sit.

Voluptatibus imperandum docet.

complectens, inquilinum hîc seipsum esse ducebat; ea autem propria esse statuebat, quibus post huius vitæ peregrinationem frueretur. Cùm autem hæc præclarè gessisset, atque omnes quibus præerat, à veteri atque à patribus tradito errore liberatos, eius qui nos pretioso suo sanguine ex malâ seruitute redemit, seruos effecisset, posteà id animo agitare cœpit, vt beneficentiæ ac largitionis virtutem excoleret. Nam temperantiam quidem ac iustitiam numeris iam omnibus absoluerat, vt qui & temperantiæ coronâ redimitus, & iustitiæ purpurâ conuestitus esset. Illud igitur animaduertebat, terrenarum opum inconstantiam profluentium aquarum cursum imitari: quocircà illic eas recondere properabat, vbi neque tinea neque rubigo demolitur, nec fures effodiunt ac furantur; itaque sine vllâ parsimoniâ pecunias omnes in pauperes distribuere cœpit. Illud enim perspectum habebat, ei, qui ad ingentem potentiam peruenerit, curandum esse, vt eum, cuius beneficio potentiam consecutus sit, pro viribus imitetur.

Pecunias in pauperes distribuit.

Hac porrò ratione eum ad Dei imitationem accessurum esse, si nihil misericordiâ potius atque antiquius ducat. Quamobrem pietatis opes, quæ & hîc futuræ voluptatis spe animum oblectant, & illic speratæ beatitudinis fructu animum exhilarant, super aurum & lapidem pretiosum sibi aggerebat. Posteà carceres suos perscrutans, tum iis qui ad metalla damnati erant, tum iis qui à creditoribus strangulabantur, ac denique omnibus omnia copiosè subministrabat. Orphanorum omnium & viduarum ac pauperum pater erat, indulgens inquam ac benignus pater, atque ita comparatus, vt seipsum beneficio afficere existimaret, cùm in eos beneficij aliquid conferret. Nam cùm animo liberalissimo ac verè regio præditus esset, egentibus omnibus affatim tribuebat; quòd scilicet infinitis partibus maiorem mercedem hinc speraret, cùm tempus illud aduenisset, quo merces actionibus rependenda esset.

Cùm autem huiusmodi ipsius fama breuî quaquauersum sparsa esset, omnes ad eum tamquam aliquo vnguenti odore concitati, quotidie confluebant, vt tum corporum tum animarum paupertatem excuterent; atque ipse omnibus in ore erat. Neque enim terror ac tyrannica vis populum pertrahebat, verùm desiderium ac sincerus erga eum amor, qui quidem diuinitus atque ex præstantissimâ ipsius vitæ ratione in omnium animis insitus erat. Tum igitur, tum inquam ij quoque qui sub patris ipsius imperio erant, ad eum potiùs sese adiungebant, omnique abiecto errore veritatem prædicabant. Ac domus quidem Iosaphat crescebat & inualescebat; domus autem Abenner decrescebat ac debilitabatur, quemadmodum scilicet de Dauide ac Saule in Regum libro proditum est.

Dan. 7. Augetur domus eius, & patris decrescit. *2. Reg. 3.*

CAP. XXIV. *Rex Abenner resipiscit.*

Hæc rex Abenner conspiciens, tandem aliquando receptâ mente, falsorum deorum suorum atque inanis imposturæ imbecillitatem condemnauit. Ac rursum coactis senatorij ordinis principibus, quæ ipse in animo haberet, in lucem protulit. Omnibus autem eadem confirmantibus (visitarat enim eos Oriens ex alto, hoc est, Saluator, exauditâ videlicet famuli sui Iosaphat oratione) rex de his rebus filium certiorem faciendum esse censuit. Itaque postridie epistolam ad eum scribit, hoc exemplo:

Luc. 1.

Regis ad filium epistola.

Rex Abenner charissimo suo filio Iosaphat salutem.

" Cogitationes multæ, ô charissime fili, animum meum subeuntes, eum grauissimè conturbant. Etenim nostra omnia instar fumi deficere atque euanescere, ac contrà religionem tuam sole clariùs fulgere conspiciens, ea quæ à te mihi dicta sunt, vera esse sensi: quodque densæ scelerum & impietatis tenebræ nos ita obtuebant, vt in veritatem oculos coniicere, atque omnium rerum parentem & architectum agnoscere minimè possemus, verùm lucem vsq; adeò splendidam abs te nobis demonstratam, occlusis de industriâ oculis perspicere recusaremus, atque te multis malis afficeremus. & (ô me miserum!) haud paucos Christianos crudelem in modum trucidaremus: qui quidem inuictâ potentiâ ipsis opem ferente corroborati, ad extremum vsque spiritum aduersum immanitatem nostrâ dimicarunt. Nunc verò detractâ ex oculis nostris crassâ illâ caligine, exiguum quemdam veritatis radium cernimus, priorumque vitiorum pœnitudo animum subit. Verùm hunc quoque splendorem alia horrendę desperationis nubes exoriens opprimere atque extinguere conatur, mihi videlicet peccatorum meorum multitudinem ob oculos proponens, quodque iam ego Christo odio atq; execrationi sum, eaque in caussâ, vt iam ab ipso recipi nequeam, vt qui aduersus eum rebellarim, ipsique bellum indixerim. Quid igitur spe, ô suauissime fili, ad hæc dicas, fac quamprimùm sciam, ac quid mihi patri tuo faciendum sit doce, atque ad eius, quod in rem meam futurũ sit, cognitionem me tamquã porrectâ manu, fac ducas. Vale. "

Hanc epistolam cùm Iosaphat accepisset, quæque in eâ continebantur legendo

pera-

Procumbit ad imaginē Christi Iosaphat. peragrasset, voluptate simul & admiratione animus ipsius impletus est. Atque in cubiculum suum confestim ingressus, & ante Dominicam effigiem in faciem abiectus terram lacrymis perfundebat, simul & Domino gratias agens, & ad ipsius laudationem exultationis labia mouens, hisque verbis vtens:

Psal. 144. Gratiarū actio pro patris conuersione. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Magnus es Domine, & laudabilis valdè, & magnitudinis tuæ non est finis. Et *Psal. 105.* quis loquetur potentias tuas? auditas faciet *Psal. 113.* omnes laudes tuas? Qui conuertisti petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. En enim etiam rupes hæc, ac rupe durius patris mei pectus, tuâ voluntate ceræ instar emollitum est. Potes enim etiam *Matth. 3.* ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Gratias *Basil. lib. const. ca. 1.* tibi ago, benigne Domine ac Deus misericordiæ; quoniam in peccatis nostris lenitate vsus es, atque etiamnum vteris, & ad hunc vsque diem impunitos nos reliquisti. Nam nos quidem iam pridem à tuâ facie abiici merebamur, atque in hac vitâ publicâ infamiâ notari, quemadmodum scelerati illi *Gen. 19.* Pentapolitæ, qui igni ac sulphure conflagrarunt. At patientia & incomparabilis lenitas tua benignè nobiscum egit. Gratias tibi ago indignus ego ac despicabilis, etiamsi benignitati tuæ laudandæ ac celebrandæ impar sum. Ac te Domine Iesu Christe, *Matth. 12.* inuisibilis Patris Fili ac Verbum, qui omnia verbo produxisti, ac voluntate tuâ contines & tueris, qui in ligno extensus es, ac fortem vinxisti, iisque qui ab eo vincti tenebantur, sempiternam libertatem attulisti, te inquam per miserationes tuas obtestor, vt nunc quoque inuisibilem & omnium rerum effectricem manum tuam extendas, ac seruum tuum & patrem meum ex graui illa diaboli captiuitate prorsus liberes, teque sempiterna vitâ præditum, & verum Deum ac solum immortalem & æternum Regem esse apertissimè ipsi ostendas. Contritionem quæso animi mei propitio ac placido oculo aspice, ac pro eâ tuâ pollicitatione, in quam mendacium non cadit, à meis partibus sta, qui te rerum omnium effectorem, conditorem, & gubernatorem confiteor & agno- *Ioan. 4. Ephes. 6.* sco. Fluat in me saliens aqua tua, deturque mihi sermo in apertione oris, ac mens in te angulari lapide rectè defixa: vt ego inutilis seruus tuus patri meo incarnationis tuæ mysterium, vti par est, exponere, atque à vano pestiferorum dæmonum errore per potentiam tuam ipsum abducere, *Ezech. 18.* tibique Deo ac Domino, qui non vis mortem peccatorum, sed eorum resipiscentiam ac pœnitentiam exspectas, conciliare queam. Quoniam tu gloriosus es in sæcula sæculorum, Amen.

Ad patrem proficiscitur. Cùm ad hunc modum orasset, atque hoc sibi persuasisset, se voti sui compotem futurum, Christi misericordiâ fretus, illinc cum regio satellitio excessit, atque ad patris palatium sese contulit. Vt autem *Pater eum excipit.* pater de filij aduentu certior factus est, statim obuiàm ei prodit, atque ipsum complectitur & exosculatur, deque ipsius aduentu maximâ voluptate afficitur, publicumque ac sollemne festum celebrat. Quid autem posteà? Remotis arbitris vnà consident. Et quis tandem eos sermones, quos tum filius ad regem habuit, & quanta cum sapientiâ disseruit, vllâ oratione complecti queat?

Quid enim aliud loquebatur, quàm quæ ipsi à diuino Spiritu, per quem piscatores vniuersum mundum Christo irretierunt, & litterarum expertes eruditis viris doctrinâ præstiterunt, instillabantur? Per eius gratiam ipse quoque eruditus & instructus, ad regem verba faciebat, scientiæ luce eum collustrans. Ac priùs quidem, cùm vt patrem à superstitioso errore abstraheret, diu multumque laborasset, nihil non dicens aut faciens, quò ipsius animum ad se alliceret, frustrà tamen canere ac surdo loqui videbatur. At cùm Dominus afflictionem serui sui Iosaphat inspexit, atque exauditis ipsius precibus clausas patris ipsius ianuas patefecit, (voluntatem enim, inquit ille, *Psal. 144.* timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet;) tum denique rex ea quæ dicebantur, facilè intelligebat, adeò vt opportunum tempus nactus filius, per Christi gratiam aduersus improbos spiritus, qui patris animo dominabantur, victoriam adipisceretur, ipsumque illorum errore atque impostura omni ex parte liberaret, salutaremque doctrinam perspicuè ipsi traderet, ac cælesti & viuo Deo ipsum conciliaret.

Quam rationem tenuerit Iosaphat in erudiendo patre. Principio enim altiùs exorsus, ipsi magnas & admirandas res, quas priùs nec intellexerat, nec cordis auribus perceperat, annuntiauit. Etenim longam ad eum de Deo orationem habuit, piamq; doctrinam ipsi ostendit: (nempe, quòd non sit alius deus sursum, præter vnum Deum, qui in Patre & Filio ac Spiritu sancto agnoscitur:) ac multa item Theologiæ arcana ipsi aperuit. Postea que etiam ea, quæ ad rerum conditarum tam inuisibilium quàm visibilium procreationem attinebant, exposuit: nimirum quo pacto summus ille parens & opi-

opifex rebus omnibus ex nihilo productis, hominem ad imaginem & similitudinem suam effinxerit, ipsumque arbitrij libertate donatum, eorum quæ in paradiso pulchra erant participem fecerit, vnius tantùm arboris gustu ipsi interdicto, hoc est ligni scientiæ. Quo quidem mandato violato, eum è paradiso exterminauit. Vnde & ipse, & vxor, eâ quam cum eo habebant coniunctione lapsi, in hos multos errores inciderunt, peccato videlicet in seruitutem addicti, mortique per diaboli tyrannidem obnoxij effecti. Qui quidem hominibus semel in potestatem suam redactis, hoc egit, vt Dei ac Domini obliuione prorsus caperentur: ipsisque persuasit, vt per execrandam idolorum adorationem sibi cultum adhiberent.

Lapsus Adami.

At verò Deus creator noster miseratione commotus, benignâ Patris voluntate ac Spiritus sancti adiunctâ operâ, ex Virgine sanctâ nostri instar in lucem edi voluit: cùmque cruciatu affectus fuisset, is qui à perpessione immunis erat, triduo pòst à morte ad vitam excitatus, nos à priori mulcta & condemnatione liberauit, præstantiorique gloria donauit. Siquidem in cælum ascendens, simul nos eò vnde descenderat, euexit. Quem etiam rursus venturum credimus, vt figmentum suum ad vitam reuocet, atque vnicuique secundùm ipsius opera reddat. Posteà de illo cælorum regno, quod eos qui id promerentur manet, verba fecit, atque arcana illa bona, reconditamque item improbis pœnam proposuit, nimirum ignem numquam exstinguendum, exteriores tenebras, immortalem vermem, ceteraque tormentorum genera, quæ peccati serui sibiipsis recondiderunt. Hæc omnia quàm plurimis sermonibus, ac Spiritus sancti gratiam abundè ipsi inesse testantibus, prosecutus, tum demum imperuestigabile diuinæ benignitatis pelagus enarrauit, quamque ille eorum, qui ad eum sese conuertunt pœnitentiam libenter exspectet, quodque nullum scelus sit quod ipsius misericordiam superet, si quidem ad meliorem frugem redire in animum inducamus. Quod cùm multis exemplis ac Scripturæ testimoniis declarasset, orationi finem imposuit.

CAP. XXXV.

Rex autem diuinitus traditâ hac sapientiâ compunctus, ingenti voce ac feruentissimo animo Christum Saluatorem confitetur, atque ab omni superstitioso errore abscedit: viuificæque crucis signum inspectantibus omnibus adorat, & audientibus omnibus Deum verum ac Dominum nostrum Iesum Christum prædicat. Atque commemoratâ priori suâ impietate, & aduersus Christianos crudelitate & immanitate condemnatâ, ingens ad pietatem portio efficitur. Extabatque id, quod à Paulo dictum est, Vbi abundauit iniquitas, illic & superabundauit gratia. Cùm igitur sanctissimus Iosaphat etiam ad rei militaris duces & satrapas, atque ad omnem denique populum de Deo atque erga ipsum pietate multa verba faceret, & quasi igneâ linguâ præclarum aliquid ac modulatum caneret, superueniens Spiritus sancti gratia omnes ad celebrandam Dei gloriam excitabat: ita vt vniuersa multitudo vnâ voce clamaret: Magnus Christianorum Deus est, nec præter Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto glorificatur, alius Deus est.

Rex Abenner inspectantibus omnibus signũ crucis adorat.

Rom. 5.

Diuino porrò zelo impletus rex Abenner, in aurea illa & argentea idola, quæ in ipsius palatio erant, acri animo impetum facit, eaque omnia deiicit, posteaque in minutas partes redacta, pauperibus distribuit: sic nimirum vtilia ea reddens, quæ priùs vtilitate omni ac fructu carebant. Quin etiam ipse cum filio idolorum templa & aras omnes obsidens, à fundamentis ipsa eruit, eorumque loco templa Deo extruxit. Nec verò in vrbe dumtaxat, sed etiam in totâ regione eamdem operam sedulò nauabant. Peruersi autem spiritus, qui in aris domicilium habebant, cum vlulatu pellebantur, inuictamque Dei nostri potentiam tremulo clamore testabantur: omnisque vicina regio, ac multæ item finitimæ gentes ad piam fidem sese conferebant. Tum igitur, cùm diuinissimus ille episcopus, de quo superiùs verba fecimus, accessisset, rex Abenner fidei Christianæ elementis imbuitur, ac diuino Baptismo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, perficitur. Ac Iosaphat ex diuinâ piscinâ ipsum excipit: res sanè omnium maximè noua. Patris enim pater existit: & ei, à quo carnali modo progenitus fuerat, spiritualem regenerationem conciliat. Etenim cælestis Patris filius erat, diuinæque profectò radicis diuinissimus fructus; radicis inquam illius, quæ clamat, Ego sum vitis, vos palmites,

Idola euertit.

Templa Deo ædificat.

Baptizatur. Filius patris patrinus.

Ioan. 15.

Ad hunc modum rex per aquam ac Spiritum regeneratus, eiusmodi voluptate, quæ nullâ oratione explicari potest, afficiebatur: simulque etiam cum ipso vniuersa ciuitas ac finitima regio diuino Baptismate donabatur, lucisque filij existebant, qui priùs in tenebris versabantur. Atque omnis morbus, & omnis à dæmonibus inuecta calamitas procul ab iis, qui fide præditi erant,

erant, propellebatur, omnesque tum animis tum corporibus integri atque incolumes erant. Multaque item alia miracula fidei confirmandæ caussa edebantur, ecclesiæ etiam ædificabantur, & episcopi qui metu delitescebant, in lucem prodibant, suasque ecclesias recipiebant. Ac prætereà alij, tum ex sacerdotum tum ex monachorum ordine, ad pascendum Christi gregem instituebantur. Porrò rex Abenner ad hunc modum ab improbâ & flagitiosâ vitæ ratione sese remouens, ac de perpetratis sceleribus pœnitentiam agens, regium omne imperium filio tradit, ipse autem in solitudine degens, caputque cinere sine vllâ intermissione aspergens, & graues gemitus edens, ac sese lacrymis abluens, solus cum eo solo qui vbique præsens est, colloquebatur, noxarum suarum veniam ab eo petens. Quin in tantam compunctionis atque humilitatis abyssum sese demisit, vt ipsum quoque Dei nomen labiis vsurpare recusaret, ac vix tandem à filio admonitus, illud pronuntiare auderet. Tanta autem ac tam præclara in eo vitæ cōmutatio fuit, ac tantâ cum laude virtutis iter tenuit, vt priorum iniquitatum ignorantiam pietatis magnitudine superaret. Cùm autem quatuor annos hoc pacto in pœnitentiâ & lacrymis atque omni virtutis genere transegisset, in letalem morbum incidit. Cùm autem ipsi vitæ finis immineret, in metu animique anxietate versari cœpit, mala ea quæ à se perpetrata fuerant, in memoriam reuocans. At Iosaphat consolatoriâ oratione coortum ei mœroris onus subleuauit, his verbis vtens: Quare tristis es ô pater, & quare teipsum conturbas? Spera in Deo, & confitere ipsi, qui est spes omnium finium terræ, & in mari longè, qui per Prophetam clamauit: Lauamini, mundi estote, auferte malum cōgitationum vestrarum ab oculis meis: discite benefacere. Et si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tamquam nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, tamquam lana alba erunt. Quocircà ne timeas, ô pater, nec dubio animo sis: neque enim eorum qui ad Deum sese conuertunt, peccata, immensam ipsius bonitatem vincunt. Illa enim quocumque tandem numero fuerint, sub mensuram cadunt: hanc autem nec metiri nec numerare quisquam potest. Quocircà fieri non potest, vt quod mensuræ subiicitur, id quod nullâ mensurâ comprehendi potest, superet.

Rex egit pœnitentiam.

Satisfactionis opere priora peccata compensauit.

Iosaphat patrem cōsolatur.

Psal. 41.

Psal. 64.

Isaiæ 1.

Huiusmodi verbis ad consolandum accommodatis, ipsius animum leniens, ac velut excantans, eum ad bonam spem reuocauit. Deinde pater extensis manibus gratias ipsi agebat, ac benè precabatur, diemque eum, quo ipse in lucem editus esset, laudibus efferebat, his verbis vtens: Dulcissime fili, fili inquam, qui non tam meus es quàm cælestis Patris, quamnam tibi gratiam referam? quibus te benedictionibus prosequar? quas Deo tuâ caussâ gratias agam? Perieram enim, ac tuâ operâ inuentus sum: peccato mortuus eram, & reuixi: hostis & perduellis Dei, & in gratiam receptus sum. Quid igitur tibi pro his omnibus rependam? Deus est qui satis amplis præmiis te remunerari queat. Hoc sermone habito, cùm charissimum filium sæpius exosculatus fuisset, ac deinde preces fudisset, atque, In manus tuas, ô benigne Deus, commendo spiritum meum, dixisset, in pœnitentiâ animam suam Domino reddidit.

Pater Deo & filio gratias agit.

Lucæ 15.

Psal. 30.

Moritur Abenner rex.

Filius autem Iosaphat patrem mortuum lacrymis prosecutus, iustisque ipsi persolutis, corpus eius in piorum virorum sepulcris condidit. Nec tamen ipsius corpus regiâ veste obuoluit, sed pœnitentiæ vestimentis exornauit. Atque ipse in sepulcro stans, ac manus in cælum tendens, lacrymasque ex oculis fluuij instar profundens, his verbis ad Deum clamauit:

Cum cilicio sepelitur.

Gratias tibi ago Deus Rex gloriæ, qui solus potens & immortalis es, quoniam orationem meam minimè despexisti, nec lacrymas meas pro nihilo duxisti: verùm seruum tuum ac patrem meum à sceleratâ viuendi ratione auocatum, ad te omnium Saluatorem pertrahere voluisti, eum videlicet ab idolorum errore abducens, atque ipsi hoc donans, vt te Deum verum ac benignum intelligeret. Ac nunc, ô Domine Deus, cuius bonitatis pelagus peruestigari nequit, in loco pascuæ, in loco refectionis, vbi vultus tui lux splendet, eum colloca: nec antiquarum ipsius iniquitatum recordare, sed pro ingenti tuâ misericordiâ peccatorum ipsius chirographum dele, ac debitorum ipsius chartas concerpe, sanctosque tuos, quos & igne & gladio de medio sustulit, cum ipso in gratiam reduc, eisque, ne ipsi infensos & iratos sese præbeant, impera. Omnia quippe tibi omnium Domino possibilia sunt, hoc vno excepto, quòd quin te eorum qui sese ad te conuertunt, misereat, facere non potes. Misericordia enim tua in omnes diffusa est, atque iis à quibus inuocaris, salutem affers, Domine Iesu Christe: quoniam decet te gloria in sæcula, Amen.

Oratio Iosaphat pro patris animâ.

Psal. 78.

Deo impossibile est pœnitentiū non misereri.

Huiusmodi preces & orationes Deo offerebat, septem dies à sepulcro omnino non discedens, nec cibi quidquam aut potus admittens, nec rursus somno corpus recreans, verùm

Septē dies ieiunat pro animâ patris.

Psal. 141.

verùm & lacrymis solum rigans, & cum luctibus omnem orationis facultatem superantibus in oratione perstans. Octauo autem denique die in palatium reuersus, opes omnes ac pecunias pauperibus distribuit: adeò vt nullus iam qui rerum inopiâ premeretur, superesset. Paucisque diebus in huiusmodi ministerio exactis, omnes thesauros exhausit: id videlicet agens, ne angustam portam introire paranti pecuniarum moles impedimentum afferret.

CAP. XXXVI. *Obseruat memoriam obitus patris.*

At verò quadragesimo à paterni obitus die memoriam ipsius celebrans, magistratus omnes ac militaris classis & plebeij ordinis haud paucos conuocat: atque in regio throno sedens, cunctis audientibus hanc orationē habuit: En, vt ipsi cernitis, Abenner rex ac pater meus, haud secus ac pauperum quiuis mortem obiit. Ac nec diuitiæ, nec opes, nec regia gloria, nec rursum ego patris amantissimus filius, nec reliquorum ipsius amicorum ac cognatorum quisquam opem ipsi & auxilium adferre, atque ab ineuitabili sententiâ ipsum eximere potuit: verùm ad illud tribunal, vt præsentis vitæ rationem reddat, proficiscitur, neminem omnino, qui ipsi opituletur, secum ducens, iis dumtaxat exceptis (quæcumque tandem illa fuerint) quæ ab eo gesta sunt. Hoc autem ipsum quoque omnibus qui mortalem naturam nacti sunt, contingere naturâ comparatum est: neque aliter fieri potest. Nunc igitur audite me, ô filij ac fratres, plebs Domini, & sancta hereditas, quos Christus Deus noster pretioso sanguine suo redemit, atque à veteri errore, & aduersarij seruitute in libertatem vindicauit. Vos meam inter vos vitæ rationem nostis: nempe quòd, ex quo tēpore Christi cognitionem consecutus, diuinoque beneficio ipsius seruus effectus sum, omnibus aliis rebus contemptis atque odio habitis, ipsius dumtaxat cupiditate flagraui, idque vnum mihi in votis fuit, vt ex huius vitæ tempestate, atque inani perturbatione ac tumultu egressus, solus cum ipso solo cōsuetudinem haberem, atque in summâ animi tranquillitate Deo meo ac Domino seruirem. Verùm me patris mei in diuersum nitentis voluntas retinuit, præceptumque illud, quod patribus honorem haberi iubet. Vnde Dei gratiâ & adiumento incassum minimè laboraui, nec huiusmodi dies frustrà consumpsi: verùm & illum, & vos omnes, Deo conciliaui, eumque solum Deum verum, ac rerum omnium Dominum cognoscere docui, non quidem ego istud faciens, sed gratia Dei mecum, quæ me etiam è superstitioso errore atq; idolorum cultu eripuit,

Oratio Iosaphat.

Deut. 5.

ac vos, ô plebs mea, graui & acerbâ captiuitate liberauit. Iam igitur tempus est, vt ea quæ Deo pollicitus sum, expleam. Tempus inquam est, vt, quò ipse me ducet, proficiscar, eaque vota, quibus me ipso obstrinxi, persoluam. Nunc itaque vobiscum ipsi considerate, quem vobis præesse, ac regnum obtinere velitis. Iam enim in Domini voluntate perfecti estis, nec quidquam ex ipsius præceptis vobis occultum est. In his ambulate, nec vel ad dexteram vel ad sinistram declinate. Ac Deus pacis velim sit cum omnibus vobis.

Vota persoluere gestit.

Hæc vt plebs audiuit, tumultus statim ac strepitus, ingensque clamor & confusio exorta est, plorantibus omnibus, atque orbitatem suam deplorantibus. Quin etiam præter luctus & eiulatus illud etiam iureiurando affirmabant, sese illum minimè dimissuros, sed retenturos, nec secedendi potestatem vllo modo ipsi facturos. Sic clamante populo, atque omnibus magistratibus, excipiens rex popula[illegible] compescit, silentiumque ipsis imperat, seque illorum contentioni cedere atque obtemperare asserens, eos, quamuis alioqui mœrentes atque eiulatus signa in genis ferentes, domum remittit. Ipse autem vnum ex principibus, quem ipse tum pietatis tum vitæ sanctitatis nomine pluris omnibus faciebat, admirationeque prosequebatur, hoc est Barachiam, cuius etiam superiùs, cùm Nachor Barlaamum se esse simulans cum philosophis disputauit, verba fecimus, quemque solum zelo diuino penitus flagrantem ab ipsius partibus stetisse, atque ad disputationem aduersus illos ineundam paratum fuisse diximus) hunc inquam remotis arbitris assumptum, blandè ac leniter allocutus est, obnixisque precibus, vt regnum acciperet, atque in timore Dei plebem suam regeret, obsecrabat, quò ipse ad expetitum iter se accingeret.

Iosaphat Barachia regnum offert.

Vt autem eum renuentem, atque istud omnino repudiantem vidit, hisque verbis vtentem: O rex, quàm istud tuum iudicium iniquum est, quàm tuus sermo diuino mandato parùm consentaneus. Nam cùm proximum non secùs ac teipsum amare docearis, quâ tandem ratione sarcinam eam, quam tu abiicere studes, mihi imponere festinas? Nam si regio munere fungi bonum est, ipse quod bonum est retine. Sin autem offendiculum istud ac scandalum animi est, quid mihi illud obiicis, ac me in fraudem inducere cupis? Vt inquam eum his verbis vtentem & asseuerantem vidit, cum eo quidem colloqui destitit: ipse autem

Relinquit epistolam. autem intempestâ nocte epistolam ingenti sapientiâ plenam, atq; ad omne pietatis genus impellentem, ad populares suos exarat, nempe quam de Deo sententiam tenere, quam ipsi vitam, quas laudes, quas denique gratiarum actiones offerre deberent, præscribens. Ac posteà, ne quemquam alium prçter Barachiam ad regiam dignitatem admitterent, prohibebat. Hac epistolâ in cubiculo suo relictâ, insciétibus omnibus egreditur. *Clàm fugit.* Nec tamen efficere potuit, vt ipsius discessus ad extremum vsque incognitus esset. Nam simul atque illuxit, ea res audita perturbationem ac luctum plebi attulit, omnesq; summâ celeritate ad eum inuestigandũ perrexerũt, ipsius fugam omni ratione occupare cogitantes. Quo etiam factum est, vt studiũ ipsius frustrà minimè cesserit. Nam cùm itinera omnia occupassent, ac montes omnes obsedissent, inuiasque valles peragrassent, in torrente quodam ipsum manus in cælum tendentem, ac sextæ horæ precationem persoluentem inuenerunt. *Iosaphat extensis manibus orationem sexta hora persoluens inuentus.*

Conspecto autem eo, circumfusi statim, cum lacrymis eum obsecrabant, ac discessum ipsi obiectabant. At ille, Quid, inquit, inanem laborem suscipitis? Nec enim est, quòd vos me regem vltrà habituros esse speretis. Nihilo seciùs tamen eorum ingenti contentioni cedens, ad palatium reuertitur, coactisque in vnum omnibus, quid in animo haberet, declarauit, ac posteà interposito etiam iureiurando sermonem cõfirmauit, nempe se posthac ne vnum quidem diem cum ipsis fore: Ego enim, inquit, meo erga vos ministerio perfunctus sum, nec quidquam prætermissi, nec subterfugi, quominus annuntiarem vobis, ac docerem testificans omnibus in Dominum nostrum Iesum Christum fidem, ac pœnitentiæ viam ostendens. *Reuertitur.* *Actor. 20.* Ac nunc ego viam hanc ineo, quam iam pridem expetebam, nec vltrà faciem meam quisquam vestrûm videbit. Quapropter, vt diuini Apostoli verbis vtar, contestor vos hodierno die, quòd mundus ego sum à sanguine omnium vestrûm. Non enim subterfugi, quominùs annuntiarem vobis consilium Dei.

Hæc illi audientes, ac sententiæ ipsius firmitatem exploratam habentes, nempe quòd eum à suscepto consilio reuocare minime possent, orbitatem quidem suam deplorabant, nec tamen vllo modo eum de sententiâ deducebant. Tum autem rex Barachiam illum, de quo suprà locuti sumus, manu tenens; Hunc, inquit, ô fratres, hunc vobis regem creo. *Barachiã regem constituit.* Cumque ille eiusmodi rei vehementer obluctaretur, inuitum eum ac repugnantem in regio throno collocat, ipsiusque capiti diadema imponit, atque annulum regium ipsi in manum præbet. Atque ad Orientem stans, pro rege preces fudit, hoc videlicet à Deo postulans, vt Dei fidem constanter teneret, ac Christi mandatorum iter ab omni flexu alienum inueniret. Adhæc pro clero etiam atque vniuerso grege precatus est, opem videlicet & auxilium ac salutem ipsis à Deo petens, atque vt quidquid ipsi postularent, ad vtilitatem moderaretur.

Hac oratione habitâ, conuersus ad Barachiam, ait: En tibi, frater, hoc præcipiam quod Apostolus testatus est: Attende tibi ipsi, & vniuerso gregi, in quo te Spiritus sanctus regem posuit, vt Christi populum, quem proprio sanguine acquisiuit, regas. *Oratio Iosaphat ad Barachiã. Actor. 20.* Et quemadmodum Deum ante me cognouisti, eumque puro animo & conscientiâ coluisti, ita nunc quoque maiori studio in hoc incumbe, vt ipsi vitæ tuæ rationes probes. Quò enim maius à Deo imperium consecutus es, eò quoque maiora ipsi rependas oportet. Ac proinde gratitudinis debitum ei, cuius beneficiis auctus es, persolue, sancta ipsius præcepta custodiens, atque ab omni viâ in exitium ducente deflectens. Vt enim in iis qui nauigant, cùm nauta quispiam peccat, exiguum iis qui simul nauigant detrimentum affert; cùm autem gubernator, vniuersæ naui exitium accersit: ita etiam in regno vsu venit, vt cùm quispiam eorum, qui subsunt, peccat, non tam alium, quàm seipsum lædat; sin autem rex ipse peccet, totum regnum labefactat ac detrimento afficit. *Simile à nauclerís.* Quapropter, vt ingentes rationes redditurus, si quid eorum quæ opus sint, prætermiseris, magno studio, magnaque curâ teipsum in bono custodi: voluptatem omnem ad peccatum te pertrahentem odio insectare. Ait enim Apostolus: Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine quâ nemo videbit Deum. *Heb. 12.* Rerum humanarum circulum animaduerte, quo pacto videlicet in orbem voluatur, alias atque alias alio atque alio modo eas ferens ac torquens: illudque stude, vt in variâ earum mutatione pium animum constanter retineas. Siquidem vnà cum rebus commutari, dubiæ atque instabilis mentis argumentum est. Tu verò fac in virtute firmus sis, ac prorsus stabilitus. Ob temporariam & caducam gloriam inani tumore minimè insolesce: verùm repurgato animo naturæ tuæ vilitatem cogita, vitæq; huius breuitatem atq; adiunctam carni mortem cogita. Hæc enim si cõsideres, in superbiam haudquaquam incides, sed Deum verum ac

Psal.127. Psal.111. cælestem Regem metues, sicque præclarè ac feliciter tecum agetur. Beati enim, inquit ille, omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Ac rursum: Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Quænam autem præ ceteris præcepta tibi seruanda sint, audi: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequētur. Ac rursum: Estote misericordes, sicut & Pater vester cęlestis misericors est. Hoc enim pręceptum ab iis potissimùm exposcitur, qui in summo imperio constituti sunt. Lucæ 6.

Deum maximè imitatur misericors. Ac sanè qui magnam potentiam nactus est, eum, à quo huiusmodi potentiam accepit, pro viribus imitari debet. Hac porrò in re Deum maximè imitabitur, si misericordiâ nihil potius antiquiusque habeat. Huc accedit, quòd subditos nihil æquè ad beneuolentiam allicit, vt beneficij gratia egentibus concessa. Nam obsequium illud quod ex metu oritur, adumbrata est adulatio, per fictum honoris vocabulum eos qui animum ipsi adiiciunt, ludificans ac circumscribens. Atque is qui inuito animo paret, oblatâ occasione seditionem excitat: qui autem beneuolentiæ vinculis constrictus tenetur, firmam ei qui rerum potitur obedientiam præstat. Quæ cùm ita sint, da operam, vt egentibus facilis ad te accessus sit, iisque qui inopiâ conflictantur, aures tuæ pateant, vt tu quoque apertas Dei aures inuenias. Nam quales nos ipsos conseruis præbuerimus, talem etiam erga nos Dominum nanciscemur; & quemadmodum audierimus, audiemur; & quemadmodum viderimus, à diuino & omnium rerum conspectore oculo videbimur. Quamobrem ante misericordiam, misericordiam conferamus, vt simile per simile recipiamus. *Quales erga alios, talis erga nos Deus.*

Remittēda iniuria. Quin etiam aliud quoque præceptum cum superiore isto coniunctum, ipsiq; cognatum audi: Dimittite, & dimittetur vobis. Quòd si non remiseritis hominibus delicta ipsorum, nec Pater vester cælestis peccata vestra vobis remittet. Ob idque, ne iis à quibus offensus fueris, iniuriæ memorem te præbeas: verùm cùm ipse peccatorum tuorum veniam postules, iis etiam qui in te peccant, ignosce. Remissioni enim remissio rependitur: & si cum nostris conseruis in gratiam redeamus, Dominus quoque suam in nos iracundiam comprimet. At contrà nostra aduersus eos, qui aliquid in nos admiserunt, sæuitia hoc efficit, vt peccatis nostris
Matth.18. nulla venia tribuatur. Quemadmodum audis, quidnam illi qui decem talētorum millia debebat acciderit, nempe quòd ob suam in conseruum crudelitatem, tanti debiti exactionem sibiipsi renouarit. Quare magnopere nobis prouidendum est, ne hoc quoq; nobis vsu veniat. Quin potiùs debitū omne remittamus, atque omnem iram è pectore eiiciamus: vt nobis quoque multa nostra debita remittantur. Præter hæc omnia, ac præ omnibus rebus bonum depositum custodi, hoc est piam fidei doctrinam, in quâ institutus & eruditus es. Illudque caue, ne vllum hæresis zizanium in vobis enascatur: verùm purum ac doli expers diuinū semen conserua, vt vberem atque amplam segetem Domino exhibeas, cùm ad exposcendam rerum ab vnoquoque in vitâ gestarum rationem, consentaneamque actionibus nostris mercedem referendam veniet. Quo quidem tempore iusti fulgebunt sicut sol, sceleratos autem caligo ac sempiterna ignominia obruet. Ac nunc, ô fratres, Deo vos commendo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est superædificare, & dare vobis hereditatem in sanctificatis omnibus. 1.Tim.1. *Ab hæresi cauendum.* Matth.13. Actor.20.

Rursum orat. Hæc cùm dixisset, positis genibus suis, quemadmodum scriptum est, cum lacrymis rursum orauit, atque conuersus Barachiam, quem regem designarat, omnesque eos qui magistratu fungebantur, exosculatus est. Tum verò res lacrymis sanè digna contigit. Omnes enim ipsum circumstantes (non secùs ac si hoc dūtaxat viuerent, quòd cum eo essent, ac simulatque ab eo disiungerentur, vitam amissuri essent) quid non dicebant quod ad ciendam misericordiam pertineret? aut quid relinquebant, quo eorum luctus augeri posset? Ipsum exosculabātur & complectebātur, mentisq; impotes præ dolore erant. Væ nobis, clamabāt, quàm graui calamitate opprimimur! Dominum eum appellabant, patrem, salutis auctorem, benè de se meritum. Per te, inquiebant, Dei cognitionem accepimus, errore liberati sumus, ab omnibus malis conquieuimus. Quid iam nobis post discessum tuum futurum est? Quænam mala nos arripient? Hæc cùm dicerent, pectora feriebant, eamque quæ eos inuaserat, calamitatem deplorabant. At ille consolatoriâ oratione ingentem eorum eiulatum comprimens, illud pollicebatur, se (quoniam corpore iam non poterat) spiritu cum illis fore. Hoc sermone habito, spectantibus omnibus è palatio excedit: ac statim omnes desperato reditu eum sequebantur, atque ex vrbe, vt quam iam conspicere minimè possent, profugiebant. Posteaquam autem è ciuitate egressi sunt, vix tandem atque ægrè acriùs eos ipso admonente, atq; etiam asperiorem interdum obiurgationem adiungente, ab eo distracti sunt, atque inuiti reuertebantur, idemtidem oculos reflectentes,

tes, ac pedibus inter ambulandum offendentes. Nonnulli autem ex iis qui feruentiori animo præditi erant, lugentes eminus ipsum sequebantur, quoadusque nox oborta eos inter se disiunxit.

CAP. XXXVII. Generosus igitur ille vir ex aulâ egressus est, perinde lætus atque alacris, vt cùm quispiam è longinquo ac diuturno exilio in patriam se refert. Atque externè quidem eas, quibus vti solebat, vestes gerebat; internè autem ciliciũ illud, quod Barlaam ipsi dono dederat. Porrò nocte illâ in pauperis cuiusdam viri domunculam se conferens, vestes eas quibus indutus erat abiicit, postremumque illud beneficium egenti tribuit. Cumque ad hunc modum tum illius tum multorum aliorum pauperum precibus Dei opem atque auxilium sibi acciuisset, eiusque gratiâ & præsidio tamquam salutis vestimento ac lætitiæ pallio sese induisset, ad solitariam vitam excessit, non panem, non aquam, non quidquam aliud ex iis, quæ ad victum necessaria sunt, secum ferens, nullumque aliud indumentum gerens, præter asperum illud cilicium, de quo paulò antè mentionem feci. Etenim singulari quodam desiderio, ac diuino immortalis regis Christi amore saucius, toto animo in id quod amabat incumbebat, totus extra se raptus, ac diuinitus immutatus, Deique charitate omni ex parte correptus. Fortis enim, inquit ille, sicut mors dilectio. Tantam videlicet ipse ex diuino amore temulentiam contraxerat, tantaque siti æstuabat, instar scilicet illius, qui dicebat: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Et quemadmodum anima illa, quæ huiusmodi charitate vulnerata erat, in Cantico canticorum ait: Vulnerata charitate ego sum. Ac rursum: Ostende mihi faciem tuam, & fac me audire vocem tuam; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Pauperibus dat vestes.

Solum cilicium portat.

Cant. 8.

Psal. 41.

Cant. 2.

Huiusce omni sermone præstantioris pulchritudinis Christi desiderio, tãquam igne quodam in pectore accepto, apostolorum chorus, ac martyrum agmina, omnia ea quæ oculis cernuntur contempserunt, atque omni huic fluxæ & caducæ vitæ innumera tormentorum & mortis genera prætulerunt, diuinæ pulchritudinis amore flagrantes, atque ingentem Dei Verbi erga nos amorem cum animis suis reputantes. Hunc ignem cùm præclarus etiã, ac corpore quidem nobilis, ceterùm longè nobiliore ac magis regio animo præditus vir in seipso accepisset, terrena omnia prorsus aspernatur, omnes corporis voluptates proculcat, opes & gloriam atq; humanos honores pro nihilo ducit, diadema & purpuram abiicit, aranearum telis viliora ea existimans, atque ad omnia dura & acerba monasticæ vitæ studia prompto animo sese tradit, illud Psalmistæ clamans: Adhæsit anima mea post te, ô Christe, suscipiat me dextera tua.

Christi amor difficultates omnes superat.

Psal. 62.

Cumque ad hunc modum, oculis à tergo minime contortis, in intimam solitudinem se contulisset, atque caducarum rerum confusionem, tamquam molestissimam quamdam sarcinam & catenam excussisset, spiritu lætabatur, coniectisq; in Christum, cuius desiderio ardebat, oculis, ad eum, tamquam ad præsentem, atque ipsius vocem audientem clamabat, eumque alloquebatur, his videlicet verbis vtens: Ne iam, quæso ô Domine, oculus meus huiusce vitæ bona videat; nec præsens vanitas mentem meam à suscepto itinere abstrahat: verùm, Domine mi, oculos meos spiritualibus lacrymis imple, gressusque meos dirige, famulumque tuum Barlaam mihi commonstra. Mihi inquam eum, per quem mihi salus parta est, ostende; vt solitariæ ac monasticæ vitæ sinceritatem per ipsum addiscam, ac non ob hostilis belli imperitiam in fraudem inducar. Da mihi, Domine, viam meam nancisci, per quam te adipiscar: quoniam anima mea tui desiderio saucia est: teque salutis fontem ardenter sitit.

Hæc secum perpetuò voluebat, atque ad Deum loquebatur, per orationem ac sublimissimam contemplationem ipsi sese coniungens. Atque ita contento gressu, cœptum iter exequebatur, ad locum eum, in quo Barlaam degebat, peruenire contendens. Herbis porrò iis, quæ in deserto existebant, alebatur. Neque enim, vt iam à me commemoratum est, præter corpus ac pannos illos quibus indutus erat, quidquam aliud secum ferebat.

Herbis tantùm victitat.

Ceterùm cùm exiguum ac nullius omnino momenti victum ex herbis sibi pararet, aquæ penuriâ prorsus laborabat, quòd videlicet solitudo illa aquæ expers esset. Cùm igitur sole iam sub meridiem vehementer ardente iter faceret, vehementiùs ob æstum in aridâ regione siti flagrabat, atque extremâ & grauissimâ ærumnâ vexabatur. Verùm cupiditas naturam vincebat, ac sitis ea diuina, quâ afficiebatur, sitis aquæ flammam minuebat.

Siti laborat.

At verò ille boni inimicus & inuidus diabolus, huiusmodi animi institutum, atque vsque adeò ardentem ipsius erga Deum charitatem indignissimo animo perspiciens, multas ipsi in solitudine tentationes excitabat; regiæ nimirum ipsius gloriæ, splendidissi-

Diaboli tentationibus impetitur.

BARLAAM ET IOSAPH. dissimæque satellitum manus, quâ ipsius latus cingi solebat, atque amicorum item & æqualium memoriam ipsi refricans: illudque item ipsi ob animum proponens, omnium animas ex ipsius animâ pendere: ac reliquas denique alias huiusce vitæ oblectationes ipsi obiiciens. Ac deinde virtutis asperitatem, atque ingentes eius sudores ipsi proponebat: corporis item imbecillitatem & inexpertas atque insuetas ærumnas, & temporis longinquitatem, ac præsentem sitis oppressionem, quodque nullâ ex parte consolatio vlla ipsi exspectanda esset, aut tanti laboris tantæque fatigationis finis. Ac denique ingentem in ipsius animo, quemadmodum quodam loco de magno Antonio proditum est, cogitationum puluerem commouebat.

Vt autem ad labefactandum ipsius animi institutum imbecillem hostis ille se vidit (Christum enim ipse sibi ob animum proponens, atque ipsius desiderio inflammatus, speque egregiè confirmatus, ac fide subnixus, illius instinctus & consilia pro nihilo ducebat) pudore suffusus est, vtpote ad primum, vt dici solet, impetum prostratus. Quapropter alteram viam inire cœpit (multas quippe ipsi vitij semitas habet) ac variis spectris eum euertere atque in metum coniicere nitebatur. *Vexatur spectris.* Nonnumquam enim ater ipsi, vt est, apparebat: nonnumquam rursus districtum gladium tenens, in eum impetum faciebat, seque eum, nisi quamprimùm ab instituto resiliret, percussurum minabatur. Quandoque rursus variarum bestiarum formam subibat, aduersus ipsum rugiens ac perquam horrendum mugitum & strepitum edens: atque etiam in draconis & aspidis & reguli formam sese subinde immutabat. At præclarus ille ac strenuissimus pugil tranquillo animo consistebat, vt qui Altissimum perfugium suum posuisset. *Psal. 90.* Ac mente excubans, pestiferumque spiritum irridens, dicebat: Non me fugit, ô impostor, quinam sis, qui hæc in me excites: nimirum qui iam inde ab initio mortalium generi perniciem moliaris, nec vmquam improbitati studere, ac nocumentum inferre desinas. Ac sanè quàm pulchrè tibi hic habitus quadrat! Nam hoc ipso quòd bestias & reptilia imitaris, mentis tuæ feritatem & peruersitatem, voluntatisque ad noxam ac pestem inferendam promptitudinem demonstras. Quid igitur, ô miser, ea aggrederis, quæ conficere non potes? Ex quo enim has artes atque hæc spectra à tuâ improbitate proficisci comperi, nullâ iam hinc sollicitudine afficior. *Psal. 117.* Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos. Et super aspidem & basiliscum, quorum tu similitudinem expressisti, ambulabo: *Psal. 90.* atque Christi potentiâ corroboratus, leonem & draconem conculcabo. Confundantur & erubescant omnes inimici mei, confundantur & erubescant valdè velociter. *Psal. 6.*

Hac oratione vtens, crucisque signo, hoc est inuictis armis seipsum cingens, omnia diaboli spectra irrita reddidit. *Vincit crucis signo.* Confestim enim bestiæ ac reptilia instar fumi euanuerunt, & sicut fluit cera à facie ignis. *Psal. 67.* Ipse autem Christi potentiâ confirmatus, læto animo proficiscebatur, Deoque gratias agebat. At etiam complures ac variæ bestiæ, variique generis serpentes & dracones, quos solitudo illa nutriebat, ipsi occurrentes, *Veræ bestiæ occurrunt.* non iam per inane spectrum, sed re verâ ab ipso cernebantur. Ex quo efficiebatur, vt metus quidem ac laboris via plena esset, ipse autem vtrumque animo & cogitatione superaret. Nam & metum charitas, vt Scripturæ verbis vtar, foràs mittebat: *1. Ioan. 4.* & laborem cupiditas leuabat. Ad hunc itaque modum cum multis & variis calamitatibus & ærumnis per dies haud paucos colluctatus, ad Sennaaritidem illam solitudinem, in quâ Barlaam habitabat, peruenit. Vbi etiam aquam nactus, sitis flammam restinxit.

CAP. XXVIII. Iosaphat autem biennium integrum in hac vastissimâ solitudine mansit, huc atque illuc oberrans, nec Barlaamum inueniens: *Biennio Barlaamũ quærit.* Deo nimirum hîc quoque animi ipsius firmitatem ac strenuitatem explorante. Ac sic, sub dio degens, tum æstu conflagrabat, tum frigore obrigebat, præstantissimum illum senem velut quemdam ingentis pretij thesaurum quærere numquam intermittens. Multas porrò pestiferorum spirituum tentationes, ac multa prælia sustinebat, multosque item labores, ob herbarum, quibus de more victitabat, penuriam perferebat: quoniam scilicet has quoque solitudo ea, vt quæ siccitate laboraret, parcè admodum produceret. Verùm adamantinus atque inuictus ipsius spiritus, amore ac desiderio ardens, huiusmodi molestias faciliùs ferebat, quàm alij voluptates ferre soleât. *Psal. 39.* Quocircà diuinâ ope minimè caruit: verum secundùm dolorum ipsius ac laborum multitudinem allatæ à Christo, cuius cupiditate flagrabat, consolationes, tam noctu quàm diu animum ipsius exhilarabant. Confecto autem biennij curriculo, Iosaphat quidem perpetuò circumibat, eum quem expetebat, quærens, atque ad Deum lacrymas fluminis instar profundens, meditabatur clamans, Ostende mihi, Domine,

mihi inquam eum ostende, qui mihi tui nominis cognitionem, ac tanta bona conciliauit, nec propter peccatorum meorum multitudinem tanto bono me priua: verùm hoc concede, vt & ipsius conspectu fruar, & idem cum eo religiosæ exercitationis certamen subeam.

Dei autem fauore speluncam quamdam inuenit, peruestigatâ videlicet eorum, qui eò se conferebant, semitâ: atque monachum quemdam solitarium vitæ genus colentem nanciscitur, eúmque maximo cum animi feruore complexus & osculatus, vbinam Barlaam habitaret, sciscitabatur, simulque ipsi rerum suarum statum exposuit. Cùm igitur ex ipso, vbi viri illius quem quærebat domus esset, intellexisset, eò quàm celerrimè, non secùs ac peritissimus quispiam venator feram nactus, se contulit, peragratisque alterius cuiusdam senis admonitu aliquot passuum millibus, lætus ac spei robore septus incedebat, æquè nimirum ac puer, qui patrem, quem iampridem non vidit, breui se conspecturum sperat. Nam cùm diuinus amor animum semel obsederit, multò acrior ac feruentior eò esse solet, qui à naturâ manat.

Diuini amoris vis ac potentia.

Inuenit Barlaamum.

Astat itaque speluncæ foribus, iisque pulsatis, Benedic, inquiebat, ô pater, benedic inquam. Vt autem Barlaam hac voce auditâ ex antro egressus est, eum per spiritum agnouit, qui ob admirandam illam mutationem, quâ à priore illo vultu ac florente iuuenilis ætatis pulchritudine demigrarat, ab extremo aspectu vix agnosci poterat, vt qui tum ex solis æstu atrorem contraxisset, & pilis abundaret, ac genas macie confectas, oculosque altè depressos, & palpebras lacrymarum fluentis vndique attritas, atque ingenti famis afflictione perustas haberet. At verò Iosaphat spiritualem patrem statim agnouit, vtpote iisdem oris lineamentis præditum. Confestim itaque senex versus Ortum stans, Deo precem cum gratiarum actione coniunctam adhibuit. Dictoque Amen, in mutuos amplexus statim ruerunt, diuturnam cupiditatem sine vllâ satietate explentes.

Cùm autem abundè sese complexi fuissent, atque consultassent, sedentes inter se colloquebatur. Ac sermonem exorsus Barlaam, his verbis vsus est: Præclarè fecisti, qui huc veneris, dilecte fili, fili inquam Dei, ac cælestis regni heres per Dominum nostrum Iesum Christum, quem dilexisti, atque caducis & fragilibus bonis non abs re chariorem habuisti: ac prudentis & sapientis mercatoris instar, omnibus facultatibus vendi-

Barlaam illi benè precatur.

Matth. 13.

tis, margaritam pretium omne superantem emisti, ac thesaurum qui surripi non possit, in agro mandatorum Domini absconditum nactus, omnia dedisti, nec rei vlli ex iis, quæ iam iamque effluxuræ sunt, pepercisti, quò agrum illum tibi compárares. Det tibi Dominus pro fluxis & caducis æterna, pro iis quæ interitui obnoxia sunt, ea in quæ nec interitus nec vetustas cadit.

Velim autem mihi dicas, charissime, quonam pacto huc accesseris, quique post discessum meum rerum tuarum status fuerit, atque tuúsne pater Deum norit, an verò nunc quoque eâdem, quâ priùs, dementiâ abreptus, à dæmonum fraude atque impostura captiuus abducatur. Hæc percontante Barlaamo, Iosaphat altiùs repetito sermone, quænam sibi post ipsius digressum contigissent, quamque prosperum rebus cursum Dominus ad id vsque tempus, quò rursum inter se conuenissent, tribuisset, sigillatim exposuit.

Narrat patris conuersionem.

Senex itaque hæc audiens, voluptate simul atque admiratione affectus est, calentesque lacrymas mittens, dicebat: Gloria tibi sit Deus noster, qui tui amore præditis semper præstò es, atque ipsis opitularis. Gloria tibi Christe, Rex omnium ac Deus optime, quoniam benigna tua voluntas ita tulit, vt semen illud, quod in serui tui Iosaphat animum iecisti, centuplicatum fructum afferret, te videlicet, animarum nostrarum agricolâ & Domino dignum. Gloria tibi Paraclete bone ac sanctissime Spiritus: quoniam quam tu sanctis tuis apostolis gratiam tribuisti, hanc etiam huic impertiendam duxisti: atque ingentem hominum multitudinem ipsius operâ superstitioso errore liberasti, ac verâ Dei cognitione illustrasti.

Ad hunc modum Deo ab vtroque gratiæ agebantur: ipsisque ita inter se colloquentibus, ac Dei gratiâ exultantibus, affuit vespera. Proinde ad orationem consurgentes, consuetum precationum pensum persoluerunt. Ac posteà, cùm cibo recreandum corpus esset, Barlaam magnificam mensam apposuit, spiritualibus videlicet epulis confertam, eius autem consolationis, quæ sensibus percipitur, quàm minimum sanè participem. Cruda enim dumtaxat olera erant, ipsiusmet manibus consita & exculta, palmæque perpaucæ, quæ in eâ solitudine inueniebantur, ac denique siluestres herbæ. Cùm igitur gratias Deo egissent, appositisque epulis corpus refecissent, atque aquam è propinquo fonte bibissent, ei rursum, qui manum aperit, & implet omne animal benedictione, gratias egerunt. Ac deinde

Barlaam abstinentia & ciborum delectus.

Ps. 144.

deinde consurgentes, posteaquam nocturnas preces absoluerunt, spirituale colloquium inierunt, salutares ac cælesti sapientiâ plenos sermones per totam noctem contexentes, quoadusque auroræ exortus ad consuetarum rursus orationum memoriam ipsos reuocaret.

Vigiliæ, & nocturnæ orationes.

Studium virtutis.

Mansit autem ad hunc modum diuturno tempore cum Barlaamo Iosaphat, admirabilem hanc atque humanâ conditione præstantiorem vitam colens, ac tamquam patrem & præceptorem cum omni obedientiâ & humilitate ipsum sequens: sic nimirum, vt ad omne virtutis studium exerceretur, atque quonam pacto cum spiritualibus & inuisibilibus spiritibus luctandum esset, edoceretur. Ex quo illud consecutus est, vt vitiosas omnes affectiones extingueret, carnisque affectum spiritui, non secus ac seruum domino, subiiceret, deliciarum omnium animique remissionum obliuione caperetur, somno tamquam improbo mancipio imperaret. Atque, vt breui perstringam, tanto studio in solitariæ vitæ certamen incumbebat, vt ipse quoque Barlaam, qui permultum temporis in eâ contriuerat, miraretur, ipsiusque acrimoniæ concederet. Tantulum enim duri illius atque consolatione carentis cibi admittebat, vt vitam dumtaxat toleraret, nec committeret, vt per vltrò accersitam mortem præmiis iis sese orbaret, quæ virtutum cultui ac studio tribuuntur. Sic autem naturam nocturnis excubiis subiiciebat, ac si nullâ omnino carnis & corporis parte constaret. Oratio porrò perpetuum ipsius studium erat: vniuersúmque vitæ tempus in spiritualibus ac cælestibus contemplationibus insumebatur; adeò vt nec horam vnam, imò nec vllum omnino temporis punctum, ex quo in eâ solitudine habitauit, deperderet. Ac sanè hoc demum verè monastici ordinis munus est; numquam à spirituali opere vacuum inueniri. Quod quidem generosus ille & expeditus cælestis itineris cursor egregiè præstitit, atque animi sui ardorem ab initio ad extremum vsque perpetuò conseruauit, ascensiones in corde semper disponens, ac de virtute ad sublimiorem virtutem transiliens, desideriúmque desiderio, ac studium studio indesinenter adiungens: quoad tandem ad speratam & expetitam beatitudinem peruenit.

Verum monachi munus in quo situm sit.

Psal. 83.

CA. XXXIX Cùm itaque hoc pacto Barlaam & Iosaphat vnà versarentur, ac pulchro inter se certamine contenderent, ab omni curâ & huiusce vitæ perturbatione immunes, mentemque ab omni confusione puram ac seiunctam habentes, post multos ab ipsis pietatis causâ susceptos labores, quodam die senex accersito spirituali filio, quem per Euangelium genuerat, huiusmodi spiritualem sermonem aggressus est:

Iam pridem, ô amice Iosaphat, te in hac solitudine habitare oportebat, atque hoc mihi oranti Christus de te pollicitus fuerat, fore, vt te ante extremum vitæ diem viderem. Vidi itaque quemadmodum cupiebam: vidi inquam te à mundo & mundi rebus auulsum, ac Christo minimè dubio ac vacillanti animo coniunctum, atque ad perfectam plenitudinis ipsius mensuram progressum. Nunc igitur, quandoquidem mortis meæ tempus instat, atque collactanea & mihi æqualis ea cupiditas, quæ vt cum Christo essem, semper me tenuit, iam expletur, tu quidem corpus meum terrâ conde, puluerique puluerem redde. Pòst autem ipse in hoc loco hære, susceptum spiritualis vitæ genus persequens, meæque tenuitatis memoriam retinens. Vereor enim ne tenebrosum dæmonum agmen animo meo propter ignorantiarum mearum multitudinem impedimentum afferat.

Mortem prædicit.

Timet purgatorium, ideò petit preces.

Tu verò, fili, ne religiosæ exercitationis laborem metuas, neque ad temporis longitudinem ac dæmonum insidias elanguescas: quin potiùs ipsorum imbecillitatem, Christi virtute communitus, audax irride: ad laborum autem duritiam, ac temporis diuturnitatem animo ita comparato esto, tamquam quotidie discessum è vitâ exspectans, atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ, tum initium tum finem esse existimans. Sic semper ea quæ à tergo sunt, obliuiscens, atque ad ea quæ à fronte sunt, teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu, quemadmodum sanctus Apostolus his verbis hortatur: Non deficiamus: sed licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Nam quod momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.

Mortis memoriam illi inculcat.

Philip. 3.

2. Cor. 4.

Hæc cum animo tuo reputans, vir charissime, viriliter age & confortare, atq; vt egregius miles, id da operam, vt ei qui te militem scripsit, placeas; nec quamuis imbecillitatis ac languoris cogitationes improbus ille spiritus tibi immittat, institutique tui neruos frangere ac debilitare studeat, ipsius insidias pertimescas, illud Domini præceptum

Psal. 26.

2. Tim. 2.

ceptum cogitans, in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. (Ioan. 16.) Quocircà gaude in Domino semper, quoniam ipse te elegit, atque à mundo seiunctum ante faciem suam posuit. Ipse autem, qui te vocatione suâ sanctâ vocauit, propè est semper. Nihil itaque sollicitus sis, sed in omni oratione atque obsecratione cum gratiarum actione petitiones tuæ innotescant apud Deum. (Philip. 4.) Ipse enim dixit: Non te deseram, nec derelinquam. Hæc itaque in vitæ duritiâ ac religiosæ exercitationis vilitate tecum ipse reputans, in animi voluptate versare, Domini Dei nostri memoriam retinens. (Psal. 76.) Memor enim, inquit, fui Dei, & delectatus sum.

Remedium aduersus vanam gloriam. Cùm autem rursum aduersarius aliud in te belli genus excogitauerit, sublimes nempe atque arrogantes cogitationes proponens, regnique terreni gloriam quam reliquisti, ceteraque quæ in mundo sunt, tibi in oculis collocans, salutiferam doctrinam clypei instar obtende, dicentem: (Lucæ 17.) Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quoniam id quod facere debuimus, fecimus. Et quidem quis nostrûm debitum illud, quo eam ob caussam Domino obstricti sumus, (2. Cor. 8.) quòd cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt nos eius paupertate diuites essemus, & qui à perpessione immunis erat, vt vitiosis affectionibus nos liberaret, cruciatus subiit, persoluere potest? Quod enim beneficium est, seruum eadem perpeti, quæ Dominus perpessus sit? Atqui nos permultùm ab ipsius cruciatibus remoti sumus. Hæc tecum reputa, (2. Cor. 10.) cogitationes destruens, & omnem altitudinem extollẽtem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigens omnẽ sensum in obedientiam Christi. (Philip. 4.) Et pax Dei, quę exuperat omnem sensum, custodiat cor tuum, & cogitationes tuas in Christo Iesu.

Hac oratione à Barlaamo habitâ, Iosaphat infinitam vim lacrymarum profudit, sic nempe, vt tamquam ex vberrimo fonte scaturiẽtes, ipsum prorsus, ac terram in quâ sedebat, proluerent. (*Cum illo mori desiderat.*) Atque ipse, huiusmodi dissidium deplorans, perquam ardenter ab eo contendebat, vt postremi illius itineris comitem se adhiberet, nec post ipsius discessum in mundo iam remaneret, his verbis vtens: Ecquid, ô pater, tui dumtaxat, ac non proximi rationem habes? Quonam autem modo hac in re perfectæ charitatis officio fungeris (pro eo atque à Christo dictum est, (Matth. 19. & 22.) Diliges proximũ tuum sicut te ipsum) cùm tu quidem ad requiem pergas, me autem in oppressione atque ærumna relinquas, ac priusquam in religiosæ vitæ certaminibus, vt par est, exercitatus sim, variasque hostium insidias compertas habeam, ad singularem pugnam cum ipsis ineundam me obiicias? Ex quo quidnam aliud contingere potest, nisi vt veteratoriis ipsorum artibus prosternar, atque vt imperitis ac timidis gladiatoribus vsu venire solet, sempiternam animæ mortem oppetam? At Dominum, quæso, roga atque obsecra, vt me quoq; tui è vita discessus socium adsciscas, id vt facias, per eam ipsam spem quam habes, fore vt laboris mercedem percipias, te obtestor. Hoc, inquam, à Deo precibus contende, vt ne vnicum quidem diem post tuum discessum in hac vitâ peregriner, atque in densissimâ hac solitudine oberrem.

Hæc cùm Iosaphat plorans diceret, senex placidè ac leniter ipsum reprimens, (*Consolatur Iosaphat.*) Dei iudiciis, inquit, quæ mentis humanæ captum excedunt, obluctari minimè debemus. Nam ego, cùm de hac re multas ad Deum preces fudissem, eumque cui nulla vis afferri potest, velut per vim adigere tentassem, vt ne inter nos disiungeremur, ab ipsius bonitate hoc didici, minimè tibi nunc conducibile esse carnis onus abiicere, verùm in religiosâ exercitatione tamdiu permanere, quoad splendidiorem coronam tibi texueris. Nondum enim pro eâ, quæ tibi parata est, mercede satis decertasti: verùm paulùm adhuc labores oportet, vt lætus in Domini tui gaudium intres. Nam ego quidem iam penè centenarius, annos quinque & septuaginta in hac solitudine confeci. Tibi verò, etiamsi non tanta temporis mora futura est, at certè ad id spatium, vt iubet Dominus, propiùs accedas necesse est: quò iis nullâ ex parte inferior sis, qui diei & æstus pondus pertulerunt. (Matth. 20.) Quapropter, ô amice, quæ à Deo decreta sunt, prompto ac lubenti animo accipe. Nam quæ ipse decreuit, quis tandem mortalium dissipare queat? Atque ipsius gratiâ conseruatus, tolerantiam præsta.

Illud etiam cura, vt aduersus inimicas (*Mentis puritati studendum.*) cogitationes animo excubes, ac mentis puritatem, non secùs ac quemdam ingentis pretij thesaurum, saluum & incolumem serues, ad sublimiorem actionem & contemplationem in dies teipsum prouehẽs: vt illud in te impleatur, quod Dominus amicis suis promisit, his verbis vtens: (Ioan. 14.) Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hęc, ac multò his plura sanctissima illa anima, ac theologicâ linguâ digna locutus senex, mœrentem ipsius animum leniuit. Deinde ad quosdam fratres, longo interuallo ab

BARLAAM ET IOSAPH.

ab ipso dissitos, eum amandat, vt ea, quæ ad sacrosanctum sacrificium conficiendum accommodata erant, afferret. Et quidem Iosaphat præcinctis vestibus quàm celerrimè hoc ministerium exequitur: verebatur enim ne absente Barlaam debitum naturæ munus persolueret, ac Domino spiritum reddens, graue sibi detrimentum inferret, siquidem & verborum, & extremarum allocutionum & orationum ipsius expers fuisset.

Adfert necessaria ad sacrificium.

Cùm igitur longinquum illud iter fortissimo animo confecisset, atque ea quæ ad sacrosanctum sacrificium opus erant, attulisset, diuinissimus Barlaam incruentum sacrificium Deo obtulit: perceptisque Christi ab omni labe puris mysteriis, ac Iosaphato item impertitis, spiritu exultauit, sumptoque de more cibo, salutaribus rursum sermonibus ipsius animum alere cœpit, his verbis vtens: Non iam, charissime fili, nos in hac vitâ eadem domus ac mensa coniunget: iam enim vltimam patrum meorum viam ingredior. Quocircà tibi faciendum est, vt per mandatorum diuinorum obseruationem, atque in hoc loco ad extremum vsque vitæ diem commorationem, tui erga me amoris specimen exhibeas; sic nimirum vitæ tuæ rationes instituens, quemadmodum didicisti, nec vmquam abiectæ atque ignauæ animæ meæ memoriam intermittens. Multùm itaque vale, atque in Christo delectare, atque exulta, quoniam terrena & interitui obnoxia cum sempiternis & ab interitu alienis bonis commutasti; ac propinqua est operum tuorum merces, ac iam iamque adest, qui mercedem refert. Qui quidem ad inspiciendam eam vineam, quam excoluisti, veniet, tibique pro eâ excultâ mercedem amplissimam præbebit. Fidelis enim sermo, vt clamat diuinus Paulus apostolus, atque omni acceptione dignus: Si commorimur, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus, in sempiterno illo ac finis experte regno incomparabili luce collustrari, atque verè beatæ ac principis Trinitatis illuminatione donati. Hæc Barlaam ad vesperam vsque, ac per totam etiam noctem, Iosaphato loquebatur effusissimè lacrymanti, atque huiusmodi disiunctionem ægerrimo animo ferenti. Iam autem lucente die manus atque oculos in cælum sustulit, Deoque gratias reddens, hoc sermone vsus est:

Barlaam Missam celebrat.

Commendat iterùm suam animam.

1. Tim. 1.

Meritum & merces.

Oratio Barlaam morientis. Psal. 50.

Domine Deus meus, qui vbique præsens es, atque omnia imples, gratias tibi ago, quoniam humilitatem meam respexisti, atque hoc mihi concessisti, vt in orthodoxâ tuâ fide, & mandatorum tuorum viâ, huiusce peregrinationis cursum absoluerim. Ac nunc, optime Domine, atque ad misericordiam propensissime, in æterna tabernacula tua me recipe: nec ea memoriâ retine, quæ vel sciens vel insciens in te peccaui. Conserua autem etiam fidelem hunc seruum tuum, cui me inutilem famulum tuum præesse voluisti. Ab omni vanitate atque aduersarij vexatione ipsum exime: illudque effice, vt nodosissimis iis laqueis, quos diabolus ad eorum omnium quibus salus cordi est, offensionem expandit, sublimior existat. Omnem impostoris potentiam, omnipotens Deus, à serui tui facie dele: atque eas ipsi vires affer, vt pestiferum hostis animarum nostrarum caput proculcet. Spiritus tui sancti gratiam ex alto in eum demitte, atque ad inuisibiles conflictus robur ipsi adde, vt victoriæ coronam à te consequatur, ac nomen tuum, ô Pater, ac Filij tui, & Spiritus sancti, in ipso celebretur: quoniam te decet laus & gloria in sæcula, Amen.

Hac precatione habitâ, cùm paterno affectu Iosaphatum complexus, atque oculo sancto exosculatus fuisset, ac sese crucis signo muniisset, pedesque extulisset, ingenti lætitiâ perfusus, non secùs ac si amici quidam accessissent, ad beatum iter, atque ad recipienda beatæ illius vitæ præmia profectus est, senex planè, ac spiritualium dierum plenus.

Muniens se cruce moritur.

CAP. XL.

Iosaphat autem summâ cum veneratione atque eiulatu patrem complexus, lacrymisque abluto ipsius corpore, atque aspero illo cilicio, quod ab eo in aulâ acceperat, inuoluto, consuetos psalmos recitat, per totum diem ac totam noctem simul & canens, & pretiosum beati viri corpus lacrymis rigans. Postridie autem effosso iuxta speluncam sepulchro, ac sacro corpore reuerenter admodum gestato, spiritualem patrem egregius & charissimus filius inhumauit, ardentiusque animo inflammatus, atque ad orationem seipsum quàm maximè contendens, his verbis vsus est:

Iosaphat super corpus psalmos recitabat.

Domine Deus meus exaudi orationem meam quâ clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me, quoniam te ex animo quæro: exquisiuit te anima mea, ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in irâ à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: tu autem Domine assumpsisti me. Legem pone mihi Domine in viâ tuâ, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam in te proiectus sum

Oratio Iosaphat ad Deum. Psal. 26.

Psal.21. sum ex vtero. De ventre matris meæ Deus
Psal.73. meus es: ne discesseris à me. Quoniam præter te non est mihi adiutor. En in miserationum tuarum abysso spem animæ meæ defixi. Vitam meam guberna, qui res omnes conditas sapientiæ prouidentiâ, omni sermone præstantiori, moderaris. Et notam fac mihi viam, in quâ ambulem: atque vt bonus ac benignus Deus, per famuli tui Barlaam preces ac supplicationes me serua, quoniam tu Deus meus es, ac te glorifico Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in sæcula, Amen. Hac oratione perfunctus, iuxta sepulchrum flens consedit, ac sedens obdormiuit. Atque formidandos illos viros, quos prius conspexerat, ad se venientes, seque ad maximum illum & admirandum campum ducentes, atque in illustrissimam illam ac splendidissimam ciuitatem introducentes, intueri sibi visus est. Cùm autem ipse portam ingrederetur, alij ipsi obuiàm fuerunt, ingenti lumine perfusi, coronasque eiusmodi pulchritudine collucentes, quæ nullâ oratione exprimi possit, & quales numquam mortales oculi conspexerunt, manibus tenentes. Percontante autem Iosaphat, Cuiusnam essent splendidissimæ illæ coronæ quas perspiceret: Tua quidem vna est (responderunt illi) tibi ob multas eas animas, quibus salutem attulisti, confecta: nunc verò ob religiosæ vitæ exercitationem, cui das operam, studiosiùs & accuratiùs adornata: si quidem strenuo animo eam ad extremum vsque peragraris. Altera autem tua quoque ipsa est: verùm patri tuo, qui ab improbâ viuendi ratione operâ tuâ deflexit, sinceroque animo resipuit, ac sese ad Dominum conuertit, eam præbeas oportet: Iosaphat autem eam rem molestè ferre videbatur. Et qui fieri potest (inquiebat) vt pater meus vnius duntaxat pœnitentiæ gratiâ, paria mihi, qui tot ac tantos labores exantlaui, beneficia consequatur? Hæc vt dixit, Barlaamum confestim sibi videre visus est, velut probris se insectantem, ac dicentem: Hi sunt, ô Iosaphat, sermones mei, quos quondam ad te habui: nimirum fore, vt cùm ad ingentes opes peruenisses, non iam liberalis ac profusus esses: ac tu ob id verbum ancipiti animo eras. Nunc autem quonam pacto parem tibi honore patrem esse molestè tulisti, ac non potiùs hoc nomine lætitiam animo concepisti, quoniam multæ tuæ pro eo fusæ preces exauditæ sunt? Iosaphat autem pro eo ac solebat, ad eum dixit: Ignosce pater, ignosce. Vbinam autem habites, fac intelligam. Tum Barlaam: In hac pulcherrimâ atque ingenti ciuitate domicilium nactus sum, in medio vrbis vico, immenso lumine coruscanti. Rursum autem Iosaphat sibi cum eo agere videbatur, vt ab eo in ipsius tabernaculum abduceretur, comiterque hospitio exciperetur. Ille autem nondum tempus adesse respondit, vt ad illa tabernacula veniret, quippe qui corporis sarcinâ adhuc premeretur. Quòd si forti animo, inquit, in sancto vitæ genere, velut tibi mandaui, perstiteris, aliquanto pòst venies, atque eadem tabernacula & eamdem lætitiam ac gloriam consequêris, mecumque in sempiternum eris. Experrectus autem Iosaphat, animum illâ luce atque omni sermonis facultate sublimiori gloriâ perfusum adhuc habebat: ac multâ cum admiratione, ad grati animi significationem Deum laudibus efferebat.

Dei orat, vt per famuli sui Barlaam preces se seruet.

Visio Iosaphat.

Videt coronas duas.

De coronâ patris miratur.

Illum obiurgat Barlaam.

Mansit autem ad extremum vsque verè angelicam in terrâ vitam ducens, ac duriori religiosæ exercitationis genere post senis discessum vtens. Nam cùm anno ætatis vigesimo quinto regnum terrenum reliquisset, monasticæque vitæ certamen subiisset, quinque & triginta annos in vastissimâ eâ solitudine, perinde ac si nullâ carnis parte constaret, humanâ conditione sublimiorem vitam egit: sic nempe, vt multas quidem hominum animas à pestifero serpente prius abstraxerit, Deoque integras & incolumes seruauerit, eaque in re apostolicam gratiam consecutus sit, animique etiam inductione martyr extiterit, ac Christum in regum ac tyrannorum oculis & aspectu fidenti animo confessus sit, vocalissimumque ipsius maiestatis præconem sese præbuerit: multosque rursum prauos spiritus in solitudine profligarit, omnesque Christi vi ac potentiâ superarit, cælestisque beneficij atque gratiæ vberrimè particeps factus sit. Vnde etiam animi oculum ab omni terrenâ caligine purum habebat, ac futura tamquam præsentia prospiciebat, Christusque ipsi rerum omnium instar erat, Christum expetebat, Christum non secùs ac præsentem cernebat, Christi pulchritudinem numquam non intuebatur: iuxta illud Prophetæ: Prouidebam Dominum in *Psal.15.* conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Ac rursum: Ad- *Psal.26.* hæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Etenim re verâ ipsius anima post Christum adhæsit, firmissimo nexu ipsi copulata. Neque enim ab admirandâ illâ operatione desciuit, nec religiosæ suæ exercitationis regulam immutauit. Quin potiùs ab initio ad finem vsque, atque ab ineunte ætate vsque ad tam prouectam ætatem eamdem animi alacritatem retinuit: imò,

xxxv. annos egit in solitudine Iosaphat.

imò, vt rectiùs loquar, ad subliniorem quotidie virtutem processit, ac puriorem diuino beneficio contemplationem consecutus est.

Denique cùm ad hunc modum vixisset, & vsque adeò dignam vocatione suâ operam ei à quo vocatus fuerat reddidisset, mundumque sibi ipsi, ac seipsum mundo crucifixisset, ad Deum in pacis in pace migrat, atque ad Dominum, cuius perpetua cupiditas eum tenuerat, proficiscitur, vultuique Domini purè ac sine vllius rei interpositu apparet, eaque iam ipsi præparatâ gloriæ coronâ exornatur, idque diuinitus consequitur, vt Christum cernat, cum Christo sit, Christi pulchritudine perpetuò exultet, in cuius manus commendata anima, ad viuorum regionem transiit, vbi epulantium sonus, vbi lætantium habitatio est.

Mors Iosaphat.

Psal. 41.

Præclarum autem ipsius corporis vir quidam sanctus, qui non longe ab eo habitabat, quique iter ipsi ad Barlaamum priùs commonstrarat, diuino quodam admonitu, eâ ipsâ horâ, quâ morte functus est, affuit, eo sacrosanctis cantibus ornato, profusisque lacrymis, quæ ipsius erga Iosaphat amoris indices essent, aliisque omnibus rebus, quæ apud Christianos in more atque instituto posita sunt, confectis atque absolutis, in patris Barlaami monumento eum condidit. Par siquidem erat, vt quorum animæ in perpetuum simul futuræ erant, eorum etiam corpora coniungerentur.

Cum Barlaam sepelitur.

Cuiusdam autem formidandi viri, qui id in somnis seriò imperabat, monachus ille qui ipsum funere extulerat, obtemperans, in Indiæ regnum se confert, regemque Barachiam conueniens, de omnibus Iosaphati rebus certiorem ipsum facit. Ille autem nullâ interpositâ morâ cum ingenti populi multitudine iter init, atque ad speluncam tandem peruenit, ac sepulcrum intuetur, illicque calentissimis lacrymis fusis integumentum tollit, cernitque Barlaamum & Iosaphat membra composito habitu sita habentes, corporaque nihil à pristino colore immutata, verùm integra & prorsus incolumia, vnà cum indumentis.

Per visionem hac in Indiâ iubentur nuntiari.

Hæc igitur sacrosanctarum animarum tabernacula, suauissimum odorem emittentia, nec fœdi quidquam exhibentia, præclaris loculis imposita, rex in patriam suam transfert.

Corpora integra rex Barachias in patriam transfert.

Vt autem ea res ad plebis aures peruenit, innumerabilis multitudo ex omnibus vrbibus ac finitimis locis ad beatorum illorum corporum conspectum & adorationem confluxit. Vbi etiam sacrosanctis hymnis eorum caussâ decantatis, copiosisque lampadibus accensis, aptè illic quispiam ac perquàm accommodatè dixisset, Lumina circa luminis filios & heredes. Luculenter autem simul ac magnificè in eâ ecclesia, quæ ab ipsis fundamentis à Iosaphat extructa fuerat, eorum corpora condita sunt. Multa porrò miracula, morborumque depulsiones, tum in corporum transuectione, tum in eorum inhumatione, tum etiam posteris temporibus, Dominus per pios famulos suos effecit. Viditque rex ac vulgus omne virtutes eas quæ per ipsos edebantur. Ac plerique è finitimis nationibus infidelitatis ac ignorationis Dei morbo laborantes, per ea signa, quæ in monumento fiebant, ad fidem accesserunt. Atque omnes qui ipsius Iosaphat vitam ad Angelorum imitationem expressam, atque à teneris vnguibus ardentem ipsius erga Deum amorem cernentes atque audientes, admiratione corripiebantur, Deum in omnibus celebrantes, qui se amantibus opem & auxilium numquam ferre desinit, eosque amplissimis beneficiis remuneratur.

Cum honore sepiuntur.

Multa miracula in translatione & depositione Sanctorum.

Hic præsentis libri finis est, quem pro meâ virili conscripsi, quemadmodum à præclaris viris, qui mihi hæc haud falsò tradiderunt, accepi. Vtinam autem vos, qui hanc animis vtilem historiam legitis atque auditis, ad eorum partem adsciscamini, qui Deo vitæ suæ rationes probauerunt, per orationes & intercessiones beatorum virorum Barlaam & Iosaphat, de quibus hæc historia contexta est in Christo Iesu Domino nostro, quem decet honor, imperium, maiestas & magnificentia, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper in sæcula sæculorum, Amen.

Intercessio Sanctorum.

NOTA-

NOTATIO.

1 VITA.] *De historiâ hac placet Illust*[mi] *Cardinalis Bellarmini iudicium: qui libro de Script. Eccles. in Ioanne Damasceno ita disquirit: Dubitatio existit, an hac narratio sit vera historia, an potiùs conficta ad erudiendos nobiles adolescentes, qualis est Vita Cyri apud Xenophontem. Ceterùm veram historiam esse constat ex eo, quòd S. Ioannes Damascenus in fine historia inuocat sanctos Barlaam & Iosaphat, quorum res gestas scripserat; & Ecclesia Catholica in Martyrologio descriptos veneratur die* XXVII. *Nouembris eosdem sanctos Barlaam & Iosaphat.*

Billius interpres ita ratiocinatur: Quod ad ipsam historia veritatem attinet, ob quasdam caussas, quas nihil hoc loco commemorare attinet, videri fortasse nonnullis potuisset, hoc opus non tam veram historiam esse, quàm sub historia specie tacitam vita monastica atque ad Christianam perfectionem exacta collaudationem: nisi auctor sub finem eam se ab hominibus à mendacij crimine alienis accepisse testaretur. Ei ergo, prasertim asseueranti, diffidere, hominis esse mihi videretur, plus suis suspicionibus, quàm Christiana charitati, qua omnia credit, tribuentis.

Ego vix dubito, quin totius historia fundamentum verum sit. Fortè disputationes quadam de quibusdam fidei mysteriis ab auctore vel addita, vel dilatata. Nam qui potuit Iosaphat, recèns ad fidem conuersus, tot Scriptura locis se communire, qui numquam ea legerat?

Habes totam hanc Vitam & historiam apud Vincentium in Spec. histor. lib. XV. *per capita* LXIV. *distinctam, qui antiquam versionem paululùm contraxit.*

Magis contraxit Petrus in Catalogo Sanctorum lib. X. *cap.* CXIV. *Habes integram ex antiquâ versione in Vitis Patrum ex Coloniensi editione, & apud Lipomanum tom.* V.

2. BARLAAM, &c.] *Martyrologium Romanum* XXVII *Nouembris:* Apud Indos Persis finitimos, sanctorum Barlaam & Iosaphat, quorum actus mirandos S. Ioannes Damascenus conscripsit. *Florarium SS. manuscrip.* XXIX. *Septembris:* Iosaphat regis & confessoris. & XXVII. *Decembr.* Iosaphat regis & eremitæ anno salutis CCCLXXXIII. *Quam atatem vnde Florarium hauserit, nescio. Menaa quoque solius Iosaphat meminère* XXVI. *Augusti:* Τοῦ ὁσίου Ἰωάσαφ υἱοῦ Ἀβεννὴρ τοῦ βασιλέως.

3. IOANNE DAMASCENO.] *Ioannem Damascenum Vita huius seu historia auctorem esse, his rationibus tuetur Billius:*

Primo, Quia Trapezuntius vir natione Gracus, & magni non inter suos tantùm, sed etiam inter nostros nominis, non alium quàm Damascenum eius auctorem protulit.

Secundò, Ipsa phrasis, reliquis ipsius operibus quàm simillima, Damascenum auctorem testatur.

Tertiò, Ad eam opinionem confirmandam illud mihi magni momenti est, quòd vt in libris De orthodoxâ fide, ac reliquis penè omnibus Damascenus multa è Basilio, Gregorio Nazianzeno, aliisque eiusdem nota Patribus, libenter corrogat, atque integros sapè versus, imò etiam totas periodos ab ipsis mutuatur; eodem modo in hac quoque historiâ, multa ex iisdem auctoribus, suppresso interim nomine, produci animaduerti, ac prasertim ex Nazianzeno, vt c. VII. VIII. X. XI XV. XVII. XX XXIV. *ac plerisque aliis locis.*

Quartò, Non solùm ab illis lubenter mutuò sumit, sed etiam multa quoque adfert ex libris De orthodoxâ fide ad verbum transcripta, vt ea omnia, qua cap. XV. *de arbitrij libertate disputat. Quod quidem, vt opinor, non tam apertè faceret, nisi tamquam suo iure iis, vt suis, vteretur.*

Quintò, Cap. XIX *disputatio ea de imaginibus, qua Damasceni atate feruebat, in eadem sententiâ non parùm me confirmat.*

Vt autem hac omnia pro Damasceno faciunt, ita hanc historiam Ioannis Sinaita minimè esse, apertissimè conuincunt.

Primò, Nam cùm ille Theodosij senioris tempore fuerit, vt patet ex lib. XIII. *histor. Miscell. Paulli Diaconi, quonam pacto in hac historiâ, quam auctor ex Indiâ transuectam testatur, Nazianzenum, cuius scripta vixdum in hominum manibus versabantur, citare potuisset, atque etiam eo antiquiorem Episcopum, ac Valentis tempore vitâ functum Basilium, suppresso licet nomine, cap.* XIX. *vbi de imaginibus tractat, & cap.* XXXIV. *vbi Iosaphat eam ad Deum orationem habet, quam ex Constitutionibus Basilij capite* I. *perspicuè hausit?*

Secundò, Quonam modo Barlaamum de imaginibus ad regis filium disserentem induceret, cùm ea quastio nondum eo tempore excitata fuisset? Hactenus Billius.

Bellarminus libro de Script. Eccles. in Ioanne Damasceno, argumentum obiicit & soluit de auctore Damasceno: Historia, inquit, Barlaam & Iosaphat insignis & vtilis est. Sed quia Barlaam, dum instruit discipulum suum Iosaphat, iubet eum credere in Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedentem: dubitatio exorta est, an hoc opus esse potuerit Ioannis Damasceni: qui libro I. *De fide orthodoxâ cap.* XI. *docet Spiritum sanctum non procedere* ex Filio, *sed, per* Filium. *Sed responderi potest, in historiâ Barlaam particulam illam,* ex Filio, *videri additam ab aliquo. Nam in nouâ editione per Billium castigatâ, non habetur,* ex Filio. *Hactenus Bellarminus.*

Inuenitur tamen hac historia in variis Bibliothecis M S S. Gracorum inscripta Ioanni Sinaita. Ita Bibliotheca Sfortiana num. 63. vt notat Baronius ad diem XXVII. *Nouembris: & ipse Billius eidem inscriptam inuenit in codice Graco Cl. V. Fumei.*

4. IACOBO BILLIO.] *Notus hic vir, variis ex Gracâ in Latinam linguam interpretationibus, vir verè Catholicus, nobilis Gallus, & abbas S. Michaëlis in Eremo, in Britanniâ minore.*

Exstat & alia antiqua versio, quam volunt esse procuratam à Georgio Trapezuntio. Eius nomine editur in editione Damasceni, anno M.D.XLVIII *Basilea ex officinâ Henrici Petri.*

Mihi videtur vetus translatio multo antiquior Trapezuntio. Nam inuenitur ea in manuscriptis membranaceis; & iam ante annos CCC. *eâ translatione vsus est Vincentius in Speculo historiali suprà citato. Trapezuntius verò Patrum memoriâ vixit, nondum* CL. *annis elapsis.*

Quisquis vetus interpres sit, de eius versione ita Billius: De Trapezuntij versione nihil aliud dicam,

BARLAAM ET IOSAPH.

nisi eam mihi quidem anteà semper valdè rudem & impolitam visam fuisse. Pòst autem (vbi per Ioannem à S. Andreâ, virum vt optimum & doctissimum, ita etiam optimorum ac doctissimorum librorum copiâ instructissimum, exemplaris Græci copia facta est) innumeris etiam locis vitiosam. Quod quidem lubentiùs certè nimiæ festinationi, quàm Græci sermonis ignorationi tribuendum putarem, nisi nimis multa loca essent, in quibus vix festinationis excusatione inscitiæ notam interpres deprecari queat. Quæ res suspicionem mihi nonnullam iniiceret, Trapezuntium fortasse versionis huiusce parentem non esse, nisi in quibusdam etiam aliis eum Græca persæpè non satis assecutum esse comperissem. Vtcumque se res habeat, nouam traductionem habes, si nihil aliud, præcedenti profectò, nisi fallor, paullò clariorem ac fideliorem.

CAP. I. 5. THOMAS.] *Thomam Indiæ fidem annuntiasse testatur Dorotheus in Synopsi, qui corpus eius requiescere scribit in* Calamine ciuitate Indiæ.

6. ATQVE AVREIS PENNIS.] *Prouerbium hoc rarius, nec facilè obuium.*

7. ABENNER.] *Mentio huius in Menæis Græcis* XXVI. *Augusti ratione Iosaphat filij, vbi scribitur* Ἀβεννήρ.

CAP. II. 8. NVLLVM NON LAPIDEM MOVISSET.] *Prouerbium hoc occurrit rursus infrà cap.* XXVI. *Habes apud varios auctores. Euripides in Heraclidis dixit* Πάντα κινῆσαι πέτρον.

9. THEOLOGVS MEVS.] *Ita Ioannes Euangelista κατ' ἐξοχὴν dictus. Vide Suidam.*

10. IGNEMQVE, VT DICI SOLET, SPIRANS.] *Et hoc prouerbij speciem habet.* CAP. IV.

11. IN CÆLVM SAGITTAS MITTERE.] *Reperire est apud Suidam & Zenodotum:* Εἰς τὸν οὐρανὸν τοξεύεις: In cælum iacularis. CAP. V.

12. IN AQVAM SEMINARE.] *Theognis:* CAP. XXI.

Ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς:

Par vt qui æquoreis semina mandat aquis.

13. SACROSANCTI MONACHI.] *De his, opinor, Martyrologium Romanum* III. *Augusti:* Apud Indos Persis finitimos passio sanctorum monachorum, & aliorum fidelium, quos Abenner rex persequens Ecclesiam Dei, diuersis affectos suppliciis cædi iussit. *Nisi in Martyrologio intelligantur ij, de quibus suprà in hac Vitâ, cap.* I. CAP. XXIII.

14. CAPREA CVM LEONE PVGNAM INIIT.] *Apud Suidam senarius:* Μὴ πρὸς λέοντα δορκὰς ἅψωμαι μάχης. Ne cum leone caprea pugnam sumpsero. CA. XXVI.

15. ASINVS ES LYRAM AVDIENS.] *Notissimum vulgò:* Ὄνος λύρας, *videlicet* ἀκροατής: Asinus lyræ auscultator. *Vide Parœmiographos.* CAP. XXXII.

16. SERVCH.] *An* Sarug *intelligit filium Reu, Genesis* XI? *Certè Epiphanius in Panarij principio originem idololatriæ deducit à Thare & Seruch, Thare autem Sarug auum habuit in Latino Bibliorum textu. Et qui in Latino textu est* Sarug, *in Græco est* Σερούχ. *vt nullum dubium sit, quin Damascenus ad locum illum Bibliorum & Epiphanij respiciat.*

VITA SANCTÆ [1] EVGENIÆ VIRGINIS AC MARTYRIS

25. DEC.

AVCTORE [2] INCERTO.

CAP. I.

IN [3] septimo Consulatu suo Commodus Imperator direxit illustrissimum virum [4] Philippum ad Ægyptum, vt præfecturam ageret Alexandriæ: & omnes potestates, quæ per totam Ægyptum administrabantur, eius arbitrio deseruirent. Hic itaque cum vxore Claudiâ, cum duobus filiis Auito & Sergio, & cum filiâ Eugeniâ, ab vrbe Romanâ ad vrbem Alexandriam dum venissent, & Romanâ grauitate ageret præfecturam, atque omnem prouinciam Ægypti Romanis legibus adornaret, cunctis quidem magicam curiositatem sectantibus finem imposuit, Iudæos verò nec nuncupationem nominis habere permisit, Christianos autem procul ab Alexandriâ tantùm debere esse constituit. Ipse verò plus licet philosophorum amicus quàm fautor idolorum, Romanis tamen superstitionibus, ac si religiosus cultor, instabat, non rationi sed traditioni concordans.

Eugeniæ parentes.

Philippus magos Ægypto pellit.

CAP. II.

Eugeniam igitur filiam suam dum litteris liberalibus perfectissimè docuisset, & tam Latino quàm Græco eloquio instruxisset, etiam philosophiam doceri permisit. Erat enim acris ingenij, & tam memoriæ capax, vt quidquid audiendo semel vel legendo potuisset arripere, perpetuò retineret. Erat autem Eugenia pulchra facie & eleganti corpore, sed pulchrior mente, & formosior castitate. Igitur cùm quintodecimo ætatis suæ anno ab [5] Aquilio, Aquilij consulis filio peteretur sponsa, interrogatur à patre, Vtrùm petenti iuueni illustrissimis orto natalibus consentiret? Illa respondit: Maritus moribus, non natalibus eligendus est: ipso enim, non parentibus eius vtendum est. Igitur cùm aliis atque aliis poscentibus animo castitatis obsiste-

Docetur Eugenia philosophiam.

Respuit Aquilij consulis F. coniugium.

Maritus moribus nō maioribus eligendus.

obsisteret, peruenit ad manus eius beatissimi Pauli apostoli doctrina: & licet sub paganissimis parentibus ageret, esse tamen cœpit animo Christiana.

CAP. III. *Christiani Alexādriā iussi discedere.* Et quoniam iussi fuerant Christiani ab Alexandriâ vrbe discedere, rogat parentes, vt spectandi gratiâ permitteretur prædia sua in suburbano Alexandriæ posita circuire. Cumque statim, vt poposcerat, impetrasset, & ab vrbe properaret ad villam, audit Christianos psallentes atque dicentes: *Psal. 95.* Omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster cælos fecit. Hæc ita audiens suspirauit & fleuit, & dicit ad eunuchos pueros nomine Protum & Hyacinthum: *Philosophorum sectas auersatur.* Scio vos mecum litteris eruditos, & digna simul & indigna hominum legimus gesta, philosophorum quoque syllogismos vano labore constructos studio scrupulosissimo transegimus: Aristotelica argumenta & Platonis ideas, & Epicuri sectas, & Socratis monita & Stoicorum: & vt breuiter cuncta complectar, quidquid cantat poëta, quidquid orator inuenit, quidquid philosophus cogitat, vnâ hac sententiâ excluduntur, quâ tripudiantes Christianos audimus psallere: *Psal. 95.* Omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster cælos fecit. Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in maiestate eius. Igitur iubet conferre sermonem: & Apostolus legitur, & Propheta laudatur: fit concordia fidei, & quâ arte ad penetralia sapientiæ diuinæ absque sui separatione perueniant, consilio ardenti definitur. Dominam me, inquit, vobis vsurpata potestas attribuit, sed sororem sapientia fecit. Simus ergo fratres, sicut diuina sapientia ordinauit, non sicut se iactat humana temeritas. Pergamus pariter ad Christianos, & sicut ordinauero, properemus. *Monasterium sancti Heleni.* Helenum audio dici episcopum, cuius est habitatio illa, in quâ die noctuque audiuntur Deo suo cantare, quos etiam nos, quoties transimus, psallentes audimus. Sed hic episcopus variis dicitur ecclesiæ suæ occupationibus detineri. His *Theodorus præfectus monasterij sancti Heleni.* autē qui in diuinis laudibus vacant, Theodorum quemdam presbyterum constituit, cuius tanta miracula narrantur, vt etiam cæcos suis orationibus illuminet, & dæmones effuget, & infirmantibus afferat sanitatem: sanè ad diuersorium huius congregationis, in quo Deo canitur, nullam patitur venire feminarum. *Curat se in virilem habitum attonderi Eugenia.* Hoc ergo considerans, tondere me arbitror, vt crastina nocturna profectio ordinata, per ipsos nobis transitum præbeat. Vobis itaque duobus iuxta [6] basternam ambulantibus, & ceteris præcedentibus ad locum deponar à vobis: & vacuâ pertranseunte [7] basternâ, nos tres herili habitu simul ad Dei homines properemus. Placuit vtrisque consilium: & sequenti nocte, sicut ordinauerat, adimpletur.

CAP. IV. Tantam autem credentibus sibi Christus gratiam exhibere dignatus est, vt eadem horâ, quâ ad monasterium peruenerunt, sanctus Helenus superueniret episcopus. Et quia mos est apud Ægyptum, quando circumeunt monasteria episcopi, psallentium eos sequatur exercitus, superuenit idem Helenus Heliopolis episcopus, & *Sanctus Helenus Heliopolis episcopus.* cum eo amplius quàm decem millia virorum, psallentium ac dicentium: Via iustorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum. Audiens hæc Eugenia, dixit ad socios: Considerate vim carminum, & videtis ad nos respicere, quidquid modulatis vocibus psallunt. Denique cùm de Deo vero noster tractatus in dispositione mutui sermonis haberetur, audiuimus hoc cantare: Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Deus autem noster cælos fecit. *Psal. 95.* Et ecce nunc arripientibus nobis iter, quo recedere cupimus à culturis idolorum, & vt ad Christianam culturam perueniamus, gratiam promereri: ecce millia hominum nobis occurrunt, vnâ voce clamantium & dicentium: Via iustorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum. Intelligamus ergo quò pergat hic populus: & si ad hoc habitaculum vadunt, quò nos ire disposuimus, iungamur canentibus turbis, & aduenientibus computati, ingrediamur vt socij, quousque notitias colligamus.

CAP. V. Igitur cùm se iunxissent psallentibus, inquirunt quis esset senior, qui solus vehiculo aselli vteretur in medio populi sequentis & præcedentis; audiunt quòd hic esset Helenus episcopus, ab infantiâ Christianus: qui dum infantulus in monasterio cresceret, tantæ sanctitatis virtutibus augebatur, vt si quando missus fuisset [8] ignem è vicino petere, ardentes prunas vestimento deferret illæso. *Sanctus Helenus ardentes prunas illæsâ veste defert.* Denique ante, inquit, paucos dies venit quidam magus, qui verborum argumentis populum Dei conabatur euertere, dicens falsum istum esse episcopum, se missum esse à Christo ad docendum. Hic autem erat versutissimus, & de Scripturis diuinis populum seducebat. Denique omnis turba Christianorum accessit ad hunc, quem videtis, patrem nostrum, & dicit ei: Audiuimus Zaream, quòd ipse sit missus à Christo: constitue diem, in quo eum aut recipias tibi socium, aut si potes, conuincas falsa dicentem. Igitur constituitur dies & locus in medio Heliopolis ciuitate: venit Zareas magus cum artibus suis, *Sancti Heleni cum Zareâ mago congressus.*

EVGENIA.

venit & Helenus episcopus cum orationibus suis. Cumque populum salutasset, ait: Nunc probabitis spiritus qui sunt à Deo. *1. Ioan. 4.* Et conuersus ad Zaream, cœpit verborum ingens habere luctamen: sed quia versutus erat nimis, & concludere eum sermonum ratione non potuit, respiciens populum fortiter lædi, quòd Zareas superior abscederet in verbis, modicum silentium postulauit, & ait ad populum: Pauli apostoli in hac parte monita omnino tenenda sunt: dicit enim Timotheo discipulo suo: *2. Tim. 2.* Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Sed ne hoc testimonium non quasi cauti, sed quasi timidi proferamus: accendatur ignis in mediâ ciuitate, & ingrediamur pariter flammas: & qui vstus non fuerit, credamus quòd hunc miserit Christus. Tunc omnibus sententia placuit. Statim denique ignis copiosus accensus est. Tunc beatus Helenus iubet Zaream introire flammas. Cui Zareas inquit: Ingredere tu primus, qui hoc proposuisti. Consignans se igitur beatissimus pater Helenus, expansis manibus ingentes flammas intrat: & stans illic dimidiâ ferè horâ, neque capillis, neque vestimentis ex aliquâ parte violatis, vt Zareas quoque intraret, similiter imperabat. Sed Zareas reluctare cœpit & fugere. At vbi inuitum illum populus in ignibus tradidit, statim eum circumdans flamma cœpit exurere. Et immittens se sanctus Helenus, licet semiustum, viuum tamen eripuit: quem cum dedecore eliminauit populus de finibus regionis huius. Hunc sicut videtis, quotidie quocumque perrexerit, in Dei laudibus populus comitatur.

Signo crucis munitus sanctus Helenus, in igne illæsus perstat.

CAP. VI.

Audiens hæc beata Eugenia, ingemuit, & procidit ad pedes eius, qui sibi retulerat ista, & ait: Obsecro te, vt me illi vnà cum istis duobus fratribus meis insinues: ex idolis enim conuerti volumus ad Christum. Et quia simul hoc definiuimus, & fratres sumus, etiam hoc ab eodem impetrare volumus, vt numquam nos patiatur ab inuicem separari. Et ille: Nunc, inquit, silete, quousque ingressus monasterium, ad quod pergit, paululùm requiescat, & cùm opportunum fuerit, intimabo ei omnia secundùm verbum tuum. Intereà dum appropinquasset monasterio, ad quod pergebat, ecce & illi egrediuntur obuiàm patri, hymnum Deo dicentes: *Psal. 47.* Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Ingredientibus episcopo & populo, etiam ingreditur Eugenia, cum Hiacyntho & Proto comitibus suis, tantum ei nota, cum quo sermonem habuerat.

Eugeniæ postulatio.

CAP. VII.

Matutinæ laudes. Sextâ mysteria celebrantur: Nonâ refectio.

Perfectis igitur matutinis laudibus, paululùm requieuit episcopus, & iussit sibi ad sextam præparari, vt diuina mysteria celebraret, vt dum sextam cœpisset, nona ad refectionem ieiunantium opportunè perueniret. Requiescens autem episcopus, somnium vidit, in quo ad simulacrum feminæ ducebatur, vt illi sacrificaret. Tunc dixi, inquit, in somnio his qui me tenebant: Permittite me vt loquar cum deâ vestrâ. Et cùm me permisissent loqui, dixit ei: Cognosce te creaturam Dei esse, & descende, & noli te permittere adorari. At illa his auditis descendit, & secuta est me, dicens: Non te deseram, quousq; me creatori meo restituas & conditori. Igitur cùm ista in animo episcopi voluerentur, accessit ad eum Eutropius, cum quo locuta fuerat Eugenia, & dixit ei: Tres pueri fratres vnanimiter culturam simulacrorum relinquentes, Christo seruientium numero in isto monasterio se sociari desiderantes, & hodie vestigia tua prosequentes, huc ingressi sunt: poscentesque me, cum lacrymis postulauerunt, vt mereantur notitiæ tuæ beatissimæ reuelari. Tunc beatus Helenus dixit: Gratias tibi Iesu bone refero, qui me præuenire fecisti huius rei notitiam. Tunc conuocari ad se præcepit pueros: & apprehendens manum Eugeniæ, fudit orationē. Quam cùm complesset, tulit sequestratim eos, & grauissimo vultu, quidnam dicerentur, interrogat? vel cuius nationis essent, credidit inquirendum. Ad hæc Eugenia respondit: Ciues, inquit, Romani sumus: vnus ex his duobus fratribus meis Protus dicitur, alius Hyacinthus, ego verò Eugenius nuncupor. Cui beatus Helenus dixit: Rectè te Eugenium vocas: viriliter enim agis, & confortetur cor tuum pro fide Christi. Ergo rectè vocaris Eugenius. Nam & hoc scias, quia Spiritu sancto nos & te Eugeniam corpore antè præuidimus, & qualiter huc veneris: & quòd isti tui sint, non me passus est præterire. Sed hoc mihi Dominus reuelare dignatus est, quòd gratissimum ei habitaculum in corpore tuo præparasti, custodiendo virginitatis præmium, & præsentis temporis blandimenta fallacia respuendo. Scito autem, te pro castitate multa passuram: sed non te deseret ille, cui te ex integro tradidisti. Ad Protum autem & Hyacinthum conuersus, ait: In corpore seruitutis positi, ingenuam dignitatem animi tenuistis fortiter & tenetis. Vnde vobis, me tacente, Christus Dominus loquitur, dicens: Amen amen dico vobis, iam non dicam vos seruos, sed amicos. *Ioan. 15.* Vnde & vos beatos annuntio, quia concordastis Spiritui sancto, quia vnani-

Visio S. Heleni.

Eugenia, etiam mutato habitu, diuinitus à sancto Heleno agnoscitur.

vnanimiter consensistis monitis Saluatoris, simul ad gloriam peruenientis illam percepturi. Hæc beatus Helenus, nullo alio teste præter Deum, locutus est in medio, & iussit eam sic in virili habitu permanere: & non eum deseruerunt, quousque Baptismatis sanctificatione instructi, monasterio, ad quod festinauerant, sociarentur.

CA. VIII. Redeamus autem ad illud tempus, quo Protus & Hyacinthus auferētes Eugeniam, abierunt. Basterna igitur, iumentis ambulantibus & pueris qui præibant, vacua peruenit ad matrem. Videntes autem eminus properantes pueros, & basternam venientem, occurrerunt cum gaudio vniuersi: & inuenientes vectorium vacuum, omnes simul mugitum reddiderunt, fit quoque repentè totius ciuitatis strepitus. Quis enim audire poterat, præfectum filiam charissimam perdidisse? Erat itaque planctus inæstimabilis, fletus immensus: lugebant vniuersi confusi: parentes filiam, sororem fratres, serui dominam: & tenebat vniuersos mœror, & infinita animi tribulatio. Fitque per totam prouinciam inquisitio, interrogantur aruspices, inquiruntur pithones: sacrificiis quoque & sceleratis superstitionibus dæmonia interrogantur, vt quò venisset Eugenia indicarent. Hoc solùm omnes dicebant, quòd eam dij de cælo rapuissent. Credidit factum pater: & fletum ad consolationem reuocans, dat festa responsis, & deorum illam numero consecrans, ex auro puro eius fecit fieri simulacrum: quod ita cœpit excoli, vt non minorem honorem quàm diis suis exhiberent. Mater tamen eius Claudia, & fratres Auitus & Sergius, nullâ poterant ratione consolationem accipere, sed erant intolerabiliter lugentes eam.

Plangunt Alexandrini Eugeniam quasi perditam.

Fit Eugeniæ simulacrum tamquam deæ.

CAP. IX. Beata autem Eugenia virili habitu & animo, in prædicto virorum monasterio permanebat: atque ita in diuinis eruditionibus profecit, vt intra secundum annum omnes scripturas Dominicas memoriâ retineret. Tanta in eâ erat animi tranquillitas, vt vnam illam omnes dicerent ex numero esse Angelorũ. Quis enim deprehenderet quòd esset femina, quam virtus Christi & virginitas immaculata protegebat, vt mirabilis esset & viris? Sermo enim eius erat humilis in charitate, clarus in mediocritate, vitiis carens, & facundiam fugiens, omnes in humilitate superabat. Nullus illâ ad orationem inueniebatur anterior, efficiebatur autem omnibus omnia: tristem consolabatur, læto congaudebat, irascentem vno sermone suo mitigabat: superbientem ita suo ædificabat exemplo, vt ouem subitò è lupo factam se credere delectaretur. Tantam à Deo est gratiam consecuta, vt quemcumque in dolore positum visitasset, omnis statim dolor recederet, & omnis salubritas adueniret. Comites autem eius Hyacinthus & Protus comitabantur eam, & erant in omnibus obtemperantes ei.

Catalogus virtutum sanctæ Eugeniæ.

CAP. X. Tertio igitur anno conuersionis eius, abbas qui præerat fratribus in monasterio, migrauit ad Dominum. Post cuius abscessum omnibus visum est vt sibi beatam Eugeniam eligerent abbatem. Tunc beata Eugenia metuens se feminam contra regulam viris præponi; item timens, ne omnes vnanimiter deprecantes sperneret, ait ad eos: Obsecro vos, vt Euangelium in præsenti adhibeatis. Quod cùm fuisset allatum, dixit: Quotiescumque Christianis aliquid eligendum est, Christus est ante omnia auscultandus. Videamus ergo in hac electione vestrâ, quid ipse præcipiat, vt & vestris iussis, & ipsius monitis intendamus. Et reuoluens codicem, venit ad locum, & cœpit legere, dicens: Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia principes gentium maiores sunt his quibus dominantur, & principatum eorum gerunt. Apud vos autem non est sic: sed si quis in vobis vult primus esse, sit vester vltimus: & si quis inter vos voluerit esse dominus, sit vester seruus. Et his dictis, adiecit: Ecce, inquit, & vestris iussis obtemperans, decreui primatum suscipere, & Domini iussionibus obedire: vltimum me vestræ charitati constituo. Exhilaratur omnium caussa in consensu eius: ipsa tamen ante omnes opus monasterij, quod infima solebat exercere persona, suscepit: in omnibus aquam portare, ligna concidere, munditias adhibere. In eo denique loco habitaculum sibi elegit, vbi ostiarius monasterij manebat, ne vel ipso se superiorem ostenderet. Sanè refectionem fratrum sollicitè curabat, & psallendo Deo ordinem fortiter custodiebat: & tertiæ, sextæ, nonæ, vespertinis vel nocturnis atque matutinis horis tam cautissimè insistebat, vt videretur iam perisse Deo, si horarum vel quidpiam spatij absque diuinis laudibus aliqua præteriisset. Ita denique in hoc opere esse Deo charior cœpit, vt dæmones ex obsessis corporibus pelleret, & cæcorum oculos aperiret. Sed quia multa singulatim narrare intendo per ordinem, quantum permittit breuitas, accedamus.

Cogitur præesse monasterio.

Matth. 20.

Lucæ 23.

Vilissima quæque muniaobit.

Precum horariarũ studiosissima.

CAP. XI. Matrona quædam Alexandrina, ceteris matronis præstantior, nomine Melanthia, audiens opinionem eius, venit ad eam, quia quartanâ grauissimè, & iam per annum & eo amplius vexabatur. Quam cùm beata Eugenia oleo perunxisset, omnem continuò

Melanthiam à quartanâ oleo sacro curat.

EVGENIA.

nuò violentiam fellis euomuit. Et sanissima reddita, pedibus ad suum diuersorium properauit, quod in vicino monasterij possidebat. Ordinat intereà munera, scyphos argenteos tres implet solidis, & hos sanationis suæ gratiâ mittit ad beatam Eugeniam. Cui gratanter remittens, quæ miserat, ait: Abundamus, & superabundamus omnibus bonis. Vnde te parens charissima Melanthia, vt ista egentibus magis ac necessitatem patientibus diuidas, hortor & moneo.

CAP. XII.

Audiens Melanthia, contristata est: & veniens, cœpit rogare & ampliora promittere. Fit assidua circa beatam Eugeniam, & in nullo deprehendens quòd esset femina, elegantiâ decipitur iuuentutis. Videns eam, iuuenem per veritatem putabat esse terrenum: se autem non sanctitate eius, sed aliquâ arte existimans fuisse saluatam, in concupiscentiâ eius elabitur; & putans amplioris pecuniæ cupidiorem, cœpit infinita offerre, & ampliora promittere. Cumque sæpiùs eadem precaretur, & grato animo oblata sibi ab Eugeniâ cerneret reddi, declinat ad maiorem interitum, ægritudinem simulans. Quam cùm beata Eugenia rogata visitaret, sedenti ante lectum suum sanctæ Eugeniæ talia cœpit producere: Intolerabilis circa te amor pectus meum exagitat, nec vllum remedium fatigationi meæ reperire potui, nisi vt te omnium rerum mearum dominum instituam. Quid teipsum vanis & inanibus abstinentiis crucias? Ecce possessionum locupletatio infinita, & ecce auri pondus immensum, & argenti ministerium copiosum, & familiæ infinitus est numerus: dignitas generositatis est mihi: hoc anno absque filiis viduata sum, succede pro eis in facultatibus meis, & non solùm rerum mearum, sed meus esto iam dominus. Cumque hæc & his similia loqueretur, dixit ad eam Eugenia: Rectè nomen tuum nigredinis testatur perfidiam: magnum enim te diabolo habitaculum præparasti: discede à seruis Dei deceptrix & illecebrosa Melanthia: nos enim aliter militamus. Habeant opes tuæ tui similes dominos, nos delectat mendicare cum Christo. Affatim diues est, qui cum Christo pauper est. Fugiant à te imagines concupiscentiæ, non est enim salutis tuæ ista quæ te inuasit insania. Draconis habitaculum facta, venenum effundis: sed nos Christi inuocato nomine, venenorum tuorum virus euadimus, & misericordiam Domini inuenimus.

Melanthia incesto Eugeniæ ardet amore.

Fortiter resistit Eugenia.

CA. XIII. *Falsò accusatur attentati stupri.*

Tunc illa deceptionis suæ pudorem non ferens, sperans se detegi, nisi prior ipsa detegeret, reuersa Alexandriam, adire præfectum statuit, hoc ordine dicens: Scelestum iuuenem, simulantem Christianam religionem incurri: & dum medendi gratiâ, quâ dicitur posse infirmitatibus prodesse, ad me venire permitterem, vnam me ex illis existimans, de quarum pudore bacchatur, ausus est impudenter alloqui, & verbis procacibus ad crimen hortari: & nisi dedissem vocem in præsenti, & ancillæ meæ fuissem liberata solatio, more barbarico suæ me libidini captiuasset. Audiens hæc præfectus, nimio furore inflammatur, & iubet ad loca monasterij destinari, qui eum vinctum ferro cum omnibus commorantibus deponerent. Deponuntur itaque omnes in vinculis: & quia vnius carceris eos non ferebat locus, per diuersas custodias diuiduntur. Post hæc statuitur dies funeris: in quo alij ad bestias, alij verò ad ignes, alij ad diuersa supplicia damnarentur. Fit rumor immensus, impudens quoque fama cunctam Ægypti peragrat prouinciam. Omnes credunt, omnes condemnant, & omnibus verisimile videtur, Melanthiam illustrem feminam mentiri non posse. Quid multa? Venit dies funerum constitutus: & in quâ vniuersæ ciuitates in vicino positæ conueniunt, vt viderent ferarum tradi morsibus corruptores; introducuntur in catenis, & à collaribus ferreis cum beatâ Eugeniâ: & nullo agnoscente quòd esset femina, clamor populi diuersis sententiis ingruebat. Tunc iubetur adduci propinquiùs, vt non per internuntios eam præfectus audiret, sed ex ore eius addisceret veritatem. Aptantur equulei & verbera, flammæ, tortores, & cetera quæ solent abscondita cordis exsculpere, præparantur.

Præfectus Alexandrinus Eugeniam comprehendi iubet.

Catenis vincta sistitur præfecto.

CAP. XIV.

Tunc præfectus Philippus dixit: Dic sceleratissime Christianorum, hoc vobis Christus vester tradidit in mandatis, vt operam corruptionibus detis, & pudorem atque verecundiam matronalem fraudulentâ astutiâ capiatis? Dic nunc furcifer, quæ te temeritas coëgit, vt illustrem feminam Melanthiam appeteres, & ingressus sub specie medici, castitatem generosissimam ad lupanariam ignominiam prouocares? Audiens hæc beata Eugenia, capite demisso, ne possit agnosci, taliter dedit præfecto responsum: Dominus meus Iesus Christus, cui ego seruio, castitatem docuit: & integritatem corporis custodientibus vitam promittit æternam. Hanc autem Melanthiam, falsam testem nunc possumus declarare: sed melius est, vt nos patiamur mala, quàm illa, dum conuicta fuerit, aliquid patiatur, ne & fructus patientiæ nostræ depereat: sed tamen, si per victoriam principum testetur vestra sublimitas, quòd non

Præfectus Eugeniæ pater agit in filiam incognitâ.

Eugenia prudentissima responsio.

non in eam ipsam retorqueatis sententiam, & hæc fallax testis nihil patiatur mali, nunc probabimus crimen, quod nobis obiicit, redundare in eam.

At vbi testatus est per principum salutem præfectus, promittens ad omnia quæ postulabat effectum, dixit Eugenia: O Melanthia nigredinis nomen, & tenebrosa Melanthia: applicari fecisti aculeos, suspendi præcipis Christianos. Damna, percute, incende: benè nos accipis: non tamen tales habet famulos Christus, quales tu testaris. Tamen adduci præcipe ancillam, quam testem nostri criminis esse dixisti, vt ex ore eius possit denudari mendacium. Cumque applicata fuisset in conspectu iudicis, cœpit dicere: Istum iuuenem impudicissimum, frequenter quidem circa viles personas dectum in adulteriis, ipsa impunitas ad hoc eum perduxit, vt etiam dominæ meæ circa primam horam diei cubiculum impudenter ingressus, primò quidem sermone quasi pro salute eius veniret, indicaret; secundò pro suâ concupiscentiâ; & tertiò etiam ad violentiam, si cursim ego ingressa familiam non vocassem, quæ hodie huius criminis testis est. Tunc præfectus ex familiâ adesse iubet aliquos, qui ita gestum esse suo testimonio confirmarent. Cumque applicarentur singuli, ita esse, vt illa dixerat, testabantur. Tunc iudex vehementer commotus, ait: Quid ad hæc infauste dicturus es, quem tot reuincunt testes, tantaque indicia manifestant?

Ancilla falsum testimonium contra Eugeniam.

CAP. XV.

Eccli 3.

Ad hæc beata Eugenia ait: Tempus loquendi est, quia tempus tacendi transiit. Optaueram quidem crimen obiectum in futuro iudicio denudari, & castitatē meam illi soli ostendere, cuius amore seruanda est. Tamen ne glorietur in seruos Christi fallax audacia, & paucis pandam verbis veritatem, non ad iactantiam humanæ declamationis, sed ad gloriam nominis Christi. Tanta enim est virtus nominis eius, vt etiam feminæ in timore eius positæ, virilem obtineant dignitatem: & neque ei sexus diuersitas fide potest inueniri superior, cùm beatus Paulus apostolus magister omnium Christianorum dicat, quòd apud Dominum non sit discretio masculi & feminæ: omnes enim in Christo vnum sumus. Huius ergo normam animo feruente suscepi, & ex confidentiâ quam in Christo habui, nolui esse femina, sed virginitatem immaculatam totâ animi intentione conseruans, virum gessi constanter in Christo. Non enim infrunitam honestatis simulationem assumpsi, vt vir feminam simularem: sed femina viriliter agendo, virum gessi, virginitatem quæ in Christo est, fortiter amplectendo. Et hæc dicens, scidit à capite tunicam, quâ erat induta, & apparuit femina. Et statim ad præfectum ait: Tu mihi quidem secundùm carnem pater, Claudia mater est: & fratres hi duo qui tecum sedent, Auitus & Sergius. Ego autem Eugenia filia tua, quæ pro amore Christi mundum omnem cum deliciis suis respui tamquam stercus. Ecce Protus & Hyacinthus eunuchi mei, cum quibus scholam Christi ingressa sum: Christus autem tam idoneus ibi extitit, vt victricem libidinum omnis pollutionis me faceret per misericordiam suam, cui credo vsque in finem me iugiter permansuram.

Egregiè se purgat Eugenia.

Galat. 3.

Sexu suo omnes criminatores confundit.

CAP. XVI.

Agnoscitur à parentibus.

Agnoscentes itaque pater filiam, & sororem fratres, serui dominam, currunt statim ad eam: & effundentes lacrymas in conspectu populi, amplexibus eius incumbunt. Nuntiatur factum Claudiæ matri, & statim cursu concito ad spectaculum venit. Deferuntur vestimenta auro texta, & licet inuita, induitur, atque in excelso tribunali posita, in sublime attollitur, & ab omni populo clamatur: Vnus Christus, vnus & verus Deus Christianorum. Sanè sacerdotes & episcopi, qui cum multo populo Christiano ante amphitheatrum erant, & dum fuissent interfecti hi qui accusabantur, ab eisdem sepelirentur, ingrediuntur, Deo hymnum dicentes, atque omnes vnâ voce clamantes: Dextera Domini glorificata est in virtute, dextera manus tua Domine confregit inimicos. Tollitur ergo in triumpho Eugenia: & ne tanto gaudio populi, eius defuisset probatio castitatis, visus est ignis de cælo descendens: qui ita circumdedit domum Melanthiæ, vt nec vestigium alicuius rei, quæ ad eam pertinebat, remanserit. Fit gaudium populi cum timore Dei: ecclesia quæ iam quasi viduata, octauo anno clausa fuerat, reseratur. Reuocatur Christianorum populus, baptizatur præfectus in fascibus constitutus, baptizantur filij eius, baptizatur mater eius Claudia. Restituit priuilegia Christianis, & mittit relationem ad Seuerum imperatorem de Christianis, & memorat satis reipublicæ Christianos prodesse, ideò debere eos absque persecutione aliquâ in vrbibus habitare. Consentit relationibus Imperator: & fit tota Alexandrina ciuitas quasi vna ecclesia. Eratque omnibus ciuitatibus gaudium, & dignitas Christiani nominis florescebat.

Psal. 117.

Baptizatur tota familia.

Pax datur Christianis.

CA. XVII.

Sed quia semper sanctitatem æmulatio sequitur inimici, & contra bonitatem pugnat malitia: consilio diaboli aliqui ex honoratis Alexandriæ, cultores idolorum, accipien-

Excitatur persecutio.

cipientes ægrè, quòd Christianis priuilegia tribuisset: venientes ad regem, dixerunt statum reipublicæ conturbatum à Philippo, qui cùm nono anno in fascibus irreprehensibiliter administrauerit, [10] nunc decimo anno perdidit omnia. Denique deorum immortalium deseruit cærimonias, & omnem ciuitatem ad culturam cuiusdam hominis, quem Iudæi occiderunt, conuertit. Non est legibus vestris vlla reuerentia. Passim quisque vt voluerit, templa reuerenda ingreditur, non vt colendi beneuolentiam prætendat, & non vt deos esse quos colimus, credat; sed vt dicat infinitas blasphemias, saxa aut metalla potiùs quàm diuini nominis signa. Hæc & similia multa dicta sunt Seuero & Antonino Augustis. [11] Qui commoti, direxerunt ad eum huiuscemodi decreta:

Imperatorum littera ad Philippum.

Diuus parens noster, Commodus quondam Augustus, non vt præfectum, sed [12] vt regem te Alexandriæ ordinauit atque constituit, vt dum in vitâ maneres, successorem nullum susciperes. Vnde his beneficiis eius superaddere cupientes, statuimus, vt diis omnipotentibus solitam culturam exhibeas: vel depositâ dignitate, etiam propriis facultatibus cedas.

XVIII. Philippus bona sua ecclesiis & pauperibus erogat.

Accepta igitur hac Augusti auctoritate, simulat ægritudinem, quousque vniuersa distraheret, & donaret per omnem prouinciam ecclesiis & pauperibus. Ipse autem præfectus in timore Dei & in culturâ Christi etiam alios confortabat in Christo. Intereà omnis Alexandria conspirat [13] in episcopatum eius, & cœpit eum respublica habere præfectum, quia successor ei nondum venerat, & ecclesia habere episcopum, quia merito fidei sibi eum elegerat sacerdotem. Durauit autem in episcopatu vnum annum & menses tres.

Dignus habetur episcopatus honore.

CAP. XIX. Perennius præfectus Alexandriæ.

Post hæc autem spatia temporum, veniens [14] Perennius præfectus, dum Alexandriæ quæreret percutere eum, & non posset, quia omnis ciuitas in amore eius durabat: immisit ei qui se fingerent Christianos, & ingredientes, [15] percusserunt eum in oratione Dominicâ constitutum. Pòst traduntur percussores præfecto Perennio. Ille autem conscius iussionis suæ, & quasi audiendos, custodiæ mancipauit: post paucos autem dies principum indulgentiâ relaxatos, dimisit. Beatissimus autem Philippus, post percussuram tribus diebus in corpore esse permissus est, non ad aliud, nisi ad corda dubia confirmāda; nam vt migraret ad Dominum, martyrij se noluit coronâ fraudari: & ipse hanc vt reciperet, orauit. Nam qui in corpore positus dæmonia fugabat, & illuminabat oratione cæcos, quantò magis se noluisset palmâ priuari? Poterat vtique quod volebat, impetrare sine dubio: & ita recepit, vt particeps nominis Philippi, esset particeps & coronæ: & susciperent martyres collegam, quem meritò Ecclesia susceperat sacerdotem.

Philippus gladio percutitur.

Iuxta atria itaque ibi sancta Eugenia filia eius monasterium Christi virginibus collocauerat, illic suum iussit collocari corpusculum, in quo loco beatissima Claudia xenodochium fabricabat, & constituit prædia, quæ susceptionibus peregrinantium deseruirent: ipsa autem cum Auito & Sergio filiis, & cum beatâ Eugeniâ regressa est Romam.

Eugenia monasterium virginū struxit.

Claudia xenodochium erigit super sepulchro Philippi.

CAP. XX.

Igitur filios Philippi cum omni gaudio senatus recepit Romanorum: & vnum proconsulem Carthaginem, alium vicarium Africæ dirigunt. Ad beatam autem Eugeniam cùm multæ matronæ conuenirent, & pænè omnes virgines, quascumque potuisset, notas aut amicas, faceret etiam Christo credere, & in virginitate Dominicâ permanere; quædam ex regio genere virgo, Basilla nomine, cupiebat eam attingere. Sed quia caussâ nominis Christiani ad eam ire non poterat, rogabat per internuntium fidelem, vt eam de religione Christianâ instrueret.

Basilla Eugeniæ societatem expetit.

Tunc beata Eugenia conuocat ad se beatissimos comites suos Protum & Hyacinthum, & dicit eis: Accingimini militiâ ad quam vos conuocat Christus; quò vos Basillæ offeram sub specie muneris, vt vos eam in Christo faciatis ancillam. Fit itaque huius muneris gratia: & suscipit Basilla quasi famulos, sed eos quasi apostolos honorabat. Vacabat autem cum eis omni horâ: & quasi eunuchos seruitio habens, non diebus, non noctibus à colloquiis Dei & orationibus cessabat. Igitur Cornelius cùm esset in vrbe Româ, sacræ legis antistes, peruenit ad eam latenter, & baptizauit eam. Confirmatâ autem beatâ Basillâ in timore Dei, procurante misericordiâ Christi, pænè omnibus noctibus mutuis se fruebantur adspectibus ipsa & beata Eugenia.

Cornelius papa baptizat Basillam.

CAP. XXI. Claudia viduas, Eugenia virgines congregat.

Omnibus itaque viduis Christianis conuentus erat ad beatam Claudiam, & omnibus virginibus conuentus erat ad beatam Eugeniam. Sanctus autem Cornelius papa vrbis Romæ, omni vespere sabbati, quæ lucescit in Dominico die, dabat eis noctem hymnis peruigilem, & pullorum canoribus noctis quiete agebat eius sacrosancta mysteria, & ita confirmabat eas sabbato. Eugenia autem & Basilla, vt memoraui, omnibus se pænè noctibus fruebantur in Christo, & alterno se eloquio renouabant. O quantas per Eugeniam virgines Saluator inue-

Nocte Dominicâ hymni & sacra mysteria.

inuenit! quantas etiam per Basillam Christus sponsas obtinuit! quantæ per Claudiam viduitatem promptâ voluntate seruarunt! quanti iuuenes per Protum & Hyacinthum Christo Domino crediderunt!

CA. XXII. *Persecutio Christianorum.* Valeriano itaque & Gallieno imperantibus, orta seditio de Christianis est, eò quòd Cyprianus Carthaginem euerteret, & Cornelius Romam. Data est ergo auctoritas ad Paternum proconsulem, vt Cyprianum occideret. Cornelius autem quia à multis Romanis etiam illustribus fouebatur, erat in abditis. *Reuelat Dominus Eugeniæ & Basillæ coronas proximas.* Tunc beata Eugenia videns Basillam, ait: Reuelatum est mihi à Domino, quòd pro virginitate passura sis. Et Basilla ad Eugeniam respondit: Et mihi, inquit, dignatus est Dominus demonstrare, quòd martyrij coronam duplicem capias: vnam, quam apud Alexandriam pro iustis laboribus acquisisti: & aliam, quam in effusione tui sanguinis consecutura es. Tunc beata *Oratio Eugeniæ ad Christum.* Eugenia expandens manus suas, dixit: Domine Iesu Altissimi filius, qui ad salutem nostram venisti per virginitatem matris, tu per virginitatis præmium, omnes quas mihi credidisti, perduc ad regnum gloriæ tuæ.

CA. XXIII. *Eugeniæ adhortatio ad virginitatem & martyrium.* Residentibus autem sanctis virginibus Christi, quæ erant cum Eugeniâ & Basillâ, dixit omnibus beata Eugenia: Ecce vindemiæ tempus est, in quo succiduntur botri, & pedibus conculcantur: sed post hæc regalibus conuiuiis apponuntur. Absque eorum sanguine nulla potestas imperij, nulla illustris dignitas decoratur: & vos palmites mei, & meorum viscerum botri, estote parati in Domino. Virginitas enim est primæ virtutis indicium Deo proximum, similis Angelis, parens vitæ, amica sanctitatis, via securitatis, domina gaudij, dux virtutis, fomentum & corona fidei, adminiculum & subsidium charitatis. Nihil ita nobis laborandum, nihil ita est enitendum, nisi cum virginitate viuamus: aut quod est gloriosius, pro virginitate etiam moriamur. *Mundi blandimenta fallacia.* Quæ sunt huius mundi blandimenta fallacissima, & cum gaudio temporali veniunt, & cum perpetuo dolore discedunt: faciunt momentaneum risum, vt æternum fletum infligant: tribuunt fugitiuos flores, vt marcidiores perseuerantes aduehent: mentiuntur securitatem transeuntis temporis, vt perpetui sæculi cruciatibus tradant. Ideoque charissimæ virgines, quæ mecum in agone virginitatis nunc vsque accurristis, permanete in amore Domini, quem cœpistis. Tempus flendi temporaliter, sine fastidio & horrore sufferte, vt tempora gaudij æterni cum omni possitis dilectione suscipere. Ego enim commendaui vos Spiritui sancto, & credo quòd vos mihi integras omnes illibatasque constituat. Nolite itaque faciem meam ex hoc corporaliter quærere, sed gesta & actus per spiritum contemplamini. Et his dictis, osculata est vniuersas, & flentes fortissimo animo consolabatur. Dicentibus autem sibi vale inuicem Basillâ & Eugeniâ, oratione factâ discedunt.

CA. XXIV. *Basilla ab ancillâ proditur.* Ecce eodem die perrexit vna ex ancillis ad Pompeium sponsum Basillæ, quæ & dixit: Quia te dominam nostram Basillam nouimus ab Imperatore meruisse, sextus & eo ampliùs est annus, quam tu in tenero ætatis anno, vt posteà acciperes, distulisti: sed patruelem eius Helenum scias esse *Helenus patruelis Basillæ.* Christianum, & hanc ita factam Christianam, vt tibi omnino non nubat. Nam & duos eunuchos Protum & Hyacinthum simulauit se illi donum offerre Eugenia: quos illa quasi dominos excolit, & quotidie pedes eorum ac si deorum immortalium *Basilla pedes Proti & Hyacinthi osculatur.* osculatur, quia ipsi auctores sunt artis magicæ, quam Christiani committunt. His auditis, Pompeius statim cucurrit ad Helenum patruelem eius, qui & nutritor eius erat & tutor, & dicit ei: Intra hoc triduum nuptias meas celebrare disposui, pro quâ te fac me videre sponsam meam, quam mihi domini rerum inuictissimi principes fieri coniugem præceperunt. Ille, his auditis, agnouit proditum negotium, ait ad eum: Quousque anni transirent infantiæ eius, meam circa eam tutelam pro germanitate patris eius, & pro ipso nutrimento exercui: nunc verò quia cœpit sui esse arbitrij, in suâ vult esse potestate. Vnde si illam videre desideras, eius erit arbitrij, non mei imperij.

CAP. XXV. *Basilla auersatur colloquium sponsi Pompeij.* Audiens hæc Pompeius, vehementiùs cœpit ardere, & pergens ad Basillæ domum, vt nuntiaretur, ianitoribus imperabat. Cui ista sunt à Basillâ mandata: Caussam te videndi penitùs nullam me habere cognoscas, neque audiendi, neque salutandi. His auditis turbatus est vehementiùs: & omni penè senatorum fauore vsus, prostrauit se coram Imperatore, dicens: Subuenite Romanis vestris sacratissimi principes, & deos nouos quos Eugenia secū adduxit ab Ægypto veniens, ab hac vrbe separate. Diu est *Calumnia Pompeij in Christianos.* enim, quòd hi qui Christiani dicuntur, reipublicæ nocent: qui irrident legum nostrarum sacrosancta cærimonia, & omnipotentes deos nostros, ac si vana simulacra, despiciunt. Iura quoque ipsius naturæ peruertunt, separant coniugium, gratiam sponsarum sibi associant: & dicunt iniquum esse, si sponsum suum sponsa accipiat. Quid faciemus piissimi Imperatores? Inuenti sunt

sunt dij, qui homines prohibeant, & quibus ista videbunt, si nati non fuerint quibus valeat imperari? Vbi reparatio Romanarum virium? vbi Romani exercitus rediuiua certamina? Pro quibus victrices dextræ vestræ hostium ceruices inclinabunt, si iam vxores habendæ non erunt, si sponsas amittimus, & tacemus?

CA. XXVI. *Sententia Gallieni imp. contra Basillam.* Hæc & his similia dum prosequeretur, & omnis senatus ea flebili querelâ depromeret, [16] decreuit Gallienus Augustus, vt aut sponsum suum Basilla acciperet, aut gladio interiret: Eugeniam verò aut sacrificare diis, aut crudeliter interire: & dedit licentiam, vt quicumque Christianum penes se absconderet, puniretur. Conuenitur Basilla, vt sponsum recipiat. Dicit se illa *Basilla ob amorem castitatis gladio transfoditur.* Regem regum habere sponsum, qui est Christus filius Dei. Et cùm hæc dixisset, gladio transfossa est. Tenti statim Protus & Hyacinthus, trahuntur ad templum: sed orationem illis facientibus, simulacrum Iouis ad quod ducebantur sacrificare, cecidit ad pedes eorum; & ita comminutum *Protus & Hyacinthus decollantur.* est, vt vbi fuerit, non pareret. Non virtuti diuinæ, sed magicæ arti hoc imputans, iubet eos decollari Nicetius vrbis præfectus.

CAP. XXVII. Qui etiam accersitam ad se Eugeniam, cœpit de magicis artibus ab eâ flagitare sermonem. At illa constanter os suum aperiens, dixit: Polliceor tibi, quòd ars nostra *Praclarum Eugenia de castitate Ecclesia testimonium.* vehementior magis est: nam magister noster habet Patrem sine vllâ matre, & matrem absque patre. Denique sic eum genuit Pater, vt omnino feminam numquam sciret: sic eum genuit mater, vt masculum omnino non nosset: hic ipse habet vxorem virginem, quæ illi quotidie filios creat, etiam innumerabiles ei filios parit, quotidie suam carnem eius carnibus coniungit. Oscula eius circa eam sine intermissione sociantur, in amore suo inuicem omnino perdurant, & tantâ integritate subsistunt, vt omnis virginitas, & omnis charitas, & omnis integritas ex eorum coniugio dirimatur.

CAP. XXVIII. *Ducitur ad templum Dianæ Eugenia.* Audiens hæc Nicetius, obstupuit; & ne ad Imperatorem perueniret, quòd eam libenter audiret, iussit eam ad templum duci Dianæ: & ita spiculator imminens, dixit ei: Redime vitam tuam, patrimonium tuum Eugenia, & sacrifica deæ Dianæ. Tunc beata Eugenia expandens manus suas, cœpit *Eugenia oratio.* orare ac dicere: Deus qui cordis mei arcana cognoscis, qui virginitatem meam sinceram in tuo amore seruasti, qui me filio tuo Domino meo Iesu Christo sociare dignatus es, qui Spiritum sanctum tuum in me regnare fecisti, adesto mihi nunc in confessione nominis tui, vt confundantur omnes qui adorant hoc idolum, & qui gloriantur in simulacris suis. Et dum oraret, *Ad preces Eugenia templum Dianæ corruit.* fit terræmotus in eodem loco: & ita templi ipsius fundamenta mersa sunt cum ipso idolo, vt nihil aliud remanserit, nisi sola ara, quæ fuit ante ianuam templi, ad quam stabat beata Eugenia. Hæc in insulâ Lycaoniâ gesta sunt coram omnibus qui sequebantur agonem Eugeniæ. Fit concursus populi Romani, & varia acclamatio. Alij dicunt innocentem, alij magam. Nunciantur ista præfecto, præfectus Imperatori manifestat. Imperator eam iubet ligari *Sententia Imp. contra Eugeniam. Eugenia in Tiberim missa non mergitur.* saxo, & præcipitari in Tiberim: sed statim saxum disruptum est. Beata verò Eugenia ita sedens, super fluuiali aquâ efferebatur, vt omnibus Christianis appareret illum fuisse cum Eugeniâ in flumine, ne absorberetur, qui fuerat cum Petro in mari, ne mergeretur.

CA. XXIX. *Illæsa manet ab igne thermarū.* Item inde sublata, in thermarum Seuerianarum fornacibus mittitur: quæ sic statim extinctæ sunt, vt thermarum calor refrigesceret, & omnia incendia lignorum ad nihilum deuenirent. Sic denique chaos fecerunt, vt vlteriùs exhiberi non possent. Mittitur post hæc in custodiam tenebrarum, & per decem dies iubetur nullum cibum accipere, & lumen penitùs non videre. Ibi autem tantus quotidie abundauit splendor, vt dum egrederetur beata Eugenia, quasi lumen aliquod radiaret. Apparuit *A Christo in carcere pascitur.* autem illi Saluator, ferens in manu panem niuei candoris & immensæ suauitatis & gratiæ, & dixit ei: Eugenia, accipe cibum de manu meâ, ego sum Saluator tuus, quem totâ mentis animique intentione dilexisti, & diligis. Eodem die te in cælis recipiam, quo ego descendi ad terram. Et hæc dicens, abscessit. Ipso autem die natalis Domini *Gladio percutitur.* missus est gladiator, qui eam in custodiâ positam percussit: & sublatum est corpus ab affinibus Christianis, & positum est non longè ab vrbe viâ Latinâ in prædio eius proprio, vbi multorum sanctorum ipsa sepelierat membra.

CAP. XXX. *Matri apparet, & mortem prædicit.* Claudia autem mater eius, cùm ad eius sepulcrum fleret, apparuit ei vigilanti in medio noctis silentio, auro textâ cyclade induta, cum multo populo virginum, & dixit ei: Gaude & lætare, quia & me introduxit Christus in exultationem sanctorum, & patrem meum in patriarcharum numerum. Ecce die Dominico & te suscipiet in gaudium sempiternum. Commenda filiis tuis fratribus meis custodire signaculum crucis, & efficiantur nostri participes. Ecce, loquente eâ, facta est claritas, quam

quam oculus ferre non poterat: & Angeli transeuntes, hymnum dicebant Deo inenarrabilibus vocibus. Hoc solùm intelligebatur, quòd nomen Iesu Christi & Spiritus sancti in ipsis laudibus resonabant. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

NOTATIO.

1 EVGENIÆ.] *Martyrologium Romanum* XXV. *Decembris:* Romæ in cœmiterio Aproniani S. Eugeniæ virginis, quæ tempore Gallieni imperatoris post plurima virtutum insignia, post sacros virginum choros Christo aggregatos, sub Nicetio vrbis præfecto diu agonizans, nouissimè gladio iugulata est. *Menolog. Græcorum* XXIV. *Decemb. Acta eius compendiose retexens:* Certamen S. Eugeniæ martyris & sociorum. Hæc fuit sub Commodo imp. filia Tribuni in vrbe Româ. Missus autem pater ab Imperatore in ciuitatem Alexandriæ, vt tribunatus magistratum gereret, secum vexit vxorem & filios, quorum vna fuit B. Eugenia: quæ cùm litteras edisceret, & in multorum librorum lectione versaretur, incidit in epistolas sancti apostoli Pauli, ex quibus Christi fidem didicit. Itaque patrios tumultus & mundi fallaciam derelinquens, cum duobus eunuchis ad monasterium quod est ante ciuitatem Alexandriæ se contulit, virili habitu induta. Accepta igitur hospitio ab Eleno episcopo, caussam addens quare illuc venisset, diuino Baptismate cum ijs quos secum duxerat dignata est, & in ordinem monachorum aggregata, & post aliquod tempus, monasterij curam sibi creditam suscepit. Vbi propter miracula quæ per illam Deus efficiebat, facta est familiaris mulieri cuidam ordinis senatorij, quæ Melanthia vocabatur: accusata postea est ab illa, quasi ad coitum illam prouocasset; crimen objiciens, quod illius naturæ repugnabat: existimans enim marem esse propter speciem habitus, eius pulchritudine vulnerata cùm sæpè periculum faciens ab eâ repulsa esset, detulit illam ad Philippum tribunum. Cùm verò pater illam accersiri iussisset, veritas detecta est, non solùm quòd in habitu viri esset mulier, sed etiam quòd tribuni esset filia: quare patrem, matrem, & multos ex familiâ, ad Christianorum fidem attraxit; & pater quidem tribuni dignitate depositâ baptizatus est, posteà & martyrij perfectionem assecutus, irruentibus in eum in templo idolorum infidelibus, qui & illum gladijs interfecerunt: sancta verò Eugenia Romam adducta est cum matre & fratribus, Proto & Hyacintho eunuchis, qui obtruncati sunt; ipsa verò saxo graui alligata in Tiberim flumen proiecta est, atque illinc seruata, gladio consummationem accepit. *Menæa quoque* XXIV. *Decemb. aliquot iambis Vitam eius perstringunt.*

Acta eius descripta à Metaphraste exstant apud Lipomanum tomo V. *& Surium tomo* VII *interprete Gentiano Herueto. Hæc verò planè cum Actis à Metaphraste allatis consentiunt, eodem ordine digesta; vt vel hæc antiqua translatio sit è Metaphraste pressiùs expressa, vel certè hic Translator & Metaphrastes ex eodem fonte hauserint. quod posterius fortè verius; cùm & noua Metaphrastæ translatio quædam habeat fusiùs dicta, quædam antiqua hæc translatio, quæ in nouâ desunt.*

Nisi quis malit, Metaphrastem Latinum hunc textum in Græcum vertisse, cùm eodem procedat ordine, & subinde videatur Latinum textum non benè percepisse. Sanè quod hîc dicitur c. 1. de VII. *consulatu Commodi, ipse de* VII. *imperij Commodi anno intellexit. planè erroneè, vt mox dicam. Auctores quoque sequentes, qui Metaphraste antiquiores fuêre, meminerunt Eugeniæ, quæ verisimile est eos ex hoc Latino fonte deduxisse.*

Meminit Eugeniæ, vt celeberrimæ martyris, Alcimus Auitus episcopus Viennensis in carmine ad Fuscinam sororem de laude castitatis lib. VI. *c.* XX. *Fortunatus libro* VIII. *carm.* IV. *de virginitate, Aldelmus quoque de laude virginitatis.*

2. INCERTO.] *Ita inscripsi, quia nullius auctoris nomen nec in manuscripto, nec in editis inueni. Video tamen à Goldasto tom.* I. *parte* II. *Rerum Alemannicarum Notis in Hepidannũ de vitâ S. VViboradæ lib.* I. *cap.* XXVII. *Acta Eugeniæ citari interprete Ruffino. Quod si ex MSS. ipse hausit, facilè consentio. Certè stylus non abludit à stylo Ruffini.*

3. IN SEPTIMO CONSVLATV COMMODI.] *Annus is est secundùm Baronium tomo* II. *Christi* CXCIV. *qui erat* XIII. *imperij Commodi. Sed idem Baronius anno Christi* CLXXXVIII. *imperij Commodi* VII. *præfecturam Augustalem Ægypti Philippo decretam ponit. Nam licet, inquit, post exactum annum septimum Commodi, illâ potitus dicatur, id accidit, quòd non simulac ab Imperatore electus esset, nomen consequebatur & munus, sed cùm Alexandriam ingrederetur, idque lege Augusti factum Vlpianus affirmat.* CAP. I. L. vnic. ff. De offic. præf. Aug.

Sequitur hîc Baronius Acta Eugeniæ per Metaphrastem Græcis tradita, quæ loco septimi consulatus, septimum imperij annum exprimunt.

Sed ea Metaphrastæ Baronijque positio cum Actis ipsis seu Latinis seu Græcis nullo modo conuenit. Siquidem hîc cap. XVII. *dicitur à Gentilibus Philippus, cùm persecutio à Seuero excitata est, nouem annis Ægypto irreprehensibiliter præfuisse, & decimo perdidisse omnia, quòd videlicet tunc Catholicis faueret. Eadem habes apud Metaphrastem. Iam verò plures anni quàm decem, intercedunt inter septimum annum imperij Commodi (quo volunt Philippo Ægypti præfecturam delatam) & decimum annum imperij Seueri (quo volunt eamdem eidem præfecturam abrogatam.) Nam cùm* VII. *annus imperij Commodi respondeat apud Baronium anno Christi* CLXXXVIII. *& decimus annus Seueri anno Christi* CCIV. *clarum est, inter vtrumque Christi annum, etiam exclusiuè sumptum, intercedere annos* XV. *vel exurgere annos* XVII. *si vterque extremus annus connumeretur. Atqui decimo præfecturæ suæ anno dicitur Philippus ab administratione suâ submotus.*

Quare rectissimè Latinus textus præfecturam Ægypti delatam Philippo statuit VII. *consulatu Commodi, id est, anno* XIII. *imperij Commodi, cui respondet annus Christi* CXCIV. *atque ita rectissimè quoque decimo anno præfecturæ suæ eâ priuatus dicitur Philippus, id est, anno decimo imperij Seueri, Christi* CCIV. *Nam ab anno Christi* CXCIV. *ad annum Christi* CCIV. *iustos decem annos habes.*

Atque ex his apparet sinceritas Actorum Latinorum præ Græcis. Quibus optassem magnum Baronium, vt ferè aliàs solet, relictis deprauatis Græcis institisse.

4. PHILIPPVM.] Baronius tomo II. anno Christi CCIV. Zephyrini Papæ II. Seueri Imp. x ait hallucinatos esse, qui putarunt hunc eumdem fuisse cum Philippo imperatore: inter quos Cedrenus est in Maximino. quos Zonaras iure redarguit in Philippo imp. vt idem Baronius notat ad diem XIII. Sept.

CAP. II. 5. AQVILIO AQVILII.] Vetus editio Aquilio Aquilini. Baronius tomo II. anno Christi CLXXXVIII. legit Acilio, qui hoc anno consulatum gessit vnà cum Commodo: nisi dixerimus, inquit, hunc esse aliquem ex suffectis consulibus. testatur enim Dio, Commodum (quod numquam antè factum fuerat) in annum vnum vigintiquinque consules designasse. sed cùm nomen conueniat consulis ordinarij, haud alius consul quærendus suffectus.

Quòd Baronius ibidem existimat Eugeniam desponsam Aquilio Consuli, existimo eum sumpsisse ex Metaphraste, vbi dicitur Aquilius Eugeniam despondisse. sed intelligi, non sibi, sed filio, vt Latinus hic textus habet. Nam parentes filijs sponsas spondebant, despondebant.

CAP. III. 6. BASTERNAM.] Paulò pòst vocat vectorium. Ammianus lib. XIV. Quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus, & basternis, per latera ciuitatis cuncta discurrunt. Vide Onomasticon.

7. BASTERNA NOS TRES.] Ita rectè MS. Malè in editis, basternos tres.

CAP. V. 8. IGNEM.] Similis narratio de Heleno abbate habetur lib. II. de Vitis Patrum cap. IX. vbi ijsdem, vti hic, verbis: ardentes prunas vestimento ferebat illæso. vter ex altero sumpserit, non facilè dixero. Potiùs vel hinc colligas, Ruffinum etiam huius Vitæ auctorem esse, vt lib. II. de Vitis PP. Eamdem historiolam de Hellene habet Palladius c. LIX.

9. FLAMMAS INTRAT.] Frequens ea ad ignem prouocatio, cùm argumenta alia ad fidem probandam & propagandam desunt, in sacris historijs. Exempla varia congessi in Dissertatione meâ De fide hæreticis seruandâ, cap. XII.

CAP. XVII. 10. NVNC DECIMO ANNO.] Baronius tomo II. anno Christi CCIV. Zephyrini Papæ II. Seueri imperatoris x. Haud adeò mirum, inquit, videri debet, tam diu Philippum in eius muneris functione perseuerasse. Cùm enim ea maximi omnium momenti esset Augustalis dicta præfectura (Ægypti) quam veluti Romani imperij obsidem sibi Augustus seruauerat, nec quempiam Senatorum ad eam mitti debere sanciuerat, sed ex equestri ordine aliquem virum optimum, qui nullas vmquam principatus amore turbas ciere posset: nactus semel quempiam fidelissimum virum, eâ præfecturâ dignum, Imperator haud facilè dimouebat; quòd paci & securitati Romani imperij id expedire potissimùm sciret, cùm Ægyptij essent omnium studiosissimi nouarum rerum, atque leuissimi animi ad concitandas turbas & rebellandum. Sed hæc Dio pluribus. Dio hist. Rom. l. XV.

CAP. XVII. 11. QVI COMMOTI.] Baronius tomo II. anno Christi CCIV. Zephyrini Papæ I. Seueri imp. x. persecutionem à Seuero excitatam ponit. Monisse quoque, ait, videtur stomachum Seuero ad persecutionem fidelium excitandam, quòd intelligeret, nobilissimam omnium Ægypti præfecturam Augustalem administrantem Philippum iam Christianum redditum esse. Hactenus Baronius. Cùm dicatur hoc capite vitæ decimum annum esse, quo Philippus præfecturam suscepit, non quadrat hic computus cum anno septimo Commodi, quo dicitur præfecturam suscepisse.

12. VT REGEM.] Baronius suprà anno Christi CCIV. Quòd autem in eâ epistolâ Seuerus dicat, (apud Metaphrastem ex versione Herueti:) Te tamquam regem potiùs, quàm præfectum elegit Ægypti præsidem; illud planè comprobat, quod in hæc verba scribit Tacitus: Ægyptum iam inde à diuo Augusto equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire prouinciam aditu difficilem, annonâ fœcundam, superstitione ac lasciuiâ discordem, & nobilem, & insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere. Tacit. lib. 17.

13. IN EPISCOPATVM EIVS.] Baronius tomo II. anno Christi CCIV. Zephyrini Papæ II. Seueri imp. x. ait corrigendum in Actis Philippi, quòd dicitur factum fuisse episcopum Alexandrinum. Nam (inquit Notat. ad diem XIII. Septemb.) eius præfectura secularis, & non sacerdotalis fuit. Eusebius etenim cùm tam in Chronico, quàm in historiâ texit seriem episcoporum Alexandrinorum, Nicephorus episcopus, & Nicephorus Callistus, & alij, qui id ipsum præstiterunt, nullus ipsorum inter Alexandrinos episcopos adnumerat Philippum. CAP. XVIII.

14. PERENNIVS PRÆFECTVS.] Ita MS. In editis, Herennius. Apud Metaphrastem, Terentius. Baronius anno proximè notato: Quòd Lætum, inquit, Eusebius nominat, idem fortasse Terentius Lætus dictus est. Perennium habent Menæa, manuscripti, Ado, & Vsuardus in Martyrologio. Occurrit etiam his temporibus Herennius Celsus, apud Trebellium Pollionem in XXX. tyrannis in Æmiliano. Vnde videtur colligi posse, Herennium tunc Augustalem Ægypti præfectum fuisse. CAP. XIX. Euseb. l. 6. cap. 2.

15. PERCVSSERVNT EVM.] Baronius tomo II. anno proximè citato: Quòd verò, ait, Eusebius, de martyribus in Ægypto passis agens, nullam de Philippi huius martyrio mentionem habuerit; inde fortasse accidit, quòd eum necis ipsius caussâ præterijt. Quòd enim à sicarijs clàm occisus esset, nec publica aliqua, quæ sciretur, Christiani nominis confessio præcessisset; ab eo prætermissus esse videri potest: cùm alioqui permulta maioris quoque momenti ab eo (vt in singulis ferè annis videre est) esse silentio prætermissa nullum sit dubium.

Memoria huius exstat in Martyrologio Romano, XIII. Septembris: Alexandriæ natalis B. Philippi, patris S. Eugeniæ virginis. Hic dignitatem præfecturæ Ægypti deserens, Baptismi gratiam assecutus est: quem in oratione constitutum iussit Terentius præfectus eius successor gladio iugulari. Vide Menologium Græcorum suprà in Eugeniâ. & Menæa XXIV. Decembris post Acta Eugeniæ duos iambos de Philippo habent.

16. DECREVIT GALLIENVS AVGVSTVS.] Baronius tomo II. anno Christi CCLXII. Dionysij Papæ II. Valeriani & Gallieni impp. VIII. Quod, ait, spectat ad martyres Romæ passos, quòd nonnulli sub Gallieno imperatore martyrium subiisse dicantur; non id accidit, vt, cessante Valeriano, in martyrio fuerint coronati: quandoquidem (vt dicemus) Gallienus, capto ab hostibus Valeriano parente, mox persecutionem cessare iussit, datis pro Christianis edictis: sed quòd solus Gallienus Romæ imperaret, Valeriano agente cum exercitu in Oriente, idcircò plerique martyres siue Romæ, siue alibi, sub Gallieno passi dicuntur, & inter alios clarissima femina Eugenia virgo. CAP. XXVI

VITA

VITA SANCTÆ [1] EVPHRASIÆ VIRGINIS

13. MART.

AVCTORE INCERTO.

CAP. I.

Antigonus Lyciæ præses, & Theodosij imp. consanguineus.

IN diebus Theodosij, imperatoris pijssimi, fuit vir quidam in regiâ ciuitate senator, nomine Antigonus, eratque Imperatori genere & societate coniunctus, sermone sapiens simul & opere: & bona semper præcipuè suadens, & piè Romanis legibus Lyciæ negotia gubernans. Erat autem & compassibilis homo, cunctis necessaria præbens. Diligebatque eum princeps non solùm tamquam parentem ac senatorem, sed etiam tamquam Christianum & pium, & semper consilia vtilia proferentem. Erat autem hic locuples vehementer, ita vt ciuitas regia alium diuitijs, sermone & opere similem non haberet. Hic accepit vxorem ex genere proprio, ex eodem Imperiali sanguine descendentem, cui nomen Euphraxia, mulier religiosa, & timens Dominum nimis, & ecclesiæ vacans, & offerens Deo preces cum lacrymis. Hæc multos in opere Dei fecit idoneos, multasque oblationes in ecclesijs & [2] sanctuarijs offerebat. Vehementer eam diligebat Imperator & Augusta, præcipuè quòd ex eorum genere erat, necnon & moribus composita, & honesta, & valdè religiosa. Nata est autem eis filia, & vocauerunt eam nomine matris suæ Euphraxiam.

Euphraxia nubit Antigono.

Generant Euphraxiam seu Euphrasiã.

CAP. II.

Antigoni ad Euphraxiam coniugem de vanitate sæculi sermo.

Cumque habuissent hanc filiam, vnâ dierum dixit Antigonus Euphraxiæ: Nosti soror mea Euphraxia, quia nihil est ista vita, nihil diuitiæ, nihil vanitas huius sæculi temporalis. In octoginta namque annis hominis tempus impletur cum ruinâ: diuitiæ autem in cælo repositæ, in infinita sæculorum sæcula timentibus Deum manent: & priuamus nos illis diuitijs, mundanis cogitationibus obligati; & in fallaciâ positi temporalium diuitiarum, dies nostros frustrà consumimus, nihil animabus nostris vtiliter acquirentes. Audiens autem hæc Euphraxia, dixit Antigono viro suo: Et quid iubes, domine mi, vt faciamus? Cui dixit Antigonus: Vnam filiam per Deum acquisiuimus, quæ sufficit nobis, & nequaquam vltrà conueniamus infelicitati ac miseriæ sæculi. Audiens hæc Euphraxia, consurgens extendit manus ad cælum, & ingemiscens dixit viro suo Antigono: Benedictus Deus, qui dignum te fecit timore suo, & ad cognitionem veritatis adduxit. Verè, domine, sæpiùs supplicaui Deo, vt cor tuum illuminaret, & mentem tuam pro hac caussâ faceret elucescere; sed hoc tibi pandere non præsumpsi: quia verò ipse fecisti principium, iube me vt loquar. Cui dixit Antigonus: Dic soror mea quod vis. Respondit: Nosti, domine meus, quia ante multas generationes Apostolus testatur, & dixit: Tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint. Deficit enim huius sæculi cupiditas. Ad quam enim vtilitatem erunt ista pecunia & tanta abundantia possessionum? Nihil eorum est, quod nobiscum poterit descendere in infernum. Cum bono ergo consilio tuo festina multa dare pauperibus, vt non illud consilium quod tractasti, inueniatur infructuosum. Audiens autem Antigonus, glorificauit Deum.

Continentiâ pariter in matrimonio promittunt.

1. Cor. 7.

CAP. III.

Moritur Antigonus multis antè eleëmosynis expensis.

Cùm igitur adeptus esset optimam conuersationem, & multa pauperibus erogasset Antigonus, vnum solummodò annum viuens, postquam suæ renuntiauit vxori, vitam suam piè disponens, completo anno defunctus est, & sepultus in pace. Tunc Imperator pariter & Augusta fleuerunt eum, tamquam ex eorum genere descendentem, virum iustum & religiosum. Compatiebantur enim & Euphraxiæ, non solùm tamquam propriæ consanguineæ, sed etiam quia erat iuuencula. Duobus namque annis & tribus mensibus vixit cum viro suo: nam vno anno ex constituto ab alterutro abstinentes, sicut fratres vixerunt. Igitur sepulto Antigono, ab Imperatore & Augustâ, multum consolabatur

Euphraxia filiam Euphraxiam cõmendat Imperatori.

Euphraxia. Illa verò sumens propriam suam filiam, dedit eam in manus Imperatoris & Augustæ: & prostrata ad pedes eorum, cum clamore & magno gemitu dixit: In manus Dei & vestras hanc orphanam nunc commendo. Memoriam ergo habentes Antigoni, qui fuit vester, suscipite eam atque tuemini: & estote ei in loco patris & matris. Multi autem flumina lacrymarum & voces emiserunt audientium, ita vt etiam principes lugerent.

CAP. IV.

Euphraxia infantula per arrhas sponso despondetur.

Post paucum verò tempus à luctu aliquanto quiescentem Antigoni, suasit Imperator ei, vt filiam suam Euphraxiam cuidam senatori ditissimo dares vxorem. Et factum est, vt arrhas Euphraxia acciperet. Susceptis arrhis, puellæ ætas exspectabatur. Erat enim nimis infantula, quando suscepit arrhas, quasi annorum quinque. Post aliquantulum verò tempus cogitauit ipse senator, vt vxorem Antigoni sibi crederet copulari: & per preces aut per mulieres matronas persuasit Augustæ, vt sine notitiâ principis mitteret, & Euphraxiæ coniugij verba nuntiaret. Quæ cùm audisset, amarè fleuit, & dixit mulieribus quæ fuerant destinatæ: Væ vobis in futuro sæculo, quæ mihi talia persuadetis: & ad talia concurritis contra mulierem, quæ secundùm Deum viuere festinat. Recedite à me, quoniam extraneam congregationem vestram nunc egistis. Illæ verò deformatæ discedentes, nuntiauerunt Augustæ quæ gesta sunt. Cognoscens autem Imperator quod factum fuerat, grauiter inuectus est in Augustam: & indignatus aduersus Augustam, dixit: Verè Augusta, extraneam rem ab hac conuersatione fecisti. Hæc sunt opera Christianæ Augustæ? Sic promisisti Deo piè regnare? Sic recordaris Antigoni, qui nobis semper vtilis permansit? Alienam rem nostro imperio egisti, quòd mulierem in puellari ætate constitutam, quæ pænè solummodò vno anno cum viro vixit, & mox, ex constituto propter cæleste regnum se ab vtrisque separauerunt, tu rursum ad mundum redire compellis? & neque timuisti Deum, hanc iniquitatem volens facere? Quis satisfaciet hominibus, quia non per me factum est hoc? Indecentem & incongruam fecisti rem, quod nec oportuit vt meum audiret imperium, propter sincerissimum meum amicum maximè Antigonum.

Euphraxia vidua secundas nuptias respuit.

CAP. V.

Audiens hæc Augusta, & vultum nimiæ confusionis mutans, sicut lapis ferè per duas horas sine voce permansit. Et facta est magna tristitia inter Imperatorem & Augustam, propter Euphraxiam Antigoni coniugem. Tunc Euphraxia agnoscens, quia magna tristitia propter eam inter Imperatorem & Augustam fuisset effecta, vultu omnino demisso, tristis facta est vsque ad mortem, & de ciuitate volebat discedere. Tunc flens acriter, dixit Euphraxia filiæ suæ: Filia mea, habemus in Ægypto copiosam magnamque substantiam: veni, eamus illuc, & visitemus patris tui possessiones: & mea omnia, tua sunt, filia mea. Tunc ergo cum filiâ suâ Euphraxiâ de regiâ ciuitate discessit, principe nesciente, & venit in Ægyptum: illic quoque morabatur, & sua prædia crebrò visitabat. Et profecta est in interiorem Thebaidem cum procuratoribus suis atque ministris, habentibus curam fratrum rerum. Quæ etiam illic vacans in sanctuarijs, & multas oblationes illic offerens per monasteria virorum ac mulierum, multas pecunias erogabat.

Euphraxia cum filiâ clàm Aegyptum petit.

Interiorem Thebaidem penetrat.

Monasterijs oblationes offert.

CAP. VI.

Monasterium mulierum centum triginta cellarum.

Erat autem monasterium mulierum in vnâ ciuitate, habens archiuia centum triginta, de quibus magnas & mirabiles virtutes homines prædicabant. In illo namque monasterio nemo gustabat vinum, nulla illarum pomum edere, aut vuas, aut ficus, aut aliquid huiusmodi bonorum, quæ terrenâ nascuntur vbertate, gustabat. Quædam autem earum abrenuntians sæculo, neque oleum edere volebat, quædam earum à vesperâ vsque ad aliam vesperam ieiunium protrahebat: aliæ verò post biduum edebant, aliæ verò post triduum. Nulla earum pedes suos abluebat: aliquantæ verò audientes de balneo loqui, irridentes, confusionem & magnam abominationem se audire iudicabant, quæ neque auditum suum hoc audire patiebantur. Vnaquæque verò earum stratum in terrâ habebat, cilicium paruulum vnius cubiti latitudinis, & longitudinis trium, & paululùm in ipsis requiescebat. Erant autem & vestes earum de cilicio vsque deorsum, obstringentes pedum extremitates. Quantumcumque poterat, vnaquæque laborabat. Et cùm aliquam earum aliquando contigerat infirmari, non ei fomentum aut adiutorium aliquod medicinæ conferebatur: sed si quam contigisset ægrotari, tamquam maximam benedictionem à Deo accipiebat, & tolerabat languorem, donec eam medicina Dominica præueniret. Nulla earum ianuas exibat. Erat autem ianitrix, per quam responsa omnia fiebant, matura: multæque sanitates ibi fiebant.

Varia monialium pietatis studia.

Matura ianitrix.

CAP. VII.

Harum quidem Euphraxia diligens consilium sanctarum mulierum, propter mirabilem conuersationem earum, sæpius ad ipsum

Euphraxia thymiama & cereos offert. ipsum monasterium pergebat, thymiamaque illic offerebat & cereos. Vnâ quidem dierum rogabat abbatissam & priores monasterij, dicens eis: Paruam benedictionem volo absque terrore vestro præbere, reddituum auri viginti aut triginta librarum, vt oretis pro istâ famulâ vestrâ, & pro Antigono patre eius. *Abbatissa maiora munera respuit.* Cui abbatissa respondit: Domina mea matrona, ancillæ tuæ non egent redditibus, neque pecuniam concupiscunt. Propterea namque omnia reliquerunt, & cuncta despiciunt in hoc sæculo, vt æternis bonis frui mereantur: & nihil possidere volunt, ne cælesti regno priuentur. Sed ne te contristem, aut sine fructu dimittam, paucum oleum ad candelas & thymiama in oratorium confer, & hoc erit nobis pro mercede iustitiæ. *Preces petit Euphraxia pro animâ Antigoni & filiâ.* Et his oblatis, rogabat Euphraxia abbatissam, vt omnes sorores orarent pro Antigono & filiâ eius Euphraxiâ.

CAP. VIII. Vnâ verò dierum Euphraxiæ infanti abbatissa dixit, tentando: Domina mea Euphraxia, diligis monasterium nostrum & omnes sorores? Illa respondit: Etiam domina, diligo vos. Dixit ei abbatissa rursum cum ioco: Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate. *Euphraxia infantula pium desiderium.* Cui infantula dixit: Verè si non contristaretur mater mea, vlterius non egrediar de loco isto. Cui abbatissa dixit: Inter nos & sponsum tuum quem plus amas? Puella dixit: Neque illum noui, neque ille me: vos autem noui, & vos amo. Dicite mihi: vos autem quem diligitis, me an illum? Illæ verò dixerunt: Nos te diligimus, & Christum nostrum. Puella verò respondit: Ego verò & vos diligo, & Christum vestrum. Sedebat verò Euphraxia mater eius, & fluminum lacrymarum eius non erat modus. Libenter enim audiebat verba puellæ abbatissa, quia cùm esset ætate infantula, talia loquebatur. Nondum enim septem annos impleuerat, dum cum abbatissâ loqueretur huiuscemodi verba. Tunc ingemiscens mater, & amarè deflens, ad filiam suam dixit: Filia mea, veni, pergamus ad domum, quia iam vespera est. Cui puella dixit: Ego hîc maneo cùm dominâ abbatissâ. Dixit abbatissa puellæ: Vade, domina, in domum tuam, non potes hîc manere. Non enim quisquam manere potest hîc, nisi se deuouerit Christo. *Septennis Euphraxia Dominicam imaginem osculatur, & Christo se deuouet.* Cui puella respondit: Vbi est Christus? Illa gratanter ei Dominicam imaginem demonstrauit. Pergens autem Euphraxia, osculata est Dominicam figuram: & conuersa, dixit abbatissæ: Verè & ego me voueo Christo meo, & vlterius cum dominâ meâ matre non vado. Dixit ei abbatissa: Filia, non habes vbi hîc maneas, & non potes hîc manere. Puella dixit: Vbi vos manetis, & ego maneo. Et cùm iam vespera esset, & multùm mater eius coëgisset atque abbatissa vt ambularet, nequaquam potuerunt eam tollere de monasterio. Multùm ergo crebris diebus mater eius atque abbatissa ei blandiebantur, & persuadere nequierunt, vt de monasterio potuissent eam expellere. Nouissimè verò dixit abbatissa puellæ: Filia, si vis hîc permanere, litteras habes discere & Psalterium, & vsque ad vesperam habes ieiunium ducere, sicut vniuersæ sorores. Puella dixit ei: Ego & ieiunium, & omnia disco: solummodò dimittite me hîc esse. Dixit ergo abbatissa matri eius: Domina mea matrona, dimitte hanc puellam hîc: video enim, quia gratia Dei illuxit in eâ; & iustitia patris, & honestas tua, & orationes vtrorumque vestrûm, æternam vitam prouidere ei noscuntur.

CAP. IX. Surgens igitur Euphraxia, & assumens filiam suam, ad Dominicam eam imaginem adduxit: & extendens manus ad cælum, cum magno clamore & fletu clamauit, dicens: *Mater coram Dominicâ imagine filiam abbatissæ tradit.* Domine Iesu Christe, habe curam istius infantulæ, quia te concupiuit, & tibi se commendauit. Et conuersa, dixit ad filiam suam: Euphraxia, filia mea; Deus qui fundauit immobiles montes, & te quoque in suo timore confirmet. Et cùm hæc dixisset, in manibus eam tradidit abbatissæ: & deflens, pectusque suum tundens, ita recessit à monasterio, vt omnis congregatio cum eâ ploraret.

CAP. X. Aliâ verò die abbatissa sumens Euphraxiam, introduxit eam in secretarium, *Induitur Euphraxia filia veste monachali.* & factâ oratione super eam, induit eam indumento monachali: & extendens manus ad cælum, pro eâ supplicauit, dicens: Rex sæculorum, qui in eâ cœpisti opus bonum, tu perfice hoc in pace: da vt ambulet secundùm nomen tuum, & fiduciam inueniat in conspectu tuo semper ista infantula. Tunc & Euphraxia mater eius orans, dixit: Filia mea, amas hoc schemate vestiri? Cui Euphraxia dixit: *Vestis monachalis arrha est sponsi cælestis.* Vtique mater mea, quia sicut agnoui ab abbatissâ, & dominæ sorores dixerunt, hoc schema pro arrhis præbet diligentibus se Dominus Iesus Christus. Cui mater sua dixit: Cui desponsata es, ipse faciat te thalamo suo dignam. Et hoc dicens, & orans pro filiâ suâ, valedixit abbatissæ & sororibus, & osculata est filiam suam. Et egressa, iuxta morem circuibat, præbens pauperibus quod indigebant.

CAP. XI. Vbique autem diuulgabatur Euphraxiæ optima conuersatio, quantum conferret monasterijs & venerabilibus locis, ita vt Im-

EVPHRASIA. perator audiret, & omnis Senatus eam nimis amarent; atque glorificarent Deum. Audiebant enim, quòd nec piscem gustaret, nec vinum biberet: sed post tanta dona quæ vniuersis conferebat & gloriam, à vesperâ vsq; ad vesperam ieiuniũ faciebat, aliquando sumens legumen, aliquando olera.

Euphraxia sobrietas & virtus.

CAP. XII. Post paucos autem dies euocans abbatissa matrem puellæ, dixit ei secretè: Domina, aliquam rem volo tibi dicere: non te conturbet. Cui respondit: Domina mea, quod iubes, dic. Dixit abbatissa: Vidi enim in somnis Antigonum virum tuum in magnâ gloriâ constitutum, & rogauit Dominum Iesum Christum, vt egrediaris de corpore tuo, & de cetero sis cum illo: & fruaris illâ gloriâ, quam Antigonus meruit vir tuus. Audiens autem hæc, reuersa est in domum suam matrona, vt religiosa femina: & non solùm non est turbata, sed lætitiâ magnâ gauisa est. Orabat enim, vt ab humanâ vitâ discederet, & de cetero esset cum Christo, & mox vocans filiam suam, dixit ad eam: Filia mea, sicut mihi dictum est à dominâ meâ abbatissâ, vocauit me Christus, & appropinquauerunt dies obitus mei. Ecce omnem substantiam meam & patris tui dedi in manus tuas: dispensa eam piè, vt cælestem possis habere hereditatem. Audiens hæc Euphraxia à matre suâ, cœpit ingemiscere & flere, dicens: Væ mihi, quia peregrina sum & orphana. Dicit ei mater sua: Filia, habes Christum pro patre & sponso, ideò nec peregrina es nec orphana: habes & dominam abbatissam pro matris officio. Vide filia, festina quod promisisti adimplere. Deum time, & omnes sorores honora, seruiens eis cum omni humilitate. Numquam in corde tuo cogites, De sanguine regio sum: nec dicas, Debent mihi seruire. Pauper esto in terrâ, vt in cælo diteris. Ecce omnia sub manibus tuis habes. Possessiones & pecunias in monasterium confer, pro patre tuo & pro me, vt inueniamus misericordiam apud Deum, & liberemur ab æterno supplicio. Hæc præcipiens filiæ suæ, tertiâ die defuncta est, & sepelierunt eam in monasterio in monumento.

Abbatissa visio de Antigono.

Euphraxia matri mortem prædicit.

Moritura Euphraxia filiam instruit.

Multa monasterio confert pro requie animæ suæ & mariti.

CAP. XIII. Audiens Imperator, quia mortua fuisset Euphraxia vxor Antigoni, reuocans senatorem cui desponsata fuerat filia eius, indicauit ei, dicens: Quia puella conuersa est in monasterio. Ille verò rogauit Imperatorem, vt per veredarios scriberet puellæ, eique præciperet, vt ad ciuitatem veniret, & nuptias celebraret. Suscipiens autem Euphraxia Imperatoris epistolam, manu propriâ epistolam aliam rescripsit, sic habentem: Domine Imperator, suades ne ancillæ tuæ, vt respuam Christum, & homini corruptibili & vermibus consumendo coniungar, qui hodie est, & cras non est? Absit ab ancillâ tuâ, vt hanc iniquitatem faciam. Quapropter, Imperator domine, non vlteriùs vos vir ille fatiget: ego enim Christo consensi, & impossibile est eum me negare: sed supplico potestati vestræ, vt memoriam parentum meorum habeatis. Idcircò tolle omnem substantiam, & dispensa pauperibus simul & orphanis, & da vniuersa ecclesijs. Noui enim quia recordaberis parentum meorum, maximè patris mei. Audiui enim quia in palatio numquam à te diuidebatur. Horum ergo recordationem habens, substantiam hanc benè dispone. Omnes constitutos sub iugo seruitutis manumitte, & eis legitima concede. Manda actoribus patris mei, vt omne debitum dimittant agricolis, quod à die patris mei vsque ad hanc diem reddebant: vt sine sollicitudine mearum terrenarum rerum consistens, Christo sine quolibet seruire valeam impedimento, cui animam meam commendasse cognoscar. Orate pro ancillâ vestrâ, tu & Augusta, vt mereatur Christo seruire, prout dignatur ancillam suam. Deinde signans epistolam, veredario dedit. Qui reuertens, obtulit Imperatori relegendam epistolam. Quam soluens & relegens in secreto cum Augustâ, multas lacrymas ambo effuderunt, nimis orantes pro Euphraxiâ. Manè autem facto, conuocans Imperator omnem senatum & patrem pariter Euphraxiæ sponsi, iussit coràm epistolam legere. Illi verò audientes epistolam, omnes sunt lacrymis repleti, & velut ex vno ore dixerunt: Verè, domine Imperator, filia est Antigoni & Euphraxiæ genus tuum, & ex sanguine eius est hæc puella. Verè religiosorum parentum religiosa est filia, sanctæ radicis sanctus est ramus: & omnes quidem ex quadam concordiâ glorificauerunt Deum, & pro puellâ pariter orauerunt, & nequaquam vlteriùs senator ille visus est importunus.

Euphraxia iunior à sponso repetitur.

Eiusdem ad Imperatorem epistola.

Bona sua in pauperes distribui petit.

Imperator epistolam Euphraxiæ senatui legit.

CAP. XIV. Imperator ergo cuncta disponens piè, & res puellæ benè distribuens, & ipse defunctus est, & cum suis patribus sepultus est in pace. Euphraxia verò magnificabatur, & secundùm Deum conuersabatur, abstinens vltra mensuram suam. Erat enim annorum duodecim, & ad certamina se fortiter exercebat. Et primùm quidem à vesperâ vsque ad vesperam comedebat, deinde post biduum, posteà post triduum. Nulla alia præter illam, triclinia mundabat, & cubicula sororum sternebat: aquam ad coqui-

Euphraxia duodennis pia in monasterio exercitia.

coquinam ipsa portabat. Hæc autem consuetudo erat in monasterio: Si quando contigerat aliquam sororem tentari à diabolo per somnum, mox abbatissæ pandebat. Illa verò cum lacrymis Deum postulabat, vt diabolus ab eâ recederet; iubebatque vt lapides portaret, & substratum sub sago cinerem super cilicium spargeret: & ita dormiret vsque ad decimum diem. Vnà verò dierum ipsa à diabolo tentata est, & superposuit stratui suo cinerem. Videns autem abbatissa cinerem sub stratu Euphraxiæ, risit & ait ad vnam sororem seniorem: Verè hæc puella tentari cœpit, & orans abbatissa, dixit: Deus qui creasti eam secundùm tuam voluntatem, tu eam in tuo timore conforta. Et vocans eam abbatissa, dixit ad eam: Quare non indicasti mihi tentationem diabolicam? Illa verò cadens ad pedes abbatissæ, dixit: Ignosce mihi, domina mea, quia confusa sum indicare tibi hanc caussam. Dixit ad eam abbatissa: Filia mea, ecce pugnare cœpisti: viriliter age, vt vincas & coroneris.

Tentationem suam moniales abbatissæ detegunt.

Euphraxiã tentatam abbatissa corroborat.

CAP. XV.

Post paucos verò dies denuò tentata est, & narrauit alicui sorori, nomine Iuliæ, quæ multùm diligebat Euphraxiam: quæ etiam in certaminibus eam exercebat. Dixitque ei Iulia: Domina mea Euphraxia, non abscondas hoc abbatissæ: sed refer hoc, vt oret pro te. Omnes enim tentamur à diabolo: sed speremus in Christi nomine, quia vincimus eum. Ergo soror mea non morêris, sed indica abbatissæ caussam, & noli confundi. Audiens autem hæc Euphraxia, gratias egit Iuliæ, & dixit ad eam: Adiuuet te Deus, soror, quia ædificasti me, & meam animam confortasti. Verè ingredior, & caussam dominæ abbatissæ pronuntio. Dixitque Iulia: Etiam sic fac, vt oret pro te, & adijciat tibi abstinentiam. Illa verò ingrediens, indicauit abbatissæ caussam. Dixitque ei abbatissa: Non pertimescas, filia, omne bellum diaboli, quo contra nos nititur. Certa igitur fortiter immobili animo, & non præualebit aduersum te. Multùm enim ab eo tentanda es: sed certa, vt vincas, vt victorias & triumphum accipias à sponso tuo Christo, & quantum potes adijce abstinentiæ tuæ. Qui enim præcipuè decertat, præcipua dona percipiet. Post aliquantulum verò temporis spatium interrogauit eam abbatissa, dicens: Post quot dies comedisti filia? Puella dixit: Post tres dies, domina mea. Dixit ei abbatissa: Adiice adhuc vnum diem. Illa verò iussionem eius cum lætitiâ magnâ suscipiens, discessit.

Rursus tentata, abbatissæ tentationem patefacit.

Abstinentiâ eam abbatissa munit.

Quatriduo ieiunat.

CAP. XVI.

Cumque facta esset annorum viginti, ætate confortabatur & præualebat. Erat enim nimis speciosa, tamquam vera matrona, & sanguine regio procreata. Denuò autem tentata, indicauit abbatissæ caussam. Dixitque ei abbatissa: Noli timere, filia, Deus tecum est. Erat autem in aulâ monasterij aceruus lapidum. Volens autem abbatissa tentare Euphraxiam, & ad matris prouocare obedientiam: dixit ei: Veni, filia mea, istos lapides transporta hinc, & pone eos iuxta clibanum. Euphraxia verò mox accessit lapides transportare: erant autem & grandes lapides inter eos, quos duæ sorores vix poterant agitare. Illa verò super humeros suos arripiebat eos, nullo adiutorio opus habens. erat autem iuuenis & valdè fortis, nec dixit abbatissæ: Adiuuet me alia soror. nec dixit: Grandes sunt lapides, non præualeo. nec dixit: Ieiuna sum & deficio, & opus hoc grande est: sed cum fiduciâ iussionem per obedientiam adimpleuit.

Iam vicennis rursus tentatur.

Simpliciter in arduis abbatissæ obedit.

CAP. XVII.

Aliâ verò die dixit abbatissa ad eam: Non est iustum, vt lapides isti iuxta furnum sint positi, sed reporta eos in locum suum. Illa verò denuò confidenter iussionem abbatissæ suæ compleuit. hoc ergo opus viginti dies iussit eam facere, vt patientiam eius comprobaret. Omnes itaque sorores videbant quod fiebat, & puellæ obedientiam admirabantur. Aliæ quoque sorores deridebant, aliæ acclamabant, Viriliter age Euphraxia. Triginta verò dies impleti sunt. Denuò diuini operis celebratione factâ, die quadam pergente Euphraxiâ vt lapides portaret, dixit ei abbatissa: Dimitte, filia, hoc ministerium, & tolle farinam & consperge, & coque panes in furno, vt inueniaris ad vesperum in ministerio sororum. Illa verò cum magnâ lætitiâ & gaudio iussa compleuit.

Fert refertque cacâ obedientiâ lapides.

Pistrini opere exercetur.

CAP. XVIII.

Rursus diabolus inueniens eam vacantem, huiusmodi tentationem ei immisit, quòd quasi ille senator cui fuerat desponsata, superueniens cum auxilio multo, abstraheret eam de monasterio, & eâ sublatâ abiret. Quæ cùm iaceret in cubili suo, violenter proclamabat. Abbatissa verò & aliæ sorores expergefactæ, audierunt eius violentiæ vocem. & excitantes eam, dixerunt: Vnde est tibi hæc anxietas, filia? Illa verò repentè somnium recitauit. Abbatissa verò excitans sorores, stetit in oratione. Post completum verò ministerium vsque ad horam tertiam, tenens codicem Euphraxia, stabat legens sedentibus, & posteà stans ad horam tertiam in ministerio. Post completionem verò tertiæ, mox Euphraxia sororibus necessaria parabat, munditiam in-

Vacans & otiosa rursus tentatur.

Euphraxia etiam occupatissima nullis deest diuinis officijs.

in triclinio faciens, & lectos sternens, aquam implens, & ad coquinam portans: ligna frangens, & legumina coquens: farinam confermentans, & coquens panem in clibano. Et dum hæc omnia faceret, nec in nocturnâ psalmodiâ deerat, nec in tertiâ, nec in sextâ, nec in nonâ, nec in vesperâ. Nam postquam compleuit vespertinas orationes, per se ministerium faciebat inferendo. Cum quâ etiam & laborabat Iulia: satis enim diligebat Euphraxiam.

CAP. XIX. *Denuò tentatur, & ab abbatissâ confirmatur.*

Denuò siquidem diabolus per somnum vehementer eam tentans, ei certamen immisit maximum. Quæ mox anxietatis suæ certamen abbatissæ confessa est. Pro quâ dum oraret abbatissa, dixit ei: Filia mea Euphraxia, tempus certaminis est. vide ne molliat diabolus mentem tuam, & perdas laborem tuum. Adhuc enim paruo tempore dimicans tecum, dum fuerit superatus à te, rursum effugiet. Dicebatque ei simul Iulia: Domina & soror mea, si modò ei non repugnamus & vincimus, in senectute quale bellum cum eo faciemus? Cui respondit Euphraxia: Viuit Dominus, soror Iulia, quia si mihi præceperit abbatissa, non gustabo in totâ septimanâ panes, donec eum Domino adiuuante vincam. Cui Iulia dixit: Si tu hoc potes implere in terrà, beata eris in cælo. In isto namque monasterio nulla potuit sine cibo totam septimanam permanere, nisi domina nostra abbatissa. Tunc ingressa Euphraxia, nuntiauit tentationem diaboli per somnum abbatissæ: eamque rogauit, vt ei præciperet quatenus totam hebdomadam sine cibo persisteret. Cui abbatissa dixit: Fac quidquid tibi videris facile esse filia mea. Deus qui creauit te, confirmet te, & contra diabolum donet tibi victoriam.

Totâ septimanâ ieiunat.

Cœpit igitur Euphraxia totam septimanam ieiunare, & neque psallendi officium dereliquit, nec sororum ministerium, ita vt omnes tolerantiam ipsius mirarentur, & pulchritudinem simul & iuuentutem ætatis. Dicebant autem quædam de collegio earum: Habemus hodie annum, custodientes Euphraxiam, & sedentem eam non vidimus neque per diem neque per noctem, nisi solùm quando requiescebat in loco suo nocte. Numquam enim sedit, vel quando etiam panem comedit. Omnes ergo sorores diligebant Euphraxiam, quia se ita humiliter exercebat, & cum studio famulatum sororibus exhibebat, dum præcipuè vtique de sanguine imperiali descenderet. Pro quâ re intentè nimis pro eâ orantes, rogabant Dominum vt saluaretur.

Toto anno numquam sedere visa.

CAP. XX. *Aemula ei insurgit.*

Fuit autem inter eas quædam, nomine Germana, quam dicebant ex ancillâ ortam. Hæc inuidiá habens aduersus Euphraxiam, insurrexit aduersus eam in coquinâ secretè, & dixit ei: Dic Euphraxia, ecce tu semel in septimanâ comedis secundùm regulam abbatissæ, & nos hoc non possumus adimplere. Si coactæ fuerimus ab abbatissâ, quid faciemus? Cui Euphraxia respondit: Domina mea, domina nostra abbatissa dixit, vt vnaquæque sicut poterit decertet. Non enim sine necessitate mihi hoc iugum imposuit. Dixit ei Germana: Impostrix & omni calliditate plena, quis nesciat, quia sub ingenio hoc agis, vt post pausationem abbatissæ tu ei succedas? Credo in Christo, quia te numquam dignabitur ad abbatissæ venire locum. Audiens hæc Euphraxia, prostrauit se ad pedes eius, & dixit ad eam: Ignosce mihi domina mea, & ora pro me. Cognoscens autem abbatissa quod fuerat factum, Germanam coram omnibus vocauit, dixitque ei: Ancilla nequam, & à Deo extranea, quid tibi nocuit Euphraxia, quia festinasti studium eius obrumpere? Aliena es à sororum concilio, indigna es à ministerio, & collegio sororum extranea. Cui multùm supplicabat Euphraxia, quatenus illi veniam largiretur: & non eam flexit, donec implerentur dies triginta. Trigesimo verò die videns Euphraxia quia nil rogando proficeret, assumens secum Iuliam, & seniores feminas monasterij deposcebat, vt rogarent abbatissam, quatenus ei reconciliaretur. Quo facto euocauit eam abbatissa coram omnibus, dixitque ei: Nónne diiudicasti in corde tuo, vt studium puellæ huius abscinderes, nec cogitasti, quia dum esset matrona, & ex imperiali genere constituta, humiliauit semetipsam, & propter Deum seruiuit tibi? Omnibus ergo rogantibus pro Germanâ, placata est.

Humiliat se coram æmulatrice.

Pro eadem abbatissam deprecatur.

CAP. XXI. *A diabolo præcipitatur in puteum.*

Tunc diabolus contra Euphraxiam certamina non cessauit committere. Nimis enim furebat contra eam, & citò perduci volebat ad finem. Vnâ quidem dierum cùm ad hauriendam aquam descendisset ad puteum, arripiebat eam diabolus cum lagenâ, & deiecit eam deorsum in puteum, ita vt nausearet Euphraxia, & perueniret caput eius ad fundum. Eleuata verò de aquâ, & tenens funem situlæ, ita clamauit de puteo; Christe adiuua me. Quâ voce factâ, cognitum est, quia Euphraxia corruisset in puteum, & concurrentes sorores cum abbatissâ, abstraxerunt eam de puteo. Quæ surgens exinde, & semetipsam consignans, subrisit & ait: Viuit Christus meus, quia non me vincis diabole, neque cedo tibi: Vsque nunc quidem vnam lagenam portabam cum aquâ in coquinam: ab hodie

Christi adiutorio euadit.

Laborem contra diabolum duplicat.

die verò duabus lagenis aquam portabo. Et ita fecit.

CAP. XXII. Videns itaque diabolus, quia eam in puteo necare non valuit, rursum aliâ vice cùm descendisset ligna incidere, cumque iam pauca incidisset, astitit diabolus obseruans eam. Et dum leuasset securim vt lignum incideret, colligauit diabolus manus eius, & vsque ad eius calcaneum traxit, & peruenit vsque ad tibiam. Quæ cùm vidisset crudelissimum vulnus valdè, & sanguinem vehementer effusum, proijciens securim, angustiata & in terram prostrata est. Iulia verò cucurrit, & clamans, sororibus nunciauit, quia Euphraxia accipiens securim, de secuti mortua est. Cumque concursu clamor factus fuisset vniuersarum, circumstabant eam paucæ simul & flebant. Tunc accedens abbatissa, [4] aquam in faciem eius misit: & consignans eam atque complectens, ait ei: Filia mea Euphraxia, cur angustiata es? Recrea te, & loquere sororibus. Illâ verò respiciente, abbatissa dixit: Domine Iesu Christe, sana ancillam tuam, quoniam propter te multa patitur. Et cùm ligasset pedem eius de panno cilicino, leuauit eam: & dans ei manum, ducebat eam ad monasterium. Illa verò respiciens ligna proiecta, dixit sororibus: Viuit Dominus meus, nisi collegero ligna, & [5] septimanam meam compleuero, non ascendam. Cui Iulia dixit: Noli domina soror, non vales: dimitte, ego colligam ea, tu ascende, requiesce propter dolorem. Illa verò non acquieuit, sed complens manus suas lignis, sic ascendit. Cui tamen diabolus non pepercit. Nam cùm ascendisset superiores gradus scalæ, calcans summitatẽ tunicæ suæ, super ipsum lignum ruit quod portabat: & fixum est lignum in adspectu eius, ita vt sorores crederent, quia lignum eius oculum penetrasset. Tunc exclamans Iulia, ait ad eam: Domina mea, tibi dixi quia non potes requiescere, & non me audisti. Cui dixit Euphraxia: Cautè subtrahe à me lignum, oculus meus sanus est. Traxit ergo ab eâ lignum, & sanguinis facta est effusio vehemens. Abbatissa verò deferens oleum, & factâ oratione, supposuit ei manum: rursumque dixit ad eam: Vade ad stratum tuum, requiesce: & ego dominabus sororibus ministerium tuum iniungo. Euphraxia verò dixit: Viuit Dominus meus, quia non requiesco, donec officium meum compleuero. Multùm enim rogabatur à sororibus, vt requiesceret propter plagas quas habebat, & passa non est: sed sic vlcerata, ex vtraque plagâ sanguine procurrente, stabat ministerium faciens sororibus, & neque in opere Dei deerat, nec in alio ministerio.

Agente diabolo seipsam inuita grauiter lædit.

Ab abbatissâ consignatur.

Etiam læsa opus explet.

Rursus læditur instigante diabolo.

Nec tamen ab opere cessat.

CAP. XXIII. Rursus itaque aliâ vice, cùm adscenderet cum Iuliâ in [6] solarium tertium, arripiens eam diabolus, præcipitauit eam deorsum. Et cùm exclamasset Iulia, concurrentes sorores, crediderunt se Euphraxiam mortuam inuenire. Quæ surgens, occurrit eis. Quam suscipientes, introduxerunt eam ad abbatissam: interrogauitque eam, si in aliquo fuisset læsa. Cui Euphraxia respondit: Viuit Dominus, domina mea, quia nec quomodo cecidi noui, nec quomodo surrexi. Audiens abbatissa, quia de tantâ altitudine corruens nihil esset læsa, glorificauit Deum, dicens: Vade filia ad opus tuum, & erit Dominus tecum.

Præcipitatur è solario à dæmone, sed illæsa.

CAP. XXIV. Rursus ergo inimicus volens eam occidere, sic adoriebatur. Cùm Euphraxia ollam feruentem teneret, in quâ olus coquebat, vt effunderet coctionem olerum in vasculo: ablatis pedibus à diabolo, retrorsum cadens, ollæ illius coctionem in faciem suam fudit. Et dum omnes sorores in hoc facto expauescerent, exiliens Euphraxia, subrisit, & ait ad eas: Vt quid turbatæ estis? Abbatissa verò videns quia non fuisset læsa, respexit in ollam: & vidit quia quod remanserat, esset feruens. Et conuersa dixit Euphraxia: Verè domina mea, quia velut aqua frigida venit in faciem meam. Admirata est verò abbatissa, & intuens in eam dixit: Filia, Deus te custodiat, & tibi sine intermissione tolerare in suo timore concedat. Et ingressa abbatissa oratorium, conuocauit [7] priores seniores, dixitque eis: Nostis quia Euphraxia promeruit gratiam Dei? Cognouistis enim quia nec præcipitata contristata est, neque nimietate feruoris exusta est. At illæ dixerunt: Verè ancilla Dei est Euphraxia, & curam eius habet Dominus: nam in huiusmodi tentationibus liberata est à Domino.

Deus diaboli molimina contra Euphraxiam eludit.

CAP. XXV. Omnis itaque ciuitas atque prouincia consuetudinem habebat, vt infantes malè habentes, in illud deducerent monasterium, ad ancillas Dei miracula facientes, & suscipiebat eos abbatissa, & ingrediebantur in oratorium, & supplicabant pro eis Dominum, & mox ab omni languore sanabantur infantes, & recipiebant eos matres propriè sanos, proficiscentes, atque glorificantes Deum. Erat autem quædam in monasterio mulier energumena, ab infantiâ obligata in monasterio, quatenus saluaretur, quæ habebat spiritum immundum dæmonem, ligatis manibus, & spumam faciens, & dentibus suis stridens, multumque clamans, ita vt omnes audientes eam, timore concidèrent. Et cùm frequenter abbatissa cum senioribus sororibus pro salute eius

Infirmi infantes ad hoc monasterium delati curantur.

Energumena in eodem curanda manet.

eius orasset, nihil promeruit: quapropter nec valebant se ad eam iungere, vt ei vel cibum offerrent. Erat autem ligatum quoddam vasculum in fune, & ipso vasculo legumina vel panes mittebant, & appendebatur ipsum vasculum, & sic ei de longè porrigebatur, & ita vescebatur. Frequenter autem abiiciens ipsum vasculum, cum virgâ iaculabatur in faciem offerentis sibi cibum.

CAP. XXVI. Vnâ verò dierum factum est, vt intraret ostiaria, & diceret abbatissæ: Domina mea, mulier quædam infantulum adduxit, & stans foris ad ianuam, deflet. Est autem infantulus quasi annorum circiter octo, paralyticus, surdus, & mutus. Videns autem abbatissa, spiritu sibi reuelante, quia gratiam promeruisset à Domino contra dæmones Euphraxia, dixit ostiariæ: Voca mihi Euphraxiam. Quæ cum venisset ante abbatissam, dixit ei: Vade, suscipe infantem à matre suâ, & defer huc. Illa verò egressa, & videns infantulum paralyticum & trementem, miserata est super eum: & ingemiscens dolenter, signauit infantem, & dixit ei: Qui te creauit, ipse te sanet, fili. Et sumens eum, pergebat ad abbatissam. Infans verò dum portaretur ab Euphraxiâ, sanatus est, & clamauit matri suæ. Videns autem Euphraxia quia infantulus cœpisset loqui, perterrita proiecit eum in terram. Infantulus autem mox exurgens, cucurrit ad ianuam, quærens matrem suam. Currens autem ostiaria, nuntiauit abbatissæ quod factum est. Quæ cùm vocasset matrem infantis, dicit ei: Dic mihi, inquit, soror, tentare nos venisti? Respondit autem mater infantis, dicens: Per Dominum nostrum Iesum Christum, domina mea, quia neque ambulauit, neque locutus est hic infans vsque in præsentem horam. Sed cùm suscepisset eum hæc domina soror, mox locutus est. Illa verò proiiciens eum in terram, stetit obstupefacta: infantulus verò surgens, venit ad me ancillam tuam. Dicit ei abbatissa: Ecce ergo habes eum sanum: tolle eum, & vade in pace. Quæ assumens filium suum, pergebat, glorificans Deum.

Euphraxia puerum paralyticum, mutum & surdum signo crucis curat.

CAP. XXVII. Rursum ergo abbatissa dixit ad seniores sorores: Quid vobis de Euphraxiâ videtur? Cui respondentes, dixerunt: Verè ancilla Dei est. Vocauitque eam, & dixit ei: Filia mea Euphraxia, volo vt huic [8] patienti, quæ in monasterio est, per manus tuas cibum offeras, si non times eam. Cui Euphraxia respondit: Non timeo, domina mea, quidquid mihi præcipis. Sumens ergo Euphraxia quoddam vasculum, misit in illud legumen & fragmen panis, & obtulit ei. Illa verò repentè dentibus stridens, & valdè fremens, fecit impetum super eam: & apprehendens illud vasculum, volebat confringere. Euphraxia verò apprehendens manum eius, dixit: Viuit Dominus Deus, si te posuero in terram, tollo virgam dominæ abbatissæ, & sic te flagellabo, vt numquam præsumas hoc agere. Videns autem quia præualuisset patienti, quieuit. Postquam autem cessauit, cœpit Euphraxia blandiri, & dicere: Sede soror, comede & bibe, & noli turbari. Illaque sedit, comedit, & bibit, & requieuit. Ab illâ horâ iam illi cibus cum virga dabatur. Omnes autem sorores videntes quod fecerat Euphraxia, orabant pro eâ ad Dominum. Cum verò cœpisset moueri & indignari, dicebant ad eam sorores: Quiesce soror, & noli malignari: nam si venerit domina Euphraxia, flagellabit te; & repentè quiescebat.

Euphraxia energumenæ ministrat.

Eidem præualet, & abbatissæ virgâ minatur.

CAP. XXVIII. Rursum autem Germana inuidiâ mordebatur, & cor eius vrebatur, dicebatque sororibus: Nisi fuisset Euphraxia, non inueniebatur alia quæ cibum ei offerret? tollam cibos, & ego ministro. Sumens ergo cibos eius, accessit ad patientem, & dicit ei: Accipe cibos, soror, & comede. Illa verò continuò exiliens in eam, vestes eius conscidit: & conterens eam, proiecit in terram: & irruens super illam, cœpit manducare carnes eius. Clamore autem facto, & nullâ præsumente ei appropinquare, currens Iulia ad coquinam, dixit Euphraxiæ: Festina domina, quia Germana à patiente dilacerata est. Currens autem Euphraxia, tenens manus patientis & guttur, eripuit ab eâ Germanam cruentatam & dilaceratam. Cui dixit Euphraxia: Benè fecisti, quia sic contriuisti sororem? Illa verò stabat spumam faciens, & dentibus stridens. Dixit ei Euphraxia: Ab hac horâ si maligna fueris erga sorores, non tibi cedo, neque misereor; sed virgam dominæ meæ abbatissæ tollam, & cum eâ te sine misericordiâ flagellabo. Illa verò sedens, repentè cessauit.

Rursum Euphraxiam mordet æmula, sed non impunè.

Succurrit Euphraxia.

CAP. XXIX. Manè autem facto, completo sacro officio, & egredientibus eis ab oratorio, visitans Euphraxia patientem, inuenit eam disruptam vestem suam in terram proiecisse, & sedentem super eam, & colligenté stercus, & comedentem. At Euphraxia vt vidit, fleuit: & quæ facta fuerant, abbatissæ nuntiauit. Conuenientes verò sorores, inuenerunt eam nudam, & colligentem phlegma, & comedentem. Dixit autem abbatissa, vt daretur ei alia tunica, vt vestiretur. Sumens itaque Euphraxia tunicam, & parapsidem cum legumine, & fragmen panis, obtulit ei, & dixit: Accipe soror, & vesti te,

Energumenæ rursus ministrat.

sti te, & gusta, quare sic te deturpas? Quæ sumens, comedit & bibit. Et induens eam, ministrauit ei. Euphraxia verò à lacrymis non cessauit, vsque ad vesperam pro eâ gemens. Quò cùm peruenisset, mox supplicabat Domino cum lacrymis, vt illa patiens sanaretur. Diluculò verò abbatissa vocans Euphraxiam, dixit ei: Cur me celasti, preces offerens Deo pro hac patiente? Si manifestasses mihi, & ego sine dubio venirem. Cui Euphraxia dixit: Ignosce mihi domina, vidi eam turpiter positam & infirmam, & dolui super eam. Abbatissa verò dixit: Habeo tibi aliquid confiteri, & vide ne satanas tentet te, & elatio tibi generetur. Ecce tibi Christus potestatem circa eos dedit, vt eijcias eos. Audiens hæc Euphraxia, misit cinerem super caput suum: & prosternens semetipsam in terram, clamauit dicens: Quæ sum ego infelix & immunda, vt dæmonem tantum expellam, quem orantes per tantum tempus non potuistis expellere? Dicit ei abbatissa: Filia mea, te sustinebat hoc tempus: copiosa est tua merces in cælo. Ingressa autem Euphraxia monasterium, proiecit semetipsam ante altare, supplicans Deo, vt precibus eius sanaretur, & de excelso daretur auxilium. Et surgens à pauimento orans, rursum ibat ad patientem, iussione abbatissæ: & omnes sorores sequebantur eam, vt mirarentur quæ facienda erant. Ad quam accedens, ait: Sanet te Dominus meus Iesus Christus, qui te creauit. Et mox signum crucis fecit in fronte eius. Mox autem clamauit coram omnibus: O, quomodo ab istâ impostrice & fallace exeo, habitans in eâ plurimos annos, & nullus me expellere potuit, & hæc immunda atque luxuriosa conatur persequi me? Cui Euphraxia dixit: Non ego te persequor, sed Christus omnium Deus. Dixit ei dæmon: Non exeo, immunda: non enim accepisti potestatem eijciendi me. Euphraxia dixit: Ego immunda sum, & omni malignitate plena, vt tu quoque testaris: verumtamen iubente Domino, egredere ab eâ. Nam si sumo baculum abbatissæ, flagellabo te. Ceterùm resistente dæmone, & exire nolente, sumens Euphraxia abbatissæ baculum, dixit ei: Exi, aut certè torqueo te. Respondit ei: Quomodo ab eâ egredi potero, cùm ab eâ recedere non possim? Mox igitur Euphraxia cœpit cædere. Et cùm tertiò percussisset, dixit: Egredere à figmento Dei spiritus immunde. Increpet te Dominus Iesus Christus. Dæmon dixit: Non possum exire ab eâ, quid me persequeris? vbi habeo proficisci? Euphraxia dixit: In tenebras exteriores, in ignem æternum, in infinita tormenta, parata tibi & patri tuo satanæ, & facientibus voluntatem eius. Omnes itaque sorores stabant respicientes in eam, & non præsumebant propiùs appropinquare. Euphraxia verò durè certabat cum dæmone resistente. Et respiciens in cælum, dixit: Domine Iesu Christe, noli me in hac horâ confundi, vt non vincat me hic dæmon immundus. Et continuò dæmon spumans, & stridore facto, clamans voce magnâ, egressus est à muliere: & ab eâ horâ sanata est. Cucurrerunt autem sorores, glorificantes in hoc Deum: magnus enim timor obtinuerat omnes. Euphraxia verò tulit mulierem, & abluit eam aquâ, & induit eam vestimento, & duxit ad abbatissam: quæ vnà cum sororibus introduxerunt eam in monasterium, & gloriam dederunt Deo pro facto miraculo.

Potestatem accipit à Christo dæmones expellendi.

Signaculo crucis energumenam signat.

Humiliat se Euphraxia.

Baculo abbatissæ energumenam pulsat.

Oratione dæmonem pellit.

CAP. XXX.

Ab illâ verò horâ humiliauit se ampliùs Euphraxia, & sine somno totâ nocte persistebat: omnem verò hebdomadam ieiunabat, vt consueuerat, sine defectu faciens cunctis sororibus ministerium, & cum omni studio atque lætitiâ in mansuetudine atque humilitate degebat. Vnâ verò dierum abbatissa vidit visionem, & conturbata est vehementer. Rogare autem cœperunt eam omnes sorores, supplicantes & dicentes: Confitere nobis domina abbatissa, cur sic ingemiscis, & nostras animas simul affligis. Et dixit: Non me cogatis vsque in crastinum. Dixerunt ei seniores sorores: Crede domina, quòd si non annuntiaueris nobis, tribulationem magnam animabus nostris ingeris. Abbatissa dixit: Ego quidem quod futurum est, vsque in diem crastinum dicere non volebam: sed quia cogitis me, nunc audite: Euphraxia nos deserit, cras enim hac vitâ priuabitur: nulla verò indicet ei, ne contristetur. His itaque dictis, magnus eiulatus per multas horas factus est. Vna autem sororum cùm cognouisset, currens ad furnum, inuenit Euphraxiam panes coquentem: cui Iulia aderat secundùm consuetudinem. Dixit ergo illa soror quæ venerat: Cognosce domina Euphraxia, quia intus magnus luctus est apud abbatissam propter te, & apud sorores. Audientes autem hæc Iulia & Euphraxia, stupefactæ sunt, & diutiùs steterunt. Post hæc autem Iulia dixit: Putásne auditu audiuit abbatissa, quia ex missione illius, qui aliquando sponsus fuerat tuus, iussit Imperator te adduci ex monasterio, & propterea lamentantur? Cui Euphraxia respondit: Viuit Dominus meus Iesus

Eò ampliùs se humiliat Euphraxia.

Præuidet abbatissa vicinam Euphraxiæ mortem.

Iesus Christus, quia si omnia fundamenta terræ moueantur, non mihi persuadere præualebunt, vt Christum Dominum meum derelinquam. Verumtamen domina mea Iulia, dum coquuntur panes, vade, vide fletus istos, vide quid contigerit, ne anima mea perturbetur. Illa verò pergens, & stans foris ante ianuas, audiuit somnium abbatissam hoc modo referentem: Vidi, inquit, quasi duos cuiusdam schematis viros huc aduenientes, qui quærebant Euphraxiam tollere, dixeruntque mihi: Dirige eam, opus habet. Rursum ergo & alij venientes, dixerunt mihi: Assumens tecum Euphraxiam, deduc eam ante Dominum. Quam mox assumens, properaui cum eis. Et cùm venissemus ad quamdam portam, cuius gloriam enarrare non valeo, sponte nobis aperta est. Et ingressæ sumus, & vidimus ibi inenarrabile palatium cæleste, in quo & solium nuptiale non manu factum. Ego quidem interiùs appropinquare non potui. Euphraxiam verò assumentes, obtulerunt Domino: & procidens, osculata est pedes eius immaculatos. Vidi ibi dena millia Angelorum, ac multitudinem Sanctorum innumerabilem; & omnes stabant respicientes: & vidi, & ecce mater Domini assumens Euphraxiam, adduxit eam ad thalamum nuptialem, in quo decoris coronam parabat, & audiui vocem ad Euphraxiam dicentem: Ecce merces tua. Nunc itaque perge, post decem dies veniens, fruere his in sæculis infinitis. Et ideò quia hodie nona dies est, ex quo visionem vidi, cras morietur Euphraxia.

Visio abbatissæ de solio Euphraxiæ parato.

CAP. XXXI

Audiens hæc Iulia recitantem secretè abbatissam, tundens pectus suum & faciem, amarè deflens venit ad clibanum: & cùm vidisset eam flentem Euphraxia, dixit ad illam: Coniuro te per Filium Dei, soror Iulia, indica mihi quid audisti, & quare plangis. Dixit ei Iulia: Plango, domina mea, quia hodie separabimur à te: sicut enim audiui à dominâ meâ abbatissâ, cras ex hoc corpore exhalabis. Quod dum Euphraxia audisset, angustiata est, & pusillanimis facta, cecidit. Sedebat autem iuxta eam Iulia flens. Cui Euphraxia dixit: Soror, da mihi manum tuam, & leua me, & duc me vbi ligna sunt posita, & ibi me pone; & tolle panes de clibano, & porta in monasterium. Fecit Iulia hæc, & abbatissæ non indicauit. Cùm ergo iaceret Euphraxia in pauimento, clamauit: Cur Domine abominatus es me peregrinam & orphanam? Cur despexisti me? Ecce tempus quando debebam cum diabolo pugnare, & anima mea à me expetitur. Misericors esto in me ancillâ tuâ, Domine Iesu Christe: dimitte vel vnum annum, quatenus defleam peccata mea, quia sine pœnitentiâ sum, & ab omni pœnitentiâ nudata. Non est in me opus salutis: nam nemo in inferno confitebitur tibi. Non est pœnitentia in sepulcro, non possum post mortem lacrymis præualere: non enim qui in inferno sunt laudabunt te Domine, sed viuentes laudabunt nomen sanctum tuum. Dona mihi vel adhuc vnum annum, vt pœnitentiam agam, quia desolata sum sicut ficus sine adiutorio. Cùm ergo defleret, audiens quædam sororum, indicauit abbatissæ atque sororibus, quia Euphraxia prostrata in repositorio lignorum, ita clamaret. Dixitque Iulia: Verè, domina, audiuit quia moritur; propterea lamentatur. Dixit ergo abbatissa sororibus: Quis annuntiauit ei, & animam eius afflixit? Quis indicauit ei, & cor eius attriuit? Nónne vos rogaui, ne diceretis ei, donec eius hora veniret? Cur hoc fecistis & afflixistis animam eius? Ite, & adducite eam mihi. Illæ verò pergentes, dixerunt ei: Veni domina Euphraxia, vocat te abbatissa. Illa verò egressa est, plorans atque conturbata: & ingressa, adstitit abbatissæ, deflens atque mœrens, & gemitibus nimis afflicta. Abbatissa verò respiciens eam, dixit: Quid habes, filia, quia sic ingemiscis? Euphraxia dixit: Plango me, domina mea, quia sciuisti me morituram, & non indicasti mihi, vt plangerem peccata mea, dum sim ab omnibus peccatis coinquinata. His dictis, se prostrauit in pauimentum, & tenuit pedes abbatissæ, per quam omne consilium eius alacriter est perductum. Clamauitque Euphraxia, & dixit: Miserere mei, domina, & deprecare Dominum, vt mihi concedat vel vnum annum; quia sine pœnitentiâ sum, & nescio quæ me tenebræ cooperiant. Dixit ei abbatissa: Viuit Dominus, quia cælesti senatu dignam te fecit rex tuus Christus. Et cœpit omnibus recitare, quibus bonis habet frui Euphraxia. Et rogabat eam, vt pro ipsâ Dominum supplicaret, quatenus eius particeps esse mereretur. Orabat enim, vt cum eâ conuersaretur in Christo; & ipsis donis quibus ipsa erat fruitura, & ipsa frueretur.

Profunda Euphraxiæ humilitas.

Abbatissæ pedes amplectitur.

CAP. XXXII.

Euphraxia verò iacens ad pedes abbatissæ, cœpit tenere frigus & rigorem: post paululum verò vehemens eam febris inuasit. Abbatissa verò sororibus ait: Sumite eam, & ingrediamur in oratorium, quia iam appropinquat hora eius. Posuerunt ergo eam in oratorium, & obseruabant eam vsque ad vesperam. Vespere autem facto, cùm hora sumendi cibum iam aduenisset, præcepit

Infirmatur Euphraxia, defertur in oratorium.

cepit eis abbatissa, vt egrederentur, solummodò Iuliam secum retinens, ne aliquâ horâ relinquerent Euphraxiam: & clausis ianuis, vsque manè fuerunt cum eâ. Iulia verò rogabat Euphraxiam, dicens: Domina mi soror, non obliuiscaris mei: memento quòd inseparabiliter tibi coniuncta sum semper super terram: supplica Deo pro me, vt me non separet à te. Memento quia ego tibi prouidi bona certamina. Deprecare Dominum, vt me absoluat ab hac sarcinâ carnis, vt merear tecum abire cum fiduciâ. Manè verò facto, abbatissa videns quia in nouissimâ respiratione esset Euphraxia vt moreretur, mandauit sororibus per Iuliam, dicens: Venite filiæ meæ, valefacite ei, quia iam defecit. Quibus venientibus, valedixerunt ei, flentes, dicentesque: Memento nostri, domina soror Euphraxia, nomen benedictum à Deo, qui te dilexit. Post omnia autem venit illa, quæ diu passa à dæmone fuerat, & per eam salua facta est: & lugens sicut & omnes, osculabatur manus eius, dicens: Istæ manus quantum mihi indignæ & peccatrici ministrauerunt! per Deum, & per istas manus dæmonium expulsum est à me. Et cùm Euphraxia respondere non posset, dixit ei abbatissa: Filia mea, non misereris vel huius sororis? Quare non loqueris ei, quæ propter te ita tribulatur? Euphraxia verò respondit ad eam: Quare me luges, domina soror? Dimitte me requiescere, quia deficio: verumtamen tu benedic Deum, & ipse te conseruabit. Et dixit: Ora pro me, quia magnum certamen est in animâ meâ in hac horâ. Cùm ergo orasset abbatissa, & omnes respondissent, Amen, reddidit animam. Erat autem annorum triginta: sepelieruntque eam in tumulo, vbi & genitrix eius Euphraxia requiescebat: & glorificauerunt Deum, quia promeruissent habere sororem apud Deum.

Magistra eius Iulia cum eâ mori expetit.

Euphraxia orationes sororum in extremâ luctâ petit. Efflat animam trigennis.

CAP. XXXIII. Iulia verò magistra eius, tribus diebus flens, ab eius tumulo non recessit: hęc enim docuerat eam litteras & psalterium & multùm eam diligebat, cùm eius esset discipula, atque ex genere Imperatoris. Quartâ verò die læta facta Iulia, accessit ad abbatissam, & dixit ei: Domina mea, ora pro me, quia vocauit me Christus, intercedente pro me beatâ Euphraxiâ. Et hæc dicens, osculata est cunctas sorores. Quintâ autem die post obitum Euphraxiæ, defuncta est & magistra eius Iulia, & sepulta est in sepulcro, vbi posita erat beata Euphraxia.

Iulia eius magistra eam sequitur.

CAP. XXXIV. Post triginta verò dies euocans abbatissa monasterij priores, dixit ad eas: Filiæ meæ, eligite vobis matrem, & constituite in locum meum, quæ vobis præesse possit. Illæ verò responderunt: Domina, pro quâ caussâ hoc dicis, denuntia nobis: numquam enim famulabus tuis hoc dixisti. Dixit eis abbatissa: Vocauit me Dominus. Supplicauit enim pro me domina Euphraxia, & multùm laborauit in suis precibus, quatenus ego cælestem thalamum promererer. Nam & Iulia per sanctam Euphraxiam particeps eius effecta est, & ingressa est in illud palatium non manufactum: & ego festino digna fieri, & cum eis locum habere. Audientes sorores de Euphraxiâ & Iuliâ, quia in maximâ esset gloriâ, gaudebant, & orabant pariter, vt & ipsæ mererentur ad illum thalamum accedere. Elegerunt ergo vnam sororum, nomine Theogeniam, quæ eis præesset. Quam euocans abbatissa ad se, dixit ad eam: Ecce testimonium bonum quod sorores omnes de te dederunt, & posuerunt te ad principatum & præsulatum traditionis diuinæ legis & consequentia nostra. Coniuro te per intemeratam Trinitatem & consubstantialem, ne istius mundi quæras diuitias aut possessionem, neque occupes sorores ad terrenas sollicitudines: sed magis vt contemnentes temporalia bona, perpetua mereantur accipere. Et rursum sororibus dixit: Quomodo perfectè nostis vitam & conuersationem Euphraxiæ, estote imitantes eam, vt participes eius efficiamini. Et cùm dixissent omnes, Amen: valedicens eis, intrauit oratorium: & claudens ianuas, præcepit vt vsque ad diluculum nulla illarum intraret. Manè autem facto ingressæ, inuenerunt eam obdormisse in Domino: & hymnum dicentes Domino, reposuerunt eam in sepulcro, vbi beata Euphraxia condita erat. Ab illâ autem die nequaquam in illo tumulo alia sepelierunt corpora.

Abbatissa etiam vocatur ad Dominum.

Eligitur alia abbatissa, quam senior instruit.

Abbatissa senior obdormit in Domino.

CAP. XXXV. Multa verò signa & sanitates fiebant in memorato sepulcro: & expulsi dæmones clamabant: Quia post mortem præualet contra nos Euphraxia, & persequitur nos. Hæc est reuerà Vita Euphraxiæ matronæ, quæ cælesti senatui interesse promeruit. Festinemus igitur & nos, tam fratres quàm sorores, huiusmodi conuersationem habere, & sectari humilitatem, obedientiam, laborem, mansuetudinem, longanimitatem, vt & nos ita Angelorum conuersationem mereamur, & cum gaudio magnò fruamur Saluatore Domino nostro Iesu Christo. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Multa miracula eduntur ad sepulcrum Euphraxia.

NOTATIO.

EVPHRASIÆ.] *Martyrologium Romanum* XIII. *Martij:* In Thebaide depositio S. Euphrasiæ virginis. *Vsuardus de eadem hac die. Menologium Græcorum* XXV. *Iulij:* Eodem die S. Eupraxiæ, filiæ Antigoni cuiusdam senatorij ordinis, & Eupraxiæ, sub Theodosio Imp. cuius erat consanguinea: mortuo autem Antigono, mater Eupraxia Theodosio illam commendauit, qui senatorio cuidam viro despondit. Illa verò discedens cum matre in Thebaidem Ægypti profecta, ad monasterium ingressa in quo erant virgines centum & quatuor, parem Angelis vitam ducentes, æmulata earum virtutem, à monasterio ipso discedere passa non est: erat autem tunc virgo sexdecim annos nata. Mater verò illinc discedens, Orientis monasteria obeundo, possessiones multas & beneficia indigentibus contulit. Post hæc cùm in morbum incidisset, reuersa est ad mansionem in quâ filiam reliquerat: cumque omnes facultates suas filiæ commisisset, requieuit in Domino. Eupraxia verò cùm bona omnia pauperibus & ecclesiis Dei distribuisset, monasticæ vitæ exercitationem egregiè amplexa, tantum in virtute profecit, & necessitates corporis subiugauit, vt per quadraginta quinque dies immobilis steterit, intentis ad cælum manibus. Itaque propter excellentem virtutem beata Eupraxia miraculorum gratiam accepit, quâ multos à variis languoribus liberauit, & ipsa beatum finem assecuta, ad Dominum translata est.

Euphrasiæ res gestas habent omnes editiones, exceptâ primâ Vitarum Patrum. ex quibus & manuscrip. codice Surius mutato stylo descripsit tom. II. *Ego veterem stylum retinui, ex voto multorum virorum doctorum. Ioannes Damascenus ex eius Actis, vt legitimè scriptis, petit auctoritatem Orat.* III. *de imaginibus, vbi hæc Græcè citat:* Λέγει ἡ διάκονος τῷ κορασίῳ, Ὕπαγε κυρία μου εἰς τὸν οἶκόν σου, ὅτι οὐ δύνασαι ὧδε παραμεῖναι· οὐδὲ γὰρ δύναταί τις ὧδε παραμεῖναι, ἐὰν μὴ συντάξηται τῷ Χριστῷ. Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον, Ποῦ ἐστιν ὁ Χριστός; Ἡ διάκονος ἐπέδειξεν αὐτῇ τὸν δεσποτικὸν χαρακτῆρα. καὶ στραφεῖσα, λέγει τῇ διακόνῳ, Ἀληθῶς κἀγὼ τῷ Χριστῷ συντάσσομαι, καὶ οὐκέτι ἀπέρχομαι μετὰ τῆς κυρίας μου. καὶ πάλιν ἀναστᾶσα ἡ Εὐφραξία, καὶ λαβοῦσα τὴν θυγατέρα ἑαυτῆς, παρέστησεν εἰς τὸν δεσποτικὸν χαρακτῆρα. καὶ ἐκτείνασα τὰς χεῖρας αὐτῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐβόησε μετὰ κλαυθμοῦ, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, σοὶ μελήσει περὶ τῆς παιδίου, ὅτι σὲ ἐπόθησεν, καὶ σοὶ παρέθετο ἑαυτήν. Diaconissa verò ad puellam, Abi, inquit, domum tuam, quia non potes hîc permanere. neque enim in hoc cuiquam licet commorari, nisi cùm Christo coniungatur. Puella autem, Vbi est, inquit, Christus? At illa ostendit ei Domini imaginem. Cui puella conuersa, Verè, inquit, ego cum Christo coniungor, neque ampliùs cum herâ meâ discedam. Et rursum consurgens Euphraxia, filiamque suam apprehendens, Dominicæ imagini ipsam admouit, manibusque sublatis in cælum magnâ voce clamauit: Domine Iesu Christe, puella tibi erit curæ, quando te concupiuit, seque ipsam dicauit tibi. *quæ Damascenus compendio excerpsit ex Actis Græcis Euphraxiæ. illa in hac Vitâ Latinâ fusiùs habes narrata cap.* VIII. *&* IX.

Claruit temporibus Theodosij Imp. vti patet ex ipsâ Vitâ, & Menologio.

Alia ab istâ est Euphrasia Nicomediensis, quæ mirâ arte elusit procaciam lascivientis iuuenis. de quâ Nicephorus lib. VII. *cap.* XIII. *Menæa Euphrasiam Nicomediensem martyrem tempore Maximiani Imp. habent* XIX *Ianuarij.*

2. SANCTVARIIS.] *Ita, opinor, vocat* σεμνεῖα, monasteria. *Sic cap.* V. Quæ etiam illic vacans in sanctuariis. CAP. I.

3. ARCHITRIA.] *An intelligit cellulas? In Vitâ S. Antonij cap.* LIII. *habes* architerium, *de interiore & primariâ Antonij cellâ.* CAP. VI.

4. AQVAM IN FACIEM EIVS MISIT.] *Affusâ aquâ frigidâ exanimati ad se redibant. vnde prouerbium,* Aquam aspergere, *id est, animos addere. Mox in Vitâ Euphrosynæ cap.* XV. iactauit in faciem eius aquam. CA. XXII.

5. ET SEPTIMANAM MEAM COMPLEVERO.] *Inde occurrunt apud varios scriptores* hebdomadarij *seu* septimanarij. *Vide Onomasticon.*

6. SOLARIVM TERTIVM.] *Ergo plura erant in vnâ domo solaria, id est tabulata. Aliâs* solarium, *id est suprema contignatio soli exposita, vnum tantum erat.* CA. XXIII.

7. PRIORES SENIORES.] *Mox cap.* XXVII. *&* XXX. seniores sorores. *Sæpè occurrunt* seniores *tam inter viros quàm inter mulieres, in his Vitis.* CA. XXIV.

8. PATIENTI.] *Id est* energumenæ. *Clarum ex cap.* XXV. CAP. XXVII.

VITA

VITA SANCTÆ [1] EVPHROSYNÆ VIRGINIS

1. Ian.

AVCTORE INCERTO.

Cap. I. EVIT vir in Alexandriâ nomine [2] Paphnutius, honorabilis omnibus, & custodiens mandata Dei. Hic accepit coniugem dignam generis sui, & ipsam honestis moribus plenam, sed sterilis non pariebat. *Parentes solliciti pro prole suscipiendâ.* Vir autem eius nimis fluctuans, eò quòd non haberet cui omnes facultates dimitteret, vt post obitum suum benè & congruè suam substantiam gubernaret, indigentibus non cessabat ministrare nocte & die, ecclesiisque adhærens, ieiuniis & orationibus orans & petens à Deo dari sibi filium. Similiter & vxor eius doloribus afficiebatur maximè, videns virum suum fluctuantem nimium; multam & ipsa etiam pecuniam erogans pauperibus & in oratoriis, poscens adimplere desiderium suum. Similiter autem & vir eius circuiens quærebat inuenire aliquem hominem dignum Deo, qui posset precibus suis effectum desiderij eius perficere. Et ita perambulauit in monasterio, in quo eiusdem monasterij patrem magnum dicebant apud Deum. Illicque ingressus, & multam pecuniam offerens, multam etiam fiduciam ab abbate & vniuersis fratribus consecutus est.

Cap. II. Abbatis orationibus filiam impetrant. Post multum verò temporis indicauit abbati caussam desiderij sui: qui compatiens illi, postulauit à Domino dari illi fructum ventris: & amborum orationes exaudiens Deus, largitur vnicam filiam. Videns autem Paphnutius abbatis conuersationem, numquam à monasterio recedebat. Vnde & coniugem suam introduxit, vt benediceretur ab abbate & à fratribus. *Euphrosyna septennis baptizatur.* Tollens autem infantulam à lacte, & facta annorum septem baptizata est, imposueruntque illi nomen Euphrosynam. Gaudebant autem super illam parentes eius, quia erat accepta Deo, & pulchra facie.

Cap. III. Facta autem annorum duodecim, mater eius migrauit de hoc sæculo. Remansit autem pater eius, erudiens eam litteris & lectionibus, ceteraque huius mundi sapientiâ. Puella verò tantam excipiens disciplinam, ita vt miraretur pater illius prudentiam. Opinio autem eius peragrauit totam ciuitatem, & de sapientiâ eius & de doctrinâ, & quia erat pulchra nimis, & composita vultu & animo. Multos autem excitauit ad accipiendum eam filiis suis, & multis decertantibus cum patre eius, peruenire ad finem non poterant, sed tamen ipse dicebat: Domini voluntas fiat. *A multis in vxorem expetitur.* Vnus autem exuperans omnes in honore & diuitiis, accersiuit patrem illius, & postulabat ab eo, vt daret filiam eius filio suo in matrimonio, & concessit. *Desponsatur.*

Cap. IV. Post multum verò temporis accipiens eam Paphnutius, cùm esset annorum octodecim, abiit in monasterium cum eâ, in quo consueuerat, multamque iterùm pecuniam largitus est ad necessaria fratrum. Dixitque abbati: Fructum orationum tuarum adduxi tibi, vt ores pro eâ; quia iam ad nuptias eam tradere volo. *Pater illam orationibus abbatis commendat.* Iussit autem abbas eam introduci in xenodochia monasterij, locutusque est cum eâ, & benedicens exhortatus est eam de castitate, & humilitate, & patientiâ timoris Domini: faciens ibi tres dies, autem ponebat quotidie ad psalmos, & videns singulorum conuersationem & spirituale propositum, mirabatur eorum vitam, dicens: Beati sunt viri isti, qui & in hoc sæculo similes Angelis, & post hæc vitam æternam consequuntur. Et cœpit cor eius esse sollicitum in zelo timoris Dei.

Cap. V. Post tres autem dies dixit Paphnutius ad abbatem: Veni pater, vt salutet te ancilla tua, & ora pro eâ, quia ambulere volumus in ciuitatem. Cùm autem venisset abbas, proiecit se puella ad pedes eius, dicens: Obsecro te pater, ora pro me, vt lucretur Deus animam meam. Extendensque manum suam benedixit eam, dicens: Deus, *Abbas ei benedicit.* qui cognoscis hominem antequam nascatur,

tur, tu huius ancillæ tuæ curam habere digneris, vt mereatur portionem & consortium habere in regno cælorum. Et commendantes seni, abierunt in ciuitatem: pater verò illius si aliquando inueniebat monachum, hunc adducebat ad domum suam, rogans vt oraret pro eâ. Vnâ autem die anniuersariâ, quando ordinatus est abbas monasterij, de quo suprà diximus, misit abbas vnum è fratribus ad Paphnutium, vt inuitaret eum ad sollemnitatem abbatis: qui abiens in domum eius, requisiuit eum. Pueri autem dixerunt ei: Processit.

Anniuersarius ordinationis abbatis dies celebris.

CAP. VI.

Audiens verò Euphrosyna, & aduocans illum fratrem, cœpit eum interrogare: Dic mihi pro charitate, domine mi frater, quanti fratres estis in monasterio. At ille dixit: Trecenti quinquaginta duo. Dixit ei puella: Qui voluerit venire illic ad conuersionem, suscipit illum abbas vester? Respondit ei: Etiam cum multo gaudio suscipit illum, maximè propter vocem Domini, qui dixit: Qui venit ad me, non eiiciam foràs. Dicit ei Euphrosyna: Omnes in ecclesiâ vestrâ psallitis, & æqualiter ieiunatis? Dicit ei monachus ille: Communiter quidem psallimus, ieiunia verò vnusquisque quomodo vult, aut quantum valet, vt non fiat contumax voluntatis conuersatio, sed proprij arbitrij & spontaneâ voluntate. Omnem ergo perscrutans monachorum conuersationem, dixit ad monachum: Volebam abire, & peruenire ad huiusmodi inenarrabilem vitam; sed timeo inobediens esse patri meo, quia pro vanâ & caducâ huius sæculi substantiâ cupit me tradere viro. Dicit ei monachus: Soror, non permittas vt polluat homo corpus tuum, & tradas talem pulchritudinem pati opprobrium, sed desponsa te Christo, qui tibi potest pro ipsis omnibus transeuntibus dare regnum cælorum, & consortium Angelorum. Occultè autem exiens, vade ad monasterium, mutato habitu sæculari indue vestem monachilem, vt possis euadere. Quæ cùm hæc audisset, placuit illi, & dixit ad eum: Et quis me habet tondere? Nolebat à laico tonderi, qui non seruat fidem. Dicit ei monachus ille: Ecce pater tuus veniet mecum ad monasterium, & faciet ibi tres dies vel quatuor. Tu autem adduc vnum de monachis, & quomodo voles, occurret tibi cum magno gaudio.

Trecenti quinquaginta duo monachi in vno monasterio.

Ioan. 6.

Inuestigat Euphrosyna monasterij mores.

Monachus ei virginitatem suadet & sexus dissimulationē.

CAP. VII.

Hæc & his similia illo dicente ad Euphrosynam, venit Paphnutius, & videns monachum, interrogauit eum, dicens: Quid ad nos fastidium sumpsisti, domine? Et dixit ad eum: Anniuersaria dies est monasterij, misit me abbas, vt venias & accipias benedictionem. Gauisus est autem Paphnutius, ingressusque cum eo in nauiculam, abierunt in monasterium. Cùm autem esset ibi, mittens Euphrosyna vnum famulum fidelissimum, dixit: Vade in monasterium Theodosij, ingressusque ecclesiam, monachum quem ibi inueneris, adduc tecum. Misericordiâ autem Dei ecce quidam monachus veniebat de monasterio, vendens quæ secum habebat. Et videns eum puer, rogauit eum vt veniret ad Euphrosynam. Qui cùm venisset, videns eum puella, surgens salutauit eum, dicens: Ora pro me pater; & orans benedixit eam, & sedit. Dixit autem Euphrosyna: Domine mi, ego habeo patrem Christianum & seruum Dei, possessorem substantiæ diuitis: habuitque vxorem quæ me genuit; sed quæ iam transiuit de hac vitâ. Vult autem pater meus pro omnibus rebus suis tradere me sæculo huic iniquo, & ego nolo inquinari in eo, sed timeo inobediens esse patri meo, & quid faciam nescio. Totam enim noctem absque somno transiui, postulans Deum vt ostenderet animæ meæ misericordiam suam: & manè facto, placuit mihi mittere in ecclesiam, & adducere vnum fratrem, vt audirem ab ipso verbum salutis, & quid facere debeam. Postulo autem te pater, pro mercede animæ tuæ, scio quia à Deo missus es, doce me quæ Dei sunt. Dicit ei senior: Dominus dicit, Si quis non abrenuntiauerit patrem, & matrem, & fratres, & filios, insuper & propriam animam, non potest meus esse discipulus. Ego tibi plus dicere nescio. Tamen si potes ferre tentamenta carnis, relinque omnia, & fuge facultates patris tui, quæ multos inueniunt heredes. Ecce ³ ptochia, ⁴ hierocomia, xenodochia, monasteria, viduæ, pupilli, peregrini, infirmi, captiui, vbi voluerit & placuerit patri tuo, relinquet; tu sola ne perdas animam tuam. Dicit ei puella: Confido in Deum & orationibus tuis, quia laborare habeo pro animâ meâ, Deo auxiliante. Dicit ei senex: Talia desideria à firmitate non decidantur: modò enim est tempus pœnitentiæ. Dicit ei Euphrosyna: Et ideò te fatigaui, vt impleas desiderium meum: & factâ oratione benedicas me, & abscidas comam capitis mei. Et exurgens senior, factâ oratione abscidit comam capitis eius, induitq; eam ⁵ tunicam schematis, & orans pro eâ dixit: Deus qui liberauit omnes sanctos suos, ipse custodiat te ab omni malo. Et hæc dicens senex, discessit ab eâ, & ambulabat in viâ suâ gaudens.

Accersi curat Euphrosyna monachum ex monasterio Theodosij abbatis.

Lucæ 14.

Instruitur à sene monacho.

Tondetur, & schematico monachico induitur.

Euphro-

CAP. VIII. Euphrosyna verò cogitans in semetipsâ dixit: Si ambulauero in monasterio puellarum, pater meus requirens inueniet me, & violenter trahet me inde propter sponsum meum. proinde pergam ad monasterium virorum, vbi nullus suspiciet me esse. Et hæc dicens proiecit vestem muliebrem, induitque se virilem, & sero facto exiuit de domo suâ, accipiens secum quingentos solidos, & abscondit se in aliquo loco per totam noctem. Mane autem facto, venit pater eius in ciuitatem; volente autem Deo, statim in ecclesiâ ambulauit. Euphrosyna igitur peruenit ad monasterium illud, vbi & pater eius erat notissimus, & nuntiauit per ostiarium abbati, dicens: Eunuchus quidam de palatio veniens, ante ostium stat, cupiens loqui tecum. Egresso autem abbate, proiecit se Euphrosyna in terrâ, & factâ oratione sederunt. Dicit ei senex: Quid est quòd huc venisti, fili? Dicit ei Euphrosyna: Ego quidem de palatio fui eunuchus, & desiderium habui semper conuersationem monachorum, & ciuitas nostra nunc valdè habet hoc studium conuersationis. Notum autem factum est mihi de bonâ vestrâ conuersatione, & cupio habitare vobiscum. Habeo enim & possessiones multas, & si dominus dederit requiem, adduco eas huc. Dicit ei senex: Bene venisti fili: ecce monasterium, si placet, habita nobiscum. Et dicit ei senex ille: Quod est nomen tuum? Dicit ei: Smaragdus. Dicit ei abbas: Iuuenis es, non potes solus sedere, opus est tibi habere magistrum, vt discas regulam & conuersationem monachorum. Qui dixit abbati: Sicut iubes, domine mi, sic facio. Et protulit quingentos solidos in manu abbatis, dicens: Accipe interim istos, & si videro quia possim sufferre hîc, venient & illa reliqua. Vocauit abbas vnum fratrem, nomine Agapitum, virum sanctum, & impassibilem, tradidit in manus eius Smaragdum, dicens: Amodò hic erit filius tuus & discipulus: talem eum consigna, vt exsuperet magistrum. Et flexis genibus, factâ oratione, consignauit eum. Et respondentibus omnibus, Amen, suscepit eum Agapitus in cellam suam. Et quia habebat vultum decorum Smaragdus, dum veniebat in ecclesiam ad deprecandum Deum, multos diabolus incitabat aduersus decorem vultus illius per malas cogitationes, ita vt omnes molesti essent abbati, qui talem pulchritudinem introduxisset in monasterium. Abbas autem hęc audiens, vocauit Smaragdum, & dixit ei: Pulchra est facies, fili, infirmis fratribus; volo autem vt sedeas solus in cellâ tuâ, & ibi psallas, & ibi manduces, non tamen egressurum te inde alicubi. Et præcepit Agapito, vt præpararet cellam solitariam, & in eâ degeret Smaragdus. Fecit autem Agapitus omnia quæ sibi à patre monasterij fuerant imperata, & introduxit Smaragdum in cellam solitariam, & erat ibi orationibus vacans, ieiuniisque & vigiliis nocte ac die operam dabat, seruiens Domino in simplicitate cordis, ita vt miraretur prędictus frater, qui eum susceperat, & omnibus fratribus retulit eius constantiam, & omnes collaudabant Deum, qui in infirmitate talia operatur.

Simulat se eunuchum, & ad monasterium festinat.

Admittitur à patre monasterij.

Smaragdum se nominat.

Agapito erudienda traditur.

Consignatur in monachum.

Decore vultus eius diabolus abuti nititur.

Solitudo ei præcipitur, ne aliis scandalo sit.

CAP. IX. Paphnutius autem pater illius, cùm reuersus esset domi, festinus ingressus est cubiculum, in quo filia eius manere solita erat: & non inuentâ, tristis mœrensque effectus cœpit perquirere anxius seruos & ancillas, quid de Euphrosynâ actum esset. Pueris autem dicentibus, Quia nocte vidimus eam, mane autem non comparuit. & putauimus, quòd pater illius infantuli, qui eam desponsauerat, venerit & tulerit eam. Et misit seruos suos ad domum illius, & non inuenerunt eam. Audiens sponsus illius & pater eius, contristati sunt valde, & venientes ad Paphnutium, inuenerunt eum vehementer afflictum, iacentem in terrâ, & dixerunt ei: Forsitan aliquis seduxit eam, & fugit cum illâ. Statimque serui illius cum equis per totam Alexandriam missi sunt. Erant autem ibi & naues, intrantesque in eas requirebant per vim. Et scrutantes monasteria puellarum, eremos, & speluncas, per domos amicorum & vicinorum; & non repertâ, tamquam mortuam lugebant eam, socer nurum, sponsus sponsam flebat: pater filiam lugens, dicebat: Heu, heu filia dulcissima! heu me, oculorum meorum consolatio mea! Quis meam inuasit facultatem? quis meam possessionem sparsit? quis vineam meam siccauit? quis meam lucernam extinxit? quis spem meam fraudauit? quis pulchritudinem filiæ meæ violauit? quis putas lupus agnam meam dissipauit? qualis locus talem vultum tetigit? qualis pelagus captiuam ducit illam imperialem faciem? Illa generositatis constitutio, illa malorum consolatrix, illa laborantium requies, gementium portus erat. Terra, terra nec celes sanguinem meum, donec videam quid Euphrosynæ filiæ meæ contigerit. Hæc & his similia Paphnutio prosequente, eleuauerunt omnes qui aderant voces, & flebant, ita vt omnis ciuitas lamentaretur eam.

Pater anxius Euphrosynam curat inquiri.

Patris lamentatio.

CAP. X. Non sufferens autem Paphnutius, nec inueniens consolationem, perrexit ad memoratum senem, de quo suprà diximus, ac procidens ad pedes eius, dixit: Peto ne cesses

orare, vt inueniatur labor orationum tuarum: nescio enim quid acciderit filiæ meæ. Audiens autem venerabilis senex, contristatus est valdè, & iussit ad se omnes fratres venire, & dixit eis: Ostendite charitatem, fratres; postulemus à Domino, vt dignetur nobis ostendere, quid factum sit de filiâ amici nostri Paphnutij. Et ieiunantes omnes, & orantes, & totâ hebdomadâ nihil eis reuelatum est de Euphrosynâ, sicut solebat, quando aliunde rogabant Deum. Oratio enim Euphrosynæ erat ad Deum die noctuque, ne manifestam eam faceret in vitâ suâ Deus. Cùm autem nec seni neque alicui fratri reuelatum esset, cœpit consolari eum abbas: Noli deficere, fili, à disciplinâ Domini, quia quem diligit Dominus corripit. Et hoc scias, quia sine voluntate Dei vnus passer non cadet in terrâ, quantò magis filia tua? Absque nutu illius nihil prouenit. Scio enim, quia bonam partem sibi elegit, propterea de eâ nihil nobis reuelatum est. Scio enim, quod absit, si in malis operibus incidisset, numquam Deus despexerat tantum laborem fratrum. Habeo fiduciam in Domino, quia in hac vitâ ostendat eam tibi Deus. Audiens hæc Paphnutius, recepit consolationem, gratias agens Deo, & orans quotidie, bonis operibus & eleemosynis intentus erat.

Orant omnes monachi, vt reueletur Euphrosyna. Contrà orat Euphrosyna, ne manifestetur. Prou. 3. Lucæ 12. *Abbas Paphnutium solatur.*

CAP. XI.

Post aliquantos verò dies visitabat monasterium, commendans se in orationibus fratrum. Vnâ autem die veniens ad abbatem, proiecit se ad pedes eius, dicens: Ora pro me pater, quia non possum sufferre dolorem de filiâ meâ, sed magis ac magis de die in diem renouatur & crescit vulnus meum, & tribulatur anima mea. Videns autem eum senex nimis afflictum, dicit ei: Vis colloquium habere cum vno fratre spirituali, qui venit de palatio Theodosij? ignorans quòd ipsa esset filia eius. Dixit ei Paphnutius: Volo. Et vocauit abbas Agapitum, dixitque ei: Tolle Paphnutium & introduc eum in cellam Smaragdi. Et introduxit eum in cellam Smaragdi, nihil ei anteà innotescens. Cùm autem vidisset subitò patrem suum, cognoscens eum, tota lacrymis repleta est. Paphnutius autem sperabat esse compunctionem: non enim cognouit eam, quia species vultus emarcuit præ nimiâ abstinentiâ, vigiliis, & lacrymis. De cucullâ autem operuit faciem suam, ne aliquo modo agnosceret eam. Factâ autem oratione sederunt. Cœpit autem ei loqui de futuri regni beatitudine & gloriâ sempiternâ, quomodo per humilitatem & castitatem, atque sanctam conuersationem, per eleemosynam & charitatem, ad eam quis possit pertingere. Et de contemptu sæculi, nec diligendos esse filios plus quàm Deum, qui omnium extitit factor. Apostolicam quoque scripturam interpretans, quomodo tribulatio patientiam operatur, patientia probationem. Videns verò patrem suum in graui mœrore, compatiebatur illi.

Pater ad filiam nesciens admittitur. *Patrem filia religiosis sermonibus instruit.* Rom. 5.

CAP. XII.

Sed timens ne agnosceretur, & impedimentum ei faceret: volens autem eum consolari, dixit ei: Crede mihi quòd nō despiciet te Deus. Et si in perditionem anima esset filiæ tuæ, manifestaret eam tibi Deus, vt nec illa à diabolo retenta inferret tibi & sibi luctum perpetuum. Sed credo in Deum, quia bonum consilium elegit sibi, sicut iam dixi, secundùm vocem Euangelij, quâ dicitur: Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus. Et si quis non abrenunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Potens est autem Deus, & in hoc sæculo manifestare eam tibi. Sine iam, sine: quid temetipsum interficis contristando? Sed age gratias, Deo nihil desperans. Nam Agapitus magister meus, multoties nimis tristis dicebat mihi: Quia venit quidam nomine Paphnutius operibus bonis intentus, qui filiam suam tamquam mortuam luget, nesciens quid ei acciderit, & nimiâ lamentatione affligitur: maximè quia vnica erat illi, & cum lacrymis proiecit se ad pedes abbatis, vt per eius orationes & omnium fratrum Deus patefaceret. Ita & tu roga Deum propter eam, & ego, quamuis indignus & malorum meorum conscius, sæpiùs deprecatus Dominum, vt dignetur dare tibi sufferentiam & longanimitatem, & quod expedit adimpleat tam de te quàm de filiâ tuâ. Propter hoc & frequenter te videre volui, & colloqui tecum, vt aliquam consolationem per me humilem forsitan inuenires. Vt autem non agnosceretur per multa colloquia, dixit ad Paphnutium: Vale domine mi. Et dum recedere vellet Paphnutius, anima illius compatiebatur illi, facies eius pallebat, & replebatur lacrymis. Præ nimio autem ieiunio & diuturnâ inediâ sanguinem vomebat. Multùm igitur confortatus Paphnutius in admonitione eius, discessit ab eâ. Et veniens ad abbatem, dixit: Aedificata est anima mea de illo fratre, & ita sum lætus effectus in gratiâ Dei ex consolatione eius, tamquam inuenissem filiam meam. Commendans se in orationibus abbatis & omnium fratrum, reuersus est in domum suam, magnificans Deum.

Matth. 10. Lucæ 14. *Mœrentem patrem filia solatur.* *Paphnutius iam lætior domum reuertitur.*

CAP. XIII.

Complens autem Smaragdus in cellâ solitaria triginta & octo annos, incidit in infirmitate, quâ & mortuus est. Quadam verò

Triginta octo annis in cellâ solitaria vixit Euphrosyna.

verò die secundùm consuetudinem venit Paphnutius inuisere monasterium, & post orationem & salutationem fratrum dixit seni: Si iubes pater, mitte me Smaragdum videre, quia valdè desiderat eum anima mea. Vocatoque Agapito præcepit ei ducere Paphnutium ad visitandum Smaragdum. Introiens Paphnutius in cellam, vbi æger iacebat, cœpit eum osculari lacrymans, & dicens: Heu me, vbi sunt promissiones tuæ, vbi verba dulcia, quòd mihi futuram videndam oculis meis promittebas filiam meam? Ecce non solùm illam non videbo, sed tu, in quo consolationem modicam habebam, derelinques nos. heu me! quis iam consolabitur senectutem meam? Ad quem ibo, quis mei adiutor erit? Duplex malum quod lugeo: triginta & octo anni sunt quòd perdidi filiam meam, nihil mihi de eà reuelatum est, quod die noctéque orabam, nec similem illius inueni, detinet me incomparabilis dolor. Quid sperem amodò? vbi consolationem inueniam? iam descendam lugens in infernum. Videns autem eum Smaragdus vehementer plorantem, & nullam consolationem accipientem, ait ad eum: Quid turbaris & temetipsum interficis? Numquid inualida est manus Domini, aut quidquam est Deo difficile? Iam pone finem tristitiæ. Recordare quomodo patriarchæ Iacob manifestauerit Deus Ioseph, quem quasi mortuum lugebat. Sed obsecro te, vt per tres dies me non deseras neque derelinquas. Hæsitans autem Paphnutius intra semetipsum per triduum, dicens: Forsitan ei Deus reuelauerit de me. Tertio autem die dixit ad Smaragdum: Exspectaui sicut rogasti, domine mi frater, & non discessi alicubi per tres continuos dies.

Paphnutius ægrotantem inuisit Euphrosynã.

Gen. 46.

Cap. xiv. Cognoscens autem Smaragdus, qui & Euphrosyna, quia instabat dies dormitionis eius, vocauit Paphnutium, & dixit ad eum: Quia omnipotens Deus benè disposuit meam miseriam, & adimpleuit desiderium meum, quòd ad finem vsque viriliter certando perduxi, non meâ virtute, sed eius adiutorio, qui me custodiuit ab insidiis inimici. Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ. Nolo autem te iam esse sollicitum pro filiâ tuâ Euphrosynâ, ego enim sum illa misera, & tu es pater meus. Ecce iam vidisti, & satisfactum est tibi, sed nemo hoc sciat, & non permittas ab alio corpus meum nudari & lauari, sed à temetipso hoc facias. Et quia promisi abbati habere multas possessiones, & si potuissem sustinere & perdurare in loco isto, adducerem eas hîc. Imple ergo quod promisi, quia venerabilis est locus iste, & ora pro me. Hæc dicens tradidit spiritum Kalendis Ianuarij.

Reuelat se patri Euphrosyna.

Tradit spiritum.

Cap. xv. Dum audisset talia verba Paphnutius, & vidisset quia obdormiuit, commota sunt viscera eius, ceciditque in terram, & factus est velut mortuus. Accurrens autem Agapitus, videns quoq; quia defunctus esset Smaragdus, & Paphnutium iacentem in terrà semiuiuum, [6] iactauit in faciem eius aquam, & eleuauit eum dicens: Quid habes, domine mi Paphnuti? Ait autem Paphnutius: Dimitte me vt hîc moriar, vidi enim mirabilia hodie. Surgens autem irruit in faciem eius, multitudinem lacrymarum infundens, clamabat dicens: Heu me, filia mea dulcissima, quare antè non manifestasti mihi, vt ego quoque tecum morerer spontaneâ voluntate? Væ mihi, quomodo latuisti? quomodo pertransisti insidias aduersariorum, & nequitias spirituales tenebrarum vitæ huius, & introisti in vitam æternam?

Patris consternatio in agnitione filia.

Cap. xvi. Hæc Agapitus audiens, & cognoscens tam mirabilem caussam, stupefactus est, & currens nuntiauit omnia abbati. Veniens autem abbas cecidit super eam, & eiulans dicebat: Euphrosyna sponsa Christi, & filia sanctorum, ne obliuiscaris conseruorum tuorum & huius monasterij, sed ora pro nobis ad Dominum Iesum Christum, vt faciat nos viriliter certando peruenire ad portum salutis, & portionem habere secum & cum sanctis suis. Et iussit vt congregarentur omnes fratres, vt cum honore debito sanctum corpus illius sepulturæ traderetur. Dum autem congregati adessent, & vidissent tam stupendum miraculum, glorificabant Deum, qui etiam in femineo sexu fragili tanta miracula operatur. Quidam autem frater vnum habens oculum, osculatus est vultum eius cum lacrymis, statimque vt eam tetigit, oculus ei restitutus est. Et videntes omnes fratres qui aderant hoc quod factum est, benedixerunt Deum, gratias agentes ei cuius sunt omnia quæ bona sunt. Multumque confortati & ædificati, sepelierunt eam in monumento patrum. Pater verò eius omnia quæ habuit, in ecclesiâ & xenodochio & monasterio offerens, conuersus est in eodem monasterio, & plurimam partem substantiæ suæ ibidem offerens in eadem cellâ ibidem demoratus est, [7] in eodem psiathio dormiens in quo Euphrosyna.

Abbas Euphrosyna iam cælo gaudentis orationes petit.

Euphrosyna vnoculo oculum restituit.

Paphnutius bona sua monasterio offert.

Vixit autem Paphnutius in sancto proposito annos decem, & emigrauit ad Dominum: iuxta filiam suam sepelierunt eum glorificans Deum àbbas cum omni con-

Moritur post decem annos in sancto proposito.

congregatione. Dies autem migrationis eorum ad Dominum celebratur in eodem monasterio vsque in præsentem diem, glorificantes Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

NOTATIO.

1 EVPHROSYNÆ.] *Martyrologium Romanum* I. *Ianuarij:* Alexandriæ depositio sanctæ Euphrosynæ virginis, quæ in monasterio virtute abstinentiæ & miraculis claruit. *Menologium Græcorum* XXV. *Septembris:* Natalis sanctæ matris nostræ Euphrosynæ, beati Paphnutij Ægyptij filiæ. *Menæa* XXV. *Septembris versibus iambis Vitam breuiter exprimunt.*

Galesinius Notation. ad Martyrol. ait hanc etiam ab aliis dictam Euphrasiam, *eiusque mentionem esse apud Damascenum in extremo tertio libro De imaginibus. Recte quidem* Euphrasiæ *seu* Euphraxiæ *apud Damascenum mentio, sed non* Euphrosynæ, *quæ ab illa diuersa est. Dies autem natalis* Euphrasiæ *occurrit* XIII. *Martij. Vide hic paulo ante in* Euphrasiâ.

Euphrosynæ Vitam habes per Metaphrastem apud Lipomanum tomo VI. *& Surium tom.* I. *Hæc, quam damus, hactenus inter Vitas Patrum fuit circumlata. Comparauimus eam cum veteribus editionibus & MS.*

CAP. I. 2. PAPHNVTIVS.] *Menologium Græcorum* XXV. *Septemb.* Eodem die commemoratio beati Paphnutij, patris Euphrosynæ. *In Menæis eodem die de eodem.*

3. PTOCHIA.] *Mira hîc variorum librorum lectio. Pleræque editiones habent* tapetia. *ineptissimè. In manuscripto Audomarensi erat* topchia. *Indubie p transponendum; legendumque* ptochia, πτωχεῖα, *id est* pauperum domus. *Solent subinde Latini auctores Græcis vocabulis vti, cùm Latina versio commoda non occurrit.* CAP. VII.

4. HIEROCOMIA.] *Ita MS. Bertinianus. Prima editio,* Ierocomia. *quod ortum ex scriptione,* Ierocomia. *Intelligo* Hierocomia, *vbi curantur, qui* sacro morbo, ἱερῷ νόσῳ, *laborant.*

5. TVNICAM SCHEMATIS.] Σχῆμα *Græcis monachi habitus. Vide Onomasticon.*

6. IACTAVIT IN FACIEM EIVS AQVAM.] *Ita olim exanimatis frigida affundi solita. Suprà Vita Euphrasiæ cap.* XXII. aquam in faciem eius misit. CAP. XV.

7. IN EODEM PSIATHIO.] *MS. Bertinianus:* in eadem phisiatâ. *editi:* in eodem stratu. *Recta lectio* psiathium, *id est mattula, vt iam sæpè dictum. Vide Onomasticon.* CAP. XVI.

VITA

29. OCT. S. MARIÆ MERETRICIS

NEPTIS ABRAHAE EREMITAE,

AVCTORE

S. EPHRÆM ARCHIDIACONO,

INTERPRETE ANONYMO.

Hæc est pars Vitæ sancti Abrahæ, quæ habetur suprà pag. 150.

CAP. I. VOLO autem, dilectissimi, vnanimitati vestræ etiam aliud admirandum negotium, quod in senectute suâ vir beatus gessit, enarrare. Est enim sapientibus ac spiritalibus viris plenum ædificationis, nec non humilitatis atque compunctionis exemplum. Res verò gesta huiuscemodi est:

CAP. II. Habuit vir beatus Abraham carnis propinquitate germanum: quo defuncto, vnica filia eius annorum septem relinquitur. quam cùm parentibus orbatam noti amicique patris eius vidissent, patruo eius sine morâ producunt. Cumque eam senior cerneret, in cellâ suâ exteriori iubet includi. Erat autem in medio vtriusque cellulæ fenestra permodica, per quam docebat eam psalterium aliasque scripturas, & cum eo in *(Abraham Mariam nepti docet psalterium & scripturas.)*

Maria neptis Abraha.

in laudibus Domini vigilabat, & psalmos nihilominùs concinebat, atque in omni abstinentiâ æmulari suum patruum nitebatur. Alacriter quoque in arrepto instituto proficiens, vniuersas virtutes animi festinabat implere. Vir namque sanctissimus incessanter pro eâ cum lacrymis Dominum deprecabatur, ne mens eius curâ terrenorum actuū implicaretur, eò quòd eius pater moriens infinitas pecunias ei reliquisset: quas mortuo germano, & filia eius ad se confugiente, confestim famulus Christi distribui iussit egenis atque orphanis. Hæc quoque patruum suum precabatur quotidie, vt pro se Dominum oraret, quatenus à cogitationibus pessimis & diuersorū laqueorum diaboli eriperetur insidiis. Constanter igitur instituti sui regulam obtinebat. Exultabat autē patruus eius, quòd sic eam promptam sine vllà hæsitatione in cunctis virtutibus cerneret promoueri, in lacrymis scilicet, in humilitate, in modestiâ, in quiete: & quod his sublimius est, erga Deum eximiâ charitate. Viginti siquidem annis cum eo in abstinentiâ degens, velut agna pudicissima atque incontaminata columba conuixit. Quo tempore annorum expleto, sæuiebat aduersus eam diabolus, & insidias solitas prætendebat, quomodo eā posset suis cassibus irretire, vt saltem sic mœstitiâ sollicitudinemq; beato viro posset incutere, & quantulumcumq; mentem ipsius à Domino separare.

Facultates eius pauperibus iubet distribui.

Viginti annis patruo conuixit neptis Maria.

Armatur in Mariam dæmon.

Cap. III.

Erat autem quidam professione tantummodò monachus, qui sub obtentu ædificationis ad eum sæpiùs pergere solebat. Sed & illam beatam per fenestram nihilominùs contemplando, luxuriæ stimulis agitatus, cum eâ colloqui cupiebat, amor namque libidinis cor eius quasi ignis succenderat. Insidiabatur ei quoque multo temporis spatio, ita vt vnius anni circulus volueretur, donec cogitationem eius verborum suorum mollitie eneruaret. Denique aperiens cellæ suæ fenestram, egreditur ad eum: qui eam protinus scelere iniquitatis atque libidinis contaminauit ac polluit. Postquam verò tanti peccati facinus perpetrauit, expauit cor eius: conscindensque cilicium quo erat induta, faciem suam manibus verberabat, cupiens nimio mœrore se morti tradere. Atque anxietatis oppressa pondere, dum deliberationis portum non cerneret, diuersis cogitationum æstibus fluctuabat: plangebatque se non esse quod fuerat, & cum eiulatu sæpiùs proferens; Ego, inquit, iam me ex hoc mortuam sentio: perdidi dies meos & laborem abstinentiæ meæ, orationum lacrymæ, vigiliarumque opera ad nihilum sunt deducta:

Constupratur à monacho.

Plangit scelum peccatum suum.

Deum meum exacerbaui, & meipsam interemi. Heu me miseram, omni lacrymarum fonte plangendam! Sanctum patruum meum amarissimo mœrore depressi, opprobrium animæ meæ operuit me, illusio diaboli facta sum. Quid mihi infelici iam vltrà viuere? Heu me, quid egi? Heu me, quid factum est mihi? Heu me, quid mali perpessa sum? Heu me, vnde & qualiter corrui? Quomodo obscurata est mens mea? Non intellexi quomodo lapsa sum, non cognoui quomodo contaminata sum, nescio quomodo cor meum nubes tenebrosa contexit, quomodo potui ignorare quid gererem? Vbi abscondar? vel quò pergam? aut in quam foueam memetipsam præcipitem? Vbi est magisterium sanctissimi patrui mei? Vbi monita collegæ eius Ephræm? qui me docebant in meâ virginitate perdurare, exhortantes, vt impollutam animam immortali sponso seruarem. Sponsus etenim tuus, dicebant, sanctus & zelans est. Heu me, quid agam? Non audeo iam cælum adspicere, cùm apud Deum & homines me mortuam esse cognoscam. Iam enim ad fenestram illam propinquare non audebo. Quomodo ego peccatrix & plena immunditiæ sordibus, rursum cum sancto patruo meo loqui tentabo? Quod & si ausa fuero, nónne ignis ex fenestrâ exiliet, qui me confestim exuret? Melius est ergo mihi, abire in aliam patriam, vbi nullus est qui me possit agnoscere, eò quòd semel iam mortua sim, nec vltrà mihi spes salutis relicta sit. Consurgens autem, protinus perrexit in aliam ciuitatem, atque in [1] stabulo se quodam, mutato pristino habitu, collocauit.

Ephram collega Abraha.

Deserit patruum, séque stabulario locat.

Cap. IV.

Verùm cùm hæc ruina præfatæ feminæ contigisset, huiusmodi visio beato viro ostenditur per soporem: Vidit namque draconem terribilem atque immanem, aspectuque ipso fœtidissimum, & in fortitudine sibilantem, quasi exeuntem de quodam loco, & vsque ad cellulam suam venientem, & reperisse ibi columbam, atque glutisse eam, & rursus in suam foueam remeasse. Expergefactus autem, contristatusque vehementer, fleuit amare; existimans satanæ persecutionem aduersus Dei Ecclesiam concitari, & plerosq; à fide veritatis auerti, vel ne schisma aliquod in sanctâ Ecclesiâ gigneretur. Prouolutus itaque genibus, precatus est Dominum, dicens: Tu qui es præscius vniuersorum Deus, amator hominum, tu nosti quid sibi velit hæc visio. Rursum post duos dies, vidit eumdem draconem simili modo ad cellam suam venisse, & posuisse caput sub pedibus eius, fuisseque diruptum: columbam verò illam

Visio Abraha de lapsu Mariæ neptis.

illam quam deuorauerat, viuam in ventre eius repertam: & extendisse manum suam, viuamque eam recepisse. * Expergefactus autem, vocabat beatam illam semel atque iterùm, putans eam in cellulâ esse, & dicebat: Cur te piguit filia Maria, sic etenim fuit vocitata, iam duobus diebus os tuum in Dei laudibus aperire? Sed cùm responsum ei nullum daretur, & quòd eam per biduum psallentem solito more non audiret, animaduertit visionem suam ad illam certissimè pertinere. Tunc ingemuit ac fleuit amarè: & profundens lacrymas ait: Heu me, quia agnam meam lupus crudelissimus rapuit, & filia mea captiua effecta est. Exaltans quoque vocem suam, cum lacrymis dixit: Saluator mundi Christe conuerte ad me agnam meam Mariam, atque in ouile vitæ eam restitue, vt non senectus mea cum mœrore de hoc mundo recedat. Ne despicias deprecationem meam Domine, sed mitte velociùs gratiam tuam, vt eijcias eam de ore draconis incolumem. Itaque duo dies qui ei per visionem reuelati sunt, duorum annorum curriculo finiuntur: quibus lubricam vitam neptis eius, quasi in ventre atrocissimi draconis exegit: sed sanctus homo per omne tempus die noctuque numquam pro eâ Dominum deprecando animum relaxauit.

Frustrà ab Abrahamo vocatur.

Biennio luxuriatur.

CAP. V.

Post duos verò annos, cùm vbi esset & quemadmodum se gereret, comperisset, rogabat quemdam sibi notissimum, vt vsque ad eam pergeret, & cuncta cognosceret diligenter. Pergens itaque ille quem miserat, & omnia sub veritate, & quia ipsam quoque vidisset, renuntians: rogatus à sancto viro, habitum ei detulit militarem, & equum ad sedendum. Ostio itaque patefacto egreditur, statimque habitu militari induitur, ³ camelauchium quoque longum capiti suo, vt facies eius velaretur, imposuit: sed & solidum denariorum vnum secum portans, ascendensque equum, concitus properabat. Tamquam quispiam patriam cuiuslibet vel ciuitatem cupiens explorare, habitum incolarum loci illius, ne facilè agnoscatur, assumit: sic beatus iste Abraham inimici habitu, vt eum in fugam verteret, vtebatur. Venite igitur, admiramini dilectissimi fratres hunc secundum Abraham. Primus quidem Abraham egressus ad prælium regum, percutiensque eos, Loth nepotem suum reduxit: hic verò secundus Abraham contra diabolum profectus est ad bellum, vt eo deuicto, neptem suam cum maiori triumpho reuocaret.

Militis schemate ad neptem suã perquirendam pergit Abraham.

Collatio Abrahami eremitæ cum Abrahamo patriarchâ.

CAP. VI.

Itaque cùm peruenisset ad locum, diuertit in stabulũ: ac sollicitis oculis huc atq; illuc circumspiciens, vt eam videret, perquirebat. Deinde cùm multa hora præterisset, & vidẽdi eam minimè tribueretur occasio, subridens ait ad stabularium: Audiui, inquit, ô amice, quòd habes puellam optimam: quam si iuberes, libentissimè peruiderem. Qui cùm ætatis eius intueretur canitiem, & senectutem annorum numerositate iam fessam, quòd ob luxuriam eam videre cuperet non sperans, sic responsum dedit: Est, inquit, vt tibi compertum est, etiam supra modum speciosa. Erat siquidem Maria hæc pænè suprà quàm natura exegit, formæ pulchritudine decora. Cumque senior nomen eius requireret, Mariam vocari ille respondit. Tunc hilari vultu: Quæso, inquit, vt mihi præsentiam eius exhibeas, vt possim cum eâ hodie epulari, multùm namque ex auditu comperi ipsam laudari puellam. Quæ cùm vocata adesset, atque in habitu meretricum factus eam patruus eius vidisset, pænè totum corpus eius præ dolore solutum est, amaritudinemque animi læto vultu celauit: & lacrymas erumpentes virili sexu retinuit, ne fortè si eum femina cognouisset, fugæ præsidium flagitaret.

Abraham Mariæ præsentiam à stabulario expetit.

Adest habitu meretricio Maria.

CAP. VII.

Residentibus itaque eis atque bibentibus, cœpit cum eâ vir mirabilis ludere. Quæ consurgens, complexa ceruicem eius, osculis demulcebat. Cumque oscularetur eum, odorata eius corpusculum suauissimo odore abstinentiæ fragrare, recordata est dierum, quibus cum summâ abstinentiâ vixerat: & quasi quodam telo percussa in animo vehementer ingemuit, lacrymasque profudit: & tamquam vim cordis non sufferens, in hæc verba prorupit: Væ væ mihi miseræ soli. Tunc stabularius stupefactus, ait: Quid est, domina Maria, quòd subitò in tam grauissima suspiria prorupisti? Hodie duobus annis hîc permanes, & numquam ex te gemitus vel tristior sermo auditus est: nunc verò quid tibi contigerit, nescio. Quæ respondit ad eum: Beata essem, si ante triennium fuissem defuncta. Ad hæc beatus senior, ne agnosceretur, veluti cum quadam serenitate ait ad eam: Modò cùm lætitiæ nos intersumus, tu peccata tua commemorare venisti? O admiranda clementiæ tuæ dispensatio, Deus altissime! Putas ne puella non dixit in corde suo, Quomodo adspectus viri huius, patrui mei adspectum similat? Sed solus tu amator hominum, Deus, à quo est omnis bona sapientia, ita dispensasti, ne eum posset agnoscere, & fortasse confusione turbata, effugeret. Hoc autem non ob aliud est credendum, nisi quia lacrymæ famuli tui, patrui eius, huiuscemodi apud te

Odor abstinentiæ suauissimus.

Compungitur Maria.

te obtinuere locum, vt ex impossibilibus possibilia facere dignareris. Proferens itaque sanctus vir solidum quem attulerat, stabulario dedit, dixitque ei: Fac nobis, quæso amice, optimam cœnam, vt cum puellâ epulari possim: longi namque itineris interuallo, amore eius adueni. O vera sapientia secundùm Deum! ô verè intellectus spiritalis! ô verè prædicanda salutis discretio! quinquaginta annis abstinentiæ suæ nequaquam panem gustauerat; nunc carnes sine hæsitatione, vt saluaret animam perditam, manducauit. Sanctorum Angelorum chorus, super hac discretione beati huius ouans, vehementer stupuit, quæ alacriter sine vllâ dubitatione manducauit ac bibit, vt animam in limo defixam abstraheret. O sapientia sapientium, & intellectus intelligentium! O discretio discernentium! Venite, admiramini super hac imperitiâ, venite, expauescite super hac differentiâ, quomodo perfectus hic & sapiens ac discretor & prudens, idiota & indiscretor effectus est, vt ex ore leonis animam absorptam erueret, & ex vinculis & carcere tenebroso animam abstrusam ac vinctam absolueret.

Iubet Abraham cœnam apparari.

Abraham 50. annis non gustauit panem.

CA. VIII. *Abraham cum nepte in cubiculum concedit.*

Igitur postquam epulati sunt, prouocabat eum puella ad cubandum, vt in cubiculum introirent. At ille: Eamus, inquit. Cumque introisset, cernit lectum in sublime stratum, in quo statim resedit alacriter. Quomodo te appellem, vel quomodo te nominem perfectissime athleta Christi, vehementer ignoro. Continentem te asseram, an incontinentem? sapientem, an insipientem? discretorem, an indiscretorem? Quinquaginta annos conuersationis tuæ, ⁴ super psiathium cubitaueras: & quomodo nunc super huiuscemodi lectum constanter ascendis? Sed hæc vniuersa fecisti ad laudem & gloriam Christi: & mansionum iter longissimum arripiendo, & carnes comedendo, & vinum bibendo, & in stabulum diuertendo, vt saluares animam perditam. Nos autem si saltem verbum vtilitatis loqui cum proximo volumus, cuncta importunè discernimus.

CAP. IX.

Sedente eo itaque super lectum, ait ad eum puella: Veni, domine, vt calceamenta de pedibus tuis auferam. At ille ait ad eam: Obsera, inquit, ostium diligenter, & abstrahes ea. Volebat verò puella primò discalceare eum: sed cùm ille nō pateretur, obseratis ostiis venit ad eum. cui senior: Domina, inquit, Maria, appropinqua mihi. cumque appropinquasset, tenuit firmiter manum eius, quasi qui putaretur osculari eam. Auferens quoque camelauchium à capite suo, & erumpens vocem in fletum, ait ad eam: Filia mea Maria, non me agnoscis? viscera mea, nónne ego sum qui te nutriui? quid tibi factum est, ô filia mea? quis te interfecit? vbi est ille habitus angelicus, quem habebas, filia mea? vbi est continentia? vbi fletus? vbi vigiliæ? vbi ⁵ chameuniæ? A celsitudine cæli in hanc foueam quomodo deuoluta es, filia mea? cur, quando peccasti, non mihi indicasti? non mihi illicò retulisti? & ego certè pro te pœnitentiam agerem cum dilectissimo meo Ephræm. quare sic fecisti? aut quare me ita deseruisti, & in hanc me mœstitiam intolerabilem deduxisti? Quis autem sine peccato est, nisi solus Deus? Cumque hæc aliaque multa dixisset, tamquam lapis immobilis in manibus eius remansit, timore pariter & confusione suppleta. Rursus autem beatissimus vir cum lacrymis adiecit, dicens: Non loqueris mihi, ô filia mea Maria? non loqueris mihi, pars viscerum meorum? nónne propter te, filia mea, huc adueni? Super me sit hoc peccatum, ô filia mea; ego in die iudicij pro te reddam rationem Domino, ego pro peccato hoc satisfaciam Deo. Vsque ad medium itaq; noctis huiuscemodi verbis consolabatur eam, & cum lacrymis vberrimis admonebat. Cumque parumper fiduciam percepisset, taliter flens ad eum locuta est, Nō valeo te, inquiens, propter confusionem vultus mei attendere. Et quomodo possum orationem Deo fundere, quando sic immūditiâ cœni huius polluta sum? Et sanctus vir ad eam, Super me, inquit, sit iniquitas tua, ô filia mea; ex manibus meis peccatum hoc Deus requirat: solummodò audi me, & veni, eamus in locum nostrum. Ecce enim & charissimus Ephræm pro te nimiùm dolet, tuique caussâ sedulè Dominum deprecatur. noli diffidere, filia, de clementiâ Domini: licet tua sint peccata velut montes, sed illius misericordia omnem supereminet creaturam. Sicut legimus, accessit mulier immunda ad mundum, & non eum inquinauit, sed ab eo potiùs ipsa mundata est: lacrymis pedes Domini lauit, capillisq; suis extersit. Si potest scintilla pelagus inflammare, possunt & peccata tua eius munditiam inquinare: non est nouum cadere in luctamine; sed malum est, iacere deiectum. Reuoca vnde exuleras pedē fortiter: te cadente risit inimicus, sed fortiorem te sentiat resurgentē. Miserere quæso senectutis meæ: doleas pro canitiei meæ labore, obsecro, & exurgens, veni ad cellulam mecum. Noli timere, lubricū enim est genus mortalium: sed sicut citiùs cadit, sic iterùm velociùs per Dei adiutorium surgit, qui peccantes non vult mori, sed sanari & viuere. Illa verò ait

MARIA NEPTIS ABRAHÆ

Aperit se ei cum lacrymis, hortaturq; vt ad pristinam vitam redeat.

Neptem confusam solatur.

Lucæ 7.

Ezech. 18.

ait ad eum: Si scis quia pœnitentiam agere possum, & satisfactionem meam suscipiat Deus, ecce vt iubes, veniam: præcede, & ego sequar sanctitatem tuam, & exosculor vestigia tua, quia sic super me doluisti, vt ex voragine immunditiæ huius educeres me. Et ponens caput suum ad pedes eius, totâ nocte flebat, dicens: Quid tibi Domine Deus meus pro omnibus his retribuam?

Cap. x.

Diluculo autem facto, ait ad eam beatus Abraham: Surge filia, & eamus hinc ad cellulam nostram. Quæ respondens, dixit ad eum: Habeo hîc modicum auri, & aliquid vestimentorum, quid de his iubes fieri? Respondens autem beatus Abraham, dixit, Relinque hîc omnia hæc, quæ ex parte maligni quæsita sunt. Et surgentes exierunt. Statimq; imponens eam super equum, trahebat præcedens quemadmodum pastor cùm inuenit ouem perditam, cum gaudio super humeros suos tollit, ita beatus Abraham gaudens in corde suo iter cum nepte faciebat. Cumque venisset ad proprium locum, illam quidem vbi ipse fuerat, interiori cellulâ reclusit, ipse verò in cellâ exteriori permansit. Hæc itaque induta cilicio, in humilitate animi & cordis atq; oculorũ fletibus perdurabat, vigiliis quoque atq; arctissimis abstinentiæ laboribus semetipsam conficiẽs, & cum modestiâ & quiete ad Dominum indesinenter proclamans, facinus propriũ spe firmissimâ veniæ plangebat, tam sapienter iugiter obsecrationibus vacans, vt nullus, quamuis sine visceribus, non compungeretur, cùm voces fletus eius audiret. Quis enim sic immisericors est inuentus, qui lamentantem eam agnoscens, ipse quoque non fleret? Aut quis de eius verâ cordis compunctione non egit gratias Deo nostro? Pœnitentia siquidem eius, si nostris supplicationibus comparetur, omnem mensuram doloris excedit. Sic enim impensiùs Dominum precabatur, vt sibi ignosceretur quod gesserat, vt etiam signum, si suscepta fuisset eius pœnitentia, diuinitus postularet. Clementissimus itaque Deus, qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti, ita condignam satisfactionem eius recepit, vt orationibus eius post triennij plenitudinem sanitas plurimis redderetur. Impensiùs namque ad eam turba populi confluebat, quæ pro illorum salute Dominum efficaciter precabatur.

Redit cum Abrahamo ad cellam suam Maria.

Luc. 15.

Reclusa in cellâ, pœnitentiis se actibus cõficit.

1. Tim. 2.

Pœnitentiã Mariæ sibi acceptã Deus dono ei sanitatũ collato ostendit.

Cap. xi.

Moritur beatus Abraham anno ætatis LXX. conuersionis L.

Beatus autem Abraham alios decem annos in hac vitâ perdurans, & cernens optimam pœnitentiam eius, glorificansque Deum, septuagesimo vitæ suæ anno quieuit in pace. Quinquaginta siquidem annos magnâ cum deuotione atque humilitate cordis & charitate non fictâ, institutum suum impleuit.

Cap. xii.

Eamdem abstinentiæ regulam totâ vitâ Abraham tenuit.

Personam hominis numquam accepit, sicut apud plurimos fieri cõsueuit, vt vnum quidem amore præferant, alium verò despiciant, neque regulam abstinentiæ suæ mutauit, non pigritia obtorpuit, non segniter egit, sed ita semper extitit quasi quotidie moriturus. Hic fuit modus beatissimi Abraham, & hæc conuersatio & certamina tolerantiæ eius. Ita enim in certaminis acie contra aduersarium stetit, vt nequaquam se post tergum conuerteret: sed neque in tribulationibus quas in vico perpessus est, neque in prælio cum phantasiis dæmonum dimicans, relaxauit animum suum, vel in aliquo trepidauit. Maximum autem atque admirabile certamen hoc fuit, quod erga beatissimam Mariam gessit, quomodo per sapientiam spiritualem, prudẽtiam inquam & imperitiam, per indifferentiam & incontinentiã de voragine iniquitatis eam abstraxit. O miraculum! In ipsum cubile draconis ingressus est, ibique eum pedibus conculcauit, & ex medio dentium eius escam eripuit. Hi agones & sudores beati viri extiterunt.

Ca. xiii.

Et hoc quidem ita conscribimus ad consolationem & deuotionem omnium qui volunt piè & alacriter vitam suam instituere: & ad laudem & gloriam Dei, cuius gratiâ affluenter nobis cuncta quæ opportuna sunt conceduntur: in alio verò volumine reliquas eius virtutes descripsimus. Horâ autem illâ quando quieuit migraturus ad Dominum, pęnè vniuersa ciuitas congregata est. Et vnusquisque eorum cum omni deuotione castissimo eius corpori appropinquans, benedictionem sibi ex vestimentis eius diripuit. Et si in quocumque languore id quod direptum est contigit, sine aliquâ morâ sanitas subsecuta est.

Reliquiæ Abraham sanitatem conferunt.

Cap. xiv.

Quinque annis pœnitentiæ expletis, sanctissimè moritur Maria.

Vixit etiam Maria alios quinque annos, sicque supra modum vitam suam instituens, & diebus ac noctibus in lamentatione magnâ lacrymisque perseuerans, Dominum precabatur, vt plerique prætereuntes locum illum per noctem, & audientes vocem fletuum eius, nihilominùs verterentur in planctum, & fletum suum eius fletu copularent. Horâ autem dormitionis eius, quâ ex hac vitâ assumpta est, omnes qui viderunt eam, propter splendorem vultus eius, gloriam Domino retulerunt.

Cap. xv.

Ephram suã deplorat miseriam.

Heu mihi dilectissimi, quoniam hi quidem dormierunt, & ad Dominum cum omni fiduciâ perrexerunt: quorum mens in nullo prorsus mundanis negotiis colligata est, sed in solâ Domini charitatẽ. Ego verò

verò impromptus atque imparatus meâ voluntate permansi, & ecce comprehendit me hiems, & infinita tempestas nudum me atque spoliatum absque perfectione bonorum operum inueniet.

CAP. XVI. *Omnium actuum suorum rationem à se exigit.* Admiror in memetipso, charissimi, quomodo quotidie delinquo, & quotidie pœnitentiam ago: per horas ædifico, & per horas constructa subuerto. Ad vesperam dico, Sequenti die pœniteo: manè autem facto, elatus diem prætereo. Rursus ad vesperam dico, Noctu vigilabo, & cum lacrymis obsecrabo Dominum, vt peccatis meis propitius sit: cùm autem nox aduenerit, somno potiùs occupor. Ecce qui mecum acceperunt pecuniam, die ac nocte negotiari contendunt, vt & laudem præconij consequantur, & decem ciuitatibus præsint: ego ob pigritiam meam occultaui eam in terrâ, & Dominus meus propinquauit venire; & ecce contremiscit cor meum, & defleo dies negligentiæ meæ, non habens qualem excusationem obtendam.

CAP. XVII. *Eiusdem ad Deum oratio.* Miserere meî, qui solus sine peccato es Deus, & saluum me fac, qui solus benignus es & clemens; quia præter te benedictum Patrem, & vnigenitum Filium tuum qui incarnatus est propter nos, & Spiritum sanctum qui viuificat omnia, alium nescio, neque in alium credo. Et nunc memento mei, amator hominum, & deduc me de carcere iniquitatum mearum: quia vtrumque tuum est, Domine, & quando voluisti me in hunc mundum intrare, & quando ex eò migrare præceperis. Memorare meî indefensi, & salua me peccatorem: & gratia tua, quæ mihi in hoc sæculo opitulatio, refugium, & gloriatio facta est, ipsa me sub alas in illâ die horrendâ atque terribili protegat. Tu enim agnoscis qui es scrutator cordis & renum, quòd multas prauitates & scandalorum tramites, impudentium vanitatem, & hæreticorum defensionem contempsi. Et hoc non ex me, sed ex gratiâ tuâ, per quam illuminata est mens mea. Vnde obsecro, sancte Domine, salua me in regno tuo, & dignare me benedicere cum omnibus qui placuerunt ante te: quoniam decet te gloria, adoratio & magnificentia, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Amen.

NOTATIO.

1 MARIÆ MERETRICIS.] *Festum huius in nullis tabulis ecclesiasticis inuento certo die assignatum: nisi quòd in Menæis* XXIX. *Octobris Maria Abrahæ iungitur. Et simul hactenus Vita Abrahæ & Mariæ neptis eius impressa fuit, auctore Ephræm. Distinxi, vt viros ascetas à feminis asceterijs separatos haberes.*

2. STABVLO.] *Id est diuersorio vel meritorio. Vnde infrà cap.* VI. stabularius.

3. CAMELAVCHIVM.] *Ita legendum. Editi,* calamanchum, id est pileum. *Occurrit & infrà capite* IX. *vbi Coloniensis editio,* calamanen *habet. Vide Onomasticon.*

4. SVPER PSIATHIVM.] *Vetus editio,* super humi spatium. *Sed iam antè sæpius in alijs Vitis* psiathium *occurrit, vt de lectionis veritate nullum sit dubium.*

5. CHAMEVNIÆ.] *Vetus editio,* continentiæ. *Coloniensis,* caumeniæ. *Vera lectio, quam dedi. Sunt* χαμευνίαι, humicubationes. *Suprà Vitâ Abrahæ cap.* XVIII. chameunijs quoque & contritione corporis numquam omnino lassatus est. *Vide Onomasticon.*

6. HEV MIHI.] *Tria sequentia capita desunt tam apud Ephræm tom.* III. *in Vitâ Abrahæ, nec se ea in Græcis exemplaribus reperisse testatur Ephræmi interpres Vossius, quàm apud Metaphrastem tomo* VI. *Lipomani, & tomo* II. *Surij. Deerant etiam in manuscriptis nostris. Sed quia Coloniensis editio hæc habet, etiam expressi. Vossius existimat clausulas has, ex alijs Ephræmi locis, quibus similia quædam habet, concinnatas esse.*

VITA SANCTÆ THAISIS MERETRICIS,

8. Oct.

AVCTORE INCERTO.

CAP. I.

Thaisis multos iuuenes peruertit.

FVIT quædam meretrix, Thaisis nomine, tantæ pulchritudinis, vt multi propter eam vendentes substantiam suam ad vltimam peruenirent paupertatem: sed & lites inter se conferentibus amatoribus suis, frequenter sanguine iuuenum puellæ limen replebatur.

Paphnutius conuersioni eius intendit.

Quæ cùm abbas Paphnutius audisset, sumpto habitu sæculari & vno solido, profectus est ad eam in quadam Ægypti ciuitate: deditque ei solidum pro mercede peccati. At illa accepto pretio, ait: Ingrediamur domum. tunc ille ingressus, vt lectum pretiosis vestibus stratum conscenderet, inuitabat eam, & dixit: Si est interius cubiculum, in ipso eamus. illa dixit: Est quidem, sed si homines vereris, nec in isto exteriori cubiculo vllus ingreditur: si verò Deum, nullus est locus, qui Diuinitatis eius oculis abscondatur.

Conuersionis occasionem ex verbis eius captat.

Quod cùm audisset senex, dicit ei: Et scis esse Deum? Cui illa respondit: Et Deum scio & regnum futuri sæculi, necnon & tormenta futura peccatorum. Dicit ei; Si ergo hæc nosti, cur tantas animas perdidisti, vt non solùm pro tuis, sed & pro illorum criminibus redditâ ratione damneris? Quod cùm Thaisis audisset, prouoluta ad pedes Paphnutij monachi cum lacrymis exorabat, dicens: Pœnitentiam iniunge, pater: confido enim remissionem te orante sortiri; horarum tantùm trium inducias peto, & post hoc quocumque iusseris, veniam; & quodcumque præceperis, faciam. Cumque locum illi abbas Paphnutius constituisset, quò venire deberet, illa discedens collectis omnibus quæcumque ex peccato susceperat, prolatisque in mediâ ciuitate populo spectante igni supposuit, clamans: Venite omnes qui peccastis mecum, & videte, quomodo ea quæ mihi contulistis exuram. erat autem pretium librarum quadraginta.

Peccati pretium in mediâ ciuitate exurit.

CAP. II.

Quæ cùm omnia consumpsisset, in locum quem abbas constituit ei, perrexit: quam ille, reperto virginali monasterio, in cellulâ paruâ ducens, ostium cellulæ plumbo signauit, paruamque reliquit fenestellam, per quam ei victus modicus inferretur, iussitque ei omnibus diebus parum panis & paululum aquæ à sororibus monasterij ministrari.

Cellula parua includitur.

Cùm autem discederet ostio plumbato, ait ad illum Thaisis: Quò iubes, pater, vt aquam meam effundam? at ille respondit: In cellâ, vt digna es. Cumque iterùm quemadmodum Deum oraret requireret, dicit ei: Non es digna nominare Deum, nec in labijs tuis nomen diuinitatis eius adducere, sed nec ad cælum manus expandere, quoniam labia tua iniquitate sunt plena, & manus tuæ sordibus inquinatæ; sed tantummodò sedens contra Orientem respice, hunc sermonem solum frequenter iterans: Qui plasmasti me, miserere mei.

Oratio Thaisis.

CAP. III.

Paphnutius de Thaisi consulit abbatem Antonium.

Cùm ergo tribus annis ita fuisset inclusa, condoluit abbas Paphnutius, & mox profectus est ad abbatem Antonium, vt ab eo requireret si peccata eius remisisset ei Dominus, an non. Cùm ergo peruenisset, & tantam illi caussam subtiliter narrasset, conuocatis discipulis suis abbas Antonius, præcepit vt illâ nocte omnes vigilarent, & in oratione singillatim persisterent, quatenus alicui ex eis declararet Deus caussam, pro quâ abbas Paphnutius venerat. Itaque cùm singuli secessissent, & incessanter orarent, abbas Paulus, maior discipulus sancti Antonij, vidit subitò in cælo lectum pretiosis vestibus adornatum, quem tres virgines, clarâ facie fulgentes custodiebant.

Visio Pauli de Thaisi loco præparato.

Cùm ergo ipse Paulus diceret: Non est largitio hæc alterius nisi patris mei Antonij; vox ad eum facta est: Non est patris tui Antonij, sed Thaisis meretricis est. Quod cùm manifestè abbas Paulus retulisset, cognitâ Dei voluntate abbas Paphnutius discessit, & reuersus ad monasterium in quo fuerat inclusa, ostium quod obstruxerat dissipauit; illa verò, vt adhuc

adhuc ita permaneret inclusa, postulabat: cùm verò aperuisset ostium, dixit ei: Egredere, quoniam remisit tibi Deus peccata tua. illa respondit: Testor Deum, quia ex quo hîc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens. Cui abbas Paphnutius ait: Non propter pœnitentiam tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo. Et cùm eam inde eduxisset, quindecim tantùm diebus Thaisis vixit, & sic pausauit in pace.

Memoria peccatorum ex animo contrito, magis deles peccata, quàm corporalis afflictio.

Moritur Thaisis.

NOTATIO.

1 THAISIS.] *Huius commemoratio est in Menologio Græcorum* VIII. *Octobris:* Natalis sanctæ Thaisiæ, quæ fuerat meretrix. Hæc ab adolescentiâ fuit à propriâ matre deprauata; itaque officinam diaboli se constituit. Sed à viro sancto Paphnutio capta est. Conuersa igitur, & pœnitentiâ scelerum compuncta, & omnia sua quadringentarum pretio æstimata, pauperibus distribuit, & seipsam in cellâ quadam inclusit; vbi lacrymis & gemitibus ex profundo cordis emissis clamabat: Qui plasmasti me, miserere mei. In hac exercitatione annos tres transegit; vnde egressa iussu abbatis, post quindecim dies excessit. *Quæ ad verbum desumpta sunt ex Menæis. in quibus tamen Paphnutio patria assignatur, quæ hîc deest. Dicitur enim ibi* Σιδώνιος, Si-donius. *Florarium Sanctorum manuscr.* XXVIII. *Augusti:* Thaisis peccatricis conuersio. *&* VIII. *Octobris:* S. Thaisis peccatricis depositio per sanctum Paphnutium conuersa à studio meretricio. Quam ille reperto virginum monasterio, in cellulam paruam recludens, ostium plumbo sigillauit, & paruam ei fenestram dimisit, per quam ei cibus modicus deferretur. Post trium verò annorum pœnitentiam abbas Paphnutius rediens, post reuelationem sibi à Deo de illâ factam, ostium quod plumbo signauerat, dissipauit, dixitque ei: Egredere, quia dimisit tibi Deus peccata tua. At illa, Testor, inquit, Deum, quia ex quo huc ingressa sum, ex omnibus meis peccatis quasi sarcinam feci mihi, & ante oculos meos statui. & sicut non recessit anhelitus de naribus meis, ita nec quidem vno momento vsque ad hanc horam peccata mea recesserunt à me. Claruit anno salutis CCCXLIV.

Vita hæc in quibusdam manuscriptis separatim ponitur, in alijs interseritur alijs libris, vt libro II. *cap.* XVI. *ratione Paphnutij, qui eam conuertit. Dedi separatim, vt femina feminis iungeretur.*

2. QVI ME PLASMASTI, MISERERE MEI.] *Eamdem Thaisiæ orationem habes in Menæis & Menologio.*

VITA SANCTÆ [1] PELAGIÆ MERETRICIS

8. Oct.

AVCTORE [2] IACOBO DIACONO, INTERPRETE [3] EVSTOCHIO.

PROLOGVS INTERPRETIS.

Verba sacerdotis tanti, & celata Latinis,
EVSTOCHIVS *Christi transtuli subsidio.*
Sed vos, Lectores, mecum pensate laborem,
Et memores nostri fundite verba Deo.

PRÆFATIO AVCTORIS.

1. Tim. 2.

MAGNAS semper Domino nostro gratias referre debemus, qui non vult perire peccatores in mortem, sed omnes per pœnitentiam conuerti cupit ad vitam. Audite ergo miraculum quod gestum est in diebus nostris. Visum est mihi peccatori Iacobo, scribere vobis fratribus sanctis, vt audiendo vel legendo sciatis, & animabus vestris maximum consolationis auxilium acquiratis. Misericors enim Deus, qui nullum hominem vult perire, statuit in hoc sæculo, vt per satisfactionem delicta donentur: quia in futuro iustum iudicium erit, in quo recipiet vnusquisque secundùm opera sua. Nunc ergo silentium mihi præbete, & intuemini mecum omni diligentiâ cordis, quia relatio nostra compunctione satis vberrimâ plena est.

VITA.

CAP. I. *Nonnus episcopus, antè monachus Tabennensis, venit ad Synodum Antiochenam.*

SAcratissimus episcopus Antiochiæ ciuitatis conuocauit ad se omnes prope se existentes episcopos, pro certâ quadam caussâ: vnde conuenerunt episcopi numero octo, inter quos fuit & sanctissimus Dei vir [4] Nonnus, episcopus meus, vir mirificus & efficacissimus monachus, de monasterio quod dicitur Tabenensiotarum. Propter incomparabilem enim eius vitam & decoratissimam conuersationem raptus est de monasterio, & episcopus ordinatus. Congregatos ergo in prædictâ ciuitate, iussit nos episcopus ipsius ciuitatis manere in basilicâ beatissimi martyris [5] Iuliani. Ingressique successimus, vbi & ceteri qui conuenerant episcopi ante ianuam ipsius basilicæ resederunt. *Synodus habetur in templo Iuliani martyris.*

CAP. II. Quibus sedentibus, aliqui episcopi dominum meum Nonnum rogabant vt aliquid ab ipso docerentur: statimque ex ore suo sanctus episcopus cœpit loqui ad ædificationem & salutem omnium qui audiebant. Cunctis verò nobis admirantibus sanctam doctrinam eius, ecce subitò transijt per nos prima mimarum Antiochiæ: ipsaque est [6] prima choreutriarum pantomimarum, sedens super asellum: & processit cum summâ phantasiâ, adornata ita, vt nihil videretur super eâ nisi aurum & margaritæ & lapides pretiosi; nuditas verò pedum eius ex auro & margaritis erat cooperta: cum quâ maxima erat pompa puerorum & puellarum in vestibus pretiosis amicta: & torques aurea super collum eius. Quidam præcedebant, alij verò sequebantur eam: pulchritudinis autem decoris eius non erat satietas omnibus sæcularibus hominibus. Quæ tamen transiens per nos, totum impleuit aërem ex odore [7] musci, vel ceterorum suauissimorum odoramentorum fragrantiâ. Quam vt viderunt episcopi ita nudo *Pelagia Antiochena prima pantomimarum.*

Seminuda incedens, episcopis dolorem ingerit.

nudo capite & omni membrorum compage sic inuerecundè transire cum tantis obsequijs, vt nec velamen super caput positum, nec super scapulas: tacentes ingemuerunt, & quasi à peccato grauissimo auerterunt facies suas.

CAP. III.

Beatissimus autem Nonnus intentissimè eam & diu respiciebat, ita vt posteaquam transisset, intueretur & respiceret eam. Et posteà auertit faciem suam, dicens ad circumsedentes episcopos: Vos non delectati estis tantâ pulchritudine eius? Illis verò nihil respondentibus, posuit faciem super genua sua, & manuale sanctum quod tenebat sanctis manibus suis: & sic omnem sinum suum repleuit lacrymis, & suspirans grauiter, dixit iterùm ad episcopos: Non delectati estis tantâ pulchritudine eius? Illis verò nihil respondentibus, Verè, ait, ego valdè delectatus sum, & placuit mihi pulchritudo eius: quoniam istam habet Deus præponere & statuere in conspectu tremendæ & admirabilis sedis suæ, iudicaturus tam nos quàm episcopatum nostrum. Et iterùm dixit ad episcopos: Quid putatis, dilectissimi: quantas horas fecit in cubiculo suo hæc mulier, lauans & componens se, cum omni sollicitudine animi & intentione ad spectaculum ornans se, vt corporali pulchritudini & ornatui nihil deesset, quatenus omnibus placeret, ne turpis videretur esse suis amatoribus, qui hodie sunt, & crastino non sunt? Ergo & nos habentes patrem in cælis omnipotentem, sponsam immortalem, donantem benè custodientibus promissiones, quæ habent diuitias cælestes & æterna præmia, quæ æstimari non possunt, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quid enim plura loquor? habentes repromissionem, faciem illam magnam & splendidam, & inæstimabilem sponsi vultum videre, cui Cherubim respicere non audent, non ornamus neque detergimus sordes de miseris animabus nostris, sed dimittimus eas negligenter iacere.

Vtapes, ex vitio etiam virtutis calcar desumit Nonnus.

CAP. IV.

His omnibus dictis, apprehendit me peccatorem diaconum, peruenimusque in hospitium, vbi nobis fuerat cellula data. Et ingressus cubiculum suum, iactauit se in pauimentum, & faciem suam ad terram: percutiensque pectus suum, lacrymabatur, dicens: Domine Iesu Christe, ignosce mihi peccatori & indigno, quia vnius diei ornatus meretricis superuenit ornatum animæ meæ. Quali vultu respiciam ad te? aut quibus sermonibus iustificer in conspectu tuo? Non enim occultabo cor meum ante te,

Ad animæ pulchritudinem seipsum ex corporali Pelagiæ decore exstimulat.

quoniam prospicis secreta mea. Et væ mihi peccatori & indigno, quoniam ante altare tuum adsisto, & non offero pulchram animam qualem expetis à me. Illa enim promisit placere hominibus, & fecit: & ego promisi tibi placere, & mentitus sum propter pigritiam meã. Nudus sum tam in cælo quàm in terrâ, non adimplens præcepta mandatorum tuorum. Ergo non est mihi spes ex operibus bonis, sed spes mea in misericordiâ tuâ, quâ confido saluari. Hæc verò illo dicente, & horum caussâ plurimùm vlulante, eodem die vehementer festa celebrauimus.

CAP. V.

Præuidet meretricis conuersionem.

Superueniente autem die, quæ est Dominica, postquã compleuimus nocturnas orationes, dicit ad me sanctus Nonnus episcopus: Tibi dico frater diacone, vidi somnium & fortiter conturbor, eò quòd non possum discernere illud. Qui mox dicit ad me, vidisse se in somnis, quomodo ad cornu altaris staret nigra columba, multis sordibus inuoluta: quæ circumuolabat me, & fœtorem ac squaloram sordium eius ferre non valebam. Illa verò circumstetit me, donec[8] dimissa est oratio catechumenorum. Postquam verò proclamauit diaconus catechumenis, Procedite, statim nusquam comparuit. Et post Missam fidelem & completionem oblationis, cùm dimissa esset ecclesia, egrediente me limitem domus Dei, venit denuò ipsa columba multis sordibus inuoluta, & iterùm circumuolabat me. Ego verò extendens manum, apprehendi eam, & iactaui in concham, quæ erat in atrio sanctæ ecclesiæ: & dimisit in aquâ omnes sordes suas quibus obuoluta erat, & ascendit de aquâ candida sicut nix: quæ & volans, in excelsum ferebatur, & omnino ab oculis meis sublata est. Cùm ergo narrasset somnium sanctus Dei Nonnus episcopus, apprehendit me: & peruenimus ad maiorem ecclesiam cum ceteris episcopis, & salutauimus episcopum ciuitatis.

Columbæ specie adumbratur Pelagia.

CAP. VI.

Et ingrediens, omnem populum ecclesiæ hortatus est, qui ingressi sederunt super thro[illegible]os: & post omnem canonicam celebrationem vel lectionem sancti Euangelij, idem episcopus ciuitatis porrigens sanctum Euangelium beatissimo Nonno, hortabatur eum vt verba faceret ad populum. Qui aperiens os suum loquebatur sapientiam Dei, quæ habitabat in eo: quoniam nihil compositionis, aut philosophiæ, aut indiscretum alloquebatur, nihil in se habens humanæ naturæ superfluum: sed repletus Spiritu sancto, arguebat & commonebat plebem, sincerissimè loquens de futuro iudicio, & perpetuis bonis quæ reposita sunt. Cuncta ergo plebs compuncta est ex verbis,

Nonnus ad populum verba facit.

Populus compungitur.

verbis, quibus locutus est per eum Spiritus sanctus, ita vt pauimentum sanctæ ecclesiæ inundaret populi lacrymis.

CAP. VII. Gubernatione verò misericordiæ diuinæ contigit, vt conueniret ad eamdem ecclesiam & meretrix hæc, de quâ factus est nobis sermo: & quod mirum est, catechumena, cui numquam accessit sollicitudo peccatorum, nec aliquando ad Dei conuenisset ecclesiam, subitò compuncta est timore Domini, cùm argueret sanctus Nonnus populum, ita vt desperaret de se, ipsa mulier plangens flumina lacrymarum fundebat, nec vllo modo à fletu continere se poterat. Et statim præcepit duobus pueris suis, dicens: Sustinete in hoc loco: & dum egressus fuerit sanctus Nonnus episcopus, sequamini eum, & inquirite vbi maneat, & venite & renuntiate mihi. Pueri verò fecerunt sicut præcepit eis domina sua: & sequentes nos, venerunt in basilicam beatissimi martyris Iuliani, vbi nobis hospitium seu cellula erat. Et regressi, venerunt, dominæ suæ dicentes: Quoniam in basilicâ beatissimi martyris Iuliani manet. Quo illa audito, statim transmisit [9] diptychum tabularum per eosdem pueros, ita continentem: Sancto discipulo Christi, peccatrix & discipula diaboli. Audiui de Deo tuo, quòd cælos inclinauit, & descendit super terram, non propter iustos, sed vt peccatores saluaret: intantum humiliatus, vt publicanis appropinquauerit, & in quem Cherubim respicere non audent, cum peccatoribus conuersatus sit. Et tu, domine meus, qui multam sanctitatem habes, etsi carnalibus oculis ipsum Dominum Iesum Christum, qui se illi mulieri meretrici Samaritanæ manifestauit ad puteum, non adspexisti, tamen verus cultor illius es, sicut à Christianis audiui referentibus. Si verò illius Christi verus es discipulus, non me respuas, per te desiderantem videre Saluatorem, vt per te merear videre vultum sanctum suum. Tunc rescripsit ei sanctus Nonnus episcopus: Quæcumque es, manifesta es Deo, & tu, & tractatus tuus, & voluntas tua. Attamen dico tibi, ne velis tentare humilitatem meam: ego enim sum homo peccator seruus Dei. Si pro certo habes desiderium diuinitatis, virtutem adipiscendi & fidem, & me vis videre: sunt mecum episcopi alij, veni, & ante eos me videbis: nam sola me videre non poteris. Cùm hæc relegisset meretrix, gaudio repleta, cursu venit ad basilicam beati martyris Iuliani, & nuntiauit nobis de præsentiâ suâ. Quo audito sanctus Nonnus episcopus, vocauit ad se omnes qui illic aderant episcopos, & iussit eam venire ad se. Quæ accedens vbi congregati erant episcopi, iactauit se in pauimentum, & apprehendit pedes beati Nonni episcopi, dicens: Rogo te, domine meus, imitare magistrum tuum Dominum Iesum Christum, & effunde super me tuam bonitatem, & fac me Christianam. Ego enim sum, domine meus, pelagus peccatorum & abyssus iniquitatis. Peto me baptizari.

Pelagia catechumena conuertitur.

Epistola Pelagia ad Nonnum.

Matth. 9.

Ioan. 4.

Nonni ad Pelagia epistolam responsum.

Solus mulierem videre renuit.

Pelagia Nonni pedes amplectitur.

Baptismum expetit.

C. VIII. Cùm vix eam persuasisset sanctus Nonnus episcopus surgere à pedibus suis, cùm surrexisset, dicit ad eam: [10] Canones sacerdotales continent non baptizari meretricem, nisi fideiussores præstiterit, vt non se iterùm in ipsis malis reuoluat. Quæ audiens talem episcopi sententiam, iactauit se iterùm in pauimentum, & apprehendit pedes sancti Nonni, & ipsos lacrymis suis lauit, & capillis suis extergebat, dicens: Rationem reddas Deo pro animâ meâ, & tibi adscribam iniquitates factorum meorum, si distuleris me iniquam & turpissimam baptizare. Non inuenias portionem apud Deum cum sanctis, nisi me nunc feceris alienam malorum operum meorum. Neges Deum, & idola adores, nisi me hodie in sponsam Christi renasci feceris, & obtuleris Deo. Tunc omnes episcopi & clerici qui conuenerunt, videntes talem peccatricem pro Deitatis desiderio talia loquentem, admirantes dicebant, numquam se talem vidisse fidem & desiderium salutis, sicut huius meretricis. Et statim transmiserunt me peccatorem diaconum ad episcopum ciuitatis, vt hæc omnia ei insinuarem, & vnam de [11] diaconissis iuberet eius beatitudo transmittere mecum. Qui audiens, lætatus est gaudio magno, dicens: Benè, pater honorabilis, te exspectabant opera ista: scio quòd os meum eris. Et statim transmisit mecum dominam Romanam primam diaconissarum. Quæ veniens, inuenit eam adhuc ad pedes sancti Nonni episcopi, cui vix persuasit surgere à pedibus suis, dicens: Surge filia, vt exorcizeris. Dixitque ei: Confitere omnia peccata tua. Quæ respondit: Si perscrutata fuero scientiam cordis mei, non inuenio in me aliqua opera bonorum actuum. Peccata enim mea scio, quod arenâ maris grauiora sint: aqua enim perparua est præ mole peccatorum meorum. Confido verò de Deo tuo, quòd dimittat pondus iniquitatum mearum, & respiciat super me. Tunc dixit ad eam sanctus Nonnus episcopus: Dic quod sit nomen tuum? Quæ respondit: Naturali nomine Pelagia vocata sum à parentibus meis: ciues verò Antiochiæ Margaritam me vocant, propter pondus ornamentorum, quibus me adornauerunt peccata

Canones vetant meretricem baptizari nisi dato fideiussore.

Omni obtestatione Baptismum flagitat.

Exorcismus ante Baptismum.

Pelagia ob ornatum ab Antiochenis Margarita dicta.

cata mea. Ego enim eram ornamentum & comptum ergasterium diaboli. Iterùm dicit ad eam sanctus Nonnus episcopus: Naturali nomine Pelagia vocaris? Quæ respondit: Ita domine. Quo audito, sanctus Nonnus episcopus exorcizauit eam, & baptizauit: & imposuit ei signum Domini, tradiditque illi corpus Christi. Fuitque illi mater spiritalis sancta domina Romana, prima diaconissarum: quæ accipiens eam, ascendit in [12] catechumenium, eò quòd & nos ibi maneremus. Tunc dicit ad me sanctus Nonnus episcopus: Tibi dico, frater diacone, lætemur hodie cum Angelis Dei, & oleum extra consuetudinem sumamus in cibo, & vinum cum lætitiâ spiritali accipiamus, propter salutem huius puellæ.

Baptizatur, confirmatur, & Eucharistiâ reficitur.

CAP. IX.

Sumentibus verò nobis cibum, audiuntur voces subitò, velut hominis qui violentiam patitur: diabolus enim clamauit, dicens: Væ væ, quid patior à decrepito sene isto? Non tibi sufficiunt triginta millia Sarracenorum, quos mihi abripuisti & baptizasti, & obtulisti Deo tuo? Non tibi sufficiebat Heliopolis, quoniam cùm & ipsa mea esset, & omnes qui in eâ habitabant, me adorarent: tu mihi abripuisti & obtulisti Deo tuo? Sed & nunc maximâ spem meam abstulisti à me: iam nunc non fero machinationes tuas. O iam quid patior à damnabili isto! Maledicta dies illa, in quâ natus es tu: flumina lacrymarum infirmo hospitio inundant: iam spes mea abstracta est. Ista omnia clamabat diabolus, & lamentabatur ante ianuas, & audiebatur ipse ab omnibus hominibus. Et iterùm repetens, ad neophytam puellam dixit: Hæc mihi facis, domina mea Pelagia, & tu meum Iudam imitaris? Ille enim gloriâ & honore coronatus, & apostolus constitutus, tradidit Dominum suum: ita & tu mihi fecisti. Tunc dicit ad eam sanctus Nonnus episcopus: Signa te cruce Christi, & abrenuntia ei. Quæ signauit se in nomine Christi, & insufflauit in dæmonem: & statim nusquam comparuit.

Nonnus 30000. Sarracenorum conuertit.

Diaboli planctus contra Nonnum & Pelagiam.

Signat se Pelagia, & insufflat in diabolum.

CAP. X.

Post biduum ergo, dormiente eâ cum sanctâ Romanâ commatre suâ in cubiculo suo, apparuit diabolus nocte, & suscitauit ancillam Dei Pelagiam, & dicebat: Rogo te, domina mea Margarita, numquid non ex auro & argento ditata es? numquid non ex auro & gemmis pretiosis adornaui te? Rogo te, quid te contristaui? Responde mihi, vt satisfaciam tibi: tantùm ne me facias opprobrium Christianorum. Tunc ancilla Dei Pelagia signauit se, & exsufflauit in dæmonem, dicens: Deus meus, qui eripuit me de medio dentium tuorum, & induxit in cælestem thalamum suum, ipse tibi resistet pro me. Et statim nusquam comparuit diabolus.

Rursus Pelagia exprobrat diabolus.

Fugatur signo crucis & insufflatione.

CAP. XI.

Tertiâ verò die, posteaquam baptizata est sancta Pelagia, rogauit puerum suum, qui præerat rebus eius omnibus, & dicit ad eum: Vade in vestiarium meum, & scribe omnia quæ sunt tam in auro quàm in argento: vel in ornamentis aut vestibus pretiosis, & affer mihi. Puer fecit sicut præcepit ei domina sua, & omnem substantiam suam detulit. Quæ statim vocauit sanctum Nonnum episcopum per sanctam Romanam commatrem suam, & omnem substantiam suam posuit in manibus eius, dicens: Hæ sunt, domine, diuitiæ, quibus ditauit me satanas: has trado in arbitrio sanctitatis tuæ, & quod nosti expedire, facias ex eis: mihi enim optandæ sunt diuitiæ Domini mei Iesu Christi. Qui statim vocauit custodem ecclesiæ seniorem: & ipsâ præsente, omnem substantiam eius in manibus illius tradidit, dicens: Adiuro te per inseparabilem Trinitatem, ne quid hinc in episcopium aut in ecclesiam ingrediatur: sed magis viduis & orphanis & pauperibus erogetur, vt quod malè attractum est, benè distribuatur: & diuitiæ peccatricis, fiant thesauri iustitiæ. Si verò spreto sacramento, siue per te, siue per quemlibet alium subtraxeris de his quidquam, anathema ingrediatur domum eius, & cum illis habeat partem, qui dixerunt, Crucifigatur, crucifigatur. Illa verò conuocauit omnes pueros & puellas suas, & liberauit omnes: donauitque [13] tortos aureos eis de manu suâ, dicens: Festinate, & liberate vos de hoc sæculo nequam, pleno peccatis, vt sicut fuimus in hoc sæculo simul, ita simul permaneamus sine dolore in vitâ illâ, quæ est beatissima.

Bona sua dat pauperibus.

Nihil ex ijs in ecclesiâ inferri patitur Nonnus.

Asseclas suos hortatur ad fidem.

CAP. XII.

Octauâ verò die, quando habebat depositionem albarum facere, surgens nocte, nobis ignorantibus, deposuit vestem Baptismatis sui, & induit se tunicam [14] tricinam, & [15] birram sancti Nonni episcopi: & ex illâ die nusquam comparuit in ciuitate Antiochiâ. Quam sancta Romana flebat amarissimè, & sanctus Nonnus consolabatur eam, dicens: Noli flere filia, sed lætare gaudio magno, quoniam Pelagia optimam portionem elegit, sicut Maria, quam Dominus præfert Marthæ in Euangelio. Illa autem abijt Ierosolymam, & construxit sibi cellulam in monte Olìueti, vbi Dominus orauit.

Albâ deposita cilicium induit.

Pelagia clàm Antiochia discedens petit Ierosolymã.

In monte Oliueti Pelagia nomine quasi eunuchus conuersatur.

C. XIII.

Post aliquantum verò temporis conuocauit episcopus ciuitatis omnes episcopos, vt vnusquisque reuerteretur ad propria.

Post triennium aut quadriennium temporis, desideraui ego Iacobus diaconus proficisci Ierosolymam, vt ibi adorarem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi,& petij episcopum meum, vt me permitteret ire. Dum me permisisset ire, dicit ad me: Tibi dico frater diacone,dum perueneris Ierosolymam,require ibi quemdam fratrem Pelagium,monachum & eunuchum,qui multos annos habitabat in solitudine clausus,quasi eum visitaturus: verè enim poteris ab eo iuuari.Hæc autem omnia dicebat mihi de ancillâ Dei Pelagiâ non manifestè.

CAP. XIV. *Iacobus diaconus Ierosolyma loca sancta & Pelagiū visitat.*

Perueni ergo Ierosolymam,& adoraui sanctam resurrectionem Domini nostri Iesu Christi: & aliâ die requisiui seruum Dei. Et accessi, & inueni eum in monte Oliueti, vbi Dominus orauit, in modicâ cellulâ vndique circumclusâ, & paruam fenestellam habuerat in pariete. Et percussi ostium fenestellulæ, & statim aperuit mihi, & cognouit me: ego verò non cognoui eam. Quomodo enim poteram cognoscere illam, quam anteà videram inæstimabili pulchritudine,iam facie marcidam factam præ nimiâ abstinentiâ? Oculi verò eius sicut fossæ videbantur. Quæ dicit ad me: Vnde venis frater? Ego respondi & dixi: Missus sum ad te, iubente Nonno episcopo. Quæ ait ad me: Oret pro me, quoniam verè sanctus Dei est. Et statim clausit ostiolum fenestellæ, & cœpit psallere horam tertiam. Ego verò oraui iuxta parietem cellulæ eius, & recessi, multùm iuuatus de angelicâ visione eius.Reuersus verò Ierosolymam, cœpi per monasteria ambulando visitare fratres.

Summa Pelagij pulchritudo pra inediâ in marcorem versa.

CAP. XV. *Iacobus diaconus secundò Pelagium visitat.*

Magna verò ferebatur fama per monasteria de domino Pelagio: proptereà deliberaui etiam iteratò ad eum redire,& salutaribus doctrinis eius refici. Cúmque ad cellulam suam peruenissem, & pulsare, imò nominatim eum interpellare præsumerem,nihil respondit.Exspectaui secundâ die& tertiâ perseuerans, & proprio nomine Pelagium interpellans, neminem audiui. Quare intra me dixi: Aut nemo est hîc, aut recessit qui hîc erat monachus. Nutu verò Dei monitus,iterum dixi: Considerem ne fortè mortuus sit: & aperui ostiolum fenestellulæ, & prospexi, & vidi eum mortuum, & clausi ostiolum: & de luto replens diligenter, cursu veni Ierosolymam, & nuntiaui commanentibus, quòd sanctus Pelagius monachus mirabilia faciens requieuisset. Tunc sancti patres venerunt cum diuersis monasterijs monachorum, & sic solutum est ostiolum cellulæ: & delatum est foràs sanctum corpusculum eius, quod auro & lapidibus pretiosis condignè posuerunt. Et dum sancti patres vngerent corpus myrrhâ, tunc cognouerunt quòd fuisset mulier:qui volentes miraculum abscondere, sed populum ipsum latere non poterat. Exclamauerunt voce magnâ,dicentes: Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui multas diuitias absconsas habes super terram, non solùm viriles, sed etiam muliebres. Diuulgatum est autem omni populo, & venerunt omnia monasteria virginum, tam de Ierícho, quàm ex Iordane, vbi Dominus baptizatus est, cum cereis, lampadibus & hymnis: & sic depositæ sunt sanctæ reliquiæ eius, portatæ à sanctis patribus.

Mortuum inuenit.

Dum corpus vngitur, femina deprehenditur.

Cū cereis lampadibus, & hymnis effertur.

Hæc vita meretricis, hæc conuersatio desperatæ: cum quâ & Dominus nos faciat inuenire misericordiam suam in die iudicij: quoniam ipsi est honor & gloria, potestas & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

NOTATIO.

1 PELAGIÆ.] *Martyrolog. Romanum* VIII. *Octobr.* Ierosolymis S. Pelagiæ cognomento Pœnitentis.

2. IACOBO DIACONO.] *Ita auctor seipsum vocat hic in Præfatione.*

3. EVSTOCHIO.] *Ita interpres suum nomen exprimit in Prologo, qui deest edit. Colon: sed habetur in MS. S. Audomari, & vet. edit.*

CAP. I. 4. NONNVS.] *De hoc Martyrologium Rom.* 11. *Decembris,* Edessæ S. Nonni episcopi, cuius precibus Pelagia pœnitens ad Christum conuersa est.

5. IVLIANI.] *Varij occurrunt Iuliani in Martyrologio. Existimo hîc intelligi vnum ex ijs qui passi sunt in Syriâ, in quâ Antiochia.*

CAP. II. 6. PRIMA CHOREVTRIARVM PANTOMIMARVM.] *Ita emendaui ex coniecturâ. Loco* choreutriarum, *vetus* thorentriarum; *Coloniensis* thorentiarum. *Manuscr. S. Audomari*: Prima chaos in theatrum pantomimi. *Erunt fortè qui loco* thorentiarum *diuinent legendum* theatricarum. *Noti* χορευταὶ *Platoni & Aristoteli, qui & cantabant & saltitabant. Talis hæc Pelagia pantomima choreutria.*

7. MVSCI.] *Infrà in Vitâ S. Marcellæ c.* III. fragrare musco mure. *Vide Onomasticon.*

8. DIMISSA EST ORATIO CATECHVMENORVM.] CAP. V. *Mox sequitur,* Missa fidelis *seu* fidelium. *Ita olim Officium diuinum erat distinctum, vt pars vocaretur* Missa catechumenorum, *pars* Missa fidelium.

9. DIPTYCHVM TABVLARVM.] *Erant Diptycha* CAP. VII. *bifores tabellæ ad varium vsum. Vide Onomast.*

10. CANONES.] *Vetitum olim canonibus, ne quis ad* CAP. VIII *Baptismum admitteretur sine patrino seu fideiussore, quod multò accuratiùs obseruatum in meretricibus & histrionibus, quorum conuersio magis erat dubia.*

11. DIACONISSIS.] *Diaconissæ antiquitus baptizandas mulieres velabant.*

12. CATECHVMENVM.] *Intelligit locum catechumenorum in ecclesiâ, qui distinctus erat à loco fidelium.*

13. TORTOS.] *Ita vetus editio. Colon.* torques.

14. TRICINAM.] *Addunt editi,* id est, cilicinam. CAP. XI.

15. BIRRAM.] Birra *nunc vestem pretiosam, nunc vilem significat. Vide Onomasticon.* CAP. XII.

VITA

VITA S. [1] MARIÆ ÆGYPTIACÆ MERETRICIS

2. APR.

AVCTORE [2] SOPHRONIO IEROSOL. EP. INTERPRETE [3] PAVLO DIACONO sanctæ NEAPOLEOS ecclesiæ.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

Domino gloriosissimo ac præstantissimo regi Carolo.

S*CIENS gloriosissimam maiestatem vestram tam diuinis eloquijs, quamque Sanctorum præcedentium exemplis valdè delectari, cùm iamdudum libellum conuersionis Mariæ Ægyptiacæ, cum tomulo de cuiusdam* [4] *vicedomini pœnitentiâ, domino meo obtulerim: quia illeipse casu quodam deperijt, nunc interim iussui vestro in eodem restaurando deuotus obediui. Obsequij quoque & deuotionis meæ fuit, vt non simplicem tantùm memoratæ rei textum exhiberem, sed & alia quæsitu digna superadijcerem, de venerandis scilicet* [5] *constitutis & gestis Præsulum Romanæ Ecclesiæ: quorum sanctionibus quàm reuerenter Ecclesia vtatur, maiestas vestra optimè nouit. Hoc autem breuitatis Compendium seruus vester ideò sumpsit, vt serenitas vestra, quam Reipub. fascibus valdè oneratam attendo, cui sparsim diuersa non vacat percurrere scriptorum volumina, quasdam consuetudines Ecclesiasticas in breui, quasi in quodam Enchiridio inclusas, tenere possit: & quia secundùm regalem industriam, studium domini mei in hoc feruere didici, vt facta dictáve vestra iuxta auctoritatem irrefragabilem dirigere, & quid erga cultum diuinum tenendum, quidve reijciendum sit, sollicitè disquirere & perscrutari, elucubrationis sit assiduæ, qualiter eius diuinitatis ope muniti, prosperis successibus ad omnia currere mereamini.*

Paulus diaconus Theophili pœnitentiam Latinitati donauit.

Item constituta & gesta Pontificum.

PRO-

PROLOGVS AVCTORIS.

Tob. 12. SECRETVM regis celare, bonum est; opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Ita enim legitur, Angelum dixisse Tobiæ post oculorum amissionem, gloriosamque illuminationem, & post illa transacta pericula, è quibus liberatus, consecutus est Dei pietatem. Etenim regis secretum manifestare, nociuum & valdè periculosum est: & Dei gloriosa silere opera, magnum est animæ detrimentum. Propter quod ego diuina tegere silentio dubitans, & pigri serui metuens condemna- Matth. 25.
tionis imminens iudicium, qui à domino talentum accipiens, fodiens in terram abscondit, & datum ad operationem celauit extra negotiationem, sacram ad me prolatam narrationem nequaquam silebo. Sed nullus mihi sit incredulus scribenti de eis, quæ audiui, nec quisquam me mentiri æstimet, de rei magnitudine dubitans. Mihi enim absit sacris mentiri rebus, & adulterari verbum, vbi Deus memoratur. Eius autem, qui minima intelligit, & indigniùs de Dei magnitudine, qui carnem assumpsit, & incredulus est ista dicenti, non mihi pertinebit periculum. Si qui autem illi sunt, qui huius scripturæ legerint textum, gloriosamque rei admirationem sanè credere renuerint, & illis Dominus misereatur, faciatque capaces sancti verbi, ne rei existant Dei miraculorum, quæ plura in suis fieri prædestinauit electis: quoniam & ipsi humanæ naturæ infirma considerantes, impossibilia decernunt ea, quæ de hominibus sanctis gloriosa dicuntur. Assumam de cetero narrationem, ipsam rem referens, quæ in hac nostrâ generatione facta dinoscitur, quam sacer vir, diuina & agere & docere educatus, narrauit. Sed vt suprà dictum est, nullus hæc ad incredulitatem trahat, considerans impossibile fieri in hac nostrâ generatione tam grande miraculum; quia gratia Dei per omnes generationes in sanctas pertransiens animas, amicos Dei facit &
Sap. 7. prophetas: quemadmodum Salomon secundùm Deum edocuit. Tempus namque est sacræ prodere narrationis initium, magnum virileque certamen venerabilis Mariæ Ægyptiacæ, videlicet qualiter expleuerit tempora vitæ suæ.

VITA.

CAP. I. IN monasterio Palæstinorum fuit vir vitæ moribus & verbo ornatus, qui ab ipsis cunabulis, monachicis est actibus diligenter instructus, & conuersationibus veraciter educatus, nomine [6] Zosimas. Et nullus nos æstimet dicere Zosimam illum, in prædicationis erroneæ dogmatibus accusatum sectæ alterius: alius enim hic, & alius ille, & multa inter vtrosque distantia, licet vnum vterque sortiti sint vocabuli nomen. Hic itaque Zosimas ab initio in vno Palæstinorum conuersatus est monasterio, & omnem pertransiens monachicam disciplinam, in abstinentiæ opere omnium factus est probatissimus. Omne enim præceptum sibi traditum canonis ab his, qui ab infantiâ educati sunt, luctam perfectæ disciplinæ monachicæ irreprehensibiliter conseruabat. Multa etiam & ipse sibi adijciens superaddidit, cupiens carnem spiritui subiugare. Nec enim in aliquo offendisse comprobatur. ita enim fuit in cunctis perfectus monachicis actibus, vt multoties multi monachi de prædicti loci monasterijs & de longinquis partibus ad eum confluentes, eius exemplis atque doctrinis se constringerent, & ad illius imitationem abstinentiæ se multò magis subiugarent. *Zosimæ monachi perfectio.*

CAP. II. Hæc itaque omnia in se habens, à meditatione sacri eloquij numquam discessit, sed in stratu suo quiescens, siue surgens, aut operam tenens manibus, vel cibum, si conueniebat vt sumeret, bonum, quo ille vti consueuerat, spiritualiter vtebatur, vnum opus habebat intacitum & numquam deficiens, psallere frequenter & meditationem facere sacri eloquij. Multoties enim asserunt, quia & diuinæ illustrationis dignus effectus, à Deo sibi visiones ostensæ sunt: & mirum non est nec incredibile. Si enim, vt ait Dominus, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: quantò magis qui suam purificauerint carnem, sobrij semper, animorumque peruigiles, oculos diuinæ prospicunt illustrationis; visionis indicium hinc præparatæ futuræ bonitatis accipientes? Dicebat autem ipse Zosimas, ab ipsis, vt ita dicam, maternis vlnis in hoc se esse monasterio traditum, & vsque ad quinquagesimumtertium annum in eo cursum monachicum peregisse. Post hæc autem pulsatus est à quibusdam cogitationibus, quasi iam in omnibus esset perfectus, alterius non indigens in vllo doctrinâ. Hæc autem, vt dicebat, in se cogitabat: Numquid est in terris monachus, qui nouum aliquid possit tradere mihi, iuuare me valens in aliquo quod ignorem, aut quod ego in monachico non expleuerim opere? Numquid inuenitur eorum qui solitudinem duxerunt, vir, qui prior me in actibus sit? Hæc & his similia *Frequenter psallit & meditatur.* Matth. 5. *E sinu matris religiosus.* *Tentatur superbiâ perfectionis suæ.*

similia eo cogitante, adstitit quidam & dixit ei: O Zosima, benè quidem, & sicut possibile fuit homini, decertasti: bene cursum monachicum consummasti. Tamen nullus est in hominibus, qui se perfectum esse demonstret. Maior enim lucta præsens, quàm illa quæ præterijt, licet tu nescias. Vt autem cognoscas, quantæ sint & aliæ viæ salutis, egredere de terrâ & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, vt Abraham ille patriarcharum eximius, & veni ad monasterium quod iuxta Iordanem adiacet flumen.

Diuinitus monetur. — *Gen. 12.*

Cap. III. Mox igitur secutus dicentem, egressus de monasterio, in quo ab infantiâ conuersatus est, & perueniens ad Iordanem, fluuium omnium sanctiorem, dirigitur ab eo qui vocauit eum, in monasterium, in quod illum Deus venire præcepit. Pulsans igitur monasterij ianuam, loquitur prius monacho qui ianuam obseruabat, & ille nuntiauit eum abbati. Qui suscipiens eum, habituque & specie religiosum conspiciens, postquam flexit genu, vt mos est monachis, acceptâ oratione, hoc eum interrogauit: Vnde, frater, aduenisti? & quam ob rem apud humiles te coniunxisti monachos? Zosimas autem respondit: Vnde quidem veni, non puto necessarium dicere; ædificationis autem gratiâ, pater, adueni. Audiui de vobis magnalia & laude digna, & posse Deo animam sociare. Dixit autem ei abbas: Deus, frater, qui solus sanat animæ infirmitatem, ipse te & nos doceat diuina mandata, & dirigat omnes ad ea facienda quæ opportuna sunt. Homo enim hominem ædificare non valet, nisi vnusquisque attendat semetipsum frequenter, & sobrio intellectu, quod expedibile est, operetur, Deum habens cooperatorem. Tamen quoniam, vt dixisti, charitas Christi te videre nos humiles monachos perduxit, mane nobiscum, si ob hoc venisti, & omnes nos nutriet pastor bonus sancti Spiritus sui gratiâ, qui animam suam dedit liberationem pro nobis, & proprias oues vocat ex nomine. Hæc dicente abbate, flectens iterùm Zosimas genua, acceptâ oratione, respondit, Amen, & mansit in eodem monasterio.

Monasterium ad Iordanem situm ex diuinâ monitione petit. — *Ab abbate admittitur* — *Matth. 20. Ioan. 10.*

Cap. IV. Vidit autem ibi seniores actibus & visione splendentes, spiritu feruentes, & Domino seruientes. [7] Psallentia ibi erat, incessabiles totius noctis habens stabilitates, & in manibus semper operatio, & in ore psalmi diuini absque diminutione. Sermo ibi otiosus non proficiebat; cogitatio auri argentique, aut rei alicuius apud illos non erat; expensa anni totius, aut mensura, vel temporalis vitæ meditationes, doloribus congruæ, nec nomen apud illos cognoscebatur: sed vnum erat primum solummodò, quod festinabatur ab omnibus; vt vnusquisque mortuus esset corpore, sicut semel sæculo, & eis quæ in sæculo sunt mortificatus, & iam non viuens. Cibum autem habebant indeficientem, diuinitatis eloquia: nutriebant verò corpus pane & aquâ; vt multò magis apud diuinam clementiam apparerent efficaces.

Statio incessabilis. — *Cibus, panis & aqua*

Cap. V. Hæc Zosimas, vt dicebat, perspiciens, ædificabatur valde, prætendens se ad perfectionem, & crescere faciens proprium cursum, cooperatores inueniens, optimè diuinum innouantes paradisum. Transactis autem aliquot diebus, appropinquauit tempus, quando sacra ieiunia Christianis traditum est celebrare, & purificare seipsos ob diuinæ passionis diem resurrectionisque salutationem.[8] Regia autem monasterij numquam aperiebatur, sed semper erat clausa, & absque vllâ perturbatione monachi cursum suum explebant: nec enim erat licitum aperire aliquando, nisi fortassis monachus propter aliquod opus necessarium adueniebat. Solitarius enim erat locus ille, & plurimis vicinorum non solùm inusitatus, sed & incognitus. Canon autem talis à priscis seruabatur temporibus: propter quod, vt considero, Deus Zosimam perduxit in idem monasterium.

Quadragesimam vt obseruarint.

Cap. VI. Dehinc ergo referam, qualiter ipsius monasterij seruabatur traditio. Dominicâ, quam primam ieiuniorum hebdomadam nominari mos est, agebantur diuina Sacramenta consuetè, & vnusquisque particeps efficiebatur viuifici ac intemerati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Et solitò modicum cibum sumentes, congregabantur omnes in oratorium, & curuatis genibus, factaque suppliciter oratione, salutabant se inuicem monachi, & vnusquisque genuflexo publicè amplectebatur abbatem, postulantes orationem, vt haberent ad inchoatum certamen eum cooperatorem & comitatorem. His ita se habentibus, fores monasterij patefiebant, & psallentes consonâ voce; Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? &c. exibant, vnum multoties aut duos monasterij custodes relinquentes, non vt custodirent ea quæ intus erant reposita, (non enim erant apud illos aliqua furibus congrua) sed ne oratorium absque diuinis relinquerent solemnijs. Vnusquisque autem se [9] annonabat, prout poterat aut volebat. Nam vnus portabat [10] corpori ad mensuram sufficiens, alius carycas, alius palmarum fructus dactylos, alius verò legumina

Dominicâ primâ Quadragesimæ omnes communicant. — *Psal. 26.* — *In Quadragesimâ solitudinem petunt.*

aquis

aquis infusa, alius nihil præter corpus proprium & vestimentum quo vtebatur. Nutriebantur autem, quando necessitas exigebat naturæ, herbis quæ nascebantur per solitudinem. *Annona eorum.* Canon autem erat vnusquisque sibiipsi & lex absque præuaricatione, vt non cognosceret aliquis consocium, qualiter abstinebat, aut quomodo agebat. Iordanem enim mox transmeantes, longè ab inuicem se sequestrabant, & nullus se iungebat ad socium, ciuitatem æstimantes solitudinem. Sed & si vnus ex ipsis à longè venientem ad se aliquem videbat, mox declinabat de itinere, & ad aliam partem pergebat. Viuebat autem sibi & Deo, psallens frequenter & constituto gustans tempore cibum. Ita omnia ieiunia celebrantes, reuertebantur ad monasterium ante viuificum diem resurrectionis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quam festam Dominicam cum ramis palmarum celebrare sancta accepit Ecclesia. *Reuertuntur Dominicâ palmarum.* Reuertebantur autem, vnusquisque habens proprij laboris testem propriam conscientiam, cognoscentem qualiter operatus est, & qualia laborum semina seminauit. Et nullus vllo modo interrogabat alium, quomodo aut qualiter laboris certamina consummasset.

CAP. VII.

Hic est itaque huius monasterij canon, & ita perfectè & optimè custodiebatur. Vnusquisque enim, vt dictum est, per solitudinem Deo iungebatur, & in semetipso decertabat, ne hominibus placeret, sed soli Deo. *Vana gloria pernicies.* Illa enim quæ propter homines fiunt, & quæ vt hominibus placeant aguntur, non solùm non proderunt facientibus, sed & per multa damna efficiuntur agentibus obnoxia. Tunc itaque Zosimas consuetâ monasterij lege transmeauit Iordanem, modicum quid pro corporis necessitate deportans congruâ, & vestem quâ vtebatur: & canonem quidem celebrabat, solitudinem pertransiens, & tempore escæ necessitatem faciebat naturæ. *Zosimas per desertum vagatur.* Sedebat autem nocte in terrâ, modicùm quiescens, & somnum ad modicum gustans, quocumque eum vespertinum reperiebat tempus. Diluculò autem properare incipiebat, semper incessabile idem habens propositum: in desiderium habens, vt dicebat, introire in solitudinem, sperans inuenire aliquem patrem in eâ habitantem, qui eum posset aliquid ædificare, sicut desiderabat, & sine cessatione iter agebat, ac si apud aliquem manifestum festinans. Viginti autem dierum exigens iter, cùm sextæ horæ tempus aduenisset, stetit modicum ab itinere: & conuersus ad Orientem, agebat solitam orationem. *Orat certis horis quiescens ab itinere.* Consueuerat enim constituto diei tempore figere itineris cursum, & stans psallere, & genuflexo orare. Dum autem psalleret, & in cælum inspiceret intentis obtutibus, vidit à parte dextrâ, vbi orabat, vmbram quasi humani corporis apparentem: & primò quidem conturbatus est, ac contremuit, phantasiam alicuius spiritus existimans se vidisse, signo autem crucis se muniens, & à se timorem proijciens, (iam enim & orationis eius finis instabat) conuertens oculos, vidit aliquem in veritate properantem ad partem Occidentis. *Signat se ad spectri, vt putabat, occursum.* Mulier autem erat, quod videbatur, corpore nigerrimo, præ solis ardore denigrata, & capillos capitis habens vt lana albos, modicos & ipsos, non ampliùs quàm vsque ad ceruicem descendentes.

CAP. VIII.

Hoc itaque Zosimas videns, & desideratæ dulcedinis gauisus effectus, cœpit festinanter currere in eam partem, vbi & illud quod apparuit, festinabat. Gaudebat enim gaudio magno. Non enim viderat in spatio dierum illorum speciem hominis, aut animalium, vel volucrum, bestiarumque formam. Desiderabat enim cognoscere, quæ vel qualis bestia esset quæ videbatur, sperans quoniam maiorum alicuius efficeretur profectus. Illa autem vt vidit econtrà Zosimam venientem, cœpit fugiens currere apud inferiorem solitudinem. *Mariam fugientem Zosimas insequitur.* Zosimas autem ætatis senectam obliuiscens, & laborem non reputans itineris, tetendit rapidissimo cursu, desiderans conspicere fugientem. Hic enim persequebatur, illa autem progrediebatur. Erat autem cursus Zosimæ velocior, & paulò efficiebatur propinquior. Vbi autem appropiauit, vt iam etiam posset vox audiri, cœpit, has voces emittens, clamare Zosimas cum lacrymis: Cur me fugis decrepitum ac peccatorem, serue Dei? Verè sustine me per Deum, quicumque es, pro cuius nomine hanc inhabitas solitudinem. Sustine me infirmum & indignum. Sustine me pro spe, quam habes pro tanti laboris remuneratione. Sta, & tribue orationem & benedictionem seni per Deum, qui neminem aliquando proiecit. Hæc cum lacrymis Zosimâ postulante, venerunt currentes in quemdam locum, in quo quasi aridus torrens designabatur, in quo fuisse torrentem considerauit: sed locus ille talem conuenit, vt haberet similitudinem, quomodo in terrâ illâ apparebat. Vt venerunt itaque in prædictum locum, illud quod fugiebat, descendit, & iterùm ascendit in partem aliam. Zosimas autem clamans & nusquam progredi valens, stetit in aliam partem torrentis, qui speciem videbatur habere torrentis, & addit

dit lacrymas lacrymis, & suspiria suspirijs ampliauit, vt multò magis ex propinquo stridore luctus audiret.

CAP. IX. Tunc illud corpus quod fugiebat, vocem talem emisit: Abba Zosima, ignosce mihi propter Deum, quoniam manifestare me tibi conuersa non possum. Mulier enim sum, & omni corporeo tegmine nuda, vt ipse vides, & corporis turpitudinem habens intectam. Sed si vis peccatrici mulieri orationem verè tribuere, proijce mihi indumentum quo circumdatus es, vt possim muliebrem infirmitatem operire ad te conuertens, & tuas accipiam orationes. Tunc tremor nimiusque metus & mentis excessus accepit Zosimam. Strenuus enim erat vir ille valdè, & diuinitatis dono prudentissimus, & cognouit quia ex nomine non vocasset eum quem numquam viderat, de quo nec vmquam audierat, nisi manifestissimè prouidentiæ gratiâ fuisset illustrata. Fecit autem cum festinatione quod iussum est, & exuens se pallio quo erat indutus, terga versus proiecit ei. Illa accipiens, inquantum potuit tegens partem corporis, quam oportet plus tegi ceteris, præcinxit se, & conuersa ad Zosimam, ait ei: Quid tibi visum est, abba, peccatricem videre mulierem? Quid quæris à me videre aut discere, quia tantum non pigritasti tolerare laborem? Ille autem in terrâ prostratus, poscebat benedictionem secundùm morem accipere. Prostrauit autem se & ipsa, & vtrique iacebant in terrâ, vnus ex alio benedictionem poscens.

Suo nomine appellat Maria Zosimam, hactenus inuisum.

Mutuò benedictionē petunt.

CAP. X. Post multarum autem horarum spatia dixit mulier ad Zosimam: Abba Zosima, tibi competit benedicere & orare: tu enim presbyterij honore fultus es, & plurimis iam annis sancto assistis altari, & donis diuinitatis Christi secreta rimaris. Hæc verba Zosimam in magnum timorem & certamen magis inducebant, & tremens senex sudoris guttis infundebatur. Dicit autem ei defessus viribus, & quasi halitu iam conclusus: Manifesta iam quidem es ex ipsâ visione, ô spiritualis mater, quoniam tu ad Dominum profecta es, & fortiori parte mortua es. Manifesta autem plus omnium tributa est tibi gratia, vt me vocares ex nomine, quem numquam vidisti. Sed quia gratia non ex dignitate cognoscitur, sed ex animarum actibus significari consueta est, benedic propter Deum, & orationem tribue indulgentiæ tuæ perfectionis. Stabilitati autem senis sancti compassa, dixit: Benedictus Dominus, qui salutem procurat animarum: & Zosimâ respondente, Amen, surrexerunt vtrique de terrâ. & ait mulier seni: Homo, quam ob rem ad me peccatricem venisti? Tamen quoniam quidem te gratia Spiritus sancti direxit, vt aliquod ministerium exhibeas meæ exiguitatis corpori congruum, dic mihi, quomodo hodie Christianissima regitur tribus, quomodo Imperatores, quomodo sanctæ Ecclesiæ pascitur grex? Zosimas autem respondit hoc verbum: Mater, tuis orationibus sanctis pacem stabilem Deus largitus est: sed suscipe indigni monachi consolationem, & per Dominum ora pro omni mundo, & pro me peccatore, vt non huius cursus & itineris labor sine fructu mihi efficiatur tantæ solitudinis viâ. Et illa respondit ad eum: Te quidem oportet, abba Zosima, sacerdotij, vt dixi, habentem honorem, pro omnibus & pro me orare, in hoc enim & vocatus es: sed quia obedientiæ præceptum habemus, quod mihi à te iussum est, bonâ faciam voluntate. Et hæc dicens, ad Orientem conuersa, & eleuatis in excelsum oculis, manibusque extensis, cœpit orare motu tantùm labiorum in silentio, voxque penitùs non audiebatur vt posset intelligi. Vnde & Zosimas nulla potuit verba ex ipsâ oratione agnoscere. Stabat autem, vt dicebat, tremens, terram conspiciens, & nihil vllo modo loquens. Iurabat autem, Deum testem verbi proponens, quoniam vt vidit eam perseuerantem in orationis constantiâ, paululùm eleuatis ab aspectu terræ oculis, vidit eam eleuatam quasi cubitum vnum à terrâ, & in aëre pendentem orare. Hoc autem vt vidit, nimio pauore correptus, prostrauit se in terram, sudore suffusus, & nimiùm perterritus, nihil dicere præsumebat; in seipso autem dicebat: Domine, miserere mei.

Diuinitus dictã nouit Maria Zosimam esse presbyterum.

Adiurata prior benedicit Maria.

Mutuas orationes postulant.

Suspensa in aëre orat Maria.

CAP. XI. In terrâ autem prostratus iacens, scandalizabatur in mente, putans ne spiritus esset, qui se fingeret orare. Conuersa autem mulier, erexit monachum, dicens: Quid te, abba, cogitationes tuæ perturbant scandalizari in me, quia spiritus sum, & fictam orationem facio? Satisfactus esto, homo, peccatricem me esse mulierculam, tamen sacro sum circumdata Baptismate: & non sum spiritus, sed fauilla & cinis & totum caro, & nihil spiritualis phantasiæ aliquando vel ad mentem reducens. Hæc dicens, signo crucis signat frontem suam, oculosque & labia: simulque & pectori vexillum crucis infigens, ita dixit: Deus, abba Zosima, de aduersario & immissionibus eius liberet nos, quoniam multa super nos est inuidia eius. Hæc audiens senex, prosternit se, & apprehendit pedes eius, dicens cum lacrymis: Obsecro te per Dominum Iesum Christum, verum

Corrigit Zosimæ dubitationem.

Signat se signo crucis.

Multa inuidia diaboli aduersum homines.

k Domi-

Dominum nostrum, qui de virgine nasci dignatus est, pro quo hanc induta es nuditatem, pro quo has carnes expendisti, vt nihil abscondas à seruo tuo, quæ es, & vnde, & quando, vel ob quam caussam solitudinem hanc inhabitasti, sed & omnia, quæ circa te sunt, edicito mihi, vt Dei magnalia facias manifesta. Sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrisque? sicut scriptum est. Dic mihi omnia propter Deum: nec enim pro gloriatione aut ostentatione aliquid dicis, sed vt mihi satisfacias peccatori & indigno. Credo enim Deo, cui viuis, cum quo & conuersaris, quoniam ob huiuscemodi rem directus sum in hanc solitudinem, vt ea quæ circa te sunt, Deus faciat manifesta. Non enim nostræ virtutis est, iudicijs resistere Dei. Nisi fuisset acceptabile Christo Domino manifestare te & qualiter decertasti, nec teipsam permiserat videri ab aliquo, nec me confortaret tantam properare viam, nusquam valentem progredi, aut potentem de cellâ meâ procedere.

Eccli. 20.

CAP. XII. Hæc eo dicente, sed & alia plura, eleuans eum mulier, dixit: Verè erubesco, ignosce abba meus, dicere tibi turpitudinem meorum actuum: tamen quia vidisti nudum corpus meum, denudabo tibi & opera meorum actuum, vt cognoscas quàm turpis luxuriæ & opprobrio confusionis repleta est anima mea. Non enim, vt tuipse considerasti, propter aliquam gloriam, quæ circa me sunt, volo narrare. Quid enim potero gloriari, quæ diabolo vas fui electionis effecta? Scio autem, quia si cœpero narrare ea quæ sunt de me, fugies à me, quasi quis fugiat à facie serpentis, auribus non valens audire, ob inexpedibilia quæ sum operata. Dicam autem, nihil negans, sed veriùs referam, supplicans te priùs, vt non deficias orare pro me, vt misericordiam merear & inueniam in die iudicij. Et senex suffusus lacrymis, flebat. Tunc cœpit mulier narrare ea quæ de se erant, ita dicens:

Narranda peccata vt aliorum orationibus iuuemur.

CAP. XIII. Ego, pater, patriam quidem Ægyptum habui: parentibus autem meis viuentibus, duodecimum agens ætatis annum, affectum illorum spernens Alexandriam veni: & quomodo quidem virginitatem meam in primis violauerim, & qualiter indesinenter & insatiabiliter vitio libidinis subiugata iacuerim, erubesco considerare. Hoc enim non breue est dicere: illud autem citiùs dicam, vt possis cognoscere insatiabilem vitij mei ardorem, quem habui in amorem stupri. Decem & septem & eo ampliùs annos transegi publicè in incendio iacens luxuriæ. Non propter alicuius donum virginitatem meam perdidi: neque enim ab aliquibus dare volentibus aliquid accipiebam: hoc enim libidinis furore succensa considerabam, vt ampliùs ad me facerem currere, gratis implens stupri mei & sceleris desiderium. Neque verò consideres, quia pro diuitijs nihil accipiebam; mendicans enim viuebam, aut multoties stuppam filando. Desiderium enim, vt dixi, habebam insatiabile, ita vt indesinenter me in sterquilinio luxuriæ volutarem. Et hoc mihi erat placabile, & hoc vitam existimabam, si indesinenter naturæ iniuriam peregissem. Hoc modo me vitam ducente, vidi in quodam æstus tempore multitudinem Libyorum & Ægyptiorum quasi ad mare concurrentem. Reperi itaque aliquem, & interrogaui: Vbi festinant viri isti, qui currunt? Dixit autem mihi: In Ierosolymam omnes ascendunt ob sanctæ crucis exaltationem, quæ post aliquot dies solitò celebratur. Dixi autem ei & ego: Putas suscipient me, si voluero ire cum ipsis? Et ille dixit: Si habes naulum, nullus te prohibebit. Dixi ei: Verè, frater, naulum vel sumptum non habeo. Vadam autem & adscendam in vnam nauim, quam conduxerunt. & licet renuant, memetipsam tradam: Corpus enim meum in potestate habentes, pro naulo accipient. Propterea autem cum eis volui ambulare, (abba meus ignosce) vt multos haberem cooperatores in meæ libidinis passione.

Maria Zosimæ ante-actam vitam suam exponit.

Exaltatio sanctæ crucis Ierosolymis celebris.

Ierosolymam nauigat libidini dedita.

CAP. XIV. Dixi tibi, mi domine senex, ignosce mihi: ne compellas me meam dicere confusionem. Contremisco enim, nouit Dominus: maculant enim & ipsum aërem isti sermones mei. Zosimas autem terram lacrymis infundens, respondit ad eam: Dic propter Deum, ô mater mea, dic, & ne prætermittas sequentia tam salutiferæ narrationis. Illa autem adiungens priori narrationi, addidit hæc: Ille autem adolescens audiens sermonum meorum " obscuritatem, ridens discessit. Ego autem fusum, quem manu tenebam, proiiciens, (hunc enim post tempus conueniebat me tenere) cucurri ad mare, vbi illos perspexi currentes, & vidi iuuenes aliquot in littore stantes, numero quasi decem, satis corpore vultuque acerrimos, & ad id quod mihi erat placabile, optimos. Erant autem & alij, qui iam naues ascenderant. Impudenter autem, vt mihi consuetudo erat, in medio eorum me irruenter dedi, dicens: Accipite & me vobiscum, quò pergitis: non enim ero vobis implacabilis. Sed & alios sordidiores proferens sermones, omnes ad ridendum commoui. Illi autem inerubescentem motum meum videntes, accipientes

Acta sua in naui patrata recenset.

pientes me, in nauiculam portauerunt. Exinde autem nauigationem cœpimus. Quæ autem post hæc acta sunt, quomodo tibi enarrare potero, ô homo Dei? Quæ lingua dicere potest, vel auris valet audire ea quæ in nauiculâ vel itinere facta sunt? quomodo ad peccandum & volens miseros ego compellebam nolentes. Non est narrabilis, sed inenarrabilis nequissima species, cuius tunc sum infelicibus magistra sceleribus effecta. Ergo nunc satisfactus esto, quia stupesco, quomodo meas mare illud sustinuit iniquitatum luxurias, quomodo terra non aperuit os suum, & in infernum viuentem me demersit, quæ tantas in laqueum mortis induxi animas. Sed, vt arbitror, meam Deus, qui neminem vult perire, sed omnes fieri saluos, requirebat pœnitentiam. Non enim vult mortem peccatoris, sed longanimiter exspectat, sustinens conuersionem. Sic itaque cum magnâ festinatione ascendimus Ierosolymam: & quantos quidem dies ante festiuitatem in ciuitate commorata sum, similibus nequissimis vacaui operibus, magísque peioribus. Non enim sufficiens sui iuuenibus mecum in mari luxuriantibus & in itinere, sed & alios multos peregrinos & ciues in mei scelere actus congregans, coinquinaui seducens.

1. Tim. 2. *Ezech. 18.* *Etiam Ierosolymæ libidinibus incestauit.*

CAP. XV. Quando autem venit sanctæ exaltationis festiuitas pretiosæ crucis, ego quidem, sicut & prius, præibam, iuuenum illaqueans & capiens animas. Vidi autem primo diluculo omnes ad ecclesiam vnanimiter concurrentes. Abij & ego, currens cum currentibus, & veni cum illis in atrium templi: & cùm venisset hora exaltationis diuinæ crucis, impingebam & impingebar, repellebárque quodammodò, festinans ingredi cum populo, coarctor vsque ad ianuam templi cum his qui ingrediebantur, cum magnâ laboris tribulatione appropinquans & ego infelix: quando autem ingredi volebam, illi quidem omnes sine impedimento ingrediebantur: me autem diuina aliqua virtus prohibebat, non indulgens introitum. Mox igitur repulsa, eijciebar foràs: & eiecta, inueniebar sola in atrio stans. Considerans autem per muliebrem infirmitatem hoc mihi accidere, iterùm alijs me immiscendo, vim mihi quodammodò faciebam introëundi, sed enim laborabam in vacuum.

Non admittitur intra templum diuinitùs repulsa.

CAP. XVI. Vt enim limina vestigio contingebam, omnes interiùs recipiebantur, nullum habentes impedimentum, me autem solam non recipiebat: sed quasi militaris multitudo esset taxata vt mihi ingredienti aditum clauderet, ita me repentina aliqua prohibebat virtus, & iterùm inueniebar in atrio. Hoc ter & quater passa & facere conans, nihílque proficiens, desperans de cetero, & ampliùs nusquam progredi valens, (factum quippe fuerat corpus meum à vi comprimentium valdè confractum) recedens discessi, & steti in quodam angulo atrij templi; & vix aliquando, ob quam caussam prohibebar videre viuificum lignum, in cogitationem reduxi. Tetigit enim mentem & cordis mei oculos intellectus salutis, recogitans quia squalida actuum meorum scelera mihi introëundi aditum obserabant. Cœpi itaque flens nimiùm conturbari & pectus tundere, atque suspiria de profundo cordis proferens, & gemens eiulánsque prospexi in loco in quo stabam, sursum imaginem sanctæ Dei genitricis stantem, & aio, ad eam intendens & indeclinanter attendens: Domina virgo, quæ Deum genuisti secundùm carnem, scio quia nec condecens nec opportunum sit, me sic horridam adorare imaginem tuam vel contemplari oculis, tantis sordibus pollutis, quæ esse virgo dinosceris & casta, quæ corpus & animam habes immaculatam: iustum est, me luxuriosam à tuâ purissimâ castitatis munditiâ abominari & proijci. Tamen quoniam, vt audiui, ob hoc effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam; adiuua me solitariam & nullum habentem adiutorium, percipe confessionem meam, & mihi licentiam tribue ecclesiæ patefactum ingredi aditum, & non efficiar aliena à visione pretiosissimi ligni, in quo adfixus Deus homo, quem concipiens ipsa virgo peperisti, & proprium sanguinem dedit pro meâ liberatione. Iube, ô Domina, & mihi indignæ ob diuinæ crucis salutationem ianuam patefieri, & te ex te genito Christo dignissimam do fideiussorem, quia numquam vltrà meam carnem coinquinabo per horrida immixtionum ludibria: sed mox vt filij tui, Virgo sancta, videro lignum, sæculo & actibus eius, & omnibus quæ in eo sunt renuntio, & continuò egredior vbicumque ipsa vt fideiussor me duxeris.

Intelligens se ob scelera ab aspectu sanctæ crucis arceri, compungitur. *Implorat suffragia beatissimæ virginis Mariæ.* *Proponit corrigere vitam.*

CAP. XVII. Hæc dicens, & quasi aliquam satisfactionem recipiens fidei succensa calore, & de pietatis visceribus Dei genitricis præsumens, moui me de eodem loco, in quo stans feci orationem: & veniens, iterùm ingredientibus me miscui, & vltrà non erat qui me repelleret, neque qui me prohiberet appropinquare ianuis, quibus in templum introibant. Accepit ergo me tremor validus

B. Mariæ suffragio liberè templum ingreditur.

& exstasis, & tota ex omnibus tremebunda turbabar. Itaque coniungens me ad ianuam, cuius mihi aditus primò claudebatur (quasi omnis virtus, quæ priùs ingredi me prohibebat, pòst autem viam ingrediendi pararet) ita absque impedimenti labore introiui, & sic intra sancta sanctorum reperta sum, & pretiosi ac viuifici crucis ligni adorare mysterium digna habita sum: & tunc vidi Dei sacramenta, & qualiter est paratus suscipere pœnitentes. *Pauimentum templi osculatur.* Tunc proiiciens me coràm in terram, & sanctum illud exosculans pauimentum, exibam. Currens autem ad illam, quæ me fide-dixit, veni restans. Coniunxi igitur me in illum locum, vbi fide-dictionis conscriptum erat chirographum, & genu curuans coram vultu sanctæ Virginis Dei genitricis his imprecata sum verbis: *Gratias agit Dei matri.* Tu quidem semper, ô benignissima Domina, tuam ostendisti pietatis misericordiam: tu non indignam supplicationem proiecisti: vidi gloriam, quam peccatores meritò non videmus: gloriam omnipotentis Dei, qui per te suscipit peccatorum pœnitentiam. Quid ampliùs peccatrix & misera valeo recordari aut enarrare? Tempus est iam implere quæ fide-dixi, fide dilectionis tuæ placitâ. Nunc vbi tibi complacet, dirige me. Esto mihi salutis ducatrix, & veritatis magistra, præcedens me in viam quæ ducit ad pœnitentiam. *Voce missa cælitus docetur quid facere debeat.* Et hæc dicens, audiui vocem alicuius à longè clamantis: Iordanem si transieris, bonam inuenies requiem. Ego autem hanc vocem audiens, & pro me factam credens, lacrymans exclamaui, & ad Dei genitricis imaginem prospiciens vociferaui: Domina, Domina, Regina totius orbis, per quam humano generi salus aduenit, noli me derelinquere. Et hæc dicens, de atrio templi sum egressa, & festinanter ambulabam. *Tres nummos ad annonam comparandam diuinitus accipit.* Exeunte autem me, vidit me quis, & dedit mihi tres nummos, dicens: Accipe hæc, " nonna: ego autem accipiens, tres ex eis panes comparaui, & hos accepi benedictioni mei itineris congruos. Interrogaui eum qui panes vendebat, Vnde & qualis via esse noscitur, homo, quæ ducit ad Iordanem? Et cognoscens portam ciuitatis, quæ in illa latera pergit, currens iter agebam plorans.

C.XVIII. Interrogationi autem interrogationem annectens, reliquum diei consumpsi iter properans: erat autem hora diei tertia, quando pretiosam & sanctam crucem videre merui. *Ecclesiam sancti Ioannis Baptistæ iuxta Iordanem ingreditur.* Et sole iam ad occasum declinante, ecclesiam beati Ioannis Baptistæ positam iuxta Iordanem conspexi, & in eodem templo ingressa adorans continuò in Iordanem descendi, & ex illâ sanctâ aquâ manus & faciem laui. Communicaui autem viuifica & intemerata Christi Domini Sacramenta, in eadem sanctâ præcursoris & Baptistæ Ioannis Basilicâ, & tunc vnius panis medietatem comedi, & ex aquâ Iordanis bibi, in terrâ nocte quiescens. Lucescente in crastino in partem aliam transiui, & iterùm petij ductricem meam vt me dirigeret, vbi ei placitum esset. Deueni autem in hanc solitudinem, & ex tunc vsque hodie elongaui fugiens, exspectans Deum meum, qui saluos facit pusillos & magnos, qui conuertuntur ad eum. *Psal. 54.* Zôsimas dixit ad eam: Quot anni sunt, ô domina, ex quo hanc inhabitas solitudinem? Respondit mulier: Quadraginta septem anni sunt, vt considero, ex quo de sanctâ ciuitate egressa sum. *Annis 47. in solitudine agit.* Dixit autem Zosimas: Et quid inuenire ad esum potuisti, ô mi, aut inuenis, Domina. Respondit mulier: Duos semis quidem panes Iordanem transmeaui deportans; & qui post modicum arefacti quasi lapides obduruerunt, & modicum quid vsque ad aliquos annos comedens transegi. Dixit autem Zosimas: Et sic absque dolore transisti tanti temporis longitudinem? nihil repentinæ immutationis & conturbationis sensisti calorem? *Annis 17. tribus panibus vixitat.* Illa dixit: Rem nunc me interrogas, quam dicens valdè contremisco; si ad commemorationem venero tantorum quæ sustinui periculorum, & cogitationum quæ iniquè perturbauerunt me; timeo enim ne ab eisdem aliquam patiar tribulationem. Dixit Zosimas: Nihil relinquas, ô domina, quæ non indices. Semel enim in hoc te manifestam cognouimus ordine, omnia te indiminutè oportet nos edocere.

CAP. XIX. Illa autem dixit ei: Crede, abba, decem & septem annis feris immansuetis & irrationalibus eluctans desiderijs, dum cibum initiabam, desiderio mihi erant carnes; concupiebam pisces quos Ægyptus habebat; desiderabam etiam vinum delectabile mihi; multùm enim delectabar in vino, & superabundantiùs vsque ad ebrietatem bibebam, & nunc mihi erat valdè in desiderio, eò quòd multùm vterer, dum essem in sæculo. *Conflictatur memoriâ præteriti luxus.* Hîc autem aquam omnino non habens, vehementissimè vrebar, & sustinebam necessitatis periculum. Fiebat mihi & de luxuriosis canticis nimium desiderium, perturbans & reducens ad memoriam dæmoniorum cantica decantare, quæ in sæculo didiceram. Mox autem lacrymans, & pectus meum percutiens, meipsam ad memoriam reducebam de conuenienti fidedictionis quam feceram, egrediens contra hanc solitudinem. Veniebam autem per cogni-

cognitionem ante imaginem sanctæ Dei genitricis, quæ me & in fide suâ suscepit, & ante illam plorabam, vt effugaret à me cogitationes, quæ miserrimam meam animam affligebant. Quando autem superfluè dolentérque lacrymabar, & viriliter pectus meum tundebam, tunc videbam lumen vndique circumfulgens me, & serenitas mihi quædam stabilis mox fiebat. Cogitationes autem quæ ad fornicationem iterùm compellebant me, quomodo tibi enarrare possum? Abba ignosce. Ignis intus infelix corpus meum nimis succendebat, & totam me per omnia exurebat, & ad desiderium commixtionis pertrahebat. Dum ergo mihi talis ascenderet cogitatio, prosternebam meipsam in terram, & lacrymis terram infundens, ipsam mihi veraciter astare sperans, quæ me fide-dixerat, minanti me compellatione exaggerare furentem, quasi præuaricanti, & pœnas præuaricationis mihi imminentes irâ mucronis contra me agentem. Non enim antè surgebam de terrâ, nisi priùs illa dulcissima lux illuminaret me solitò, & cogitationes me perturbantes effugaret. Semper itaque cordis mei oculos ad illam fideiussorem meam sine cessatione erigebam, deprecans eam auxiliari mihi in hac solitudine & pœnitentiâ. Habui ergo adiutricem & coadiutricem ipsam, quæ genuit castitatis auctorem, & sic decem & septem annorum curriculis cum multis, vt dixi, vsque hodie periculis eluctata sum. A tunc ergo adiutorium meum Dei genitrix astitit mihi, per omnia in omnibus me dirigens. Dixit autem Zosimas: Non habuisti cibum aut vestimentum? Et illa dixit: Panes quidem illos, sicut iam dixi, decem & septem expendens annis, deinde nutriebar herbis quæ inueniebantur per solitudinem. Indumentum autem quod habui, transmeato Iordane nimiâ vetustate scissum & consumptum est. Multam ergo glaciali frigore & æstus ardore necessitatem sustinui, concremata æstus incendio, & nimio frigoris tempore gelu rigescens & tremens, multoties in terram cadens absque spiritu iacebam immobilis, multis & diuersis necessitatibus & tentationibus immensis eluctans, per omnia vsque in hanc diem virtus Dei multis modis miseram animam meam & corpus meum custodiuit. Recordans enim de qualibus malis liberauit me Dominus, esca nutrior inconsummabili, & satietatis possideo epulas spem salutis meæ. Nutrior autem & cooperior tegmine verbi Dei, qui continet omnia. Non enim in solo pane viuit homo, & non habentes operimentum petræ circumdati sunt tegmine hi, qui se peccati expoliauerunt tunicâ.

Resipiscit memoriâ originis suæ conuersionis.

Promptum B. Mariæ subsidium.

Herbis nutritur.

Æstu algoréque cruciata.

Deut. 8. Matth. 3. Iob 24. iuxta 70.

CAP. XX.

Audiens autem Zosimas, quoniam Scripturarum testimonia proferebat ex libris Moysi videlicet & beati Iob siue Psalmorum, dixit ad eam: Psalmos, ô mater, didicisti, vel alios libros sacræ Scripturæ legisti? Illa autem hoc audiens, subridens dixit ad eum: Crede mihi, non vidi hominem ex quo Iordanem transiui, nisi te hodie: sed neque feram aut aliud animal qualecumque, ex quo in hanc deueni solitudinem. Litteras autem numquam alicubi didici, sed neque psallentem aut legentem aliquem auscultaui. Sermo autem Dei viuus & efficax intellectum intrinsecùs docet humanum. Huc vsque finis eorum quæ mea sunt. Nunc autem obsecrans quæso te per incarnationem Verbi Dei vt ores pro me luxuriosâ. Et cùm hæc dixisset, cucurrit senex & genu flexo se in terram prosternere, vociferans & dicens: Benedictus Dominus Deus qui facit mirabilia magna solus, gloriosa & vehementer stupenda quibus non est numerus. Benedictus es Domine Deus qui ostendisti mihi quanta largiris timentibus te. Verè enim non derelinquis quærentes te, Domine. Illa autem apprehendens senem, non permisit in terram perfectè prosterni, sed dixit ei: Hæc quæ audisti, homo, obtestor te per Dominum Saluatorem nostrum Iesum Christum, nemini dixeris, quoadusque Deus de vinculo carnis absoluat me. His omnibus acceptis in pace, & iterùm hoc eodem tempore adueniente anno apparebo tibi, & videbis me, Dei nos gubernante gratiâ. Fac autem propter Dominum, quod nunc tibi iniungo, vt sacris ieiunijs recurrentibus anni venturi non transeas Iordanem, vt consuetudinem habetis in monasterio. Stupebat autem Zosimas, audiens quoniam & canonem monasterij inscia quasi quæ nosset dicebat; nihilque aliud clamabat nisi gloriam Dei, qui maiora quàm petitur diligentibus se largitur. Illa autem dixit: Sustine vt dixi, abba, in monasterio: neque etsi exire volueris quóquam, valebis. Vespere autem sacratissimo Dominicæ cœnæ, diuini corporis & viuifici sanguinis portionem in vase sacro dignoque tanti mysterij affer, & sustine me in parte Iordanis, quæ coniungitur sæculo, & veniens viuifica accipiam dona. Ex quo enim in ecclesiâ beatissimi Præcursoris, priusquam transirem Iordanem, communicaui, deinceps vsque nunc numquam communicaui, numquã vsque nunc sanctificationis huius vsa sum portione; & ideò deprecor, meam ne spernas petitionem,

Nec hominem nec animal vidit annis 47.

Heb. 4.

Iob 9.

Psal. 9.

Vitæ & superstes vult celari.

Petit sibi viuifica Sacramēta honorificè adferri.

nem, sed per omnia ipsa viuifica atque diuina mysteria affer in eâ horâ, quâ Dominus discipulos diuinæ cœnæ participes fecit. Ioanni autem abbati monasterij, in quo habitas, edicito: Attende tibi ipsi & gregi tuo: aliqua enim fiunt ibi emendatione indigentia. Sed nolo te hæc nunc ei dicere, sed quando tibi præceperit Deus. Hæc dicens, orationem à sene postulando, in interiorem solitudinem velociùs festinauit.

Nouit monasterij secreta.

CAP. XXI. Zosimas autem prosternens se, osculabatur terræ locum, in quo eius vestigia steterant, dans gloriam Deo: immensasque gratias agens, reuersus est, laudans & benedicens Dominum Deum nostrum Iesum Christum. Iterum autem remeans eiusdem solitudinis iter, quo venerat, coniunxit in monasterio eo tempore, quo consueuerant ij qui in eodem morabantur. Et totum quidem annum illum tacuit, minimè audens quidpiam dicere ex his quæ viderat: in seipso autem deprecabatur Deum, vt iterum ei ostenderet desiderabilem vultum. Suspirabat autem, annui cursus considerans tarditatem. Quando autem aduenit sacra ieiuniorum initiata prima Dominica, mox post solitam orationem alij quidem psallentes exierunt: ipse autem modicâ febris infirmitate detentus, mansit intus in monasterio. Recordatus est autem Zosimas sibi prædictum sanctæ illius, Quia neque volens exire valebis. Aliquantis autem elapsis diebus, ab infirmitate subleuatus, in monasterio conuersabatur. Quando reuersi sunt monachi sacratæ cœnæ vespere, fecit quod ei iussum est: & mittens in modico calice intemerati corporis portionem & pretiosi sanguinis Domini nostri Iesu Christi, posuit in canistro carycas paucas & palmarum fructus, id est dactylos, & parum lenticulæ infusæ in aquis: & venit tardè, & ad ripam Iordanis sedebat, aduentum sanctæ præstolans. Beatissimâ autem illâ tardante muliere, Zosimas non dormitauit, sed sollicitè attendebat solitudinem, sustinens quod videre desiderabat. Dicebat autem in semetipso: Numquid veniens, dum me non inuenit, reuersa est? Hæc dicens, flebat: & eleuans in cælum oculos, suppliciter Deum deprecabatur, dicens: Non me alienes, Domine, iterùm videre, quam me videre tribuisti. Non vadam vacuus, peccata mea portans in increpatione.

Zosimas redit ad monasterium.

Aegrotus remanet in monasterio.

Assumptâ Eucharistiâ ad Mariam properat.

CAP. XXII. Hæc orans cum lacrymis, alia in eum cogitatio incidit. Quid itaque si venerit, faciet? quomodo transiet Iordanem, quia nauicula non est? qualiter ad me indignum perueniet? Heu me infelicem! heu quis me tam iustæ speciei alienauit? Hæc sene cogitante, ecce sancta illa aduenit, & in parte aliâ fluminis stetit, vnde venerat. Zosimas autem videns eam, surrexit gaudens, & exultans nimis glorificabat Deum. Lucta autem certaminis in eius fluctuabat cogitationis intentione, quia non potest Iordanis transire fluenta. Et respiciens senex, vidit eam vexillo crucis aquas Iordanis signantem. Totius enim tunc noctis tenebras splendor illuminabat lunæ, quia tempus recursus illius erat. Statim autem vt signum crucis impressit, ascendit super aquas: & ambulans super liquidum æquoris fluctum, veniebat quasi per solidum iter. Zosimas autem stupens, & genua flectere nitens, clamans desuper aquas prohibuit, dicens: Quid facis abba, quia & sacerdos Dei es, & diuina portas mysteria? Qui statim obediuit dicenti. Illa autem descendens de aquis, dixit seni: Benedic pater, benedic. Ille autem cum magnâ festinatione respondit, (stupor enim nimius inuaserat eum in tam glorioso miraculo) & dixit: Vere non mentitur Deus, qui pollicitus est sibi similes esse eos qui semetipsos purificant. Gloria tibi Christe Deus noster, qui ostendisti mihi per ancillam tuam hanc, quantum meâ consideratione inferior sum mensurâ veræ perfectionis. Hæc eo dicente, postulauit mulier vt sanctum diceret Symbolum, & sic Dominicam inchoaret orationem. Et expleto Pater noster, sancta, sicut mos est, pacis osculum obtulit seniori: & sic viuifica mysteriorum suscipiens dona, in cælum extensis manibus ingemiscens cum lacrymis, ita clamabat: Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Et seni dixit: Ignosce, abba, & aliud meæ petitionis imple mandatum. Vade nunc ad monasterium, Dei pace gubernatus: recursu autem anni aduenientis iterùm veni in illo torrente, in quo tecum sum priùs locuta. Per omnia non omittas, sed propter Deum veni: & videbis me iterùm, qualiter Deus voluerit. Ille autem respondit ad eam: Vtinam esset possibile nunc tua sequi vestigia, & tui pretiosissimi vultus visione frui! Oro mater, vt vnam senis petitiunculam facias, & modicum cibi ex eo quod huc attuli, digneris accipere. Et hæc dicens, ostendit ei quod secum detulerat canistrum. Illa autem extremis digitis lenticulam contigit, & tria tollens grana proprio intulit ori, sufficere dicens gratiam Spiritus, vt custodiret animæ substantiam immaculatam. Tunc dicit seni: Ora pro me propter Deum, & meæ memor esto semper infelicitatis. Ille pedes eius sanctos contingens, cum

Iterù videt Mariam ad Iordanem venientem.

Edito signo sanctæ crucis ambulat Maria super aquas.

Sub obitum sumit sacrosanctam Eucharistiam.

Luc. 2.

Modicum lenticulæ degustat.

cum lacrymis deprecabatur, vt oraret pro Ecclesiâ, & pro Imperio, & pro se, & sic dimisit eam abire flens & eiulans. Non enim audebat eam multùm detinere, quæ nec, si vellet, poterat detineri.

C. XXIII. *Crucis edito signo, ambulat super aquas.* Illa autem crucis iterùm impressione Iordanem signans, ascendit ambulans super liquidum elementum, & transiuit sicut antè veniens fecerat. Senex autem reuersus est gaudio & tremore repletus. Et semetipsum reprehendebat, pœnitens, quia nomen sanctæ vt cognosceret, non inquisiuit: sperabat tamen aduenienti hoc consequi anno.

CAP. XXIV *Tertiò pergit ad Mariam Zosimas.* Transacto autem eodem anni cursu, venit iterùm in vastam deserti solitudinem, expletis omnibus secundùm consuetudinem, festinabat ad gloriosam illam visionem intuendam. Perambulans autem solitudinem, & non inueniens aliqua cupiti loci indicantia signa, dextrâ læuâque adspiciens, intuitum oculorum deducens, & lustrans vbique sicut citissimus venator, sicubi suauissimam comprehenderet feram. Vt autem nihil vllo modo vidit quoquam mouentem, cœpit seipsum lugens infundere lacrymis. Tunc eleuans oculos, orabat dicens: Obsecro mihi ostende, Domine, in corpore Angelum, cui totus comparari indignus est mundus.

CAP. XXV. *Zosimas inuenit eius corpus exanime.* Hæc orando, peruenit ad locum, qui in similitudine fuerat designatus torrentis, & in extremâ eius parte superiore vidit splendentem solem: & adspiciens, vidit sanctæ mortuum iacens corpus, & manus, vt oportet, sic compositas, & ad Orientem iacens corpus aspiciens. Currens autem, lacrymis lauit beatissimæ pedes, non enim aliud corporis membrum audebat contingere. Lacrymans autem aliquamdiu, & psalmos dicens tempore & rei congruentes, fecit sepulturæ orationem, & dicebat sibiipsi: Forsitan non complacet sanctæ hæc fieri. Hæc eo cogitante, designata scriptura erat in terrâ, vbi « hoc legebatur: Sepeli, abba Zosima, mise- « ræ Mariæ corpusculum. [13] Redde terræ, « quod suum est, & pulueri adijce puluerem. « Ora tantùm pro me propter Dominum « transeunte mense [14] Parmothi secundùm « Ægyptios; qui est secundùm Romanos « Aprilis die nonâ, id est, v. Idus Aprilis saluti- « feræ passionis, post diuinæ & sacræ cœnæ « communionem.

C. XXVI. Has senex cùm legisset litteras, cogitabat quidem priùs, quisnam esset qui scripsit: illa enim, vt dixerat, litteras ignorabat. In hoc tamen valdè exultans gaudebat, quia eius sanctum didicit nomen. Cogitauit verò, quia mox vt diuina in Iordane mysteria participauit, in eadem horâ in locum illum venit, vbi mox de hoc mundo transiuit, & idem iter, quod Zosimas per dies viginti ambulans vix consummauit laborans, vnius horæ cursu Maria consumpsit, & statim migrauit ad Dominum. Glorificans autem Zosimas Dominum, & lacrymis corpus eius infundens, Tempus est, inquit, miser Zosima; quod tuum est, perfice. Sed quid faciam infelix, quia vnde fodere valeam, non habeo? Deest sarculum, non est rastrum, nihilque ex omnibus habeo præ manibus. Hæc illo in corde suo dicente, vidit paruum lignum & modicum iacere: quod assumens, cœpit fodere. Valdè autem durior erat terra, & multùm fortissima, & nequaquam valebat fodere: quia, & ieiunio confectus, & longi itineris fatigatione nimis erat defectus. Laborabat enim, & suspirijs nimijs vrgebatur, & sudoribus madefactus, ingemuit grauiter ex ipso cordis sui profundo. Et respiciens, vidit ingentis formæ leonem iuxta corpus sanctæ stantem, & eius plantas lambentem. Videns autem, contremuit præ pauore grandissimæ feræ illius, præcipuè quia audierat sanctam feminam illam dicentem, quia numquam aliquam feram viderat. Signo autem se crucis confirmauit vndique, credens quia illæsum custodire valet eum virtus iacentis. Leo autem cœpit innuere seni, blandis eum nutibus salutans. Zosimas autem dixit leoni: Quoniam à Deo missus venisti, [a] maxime ferarum, vt huius Dei famulæ corpus terræ commendetur, exple opus officij, vt possit sepeliri eius corpusculum. Ego enim senectute confectùs non valeo fodere, sed nec congruum quid habeo ad hoc opus exercendum: & iterùm tanti itineris longitudine properare non valeo vt adferam. Tu diuino iussu hoc opus cum vngulis facito, vt commendemus terræ hoc sanctum corpusculum. *Signo crucis vndique se munit Zosimas.*

C. XXVII. *Leo suis vnguibus parat sepulcrum.* Continuò autem, iuxta senis sermonem, leo cum brachijs fecit ipse foueâ, quanta ad sepeliendum sanctæ corpusculum sufficere posset. Senex verò lacrymis pedes sanctæ abluens, & multipliciter effusâ prece exorans pro omnibus eam tunc & ampliùs pro se exorare, operuit terrâ corpusculum nudum, astante leone, sicut eam priùs repererat, & nihil aliud habens, nisi illud scissum vestimentum, quod ei iam antè proiecerat Zosimas, ex quo Maria quædâ sui corporis texit membra. Deinde recedunt pariter: & leo quidem in interiora solitudinis quasi ouis mansueta abscessit; Zosimas autem reuersus est, benedicens & laudans Deum, & hymnum laudis decantans Christo Domino

no nostro. Veniens autem in cœnobio, omnia eis ab initio retulit, & nihil abscondit ex omnibus quæ vidit & audiuit, vt omnes audientes magnalia Dei, nimio stupore admirarentur, & cum timore & amore magnâ fide celebrarent beatissimæ sanctæ transitus diem. Ioannes autem abbas inuenit quosdam indigentes emendari, iuxta sanctæ illius sermonem, & hos miserante Domino Deo conuertit. Zosimas autem in eodem degens monasterio, impleuit annos centum, & tunc migrauit ad Dominum in pace, gratia Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre gloria & honor & imperium vnà cum sancto viuificatore & adorando Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. *Zosimas centenarius moritur.*

NOTATIO.

1 MARIÆ.] *Martyrologium Romanum* II. *Aprilis:* In Palæstinâ depositio S. Mariæ Ægyptiacæ, quæ Peccatrix appellatur. *Menologium Græcorum* I. *Aprilis:* Sanctæ matris nostræ Mariæ Ægyptiacæ, quæ cùm decem & septem annos lasciuam & turpem vitam duxisset, conuersa in meliorem statum, talis euasit, vt miraculis etiam multis virtutem suam comprobauerit; siquidem quadraginta septem annis ita vixit, vt neminem nisi ipsum Deum spectatorem habuerit.

Claruit Maria Ægyptiaca temporibus Iustini senioris imperatoris, circa annum Domini DXX. *vixit iisdem fere temporibus alia item ex meretrice pœnitens Maria dicta, Tarsensis patriâ, quæ in monasterio apud Ægas posito exercuit vitam monasticam. De quâ mentio habetur in Prato spirituali cap.* XXI.

2. SOPHRONIO.] *Sophronium huius Vitæ auctorem esse testatur Nicephorus libro* VII. *cap.* V. *Citatur eadem Sophronio auctore in Nicænâ Synodo* II. *Act.* IV. *& à S. Ioanne Damasceno in Oratione* III. *de imaginibus. Meminit eiusdem Triodium, vbi agit in quintâ feriâ quintæ hebdomadis Quadragesimalis de Andreâ Cretensi Archiepiscopo, auctore magni Canonis:* Ἐποίησε δὲ τοῦτον, ὅτε καὶ ὁ πατριάρχης Ἱεροσολύμων ὁ μέγας Σωφρόνιος τὸν τῆς Αἰγυπτίας Μαρίας βίον συνεγράψατο. κατάνυξιν γὰρ καὶ οὗτος ὁ βίος περιβέβληται ἄπειρον, καὶ πολλὴν τοῖς ἐκπεσοῦσι καὶ ἁμαρτάνουσι παραμυθίαν δίδωσιν, εἰ μόνον τῶν φαύλων ἀποστῆναι βούλοιντο: Fecit autem hunc canonem eo tempore, quo magnus Sophronius patriarcha Ierosolymitanus Vitam Mariæ Aegyptiacæ litteris mandauit. quæ & ipsa compunctionis plenissima est, lapsisque & peccatoribus multum consolationis offert, si modò à prauis operibus desistere velint.

Huius Sophronij anniuersaria memoria agitur à Latinis XI. *Martij. Martyrologium Romanum:* Ierosolymis S. Sophronij episcopi. *Menologium Græcum eadem die:* Sancti patris nostri Sophronij patriarchæ Ierosolymitani, ex ciuitate Damasco, multiplici eruditione, diuinarum litterarum sententiâ & pietate insignis. *De cuius episcopatus initio vide Baronium anno* DCXXXIII. *deque eiusdem obitu anno* DCXXXVI. *De Sophronio quoque agit Histor. Miscell. lib.* XVIII. *an.* XX. *Heraclij Imp. & lib.* XIX. *anno* XXVI. *eiusdem. Cedrenus anno* XX. *eiusdem Imp. & Zonaras in* III. *parte Annal. in Heraclio.*

3. PAVLO.] *Sigebertus Catalogo illustr. Ecclesiæ Scriptorum cap.* LXIX. Paulus diaconus Neapolitanæ ecclesiæ transtulit de Græco in Latinum Vitam S. Mariæ Aegyptiacæ.

Eadem carmine expressit Hildebertus episcopus Cenomanensis, vt refert Henricus à Gandauo Catalogo illustr. Scriptorum cap. VIII. Hildebertus ex Cenomanensi episcopo Archiepiscopus Turonensis, qui claruit tam prosâ quàm metro, scripsit eleganti metro Vitam Mariæ Aegyptiacæ. *cuius exemplar manuscr. penes me est.*

4. VICEDOMINI.] *Intelligit Theophilũ, cuius festum occurrit die* IV. *Februarij. Cuius historiam habes apud Surium tomo* I. *sed alio interprete. Vide Onomasticon.* PRAEF. INTERP.

5. CONSTITVTIS.] *Quæ hæc constituta sint, mihi non liquet.*

6. ZOZIMAS.] *Alijs* Sosimus. *Martyrologium Rom.* IV. *Apr.* In Palæstinâ S. Zosimi anachoretæ, qui funus S. Mariæ Aegyptiacæ curauit. CAP. I.

7. PSALLENTIA.] *Ita nunc loquebantur. Sæpè occurrit* psallentium *apud Gregorium Turonensem. Vide Onomasticon.* CAP. IV.

8. REGIA.] *Ita manuscr. Aliæ editiones:* ianua. *Intelligit primam monasterij ianuam, quæ* Regia *dicebatur. Vide Onomasticon.* CAP. V.

9. ANNONABAT.] *Ita manuscr. Surius:* annonam ferebat. *Alia versio:* vitæ necessaria ferebat. CAP. VI.

10. CORPORI AD MENSVRAM SVFFICIENS.] *Surius:* Aquam corpori ad mensuram sufficiens. *Alia versio:* Paruum panem ad fragilitatem corporis sustentandam. *vt suspicer in textu nostro omissum* paximatium, *quod alia versio interpretatur* paruum panem.

11. OBSCVRITATEM.] *Ita tres manusc. Surius & aliæ editiones,* scurrilitatem. *Sed Paulus* obscuritatem *seu* obscurritatem *à scurrâ formauerit.* CAP. XIV.

12. NONNA.] *Ita MSS. Vetus editio,* numos. *Surius,* mater. *Vide Onomasticon.* CAP. XVII.

13. REDDE TERRÆ.] *Similis sententia in Vita S. Pauli primi eremitæ.* CAP. XXV.

14. PARMOTHI.] *Ita manusc. In Surio est* Parmathi. *& in margine* Parmenuthi. *Vetus editio:* Parmenothi. Pharmuthi *est octauus mensis Ægyptiorum. Vide in Onomastico* Tabulam Mensium.

VITA SANCTÆ [1] MARINÆ VIRGINIS

12. Feb.

AVCTORE INCERTO.

Cap. I. Pater sollicitus de salute filiæ Marinæ.

ERAT quidam sæcularis habens vnicam filiam paruulam. Ipse conuerti cupiens, commendauit eam cuidã parenti suo, & abijt ad monasterium, quod longè erat de ciuitate milliaria trigintaduo. Et ingressus perficiebat omne opus quod erat monasterij, ita vt abbas eius amplius eum quàm ceteros qui in monasterio erant, diligeret, eò quòd fidelis esset & obediens. Contigit autem post aliquod tempus, vt recordaretur charitatis filiæ suæ, & cœpit contristari atque affligi intra se. Et cùm per multos dies hoc faceret, vidit eum abbas eius tribulantem, & dixit ei: Quid habes frater, quia sic tristis ambulas? dic mihi, & Deus qui consolatur omnes, dabit tibi auxilium. Tunc ille procidens, cum lacrymis ad pedes eius dixit: Habeo vnum filium in ciuitate quem reliqui paruulum, & recordatus, affligor propter eum. Et noluit indicare ei quòd puella esset. Abbas verò eius ignorans quod esset, & nolens eum amittere, quia necessarius erat monasterio, dicit ei: Si diligis eum, vade, & adduc eum huc, & sit tecum. Et abiens adduxit eam, dicebaturque Marina. Et mutauit ei nomen, & vocauit eam Marinum. Et dedit eam ad discendas litteras intra monasterium, & erat cum ea: nullusque agnouit de fratribus quòd puella esset, sed vocabant eam omnes Marinum. Et dum esset annorum quatuordecim, cœpit eam docere pater suus viam Domini, & dicebat ei: Vide filia vt nullus cognoscat mysterium tuum vsque in finem tuum, & sollicita sis ab insidijs diaboli, ne seducaris ab eo, & istud sanctum monasterium videatur per nos solui, vt in conspectu Christi cum sanctis Angelis eius coronam, & non cum impijs æternam damnationem accipiamus. Et alia multa docebat eam per singulos dies de regno Dei.

Vt in monasterium virorum recipiatur, habitum eius mutat, & Marinum vocat.

Pater filiã instruit.

Cap. II.

Dum autem facta esset annorum decem & septem, defunctus est pater eius. Remansit verò hæc sola in cellâ patris sui, & ipsa obseruauit se in omnibus doctrinis patris sui, & erat obediens omnibus in monasterio, ita vt ab abbate suo, & ab omnibus diligeretur. Habebat autem monasterium par boum & carrum, quia vicinum habebat mare, vbi erat emporium ad millia tria; & ibant monachi, & afferebant quæ necessaria erant monasterio. Vna verò die dicit abbas eius: Frater Marine, quare & tu non vadis cum fratribus & adiuuas eos? Quæ respondit: Iussisti pater? Erat autem in ipso emporio [2] pandochium. Cœpit ergo frater Marinus frequenter pergere cum carro, & si faciebat tardè ad reuertendum, manebat in ipso pandochio cum ceteris monachis.

Pater Marini moritur.

Cap. III.

Contigit autem per insidias inimici, vt pandox ille haberet filiam virginem. Ad quam ingressus miles aliquis, concubuit cum eâ, & concepit puella de illo milite. Et dum cognitum fuisset à parentibus eius, cœperunt affligere puellam, dicentes: Dic nobis de quo concepisti? Respondit eis: De illo monacho, qui dicitur frater Marinus, qui hîc frequenter cum carro mansit, ipse me oppressit, & concepi. Statim autem perrexerunt parentes eius ad monasterium, & dicunt abbati: Ecce, domine abba, quid fecit monachus tuus Marinus? quo modo decepit filiam nostram? Dicit eis abbas: Sinite, videamus si manifesta sunt quæ dicitis. Et veniente eo, dicit ei abbas eius: Frater Marine, tu hoc scelus operatus es in filiâ eorum? Stans diutiùs cogitauit, intra se ingemiscens dixit: Peccaui pater, pœnitentiam ago huic peccato, ora pro me. Ad iracundiam autem commotus abbas, iussit eam contundi & affligi. Et ait: In veritate dico, quia tu qui hoc malum operatus es, non manebis in hoc monasterio. Et iactauit eam forâs. Ipsa verò numquam vlli confessa est mysterium suum, sed abiens iactauit se ante fores monasterij, & iacebat super terram in pœnitentiâ, affligens se tamquam ipsa

Marinus fornicationis accusatur.

Peccatum quod non admisit, agnoscit quasi à se admissum.

Eijcitur ex monasterio, & ad portã pœnitet.

ipsa peccasset, & ab ingredientibus fratribus postulabat, vt vel vna buccella panis ei daretur. Hoc faciens per tres annos, non recessit de monasterio. Pandochis verò filia peperit filium masculum, & ablactauit, & adduxit eum mater puellæ secum, & iactauit eum ibi ante monasterium, & dicit ei: Ecce frater Marine, quomodo nosti nutrica filium tuum. Et reliquit eum ibi, & abijt. Sancta virgo suscipiens, tamquam proprium filium, de ipsâ buccellâ panis, quam accipiebat ab introëuntibus in monasterium, nutricabat filium alienum. Factum est h[...]per alios duos annos.

CAP. IV.

Postmodum autem videntes fratres, misericordiâ compuncti, ingressi ad abbatem rogare cœperunt vt eum reciperet in monasterium, dicentes: Abba, indulge & suscipe fratrem Marinum. Ecce quinque anni sunt, quòd in pœnitentia ante ianuam monasterij iacet, & non recessit vnquam hinc. Suscipe eum in pœnitentiam, sicut Dominus noster Iesus Christus præcepit. Vix autem coëgerunt eum, & iussit eum ingredi, & vocauit eum ad se, & ait: Pater tuus fuit vir sanctus, quod tu nosti, & paruulum introduxit te in hoc sanctum monasterium, & non est operatus quidquam mali, quod tu cogitasti, & fecisti: nec aliquis in hoc sancto monasterio. Nunc autem ingressus es cum filio tuo, quem de adulterio habes, vnde oportet te pœnitere. Graue enim peccatum fecisti. Et hoc tibi iubeo, vt omnes mundicias monasterij tu solus quotidie facias, & aquam ad necessaria purganda portes, & calcearium omnibus per singulos dies tu perficias, omnibusque seruias: in hoc enim habebis meam gratiam. Sancta verò libenti animo suscipiens, omne opus quod ei iussum perficiebat.

Admittitur rursum in monasterio.

Vilissima obit ministeria.

CAP. V.

Contigit autem eam intra paucos dies dormire in Domino. Euntes verò fratres, nuntiauerunt abbati dicentes: Frater Marinus defunctus est. Dicit eis abbas: Videte fratres, quale peccatum fuit, vt nec meruerit pœnitentiam. Sed tamen ite, lauate eum, & sepelite longè à monasterio. Et euntes dum lauant eum, cognouerunt eum quia femina esset. Et cœperunt omnes emittere voces, & tundentes se, clamabant, Quia talis conuersatio & patientia sancta inuenta est in eâ, cuius mysterium nullus agnouit, & sic ab eis afflicta fuisset. Et venientes cum lacrymis, dicunt abbati: Abba, veni & vide fratrem Marinum. Dicit eis: Quid est hoc? Fratres dicunt iterùm: Veni & vide mirabilia Dei, & vide quid de te agas. Ille territus perrexit, & venit ad corpus. Et leuans pallium, vnde coopertum erat, vidit quia mulier esset: & mox cecidit, & caput suum percutiebat in terram, & vociferabatur dicens: Coniuro te per Iesum Christum Dominum, ne me condemnes ante conspectum Dei eò quòd afflixerim te, quia ignorans feci. Tu, domina, non dixisti mysterium tuum, & ego non cognoui in veritate sanctam conuersationem tuam. Et iussit sanctum corpus eius intra monasterium in oratorio reponi.

Moritur Marina, & sexus cognoscitur.

Affligit se abbas quòd Marinam afflixisset.

CAP. VI.

Eadem verò die puella illa arrepta à dæmonio venit ad monasterium, & confitebatur crimen quod admiserat, & de quo conceptisset. Et in septimâ die repausationis eius in Domino, ibi intra oratorium liberata est à dæmonio. Audientes autem qui erant in ipso emporio, & vicina monasteria, mirabilia quæ facta fuerant, accipientes cruces & cereos, cum hymnis & canticis & psalmis, benedicentes Deum, venerunt in eodem monasterio, & oratorium ingressi vbi corpus eius requiescebat, benedixerunt Deum. Vbi vsque modò Christus orationibus sanctæ virginis multa facit mirabilia, ad laudem nominis sui. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Fornicaria à dæmone arrepta, apud corpus Marinæ liberatur.

Miraculis sanctitas eius comprobatur.

NOTATIO.

MARINÆ.] *Tres* Marinas *in tabulis Ecclesiasticis inuenio*, Alexandrinam, Antiochenam, Hispanam, *sed valdè inter se confusas, vt difficilè statuere sit, an duæ tantùm, an tres fuerint. videamus de singulis, & eas inter se comparemus, collatis auctoribus.*

Marinæ *nostra, quæ* Alexandrina *est, memoria certo die consecrata inuenitur in Menæis* XII. *Februarij, vbi* Maria *primò, deinde mutato habitu* Marinus *dicitur. Nulla eius in Menologio mentio, sed alterius* Marinæ *virg. & mart.* XVII. *Iulij, quæ Latinis* Margareta *dicitur.*

Apud Latinos vereor vt certi quid statui possit. Nam valdè variant tam vetusta quàm recentiora Martyrologia quoad diem, quoad locum, quoad martyrij lauream, vt hæc nostra Marina, *quæ virgo tantùm fuit, videatur cum aliâ aliquâ, quæ & virgo & martyr fuit, ex nominis affinitate confusa.*

Cuius varietatis & confusionis occasionem inde ortam existimo, quòd S. Margareta *virg. & mart.* Antiochena, *à Græcis* Marina *dicta sit. Inde Beda, Rabanus, & Notkerus, qui* Marinam *martyrem habent* XVIII. *Iunij, apud Antiochiam sub Olybrio præfecto; eamdem eodem loco,* Margaretæ *nomine habent* XIII. *Iulij. Et quidem Rabanus & Notkerus ibi eumdem quoque præfectum Olybrium exprimunt, Romanum autem Martyrologium* Margaretam *habet* XX. *Iulij.*

Vsuardus verò ex prima recensione Molani habet XVIII.

XVIII. *Iunij:* Alexandriæ passio S. Marinæ virg. *quod in Vsuardo ex secundâ Molani recensione omittitur; nec vlla fit in eâ editione mentio* Marinæ, *quæ Alexandriæ sit passa.*

Sed Molanus tam in primâ quàm secundâ Vsuardi recensione, XX. *Iulij, non in textu Vsuardi, sed in additionibus,* Margaretæ *diem festum ponit, de quâ in annotatione ex secundâ recensione dicit Vsuardum nomine* Marinæ *habere* XVIII. *Iunij, quod intellige de Vsuardo ex primâ eius recensione: nam in secundâ, vt dixi, omittitur.*

Qui porrò in annotationibus secundæ recensionis ad XX. *Iulij addit, fortassis incuriâ scriptoris* XVIII. *Iunij vitiosè irrepsisse* Alexandriæ. *Nam Beda, inquit, eo die secundùm historiam habet,* in Antiochiâ. *Vnde apparet, Molanum vtrobique* Marinam *&* Margaretam *pro eadem accepisse.*

Qui rursus in additionibus ad Vsuardum tam primæ quàm secundæ suæ recensionis XIII. *Iulij ait Margaretam eo die apud multos coli. Et eo die manuscriptus meus Vsuardus disertè* Margaretam *habet, atque ita cum Bedâ, Rabano, Notkero de* Margaretæ *die consentit.*

Nondum igitur Marinæ *nostræ festum diem, excussis quatuor vetustis Martyrologij scriptoribus, certum apud Latinos habemus; imò ne quidem eius memoriam.*

Habetur quidem in Adone vulgato XVIII. *Iunij:* In Alexandriâ S. Marinæ virginis & mart. & Balbinæ. *sed præfixa hic est stellula à Mosandro, Adonis editore, quòd id in aliis tribus manuscriptis, quibus ipse vsus est, non esset, præterquam in vno à Benedictino quodam aucto. Et certè in meis duobus vetustissimis manuscriptis nulla hic* Marinæ *nostræ apud Adonem mentio; quare nec quòd* martyr *dicatur, Adoni est imputandum, vt hîc putauit Baronius. Imò verò quia* martyr *dicitur, capiendum erit de* Marinâ *seu* Margaretâ, *vt Molanus ad Vsuardum cepit: & pro* in Alexandriâ, *ponendum erit* in Antiochiâ, *loco cuius non ritè apud Galesinum est,* in Achaiâ.

Ita in manuscripto Adone nulla Marinæ, *nulla quoque* Margaretæ *memoria. Nam quòd in editione Mosandri* Margarita *habetur* XIII. *Iulij, ibi quoque stellula præfixa est, quòd id aliis MSS. deesset.*

Quis igitur dies Marinæ *nostræ apud Latinos assignabitur? Habetur quidem in Martyrologio Romano Baronij* XVIII. *Iunij:* Alexandriæ passio S. Marinæ virginis. *quam Baronius ibi putat* Marinam *nostram esse. sed quomodo illi* passio *conuenit? cur non potiùs de* Marinâ *seu* Margaretâ *virgine & martyre accipiatur, vti præeunt Beda, Rabanus, Notkerus?*

Nisi velimus tres hos Martyrologos Marinam *seu* Margaretam *virg. & mart. cum* Marinâ *nostra tantùm virg. confudisse, quandoquidem ijdem rursus de* Margaretâ *agent* XIII. *Iulij.*

Atque ita XVIII. *Iunij in Martyrologio Romano legendum erit,* Alexandriæ S. Marinæ virg. *omissâ* passionis *voce, vti iam olim Bellinus in Martyrologio Rom. expressit. Ita quoque habet Vsuardus meus manuscriptus. Nisi quis* passionem *& quòd* martyr *dicitur interpretari malit, quòd multa à fratribus suis religiosis passa sit: vti* IX. *Ian.* Basilissa *dicitur* martyr, *quia multa passa fuit, etsi non affecta martyrio. Certè Florarium manuscriptum SS.* XVIII. *Iunij nostram* Marinam *etiam cum* passionis *voce agnoscit. Ait enim:* Alexandriæ passio S. Marinæ virginis, cuius gesta habentur circa finem quinti libri de Vitis SS. Patrum. *Intelligit editionem primam Vitarum SS. Patrum; nam ibi in fine quinti libri habetur.*

De Marinæ *nostræ virginis translatione Venetias Martyrolog. Rom.* XVII. *Iulij:* Venetiis translatio sanctæ Marinæ virg. *quod à Baronio additum existimo Martyrologio Romano, ex Petri Aquilini Catalogo Sanctorum l. 6. cap. 108. nam in Martyrologio Romano Bellini non habetur.*

Aliam Marinam *virg. & mart. exhibet Martyrolog. Romanum Baronij* XVIII. *Iulij:* Gallæciæ in Hispaniâ S. Marinæ virg. & mart. *quod in nullo antiquo Martyrologio reperio, nec quidem Romano Bellini; vt à Baronio ex Hispanicis scriptoribus insertum existimem Martyrologio Romano. Vnde fortassis non frustrà dubitant quidam, num hæc Hispanica* Marina *eadem sit cum alterutrâ Marinarum iam assignatarum, id est vel Alexandrinâ vel Antiochenâ. Refert enim Villegas in Flore SS. Hispaniæ parte* I. XVIII. *Iulij, quosdam esse qui hanc censeant eamdem esse cum* Marinâ *virgine, quæ hîc in Patrum Vitis occurrit. Sed cùm ea virgo tantùm fuerit, non etiam martyr, qualis Hispana Marina existimatur, minùs videtur eorum sententia probabilis.*

Alios esse refert, qui hanc eamdem faciant cum Marinâ *seu* Margaretâ *virgine & martyre quæ passa est Antiochiæ. Et quidem Molanus in annotationibus ad Vsuardum* XX. *Iulij ex secundâ recensione asserit, Hispanos in lectionibus* XVIII. *Iuny* (puto Iulij) *habere, Marinam fuisse ex Antiochiâ Gallæciæ, & cùm nulla Antiochia sit in Gallæciâ, non videtur improbabile* Margaretam *ab Hispanis coli, sed* Marinæ *nomine. Fauet huic sententiæ, quòd in eumdem penè diem vtriusque festum incurrat. Nam Marina seu Margareta Antiochena in Menologio ponitur* XVII. *Iulij, in Martyrologio Romano* XX. *Iulij: Hispana autem in Martyrologio Romano* XVIII. *Iulij: in Thesauro concionat.* XIX. *Iulij.*

Villegas tamen suprà, & Thesaurus concionatorum Thomæ de Trugillo tomo III. XIX. *Iulij quædam Marinæ Hispanæ propria assignant, vt clibanum, in quem coniecta dicitur; & fontem, in quo quædam eius interuentu miracula feruntur perpetrata; quæ eruditi viri, qui vicini sunt, viderint, quò referri debeant.*

2. PANDOCHIVM.] *Ita manuscripti. Coloniensis editio,* pandocium, id est taberna. *Vetus,* homo manens nomine pandox. *Rectum est* pandochium, πανδοχεῖον *taberna. sic* pandox, *tabernarius.* CAP. II.

3. CALCEARIVM.] *Ita Coloniensis editio. Vetus,* calcarium. *Intelligit, opinor, ministerium aliorum calceos purgandi. In MS. est* caldarium *vel* calicla-rium. *An igitur intelligitur ministerium caldam praparandi? vel fratrum caliculos eluendi?* CAP. IV.

VITA

VITA BEATAE FABIOLÆ

AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

Est epistola 30. ad Oceanum.

CAP. I.

PLVRES anni sunt, quòd super dormitione Blesillæ, Paulam venerabilem feminam recenti adhuc vulnere consolatus sum. Quartæ æstatis circulus voluitur, ex quo ad Heliodorum episcopum Nepotiani scribens epitaphium, quidquid habere potui virium in illo tunc dolore consumpsi. Ante hoc fermè biennium, Pammachio meo pro subitâ peregrinatione Paulinæ breuem epistolam dedi, erubescens ad disertissimum virum plura loqui, & ei sua ingerere, ne non tam consolari amicum viderer, quàm stultâ iactantiâ docere perfectum. Nunc mihi, fili Oceane, volenti & vltrò appetenti debitum munus imponis, quo pro nouitate virtutum, veterem materiam nouam faciam. In illis enim vel parentis affectus, vel mœror auunculi, vel desiderium mariti temperandum fuit: & pro diuersitate personarum, diuersa de scripturis adhibenda medicamina. In præsentiarum tradis mihi Fabiolam, laudem Christianorum, miraculum gentilium, luctum pauperum, solatium monachorum. (*Fabiola laus Christianorum, miraculum gentilium.*) Quidquid primùm arripuero, sequentium comparatione vilescit. Ieiunium prædicem? sed præualescunt eleëmosynæ. Humilitatem laudem? sed maior est fidei ardor. Dicam appetitas sordes, & in condemnationem vestium sericarum plebeium cultum & seruilia indumenta quæsita? plus est animum deposuisse quàm cultum. Difficiliùs arrogantiâ quàm auro caremus & gemmis. His enim abiectis, interdum gloriosis timemus sordibus, & vendibilem paupertatem, populari auræ offerimus. Celata virtus, & conscientiæ fota secreto, Deum solum iudicem respicit. (*Celata virtus Deo iudice gaudet.*) Vnde nouis mihi est efferenda præconijs, & ordine rhetorum prætermisso, tota de confessionis ac pœnitentiæ incunabulis assumenda oratio. Alius forsitan scholæ memor, Q. Maximum,

Vnus qui nobis cunctando restituit rem, (Virgil. 6. Aeneidos.)

& totam Fabiorum gentem proferret in medium, diceret pugnas, describeret prælia, & per tantæ nobilitatis gradus Fabiolam venisse iactaret; vt quod in virgâ non poterat, in radicibus demonstraret. Ego diuersorij Bethlehemitici, & præsepis Domini amator, in quo virgo puerpera Deum fudit infantem, ancillam Christi, non de nobilitate veteris historiæ, sed de ecclesiæ humilitate producam.

CAP. II.

Et quia statim in principio, quasi scopulus quidam & procella mihi obtrectatorum eius opponitur, quòd secundum sortita matrimonium, prius reliquerit, non laudabo conuersam, nisi priùs ream absoluero. Tanta prior maritus vitia habuisse narratur, vt ne scortum quidem & vile mancipium ea sustinere posset. (*Mariti vitiosi fastidia diu sustinuit Fabiola.*) Quæ si voluero dicere, perdam virtutem feminæ, quæ maluit culpam subire dissidij, quàm corporis sui infamare partem, & maculas eius detegere. Hoc solùm proferam, quod verecundæ matronæ & Christianæ satis est. Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, exceptâ caussâ fornicationis; & si dimissa fuerit, manere innuptam. (Matth. 5. 1. Cor. 7. 1. Cor. 6.) Quidquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus. Si qui meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo & quæ scortatori impuroque sociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido per-

Publicè adulterum tandem repudiauit.

permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. [2] Apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet viris; & eadem seruitus pari conditione censetur. Dimisit ergo, vt aiunt, vitiosum: dimisit illius & illius criminis noxium: dimisit, pænè dixi, quod clamante vicinià vxor sola non prodidit. Sin autem arguitur, quare repudiato marito non innupta permanserit: facilè culpam fatebor, dum tamen referam necessitatem. Melius est, inquit Apostolus, nubere quàm vri. (1.Cor.7.) Adolescentula erat, viduitatem suam seruare non poterat. (Rom.7.) Videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & se vinctam & captiuam ad coitum trahi. Melius arbitrata est apertè confiteri imbecillitatem suam, & vmbram quamdam miserabilis subire coniugij, quàm sub glorià vniuiræ opera exercere meretricum. Idem Apostolus vult viduas adolescentulas nubere, filios procreare, nullam dare occasionem aduersario maledicti gratià. (1.Tim.5.) Et protinus cur hoc velit, exponit: Iam enim quædam abierunt retrò pòst satanam. Igitur & Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat à se virum iure dimissum; nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa cautio viuentibus viris feminis amputatur; dum multa diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit.

CAP. III.

Quòd secundo, altero viuente marito nupserit, amarè deflet.

Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, vt post mortem secundi viri in semet reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso, agere se liberiùs, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, vt errorem publicè fateretur: & totà vrbe spectante Romanà, ante diem Paschæ in basilicà quondam [3] Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, [4] staret in ordine pœnitentium episcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus: sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? Quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant? Petrus trinam negationem trinà confessione deleuit. (Ioan.21.) Aaron sacrilegium, & conflatum ex auro vituli caput, fraternæ correxêre preces. (Exod.32.) Dauid sancti & mansuetissimi viri homicidium pariter & adulterium septem dierum emendabat fames. (2.Reg.11.12.) Iacebat in terrâ, volutabatur in cinere, & oblitus regiæ potestatis, lumen quærebat in tenebris. Illumque tantùm respiciens quem offenderat, lacrymabili voce dicebat: (Psal.50.) Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Et: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Atque ita factum est; vt qui me priùs docuerat virtutibus suis, quomodo stans non caderem, doceret per pœnitentiam; quomodo cadens resurgerem. Quid tam impium legimus inter reges quàm Achab, de quo Scriptura dicit: Non fuit alius talis vt Achab, qui venumdatus est vt faceret malum in conspectu Domini? (3 Reg. 21.) Hic cùm propter sanguinem Nabuthæ correptus fuisset ab Elià, & audisset iram Domini per Prophetam: Occidisti, & insuper possedisti, & ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & reliqua: scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunabatque in sacco, & ambulabat demisso capite. Tunc factus est sermo Dei ad Eliam Thesbiten, dicens: Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est meà caussà, non inducam malum in diebus eius.

CAP. IV.

O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos, quæ furentem sententiam Dei, confesso errore mutauit! Hoc idem & Manassen in Paralipomenon, (2.Par.33.) & Niniuæ regem fecisse legimus in Prophetà, (Ionæ 3 4.) publicanum quoque in Euangelio. (Lucæ 18.) E quibus primus non solùm indulgentiam, sed & regnum recipere meruit. Alter impendentem Dei fregit iram. Tertius pectus verberans pugnis, oculos non leuabat ad cælum. Et multò iustificatior recessit publicanus humili confessione vitiorum, quàm pharisæus superbâ iactatione virtutum. Non est loci huius vt pœnitentiam prædicem, & quasi contra Montanum Nouatumque scribens, dicam illam hostiam Domino esse placabilem: (Psal.50.) &, Sacrificium Deo, spiritum contribulatum: &, Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem: (Ezech.18.) &, Exurge, Ierusalem: (Isaiæ 60.) & multa alia, quæ prophetarum tangunt tubæ. Hoc vnum loquar, quod & legentibus vtile sit, & præsenti caussæ conueniat. Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundetur in cælo. (Marc.8.) Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa ecclesiam Domini, sed extra castra cum Marià sorore Moysi separata consedit: (Leuit.13. Num.12.) vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transiuit fluenta lacrymarum. (Isaiæ 47.) Sedit super carbones ignis. Hi ei fuêre in adiutorium. Faciem, per quam secundo

viro placuerat, verberabat, oderat gemmas,
linteamina videre non poterat, ornamenta
fugiebat. Sic dolebat, quasi adulterium
commisisset, & multis impendijs medica-
minum vnum vulnus sanare cupiebat.

CAP. V. Diu morati sumus in pœnitentiâ, in quâ
velut in vadosis locis resedimus, vt maior
nobis & absque vllo impedimento se lau-
dum eius campus aperiret. Receptâ sub
oculis omnis ecclesiæ communione, quid
Eccli. 11. fecit? Scilicet in die bonâ, malorum non
oblita est: & post naufragium, rursum ten-
tare noluit pericula nauigandi. Quin potiùs
omnem censum quem habere poterat (erat
autem amplissimus, & respondens generi
eius) dilapidauit, ac vendidit: & inde pe-
cuniam congregatam vsibus pauperum
Prima Nosocomium instituit. præparauit, & prima omnium νοσοκομεῖον
instituit, in quo ægrotantes colligeret de
plateis, & consumpta languoribus atque
inediâ miserorum membra foueret. Descri-
bam ego nunc diuersas hominum calami-
tates, truncas nares, effossos oculos, semi-
ustos pedes, luridas manus, tumentes aluos,
exile femur, crura turgentia, & de exesis ac
putridis carnibus vermiculos bullientes?
Quoties morbo regio & pædore confectos
Aegris ministrat. humeris suis ipsa portauit? Quoties lauit
purulentam vulnerum saniem, quam alius
aspicere non valebat? Præbebat cibos pro-
priâ manu, & spirans cadauer sorbitiuncu-
lis irrigabat. Scio multos diuites & religio-
sos ob stomachi angustiam exercere huius-
modi misericordiam per aliena ministeria,
& clementes esse pecuniâ, non manu. Quos
equidem non reprobo, & teneritudinem
animi nequaquâ interpretor infidelitatem:
sed sicut imbecillitati stomachi veniam
tribuo, sic perfectæ mentis ardorem in cæ-
lum laudibus fero. Magna fides ista con-
Lucæ 16. temnit. Scio quid in Lazaro diues purpu-
ratus aliquando non fecerit, quali superba
mens retributione damnata sit. Ille quem
despicimus, quem videre non possumus, ad
cuius intuitum nobis vomitus erumpit, no-
stri similis est, de eodem nobiscum forma-
tus est luto, ijsdem compactus elementis.
Quidquid patitur, & nos pati possumus.
Vulnera eius existimemus propria; & omnis
animi in alterum duritia, clementi in nos-
metipsos cogitatione frangetur:

Virgil. 6. Aeneidos. *Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,*
Ferrea vox,
Omnia morborum percurrere nomina possim,
quæ Fabiola in tanta miserorum refrige-
ria commutauit, vt multi pauperum sa-
ni languentibus inuiderent. Quamquam
Monasteria sustentat. illa simili liberalitate erga clericos & mo-
nachos ac virgines fuerit. Quod mona-
sterium non illius opibus sustentatum est?
Quem nudum & clinicum non Fabio-
læ vestimenta texerunt? In quorum se in-
digentiam non effudit præceps & festina
largitio? Angusta misericordiæ eius Ro-
ma fuit.

Peragrabat ergo insulas & totum CAP. VI.
Etruscum mare, Volscorumque prouin- Monachorum choros visitat.
ciam, & reconditos curuorum littorum
sinus, in quibus monachorum consistunt
chori, vel proprio corpore, vel transmissâ
per viros sanctos ac fideles munificentiâ
circumibat. Vnde repentè & contra opi-
nionem omnium Ierosolymam nauigauit, Ierosolymam vadit.
vbi multorum excepta concursu, nostro
parumper vsa est hospitio: cuius societatis
recordans, videor mihi adhuc videre quam
vidi. Iesu bone, quo illa feruore, quo stu- Studio lectionis intenta.
dio intenta erat diuinis voluminibus! &
veluti quamdam famem satiare desiderans,
per Prophetas, Euangelia, Psalmosque
currebat: quæstiones & proponens, & so-
lutas recondens in scriniolo pectoris sui.
Nec verò satiebatur audiendi cupidine, sed Eccles. 1.
addens scientiam, addebat dolorem: &
quasi oleum flammæ adieceris, maioris ar-
doris fomenta capiebat. Quodam die cùm
in manibus Moysi Numeros teneremus, &
me verecundè rogaret, quid sibi vellet no-
minum tanta congeries: cur singulæ tribus
in alijs atque alijs locis variè iungerentur:
quomodo Balaam ariolus sic futura Chri- Num. 24.
sti mysteria prophetarit, vt nullus prope-
modum prophetarum tam apertè de eo va-
ticinatus sit: respondi vt potui, & visus sum
interrogationi eius satisfacere. Reuoluens
ergo librum, peruenit ad eum locum, vbi
catalogus describitur omnium mansionum
per quas de Ægypto egrediens populus, Num. 33.
peruenit vsque ad fluenta Iordanis. Cum-
que caussas quæreret & rationes singula-
rum, in quibusdam hæsitaui, in aliis inof-
fenso cucurri pede, in plerisque simpliciter
ignorantiam confessus sum. Tunc verò ma-
gis cœpit vrgere, & quasi non mihi liceret
nescire quod nescio, expostulare, ac se in-
dignam tantis mysterijs dicere. Quid plu-
ra? Extorsit mihi negandi verecundiam, vt
proprium ei opus huiuscemodi disputa-
tiunculæ pollicerer, quod vsque in præsens
tempus, vt nunc intelligo, Domini volun-
tate dilatum, reddetur memoriæ illius: vt
sacerdotalibus prioris ad se voluminis in-
duta vestibus, per mundi huius solitudi-
nem gaudeat se ad terram repromissionis
aliquando venisse.

Verum quod cœpimus prosequamur. CAP. VII.
Quærentibus nobis dignum tantæ femi-
næ habitaculum, cùm illa ita solitudinem
cupe-

cuperet, vt diuersorio Mariæ carere nollet: ecce subitò discurrentibus nuntijs, Oriens totus intremuit: ab vltimâ Mæotide inter glacialem Tanain, & Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, [7] erupisse Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent. [8] Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis ciuilibus in Italiâ tenebatur. Hanc gentem [9] Herodotus refert sub Dario rege Medorum viginti annis Orientem tenuisse captiuum, & ab Ægyptijs atque Æthiopibus annuum exegisse vectigal. Abigat Iesus ab orbe Romano tales vltrà bestias. Insperati vbique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserabantur infantiæ. Cogebantur mori, qui nondum viuere cœperant: & nescientes malum suum, inter hostium manus ac tela ridebant. Consonus inter omnes rumor, petere eos Ierosolymam, & [10] ob nimiam auri cupiditatem ad hanc vrbem percurrere. Muri neglecti pacis incuriâ sarciebantur: Antiochia obsidebatur: Tyrus se volens à terrâ abrumpere, insulam quærebat antiquam. Tunc & nos compulsi sumus parare naues, esse in littore, aduentum hostium præcauere, & sæuientibus ventis magis barbaros metuere quàm naufragium; non tam propriæ saluti, quàm virginum castimoniæ prouidentes. [11] Erat in illo tempore quædam apud nos dissensio, & barbarorum pugnam domestica bella superabant. Nos in Oriente tenuerunt iam fixæ sedes, & inueteratum locorum sanctorum desiderium. Illa quæ tota in sarcinis erat, & in omni vrbe peregrina, reuersa est ad patriam, vt ibi pauper viueret, vbi diues fuerat: manens in alieno, quæ multos priùs hospites habuit: & (ne sermonem longiùs protraham) in conspectu Romanæ vrbis pauperibus erogaret, quod illâ teste vendiderat. Nos hoc tantùm dolemus, quòd pretiosissimum de sanctis locis monile perdidimus. Recepit Roma quod amiserat, & procax ac maledica lingua gentilium, oculorum testimonio confutata est. Laudent ceteri misericordiam eius, humilitatem, fidem; ego ardorem animi plus laudabo.

Hunnorum in Romanum orbem irruptio.

Fabiola Romam reuertitur.

CAP. VIII. Librum quo Heliodorum quondam iuuenis ad eremum cohortatus sum, tenebat memoriter: & Romana cernens mœnia, inclusam se esse plangebat. Oblita sexus, fragilitatis immemor, ac solitudinis tantùm cupida, ibi erat, vbi animo morabatur. Non poterat teneri consilijs amicorum: ita ex vrbe quasi de vinculis gestiebat erumpere. Dispensationem pecuniæ & cautam distributionem, genus infidelitatis vocabat. Non alijs distributionem eleemosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro Christo stipes optabat accipere. Sic festinabat, sic impatiens erat morarum, vt illam crederes profecturam.

Solitudinis amans.

Itaque dum semper paratur, mors eam inuenire non potuit imparatam. Inter laudes feminæ subitò mihi Pammachius meus exoritur. Paulina dormit, vt iste vigilet. Præcedit maritum, vt Christo famulum derelinquat. Hic heres vxoris, & hereditatis alij possessores. Certabant vir & femina, quis in portu Abrahæ tabernaculum figeret: & erat hæc inter vtrumque contentio, quis humanitate superaret. Vicit vterque, & vterque superatus est. Ambo se victos & victores fatentur, dum quod alter cupiebat, vterque perfecit. Iungunt opes, sociant voluntates, vt quod æmulatio dissipatura erat, concordiâ cresceret. Necdum dictum, iam factum. Emitur hospitium, & ad hospitium turba concurrit. Non est enim labor in Iacob, nec dolor in Israël. Adducunt maria, quos in gremio suo terra suscipiat. Mittit Roma properantes, quos nauigaturos littus molle confoueat. Quod Publius semel fecit in insulâ Mytilene erga vnum apostolum, & (ne contradictioni locum tribuam) in vnam nauim: hoc isti & frequenter faciunt, & in plures: nec solùm inopum necessitas sustentatur, sed prona in omnes munificentia aliquid & habentibus prouidet. Xenodochium in portu Romano situm, totus pariter mundus audiuit. Sub vnâ æstate didicit Britannia, quod Ægyptus & Parthus nouerant vere. Quod scriptum est, Timentibus Dominum omnia cooperantur in bonum, in obitu tantæ feminæ vidimus comprobatum. Quodam præsagio futurorum ad multos scripserat monachos, vt venirent, & se graui onere laborantem absoluerent, facerentque sibi de iniquo mammonâ amicos, qui eam reciperent in æterna tabernacula. Venerunt, amici facti sunt: [12] dormiuit illa quomodo voluit, & depositâ tandem sarcinâ, leuior volauit ad cælum.

CAP. IX. *Mortis semper memor.* *Gen. 18.* *Num. 23.* *Act. 27. 28* *Rom. 8.* *Lucæ 16.* *Moritur Fabiola.*

Quantum haberet viuentis Fabiolæ Roma miraculum, in mortuâ demonstrauit. Necdum spiritum exhalauerat, necdum debitam Christo reddiderat animam,

CAP. X.

Et iam fama volans tanti prænuntia luctus,
totius vrbis populum ad exequias congregabat. Sonabat psalmi, & aurata tecta templorum, reboans in sublime quatiebat Alleluia.
Hic iuuenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Femineas & facta ferant.

Aeneid. 11 *Magnifica Fabiolæ exequiæ.* *Aeneid. 8.*

Non sic [13] Furius de Gallis, non [14] Papirius de Samnitibus, non [15] Scipio de Numantia, non [16] Pompeius de Ponti gentibus triumphauit. Illi corpora vicerant, hæc spirituales nequitias subiugauit. Audio præcedentium turmas, & cateruatim in exequijs eius multitudinem confluentem. Non plateæ, non porticus, non imminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in vnum populos Roma conspexit: fauebant sibi omnes in gloriâ pœnitentis. Nec mirum si de eius salute homines exultarent, de cuius conuersione Angeli lætabantur in cælo. (Luc. 15.) Hoc tibi Fabiola ingenij mei senile munus, has officiorum inferias dedi. Laudauimus sæpè virgines, viduas, ac maritatas, quarum semper fuêre candida vestimenta, quæ sequuntur Agnum quocumque vadit. Felix præconium, quod nullâ totius vitæ sorde maculatur. Procul liuor facessat, absit inuidia. Si pater familias bonus est, quare oculus noster malus est? (Matth. 20.) Quæ inciderat in latrones, Christi humeris reportata est. (Luc. 10.) Multæ mansiones sunt apud Patrem. (Ioan. 14.) Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. (Rom. 5.) Cui plus dimittitur, plus amat. (Luc. 7.)

NOTATIO.

1. FABIOLÆ.] *Dies obitus eius ignoratur, nec eius in tabulis ecclesiasticis exstat memoria.*

CAP. II. 2. APVD NOS.] *Cato oratione de dote apud Gellium lib. x. c.* XXIII. In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impunè necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est. *Vide Cod. lib.* IX. *ad L. Iuliam de adulterio & stupro. Alia lex apud Christianos.*

CAP. III. 3. LATERANI.] *Erat hic Plautius Lateranus, de quo Tacitus lib.* XV. *& Arrianus lib.* II. *cap.* I. *Ædium Laterani meminit Iuuenalis Sat.* X. *& Iulius Capitolinus in M. Antonino Philosopho:* Educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo aui sui Veri iuxta ædes Laterani. *Idem in Vero Imper. meminit Sextilij Laterani Consulis.*

4. STARET IN ORDINE POENITENTIVM.] *Baronius tom.* IV. *anno Christi* CCCXC. *Siricij Papæ* IV. *Valentiniani* XV. *Theodosij* XII. *Impp. post narratam Theodosij Imp. pœnitentiam, subdit: Quàm vigeret hoc tempore in ecclesiâ seueritas publicæ pœnitentiæ, à quâ non liberaret excusaretve nobilitas, dignitas, neque sexus, planè declaratur alio exemplo clarissimæ feminæ Romanæ, Fabiola nomine, quæ adhuc supererat Fabiorum antiquæ familiæ nobile germen. Hanc contigit ob secundas nuptias post diuortium factum cum priori viro illicitè contractas, hisce fermè diebus publicam Romæ agere pœnitentiam.*

CAP. V. 5. CLINICVM] *Infrà in Vitâ Paulæ capite* LV. Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? *Clinicus est, quem* κλίνη, lectus *detinet, nec inde se præ ægritudine mouere potest. Vide Onomasticon.*

6. PERAGRABAT ERGO INSVLAS, ET TOTVM ETRVSCVM MARE.] *Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCXCVIII. *Anastasij Papæ* I. *Arcadij & Honorij Impp.* IV. *Ex quibus, inquit, planè intelligis, quàm breui tempore ex Ægypti vineâ plantata in Romano solo propagines extenderint vsque ad mare, & intra mare in insulis palmites suos. Propagatos autem ad posteros etiam, qui erant in Tyrrheni maris oris & insulis, monachos; & ipsam Gorgoniam insulam, vbi vnum tantum fuisse Rutilius tradit, pluribus esse monachorum germinibus auctam, ex litteris S. Gregorij Papæ possumus perspicuè intelligere, dum de Palmariæ & aliarum insularum monachis meminit, necnon de pluribus monasterijs in insulâ Gorgoniâ congregatis, & posteà ad meliorem formam per ipsum Gregorium restitutis.* (Rutil. l. 1. Itiner. — Greg. lib. 1 epist. 48.)

CAP. VII. 7. ERVPISSE HVNNORVM EXAMINA.] *Hieronymus in Chronico anno* XIIX. *Valentis:* Gens Hunnorum Gothos vastat: qui à Romanis sine armorum depositione suscepti, per auaritiam Maximi ducis, fame ad rebellandum coacti sunt. *Vide Orosium lib.* VII. *cap.* XXXIII.

Baronius tomo V. *anno Christi* CCCXCV. *Siricij Papæ* XI. *Arcadij & Honorij Impp.* I. *Hoc anno Fabiola, inquit, clarissima femina, quæ concesserat Ierosolymam, vt ibi reliquum vitæ ageret, horum grassatione perterrita, vnà cum alijs nauim conscendere, & in Italiam remeare compulsa est. Vide ibi plura de Hunnorum eruptione & grassatione.*

8. ABERAT TVNC ROMANVS EXERCITVS, ET BELLIS CIVILIBVS IN ITALIA TENEBATVR.] *Baronius loco proximè citato: Quem enim secum Theodosius in Occidentem aduersus Eugenium tyrannum Orientis exercitum duxerat, Stilico Theodosij defuncti voluntate in Italiâ detinebat. De Romano illo exercitu & bello contra Eugenium, vide eumdem Baronium tomo* IV. *anno Christi* CCCXCIV. *& seq.*

9. HERODOTVS.] *Lib.* I. *& initio* IV. *qui eos Scythas vocat, &* XXVIII. *annis Asiam tenuisse narrat.*

10. OB NIMIAM AVRI CVPIDITATEM.] *Baronius tomo* V. *antè citato: Cupidissimum sanè omnium mortalium hoc genus hominum esse, Ammianus, cùm eorumdem mores pluribus scribit, affirmat.* (Ammian. lib. 31.)

11. ERAT IN ILLO TEMPORE QVÆDAM APVD NOS DISSENSIO.] *Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCXCV. *Siricij Papæ* XI. *Arcadij & Honorij Impp.* I. *Quænam, inquit, essent dissensiones illæ, quibus in Palæstinâ inter se inuicem fideles altercabantur studio indefesso, superiori dicta sunt tomo, fuisse nimirum Origenistarum improbitate conflatas, quibus Ioannes Episcopus Ierosolymorum, Euagrius Ponticus, Palladius Galata, Isidorus Alexandrinus, & Ruffinus Aquileiensis in primis studebant.* (Baron. tomo 4. anno Christi 392. 393. 394.)

CAP. II. 12. DORMIVIT ILLA.] *Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCC. *Anastasij Papæ* III. *Arcadij & Honorij Impp.* VI. *obitum Fabiolæ ponit, atque ita colligit: Hoc anno, inquit, defuncta S. Fabiola spectatæ egregiæque sanctitudinis, & generis claritudine celebris vidua. S. Hieronymus rogatus ab Oceano epitaphium scripsit; cuius exordia cùm ita diuersa tempora numeret, quo potissimum anno id acciderit, circumscribit, dum ait:* Plures anni sunt, quòd (Hieron. epist. 30.)

super

super dormitione Blesillæ Paulam venerabilem feminam recenti adhuc vulnere consolatus sum: quartæ æstatis circulus voluitur, ex quo ad Heliodorum episcopum, Nepotiani scribens epitaphium, quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi: & ante fermè biennium Pammachio meo pro subitâ peregrinatione Paulinæ breuem epistolam dedi, erubescens ad disertissimum virum plura loqui, *&c. Paulò verò post:* In præsentiarum tradis mihi Fabiolam, laudem Christianorum, miraculum gentilium, luctum pauperum, solatium monachorum, *&c. Cùm igitur ipse sanctus Hieronymus quatuor annos numeret ab obitu Nepotiani, duos verò à dormitione Paulinæ: præsentem annum Fabiolæ funeri ipsum adscribere, ex ijs quæ superiùs dicta sunt, satis manifestum apparet; ut de his nec leuis quidem dubitandi relinqui possit occasio.*

Nisi quòd cùm reperias in litteris S. Hieronymi post decem annos, nempe post vrbis excidium, scriptis ad Marcellinum & Anapsychiam, de Fabiolâ tamquam viuente mentionem haberi (ad quam idem S. Hieronymus duos in Ezechielem libros à se conscriptos misisse testatur, quos non nisi post excidium Vrbis ipsum elucubrasse liquet) affirmare necesse est, aliam illam ab hac fuisse Fabiolam, minoremque dicendam: nec quidem mirum, cùm & duas Paulas, totidemque Melanias, seniores ac iuniores, eodem tempore liceat numerare. Fabiolæ duæ. Hieron. epist. 8. Hieron. præfat. in lib. 1. in Ezech. CAP. X.

13. FVRIVS.] *Vide Liuium lib.* V. *cap.* XLIX. *Florum libro* I. *cap.* XIII.

14. PAPIRIVS.] *Liuius lib.* X. *cap.* XXXIX. *Florus lib.* I. *cap.* XVI.

15. SCIPIO.] *Florus libro* II. *cap.* XVIII. *Orosius lib* VI. *cap.* V.

16. POMPEIVS.] *Florus lib.* III. *cap.* V. *Appianus in Mithridatico, & Plutarchus in Vitâ Syllæ.*

VITA S. PAVLÆ ROMANÆ VIDVAE

26. IAN.

AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

Est epistola 27. ad Eustochiũ virginem.

CAP. I.

SI cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multò nobilior sanctitate: potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli heres, cuius vocabulum trahit, Marciæ Papiriæ matris Africani vera & germana progenies: Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutauit. Non mœremus, quòd talem amisimus; sed gratias agimus, quòd habuimus, imò habemus. Deo enim viuunt omnia: & quidquid reuertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quamquam omissio illius, cælestis domus habitatio sit: quæ quamdiu in corpore fuit, peregrinata est à Domino, & voce semper flebili querebatur, dicens: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm peregrinata est anima mea. Nec mirum, si planxerit se versari in tenebris, (hoc enim Cedar interpretatur) cùm mundus in maligno positus sit: & sicut tenebræ illius, ita & lumen eius, luxque in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Vnde & illud crebriùs inferebat: Aduena sum & peregrina sicut omnes patres mei. Et iterùm: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentiâ & duplicatis contraxerat ieiunijs) vexabatur, hoc in ore voluebat: Subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo: ne alijs prædicans, ipsa reproba inueniar. Et: Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Et: Humiliaui in ieiunio animam meam, & totum lectum versasti in infirmitate meâ, & versata sum in miseriâ, dum mihi configitur spina. Atque inter doloris aculeos, quos mirâ patientiâ sustinebat, quasi apertos sibi cælos adspiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,

Genus sanctæ Paulæ. 2. Cor. 5. Psal. 119. 1. Ioan. 5. Psal. 138. Ioan. 1. Psal. 38. Philip. 1. 1. Cor. 9. Rom. 14. Psal. 34. Psal. 30. 31 Psal. 54.

lumbæ, & volabo, & requiescam? Testor Iesum & Sanctos eius, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis feminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui; sed quidquid dicturus sum, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, quàm totus orbis canit, sacerdotes mirantur, virginum chori desiderant, monachorum & pauperum turbæ deplangunt. Vis, lector, eius breuiter scire virtutes? Omnes suos pauperes pauperior ipsa dimisit. Nec mirum, de proximis & familiolâ, quam in vtroque sexu de seruis & ancillis in fratres sororesque mutauerat, ista proferre: cùm Eustochium virginem, & deuotam Christo filiam, in cuius consolationem libellus hic cuditur, procul à nobili genere, solâ fide & gratiâ diuitem reliquerit.

Angelus custos Paulæ.

Paupertas eius.

CAP. II.

Carpamus igitur narrandi ordinem. Alij altiùs repetant, & à cunabulis eius, ipsisque (vt ita dicam) crepundijs matrem Blesillam, & Rogatum proferant patrem: quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est, alter per omnes ferè Græcias vsque hodie stemmatibus & diuitijs, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione deleuit. Nos nihil laudabimus, nisi quod proprium est, & de purissimo sanctæ mentis fonte profertur. Quamquam Dominus atque Saluator in Euangelio doceat apostolos sciscitantes quid sibi redditurus sit, qui omnia sua pro nomine eius dimiserunt, centuplum inpræsentiarum recepturos, & in futuro vitam æternam. Ex quo intelligimus, non laudis esse possidere diuitias, sed pro Christo eas contemnere: non tumere ad honores, sed pro Dei fide eos paruipendere. Vere quod pollicitus est seruis suis & ancillis Saluator, reddidit in præsenti. Nam quæ vnius vrbis contempsit gloriam, totius orbis opinione celebratur: quam Romæ habitantem nullus extra Romam nouerat, latentem in Bethlehem & barbara & Romana terra miratur. Cuius enim gentis homines ad sancta loca non veniunt? Quis autem in sanctis locis, præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, inuenit? Hæc, sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma micat, & iubar solis paruos igniculos stellarum obruit & obscurat: ita cunctorum virtutes & potentias suâ humilitate superauit, minimaque fuit inter omnes, vt omnium maior esset: & quantò se plùs deijciebat, tantò magis à Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat. [2] Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. Sed quid ago, narrandi ordinem prætermittens? Dum in singulis teneor, non seruo præcepta dicendi.

Paula progenies.

Marc. 10.

Matth. 19.

Celebritas nominis Paulæ.

Insignis humilitas eius.

Luc. 22.

CAP. III.

Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. Vnde etiam filia eius Christi virgo Eustochium Iulia nuncupatur, & ipse Iulius à magno demissum nomen Iulo. Et hæc dicimus, non quòd habentibus grandia sint, sed quòd contemnentibus mirabilia. Sæculi homines suspiciunt eos, qui his pollent priuilegijs, nos laudamus qui pro Saluatore ista despexerint: & mirum in modum, quos habentes paruipendimus, si habere noluerint, prædicamus. His inquam orta maioribus, & fecunditate ac pudicitiâ probata, primùm viro, deinde propinquis, & totius vrbis testimonio, cum quinque liberos edidisset, [3] Blesillam, super cuius morte eam Romæ consolatus sum: [4] Paulinam, quæ sanctum & admirabilem virum, & propositi & rerum suarum Pammachium reliquit heredem, ad quem super obitu eius paruulum libellum edidimus: [5] Eustochium, quæ nunc in sanctis locis virginitatis & Ecclesiæ monile pretiosum est: [6] Ruffinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternauit: & [7] Toxotium, post quem parere desijt, vt intelligeres, eam non diu seruire voluisse officio coniugali, sed mariti desiderio, qui marem optabat, liberos edidisse.

Iungitur Toxotio.

Eius liberi quinque.

CAP. IV.

Postquam vir mortuus est, ita eum planxit, vt propè ipsa moreretur: ita se conuertit ad Domini seruitutem, vt eius mortem videretur optasse. Quid ego referam, amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ, omnes pæne diuitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem etiam in eos quos numquam viderat euagantem? Quis inopum moriens, non illius vestimentis obuolutus est? Quis [8] clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos curiosissimè totâ vrbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hereditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur. Nec diu potuit excelsi apud sæculum generis, & nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Mœrebat honore suo, & ora laudantium declinare ac fugere festinabat. [9] Cumque Orientis & Occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique pontifices, Paulinum Antiochenæ

Summa benignitas in pauperes.

tiochenæ vrbis episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hospitem habuit: Paulinum in alienâ manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat: non domus, non liberorum, non familiæ, non possessionum, non alicuius rei quæ ad sæculum pertinet, memor: sola, si dici potest, & incomitata, ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat. Tandemque [10] exactâ hieme, aperto mari, redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio nauigauit. Quid vltrà differo? [11] Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore: Ruffina iam nubilis, vt suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi à suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quòd magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus & captiuitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quàm parentes à liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, imò gaudens animus appetebat, & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in solâ Eustochio, quæ & propositi & nauigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis, qui cum eâ vehebantur, littora respicientibus, ipsa auersos tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est, exheredans se in terrâ, vt hereditatem inueniret in cælo.

Epiphanius hospes sanctæ Paulæ.

Magnâ animi constantiâ inter affectus Româ soluit.

Eustochiũ propositi & nauigationis Paulæ comes.

CAP. V.

Flauia Domitilla exilium.

Delata [12] ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum sub Domitiano principe pro confessione nominis Christiani [13] Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium: vidensque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis Ierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, & omnis pigra velocitas. Inter Scyllam & Charybdim Adriatico se credens pelago, quasi per stagnum venit Methonem: ibique refocillato corpusculo, & sale tabentes artus in littore ponens, per Maleam & Cytheram, sparsasque per æquor Cycladas, & crebris freta concita terris: post Rhodum & Lyciam, tandem vidit Cyprum: vbi sancti & venerabilis Epiphanij pedibus prouoluta, decem ab eo diebus retenta est: non in refectionem, vt ille arbitrabatur, sed in opus Dei, vt re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat. Inde breui cursu transfretauit Seleuciam, de quâ ascendens Antiochiam, sancti confessoris Paulini modicum charitate detenta, mediâ hieme, calente ardore fidei, femina nobilis, quæ prius eunuchorum manibus portabatur, asello sedens, profecta est. Omitto Cœles Syriæ & Phœnices iter, (neque enim hodœporicon eius dispofui scribere) ea tantùm loca nominabo, quæ sacris voluminibus continentur.

Iter Paulæ.

Epiphanij hospita Paula.

Multa largitur monachis Cypri.

CAP. VI. Beryto Romanâ coloniâ, & antiquâ vrbe Sidone derelictâ, in Sarepthæ littore Eliæ est ingressa turriculam: in quâ adorato Domino Saluatore, per arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, peruenit ad Coth, quæ nunc Ptolemais dicitur: & per campos Mageddo, Iosiæ necis conscios, intrauit terram Philisthiim. Mirata ruinas Dor, vrbis quondam potentissimæ, & versâ vice Stratonis turrim, ab Herode rege Iudææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in quâ Cornelij domum, Christi vidit ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginum prophetarum. Deinde Antipatrida semirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocauerat: & Lyddam versam in Diospolim, Dorcadis atque Æneæ resurrectione ac sanitate inclytam. Haud procul ab eâ Arimathiam, viculum Ioseph qui Dominum sepeliuit: & Nobe vrbem quondam sacerdotum, nunc tumulum occisorum. Ioppen quoque fugientis portum Ionæ: & (vt aliquid perstringam de fabulis poëtarum) religatæ ad saxum Andromedes spectatricem. Repetitoque itinere Nicopolim, quæ prius Emaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicauit. Atque inde proficiscens, ascendens Bethoron inferiorem & superiorem, vrbes à Salomone conditas, sed variâ posteà bellorum tempestate deletas: ad dexteram aspiciens Haialon & Gabaon, vbi Iesus filius Naue contra quinque reges dimicans, soli imperauit & lunæ, & Gabaonitas ob dolos & insidias fœderis impetrati, in aquarios lignariosque dãnauit. In Gabaon, vrbe vsque ad solũ

Actor. 21. 2. Par. 35. 4. Reg. 23. Act. 10. 21. Actor. 9. Math. 27. 1. Reg. 21. 22. Ion. 1. Lucæ 24. 2. Par. 8. Iosu. 9. 10.

ROMAN. dirutâ, paululùm substitit, recordata pecca-
Iud. 20. 10. ti eius, & concubinæ in frusta diuisæ, & tri-
bus Beniamin trecentos viros propter Pau-
lum apostolum reseruatos.

CAP. XIII. Quid diu moror? Ad læuam mausoleo
Helenæ derelicto, quæ Adiabenorum regi-
Loca sacra na in fame populum frumento iuuerat, in-
Ierosolymis gressa est Ierosolymam, vrbem trinomi-
religiosè visitat. nem, Iebus, Salem, Ierusalem, quæ ab Ælio
posteà Hadriano de ruinis & cineribus ci-
uitatis in Æliam suscitata est. Cumque pro-
consul Palæstinæ, qui familiam eius opti-
mè nouerat, præmissis apparitoribus iussis-
set parari prætorium, elegit humilem cel-
lulam: & cuncta loca tanto ardore ac stu-
dio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret,
à primis non posset abduci. Prostrataque
ante crucem, quasi pendentem Dominum
cerneret, adorabat. Ingressa sepulcrum,
resurrectionis osculabatur lapidem, quem
Matth. 28. ab ostio monumenti amouerat Angelus. Et
ipsum corporis locum, in quo Dominus
iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fi-
deli ore lambebat. Quid ibi lacrymarum,
quantum gemituum, quid doloris effuderit,
testis est cuncta Ierosolyma, testis est ipse
Dominus quem rogabat. Inde egrediens
ascendit Sion, quæ in arcem vel speculam
2. Reg. 5. vertitur. Hanc vrbem quondam expugna-
uit & reædificauit Dauid. De expugnatâ
Isaiæ 29. scribitur: Væ tibi ciuitas Ariel, id est, leo
Dei: & quondam fortissima, quam expu-
gnauit Dauid. Et de eâ, quæ ædificata est,
Psal. 86. dictum est: Fundamenta eius in montibus
sanctis: diligit Dominus portas Sion, super
omnia tabernacula Iacob. Non eas portas,
quas hodie cernimus in fauillam & cine-
Matth 16. rem dissolutas: sed portas, quibus non præ-
ualet infernus, & per quas credentium ad
Christum ingreditur multitudo. Ostende-
batur illi columna ecclesiæ porticum susti-
nens, infecta cruore Domini, ad quam vin-
Actor. 2. ctus dicitur & flagellatus. Monstrabatur
locus, vbi super centum viginti credentium
animas Spiritus sanctus descendisset, vt Ioë-
Ioel. 2. lis vaticinium compleretur. Deinde pro
facultatulâ suâ pauperibus atque conseruis
Pecunias pecuniâ distributâ, perrexit Bethlehem, &
distribuit. in dexterâ parte itineris stetit ad sepulchrum
Genes. 35. Rachel, in quo mater Beniamin, non vt
vocauerat moriens, Benoni, hoc est filius
doloris mei: sed vt pater prophetizauit in
spiritu, filium dexteræ procreauit. Atque
inde Bethlehem ingressa, & in specum
Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum
Virginis diuersorium, & stabulum, in quo
Isaiæ 1. agnoscit bos possessorem suum, & asinus
præsepe Domini sui, vt illud impleretur,
Isaiæ 32. quod in eodem Prophetâ scriptum est: Bea-
tus qui seminat super aquas, vbi bos & asi-
nus calcant: me audiente iurabat, cernere
se oculis fidei infantem pannis inuolutum, Luc. 2.
vagientem in præsepi Dominum, Magos Matth. 2.
adorantes, stellam fulgentem desuper, ma-
trem virginem, nutricium sedulum, pasto-
res nocte venientes vt viderent verbum
quod factum erat, & iam nunc euangelistæ
Ioannis principium dedicarent: In princi- Ioan. 1.
pio erat Verbum, & Verbum caro factum
est: paruulos interfectos, Herodem sæ- Matth. 2.
uientem, Ioseph & Mariam fugientes in
Ægyptum: mixtisque gaudio lacrymis,
loquebatur:

Salue Bethlehem, domus panis, in quâ CAP. VIII
natus est ille panis, qui de cælo descendit. Ioan. 6.
Salue Ephrata regio vberrima atque καρ-
ποφόρα, cuius fertilitas Deus est. De te quon-
dam Michæas vaticinatus est: Et tu Beth- Mich. 5.
lehem domus Ephrata, non minima es in
millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit
princeps in Israël: & egressus eius ab initio,
à diebus æternitatis. Proptereà dabis eos
vsque ad tempus parientis. Pariet, & reli-
quiæ fratrum eius conuertentur ad filios Rom. 9.
Israël. In te enim natus est princeps, qui an- Psal. 109.
te luciferum genitus est: cuius de Patre na-
tiuitas omnem excedit ætatem. Et tam diu
in te Dauidici generis origo permansit, do-
nec virgo pareret, & reliquiæ populi cre-
dentis in Christum conuerterentur ad filios
Israël, & liberè prædicarent: Vobis oporte- Actor. 13.
bat primùm loqui verbum Dei: sed quo-
niam repulistis illud, & indignos vos iudi-
castis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad
gentes. Dixerat enim Deus: Non veni nisi Matth. 15.
ad oues perditas domus Israël. Et eo tem-
pore Iacob super eo verba completa sunt:
Non deficiet princeps ex Iudâ, & dux de Gen. 49.
femoribus eius, donec veniat, cui repositum
est, & ipse erit exspectatio gentium. Benè
Dauid iurabat, benè vota faciebat, dicens:
Si introiero in tabernaculum domus meæ, Psal. 131.
si ascendero in lectum strati mei: si dedero
somnum oculis meis, & palpebris meis dor-
mitationem, & requiem temporibus meis,
donec inueniam locum Domino, taberna-
culum Deo Iacob: & statim, quid deside-
raret, exposuit, atque oculis prophetalibus,
quem nos venisse iam credimus, ille ventu-
rum esse cernebat. Ecce audiuimus eum in
Ephratâ, inuenimus eum in campis siluæ.
Vau quippe sermo Hebraicus, vt te docente
didici, non Mariam matrem Domini, hoc
est αὐτὴν, sed ipsum, id est αὐτὸν, significat.
Vnde loquitur confidenter: Introibimus
in tabernaculum eius, adorabimus in loco,
vbi steterunt pedes eius. Et ego misera atque
peccatrix, digna sum iudicata deosculari
præse-

præsepe, in quo Dominus paruulus vagijt? Orare in spelunca, in qua virgo puerpera
Psal. 131. Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini patria est: hic habitabo,
Psal. 21. quoniam Saluator elegit eam. Paraui lucernam Christo meo. Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.
Cap. IX. Haud procul inde descendit ad turrim
Gen. 35. Ader, id est, gregis: iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes au-
Luce 2. dire meruerunt, Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis. Dumque seruant oues, inuenerunt
Iudic. 6. Agnum Dei puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ, cælesti rore compluium est: & cuius sanguis tulit pec-
Exodi 12. cata mundi, & exterminatorem Ægypti litus in postibus fugauit. Statimque concito gradu, cœpit per viam veterem pergere, quæ ducit Gazam, ad potentiam vel
Actor. 8. ad diuitias Dei, & tacita secum voluere, quomodo eunuchus Æthiops, gentium populos præfigurans, mutauerit pellem suam: & dum vetus relegit Instrumentum, fontem reperit Euangelij. Atque inde ad dexteram, transita Bethsur, venit Escol, quæ in botrum vertitur. Vnde in testimonium terræ fertilissimæ, & in typum eius, qui di-
Isa. 63. cit: Torcular calcaui solus, & de gentibus
Iosu. 2. non est vir mecum; exploratores botrum miræ magnitudinis portauerunt. Nec post
Num. 13. longum spatium intrauit Saræ cellulas, videns incunabula Isaac, & vestigia quercus
Gen. 18.
Ioan. 8. Abraham, sub qua vidit diem Christi, & lætatus est. Atque inde consurgens, ascendit Chebron: hæc est Cariatharbe, id est, oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi
Iosu. 14. 15.
Iudic. 1. conditum, iuxta librum Iesu Naue, Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur. His inspectis, noluit pergere ad Cariathsephor, id est, viculum litterarum:
Iosu. 15. quia contemnens occidentem litteram, re-
Iudic. 1. pererat spiritum viuificantem. Magisque mirabatur superiores & inferiores aquas, quas Othoniel filius Iephonæ Kenaz pro Australi terrà & aridà possessione susceperat: & quarum ductu siccos prioris Instrumenti agros faciebat irriguos, vt redemptionem veterum peccatorum in aquis Baptismi reperiret. Alterà die, orto iam sole, stetit in supercilio Caphar Barucha, id est, villæ benedictionis: quem ad locum
Gen. 18. Abraham Dominum prosecutus est. Vnde latam despiciens solitudinem, ac terram quondam Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, contemplata est Balsami
Isaiæ 15. vineas in Engaddi, & Segor vitulam conternantem, quæ prius Bala vocabatur: & in Zoaram, id est paruulam, Syro sermone translata est. Recordabatur speluncæ Lot, & versa in lacrymas, virgines socias Gen. 19. admonebat, cauendum esse vinum, in quo est luxuria, cuius opus Moabitæ sunt & Ammonitæ.

Diu hæreo in meridie, vbi sponsa cu- Cap. X.
bantem reperit sponsum, & Ioseph ine- Cant. 1.
briatus est cum fratribus suis. Reuertar Gen. 43.
Ierosolymam, & per Thecuam atque Amos rutilantem montis Olíueti lucem adspiciam, de quo Saluator ascendit ad Actor. 1.
Patrem. In quo per annos singulos vacca Num. 19.
ruffa in holocaustum Domino cremabatur, & cuius cinis expiabat populum Israël: in quo, iuxta Ezechielem, Che- Ezech. 10.
rubim de templo transmigrantes, Eccle- Matth. 21.
siam Domini fundauerunt. Post ingressa sepulcrum Lazari, Mariæ & Marthæ vidit hospitium, & Bethphage, villam sacerdotalium maxillarum: & locum, in quo pullus Luce 18.
lasciuiens gentium, Dei fræna suscepit: apostolorumque stratus vestibus, mollia terga præbuit ad sedendum. Rectoque itinere descendebat Iericho, recogitans il- Luce 10.
lum de Euangelio vulneratum, ac sacerdotibus & Leuitis, mentis feritate prætereuntibus, clementiam Samaritæ, id est, custodis, qui seminecem suo iumento impositum, ad stabulum Ecclesiæ deportauit. Et locum Adomim, quod interpretatur, sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus. Et arbo- Luce 19.
rem sycomorum Zacchæi, id est, bona pœnitentiæ opera, quibus cruenta dudum & noxia rapinis peccata calcabat, excelsumque Dominum de excelso virtutum intuebatur. Et iuxta viam cæcorum loca, qui receptis luminibus vtriusque populi credentis in Dominum sacramenta præ- 3 Reg. 16.
miserant. Ingressa Iericho, vidit vrbem, Iosu. 6.
quam fundauit Hiel in Abiram primogenito suo, & cuius portas posuit in Segub nouissimo filiorum. Intuita est castra Galgalæ, & aceruum præputiorum, & secundæ circumcisionis mysterium, & duodecim lapides, qui de Iordanis illuc translati alueo, duodecim apostolorum fundamenta firmauerant: & fontem quondam legis amarissimum & sterilem, quem verus Eli- 4. Reg. 2.
sæus suà condiuit sapientià, & in dulcorem vbertatemque conuertit. Vix nox transierat, feruentissimo æstu venit ad Iordanem. Stetit in ripà fluminis, & orto sole, Solis iustitiæ recordata est, quomodo in medio amnis alueo sicca sacerdotes posuerint ve- Iosu. 3.
stigia: & ad Eliæ & Elisæi imperium, stantibus ex vtraque parte aquis, iter vnda præ- 4. Reg. 2.
buerit:

buerit: pollutasque diluuio aquas, & totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus mundauerit Baptismate.

CAP. XI. Longum est, si velim de valle Achor dicere, id est, tumultus atque turbarum, in quâ furtum & auaritia condemnata est: & de Bethel domo Dei, in quâ super nudam humum, nudus & pauper dormiuit Iacob: & posito subter caput lapide, qui in Zachariâ septem oculos habere describitur, & in Isaiâ lapis dicitur angularis: vidit scalam vsque ad cælum tendentem, in quâ Dominus desuper innitebatur, ascendentibus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans. Sepulcra quoque in monte Ephraim Iesu filij Naue, & Eleazari filij Aaron sacerdotis, è regione venerata est: quorum alter conditus est in Tamnathsare à Septemtrionali parte montis Gaias: alter in Gabaâ filij sui Phineës: satisque mirata est, quòd distributor possessionum sibi montana & aspera delegisset. Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodieque monstratur, & raptum Sabinarum à Romulo, tribus Beniamitica præcucurrit? Transiuit Sichem, non vt plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim extructam circa puteum Iacob intrauit ecclesiam: super quo residens Dominus, sitiensque & esuriens, Samaritanæ fide satiatus est: quæ quinque Moysaicorum voluminum viris, sextoque, quem se habere iactabat, [15] errore Dosithei derelicto, verum Messiam & verum reperit Saluatorem. Atque inde diuertens, vidit duodecim patriarcharum sepulchra, & Sebasten, id est, Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Elisæus & Abdias prophetæ, & (quo maior inter natos mulierum non fuit) Ioannes Baptista. Vbi multis intremuit consternata mirabilibus: [16] namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere: suspensisque pede feminis, vestes defluere in faciem. Miserebatur omnium, & per singulos effusis lacrymis, Christi clementiam deprecabatur. Et sicut erat inualida, ascendit pedibus montem: in cuius duabus speluncis, persecutionis & famis tempore Abdias propheta centum prophetas aluit pane & aquâ. Inde cito itinere percucurrit Nazareth, nutriculam Domini, Canan & Capharnaum, signorum eius familiares. Lacum Tiberiadis, nauigante Domino sanctificatum: & solitudinem, in quâ multa populorum millia paucis saturata sunt panibus, & de reliquijs vescentium repleti sunt cophini duodecim tribuum Israël. Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus est Dominus. Adspiciebat procul montes Hermon & Hermoniim, & campos latissimos Galilææ, in quibus Sisara & omnis exercitus eius, Barach vincente, prostratus est. Torrens Cison, qui mediam planitiem diuidebat, & oppidum iuxtà Naim, in quo viduæ suscitatus est filius, monstrabatur. Dies me prius quàm sermo deficiet, si voluero cuncta percurrere, quæ Paula venerabilis fide incredibili peruagata est.

CAP. XII. Transibo ad Ægyptum, & inter Soccoth atque fontem Samson, quem de molari maxillæ dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam, vt refocillatus videam Morasthim, sepulcrum quondam Michææ prophetæ, nunc ecclesiam; & ex latere derelinquam Chorræos, & Gethæos, Maresa, Idumæam, & Lachis: & per arenas mollissimas, pergentium vestigia subtrahentes, latamque eremi vastitatem, veniam ad Ægypti fluuium Sior, qui interpretatur turbidus: & quinque Ægypti transeam ciuitates, quæ loquuntur lingua Chananitide, & terram Gessen, & [17] campos Taphneos, in quibus fecit Deus mirabilia: & vrbem No, quæ posteà versa est in Alexandriam: & oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lauantur quotidie plurimorum. Quod cùm vidisset, occurrente sibi sancto ac venerabili [18] episcopo Isidoro confessore, & turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos sacerdotalis & Leuiticus sublimabat gradus: lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego narrem Macarios, [19] Arsatas, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? cuius non intrauit cellulam? quorum pedibus non aduoluta est? Per singulos sanctos Christum se videre credebat: & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur. Mirus ardor, & vix in feminâ credibilis fortitudo. Oblita sexus & fragilitatis corporeæ, inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat: & forsitan, cunctis eam suscipientibus, impetrasset, ni maius sanctorum locorum retraxisset

Marginal notes (left): Iosu. 7. — Gen. 28. — Zach. 3. — Isaiæ 28. — Iosu. 24. — Iud. 21. — Ioan. 4. — *Sepulcrum Elisæi, Abdiæ & Ioannis Baptistæ in Samariâ.* — 3. Reg. 18.

Marginal notes (right): Matth. 2. — Lucæ 4. — Ioan. 6. — Matth. 17. — Iudic. 4. — Lucæ 7. — Iudic. 15. — *Inuisit sancta Paula cellulas sanctorum monachorum.*

xisset desiderium. Atque propter feruentissimos æstus de Pelusio Maiomam nauigatione perueniens, tantâ velocitate reuersa est, vt auem putares. Nec multò pòst in sanctâ Bethlehem mansura perpetuò, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in quâ Maria & Ioseph hospitium non inuenerant.

Condit monasteria in Bethlehem.

CAP. XIII. Hucusque iter eius descriptum sit, quod cum multis virginibus & filia comite peragrauit. Nunc virtus latiùs describatur, quæ ipsius propria est, & in quâ exponendâ, Deo iudice ac teste, profiteor me nihil addere, nihil in manus attollere more laudantium; sed, ne rerum excedam fidem, multa detrahere, & ne apud detractores & genuino me semper dente rodentes fingere puter, & cornicem Æsopi alienis coloribus adornare. Quæ prima Christianorum virtus est, tantâ se humilitate deiecit, vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum vltimam: & cùm frequentibus choris virginum cingeretur, & veste, & voce, & habitu, & incessu minima omnium erat: numquam post viri mortem vsque ad diem dormitionis suæ cum vllo comedit viro, quamuis eum sanctum, & in pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans, non adiit. Mollia, etiam in grauissimâ febre, lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctésque iungebat, illud implens de psalterio: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. In quâ fontes crederes lacrymarum: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.

Eius humilitas. *Vidua numquam cum viro comedit.* *Stratum eius cilicium in humo.* *Psal. 6.* *Copia lacrymarum.* *Affligit corpus quod sæculo seruiit.*

CAP. XIV. Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illâ voluero prædicare, superfluus videar: in quâ etiam cùm sæcularis esset, omnium Romæ matronarum exemplum fuit: quæ ita se gessit, vt numquam de illâ etiam maledicorum quidquam auderet fama confingere. Nihil animo eius clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Non appetebat potentes: nec tamen superbos & gloriolam quærentes, fastidio despiciebat. Si pauperem videbat, sustentabat: si diuitem, ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum. Et vsuras tribuens, versuram quoque sæpiùs faciebat, vt nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: cùm in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de Apostolo: Non vt alijs sit refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in hoc tempore, vt vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad vestram inopiam. Et hoc de Euangelio Saluatoris: Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti. Et prouidendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset: multaque huiuscemodi, quæ illa mirâ verecundiâ & sermone parcissimo dissoluebat, testem inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere: & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur: vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo alienâ sindone inuolueretur. Ad extremum sic inferebat: Ego si petiero, multos inueniam qui mihi tribuant: iste mendicans si à me non acceperit, quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa ardentior fide, toto Saluatori animo iungebatur, & pauperem Dominum, pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consecuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens, non suis viribus, sed Christi se confidit misericordiâ reddituram.

Castitas insignis. *Liberalitas* *2. Cor. 8.* *Lucæ 3.* *Studium paupertatis*

CAP. XV. Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusâ, manum à ceteris retrahere: quo illa omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab eâ pauperum vacuus reuersus est. Quod obtinebat, non diuitiarum magnitudine, sed prudentiâ dispensandi; illud semper replicans: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et: Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum. Et: Facite vobis amicos de iniquo mammonâ, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Et: Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et verba Danielis, regem Nabuchodonosor monentis, vt eleëmosynis redimeret peccata sua.

Nullum pauperem vacuum remittit. *Matth. 5.* *Eccli. 3.* *Lucæ 16.* *Lucæ 11.* *Dan. 4.*

Nole-

Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terrâ & sæculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus, qui voluuntur
Apoc.21. super terram, de quibus in Apocalypsi Ioannis, ciuitas magni regis extruitur: quos in sapphirum, & smaragdum, & iaspidem, & ceteras gemmas esse vertendos,
Isa.54. Scriptura commemorat. Verùm hæc possunt esse communia cum multis, & scit diabolus, non in summo virtutum culmine posita. Vnde loquitur ad Dominum, post amissam Iob substantiam, post euersam
Iob 2. domum, post liberos interfectos: Corium pro corio, & omnia quæ habuerit homo, dabit pro animâ suâ. Sed extende manum tuam, & tange ossa eius & carnes, nisi in faciem benedixerit tibi. Scimus plerosque dedisse eleëmosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse: porrexisse egentibus manum, sed carnis voluptate superatos:
Math 23. dealbasse ea quæ foris erant, & intus plenos fuisse ossibus mortuorum. At non Paula talis: quæ tantæ continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiunijs ac labore contrahe-
Ieiunia & abstinẽtia. ret. Quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino & liquamine, piscibus & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gustui suauia sunt, iudicarit. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur.

Cap.XVI. Semper quidem virtutes sequitur inuidia, feriuntque summos fulgura montes. Nec mirum, si hoc de hominibus loquar, cùm etiam Dominus noster pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes sancti æmulos
Gen.3. habuerint: in paradiso quoque serpens fue-
Sap.2. rit, cuius inuidiâ mors introiuit in orbem
3.Reg.11. terrarum. Suscitauerat ei Dominus Adad
2.Cor.12. Idumæum, qui eam colaphizaret, ne se extolleret: & quasi quodam stimulo carnis sæpiùs admonebat, ne magnitudo virtutum altiùs raperet, & aliarum vitijs feminarum se in excelso crederet constitutam. Ego aiebam, liuori esse cedendum, & dan-
Gen.27. dum insaniæ locum: quod fecisset Iacob in
1.Reg.27. fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostibus, quàm inuidis subiacere. At illa respondebat: Iustè hæc diceres, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet: si non sanctorum loco-
Patientiâ liuorem superat. rum amore retinerer, & Bethlehem meam in aliâ reperire possem parte terrarum. Cur enim non patientiâ liuorem superem? Cur non humilitate frangam superbiam, & per- Matth 5.
cutienti maxillam offeram alteram? dicente apostolo Paulo: Vincite in bono malum. Rom.12.
Nónne apostoli gloriabantur, quando pro Actor.5.
Domino passi sunt contumeliam? Nónne Philip.2.
ipse Saluator humiliauit se, formam serui accipiens, & factus est obediens Patri vsque ad mortem, & mortem crucis, vt nos suâ passione saluaret? Iob nisi certasset, & vicisset in prælio, non accepisset coronam iustitiæ, nec audisset à Domino: Putas me Iob 42.
aliter locutũ tibi, quàm vt appareres iustus? Beati dicuntur in Euangelio, qui persecu- Matth.5.
tionem patiuntur propter iustitiam. Secura sit conscientia, quòd non propter peccata patiamur: & afflictio in sæculo, materia præmiorum est.

Si quando procacior fuisset inimicus, & Cap.XVII
vsque ad verborum iurgia prosiluisset, illud Sacra Scriptura testimonijs tentationibus resistit.
Psalterij decantabat: Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui & silui à bonis. Et rursus: Ego autem quasi surdus non Psal.38.
audiebam, & quasi mutus non aperiens os Psal.37.
suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpationes. In tentationibus, Deuteronomij verba voluebat, Tentat vos Dominus Deus ve- Deut.13.
ster, vt sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, & de totâ animâ vestrâ. In tribulationibus & angustiis, Isaiæ replicabat eloquia: Qui ablactati Isa.28.
estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationẽ exspectate, spem super spem: adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere: scientes quoniam tribulatio Rom.5.
patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Et: Quòd si is qui foris est, 2.Cor.4.
homo noster corrumpatur: ille qui intus est, innouetur: & inpræsentiarum leue & momentaneum tribulationis vestræ, æternæ gloriæ pondus operatur in vobis non adspicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Nec longum fore tempus, etiam si humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei statim videatur auxilium, dicentis: Tempore Isaiæ 49.
opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Nec dolosa labia & linguas iniquorum esse metuendas, cùm Domino adiutore lætemur, & ipsum debeamus audire per Prophetam monentem:

Nolite

Isaiæ 51. Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metueritis. Sicut enim vestimentum, sic comedit eos vermis: & sicut lanam, sic deuorauit eos tinea. Et:
Lucæ 21. Per patientiam vestram possidebitis animas
Rom. 8. vestras. Et: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ
Prou. 14. reuelabitur in nobis. Et alibi: Tribulationem super tribulationem sustinete, vt patienter agamus in omnibus, quæ accidunt nobis. Patiens enim vir, multùm prudens: qui autem pusillanimis est, vehementer insipiens. In languoribus & crebrâ infirmitate
2. Cor. 12. dicebat: Quando infirma sum, tunc for-
2. Cor. 4. tis sum. Et: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptiuum hoc ve-
1. Cor. 15. stiatur incorruptione. Et iterùm: Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat & consolatio. Ac
2. Cor. 1. deinde: Vt socij passionum estis, sic eritis &
Psal. 41. consolationis. In mœrore cantabat: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus. In
Lucæ 9. periculis loquebatur: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterùm: Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. Et: Qui perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris & euersio totius patrimo-
Matth. 16. nij nuntiabatur, aiebat: Quid enim prodest homini, si totum mundum lucrifecerit, & animæ suæ damnum habuerit? aut quam dabit homo commutationem pro animâ
Iob 1. suâ? Et: Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini
1. Ioan. 2. benedictum. Et illud: Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Quoniam omne quod in mundo est, desiderium carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ huius, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. Et mundus transit, & concupiscentia eius. Scio ei scriptas infirmitates grauissimas liberorum, & maximè Toxotij sui, quem diligebat plurimùm.
Psal. 76. Cúmque illud virtute complesset, Turbata sum, & non sum locuta; in hæc verba pro-
Matth. 10. rupit: Qui amat filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus. Et orans ad
Psal. 78. Dominum, loquebatur: Posside Domine filios mortificatorum, qui pro te quotidie mortificant corpora sua.

C. XVIII. Noui susurronem quemdam (quod genus hominum perniciosissimum est) quasi beneuolum nuntiasse, quòd pro nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa respondit: Theatrum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Et: Nos 1. Cor. 4.
stulti propter Christum, sed stultum Dei 1. Cor. 1.
sapientius est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: Tu scis insipientiam Psal. 68.
meam. Et iterùm: Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Vt Psal. 70.
iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Quem in Euangelio & propin- Psal. 72.
qui quasi mentis impotem ligare cupiebant, Marc. 3.
& aduersarij suggillabant, dicentes: Dæmonium habet, & Samaritanus est. Et: In Ioan. 8.
Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæ- Matth. 12.
monia. Sed nos audiamus Apostolum cohortantem: Hæc est gloria nostra, testimo- 2. Cor. 1.
nium conscientiæ nostræ: quoniam in sanctitate & sinceritate, & in gratiâ Dei conuersati sumus in mundo. Et Dominum dicentem ad apostolos: Ideò mundus odit Ioan. 15.
vos, quoniam non estis de mundo. Si enim essetis de mundo, amaret vtique mundus quod suum erat. Et ad ipsum Dominum verba vertebat: Tu nosti cordis abscondita, Psal. 43.
& hæc omnia venerunt super nos, nec sumus obliti tui, neque iniquè egimus in testamento tuo, nec auersum est retrorsum cor nostrum. Et: Propter te mortificati sumus totâ die: reputati sumus vt oues occisionis. Sed Dominus auxiliator meus, non timebo Psal. 117.
quid faciat mihi homo. Legi enim: Fili, honora Dominum, & confortaberis, & extra Prou. 7.
Dominum nullum timueris. His & talibus Ephes. 6.
testimonijs, quasi armaturâ Dei, & aduersus *Armaturâ*
omnia quidem vitia, sed præcipuè instrue- *Christi superat inimicos.*
bat se contra inuidiam sæuientem: & patiendo iniurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. Denique vsque ad diem mortis, & huius patientia, & aliorum zelus omnibus patuit: qui suum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur.

Dicam & de ordine monasterij, quomo- CAP. XIX.
do sanctorum continentiam in suum verterit lucrum. Seminabat carnalia, vt meteret 1. Cor. 9.
spiritualia: dabat terrena, vt cælestia tolleret: breuia concedebat, vt pro his æterna mutaret. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgi- *Monasteria virorum & mulierum condit.*
nes, quas è diuersis prouincijs congregarat, tam nobiles, quàm medij & infimi generis, in tres turmas monasteriáque diuisit: ita dumtaxat, vt in opere & in cibo separatæ, psalmodiis & orationibus iungerentur. Post Alleluia cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non

m ter-

terrore. Manè, horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant: nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad ecclesiam procedebant ex cuius habitabant latere: & vnumquodque agmen matrem propriam sequebatur: atque inde pariter reuertentes, instabant operi distributo, & vel sibi vel ceteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo suâ habere comitem, ne veterum actuum memor, & lasciuientis infantiæ errorem refricaret antiquum, & crebrâ confabulatione renouaret. Vnus omnium habitus. Linteamine ad tergendas solùm manus vtebantur. A viris tanta separatio, vt à spadonibus quoque eas seiungeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ, quæ sanctos carpere solita est in solatium delinquendi. Si qua vel tardior veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, varijs eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditijs; si patiens, correptione, illud Apostoli imitans: Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis? Excepto victu & vestitu, nullam habere quidquam patiebatur, dicente Paulo: Habentes victum & vestitum, his contenti sumus: ne consuetudine plus habendi præberet locum auaritiæ, quæ nullis expletur opibus: & quantò amplius habuerit, plus requirit: & neque copiâ neque inópiâ minuitur. Iurgantes inter se, sermone lenissimo fœderabat. Lasciuientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat ieiunijs, malens eis stomachum dolere, quàm mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis & vultus tristitiâ arguebat errantem, dicens, munditiem corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam: & turpe verbum atque lasciuum numquam de ore virgineo proferendum: quibus signis libidinosus animus ostenditur, & per exteriorem hominem interioris hominis vitia demonstrantur. Quam linguosam, garrulam ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpiùs commonitam nolle conuerti, inter vltimas & extra conuentum sororum ad fores triclinij orare faciebat, & separatim cibum capere: vt quam obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. Furtum quasi sacrilegium detestabatur: & quod inter sæculi homines vel leue putatur vel nihili, hoc in monasterijs grauissimum dicebat esse delictum. Quid memorem clementiam & sedulitatem in ægrotantes, quas miris obsequijs & ministerijs confouebat?

Canon monasterij virginum. — *1. Cor. 4.* — *1. Tim. 6.* — *Eccle. 5.* — *Lasciuientium carnem macerat, etiam cum dolore stomachi.* — *Rixis deditas vt castigarit.* — *Humanitas in ægrotas.*

Cúmque alijs languentibus largè præberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium; si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur, quòd in alijs clementiam, in se duritiam commutabat. Nulla iuuenum puellarum sano & vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto & senili debilitatoque corpusculo. Fateor, in hac re pertinacior fuit, vt sibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Referam, quod expertus sum. Mense Iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem cùm Dei misericordiâ respirasset, & medici persuaderent, ob refectionem corporis vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens, in hydropem verteretur, & ego clàm beatum papam Epiphanium rogarem, vt eam moneret, imò compelleret vinum bibere: illa, vt erat prudens & solertis ingenij, statim sensit insidias: & subridens, meum esse quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cùm beatus pontifex post multa hortamenta exisset foràs, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, vt seni homini pænè persuaserit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quòd inconsideranter & vltra vires sumpta onera probem, monente Scripturâ, Super te onus ne leuaueris; sed quòd mentis eius ardorem, & desiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perseuerantiâ, decantantis: Sitiuit anima mea in te, quàm multipliciter tibi caro mea!

Erga se seueritas. — *Prou. 13.* — *Psal. 62.*

Difficile est modum tenere in omnibus: & vere iuxta philosophorum sententiam, μεσότης ἡ ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ φίλεται, id est, Modus virtus est, vitium nimietas reputatur. Quod nos vnâ & breui sententiolâ exprimere possumus, Ne quid nimis. Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam, in luctu mitis erat, & suorum mortibus frangebatur, maximè liberorum. Nam & in viri & filiarum dormitione semper periclitata est: & cùm os stomachumque signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione lenire, superabatur affectu, & credulam mentem, parentis viscera consternabant: animoque vincens, fragilitate corporis vincebatur. Quam semel languor arripiens, longo tempore possidebat, vt & nobis inquietudinem, & sibi discrimina offerret: in quo illa lætabatur, per momenta commemorans: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Dicat prudens lector, pro laudibus me vituperationem scribere. Testor Iesum, cui illa seruiuit, & ego seruire cupio, me vtramque in partem nihil fingere,

Cap. XX. — *Signaculo crucis dolorem lenire tentat.* — *Rom. 7.*

gere, sed quasi Christianum de Christianâ,
quæ sunt vera, proferre, id est historiam scri-
bere, non panegyricum; & illius vitia, alio-
rum esse virtutes. Vitia loquor, secundùm
animum meum, & omnium sororum ac
fratrum desiderium, qui illam diligimus,
& absentem quærimus.

Cap. xxi. Ceterùm illa impleuit cursum suum,
2.Tim.4. fidemque seruauit, & nunc fruitur coronâ
Apoc.14. iustitiæ, sequiturque Agnum quocumque
vadit. Saturatur, quia esuriuit, & læta de-
Psal.47. cantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus in
ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei
nostri. O beata rerum commutatio! fleuit,
Ierem.2. vt semper rideret. Despexit lacus contritos,
vt fontem Dominum reperiret. Vestita ci-
licio est, vt nunc albis vestimentis vteretur,
Psal.29. & diceret: Scidisti saccum meum, & in-
Psal. 101. duisti me lætitiâ. Cinerem sicut panem
manducabat, & potionem suam cum fletu
Psal.41. miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ
meæ panes die ac nocte, vt in æternum pa-
Psal. 33. ne Angelorum vesceretur, & caneret: Gu-
state & videte, quoniam suauis est Domi-
Psal.44. nus. Et: Eructauit cor meum verbum bo-
num, dico ego opera mea regi. Et Isaiæ,
imò Domini per Isaiam, in se cerneret
Isa. 65. verba compleri: Ecce qui seruiunt mihi,
manducabunt, vos autem esurietis: ecce
qui seruiunt mihi, bibent, vos autem sitietis.
Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur, vos au-
tem confundemini. Ecce qui seruiunt mihi,
exultabunt, vos autem clamabitis ob dolo-
rem cordis, & propter contritionem spiritus
vlulabitis.

Cap. xxii Dixeram, lacus eam semper fugisse con-
tritos, vt fontem Dominum reperiret; vt
Psal. 41. posset læta cantare: Sicut ceruus desiderat
ad fontes aquarum, ita desiderat anima
mea ad te Deus. Quando veniam & appa-
Odium eius rebo ante faciem Dei? Tangam ergo bre-
in hæreti- uiter, quomodo hæreticorum cœnosos de-
cos. uitauerit lacus, & eos instar habuerit ethni-
corum. 20 Quidam veterator callidus, at-
que vt sibi videbatur, doctus & sciolus, me
nesciente cœpit ei proponere quæstiones,
& dicere: Quid peccauit infans, vt à dæ-
mone corripiatur? In quâ ætate resurrecturi
sumus? Si in ipsâ quâ morimur, ergo nu-
tricibus post resurrectionem opus erit: si
in alterâ, nequaquam erit resurrectio mor-
tuorum, sed transformatio in alios. Diuer-
sitas quoque sexus maris ac feminæ erit, aut
non erit? Si erit, sequentur & nuptiæ, &
concubitus, sed & generatio: si non erit,
sublatâ diuersitate sexus, eadem corpora
Sap.9. non resurgent: aggrauat enim terrena in-
habitatio sensum multa cogitantem: sed
tenuia erunt & spiritualia, dicente Aposto-
lo: Seminatur corpus animale, resurget cor- 1.Cor. 15.
pus spirituale. Ex quibus omnibus probare
cupiebat, rationales creaturas ob quædam
vitia & antiqua peccata, in corpora esse de-
lapsas: & pro diuersitate & meritis peccato-
rum, tali vel tali conditione generari, vt vel
corporum sanitate gauderent, & parentum
diuitijs ac nobilitate, vel in morbidas car-
nes & domus inopum venientes, pœnas pri-
stinorum luerent delictorum, & præsenti
sæculo atque corporibus quasi carcere clau-
derentur. Quod cùm audisset, & ad me re-
tulisset, indicans hominem, mihique in-
cubuisset necessitas nequissimæ viperæ ac
mortiferæ bestiæ resistendi, de quibus Psal-
mista commemorat, dicens: Ne tradas be- Psal. 73.
stijs animas confitentium tibi. Et: Increpa & 67.
Domine bestias calami, qui scribentes ini-
quitatem, loquuntur contra Dominum
mendacium, & eleuant in excelsum os
suum: conueni hominem, & orationibus
eius, quam decipere nitebatur, breui inter- Versutum
rogatione conclusi, dicens: Vtrùm crederet hæreticum
futuram resurrectionem mortuorum, an confutat sanctus
non? Qui cùm se credere respondisset, in- Hierony-
tuli: Eadem resurgent corpora, an altera? mus.
Cùm dixisset, Eadem, sciscitatus sum: In
eodem sexu, an in altero? Ad interrogata
reticenti, & instar colubri huc atque illuc
transferenti caput, ne feriretur: Quia, in-
quam, taces, ego mihi pro te respondebo, &
consequentia inferam: Si non resurget mu-
lier vt mulier, neque masculus vt masculus;
non erit resurrectio mortuorum: quia sexus
membra habet, membra autem totum cor-
pus efficiunt. Si autem sexus & membra
non fuerint, vbi erit resurrectio corporum,
quæ sine sexu non constant & membris?
Porrò si corporum non fuerit resurrectio,
nequaquam erit resurrectio mortuorum.
Sed & illud, quod de nuptijs obijcis: Si ea-
dem membra fuerint, sequi nuptias, à Sal- Matth.22.
uatore dissoluitur, dicente: Erratis, ne-
scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In Luc. 20.
resurrectione enim mortuorum non nu-
bent, neque nubentur, sed erunt similes
Angelorum. Vbi dicitur, Non nubent, ne-
que nubentur, sexuum diuersitas demon-
stratur. Nemo enim de lapide & ligno di-
cit, Non nubent, neque nubentur, quæ
naturam nubendi non habent: sed de ijs,
qui possint nubere, & gratiâ Christi ac vir-
tute non nubant. Quòd si opposueris: Quo-
modo ergo erimus similes Angelorum, cùm Luc. 7.
inter Angelos non sit masculus & femina?
breuiter ausculta: Non substantiam nobis
Angelorum, sed conuersationem & beati-
tudinem Dominus repromittit. Quomodò
& Ioannes Baptista, antequam decollare-
tur,

ROMAN. tur, Angelus appellatus est;& omnes sancti ac virgines Dei, etiam in isto sæculo vitam in se exprimunt Angelorum. Quando enim dicitur, Eritis similes Angelorum; similitudo promittitur, non natura mutatur. Simulque responde, quomodo illud interpreteris, quod Thomas Domini resurgentis tetigerit manus, & viderit lanceà latus eius perforatum? Et Petrus in litore stantem viderit Dominum, & partem assi piscis, ac fauum mellis comedentem? Qui stabat, profectò habebat pedes. Qui monstrauit latus vulneratum, vtique & ventrem & pectus habuit, sine quibus non sunt latera ventri & pectori cohærentia. Qui locutus est, linguâ & palato ac dentibus loquebatur. Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, & vocalem reddit sonum. Cuius palpatæ sunt manus, consequenter & brachia habuit. Cùm igitur omnia membra habuisse dicatur, necesse est, vt totum corpus habuerit, quod conficitur ex membris: non vtique femineum, sed virile, id est, eiusdem sexus, in quo mortuus est. Quòd si obtenderis, Ergo & nos post resurrectionem comedemus? Et quomodo clausis ingressus est ianuis, contra naturam pinguium & solidorum corporum? Audies: Noli propter cibum, resurrectionis fidem in calumniam trahere. Nam & archisynagogi filiæ resuscitatæ iussit cibum dari, & Lazarus quatriduanus mortuus, cum ipso scribitur iniisse conuiuium, ne resurrectio eorum phantasma putaretur. Sin autem clausis ingressus est ianuis, & idcircò spirituale & aëreum corpus niteris approbare: ergo & antequam pateretur, quia contra naturam grauiorem corporum super mare ambulauit, spirituale corpus habuit: & apostolus Petrus, qui & ipse super aquas pendulo incessit gradu, spirituale corpus habuisse credendum est, cùm potentia magis & virtus ostendatur Dei, quando fit aliquid contra naturam. Et vt scias, in signorum magnitudine non naturæ mutationem, sed Dei omnipotentiam demonstrari: qui ambulabat fide, cœpit infidelitate mergi, nisi eum manus Domini subleuasset, dicentis: Modicæ fidei, quare dubitasti? Miror autem te obdurare frontem, loquente Domino: Infer digitum tuum huc, & tange manus meas: & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Et alibi: Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Ossa audis, & carnem, & pedes, & manus: & [21] globos mihi Stoicorum, atque aërea quædam deliramenta confingis. Porrò si quæris, cur infans à dæmone corripiatur, qui peccata non habuit: aut in quâ ætate resurrecturi simus, cùm diuersa ætate moriamur: ingratis suscipies, Iudicia Dei abyssus multa. Et: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Ætatum autem diuersitas non mutat corporum veritatem. Cùm enim quotidie corpora nostra fluant, & aut crescant aut decrescant: ergo tot erimus homines, quot quotidie commutamur? aut alius fui cùm decem annorum essem, alius cùm triginta, alius cùm quinquaginta, alius iam toto cano capite sum? Igitur, iuxta ecclesiarum traditiones & apostolum Paulum, illud est respondendum, quòd in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus, in quâ & Adam Iudæi conditum autumant, Dominum Saluatorem legimus surrexisse: & multa alia, quæ de vtroque Testamento in suffocationem hæretici protuli. Ex quo die ita cœpit hominem detestari, & omnes qui eiusdem dogmatis erant, vt eos voce publicâ hostes Domini proclamaret. Et hæc dixi, non vt breuiter hæresim confutarem, cui multis voluminibus respondendum esset: sed vt fidem tantæ feminæ ostenderem, quæ maluit inimicitias hominum subire perpetuas, quàm Dei offensam amicitijs noxijs prouocare.

C. XXIII. Dicam ergo, vt cœperam. Nihil ingenio eius docilius fuit. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum, memor illius præcepti: Audi Israël, & tace. Scripturas sanctas tenebat memoriter. Et cùm amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine ædificationem animæ protegebat. Denique compulit me, vt vetus & nouum Instrumentum cum filiâ, me disserente, perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter assiduitatem tamen & crebras postulationes eius præstiti, vt docerem quod didiceram, non à meipso, id est, à præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris. Sicubi hæsitabam, & nescire me ingenuè confitebar, nequaquam mihi voluit acquiescere: sed iugi interrogatione cogebat, è multis varijsque sententijs quæ mihi videretur probabilior indicarem. Loquar & illud, quod forsitan æmulis videatur incredibile: Hebræam linguam, quam ego ab adolescentiâ multo labore ac sudore ex parte

Marginal notes: Ioan. 20. 21. — Lucæ 24. — Ioan. 20. — Marc. 5. — Ioan. 11. — Matth. 14. — Ioan. 20. — Luc. 24. — Psal. 35. — Rom. 11. — Ecclesiarum traditiones. — Ephes. 4. — Ingenij eius præstantia. — Iacob. 1. — Eccli. 31. — Pessimus præceptor, præsumptio.

Hebraicam didicit linguam. parte didici, & infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab eâ deserar, discere voluit, & consecuta est: ita vt psalmos Hebraicè caneret, & sermonem absque vllâ Latinæ linguæ proprietate personaret. Quod quidem vsque hodie in sanctâ filiâ eius Eustochio cernimus: quæ ita semper adhæsit matri, & eius obediuit imperijs, vt numquam absque eâ cubaret, numquam procederet, numquam cibum caperet, ne vnum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed & paternam & maternam substantiolam à matre distribui pauperibus lætaretur, & pietatem in parentem, hereditatem maximam & diuitias crederet. Non debeo silentio præterire, quanto exultauerit gaudio, quòd Paulam neptem suam, ex Læta & Toxotio genitam, imò voto & futuræ virginitatis repromissione conceptam, audierat in cunis & crepitaculis balbutiente linguâ Alleluia cantare, auiæque & amitæ nomina dimidiatis verbis frangere. In hoc solo patriæ desiderium habuit, vt filium, nurum, neptem renuntiasse sæculo, & Christo seruire cognosceret. Quod & impetrauit ex parte. Nam neptis Christi flammeo reseruatur, nurus æternæ se tradens pudicitiæ, socrus operâ, fide & eleëmosynis sequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Ierosolymis illa compleuit. *Flammeum Christi, virginitatis insigne.*

C. XXIV. Quid agimus anima? cur ad mortem eius venire formidas? Iamdudum prolixior liber cuditur, dum timemus ad vltima peruenire, quasi tacentibus nobis, & in laudibus illius occupatis, differri possit occubitus. Hucusque prosperis nauigauimus ventis, & crispantia maris æquora labens carina sulcauit: nunc in scopulos incurrit oratio, & tumentibus fluctuum motibus præsens vtrique nostrûm intentatur naufragium, ita vt cogamur dicere: Præceptor, saluos nos fac, perimus. Et illud: Exurge, vt quid obdormis Domine? Quis enim possit siccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in grauissimam valetudinem, imò quod optabat inuenit, vt nos desereret, & plenius Domino iungeretur. In quo languore Eustochij filiæ probata semper in matre pietas, magis ab omnibus comprobata est. Ipsa assidere lectulo, flabellum tenere, sustentare caput, puluillum supponere, fricare pedes, manu stomachum confouere, mollia strata componere, aquam calidam temperare, mappulam apponere, omnium ancillarum præuenire officia, & quidquid alia fecisset, de suâ mercede putare subtractum. Quibus illa precibus, quibus lamentis & gemitu inter iacentem matrem & specum Domini discurrit, ne priuaretur tanto contubernio, ne illâ absente viueret, vt eodem feretro portaretur? Sed ô mortalium fragilis & caduca natura! & nisi Christi fides nos extollat ad cælum, & æternitas animæ promittatur, cum bestijs ac iumentis corporum vna conditio est. Idem occubitus iusto & impio, bono & malo, mundo ac immundo, sacrificanti & non sacrificanti. Sicut bonus, ita & qui peccat: sicut qui iurat, ita & is qui iuramentum metuit. Similiter & homines & iumenta in fauillam & cinerem dissoluuntur.

Paula ægrotat. *Lucæ 8.* *Psal. 43.* *Eustochij in matrem pietas.* *Eccli. 9.*

Quid diu immoror, & dolorem meum differendo facio longiorem? Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, & frigente aliâ parte corporis atque membrorum, solùm animæ teporem in sacro pectore palpitare: & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et: Elegi abiecta esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Cùmque à me interrogaretur, cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid: Græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta & tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, vsque ad expirationem animæ eosdem repetebat versiculos, vt quod dicebat, vix audire possemus: digitumq; ad os tenens, crucis signum pingebat in labijs. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem: animáque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini conuertebat. Aderant Ierosolymarum & aliarum vrbium episcopi, & sacerdotum inferioris gradus, ac Leuitarum innumerabilis multitudo; omne monasterium, virginum & monachorum chori repleuerant. Statimque vt audiuit sponsum vocantem: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea; quoniam ecce hiems transijt & recessit, pluuia abijt: sibi læta respondit: Flores visi sunt in terrâ, tempus sectionis aduenit. Et: Credo videre bona Domini in terrâ viuentium. *Cap. XXV.* *Psal. 25.* *Psal. 83.* *In supremo spiritu crucis signum sibi imprimit.* *Cant. 2.* *Psal. 26.* *Abit è vita.*

C. XXVI. Ex hinc non vlulatus, non planctus, vt inter sæculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diuersis examina concrepabant: translatáque episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cùm alij pontifices lampades cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media ecclesiâ speluncæ Saluatoris est posita. Tota *Honorificè pontificum manibus cum lampadibus & cereis effertur.*

ta ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali feminæ vltimum reddidisset officium. Viduæ & pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab eâ præbitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem & nutritiam se perdidisse clamabat. Quodque mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem: sed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, sed dormientem. Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone psalmi in ordine personabant: non solùm triduo, donec & subter ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur: sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant, suum funus & proprias credentibus lacrymas. Venerabilis virgo filia eius Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi à parente non poterat: deosculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & se cum matre velle sepeliri.

Act. 9. Psal. 130.

C. XXVII. *Magnum æs alienum reliquit.* Testis est Iesus, ne vnum quidem nummum ab eâ filiæ derelictum, sed vt antè iam dixi, derelictum magnum æs alienum: &, quod his difficilius est, fratrum & sororum immensam multitudinem, quos & sustentare arduum, & abiicere impium est. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus, tantâ fide omnia delargitam, vt ad egestatem pænè vltimam perueniret? Iactent alij pecunias, & in corbonam Dei æra congesta, funalibusque aureis dona pendentia. Nemo plus dedit pauperibus, quàm quæ sibi nihil reseruauit. Nunc illa diuitijs fruitur, & his bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Nostram vicem dolemus, & inuidere potiùs gloriæ eius videbimur, si voluerimus diutiùs flere regnantem. Secura esto Eustochium, magnâ hereditate ditata es. Pars tua Dominus, & quò magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solùm enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuotæ quoque mentis seruitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de lilijs. Vnde & in Cantico scribitur canticorum: Fratruelis meus candidus & rubicundus: & in pace, & in bello eadem præmia vincentibus tribuens. Mater inquam tua audiuit cum Abraham: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram, quam ostendam tibi. Et per Ieremiam Dominum præcipientem: Fugite de medio Babylonis, & saluate animas vestras. Hæc autem exijt de terrâ suâ, & vsque ad diem mortis suæ non est reuersa in Chaldæam: nec ollas Ægypti & ²¹ iurulentias carnium desiderauit, sed choris comitata virgineis, ciuis est Saluatoris effecta: de paruulâ Bethlehem, cælestia regna conscendens, dicit ad veram Noëmi: Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus.

1. Cor. 2. Isa. 64. Thren. 3. *Deuota seruitus quotidianum martyrium.* Cant. 5. Gen. 12. Ierem. 51. Exod. 16. Num. 11. Ruth 1.

C. XXVIII. Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas, eodem quem tu sustines dolore, dictaui. Nam quotiescumque stylum figere volui, & opus exarare promissum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit. Vnde & inculta oratio votum scribentis absque vllâ elegantiâ & verborum lepôre testatur.

CAP. XXIX. *Inuocat sanctam Paulam Hieronymus.* Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant: præsens faciliùs, quod postulas, impetrabis. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas. Incidi elogium sepulcro tuo, quod huic volumini subdidi, vt quocumque noster sermo peruenerit, te laudatam, te in Bethlehem conditam lector agnoscat.

Titulus sepulcri:

Scipio quam genuit, Pauli fudêre parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo: Paulã dixêre priores:
Eustochij genitrix, Romani prima senatus,
Pauperiem Christi & Bethlemitica rura secuta est.

In fronte speluncæ:

Aspicis angustum præcisâ rupe sepulcrum?
Hospitium Paula est, cælestia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriámque relinquens,
Diuitias, sobolem, Bethlemiti cõditur antro.
Hîc præsepe tuum, Christe, atque hîc mystica Magi
Munera portãtes, hominiq; Deóque dedêre.

CAP. XXX. ²⁴ Dormiuit sancta & beata Paula, septimo Kalendarum Februariarum, tertiâ sabbati post solis occubitum. Sepulta est quinto Kalend. earumdem, Honorio Augusto sexies & Aristæneto consulibus. Vixit in sancto proposito Romæ annos quinque, Bethlehem annos viginti. Omne vitæ tempus impleuit annis quinquagintasex, mensibus octo, diebus viginti & vno.

NOTATIO.

1 PAVLÆ.] *Martyrologium Romanum* XXVI. *Ianuarij:* Apud Bethlehem Iudæ dormitio S. Paulæ viduæ, matris Eustochij virginis Christi. Quæ cùm esset è nobilissimo senatorum genere, renuntians sæculo, & facultates suas pauperibus distribuens, ad præsepe Domini se recepit: vbi multis virtutibus prædita, & longo coronata martyrio, ad cælestia regna transiuit: cuius vitam virtutibus admirandam S. Hieronymus scripsit. *Nata est Paula Romæ patre Rogato, matre Blesillâ, vt hîc habes c.* II. *cuius natalem anno* XI. *Constantij, Christi* CCCLI. *ponunt.*

Alia est Paula iunior, huius neptis, ex Toxotio filio & Lætâ genita, vti hîc habes cap. XXIII.

CAP. II. 2. FVGIENDO GLORIAM.] *Sallustius in Catilinario:* Itaque quò minùs gloriam petebat, eò magis illam assequebatur. *Nazarius in Panegyrico Constantini:* Nusquam gradum extulisti, quin vbique te gloria quasi vmbra comitata sit.

CAP. III. 3. BLESILLAM.] *Baron. tomo* IV. *anno Christi* CCCLXXXII. *Damasi Papæ* XVI. *Gratiani* XVI. *Valentiniani* VII. *Theodosij* IV. *Impp. Quod, ait, pertinet ad Blesillam, tanta hæc virtutis fuit, vt viginti annorum vidua à viro relicta, quocum mensibus tantùm septem vixerat, magis (inquit Hieronymus) ipsam deplorauerit amissam virginitatē, quàm mariti obitu doluerit.* Hieron. epist. 25.

At quonam modo ad mundi contemptum hanc idem S. Hieronymus instituerit, ipse ad Eustochium sororem scribens docet his verbis: Memini me ante hoc fermè quinquennium, cùm adhuc Romæ essem, & Ecclesiasten sanctæ Blesillæ legerem, vt eam ad contemptum mundi huius prouocarem, & omne, quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab eâ, vt in morem commentarioli obscura quæque dissererem, vt absque me posset intelligere quæ legebat. Itaque quoniam in procinctu nostri operis subitâ morte subtracta est, &c. Idem epist. 116.

Porrò quanta huius adolescentula vidua virtutes extiterint, idem S. Hieronymus in consolatione de obitu eius ad Paulam matrem conscripta pluribus docet. Idem epist. 25.

Fuisse autem excultam Græcis ac Latinis litteris, idem affirmat, cùm ait: Si Græcè loquentem audisses, Latinè eam nescire putares. Si in Romanum sonum lingua se verterat, nihil omnino peregrini sermo redolebat. *Sed & de eadem subdit:* In paucis non dicam mensibus, sed diebus ita Hebrææ linguæ vicerat difficultates, vt in discendis canendisque Psalmis cum matre contenderet.

Inter quatuor Paulæ filias, nempe Paulinam, Eustochium, Blesillam, atque Ruffinam, primam omnium Blesillam contigit ex hac vitâ migrasse, vt idem sanctus Hieronymus ad Pammachium scribens affirmat. De cuius ad Christum conuersione exstat eiusdem ad sanctam Marcellam epistola, vbi agit de ægrotatione Blesillæ. Hactenus Baronius. Idem epist. 26. Idem epist. 23.

De eius obitu idem Hieronymus ep. X. *ad Furiam:* Blesillamque prætereo, quæ maritum suum, tuum secuta germanum, in breui vitæ spatio tempora virtutum multa compleuit.

4. PAVLINAM.] *Baronius ibidem. De Paulinâ eiusdem S. Paulæ filiâ, sorore Blesillæ, exstat in eius dormitione S. Hieronymi epistola ad Pammachium consobrinum S. Marcellæ, vt idem S. Hieronymus tradit, qui fuit eius Romæ condiscipulus.* Idem epist. 56. Idē ep. 25. Idē ep. 50.

5. EVSTOCHIVM.] *Baronius ibidem: De Eustochio minores sunt omnes laudes sancto proposito quod suscepit, & vita instituto quod arripuit; quas maioribus in dies virtutum incrementis adauxit; ac tandem feliciter consummauit. De quâ ad Pammachium hæc Hieronymus:* Quid Eustochio fortius, quæ nobilitatis portas & arrogantiam generis consularis virginali proposito fregerit, & in vrbe primâ primum genus subiugauerit pudicitiæ? *Hanc altiorem gradum ceteris conscendentem idem S. Hieronymus scripto ad ipsam de custodiâ virginitatis libello adiuuit. Quidnam autem terribile acciderit Prætextata amita, virginem à suscepto proposito abripere conanti, narrat S. Hieronymus epistolâ ad Lætam hac probè scientem, quæ Paulam filiam natam ex promissione martyris virginem permansuram Deo dicauerat adhuc tenellam.* Idem epist. 26. Idem epist. 22. Idem ep. 7.

6. RVFFINAM.] *Baronius ibidem: Quarto loco nata Ruffina, nupta est viro clarissimo Aletio: quæ immaturo funere (inquit Hieronymus) pium matris animum consternauit. Huius præclaras virtutes sanctus Paulinus Nolanus episcopus scripsit in consolatione obitus eius ad Aletium virum ipsius. Porrò hæc minor natu, nondum nupserat, quando ab Vrbe recessit Paula mater Ierosolymam profectura; sed iam nubilis facta (vt testatur S. Hieronymus) femina matris educatione sanctâ aquè viro sancto coniuncta; de quâ idem Paulinus:* Est enim coniux fidei, soror virginitatis, filia perfectionis; cui Paula mater, soror Eustochium, tu maritus. Idem epist. 27. Paulin. epist. 31. Hieron. epist. 27. Paulin. epist. 31.

7. TOXOTIVM.] *Baronius ibidem: Toxotius duxit vxorem Lætam, Albini filiam, Ethnici hominis, & gentilitiæ superstitionis pontificis, ex quibus genita est Paula iunior. Mirandum planè accidit, vt piâ conuersatione Toxotij atque Lætæ, Albinus pontifex, Christianæ religionis hostis implacabilis, admirante præ miraculo vrbe, iam euaserit Christianus, vt idem S. Hieronymus narrat his verbis, scribens ad eius filiam Lætam de Paulâ filiâ:* Quis, *inquit,* hoc crederet, vt Albini pontificis neptis de promissione martyris nasceretur? vt præsente & gaudente auo, paruula adhuc linguâ balbutiens, Christi Alleluia resonaret? vt virginem Christi in suo gremio nutriret senex? Et benè feliciterque exspectauimus. Sancta & fidelis domus virum sanctificat infidelem. Iam candidatus est fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam ipsum Iouem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere. *Hæc ipse. Grande sanè miraculum, potuisse senem renasci denuò, atque idolorum pontificem in extremâ fidelium classe profiteri, & incipere discere religionis elementa, qui apud suos sacrorum agebat antistitem, & decrepitum senem à nepte infantulâ balbutiente depromptum reddere Alleluia, quam ipsam mater Læta sanctissima femina cupida despondere virginem Christo, ab eodem S. Hieronymo petijt & accepit de institutione eiusdem filiæ epistolam paræneticam; quâ ipsa quantum profecerit, illud modò satis sit indicasse, eamdem ætate auctam ad auiam Paulam Ierosolymam nauigasse, ibique cum S. Eustochio in sanctâ Deo dicatâ virginitate consenuisse.* Hieron. epist. 7. Idem ep. 7.

8. CLINICORVM.] *Malè in quibusdam codicibus,* clericorum. *Suprà in Vitâ Fabiolæ c.* V. Quem nudum & clinicum non Fabiolæ vestimenta texêre? *Vide Onomasticon.* CAP. IV.

9. CVMQVE ORIENTIS, &c.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXXXII. *Damasi Papæ* XVI. *Gratiani* XVI. *Valentiniani* VII. *Theodosij* IV. *Imperatorum,*

ratorum, Orientis & Occidentis episcopos ad Romanum Concilium conuenisse asserit.

10. EXACTA HIEME.] *Baronius ibidem : Non tantùm episcoporum aduentus Romam ad Concilium significatur, sed tempus quo Romæ manserunt, pariter innotescit, nempe commoratos esse Romæ vsque ad sequentis anni Veris tempus.*

11. DESCENDIT AD PORTVM.] *Baronius tomo IV. anno Christi* CCCLXXXV. *Siricij Papæ* I. *Valentiniani* X. *Theodosij* VII. *Impp. hoc anno Paulæ profectionem, quâ Ierosolymam petijt, ponit. Vt autem, inquit, hac certò cognoscas, quod ad tempus pertinet, illud in primis accipe. Cùm idem S. Hieronymus affirmet defunctam esse Paulam Coss. Honorio* VI. *& Aristæneto, rursumque dicat, eamdem Ierosolymis commoratam esse annos viginti: vtique affirmare necesse est, hoc anno eam Ierosolymam profectam esse, &c.*

Quod autem ad Paulæ ex vrbe profectionem spectat, dignum planè Christianâ spectaculum Roma tunc vidit, feminam consularem, patriæ parentumque splendorem, diuitias, charaque pignora ampliùs non reuersuram relinquere, atque vnà cum filiâ Christo dicatâ ad Christi cunabula per tot maris spatia & vitæ discrimina nauigare, &c.

CAP. V. 12. AD INSVLAM PONTIAM.] *De insulis Pontiis Plinius l.* III. *cap.* VI. *Mela l.* II. *c.* VII. *Suetonius in Caligulâ cap.* XV.

13. FLAVIÆ DOMITILLÆ.] *Eusebius in Chronico anno Domitiani* XVI. Scribit Bruttius, plurimos Christianorum sub Domitiano subiisse martyrium. Inter quos & Flauiam Domitillam, Flauij Clementis consulis ex sorore neptem, in insulam Pontiam relegatam, quando se Christianam esse testata est. *Idem de eâ histor. Eccl. lib.* III. *cap.* XIX. *Vide de eâ Martyrol. Rom. & Annales Baronij.*

CAP. IX. 14. SEGOR VITVLAM CONTERNANTEM.] *Hoc loco* conternantem *intelligit* τριετῆ, trium annorum. *Vide D. Hieron. in locis Hebraicis in Zoarâ & Babâ. Vide etiam Onomasticon.*

CAP. XI. 15. ERRORE DOSITHEI.] *Ex primis hæreticis fuit Dositheus, à quo hæresis Dositheorum. Vide Hieronymum contra Luciferianos.*

16. NAMQVE CERNEBAT.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXXXV. *Siricij Papæ* I. *Valentiniani* X. *Theodosij* VII. *Impp. His similia narrat S. Hilarius libro de Synodis, necnon S. Paulinus in Natali S. Felicis* VII. *atque Seuerus Dial. l.* III. *qui de feminis arreptitijs illud addunt, quòd licet pedibus suspensæ essent, deorsum capite, nihilominus vestes inhærerent diuino miraculo pedibus, quò femineo esset pudori consultum. De his fortasse Hieronymus Apolog aduersus Ruffin.* Vidi multa miracula, & quæ priùs ad me fama pertulerat, oculorum iudicio comprobaui.

CAP. XII. 17. CAMPOS TAPHNEOS.] *Ita Surius & Reatinus. Vetus editio:* Thaneos *sine* campis, *iungendo cum* terram Gessen.

18. EPISCOPO ISIDORO CONFESSORE.] *Huius memoria occurrit in Romano Martyrol.* II. *Ianuarij:* Nitriæ in Ægypto B. Isidori, episcopi & confessoris. *Non rectè hic Reatinus intelligit Isidorum Pelusiotam.*

19. ARSATAS.] *Vetus editio & Reatinus,* Arsenios. *Existimo intelligi* Arsacium, *de quo Palladius Lausiac. hist. cap.* VII. *vbi Serapionem ei iungit, vti hic Hieronymus. Nisi intelligatur* Arsisius, *de quo etiam Palladius c.* VII. *&* CXVII. *Sozomenus l.* III. *c.* XIII. *& lib.* VI. *c.* XXX. *vbi etiam Serapionis iunctim meminêre. H. Grauius diuinabat* Arsenitas. *an intelligit* Arseniotas? *Sed illa gens est integra à loco sic dicta. Non dubito quin particulare alicuius hic nomen Hieronymus posuerit, quod adiuncta suadent.*

20. QVIDAM VETERATOR CALLIDVS.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXXXVIII. *Siricij Papæ* IV. *Valentiniani* XIII. *Theodosij* X. *Impp. Sed & Palladius ei (Euagrio) inhærens, eiusdem quoque morbi (Origenistarum) contagione contabuit; de quo Hieronymus aduersus Pelagianos agens hæc habet:* Palladius seruilis nequitiæ eamdem hæresim instaurare conatus est, & nouam translationis Hebraicæ mihi calumniam struere: num & illius ingenio nobilitatique inuidimus? nunc quoque mysterium iniquitatis operatur, *&c. Ob quam etiam caussam S. Epiphanius eumdem in Palæstinâ ista docentem deplorans, ait:* Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordiâ Dei indiget, caue; quia Origenis hæresim prædicat & docet: ne fortè aliquos de populo tibi credito ad peruersitatem sui inducat erroris. *Hæc ipse scribens ad Ioannem Ierosolymitanum episcopum, cùm idem Palladius iam deseruisset eremum Nitriæ, & morbi caussâ (vt ipse testatur) abijsset in Palæstinam; vbi aliquamdiu moratus, hæreses docebat Origenis; quem cauendum Epiphanius Ioannem eius loci episcopum quàm primùm admonuit. Cùm verò Origenistarum nullum alium nominet, nisi Palladium: certè etsi alij essent eâdem labe conspersi, tamen non alium quàm ipsum id muneris subijsse, vt Origenis deliramenta doceret, satis apparet. Quamobrē Origenistam illū, quem S. Paulam tentasse Hieronym. scribit, neminem certè præter Palladiū tunc in Palæstinâ morantem fuisse conspicio.* CAP. XIII. Hieron. proœm. aduer. Pelag. Apud Hieron. ep. 60. Pallad. in Lausiac. cap. 22.

21. GLOBOS MIHI STOICORVM.] *Censebāt Stoici, bonorum animas post hanc vitam in cælestibus globis habitare. Vide Lipsium Physiol. lib.* III. *Dissert.* XIV.

22. GRÆCO SERMONE RESPONDIT.] *Grauius Græcè hic notat:* Οὐδὲν ἐμοὶ γέγονε χεῖρον. *Apud Plutarchum de Consolatione ad Apollonium Diogenes moribundus à Medico excitatus, rogatusque,* μή τι περὶ αὐτὸν εἴη χαλεπόν; Οὐδὲν, ἔφη, an grauius aliquid ipsi accidisset; respondit, Nihil esse mali. CAP. XXV

23. IVRVLENTIAS CARNIVM.] *Editi omnes,* virulentias. *Vide Reatinum, qui hoc conatur interpretari. Sed* iurulentia *sæpè Hieronymo vsurpata. Sic lib.* I. *in Iouinianum:* iurulentias carnis ingestas. *& in cap.* XL. *Ezech.* holocaustorum cineres, & carnium iurulentias. *Item in cap.* IV. *Zachariæ:* Et pro iurulentiâ carnium varios cœperunt flores gestare virtutum. *Celsus lib.* II. *cap* XXVII. Caro omnis iurulenta. *Vt omnino vix dubitandum sit, quin* virulentia *ex affinitate* iurulentiæ *sit nata.* C. XXVII.

24. DORMIVIT.] *Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCCIV. *Dormitionem Paulæ ponit; colligens id, vti ait,* ex ratione temporis. *Quod ita cape. Hieron. scribit Paulam obiisse* Honorio Augusto sexies & Aristæneto Coss. VII. Kal. Febr. tertiâ Sabbati. *Ex hoc notato characterismo diei hebdomadæ, rectè colligit Baronius Consulatum Honorij* VI. *& Aristæneti incidere in annum Christi* CCCCIV. *cùm non inciderit* in tertiam Sabbati VII. dies Kal. Februariarū, *(id est,* XXVI. *Ian.) anno* CCCCV. *vel* CCCCIII. *vel alio quopiam anno his proximo, sed tantùm* CCCCIV. *vnde constat apud Eusebium Scaligeri consulatum istū Honorij & Aristæneti malè conferri in annum Christi* CCCCV. *& apud Eusebium Pontaci peiùs in annum* CCCCVII. *Rectè quoque Dionys. Petauius noster in splendido Opere de Doctrinâ temporum cum anno* CCCCIV. *copulauit hunc Consulatum, positâ litterâ Dominicali* C *ante Bissextum. Quod etiam Setho Caluisio in mentem venerat.* CAP. XXX.

VITA

VITA SANCTÆ I MARCELLÆ VIDVAE

31. Ian.

AVCTORE DIVO HIERONYMO PRESBYTERO.

Est epistola 16. ad Principiã virginem.

CAP. I.

SÆPE & multùm flagitas, virgo Christi Principia, vt memoriam sanctæ feminæ Marcellæ litteris recolam, & bonum quo diu fruiti sumus, etiam ceteris noscendum imitandumque describam. Satis doleo, quòd hortaris spontè currentem, & me arbitraris indigere precibus, qui ne tibi quidem in eius dilectione concedam: multoque plus accipiam quàm tribuam beneficij, tantarum recordatione virtutum. Nam vt hucusque reticerem, & biennium præterirem silentio, non fuit dissimulationis, vt malè existimas, sed tristitiæ incredibilis, quæ ita meum oppressit animum, vt melius iudicarem tacere inpræsentiarum, quàm nihil dignum illius laudibus dicere. Neque verò Marcellam tuam, imò meam, & vt veriùs loquar, nostram omniumque sanctorum, & propriè Romanæ vrbis inclytum decus, institutis rhetorum prædicabo, vt exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus, & stemmata per proconsules & præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illâ laudabo, nisi quod proprium est; & eò nobilius, quòd opibus & nobilitate contemptâ, facta est paupertate & humilitate nobilior.

S. Marcellæ recordatio, Hieronymi profectus.

CAP. II.

Orba patris morte, viro quoque post nuptias [2] septimo mense priuata est. [3] Cúmque eam Cerealis, [4] cuius clarum inter consules nomen est, propter ætatem & antiquitatem familiæ, & insignem, quod maximè viris placere consueuit, decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosiùs peteret, suasque longæuus polliceretur diuitias: & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere: Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltrò appeteret; illa respondit: Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hereditatem. Illoque mandante, posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter lusit: Iuuenis quidem potest citò mori, sed senex diu viuere non potest. Quâ sententiâ repudiatus, exemplo ceteris fuit, vt eius nuptias desperarent. Legimus in Euangelio secundùm Lucam: Et erat Anna prophetissa filia Phanuelis de tribu Aser: & hæc prouectæ ætatis in diebus plurimis. Vixeratque cum viro suo annis septem à virginitate suâ, & erat vidua annis octogintaquatuor, nec recedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus Domino seruiens die ac nocte. Nec mirum, si videre meruit Saluatorem quem tanto labore quærebat. Conferamus septem annos, septem mensibus; sperare Christum, & tenere; natum confiteri, & in crucifixum credere; paruulum non negare, & virum gaudere regnantem. Non facio vllam inter sanctas feminas differentiam, quod nonnulli inter sanctos viros & ecclesiarum principes stultè facere consueuerunt: sed illò tendit assertio, vt quarum vnus est labor, vnum & præmium sit.

Maritum septimo à nuptiis mense amittit.

Non vult denuò nubere.

Egregia eius sententia.

Lucæ 2.

Annæ prophetissæ & Marcellæ comparatio.

CAP. III.

Difficile est in maledicâ ciuitate, & in vrbe, in quâ orbis quondam populus fuit, palmaque vitiorum, si honestis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam sinistri rumoris fabulam contrahere. Vnde quasi rem difficillimam, & pænè impossibilem optat Propheta potiùs, quàm præsumit, dicens: Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. Immaculatos in viâ huius sæculi appellat, quos nulla obscœni rumoris aura macularit, qui opprobrium non acceperint aduersus proximos suos. De quibus & Saluator in Euangelio, Esto, inquit, beneuolus, siue benè sentiens de aduersario tuo, dum es in viâ cum

Psal. 118.

Psal. 14.

Matth. 5.

MARCELLA.

cum illo, Quis vmquam de hac muliere, quod displiceret, audiuit vt crederet? Quis credidit, vt non magis seipsum malignitatis & infamiæ condemnaret? Ab hac primùm confusa gentilitas est, dum omnibus patuit, quæ esset viduitas Christiana, quam & conscientiâ & habitu promittebat. Illæ enim solent purpurisso & cerussâ ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere, [1] fragrare musco muro, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum se caruisse lætentur, quærantque alios, non quibus iuxta Dei sententiam seruiant, sed quibus imperent. Vnde & pauperes eligunt, vt nomen tantùm virorum habere videantur, qui patienter riuales sustineant; si mussitauerint, illicò proijciendi. Nostra vidua talibus vsa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret: aurum vsque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum quàm in marsupijs recondens. Nusquam sine matre. Nullum clericorum aut monachorum (quod amplæ domus interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. Semper in comitatu suo virgines ac viduas, & ipsas graues feminas habuit: sciens ex lasciuiâ puellarum sæpè de dominarum moribus iudicari, & qualis quæque sit, talium consortio delectari.

Differentia inter viduitatem Christianam & gentilem.

1.Pet.3.

Gen.4.

Sine arbitris, ne clericis quidem & monachis loquitur.

CAP. IV.

Diuinarum Scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem legis non in replicando quæ scripta sunt, vt Iudæorum existimant Pharisei, sed in opere intelligens, iuxta illud apostolicum: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid agitis: omnia in gloriam Domini facientes. Et Prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi: vt postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum. Quod & alibi legimus: Quia cœpit Iesus facere & docere. Erubescit enim quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia. Frustraque eius lingua prædicat paupertatem, & docet eleëmosynas, qui Crœsi diuitijs tumet, vilique opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum. Illi erant moderata ieiunia, carnium abstinentia, vini odor magis quàm gustus, propter stomachum & frequentes infirmitates. Rarò procedebat ad publicum, & maximè nobilium matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre quod contemserat: apostolorum & martyrum basilicas secretis celebrans orationibus, & quæ populorum frequentiam declinarent: matri intantum obediens, vt interdum faceret, quod nolebat. Nam cùm illa suum diligeret sanguinem, & absque filijs & nepotibus vellet in fratris liberos vniuersa conferre: ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat: monilia, & quidquid supellectilis fuit, diuitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum contristare. Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis priùs sacerdotibus, [6] papaque Athanasio, & posteà Petro, qui persecutionem Arrianæ hæreseos declinantes, [7] quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonij, adhuc tunc viuentis, monasteriorumque in Thebaide Pachumij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam. Nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Hanc multos post annos imitata est Sophronia & aliæ, quibus rectissimè illud Ennianum aptari potest: Vtinam ne in nemore Pelio. Huius amicitijs fruita est Paula venerabilis, in huius cubiculo nutrita Eustochium, virginitatis decus; vt facilis æstimatiò sit, qualis magistra, vbi tales discipulæ.

Psal. 118.

Psal. 1.

Ardet desiderio sacrarum Scripturarum.

1.Cor. 10.

Psal. 118.

Actor. 1.

Rarò in publico.

Frequens in martyrum basilicis.

Roma tutissimus Christianæ communionis portus.

Ennius Medeâ.

CAP. V.

Rideat forsan infidelis lector, me in muliercularum laudibus immorari: qui si recordetur sanctas feminas, comites Domini Saluatoris, quæ ministrabant ei de suâ substantiâ, & tres Marias stantes ante crucem, Mariámque propriè Magdalenam, quæ ob sedulitatem & ardorem fidei, [8] Turritæ nomen accepit, & prima ante apostolos, Christum videre meruit resurgentem: se potiùs superbiæ, quàm nos condemnabit ineptiarum: qui virtutes non sexu, sed animo iudicamus, contemptæque nobilitatis ac diuitiarum maiorem gloriam ducimus. Vnde & Iesus Ioannem euangelistam amabat plurimùm: qui propter generis nobilitatem erat notus pontifici, & Iudæorum insidias non timebat, in tantum, vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus apostolorum ante crucem, matremque Saluatoris in sua reciperet, vt hereditatem virginis Domini, virginem matrem filius virgo susciperet.

Matth. 27.

Ioan. 19. & 20.

Mar. 16.

Ioan. 18.

CAP. VI.

Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, vt antè se vetulam cerneret, quàm adolescentulam fuisse meminisset, laudans

illud

illud Platonicum, qui philoſophiam meditationem mortis eſſe dixit. Vnde & noſter
1.Cor. 15. Apoſtolus: Quotidie, inquit, morior propter veſtram ſalutem. Et Dominus iuxta an-
Lucæ 9. tiqua exemplaria: Niſi quis tulerit crucem ſuam quotidie, & ſecutus fuerit me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Multoque antè
Pſal. 43. per Prophetam Spiritus ſanctus: Propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Et poſt multas ætates illa
Eccli. 7. ſententia: Memento ſemper diem mortis, & numquam peccabis. Diſertiſſimique præceptum Satyrici:

Perſius Sat. 5. *Viue memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde eſt.*

Sic ergo, vt dicere cœperamus, ætatem duxit, & vixit, vt ſemper ſe crederet eſſe morituram. Sic induta eſt veſtibus, vt meminiſſet
Rom. 13. ſepulcri, offerens ſe hoſtiam rationabilem, viuam, placentem Deo.

Cap. VII. [9] Denique cùm & me Romam cum ſanctis pontificibus Paulino & Epiphanio, Eccleſiaſtica traxiſſet neceſſitas: quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit eccleſiam, & verecundè nobilium feminarum oculos declinarem, ita egit, ſe-
1.Tim. 4. cundùm Apoſtolum, importunè, opportunè, vt pudorem meum ſuâ ſuperaret induſtriâ. Et quia alicuius tunc nominis eſſe exiſtimabar ſuper ſtudio Scripturarum, numquam [10] conuênit, quin de Scripturis aliquid interrogaret: nec vt ſtatim acquieſceret, ſed moueret è contrario quæſtiones, non vt contenderet, ſed vt quærendo diſceret earum ſolutiones, quas opponi poſſe intelligebat. Quid in illâ virtutum, quid ingenij, quid ſanctitatis, quid puritatis inuenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam,
Sacrarum litterarum maximè ſciens. & tibi maiorem dolorem incutiam recordanti, quanto bono carueris. Hoc ſolùm dicam, quòd quidquid in nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diuturnâ quaſi in naturam verſum, hoc illa libauit, didicit, atque poſſedit: ita vt poſt profectionem noſtram, ſi de aliquo teſtimonio Scripturarum eſſet oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valdè prudens erat, & nouerat illud, quod appellant Philoſophi τὸ πρέπον, id eſt, decere quod facias, ſic ad interrogata reſpondebat, vt etiam, ſua non ſua diceret, ſed vel mea vel cuiuſlibet alterius: vt in eo ipſo quod docebat, ſe diſcipulam fateretur. Sciebat enim
1.Tim. 2. dictum ab Apoſtolo: Docere autem mulieri non permitto: ne virili ſexui, & interdum ſacerdotibus, de obſcuris & ambiguis ſciſcitantibus, facere videretur iniuriam. In noſtrum locum ſtatim audiuimus te illius adhæſiſſe conſortio, & numquam ab illâ ne tranſuerſum quidem vnguem, vt dicitur, receſſiſſe. Eadem domo, eodem cubiculo vſam, vt omnibus in vrbe clariſſimâ notum fieret, & te matrem, & illam filiam repe-
riſſe. Suburbanus ager vobis pro monaſterio fuit, & rus electum pro ſolitudine: multoque ita vixiſtis tempore, vt ex imitatione Rus Marcellæ fuit ſolitudo.
veſtri & conuerſione multarum, gauderemus Romam factam Ieroſolymam. Crebra virginum monaſteria, monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentiâ Monachorum Romæ frequentia.
ſeruientium Deo, quod priùs ignominiæ fuerat, eſſet poſteà gloriæ. Interim abſentiam noſtri mutuis ſolabamur alloquijs, & quod carne non poteramus, ſpiritu reddebamus. Semper obuiare epiſtolis, ſuperare officijs, ſalutationibus præuenire. Non multùm perdebat abſentia, quæ iugibus ſibi litteris iungebatur.

In hac tranquillitate & Domini ſeruitute, C. VIII.
hæretica in his prouincijs exorta tempeſtas, cuncta turbauit, & in tantam rabiem concitata eſt, vt nec ſibi, nec vlli bonorum parceret. Et quaſi parum eſſet, hîc vniuerſa mouiſſe, [11] nauem plenam blaſphemiarum Romano intulit portui. Inuenitque protinus patella operculum, & Romanæ fidei puriſſimum fontem, cœno lutoſa permiſcuêre veſtigia. Nec mirum, ſi in plateis & in foro rerum venalium, [12] fictus ariolus ſtultorum verberet nates, & obtorto fuſte dentes mordentium quatiat: cùm venenata ſpurcáque doctrina Romæ inuenerit, quos induceret. Tunc librorum περὶ ἀρχῶν infamis interpretatio, [13] tunc diſcipulus ὄλβιος & verè nominis ſui, ſi in talem magiſtrum non impegiſſet. Tunc noſtrorum διδακτικῶν contradictio, & phariſæorum turbata eſt ſchola. [14] Tunc ſancta Marcella, quæ diu ſe cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque vio- Rom. 1.
lari, ita vt ſacerdotes quoque & nonnullos monachorum, maximeque ſæculi homines in aſſenſum ſui traheret, [15] ac ſimplicitati illuderet epiſcopi, qui de ſuo ingenio ceteros æſtimabat, publicè reſtitit, malens Deo placere quàm hominibus. Laudat Saluator in Euangelio villicum iniquitatis, Luc. 16.
quòd contra Dominum quidem fraudulenter, attamen pro ſe prudenter fecerit. [16] Cernentes hæretici de paruâ ſcintillâ maxima incendia concitari, & ſuppoſitam dudum flammam iam ad culmina perueniſſe, nec poſſe latêre quod multos deceperat: petunt & [17] impetrant eccleſiaſticas epiſtolas, vt communicantes Eccleſiæ, diſceſſiſſe viderentur. Non multum tempus in medio, [18] ſuccedit in pontificatum vir inſi-
gnis

CELLA.

Anastasius Rom. Pontifex.

gnis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur: imò idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur, dicente Domino ad

Ierem. 14.

Ieremiam: Ne oraueris pro populo isto, neque depreceris in bonum: quia si ieiunauerint, non exaudiã preces eorum. Et si holocausta & victimas obtulerint, non suscipiam eas. In gladio enim & fame & pestilentiâ ego consumam eos. Dicas, Quid hæc ad laudem Marcellæ? [19] Damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui priùs ab eis eruditi, & posteà ab heretico fuerant errore correpti: dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu scorpij monstrabantur: dum acciti frequentibus litteris hæretici vt se defenderent, venire non sunt ausi: tantáque vis conscientiæ fuit, [20] vt absentes damnari, quàm præsentes coargui maluerint. [21] Huius tam gloriosæ victoriæ origo Marcella est: tuque caput horum & caussa bonorum, scis me vera narrare, quem nosti vix de multis pauca dicere, ne legenti fastidium faciat odiosa replicatio, & videar apud maleuolos sub occasione laudis alterius, stomachum meum digerere. Pergam ad reliqua.

Cap. IX.

De Occidentis partibus ad Orientem turbo transgressus, minitabatur plurimis magna naufragia. Tunc impletum est: Putas

Lucæ 18.

veniens Filius hominis fidem inueniet super terram? Refrigeratâ charitate multorum, pauci, qui amabant fidei veritatem, nostro lateri iungebantur, quorum publicè petebatur caput, contra quos opes omnes parabantur, ita vt Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, imò apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit. Et ecce vniuersa tempestas, Domino flante, deleta est, expletúmque vaticinium prophetale: Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: In illâ die peribunt omnes cogitationes eorum. Et illud euangelicum: Stulte, hac nocte auferetur anima tua à te: quæ autem præparasti, cuius erunt?

Galat. 2. Psal. 103. Psal. 145. Lucæ 12.

Cap. X.

Dum hæc aguntur in Iebus, terribilis de Occidente rumor affertur, [22] obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi, spoliatósque rursum circumdari, vt post substantiam, vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem: imò fame perit antequam gladio, & vix pauci qui caperentur, inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & suo recipit vtero, quem paulò antè effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt cadauera sanctorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

Roma capta à Gothis. Isaiæ 15. Psal. 78.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando Aeneid. 2.
Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima pérque vias spargũtur inertia passim
Corpora, pérque domos, & plurima mortis imago.

Cùm interim, vt in tantâ confusione rerum, [23] Marcellæ quoque domum cruentus victor ingreditur.

Cap. XI.

Sit mihi fas audita loqui, imò à sanctis viris visa narrare, qui interfuêre præsentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos: cúmque posceretur aurum, & defossas opes vili excusaret tunicâ, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellísque aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lacrymis, hoc pedibus eorum prostratam egisse, ne te à suo consortio separarent, ne sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit, & inter cruentos gladios inuenit locum pietas: [24] cúmque & illam & te ad apostoli Pauli basilicam barbari deduxissent, vt vel salutem vobis ostenderent, vel sepulcrum, in tantam lætitiam dicitur erupisse, vt gratias ageret Deo, quòd te integram sibi reseruasset, quòd pauperem illam non fecisset captiuitas, sed inuenisset: quòd egeret quotidiano cibo, quòd saturata Christo, non sentiret esuriem, quòd & voce & opere loqueretur: Nuda exiui de vtero matris meæ, nuda & redeam. Sicut Domino visum est ita & factum est. Sit nomen Domini benedictum. [25] Post aliquot dies sano, integro, vegetóque corpusculo obdormiuit in Domino, & te paupertatulæ suæ, imò per te pauperes reliquis heredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens spiritum in tuis osculis, dum inter lacrymas tuas illa rideret, conscientiâ vitæ bonæ, & præmijs futurorum.

Marcella cæditur fustibus & flagellis. Iob 1. *Reddit animam.*

Hæc tibi Marcella venerabilis, & tibi Principia filia, vnâ & breui lucubratione dictaui, non eloquij venustate, sed voluntate in vos animi gratissimi, & Deo & legentibus placere desiderans.

NOTA-

NOTATIO.

MARCELLÆ.] *Martyrologium Romanum* XXXI. *Ianuarij:* Romæ S. Marcellæ viduæ, cuius præclaras laudes B. Hieronymus scripsit. *Celebris eius memoria in varijs D. Hieronymi scriptis.*

Cap. II. 2. SEPTIMO MENSE.] *Hieronymus epist.* X. *ad Furiam, hinc etiam comparationem (vti & hoc ipso capite mox) inter Marcellam & Annam euangelicam instituit:* Sufficit tibi sancta Marcella, quæ respondens

Lucæ 2. generi suo, aliquid nobis de Euangelio retulit. Anna septem annis à virginitate vixerat cum marito: ista septem mensibus. Illa Christi exspectabat aduentum: ista tenet, quem illa susceperat. Illa vagientem canebat: ista prædicat triumphantem.

Psal. 48. Illa loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israël: hæc cum redemptis gentibus clamitat: Frater non redimit, redimet homo.

Psal. 86. Et de alio psalmo: Homo natus est in eâ, & ipse fundauit eam Altissimus.

3. CVMQVE EAM CEREALIS.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXVIII. *Damasi Papæ* IX. *Valentiniani & Valentis Impp.* XII. *Sexto (ait) die post*

Socrat. lib 4. c. 26. *parentis* (Valentiniani senioris) *obitum, operâ Cerealis auunculi, Valentinianus* (iunior) *tum quadrimus, Iustinæ filius, Augustus solemni more nuncupatus est.*

Quod autem ad Cerealem auunculum spectat, penes quem tanta inesse videbatur creandi noui imperatoris auctoritas, non alius hic putandus est ab illo, qui sub Constantio præfecturam vrbanam gessit, & sub eodem posteà consulatum: alius enim ab isto nullus reperitur

Hieron. epist. 16. Est hæc Vita. *clarus memoriâ hoc tempore Cerealis. Hunc igitur ipsum esse iure dixerimus, quem nuptias quæsisse sanctæ Marcellæ, sanctus Hieronymus meminit.*

4. CVIVS CLARVM INTER CONSVLES NOMEN EST.] *Baronius ibidem: Quòd autem consulatum hunc gessisse dicat, contigit ille anno Domini*

Romæ in ædibus Ceuolis viâ Iuliâ. CCCLVIII. *vnà cum Daciano collegâ. cuius & eiusmodi reperitur inscriptio in basi statuæ ipsi dicatæ:*

NERATIVS CEREALIS V. C.
[F]ONS. ORD. THERMARVM
RESTITVTOR CENSVIT.

Exstat & alia in viâ latâ eiusdem sententiæ inscriptio de restitutione thermarum factâ per Cerealem consulem; atque alia rursum, quâ de eiusdem præfecturâ

Baron. anno 353. *vrbanâ mentio habetur, superiùs* III. *tomo secundâ editione suo loco restituta, quæ errore posita erat tempore Constantini.*

Porrò ex amplissimo Cerealis nomine & auctoritate metire sanctæ Marcellæ, clarissimæ feminæ, excellentem inter omnes Romanas mulieres amplitudinem, quæ eò maioribus creuit accessionibus, quò propter Christum ab ipsâ magis despecta est: vt verè non in vrbe tantùm, sed toto Romano orbe effulserit egregium Christianæ pietatis exemplum.

Cap. III. 5. FRAGRARE MVSCO MVRE.] *Vita Pelagiæ suprà capite* II. Totum impleuit aërem ex odore musci.

6. PAPAQVE ATHANASIO.] *Baronius tom.* III. *anno Christi* CCCXL. *Iulij Papæ* IV. *Constantini, Constantij, Constantis Impp.* IV. *Quàm, inquit, proficuus fuerit Athanasij Romam accessus, vel ex eo potest intelligi, quòd in vrbem inuexerit ipse primus Ægyptiorum monachorum institutionem, Vitamque admirandam Antonij Magni, licet adhuc viuentis, à se conscriptam detulerit: quod vita genus ad omnes euangelicæ perfectionis numeros attemperatum, etiam nobilissimæ Romanæ feminæ consectari cœperunt. Hactenus Baronius.*

Non dubium, quin Marcella de Vitâ Antonij multa ex Athanasij, aliorumque sacerdotum Alexandrinorum relatione didicerit: nondum tamen tunc Athanasius Vitam S. Antonij conscripserat. Vide dicta suprà ad Vitam S. Antonij in Præludijs n. 3.

7. QVASI AD TVTISSIMVM RELIGIONIS PORTVM ROMAM CONFVGERANT.] *Ita semper olim factum, vt Romam tamquam ad aliarum ecclesiarum metropolim in fidei rebus concursum sit. Vide Athanasij epistolas ad Iulium & Marcum Pontifices. & passim Baronius in Annalibus.*

8. TVRRITÆ.] *Id* Magdalenæ *significat cognomen. Nam* מגדל *Magdal siue* מגדל Migdal *ab Hebræis* Turris *dicitur: vnde* Magdalenæ *id est,* Turritæ *nomen deriuatur. quod indicat S. Hieronymus epistola* CXL. *ad Principiam in explanatione Psalmi* XLIV. Magdalena, *inquit*, verè πυργῖτις, verè turris candoris & Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris, ad sacci pœnitentiam prouocantem.

9. DENIQVE CVM ET ME ROMAM.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCLXXXII. *Damasi Papæ* XVI. *Gratiani* XVI. *Valentiniani* VII. *Theodosij* IV. *Impp. Hoc anno Romæ Concilium celebratum est ex episcopis diuersarum prouinciarum, nempe Orientis, aliarumque Catholici orbis regionum, &c. Indicat his sanè verbis Hieronymus, se vocatum à Damaso.*

De toto hoc Hieronymi itinere, & Romam appulsu, vide dicta suprà ex Baronio in Præludijs ad librum I. *vbi de Hieronymi varijs peregrinationibus actum.*

10. CONVENIT.] *Quàm Marcella discendi cupidissima fuerit, testatur idem Hieronymus præfat. in epist. Pauli ad Galatas:* Scio equidem ardorem eius, scio fidem (quam flammam semper habeat in pectore) superare sexum, obliuisci hominis, & diuinorum voluminum tympano concrepante, rubrum huius sæculi pelagus transfretare. Certè cùm Romæ essem, numquam tam festina me vidit, vt non de Scripturis aliquid interrogaret: neque verò more Pythagorico, quidquid responderam, rectum putabat; nec sine ratione præiudicata apud eam valebat auctoritas: sed examinabat omnia, & sagaci mente vniuersa pensabat, vt me sentirem non tam discipulam habere, quàm iudicem. *Quæ facili vel memoriæ lapsu vel calami exercitatione Baronius, loco mox citando, existimauit de Albinâ Marcellæ matre ab Hieronymo dicta. Sed clarum de Marcellâ ibi eum agere, cùm Albina iam esset mortua, vt ibidem habetur.*

Baronius tomo IV. *anno Christi* CCCLXXXII. *Damasi Papæ* XVI. *Gratiani* XVI. *Valentiniani* VII. *Theodosij* IV. *Impp. Sancta Marcella, ait, non semper cùm quid addiscere vellet, eum* (Hieronymum) *præsens adibat, sed per epistolam id etiam facere consueuit, vt idem S. Hieronymus tradit*[a]. *Docuit*[b] *eam inter alia plurima decem voces, quibus apud Hebræos Dei nomen appellatur. Explicauit*[c] *eidem dictiones Hebraicas, Alleluia, Maranatha, necnon Diapsalma*[d] *Græcam vocem; ac tractatum*[e] *de blasphemiâ*

[a] Hieron. epist. 147.
[b] ep. 136.
[c] ep. 137.
[d] ep. 138.
[e] ep. 147.

f ep. 148. phemia in Spiritum sanctum. disseruit f & de alijs varijs quæstionibus.

Cap. VIII 11. NAVEM PLENAM BLASPHEMIARVM.] Intelligit Ruffini Romam appulsum. Hieronymus Apolog. lib. II. O triremem locupletissimam, quæ Orientalibus & Ægyptijs mercibus Romanæ vrbis ditare venerat paupertatem:

——— Tu maximus ille es,

Vnus qui nobis scribendo restituis rem.

Ergo nisi de Oriente venisses, eruditissimus vir hæreret adhuc inter Mathematicos. Insinuat opinor Macarium Romanum, quem Gennadius Catalogo illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap. XXVIII. ait librum composuisse contra Mathematicos: quique Ruffino perfamiliaris fuit. & paulò post: Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma nesciuit: instruxit Ægyptus, quod Italia hucusque non habuit. Vide hic infra in Præludijs ad librum II. Ruffini Peregrinationem.

12. FICTVS ARIOLVS STVLTORVM VERBERET NATES.] Ita legendum, non nates, vt habet Erasmus & Reatinus, & reliquæ editiones. Ipse Hieronymus lib. II. in Iouinianum: In circulis platearum quotidie fictus ariolus nates verberat. De verbere natium habes apud Lucianum in Vitâ Peregrini. Vide Onomasticon.

13. TVNC DISCIPVLVS ΟΛΒΙΟΣ, ET VERE NOMINIS SVI, &c.] Baronius tomo V. anno Christi CCCXCVII. Siricij Papæ XIII. Arcadij & Honorij Impp. III. Quænam, ait, hæc S. Hieronymi velut ænigmatibus obumbrata locutio? Quid per discipulum ὄλβιον, & verè nominis sui, si in talem magistrum non impegisset? Alludit planè auctor ad scriptionem illam Ruffini ad Macarium scriptam de adulteratione librorum Origenis, Romæ editam, ad sternendam viam eiusdem Origenis erroribus: ad quem etiam præfationem περὶ ἀρχῶν inscripsit: qui cùm Macarius diceretur, verè (inquit Hieronymus) ὄλβιος iste dicendus, hoc est beatus, nempe Macarius ex nomine, nisi in talem incidisset doctorem. At quisnam iste Macarius die 2. Ian. fuerit, consule à nobis notata ad Romanum Martyrologium, vt ab alijs eiusdem nominis sanctis viris ipsum scias discriminare. Hactenus Baronius.

Sed non rectè Baronius Macarium hunc Ruffini distinxit à Palladij Macario, & confudit cum Macario Romano. de quo suprà lib. I. Vide ibi dicta n. I.

14. TVNC SANCTA MARCELLA.] Baronius ibidem: Immensò tunc quidem periculo Romana fluctuauit Ecclesia, cùm hæresum ille thesaurus (libri Origenis περὶ ἀρχῶν) manibus clericorum circumferretur, ab imprudentibusque laudaretur, exscriberetur, vipereoque fætu multiplicaretur vbique: adeò vt, nisi Christi promissionibus firmissimo fundamento super firmam petram Ecclesia Romana in Petro consolidata fuisset, eius casus iure timeri potuisset: ipsaque tunc naufragium expauisset nauicula Petri, nisi Christus nauigaret in eâ. Planè accidit, vt sicut cùm Chri- Lucæ 11. stus Pharisæorum exagitaretur opprobrijs, extollens vocem quædam mulier magnificare eum intrepidè cœpit; ita Romana fœmina confessione fides Catholica ab Origenistarum blasphemijs vindicaretur illæsa: dum confundens sapientiam sapientum, silentibus ijs quorum muneris erat exurgere, & stare pro muro domus Israël, excitauit Dominus spiritum fœminæ. Etenim exurgens tunc mulier, noua Debora, phalanges euertit Chananæorum.

15. AC SIMPLICITATI ILLVDERET EPISCOPI.] Baronius ibidem: Suggillat S. Hieronymus Siricij Papæ simplicitatem, non dolum. Dum enim non adduci posset, vt crederet, in Christianis adeò famâ conspicuis hæresis occultari venenum, ex probitate animi sui nesciens (vt ait) mala existimare de alijs, haud confestim spiritualis gladio potestatis (vt par erat) deforme monstrum exstinxit, neque citissimè damnauit igni versionem illam veneno refertam περὶ ἀρχῶν Origenis. Licet & aliquâ saltem ex parte excusationem illam prætexere iure potuisset, quòd exemplo euangelici patrisfamilias vsque ad messem siuerit zizania crescere, ne cum eis euelleret triticum; exspectans nimirum, vt qui verè essent hæretici, perspicuè maturâ segete, certioribus signis fierent manifesti. Etenim cum eiusmodi hominum genere negotium erat, qui venerant in vestimentis ouium, cùm intrinsecus essent lupi rapaces; affectataque sanctitate, nec eâ quidem vulgari; sed quæ esset toto orbe spectata, aspidum oua fouerent.

Ceterùm quòd haud velociter Siricius periclitanti occasione Origenis errorum occurrit Ecclesiæ: quàm citiùs, nempe anni sequentis exordio, ex hac vitâ sublatus est: erectusque super cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum hæreticorum, Anastasius Papa. Sæpè quidem antè pauendis est demonstratum exemplis, vt Pontifices illi, qui caussam fidei paulò segniùs tractauerunt, ac remissiùs curauerunt, à Christo primario omnium pastore fuerint quàm celeriter ex hac vitâ subducti: adeò vt manifestè fuerit declaratum, summo ingiique studio, specialique diligentiâ semper inuigilasse super Romanam Ecclesiam diuinam prouidentiam, ne quâ vel leui saltem suspicione hæretica contagionis aspergeretur.

16. CERNENTES HÆRETICI.] Baronius suprà: Ex paucis his possumus intelligere, Marcellam validè egisse atque restituisse certamen; insuper & hostes in fugam conuertisse. Etenim ipsi ab eâ palàm detecti, negauerunt Periarchon hæresum promptuarium suâ ipsorum operâ in Latinum esse conuersum, & inficiati sunt pariter se ea cum Origene sentire; atque præseferentes Catholicam disciplinam, vt Catholicæ Ecclesiæ communicantes, quæsierunt à Romano Pontifice litteras communicatorias, quo earum testificatione se probarent vbique esse Catholicos, ac ita his muniti litteris, ab vrbe probati Catholici discessisse viderentur.

17. IMPETRANT ECCLESIASTICAS EPISTOLAS.] Baronius ibidem: Quod ad Ruffinum spectat, etsi profecturus Aquileiam, solum patrium petierit, & acceperit ab ipso Siricio Romano Pontifice communicatorias litteras, Catholicis tantùm (vt sæpiùs diximus) impertiri solitas; minimè cessit culpa Siricio. Nam cùm ipsa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret auctoris; nec à quo præfatio illa esset scripta, liqueret: nihil est, quòd Ruffinum nondum detectum, imò Catholicum se clamantem, & ab omni hæresi se alienum extrinsecus profitentem, à Catholicâ communione extorrem facere deberet. Nec Romanæ sedis moris est, non conuictum quempiam condemnare.

Ceterùm ostentare solitum fuisse Ruffinum acceptam Siricij epistolam, quo se Catholicum esse omnibus demonstraret, testatur S. Hieronymus in Apologiâ aduersus eum conscriptâ, cùm ait: Siricij iam in Domino dormientis profers epistolam, & viuentis Anastasij dicta contemnis? Hac ipse. Re enim posteà ab Anastasio benè compertâ, accepit quam meruit Ruffinus ipse sententiam. Hier. Apolog. adu. Ruff.

18. SVCCEDIT IN PONTIFICATVM EIVS VIR INSIGNIS ANASTASIVS.] Baronius tomo V. anno Christi CCCXCVIII. Anastasij Papæ I. Arcadij & Honorij

Honorij Impp. IV. Inuenit hic, ait, Apostolicam sedem, ipsam Petri nauiculam, cuius sumpsit regendum clauum, turbinibus agitatam hæreticorum: cùm (vt dictum est pluribus anno superiori) Ruffinus cum Melaniâ inferens se in vrbem, in eam inuexit hæreses Origenis, edito à se Latinè reddito eiusdem auctoris Periarchon, nouo equo Troiano, hostibus intus referto, sed religione velato, hæresumque docendo thecâ, ex quâ expositæ sunt in Romanâ Ecclesiâ dolosæ merces: quarum mercatores etiam eò dementiæ prolapsi sunt, vt in Apostolicum vsque thronum eas inferre tentauerint, vnâ
Lucæ 11. reclamante Marcellâ, extollenteque vocem cum muliere euangelicâ.

Hieron. epist. 16. Tali quidem statu fluctuantem Romanam Ecclesiam Anastasium reperisse, S. Hieronymus in epistolâ ad Principiam (quæ est hæc ipsa Marcellæ Vita) indicat. Huius autem (Anastasij) quæ partes fuerint, idem S. Hieronymus ad Demetriadem ita scribit:
Idem ep. 8 Dum esses paruula, & sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæua tem-
Rom. 12. pestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere & labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis, & apostolicæ sollicitudinis, statim noxium percutit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit.

19. DAMNATIONIS HÆRETICORVM HÆC FVIT PRINCIPIVM.] Subdit Baronius: Quid autem actum sit cùm Anastasius Papa sedere cœpit, rem breui summâ ita ad Principiam scribens S. Hieronymus amplexus est, cùm ostendit S. Marcellam in causâ fuisse, vt Origenis hæresis Romæ damnaretur.

20. VT ABSENTES DAMNARI.] Baronius tomo V. anno Christi CCCXCVII. Siricij Papæ XIII. Arcadij & Honorij Impp. III. ait: Addit (Hieronymus) eò à sanctâ Marcellâ prouectum esse negotium, quòd cùm intellexissent hæretici, sese iam manifestè Romæ detectos esse, vocati licet ab Anastasio successore Siricij, cùm venire penitùs recusassent absentes damnari meruerint; vt planè cunctis perspicuè apparuerit, non dormire, neque dormitare, qui custodit Israël; licet interdum illi dormirent, quibus vigilandi munus incumbit.

21. HVIVS TAM GLORIOSÆ VICTORIÆ ORIGO MARCELLA EST.] Baronius ibidem: Quàm egregiè diuini iudicij pondere certamen fuit æquâ lance pensatum, dum per feminam dissipari delegit, quod duce feminâ per suos diabolus fuerat machinatus! Melania (quod & superiùs est demonstratum) vexillum impietatis, pietatis tamen charactere notatum, erexit, prægrandi dispendio Catholicæ veritatis. Nam sub eo etiam paulò pòst Pelagius hæresiarcha ordines duxit.
Hieron. epist. ad Ctesiph. adu. Pelag. 2. Tim. 3. Hinc illa iusta querela S. Hieronymi, dum totius huius militiæ recenset antesignanos: Quid, inquit, volunt miseræ mulierculæ, oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & numquam ad scientiam peruenientes: & ceteri mulierculârum socij prurientes auribus, ignorantes quid audiant, quid loquantur, &c. Subdit enim pereruditè catalogum præcipuarum hæresum, quæ prauiâ semper aliquâ cum hæresiarchâ muliere, infeliciter prodierunt. Sed feminam femina, & Melaniæ Christus Marcellam opposuit, quæ & victricia erexit de damnatâ impietate trophæa.

22. OBSIDERI ROMAM.] De tempore hoc vrbi funestissimo vide Baronium tomo V. anno Christi CCCCX. Innocentij Papæ IX. Honorij XVI. Theodosij III. Impp. cùm ab Alarico Gothorum Rege vrbs capta. CAP. X.

23. MARCELLÆ QVOQVE DOMVM.] Erat hæc in Auentino. Hieronymus epist. CLIV. Quòd si exemplaria libuerit mutuari, vel à sanctâ Marcellâ, quæ manet in Auentino, vel à Lot temporis nostri Domnione viro sanctissimo accipere poteris.

24. CVMQVE ET ILLAM ET TE AD B. APOSTOLI PAVLI BASILICAM.] Baronius tomo & anno proximè citato: Qui ergo inuenta vasa sacra barbari, vt illæsa seruarent, attulerunt ea in basilicam S. Petri: ijdem Gothi inuentas sanctissimas feminas atque cognitas, viua pretiosiora Christi vasa, ad apostoli Pauli basilicam viâ Ostiensi positam perduxerunt: quò (vt euentus docuit) custodirentur intactæ. CAP. XI.

25. POST ALIQVOS DIES.] Baronius ibidem: Ceterùm paucos pòst dies eamdem S. Marcellam ex hac vitâ migrasse, idem S. Hieronymus docet. Qui
Hieron. præfat. in lib. 1. comment. in Ezech. hoc tempore cùm elucubraret commentarios super Ezechielem, vno eodemque nuntio obsidionem vrbis, eamdemque captam audiuit, simulque S. Marcellæ atque chari Pammachij ad Deum transitum: nam ibi ista ipse præfatur: Transire, inquit, cupiebam (post interpretationem scilicet elaboratam in Isaiam) & extremam (vt dicitur) manum operi imponere prophetali. Et ecce subitò mors mihi Pammachij atque Marcellæ, Romanæ vrbis obsidio, multorumque fratrum & sororum dormitio nuntia est. Atque ita consternatus obstupui, vt nihil aliud diebus ac noctibus, nisi de salute omnium cogitarem, meque in captiuitate sanctorum putarem esse captiuum; nec possem priùs ora reserare, nisi aliquid certius discerem, dum inter spem & desperationem sollicitus pendeo, aliorumque malis me crucio. Postquam verò clarissimum terrarum omnium lumen exstinctum est, imò Romani Imperij truncatum caput, & (vt verius dicam) in vnâ vrbe totus orbis interijt, obmutui, & humiliatus Psal. 38.
sum, & silui de bonis, &c. Hæc Hieronymus: quibus significat, paulò pòst expugnatam vrbem, sanctam Marcellam diem clausisse extremum, cuius memoriam reddunt ecclesiasticæ tabulæ anniuersariâ die, sed non quâ ipsa obijt, verùm quâ decentiori sepulturâ donata, translata est, pridie Kal. Februarij, cùm Pammachij, qui eodem tempore obijt, dies natalis agatur tertio Kalend. Septemb. Qui igitur sanguine coniuncti erant, & vitæ sanctæ instituto collegæ (ambo enim monasticam excoluerant disciplinam) ijdem obierunt hoc eodem anno.

De his pòst tot tantaque superiùs dicta, illud satis ad vtriusque laudem, quòd S. Hieronymus in præfatione ad eosdem in Danielem, Obsecro (inquit) vos, Pammachi φιλομαθέστατε, & Marcella vnicum Romanæ sanctitatis exemplar, iunctos fide & sanguine, vt conatus meos vestris orationibus adiuuetis.

DE VITIS PATRVM LIBER SECVNDVS,

AVCTORE RVFFINO AQVILEIENSI PRESBYTERO.

PRÆLVDIA IN LIBRVM SECVNDVM.

LECTORI.



QVIA *hîc duo sequuntur libri, Ruffino vel auctore vel interprete (de quâ re disseruimus Prolegomeno* IV. §. X.) *placuit hîc, quod & primo libro in Hieronymo præstitimus, ex magni historici Annalibus Ruffini peregrinationem seligere, eamq; verbis Baronianis repræstare. Sicubi quid obscurum, vel si quâ in re non omnino inter nos conuenit, Notatio & lucem obscuritati, & diuersæ opinationis rationem dabit.*

Quia verò Baronius existimauit, Ruffinum Melaniæ hæsisse lateri, eiúsque peregrinationis fuisse comitem, vtriusque peregrinationes velut rotam rotæ intexuit, nec eas nunc mihi disparare placuit, sed vt Baronio visum, connexas exhibeo: etsi nulla Melaniæ hoc libro fiat mentio, sed de eâ octauo demum libro in Palladij historiâ Lausiacâ disertim agatur.

Toto quidem hoc libro Ruffinus (si tamen auctor eius & non potiùs interpres est) suam per Aegyptum peregrinationem describit: quam

quam Baronius ex hoc libro non attingit; quia existimauit, libri huius auctorem fuisse Euagrium, de quo aliter sentiendum docuimus Prolegom. IV. §. V. *Si tamen Ruffinus libri huius auctor, peregrinationem eius per Aegyptum toto hoc libro leges: si interpres, Ruffini variam peregrinationem ex varijs collectam, his Praeludijs habes expositam.*

RVFFINI ET MELANIAE PEREGRINATIO.

PROFECTIO ÆGYPTIACA.

Hoc anno [Christi CCCLXXII. Damasi Papæ V. Valentis Imp. IX.] quo (vt dicemus) defuncto Magno Athanasio, dira persecutio exagitauit ecclesiam Alexandrinam, totamque Ægyptum, ipsum Hieronymum ex Syriæ solitudine ad Ruffinum Ægyptum petentem, & monachos illic confessores inuisentem, scripsisse, [1] litteræ tunc ab eo datæ significant, *&c.*

Instituisse verò eiusmodi peregrinationem Ruffinum vnà cum Melaniâ Romanâ clarissimâ feminâ Ierosolymam, sed in Aegyptum primò ad inuisendos illic agentes sanctos monachos nauigasse; idem S. [3] Hieronymus ad Florentium, necnon ad [4] Ruffinum scribens, duabus epistolis declarauit, quas ex Syriæ solitudine dedit. accedunt his alij testes: confirmat enim hoc ipsum de peregrinatione Ruffini cum Melaniâ S. [5] Paulinus in epistolâ ad Seuerum, necnon [6] Palladius de eadem Melaniâ agens. Hieron. ep. 5. & 41. Paulin. epist. 9.

Quonam verò potissimùm tempore eiusmodi Ruffini cum Melaniâ peregrinatio acciderit, diuersæ eâ de re reperiuntur sententiæ: nam Palladius ipso [7] exordio Valentis Imperij id factum esse, affirmare videtur: sed apud S. Hieronymi Chronicon anno decimo eiusdem Imperatoris hæc leguntur: *Melania nobilissima mulierum Romanarum, & Marcellini quondam consulis* [8] *filia, vnico* [9] *pratore tunc vrbano filio derelicto, Ierosolymam nauigauit, vbi tanto virtutum pracipueque humilitatis fuit miraculo, vt Thecla nomen acceperit.* Hæc ibi: quæ intelligenda putamus, non cùm primùm Româ profecta est, sed cùm ex Aegypto Ierosolymam peruenit. Nam quod spectat ad profectionem in Aegyptum: cùm ipsius [10] Ruffini, necnon Palladij assertione constet Melaniam ac eius comites, viuente adhuc Athanasio, fuisse Alexandriæ, quem liquet hoc ipso anno ex hac vitâ migrasse, vtique ante decimum Valentis annum eam cum suis in Aegyptum profectam esse, affirmare necesse est. Quòd enim contigerit, ipso viuente adhuc S. Athanasio, Melaniam Alexandriam peruenisse, Palladius ex eo perspicuè demonstrare videtur, cùm ait Melaniam ab ipso Athanasio donatam esse ouinâ pelle, quam dono acceperat à Macario abbate, oblatâ ipsi munere à leone pro gratiarum actione de catulis cæcis ab ipso luci redditis; cuius rei adeò admirandæ Ruffinus historiam narrat: qui & ait, se præsentem fuisse, cùm persecutio est illata monachis post Athanasij obitum ab Arianis: *Ea enim*, inquit, *quæ præsens vidi, loquor, & eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.* Hæc ipse. De eadem Melaniæ peregrinatione dum Palladius agit, ait eam duce Isidoro eremum Ægypti lustrasse, & inter alios magni nominis monachos inui- Palladius in Lausiac. cap. 33. *Melania ab Athanasio donata pelle ouinâ.* Ruffin. l. 2. cap. 4. Pallad. in Lausiac. cap. 2. Li. pom. to. 3.

inuisisse Pambonem, eidemque pro monachorum vsu donasse trecentas libras argenti.

Cùm autem (quod diximus) tunc contigerit Hieronymum eam epistolam scribere ad Ruffinum, cùm ille inuiseret monachos persecutione vexatos (quod hoc ipso anno factum est post obitum Athanasij, de quo paulò pòst dicturi sumus) affirmandum esse videtur, hoc eodem quoque anno à S. Hieronymo ad Ruffinum eas litteras datas esse; vbi inter alia: *Audio te*, inquit, *Ægypti secreta penetrare, monachorum inuisere choros, & cælestem in terris circumire familiam.* Et inferiùs: *Rursum suspensam voto nutante mentem,* [11] *quidam Alexandrinus monachus, qui ad Ægyptios confessores, & voluntate iam martyres, pio plebis iamdudum fuerat transmissus obsequio, manifestus ad credulitatem nuntij auctor impulerat.* Et paulò pòst: *Ruffinum Nitriæ esse, & ad beatum perrexisse Macarium, crebra commeantium multitudo referebat.* Hæc ipse.

Hier. epistolâ 41.

Quibus omnibus redditur manifestum, Melaniam cum Ruffino hoc anno, superstite adhuc Athanasio, Alexandriam peruenisse, & S. Hieronymum (vt dictum est) post Athanasij obitum, excitatâ hoc anno ab Arianis persecutione in ecclesiam Alexandrinam & incolas eremi, illam ad Ruffinum epistolam conscripsisse ex Syriæ eremo, vbi agebat subægrotans, &c.

Hieronymus ex Syria eremo scribit ad Ruffinum.

Quam autem diximus Melaniam cum Ruffino atque socijs ante obitum Athanasij certum esse Alexandriam ex vrbe venisse: quonam potissimùm tempore id accidisse putandum? Si Palladio assenserimus affirmanti id factum circa exordia Valentis imperij, ipsum Ruffinum adiungere possemus adstipulatorem, vbi ait [12] annis sex se Alexandriæ commoratum esse, & posteà iterùm ad aliquot dierum spatium illuc reuersum commorari contigisse. Sed hoc rursum dissuadet vt credamus, quòd ex nuper citatâ Hieronymi epistolâ ad Ruffinum inauditus anteà & inopinatus aduentus eius in Ægyptum & quàm recentissimus fuisse videtur, vt superiùs dictum est, &c.

Ruffin. in Hieron. inuect. 2.

Quod autem ad Ægypti monachos spectat dirissimè à Lucio exagitatos; Ruffinus, qui cùm Melaniâ in Ægypto agebat, hæc de illis scriptorum monumentis posteris legenda tradidit: *Inde post fugas ciuium & exilia, post cædes & tormenta flammasque quibus innumeros confecerat,* [13] *ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit. Tria millia simul, aut eo amplius viros per totam eremum secretâ & solitariâ habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur: mittit armatam equitum & peditum manum: Tribunos, præpositos, & bellorum duces, tamquam aduersus barbaros pugnaturus, eligit. Qui cùm venissent, nouam belli speciem vident, hostes suos gladio obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi: Amice ad quid venisti? Per id tempus* [14] *patres monachorum, vitæ & antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides & Pambus Antonij discipuli per Ægyptum, & maximè in Nitriæ deserti partibus habebantur viri, qui consortium vitæ & actuum non cum ceteris mortalibus, sed cum supernis Angelis habere credebantur. Quæ præsens vidi, loquor; & eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.* Et in epistolâ ad Anastasium Romanum Pontificem hæc item se passum esse gloriatur, cùm ait: *Quamuis igitur fides nostra persecutionis hæreticorum tempore, cùm in sanctâ Alexandrinâ ecclesiâ degeremus, in carceribus & in exilijs, quæ pro fide inferebantur, probata sit: tamen & nunc si quis est qui vel tentare fidem nostram cupiat, sciat,* &c.

Baronius post multa, anno eódem.

Persecutio Arianorum aduersus Aegypti monachos.

Ruffin. l. 2. c. 3. & 4.

At hæc de se summâ iactantiâ ab ipso Ruffino esse commenta, exclamat sanctus Hieronymus, cùm his recitatis ipsius verbis, sic subdit: *Miror quòd non adiecerit, Vinctus Iesu Christi. & : Liberatus sum de ore leonis. & : Alexandriæ ad bestias pugnaui. & : Cursum consummaui, fidem seruaui; superest mihi corona iustitiæ. Quæ,*

Ruffinus iactanter confessionê ostentat.

Hier. Apolog. lib. 2.

2. Tim. 4.

malum,

mislam, exilia, quos iste carceres nominat? Pudet me apertissimi mendacij: quasi carceres & exilia absque iudicum sententijs irrogentur. Volo tamen ipsos scire carceres, & quarum prouinciarum se dicat exilia sustinuisse. Et vtique habet copiam de multis carceribus & infinitis exilijs vnum aliquod nominandi. Prodat nobis confessionis suæ Acta, quæ hucusque nescimus; vt inter alios Alexandriæ martyres huius quoque gesta recitemus; & contra latratores suos possit dicere: De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto. Hæc Hieronymus. Gal. 6.

Certè quidem Melania clarissima femina, [15] consulis Marcellini neptis, antiquâ nobilitate & [16] filij præfecturæ vrbanæ magistratu toto Romano orbi notissima, apud quam primum locum Ruffinus obtinebat, omnium præfectorum, quocumque pergeret, frequentabatur obsequijs; tantumque abfuit, vt vel ipsi vel alicui ex eius familiâ irrogata exilia fuerint, quod Ruffinus iactat, vt etiam qui persecutionem fidei caussâ paterentur, ad ipsam tamquam ad asylum confugerent, ab eademque pariter in tuto collocarentur, atque etiam alerentur; vt quæ de eâ proximè dicturi sumus, cùm ipsa processit ad iudicem, fidem certam faciunt. At cur Ruffinus, sicut aliorum, non etiam suam recensuit confessionem exemplo Pauli apostoli? quòd præsertim sciret, rem tantam haud ab aduersarijs facilè ratam fore habendam absque aliquâ certiori probationis fide, cùm alioqui aliorum confessiones [17] adeò exactè describat?

Si qua tamen tunc Alexandriæ contigit Ruffini confessio, [18] ea tantùm fuisse existimatur, cùm prouocatâ Melaniâ ad iudicium, quòd faueret Orthodoxis, ipse putetur eam comitatus esse: sed dimissâ illâ quantocyùs, vtique & qui cum eâ erant, rediêre domum. Sed de his satis.

Sed quod silentio Ruffinus præterijt, dignum memoriâ tunc officium exhibitum à Melaniâ nobilissimâ Romanâ feminâ, his ex Paulino iungamus: scribens enim ad Seuerum, inter alia digna præconia Christianæ feminæ consularis hæc habet: Baronius paulò pòst, anno eodem. Paulin. epist. 10.

Tempore illo Valentis, quando Ecclesiam Dei viui furor Arianorum, rege ipso impietatis satellite, persequebatur: hæc erat princeps & particeps cunctis pro fide instantibus: hæc fugatos recipiebat, aut apprehensos comitabatur. Sed cùm eos recepisset in latebram, qui propter insignem fidem & maiori hæreticorum odio infestabantur, & occultantium tangebantur inuidiâ: graui tunc seditione diabolicis facibus inflammatâ, quasi contra legem publicam contumax, protrahi ac pati iussa est quæ illos manebant, nisi prodere maluisset. Processit impauidè, cupida passionis, & iniuriâ publicationis exultans; quamuis non exspectasset trahi, tracturos anteuolans ad iudicem: qui confusus veneratione præsentis, non executus est infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Melania occultat & pascit monachos.

Eadem tempestate per triduum quinque millia monachorum latentium panibus suis pauit: vt per eius manum iterùm Dominus Iesus pristinum numerum in deserto pasceret, tantò quidem nunc impensiori clementiâ, quantò minori licentiâ fouebantur occulti, quàm illi quondam, qui ad Dominum voluntariè in libertate & pace conuenerant. Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum secura præbebat officium: nec volens gloriâ operationis agnosci; tamen operis magnitudine prodebatur, totidem apud homines testimonijs gloriosa, quot pastis, Deo conscio. Hæc Paulinus, mirificâ prædicatione tam egregia facta celebrans: quæ sanè [19] gesta esse in Ægypto, non autem in Palæstinâ, illud persuadet, quòd nullibi tam ingens numerus monachorum simul collectorum nisi in Ægypto fuerit repertus. Mansisse quidem ipsam Melaniam in Ægypto [20] mensibus octo, Palladius docet. Porrò ab his diuersa esse noscuntur, quæ de eiusdem Melaniæ officijs, quibus profecuta est in Palæstinâ relegatos confessores, idem Palladius tradit, quæ paullò pòst narraturi Matth. 14. Marc. 6. Lucæ 9. Melania constantia. Palladius in Lausiac. cap. 33.

 sumus

sumus. Vt autem tam ingenti opere, in occultandis atque pascendis monachis quinque millibus in deserto, veluti contumelijs prouocatus præfectus, libens eius responsionibus cesserit; summa feminæ claritudo, quæ apud hostes quoque reuerentiam sibi conciliabat, in caussâ fuit. Erat quidem Melaniæ nomen (vt dictum est) non Romæ tantùm, sed vbique locorum Romani Imperij cognitum, atque in honore habitum, tum nobilitate generis, tum egregiæ pietatis præstantiâ: de quâ hæc idem qui suprà Paulinus: *Mulier celsiore gradu ad humilitatis cultum ob amorem Christi deiecta sublimiter, vt viros desides in infirmo sexu fortis argueret, arrogantes in sexu vtroque personas, paupertata diues, & nobilis humiliata confunderet.* [21] *Igitur Marcellino consule auo, de ambitu generis & opum luxu in teneris adhuc annis nuptias passa, & breui mater, sed infelicitate mortalium non longùm potita est, ne diu terrena diligeret. Nam præter alias orbitates, quas irrito in fœtibus abortiuis labore, adhuc marito participe defleuit: ita creuit ærumnis, vt duos filios & maritum intra anni tempus amitteret, vnico tantùm sibi paruulo ad memoriam potiùs, quàm ad compensationem affectuum derelicto.* Hæc & alia de ipsâ Paulinus: *&c.*

Paulin. epist. 10.

Porrò Melaniæ filio hoc tempore [22] præturam vrbanam fungenti iunctam fuisse constat in matrimonium Albinam, Melania verò iunior eius neptis Piniano in matrimonium tradita fuit: sed de his inferiùs.

Pallad. cap. 33.

Laudat sanctus Hieronymus feminæ [23] summam constantiam, quòd simul siccis oculis sepelisset virum suum ac duos filios; vno verò superstite derelicto, peregrinata fuerit in Ægyptum primò, inde Ierosolymam: ibique ad quinque lustra esse commoratam, Paulinus tradit; ampliùs verò annos duos, nempe [24] vigintiseptem, Palladius affirmat.

Hieron. epist. 25.
Paulin. ad Seuer. epistolâ 10.
Palladius in Lausiac. cap. 33.

Porrò Melaniæ in Ægypto commoratio magnum planè cùm ipsi tum Ruffino attulit detrimentum: siquidem cum Didymo Alexandrino magni nominis viro, & ob eximiam coniunctam cum oculorum cæcitate peritiam planè cunctis admirabili, intimam consuetudinem habentes, propinante illo ipsis sitientibus, quem mirificè prædicabat, Origenem suum, hauserunt isti vnà cum dulci potu venenum, *&c.* Qui sic eorum animis Periarchon Origenis infudit, vt eo tamquam magno thesauro ditati, cuperent totum Catholicum orbem locupletari: sed planè aspidis oua fouerunt; quibus ruptis, prodiêre serpentes, quorum letali veneno quàm plurimi miserè periêre. At de his inferiùs suis locis pluribus agendum erit: hæc modò satis in his quæ spectant ad Melaniæ & Ruffini consuetudinem cum Didymo in Ægypto hoc tempore, quo illuc sunt peregrinati.

PROFECTIO IN PALÆSTINAM.

Anno Christi CCCLXXII

MELANIA hoc eodem anno, quo ex Petri Alexandrini litteris vidimus Ægypti episcopos & monachos relegatos esse Diocæsaream oppidum in Palæstinâ situm, illis ministratura, magno fidei ardore succensa, Ierosolymam profecta est. Quid verò ipsa ibi egerit, Palladius docet his verbis: *Post hæc autem, cùm Alexandriæ præfectus Augustalis Isidorum,* [25] *Pithymum*, Adelphium, Paphnutium, Pambonem, inter quos etiam senem Ammonium vnam habentem auriculam, & duodecim episcopos, presbyterosque, & alios quosdam vsque ad centum duodecim numero circa Palestinæ Diocæsaream damnasset exilio: istos hæc beatissima omnes secuta est, & proprijs facultatibus eis ministerium suum præbuit. Cumque ab illis qui in memoratorum custodiâ erant, prohiberetur hæc facere (sicut mihi & ipsi sæpè referebant, nam & ego sanctum Pithymum & Isidorum & Paphnutium vidi) benedicta tunc illa, sumpta veste seruili circa vespertinas horas, omnia eis vitæ necessaria afferebat.*

Pallad. Lausiac. cap. 33.
* Euthymium,
Melania profectio in Palæstinâ.

Quo

Quo cognito, Palæstinæ prouinciæ consularis, credens quòd sinus suos posset fumo quodam atque terrore ex pecuniâ eius implere, iussit eam (ignota enim ipsi erat) corripi, & in carcerem trudi. Ex quo loco tunc ei per internuntios quosdam sancta illa mandauit: Ego, inquit, illius filia, & illius coniux fui, ancilla verò nunc Christi sum: ne ergo me ob vilitatem præsentis habitus contemnendam putaueris; quia facilè extollere, si velim, me possum: nec terrere igitur me in aliquo vales, neque quidquam mihi de meis rebus auferre. Atque ideò ne fortassis ignorans periculum aliquod aut crimen incurras, idcircò ista tibi mandaui: quasi quæ diceret, Interdum enim necesse est aduersus imprudentes hæc agi, & veluti accipitre vel cane contra eos arrogantiâ vti, quæ congruo tempore superbos comprehensura imitatur. Talibus ergo verbis mox ipse territus iudex, excusauit eidem factum suum; & ita eam, vt meruerat, honorauit; & iussit, vt ad illos viros, quoties vellet, accederet. Hactenus de illius ministerio exhibito confessoribus.

Præfectus Palæstinæ quid in Melaniam.

PROFECTIO IEROSOLYMITANA ET IBIDEM COMMORATIO.

DE commoratione verò eius Ierosolymis sic mox subdit: *Hæc autem, reuocatis ab exilio memoratis viris, monasterium apud Ierosolymam sibi fecit, in quo viginti & septem annorum tempus impleuit, quinquaginta secum sorores virgines habens. Erat etiam cum eâ Ruffinus quidam nomine, Italus, ciuis ex Aquileiensi oppido, vir nobilium & in proposito singulari satis fortium morum, qui ad presbyteratum postea meruit peruenire: quo nullus mansuetior, fortior, & placidior, tamquam omnia sciens, in sexu virili potuit inueniri.* Hæc quidem de Ruffino Palladius, de Origenis sectatore Origenista, Hieronymo eam ob caussam perinfensus: vt non mireris, si qui Ruffinum immensis laudibus ornat, Hieronymum eodem in commentario contumelijs laceret. Sed de Palladio suo loco plura inferiùs; qui de instituto Melaniæ atque Ruffini toto illo temporis spatio, quo vixerunt Ierosolymis, ista subdit:

Anno Christi CCCLXXII

Quæ egerit Melania Ierosolymis

Isti igitur in viginti & septem annis omnes apud Ierosolymam sanctos, atque peregrinos episcopos & monachos, virginesque (hoc enim vouerant Deo) suscipere proprijs sumptibus ac fouere consueuerunt, omnesque ad se venientes meliores tantarum ac talium rerum contemplatione fecerunt. Illos enim quadringentos numero monachos, qui propter Paulinum, Antiochenum episcopum scilicet, *se ab Ecclesiâ separabant, sanctæ rursus Ecclesiæ reddiderunt. Omnes etiam præter hos peruersæ sectæ homines & contra Spiritum sanctum sacrilego ore certantes, ad Ecclesiam nostram, vera suadendo, ac iugiter cunctos docendo, reuocauerunt, honorantes quidem ac sæpè pascentes eiusdem loci clericos: & hæc pariter facientes, vitam suam pio studio finierunt, nulli quidem ex se vel leuem dantes scandali suspicionem, totum verò orbem terrarum spirituali ædificatione plenissimum relinquentes.* Hactenus Palladius.

Opera Melaniæ atque Ruffini.

Ceterùm ratione Melaniæ, quam Paula Ierosolymam secuta est, calumniam passus est Hieronymus, quam inter ea, quæ in ipsum post Damasi obitum à calumniantibus fuêre obiecta, ac stimulante odio atque inuidiâ perpetrata, idem ipse eâ epistolâ, quam, nauim in Portu Romano conscensurus, conscripsit ad Asellam, exactim recenset; vbi inter alia: *Nihil mihi aliud obijcitur, nisi sexus meus: & hoc numquam obijcitur, nisi cùm Ierosolymam Paula & Melania proficiscuntur.* Et pòst: *Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulam præbuerunt, nisi Paula & Melania: quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis, crucem Domini, quasi quoddam pietatis leuauêre vexillum. Si balneas peterent, vnguenta eligerent, diuitias & viduitatem haberent materiem luxuriæ & libertatis; dominæ vocarentur & sanctæ:*

Baron. ad ann. Christi 385.

Hieron. epist. 99.

cta: nunc in sacco & cinere formosæ volunt videri, & in gehennam ignis cum ieiuniis & pædore descendere: videlicet non licet eis applaudente populo, perire cum turbis. Quod ad Melaniam spectat, cùm eam viduam nominet, haud dubium, ipsum intelligere de Melaniâ seniori; iunioris enim viuebat adhuc vir Pinianus. Nec sic quidem eius hîc meminit, quasi tunc Romæ esset, quam iam plures ante annos vidimus in Ægyptum primò, inde verò Ierosolymam esse profectam, ibique in præsenti vitam agere: sed idcircò eius meminit sanctus Hieronymus, quòd tum eius migrationis Ierosolymam occasione, tum Paulæ idem iter capessentis, quò & tendebat ipse Hieronymus, detractores eam calumniandi ansam arripuissent. At subdit:

Si gentiles hanc vitam carperent, si Iudæi, haberent solatium non placendi eis quibus displicet Christus. Nunc verò, prô nefas, homines Christiani, prætermissâ domorum suarum curâ, & proprij oculi trabe neglectâ, in alieno oculo festucam quærunt: (Lucæ 6.) *lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium. Tibi placet lauare quotidie, alius has mundities sordes putat: tu attagenem ructas, & de comeso acipensere gloriaris; ego fabâ ventrem impleo: te delectant cachinnantium greges, me Paula Melaniaque plangentes: tu aliena desideras, illæ contemnunt sua: te delibuta melle vina delectant, illæ potant aquam frigidam suauiorem: tu te perdere existimas, quidquid in præsenti non habueris, comederis, deuoraueris; illæ futura desiderant, & credunt vera esse quæ scripta sunt. Esto ineptè & inaniter, quibus resurrectio corporum persuasit, quid ad te? nobis è contrario tua vita displicet. Bono tuo crassus sis: me macies delectat & pallor. Tu tales miseros arbitraris, nos te miserabiliorem putamus. Par pari refertur, & inuicem nobis videtur insanire.*

Hæc, mi domina Asella, cùm iam nauim conscenderem, raptim flens dolensque conscripsi: & gratias ago Deo meo, quòd dignus sim quem mundus oderit. Ora autem, (Aggæi 2.) *vt de Babylone Ierosolymam regrediar; ne mihi dominetur Nabuchodonosor, sed Iesus filius Iosedech: veniat Esdras, qui interpretatur Adiutor, & reducat me in patriam* (Ierem. 42.) *meam. Stultus ego, qui volebam cantare canticum Domini in terrâ alienâ, & deserto monte Sinâ, Ægypti auxilium flagitabam: non recordabar Euangelij; quia qui* (Luc. 10.) *de Ierusalem egreditur, statim incidit in latrones, spoliatur, vulneratur, occiditur. Sed licet sacerdos despiciat atque leuites, Samaritanus ille misericors est: cui cùm* (Ioan. 8.) *diceretur, Samaritanus es, & dæmonium habes: dæmonium renuens, Samaritem se non negauit: quia quem nos custodem, Hebræi Samaritem vocant. Maleficum quidam* (Marc. 3.) *me garriunt: titulum fidei seruus agnosco. Magum vocant & Iudæi Dominum meum.* (2. Cor. 6.) *Seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat nisi humana. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui Cruci milito? Infamiam falsi criminis impu-* (1. Cor. 10.) *tarunt: sed scio, per bonam & malam famam perueniri ad regna cælorum. Saluta Paulam & Eustochium, velit nolit mundus, in Christo meas. Saluta matrem Albinam sororemque Marcellam, Marcellinam quoque & sanctam Felicitatem; & dic eis: Ante tribunal Christi simul stabimus: ibi apparebit, quâ mente quâ vixerit. Memento mei, exemplum pudicitiæ & virginitatis insigne, fluctusque maris tuis precibus mitiga.* Hactenus Hieronymus ad Asellam.

Quòd verò vides, nullam ab eo salutationem impertiri Melaniæ, satis indicatur quod dictum est, ipsum intelligere eâ epistolâ de Melaniâ seniore iam diu antè Ierosolymam profectâ, ibique commorante.

RVFFINI ET MELANIÆ MISERABILIS LAPSVS.

(Baron. ad annum Christi 393.) PORRO quomodo posteà præcipui Hieronymi aduersarij, & Origenistarum patroni fuerint ipse Ruffinus atque Melania, habet ipse epistolâ ad Pammachium

chium de optimo genere interpretandi, vbi pseudomonachi fraudes detegit: *Hæc non est illius culpa, cuius sub persona alius agit tragœdiam, sed Ruffini & Melaniæ magistrorum eius, qui illum magna mercede nihil scire docuerunt.* Prô dolor! tanto totius Catholicæ Ecclesiæ scandalo, ita mutatus est in inimicum Hieronymo amicus charissimus ille Ruffinus, cui quàm arctis amicitiæ vinculis & insolubilibus necessitudinis nexibus ipse Hieronymus astrictus esset, vel vno saltem illo declarat elogio, cùm eumdem vnà cum Melania visitantem Ægypti monasteria è solitudine Syriæ litteris inuisens, atque salutans, inter alia plurima amoris signa sic ait: *Credas mihi, frater, non sic tempestate iactatus portum nauta prospectat; non sic sitientia imbres arua desiderant; non sic curuo assidens littori anxia filium mater exspectat, postquam me à tuo latere subitus turbo conuulsit, postquam glutino charitatis hærentem impia distraxit auulsio, &c.* Quantâ enim animi sollicitudine saluum sibi cuperet quod haberet, néve propter absentiam aliquod vel leue saltem pateretur dispendium amicitia, pertimesceret; ad finem illud, quod memoria tenaciùs retineret, apposuit: *Obsecro te, ne amicum qui diu quæritur, vix inuenitur, difficilè seruatur, pariter cum oculis mens amittat. Fulgeat, cui libet, aurum, & pompaticis ferculis corusca ex sarcinis metalla radient: charitas non potest comparari, dilectio pretium non habet: amicitia quæ desinere potest, vera numquam fuit.* En quibus ipse circumdat vallis amicum, ne eos, volens licet, transilire absque ignominiæ notâ valeret. Sed secutus alienos Ruffinus infelix, terga vertit amico, merensque transfuga in castris hostium, inde in amicum ac fratrem furens, prodit dux impiorum armatus, nullâ prorsus aliâ causâ compulsus, quàm vt aduersantes Catholicæ veritati Origenis errores saluos seruet atque propugnet: ipsum quidem haud segniter, vel loco nouissimo, sed inter primos militasse, Epiphanius dictâ epistolâ ad Ioannem indicare videtur, dum inter tot defensores Origenis ipsum tantùm nominat, ac benè precatur his verbis: *Te autem, frater, liberet Deus, & sanctum populum Christi qui tibi creditus est, & omnes fratres qui tecum sunt, & maximè Ruffinum presbyterum, ab hæresi Origenis, & ab alijs hæresibus & perditione earum.* Hæc Epiphanius.

Hieron. epist. 101. — *Damnatabilis Ruffini casus.* — *Hier. epistolâ 41.* — *Ruffini acerbissimus casus.* — *Hieron. epist. 60.*

Sed maiori me dolore sauciat, angore cruciat, atque mœrore consternit Melaniæ acerbissimus casus. Hæccine vidua illa clarissima, ornamentum Romanarum feminarum, decus summum Christianorum, viuumque exemplar Christianæ philosophiæ, quæ insigne illud Romæ specimen edidit, cùm eodem tempore maritum ac duos charissimos liberos siccis penitùs oculis sepeliuit? cuius incredibilem sanctitatem admiratus prædicans quondam ipse Hyeronymus, alijsque imitandam proponens, illa tantæ fiduciæ effatus est verba: *Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum quâ tibi Dominus* (Paulam alloquitur) *mihique concedat in die suâ habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios, &c.* Sed planè quod subditur in feminâ gloriosius, cùm de victâ victrice omnium vrbe triumphans, superatoque insito à naturâ vnicæ prolis amore, Româ spretâ, vnico ibi relicto filio, exul mundi, cæli ciuis, victrix etiam ventorum & fluctuum, ingruente iam hieme (vt ait) Ierosolymam nauigauit.

Lugubris Melaniæ casus. — *Hieron. epist. 25.*

Quam ob caussam iure meritoque idem S. Hieronymus tantarum rerum admiratione stupens, eam dignam existimauit, vt Theclæ nomine nuncuparet: nobiliorem titulum non inueniens, quo Melaniam decoraret, quàm nomen sanctissimæ virginis, primogenitæ Pauli, & primæ martyris inter feminas; vtpote quæ Romæ prima omnium clarissimarum mulierum Romanarum, spernendæ pro Christo vrbis, contemnendi diuitias, deserendi filios, petendique Ierosolymam exemplum dedit, ceterisque ad ipsum præstandum, forte aggressa

Hieron. in Chronic.

aggressa facinus, viam aperuit, cùm ipsa prima reliquas Romanas nobiles feminas antegressa, relictâ Ægypto, transmissoque mari, in littore Palæstino, terrâ promissionis, possessione sanctorum, felicior quàm Maria in terrâ desertâ, tympanum pulsans pœnitentiæ, præcinuerit Domino canticum nouum, quam aliæ illustres Romanæ feminæ, veræ redditæ Israëlitæ, virgines atque viduæ secutæ, choros ducentes, easdem cum eâ concinuêre Christo vincenti laudes. Sed probata ad aquas contradictionis (ô fallaciam incredibilem hostis humani generis!) decepta, superata defecit: tantaque onusta adeò pretiosis mercibus nauis (ita namque naui institoris comparatur diuino eloquio mulier fortis) in ipso tranquillitatis portu (quis credat?) est passa naufragium, cùm incauta in syrtes Origenis impegit: Origenisque sic conspersa fuligine, conuersa est ex Noëmi in Mara, & ex Theclâ redijt in Melaniam; à fuscedine ductum nomen infaustum. Ista patitur humana conditio; vt nihil quilibet, dum viuit, vendicet sibi tutum.

Lugetur Melania.

REDITVS ROMAM.

Anno Christi CCCXCVII. Origenis errores inferuntur in vrbem.

QVI sequitur Christi annus CCCXCVII. consulatu Cæsarij & Attici, Fastis adscribitur: quo hæreses Origenis sub pietatis inuolucro per Ruffinum presbyterum Aquileiensem è Palæstinâ cum Melaniâ Romam redeuntem inferuntur in vrbem; propinatæque aureo calice Babylonis, antequam inebriarentur illis fideles, detectæ atque explosæ fuerunt. Hæc autem quo modo se habuerint, dicendum per singula: sed ante omnia, quæ sunt temporis, elucidanda.

Pallad. in Lausiac. c. 33 apud Lipom. tom. 3.

Ruffinum quidem indiuiduum Melaniæ comitem [26] cum eâ in Ægyptum profectum & in Palæstinam, ibique apud eam, vsque dum illic mansit, Ierosolymis vitam transegisse, quæ dicta sunt superiùs ex Hieronymo satis significant: at eâ demum remeante Romam, eiusdem assectatum esse vestigia, [27] Palladij atque Paulini testificatione exploratum habetur: ait enim Palladius: *Erat etiam cum eâ Ruffinus quidam nomine, ciuis Italus ex Aquileiensi oppido, vir nobilium & in proposito singulari satis fortium morum; qui & ad presbyteratum posteà meruit peruenire: quo nullus mansuetior, fortior, & placidior tamquam omnia sciens, in sexu virili potuit inueniri. Isti igitur in viginti & septem annis, omnes apud Ierosolymam sanctos atque peregrinos episcopos, monachos, virginesque (hoc enim vouerant Deo) suscepêre suis proprijs sumptibus*, &c. agitque paulò pòst de eorumdem reditu Romam, de quo & nos itidem. Hæc Palladius de Ruffino, eidem in Origenis erroribus concors, vt superiùs pluribus demonstratum est. Sed & Paulinus comitem Melaniæ Ruffinum appellat, quem & haud hactenus satis sibi compertum laudat. Sanctus Hieronymus etiam pòst hæc ad eumdem Ruffinum Romæ agentem litteras dedit: [28] vt planè nullum sit dubium, contigisse aduentum Ruffini Romam, quando illuc etiam ipsa Melania remeauit. Sed quoto potissimùm anno Domini Melaniam in vrbem redire contigit, id quidem est accuratiùs exquirendum.

Paulin. ad Seuer. epistolâ 9.

Hieron. epist. 66.

Melaniæ & Ruffini reditus Romam tempus.

Iam suo loco satis liquidò superiùs demonstratum est, ipsam vnà cum Ruffino in Ægyptum primò, indeque Ierosolymam migrasse anno Domini trecentesimo septuagesimosecundo, Impp. Valentiniani atque Valentis nono. Sed quot annos in hac peregrinatione & commoratione insumpserint, diuersæ sententiæ sunt eiusdem Palladij atque Paulini: siquidem ille (vt nuper vidimus) vigintiseptem numerat annos, Paulinus verò vigintiquinque. Sed huius exploratior atque solidior fides est: nam accepit hæc ipse ab eadem Melaniâ, quam redeuntem Romam (vt proximè dicturi sumus) Nolam diuertentem excepit hospi-

hospitem. Verùm ex eo quoque certior Paulini testificatio redditur, & Palladij assertio de annis viginti septem exploditur: quòd cùm constet hos adhuc in vitâ agente Siricio Papâ repetijsse Romam, si dixerimus ad numerum annorum à Palladio præscriptum, ipsorum esse prorogatum aduentum; vtique affirmandum esset, non sub Siricio, sed sub eius successore Anastasio eorumdem reditum contigisse. Ex Paulini ergo sententiâ, qui numerat Melaniæ ab vrbis absentiâ quinque lustra, dicendum est, eamdem hoc ipso anno Romam quasi postliminiò redijsse.

Recessisse autem Ruffinum è Palæstinâ cum pace S. Hieronymi, vtriusque testificatione asseritur: recitat enim ipse S. Hieronymus eiusdem Ruffini verba in posteriori Apologiâ, quæ sunt huiusmodi: *Vos nobis pacem proficiscentibus dedistis.* Respondit ipse: *Pacem dedimus, non hæresim suscepimus: iunximus dextras, abeuntes prosecuti sumus, vt vos essetis Catholici*, &c. Melaniæ autem ad vrbem reditus Palladius eiusmodi foris prætensam affert caussam: *Post multùm verò temporis* (inquit) *cùm audisset, cuidam nupsisse neptem suam Melaniam* (iuniorem dictam) *viro: renuntiare autem post nuptias sæculo huic velle, cognouisset: metuens ne qui malæ vitæ homines ac malæ sectæ peruersæque doctrinæ eidem iungerentur: ob hoc ipsum cùm iam admodum senex, hoc est, sexaginta esset annorum, de Cæsariensium ciuitate ad vrbem Romam intra dierum viginti spatium nauigauit.* Hæc Palladius de assertâ & vulgatâ forinsecus reditus causâ. Ceterùm eiusdem cum Ruffino in Origenis erroribus (vt pluribus dictum est superiùs) conniuentiam caussam exstitisse eisdem ad vrbem veniendi, oratio præmissa declarat. Erat his quidem in optatis, vt quibus fauerant & quas fouerant toto illo tempore, Origenis sententiæ (quarum complures essent defensores in Ægypto consistentes monachi, & inter eos celebriores Euagrius & Isidorus, atque inter episcopos nobilis sedis Ioannes Ierosolymorum antistes) eædem Romanæ sedis Episcopi, vt sic ab vniuersâ reciperentur Ecclesiâ, probarentur assensu. Sed quantâ id sit elaboratum industriâ, & quibus velamentis vnà cum his palliata decore hæresis se in vrbem intulerit, videamus.

Ruffinus pacificè recedit Ierosolymis.

Pallad. vbi suprà c. 33. Caussa reditus Melaniæ in vrbem.

Atque primùm, quæ S. Paulinus de Melaniæ reditu, qui eam suscepit Nolæ, describat in epistolâ ad Seuerum, hîc reddamus: *Addit* (inquit) *Dominus hanc gratiam de muneribus & litteris tuis: vt ad eos potissimùm dies nobis frater Victor occurreret, quibus sanctam ipsam* (Melaniam scilicet) *ex Ierusalem post quinque lustra remeantem excepimus. At quam tandem feminam? (si feminam dici licet tam viriliter Christianam) Quid hoc loco faciam? vetat fastidij intolerabilis metus voluminibus adhuc addere; sed personæ dignitas, imò Dei gratia, postulare videtur, vt commemorationem tantæ animæ prægressus non raptim omittam, sed paulisper ad eam tibi narrandam*, &c. Prosequitur nobile genus eius referre, vtpote quæ habuerat Marcellinum consulem ordinarium auum, qui vnà cum Probino consulatum gesserat anno Domini trecentesimo quadragesimoprimo, & eius in vitâ Christianâ sectandâ ardens studium, & alia plura de ipsâ, quæ nos suo loco superiùs ordine temporis collocauimus: ac demum de eiusdem, cùm redijt, appulsu Neapolim, ista subdit: *Neapolim vrbem breui spatio à Nolanâ, quâ degimus, ciuitate distinctam aduecta est. Vbi filiorum nepotumque occursu excepta, mox Nolam ad humilitatis nostræ hospitium festinauit: quò nobis aduenit ambitioso ditissimorum pignorum vallata comitatu.*

Paulin. ad Seuerum epist. 10.

Melania peruenit Neapolim atque Nolam.

Vidimus gloriam Domini in illo matris & filiorum itinere quidem vno, sed longè dispari cultu. macro illam & viliore asellis burrico sedentem, totâ huius sæculi pompâ, quâ honorati & opulenti poterant, circumflui senatores prosequebantur, carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus, gemente Appiâ atque fulgente: sed splendoribus vanitatis prælucebat Christianæ humilitatis gratia. Admirabantur

Occursus Romanorum ciuium Melaniæ.

bantur diuites pauperem, profani sanctam, & illos nostra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo huiusmodi confusionem, purpuream, sericam, auratamque supellectilem pannis veteribus & nigris seruientem. Benediximus Dominum, qui humiles & excelsos facit sapientes, esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes. In istis tamen diuitibus eadem die de maternis bonis pauperem spiritum stupebamus, qui magis sanctâ matris inopiâ, quàm suâ visibili abundantiâ gloriabantur. Id ipsum autem gloria Domini videbatur operari, quòd egenulæ nostræ diuitias in eius filijs intuebamur; vt iam hinc fructum fidei suæ caperet, cùm victoriam suam de huius sæculi vanitate ipsa despectaret, cominùs videns omnia quæ propter Christum reliquerat & contemnere perseuerarat. Illi sericati & pro suo quisque sexu togâ aut stolâ soliti splendere filij, crassam illam veluti spartei staminis tunicam & vile palliolum gaudebant manu tangere, & vestimenta sua velleribus, auro, & arte pretiosa pedibus eius substernere, pannisque contegere gestiebant; expiari se à diuitiarum suarum contagio iudicantes, si quam de vilissimo eius habitu aut vestigio sordem colligere mererentur.

Lucæ 1.

Tugurium verò nostrum, quod à terrâ suspensum cœnaculo vno, porticu cellulis hospitalibus interpositâ, longiùs tenditur, quasi dilatatum gratiâ Domini, non solùm sanctis qui illam plurimi comitabantur, sed etiam diuitum illorum cateruis non incapaces angustias præbuit: in quo personis puerorum ac virginum choris vicina Dominædij nostri Felicis culmina resultabant; neque è diuerso habitationis eiusdem, dissoni licet proposito, hospites obstrepebant, sed & in illis religiosa modestia imitabatur nostræ silentium disciplinæ; vt si dissimularent concinere vigilantibus pigro ventre sopiti, tamen non auderent pijs vocibus dissonare, fideli timore compositi, quo placitis psallentium vocibus, compresso sæcularium turbarum tumultu, etiam taciti concinebant. Verùm vt ad perfectam Domini columbam recurram; scito nunc istam tantam in sexu infirmitatis virtutem Dei, cui refectio in ieiunio, requies in oratione, panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo & centone durus in terrâ fit mollis in litterâ, quâ rigidi cubilis iniuriam mitigat lectionis voluptas; & sanctæ animæ in Domino vigilare, requiescere est.

Hospitium sanctum reddit hospites modestos.

Hanc ergo filia Sion hactenus habuit & desiderat, nunc filia Babylonis habet & admiratur: quia iam & ipsa vrbs in pluribus filia Sion est quàm filia Babylonis: & ideò miratur in humilitatis obscuro & veritatis luce viuentem, & fidei incitamenta diuitibus, angustiarum solatia pauperibus ministrantem: quamquam illa quietis & latebræ suæ apud Ierusalem in Romanis modò turbis æstuans clamat: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: ideò ne dilata sum, vt nunc habitarem cum habitantibus Cedar? Hoc enim nomine apud Hebræos (vt comperi) significatur obscuritas. Quare ita illi gratulandum de memoratis virtutibus puto, vt de præsenti sede timeatur, vt tam insignis anima plus Romæ conferat, quàm de Româ trahat, & sic sedeat super flumina Babylonis, vt recordetur Sion, & organo corporis sui suspenso ab inimicæ omnibus Babylonis insidijs & illecebris, in sui propositi tenore, velut in salicibus genuino semper hamore viuentibus, constituta virere non desinat, & permanente fidei constantiâ, virtutisque gratia, folium eius non defluat: vt sicut vita eius in itinere adspectatur, ita & laus in exitu canatur. Hucusque Paulinus de aduentu Melaniæ Romam: quam quidem vrbem cùm sic nominet filiam Babylonis, vt tamen in pluribus dicat eam præferre filiam Sion: facilè puto intelligis, eâ nominis vnius vrbis varietate discriminatos esse gentiles à Christianis; nimirum vt eâ ex parte Roma Babylon dicatur, vbi adhuc in eâ gentilitia vigeret impietas: Sion autem in pluribus, vtpote quæ Christianis abundaret, in quibus cultus religionis veræ micaret: vt planè ex tanti viri sententiâ valeas intelligere, quo sensu à Ioanne in Apocalypsi Roma sit Babylon nominata. At de his satis tomo primo Annalium actum est.

Virtutes Melaniæ describuntur.

Psal. 119.

Psal. 136.

Roma quâ ex parte dicta Babylon. Vide hoc explicatũ in Notis Rosvveydi ad ep. 10. Paulini, & Anticapel. li ciuis c. 5.

Sed ad Melaniam redeamus: quam cùm sic à Paulino laudatam vides, ne mireris: his quidem ipsa atque maioribus digna præconijs videbatur nescientibus

Res Melaniæ atque Ruffini incomperta Paulino.

bus quæ paucis arbitris in Palæstinâ non tam ab ipsâ, quàm per ipsam à suis consocijs de inducendis in Ecclesiam erroribus Origenis, refragante S. Hieronymo, ac penitùs obnitente S. Epiphanio, gesta essent. Quomodo nam, quæso, Paulinus sciret, quæ nec qui Ierosolymis essent, nosse potuerint? vt superiùs est demonstratum in controuersiâ illâ habitâ inter S. Epiphanium & Ioannem Ierosolymitanum episcopum, Origenistarum patronum, negantem tamen se Origenis errores defendere: quæ litteris S. Hieronymi vni innotuêre Pammachio. Vides igitur, Paulinum horum omnium penitùs ignarum adeò mirificè Melaniam iure laudasse; sed & eius in viâ comitem immensis præconijs, alijs ad eumdem Seuerum datis litteris, celebrasse Ruffinum: in quorum celebrationem omnium conuersa fuisse studia Christianorum, quis poterit dubitare? En vides, quibus, qualibúsve anteambulonibus inferatur in vrbem hæresis Origenis: vt planè pro miraculo dicendum fuerit, si audito sonitu tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, symphoniæ, & omnis generis musicorum, non adorauerint omnes statuam auream: si, inquam, quos sanctissimorum virorum etiam audirent encomijs pænè diuinis efferri, æquè plausibus non exceperint, & obuijs quoque manibus, quod ab illis sanctitatis titulo foris inscriptum offerretur, omnes non acceptarint, *&c.*

Paulin. epist. 9. *Origenis hæresis quâ pompâ inferatur in vrbem.* Dan. 3.

Accepit tunc idem Paulinus à Melaniâ perbreue segmentum ligni sanctissimæ crucis, missum sibi à Ioanne Ierosolymorum episcopo. Testatur id quidem ipse Paulinus, cùm ex eo quid modicum sumptum, nomine Therasiæ suæ, mittit ad socrum ipsius Seueri Bassulam, dum hæc ait: *Partem particulæ de ligno diuinæ crucis, quod nobis donum benedicta Melania ab Ierusalem munere sancti inde episcopi Ioannis attulit: hoc specialiter sorori nostræ venerabili Bassulæ misit conserua communis. Sed quod alteri vestrûm datur, vtriusque vestrûm est: quia in vtroque vestrûm vna ratio manet, & sexum euacuat fides, quâ in virum perfectum ambo concurritis. Accipite ergo ab vnanimis fratribus, in omni bono vestrum sibi consortium cupientibus. Accipite magnum in modico munus; & in segmento pænè atomo hastulæ breuis, sumite monimentum præsentis & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus: sed intentâ acie totam in hoc minimo vim crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignum illud, quo salus nostra, quo Dominus maiestatis affixus, tremente mundo, pependerit; exultetis cum tremore: recordemur & petras fissas ad huius affectum crucis, & saltem saxorum æmulatione præcordia nostra findamus timore diuino*, &c.

Paulin. ad Seuer. epistolâ 11. *Segmentum ligni sanctæ crucis à Ioanne episcopo Ierosolymitano ad Paulinum missum.*

Quod rursum ad idem lignum sanctissimæ crucis à Melaniâ Paulino datum spectat, ingens planè ex ipso contigit edi miraculum, cùm incendio flagrante fœno referta casa, in Paulini ipsius hospitium conuersa flamma cuncta impetu violento depascente, oblato ab ipso globis igneis eodem ligno crucis, incendium protinus resilierit, atque penitùs extinctum fuerit. Quod ipsum perpetuâ memoriâ consecrandum miraculum, ipse Paulinus versibus cecinit.

Crucis ligno extinctus ignis.

Paulin. in Natali 10. S. Felicis.

Donatus est prætereà idem Paulinus ab eadem Melaniâ tunicâ, innocuorum agnorum contextâ vellere: quam idem ipse, cùm accepisset à Seuero pallium ex pilis camelorum hirsutum, eidem dono misit: de quâ post alia sic ad ipsum scripsit: *Nos*, inquit, *neque verbis, neque rebus digna pensantes, vnica tamen facultate nobis charitatis, quâ vobis solâ pares sumus, misimus tunicam, quam ab vsu meo, vt de stercoris vilitate collectum pannum dignare suscipere. Nam vel hoc innocentiæ tuæ congruit, quod de tenero agnorum vellere contexta blanditur attactibus. Addo autem adhuc pretio eius & gratiæ, quòd quò dignior probetur vsu tuo, de sanctæ & illustris in sanctis Dei feminæ Melaniæ benedictione mihi pignus est. Vnde te dignior visa est, cuius fides*

Paulin ad Seuer. epistolâ 10. *Indumentum à Melaniâ acceptum Paulinus ad Seuerum mittit.*

illi magis quàm noster sanguis propinquat. Hæc Paulinus. quibus quidem postremis verbis se Melaniæ sanguine fuisse coniunctum significat.

Contigerat autem haud pridem ante aduentum Melaniæ, Nolam mitti ab eodem Seuero ad ipsum Paulinum libellum scriptum de rebus gestis S. Martini: quem Melaniæ illum auidè cupienti se legisse testatur, necnon ostendisse S. Nicetæ Dacorum episcopo, qui hoc eodem tempore pietatis ergô in Italiam peregrinatus fuit: ait enim eâ epistolâ ad Seuerum redditâ: *Martinum enim nostrum illi* (nempe Melaniæ) *studiosissimæ talium historiarum ipse recitaui: quo genere te & venerabili episcopo atque doctissimo Nicetæ, qui ex Daciâ Romanis meritò admirandus aduenerat, & plurimis Deo sanctis, in veritate non magis tui prædicator, quàm mei iactans, reuelaui,* &c.

Paulin. epistolâ 10.

Hoc ipso quidem anno contigisse magni illius Nicetæ aduentum, ex numero Natalium S. Felicis à Paulino editorum rectam exploratamque possumus deducere rationem. Nam cùm ipse, scribens ad Seuerum, testetur, quolibet anno se statuisse conscribere versibus eiusdem Felicis Natalitium: planè ex numero eorumdem annos quoque licebit suo ordine adnumerare. Sed cùm in nono à Paulino edito Natalitio mentio habeatur de posteriori eiusdem Nicetæ aduentu Nolam, eumque contigisse dicat anno quarto à priori ipsius aduentu: affirmare opus est, ipsum eius priorem aduentum, tempore quo Natalitium quintum elaborauit, accidisse. De eius enim posteriori aduentu, quo meminit de priore, isti sunt versus:

Paulin. epist. 9. *Sancti Nicetæ prior aduentus in Italiam.*

Paulin. in Natali 9.

Venisti tandem quarto mihi redditus anno:
Sed grates Christo, quia te vel serò reuexit.

Cùm igitur hac ratione priorem eius aduentum contigisse oportuerit tempore quinti editi Natalitij; in quem Domini annum illud potissimùm inciderit, hoc exquirendum est. Numeranda quidem esse Natalitia illa Paulini ab vltimo anno, quo adhuc detentus in Hispaniâ Romam parabat aduentum, ex ipso satis intelligi potest. fuit ille annus Domini (vt vidimus) trecentesimus nonagesimustertius. Sequenti autem, cùm iam ad Natalem diem S. Felicis Nolam se contulisset, secundum ordine edidit Natalitium. Cùm verò (vt eius testificatione liquet) iam annum apud eumdem S. Felicem egisset in ipso agro Nolano, quando & legationem ab episcopis Africanis suscepit, qui fuit annus Domini trecentesimus nonagesimusquintus, tertium ab eo scriptum est Natalitium: sequenti verò anno, nempe superiori, quartum. vnde hoc ipso anno Domini trecentesimo nonagesimoseptimo, ipsum quintum elucubratum fuisse Natalitium, necessariò dicendum est: quo tempore & Nicetæ aduentum contigisse, æquè opus est affirmare, cùm à quinto Natalitio vsque ad nonum numerus ille perficiatur annorum quatuor, quo Nicetas reditum in Italiam prorogauit, &c.

Tempora Natalitiorum sancti Felicis à sancto Paulino editorum.

Iam verò, vbi satis apud Paulinum Nolæ consedimus, Melaniam cum Ruffino redeuntem in vrbem prosequamur. Qui enim diu ab vrbe absentes, Ierosolymis tamquam in spiritali quadam academiâ, vt veram excolerent sapientiam, quinque (vt vidimus) lustris consederant, cùm primùm Romam venerunt, omnium planè oculos præ admiratione in se conuerterunt. Læti iam illi videre præsentes, quæ de ijsdem absentibus summo sæpè præconio fama detulerat: sed non videre tantùm, verùm & audire solliciti; sicque ab ore ipsorum tamquam à cælesti quodam illato Romam oraculo pependerunt. Cùm ipsi, quam ex Origenis libris didicerant, Stoica indolentia perfectissimæ & ad omnes numeros absolutæ vitæ Christianæ specimen edentes, maximâ apud Christianos omnes qui Romæ erant, perpaucis eruditis exceptis, quos anteà S. Hieronymus litteris monuisset, existimatione fuerunt. Cùm sic igitur animos ciuium erga se suosque esse propen-

Quid Romæ Melania atque Ruffinus.

propensiores & optimè affectos Ruffinus intellexisset: euestigiò impietate referta allata secum ex Ægypto primùm, inde Ierosolymis, scrinia reserat, indeque depromit pestiferas merces, sed ita fallacijs obuolutas & auro cælatas, vt benè prudentes & sapientes quoque eædem decipere potuissent.

De appulsu autem horum in Romanum portum agens sanctus Hieronymus, hæc per antiphrasim: *O triremem locupletissimam, quæ Orientalibus & Ægyptijs mercibus Romanæ vrbis ditare venerat paupertatem.* *De Origenis hæresibus Romã illatis.* Hieron. Apol. lib. 2

——Tu Maximus ille es,

Vnus qui nobis scribendo restituis rem.

Ergo nisi de Oriente venisses, eruditissimus vir hæreret adhuc inter Mathematicos. & paulo pòst: *Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma nesciuit: instruxit Ægyptus, quod Italia hucusque non habuit*, &c.

MELANIA RECEDIT AB VRBE IN SICILIAM ET REVERTITVR IEROSOLYMAM.

Hoc item anno [Christi CCCCVIII. Innocentij Papæ VII. Honorij XIV. Theodosij I. Impp.] qui vrbis obsidionem præcessit, Melania Romana vidua, de quâ sæpè superiùs mentio facta est, antiqui vatinicij ante annos quadringentos (vt ait Palladius) editi memor, distractis prædijs, vnà cum Melaniâ nepte, Pinianoque eiusdem Melaniæ viro, & Albinâ nuru, euasura cum illis imminentem vrbis cladem, Româ recedens, Ierosolymam se iterùm contulit, vbi post dies quadraginta ex hac vitâ migrauit. Hæc ex Palladio, qui & tradit, eiusmodi prophetico oraculo ab eâ Romæ euulgato, atque sæpiùs inculcato, complures Romanorum ciuium Christianorum ad rerum temporalium contemptum inductos esse: consultius existimantes, amore Christi, spe supernæ retributionis prodigere in pauperes suas diuitias, quàm eas ad barbarorum prædam relinquere: quo nomine, cùm rei euentus verum probasset oraculum, immensas Deo gratias egêre. Maior quoque vis inerat ad hæc suadenda Melaniæ orationi, quòd dictitaret (vt existimabat) vnà cum vrbe orbem pariter ruiturum. *Anno Christi CCCCVIII* *Melania recedit ab vrbe.* Pallad. in Lausiac. cap. 33.

Quod autem idem Palladius ait, vnà cum Melaniâ recessisse Româ Melaniam iuniorem ipsius neptem, & virum eius Pinianum, necnon nurum Melaniæ Albinam: cognationem Melaniæ sic accipias. Filius eius vnicus illi relictus duxit vxorem Albinam, ex quâ Palladius ait genitam esse Melaniam iuniorem, senioris Melaniæ neptem, quæ in matrimonium collocata est Piniano, cuius socrus Albina fuit: quòd verò ei inhæreret loco matris, S. Augustinus ad ipsam scribens, Pinianum eius filium nominat, & frequenter his vti nominibus consueuit. Hîc rursum attende, diuersam prorsus hanc Albinam nurum Melaniæ ab illâ fuisse Albinâ matre S. Marcellæ, de quâ sæpè S. Hieronymus; quam ante plures annos ex hac vitâ migrasse, eiusdem S. Hieronymi testificatione didicimus. Quæ autem acciderint, cùm hi, quos hoc anno ab vrbe diximus recessisse, in Africam traiecerunt, sequenti anno pro ratione temporis dicturi sumus. Sed hîc Palladium corrigere, dum ait Melaniæ filium valdè iuuenem comitatum esse proficiscentem Melaniam in Siciliam vsque: nam quomodo valdè iuuenis, cùm constet ante annos circiter quadraginta Melaniam seniorem viduam esse relictam? vel quomodo in Siciliam vsque eam tantùm comitatus, qui cum illis nauigauit in Africam, vbi & defunctus est? id constat ex litteris Augustini atque Paulini, de quibus anno sequenti dicturi sumus: ex quibus longè verior de rebus gestis Melaniæ ac Piniani & sociorum historia accipitur, quàm ex Palladio, qui nullam penitùs de Africâ habuit mentionem, quò hos omnes anno sequenti esse profectos liquet, atque ibi diutiùs commoratos. *Melaniæ progenies.* Palladius in Lausiac. cap. 33. Aug. epistolâ 117.

Hieron. in Isa. lib. 10. præf. Palladius in Lausiac. cap. 9. *Pinianus cum suis venit in Africam.* Hoc ipso anno [Christi CCCCIX. Innocentij Papæ VIII. Honorij XV. Theodosij II Impp.] Pinianus V. C. vnà cum Melaniâ seniore, & Melaniâ iuniore coniuge, atque socru Albinâ iunioris matre Melaniæ, cùm anno superiori distractis bonis quæ Romæ & in Italiâ habebat, adnauigasset Carthaginem, ibi ex congestis pecunijs locupletans eius ecclesiæ pauperes, inde ad S. Alypium Tagastam profectus est. Ad quos omnes S. Augustinus, cùm primùm eorum aduentum audisset, litteras dedit, quibus se excusat, quòd propter ingruentem duram hiemem, & statum Hipponensis ecclesiæ titubantem, ad eos inuisendos minimè accurrere valuisset. extat ipsa epistolâ, cuius est titulus ad Albinum, Pinianum, & Melaniam: sed pro Albino, Albinam, restituendum puto; quòd eius nominis femina eiusdem Piniani socrus vnà cum ipsis profecta est in Africam, vt tum ex Palladio, tum ex eiusdem Augustini testificatione satis apparet, &c. (Aug. epistolâ 227.)

Melania senioris filij obitus in Africâ. Accidit autem, dum ijdem in Africâ morarentur, filium senioris Melaniæ vitâ fungi: quod vnicum amissum pignus ita mater modestè fleuit, vt magno exemplo fuerit Christianæ constantiæ. De quâ summâ cum laude rei spectator S. Augustinus ad Paulinum Nolanum Episcopum scripsit. Non extat quidem epistola ipsa; sed ex redditis ad eum eiusdem Paulini litteris, hæc omnia, ab alijs silentio obruta, perspicua satis fiunt. Ait enim Paulinus: *Quia docuisti me in spiritu veritatis* * *saluare moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum; quo & illam beatam matrem & auiam Melaniam fleuisse carnalem obitum vnici filij, taciturno quidem luctu, non tamen sicco à maternis lacrymis dolore vidisti.* Appellat Melaniam matrem & auiam, matrem quidem respectu defuncti filij, auiam respectu Melaniæ neptis. sed pergit Paulinus: *Cuius quidem modestas & graues lacrymas sicut propior & æqualior animæ eius spiritus altiùs intellexisti, & perfecta in Christo femina, saluâ virilis animæ fortitudine, cor maternum de cordis tui similitudine meliùs ex æquo statu contemplatus es, vt eam primùm pro naturali affectione permotam, deinde caussâ potiore compunctam fleuisse perspiceres, non tam illud humanum, quòd vnicum filium conditione mortali defunctum in præsenti sæculo amisisset, quàm quòd propemodum in sæculari vanitate præuentum, quia necdum illum deseruerat senatoriæ dignitatis ambitio, non iuxta sanctam votorum suorum auaritiam cogitaret assumptum, vt de conuersionis gloriâ transisset ad gloriam resurrectionis, communem cum matre requiem coronamque capturus, si in huius sæculi vitâ matris exemplo saccum togæ, & monasterium senatui prætulisset. Verumtamen idem vir (vt & anteà retuli) ex voto sanctitatis tuæ his operibus locupletatus abscessit, vt maternæ humilitatis nobilitatem si veste non gesserit, tamen mente prætulerit.* (Apud Aug. epist. 249. * seruare)

Matth. 11. *Melaniæ senioris filij laudes.* *Ita enim, secundùm verbum Domini, mitis moribus fuit & humilis corde, vt non immeritò credatur introijsse in requiem Domini: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico, & mansueti possidebunt terram, placentes Deo in regione viuorum. Nam certè & illud* Rom. 12. *Apostoli non solùm tacito mentis affectu, sed & conspicuis religiosis impleuit officijs: & cùm esset altorum huius sæculi in ordine & honore collega, non tamen vt gloriosus terræ alta saperet; sed & Christi perfectus imitator, humilibus consentiret, & totâ etiam die* Psal. 36. *misereri & commodare persisteret. Vnde & semen eius potens in terrâ factum est inter* Psal. 46. *eos qui terræ fortes nimiùm eleuati sunt: vt etiam de beatissimâ familiæ ac domus eius* Psal. 111. *visitatione sanctum hominis meritum reueletur. Generatio (inquit) rectorum benedicetur: gloria non caduca, & diuitiæ non labentes in domo eius: domus quæ ædificatur in cælis non labore manuum, sed operum sanctitate. Sed cesso plura de memoriâ tam dilecti mihi, quàm deuoti Christo hominis enarrare; cùm & præstitis litteris non pauca* *Melanius pater Melaniæ senioris.* *super eo narrasse me repetam; & nihil possim de beatâ huius filij matre & sanctorum patre radice ramorum Melanio melius aut sanctius prædicare, quàm sanctitas tua in eam*

profari

profari & disputare dignata est: vt quia ego peccator immunda labia habens, nihil dignum loqui potueram, vt longinquus à meritis fidei eius, animæque virtutibus; tu ille vir Christi doctor in Ecclesiâ veritatis, procurante in melius Dei gratiâ, parareris dignior tam virilis in Christo animæ prædicator, qui & mentem eius diuinâ virtute firmatam (vt dixi) spiritu propiore consiceres, & mixtam cum virtute pietatem eloquio digniore laudares. Hactenus Paulinus de Melaniâ orbatâ filio.

Quod verò ad senioris Melaniæ filios reliquos spectat: iam diximus, duos ex eis vno fermè tempore cum patre esse sepultos, vnicum autem masculum tantùm ei relictum fuisse, quem Ierosolymam petitura Romæ reliquisse, S. Hieronymus auctor est, huncque ipsum esse quem in Africâ vitâ functum diximus. Ceterùm & filias illi fuisse superstites cùm Ierosolymis Romam redijt, S. Paulinus testatur dum de ijsdem magnâ pompâ matri occurrentibus sermonem habet. Porrò Melaniæ huic filio, de quo agimus, vxorem fuisse Albinam nomine, Palladius tradit: quod & nos superiùs diximus. Sed in eo omnino Palladium iure correximus ex Paulino & Augustino, dum ait filium hunc senioris Melaniæ valdè iuuenem secutum matrem fuisse in Siciliam vsque, cùm regressa illa est Ierosolymam: nam ex his quæ dicta sunt, satis liquet, ipsum matrem secutum in Africam, ibique diem clausisse extremum. Sed & illud (quod maioris momenti est) cuius causâ hæc notissima ex Paulino de obitu filij Melaniæ recensuisse voluimus; quòd cùm ipsa hoc tempore S. Augustini atque Paulini præconio extollatur, argumento esse, ipsam maculas illas, quæ ei ex patrocinio Origenis errorum inhæserant, penitùs diluisse, postquam iam illos Romæ ab Anastasio Papâ & Italiæ episcoporum Concilio damnari comperijt. Ceterùm cùm (vt dictum est) ipsa Melania senior quàm citiùs orbata filio nauigauerit Ierosolymam; qui remanserunt Pinianus & socij, esse morati in Africâ, in Actis Melaniæ iunioris traduntur. Inde verò eosdem profectos esse Alexandriam, ac posteà Ierosolymam concessisse, liquet. Melania autem senior (inquit Palladius) cùm Ierosolymam peruenisset, intra quadraginta dies ex hac vitâ migrauit, & (vt par est credere) iam antè reconciliata S. Hieronymo, qui ibi & peregrinationis eius socijs & consanguineis familiarissimè vsus esse videtur, vt ex eius ad Augustinum epistolâ intelligi potest.

De filijs senioris Melaniæ eiúsque optimo fine.
Hier. epistolâ 25.
Paulin. ad Seuer. epistolâ 10.
Pallad. in Lausiac.
Melania senior Catholica reddita.
Hieron. epist. 79.

NOTATIO.

MEMINERIS, *Lector, Baronium, cùm hîc passim Palladij Lausiacam citat, vsum esse editione Aloysij Lipomani, quæ exstat tomo eius* III. *de vitis Sanctorum, Venetijs anno* M. D. LIV. *in* 4. *impresso. qui textus perparum dissidet ab Heraclidis Paradiso, impresso in folio Parisijs anno* M. D. IV. *Vtroque multò integrior est editio Palladij per Gentianum Heruetum Parisijs anno* M. D. LV. *in* 4. *accurata. Vide Prolegomenum generale* XIV. *ante primum librum.*

1 RVFFINI ET MELANIÆ.] *Baronius passim Ruffini & Melaniæ peregrinationem eamdem facit. Quod equidem nescio, an omnino probari possit. Cùm enim triplex eorum coniuncta statuatur peregrinatio, primò Româ in Aegyptum, inde ex Aegypto Ierosolymam, tertiò Ierosolymâ Romam, quam posteà sequitur solius Melaniæ regressus Ierosolymam: certè prima peregrinatio coniuncta, vt eam Baronius statuit, stare non potest. Nam cùm ipse anno Christi* CCCLXXII. *Damasi Papæ* VI. *Valentis Imp.* IX. *ex Palladio colligat, Melaniam non nisi* VIII. *mensibus in Aegypto versatam, velitque inde cum Ruffino Ierosolymam commigrasse; Ruffinus autem Inuectiuâ* II. *(vt hîc n.* 12. *exhibemus) se*

scribat VI. *annis Alexandriæ versatum; sequitur Ruffinum vel antè in Aegyptum venisse, si post Melaniæ octimestrem Aegypti lustrationem cum eadem Ierosolymam concessit; vel certè annis aliquot, videlicet* V. *cum* IV. *mensibus Melaniam ad Ierosolymitanam peregrinationem secutum.*

Nunc verò certò constat ex Hieronymo, quòd Ruffinus & Melania simul ex Aegypto Ierosolymam commigrarunt. Quare si Melania VIII. *tantùm mensibus ex Baronij sententiâ in Aegypto hæsit, Ruffinus verò* VI. *annis Alexandriæ versatus est; sequitur eos non simul peregrinationem Aegyptiacam instituisse. Quòd si Baronius* VIII. *tantùm mensibus Ruffinum quoque in Aegypto versatum credidit, sine teste id credidit, vt infrà fusiùs in hisce Notationibus n.* 12. *declarabitur.*

Quòd si plures annos Melaniam statuas in Aegypto versatam (quod an statuendum sit, videbitur n. 20.*) tunc fortè existimari possit, Ruffinum & Melaniam simul Româ in Aegyptum soluisse. Quod tamen quàm solidè existimari possit, nondum video.*

Nec tertia Ruffini & Melaniæ iuncta peregrinatio, quâ simul dicuntur Ierosolymâ Romam profecti, omnino certa, vt pòst videbimus n. 27.

Quare de solâ secundâ iunctim institutâ peregrinatione, quâ ex Aegypto Ierosolymam ad statiua eremitica contenderunt, certum D. Hieronymi ep. V. *ad Florentium habemus testimonium.*

2. LITTERÆ.] *Hieron. ep.* XLI. *ad Ruffinum:* Audio te Ægypti secreta penetrare, monachorum inuisere choros, & cælestem in terris circumire familiam. Prima inopinati gaudij ab Heliodoro fratre mihi est nuntiata felicitas. Non credebam certum, quod certum esse cupiebam, præsertim cùm & ille ab alio se audisse diceret, & rei nouitas fidem sermonis auferret. Rursum suspensam voto nutante mentem, Alexandrinus monachus qui ad Ægyptios confessores, & voluntate iam martyres, pio plebis iamdudum fuerat transmissus obsequio, manifestus ad credulitatem nuntij auctor impulerat. Fateor & in hoc meam labasse sententiam: nam cùm & patriam tuam ignoraret & nomen; in eo tamen plus videbatur adferre, quòd eadem asserebat, quæ iam alius indicauerat. Tandem plenum veritatis pondus erupit. Ruffinum enim Nitriæ esse, & ad beatum perrexisse Macarium, crebra commeantium multitudo referebat. Hìc verò tota credulitatis fræna laxaui. *Quod autem hìc habet Hieronymus de Nitriâ & Macario à Ruffino visitatis, testatur ipse tum Inuectiuâ* II. *tum lib.* II. *histor. Eccl. cap.* III. *&* IV.

3. HIERONYMVS.] *Ep.* V. *ad Florentium Ierosolymis agentem:* Et quia frater Ruffinus, qui cum sanctâ Melaniâ ab Ægypto Ierosolymam venisse narratur, indiuiduâ mihi germanitatis charitate connexus est; quæso vt epistolam meam huic epistolæ tuæ copulatam, ei reddere non graueris.

4. RVFFINVM.] *Iam antè num.* 2. *locum hunc Hieronymi habes.*

5. PAVLINVS.] *Ep.* IX. *ad Seuerum:* Adnotationem direxi ad Ruffinum presbyterum S. Melaniæ spiritali viâ comitem.

6. PALLADIVS.] *Ipse histor. Lausiaca cap.* XXXIII. *ex editione Lipomani, quâ Baronius vsus est.*

7. EXORDIO VALENTIS IMPERII.] *Ita de tempore hoc Palladius Lipomani; quem citat Baronius, seu Heraclides:* Quæ (*Melania*) vigesimo ac secundo ætatis suæ anno ad viduitatem redacta, diuinitatis amore, æterno sponso meruit copulari, vsque in finem vitæ suæ diligens eum. Quæ nulli secreta animi sui prodens (prohibebatur enim inter principia Valentis imperij) procuratore antè filio suo constituto, ea quæ habere in mobilibus videbatur, cum certis pueris ac puellis in nauim misit. *Palladius Herueti tempus ita exprimit:* Prohibebatur enim ijs temporibus, Valente tenente imperium, *nullam temporis determinationem indicans. Græcè est:* Ἐκωλύετο γὰρ ἐν τοῖς καιροῖς Οὐάλεντος, ἀρχὴν ἔχοντος τῆς βασιλείας. *quod duplici modo verti potest: vel,* Prohibebatur enim Valentis temporibus, initium tenentis imperij: *vel,* principatum tenentis imperij. *Quare cùm Græcus textus ambiguus sit, & diuersus interpres diuersimodè eum ceperit, difficile est ex eo statuere de tempore profectionis Melaniæ, quâ Româ Ierosolymam soluit.*

Si initio Valentis imperij, IV. *videlicet Valentis anno, vel proximo aliquo eam profectionem Melaniæ statuas, iuxta eum tota Melaniæ ætas, id est natiuitas, annus viduitatis, & profectionis digerendæ erunt. Si verò* X. *Valentis anno ea profectio collocetur, aliter omnia digerenda.*

8. FILIA.] *Alij* neptem *vocant. vide pòst ad numerum* 21.

9. PRÆTORE TVNC VRBANO.] *Hæc quomodo legenda & intelligenda sint, vide ad numerum* 22.

RVFFINI, NECNON PALLADII.] *In Ruffino lib.* II. *cap.* IV. *hist. Eccl. (qui hìc locus mox in margine citatur) nulla Athanasij & Melaniæ mentio; vt inde colligi non possit, Melaniam viuo Athanasio Alexandriam peruenisse. In Palladio*

quoque

quoque (quia locum non aßignabat Baronius) diu hanc historiam quæsiui, nec aliam in vulgato editionis Heruetianæ codice reperi, quàm Melaniam accepisse pellem illam ab ipso Macario, nullâ Athanasij factâ mentione. Palladius quidem editionis Lipomanicæ cap. VI. *(quem habes apud eum tom.* III. *de Vitis Sanctorum, quóque vsum video Baronium) narrat Melaniam ab Athanasio pellem ouinam accepisse, quam ille non à Macario, sed à Marco acceperat: non tamen dicit, quòd eam acceperit in hac peregrinatione. Quamquam si reuerà ab ipso Athanasio accepit pellem illam, vix potuit aliter fieri, quin hac peregrinatione acceperit. Nam etsi Athanasius aliquando Romæ fuerit, tunc Melania vel non nata, vel planè puella fuerat. Nam vltimus Athanasij Româ discessus contigit anno Christi* CCCXLIX. *Iulij Papæ* XIII. *Constantij Imp.* XIII. *Melania verò vel nata circa annum Christi* CCCXLVII. *si initio Valentis imperij,* IV. *videlicet anno eius Ierosolymitana profectio statuatur; vel etiam posteriùs, si* X. *Valentis anno eam ponas.*

Diuersam hanc Palladianæ editionis narrationem de pelle ouinâ, quam vna dicit datam Melaniæ à Macario, altera ab Athanasio, visum indicare; ne si quis fortè Hieronymi Chronicon tueri velit, quod decimo anno Valentis ponit Melaniæ profectionem in Aegyptum, quo iam Athanasium obijsse ponit Baronius, turbetur eâ Palladij editione, quæ narrat Melaniam pellem eam accepisse ab ipso Athanasio.

11. QVIDAM ALEXANDRINVS MONACHVS.] *An* Piammon, *vel aliquis ex eius socijs? Equidem Piammon apud Cassianum, Collat.* VIII. *cap.* VII. *vbi de sanctis monachis tum sub Lucio in Pontum & in Armeniam relegatis, interloquens ait:* Temporibus siquidem Lucij, qui Arianæ perfidiæ episcopus fuit sub Valentis imperio, dum diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto & Thebaide fuerant ob Catholicæ fidei perseuerantiam metallis Ponti atque Armeniæ relegati, licet cœnobiorum disciplinam in quibusdam ciuitatibus rarissimam viderimus, anachoretarum tamen apud illos ne ipsum quidem nomen auditum fuisse comperimus. *Certè de ijsdem confessoribus Hieronymus intelligendus. Nam vt ijs qui in Ponto & Armeniâ versabantur, deferretur diaconia, necesse fuit transire Syriam, & eremum Chalcidis, in quâ Hieronymus versabatur.*

12. ANNIS SEX.] *Ruffinus Inuectiuâ secundâ suam Alexandriæ & in Aegypto commorationem ita describit:* Ceterùm iste (*Hieronymus*) qui in totâ vitâ suâ non totos triginta dies Alexandriæ, vbi erat Didymus, commoratus est, per totos penè libellos suos longè lateque se iactat Didymi Videntis esse discipulum, & καθηγητὴν, id est, præceptorem in Scripturis sanctis habuisse Didymum. Et omnis ista iactantia vno mense quæsita est. Ego qui sex annis Dei caussâ commoratus sum: & iterùm post interuallum aliquot alijs diebus, vbi Didymus, de quo tu solo te iactas, & vbi alij nihilominus illo non inferiores, quos tu ne facie tenus quidem nosti, Serapion & Menites, viri naturâ & moribus & eruditione germani; vbi Paulus senex Petri martyris discipulus, & vt ad eremi magistros veniam, quibus & attentiùs & frequentiùs vacabamus, vbi Macarius Antonij discipulus, & alter Macarius, & Isidorus, & Pambus, omnes amici Dei: qui nos hæc docebant, quæ ipsi à Deo discebant: quantam ego, si hoc ita deceret aut expediret, de his omnibus habere iactantiæ materiam possem. Sed erubesco hic etiam retexens, dum volo tibi ostendere, non vt tu dicis, nostro ingenio magistros; sed quod plus doleo, magistris defuisse magis ingenium nostrum. *Cur hæc Ruffino de se asserenti non credamus? Accedit vel ipsius Hieronymi antagonistæ testimonium, qui Apol. lib.* 2. *in Ruffinum ita habet:* Te multo tempore Pharus docuit; quod Roma nesciuit: instruxit Ægyptus, quod Italia hucusque non habuit. *Quibus verbis insinuat Hieronymus, Ruffinum & Alexandriæ (quam per Pharum designat) & apud Aegypti monachos operam dedisse studijs. Et cùm dicit* multo tempore *apud Pharum fuisse, indicat sex illos annos, quibus se Alexandriæ fuisse scribit Ruffinus.* De his & alijs Ruffin. l. 2. c. 4. & 8. hist.

Nec huic rei refragatur epistola Hieronymi XLI. *Nam etsi concedamus, ex Palladij sententiâ Melaniam in Aegyptum profectam circa exordia Valentis imperij (id est, anno tertio vel quarto imperij, cùm persecutionem suam instituere cœpit, quod Palladius insinuare videtur suprà num. 7.) nihil exinde sequitur contra epistolam illam D. Hieronymi. Nec enim constat, quòd Ruffinus simul cum Melaniâ in Aegyptum sit profectus. Et demus id constare, nihil tamen incommodi inde orietur; cùm potuerit annis aliquot in Aegypto esse Ruffinus, antequam ad Hieronymum certa fama perueniret, quòd ipse Hieronymus eadem epistolâ, cùm diuersis id nuntijs diuerso tempore ait se accepisse, satis insinuat.*

13. AD MONASTERIA.] *Huc fortè referendum, quod Hieronymus habet in Chronico anno* XII. *Valentis:* Multi monachorum Nitriæ per tribunos & milites cæsi. *Ibidem:* Valens lege datâ vt monachi militarent, nolen-

nolentes fustibus iussit interfici.

14. PATRES MONACHORVM.] *Ita vocabantur vitæ & antiquitatis merito commendabiles. Longiorem horum catalogum habet Ruffinus lib.* II. *hist. Eccl. cap.* VIII. *quos dicit à se visos.* Florebat Ægyptus eâ tempestate non solùm eruditis in Christianâ philosophiâ viris, verùm etiam his qui per vastam eremum commanentes, signa & prodigia apostolica, simplicitate vitæ, & cordis sinceritate faciebant. Ex quibus interim, quos ipsi vidimus, & quorum benedici manibus meruimus, hi sunt: Macarius de superiori eremo, aliusque Macarius de inferiori, Isidorus in Scitis, Pambus in Cellulis, Moyses & Beniamin in Nitriâ, *Sybrion & Elias & Paulus in Apeliote, alius Paulus in Focis, Pœmen & Ioseph in Pispiri, qui appellabatur mons Antonij. Sed & alios quamplures huiusmodi viros in Ægypti partibus habitare, fideli comperimus auditu. Vt verè compleretur Apostoli dictum, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. *Etiam Inuectiua* II. *meminit Macariorum, Isidori, & Pambi; quibus in eremo magistris dicit se attentiùs & frequentiùs vacasse. Ibidem dicit se Alexandriæ operam dedisse Didymo, Serapioni, Menitæ, & Paulo, Petri martyris discipulo. Meminit & Didymi magistri sui libro* II. *hist. cap.* VII. Nec enim qui viuæ vocis eius (*Didymi*) ex parte aliquâ fuimus auditores; & ea quæ à nonnullis, dicente eo, descripta legimus, longè maiorem gratiam, & diuinum nescio quid ac supra humanam vocem sonans, in illis magis sermonibus, qui ab ore ipsius proferebantur, agnouimus. *Subdit posteà Ruffinus, vnde colligimus, eum etiam in Mesopotamiam peregrinatum:* Habuit autem per idem tempus etiam Mesopotamia viros nobiles, eisdem studijs pollentes: quorum aliquantos ipsi per nos apud Edessam & in Carrarum partibus vidimus, plures autem auditione didicimus.

* al. Scyrion

Rom. 5.

15. CONSVLIS MARCELLINI NEPTIS.] *Vide infrà ad numerum* 21.

16. FILII PRÆFECTVRÆ VRBANÆ.] *Vide infrà ad numerum* 22.

17. ADEO EXACTE.] *Imò verò non valdè exactè describit Ruffinus Arianorum persecutionem, iussu Valentis in Orthodoxos institutam, vt patet ex Socrate, lib.* IV. *cap.* XVI. XVII. XIX. *Sozomeno, lib.* VI. *cap.* XIX. XX. *Theodoreto, lib.* IV. *cap.* XVIII. XIX. XX. *Gregorio Nazianzeno, oratione in laudem Athanasij, qui multò plura enormiter ab Arianis acta enumerant. Quin ipse Ruffinus nec constantiæ quidem & munificentiæ meminit, quam Melania (cuius tamen lateri sæpè inhærebat) in Aegypto & Palæstinâ monachis exhibuit, quam referunt Paulinus epist.* X. *& Palladius cap.* CXXV. *Petrus quoque Alexandrinus episcopus epistolâ suâ apud Theodoretum lib.* IV. *cap.* XX. *narrat horrenda Arianorum facinora in Catholicos: inter alia,* presbyteros & diaconos XIX. ad incolendam Heliopolim vrbem Phœniciæ transportatos, inde ad metalla in Pheno & Proconneso, inter quos monachi XXIII. &c. vndecim Ægypti ep. missi Diocæsaream, &c. clericos Antiochenos Neocæsaream vrbem Ponti relegant. *Epiphan. hær.* LXVIII. *præter alia tradit,* nonnullos damnatos ad bestias. *Cassian. Collat.* VIII. *cap.* VII. *meminit quorumdam* ad metalla Ponti & Armeniæ relegatorum.

18. EA TANTVM FVISSE EXISTIMATVR.] *Si vbique Melaniæ fuit in peregrinatione socius, vt à plerisque creditur, omnino eadem vel etiam maiore (quòd faciliùs in viros quàm feminas, maximè illustres, sæuitur) persecutionis procellâ iactatum fuisse existimari potest. Quamquam cùm ipse asserat lib.* II. *cap.* IV. *se in passionibus socium fuisse patribus, cur decredamus? certè Socrates lib.* IV. *cap.* XIX. *Ruffino ea de se narranti non discredit.*

19. GESTA ESSE IN ÆGYPTO.] *Assentior Baronio hæc gesta esse in Aegypto, non ob eam tamen rationem, quasi in totâ Palæstinâ non fuerit tantus monachorum numerus, qui ad millia quinque excresceret: sed quòd verisimile sit, hæc gesta esse in Nitriâ, Aegypti loco, quam constat lustratam esse à Melaniâ, teste Palladio Lipomani cap.* XXXIII. *Herueti* CXVII. *& in quâ Hieronymo teste ep.* XXII. *ad Eustochium de custodiâ virginitatis, constat* eodem in loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitasse. *quod etiam hîc habes apud Ruffinum lib.* III. *n.* 219. *ex eodem Hieronymo depromptum.*

20. MENSIBVS OCTO.] *Nihil tale apud Palladium. Tantùm ait sex mensibus in monte Nitriæ hæsisse. Omnino, si rectè colligo, pluribus mensibus Melania in Aegypto degit: imò verò annis aliquot ibi degisse, ita licet colligere.*

1. *Quia Ruffinus dicitur Baronio eius fuisse comes: at ille sex annis se vel in solâ Alexandriâ ait mansisse.*

2. *Hieron. ep.* XLI. *ad Ruffinum ait se tribus diuersis nuntijs accepisse, eum in Aegypto versari,* 1. *ab Heliodoro.* 2. *à monacho Alexandrino, qui ad Aegyptios confessores, & voluntate iam martyres pio plebis* iamdudum *fuerat transmissus obsequio.* 3. *ex relatione* crebræ commeantium multitudinis, *atqui inter Alexandriam, vnde monachus ille veniebat, & per Syriam & eremum Chalcidis pro-*

Properabat in Armeniam & Pontum, vbi confessores erant, & inter eremum Chalcidis vbi Hieronymus versabatur, maxima distantia est, vt menses insumendi sint, antequam Alexandriâ perueniatur Chalcidem. Quòd si iamdudum *monachus ille transmissus fuerat, nec tamen tunc certior erat Hieronymus de Ruffini in Aegypto incolatu, nisi accederet* crebra commeantium multitudo, *quæ id confirmabat; certum est, multò plus temporis hæsisse Ruffinum & Melaniam in Aegypto.*

21. MARCELLINO CONSVLE AVO.] *Baronius anno Christi* CCCLXXII. *Damasi Papæ* VI. *Valentiniani & Valentis* IX. *Quòd eam dicat habuisse Marcellinum auum consulem, Hieronymus* filiam *eius appellat: at Ruffinus Paulino consentit, qui etiam eam* neptem *Marcellini consulis nominat. Palladius verò res ab eâ gestas describens, cum Hieronymo Marcellini* filiam *vocat. Gessisse reperitur consulatum ordinarium Marcellinus cum collegâ Probino anno Domini* CCCXLI. *vt legitimi Fasti consulares indicant.*

Hier. in Chron. Ruffin. 1. Inuect. in Hieron. Pallad. in Lausiac. cap. 33.

Arnoldus Pontacus notis suis in Hieronymi Chronicon ait, Fastos consulares vtrumque ferre posse, vt Melania & Marcellini quondam Consulis filia fuerit & neptis. Duo enim, ait, huius nominis reperiuntur Consules ordinarij, quorum vnus fuit ante centum annos (ita transponenda verba in Pontaco) collega Aureliani, circa annum CCLXXVIII. *Christi, alter Probini circa annum* CCCXLIII.

Baron. 341

Addit idem Pontacus: Forsan vocabulũ filiæ sumitur pro nepte; *eadẽ ratione quâ Galli vocant nepotes* petits fils, *& neptes* petites filles.

22. PRÆTVRAM VRBANAM FVNGENTI.] *Vult Illustrissimus Cardinalis Baronius Melaniam vel Româ in Aegyptum soluisse, vel potiùs, vt ipse Hieronymum interpretatur, ex Aegypto Ierosolymam profectam, cùm filius eius Præturâ vrbanâ fungeretur. Et sanè Hieronymus in Chronico id videtur asserere, Valentis Imp. anno* X. Melania nobilissima mulierum Romanarũ, & Marcellini quondam consulis filia, vnico Prætore tunc vrbano filio derelicto, Ierosolymam nauigauit: vbi tanto virtutum, præcipueque humilitatis fuit miraculo, vt Theclæ nomen acceperit.

Dubium videri posit, quomodo Melania filius Præfecturâ tunc vrbanâ fungeretur, cùm puer immò penè infans esset?

Certum enim est, cùm Melania discessit Româ Ierosolymam, filium eius paucorum annorum fuisse, puerum potiùs quàm virum. Ruffinus Inuectiuarum lib. II. Etiam nec illud eius admirabile factum silendum est, ne pudorem incutiamus audientibus, quòd Marcellini consulis neptem, quam Romanæ nobilitatis primã, paruulo filio Romæ derelicto, Ierosolymam petijsse, & ibi ob insigne meritũ virtutis Theclam nominatã, in ipsis Chronicis suis scripserat, pòst id de exemplaribus suis erasit, cum actus suos vidisset districtioris disciplinæ feminæ displicere. *Paulinus ep.* X. *ad Seuerum:* Ita creuit ærumnis, vt duos filios & maritum intra anni tempus amitteret, vnico tantum sibi paruulo ad memoriam sibi potiùs, quàm ad compensationem affectuum derelicto. *Et infrà:* Itaque luctuosa ambitu trium funerum comes, vidua pariter & orbata, Romam venit, cum vnico suo, incentore potiùs quàm solatore lacrymarum; siue infans ante sui sensum mala sentiens, iam saperet alienam lugere mortem, qui adhuc vitam suam nosse nesciret: siue ignarâ male securus infantiâ, miserabili ludo inter matris lamenta rideret. His edocta documentis non finiri sæculo fragili, & spem tantùm in Deo ponere, quem solum amittere inuiti non possumus, salutarem sibi filioque scientiam induit, vt paruulũ suum negligendo diligeret, & dimittẽdo retineret, firmius habitura absenté, quem Domino commendasset, quàm complexura præsentem, si sibi credidisset.

Quia ergo adhuc paruulus erat, etiam necesse fuit ei procuratorem & tutorem constitui. Heraclides seu Palladius Lipomani & Baronij, cap. XXXIII. *agens de profectione eius cùm Româ soluit:* Procuratore antè filio suo constituto. *Et cap.* XLII. *cùm iam Ierosolymis versaretur, & largas eleëmosynas distribueret:* Cui parentes quoque eius, ac filij procuratores ipsius, ex facultatibus proprijs multa præbebant. *Palladius Herueti cap.* CXVII. Cùm curasset, vt filij sui nominaretur tutor. *Græcè:* Ποιήσασα ἐπίτροπον τοῦ υἱοῦ αὐτῆς ὀνομασθῆναι. *Item cap.* CXVIII. Suppeditantibus ei consanguineis, & ipso filio, & curatoribus quotannis pecunias. *Græcè:* Χορηγούντων αὐτῇ καὶ τῶν συγγενῶν, καὶ αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ, καὶ τῶν ἰδίων ἐπιτρόπων τὰ χρήματα.

Quare in primâ editione meâ harum Vitarum, existimaui errorem irrepsisse in Hieronymi Chronicon, & etiam contra omnium Manuss. fidem (quorum tamen summa apud me solet esse auctoritas) vnicâ litterulâ mutatâ apud Hieronymum legebam, Prætori *& non* Prætore; *vt Melania Româ profecta sit filio vnico Romæ derelicto* Prætori vrbano, *videlicet tamquam tutori, non verò ipso* prætore vrbano *tunc existente.*

Nunc verò re penitiùs perspectâ, stet sua veteribus libris fides, retineamusq́; Prætore, *& Melaniæ filio etsi puero Præturam delatam dicamus. Planè primæ dignitates (etsi rariùs) quandoque posterioribus temporibus fuere pueris delatæ in gratiam familiæ vel parentum benè de Rep. meritorum. Sic Honorius Theodosij*

dosij Imp. filius infans Consul creatus. Claudianus Panegyrico de IV. *Honorij Consulatu:*

——inter cunabula Consul
Proueheris, signans posito modò nomine fastos;
Donaturque tibi, qui te produxerat annus.

L. 1. De his qui relig. contend. Cod. Theod. *Vnde in edicto Theodosij, quo hæreticos coërcuit scribens ad Eusignium Præfectũ Prætorio.* Honorio nob. puero & Euodio Coss. *quibus assignant annũ Christi* CCCLXXXVI. *Ita Theodosius iunior Arcadij filius nondũ triennis Consul fuit cũ Rumorido, quibus consignant annum Christi* CCCCIII. *De Olybrio puero Consule Hieronymus epistolâ ad Demetriadem:* Pius filius, vir amabilis, clemens Dominus, ciuis affabilis, Consul quidẽ in pueritiâ, sed morũ bonitate Senator illustrior. *Boëtius duos liberos etiam pueros Coss. vidit. Philosophia eũ solans, copulatũ hunc consulatũ ei ingerit:* Cùm duos pariter Coss. liberos tuos domo prouehi sub frequẽtiâ Patrũ, sub plebis alacritate vidisti. *Pueros tunc fuisse, liquet ex sequentibus:* Quid dicam liberos consulares, quorũ iam vt in id ætatis pueris, vel paterni vel auiti specimen elucet ingenij. *Fugerat Baroniũ pueros quandoq; Consules fuisse; vnde cõsulares hîc interpretabatur, Consulis filios. Sed reuerà duos hos Coss Symmachũ & Boëtium Boëtij senioris filios rectissimè Fastis restituit Sirmondus noster, qui horum auus paterq; hactenus crediti sunt. Incidit horum consulatus in annum Christi* DXXII.

Hieron. epist. 8.

Boët de Consol. lib. 2. Prof. 3.

Idem Prof. 4.

Baron. to. 7. A. C 526.

Sirmõdus ad epist. 1. lib. 8. Ennodij.

Ergo vt Consules illis temporibus pueros, atque adeò infantes, creatos fuisse cõstat; ita Prætores eadem ætate renuntiatos aliquando fuisse mirum non est. Neque enim Iurisdictionis, aut magnæ cuiuspiam administrationis caussâ hi legebantur, sed spectaculorum, hoc est impensarum, quas vel ipsi, vel eorum nomine patres Senatores sustinebant. Creabantur enim Prætores ex ordine Senatorio, vt lex I. *Cod. Theod. de Prætor. & Quæstor. declarat. Boëtius lib.* III. *Consol. prosa* IV. Atqui Prætura, *inquit*, olim magna potestas, nunc inane nomen, & Senatorij census grauis sarcina. *Vbi non ritè Bernartius* Præfectura *legit. Symmachus in adornandâ filij Præturâ, ludorumq; apparatu, totũ se fuisse, multis epistolis testatur, vt lib.* IV. *epist.* LIX. *ad Eufrasium:* E re natâ opportunum videtur, diligẽtiam tuam precibus ambire, vt in Prætoriam filij mei functionem, visu & cursu nobiles equi præparentur. *Idem eidem commendat duabus sequentibus litteris. Meminit idẽ Prætoriæ dignitatis filij lib.* VIII. *epist.* XXI. LXX. LXXI. *Quantum Symmachus impẽderit in ludos Prætorios filij, exprimit Olympiodorus Thebæus Historiarum eius sæculi scriptor apud Photiũ cod.* LXXX. *vbi agit de opibus & censu ciuium Romanorũ, & de impensis ludorum Prætoriorum. Ait igitur Symmachum in Præturã filij centenarios auri vicenos impẽdisse, id est aureorũ millia circiter ducenta; Maximũ in filij item Præturâ quadragenos auri centenarios, hoc est, aureorũ millia quadringenta.*

His perpensis mirum nunc videri non debet, si nobilissimus ditissimusq; Melaniæ Romanæ filius, in Prætorẽ etiamnum puer electus fuerit.

Lapsus est ex eodem Hieronymi loco in Chronico Gregorius Turonẽsis lib. I. *hist. Frãc. c.* XL. *qui existimauit Melaniæ filio nomen fuisse* Vrbanum; *cùm Hieronymus de* prætore vrbano *intelligẽdus sit. Locum Hieronymi ex Chronico ita ille expressit & circũscripsit:* Melania verò matrona nobilis & incola vrbis Romanæ, Ierosolyma ob deuotionẽ abijt, Vrbano filio Romæ relicto. Quę ita se in cunctâ bonitate ac sãctitate omnibus præbuit, vt Thecla vocaretur ab incolis. *Omisit vt vides*, Prætore.

23. SVMMAM CONSTANTIAM.] *Hieron. ep.* XXV. Sancta Melania nostri tẽporis inter Christianos vera nobilitas, cũ quâ tibi Dominus mihiq; cõcedat in die suâ habere partẽ, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humatò, duos simul perdidit filios, &c.

24. VIGINTI SEPTEM.] *Ita quidẽ Palladius. Sed Paulinus ep.* IX. *ad Seuerum dicit per quinque lustra hæsisse Ierosolymis, id est annis* XXV.

25. PITHYMVM.] *Baronius in margine posuit* Euthymium. *Sed rectum* Pithymus, *seu* Pissimius. *vt patet ex textu Græco Palladij.*

26. CVM EA IN ÆGYPTVM PROFECTVM.] *Incertum hoc, an Ruffinus Româ in Aegyptum profectus sit vnà cum Melaniâ. Nec Hieronymus hoc insinuat. Vide dicta n.* I.

27. PALLADII ATQVE PAVLINI.] *Neuter habet, quòd Ruffinus vnà cum Melaniâ Ierosolymis Romã sit profectus. Solius meminère Melaniæ in hac profectione. Narrat quidem Palladius cum Melaniâ fuisse Ruffinũ, sed tunc erant Ierosolymis. Nec aliter capiendus Paulinus, cùm ait* Ruffinum Melaniæ spiritali viâ comitẽ. Paulin. epist. 9. *qui sanè non tacuisset Ruffini aduentum ep.* X. *quâ Melaniæ aduentũ Neapolim prosequitur, si vnà cũ Melaniâ aduenisset. Nisi quis dicat, Melaniam cum Ruffino primò Romã appulisse: inde Melaniam concessisse Neapolim; Ruffinũ Romæ mansisse, vel Aquileiam profectũ. Sed Paulinus qui Melaniã excepit, ait eã Neapolim appulisse: etsi Palladius & Heraclides simpliciter dicãt Cæsareã Romã appulisse. sed interpretãdi sũt per Neapolim, ex Paulino qui præsens fuit.*

28. VT PLANE NVLLVM SIT DVBIVM.] *Imò verò maximum dubium hæret. Nec enim negamus Ruffinum tunc Romæ fuisse, cùm ad eum scripsit Hieronymus eam epistolã: sed quòd non simul cum Melaniâ Romam iuerit. Ruffinum enim iam anteà videtur Romam euocasse domestica necessitas, cùm Aquileiam ipsi proficiscendum fuit. Melania Romam profecta occasione neptis suæ, vt patet suprà ex Palladio.*

ILLV-

ILLVSTRIVM VIRORVM
DE
RVFFINO PRESBYTERO
ELOGIA.

HIERONYMVS *epist.V. ad Florentium.*

Et quia frater [1] RVFFINVS, qui cum sanctâ Melaniâ ab Ægypto Ierosolymam venisse narratur, indiuiduâ mihi germanitatis charitate connexus est; quæso vt epistolam meam huic epistolæ tuæ copulatam ei reddere ne graueris. Noli nos eius æstimare virtutibus. In illo conspicies expressa sanctitatis vestigia: & ego cinis & vilissima pars luti, & iam fauilla, dum vertor, satis habeo si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorũ ferre sustineat. Ille modò se lauit, & mundus est, & tamquam nix dealbatus. Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere nouissimum quadrantem.

Idem Appendice ad Chronicon Eusebij, anno XIV. *Valentiniani.*

Florentinus Bonosus & RVFFINVS insignes monachi habentur. E quibus Florentinus tam misericors in egentes fuit, vt vulgò pater pauperum nominatus sit.

PAVLINVS *epist.* IX. *ad Seuerum.*

Ipsam annotationem, quam commonitorij vice miseras, litteris meis inditam direxi ad RVFFINVM presbyterum, S. Melaniæ spiritali viâ comitem, verè sanctum, & piè doctũ, & ob hoc intimâ mihi affectione coniunctũ. Si ille has, quæ meritò te permouent de annorũ siue regnorum non congruente calculo, hiantis historię caussas nõ ediderit, qui & scholasticis & sæcularibus litteris Græcè iuxtà ac Latinè diues est, vereor ne apud alium in his regionibus frustrà requiramus.

CASSIANVS *lib.* VII. *de Incarnat. cap.* XXVII.

RVFFINVS quoque Christianæ philosophiæ vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum doctorum portio.

GELASIVS *Pont. in Concilio Romano* LXX. *Epp.*

Item RVFFINVS vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus.

SIDONIVS *lib.* II. *epist.* IX. *ad Donidium.*

Quos inter Adamantius Origenes, Turriano Rufino interpretatus, sedulò fidei nostræ lectoribus inspiciebatur. Pariter & prout singulis cordi diuersa censentes sermocinabantur, cur à quibusdam protomystarum, tamquam scæuus cauendusque tractator improbaretur: quamquã sic esset ad verbum sententiam translatus, vt nec Apuleius Phædonem sic Platonis, neque Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in vsum regulamque Romani sermonis exscripserint.

GENNADIVS *de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap.* XVII.

RVFFINVS Aquileiensis ecclesiæ presbyter, non minima pars fuit doctorum Ecclesiæ, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximâ parte Græcorum bibliothecam Latinis exhibuit:

Basilij scilicet Cæsariensis Cappadociæ episcopi.
Gregorij Nazianzeni eloquentissimi hominis.
Clementis Romani Recognitionum libros.

Eusebij Cæsariensis Palæstinæ Ecclesiasticam historiam.
Xysti sententias.
Euagrij sententias.

Interpretatus est etiam *Sententias Pamphili martyris aduersus Mathematicos.*

Horum omnium quæcumque præmissis prologis à Latinis leguntur, à RVFFINO interpretata sunt: quæ sunt sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit.

Origenis autem non omnia, quia & Hieronymus aliquanta transtulit, quæ suo prologo discernuntur.

Proprio autem labore, imò gratiâ Dei & dono exposuit idem RVFFINVS
Symbolum, vt in eius comparatione alij nec exposuisse credantur.

Disseruit & *Benedictionem Iacob super Patriarchas triplici, id est, historico, morali, & mystico sensu.*

Scripsit & *Epistolas ad timorem Dei hortatorias multas*: inter quas præeminent illæ, quas ad Probam dedit.

Historiæ etiam *Ecclesiasticæ*, quam ab Eusebio scriptam & ab ipso interpretatam diximus, addidit *decimum & vndecimum librum.*

Sed & *obtrectatori opusculorum suorum respondit duobus voluminibus*, arguens & conuincens, se Dei intuitu & Ecclesiæ vtilitate auxiliante Domino ingeniũ agitasse, illum verò æmulationis stimulo incitatum ad obloquium stilum vertisse.

HONORIVS *de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap.* XVII.

RVFFINVS Aquileiensis ecclesiæ presbyter, non minima pars doctorum Ecclesiæ, in transferendo de Græco in Latinum elegans habens ingenium, maximam partem Gręcorum bibliothecæ Latinis exhibuit:

Basilij videlicet *Cæsariensis episcopi.*
Gregorij Nazianzeni eloquentissimi hominis.
Clementis Romani Recognitionum libros.
Eusebij Cæsariensis Palæstinæ historiæ nouem libros, quibus duos addidit.
[2] *Sixti Philosophi sententias aduersus Mathematicos.*
Origenis autem non omnia, quia & Hieronymus aliquanta transtulit.
Symbolum sic exposuit, vt in eius expositione alij nec exposuisse credantur.
Disseruit & *Benedictionem Iacob super Patriarchas triplici modo, id est historico, morali, & mystico sensu.*
Scripsit & *Epistolas ad timorem Dei hortatorias multas.*
Suo obtrectatori duobus voluminibus respondit.

DE HOC IPSO LIBRO TESTIMONIA.

RVFFINVS *l.* II. *hist. Eccl. cap.* IV.

POSTQVAM *mentionem fecit duorum Macariorum, Heraclidis & Pambo, & quædam Macarij miracula narrauit, subdit*: Verùm si singulorum mirabilium gesta prosequi velimus, excludemur à propositâ breuitate, maximè cùm hæc narrationem [3] proprij operis mereantur.

HIERONYMVS *epist. ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos cap.* II.

Qui (*Ruffinus*) librum quoque scripsit quasi de monachis, multosque in eo enumerat [4] qui numquam fuerunt; & quos fuisse scribit, [5] Origenistas ab episcopis damnatos esse non dubium est; [6] Ammonium videlicet, & Eusebium, & Euthymium, & ipsum [7] Euagrium, [8] Or quoque & [9] Isidorum, & multos alios quos enumerare tædium est. Et iuxta illud Lucretij:

Ac veluti pueris absinthia terra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum

Con-

Contingunt dulci mellis flauoque liquore.

Ita ille vnum [10] Ioannem in ipsius libri posuit principio, quem & Catholicum & sanctum fuisse non dubium est, vt per illius occasionem, cæteros, quos posuerat, hæreticos Ecclesiæ introduceret.

Decreti III. *parte cap.* III. *de Consecr. cap.* XVI. [11] ex dictis S. Apollonij.

Ieiunia sanè legitima, id est, quartâ & sextâ feriâ non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit: quia quartâ feriâ Iudas de traditione Domini cogitauit; & sextâ crucifixus est Saluator. Videbitur ergo, qui in his diebus sine aliquâ necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.

NOTATIO.

1 RVFFINVS.] *Vides Lector, quæ de Ruffino scribat Hieronymus, antequam arctissima illa dulcissimáque necessitudo, versa fuit in odiosam calumniam. Quis non cum Augustino exclamet?* O misera & miseranda conditio! ô infida in voluntatibus amicorum scientia præsentium, vbi nulla est præscientia futurorum! *&c.* Quis denique amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Ruffinũ & Hieronymum hoc, quod plangimus, exoriri? *&c.* Quando non, cui non, vbi non homini formidanda pernicies, cùm eo tempore, quo abiectis iam sarcinis sęcularibus, iam expediti Dominum sequebamini, & in eâ terrâ viuebatis simul in quâ Dominus humanis pedibus ambulans, Pacem meam, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis, viris ætate maturis & in eloquio Domini abundantibus, vobis accidere potuerit? Verè tentatio est vita hominis super terram. Heu mihi, qui vos simul alicubi inuenire non possum; fortè, vt moueor, vt doleo, vt timeo, prociderem ad pedes vestros, flerem quantum valerem, rogarem quantum amarem: nunc vnumquemque vestrûm pro seipso, nunc vtrumque pro alterutro, & pro alijs, ac maximè infirmis pro quibus Christus mortuus est; qui vos tamquam in theatro vitæ huius cum magno sui periculo spectant, ne de vobis ea conscribendo spargatis, quæ quandoque concordes delere non poteritis.

Aug. ep. 15. ad Hieron. & apud Hieron. epist. 93.

Ioan. 14.

Iob 7.

2. SIXTI PHILOSOPHI.] *Clarè apparet, qui Honorius Gennadium solitus sit sublegere. Sed quod suprà Prolegomeno* IV. §. V. *monui, vel Honorium corruptum esse, vel Gennadium ab eo perfunctoriè lectum, idem hîc vsu venit. Nam Sixti & Pamphili martyris sententias in vnum conflat. Nec enim Sixtus aduersus Mathematicos scripsit, sed Pamphilus martyr, vt distinctè habet Gennadius.*

3. PROPRII OPERIS.] *Videtur hîc insinuare Ruffinus, se, cùm historiam Ecclesiasticam scriberet (in quâ obiter sanctorum patrum, qui in eremo floruerunt, facit mentionem) in animo habuiße, proprio opere fusiùs eorum gesta pertractare: quod eum præstitiße, discimus sequenti D. Hieronymi testificatione: quamquam librum hunc non tam à Ruffino compositum, quàm ex Græco Palladij, vel Heraclidis, vel anonymi textu ab eodem expressum, mihi fit verisimile. Vide dicta Prolegomeno* IV.

4. QVI NVMQVAM FVERVNT.] *Tales hoc libro, qui numquam fuerint, deprehendere non possum: cùm vix vllus occurrat, cui non & alij auctores testimonium dicant. Vnam Oxyrynchum excipio ciuitatem, cuius nomen & episcopatus etsi apud historicos & patres inueniatur, nihil tamen de historiâ, quæ hic narratur, memini legere. Neminem tamen scio de eâ vmquam dubitaße. Quin & Baronius eam Annalibus suis intexuit, tom.* III. *ànno Christi* CCCXVI. *Siluestri Papæ* III. *Constantini Imp.* XI.

5. ORIGENISTAS.] *Consule, quæ diximus Prolegomeno generali* XV.

6. AMMONIVM VIDELICET, ET EVSEBIVM, ET EVTHYMIVM]. *De his habes hîc cap.* XXIII.

7. EVAGRIVM.] *De hoc cap.* XXVII.

8. OR.] *De hoc cap.* II.

9. ISIDORVM.] *De hoc eiúsque monasterio agitur cap.* XVII.

10. IOANNEM.] *Hic c.* I. *occurrit, & D. Hieronymus hunc in libri principio positũ aßerit.*

11. EX DICTIS.] *Notatum in Decreto ad hoc caput:* Caput hoc habetur apud Palladium in vitâ Apollo Abbatis. *Ita notatum tempore Gregorij* XIII. *postquam Palladius ex versione Herueti prodiit, apud quem cap.* LII. *eadem res habetur, etsi aliis verbis. Apud Palladium ex veteri versione nulla huius rei mentio. Sed narratio hæc tum re tum verbis iisdem desumpta est ex hoc libro c.* VII. *quem Ruffinus ex libro Græco, vt existimo, anonymo vertit. Nam quod nunc Palladio auctore cap.* LII. *habetur ex versione Herueti, etiam habes Heraclide auctore, incerto interprete, cap.* II. *Vide Prolegomena de Ruffino, Palladio, & Heraclide.*

RVFFINI AQVILEIENSIS PRESBYTERI IN LIBRVM SECVNDVM DE VITIS PATRVM PROLOGVS.

1. Tim. 2. [1] BENEDICTVS *Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui etiam nostrum iter direxit ad Ægyptum, & ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam profutura,* [2] *ex quibus non solùm nobis caussa salutis oriretur, verùm ex historiâ exemplum salutis, atque doctrina pietatis aptissima conderetur, quæ virtutis iter agere volentibus, gestorum præcedentium fide amplissimum tramitem pandat.*

Caussa mouens scriptionis. *Quamuis ad tantarum rerum narrationem minùs idonei sumus, nec dignum videatur, ingentium rerum exiguos ac paruos fieri auctores, præcelsasque virtutes humili narrare sermone: tamen quoniam fratrum charitas eorum* [3] *qui in monte sancto Olueti commanent, hoc à nobis frequenter exposcit, vt Ægyptiorum monachorum vitam, virtutesque animi, & cultum pietatis, atque abstinentiæ robur, quod in eis corâm vidimus, explicemus; precibus ipsorum qui hoc imperant, iuuandum me credens, aggrediar, non* Caussa finalis. *tam ex stilo laudem requirens, quàm ex narratione rerum ædificationem futuram legentibus sperans, dum gestorum vnusquisque inflammatus exemplis, horrescere quidem sæculi illecebras, sectari verò quietem, & ad pietatis exercitia inuitatur.*

Vidi ergo, & verè vidi thesaurum Christi in humanis absconditum vasculis, quemque thesaurum repertum nolui tamquam inuidus occultare, sed quasi pro multis inuentum proferre in medium, & facere communem: certus quòd quantò plures ex eo fuerint ditati, tantò mihi amplius acquiretur. Ego enim locupletior fiam, cùm aliorum salus ministerij mei fuerit quæsita mercimonio.

Gratiam Dei inuocat. *In principio ergo narrationis nostræ adesse nobis precamur gratiam Domini nostri Iesu Christi; cuius virtute omnia hæc pietatis exercitia apud Ægypti monachos habentur. Vidimus enim apud eos multos patres cælestem vitam in terrâ positos agentes, &* Inter eremitas multi noui propheta. *nouos quosdam prophetas tam virtutibus animi quàm vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem ac prodigiorum deerat efficacia: & meritò. Cur enim hi, qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipiant cælestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspicione vidimus defæcatos, vt nec si aliquid mali adhuc gereretur in sæculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantúsque inoleuerat eis bonitatis affectus, vt*

meritò de eis dictum sit: Pax multa diligentibus nomen tuum Domine. Psal.118.

[4] *Commanent autem per eremum dispersi & separati cellulis, sed charitate connexi. Ob hoc autem dirimuntur habitaculis, vt silentij quiete & intentione mentis diuina sectantes, nec vox aliqua, nec occursus vllus, aut sermo aliquis otiosus obturbet. Intentis ergo suo quisque loco animis, velut boni patris Christi exspectant aduentum, aut tamquam miles paratus in castris imperatoris præsentiam, vel vt fideles serui aduentantem dominum sustinent, libertatem sibi pariter & munera largiturum. Omnes ergo hi nullam cibi aut indumenti, aut vllius horum sollicitudinem gerunt. Sciunt enim, quia, sicut scriptum est,* hæc omnia gentes cogitant. *Ipsi verò iustitiam & regnum Dei requirunt; & hæc omnia secundùm promissionem Saluatoris apponuntur eis.*

Cōmodum solitudinis. Matth.6.

Denique plurimi eorum, si in aliquo fortè necessariis ad vsus corporis eguerint, non ad humana perfugia, sed ad Deum versi, & ab ipso tamquam à patre poscentes, quæ poposcerint illicò consequuntur. Tanta namque in eis fides est, quæ etiam montibus vt transferantur valeat imperare. Vnde & nonnulli eorum, irruptiones fluuij in perniciem vicinarum regionum concitatas, orationibus represserunt. Et pede incedentes aluei eius profunda digressi sunt, immanesque eius bestias premerunt, & plurima atque innumera signa, quæ ab apostolis & prophetis antiquitus gesta fuerant, consummauerunt, vt dubitari non debeat, [5] ipsorum meritis adhuc stare mundum.

Fiducia monachorum. Infrà c.9. de Patermutio. Infrà c.2. de Ammone, cap.11. de Heleno. Monachorum meritis stat mundus.

Sed illud valdè mirum est, cùm si semper [6] optima quæque rara sint & difficilia, in illis tamen vtrumque pariter conuenisse, vt & numero immensi sint, & virtutibus incomparabiles. Sunt enim alij in suburbanis locis, alij per rura, plures autem & egregij per eremum dispersi, & velut quidam cælestis exercitus in procinctu positus, atque in tabernaculis degens, ad obedientiam præceptorum regi semper intentus, armis orationum pugnans, & scuto fidei ab inimico insidiante protectus, regnum sibi cæleste conquirit. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. Ad æmulationem verò virtutum certamen ingens exercent & agones. Studet enim vnusquisque clementior altero, benignior, humilior ac patientior inueniri. Si quis autem sapientior ceteris fuerit, hic ita communis erga omnes & mediocris existit, vt secundùm mandatum Domini omnium minimus, & omnium seruus esse videatur.

Innumerus monachorum numerus. Monachorum æmulatio.

Quia ergo Dei munere donatum mihi est, vt viderem eos, & interessem conuersationi eorum, de singulis iam nunc, quæ ad memoriam Dominus reduxerit, enarrare tentabo, vt hi, qui non viderunt eos in corpore, opera eorum discentes, vitamque perfectam lectionis indicio colligentes, ad imitationem sancti operis inuitentur, & perfectæ sapientiæ palmam vel patientiæ requirant.

DE S. [7] IOANNE.

Cap.1.

PRIMVM igitur tamquam verè fundamentum nostri operis ad exemplum bonorum omnium sumamus Ioannem, qui verè etiam solus satis superque sufficiat religiosas & Deo deuotas mentes ad virtutum culmen erigere, & ad perfectionis fastigia concitare.

Hunc enim vidimus in Thebaidis partibus in eremo, quæ adiacet ciuitati Lyco, in rupe quadam montis ardui commanentem. Ascensus ad eum difficilis, aditus monasterij eius obstructus & clausus, ita vt à quadragesimo ætatis suæ anno vsque ad nonagesimum, quem tunc gerebat, cùm eum vidimus, monasterium eius nullus intrauerit. Aduenientibus verò per fenestram se videndum præbebat, & inde eis, vel verbum Dei ad ædificationem, vel, si qua fuisset consolatio, responsa reddebat. Mulie-

Pallad. cap.43. Ioannis habitatio apud Lycū ciuitatem. Ab ætatis anno 40. ad 90. nullus ad eum ingressus.

Nullam videt feminam. *Cella hospitalis.* rum tamen illuc nulla, nec ad conspectum quidem eius accessit, sed & viri rarò, & certis quibusque temporibus. Cellam sanè hospitalem extrinsecus fieri permisit, in quâ aduentantes è longinquis regionibus paululùm requiescerent, ipse verò intrinsecus solus, soli Deo vacans, non diebus non noctibus à colloquijs Dei & oratione cessabat: diuinum illud, & quod super omnem mentem est, totâ mentis puritate consectans. Quantò enim se ab humanis curis & colloquijs sequestrabat, tantò illi vicinior & propinquior Deus erat. In tantâ denique mentis sinceritate profecerat, vt non solùm eorum quæ præsentia erant scientiam consequeretur à Domino, verùm & eorum quæ futura erant præscientiam mereretur. Euidenter namque ei Dominus *Prophetiæ spiritu donatus.* prophetiæ gratiam contulit; ita vt non tantùm ciuibus & prouincialibus suis, si fortè percontarentur, futura prædiceret, sed & Imperatori Theodosio, vel quos belli exitus *Theodosio belli euentum prædixit.* habiturus esset, vel quibus modis victoriam caperet de tyrannis, sed & quot irruptiones passurus esset gentium barbararum, sæpò prædixit.

Pallad. cap. 43. ** Syenem Pall.* Quodam etiam tempore, cùm gens Æthiopum Romanum militem circa * Cyrenem, (quæ prima est ex Æthiopiæ partibus Thebaidis ciuitas) incursaret, & strages plurimas nostrorum dedisset, prædamque duxisset, venienti ad se Romano duci, & metuenti configere cum eis, quòd exiguus ei erat militum numerus, & hostis contra se innumera multitudo, Ioannes statutum *Romano duci victoriam prænuntiat.* designans diem, Perge, inquit, securus, die enim quâ dixi, & hostem prostrabis, & spolia capies, prædamque reuocabis. Quod cùm fuisset impletum, etiam apud Augustum, quia charus ei acceptusque futurus esset, prædixit. Sed hæc apud illum *Humilitas eius.* prophetiæ gratia ita habebatur, vt magis hoc illorum qui percontabantur, quàm suis meritis adscriberet. Dicebat enim non pro se hæc, sed pro illis qui audiunt, à Domino prænuntiari.

Pallad. cap. 43. Aliud quoque valdè mirum per eum Dominus ostendit. [8] Tribunus quidam ad agendum militem pergens, venit ad eum, & obsecrare eum cœpit, vt permitteret coniugem suam venire ad se. multa namque eam dicebat pertulisse pericula ob hoc tantùm, vt faciem eius videret. Tunc ille ne*Fugit aspectum mulierum.*gat sibi vmquam moris fuisse videndi mulieres, & præcipuè, ex quo in illius rupis se monasterio conclusisset. Tribunus persistit obsecrando, & confirmare cœpit, quòd nisi videret eum, esset sine dubio ex multâ tristitiâ peritura. Cumque iterùm ac sæpiùs eadem precaretur, & caussam mortis eum suæ coniugis confirmaret futurum, atque inde interitum, vnde salutem sperauerat, accepturam: tam fidem quàm importunitatem eius aspiciens senior: Vade, inquit, videbit me coniux tua hac nocte; non tamen veniet huc, sed in domo suâ, atque in lecto suo manebit. Post hæc verba ascendit vir, ambiguitatem responsi in pectore suo versans. Cumque hæc etiam coniugi nuntiasset, simili nihilominùs etiam mulier sermonis incerto fatigabatur. Sed vbi somni tempus aduenit, adest homo Dei per visum, & assistens mulieri, Fides, inquit, tua magna est, ô mulier, & ideò *Videtur in somnis ab uxore tribuni.* veni desiderio tuo satisfacere: te tamen moneo, non vt faciem corporalem seruorum Dei desideres, sed vt gesta & actus per spiritum contempleris. Spiritus enim est *Ioan. 6.* qui viuificat, nam caro non prodest quidquam. Ego autem non quasi iustus, aut propheta, vt putas, sed pro fide vestrâ intercessi pro vobis apud Dominum, & concessit tibi omnium morborum (quæ in corpore tuo pateris) sanitatem. Eris ergo ex hoc sana & tu, & vir tuus, & benedicetur omnis domus vestra. Sed & vos mores estote beneficij à Deo vobis collati, & timete Dominum semper, nec ampliùs quàm stipendijs vestris debetur, aliquid requiratis. Sufficiat ergo tibi hoc, quòd vidisti me in somnis, & ampliùs non requiras. Euigilans autem mulier, indicauit viro suo quæ vidit, quæque audierit, sed & habitum viri & vultum, atque omnia signa eius exposuit. Super quo miratus vir eius, regressus ad hominem Dei, gratias refert Deo; & acceptâ ab eo benedictione, perrexit in pace.

Alio quoque tempore præpositus quidam *Pallad. cap. 43.* militum venit ad eum, cuius vxor grauida, ab eo relicta est in domo suâ. At illa ipsâ die quâ ille ad beatum Ioannem venerat, partum edens, periclitabatur. Tunc sanctus homo Dei, Si scires, inquit, donum Dei, & quia tibi hodie natus est filius, ageres *Longè posita intuetur.* Domino gratias. Sed scito matrem pueri periclitatam; aderit tamen Dominus, & inuenies eam sanam: festina ergo, & redi, & inuenies puerum septem dierum, & vocabis nomen eius Ioannem: hic nutriatur in domo tuâ absque vllâ contaminatione gentili septem annis; quibus peractis, trade eum monachis erudiendum sanctis & cælestibus disciplinis.

Multis prætereà ad se venientibus, siue *Pallad. cap. 43.* prouincialibus, siue peregrinis, cùm res *Occulta cordis cognoscit.* poposcisset, occulta cordis eorum indicabat, & si quid fortè peccati ab eis in occulto

to fuiſſet admiſſum, ſecretiùs corripiens arguebat, & ad emendationem ac pœnitentiam prouocabat. Nili quoque fluminis ſiue abundantiam aquarum, ſiue penuriam futuram eſſe prædicabat. Sed & ſi fortè ex offensâ hominum plaga aliqua & correptio à Deo immineret, ſimiliter præmonebat, & ſi quid cauſſæ eſſet, pro quâ introduceretur caſtigatio, deſignabat. Sanitates quoque & curas corporum, ita depoſcentibus conferebat, vt omnem ex hoc iactantiam fugeret. Non enim permittebat ad ſe incommodantes deferri, ſed benedicens oleum dabat, ex quo perunɫi, ſani fierent à quacumque infirmitate tenerentur.

Flagellorum Dei cauſſas propalat.

Aegros oleo benedicto ſanat.

Pallad. cap. 43.

Senatoris cuiuſdam aliquando vxor excæcata eſt: hæc deprecabatur virum ſuum, vt eam perduceret ad hominem Dei. Cui cùm reſponderet vir ſuus, non ei eſſe moris videndi mulieres, rogat vt indicaret ei tantummodò imbecillitatis ſuæ cauſſam, & deprecaretur vt orationem faceret pro ſe. Cumque legationem pertuliſſet ad eum vir eius, orans, & benedicens oleum, mittit ad eam. Ex quo per triduum contingens oculos ſuos, viſum recepit, & Deo gratias egit. Sed multa ſunt eius geſta quæ enarrare longum eſt. Vnde omiſſis his interim quæ auditu comperimus, ad ea quæ oculis noſtris inſpeximus veniamus.

Oleo benedicto mulieri viſum reſtituit.

Pallad. cap. 43.

• Hic quædam de ſeipſo inſeruerit Palladius in hiſtoriâ Lauſiacâ, quæ hic deſunt.

• Septem fuimus ſimul comitantes, qui ad eum venimus: cumque ſalutaſſemus eum, omnique nos lętitiâ ſuſcepiſſet, vnumquemque noſtrûm gratificè alloquitur, & rogatus eſt à nobis, vt orationem ſimul & benedictionem daret (hic enim mos eſt apud Ægyptum, vt vbi aduenerint fratres, ſtatim per orationem ſibi inuicem confœderentur.) Interrogabat ergo ſi quis in nobis eſſet clericus? Et vt omnes negauimus, reſpiciens ad ſingulos, intellexit eſſe inter nos quemdam, qui huius erat ordinis, ſed latêre cupiebat; erat enim diaconus: & hoc præter vnum ſolum qui ei fidus erat, etiam ipſi itineris comites ignorabant. Viſurus enim tales ac tantos viros, humilitatis gratiâ celare voluit gradus ſui honorem, vt inferior inueniretur in ordine his, quibus ſe inferiorem eſſe meritis iudicabat. Sanctus ergo Ioannes vt eum vidit, & quidem cùm eſſet adoleſcentior ceteris, digito oſtendens eum, Hic, inquit, diaconus eſt. Et cùm adhuc negare tentaret, apprehendens eum manu ſuâ oſculatur, & dixit: Noli, fili, negare gratiam • Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium. Cauendum namque eſt omnimodis mendacium, ſiue pro malo, ſiue etiam pro bono proferri videatur; quia omne mendacium non eſt à Deo, ſed ſicut Saluator dicit, à malo eſt. At ille his auditis acquieuit, blandamque eius correptionem æquanimiter tulit: & cùm orationem Domino obtuliſſemus, poſt finem vnus ex fratribus noſtris ⁊ tertiano typo grauiſſimè vexabatur, & rogabat hominem Dei, vt ab eo curaretur; qui ait ad eum: Rem tibi neceſſariam cupis abijcere: vt enim corpora nitro vel alijs huiuſmodi lenimentis abluuntur à ſordibus; ita animæ languoribus, alijſque huiuſmodi caſtigationibus purificantur. Et poſteaquam de his nobis multa per doctrinam myſticam diſſeruit, benedicens tamen oleum dedit ei; quo perunctus æger omnem continuò abundantiam fellis euomuit, & ſaniſſimus redditus, pedibus ſuis ad diuerſorium redijt. Poſt hæc iubet officia erga nos humanitatis atque hoſpitalitatis expleri, & corporis curam geri, & ipſe verò ſui negligens, noſtri ſollicitus erat. Iam enim continuo vſu & iugi conſuetudine recipere cibum niſi in veſperâ poterat, & hunc exiguum: erat enim attenuatus, & aridi corporis, præ abſtinentiâ: capilli eius & barba quaſi ex languore nimio rara & tenuis, vtpote quam nullus ſufficiens cibus enutriret, nec lætior aliquis humor infunderet. Obſeruabat enim etiam tunc, cùm iam nonagenariam, vt ſuprà diximus, ageret ætatem, vt nullum per ignem paratum ſumeret cibum. Igitur poſt hoſpitalitatis officia, regreſſus adſedere nos iubet, & tunc demum vnde vel cur aduenerimus inquirit, cùm iam nos lætos, & omni cum gaudio tamquam natos proprios ſuſcepiſſet: cúmque reſpondiſſemus quòd de Ieroſolymis ad eum vtilitatis & profectus animæ noſtræ cauſsâ venerimus, vt ea quæ olim ad auditum noſtrum fama pertulerat, ipſi nunc oculis cerneremus; quoniam quidem tenaciùs ſolent inhærere memoriæ ea quæ oculus viderit, quàm quæ auris audierit. Tunc beatus Ioannes vultu placidiſſimo, & quaſi ſubridens, ex abundantiâ lætitiæ hoc modo reſpondit ad nos: Miror, inquit, admodum, dulciſſimi filij, laborem vos tanti itineris ſuſcepiſſe, cùm nihil ad hæc dignum in nobis videre poſſitis: homines enim ſumus humiles & exigui, nihil habentes in nobis quod vel expeti debeat vel mirari: & tamen etiam ſi eſſet aliquid in nobis ſecundùm opinionem veſtram, numquid tale, quale legitis in prophetis Dei & apoſtolis? Qui vtique ob hoc in omnibus Dei eccleſijs recitantur, vt exempla vitæ hominibus, non de longinquis & peregrinis locis quærantur, ſed domi vnuſquiſque & apud ſe habeat quod debeat imitari. Vnde plurimùm miror intentionem veſtri laboris ac

Per orationes fratres ſibi inuicem fœderantur.

Mêdacium etiam in humilitate fugiendum.

Matth. 5. Ioan. 8.

Morbus corporis, animæ purgatio.

Oleo benedicto tertianam febrem pellit.

Hoſpitalitas eius.

Sobrietas eius.

Cur ad Ioannem auctor libri huius cum ſocijs iuerit.

studij, quòd profectus animæ vestræ caussâ tantas superare regiones, tantosque labores adire voluistis, cùm nos eousque pigritia desidiaque constringat, vt nec cellulas nostras progredi audeamus. Verumtamen quoniam putatis esse in nobis aliquid, ex quo proficere debeatis, hoc primum vobis indicandum est, vt hoc ipsum quòd venistis ad nos, & tantum laborem videndi nos suscepistis, ne iactantiæ alicuius habeat prospectum, vt non tam proficere ad animi virtutem, quàm præferre se & iactare vnusquisque vestrûm velit, pro eo quòd viderit eos, qui apud alios ex auditu solo cogniti videantur.

Iactantia fugienda.

Graue est iactantiæ vitium, & periculosum nimis, & quod de ipso etiam perfectionis fastigio deijciat animas; & ideò hoc vos primò omnium cauere volo. Est autem species mali huius duplex quædam. Nonnullis enim accidit in ipsis statim initijs conuersionis suæ, cùm parum aliquid vel abstinentiæ impenderint, vel pecuniæ in pauperes piè erogauerint, & cùm de eâ ita sentire debeant, quasi quod impediret abiecerint, ita agunt & ita sentiunt quasi eminentiores sint illis, quibus aliquid largiti sunt. Alia verò est iactantiæ species, cùm quis ad summam virtutem perueniens, non totum Deo, sed suis laboribus ac studijs deputat, & dum ab hominibus gloriam quærit, perdit eam quæ à Deo est. Propter quod, filioli, omni genere fugiamus iactantiæ vitium, ne fortè incurramus lapsum, quem diabolus incurrit.

Hinc vsq; ad locum proximè sequentem è Palladio notatum, desiderantur ferè in Palladio.

Duplex iactantiæ species.

Tunc præterea cordi nostro & cogitationibus præcipua adhibenda est diligentia. Obseruandum namque est, ne qua cupiditas, ne qua voluntas praua, ne quod desiderium vanum, & quod non est secundùm Deum, radices in corde nostro defigat. Ex huiusmodi enim radicibus continuò pullulant vanæ & inutiles cogitationes, & intantum molestæ sunt, vt nec orantibus nobis cessent, nec in conspectu Dei consistentibus nobis, & preces pro salute nostrâ offerentibus erubescant; sed rapiunt à nobis captiuam mentem, & cùm corpore stare videamur in oratione, sensu & cogitatione euagamur & abducimur per diuersa. Si quis ergo est, qui se putat renuntiasse mundo & operibus diaboli, non sufficit in ore renuntiasse, vt possessiones & prædia, ceteráque sæculi negotia dereliquerit, nisi etiam proprijs vitijs renuntiauerit & inutiles ac vanas abiecerit voluptates. Hæc enim sunt de quibus Apostolus dicit: Desideria vana & nociua, quæ mergunt hominem in interitum. Hoc est ergo renuntiasse diabolo & operibus eius. Diabolus enim per alicuius vitij occasionem, & prauæ voluntatis aditum irrepit in cor nostrum, 10 quia vitia ex parte ipsius sunt, sicut virtutes ex Deo sunt. Si ergo sunt vitia in corde nostro, cùm venerit princeps eorum diabolus, quasi proprio auctori dant locum, & introducunt eum velut ad possessionem suam. Et inde est quòd numquam huiusmodi corda pacem habere possunt, numquam quietem; sed semper conturbantur, semper tenentur, & nunc vanâ lætitiâ, nunc inutili tristitiâ deprimuntur: habent enim intra se habitatorem pessimum, cui introëundi ad se locum per passiones suas, & vitia fecerunt. Econtrà verò mens, quæ verè renuntiauit mundo, hoc est quæ abscidit & amputauit à se omne vitium, & nullum introëundi ad se diabolo aditum dereliquit, quæ iracundiam cohibet, furorem reprimit, mendacium fugat, execratur inuidiam, & non solùm non detrahere, sed nec malè quidem sentire aut suspicari se de proximo suo patitur, quæ fratris gaudia, sua ducit, & tristitiam eius, suam tristitiam deputat. Quæ ergo hæc & horum similia obseruat mens, Spiritui sancto aperit in se locum, qui cùm ingressus fuerit, & illuminauerit eam, semper ibi iam gaudia, semper lætitia, semper charitas, patientia, longanimitas, bonitas, & omnes qui sunt fructus Spiritus, oriuntur. Et hoc erat quod dicebat Dominus in Euangelio: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere: ex fructibus enim arbor cognoscitur.

Contra cogitationes prauas, earúmque origines.

Renuntiasse diabolo, quid?

1. Tim. 6.

Quæ corda pace non fruuntur.

Mens serena Spiritus sancti habitaculum.

Gal. 5.

Matth. 7. & 12.

Sunt autem nonnulli qui videntur sæculo renuntiasse, & curam non habent ad munditiam cordis, neque vt vitia & passiones resecent ex animâ suâ, moresque componant; sed hoc tantùm student, vt videant aliquem sanctorum patrum, & audiant ab eis aliqua verba, quæ narrantes alijs glorientur se ab illo vel illo didicisse, & sicubi fortè vel audiendo vel discendo parum aliquid scientiæ conquisierint, continuò doctores fieri volunt, & docere non ea quæ egerint, sed ea quæ audierint & viderint, & despiciunt ceteros. Affectant ipsi ad sacerdotium, atque immergere se conantur ad clerum, nescientes quia minoris condemnationis est, si quis ipse virtutibus polleat, alios tamen docere non audeat, quàm si quis ipse passionibus & vitijs prematur, & alios de virtutibus doceat. Sic ergo, filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus clericatum vel sacerdotium, neque rursus omnimodis expetendum, sed danda opera est, vt vitia quidem à nobis depellantur,

Ad sacerdotium non temerè aspirandum.

tur, & virtutes animæ conquirantur. Dei autem iudicio relinquendum est, quem velit, & si velit assumere sibi ad ministerium vel ad sacerdotium. Non enim qui seipsum ingesserit, sed quem Dominus assumpserit, ille probatus est. (1.Cor.10.)

Monachi autem illud opus est præcipuum, vt orationem puram offerat Deo, nihili habens in conscientiâ reprehensibile; sicut & Dominus dicit in Euangelio: Cùm steteritis ad orationem, remittite fratribus vestris, si quid habetis contra eos, ex cordibus vestris: nisi enim remiseritis fratribus vestris, nec vobis remittet Pater vester, qui in cælis est. Si ergo mundo (vt suprà diximus) corde astiterimus ante Deum, & liberi ab omnibus his vitijs & passionibus quæ suprà memorauimus; poterimus, inquantum possibile est, etiam Deum videre, & orantes oculum cordis nostri in ipsum dirigere, & videre inuisibilem mente, non corpore; intellectu scientiæ, non carnis aspectu. Nemo enim se putet posse ipsam (sicut est) diuinam substantiam contueri, ita vt speciem sibi aliquam aut imaginem fingat in corde corporeæ alicuius imaginis similem. Nulla forma in Deo cogitetur, nulla circumscriptio; sed sensus, & mens quæ sentiri quidem possit, & perstringere mentis affectum, non tamen comprehendi, aut describi, aut enarrari valet. Et ideò oportet cum omni reuerentiâ & metu accedere ad Dominum, & ita in eum librare mentis intuitum, vt omne quidquid potest splendoris, claritatis, fulgoris, maiestatis mens humana concipere, super hæc omnia esse eum sentiat semper: & hoc diximus, si pura mens fuerit, nec vllis prauæ voluntatis sordibus occupata. Et ideò in hoc maximè oportet operam dare eos qui renuntiare sæculo, & Deum sequi videntur, sicut scriptum est: Vacate & cognoscite, quoniam ego sum Dominus. Si ergo cognouerit Deum, inquantum homini possibile est, tunc demum etiam reliquorum quæ sunt scientiam capiet, & mysteria Dei agnoscet, & quantò purior in eo fuerit mens, tantò plura ei reuelat Deus, & ostendit ei secreta sua. Amicus enim iam efficitur Dei, sicut illi, de quibus dicebat Saluator: Iam non dico vos seruos, sed amicos: & omne quidquid petierit ab eo, tamquam amico charo, præstat ei Deus. Ipsæ quoque virtutes Angelicæ, & cuncta mysteria diuina, tamquam amicum Dei diligunt eum, & obsequuntur eius petitionibus. Et hic est, quem à charitate Dei (quæ est in Christo Iesu) neque mors separat, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque alia creatura. Et ideò, charissimi, quandoquidem hoc elegistis, vt Deo placeatis, & ad charitatem eius perueniatis, date operam alieni effici ab omni iactantiâ, ab omni vitio animi, ab omnibus delicijs corporalibus. Delicias autem corporales non solùm illas putetis, quibus homines sæculi fruuntur; sed abstinenti deliciæ credendæ sunt, omne quidquid cum cupiditate sumpserit, etiamsi vile illud sit, & quod in vsu esse abstinentibus solet. Aqua denique ipsa vel panis si cum cupiditate sumatur, id est, non vt necessitati corporis, sed vt animi desiderio satisfaciat, hoc etiam abstinenti deliciarum vitio ducitur. Oportet enim in omnibus consuescere, animam vitio carere. Ideò denique Dominus docere volens animam desiderijs & voluptatibus suis resistere, dicebat: Intrate per angustam portam, quia lata est & spatiosa via, quæ ducit ad mortem; angusta autem & arcta via est, quæ ducit ad vitam. Lata est ergo via animæ, cùm qualicumque desiderio suo satisfecerit; angusta verò est, cùm voluptatibus suis repugnat. Multùm tamen prodest ad hæc obtinenda secretior habitatio, & conuersatio solitaria, quia interdum per occasionem aduentantium fratrum, & euntium ac redeuntium frequentiam, abstinentiæ & parsimoniæ fræna laxantur, & per huiusmodi occasiones venitur paulatim in consuetudinem & vsum deliciarum, & sic interdum etiam perfecti iam viri capiuntur. Ideò denique & Dauid dicebat: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Exspectabam eum, qui saluum me faceret à pusillo animo & tempestate.

(Monachi opus præcipuũ, orare. Matth. 6. Mar. 11. — Mundi corde quomodo Deum videant. — Pallad. cap. 43. — In quo maximè laborare debeant nouitij. Psal. 45. — Ioan. 15. — Rom. 8. — Deliciæ etiam in vilibus consistunt. — Matth. 7. — Angusta & lata via. — Psal. 54.)

Postquam autem multa nobis sanctus Ioannes de iactantiæ vitio, aliisque quamplurimis vtiliter disseruit, ad vltimam intulit dicens: Retexam autem vobis, quid etiam nuper cuidam ex fratribus nostris acciderit, vt cautiores vos præcedentia exempla constituant. (Pallad. cap. 44.)

Erat quidam apud nos monachus in hac vicinâ eremo commanens, cui habitaculum spelunca erat: vir summæ abstinentiæ, quotidianum victum labore manuum quærens, in orationibus die noctúque persistens, cunctisque animi virtutibus florens. Sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in profectibus suis cœpit, & non Deo totum, sed sibimetipsi quòd profecerat deputare. Hanc autem intuens animi præsumptionem tentator, continuò accedit, & laqueos parat. Quadam namque die ad vesperam, fingit speciem decoræ mulieris oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad ostium spelun-

(Exemplum lapsus ex vanâ gloriâ. — Diabolus se in mulierem transformat.)

speluncæ monachi se lassabundam simulans ac fatigatam, intrinsecus semetipsam proiecit, atque aduoluta genibus viri, vt sui misereatur exorat: Nox enim me infelicem, inquit, in eremo latitantem comprehendit, iube me requiescere in angulo cellulæ tuæ, ne fortè efficiar nocturnis bestijs præda. At ille primo miserationis obtentu, recepit eam intra speluncam, requirens quæ ei caussa errandi per eremum fuerit? Illa caussam fingit satis accuratè, & interim venena blandimentorum, atque illecebræ virus, per omnem textum narrationis interserit, nunc se miserandam, nunc etiam defensione dignam ostendens, elegantiâ & suauitate sermonis inclinat animum hominis, & in affectum sui illecebroso amore deflectit. Hinc iam inter blandiora colloquia, iocus risusque miscentur, manus etiam procax ad mentum barbamque, quasi venerandi specie protendit, tum verò palpare ceruicem molliùs, collúmque leuigare. Quid multa? Ad vltimum captiuum ducit militem Christi. Continuò enim perturbari intra semetipsum, & libidinis fluctibus æstuare cœpit, nequaquam laborum præteritorum, nequaquam professionis ac propositi sui memor. Paciscitur cum cordis sui concupiscentiâ, & intra arcana cogitationum suarum fœdus cum falsâ voluptate componit. Inclinat stultus latera sua, & efficitur sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atque vbi obscœnos iam conabatur inire complexus, illa vlulatum teterrimum diræ vocis emittens, vmbra vt erat tenuis, per manus amplectentis elabitur, ipsum quoque dedecorosis motibus, inanes auras sectantem, fœdissimâ cum irrisione deseruit. Tunc prætereà multitudo dæmonum in aëre ad hoc ipsum spectaculum congregata, clamore ingenti, cùm cachinno exprobrationis elato, O, inquiunt, qui te vsque ad cælum extollebas, quomodo demersus es vsque ad infernum? Disce ergo, quia qui se extollit, humiliabitur. Tunc ille velut amens effectus, & deceptionis suæ pudorem non ferens, grauiùs à semetipso decipitur, quàm fuerat à dæmonibus deceptus. Cùm enim debuerit reparare semetipsum, & renouare certamen, ac satisfactione sui, lacrymis & humilitatis fructibus, prioris elationis culpam delere, hoc non fecit, sed desperans semetipsum (sicut Apostolus dixit) tradidit se omni impudicitiæ & iniquitati. Regressus est enim ad vitam sæcularem, præda dæmonum factus. Refugit namque conspectus omnium sanctorum, ne quis posset eum salutaribus monitis de præcipitio reuocare. Si enim reddere semetipsum priori vitæ & abstinentiæ voluisset, recuperasset sine dubio & locum & gratiam suam.

Monachus formâ & blanditiis decipitur.

Psal. 31.

Irrident seductum dæmones.

Lucæ 14. & 18.

Ephes. 4. Desperans sæculum repetit.

Denique audite quid & de alio viro gestum sit, similiter quidem tentato, sed non simili exitu tentationis effuso. Fuit quidam vir in hac proximâ ciuitate, vitam turpissimam per omne facinus ducens, ita vt opinatissimus in flagitijs haberetur. Hic aliquando Dei miseratione compunctus ad pœnitentiam conuertitur, & intra sepulcrum se quoddam concludens, priorum scelerum polluitiones, lacrymarum fontibus diluebat, diebus ac noctibus in faciem prostratus, & ne alleuare quidem ausus oculos ad cælum, neque vocem emittere, & nomen Dei nominare, sed in solis gemitibus & fletibus perdurabat, & tamquam viuens sepultus, de inferno iam quodammodò mugitum cordis gemitúmque reddebat. Cúmque in his posito eo septimana vna transisset, noctu veniunt ad eum dæmones in sepulcro clamantes & dicentes: Quid est quod agis, ô impurissime & flagitiosissime? Posteaquam omni spurcitiâ, omnique impuritate satiatus es, nunc vis castus & religiosus procedere? Et posteaquam consenuisti in sceleribus, nec iam sufficiunt vires ad facinora delenda, nunc Christianus videri vis, & pudicus, & pœnitens? quasi verò alius tibi iam vllus possit dari locus satiato in malis, nisi ille qui tibi nobiscum debetur. Vnus ex nobis es, alius iam esse non poteris. Redi ergo magis, redi ad nos, & quod superest tibi tempus, in perfruendâ voluptate non perdas; præparamus affluentes delicias, præparamus scorta nobilissima, & cuncta talia quæ florem tibi possint reparare gratissimæ iuuentutis. Quid temetipsum vanis & inanibus conficis cruciatibus? Quid temetipsum ante tempus supplicijs tradis? Quid enim aliud es passurus in inferno, nisi hoc quod nunc tibi ipsi conquiris? Si te pœna delectat, exspecta paululùm, & inuenies paratam: nunc interim fruere muneribus nostris, quæ dulcia semper & grata duxisti. Hæc & huiusmodi plura exprobrantibus eis, ille iacebat immobilis, nec auditum quidem suum conuertens ad eos, nec vllo penitùs sermone respondens. Cúmque illi sæpiùs eadem repeterent, & alia duriora, nec ille omnino moueretur, in furorem prolapsi dæmones, vbi viderunt verba contemni, verberibus eum conficere aggressi sunt, multisque supplicijs excruciatum seminecem reliquerunt. Nec tamen in tot tantisque cruciatibus moueri saltem potuit loco, in quo orationis caussâ iacuerat. Posterâ die quidam

Pallad. cap. 45. Exemplum pœnitentiæ verè & constanter.

Sepulcro conclusus peccata deplorat.

Dæmones eum impedire tentant.

Verberibus conficiunt.

dam suorum requirentes eum, humanitatis dumtaxat gratiâ, inueniunt pœnis incredibilibus affectum, & caussam percontantes, cùm didicissent, rogabant vt curæ gratiâ reportari se ad domum propriam pateretur. Abnegat, & in eodem permanet loco. Tunc verò & sequenti nocte, repetentes dæmones, grauioribus eum verberibus cruciabant. Sed nec sic quidem moueri voluit loco: melius esse dicens, mortem subire, quàm vltrà dæmonibus obedire. Nihilominùs tertiâ nocte multitudo conuenit dæmonum, & absque vllâ miseratione irruentes in eum, omnibus pœnis cruciatibusque conficiunt. Cumque iam corpus defecisset in supplicijs, extremus tamen spiritus obsistebat imperio dæmonum. Quòd vbi impij peruiderunt, exclamantes voce magnâ, Vicisti, inquiunt, vicisti; & mox velut virtute quadam cælitus fugati præcipites abscedunt, nec vltrà quidquam ei suæ artis aut sceleris intendunt.

Mirâ constantiâ pœnitentis victi dæmones discedunt.

Ipse verò in tantum virtutibus animi profecit, & ita ornatus moribus effectus est, ac totius diuinæ gratiæ repletus virtute, vt omnis hæc regio quasi è cælo eum lapsum videret, & vnum esse ex numero crederet Angelorum, omnes pænè simul atque vno ore dicentes: Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Quanti exemplo eius qui iam semetipsos desperauerant, rursus ad spem salutis regressi sunt, & emendationem sui, quam priùs desperauerant præsumpserunt? Quanti admiratione eius, de ipso iam inferno peccatorum retracti sunt, & ad virtutis indolem reparati? Illo namque tantâ immutatione conuerso, omnibus omnia visa sunt possibilia. Non solùm enim emendatio morum florebat in eo & assumptio virtutum, verùm & gratia Dei plurima ei collata est. Signa enim & prodigia, quæ ab eo facta sunt, quantum apud Dominum haberet meritum testabantur. Sic humilitas & conuersio bonorum omnium materiam præbet: elatio & desperatio, interitus & mortis est caussa.

Psal. 76. Prælucet ornatu virtutum, & omnibus spem salutis præbet.

Signa facit.

Ad effugienda verò pericula lapsuum, & conquirendam Dei gratiam, atque ipsius diuinitatis euidentiorem notitiam capiendam, plurimùm prodest secretior conuersatio, & eremi interioris habitatio. Quod vos non tam verbis quàm rebus ipsis & exemplis meliùs docere puto.

Pallad. cap. 46. Exemplum vanâ gloriâ lapsi, & fratrum contubernio releuati.

Fuit quidam monachus, qui in eremo hac, quæ præ ceteris interior est, habitabat. Hic dum plures annos in abstinentiâ perdurasset, & prouectus tempore, propè iam ad senilem venisset ætatem, omni virtutum flore adornatus, ac totius continentiæ magnitudine sublimatus: cùm orationibus & hymnis sedulè Deo seruiret, tamquam emerito militi suo Dominus remunerationes parat, vtpote qui in corpore adhuc positus, adinstar Angelorum incorporeæ vitæ fungeretur officijs, & dignum iudicans ano[illegible] cælestem præbere in deserto ei, qui ca[illegible] Regem peruigilibus præstolabatur [illegible]ijs.

Monachus quidam consummatissimus.

Volens ergo Deus etiam in hoc sæculo remunerare eius fidele propositum, ad prouidentiæ suæ sollicitudinem quotidiani victus eius reuocat curam. Vt enim ei cibi vsum poposcisset naturæ necessitas, ingrediens speluncam suam inueniebat mensæ panem superpositum, miræ suauitatis, mirique candoris: ex quo refectus, & gratias diuinæ præstantiæ referens, rursus ad hymnos & orationes conuertebatur. Ad quem diuinæ etiam reuelationes, multæque de futuris rebus à Deo præmonitiones fiebant.

Pallad. cap. 46. Diuinitus nutritur.

In his ergo talibus ac tantis profectibus positus, quia gloriari quasi de meritis suis cœpit, & cælestis beneficij munus, vitæ suæ debitum dixit: continuò subintrat eum parua quædam desidia animi, tam parua, quam nec posset aduertere. Post hæc creuit maior negligentia, ita vt tardior iam fieret ad hymnos, sed & ad orationem pigriùs surgeret; psalmi quoque ipsi non e[illegible] quâ priùs vigilantiâ ab ipso canerentur, sed vbi parum quid exhibitum fuisset soliti ministerij, anima eius quasi nimio labore fatigata, requiescere festinabat: quia sensus eius reprobus effectus, de sublimioribus ad inferiora ceciderat, & cogitationes suæ per diuersa eum præcipitia rapiebant. Erat enim iam in corde eius clandestina quædam turpis ac nefanda cogitatio, consuetudo tamen prior; velut si decursus aquæ, etiam cessante remigio, adhuc priore impetu nauigium ferat, ita & vetus institutio ad consueta hominem officia trahebat. Ob quam caussam & stare adhuc in suo statu videbatur. Hic ergo cùm post orationes cibum solitò requisisset ad vesperam, ingressus locum eum, in quo refici consueuerat, inuenit solitò panem mensæ superpositum, ex quo refectus, nihil de eorum quæ in corde suo versabantur, emendatione curauit, neque immutationis suæ damna persensit, sed spernentem se minima, paulatim casurum non intellexit. Intereà cùm graui iam libidinis incendio stimularetur, & inflammatus turpi concupiscentiâ raperetur rursus ad sæculum, illâ interim die cohibuit se, & solita hymnorum & orationum ministeria ex more persoluit, atque ingressus vt cibum sumeret, panem quidem inuenit

Tineâ vanæ gloriæ sensim tacitus cor corrumpitur.

Spernens minima paulatim cadit.

Libidine stimulatur.

mensæ

mensæ superpositum, sed aliquantulò sordidiorem; admiratus est, & tristis effectus: intellexit enim quòd ipsum respiceret hoc genus monstri, tamen cibo sumpto refectus est. Post diem tertium triplicatis vrgeri stimulis cœpit: occupauerat enim cogitationes eius quasi iam præsentis & se[illegible] positæ, secumque accumbentis in[illegible]ulieris, quam & complecti sibi vid[illegible], & ad turpes vsus habere substratam. Processit tamen & sequenti die ad solita psallendi & orandi officia, sed stabat vagus oculis, & mente captiuus. Cumque solitò ingressus ad vesperam requireret cibum, panem quidem inuenit super mensam, sed sordidissimum ac aridissimum, & quasi à muribus vel canibus vndique corrosum. Tunc ille vt hoc vidit, ingemuit, & lacrymas fudit, sed non ita ex corde, nec ita vberes, quæ possent flammam tanti ignis extinguere. Verumtamen sumit cibum, sed neque quantum volebat, neque qualem solebat: cùm interim cogitationes eum tamquam cohors barbarica vndique circumuallant, & omni ex parte in eum tela iaculantur, ac vinctum captiuumque eum ad sæculum retrahunt. Exurgens ergo, cœpit iter agere noctu per eremum, & tendere ad ciuitatem: sed vbi dies facta est, ciuitas quidem longè adhuc aberat. Ipse verò cùm rapidissimo æstu coqueretur, & fatigaretur in eremo, vndique versus, considerare oculis cœpit & requirere, sicubi esset in vicino monasterium: & cùm conspexisset fratrum quorumdam cellulam, tendebat illuc, vt apud eos requiesceret: quem vbi adesse senserunt serui Dei, continuò procurrunt in obuiàm, & velut angelum Dei excipientes adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, mensam ponunt, atque omnia secundùm diuinum mandatum complent charitatis officia. Verùm vbi refectus est, & paululùm requieuit, ex more quasi ab eruditissimo & opinatissimo patre cœperunt verbum ædificationis expetere, ac monita salutis inquirere. Interrogauerunt quoque eum, quomodo quis diaboli laqueos possit effugere, aut si quando turpes iniecerit animo cogitationes, quomodo depelli possint & abijci. Tum ille, vt compulsus est monita fratribus dare, & salutis eos viam docere, ac de insidijs dæmonum (quas seruis Dei intendunt) facere sermonem, illos quidem plenè & sufficienter edocuit, sibi verò ipsi stimulos compunctionis incendit, & in semetipsum regressus ait: Quomodo ego alios moneo, & ipse decipior? aut quomodo alios corrigo, qui meipsum non emendo? Age ergo, miser, facito ipse prior, quæ facere alios doces. Cumque huiusmodi increpationibus vteretur aduersus semetipsum, & intellexisset se miserabiliter supplantatum, valedicens fratribus, continuò se rapidissimo cursu in eremum dedit, & ad speluncam de quâ discesserat redijt: prosternens se Domino in oratione, dicens: Nisi Dominus adiuuisset me, paulominùs habitasset in inferno anima mea. Et iterùm: Paulominùs fui in omni malo: & paulominùs consummauerunt me in terrâ. In hoc verò completum est, quod ait Scriptura: Frater fratrem adiuuans exaltabitur vt ciuitas munita & fortis. Frater qui adiuuat fratrem, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium. Post hæc ergo permansit omni vitâ suâ in luctu & lacrymis, videns diuinitus sibi concessum cælestis mensæ beneficium perdidisse: cœpit enim in labore rursus & sudore vultus sui manducare panem suum. Conclusit autem se intra speluncam, atque in cilicio & cinere iacens, tamdiu lugens flénsque permansit in orationibus, donec assistens ei angelus Domini, diceret ei: Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & repropitiatus est tibi: sed caue ne vltrà elatus decipiaris. Venient autem ad te fratres, quos tu ipse docuisti, deferentes tibi benedictiones, quas suscipere ne recuses, & sumens cum eis cibum, age gratias Deo tuo.

Pane sordidiore diuinitus apposito, sordidioris conscientia monetur.

Ad sæculum redire parat.

Ad fratres obiter diuertit.

Mos anachoretarũ erga hospites.

Instruens alios, etiam semetipsum emendauit.

Agit Domino gratias pro adiutorio, & amarè pœnitet.

Psal. 93.

Psal. 118.

Prou. 18.

Ab Angelo consolatur.

Hæc autem locutus sum vobis, filioli mei, vt sciretis, & quanta sit in humilitate firmitas, & in elatione ruina quàm maxima. Ideò denique & Saluator noster primam beatitudinem de humilitate nos docuit, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Simul & huiusmodi exempla dicens, vt cautiores sitis, ne à dæmonibus in cogitationum subtilitate seducamini. Propterea enim & forma huiusmodi inter monachos obseruatur, vt si quis ad eos veniat, siue vir ille seu mulier sit, siue senex siue iuuenis, siue ignotus siue notus; ante omnia vt oratio fiat, vt nomen Domini inuocetur: quia si fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuò oratione factâ diffugiet. Si verò in cogitatione vestrâ suggesserint ipsi dæmones aliquid, vnde laudari debeatis & extolli, non acquiescatis eis, sed tunc magis vosmetipsos humiliate in conspectu Domini, & pro nihilo ducite, cùm vobis illi aliquid de sectandâ laude suggesserint. Denique etiam me frequenter dæmones noctibus seduxerunt, & neque orare neque requiescere permiserunt, phantasias quasdam per noctem totam sensibus meis & cogitationibus suggerentes. Manè verò velut

Postrema Ioannis exhortatio.

Matth 5.

Cur hospites suscipiantur cum oratione.

Mos hic durat apud Carthusianos.

velut cum quadam illusione, prosternebant se ante me dicentes: Indulge nobis, abba, quia laborem tibi incussimus totâ nocte. Ego verò respondi ad eos: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, & non tentetis seruum Domini. Et vos ergo, filioli, quietem silentiumque diligite, & scientiæ operam date, atque exercete vosmetipsos, vt frequenti collatione mentem vestram puram exhibeatis Deo, ne orationes vestræ impediantur apud Deum. Quamuis enim & illi bonum opus agant, & sit in illis probabilis conscientia, qui inter sæculares positi exercentur in operibus bonis, & occupant semetipsos actibus religiosis & sanctis, vel hospitalitatem sectantes, vel charitatis ministeriis obsequendo, vel misericordias ac visitationes, aliaque huiusmodi opera explendo, in quibus aliis quidem boni semper aliquid conferant; semetipsos tamen castos seruant. Sunt ergo isti probabiles, & valdè probabiles, qui in bonis actibus placent Deo, & sunt operarij inconfusibiles mandatorum Dei. Sed tamen hæc omnia terrenos habent actus, & erga materias corruptibiles arguuntur. Qui verò in exercitio mentis desudat, & spiritales intra semetipsum excolit sensus, longè illis superior iudicandus est. Locum namque intra semetipsum præparat, vbi Spiritus sanctus habitet, & obliuionem quodammodo capiens terrenorum, sollicitudinem gerit de cælestibus & æternis. Constituit enim semetipsum semper ante conspectum Dei, & omnes præsentium rerum sollicitudines post tergum iaciens, solo diuini desiderij calore constringitur, & in laudibus Dei positus, & hymnis & psalmis die ac nocte non potest satiari.

Simulatio dæmonum. — *Psal. 6.* — *1. Tim. 2.* — *Vita contemplatiua actiuâ præstátior.*

Hęc & multa alia his similia beatus Ioannes per triduum continuum loquens ad nos, animas nostras refecit & innouauit. Vt autem cœpimus velle ab eo proficisci, datis nobis benedictionibus, Pergite, inquit, in pace, ô filioli: hoc tamen scire vos volo, quòd hodiernâ die [11] victoriæ religiosi principis Theodosij Alexandriæ nuntiatæ sunt de Eugenio Tyranno. Necesse est ergo, & ipsum Theodosium non multò post propriâ morte vitam finire. Cumque profecti ab eo fuissemus, hæc ita gesta esse ad fidem comperimus, vt ipse prædixerat. Post dies autem paucos insecuti sunt nos quidam fratres, annuntiantes nobis, quòd ipse sanctus Ioannes in pace requieuerit. Obitus autem illius talis quidem fuerat. Per triduum, inquiunt, nullum ad se introire permisit, & positis genibus in oratione reddidit spiritum, atque ita perrexit ad Dominum, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Pallad. cap. 46. Auctor huius libri cum sociis per triduũ Ioanni colloquitur. — *Ioannes victoriam Theodosij absens nouit. Mortem eius prædicit.* — *Obitus sãcti Ioannis Aegyptij.*

DE [12] HOR.

Cap. II.

VIDIMVS & alium apud Thebaidem venerabilem virum, Hor nomine: hic multorum erat monasteriorum pater, qui [13] habitu ipso, honoris videbatur angelici, nonaginta iam agens ætatis annos, barbâ prolixâ, & claritatis canitie splendidâ, vultu & aspectu ita lætus, vt plus aliquid habere quàm in hominis naturâ est, visio ipsa videretur. Hic priùs in vltimâ eremo plurimis abstinétiæ laboribus exercitatus, postremò in vicino vrbis monasterium instituit.

Palladio cap. 9. Or dicitur; fuit Origenista, teste Hieronymo. — *Hor ex anachoretâ monasterij institutor.*

In adiacentibus autem habitationis suæ locis diuersi generis arborum siluas ipse per se plantaria ponendo conseruit, in quibus, vt nobis à plurimis sanctis patribus affirmatum est, ante illius aduentum nullum omnino virgultum fuit. Ob hoc autem plantauit hanc siluam, vt ibi fratres, quos inibi congregare cupiebat, non haberent necessitatem, ligni gratiâ longiùs euagandi. Habens curam & in his quæ ministerio corporis necessaria sunt, sed præcipuè salutis eorum ac fidei. Ipse tamen cùm esset in eremo, herbis pascebatur, & radicibus quibusdam, & hæc ei dulcia videbantur. Aquam verò si quando inuenisset, bibebat, orationibus & hymnis occupans omne diei tempus ac noctis. Vt autem ad maturam peruenerat ætatem, apparuit ei angelus Domini in eremo per visum, dicens: Eris in gentem magnam, & multus tibi populus credetur, & erunt per te quæ saluanda sunt multa millia hominum. Quantoscumque autem in hac vitâ positus conuerteris ad salutem, super tantos principatum accipies in futuro: & nihil verearis, numquam enim aliquid tibi deerit eorum stipendiis, quæ ad vsum corporis requiruntur, quoties hæc poposceris à Deo. Hæc cùm audisset, ad viciniora loca accedit, & primò solus sub paruo tugurio, quod sibi ipse construxerat, habitare cœpit, oleribus compositis vescens, solis interdum, etiam post continuata ieiunia. Litteras primò ignorauit. Cùm autem de eremo ad hæc quæ suprà diximus, viciniora habitaculis loca accessisset, data est ei diuinitus gratia. Et cùm à fratribus oblatus ei fuisset codex, quasi olim iam sciens litteras, legere cœpit. Collata est ei aduersus dæmones etiam virtus, ita vt multi ex his, quos vrgebant dæmones, etiam inuiti ad eum raperentur, protestantes summo cum clamore de meritis eius. Sed & alias quamplurimas sanitates operabatur.

Abstinentia eius. — *Diuinitus litteras nouit.* — *Dæmones pellit.* — *Aegros sanat.*

Congregabantur interim ad eum plurimæ multitudines monachorum, inter quos cùm etiam nos aduenissemus, visis nobis lætissimus redditur. Cumque salutans nos, orasset more sibi solito, pedes hospitum propriis manibus lauat, & docere nos ex Scripturis, quæ ad ædificationem vitæ ac fidei pertinent, cœpit. Erat enim ei docendi gratia à Deo collata. Cùm itaque plurima nobis Scripturarum capitula sapienter disseruisset, rursus ad orationem conuertebatur. Consuetudo autem erat ei, non priùs corporalem cibum sumere, quàm spiritalem Christi Communionẽ acciperet. Quo accepto, post gratiarum actionem adhortari nos etiam ad reficiendum cœpit. Ipse tamen sedens nobiscum, numquam cessabat aliquid de studiis spiritalibus commonere. Narrabat ergo nobis tale aliquid: Scio hominem, inquit, quemdam in eremo, per tres continuos annos nullum sumpsisse terrenum cibum: angelus enim Dei tertiâ quaque die escam deferebat ei cælestem; & hæc ei cibus erat & potus. Et iterùm scio huiusmodi hominem, quia venerunt ad eum dæmones in specie cælestis militiæ, & habitu Angelorum, currus igneos agentes, plurimo apparatu, tamquam magnum aliquem regem deducentes, isque qui ceteris vt rex haberi videbatur, dicebat ad eum: Implesti omnia, ô homo, superest vt adores me, & transferam te sicut Eliam. Sed monachus hæc audiens dicebat in corde suo: Quid est hoc? Quotidie ego Saluatorem, qui est Rex meus, adoro; hic si esset ille, quomodo à me hoc exposceret, quod indesinenter me facere sciret? Et post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem, quem quotidie sine intermissione adoro; tu autem non es rex meus. Et continuò inimicus ad hæc verba nusquam comparuit. Verùm hæc ille, quasi de alio nobis narrans sua gesta, sub alterius personâ memorabat. Patres tamen qui aderant, ipsi nobis affirmabant, quòd ipse esset, qui hæc vidisset & audiuisset.

Lauat hospitum pedes.

Per tres annos nullum cibum terrenum sumpsit.

Cælesti escâ post triduum pascitur.

Diaboli phantasiã egregio responso dispellit.

Erat ergo hic magnificus pater, qui inter cetera bona etiam hoc præstabat aduenientibus fratribus, & cum ipso habitare volentibus. Faciebat conuocari fratres qui secum erant, & in vnâ die aduenienti fratri cellulam ædificabat. Erat in hoc opere magna alacritas fratrum, vnoquoque eorum festinante lateres conuehere, aut lutum porrigere, aut aquam infundere, aut ligna deferre. Vbi verò perfecta fuisset, ipse eam omnibus vtensilibus vel necessariis instructam tradebat fratri.

Vna die cellulam aduenienti fratri extruit.

Hic aliquando cùm falsus quidam frater ad se venisset, & vt videretur nudus, vestimenta sua occultasset, arguit eum coram omnibus, & in medium quæ occultauerat protulit, & ita pertimuêre omnes, vt de reliquo nemo auderet coram ipso fallere. Tanta erat in eo virtus animi, & tanta diuinæ gratiæ magnitudo, quam abstinentiæ labore & fidei puritate quæsierat. Multitudines autem fratrum cum ipso positæ, tantâ gratiâ erant repletæ, vt cùm ad ecclesiam conuenirent, chori Angelorum vestibus ac mentibus resplendentes, ad imitationem virtutum cælestium, in hymnis & laudibus Dei peruigiles viderentur.

Fratris cuiusdam fraudem diuinitus noscit.

DE [14] AMMONE.

CAP. III. *Palladius cap. 48.*

VIDIMVS autem in Thebaide etiam alium virum, nomine Ammonem, patrem trium millium circiter monachorum, qui Tabennensij appellantur, ingentis abstinentiæ viros, quibus vsus est indui [15] colobiis quasi saccis lineis, & pelle confectâ, à collo post tergum & latus descendente contegi; cucullis etiam caput operiri, maximè cùm ad cibum ventum fuerit; eisque etiam faciem velant, ne alius alium parciùs cibum sumentem deprehendat. Est autem eis & in capiendo cibo summum silentium, ita vt nec putetur in eo loco esse aliquis hominum, vbi sedetur ad mensas, & omnis eorum conuersatio ita est in multitudine posita, quasi esset in solitudine, dum ita latet vniuscuiusque abstinentia, vt ab alio deprehendi non possit. Sedent ergo ad mensam contingentes magis quàm sumentes cibos, vt nec defuisse mensis, nec tamen ventri satisfecisse videantur. Maior quippe est continentiæ virtus, his abstinere quæ in oculis habentur & in manibus.

Ammon pater 3000 monachorum.

Tabennensium monachorum vestitus.

Silentium tempore refectionis.

Continentia sobrietatis.

DE [16] BENO.

CAP. II. *Pallad. cap. 49.*

VIDIMVS & alium senem mansuetudine omnes homines præcellentem, Benum nomine, de quo asserebant fratres qui cum ipso erant, quòd neque iuramentum vmquam neque mendacium de ore eius processerit, neq; vllus hominum iratum viderit eum aliquando, aut sermonem superfluum otiosumque proferentem; sed erat vita eius in summo silentio, moresque tranquilli, & per omnia quasi angelici ordinis vir: humilitas quoque immensa, & in omnibus pro nihilo semetipsum ducens. Denique nobis multùm rogantibus vt aliquem sermonem ab eo ædificationis audiremus, vix impetrare potuimus, vt pauca nobis de mansuetudine loqueretur.

Benus numquam iurauit, numquam mentitus, numquam iratus fuit, numquam verbum otiosum protulit.

Hic aliquando, cùm bestia quædam, quæ hippopotamus appellatur, regionem illi proxi-

proximam vicinamque vastaret, rogatus ab agricolis venit ad locum: & cùm immanem belluam peruidisset, ait ad eam: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, ne vltrà vastes hanc terram. Tum illa quasi Angelo persequente effugata, nusquam omnino comparuit. Simili modo etiam crocodilum ab eo alio tempore fugatum perhibebant.

Cap. v.

DE [17] OXYRYNCHO CIVITATE.

Deest hoc Palladio.

VENIMVS autem & ad ciuitatem quamdam Thebaidis, nomine Oxyrynchum, in quâ tanta religionis deprehendimus bona, vt ea nemo dignè valeat enarrare. Repletam namque eam monachis intrinsecus vidimus, & extrinsecus omni ex parte circumdatam. Aedes publicæ (si qua in eâ fuerant) & templa superstitionis antiquæ, habitationes nunc erant monachorum, & per totam ciuitatem multò plura monasteria quàm domus videbantur. Sunt autem in ipsâ vrbe, quia est ampla valde & populosa, duodecim ecclesiæ, in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis monasteriis, in quibus per singula orationum domus sunt. Sed nec portæ ipsæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius, monachorum habitationibus vacat; quique per omnem partem ciuitatis, die ac nocte hymnos ac laudes Deo referentes, vrbem totam, quasi vnam Dei ecclesiam faciunt. Nullus enim ibi inuenitur aut hæreticus, aut paganus; sed omnes ciues Christiani, omnes Catholici, vt nihil omnino differat, si episcopus in plateâ orationem, aut in ecclesiâ faciat. Ipsi quoque magistratus & principales ciuitatis, & reliqui ciues, studiosè per singulas portas statuunt qui obseruent, vt sicubi apparuerit peregrinus aut pauper, certatim ad eum qui præoccupauerit adductus, quæ sunt necessaria consequatur.

Oxyrynchus plena monasteriis.

Eius in fide integritas.

Hospitalitas.

De his autem qui erga nos, ab ipsis populis gesta sunt, videntibus transire nos per ciuitatem suam, & velut Angelis occurrentibus, atque honorem deferentibus, quomodo enarrem? Aut de ipsis monachis & virginibus, quorum innumeræ multitudines (vt suprà diximus) in illâ vrbe habentur? Requirentes enim à sancto episcopo loci illius, viginti millia virginum, & decem millia monachorum inibi haberi comperimus. Quorum omnium affectum erga nos & honorem, quem exhibebant, vobis exponere, nec sermo sufficit, nec verecundia permittit, quomodo palliola nostra scinderentur, vnoquoque nos sibi rapiente, & ad se adducere cupiente.

In eâ viginti millia virginum, & decem millia monachorum.

Vidimus quoque ibi plurimos sanctorum patrum diuersas Dei gratias habentes, alios in verbo Dei, alios in abstinentiâ, alios in signis & virtutibus ministrantes.

DE [18] THEONE.

Cap. vi.

Pallad. cap. 50.

VIDIMVS & alium non longè ab vrbe, ad eam partem, quæ mittit ad eremum, nomine Theonem, virum sanctum, intra cellulam suam clausum solitarium, qui perhibebatur triginta annis silentij habuisse continentiam: quique tam multas virtutes faciebat, vt propheta apud illos haberetur. Conueniebat namque ad eum per dies singulos infirmorum plurima multitudo, ad quos ille per fenestram manum proferens, & vniuscuiusque capiti superponens, ac benedicens eos, sanos ab omni ægritudine remittebat. Hic etiam ipso visu tam honorabilis erat, tantumque reuerentiæ gerebat in vultu, vt inter homines Angelus videretur, ita lætus oculis, & plenus totius gratiæ apparebat.

Theonas triginta annis silet.

Benedictione & manus impositione morbos curat.

Huic cùm paruum ante tempus, vt comperimus, noctu latrones superuenissent, aurum se apud eum inuenturos credentes, oratione solâ ita eos vinxit, vt foribus eius affixi, mouere se omnino non possent. Manè verò cùm ad eum turbæ more solito conuenissent, & viderent ad ianuas eius latrones, volebant eos igni tradere. At ille rerum necessitate compulsus, vnum eis solum locutus est verbum: Sinite, inquit, eos illæsos abire, alioquin gratiâ à me fugiet sanitatum. Populi verò vt audierunt hæc, contradicere non audentes dimiserunt eos. Latrones verò videntes quod secum est gestum, abiectâ scelerum voluntate, & præteritorum multorum pœnitudinem gerentes, ad monasteria vicina confugiunt, atque ibi emendatioris vitæ formam modumque suscipiunt.

Oratione latrones ligat.

Latrones conuertuntur.

Erat autem supradictus vir eruditus non solum Ægyptiorum & Græcorum linguâ, sed etiam Latinorum, vt & ab eo ipso, & ab his qui ei aderant didicimus. Sed & ipse releuare cupiens, & consolari peregrinationis nostræ laborem, in tabellâ scribens ad nos gratiam doctrinamque sui sermonis ostendit. Erat autem eius cibus absque ignis opere. Dicebant autem quòd & noctibus ad eremum progrediens, comitatu vteretur plurimo eremi bestiarum. Ipse verò hauriens aquam de puteo suo, & præbens eis pocula, obsequij earum remunerabat laborem. Huius autem rei manifestum dabatur indicium, quòd vestigia bubalorum, caprarumque & onagrorum, circa eius cellulam plurima deprehendebantur.

Cibus eius, & comitatus ferarũ.

Apollonius.

Cap. VII. Palladio cap. 52. dicitur Apollo.

DE [19] APOLLONIO.

VIDIMVS & alium sanctum virum, nomine Apollonium, apud Thebaidam, in finibus Hermopolis, ad quam ciuitatem Saluatorem cum Mariâ & Ioseph de Iudææ finibus venisse tradunt, secundùm prophetiam Isaiæ, dicentis: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur manufacta Ægyptiorum à facie eius, & cadent in terram. Vidimus ergo ibi etiam & templum ipsum, in quod ingresso Saluatore corruisse omnia idola in terram, & comminuta esse memorabant. (Isaiæ 19.)

Vidimus ergo supradictum virum, & in vicinâ eremo sub monte quodam habentem monasteria: erat enim pater monachorum circiter quingentorum, & famosissimus in omnibus Thebaidæ finibus habebatur. (*Apollonius pater quingentorum monachorum.*) Opera enim magna erant ei, & virtutes multas, signaque plurima & prodigia faciebat per eum Deus. A pueritiâ namque in abstinentiâ nutritus, vbi ad maturam peruenit ætatem, gratia Dei semper cum ipso creuit. Erat enim annorum ferè octoginta, cùm eum vidissemus in monasteriorum congregatione florentem: sed & ipsi qui videbantur eius esse discipuli, ita perfecti erant & magnifici, vt omnes pænè possent signa facere. Quindecim ergo annorum secessisse eum ad eremum ferebant, (*Quindecim annos natus eremum petit.*) atque ibi cùm quadraginta annis fuisset in exercitiis spiritualibus conuersatus, aiebant vocem Dei ad eum delatam dixisse: Apolloni, per te perdam sapientiam sapientium in Ægypto, & intellectum prudentium reprobabo. Perdes autem mihi & eos qui inter ipsos sunt sapientes Babylonis, & omnem culturam dæmonum subrues. Perges ergo nunc ad loca habitabilia; generabis enim mihi populum substantialem, & perfectum, æmulatorem operum bonorum. At ille respondens ait: Aufer à me, Domine, iactantiam, ne fortè elatus super fratres meos, cadam ab omnibus bonis tuis. Respondit ad eum rursus diuina vox: (*Orans exauditur pro iactantia spiritu à se auferendo.*) Mitte manum tuam ad ceruices tuas, & quod comprehenderis constringe, & sub arenâ obrue. At ille sine morâ iniectâ manu ad ceruices suas apprehendit quasi paruulum quemdam Æthiopem, & continuò submersit eum sub arenâ clamantem & dicentem: Ego sum superbiæ dæmon. Post hæc vox ad eum facta est à Deo dicens: Perge nunc: omnia enim quæcumque à Deo poposceris, consequêris. Ille ergo post hæc perrexit ad ea loca, in quibus homines habitabant. Temporibus autem Iuliani tyranni hæc fiebant.

Fuit autem in locis illis spelunca quædam eremo vicina, in quâ habitare cœpit, indesinenter die ac nocte orationibus vacans, easque centum (vt aiebant) per diem, totidemque noctis tempore curuans genua consignabat Deo. (*Centies die, & nocte centies orat.*) Cibo autem magis cælesti quàm humano vtebatur. Indumentum eius stuppeum collobium erat, quod apud illos lebetes appellatur, & linteum quod collum & caput obuolueret. Quæ tamen indumenta ferebant permansisse ei in deserto numquam veterata. (*Vestitus eius non veterascit.*) Erat ergo in vicino eremi loco, in virtute Spiritus degés, signa & sanitates miras efficiens, quas enarrare pro sui immensitate (sicut ab his qui cum ipso erant, senioribus comperimus) vox nulla sufficiet. Famâ autem magnificâ de eo peruulgatâ, cùm in admiratione omnium quasi propheta aliquis aut apostolus haberi cœpisset, vicinis è regionibus monachi diuersis ex locis conueniebant ad eum, & tamquam pio patri magna munera, suas singuli quique animas offerebant. At ille vnumquemque eorum totâ religione suscipiens, alios ad benè operandum, alios ad benè intelligendum prouocabat: sed & ipse priùs ea ostendebat exemplis, quæ verbis docere cupiebat. Aliis quidem diebus vnumquemque apud semetipsum exercere abstinentiam quam posset sinebat; die verò Dominicâ, gratiâ charitatis, secum omnes cibum sumere hortabatur, cùm tamen ipse solitis abstinentiæ obseruationibus deseruiret, herbis solummodò aut oleribus vtens, nec vsum aut ministerium ignis admittens. (*Die Dominico, charitatis gratiâ, suos ad cibum conuocat.*)

Hic cùm audisset, Iuliani (vt suprà diximus) temporibus fratrem quemdam militiâ comprehensum detineri in carcere, venit ad eum cum fratribus, consolandi gratiâ, & vt moneret eum in necessitate tenere constantiam, atque imminentia contemnere ac deridere pericula: Tempus enim, ait, certandi adest, in quo fidelium mentes tentationibus probandæ sunt & noscendæ. Cumque his & aliis verbis roboraret animos adolescentis, superuênit centurio, & indignatus est, cur introire ausus sit: claues extrinsecus carceris imposuit, ipsumque & omnes quicumque venerant pariter conclusit, quò scilicet etiam ipsi similiter ad militiæ detinerentur officium: (*Incarceratur cum aliis, vt miles fiat.*) constituensque custodes quamplurimos, abscessit. Medio autem noctis astare visus est Angelus ingenti luce resplendens, & obstupefactis perterritisque custodibus, carceris claustra patefecit. (*Diuinitus carceris foribus apertis liberatur.*) Tunc verò ipsi custodes aduoluti pedibus sanctorum, rogabant eos decedere, dicentes, melius sibi esse mori pro

eis,

eis, quàm diuinæ virtuti obsistere, quæ eorum curam gerebat. Manè verò etiam ipse centurio cùm principalibus viris festinus ad carcerem venit, rogans vt discederent omnes qui teneri videbantur. Dicebat enim, domum suam terræmotu magno concidisse, & electos quosque famulorum suorum peremisse. Sancti verò his auditis, hymnum Deo laudesque cecinerunt, & regressi ad eremum, erant in vnum positi, secundùm apostolorum exemplum, habentes animam vnam & cor vnum. *Actor. 4.*

Initiis tentationum obsistendū. Pater autem senior docebat eos vt quotidie proficerent in virtutibus, & insidias diaboli, quas per cogitationes inferret hominibus, in initiis statim retunderent. Sic enim, aiebat, confringetur caput serpentis, & omne eius corpus emortuum reddetur. Ob id enim mandat nobis Deus obseruare caput serpentis, vt omnino statim ab initio nec recipiamus malas & sordidas cogitationes in corde nostro. Quantò ergo magis diffundi non conuenit in sensibus nostris cogitationum phantasias, quas etiam initiò recipi vetat? Sed & illud monebat, vt in virtutibus alter alterum vincat, nec patiatur se vnusquisque inferiorem proximo suo fieri. Hinc autem, dicebat, scietis vos proficere in virtutibus, si nulla vobis passio fuerit erga mundana desideria. Hoc enim est initium donorum Dei. Quòd si etiam ad hoc venerit quis vestrûm, vt & signa & mirabilia faciat, non extollatur pro hoc, neque in cogitatione suâ erigatur tamquam ceteris prælatus, sed nec hoc ipsum hominibus debet ostendere, quòd donum gratiæ huius acceperit; alioquin seducet seipsum, & ipse decipitur, & gratiam perdet. *Signum profectus spiritualis, non affici mundanis desideriis.*

Habebat ergo hanc magnificam verbi Dei doctrinam, sicuti & nos ipsi ex parte fruiti sumus, sed maiorem habebat in operibus gratiam. Omne enim quidquid petisset à Deo, sine morâ consequebatur: sed & reuelationes ei plurimæ ostendebantur. Denique seniorem fratrem suum, qui & ipse in eremo defunctus est, cum quo plurimo tempore egerat vitam perfectam, vidit in somnis in sede Apostolicâ residentem, atque vnum ex ipsis effectum, hereditatem sibi virtutum & gratiæ reliquisse. Cumque etiam pro semetipso oraret, vt velociùs eum Dominus assumeret, & cum ipso sibi requiem præstaret in cælis, responsum est ei à Domino Saluatore, parum adhuc temporis debere eum conuersari, donec vitæ & conuersationis eius plurimi æmulatores existant: populos namque ei plurimos credendos esse monachorum, & exercitum quemdam piorum, vt per hæc dignam pro talibus meritis remunerationem inueniat apud Deum. Hæc autem vt vidit, ita gesta sunt. Conuenerunt enim ex omni loco monachi, famâ & doctrinâ eius inuitati, & præcipue exemplis eius quamplurimi sæculo abrenuntiantes, conuentum quemdam magnificum fecerunt apud eum in supradicto montis loco, communem vitam mensæ vnius vnanimiter conseruantes. Hunc ergo tamquam verè cælestem quemdam & angelicum cernebamus exercitum, in omnibus virtutibus adornatum. Nullus sanè in eis sordidis vtebatur indumentis, sed splendore vestium pariter atque animorum nitebant, ita vt etiam, secundùm Scripturam, lætaretur eremus sitiens, & multi filij eius viderentur in deserto. Quæ quamuis de Ecclesiâ dicta sint, tamen in Ægypti desertis, hæc etiam historicâ relatione completa sunt. Vbi tantæ per vrbes multitudines veniunt ad salutem, quantas Ægypti deserta protulerunt. Quanti populi habentur in vrbibus, tantæ pænè habentur in desertis multitudines monachorum. Vnde mihi videtur etiam Apostoli dictum in eis esse completum: Quòd vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia. Abundauit enim aliquando immundus idolorum cultus in Ægypto sicut in nullo vmquam gentium. Canes enim & simias atque alia portenta venerati sunt. Allia quoque & cepas, & nonnulla olerum, deos credebant, sicut ab ipso patre Apollonio narrante didicimus, caussam etiam nobis priscæ eorum superstitionis hoc modo exponente. Bouem quidem deum crediderunt aliquando Ægyptij, pro eo quòd per ipsum rura excolentes victum cibumque capiebant. Sed & aquam Nili, pro eo quòd vniuersas rigabat Ægypti regiones, venerabantur. Colebant quoque & terram, vtpote vberiorem ceteris terris. Canes etiam, vt suprà diximus, & simias, ac diuersa herbarum genera atque olerum colebant, pro eo quòd occasionem sibi salutis per hæc venisse opinabantur temporibus Pharaonis. Circa hæc enim singula occupatio eis exorta videbatur, cùm ille patres nostros persequens submersus est, & vnusquisque id per quod occupari visus est vti ne Pharaonem sequeretur, hoc sibi reputauit deum, dicens: Quia hoc mihi deus fuit hodie, vt non sequerer Pharaonem, & simul cum eo demergerer. *Quod à Deo petit, consequitur.* *Apollonius.* *Multi cœnobiticè apud eum viuunt.* *Vestium munditiei.* *Isaiæ 35.* *In Aegypto monachorū fertilitas.* *Rom. 5.* *Aegyptus idolorum officina.* *Origo diuersitatem idololatriæ in Aegypto.*

Hæc ergo erant verba sancti Apollonij. Sed multò magis illa scribi oportet, quæ in operibus & virtutibus habuit. Erant aliquando in circuitu eius positi decem circiter gentilium vici, apud quos dæmonica superstitio summo studio colebatur. Tem-

Simulacrũ idoli, pro pluuiâ impetrandâ circumfertur.

plum enim erat ibi amplissimum, atque in eo simulacrum, quod moris erat circumferri à sacerdotibus bacchantium ritu, cum reliquâ multitudine circumeuntibus, & quasi pro aquis pluuialibus profana mysteria peragentibus. Contigit autem sub eo tempore, quo huiusmodi ab eis orgia gerebantur, iter agere beatum Apollonium per ipsa loca cum aliquantis fratribus. Et cum vidisset infelicium turbas quasi dæmone quodam agi, bacchari que per campos, miseratus errorem eorum, fixis genibus inuocauit Dominum & Saluatorem nostrum;& omnes eos qui cærimoniis dæmoniacis agebantur, cum simulacro suo stare fecit immobiles, ne progredi omnino vsquam possent. Atque ita per totam diem rapidissimis adusti æstibus permanserunt, ignorantes vnde eis hærere vno in loco immobiliter contigisset. Tunc sacerdotes eorum dicebant, esse quemdam Christianum in regionibus vicinæ eremi commanentem, Apollonium nomine, & ipsius esse hæc opera; qui nisi esset exoratus, sibi periculum permansurum. Vt autem ad rei tantæ miraculum conuenerunt vndique qui audierant, & percontantes quæ tanti caussa existeret monstri, ignorare se penitùs fatebantur: suspicionem tamen dari sibi dicunt supradicti viri, quem & exorari pro se deposcunt. Tunc quidam ex illis, verè eos opinari aiunt, nam & vidisse se eum illo itinere prætereuntem confirmabant, & tamen adhibere quæ putabant prodesse auxilia non morantur. Adducunt boues, quorum virtute videretur posse moueri simulacrum. Sed cùm nec sic quidem aliquid profecissent, omni auxilio frustrati, legatos ad hominem Dei mittunt, pollicentes, vt si eos resoluat his vinculis, pariter quoque erroris in eis vincula dissolueret. Hæc vbi nuntiata sunt ei, sine morâ descendit ad eos, & oratione solâ ad Deum fusâ omnes resoluit. At illi sine dilatione vnanimiter omnes confugiunt ad eum, salutari Deo nostro credentes, & gratias referentes. Simulacrum verò quod erat ligneum, continuò tradunt igni. Ipsi autem secuti hominem Dei, atque edocti ab eo fidem Domini, Ecclesiæ Dei sociati sunt. Plurimi verò ex ipsis cum ipso permanserunt, & etiam nunc in monasteriis degunt. Facti tamen huius mirabilis fama vbique diffusa est, & multi pro hoc ad fidem Domini conuertebantur, ita vt in omnibus illis regionibus nullus iam pænè gentilium remanserit.

Apollonius orans omnes facit immobiles.

Oratione liberati ad Christum conuertuntur.

Post aliquantum autem temporis, certamen erat de finibus inter duos vicos. Hoc cùm nuntiatum fuisset homini Dei, festinans descendit ad eos pacis gratiâ. Sed illi furore contentionis incensi, nullo genere ad pacis consilium flectebantur, maximè quòd vnius partis populus plurimum fiduciæ in viribus cuiusdam latronis gerebat, qui ipsius certaminis signifer videbatur. Hunc cùm videret Apollonius paci resistentem, dicit ad eum: Si mihi, ô amice, acquiescere volueris ad pacem, rogabo Deum meum, & remittet tibi peccata tua. At ille cùm audisset, nihil omnino distulit, sed genibus eius prouolutus supplicabat ei. Tunc deinde conuersus ad turbas, quæ eum secutæ fuerant, fecit omnes cum pace decedere. Quibus secedentibus, ipse permansit cum homine Dei, expetens ab eo promissum. Tunc verò Apollonius assumens eum, & cum ipso iter agens ad monasteria, docebat eum mutare debere ordinem vitæ, & patienter à Deo quærere misericordiã, promissionem ex fide exspectare, omnia enim possibilia dicebat esse credenti. Cumq; noctis tempore simul in monasterio requieuissent, per visum ambo vident se esse in cælis, & assistere ante tribunal Christi: vident etiã angelos Dei, & Sanctos quosque adorantes Dominum: & cùm hæc videntes, etiam ipsi adorassent Deum, vox Dei defertur ad eos, dicens: Licet nulla sit communio luci & tenebris, nec sit aliqua portio fideli cum infideli; tamen donatur tibi salus istius, pro quo supplicasti, Apolloni. Sed & alia multa cùm audissent in cælesti visione positi, quæ neque sermo enarrare sufficit, neque auris audire, surrexerunt à somno, & quæ viderant fratribus indicarunt. Admiratio autem ingens esse cœpit, cùm vnum atque idem somnium vterque narraret. Permansit autem cum fratribus latro ille iam sanctus, vitam suam moresque ad omnem innocentiam pietatemque commutans, tamquam in agnum conuersus ex lupo, vt in eo plenissimè compleri videretur prophetia Isaiæ dicentis: Lupi cum agnis pascentur, & leo & bos simul paleis pascentur. Vidimus ibi quosdam etiam gentis Æthiopum viros cum monachis viuentes, & multos ex ceteris monachis in obseruantiâ religionis & virtute animi præcellentes, vt & in ipsis compleri videatur Scriptura, quæ dicit: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Latronem ad vitæ melioris viam reuocat.

Marci 9.

Apollonij & latronis visio.

1. Cor. 6.

Isaiæ 11.

Psal. 67.

Adhuc autem in gestis sancti Apollonij ferebatur hoc. Lis quodam tempore dicebatur exorta inter duos vicos, quorum vnus Christianorum, alter gentilium fuit. Procedunt ex vtraque parte armatorum turbæ plurimæ. Accidit autem vt sanctus Apollonius superueniret. Cumque eos hortaretur ad pacem, quidam eorum qui inter genti-

gentiles quasi caput erat & caussa belli illius, homo truculentus & ferus, obsistebat ei vehementer, dicens, non se permittere fieri pacem, vsque ad mortem suam. Tunc ille: Fiat (inquit) vt optas. nullus enim alius præter te perimetur, sed & congruum honori tuo tibi sepulcrum fiet, non terra, sed bestiarum ac vulturum ventres. Et continuò sermo eius efficitur verus. nullus enim alius ex vtraque parte nisi solus ipse cecidit. Quem cùm sub arenâ obruissent, manè regressi, inuenerunt à bestiis effossum laniatumque, atque à vulturibus deuoratum. Cumque omnes admirationem habuissent, quòd sermo hominis Dei ita fuisset impletus, conuersi sunt omnes ad fidem Saluatoris Domini, & Apollonium prophetam Dei prædicabant.

Apollonij prædictio.

Vicani ad fidem conuertuntur.

Sed & hoc nos non effugiat, quod ab eo primis adhuc diebus (quibus in speluncâ habitare cum paucis fratribus cœperat) factum didicimus. Dies sanctus aderat Paschæ, & cùm sollemnitas vigiliarum Sacramentorumque intra speluncam fuisset expleta, atq; ex his quæ fuerant apud eos refectio pararetur: erant autem eis pauci tantummodò & sicci panes, atque olera ex his quæ sale aspersa reponi apud eos solent. Tum Apollonius fratres qui secum erant alloqui ita cœpit: Si est in nobis fides, & verè fideles sumus famuli Christi, petat vnusquisque nostrûm à Deo, si quid quasi in die festo sumere libenter habet. At illi ipsi potiùs (qui eos ætate & meritis præcelleret) hæc à Deo poscenda permittunt, semetipsos inferiores huius gratiæ indicantes. Tum ille cum omni alacritate orationem fudit ad Deum: quâ expletâ, cùm omnes respondissent, Amen; ecce repentè ante fores speluncæ astare vident homines quosdam sibi penitus ignotos, quique tam multas copias rerum omnium, quæ ad vsus dumtaxat ciborum pertinent, detulerunt, vt neque tam multa, neque tam diuersa, tam facilè quisquam viderit, in quibus erant quædam quæ omnino in Ægypti regionibus numquam visa sunt pomorum genera, & magnitudo incredibilis vuæ, nuces, ficus, mala quoque punica, & ante tempus omnia, faui, atque mellis, & lactis copia. [11] Nicolai etiam ingentes, & panes calidi & mundissimi, qui tamen peregrinæ esse viderentur prouinciæ. Viri verò qui hæc detulerant, statim vt tradiderunt, quasi festinanter ad eum, à quo missi fuerant, redire cupientes, mox discedunt. Tum ipsi monachi gratias Domino referentes, ex his quæ sibi fuerant delata, vesci cœperunt. Quorum copia tanta fuit, vt vsque ad diem Pentecostem quotidie ministrata sufficerent, certi quòd hæc sibi à Deo sollemnitatis gratiâ missa sint.

In die Pascha fratribus ciborum varietatem Apollonius impetrat.

Comperimus etiam hoc, quòd quidam ex fratribus, cui deerat humilitatis & mansuetudinis gratia, poposcit ab eo vt peteret à Domino, vt & sibi donaretur hoc munus; orante illo tanta in eum gratia mansuetudinis & humilitatis aduenit, vt omnes fratres stuperent de tranquillitate animi eius & modestiâ, in quo priùs nihil horum viderant.

Gratiam humilitatis & mansuetudinis cuidam impetrat.

Orta est aliquando fames apud Thebaidam. Scientes autem habitatores terræ illius, quòd monachi, qui cum Apollonio Domino seruiebant, frequenter etiam sine cibo per gratiam Domini pascebantur, omnes simul cum vxoribus & filiis pergunt ad eum, cibum simul benedictionemque poscentes. At ille nihil dubitans, proferre cœpit ex his, quæ ad vsum fratrum reposita erant, & dare singulis copiosè. Cùm verò tres solæ panum sportæ remansissent, fames autem populos vehementer vrgeret, iubet proferri in medium sportas, quæ solæ superfuerant, vnius diei victum monachis præbituræ, & in auditu totius populi, qui famis necessitate confluxerat, eleuatis ad Deum manibus ait: Numquid non valet manus Domini multiplicare hæc? Sic dicit Spiritus sanctus: Non deficiet panis in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus nouis: & vt plurimi ex his, qui tunc in præsenti fuerant, confirmabant, quatuor continuis mensibus nec cessatum est vmquam erogari panis ex sportis, neque deesse potuit aliquando. Similiter autem & alio tempore fecisse eum de frumenti & olei specie perhibebant. Quibus virtutibus motus diabolus dixisse ad eum fertur: Numquid Elias es tu, aut alius aliquis prophetarum vel apostolorum, quòd hæc facere ausus es? At ille respondens ei, dixit: Quid enim? Nónne & prophetæ & apostoli homines erant, qui nobis & fidem suam & gratiam tradiderunt? Aut tunc Deus præsens erat, nunc verò absens est? Absit: Deus omnipotens est, & quæ potest, semper potest. Si ergo Deus bonus est, tu diabole, quare tam malus es? Hæc, vt suprà iam diximus, à senioribus, viris religiosis & sanctis per eum gesta esse, fidâ narratione comperimus. Et quamuis eorum fidelis sit habenda relatio, maiorum tamen fidem rerum per eum præstitit Dominus etiam hoc quod nos ipsi oculis nostris inspeximus. Plenas enim sportas panibus deferri vidimus ad vacuas mensas: & cùm replerentur panibus mensæ, atque ad omnem satietatem consumerentur, plenæ nihilominùs recolligebantur.

Oratione panes in dies plurimos multiplicat.

Visa narrat auctor.

Aliud quoque quod apud eum mirum vidimus, non silebo. Tres eramus nos fratres, cùm venimus ad eum, & ecce longè adhuc nobis positis ab eius monasterio, occurrerunt nobis fratres, qui ab ipso ante triduum audierant de aduentu nostro; occurrerunt autem nobis cum psalmis. Hoc enim moris est eis facere in aduentu omnium monachorum. Et adorantes in facies suas vsque ad terram, osculabantur nos, atque ostendentes nos sibi inuicem dicebant: Isti sunt fratres, de quorum aduentu ante triduum nobis pater Apollonius prædixerat, dicens, post triduum affuturos tres fratres de Ierosolymis venientes. Alij ergo ex fratribus præcedebant nos, alij sequebantur, vtraque tamen turma psallebat. Vbi autem appropinquare iam cœpimus, auditâ voce psalmi, etiam ipse sanctus Apollonius procedit in occursum. Et vt vidit nos, statim prior adorauit vsque ad terram, & surgens osculo nos suscepit. Vbi autem ingressi sumus monasterium, oratione priùs (vt moris est) datâ, pedes nostros propriis manibus lauat, & cetera quæ ad requiem corporis pertinent adimpleuit. Hæc autem facere ei moris erat omnibus aduentantibus. Consuetudo autem erat apud eum, vt fratres qui cum ipso erant, non priùs cibum sumerent, quàm Communionē Dominicam perciperent circa horam diei nònam, & post hoc interdum sic vsque ad vesperam permanebant, dum verbum Dei audientes, de mandatis Domini adimplendis sine intermissione docebantur. Post hæc iam cibo sumpto, alij ipsorum ad eremum secedebant, per totam noctem Scripturas diuinas memoriter recolentes, alij in eodem loco ad quem conuenerant permanebant, & vsque ad lucem in hymnis & laudibus Dei peruigiles perdurabant, sicut & ego ipse præsens vidi. Aliquanti verò ex ipsis circa horam nonam, cùm descendissent de monte, perceptâ gratiâ Domini statim discedebant, solo hoc spiritali cibo contenti: & hoc faciebant per plurimos dies. Supra modum autem lætitia & gaudium inerat eis, & tanta exultatio, quanta haberi ab vllo hominum non possit in terris. Nullus in eis tristis omnino inueniebatur, sed & si aliquis visus fuisset aliquantulùm mœstior, statim pater Apollonius caussam mœstitiæ perquirebat. Frequenter autem etiam, si aliquis occultare voluisset, ipse enuntiabat quid lateret in corde, ita vt is qui patiebatur agnosceret. Monebat ergo eos dicens, non oportere prorsus inesse tristitiam his quibus salus in Deo est, & spes in regno cælorum. Tristentur, aiebat, gentiles, & lugeant Iudæi, plangant sine cessatione peccatores, iusti verò lætentur. Nam si hi qui terrena diligunt, super fragilibus & caducis rebus lætantur; nos qui tantæ gloriæ spem, & æternitatis habemus exspectationem, cur non omni exultatione lætemur? Aut non & Apostolus nos ita monet dicens? Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Sed quis possit doctrinam eius, & verborum gratiam sufficienter exponere? Vnde silere de his melius censeo, quàm parùm dignè proloqui.

Futura prænuntiat Apollonius.

Hospites adorat, osculo excipit, eorum pedes lauat.

Communionem Dominicam ante cibum sumunt.

Gaudium spiritale anachoretarum.

Quare tristitia à iustis facessere debeat.

1. Thess. 5.

Multa enim nobis beatus Apollonius etiam secretiùs de ratione abstinentiæ, & conuersationis integritate, multa etiam de hospitalitatis studio disserebat, & præcipiebat attentiùs, vt aduentantes fratres quasi Domini suscipiamus aduentum. Nam & adorari fratres aduentantes propterea (inquit) traditio habetur, vt certum sit, in aduentu eorum aduentum Domini Iesu haberi, qui dicit: Hospes fui, & suscepistis me. Sic enim & Abraham suscepit eos qui homines quidem videbantur, Dominus autem in eis intelligebatur. Interdum autem etiam contra voluntatem cogere fratres ad corporalem requiem sancti Lot exemplum proponebat, qui Angelos vi compulsos ad hospitium domus suæ perduxit. Sed & hoc monebat, vt (si fieri posset) quotidie monachi communicarent mysteriis Christi, ne forte qui se longè facit ab his, longè fiat à Deo: qui autem frequentiùs hæc suscepit, frequentiùs ipsum videatur suscipere Saluatorem, quia & ipse Saluator ita dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Sed & ipsa commemoratio Dominicæ passionis, cùm assiduè fit à monachis, plurimum vtilitatis eis confert ad exemplum patientiæ. Sed & commonitio datur per hæc, vt studeat vnusquisque ita semper paratus inueniri, ne indignus Dominicis mysteriis habeatur. Addebat autem his, quòd etiam remissio peccatorum per hæc credentibus detur.

[Ieiunia sanè legitima, id est, quartâ & sextâ feriâ, monebat non esse soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fieret, quia quartâ feriâ Iudas de traditione Domini cogitauerat, & sextâ feriâ crucifixus fit Saluator. Videbitur ergo qui his diebus sine aliquâ necessitate soluit statuta ieiunia, vel cum tradente tradere Saluatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.] Dicebat ergo, vt si forte in diebus supradictis superuenerit aliquis fratrum, si quidem ante horam nonam itineris caussâ velit reficere, ponendam

Quæ traditio, fratres aduentantes adorandi.

Matth. 25.

Gen. 18.

Ibid. 19.

Hospites quandoq. cogendi.

Quotidianam Communionem suadet.

Ioan. 6.

Remissio peccatorū per Communionē.

Virgulis inclusa habentur Decreti 3. parte, dist. 5. de Consecrat. c. 16.

Cur quartâ & sextâ feriâ ieiunandum.

Hospiti eius ieiunij indulgētia permittitur.

dam ei esse mensam soli: quòd si nolit, non eum esse cogendum: communis namque huius obseruantiæ traditio est. Culpabat sanè valdè eos, qui vel comam capitis nutriunt, vel ferrum in collo circumferunt, vel aliquid tale, quod ad ostentationem hominum fieri videatur, gerunt: Certum est enim, inquit, quòd isti ab hominibus laudem quærunt, & ostentationis caussâ hæc faciant, cùm mandatum sit, etiam ieiunia ipsa in occulto esse celebranda, vt Deo soli sint cognita, qui videt quod in occulto fit, & reddit in palàm. Sed vt videtur, isti non sunt contenti eius testimonio & remuneratione, qui videt in occulto, sed manifestari isti apud homines volunt. Omnis enim abstinentiæ ratio in occulto habenda est, & vt corpus ieiuniis fatigetur, & tamen non apud homines iactantia, sed Domini retributio quæratur.

Vana gloria fugienda, nec nouis artibus venanda.

Matth. 6.

Hæc & multa alia nobis de conuersatione monachorum per totam differens dierum septimanam, & fidem doctrinæ gestorum suorum auctoritate confirmans, vbi proficisci cœpimus ab eo, producens nos aliquantulum monebat, dicens: Ante omnia, dilectissimi, pacem habetote inter vos, nolite ab inuicem separari. Tunc conuersus ad fratres, qui simul cum eo producentes nos aderant, dixit: Quis vestrûm, fratres, promptus est deducere eos vsque ad vicina patrum monasteria? Et cùm pænè omnes promptissimè semetipsos obtulissent, & progredi nobiscum vellent, ipse sanctus pater Apollonius elegit ex omnibus tres, qui & Græcam linguam, * & Ægyptiam benè nossent, vt sicubi necessarium fuisset interpretarentur nobis, quique & in collocutionibus suis ædificare nos possent. Mittens ergo eos nobiscum præcepit, ne priùs à nobis discederent, quàm omnes patres, atque omnia quæ vellemus monasteria videremus; quamuis omnes circuire nemo sufficiat. Benedicens ergo nos dimisit, atque in hæc verba benedictionem dedit: Benedicat vos Dominus ex Sion, & videatis quæ bona sunt Ierusalem, omnibus diebus vitæ vestræ.

Pacem digredientibus hospitibus commendat.

* *Palladius interserit* & Romanam.

Psal. 127.

DE [22] AMMONE.

CAP. VIII

Pallad. cap. 52. circa finẽ.

QVÆ audiuimus de Ammone quodam sancto viro, cuius etiam locum in quo habitauerat, vidimus in deserto, omittenda non credidi. Igitur digressi à beato Apollonio, cùm progrederemur ad partem deserti contra Meridianum, vidimus per arenam vestigia tractus draconis ingentis, cuius tanta magnitudo apparebat, quasi trabes aliqua per arenam ducta videretur. Quod vt vidimus, ingenti terrore perculsi sumus. Fratres autem qui nos deducebant, hortabantur nos nihil omnino formidare, sed magis fiduciam capere, & per vestigium sequi draconem: Videbitis enim, inquiunt, quantum valeat fides, cùm à nobis eum videritis extingui. Multos enim & dracones, & angues, & cornutas manibus nostris peremimus; sic enim scriptum legimus: Quia credentibus in se cóncedit Saluator calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Sed illis hæc dicentibus, nos præ infidelitatis fragilitate magis magísque metuebamus, & rogabamus eos ne vellent sequi draconis vestigia, sed potiùs vt recto itinere pergeremus. Vnus tamen ex ipsis alacritate impatiens insecutus est draconem. Et cùm non longè inuenisset eius speluncam, clamabat nos vt iremus ad eum, & videremus exitum rei. Quidam tamen ex fratribus occurrit nobis, qui in vicinâ eremo habitabat, & prohibuit nos sequi draconem, dicens, non posse nos nec aspectum eius tolerare, præcipuè quia tale aliquid in vsu non habuimus videndi: se verò dicebat frequenter vidisse ipsam bestiam vastitatis incredibilis, & habere in longitudine quindecim cubitos. Cumque nos ad locum dehortatus esset accedere, ipse properans, fratrem qui illic nos opperiebatur paratus ad perimendam bestiam, abstraxit, secumque reuocauit, & nolentem discedere nisi extingueret eam, multâ prece deflexit. Qui cùm venisset ad nos, ignauiam nostram infidelitatemque redarguit.

Fides monachorum ad extinguendum ingentem draconem.

Lucæ 10.

Peruenientes autem ad cellulam illius, cum multâ dilectione suscepti ab eo requieuimus. Ille verò narrabat nobis, quòd in illo loco vbi ipse commanebat, quidam fuit vir sanctus, cuius ipse esset discipulus, Ammon nomine, per quem plurimas virtutes fecisset Dominus. Inter cetera igitur etiam hoc de eo narrabat:

Palladio cap. 53. dicitur *Amun.*

Frequenter, inquit, veniebant ad eum latrones, panem, quo solo vescebatur, auferentes ei, & si quid erat quod ad victum suum continentissimum repositum videbatur. Cumque frequenter ab his molestiam pateretur, quadam die processit ad eremum, & inde rediens duos dracones ingentes secum comitari iussit, atque ad ostium monasterij sui manere eis præcepit, ingressumque seruare. Veniunt ex more latrones, videntes qui essent custodes in limine, & vt viderunt dracones, exanimes & amentes effecti, obmutuerunt, & statim conciderunt. Quod vbi senior sensit, egres-

Latrones Ammonem annonâ suâ spoliant.

Defenditur Ammon à draconibus.

egressus inuenit eos semineces, & accedens atque erigens, increpabat eos, dicens: Cernitis quantum vos duriores bestiis estis: illæ enim nobis propter Deum obediunt, vos autem nec Deum timetis, nec vitam seruorum Dei inquietare erubescitis. Verumtamen introducens eos in cellam, posuit eis mensam, & iubet vt perciperent cibum. Illi verò corde compuncti, & ab omni mentis suæ immanitate conuersi, multis qui priùs Domino seruire cœperant, in breui meliores fiunt. In tantum enim per pœnitentiam profecerunt, vt post non multum temporis, etiam ipsi eadem facerent signa, easdemque virtutes.

Latrones conuertuntur.

Alio prætereà tempore, immanissimo quodam dracone vicinas vastante regiones, & plurimos perimente, venerunt habitatores loci illius ad suprà dictum patrem, orantes eum, vt de regionibus suis perimeret bestiam: simul etiam, vt ad misericordiam flecterent senem, puerum quemdam pastoris filium secum deferunt, qui solo visu draconis exterritus mente exciderat, & ab solo halitu bestiæ exanimis portabatur ac turgens. Tunc ille puerum quidem perungens oleo, restituit sanum. Semetipsum verò ad necem draconis instigans, illis interim, quasi qui nihil eos posset iuuare, promittere nihil voluit. Maturè autem surgens abiit ad digressus bestiæ, & fixit genua sua in terram deprecans Dominum. Tunc bestia cum ingenti impetu venire super eum cœpit, teterrimis flatibus, ac sibilis stridoribusque præmissis. At ille nihil horum metuens, conuersus ad draconem dixit: Perimat te Christus Filius Dei, qui perempturus est cetum magnum. Et vbi hæc senior dixit, statim dirissimus draco omne simul cum spiritu euomens venenum, disruptus crepuit medius. Cùm autem conuenissent finitimi habitatores, & cum facto miraculo obstupescerent, fœtoris vehementiam non ferentes, congregauerunt super eum arenæ moles immensas, astante tamen ibidem patre Ammone, quia nec sic quidem, cùm mortua fuisset bestia, sine ipso appropinquare ei audebant.

Puerum exanimem oleo sanat.

Draconem immanem prece perimit.

Isaiæ 26.

CAP. IX.

DE COPRETE PRESB. ET PATERMVTIO.

Pallad. cap. 54.

ERAT quidam presbyter, Copres nomine, in ipsâ eremo habens monasterium, vir sanctus, annorum circiter octoginta, & ipse multas virtutes faciens, languores curans, & efficiens sanitates, sed & dæmones fugans, & multa mirabilia faciens. Ex quibus nonnulla etiam in nostri præsentiâ effecit. Is ergo cùm vidisset nos, & osculo salutasset, atque ex more post orationem etiam pedes lauisset, requirebat à nobis, quæ gererentur in sæculo. Nos autem rogabamus eum, vt ipse magis nobis de suis gestis aliqua narraret, & ex quibus actibus, quibúsve meritis Dominus ei tantam gratiam contulisset, exponeret. At ille nihil dedignatus est, & suæ vitæ, & priorum suorum narrare nobis ordinem cœpit, quos tamen longè illustriores fuisse perhibebat, seque ipsorum exempla vix parua sectari. Dicebat ergo: Nihil magni est, ô filioli, quod in nobis videtis, ad comparationem sanctorum patrum.

Copres hospitalitatis cultor.

Erat enim quidam ante nos vir nobilissimus, Pater nomine Mutius. Hic fuit primus in hoc loco monachus, & in omni hac eremo viam salutis omnibus nobis primus ostendit. Hic autem primò gentilis fuit, latronum maximus, & sepulcrorum violator, atque in omnibus flagitiis opinatissimus; ad quem tali ex modo occasio salutis aduenit: Nocte quadam ad domum cuiusdam virginis Deo sacratæ exspoliandi causâ perrexit: cumque machinis quibusdam, quæ huiusmodi artificibus satis notæ sunt, domus eius tecta conscendisset, quærens quali arte vel quo aditu ad penetralia eius irreperet, difficultate perpetrandi operis innexus, plurimum noctis tempus in tectis positus, sine vllo transegit effectu. Post multos verò animi conatus frustrà adhibitos, veluti fessus, somno opprimitur, & per visum assistere sibi videt quemdam regio habitu, dicentem: Desine iam ab his flagitiis, & ab effusione humani sanguinis cessa, atque ab execrabilibus furtis ad laborem religiosum conuerte vigilias, & suscipe cœlestem angelicamque militiam, atque ex hoc iam animi virtutibus viue, & ego te huius militiæ ducem atque principem faciam. At ille cùm gratulanter, quæ sibi offerebantur, audisset, ostenditur ei exercitus monachorum, & principatum super eos iubetur tenere. In his euigilans, astantem videt sibi virginem, & requirentem, quis, aut vnde, vel cur illuc aduenisset. At ille quasi amens effectus, nihil ei respondit, sed tantùm vt ecclesiam sibi ostenderet rogat. Illa verò cùm intellexisset, esse in se aliquid operis diuini, hominem perducit ad ecclesiam, ac presbyteris offert. Ad quorum ille vestigia proruens, rogabat Christianum se fieri, & illicò sibi pœnitentiam dari. Presbyteri verò, qui cognoscebant virum hunc esse omnium flagitiorum principem, mirabantur si hæc vera loqueretur. Et cùm perseuerantiâ sui fidem rei fecisset, monent eum, vt si hæc vellet, illa peni-

Hæc de Patermutio desunt Palladio Latino. Sunt in excerptis Græcis Biblioth. Augustanæ.

Patermutij monachi acta.

Latro fuit.

Diuinitus in actu latrocinandi positus conuertitur.

Ad ecclesiam deduci postulat.

Baptizatur.

penitùs omitteret. Dehinc cùm religionis initia suscepisset, orat sibi præcepta dari, quibus viam salutis deberet incedere. At illi tres ei primi psalmi versiculos tradunt. Quibus ille diligenter consideratis, sufficere sibi ait eos ad viam salutis, & scientiam pietatis. Tribusque diebus permanens apud eos, ad eremum proficiscitur, vbi plurimo tempore demoratus, & die ac nocte in oratione cum lacrymis perdurans, cibum ex radicibus accipiebat herbarum.

Tribus primi psalmi versiculis instructus ad eremum abit.

Radicibus herbarum victitat.

Regressus autem ad ecclesiam, tres versiculos psalmi quos à presbyteris perceperat, non solùm verbis, sed & rebus atque operibus reddidit. Presbyteri verò mirabantur, quòd subitò conuersus, acerrimam statim ingerit sibi abstinentiam: & instruentes eum pleniùs diuinis Scripturis, hortabantur secum demorari. At ille ne videretur esse inobediens, vnam apud eos exigens hebdomadam, rursus pergit ad eremum, atque ibi per septem continuos annos in omni abstinentiâ degens, plenitudinem gratiæ consequitur à Domino, ita vt pænè omnes Scripturas memoriter teneret. Panem verò Dominicâ tantùm die sumebat, & hunc diuinitus delatum. Nam cùm oraret, surgens ab oratione inueniebat panem positum, quem nemo hominum detulerat. Hunc vbi cum gratiarum actione sumpsisset, sufficiebat vsque ad alteram Dominicam diem.

Post septem annorum abstinentiam Scripturas diuinitus didicit.

Dominico die pane cælitus allato pascitur.

Post multum verò temporis iterùm regressus à deserto, exemplo abstinentiæ suæ quamplurimos ad imitationem sui inuitauit: inter quos accessit ad eum adolescens quidam, cupiens eius esse discipulus. Cui ille cùm habitum monachorum, hoc est,
25 lebetam, & cucullam, ac melotem, quæ est caprina pellis, imposuisset, docere eum de ceteris monachorum institutionibus cœpit. Multâ tamen cum sollicitudine curabat, sicubi Christianorum quis fuisset defunctus, vt sepeliret eum. Quem cùm vidisset adolescens ille discipulus suus summâ cum diligentiâ mortuis indumenta aptantem, dicit ad eum: Vellem vt & me mortuum ita indueres ac sepelires, magister. At ille ait: Ita faciam, fili mi, & tam copiosè te induam, donec dicas: Sufficit. Post non multum verò temporis defunctus est adolescens, & prædictus sermo completur. Cùm enim plurima ei circumdedisset indumenta, ait ad eum coram omnibus: Sufficiunt tibi hæc ad sepulturam, filiole, an adhuc vis vt aliquid addamus? Tunc defunctus vocem cunctis audientibus emisit, obuelatâ iam facie, vultuque constricto, & dixit: Sufficit, pater; implesti quod promiseras. Obstupuerunt autem qui præsentes aderant, & admirati sunt valdè super tam mirabili facto eius. At ille sepulto adolescente, continuò ad eremum redijt, summo studio iactantiam declinans.

Studium eius mortuos sepeliendi.

A mortuo discipulo responsum audit.

Quodam autem tempore iterùm de eremo venit ad visitandos fratres, quos ipse instituerat. Et cùm quidam ex eis in extremis ageret, reuelatum est ei à Domino, quòd esset moriturus. Hora autem iam erat ad vesperam declinans: festinabat ergo, vt eum videre posset. Vicus autem vbi decumbebat æger, longo adhuc aberat spatio, & nolens noctu introire vicum, simul & Saluatoris sermonem intra semetipsum meditans, quo dixit: Ambulate dum adhuc lucet, ne vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in luce, non offendit. Et cùm videret iam solem demergi, ait ad eum: In nomine Domini nostri Iesu Christi sta paulisper in itinere tuo, & exspecta me donec ad vicum perueniam. At ille cùm aliquâ iam mergi cœpisset ex parte, restitit, nec priùs occubuit, quàm homo Dei perueniret ad vicum. Hoc autem manifestum factum est omnibus illis qui ibidem consistebant. Stantes enim & intuentes moras solis in occasum, mirabantur omnes quid sibi vellet hoc, quòd tot horis in occasum suum non descenderet sol. Videntes autem Patrem-Mutium de eremo venientem, quærebant ab eo, quid hoc esset signi quod ostenderat sol. At ille respondit eis: Non meministis vocem Domini & Saluatoris nostri dicentem: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, maiora horum signa facietis? At illi cùm intellexissent, ad eius fidem solem stetisse, timore magno exterriti sunt, plurimique eorum iunxerunt se ei discipulos, & sequi eum cœperunt. Cùm ergo ingressus fuisset domum illius fratris, pro quo festinauerat, & inuenisset eum iam defunctum, oratione factâ, accedens ad lectulum osculatus est eum, & ait: Quid magis desiderij habes, frater; abire, & esse cum Christo, an permanere in carne? Tunc ille recuperato spiritu paululùm resedit, & ait ad eum: Quid me reuocas, pater? melius enim est mihi redire, & esse cum Christo: permanere autem in carne, mihi necessarium non est. Cui dixit: Dormi ergo in pace, fili, & ora pro me. At ille continuò reclinans se in lectulo, dormiuit. Hi autem qui aderant, obstupuerunt, dicentes: Verè Dei homo est hic. Tunc ille induit adolescentem, vt sibi moris erat, satis decorè, & totam noctem psalmis hymnisque peruigilem ducens, honestè iuuenem tradidit sepulturæ.

Ioan. 12.

Ioan. 11.

Solem sistit, ne noctu ambulet.

Matth. 17.

Osculatus mortuum, ab eo de vita desiderio responsum exposcit.

Eius orationibus se commẽdat.

Decenter mortuum sepeliendum vestit.

Alium

Copres et Patermut.

Alium autem fratrem cùm visitasset decumbentem, vbi vidit eum quietem mortis difficulter accipere, & grauiter conscientiæ suæ metu redargui, ait ad eum: Cur imparatus es, fili, ad profectionem? accusatrix, vt video, ignauiæ tuæ tecum pergit conscientia. Tunc ille exorabat eum, dicens: Obsecro te, pater, intercede pro me apud Deum, vt mihi parui temporis spatium largiatur, quo possim emendare vitam meam. At ille dixit ad eum: Nunc spatium pœnitentiæ requiris, vbi vitæ tempus implesti? Quid faciebas in omni hoc vitæ tuæ tempore? Non potuisti vulnera tua curare? Quinimò & recentiora semper addebas. At ille cùm permaneret exorans, ait ad eum senex: Si vltrà non addas malis tuis mala, orabimus pro te Deum. Bonus est enim & patiens, & indulget tibi parum aliquid temporis vitæ, vt omnia debita tua persoluas. Et cùm post hæc orasset Deum, surgens de oratione, ait ad eum: Ecce tres annos Dominus tibi concessit in hac vitâ; tantùm, vt ex animo ad pœnitentiam conuertaris. Et apprehensâ manu eius, eleuauit eum de lecto. At ille surgens, sine aliquâ dilatione secutus est eum in desertum. Et vbi completi sunt tres anni, posteà reuocabat eum ad locum, vnde eum assumpserat, iam non quasi hominem, sed quasi Angelum ex homine Deo consignans, ita vt omnes mirarentur de conuersatione eius. Cumque conuenissent ad eum fratres plurimi, statuit eum in medio, atque ex ipso materiam sumens, per totam noctem doctrinam de fructibus pœnitentiæ & conuersionis eius produxit ad fratres. Ipso verò sermonem faciente, quasi dormitare frater ille cœpit paululùm, & continuò in perpetuum quieuit. Tunc factâ oratione super eum, & omnibus quæ ad sepulturam pertinent, ex more completis, ad eremum properanter abscedit.

Inducias morituro imprparato impetrat.

Frequenter autem & Nilum fluuium hunc immanem pedibus transiuit, aquam vsque ad genua habens.

Pedes Nilum trāsit.

Alio tempore clausis ostiis, fratribusque in superioribus solariis sedentibus, ipse ingressus est ad eos, & frequenter ad quemcumque locum voluit, quamuis longè positum, intra momentum temporis euectus est.

Ianuis clausis ad fratres ingreditur.

*Hîc in Græco textu apud Palladium quædam interserūtur.

* Nam primo adhuc tempore conuersionis suæ, cùm esset in eremo, & hebdomadam ieiunasset, aiunt occurrisse ei hominem in deserto, habentem panes & aquam, qui exhortatus est eum accipere cibum, qui de cælo ei fuerat destinatus.

Post hebdomada ieiunium panis ei ab ignoto offertur.

In alio quoque tempore dæmon assistens, thesauros auri plurimos, quos Pharaonis fuisse perhibebat, ostendit ei sub terram demersos. Cui respondisse fertur Patermutius: Pecunia tua tecum sit in interitum & perditionem. Hæc ergo, & his similia plurima effecit per eum Dominus. Actor. 8.

Sed & alij nihilominùs fuerunt ante nos multi patres, quorum præsentiâ dignus non fuit mundus, signa cælestia & prodigia facientes. Quid ergo miramini, si nos parui homines parua faciamus, claudos & cæcos curantes, quod & medici ex arte facere possunt?

Et cùm hæc nobis senex Copres enarraret, vnus ex fratribus nostris, quasi incredulitate eorum quæ dicebantur, tædiare cœpit, & præ tædio dormitare. Cumque somno fuisset oppressus, vidit per visum librum aureis litteris scriptum in manibus senis Copretis, ex quo narratio eius deduci videbatur, & assistentem quemdam clarissimi aspectus virum canitie venerandum, comminatione sibi magnâ dicentem: Cur non audis intentè quæ recitantur, sed incredulus dormitas? At ille conturbatus euigilat, & statim nobis secretiùs Latino sermone quæ viderat enarrabat.

Pallad. cap. 54.

Dictorum auctoritas.

Inter hæc autem vidimus rusticanum quemdam accessisse ad ostium senis, habentem vas arenâ plenum, & exspectantem donec senex sermonem suæ narrationis expleret. Nos ergo videntes eum, interrogauimus presbyterum, quid sibi vellet rusticanus ille stans, & arenam tenens in vase. Respondit ad nos senior dicens: Non quidem oportebat me, ô filioli, hoc vobis prodere, ne videamur in Dei opere gloriari, & merces laboris nostri pereat; tamen pro ædificatione vestrâ & vtilitate, qui tam longo itinere venistis ad nos, non patiar etiam hoc abscondi à vobis, sed enarrabo opera Domini, quæ dignatus est implere per nos.

Copres sua facta ad ædificationem narrat.

Terra regionis huius, quæ in vicino nobis posita colitur, sterilis valdè & infructuosa fuit, ita vt si quando à colentibus semina ex necessitate suscepit, duplicata vix redderet. Vermes enim quidam nascebantur in ipsis germinum culmis, & ascendentem segetem succidebant. Erant enim agricolæ loci ipsius gentiles. Hos cùm docuissemus Deum credere, & fidem Christi recipere, Christiani iam facti veniunt ad nos, rogantes vt oraremus Dominum pro segetibus ipsorum. Et cùm diceremus eis, nos quidem oraturos, sed fidem ipsorum requiri apud Deum, quæ hoc percipere mereatur; illi ex arenâ hac, quæ calcatura nobis,

Benedictione à se calcata arena, fertilitatem terræ sterili confert.

nobis, sinus suos replentes obtulerunt nobis rogantes, vt in nomine Domini benediceremus. Et ego aio ad eos: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Tunc illi auferentes arenam secum, miscuerunt seminibus quæ seminaturi erant, & sparserunt per agros suos, & tantum fructum collegerunt, quantum nulla vsquam potuit Ægypti terra colligere. Ex eo ergo consuetudo est eis, bis per annos singulos venire ad nos, & eadem exspectare à nobis.

Sed & illud non celabo à vobis, quod mihi Dominus ad gloriam nominis sui præstitit. Descenderam aliquando ad ciuitatem, & inueni ibi virum quemdam doctorem Manichæorum seducentem populos, cum hoc habui conflictum sermonis. Sed quia erat versutus nimis, & concludere eum verbis non poteram, veritus ne auditorum turbæ læderentur, si ille quasi superior abscessisset in verbis, audientibus turbis dixi: Accendite ignem plurimum in medio plateæ, & ambo intremus in flammam: si quis nostrûm ex eâ non fuerit adustus, huius vera fides esse credatur. Quod cùm dixissem, valdè placuit populo, & continuò ignis accenditur plurimus. Tunc ego apprehendens eum, cœpi mecum pertrahere ad ignem. Et ille, Non, inquit, ita; sed vnusquisque nostrûm singulariter ingrediatur: primus tamen tu debes intrare, qui hoc proposuisti. Et ego in nomine Christi consignans memetipsum, medias flammas ingressus sum; flamma verò huc illucque dispergi ac fugere penitùs à me cœpit. Steti in medio ignis dimidiâ ferè horâ, & in nomine Domini in nullo penitus læsus sum. Videntes autem populi cum ingenti admiratione acclamauerunt, & benedixerunt Deum, dicentes: Mirabilis Deus in sanctis suis. Cœperunt etiam perurgere Manichæum vt introiret in ignem: at ille reluctari cœpit, & subtrahere se. Tunc comprehendentes eum turbæ iniecerunt in medium ignis, & statim circumdans eum flamma, atque adurens semiustum reddidit. Et illum quidem cum dedecore ex vrbe populus eiecit, clamans & dicens: Viuus ardeat seductor. Me verò assumentes secum, & benedicentes Dominum, ad ecclesiam perducunt.

Illæsus in igne perstat ob fidei integritatem.

Psal. 67.

Manichæus hæreticus ab igne adustus è ciuitate eijcitur.

Alio quoque tempore dum transirem iuxta templum quoddam, vidi ibi sacrificare gentiles, & aio ad eos: Cur vos cùm sitis homines rationabiles, immolatis mutis & insensibilibus simulacris? Nónne enim vos multò magis sine sensu estis, quàm illi quibus immolatis? Ad hunc sermonem Dominus aperuit eis intellectum, & relinquentes errorem suum quem agebant, secuti sunt me, & crediderunt Saluatori nostro Deo.

Conuertit ad fidem idololatras gentiles.

Fuit mihi aliquando hortulus monasterio vicinus, in quo propter aduentantes fratres olera colere videbamur. Quidam autem gentilis ingressus est nocte, & furatus est olera. Quæ cùm pertulisset ad domum suam, igni apposuit vt coqueret. Cumque tribus horis continuis ingenti igne suggesto, neque feruere, neque molliri, aut calefieri aliquatenus potuissent, sed permansissent eadem viriditate quâ missa sunt, & neque aqua quidem ipsa vel leuiter calefieri potuisset, in semetipsum regressus ille qui furatus est, erepta rursus de foco olera reportabat ad nos, & prosternens se ante pedes nostros rogare cœpit, vt peccati sui veniam mereretur, & fieret Christianus; quod & impetrauit.

Furem gentilem miraculo ad fidem adducit.

Accidit autem eadem die hospites venire ad nos plurimos fratrum, quibus opportunè olera ipsa parata sunt: gratias ergo referentes Domino pro mirabilibus suis, duplicem lætitiam gessimus, & pro salute hominis, & pro beneficiis diuinis.

DE SYRO [26] ABBATE, ISAIA, PAVLO ET ANVPH. CAP. X.

ADDEBAT & adhuc etiam hæc: Abbas, inquit, Syrus aliquando, & Isaias, & Paulus occurrerunt sibi inuicem ad ripam fluminis. Erant autem viri isti iusti, summæ abstinentiæ & totius religionis. Hi pergebant visitare quemdam nomine Anuph. Aberat autem monasterium ad quod ibant mansionibus tribus. Cùm ergo vellent transire fluuium, nec esset copia transmeandi, aiunt inter semetipsos: Petamus à Domino gratiam, vt ne impediatur nobis boni operis iter. Et conuersi ad abbatem Syrum, Tu, aiunt, præcipue pete à Domino: scimus enim audiri te, quia præstabit tibi quæ petes. At ille cohortatus etiam ipsos secum genua figere, in oratione prostrauit se in faciem coram Domino. Et cùm completâ oratione surrexissent, ecce vident appelli nauigium ad ripam fluminis paratum, ad iter quod acturi erant expeditum. Hoc ascendentes aduersus fluminis cursum ita velociter ferri ceperunt, vt inter horam vnam, totius itineris (quod acturi per triduum erant) conficerent spatium. Cumque applicuissent ad terram, Isaias ait: Dominus mihi ostendit virum ad quem properamus, occurrentem nobis, & vniuscuiusq; nostrûm secreta cordis aperientem. Sed & Paulus ait: Et mihi ostendit Dominus,

Pallad. cap. 55. 56. 57. 58.

Syrus, Isaias, & Paulus oratione nauigij ad iter impetrant suffragium.

minus, quòd post triduum educat eum de hoc mundo.

Cùm ergo iter, quod ducit ad monasterium, de flumine incedere cœpissent, progressique essent paululùm, occurrit eis supradictus vir, ad quem visitandum pergebant, & salutans eos ait: Benedictus Dominus, qui vos mihi & nunc in corpore, & ante iam ostendit in spiritu. Et tunc cœpit de vniuscuiusque eorum meritis, quæ habebant apud Deum, atque actibus memorare. Tunc Paulus ait: Quoniam & nobis Dominus ostendit, quòd post triduum te de hoc mundo assumat, petimus à te, vt etiam de tuis nobis virtutibus & actibus quibus Domino placuisti, enarres, nec verearis iactantiæ notam. Abscessurus enim de hoc mundo, ad imitationem posteris gestorum tuorum memoriam derelinque. Tunc ille, Nihil, inquit, magnum fecisse memini, hoc tamen custodiui, ex quo nomen Saluatoris nostri in persecutione cõfessus sum, ne post confessionem veritatis mendacium de ore meo procederet, neque post amorem cælestium terrenum aliquid amarem, sed nec gratia Domini in his defuit mihi. Numquam enim me fecit egere aliquo terreno, omnem quem desideraui cibum, Angelorum mihi deferens ministerio. Nihil à me occultauit Dominus eorum quæ geruntur in terris, numquam defuit cordi meo lux eius, per quam suscitatus somnum corporis non requirebam, desiderium habens semper videndi eum. Sed & Angelum suum assistere mihi semper fecit, edocentem me de singulis quibusque virtutibus mundi. Lux mentis meæ numquam extincta est. Omne quod petij à Domino, sine morâ consecutus sum. Ostendit mihi frequenter multitudines Angelorum assistentium sibi; vidi & cœtus iustorum, congregationesque martyrum, monachorum conuentus, omniumque Sanctorum, eorum dumtaxat, quorum opus non est aliud, nisi laudare semper & benedicere Dominum in simplicitate cordis & fidei. Vidi econtrariò satan, & angelos eius æternis ignibus tradi, & rursus iustos æternâ lætitiâ perfrui. Cumque hæc & multa alia his similia per totum triduum enarrasset eis, tradidit spiritum. Et continuò vident ipsi ab Angelis suscipi eius animam, atque ad cælos ferri, ita vt vocem hymnorum audirent etiam ipsi, quibus vnà cum Angelis anima eius abscedens Dominum collaudabat.

Anuph numquam mentitus.

Ministerio Angelorũ pascitur.

Ab Angelo custode docetur.

Petita à Deo semper impetrat.

Sãctorum gloriam, dæmonum cruciatus videt.

Anima eius hymnico concentu ab Angelis in cælum defertur.

DE [17] HELENO.

CAP. XI. Palladio cap. 59. *Hellen* dicitur.

FVIT & alius vir sanctus, Helenus nomine: hic à pueritiâ in seruitio Domini, cum omni continentiâ & castissimis institutionibus enutritus, ad summa merita peruenerat. Denique cùm adhuc puer esset in monasterio, si necessarius fuisset ignis, vt è vicino peteretur, ardentes prunas vestimento ferebat illæso. Quod admirantes omnes qui aderant fratres, studium animi vitæque eius ac meriti imitari cupiebant. Huic quodam tempore cùm solus esset in eremo, desiderium vescendi mellis exortum est: & conuersus vidit in saxo fauum mellis inhærentem. & intelligens inimici hanc esse fallaciam, continuò semetipsum increpans, ait: Discede à me deceptrix & illecebrosa concupiscentia. Scriptum est enim: Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Et statim derelinquens etiam locum ipsum, discessit, & abiit in desertum, atque ibi tamquam pro concupiscentiâ carnis puniendâ, ieiuniis semetipsum cœpit affligere. Tertiâ autem septimana ieiunij sui videt in deserto iacere diuersa poma sparsa: & intelligens dolos inimici, ait: Non manducabo, neque contingam, ne fratrem meum, hoc est animam meam scandalizem. Scriptũ est enim, quia non in cibo solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Cumque & sequenti septimanâ ieiunaret, paululùm in somno deductus est, & ecce angelus Domini astitit ei per visum, dicens: Surge iam, & quæ tibi apposita inueneris, nihil dubitans vescere. Surgens autem, vidit aquæ fontem lenibus repletum fluentis, eiusque ripas in circuitu herbis quibusdam teneris odoratisque prætextas. Et accedens decerpere cœpit & edere, similiter & ex fonte poculum sumere. Confirmabat autem, se numquam in omni vitâ suâ tantæ dulcedinis aliquid & tantæ suauitatis hausisse. Inuenit autem in ipso loco etiam speluncam quamdam, intra quam aliquamdiu requieuit. Et cùm reficiendi corpusculi tempus & necessitas adfuisset, per Dei nihilominùs gratiam nihil deerat eorum quæ poscebat à Domino.

Helenus nouitius prunas ardentes illæsâ veste defert.

Galat. 5.

Diabolo ad gulam explendam inuitanti, secundò resistit.

Deut. 8. Matth. 4.

Diuinitus mirâ ciborum suauitate recreatur.

Quodam verò tempore pergebat ad visitandos fratres incommodos, quibus etiam quæ necessaria erant ad refectionem corporis deferebat. Et cùm in itinere eorum quæ portabat onere grauaretur, vidit eminus onagros transire per desertum, & exclamauit, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi, veniat huc vnus ex vobis, & suscipiat sarcinam meam. Et ecce vnus ex omni grege, totâ cum mansuetudine pergit ad eum. Tunc ille præbenti se spontè, & onus imponit, & ipsi insedit, & cum omni velocitate ab eo ad cellulas fratrum, quò pergebat, euectus est.

Onager ei sarcinam deferendo obedit.

Alio

Alio rursus tempore Dominicâ die venit ad quoddam monasterium fratrum, & cùm vidisset eos non agentes sollemnitatem diei, caussam requirit. Cùm autem dixissent, pro eo quòd presbyter non adesset qui trans flumen maneret: propter metum enim crocodili transire nullus audebat. Tunc ille dixit eis: Si vultis, ego vadam, & adducam eum ad vos. Et continuò ad ripam fluminis pergit: vbi cùm nomen Domini inuocasset, prestò fuit bellua; & quæ solebat adesse ad perniciem hominum, adfuit tunc ad vehiculum iusti, tergo quoque suo suscipiens eum, cum omni metu subiecta, vsq; ad partem ripæ vlterioris euexit. Adiit continuò Helenus presbyterum, & exorare eum cœpit, vt veniret ad fratres: erat enim indutus vilissimo & abiectissimo indumento. Super quo miratus presbyter, quis aut vnde esset, vel quid sibi vellet inquirit. Vbi verò cognouit esse hominem Dei, sequi eum cœpit ad flumen. Et cùm caussaretur non inueniri nauigium, quo transiri posset, tunc abbas Helenus dixit ad eum: Nihil verearis, pater; ego iam nunc parabo vehiculum. Et exclamans voce magnâ, adesse bestiam iubet. Quæ statim voce eius auditâ affuit, ac dorsum suum ad vehendum placidè præparauit: prior ipse conscendens, inuitat & presbyterum, dicens: Ascende nihil formidans. At ille visâ belluâ exterritus, retrocadere ac refugere cœpit. Omnes autem qui aderant, stupor ingens & metus apprehendit, videntes hominem Dei crocodilo euectum fluminis alueum transmeare. Qui vbi descendit, secum pariter in siccum educit etiam belluam, dicens ad eam: Melior est tibi mors, quàm tot scelerum & tot homicidiorum inuolui reatu. At ille statim corruens exspirauit.

Crocodilo vectore flumen transmittis.

Solo verbo noxium crocodilum perimit.

Intereà per triduum in monasterio sanctus Helenus permanens, docebat fratres spiritalem doctrinam, ita vt etiam nonnullorum cogitationes cordis, & secreta consilia proferret in medium, & alium quidem proderet spiritu fornicationis vrgeri, alium spiritu iracundiæ, alium verò cupiditate pecuniæ, nonnullos autem iactantiæ ac spiritu superbiæ illudi. Alterius verò mansuetudinis, alterius iustitiæ, alterius patientiæ testimonium dabat, & sic vtraque ex parte aliorum vitia, aliorum virtutes animi exaggerans, ad omnes eos profectus mirabiliter excolebat. Agnoscentes verò singuli quique, ita agi inter semetipsos, vt ille anuntiauerat, corde compuncti emendabantur. Profecturus autem ait ad eos: Præparate olera ad aduentum fratrum. Et illis præparantibus, continuò superuenerunt fratres, quibus honorificè susceptis, ipse contendit ad eremum.

Cogitationes fratrũ & tẽtationes occultas diuinitus nouit & detegit.

Futura prænidet.

Rogabat autem eum quidam de fratribus, vt permitteret eum secum degere in eremo. Cumque respondisset ei, graue esse negotium & plurimorum laboris, obsistere tentationibus dæmonum; eò contentiosiùs iuuenis persistebat, promittens se cuncta tolerabiliter perlaturum, tantùm vt præberet ei copiam consortij sui. Et cùm permisisset, secutus est eum ad eremum, quem ille in vicinâ sibi speluncâ habitare iubet. Tunc dæmones aduolant per noctem, primùm fœdis & turpibus eum cogitationibus exagitant; post hæc verò etiam violenter irruere & necare eum aggrediuntur. Effugiens autem iuuenis, & peruolans ad cellulam sancti Heleni, quibus malis vrgeretur exponit. Tunc senior consolatus est eum paucis verbis, & de virtute fidei ac patientiæ commonens, statim reuocat ad speluncam de quâ effugerat, & tamquam sulcum quemdam per arenam, extra cellulam iuuenis, digito suo ducens, præcepit in nomine Domini, ne audeant dæmones statutum transgredi limitem: & ita verbi eius virtute adolescens permansit de reliquo securus.

Dæmonibus ne infestent fratrem tentent, limites figit.

Ferebatur de eo, quòd & ipse adolescens in eremo positus, cælestes sæpè percepisset cibos, & fratribus ad se venientibus, cùm nihil habuisset quod apponeret, affuisse quemdam adolescentem, panes ei & quæ erant necessaria deferentem, eaque cùm ante speluncam eius deposuisset, vltrà nusquam comparuisse; dixisse verò eum ad fratres: Benedicamus Dominum, qui præparauit nobis mensam in deserto.

Iunior frater sæpè cælestes percipit cibos.

Hæc, & alia plurima de sanctorum patrum vitâ & conuersationibus enarrans nobis pater Copres, & cum omni affectu instruens; post ædificationem verò sermonum, introducit nos in hortulum suum, ostendit nobis arbores palmarum, aliorumque pomorum, quas ipse plantauerat, & dicebat: Hæc me in eremo plantare rusticanorum fides admonuit. Vt enim vidi eos tantam fidem habere, vt arenam sub nostris vestigijs colligentes, per agros suos spargerent, & terram sterilem ad totius fecunditatis verterent vbertatem; pudor inquam est, si nos inferiores his inueniamur in fide, quorum fides per nos consignata est Deo.

Finis relationis Copretis.

DE [28] ELIA. CAP. XII.

VIDIMVS & alium senem venerabilem, Eliam nomine, in finibus ciuitatis Antinoo, quæ est metropolis Thebaidis, centum

Pallad. cap. 51. & de alio Eliâc. 111.

Elias 110. annorum.

centum ferè iam & decem (vt dicebatur) annorum, super quem dicebant, quòd verè spiritus Eliæ in eo requieuisset. Multa enim de eo & magnifica referebantur. Septuaginta namque annos in solitudine vastissimâ eum transegisse perhibebant, cuius deserti horrorem terroremque nullus sermo dignè poterit exponere. Illic ergo sedebat senior totâ hac ætate, humanæ habitationis nesciens loca. Semita autem erat angusta & scrupea, quæ ad eum ducebat, quæ vix inueniri à cômeantibus posset. Locus verò ipse in quo sedebat, spelunca erat terribilis quædam, & intuentibus plurimum horroris incutiens. Ipse autem trementibus iam membris præ maturâ quatiebatur ætate. Incessabiliter tamen per singulos dies signa faciebat, & aduenientes ad se quacumque incommoditate constrictos, omnimodis resoluebat. Cuncti verò patres confirmabant, quòd nullus omnino meminisset quando hic secessisset ad eremum. Cibus ei erat panis exiguus, & paucissimæ oliuæ, vsque ad vltimam senectutem. Nam in iuuentute septimanas frequenter ieiunasse perhibebatur.

Infirmos sanat.

Integrâ hebdomade ieiunat.

DE 29 PITHYRIONE.

CA. XIII.

Palladius cap 74.

INTEREA redeuntes ex Thebaide, vidimus montem quemdam præruptum fluuio imminentem, elatione minacis saxi, aspectu etiam ipso terribilem, in quo erant per ipsa præcipitia speluncæ difficilis ascensus. In his monachorum plurimi commanebant, quorum pater erat nomine Pithyrion. Hic & ex discipulis beati Antonij fuit, & post illius obitum cum sancto habitauerat Ammone. Post huius quoque abscessum in hoc se constituerat monte: sed & tanta in eo erat virtutum copia, tantaque gratia sanitatum, & potestas aduersus dæmones, vt duorum merito summorum virorum, solus hereditatem consecutus duplicem videretur. Hic ergo multos monitis ædificans, multaque doctrinâ instruens, præcipuè tamen de discretione spirituum nos docebat dicens, esse quosdam dæmones, qui certis quibusque vitiis obsequantur, quique cùm affectus animæ passibiliter & vitiosè viderint moueri, conuertunt eos ad omne facinus malum. Si quis ergo est, qui vult dæmonibus dominari, priùs vitiis suis & passionibus dominetur. Quodcumque enim vitium propriæ passionis abieceris, huius vitij dæmonem poteris etiam de obsessis corporibus effugare. Ergo ideò conandum est paulatim propria vitia superare, vt possimus etiam dæmones superare, qui huiusmodi vitiis obsequuntur. Hic secundò reficiebatur in septimanâ, pulticulas accipiens ex farinâ, nec poterat iam accipere aliam escam, neque ætate neque consuetudine permittente.

Pithyrion sancti Antonij discipulus.

Clarus discretione spirituum.

Qui dæmones expellendi, docet.

Cibus eius pulticula ex farinâ.

DE PATRE 30 EVLOGIO.

CAP. XIV.

Palladius c.75. & de alio Eulogio c.26.

VIDIMVS & alium sanctum patrem, Eulogium nomine, qui in offerendis Sacramentis tantum gratiæ acceperat à Domino, vt vniuscuiusque accedentium ad altare Dei merita culpasque cognosceret. Denique ex monachis quosdam volentes accedere ad Communionem, retinebat dicens: Quomodo ausi estis accedere ad Sacramenta diuina, cùm mens vestra & propositum sit in malo? Denique aiebat: Tu hac nocte habuisti cogitationes fornicandi. Tu verò dixisti in corde tuo: Nihil interest siue iustus ad Sacramenta, siue peccator accedat. Et alius dubitationem habuit in corde suo, dicens: Quid enim me sanctificare Communio potest? Hos ergo singulos remouebat à communione Sacramenti, & dicebat eis: Secedite paululùm & agite pœnitentiam, vt purificati per satisfactionem & lacrymas, digni habeamini communione Christi.

Accedentium ad altare Dei merita culpasq; cognoscit Eulogius.

Simile est in Pelag. libell. 18. num. 20. de Paulo Simplice.

Peccatorū cogitationes diuinitus nouit.

DE 31 APELLEN PRESBYT. ET IOANNE.

CAP. V.

Palladius cap.60.61.

VIDIMVS & alium presbyterum in vicinâ regione nomine Apellen, virum iustum. Hic faber erat ferri, & quæ necessaria erant fratribus operabatur. Quodam autem tempore, cùm ad fabrilia opera vigilaret in silentio noctis, conuersus diabolus in formam mulieris speciosæ, venit ad eum tamquam aliquod operis ei deferens. Tum ille arreptum manu nudâ de fornace ferrum candens, in faciem eius iniecit. At illa clamans & vlulans aufugit, ita vt omnes fratres, qui in circuitu commanebant, vlulatum eius fugientis audirent; & ex eo iam vir ille in vsu habuit, ferrum candens manu nudâ tenere, nec lædi. Ad hunc ergo cùm venissemus, & humanissimè nos suscepisset, poscebamus ab eo, vt nobis vel de suis gestis, vel de eorum quos præcipuos in conuersatione sanctâ sciret, virtutibus loqueretur. Tunc ille:

Apellen faber ferrarius.

Ferro candente diabolum in mulieris specie fugat.

Inde immunis nudâ manu ferrum candens tractat.

Est, inquit, in hac eremo vicinâ frater quidam nomine Ioannes, ætate prouectus, vitâ & moribus, atque abstinentiâ cunctos præcellens. Hic primùm cùm accessisset ad eremum, tribus continuis annis, sub cuiusdam saxi rupe stans, semper orauit, ita vt numquam omnino resederit, neque iacuerit. Somni autem tantum caperet, quantum stans capere potuit. Cibum verè numquam

Ioannes assiduè stans.

Solâ Eucharistiâ, die Dominicâ sumptâ, viuit. quam sumpserat nisi de Dominica. Presbyter enim tunc veniebat ad eum, & offerebat pro eo sacrificium, idque ei solum Sacramentum erat & victus.

Huic quodam die satanas subripere volens, transfigurauit se in presbyterum, qui venire ad eum solebat, & præueniens horam solitam, simulabat se Sacramentorum gratiâ venisse. At ille vigilanter intelligens diaboli fraudem, cum indignatione quadam ita ait ad eum: O omnis doli omnisque fraudis pater, inimice omnis iustitiæ, nô desinis seducendo animas Christianas, sed & ausus es etiam ad ipsa te immergere terrifica & sacrosancta mysteria. At ille respondit ei: Putaui, inquit, quòd possim te lucrifacere: sic enim & alium quemdam ex vestris decepi, ita vt & mente excederet, & perderet sensum. Quem cùm credentem mihi insanum reddidissem, tot iusti orantes pro eo, vix eum & in loco & sanitati restituere potuerunt. Et hæc cùm dixisset dæmon, aufugit ab eo. *Satana presbyterum simulanti resistit.*

Erat autem supradictus vir persistens in opere cœpto, atque in oratione perdurans. Pedes verò eius, ex eo quòd multo tempore immobiles fuerant, disrumpebantur, ita vt sanies ex eis profluerет. Tres autem cùm complerentur anni, affuit angelus Domini, & ait ad eum: Dominus Iesus Christus, & Spiritus sanctus suscepit orationes tuas, & corporis tui cicatrices sanat, & cælestis cibi, id est, verbi & scientiæ suæ tibi abundantiam donat. Et contingens os eius ac pedes, & ab vlceribus eum sanum reddidit, & repletum scientiæ & doctrinæ gratiâ, cibi famem non sentire fecit. Iubet autem transire eum ad alia loca, & eremum circumeuntem visitare etiam alios fratres, & ædificare eos in verbo & doctrinâ Domini. Dominicâ autem die ad eumdem semper reuertebatur locum; simili modo Sacramentorum gratiâ; reliquis verò diebus etiam opus manuum faciebat & operabatur, iumentorum cingula ex palmarum foliis texens, vt in illis locis haberi moris est. *Pedes longâ statione disrupti.* *Sanatur ab Angelo, & scientiâ diuinâ repletur.* *Iumentorum cingula texit.*

Quodam verò tempore claudus aliquis ire ad ipsum voluit, vt ab eo curaretur. Contigit autem vt animal, quod ascensurus erat, cingulum manibus hominis Dei factum haberet. Cùm ergo imponeretur supra iumentum, statim vt contigerunt pedes eius illud cingulum, sanus effectus est. Sed & quibuscumque ægris benedictum panem misit, statim vt ex eo perceperunt, sanati sunt. Et alias multas virtutes & sanitates per eum Dominus impleuit. *Claudus cingulo tacto sanatur.* *Sanantur ægri pane ab eo benedicto.*

Habuit autem & hanc gratiam super omnes patres & ceteros homines, vt vniuscuiusque fratrum de vicinis monasteriis conuersatio ei reuelaretur, ita vt scriberet ad patres ipsorum, & commoneret quòd illi & illi segniter agerent, nec rectum in timore Dei propositum gerunt: illi verò & illi in fide & animi virtute proficiunt. Sed & ad ipsos fratres scribebat, aliis quidem quòd multùm tædiosi essent erga fratres, & pusillo animo erga patientiam; aliis verò quòd bene, constanter, & sollicitè agerent, & sufficienter consolarentur fratres. Et quid huic meriti pro virtutibus, quid verò illi correptionis immineret à Domino pro ignauiâ prædicabat, & ita eorum qui absentes erant, actus & caussas, ac merita, vel negligentiam describebat, vt audientes hi de quibus dicebatur, conscientiâ conuicti negare non possent. *Fratrum conuersationes absens cognoscit.*

Docebat autem omnes, vt à visibilibus & corporeis rebus animos ad inuisibilia & incorporea transferrent. Tempus enim, inquit, est, vt ad huiusmodi studia transeamus: neque enim semper pueri, & semper infantes esse debemus, sed aliquando iam ad spiritalia & altiora conscendere, & virorum sensus capere, atque ad perfectiorem subire intelligentiam, vt possimus virtutibus animi enitescere. Sed & multa alia de hoc viro sanctus homo Dei Apelles narratione nobis fidelissimâ commendauit, quæ cuncta conscribere & longum videtur, & pro magnitudine sui, nonnullis audientium vix credibile.

DE S. PAPHNVTIO. CAP. XVI.

Pallad. cap. 62.

VIDIMVS & monasteriû sancti Paphnutij hominis Dei, qui nominatissimus in illis locis anachoretes, & vltimus habitator fuerat deserti in regionibus Heracleos, splendidæ apud Thebaidam vrbis.

Pallad. cap. 63. De hoc ergo fidelissimâ patrum narratione comperimus, quòd cùm fuisset vitæ angelicæ, quodam tempore orauerit Deum vt sibi ostenderet, cui sanctorum similis haberetur. Assistens verò Angelus respondit ei, quòd similis esset symphoniaco cuidam, qui in vico illo cantandi arte victum quæreret. Tunc ille obstupefactus nouitate responsi, cum omni properatione pergens ad vicum, perquirit hominem. Et cùm inuenisset, studiosissimè percontatur ab eo, quidnam sancti & religiosi operis gestum sit ei, omnesque actus eius curiosius discutit. At ille respondit quod res erat, se esse indignissimæ vitæ hominem peccatorem, atque ante non multum temporis, ex latrone ad istud quod nunc exercere videretur, fœdum artificium deuolutum. Paphnutius eò magis instabat, requirens si quid ei fortè vel *Paphnutius orat vt reuelaretur ei, cui sit similis.* *Symphoniacus Paphnutio æquatur.*

Symphoniacus, antè latro, virginis Deo consecratæ pudorem tuetur.

inter latrocinia pij operis fuisset admissum. Nihil, inquit, mihi conscius sum boni: hoc tamen scio, quòd cùm inter latrones essem, capta est aliquando à nobis virgo Deo consecrata: cuius cùm ceteri collegæ mei latrones cuperent eripere pudorem, obieci me in medium, & eripui de contaminatione latronum, & nocte deducens eam vsque ad vicum, domui suæ restitui intactam.

Pallad. cap. 63.

Alio quoque tempore inueni mulierem honestæ formæ in eremo oberrantem. Hæc cùm interrogaretur à me, cur aut quomodo in hæc loca aduenisset? respondit: Nihil me interroges infelicissimam mulierem, nec caussas requiras; sed si ancillam placet habere, abducito quò vis. Mihi enim infelici est maritus, qui debiti fiscalis gratiâ sæpè suspensus & flagellatus, ac pœnis omnibus cruciatus seruatur in carcere, nec aliam ob caussam producitur, nisi vt tormenta patiatur. Tres autem nobis filij fuerunt, qui iam pro eiusdem debiti necessitate distracti sunt. Ego quoque miserrima, quia ad similes pœnas inquiror, de loco ad locum fugitans, inediâ miseriaque confecta, per hæc nunc latitans oberro loca, triduum hoc iam sine cibo ducens. Ego vbi hæc audiui, miseratus adduxi eam ad speluncam, & reficiens animam eius fame collapsam, dedi etiam trecentos ei solidos, prò quibus se, ac maritum, & filios, non solùm seruituti, sed & suppliciis asserebat obnoxios: & reuocata ea ad ciuitaté, omnes eos datâ pecuniâ liberauit. Tunc pater Paphnutius, Ego, inquit, nihil tale feci; tamen credo etiam ad te peruenisse, quòd celebre Paphnutij nomen inter monachos habeatur. Fuit enim mihi non mediocris studij, vt vitam meam in huiusmodi excolerem disciplinis. Deus igitur de te mihi reuelauit, quia nihilo minus apud ipsum meriti habeas quàm ego. Quia ergo, frater, vides, te non minimo loco haberi apud Deum, non negligas animam tuam. At ille statim fistulas quas manu gerebat abiiciens, secutus est eum ad eremum, & artem musicam in spiritualem commutans vitæ mentisque harmoniam, per integrum triennium arctissimæ se tradidit abstinentiæ, in psalmis & orationibus semetipsum die noctuque exercens, atque iter cæleste animi virtutibus agens, inter sanctorum angelicos choros reddidit spiritum.

Afflictam feminam eleëmosynâ iuuat.

Triennalis eius pœnitentia.

Beata mors.

Pallad. cap. 64.

Posteà quàm Paphnutius prædictum symphoniacum omni exercitio virtutum consummatum præmisit ad Dominum, ipse acrioribus semetipsum studiis quàm priùs exercuerat agens, iterùm Domino supplicabat, vt sibi ostenderet, quis sibi similis esset super terram. Fit ergo iterùm vox Domini ad eum dicens: Similem te esse nosce primario vici illius, qui est in proximo. Quibus auditis Paphnutius, sine morâ ad eum properans, pulsat ad ostium domus eius. Ille verò, cui moris erat suscipere hospites, occurrit ei, atque introduxit in domum suam, lauans quoque pedes eius apposuit mensam, agitque conuiuium. Inter epulas verò percontari Paphnutius cœpit ab hospite, qui actus ei, quod studium, cuiusque operis haberet exercitia? Ille verò cùm de se humilia responderet, & latère in bonis quàm publicari mallet, perurgebat Paphnutius dicens, reuelatum sibi esse à Domino, quòd dignus esset consortiis monachorum. At ille eò magis humiliora de seipso sentiens, aiebat: Ego quidem in nullo mihi sum boni alicuius conscius; verùm quia verbum Dei factum est ad te, eum quem nihil latet, celare non possum. Hæc ergo quæ mihi in medio multorum posito in vsu sunt, loquar. Triginta iam completi sunt anni, quòd continentiæ consensum habere me cum coniuge meâ nullus agnouit. Suscepi autem ex eâ tres filios; horum enim caussâ solummodò cognita est mihi vxor, nec præter eam alia, nec ipsa vltrà iam cognita. Suscipere hospites numquam cessaui, sed ita, vt neminem ante me paterer aduenienti occurrere peregrino. Non dimisi vmquam de domo meâ hospitem sine viatico; pauperem nullum despexi, sed quæ necessaria fuerant præbui. Si in iudicio sedi, nec filij mei personam contra iustitiam accepi. Alieni laboris fructus numquam introierunt in domum meam. Litem si vidi, numquam præterij, donec reconciliarem dissidentes ad pacem. Nemo vmquam deprehendit in culpâ famulos meos: numquam greges mei læserunt fruges alienas: volentem seminare in rure meo numquam prohibui, nec vberiora mihi noualia elegi, steriliora illis dereliqui. Quantum in me fuit, numquam permisi vt potentior infirmum premeret. Semper studui in vitâ meâ, vt neminem contristarer. In iudicio si fui caput, neminem condemnaui, sed dissidentes reuocare in concordiam studui. Hæc interim mihi vitæ institutio Deo donante hactenus fuit.

Vici cuiusdam primarius Paphnutio æquiparatur.

30. annis in matrimonio continentiam seruat.

Eiusdem hospitalitas.

Iustitia.

Audiens autem hæc beatus Paphnutius, caput eius exosculans, benedixit eum dicens: Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt in Ierusalem. Quia ergo benè hæc & conuenienter implesti, illud tibi deest, quòd bonorum omnium summum est, vt omittens cuncta, ipsam veram iam sequaris Dei sapientiam, & secretiores inqui-

Psal. 127.

Bonorum omnium summum, sæculi contemptus.

inquiras thesauros, ad quos non aliter poteris peruenire, nisi abneges teipsum, & tollas crucem tuam, & sequaris Christum. At ille cùm audisset hæc, nihil moratus, nec omnino aliquid in domo suâ ordinans, secutus est virum Dei, pergens cum ipso ad desertum. Cumque venisset ad flumen, nusquam ad transmeandum reperto nauigio, Paphnutius præcepit intrare secum pedibus fluuium, cùm in illis locis profunda habebatur altitudo. Transierunt ergo pariter fluuium, ita vt aqua eis vix ad latera perueniret. Vbi verò venerunt ad desertum, collocat hominem Paphnutius in cellulâ quadam, haud procul à suo monasterio positâ, & conuersationis spiritualis ordinem tradidit, perfectorumque studiorum exercitia docuit, scientiæ quoque secretiora concredit. Cumque eum in omnibus instruxisset, semetipsum denuò maioribus exercitiis dedit, exiguos priores deputās labores, quibus conferri poterat is qui sæculi videbatur actibus occupatus. Hoc enim sibi dicebat: Si isti, qui sunt in sæculo, tantum boni operis faciūt, quantum nos studere debemus, plus vel amplius in abstinentiæ labore eos antecedere? Tempore autem aliquanto in his transacto, & ad scientiæ perfectionem eo perducto, quem perfectum iam in operibus assumpserat, quadam die Paphnutius sedens in cellulâ suâ, videt animam eius inter Angelorum choros assumptam dicentium: Beatus quem elegisti, & assumpsisti: habitabit in tabernaculis tuis. Et cùm hæc audisset, agnouit assumptum esse ex hoc mundo virum. Tunc verò Paphnutius persistebat in ieiuniis & orationibus, semetipsum ad maiora & perfectiora extendens.

Math. 16. *Vici primarius cū Paphnutio ad eremum se confert.* *Psal. 64.* *Animam primarij videt Paphnutius ab Angelis in cælum deferri.*

Et rursus orabat Dominum, vt sibi ostenderet cui similis haberetur inter homines. Rursus ei vox diuina respondit, dicens: Similis es negotianti ei, quem videris ad te venientem: sed & exurge velociter, & occurre ei. adest enim vir cui te similem indicaui. Et Paphnutius sine morâ descendens, occurrit cuidam negotiatori Alexandrino, viginti millibus solidorum mercimonia tribus nauibus deferenti ex Thebaide. Et quoniam erat religiosus, & bonorum operum studium gerens, decem leguminum saccos pueris suis impositos, ad monasterium Dei hominis deferebat: & hæc ei caussa adeundi Paphnutium fuit. At ille cōtinuò vt eum vidit, Quid agis, inquit, ô pretiosissima & Deo digna anima? Quid tibi cum terrenis est labor, cui sors & societas cum cælestibus data est? Relinque hæc illis, qui de terrâ sunt, & de terrâ cogitant; tu autem regni Dei, ad quod vocatus es, negotiator efficere; & sequere Saluatorem, à quo paulò pòst assumendus es. At ille nihil omnino differens, præcepit pueris suis vt omnia quæ superessent (multa enim iam ipse per se distribuerat) pauperibus erogarent. Ipse verò sequēs sanctum Paphnutium ad desertum, in eodem ab eo constitutus est loco, ex quo & priores ad Dominum fuerunt assumpti. Qui similiter ab eo de omnibus instructus, in exercitiis spiritualibus & diuinæ sapientiæ studiis permanebat. Breui autem tempore consummato, etiam hic translatus est ad congregationem iustorum.

Palladius cap. 65. *Negotiator Alexandrinus Paphnutio assimilatur.* *Monachos pascit.* *Eremum petit.* *Sancti moritur.*

Et non multò pòst cùm etiam ipse Paphnutius in ipsissummæ abstinentiæ exercitiis & laboribus vitam poneret, astitit ei angelus Domini, dicens ad eum: Veni iam benedicte, & ingredere ea quæ tibi debentur æterna tabernacula. Ecce enim adsunt prophetæ, qui te in suum suscipiant chorum. Hoc autem tibi priùs idcircò non reuelaui, ne forte elatus, damnum aliquod tui laboris incurreres. Et vnam pòst hæc in corpore adhuc positus diem ducens, cùm quidam presbyteri ad eum visitandum venissent, omnia eis quæ sibi Dominus reuelauerat, nota fecit, dicens ad eos, nullum in hoc sæculo debere despici, etiam si latro sit aliquis, aut in scenâ positus, etiam si cultum ruris exerceat, & coniugio videatur adstrictus, etiam si negotiator dicatur, & mercimoniis seruiat; tamen in omni ordine humanæ vitæ sunt animæ Deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur Deus: vnde constat, non tantum professionem vitæ, aut habitus speciem Deo esse placitam, quantum sinceritatem atque affectionem mentis, operumque probitatem. Et cùm similia de singulis quibusque disseruisset, tradidit spiritum. Euidenter autem presbyteri qui aderant, & omnes fratres viderunt eum ab Angelis suscipi, hymnum canentibus, & collaudantibus Deum.

Pallad. cap. 65. *Ab Angelo vocatur Paphnutius.* *Nemo in hoc sæculo despiciendus.* *Paphnutij anima ab Angelis in cælum defertur.*

DE MONASTERIO ABBATIS ISIDORI. CAP. XVII.

VIDIMVS & apud Thebaidam etiam Isidori nominatissimū monasterium, amplissimis spatiis circumseptum, muroque circumdatum, in quo habitantibus viris, larga præbebantur habitacula. Intrinsecus putei plures, horti irrigui, omnium quoque pomorum arborumque paradisi, & quæcumque necessaria vsibus erant sufficienter, imò & abundanter prouisa; ob hoc vt nulli monachorum habitantium intrinsecus, necessitas vlla fieret exeundi foras ad aliquid requirendum. Senior quidam

Pallad. cap 71. Origenista hic fuit, teste Hieronymo. *Isidori monasterium omnibus abundat.* *Clausura eius.*

vir grauis, & de primis electus, ad ianuam sedens, hoc habebat officij, vt aduentantes eâ lege suscipiat, quâ ingressi vltrà non exeant. Si ergo semel ingredi placuerit, stat immobilis lex: sed quod est admirabilius, ingressos non iam legis necessitas, sed vitæ beatitudo retinet ac perfectio. Hic ergo senior in ianuâ, vbi ipse commanet, adhærentem sibi habebat hospitalem cellulam, in quâ aduentantes hospitio recipiat, & omni humanitate refoueat. Vt ergo & nos ab eo suscepti sumus, introëundi nobis quidem copia nulla fuit, ab ipso autem didicimus, quæ institutionum beatitudo gereretur intrinsecus. Duos aiebat esse solos seniores viros, quibus permissa est egrediendi ingrediendique libertas, qui opera fratrum dispensare, & quæ necessaria sunt inferre curarent; ceteros verò ita esse in silentio & quiete, orationibus & religiosis studiis operam dantes, atque animi virtutibus pollentes, vt omnes signa faciant: & quod verè omnium mirificum signum sit, nullus eorum ægritudinem cuiusquam infirmitatis incurrit, sed cùm vnicuique vitæ finis affuerit, omnimodis prænoscens, & indicans ceteris fratribus suis de suo exitu, atque omnibus vale dicens, ad hoc ipsum recubans, spiritum lætus emittit.

Qui semel ingressus, numquam egreditur.

Nullus ibi infirmus, etiam dum moritur.

DE 14 SERAPIONE PRESBYTERO.

CAP. XVIII.

Pallad. cap. 76.

SED & in regione Arsenoite Serapionem quemdam presbyterum vidimus multorum monasteriorum patrem, sub cuius curâ plura & diuersa monasteria, quasi decem millium habebantur monachorum, qui omnes ex laboribus propriis, quos præcipuè messis tempore, mercede manuum conquirebant, partem plurimam ad supradictum patrem conferentes, in vsus pauperum destinabant. Hoc autem moris erat non solùm ipsis, sed & omnibus pæne Ægyptiis monachis, vt messis tempore elocent ad metendum operam suam, atque ex eâ mercede octogenos vnusquisque modios frumenti plus minùs conquireret, & horum partem plurimam pauperum vsibus offerant; vnde non solùm regionis ipsius indigentes alantur, sed & Alexandriam naues frumento onustæ dirigantur, vel in carcerem conclusis, vel reliquis peregrinis atque egentibus proroganda. Neque enim intra Ægyptum sufficiunt pauperes, qui possint misericordiæ eorum fructus & largitates absumere.

Serapion decem millium monachorum pater.

Vt pauperibus subueniant, operam suã messis tempore locãt.

Vidimus autem & in regionibus Mempheos & Babylonis innumeras multitudines monachorum, apud quos & diuersas virtutum gratias ac morum ornamenta perspeximus. Ibi autem tradunt esse loca illa, in quibus Ioseph fertur recondidisse frumenta, quos & thesauros Ioseph vocant; alij verò Pyramidas, quas dicunt ipsas esse, in quibus, vt putant, frumenta tunc congregata sunt.

Pyramides Mempheos thesauri Ioseph.

DE 15 APOLLONIO MONACHO ET MARTYRE.

CAP. XIX.

Pallad. cap. 66.

TRADEBANT ergo seniores horum, fuisse quemdam persecutionis tempore monachum, nomine Apollonium, qui cùm vitam magnificam egisset inter fratres, etiam diaconus ordinatus est. Tempore ergo persecutionis erat ei studium singulos quosque circuire fratres, & cohortari eos ad martyrium. Cumque fuisset etiam ipse comprehensus, & in carcerem trusus, gentilium plurimi tamquam insultantes veniebant ad eum, & verbis blasphemis & impiis confutabant.

Apollonius diaconus.

Inter quos fuit quidam Philemon nomine, choraula famosissimus, & omni populo amabilis. Qui cùm multis eum fatigaret iniuriis, impium, & scelestum, & seductorem eum vocans, multorumque mortalium deceptorem, dignumque esse ab omnibus odio haberi. Cumque hæc & multa alia aduersus eum grauiora loqueretur, respondit ei Apollonius, dicens: Misereatur tibi Dominus, fili mi, & nihil tibi horum quæ locutus es, reputet ad peccatum. Hæc cùm audisset Philemon, corde compunctus est, vimque verborum eius supra humanum morem in suâ mente persensit, intantum vt Christianum se repentè fateretur. Et inde statim peruolat ad tribunal iudicis, atque in conspectu totius populi proclamans, Iniustè, inquit, agis, ô iudex iniquitatis, viros religiosos & Deo amabiles puniens; nihil enim mali Christiani vel faciunt vel docent. At ille hæc audiens, primò quidem putabat, vtpote loci illius hominem, ioci aliquid proponere. Sed cùm vidisset hæc eum sedulè prosequentem, & cum omni constantiâ asserentem, Insanis, inquit, ô Philemon, & mente captus es subitò. At ille, Ego, inquit, non insanio; sed tu iniustissimus atque insanissimus iudex es, qui tot iustos iniustè perimis viros. Ego enim Christianus sum, quod est hominum genus optimum. Tunc ille coram populo cœpit eum primò plurimis blandimentis reuocare velle in id quod eum nouerat; sed vt immobilem vidit, omnia intendit in eum genera tormentorum. Cognito verò quòd ex verbis Apollonij hæc facta ei fuerit permutatio, correptum etiam Apollonium grauio-

A Philemone maledicitur.

Mansuetudine Apollonij Philemon conuertitur.

Zelus Philemonis.

grauioribus subdidit tormentis, & deceptoris in eum crimen exaggerat. Apollonius verò dixit ad eum: Vtinam & tu iudex, & omnes qui assistunt, & audiunt me, hunc meum, quem dicis errorem deceptionemque sequeremini. At ille vbi hæc audiuit, & ipsum, & Philemonem ignibus tradi in conspectu populi iussit. Illi verò postquam ingressi sunt flammas, beatus Apollonius cunctis audientibus clamabat ad Dominum, dicens: Non tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi: sed ostende nobis euidenter salutare tuum. Igitur, vbi hæc in auditu populi & iudicis ad Dominum locutus est Apollonius, repentè nubes repleta rore circumdedit viros, & flammas accensi ignis extinxit: super quo stupefacti & iudex & populus, vnâ omnes voce clamare cœperunt: Magnus, & vnus est Deus Christianorum, solus immortalis est. Sed hæc cùm fuissent præfecto Alexandriæ nuntiata, semetipso truculentior redditur, & electis quibusdam de officio suo crudelissimis & sæuissimis, non tam hominibus quàm bestiis, mittit, qui & ipsum iudicem, qui mirabilibus diuinis crediderat, & eos per quos virtus Dei apparuerat, vinctos Alexandriam adducerent. Igitur cùm adducerentur omnes pariter vincti, affuit gratia Dei in verbo, & cœpit Apollonius eos, qui se vinctos ducebant, fidem Dei docere. Quique cùm Dei misericordiam credidissent, & fidem Dei totâ cordis firmitate recepissent, semetipsos cum his, quos exhibere venerant vinctos, offerunt iudici, & Christianos se esse pariter profitentur. Quos cùm præfectus in fide Domini pertinaces & immobiles peruidisset, vniuersos pariter iubet in profundum maris demergi, ignorans impius quid ageret. Hoc enim sanctis non mors, sed Baptismus fuit. Sed & horum corpora, Dei sine dubio prouidentiâ, integra illibataque maris vnda reportauit ad littus, quæque ab his, qui obsequij caussâ simul venerant suscepta, ac reuocata sub vno sepulcri domicilio collocata sunt: à quibus vsque ad præsens tempus, virtutes multæ, & signa miranda omnibus consummantur, sed & vota omnium atque orationes suscipiuntur ab eis, & cum fructu petitionis implentur, quò etiam & nos dignatus est Dominus adducere, & vota nostra orationesque complere.

Ignibus traduntur Apollonius & Philemon. *Psal. 73. Psal. 81.* *Incolumes perstant.* *Inde iudicis & populi conuersio.* *Apollonius præfecti Alexãdriæ officiales & satellites conuertit.* *Omnes in mare demerguntur.* *Corpora illibata littori redduntur, & vno conduntur sepulcro.* *Auctor hic cum suis vota explet.*

DE [36] DIOSCORO PRESB.

Cap. xx. *Palladius cap 68.*

VIDIMVS & alium venerabilem patrem apud Thebaidem, Dioscorum nomine, presbyterum, habentẽ in monasterio suo centum ferè monachos, quem tempore eo quo acceditur ad Sacramenta, summam curam summamque perspeximus adhibere diligentiam, ne quis eorum qui accedunt, in aliquo deferrent conscientiæ maculam; in tantum vt etiam de his eos commoneret, quæ accidere per somnia hominibus solent, vel per phantasias mulierum apparentium, vel etiam per naturalis humoris abundantiam. Dicebat ergo: Si quidem absque mulierum phantasiis tale aliquid eueniat, non esse peccatum; congenitus enim humor in corpore vbi propria repleuerit conceptacula, suis necesse est vt meatibus egeratur, & ideò non trahitur ad peccatum. Vbi verò visus mulierum, & blandimenta carnis occurrunt, in hoc iam desideriis animæ & erga huiusmodi cogitationes atque illecebras occupatæ dari confirmabat indicia. Debere ergo monachos, aiebat, omni genere à cogitationibus suis repellere huiusmodi simulacra, nec indulgere omnino in hæc diaboli blandimenta sensus suos, alioquin nihil videbitur interesse inter eos & illos qui in sæculo viuunt. Sed laborandum est monachis, vt etiam naturalem humorem per multam ieiuniorum abstinentiam & frequentes orationes doment ac superent: fluxamq; eius labem, orationis & ieiunij continuatione restringant. Denique, aiebat, & hi qui in deliciis viuunt, si forte corporis sui ægritudo deposcat, ab omnibus quæ noxia esse iudicauerit medicus, abstinebunt; cur non hoc multò magis monachus faciat, cui animæ & spiritus sanitas expetenda est?

Dioscorus presbyter. *Quid de pollutione nocturnâ sentiendum, suos docet.* *Remedia contra nocturnã pollutionem.*

[37] DE MONACHIS IN NITRIA COMMORANTIBVS.

Cap. xxi. *Palladius cap. 69.*

VENIEMVS autem & ad Nitriæ famosissimum in omnibus Ægypti monasteriis locum, qui quadraginta fere millibus abest ab Alexandria, ex nomine vici adiacentis in quo nitrum colligitur, Nitriæ vocabulum trahens, prospiciente hoc, credo, tunc iam diuinâ prouidentiâ, quòd in illis locis peccata hominum, tamquam nitro sordes abluenda essent & abolenda. In hoc igitur loco quinquaginta ferè, aut non multò minus cernuntur vicina sibi, & sub vno posita patre tabernacula, in quibus aliqui plures simul, aliqui pauci, nonnulli etiam singulares habitant, & mansione quidem aliqui diuisi, animo autem & fide & charitate coniuncti & inseparabiles manent.

Nitria monasterium vnde dictum.

Huic ergo cùm appropinquaremus loco, vbi peregrinos fratres aduenire senserunt, continuò velut examen apum, singuli quique ex suis cellulis proruunt, atque in obuiam

Ingens hospitalitatis studium.

obuiàm nobis læto cursu & festinâ alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum vrceos aquæ & panes, secundùm quod Propheta corripiens quosdam dicit: Quia non exiistis filiis Israël in obuiàm cum pane & aquâ. Tunc deinde susceptos nos adducunt primò cum psalmis ad ecclesiam, lauant pedes, ac singuli quique linteis quibus vtebantur abstergunt, quasi viæ laborem leuantes, re autem verâ vitæ humanæ ærumnas mysticis traditionibus abluentes.

2. Esdr. 13.

Quid ergo nunc de humanitate eorum, quid de officiis, quid de charitate loquar, cùm omnes gestirent nos ad suam quisque introducere cellulam, & non ea solùm quæ hospitalitati debentur explere, sed insuper aut de humilitate, quâ ipsi pollebant, docere, aut de mansuetudine atque aliis huiusmodi bonis, quæ apud illos, velut ad hoc ipsum de sæculo sequestratos, diuersâ quidem gratiâ, vnâ tamen eademque doctrinâ discuntur. Nusquam sic vidimus florere charitatem, nusquam sic vidimus opus feruere misericordiæ, & studium hospitalitatis impleri. Scripturarum verò diuinarum meditationes & intellectus, atque scientiæ diuinæ nusquam tanta vidimus exercitia, vt singulos pænè eorum oratores credas in diuinâ esse sapientiâ.

Omnes pænè Nitriæ monachi oratores sapientes.

CAP. XXII

DE LOCO QVI DICITVR [38] CELLIA.

Palladius cap. 69.

POST hunc verò alius est locus in deserto interiori, decem ferè ab hoc millibus distans, quem locum pro multitudine dispersarum in eremo cellularum, Cellia nominauerunt. Ad hunc locum hi, qui ibi priùs fuerunt imbuti, & secretiorem iam depositis indumentis ducere volunt vitam, secedunt: eremus enim est vasta, & cellulæ tanto inter se spatio diremptæ, vt neque in conspectu sibi inuicem, neque in vocis auditu sint positæ.

Cellia vnde dictum.

Cellularũ cõstitutio.

Singuli per cellulas commanent, silentium ingens & quies magna inter eos est: die tantùm Sabbati & Dominicâ in vnum ad ecclesiam coëunt, & ibi semetipsos inuicem tamquam cælo redditos vident. Si quis fortè in conuentu illo defuerit, intelligunt statim eum corporis aliquâ inæqualitate detentum, & ad visitandum eum non omnes quidem simul, diuersis tamen temporibus omnes abeunt, portantes vnusquisque secum, si quid apud se est, quod ægro possit gratum videri. Aliam verò ob caussam nullus audet proximi sui obturbare silentium, nisi fortè quis possit in verbo instruere, & velut athletas in agone positos sermonis consolatione perungere. Multi ipsorum à tribus & quatuor millibus ad ecclesiam coëunt: ita longo à semetipsis spatio habitationis eorum cellulæ dirimuntur: sed charitas in eis tanta est, & tanto inter semetipsos & erga omnes fratres constringuntur affectu, vt in admiratione & exemplo sint omnibus. Vnde & si quis fortè voluerit habitare cum eis, vbi intellexerint, vnusquisque cellulam offert suam.

Die Sabbati & Dominicâ ad ecclesiam cõueniunt.

Infirmorũ visitatio.

CAP. XXIII.

DE [39] AMMONIO.

Palladius c. 12. quædã de hoc. Origenista hic cum Eusebio & Euthymio fuit, teste Hieron.

VIDIMVS quemdam apud eos venerabilem patrem, Ammonium nomine, virum in quem Deus omnem plenitudinem spiritualium contulerat gratiarum. Charitatis in eo gratiam cùm videres, nihil tàle vsquam vidisse te diceres. Sed & si humilitatem considerares, longè eum in hoc dono potentiorem ceteris æstimares. Et rursus si patientiam, si mansuetudinem, si benignitatem, in singulis eum virtutibus ita præcellere iudicares, vt quid cui præferre debeas ignorares. Donum verò sapientiæ & scientiæ tantum ei contulerat Dominus, vt nullum ferè ex omnibus patribus ita penetrasse aulas totius scientiæ crederes, sed nec ita aliquem receptum esse intra cubiculum sapientiæ Dei, omnes qui eum viderant fateantur. [40] Huic erant duo fratres, Eusebius & Euthymius: nam Dioscorus, qui maior natu in eis fuerat, [41] ad episcopatus officium raptus est. Hi ergo fratres erant ei non solùm carne, sed etiam vitâ atque institutione & totâ animi virtute germani: qui omnes simul eos, qui in illis locis habitabant fratres, tamquam si nutrix foueat filios suos, ita vnumquemque instruentes consolabantur, & docentes, ad summam perfectionem nitebãtur educere.

Virtutum excellentia in Ammonio.

Fratres eius Eusebius, Euthymius, Dioscorus.

Vidimus ergo supradictum hominem Dei Ammonium habentem monasterium inter eos muro circumdatum, quod in illis locis ex lateribus crudis fieri facilè solet amplũ, & omnibus necessariis instructum, in quo etiam puteum ipse foderat. Venit autem quidam frater, saluari apud eum volens, adiitque eumdem Ammonium rogans, sicubi esset cellula vacans, in quâ habitare posset. Tunc ille, Ego, inquit, inquiram; sed donec inueniam, hîc esto in hoc monasterio: ego enim iam nunc egrediar vt requiram. Et relinquens ei omnia pariter cum monasterio, ipse procul ab eo loco paruissimam cellulam reperit, atque in eâ se constituit, fratriq; qui nuper aduenerat, nec intelligenti, ex integro cum omnibus quæ in eo fuerant cessit monasterio. Sed & si plures fuissent, qui fortè venientes saluari cupe-

Pallad. cap. 70. hunc diuersum à priore facit.

Ammonius hospiti cellulã suam cedit.

cuperent, supradictus vir fratribus congregatis omnibus, cum alacritate iuuantibus, sub die vnâ monasterium construebat. Et cùm singulis quibusque expleuisset numerum monasteriorum, inuitabantur hi qui mansuri erant ad ecclesiam, quasi refectionis gratiâ, quibus inibi occupatis, vnusquisque fratrum de cellulis suis proferentes quæ necessaria erant, singulorum nouas cellulas instruebant, ita vt ex collatione charitatis, nihil omnino vel vtensilium, vel quæ ad victum requiruntur deesset, nec tamen manifesta fieret vniuscuiusque oblatio. Regressi ergo ad vesperam, hi quibus fuerant cellulæ præparatæ inueniebant posita omnia quæ ad vsus erant necessaria, & ita instructa habitacula, vt nihil prorsus deesse perspicerent.

Nouitiorũ cellulæ occultè à fratribus instruuntur supellectile.

CA. XXIV.

DE [42] DIDYMO.

Deest hic Palladio. De Didymo cæco, Pallad. c. 4. *Didymus innoxiè scorpiones calcat.*

VIDIMVS quemdam inter eos ex senioribus virum bonum, nomine Didymum, in quo multa erat Domini gratia, quam in eo etiam vultus ipse indicabat. Hic scorpiones, & cerastas, id est, bestias quas cornutas vocant, & angues, qui in illis locis præ feruore solis acerrimi habentur, tamquam terræ quosdam vermiculos pedibus conculcabat, & ita extinguebat, vt nihil ab eis omnino pateretur.

CAP. XXV.

DE [43] CRONIO.

Pallad. c. 25. & 89. de Croniis, qui noti fuêre Antonio. *Cronius 110. annorum.*

VIDIMVS apud eos & alium summæ antiquitatis patrem, Cronium nomine, in senectute bonâ, & perfectâ ætate durantem: centum namque & decem ætatis agebat annos. Hic ex discipulis adhuc beati Antonij supererat: cuius inter ceteras animi virtutes humilitatis gratiam vidimus immensam.

CA. XXVI.

DE [44] ORIGENE.

Pallad. cap. 10.

ERAT autem & alius adhuc ex discipulis Antonij, Origenes nomine, vir per omnia magnificus, & summæ prudentiæ, cuius sermo & narratio de virtutibus optimi magistri, hominis Dei, ædificabat omnes audientes, & inflammabat vehementer, ita vt oculis cerni, quæ ab eo narrabantur, putares.

CAP. XXVII.

DE [45] EVAGRIO.

Pallad. cap. 86. Origenista hic fuit, teste Hieron.

VIDIMVS ibi & sapientissimum virum, ac per omnia mirabilem, Euagrium nomine: cui inter ceteras animi virtutes tanta concessa est gratia discernendorum spirituum, & purgandarum (sicut Apostolus dicit) cogitationum, vt nullus alius putaretur ex fratribus ad tantam subtilium & spiritualium rerum scientiam peruenisse. Cui quamuis rebus ipsis, & experimentis, & (quod est super omnia) per gratiam Dei magna collata fuerit intelligentia: accessit tamen & hoc, vt multo tempore instructus fuerit à beato Macario, quem famosissimum in Dei gratiâ, signisque & virtutibus insignem fuisse, omnibus notum est.

Euagrius Macarij discipulus.

Hic ergo Euagrius incredibilis erat abstinentiâ; super omnia tamen monebat fratres, si qui fortè studium gererent vel humiliandi corporis, vel phantasias ab eo dæmonum propellendi, ne in bibendâ aquâ largiore mensurâ vterentur; dicebat enim: Quia si aquâ multâ corpus infundatur, maiores phantasias generat, & largiora receptacula dæmonibus præbet. Sed & multa alia de abstinentiâ, summâ cum deliberatione edocebat. Ipse autem non solùm aquâ parcissimâ vtebatur, sed & pane penitùs abstinebat. Alij verò qui in illis locis morabantur fratres, pane solo & sale contenti erant, ita vt in illâ omni multitudine, vix inuenires aliquem, qui oleo saltem vteretur. Plures autem in eis nec iacentes somnum, sed sedentes, & (vt ita dicam) in meditatione diuinorum verborum positi capiebant.

Aqua largiter non bibenda, ne phantasias varias generet.

CAP. XXVIII.

DE [46] DVOBVS MACARIIS, ET PRIMO, DE [47] MACARIO ÆGYPTIO, SEV SENIORE.

Pallad. c. 19. & 20.

NARRABANT autem nobis quidam ex patribus qui ibi erant, quòd in locis illis duo Macarij, quasi duo cæli luminaria refulsissent, ex quibus vnus Ægyptius genere, & discipulus beati Antonij fuit, alius Alexandrinus. Quibus vt vocabula nominis, ita virtutes animi & cælestium gratiarum magnificentia concordabat. Vterque enim Macarius, vterque abstinentiæ exercitiis & virtutibus animi æqualiter pollens, hoc solo alius præcellens, quòd quasi hereditatem gratiarum & virtutum beati Antonij possidebat.

Vterque Macarius virtutibus clarus.

Hinc denique ferunt, aliquando cùm homicidium in locis vicinis fuisset admissum, & innocenti cuidam impingeretur crimen admissi, confugisse ad eius cellulam eum qui calumniam patiebatur; affuisse etiam eos qui perurgebant, allegantes & dicentes periclitari seipsos, nisi comprehensum legibus traderent homicidam. Is verò cui crimen impingebatur, cum sacramentis affirmabat, conscium se non esse sanguinis illius. Et cùm diu ab vtraque parte certamen haberetur, interrogabat sanctus Macarius, vbi sepultus esset qui dicebatur occisus. Cumque designassent locum,

Deest hoc Palladio.

Idem infrà lib. 3. num. 41.

Aegyptius Macarius innocentem à pœnâ homicidij liberat.

MACARIVS ÆGYPT.

cùm, cùm omnibus qui ad perurgendum hominem venerant, pergit ad sepulcrum; atque ibi fixis genibus inuocato Christi nomine, ait ad eos qui astabant: Nunc Dominus ostendet si verè reus est hic qui perurgetur à vobis. Et eleuatâ voce, ex nomine clamat defunctum. Cumque ei de sepulcro vocatus respódisset, ait ad eum: Per fidem Christi te obtestor, vt dicas si ab hoc homine, qui calumniam patitur, occisus es. Tunc ille de sepulcro clarâ voce respondit, dicens, non se esse ab eo interfectum. Et cùm obstupefacti omnes decidissent ad terram, ac pedibus eius aduoluerentur, rogare cœperunt, vt interrogaret eum à quo esset occisus. Tunc ille, Hoc, inquit, non interrogabo: sufficit enim mihi vt innocens liberetur; non est autem meum, vt reus prodatur.

A mortuo & sepulto testimoniũ exposcit.

Pallad. cap 19. simile de muliere habet.

Aliud quoque eius genus miraculi ferebatur. Cuiusdam in vicino oppido patrisfamilias virgo filia per phantasias magicas videbatur hominibus in equinum animal versa, vt putaretur equa esse, & non puella. Hanc adduxerunt ad eum. Tunc ille percontatus quid vellent? aiunt parentes eius: Equa hæc quam vident oculi tui, puella virgo & filia nostra fuit; sed homines pessimi, magicis artibus in animal hoc quod vides mutauerunt eam. Rogamus ergo vt ores Dominum, vt commutet eam in hoc quod fuit. At ille ait: Ego hanc, quam ostenditis mihi puellam video, nihil in se pecudis habentem: hoc autem quod dicitis, non est in eius corpore, sed in oculis intuentium. Phantasiæ enim dæmonum sunt istæ, non veritas rerum. Et cùm introduxisset eam cum parentibus suis intra cellulam, fixis genibus orare Dominum cœpit, simulque & parentes rogat secum Domino supplicare, & post hoc perungens eam oleo in nomine Domini, omni fallaciâ visus expulsâ, virginem videri omnibus vt etiam sibi videbatur effecit.

Virgo magicis artibus in equã visa verti.

Oleo benedicto & oratione, à fascinatione eam liberat.

Deest hoc Palladio.

Alia quoque minor puella ad eum deducta est, cuius obscœna corporis ita omni ex parte computruerunt, vt consumptis carnibus, interiora quoque & secreta naturæ nudarentur, ac vermium ebulliret inde innumera multitudo, ita vt nec accedere quidem quisquam ad eam posset præ fœtoris horrore. Hæc cùm allata à parentibus, & proiecta fuisset ante fores eius, miserans virginis cruciatus, Æquo animo, inquit, esto, filia, hæc tibi ad saluté Dominus, non ad interitum dedit: vnde prouidendum est magis, vt sanitas tua nullum tibi periculum conferat. Et cùm institisset orationibus per septem continuos dies, & oleum benedicens, in nomine Domini perungeret membra eius, ita eam sanam reddidit vt muliebris in eâ naturæ nulla forma, nulla species appareret, sed esset ei inter viros conuersatio, absque femineæ suspicionis obstaculo.

Oleo benedicto aliam puellam sanat, & in virum vertit.

Aiebant præterea, aliquando venisse ad eum hæreticum quemdam Hieracitam, quod genus hæreseos inuenitur apud Ægyptum. Hic cùm per multam loquendi artem plurimos fratrum qui habitabant in eremo, conturbaret, ausus est etiam coram ipso fidei suæ asserere prauitatem. Cui cùm resisteret senior & contradiceret, ille verba simplicia argumentis callidis eludebat. Sed cùm videret sanctus, fidem fratrum periclitari, Quid opus est, inquit, nos verbis contendere ad subuersionem audientium? Exeamus ad sepulcra fratrum, qui nos præcesserunt in Domino: & cui nostrûm concesserit Dominus suscitare mortuum de sepulcro, sciant omnes quia illius fides probatur à Deo. Sermo hic omnibus qui aderant fratribus placuit. Processerunt ad sepulcra, & hortatur Macarius Hieracitam, vt euocaret mortuum in nomine Domini. At ille, Tu, inquit, domine, qui proposuisti, prior euoca. Et Macarius posternens se in orationem ante Dominum, vbi sufficienter orauit, eleuatis sursum oculis suis, ait ad Dominum: Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat, ostende, eleuato mortuo hoc. Et cùm hæc dixisset, fratris cuiusdam nomen qui nuper fuerat sepultus, euocauit. Cui ille cùm de tumulo respondisset, accedentes fratres continuò, quæ superposita fuerant, auferunt, & eductum eum de sepulcro, 48 resolutis fasciolis quibus constrictus erat, exhibuerunt viuentem. Hieracita verò, vbi hæc vidit, obstupefactus in fugam vertitur. Quem fratres quoque omnes insequentes, extra terminos terræ illius exturbauerunt.

Deest hoc Palladio Herueti: sed habetur verbotenus infrà in Appendice in Palladio ex veteri interpretatione.

Hieracitã hæreticum ad mortui suscitationem in fidei testimoniũ prouocat.

Mortuum ad fidei probationẽ suscitat.

Multa etiam & alia ferebantur de eo quæ nimis prolixa sunt ad scribendum: sed ex his paucis, etiam cetera eius opera noscuntur.

DE 49 MACARIO ALEXANDRINO SEV IVNIORE. CAP. XXIX.

Pallad. c. 19. & 20.

ALIVS verò sanctus Macarius magnificas etiam ipse virtutes consummauit, de quibus & alij nonnulla scripserunt, quæ sufficere possint ad virtutum eius magnitudinem contuendam, & ideò nos ea compendio præterimus.

Ferebant tamen eum amatorem fuisse eremi super omnes ceteros, ita vt etiam vltima & inaccessibilia deserti perscrutatus sit

Macarius Alexandrinus vltima deserti scrutatur.

sit loca, vsquequò inueniret locum quemdam in vltimis eremi constitutum, diuersis pomiferis arboribus consitum, & omnibus bonis repletum: vbi etiam duos fratres inuenisse ferebatur, quos cùm rogaret vt paterentur ad se deduci illuc monachos vt ibi habitarent, quoniam quidem locus ille & amœnus esset, & abundans in omnibus necessarijs; responderunt, non posse adduci illuc plures, ne fortè venientes per eremum à dæmonibus deciperentur. Multos enim aiebant esse dæmones in deserto, ac monstra, quorum molestias & calliditates ferre multitudo insueta non posset. Regressus tamen ad fratres, cùm indicasset de opportunitate loci, multorum inflammati sunt animi, vt pergerent illuc cum eo. Sed vbi patres reliqui senserunt animos iuuenum concitatos, represserunt eos salubriore consilio, dicentes: Locus iste si verè, vt iactatur, à Iamne & Mambre consitus est, non aliud de eo credendum est, nisi quòd diaboli opere ad deceptionem nostram præparatus sit. Si enim verè, vt perhibent, deliciosus est & abundans; quid sperabimus in futuro sæculo, si hîc delicijs fruimur? Et hæc atque alia huiusmodi dicentes, iuuenum feruentes animos represserunt.

Multi dæmones in deserto.

Locus à Iamne & Mambre magis Pharaonis consitus.

Locus autem in quo habitabat ipse sanctus Macarius, Scithium appellatur. Est autem in eremo vastissimâ positus, diei & noctis iter habens de Nitriæ monasterijs; & hoc nullâ semitâ, neque terrenis aliquibus colligitur vel monstratur indicijs, sed stellarum signis & cursibus pergitur. Aqua rarò inuenitur, & sicubi inuenta fuerit, odoris quidem dirissimi est, & quasi bituminea, sed saporis innoxij. Sunt ergo ibi viri valdè perfecti, (nec enim patitur tam terribilis locus, nisi perfecti propositi habitatores summæque constantiæ) charitatis tamen inter se & erga omnes, si qui fortè ad eos accesserunt, summum studium gerunt.

Ioan. libell. 3. num. 15. *Scithium locus Macarij.*

Fertur denique cùm sancto Macario vuam quis aliquando detulisset, ille qui secundùm charitatem, non quæ sua sunt, sed quæ alterius cogitaret, ad alium fratrem detulit eam, qui quasi infirmior videbatur. Tunc ille gratias egit Deo pro fratris officio, sed & ipse nihilominùs plus de proximo quàm de semetipso cogitans, ad alium pertulit, & ille item ad alium, & sic per omnes cellulas quæ longè à semetipsis per eremum dispersæ erant, vua circumlata est, ignorantibus eis, quis eam primò misisset; ad vltimum ipsi defertur qui eam miserat. Gratulatus est autem sanctus Macarius, quòd tantam viderat in fratribus continentiam, tantamque charitatem, ad acriora semetipsum spiritalis vitæ extendit exercitia.

Pallad. c. 10. Ruff. infrà lib. 3. n. 42. 1. Cor. 10. *Vua per charitatis mutua officia, monachorum cellas obambulat.*

Ad fidem namque confirmatum nobis de eo est ab his, qui ex ore eius audierant, quòd quodam tempore noctis dæmon ad ostium cellulæ eius pulsauerit, dicens: Surge, abba Macari, & eamus ad collectam, vbi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille, qui gratiâ Dei repletus falli non poterat, intellexit diaboli esse fallaciam, & ait: O mendax & veritatis inimice! quid enim tibi consortij, quid societatis est cum collectâ & congregatione sanctorum? At ille: Latet ergo te, inquit, ô Macari, quòd sine nobis nulla collecta agitur, nullaque congregatio monachorum? Veni denique, & videbis opera nostra. Tunc ille, Imperet, inquit, tibi Dominus, dæmon immunde. Et conuersus ad orationem, petijt à Domino, vt sibi ostenderet, si hoc verum esset, quod gloriatus est dæmon. Abijt ergo ad collectam, vbi à fratribus vigiliæ celebrantur, & iterum in oratione Dominum deprecatur, vt sibi veritatem verbi huius ostendat. Et ecce vidit per totam ecclesiam quasi paruulos quosdam puerulos Æthiopes teterros discurrere huc atque illuc, & velut volitando deferri. Moris est autem inibi sedentibus cunctis, ab vno dici psalmum, ceteris vel audientibus vel respondentibus. Discurrentes ergo illi Æthiopes pueruli, singulis quibusque sedentibus alludebant, & si cui duobus digitulis oculos compressissent, statim dormitabat: si cui verò in os immersissent digitum, oscitare eum faciebant. Vbi verò post psalmum ad orandum se proiecissent fratres, percurrebant nihilominùs singulos, & ante alium iacentem in oratione, quasi mulierum specie ferebantur, ante alium quasi ædificantes atque portantes aliquid, ac diuersa quæque agentes apparebant. Et quæcumque dæmones quasi ludendo formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant: à nonnullis tamen, vbi aliquid horum agere cœpissent, quasi vi quadam repulsi, præcipites deijciebantur, ita vt nec stare quidem prorsus, aut transire iuxta eos auderent: alijs verò etiam infirmis fratribus supra ceruices & dorsa ludebant, quia non erant in oratione suâ intenti. Hæc cùm vidisset sanctus Macarius, ingemuit grauiter, & lacrymas profundens ad Dominum, Respice, ait, Domine, & ne sileas, neque mitigeris Deus. Exurge vt dispergantur inimici tui, & vt fugiant à facie tuâ, quoniam anima nostra repletur illusionibus. Post orationem tamen examinandæ veritatis gratiâ seorsum euocatis singulis quibusque fratri-

Ruffin. lib. 3. num. 43. *Macarius à dæmone ad collectã vocatur.* Iudæ ep. *Macarius videt dæmones Æthiopum specie collectis interesse.* *Varia dæmonum suggestiones tempore orationis.* Psal. 82. Psal. 67.

fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diuerso habitu & varijs imaginibus ludentes, requirit ab eis, si in oratione vel iter ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diuersa, quæ vnicuique imaginata per dæmones viderat: & singuli eorum ita confitebantur in corde suo fuisse, vt ille arguebat: & tunc intellectum est, quòd omnes vanæ & superfluæ cogitationes, quas vel psalmorum vel orationum tempore vnusquisque conceperit, ex illusione dæmonum fiant: ab his autem qui omni custodiâ cor suum seruant, tetri repelluntur Æthiopes. Deo enim coniuncta mens, & in ipso tempore præcipuè orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit.

Superflua cogitationes tempore orationis opus dæmonis.

Aliud quoque multò terribilius addebat, quod vidisset eo tempore, quo fratres accedebant ad Sacramenta. Vbi porrexissent ad suscipiendum palmas, in nonnullorum manibus præuenientes Æthiopes, carbones deponere, Corpus autem, quod tradi sacerdotis manibus videbatur, redire ad altare; alijs verò, quos meliorum merita iuuabant, extendentibus manus ad altare, longè recedere dæmones, & cum ingenti metu refugere: angelum enim Domini assistere cernebat altari, qui cum sacerdotis manu suam quoque manum in Sacramentorum distributione superponeret. Ex hoc iam permansit ei à Deo gratia ista, vt in vigilijs fratrum, psalmorum & orationis tempore, si quis aliud aliquid secundùm illusionem dæmonum in corde cogitasset, agnosceret, & accedentium ad altare vel indignitates eum vel merita non laterent.

Merita & demerita communicantium, & illusiones dæmonum videt.

Quodam autem tempore ambo Macarij homines Dei cùm fratris cuiusdam videndi gratiâ iter agerent, ascenderunt nauigium, quo fluuius transiri solet, in quo nauigio erant simul quidam tribuni, diuites homines & præpotentes, equos plurimos ac pueros, & multa secum ministeria habentes. Horum vnus cùm videret in vltimâ nauigij parte vilibus indumentis, atque ad omnia expeditos iacere monachos, ait ad eos: Beati estis vos, qui huic sæculo illuditis, & nequaquam ex eo requiritis, nisi indumentum vilissimum & parcissimum victum. Tunc vnus de Macarijs respondit ad eum: Verè quidem, vt dicis, qui Deum sequuntur, illudunt mundo; sed miseremur vestri, quòd vobis econtrariò mundus illudit. Tunc ille compunctus super hunc sermonem, statim vt peruenit ad domum suam, derelictis omnibus vel distractis quæ habebat, & pauperibus datis, ipse Deum sequi cœpit, & ad monachorum exercitia properauit.

Palladius c. 19. & 20. Ioan. libell. 3. num. 15.

Sæculo pauperes spiritu, diuitibus sæculum illudit.

Sed & multa, vt diximus, alia de operibus sancti Macarij Alexandrini mirabilia feruntur, ex quibus nonnulla in XI. libro Ecclesiasticæ historiæ inserta qui requirit inueniet.

DE S. AMMONE, PRIMO NITRIAE MONACHO.

Cap. XXX.

INITIVM sanè habitationis monasteriorum quæ in Nitriâ sunt, sumptum tradebant ab Ammone quodam, cuius animam (cùm exisset de corpore) vidit ferri ad cælum sanctus Antonius, sicut refert scriptura illa, quæ Vitam describit beati Antonij. Hic igitur Ammon locupletibus & generosis parentibus natus est, à quibus inuitus ad nuptias cogebatur. Et cùm vim parentum non posset effugere, acceptâ virgine, cùm intra nuptiales thalamos conuenissent, & data eis essent cubiculi secreta silentia, alloquitur puellam de pudicitiâ, & de conseruandâ virginitate cœpit cohortari, dicens: Quia corruptio sine dubio inuenit corruptionem, incorruptio verò incorruptionem sperat: multò ergo melius est, si vterque nostrûm in virginitate perduret, quàm vt alter corrumpatur ex altero. Acquiescit ei virgo, silentio tegitur incorruptionis thesaurus. Cumque plurimo tempore solius Dei contenti testimonio, spiritu magis essent quàm carne sanguineque coniuncti, post obitum amborum parentum, ille quidem, ad vicinum deserti secedit locum, virgo verò intra domum residens, in breui & ipsa multitudines virginum, & ille multitudines congregat monachorum.

Pallad. cap. 8.

Videt Antonius Ammonis animam ad cælū ferri. Suprà in Vitâ sancti Antonij cap. 31.

Ammon cum sponsâ continentiâ seruat.

Fit ille pater monachorum; illa mater virginum.

Cumque iam secretus sederet in eremo, adolescens quidam, qui morsu canis rabidi in rabiem versus est, multis vinctus catenis ad eum deducitur, prosequentibus eum parentibus suis, & rogantibus pro eo. At ille dixit eis: Quid mihi molesti estis, ô homines? supra merita mea est quod petitis; sed tamen hoc vobis indicare possum, quòd in manibus vestris est eius sanitas. Reddite viduæ bouem suum, quem furati estis, & sanus reddetur vobis filius vester. At illi extimuerunt quidem valdè, quòd ea quæ secretè gesta sunt, non latuerunt hominem Dei. Gauisi sunt tamen, quòd hanc eis viam salutis ostendit, & sine morâ, vt reddiderunt direpta, orante homine Dei, etiam iuueni sanitas redditur.

Ammon furtum secretum cognoscit.

Rabidus restitutione furti sanatur.

Alio quoque tempore, cùm venissent ad eum quidam, probare volens animos ipsorum, dicit dolium sibi esse necessarium, vbi aquam pro aduenientibus congregaret.

Et

Et cùm polliciti fuissent perlaturos se, vnus ex ipsis graue sibi duxit, dicens periclitari posse camelum suũ, si ei tam graue onus imponeret. Et ait ad alterum: Tu si vis aut potes, defer, ego camelo meo parco ne moriatur. Tunc alter, Mihi, inquit, vt ipse nosti camelus non est, sed asinus. Numquid potest, quod camelus portare non valet, asinus portare? At ille, Facito, inquit, vt voles, tu videris, ego enim non interimã camelum meũ. Tunc ille, Ego, inquit, imponam asino meo pondus, quod tu camelo tuo onerosum dicis, & merita hominis Dei facient quod impossibile est esse possibile. Et ita impositum dolium asino suo, peruexit vsque ad monasterium hominis Dei, ita vt nec sentiret asinus se aliquid oneris portare. Quem vt vidit Ammon, Benè fecisti, inquit, in asino deferens dolium; collegæ enim tui camelus mortuus est. Et regressus inuenit ita gestum, vt prædixerat famulus Dei.

Ammoni cameli vsũ negans, camelo priuatur.

Absens id nouit Ammon.

Sed & multa alia per eum signa Dominus ostendit. Nam & fluuium Nilum cùm transire vellet, & exuere se erubesceret, virtute Dei subitò in alteram ripam translatus dicitur. Beatus autem Antonius, in summâ admiratione vitæ eius iustitiam atque animi virtutes habuisse memoratur.

Ammon exuere se verecundans, diuinitus vltra flumen transfertur.

C.XXXI.

DE S. PAVLO SIMPLICE.

Pallad. cap. 28. Occasio conuersionis Pauli Simplicis.

FVIT quidam inter discipulos sancti Antonij, Paulus nomine, cognominatus Simplex. Hic initium conuersionis suæ huiusmodi habuit. Cùm vxorem suam oculis suis cum adultero cubantem vidisset, nulli quidquam dicens, egressus est domum; & mœstitiâ animi tactus, in eremum semetipsum dedit, vbi cùm anxius oberraret, ad monasterium peruenit Antonij, ibique ex loci admonitione & opportunitate consilium capit. Cumque adisset Antonium, vt iter ab eo salutis inquireret; ille intuens hominem simplicis naturæ esse, respondit ei, ita demum eum posse saluari, si his quæ à se dicerentur, obediret. Tunc ille omnia quæcumque sibi præciperet, facturum se esse respondit. Vt ergo promissionem eius probaret Antonius, ante fores cellulæ stanti, Hîc, inquit, exspecta me orans donec egrediar. Et egrediens Antonius, mansit intrinsecus per totam diem & per totam noctem; per fenestram tamen ex occulto frequentius respiciens videbat eum indesinenter orantem, & nusquam prorsus moueri, sed stare in æstu diei & rore noctis, & ita esse mandati memorem, vt ne parum quidem loco moueretur.

B. Antonium adit.

Simpliciter obedit.

Egressus autem die postero Antonius, instituere eum & docere cœpit de singulis quomodo opere manuum solitudinem solaretur: & digitis quidem corporis opus carnale, cogitatione verò mentis & animi intentione operaretur quæ Dei sunt. Cibum quoque in vesperam ei sumere præcepit; sed obseruare, ne vmquam ad saturitatẽ vsque perueniret, & præcipuè in potu, confirmans, non minus per aquæ abundantiam phantasias fieri animi, quàm per vinum calorem corporis crescere. Et vbi plenè eum qualiter se in singulis agere deberet, instruxit, in vicino ei, hoc est, tribus à se millibus cellulam constituit, ibique eum exercere quæ didicerat iubet: ipse tamen frequentiùs visitans gratulabatur deprehendens eum in his quæ sibi tradita fuerant, totâ intentione & sollicitudine permanentem.

Opere manuum solitudo solanda.

Nimius aquæ potus phantasias generat.

Quadam autem die cùm venissent ad sanctum Antonium fratres magni quidem & perfecti viri, accidit etiam Paulum adesse pariter cum eis. Et cùm sermo de rebus profundis & mysticis haberetur, cumque de Prophetis & Saluatore plurima tractarentur, Paulus ex simplicitate animi interrogat si Christus priùs fuerit an Prophetæ? Beatus verò Antonius cùm pro eo quod tam absurdè interrogauerat, quasi erubuisset, blando nutu vt erga simpliciores solebat, silere atque abire eum iubet. Et ille, quia omne quodcumque ab eo dictum fuisset tamquam præceptum Dei seruare instituerat, abscedens ad cellulam suam, tamquam mandato accepto, silentium gerere instituit, nec omnino aliquid loqui. Quod cùm comperisset Antonius, mirari cœpit, vnde hæc illi obseruantia placuisset, quam à se sciebat non esse mandatam. Cumque iussisset eum loqui, & cur sileret indicare, dixit ei Paulus: Tu, pater, dixisti, vt irem & silerem. Et obstupefactus Antonius, ita ab eo sermonem, quem ille negligenter protulerat, obseruatum: Omnes, inquit, nos iste condemnat: cùm enim nos de cælo nobis non audiamus loquentem, ab isto qualiscumque sermo, qui ex ore nostro ceciderit, obseruatur.

Silentij insignis ex obedientiâ obseruator.

Multa tamen & sanctus Antonius eum docere volens de obedientiâ, præcipere ei solitus erat etiã, quæ ratio & caussa non posceret, in quibus eius animus erga obedientiam probaretur. Haurire namque aliquando eum aquam iussit ex puteo, & in terram totâ die effundere, & contextas sportellas resoluere, ac denuò contexere; & vestimentum dissuere atque iterùm resuere, & rursus resoluere; & in pluribus huiusmodi exercitijs ab eo memoratur imbutus, vt in nullo prorsus etiam eorum, quæ contra rationem

Variis obedientiæ operibus à sancto Antonio exercetur.

nem imperari iubebantur, disceret contradicere; & ita per hæc omnia informatus, breuì ad perfectionem venit. Ex cuius exemplo docebat beatus Antonius, quòd si quis velit ad perfectionem velociter peruenire, non sibi ipse fieret magister, nec propriis voluntatibus obediret, etiam si rectum videatur esse quod vellet; sed secundùm mandatum Saluatoris obseruandum esse, vt ante omnia vnusquisque abneget semetipsum sibi, & renunciet proprijs voluntatibus, quia & Saluator ipse dixit: Ego veni non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Et vtique voluntas Christi non erat contraria voluntati Patris; sed qui venerat obedientiam docere, non inueniretur obediens, si propriam faceret voluntatem. Quantò ergo magis nos non iudicabimur inobedientes, si faciamus proprias voluntates? Denique supradictus Paulus exemplo nobis est, qui obedientiæ & simplicitatis merito in tantum spiritualium gratiarum culmen ascendit, vt multò plures & potentiores virtutes per ipsum Dominus, quàm per secundum Antonium faceret.

Veniendi ad perfectionē modus compendiosus. — Matth. 26. — Ioan. 6. — *Paulus Antonio virtute potentior.*

Et quoniam pro affluentiâ gratiarum multi ad eum ex omnibus terræ partibus confluebant vt curarentur ab eo; verens beatus Antonius ne molestiâ multitudinis fugaretur, in interiori eremo, quò accedi facilè ab aliquo non posset, commanere eum fecit, vt venientes magis ipse susciperet Antonius. Si quos verò ipse non potuisset curare, hos ad Paulum tamquam prolixiorem sanitatum gratiam habentem mittebat, & ab illo curabantur. Tantam autem eius simplicitatis apud Dominum fiduciam fuisse tradunt, vt quodam tempore cùm quidam rabiem patiens in modum canis laniaret omnem qui ad se ausus fuisset accedere, & perductus ad eum fuisset, insistebat orationi vt dæmonē qui eum vrgebat, fugaret. Et cùm mora fieret, nec celer sequeretur effectus, quasi infantum more indignatus ad Dominum dixisse fertur: Verè non manducabo hodie, si eum non curaueris, & continuò quasi delicioso Domini satisfactum est à Deo; & statim curatus est rabidus.

Dæmonem oratione expellit. — *Paulus Dei deliciæ.*

C. XXXII.

DE S. PIAMMONE PRESBYTERO.

Pallad. c. 72. de Ammonâ presbytero, qui hic Piammon.

Non autem mihi videtur dignum, etiam eremi habitatores, quæ Parthenio mari adiacet, & vicina est oppido quod dicitur Diolco, silentio præterire. In quo vidimus quemdam presbyterum admirabilem, nomine Piammonem, totius humilitatis & benignitatis virum, habentem etiam reuelationum gratiam. Denique quodam tempore cùm Domino sacrificium offerret, vidit angelum Domini stantem iuxta altare, & vniuscuiusque monachorum accedentium ad altare scribentem nomina in libro quem tenebat in manibus, quorumdam tamen nomina non scribentem. Cumque diligenter obseruaret senior, qui essent quorum nomina non scripsisset, posteaquam sunt completa mysteria, vnumquemque eorum seorsum vocans, percontatur, quid eis in occulto peccati fuisset admissum: & inuenit ex confessione vnumquemque eorum mortalis peccati obnoxium. Tunc hortatur eos agere pœnitentiam, & semetipsum cum eis ante Dominum prosternens, die ac nocte tamquam ipse in eorum peccatis esset obnoxius; flebat, & tam diu permansit cum eis in pœnitentiâ & lacrymis, donec iterùm videret eumdem Angelum stantem, & scribentem nomina accedentium. Et posteaquam omnium scripsit, tunc etiam illos ex nominibus euocantem, atque ad reconciliationem altaris inuitantem. Vbi hoc verò senior vidit, intellexit eorum susceptam esse pœnitentiam: & sic eos altari totâ cum gratulatione restituit.

Piammon videt angelum Dei iuxta altare. — *Angelus dignè communicantium nomina scribit.* — *Cum peccatoribus, quorum nomina non scribebantur, pœnitet.*

Hunc etiam quodam tempore ferebant à dæmonibus ita verberatum, vt stare aut moueri omnino loco non posset. Et cùm dies adesset Dominica, & res posceret offerri sacrificium, iussit se fratrum manibus ad altare portari. Vbi cùm in oratione iacuisset, astantem continuò vidit angelum Domini, qui astare solebat altari, & porrigentem sibi manum, atque eleuantem se de terrâ; & statim dolor omnis ita ab eo discessit, vt solito sanior redderetur.

Verberatus à dæmonibus sanatur ab Angelo.

DE S. IOANNE. C. XXXIII.

Pallad. cap. 71.

Erat in ipsis locis vir sanctus, ac totius gratiæ dono repletus, Ioannes nomine, in quo tanta erat consolationis gratia, vt quacumque mœstitiâ, quocumque tædio oppressa fuisset anima, paucis eius sermonibus, alacritate & lætitiâ repleretur. Sed & sanitatum gratia plurima ei à Domino donata est.

EPILOGVS.

De periculis itineris ad eremos.

Pallad. cap. 150.

In alijs quoque quàm plurimis locis Ægypti, sparsim vidimus sanctos Dei virtutes multas & mirabilia facientes, & totius gratiæ Dei plenos, sed & paucos ex multis memorauimus.

mus. De omnibus verò explicare, supra vires nostras est.

Nam de his qui in superiore Thebaidâ, id est circa ipsam Sienem habitare dicuntur, auditu solo comperimus; quòd his pænè omnibus, quos vidimus, celsiores illi & magnificentiores habebantur. Accedere verò ad ipsos pro itineris periculo nequiuimus: quia quamuis omnia illarum partium loca latronibus incursentur, illa tamen quæ vltra ciuitatem Lyco sunt, etiam barbaros patiuntur. Et ideò nullus nobis ad eos accessus fuit, quia reuerà nec eos quos superius memorauimus, absque periculo vidimus.

Septies namque in hoc itinere periclitati sumus; in octauo autem, sicut scriptum est,
Iob. 5. non obtinuit nos malum, Deo nos in omnibus protegente.

1. Denique semel per quinque dies ac noctes incedentes per eremum, siti ac lassitudine periclitati sumus.

2. Alio quoque tempore incurrimus locum, in quo est conuallis quædam, humorem ex semetipso gignens salsum, quem continuò calor solis, velut hiemalis pruina in glaciem, ita in salem stringit; & tamquam sudes acutas, ex ipso sale efficit: itaque ita omnia illa exasperantur loca, vt non solùm nudos pedes, vt habebamus nos, sed & calceamentis munitos terebret ac secet. In his ergo inuenti, magno cum periculo vix euasimus.

3. Tertio cùm nihilominùs per eremum pergeremus, incurrimus vallem quamdam; humorem ex semetipsâ similiter quidem gignentem, sed intra semetipsam eum seruantem, cuius solum saxis & fœtido cœno repletum transire cupientes, vsque ad latera descendimus. Cumque pænè ibidem in eadem mergeremur, exclamantes ad Dominum, vocem psalmi protulimus, dicen-
Psal.68. tes: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.

Quartum periculum pertulimus in aquis quibusdam, quæ ex inundatione Nili remanserant, in quibus triduo continuo afflicti, vix euadere potuimus. 4.

Quintum periculum fuit nobis à latronibus, cùm secus mare iter ageremus, qui per decem millia passuum insequentes nos, quos perimere ferro non poterant, pænè exanimes reddiderunt per fugam. 5.

Sextum discrimen nobis in ipso flumine Nilo fuit, in quo nauigantes, pæne submersi sumus. 6.

Septimum, in stagno quod Mariæ vocabulo appellatur, vento sæuiente in insulam quamdam eiecti sumus, hieme grauissimâ super nos & tempestate feruente. Erat enim tempus, quo Epiphaniorum dies celebrantur. 7.

Octauum autem fuit, quòd cùm ad Nitriæ monasteria veniremus, locum quemdam incidimus, in quo refluentis Nili aqua residens, velut stagnum quoddam effecerat, in quo multæ bestiæ, præcipuè crocodili plurimi erant. Qui cùm tempore solis exissent, resoluti circa oram stagni iacebant, ita vt ignorantibus nobis mortui viderentur. Et cùm accederemus ad videndam mirandamque magnitudinem bestiarum, quas exanimes putabamus, continuò vt sonitum pedum senserunt, excitati, irruere & insectari nos vehementer cœperunt. Nos autem cum magno clamore & gemitu nomen Christi Domini inuocauimus, cuius misericordia affuit, & bestiæ quæ contra nos insurrexerant, quasi ab Angelo repellente, in stagnum protinus proiectæ sunt: nos autem cursu intento ad monasteria festinauimus, gratias agentes Deo nostro, qui nos de tantis periculis liberauit, & tanta nobis ostendit mirabilia. Ipsi gloria & honor in sæcula sæculorum, Amen. 8.

IN LIBRVM SECVNDVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

PROLOG. BENEDICTVS DEVS.] *Elegans omnino Prologus, qui Ruffinum non dedecet: etsi stilus in toto libri decursu non ita respondeat. Sed narrationes ea sunt ex Græco, vt opinor, translata: quas vt apud Græcos humili & familiari stilo scriptas inuenit, eodem quoque Latinis dedit. Ruffinus præfatione in libros Recognitionum Clementis, (quos ab eo Latinitati donatos testatur Gennadius in Catalogo Script. Eccles. cap.* XVII *) de ratione translationis suæ ad Gaudentium episcopum, cur minùs ornata ea sit, ita refert:* In ceteris autem, quantum potuimus, operam dedimus, non solùm non à sententijs, sed ne à sermonibus quidem satis elocutionibusque discedere. Quæ res quamuis minùs ornatum, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium. *Vt igitur Recognitionum Clementis translatio minùs ornata est, quia angusto sermonis calle coarctatur quàm historiarum Eusebij, vbi liberis passibus interpres ambulat & spatiatur, mirùm videri non debet, si & hîc minùs florida sit Ruffini dictio, cùm & eamdem hîc translationis rationem iniisse videatur, quam init in Recognitionum libris. Sanè vel ex Palladij translatione licet colligere, quàm parum Ruffinus à Græco textu discedat, cùm quæ isthic habentur ab Herueto è Græcis expressa, eodem penè tenore hîc à Ruffino exhibeantur.*

2. EX QVIBVS NON SOLVM NOBIS CAVSSA SALVTIS, &c.] *Periodus hæc ex Palladio adumbrata, vbi ita in Proœmio:* Vt eos æmulentur ac imitentur, qui cælestem volunt vitam agere, & quæ ad regnum cælorum ducit, vitam ingredi, &c. vt exemplar proponatur, & amor excitetur ijs. *Etiam sequentis periodi, quæ incipit,* Quamuis, *sensus est apud Palladium.*

3. QVI IN MONTE S. OLIVETI.] *Hîc aliquantulùm variat Ruffini Prologus à Palladij proœmio. Ruffinus ait se Vitas-Patrum scribere in gratiam fratrum in monte Oliueti commanentium, Palladius verò rogatu Lausi præpositi. Alia quoque diuersa quædam habet Palladius à Ruffino, vt quòd Palladius in Proœmio dicit, ea quæ refert, se partim vidisse, partim audiisse; Ruffinus solùm refert se vidisse. Palladius addit se & de mulieribus dicturum, Ruffinus nihil de eâ re.*

In monte Oliueti cellulam suam & monasterium habuit Ruffinus. Testis ipse Inuectiuâ II. Alioquin si inficias eat, etiam testes quamplurimos fratrum habere possum, qui in meis cellulis manentes, in monte Oliueti quamplurimos ei Ciceronis Dialogos descripserunt: quorũ & ego quaterniones, cùm scriberent, frequenter in manibus tenui & relegi: & quòd mercedes illis multò largiores quàm pro alijs scripturis solent, ab isto eis darentur, agnoui. Mihi quoque ipsi aliquando cùm de Bethlehem Ierosolymam venisset, & codicem secum detulisset, in quo erat Dialogus Ciceronis, & idem ipse Græcus Platonis, quòd dederit ipsum codicem, & aliquamdiu fuerit apud me, nullo genere negare potest.

4. COMMANENT AVTEM PER EREMVM DISPERSI ET SEPARATI CELLVLIS] *Significanter dixit,* dispersi & separati, *vt non cœnobium, sed Cellia seu Lauram insinuaret. Ita hîc libro* III. *(cuius etiam auctor, vel interpres, vel præfator certè existimatur Ruffinus) n.* 219. Nam in eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant. *quod desumptum ex D. Hieronymo epist.* XXII. *ad Eustochium de custod. virginit. Vide in Onomastico* Cellia, *&* Laura.

5. IPSORVM MERITIS ADHVC STARE MVNDVM.] *Ad hoc respiciens Ruffinus hîc lib.* III. *inde Prologum suum auspicatur.*

6. OPTIMA QVÆQVE RARA SINT ET DIFFICILIA.] *Vetus verbum:* Χαλεπὰ τὰ καλά.

CAP. I. 7. IOANNE.] *Martyrologium Romanum* XXVII. *Martij:* In Ægypto S. Ioannis eremitæ, magnæ sanctitatis viri, qui inter cetera virtutum insignia, etiam prophetico spiritu plenus, Theodosio Imp. victorias de tyrannis Maximo & Eugenio prædixit. *De hoc, vt existimo, Menæa* XX. *Septemb.* Μνήμη τοῦ ἐν ὁμολογηταῖς μεγίστου Ἰωάννου τοῦ Αἰγυπτίου: Commemoratio Ioannis Ægyptij, maximi inter confessores. *Notissimus hic apud Scriptores Ecclesiasticos. de eo Augustinus de Ciuit. Dei libro* V. *capite* XXVI. *Cassianus lib.* IV. *Instit. cap.* XXIII. XXIV. XXV. XXVI. *Eucherius de laude eremi, Sidonius Carmine* XVI. *& alij varij.*

Frater Theodoricus Loher Carthusianus in suâ editione Coloniensi Vitarum Patrum adscribit hunc Ioannem ex Martyrolog. vt existimo, XXVIII. *Aprilis, sed ibi de alio Ioanne abbate agitur, qui sub Leone Isaurico pro cultu Imaginum decertauit, hîc verò tempore Theodosij fuit, vt patet hîc initio & fine huius capitis.*

8. TRIBVNVS QVIDAM.] *D. Augustinus libro De curâ pro mortuis agendâ, cap.* XVI. *disputat de modo, quo sancti seu viui, seu postquam è vitâ excesserunt, quandoque viuis appareant. Et post multa ambiguè dicta, hanc de Ioanne hoc historiolam infert.* Talem fuisse credendum est illum Ioannem monachum,

chum, quem de belli ciuilis euentu maior Theodosius consuluit Imperator: habebat quippe etiam prophetiam. Neque enim singulos singula munerum istorum, sed etiam plura vnum habere posse non ambigo. Ioannes ergo iste cuidam mulieri religiosissimæ, impatienter eum videre cupienti, atque vt hoc impetraret, per maritum suum vehementer instanti, cùm ille nollet, quoniam id numquam permiserat feminis; Vade, inquit, dic vxori tuæ, videbit me nocte proximâ, sed in somnis. Et factum est. Monuitque illam, quidquid fidelem coniugatam moneri oportebat. Quæ cùm euigilasset, talem se vidisse hominem Dei viro suo, qualem ille eum nouerat, & quid ab illo audierit, indicauit. Qui hoc ab eis comperit, retulit mihi vt grauis & nobilis, & dignissimus credi. *Vide Thyraum nostrum de varijs Apparitionum modis.*

9. TERTIANO TYPO GRAVISSIME VEXABATVR.] *Ineptè Goldastus hæreticus tom.* I. *parte* II. *Rerum Alamannicarum Notis in Hexidannum de vitâ S. VViboradæ lib.* I. *cap.* XXVII. tertiano pyreto, *diuinat legendum. Rarior quidem vox & significatio typi, nota tamen Galeno, qui librum περὶ τύπων scripsit, & esse dicit τάξιν ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως, id est,* ordinem extentionis & remissionis in febribus. *Oratio est in Sacramentario S. Gregorij contra* typum *tertianum vel quotidianum. Isidorus lib.* IV. *cap.* VII. *Orig.* Typhi sunt frigidæ febres, quæ abusiuè typhi appellantur ab herbâ quæ nascitur in aquâ. *Sed in re medicâ Galeno potior fides.*

10. QVIA VITIA EX PARTE IPSIVS SVNT.] *Exhortatio hæc Ioannis deest Palladio. Melchior Goldastus Collectan. ad sermonem Valeriani de bono disciplinæ, legendum censet,* quia vitia ex patre eo sunt: *nec quemquam de hac lectione dubitaturum putat, quia sequitur hic de diabolo* principe *&* auctore. *Sed firmius hæsisset Sapientiæ capiti* IV. *ex quo ipse citat:* Imitantur diabolum, qui sunt ex parte illius. *Quare vulgata lectio tenenda, consentientibus manuscriptis omnibus.*

11. VICTORIÆ RELIGIOSI PRINCIPIS THEODOSII.] *De hoc Ioanne eiusque prophetiâ Prosper in Chronico anno Christi* CCCXCV. *Theodosij* XVI. *Arcadio* III. *& Honorio* II. *Coss.* Ioannes Monachus anachoreta clarus habetur, qui ornatus prophetiæ gratiâ, Theodosium consulentem de euentu belli quod aduersus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

CAP. II. 12. HOR.] *Nulla huius memoria in tabulis Ecclesiasticis, præterquam in Menæis* VII. *Augusti:* Ὁ ὅσιος Ὤρ ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται, Sanctus Or in pace quiescit. *Occurrit & in Pallady Lausiacâ historiâ cap.* IX. *Sed Origenistam fuisse monet D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem. Obysse tamen in eâ hæresi non constat, maximè cùm eius commemoratio fiat in Menæis. Vide responsionem ad argumentum secundum Prolegom.* XV: *vbi agitur de auctoritate horum librorum. Meminit eius etiam Sozomenus l.* VI. *cap.* XXVIII. *Niceph. lib.* IX. *cap.* XXXIV. *& recentiores quidam suis inseruêre Martyrologijs* XII. *Nouemb. vt Carthusia Colon. in additionibus ad Vsuardum, Maurolycus. Vide Molanum cap.* XIII. *de Martyrolog.*

13. HABITV IPSO HONORIS VIDEBATVR ANGELICI.] *Hoc non facilè quis intelliget, nisi quis Græcorum monachorum habitum præ oculis habeat. Duplex Græcis habitus erat, vnus nouitiorum, qui dicebatur* μικροῦ σχήματος: *alter probatissimorum virorum, qui dicebatur* μεγάλου *&* ἀγγελικοῦ σχήματος. *Vide Euchologium Græcorum cap.* XXIX.

CAP. III. 14. AMMONIO.] *Ammona hic dicitur Palladio cap.* XLVIII. *de hoc, vt existimo, Menæa Græcorum* XXVI. *Ian.* Ὁ ὅσιος Ἀμμωνᾶς ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται: S. Amonas in pace consummat. *de eo etiam Sozom. lib.* VI. *cap.* XXVIII. *Niceph. lib.* IX. *cap.* XXXIV.

15. COLOBIIS.] *Græca vox* κολόβιον, *sed Latinis vsurpata, vti Cassiano lib.* I. *Instit. cap.* V. *Seruius Æn.* IX. *ad illud:* Et tunicæ manicas, &c Tunicæ, *inquit,* vestræ habent manicas, quod etiam Varro vituperat, dicens: Manicatis & talaribus tunicis. Nam colobijs vtebantur antiqui. *quæ totidem ferè verbis refert D. Hieronymus in Hebr. quæst. Cod. Theod. L.* XIV. *Tit.* X. Nullus senatorum habitum sibi vendicet militarem, sed chlamydis terrore deposito, quieta colobiorum & penularum induat vestimenta. *Vide apud Cassianum significationem mysticam.*

CAP. IV. 16. BENO.] *Palladio cap.* XLIV. *dicitur* Be. *Nullam huius memoriam inuenio in Ecclesiasticis tabulis. De eo Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXVIII. *Hic paucula superioribus affinia:* Βῆνον γὰρ οὐδεὶς θεάσασθαι ὀργιζόμενον, ἢ ὀμνύοντα, ἢ ψευδόμενον, ἢ εἰκαῖον, ἢ θερμὸν, ἢ ὀλιγωρημένον εἰπόντα λόγον: Benum autem ei minimè vnquam visum vel irâ arsisse, vel iurasse, vel mentitum esse, vel temerarium, leue, aut abiectum verbum dixisse. *præmittit de eodem & Theonâ:* Βῆνος δὲ καὶ Θεωνᾶς, μοναχικῶν ἡγοῦντο ταγμάτων, καὶ θείας προγνώσεως καὶ προφητείας ἔμπλεω: Benus & Theonas conuentus rexêre monachorum, viri diuinâ præscientiâ & propheticâ repleti. *De eo etiam Niceph. l.* XI. *c.* XXXIV.

CAP. V. 17. OXYRYNCHO CIVITATE.] *De Oxyryncho Stephanus de vrbibus, originem appellationis, & etymon vocis simul insinuans:* Ὀξύρυγχος, πόλις Αἰγύπτου, πρῶσα τὸν ὁμώνυμον ἰχθῦν: Oxyrynchus, Ægypti ciuitas, quæ colit piscem sibi cognominem. *Ita pleraque Ægypti vrbes à superstitioso animalium cultu nomen sortita.*

CAP. VI. 18. THEONE.] *De hoc Sozomenus l.* VI. *c.* XXVIII. *Cassidor. lib.* VIII. *cap.* I. *Niceph. lib.* XI. *c.* XXXIV.

CAP. VII. 19. APOLLONI.] *Huius Vitam accuratè scripsit Timotheus Alexandrinus episcopus, vt testatur Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXIX. *Nicephorus l.* IX. *cap.* XXXIV. *Fors eadem cum hac. Vide Prolegomenon* IV. §. I. *In Sozomeno Græcè est* Ἀπολλῶς, *quod alij Latinè verterent,* Apollos. *Nam de alio, qui* Apollonius *dictus fuit, ibidem sequitur.*

20. LEBETES.] *Ipse explicat hic auctor, aitque colobium esse, de quo cap.* III. *diximus. Hieronymus Præfat. in Regulam S. Pachomij:* Nihil habent in cellulis, præter psiathium & duo lebitonaria (quod Ægyptijs monachis vestimenti genus est sine manicis, & vnum iam attritum ad dormiendum vel operandum. *Isidorus lib.* XIX. *Orig. cap.* XXII. Lebitonarium est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptij vtuntur. *Dicitur Græcè &* λεβιτὼν *vel* λεβίτων. *ita Palladio in Vitâ abbatis Pachomij: &* λεβιτωνάριον. *ita quidem Sozomenus lib.* III. *c.* XIII. *explicat* χιτῶνας ἀχειροδότους, tunicas sine manicis. *infrà cap.* IX. Lebeta.

21. NICOLAI INGENTES.] *Deest hoc editis libris. Cur omissum sit, non inquiro. Scio rarum & non vbique obuium esse. Athenæus lib.* XIV. *& Plutarch. Conuiual. lib.* VIII. *cap.* IV. *scribunt Nicolaum quemdam Damascenum Augusto misisse* palmulas; *quas ille ab eo* Nicolaos *vocabat. Sic & Isidorus libro* XVII. *cap* VII. *Orig.* palmulæ sunt Thebaicæ, qui & Nicolai. *Plinius lib.* XIII. *cap.* IV. Sicciores in

in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. Photius in Bibliothecâ Cod. CLXXXIX. pro palmulis habet placentas. Ita & Suidas in Nicolao; & Hesychius Illustrius. Palladij interpres coniungit cum panibus. Vereor eum vitioso vsum codice. Nam hic omnia verbotenus ex Palladio Græco expressa habes. quod noster habet, Nicolai ingentes, & panes calidi & mundissimi, Heruetus Palladij interpres habet, & Nicolaos panes maximos & puros lupinos: quia θερμὸς calidum, & θέρμος lupinum significat. Inde Heruetus deceptus est.

CA. VIII. 22. AMMONE.] Distinctus hic ab Ammone Ægyptio seu Netriote, de quo hic pòst cap. XXX. & Tabennensiote, qui in Tabennâ tribus circiter millibus monachorum præfuit. de quo hic suprà cap. III.

23. DRACONE.] Fors eiusdem Ammonis est quod habetur lib. III. Ruffini, n. CCXIV. de basilisco dissipato.

CAP. IX. 24. COPRETE.] Huius nullibi mentionem inuenio præterquam apud Sozomenum lib. VI. cap. XXVIII. Nicephorum lib. XI. cap. XXXIV. Copres, inquit Nicephorus, dæmonum expellendorum & variorum morborum sanandorum gratiam acceperat. Caue Copretem hunc & Patermutium confundas cum duobus alijs eiusdem nominis, qui fuêre martyres tempore Iuliani apostatæ, de quibus in Menais & Menologio IX. Iulij. Alius etiam Coprius tempore Theodosij Cœnobiarchæ, de quo Græci XXIV. Septemb. nam hic iunior.

25. LEBETA.] Id est, colobium. vide sup. c. VII.

CAP. X. 26. SYRO, &c.] De his præter notatum in margine Palladium nihil inueni.

CAP. XI. 27. HELENO.] Sozomenus libro VI. cap. XXVIII. Nicephorus libro XI. cap. XXXIV. Cassiodorus libro VIII. Tripart. hist. cap. I. quibus Helles dicitur, Palladio Hellen.

CAP. XII. 28. ELIA.] De hoc Sozomenus libro VI. capite XXVIII. Nicephorus libro XI. cap. XXXIV. Cassiodorus Hist. Trip. lib. VIII. cap. I.

CAP. XIII 29. PITHYRIONE.] De hoc Nicephorus lib. IX. cap. XIV. Præterea Pithyrion ille, qui tamen alibi, apud Athenas videlicet, asceterium seu exercendæ pietatis domicilium habuit.

CAP. XIV. 30. EVLOGIO.] De hoc Sozomenus libro VI. cap. XXVIII. Niceph. lib. XI. cap. XXXIV. Cassiodorus lib. VIII. Trip. hist. cap. I.

CAP. XV. 31. APELLEN.] De hoc Sozomenus lib. VI. capite XXVIII. Niceph. lib. XI. cap. XXXIII.

CAP. XVI. 32. PAPHNVTIO.] De hoc Maurolycus in Martyrologio suo, Pannucij nomine, XXIX. Nouembris: S. Pannucij abbatis, qui eremum Heracliæ regionis incoluit, & cuius operâ Thaidem insignis formæ meretricem, ornamentis in ignem proiectis, veniam pœnitentiâ meruisse perhibent. Florarium Sanctorum manuscriptum VIII. Martij: Paphnutij confessoris, qui conuertit Thaisim meretricem, & tres viros ereptos sæculo lucratus est Deo. Claruit anno salutis CCCXXI. Habes hæc posteriora de tribus viris in hoc Ruffini capite expressa.

Cùm varij fuerint Paphnutij, non existimo quemquam cum hoc eundem esse. Nam qui XXVIII. Apr. habetur apud Metaphrastem, & ex eo apud Surium, martyr fuit tempore Diocletiani: quem Martyrologium Romanum habet XXIV. Septemb. nec vlla eius mentio in Menologio, etsi id asserat Baronius. qui, quod Galesinius dicit se accepisse ex tabulis Græcis, existimauit ex Menologio esse. Sed existimo Galesinium de Metaphraste intelligere. In Menais XXV Septembris de eo solo tantùm duo versus.

Menolog. Græcum XIX. Apr. habet Paphnutium Ierosolymitam, eumque martyrem, de quo Menæa XX. Apr. duos tantùm habent versus, nec martyrij meminêre.

Menologium Græcum XXV. Sept. habet Paphnutium Ægyptium, S. Euphrosynæ patrem, de quo Menæa eodem die duos quoque tantùm versus habent.

Martyrologium Romanum XI. Septemb. habet Paphnutium Thebæum seu superiorum Thebarum episcopum & confessorem, vt vocat Niceph l. VIII. cap. XIX. qui celeberrimus est, & omnium historicorum preconio notus. De quo vide ad vitam sancti Antonij cap. XXX.

Alius etiam Paphnutius Meletianus, de quo Epiphanius in Panar. hæres. LXVIII.

Alius etiam Paphnutius Cephala, de quo Palladius cap. XCI.

Alius Paphnutius presbyter Scetiotes, cognomento Bubalus apud Cassianum Collat. III. cap. I. & Collat. XVIII. cap. XV. CAP. XVII

33. ISIDORO.] De eo Sozomenus l. VI. c. XXVIII. & lib. VIII. cap. XII. & XIII. Socrat. l. VI. cap. IX. Nicephorus lib. XI cap. XXXIV. Cassiodorus l. VIII. Trip. hist. cap. I. Hic inter Origenistas numeratur à D. Hieronymo epist. ad Ctesiphontem. Videndum an hic etiam fuerit inter monachos resipiscentes, de quibus egi Proleg. XV. responsione ad argumentum secundum, quod obijciebatur cōtra horum librorum auctoritatem.

34. SERAPIONE.] De hoc Serapione apud Palladium cap. LXXVI. & de alio quodam, cui cognomen Sindonites, quòd sola sindon ei vestis esset, qui fuit imperitus litterarum, cap. LXXXIII. Hic à Baronio Notation. ad Martyrolog. Roman. XXI. Martij non ritè dicitur Syndonius. Serapionis abbatis dicta habes apud Pelagium libello VI. num. XII. libell. VIII. num. IX. lib. XI num. XIII. l. XV. n. XVI. de quo Sozom. l. VI. cap. XXVIII. ex quo Niceph. l. XI. cap. XXXIV. sua desumpsit, & Cassiodorus Tripart. lib. VIII. cap. I. CAP. XVIII.

35. APOLLONIO.] Baronius Notation. ad Martyrolog. Roman. VIII. Martij existimat hunc Apollonium & Philemonem eos esse, de quibus ibi in Martyrologio. Sed si Acta à Metaphraste scripta cum his conferantur, non quadrant. In Menais bis inuenio memoriam Apollonij & Philemonis martyrum cum diuersis socijs. Primò XIV. Nouembris, qui sunt ij, de quibus Martyrolog. Romanum VIII. Martij agit: secundò VI. Iulij. sed neutribi Acta exprimuntur, vt inde aliquod indicium fieri possit. Vide Nicephorum lib. IX. capite XIV. CAP. XIX.

36. DIOSCORO.] Sozomenus lib. VI. cap. XXVIII. Nicephorus lib. XI. cap. XXXIV. Cassiodorus lib. VIII. Tripart. hist. cap. I. CAP. XX.

37. DE MONACHIS IN NITRIA.] Sozomenus lib. VI. cap. XXXI. Καλοῦσι δὲ τὸν χῶρον τοῦτον Νιτρίαν· διότι κώμη τίς ἐστιν ὅμορος, ἐν ᾗ τὸ νίτρον συλλέγουσιν. Οὐ τὸ τυχὸν δὲ πλῆθος ἐνταῦθα ἐφιλοσόφει. Ἀλλὰ μοναστήρια μὲν ἀμφὶ πεντήκοντα, ἀλλήλοις ἐχόμενα, τὰ μὲν συνοικούντων, τὰ δὲ καθ' ἑαυτοὺς οἰκούντων. Istum locum (vbi Scete) appellant Nitriam; propterea quòd est pagus finitimus, in quo nitrum colligunt. Non exigua quidem hominum multitudo ibi monasticam disciplinam exercebat. Erant namque monasteria circiter quinquaginta contigua, quorum pars conuentus, pars homines separatim ab alijs vitam degentes habuêre. CAP. XXI.

38. CELLIA.] Eadem habet apud Palladium cap. CA. XXII.

cap. LXIX. *Ex quo sua desumpsit, ut credo, Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXXI. *qui penè verbo tenus eadem refert cum Palladio & Ruffino. ecce Græca, quæ iam Latina hic legisti:* Ἐνταῦθα δὲ εἰς τὴν ἔνδον ἐρημίαν ἡκόντων, ἕτερός ἐστι τόπος σχεδὸν ἑβδομήκοντα σταδίους διεστώς, ὄνομα Κελλίαι. ἐν τούτῳ δὲ σποράδην ἐστὶ μοναχικὰ οἰκήματα πολλά, καθὸ καὶ τοιαύτης ἔλαχε προσηγορίας. κεχώρισται δὲ τοσοῦτον ἀλλήλων, ὡς τοὺς αὐτόθι κατοικοῦντας σφᾶς αὐτοὺς μὴ καθορᾶν, ἢ ἐπαΐειν. συνίασι δὲ πάντες εἰς ταυτὸν ἅμα καὶ ἐκκλησιάζουσι τῇ πρώτῃ καὶ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος. ἣν δέ τις μὴ παραγένηται, δῆλός ἐστιν ἄκων ἀπολειφθεὶς, ἢ πάθει τινὶ ἢ νόσῳ πεπεδημένος, καὶ ἐπὶ θέαν αὐτοῦ καὶ θεραπείαν οὐκ εὐθὺς πάντες ἀπίασιν, ἀλλ' ἐν διαφόροις καιροῖς ἕκαστος διαφερόμενος ὅπερ ἔχει πρὸς νόσον ἁρμόδιον. ἐκτὸς δὲ τοιαύτης αἰτίας οὐ συνομιλοῦσιν ἀλλήλοις, εἰ μὴ λόγων ἕνεκεν εἰς γνῶσιν Θεοῦ τεινόντων ἢ ὠφέλειαν ψυχῆς, ἔλθοι τις μαθησόμενος παρὰ τοῦ φράσαι δυναμένου. οἰκοῦσι δὲ ἐν τοῖς Κελλίοις, ὅσοι τῆς φιλοσοφίας εἰς ἄκρον ἐληλύθασι, καὶ σφᾶς ἄγειν δύνανται, καὶ μόνοι διαβιβῶν, δι' ἡσυχίαν χωρισθέντες τῶν ἄλλων. *Eleganter B. Bernardus epist. ad fratres Carthusianos de monte Dei, de cellâ & cælo:* Secundùm formam propositi vestri habitantes in cælis potiùs quàm in cellis, excluso à vobis toto sæculo totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem & cæli habitatio cognatæ sunt. quia sicut cælum & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A cælando enim cælum & cella nomen habere videntur, & quod cælatur in cælis, hoc & in cellis. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm secundùm ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere: Sancti angeli Dei cellas habent pro cælis, & æquè delectantur in cellis, ac in cælis. Nam cùm in cellâ iugiter cælestia actitantur, cælum cellæ & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu proximum efficitur: nec iam spiritui oranti vel etiam à corpore exeunti, à cellâ in cælum longa vel difficilis via inuenitur. A cellâ enim in cælum sæpè ascenditur: vix autem vmquam à cellâ in infernum descenditur.

C. XXIII. 39. AMMONIO.] *Sozomenus libro* VI. *cap.* XXX. *Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Cassiodorus lib.* X. *histor. Tripart. cap.* VII. *Hos Origenis fuligine infectos fuisse notat D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem. Fuêre tamen hi coniunctissimi Chrysostomo; & quidam eorum honorificè sepulti, quin etiam miraculis claruisse dicuntur. Nam de Ammonio & Dioscoro hæc habet Georgius Alexandrinus in Vitâ sancti Chrysostomi, de ijs monachis agens, quos Theophilus Alexand. episc. eremo expulit:* Ἀμμώνιος, σὺν δυσὶν ἀσκητικοῖς ἀδελφοῖς καὶ ἑνὶ ἐπισκόπῳ, οἱ καὶ κλοιοφορήσαντες ἐπὶ Οὐάλεντος ἐξωρίσθησαν, ὡς πᾶσα ἐπιγινώσκει ἡ Ἀλεξάνδρεια, τοιοῦτοι ὄντες ἐν γνώσει, ὡς μηδὲν αὐτοὺς διαφυγεῖν τῶν ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς πολλοῖς ἀπορουμένων. ὧν δὲ μετὰ δύο ἐκοιμήθησαν ἐν Κωνσταντινουπόλει τελευτήσαντες, Ἀμμώνιος δὲ καὶ πρὸ τῆς ἐξόδου τοῦ βίου προεφήτευσε. λέγεται δὲ τὸ μνῆμα αὐτοῦ τοσούτους ἀεὶ ῥίγος θεραπεύειν. τέθαπται δὲ ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῶν Ἀποστόλων πέραν θαλάσσης. ὁ δὲ ἐπίσκοπος Διόσκορος τελευτήσας καὶ αὐτὸς ἐτάφη ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῷ ἐν τῇ Δρυΐ τῷ πρὸς τῇ πύ[illegible] ὡς προείρηται, ὡς τὰς πλείστας τῶν γυναικῶν ἐχούσας πίστιν εἰς αὐτὸν μεγάλην, καταληψάσας τοὺς τῆς μάρτυρος ὅρκους, κατὰ τῶν εὐχῶν Διοσκόρου ὀμνύειν: Ammonius cum duobus etiamnum religiosis fratribus, atque vno episcopo, qui cùm vincula pertulissent, & immanes torturas sub Valente, finibus illis eliminati sunt. quod vniuersa agnoscit Alexandria. Et is sexagenarius erat: & hi scientiâ sic prædit[i]erant, vt eos nihil lateret in diuinis Scripturis, in quibus alioqui permulti hærent & addubitant. Horum quidem duo obdormiuerunt Constantinopoli in fatum concedentes; Ammonius autem priusquam è vitâ migraret, oracula reddidit de futuris. Monumentum autem eius dicitur mederi rigore febrili laborantibus. Sepultus est trans mare, in æde apostolis dicatâ. Porrò Dioscorus episcopus cùm diem suum obiisset, sepultus est in martyrio, quod situm est in Quercu ante portam siue columnam, de quâ superiùs dictum est. Et quidem permultę mulieres constanti in ipsum fide nitebantur, adeò vt si qua testis per orationes Dioscori se obstrinxisset iureiurando, nullâ ratione passa fuisset se iuramenti esse perfidam desertricem. *Vide quædam de his & pro his dicta suprà Prolegomeno* XV. *vbi de auctoritate horum librorum, responsione ad argumentum secundum. Saltem D. Hieronymi monitione tuti esse possumus.*

40. HVIC ERANT DVO FRATRES, &c.] *Dicti hi quatuor fuêre* Longi *à corporis habitu. Georgius Alexandrinus Vitâ Chrysostomi:* Viri enim, qui in Aegypto præsidebant monasterijs, pius ille Dioscorus, Ammonius item, Eusebius, & Euthymius, qui quidem fratres erant, à corporis proceritate sortiti nomenclaturam Longi. Sed enim istorum fama mirè increbuerat Alexandriæ, quòd & sermone & vitæ ornamentis inclaruissent. *Qui plura de ijs prosequitur. De eadem* Longorum *appellatione ijdem historici quos antè citaui.*

41. AD EPISCOPATVS OFFICIVM.] *Hermopoleos episcopus fuit Dioscorus; ita Georgius Alexandrinus Vitâ Chrysostomi, vbi de morte eius addit:* Paulò pòst à fugâ Theophili suum obijt diem, dignusque est habitus, qui in splendido admodum sepulcro funeraretur in æde sacrâ martyri, quæ est in Quercu, quo loci habita est Synodus calumniæ aduersus Ioannem adornatæ. *Locus autem hic erat trans mare, Ruffini suburbium, vt habet Palladius Dialog. de rebus S. Chrysostomi, qui omnium inspector fuit. Nicephoro lib.* XIII. *cap.* XV. *dicitur* suburbanum nauale Chalcedonis, *vbi erat* Ἀποστολεῖον, *id est, ecclesia in honorem Petri & Pauli apostolorum constructa à Ruffino, variaque monachorum domicilia. qui à Georgio de sepulturâ Dioscori variat. ait enim:* Dioscorus namque Constantinopoli priùs mortuus, in templo Mocij martyris sepultus est. Ammonius autem breui pòst cùm Synodus adornaretur, valetudine affectâ in Quercum quidem venit, sed illic morbo propter traiectionem inualescente, paulò pòst & ipse diem suum obijt, atque ibi à monachis suis honorificè est tumulatus. *Templum autem Mocij martyris collocant Menæa* XI. *Maij, in ipsâ vrbe Constantinopolitanâ. Non rectè in Menologio* X. *&* XI. *Maij dies coaluêre. De hoc templo vide Baron. Notat. ad Martyrolog. Romanum* XIII. *Maij.*

42. DIDYMO.] *De hoc Didymo nihil apud Palladium, sed de alio cæco Alexandrino, de cuius cæcitate lib.* III. *Ruffin. num.* 218. *Huius memoriam in Fastis sacris non inueni, præterquam in Florario Sanctorum manuscripto* XI. *Aprilis,* S. Didymi eremitæ. *De hoc eodem Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. Δίδυμος ἄλλος, ὅτις μοναχὸς ἐννενήκοντα ἔτη βιοὺς, οὐδενὶ ἀνθρώπῳ συνωμίλησεν ἄχρι τῆς τελευτῆς: Didymus alius, qui etiam monachus fuit, nonagintaque confecit annos, per totum vitæ spatium nullius vmquam hominis societate & consuetudine vsus est. *quæ ad verbum* C. XXIV.

exscri-

exscripsit *Suidas in* Ἀμοῦν. *hunc in Scete floruisse tradit Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXX.

Cap.XXV. 43. CRONIO.] *Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXX. Κρονίων τὸν ἑκατὸν καὶ δέκα ἐνιαυτοὺς γεγονώς: Cronion annos iam circiter decem & centum natus. *Palladius capite* XXV. *habet* Cronium *presbyterum Nitriæ, & cap* LXXXIX. Chronium *quoque presbyterum, abbatem trecentorum patrum in deserto apud vicum Phœniciæ, vnde ortus erat. Vtrumque Antonio notum ait Palladius. An alter eorum idem cum hoc sit, dubito. Noster hic in Scete, teste Sozomeno, floruit.*

Cap.XXVI 44. ORIGENE.] *Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXX. Γηραλέος δὲ Ὠριγένης, εἷς τῶν μαθητῶν Ἀντωνίου τοῦ μεγάλου ἐναπολελειμμένος: Origenes senex vnus ex discipulis Antonij Magni, qui adhuc supererat. *Addit in* Scete *vixisse.*

C.XXVII. 45. EVAGRIO.] *Fr. Ioannes Maria Magister sacri Palatij in Indice librorum expurgandorũ hæc de Euagrio notat: Qui res Euagrij parum perspectas habuere, ipsum quandoque laudant, vt Socrates Nouatianus lib.* IV. *Histor. Ecclesi. cap.* XVIII. *& Sozomenus æquè Nouatianus lib.* VI. *cap.* XXX. *Idem facit Gennadius in Catalogo, qui etiam Euagrio miracula tribuit; sed Gennadius nimiùm Pelagianis fauens, nihil mirum, si Pelagianorum parentem Euagrium laudibus tollat, & falsa adscribat miracula. De Palladio Galatâ qui eumdem Euagrium mirificè celebrauit, silemus modò, quòd eidem in impietate & hæresi par, eiusdemque discipulus existens, mulus mulum mutuò scabit. Dicemus de illo suo loco (nos hic ex eodem libro* VIII.*) Pergit idem Fr. Ioannes.*

At æstimemus Euagrium è propriis pretiis fuisse hæreticum Origenistam, Pelagianisque errandi amplissimam exhibuisse materiam, mirum si iam non omnibus sit exploratissimum. Audiamus quid de eo Patres. S. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem hæc de Euagrio habet: Euagrius Ponticus Hyperborita, qui scribit ad virgines, scribit ad monachos, scribit ad eam cuius nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras, (*Melaniam intelligit*) edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quando numquam animus vllo perturbationis vitio commouetur, & vt simpliciter dicam, vel saxum vel Deus est. Huius libros per Orientem Græcos, & interprete discipulo eius Ruffino Latinos plerique in Occidente lectitant, *&c. Hæc S. Hieron. Qui etiam præfat. in lib.* IV. *super Ieremiam ista scribit:* Commentarios in Ieremiam per interualla dictabam, vt quod deerat otio, superesset industriæ; cùm subitò hęresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id est, impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene & dudum in discipulis eius Grunnio, Euagrioque Pontico, & Iouiniano iugulata est, cœpit reuiuiscere, & non solùm in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi maculare plerosque, & crescere per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant. *& alia subiicit in eamdem sententiam.*

At quanti semper fecerit Ecclesia Romana iudicium S. Hieronymi in his, quæ ipse de Ruffino, Euagrio, Palladio, aliisque plurimis (quos ipse probè intus & in cute nouerat) eorumque scriptis censuerit, audi S. Gelasium primum in Concilio Romano septuaginta episcoporum, memorandam istam sententiam proferentem: Item Ruffinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus est: sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum beatũm Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solùm de Ruffino, sed etiam de diuersis, quos vir sæpiùs memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit. *Hæc S. Gelasius, cuius documentum eò tenaciùs mente suscipiendum ac retinendum videtur, quòd diuinâ prouidentiâ factum fuerit, vt S. Hieronymus multorum, qui suo tempore sub religionis & pietatis habitu hæresium venena fundebant, ipse fraudes, technas, dolos, errores deprehensos in publicum prodiderit, eiusque eâ in re iudicium Romana Ecclesia probauerit, ne deinceps tam multi lupi in vestimentis ouium gregi Dominico imponerent, eumdemque mactarent, cùm alioqui etiam cautissimos & sagacissimos decipere potuerint: eiusmodi fuêre Ruffinus, Euagrius, Palladius, & alij monachi Origenistæ, quos S. Hieronymus, vt nuper vidimus, indicauit.*

Sed ad Euagrium redeamus, de quo hæc quoque S. Ioannes Climax: Putauit Euagrius sapientissimum se omnium alacritate sensus fieri: sed fraudem passus sibi mentitus est miser; insipientium insipientissimus ex hoc ipso ostensus est. *Hæc idcircò Climax, quòd Euagrius apathiam introduceret. Porrò Euagrium vnà cum Origene & Didymo Alexandrino tamquam hæreticum condemnatum, eiusque errores proscriptos in quintâ generali Synodo, auctores sunt S. Tharasius episcopus Constantinopolitanus, Confessione fidei, quæ habetur in secundo Nicæno Concilio actione* III. *Niceph. l.* XVII. *Hist. c.* XXVII. *Cedrenus in Annal. in Iustiniano. Eumdem etiam Euagrium cum eisdem Didymo & Origene damnauit S. Martinus Papa & martyr in Concilio Lateranensi, Secretario* V. *Canone* XVIII. *sed & Antiochus monachus, qui sub Heraclio vixit, homiliâ de regno, quæ est* CXXX. *enumeratis multis hæresiarchis hæc subdit:* Post hæc hæreseon portenta fuerunt hi, Euagrius & Didymus, qui secundùm dogma Origenis putà præexistentiam rerum atque earum restitutionem senserunt. *Hæc ille. Ex quibus omnibus, & aliis quæ omittimus, facilè quisque dispiciet, quo loco & pretio Euagrius Ponticus Hyperborita sit habendus. Hactenus supradictus, Magister sacri Palatij.*

46. DVOBVS MACARIIS.] *Duo sunt Macarij celebres in Romano Martyrologio, vterque Ægyptius. Sed de quo hîc agitur, & simpliciter & significatè* Ægyptius *dictus est, alter vero* Alexandrinus, *quòd in Ecclesiâ Alexandrinâ functus esset presbyterio, vt est apud Palladium cap.* XX. *Sozomenus l.* III. *cap.* XIII. *ita hos distinguit:* Ὁ μὲν Αἰγύπτιος, ὁ δὲ πολιτικὸς ἀστὸς ὠνομάζετο, ἦν γὰρ τὸ γένος Ἀλεξανδρεύς: Quorum alter in agris Aegypti, alter in vrbe natus (erat enim Alexandrinus genere) & ita institutis ciuilibus educatus, vt ἀστὸς, id est, vrbanus diceretur. *Signantiùs etiam Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. Ὧν ὁ μὲν ἐκ τῆς ἄνω Αἰγύπτου ἦν, ὁ δὲ ἐκ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως: Quorum alter ex superiore Aegypto, alter ex vrbe Alexandriâ oriundus. C.XXVIII.

47. MACARIO AEGYPTIO.] *Ægyptius hic occurrit apud Martyrologium Romanum* XV. *Ianuarij:* In Aegypto S. Macarij abbatis, discipuli B. Antonij, vitâ & miraculis celeberrimi. *De hoc in Menologio* XIX. *Ian. Vide infrà in Macario Alexandrino. Fuit hic magister Euagrij, vt scribit Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *& Gennadius de viris Illustr. cap.* XI. Cap.XXIX

48. RESOLVTIS FASCIOLIS QVIBVS CONSTRI-

STRICTVS ERAT.] *Sic Ioann.* XI. *v.* 44. Ligatus pedes & manus. *cuius ritus pauca alia exempla memini legere.*

CAP.XXIX 49. MACARIO ALEXANDRINO SEV IVNIORE.] *Martyrologium Romanum* II. *Ianuarij:* In Thebaide S. Macarij Alexandrini abbatis. *Menologium de vtroque Macario* XIX. *Ianuarij:* Memoria SS. patrum Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini, qui exercitatione monasticâ, vitâ, moribus, admirabili abstinentiâ & miraculis illustres fuêre. *Palladius cap.* XIX. *dicit hunc aliquanto iuniorem Ægyptio. De vtroque Socrates libro* IV. *cap.* XVIII. *Sozom. lib.* VI. *cap.* XXIX. *Ruffin. lib.* II. *histor. cap.* IV. *Hieronymus epist.* XXVII. *Cassianus Collat.* V. *cap.* XII. *& Collat.* XXIV. *c.* XIII. *Palladius cap.* XIX. *&* XX. *Nicephorus lib.* IX. *capite* XIV. *Suidas, alij.*

Intricata plane res de duobus Macarijs, vt dignoscatur vter fuerit S. Antonij discipulus, & ita certi aliquid de natali eorum statui possit. Martyrologia vetera duos Macarios agnoscunt, nec vnum ab alio aliter distinguunt, quàm quòd eorum alterum vocent Antonij discipulum. *Martyrologium Romanum vetus,* II. *Ianuarij:* B Macarij. XV. *Ianuarij:* Macarij abbatis, Antonij discipuli. *Martyrologium Romanum Bellini,* II. *Ianuarij:* In Thebaidâ S. Macarij abbatis. XV. *Ianuarij:* Apud Ægyptum B. Macarij abbatis, discipuli B. Antonij, vitâ & miraculis celeberrimi. *Martyrologium Romanum Galesinij,* II. *Ianuarij:* In Thebaide S. Macarij Alexandrini abbatis. XV. *Ianuarij:* In Thebaide S. Macarij abbatis, hic B. Antonij discipulus. *Martyrologium Romanum Baronij* I. *Ianuarij:* In Thebaide S. Macarij Alexandrini abbatis. XV. *Ianuarij:* In Ægypto S. Macarij abbatis, discipuli B. Antonij, vitâ & miraculis celeberrimi. *In Bedâ, Vsuardo, Adone, Notkero nulla est loci distinctio. Distinctionem* Alexandrini *&* Ægyptij *statuêre Galesinius & Baronius.*

Quòd si Ruffino hîc fides, qui initio praecedentis capitis, Aegyptium Macarium asserit Antonij discipulum, & virtutis eius heredem, *rectè per Macarium Antonij discipulum* XV. *Ian. in Martyrologio Aegyptius designatur. Sic Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* II. *cap.* XXXV. *&* LXXXI. *Macarium Aegyptium facit Antonij discipulum.*

Sed videndum num Ruffinus Palladium vel alium quem Latinè expressit, malè ceperit. Certè & Heraclidi & Palladio veteri & nouo deest in Macario Aegyptio, quòd fuerit discipulus Antonij, *&* virtutum eius heres. *Imò Palladius nouus Herueti c.* XX. *vtrumque hoc Macario Alexandrino tribuit.*

CAP.XXX. 50. AMMONE.] *De hoc Menologium Graecorum* IV. *Octobris:* Commemoratio S. patris Ammonis Ægyptij. Hic cùm esset Ægyptius genere, parentibus orbatus, à patruo coactus vxorem duxit sub Maximiano Imp. Vixit autem cum illâ annos decem & octo, quam non vt vxorem, sed vt sororem habebat: quin etiam illi persuasit vt virginitatem seruaret. Itaque & ipsâ & omnibus rebus derelictis in monte Nitriæ prope Ægypti desertum secessit, vnâ tantùm veste nocte & die corpus tegens. Produxit autem vitam vsque ad Magni Antonij tempora sub Magno Constantino, celebri & primo Christianorum Imperatore. Huius viri sanctitatem admiratus est Antonius, præsertim propter miracula, quæ per ipsum plurima Dei benignitas effecit. *quorum magnam partem eodem die in Menæis Græcis habes. quæ addunt:* Αὐτὸς ἦν σχολάζων ἐν τῇ Σαλαμῶνι, πολὺν αὐτῷ πόνον καὶ κόπον παρέχοντι. *quod in Palladio Latinè est,* quod operabatur balsamum, in quâ colendâ & putandâ multum laboris ponitur. *Suidæ dicitur* Ἄμμως Αἰγύπτιος, *qui breue Vitæ eius compendium habet.*

CAP.XXXI 51. PAVLO SIMPLICE.] *Huius memoria* VII. *Martij in Martyrolog. Romano:* In Thebaide S. Pauli cognomento Simplicis. *Menologium Græcum:* Sancti patris Pauli cognomento Simplicis, propter rectam & simplicem, multisque modis à beato illo magno Antonio probatam eius integritatem, quam & Deus ipse miraculis comprobauit, vt litterarum monumenta testantur. *Menæa eodem die fusè satis eius Vitam referunt. In Triodio pag.* XXXII. *a. vocatur* Παῦλος ὁ ἁπλοῦστατος, Paulus simplicissimus. *cuius singulare priuilegium cogitationes singulorum peruidendi habes hîc apud Ruffinum lib.* III. *n.* 167. *& apud Pelagium lib.* XVIII. *num.* 20. *& apud Paschasium cap.* XXIII. *num.* II. *qui posterior ijsdem penè verbis habet, vti hîc Ruffinus.*

Quidam libri Paulum hunc hoc libro & loco non habent, sed vel primo libro post Vitam Malchi, vel tertio libro inter Verba Seniorum.

CAP.XXXII 52. PIAMMONE.] *Sozomenus lib.* VI. *c.* XXVIII. Καὶ Πιάμμων δὲ καὶ Ἰωάννης τηνικαῦτα περὶ Διόλκον τῆς Αἰγύπτου ἐπισημοτάτων προέστησαν μοναστηρίων. Ἐπιμελέστατα δὲ καὶ μάλα σεμνῶς, πρεσβύτεροι ὄντες, τὴν ἱερατείαν μετῄεσαν. Λέγεται δὲ ὅτι τὸν Πιάμμωνα ἱερωμένον θεάσασθαι περὶ τὴν ἱερὰν τράπεζαν θεῖον ἄγγελον ἑστῶτα, καὶ τῶν μοναχῶν τοὺς παρόντας ἐγγράφειν βίβλῳ τινί, τοὺς δὲ ἀπόντας ἐξαλείφειν: Præterea Piammon & Ioannes, id temporis quoque circiter Diolcon Ægypti celeberrimis præfuêre monasterijs. Exquisitissimè autem sacerdotio (presbyteri enim erant) & summâ cum reuerentiâ perfungebantur. Traditum verò est Piammonem quodam tempore, cùm Sacrum faciebat, vidisse circa sacram mensam stantem angelum Dei, & monachos præsentes in libro scripsisse, absentes verò inde deleuisse. *De eo etiam Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXV.

CAP.XXXIII. 53. IOANNE.] *De hoc ex Sozomeno præcedenti capite iam quædam dedimus: qui præterea addit:* Ἰωάννῃ δὲ τοσαύτην ἐδωρήσατο δύναμιν ὁ Θεὸς κατὰ παθῶν καὶ νοσημάτων, ὡς πολλοὺς ἰάσασθαι ποδαλγοὺς, καὶ τὰ ἄρθρα διαλελυμένους: Ioanni autem tantam vim contra ægrotationes & morbos Deus donauerat, vt multos podagrâ laborantes, & articulos membrorum habentes resolutos, sanaret.

DE

DE VITIS PATRVM LIBER TERTIVS, AVCTORE [1]RVFFINO AQVILEIENSI PRESBYTERO.

PROLOGVS.

2 *VERE mundum quis dubitet meritis stare Sanctorum: horum scilicet, quorum in hoc volumine vita præfulget, qui omnem luxuriæ notam totâ mente fugerunt, mundoque relicto, eremi vasta secreta rimantur, ibique per terribiles rupes, formidolosis antris excubantes, non esuriunt neque sitiunt, quia dextera Dei sustentat & pascit eos. Horum meritis subleueris: horum supplicationibus peccatorum veniam merearis,* [3] *mi domine Fidose. Non ergo spernas simplicitatem, & impolitos sermones: nec enim mei operis est, diuinæ doctrinæ scripturæque sophisticè & eloquenter signare sermones; sed suadere mentes hominum, in fide & operibus veritatis. Patrum denique, sanctorum patriarcharum, & prophetarum, id est Abraham, Isaac, & Iacob, Moysi, & Eliæ, & Ioannis ideò descripta est fides & conuersatio, non tantùm vt illos glorificaremus quos certè Deus glorificauerat, & in regno suo gloriosos habebat; sed vt legentibus posteris conferrent veritatis doctrinam & exempla salutis.*

Cuiusdam senioris. I. QVIDAM sanctorum seniorum patrum, interrogantibus se monachis de causâ abstinentiæ, dixit: Oportet, filioli, vt odio habeamus omnem requiem præsentis vitæ: siue delectationes corporeas ac ventris suauitatem, & honorem ab hominibus non requiramus, & dabit nobis Dominus Iesus cælestes honores, & requiem in vitâ æternâ, gloriosamque lætitiam cum Angelis suis. *Abstinentia.*

Eiusdem. 2. Idem autem senior dixit: Quia naturaliter inest homini esurire, oportet autem sumere cibum ad necessitates corporis sustentandas, non tamen in passione, seu saturitate ventris. Nam & somnus naturaliter inest homini, sed non in satietate siue resolutione corporis, quò possimus humiliare passiones ac vitia carnis. Satietas enim somni mentem sensumque hominis stupidum pigrumque reddit; vigiliæ autem tam sensum quàm etiam mentem subtiliorem ac puriorem efficiunt. Ita enim & sancti patres dixerunt, quia vigiliæ sanctæ purificant & illuminant mentem. Sed etiam irasci naturaliter inest homini, non in commotione passionis, sed vt irascatur contra semetipsum ac vitia sua, vt facile emendare & à se abscindere possit. Nec non etiam si quid prauum & contra præcepta Dei videamus agere alios, oportet nos contra vitia eorum vehementer quidem irasci, ipsos *Abstinentia, vigiliarum, & ira modus.*

sos verò diligenter corripere, & increpare, ac monere, vt emendati saluentur, & ad vitam æternam perueniant.

INCERTI. Pelag. libel. 7. n. 29

3. Erat quidam senior in eremo interiori, per multos annos in abstinentiâ & in omni studio spiritali nimis laborans. Aduenientesque ad eum quidam fratres, admirati sunt eius perseuerantiam, dicentes: Quomodo toleras istum tam aridum & squalidum locum, pater? Quibus ille respondens, ait: Omnis labor totius temporis quo hic dego, nondum vnius horæ tormentorum æternorum gehennæ spatium habet. Oportet, inquit, nos in paruo tempore vitæ illius sustinere laborem, & macerare passiones corporis nostri, vt inueniamus in illo futuro ac æterno sæculo quod numquam deficit, perpetuam repausationem.

Vita huius labor æternitati intuitu fit leuis.

INCERTI. Pelag. libel. 1. n. 58

4. Referebant nobis sancti seniores de quodam fratre, dicentes, quomodo quodam tempore ita impugnabatur à dæmonibus, vt statim horâ diei primâ tantam famem & defectionem corpori eius facerent, vt penitùs sustinere non posset. Verumtamen ille dicebat in corde suo: Quia qualitercumque esurio, oportet me vel vsque ad horam tertiam exspectare, & tunc cibum sumere. Cumque facta fuisset hora tertia, iterùm dicebat cogitationibus suis: Etiam & nunc violenter oportet me sustinere vsque ad horam sextam. Cumque aduenisset hora sexta, infundebat panem in aquam, dicens: Dum hic panis infunditur, oportet me etiam horam nonam exspectare. Cumque hora nona aduenisset, secundùm consuetudinem complebat omnes orationes suas & psalmodiam secundùm regulam, & ponebat panem vt comederet. Hoc ergo per plurimos dies sustinuit. Quadam ergo die similiter ab horâ primâ vsque ad nonam fecit: cumque horâ nonâ sedisset vt cibum caperet, vidit de sportellâ (vbi panis, id est, 4 paximatia reposita erant) surrexisse fumum magnum, & egressum esse per fenestram cellulæ eius. Itaque ex illo die, nec esuries nec defectio corpori facta est, sed magis ita corroboratum est in fide & abstinentiâ cor eius, vt etiam nec post biduum delectaret eum cibum accipere. Ita gratiâ Dei auxiliante certamini eius, per patientiam suam frater extinxit gastrimargiæ, id est gulæ & concupiscentiæ passionem.

Paulatim virtus sobrietatis comparatur.

INCERTI. Pelag. libello 10. num. 92.

5. Egressi sunt aliquando de monasterio fratres, ad visitandum eos qui in eremo commorabantur patres. Cùm autem venissent ad quemdam eremitam seniorem, suscepit eos cum grandi gaudio, & sicut consuetudo est, apposuit eis mensulam. Videns enim eos fatigatos de itinere, ideò ante horam nonam fecit eos reficere, & quidquid habebat in cellâ suâ, apposuit vt ederent, & repausauit eos. Facto autem vespere, orationes & psalmos secundùm consuetudinem compleuerunt, similiter etiam & nocte fecerunt. Supradictus autem senior separatè in alio loco quiescebat sibi, & audiebat loquentes inter se, & dicentes: Quoniam isti eremitæ magis & meliùs ad refectionem cibantur, quam qui in monasterijs conuersantur. Hæc autem senior audiens tacuit. Et cùm illuxisset dies, arripuerunt iter vt ad alium eremitam pergerent, qui in vicino eiusdem senis habitabat. cùm autem egrederentur, dixit eis senior: Salutate eum ex me, & dicite ei: Obserua, & noli irrigare olera. Cùm autem peruenissent ad illum seniorem alium, dixerunt ei mandatum. Ipse verò intellexit caussam, & tenuit eosdem fratres, deditque eis vt operarentur texentes sportas, sedensque cum eis ipse, non cessauit de opere manuum. Vespere autem ad luminaria addidit super consuetudinem alios psalmos, & post completas orationes dixit eis: Nos quidem consuetudinem non habemus cibari quotidie, sed propter vestrum aduentum oportet nos hodie cœnare; & apposuit eis panes siccos, & sal, dicens: Quia propter vos debemus ampliùs aliquid cœnare; misit autem modicum acetum, & sal, & modicum olei; & cùm surrexissent de mensulâ, cœpit iterùm psallere vsque ad prope lucem; & dixit eis: Non possumus propter vos omnem canonem psallere, ideoque repausate modicùm, quia de itinere fatigati estis. Cùm autem factum fuisset manè hora prima, voluerunt recedere ab eo, sed non permisit eos senior, dicens. Magis iubete facere nobiscum aliquantos dies: non enim dimitto vos hodie, sed propter charitatem teneo vos vel alios tres dies. Illi autem hæc audientes, surrexerunt nocte, & antequam illucesceret, latenter fugerunt ex eodem loco.

Hospitalitas.

Ingrati hospites insigni senis industriâ docentur.

INCERTI.

6 Quidam de sanctis senioribus salutandi caussâ profectus est ad alium seniorem eremitam, qui cum omni gaudio suscepit eum, pro cuius aduentu parauit ad refectionem lenticulæ cibum coctum, dixeruntque inter se, vt priùs ex more complerent orationes & psalmodiam, & posteà cibum caperent. Cùm autem ingressi fuissent, psallebant, totumque psalterium compleuerunt. Nam & de Scripturis sanctis, tamquam legentes, duos prophetas absentes habentes, recitauerunt. Iamque dies abierat, nox similiter recedebat. Dum ergo orarent, & intente psallerent, illuxit alia dies, & tunc intellexerunt, quòd iam nox transisset. Iterùm

Obliuio corporalis refectionis ex spirituali collatione.

autem inter se de verbo Dei loquentes, & spiritales sibi sensus exponentes, factum est, vt circa horam nonam salutantes se inuicem, ita reuersus est qui venerat senex ad cellulam suam. Nam refectionem cibi qui paratus fuerat, obliti sunt accipere, dum cibum spiritualem perceperunt: vespere autem facto, inuenit senior ollam plenam sicut parata fuerat: & contristatus, dixit: Heu! quomodo obliti sumus pulmentum istud.

ZENONIS. Pelag. libel. 4. n. 17. 7. Referebat nobis abbas Zenon, quia aliquando dum proficisceretur ad Palæstinam, fatigatus de labore itineris, resedit sub arbore. Erat autem in proximo ager plenus cucumeribus. Cogitauit autem in corde suo, vt surgeret, & tolleret sibi ad refectionem de ipsis cucumeribus: Nihil enim, inquit, grande est quod habeo tollere. Respondensque ipse sibi in cogitationibus suis, ait: Quia fures præcipiētibus iudicibus in tormēta mittuntur, oportet & ego meipsum probare, si possim sustinere tormenta, quæ latrones patiuntur. Surgens autem eadem horâ, stetit in æstu quinque dies, frixitque corpus suum, & dixit cogitationibus suis: Quia non possum sustinere tormenta, ideò oportet me furtum non facere, sed magis exercere secundùm consuetudinem opera manuum, & de laboribus meis reficere, sicut sancta Scriptura dicit in psalmis: Labores manuum tuarū quia māducabis, beatus es & benè tibi erit. quod certè quotidie in conspectu Dñi psallimus. *Zenon gulosam furti cogitationem, tormentorum experientiâ superat.* Psal. 127.

INCERTI. 8. Discipulus cuiusdam sancti senioris impugnabatur à spiritu fornicationis, sed auxiliante gratiâ Domini, resistebat viriliter pessimis & immundis cogitationibus cordis sui, ieiunijs & orationibus, & in opere manuum affligebat se vehementer. Beatus autem senior videns eum ita laborantem, dixit ei: Si vis, ô fili, deprecor Dominum, vt auferat à te istam impugnationem. Ille verò respondens, dixit: Video, pater, quia etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum in me perficere bonum, quia per occasionem impugnationis huius, & ampliùs ieiuno, & ampliùs in vigilijs & orationibus tolero. Verumtamen deprecor te, vt exores pro me misericordiam Domini, vt det mihi virtutem, quatenus possim sustinere & certare legitimè. Tunc senior sanctus dixit ei: Ecce nunc cognoui, fili, quia fideliter intelligis, quòd hoc spiritale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat. Ita enim sanctus Apostolus dixit: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de cetero, reposita est mihi corona iustitiæ; non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. *Impugnatio fornicationis maioris exercitij & profectus sæpè occasio.* 2. Tim. 4.

INCERTI. 9. Et alius etiam frater vehementer impugnabatur ab immundo spiritu fornicationis. Exurgens autem noctu abijt ad quemdam sanctum, & probatum in virtutibus seniorem, & confessus est ei, quia patiebatur impugnationem à spiritu fornicationis. Hæc cùm audisset senior, consolabatur eum, docens spiritualibus verbis de virtute patientiæ, dicens, sicut scriptum est, Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Reuersus est frater ad cellulam suam, & ecce iterùm impugnatio insistebat ei. Ipse autem festinauit denuò pergere ad supradictum seniorem. Vidēs autem eum senior, iterùm docebat eum vt patienter & indefessè sustineret, dicebatque ei: Crede, fili, quoniam mittet tibi Dominus Iesus Christus auxilium de cælo sancto suo, vt possis superare passionem hanc. Cōfortatus autem frater, monente sācto seniore, remeauit ad cellulam suam, & iterùm impugnatio valdè conturbabat cor eius. Et statim eadem horâ noctis reuersus est ad seniorem, & deprecabatur eum vt intentiùs pro eo Dominum exoraret. Dixit ei senior: Ne pertimescas, fili, neque resoluaris, neque abscondas cogitationes tuas; ita enim confusus spiritus immundus discedit à te. Nihil enim ita allidit virtutem dæmonum, quomodo si quis secreta immundarum cogitationum reuelauerit sanctis ac beatissimis patribus. Viriliter age, fili, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Vbi enim durior est pugna, ibi gloriosior erit & corona. Denique sanctus propheta Isaias dicit: Numquid inualida est manus Domini ad saluandum, aut aggrauata est auris eius, vt non exaudiat? Considera ergo, filiole, quia certamen tuum exspectat Dominus, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. Ideò monet nos sancta Scriptura, dicens: Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cælorum. Hæc autem audiens frater, confirmatum est cor eius in Domino, & permansit apud seniorem, noluitque vltrà reuerti ad cellulam suam. Psal. 26. *Reuelatio cogitationum immūdarum, dæmonem eneruat.* Psal. 26. Isaiæ 59. Actor. 14.

ISIDORI. Pelag. libello 18. num. 12. 10. Beato abbati Moysi, qui habitabat in loco, qui appellabatur Petra, quodam tempore intantum imposuit durissimam impugnationem dæmon fornicationis, vt non præualeret sedere in cellulâ suâ, sed abijt ad sanctum abbatem Isidorum, & retulit ei violentiam impugnationis suæ. Cùmque de Scripturis sanctis abbas Isidorus proferens testimonia, consolaretur eum, & vt ad cellulam suam reuerteretur rogaret eum, noluit abbas Moyses pergere ad cellulam suam. Tunc abbas Isidorus pariter cum abbate Moyse ascenderunt in superiora cellulæ suæ. Et dixit ei Isidorus: Respice ad Occi-

Moyses videt dæmones ad tentandum, & Angelos ad succurrendum preparatos.

Occidentem, & vide. Cumque respiceret, vidit multitudinem dæmonum vehementer cum furore perturbari, & quasi ad prælium præparatos, festinantesque pugnare. Dixit autem ei abbas Isidorus: Respice iterum ad Orientem, & vide. Cumque respiceret, vidit innumerabilem multitudinem sanctorum Angelorum, gloriosum & splendentem super lumen solis cælestium virtutum exercitum. Ait autem ei abbas Isidorus: Ecce quos in Occidente vidisti, ipsi sunt qui etiam impugnant sanctos Dei. Nam quos ad Orientem conspexisti, ipsi sunt quos ad adiutorium sanctis suis mittit Deus. Cognosce ergo quia plures sunt nobiscum, sicut dicit Elisæus propheta. Verum etiam sanctus Ioannes dicit: Quia maior est qui in nobis est, quàm qui in hoc mundo. Et his auditis confortatus in Domino sanctus abbas Moyses, reuersus est in cellulam suam, gratias agens, & glorificans Domini nostri Iesu Christi bonitatis patientiam.

4. Reg. 6. *1. Ioan. 2.*

INCERTI. Pelag. libell. 5. n. 22

11. Erat quidam frater in eremo Scithiæ promptus & alacer in opus Dei, & spiritali conuersatione. Huic autem inimicus generis humani diabolus immisit cogitationes, vt recordaretur cuiusdam notæ sibi mulieris pulchritudinem, & conturbaretur in cogitationibus suis vehementer. Contigit autem ex dispensatione Domini Iesu, vt alius quidam frater de Ægypto veniret ad visitandum eum in charitate Christi. Et dum inter se loquebantur, euenit sermo vt diceret ille frater de Ægypto, Quia mortua est illa mulier. Ipsa autem erat, in cuius amore impugnabatur supradictus frater. Hæc cùm audisset ille, post paucos dies abijt ad locum illum, vbi positum erat corpus illius defunctæ mulieris, & aperuit noctu sepulchrum eius, & cum pallio suo tersit saniem putredinis eius, & reuersus est ad cellulam suam, ponebatque fœtorem in conspectu suo, & dicebat cogitationibus suis: Ecce habetis desiderium quod quærebatis, satiate vos ex eo, & ita in illo fœtore cruciabat semetipsum, vsquequò cessaret ab eo sordidissima impugnatio.

Cogitationem de muliere, fœtore cadaueris eius quidam pellit.

DVORVM FRATRVM. Pelag. libell. 5. n. 27

12. Duo fratres monachi abierunt in proximam ciuitatem, vt distraherent quæ manibus suis per totum annum operati essent. Vnus autem ex eis egressus est vt quædam sibi necessaria emeret, alius autem solus in hospitio remansit, & instigante diabolo cecidit in fornicationem. Cùm autem reuersus venisset frater, dixit ei: Ecce distraximus quæ necessaria erant, reuertamur nunc ad cellulam nostram. Respondens autem frater dixit ei: Non possum reuerti. Cumque deprecaretur eum frater suus dicens: Quapropter non reuerteris ad cellulam? Ille confessus est ei, dicens: Quia ego cùm discessisti à me, cecidi in fornicationem, ideò nolo reuerti. Volens autem lucrari & saluare animam eius frater suus, cum sacramento dixit ei: Quia & ego cùm separatus fuissem à te, lapsus sum similiter in fornicationem: verumtamen reuertamur ad cellulam, & ponamus nos in pœnitentiam. Omnia enim possibilia sunt Deo; vt pœnitentibus nobis indulgentiam donare dignetur, vt in æterno igne tormentis & pœnis inferni in tartaro non cruciemur; vbi pœnitentia non est, sed ignis semper sine cessatione, & dira tormenta. Ita ergo reuersi sunt ad cellulam suam. Abierunt autem ad sanctos patres, & prostrauerunt se ad vestigia eorum, cum multo vlulatu & lacrymis gementes, & confessi sunt illis quæ euenisset eis ruinæ tentatio. Quidquid autem præceperunt sancti seniores, & docuerunt eos in caussa pœnitentiæ, ita omnia fecerunt. Ille ergo alius frater, qui non peccauerat, pro fratre qui peccauerat, pœnitentiam agebat, quasi & ipse peccasset, eò quòd multam charitatem circa eum haberet. Videns autem Dominus laborem charitatis eius, infra pauca tempora reuelauit sanctis patribus qualis esset caussa, & quia propter charitatem illius, qui non peccauerat, & se afflixerat pro salute fratris, idcircò indulgentiam donauit ei Dominus, qui peccasset. Ecce hoc ita sicut scriptum est: Quia posuit animam suam pro salute fratris sui.

Nota, non licitum esse mendacium officiosum: fors spiritaliter se fornicatum intelligit. *Lucæ 1.* *Cum fonte insons ex charitate fraternâ pœnitentiam agit.* *1. Ioan. 3.*

INCERTI. Pelag. libell. 5. n. 19

13. Alius etiam frater molestiam sustinebat à spiritu fornicationis. Abijt autem ad quemdam probatissimum seniorem, & precabatur eum dicens: Pone tibi sollicitudinem, beatissime pater, & ora pro me, quia grauiter me impugnat passio fornicationis. Hæc cùm audisset senior, orabat intente, diebus ac noctibus pro eo deprecans Domini misericordiam. Iterùm autem veniebat idem frater, & rogabat seniorem, vt magis intentiùs pro eo oraret. Similiter autem cum omni sollicitudine beatus senior orabat intentiùs pro eo: frequenter autem venientem ad se monachum videns senior & deprecantem se vt oraret, valdè contristatus mirabatur, quia non exaudiret Dominus orationem eius. Eadem autem nocte reuelauit ei Dominus, quæ circa illum monachum erat negligentiæ & ignauiæ resolutio, & delectationes corporeæ cordis eius. Ita autem ostensum est sancto seniori: Vidit sedentem illum monachum, & spiritum fornicationis in diuersis mulierum formis ante illum luden-

Negligenti in paruis cogitationibus repellendis non prodest senis oratio.

tem, & ipsum cum eis delectari. Videbat autem & angelum Domini astantem, & indignantem grauiter contra eumdem fratrem, quia non surgebat neque prosternebat se in orationibus ad Deum: sed magis delectabatur in cogitationibus suis. Hæc autem ostensa sunt per reuelationem sancto seniori. Cognouit autem quia culpa & negligentia illius monachi erat, vt non exaudirentur orationes eius; & tunc dixit ei senior: Quia tua culpa est, frater, qui condelectaris cogitationibus malis, impossibile est enim discedere à te spiritum fornicationis immundum, alijs orantibus & Deum pro te deprecantibus, nisi & tuipse laborem assumas, in ieiunijs, & orationibus, & vigilijs multis, cum gemitu deprecans vt misericordiam suam, & adiutorium suæ gratiæ præbeat tibi Dominus Iesus Christus, vt possis resistere cogitationibus malis. Nam & medici, qui corporibus hominum medicamenta conficiunt & adhibent, quamuis omnia cum summâ diligentiâ faciant, verumtamen si ille qui infirmatur, à noxijs cibis, vel de alijs quæ solent lædere infirmitates, abstinere noluerit, nihil ei proficit cura, & diligentia, & sollicitudo medicorum. Similiter etiam & in animæ languoribus eueniet. Licet enim omni intentione, & ex toto corde sancti patres, qui sunt medici spirituales, exorent misericordiam Domini Saluatoris nostri pro eis qui orationibus eorum se postulant adiuuari, nisi & ipsi cum omni intentione mentis, tam in orationibus quàm in omni opere spirituali quæ Deo placita sunt fecerint, non eis proficient negligentibus & resolutis, & de salute animæ minimè cogitantibus, orationes sanctorum. Et hæc audiens frater compunctus est corde, & cum omni sollicitudine, secundùm doctrinam senioris, tam in ieiunijs quàm in orationibus & vigilijs semetipsum afflixit, & meruit misericordiam Domini. Et recessit ab eo spiritus immundæ passionis.

Similitudine à medico sumptâ declaratur.

INCERTI. Pelag. libell. 5. n. 24.

14. Erat quidam monachus, & habitabat in eremo. Quædam autem puella ex genere & cognatione eius, post plurimos annos comperit in quo loco supradictus monachus habitaret, & instigante diabolo abijt in desertum requirens eum. Quo inuento ingressa est cellulam eius, asserens ei, quia ex genere & parentelà eius fuisset, mansitque ibi apud eum, & cecidit in ruinam peccati cum eâ. Erat autem alius monachus, & ipse in eremo degens, qui cùm ad refectionis horam venisset, 5 gello cum aquâ, quem ad potum sibi præparauerat, vertebat se, & tota illa aqua fundebatur in terram. Hoc autem per aliquot dies, cùm ad refectionem venisset, ita fiebat, & effundebatur aqua in terram, vt non posset bibere. Cogitauit autem apud semetipsum, vt abiret ad illum alium monachum, & diceret ei de gellone qui vertebat se, & tota aqua effundebatur. Igitur cùm in itinere, vespere facto, in quodam antiquo & diruto templo idolorum dormiret, audiuit dæmones inter se loquentas, Quia in istâ nocte præcipitauimus illum monachum in fornicationem: & hæc audiens admirabatur. Cùm autem illuxisset dies, peruenit ad monachum, & inuenit eum grauissimâ tristitiâ oppressum, & dixit ei: Quid faciam, frater, quia quâ horâ reficere voluero, statim gello, quem ad vsum aquæ habeo, vertit se, & effunditur aqua, & non habeo quid bibere? Tunc respondit ei supradictus monachus, dicens: Tu quidem venisti ad me interrogare, quia gellunculus vertit se, & effunditur aqua? Ego autem quid habeo facere, quia hac nocte cecidi in fornicationem? Respondensque frater, dicit ei: Ego & hoc iam cognoui. Dixit autem ei ille: Et vnde hoc potuisti cognoscere? Et ille ait: Dum in itinere noctu quiescerem, audiui dæmones inter se loquentes & gloriantes de lapsu tuo, & nimis contristatus sum. Tunc respondit ei ille monachus, dicens: Ecce ego egredior, & vado in sæculum. Hæc ille audiens, deprecabatur eum, dicens: Noli hoc agere, frater, sed magis patienter sustinens permane in hoc loco. Nam mulierem expellamus, & reuertatur ad locum suum. Manifestè enim ista exquisitio ars maligni diaboli est. Magis autem oportet vt maneas in hoc loco in afflictione cordis & corporis, & cum intimi cordis gemitu ac lacrymis vsque ad exitum vitæ deprecare Domini ac Saluatoris nostri pietatem, vt possis inuenire misericordiam in die illo terribili magni iudicij Dei.

Periculosa mulierum cõuersatio, etiam sanguine iunctarum.

Dæmones de lapsu monachi exultant.

INCERTI.

15. Erat quidam frater in eremo, habitabat autem in loco qui dicebatur Cellia, & impugnabant eum dæmones in passione fornicationis. Cogitauit autem apud semetipsum, dicens: Quia forsitan oportet me magis in opere manuum laborare, vt extinguatur carnalis sensus meus. Erat autem idem frater arte figulus. Exurgens autem fecit in luto, & plasmauit quasi figuram mulieris, & dixit cogitationibus suis: Ecce vxor tua, necessarium est ergo vt super consuetudinem addas in opere manuum tuarum, & post aliquantos dies iterùm similiter fecit ex luto, & plasmauit quasi filiam sibi, & dixit cogitationibus suis: Ecce generauit vxor tua filiam, necessarium

sarium est ergo, vt magis magisque amplius exerceas opera manuum, vt possis pascere & vestire, & te, & vxorem, & filiam tuam; & ita præ nimio labore maceravit corpus suum, vt non prævaleret iam supportare tantum laborem. Tunc dixit cogitationibus suis: Quia si non prævales nimium istum sustinere laborem, neque mulierem requiras. Videns autem Deus feruens propositum mentis eius pro certamine castitatis, abstulit ab eo molestiam impugnationis dæmonum. Et glorificauit Deum super magnitudine gratiæ eius.

POEMENIS.

16. Quidam frater interrogabat beatum abbatem Pœmenem, dicens: Quid faciam, pater, quia impugnat me passio fornicationis, & rapior in passionem furoris? Et respondens dixit ei sanctus senior: Ideò vtique Dauid propheta dicebat: Quia leonem quidem percutiebam, nam & vrsum frequens suffocabam. Hoc autem ita intelligitur, quia furorem ab animo meo abscindebam, fornicationem autem in laboribus affligebam.

1. Reg. 17.

Luxuria labore superanda.

INCERTI.

Pelag. libell. 15. num. 31. nomine *Olympij.*

17. Dicebant sancti seniores patres de quodam monacho iam seniore in Scithi eremo commanente, quomodo seruus quorumdam erat, & per singulos annos descendebat de eremo in Alexandriam, vbi commanebant domini eius, deferens eis pensionem, sicut solent serui dare dominis suis. Sed domini eius magis reuerentiam pro timore Dei habentes circa eum, honorabant occurrentes & salutantes eum, petentesque vt pro eis Dominum exoraret. Ille autem mittebat aquam in peluim, & festinabat lauare pedes dominorum suorum, cum omni humilitate obsequium eis exhibere cupiens. Ipsi verò nolebant acquiescere vt pedes eorum ablueret, sed dicebant ei: Noli, beatissime pater, grauare animas nostras. At ille respondens dicebat: Ego seruus vester sum, nam vos esse dominos meos omnipotens Deus constituit: & gratias ago dominio vestro, quia dignati estis me permittere, vt seruiam Deo viuo & vero, creatori ac dominatori cæli & terræ, & imò detuli vobis pensionem seruitutis meæ. Domini autem eius contendebant, nolentes accipere quam detulerat pensionem. Respondens autem monachus dixit eis: Si nolueritis accipere pensionem meam, ita decreui vt non reuertar in eremum, sed hic in præsenti permaneo, & seruio vobis. Hæc autem audientes domini eius, acquieuerunt suscipere pensionem, ne contristaretur, sed magis vt reuerteretur ad loca eremi ad cellulam suam. Illud autem quod in pensionem suam etiam nolentibus dabat dominis suis, statim vt accipiebant, pauperibus erogabant. Interrogantes autem eumdem seniorem fratres, dixerunt ei: Obsecramus te, pater, vt dicas nobis, cur cum tantâ intentione pro seruitio tuo pensionem etiam nolentibus & nimis resistentibus tibi dominis ingessisti? Ad hæc respondens senior dixit: Ego, fratres, ideò festino pro seruitio, quod tamquam dominis meis debeo pensionem per singulos annos adimplere eis, vt quidquid iam cum adiutorio Domini in ieiuniis & orationibus, seu in sanctis vigiliis, vel in omni opere spirituali, Christo Domino adiuuante, laborauero, hoc mihi in æterna vitâ, & ad salutem animæ meæ proficiat; ne fortè si pensionem pro seruitio meo minimè intulero, iam totus spiritalis labor meus ad illorum mercedem proficiat, qui me permiserunt Christo Domino deseruire, & spiritaliter conuersari.

Eremita olim seruus singulis annis pensionem defert dominis etiam reluctantibus.

Mauult rependere corporale seruitium, ne spiritali mercede priuetur.

DVORVM FRATRVM.

Pelag. libell. 15. num. 89.

18. Erant duo fratres, secundùm carnem quidem germani, verumtamen vterque in spiritali proposito monachi existentes, insidiabaturque eis malignus diabolus, vt quomodocumque eos separaret ab inuicem. Quadam igitur die ad vesperam, secundùm consuetudinem ille iunior frater accendens lucernam posuit super candelabrum. Faciente autem malitiâ dæmonum, ruit candelabrum, & extincta est lucerna. Per hanc occasionem insidiabatur eis malignus diabolus, vt in litem eos incenderet: surgensque senior cœpit percutere cum furore fratrem suum. Ille verò prostratus in terram, deprecabatur germanum suum, dicens: Magnanimus esto, domine, & ego rursus accendo lucernam. Ergo quia non respondit ei turbulentum sermonem, statim malignus spiritus confusus recessit ab eis. Et pergens eadem nocte nuntiauit principi dæmonum, dicens: Quoniam propter humilitatem illius monachi, qui prostratus in terrâ veniam postulabat à fratre suo, non præualui in eis. Videnſque Deus humilitatem eius, effudit super eum gratiam suam: & ego sentio me valdè torqueri atque cruciari, quoniam non præualui eos separare ab inuicem. Hæc autem omnia verba audiens sacerdos idolorum qui ibi commanebat, compunctus est in timore Domini & amore Iesu Christi: considerans enim quoniam magis seductio & perditio animarum est cultus idolorum, relinquens omnia, festinanter perrexit ad sanctos patres ad monasterium, & retulit eis omnia quæ per mali-

Humilitate dæmon vincitur.

Sacerdos idolorum, ex colloquio dæmonum de humilitate, conuertitur.

malitiam dæmones inter se loquebantur. Cumque monitis salutaribus instruxissent eum sancti patres de doctrinâ Domini Saluatoris, baptizatus est, & sancti propositi monachorum vitam arripuit, & adiuuante & cooperante gratiâ Dei, factus est probatissimus monachus, tantumque veneratus est & tenuit virtutem humilitatis, vt omnes nimiam humilitatem eius admirarentur. Dicebat enim, quoniam omnem virtutem aduersariorum nostrorum dæmonum soluit humilitatis intentio. Denique & Dominus noster Iesus Christus per humilitatem triumphauit diabolum, & omnem eius virtutem contriuit. Addebat etiam dicens, quoniam frequenter audisset dæmones inter se loquentes, quia quando ad iracundiam succendimus corda hominum, si quis sustinuerit patienter conuitia iniuriarum, & conuersus magis rogauerit ea quæ ad pacem sunt, dicens, Quia ego peccaui, statim sentimus omnem nostram virtutem marcescere, quia approximat eis gratia diuinæ potentiæ.

INCERTI. Pelag. libell. 15. num. 66.

19. Referebat autem beatus senior Pœmen fratribus, dicens: Quoniam fuit quidam nuper monachus in Constantinopoli temporibus Theodosij Imperatoris. Habitabat autem paruâ cellâ foris ciuitatem prope [6] proastium, qui vocatur in [7] Septimo, vbi solent Imperatores egressi de ciuitate libenter degere. Audiens autem Imperator, quòd ibi esset quidam monachus solitarius, qui numquam egrediebatur de cellâ, cœpit deambulando pergere ad eum locum, vbi erat supradictus monachus, præcepitque sequentibus se eunuchis, vt nullus approximaret ad cellulam monachi illius. Ipse autem solus perrexit, pulsauitque ostium. Surrexit autem monachus, & aperuit ei, & non cognouit eum quòd esset Imperator. Tulerat enim sibi coronam de capite suo, vt non cognosceretur. Post orationem autem sederunt pariter, & interrogauit eum Imperator dicens: Quomodo sancti patres degunt in Ægypto? Respondensque monachus, ait: Omnes exorant Deum pro salute vestrâ. Aspiciebat autem Imperator intentè cellulam ipsam, & nihil in eâ vidit, nisi paucos panes siccos in sportâ pendentes, & dixit ei: Da mihi benedictionem, abba, vt reficiamus. Statimque festinauit monachus, & misit aquam, & sal, & misit buccellas, & comederunt pariter, porrexitque ei calicem aquæ, & bibit. Tunc Theodosius Imperator dixit: Scis quis ego sum? Respondens monachus dixit: Nescio quis sis, domine. Dixit ei: Ego sum Theodosius Imperator, & ob deuotionem veni huc. Hoc cùm audisset monachus, prostrauit se ante illum. At ille dixit ei: Beati estis vos monachi, qui securi ac liberi de negotiis sæculi, tranquillâ & quietâ perfruimini vitâ, & solummodò de salute animarum vestrarum habetis sollicitudinem, quomodo ad vitam æternam & ad cælestia præmia peruenire possitis. In veritate enim dico tibi, quia certè in regno natus sum, & nunc in regno dego, & numquam sine sollicitudine cibum capio. Post hæc autem valdè honorificè salutauit eum Imperator, & ita egressus est ab eo. Eadem autem nocte cœpit intra se cogitare famulus Dei, dicens: Quoniam non oportet iam me in hoc loco esse: multi enim non solùm de populo, sed etiam de palatio & de senatoribus quamplurimi exemplum Imperatoris secuti, ad videndum me venturi sunt, & honorem mihi tamquam seruo Dei deferendo non cessabunt. Et illi quidem hæc propter nomen Domini facturi sunt, ego autem timeo ne fortè diabolus malignus mihi [8] subripiat, & libenter incipiam eos suscipere, & condelectetur cor meum laude & honore eorum, & per hæc iam incipiam virtutem humilitatis perdere, & laudibus atque honoribus hominum delectari. Hæc igitur omnia homo Dei secum cogitans, eadem nocte fugit inde, & perrexit in Ægyptum ad sanctos patres in eremo. Itaque consideremus, dilectissimi fratres, quantâ sollicitudine virtutem humilitatis custodire famulus Dei studuit, vt in cælesti regno æternam gloriam pro labore sanctæ vitæ suæ, quem propter nomen Domini exercuerat, percipere à Christo Domino mereretur.

Theodosius Imperator monachum inuisit.

Cum eo manducat.

Felicem eum prædicat.

Fugit honorem monachus, ne humilitatis iacturâ faciat.

POEMENIS. Pelag. libell. 8. num. 13.

20. De hoc autem ipso sancto Pœmene referebant alij sancti seniores dicẽtes: Quia quodam tempore, cùm aduenisset iudex prouinciæ, audissetque sanctam opinionem beati Pœmenis, desiderabat videre eum, misitque nuntium ad deprecandum vt susciperet eum. Beatus autem Pœmen contristatus est valdè, cogitans apud semetipsum, Quia si cœperint personæ nobiles venire ad salutandum & honorandum me, manifestum est, quia & alij multi etiam populares homines frequentabunt me; & necesse est vt per hoc perturbetur secreta vitæ meæ conuersatio, & humilitatis gratiam, quam cum labore tanto, auxiliante Domino, à iuuentute meâ studui custodire, forsitan surripiente maligno diabolo perdam, & vanæ gloriæ incurram laqueos. hæc ergo apud semetipsum pertractans, definiuit quatenus excusaret magis, & non susciperet

Pœmen magnorum virorum conuersationem respuit, ne per vanam gloriam humilitate excidat.

ret iudicem. Contristatus autem iudex, quia non eum suscepisset, ait ad officium suum: Quoniam non merui videre hominem Dei, peccatis meis imputo. Verumtamen nimis desiderauit per quamcumque occasionem videre sanctum virum. Excogitauit ergo huiuscemodi caussam, quæ occasionem ei præberet videndi eum. Comprehendens enim filium sororis beati Pœmenis, misit in carcerem, vt per istam occasionem aut susciperet iudicem, aut certè ipse veniret ad rogandum iudicem. Dixitque ad officium suum: Vt non contristetur sanctus senior, mandate ei si voluerit venire ad me, necesse est vt statim educamus eum de carcere. Talis enim est caussa eius, quæ non possit impunè transire. Audiens autem hæc mater iuuenis, id est, soror sancti Pœmenis, abiit in eremum vbi erat frater suus, stabatque ad ostium cellulæ eius cum multo fletu & vlulatu, rogans eum vt descenderet ad iudicem, & rogaret pro filio suo. Beatus autem Pœmen non solùm ad eam nihil dixit, sed nec ostium ei aperuit vt egrederetur ad eam. Tunc cœpit illa maledicere ei, ac dicere: Durissime & impiissime, & ferrea viscera gerens, quomodo te tantus dolor fletus mei non flectit ad misericordiam, quoniam vnicum ipsum filium habeo, quem in periculo mortis video constitutum. Tunc senior mandauit ei per fratrem qui ei ministrabat, dicens: Vade, dic ei: Pœmen filios non genuit, & ideò non dolet. Hæc audiens iudex, dixit amicis suis: Scribite ad eum, vt vel epistolam precatoriam faciat ad me, quatenus possim eum dimittere. Tunc iam quamplurimis suadentibus, sanctus senior scripsit ad iudicem, dicens: Iubeat nobilitas tua diligenter requirere caussam illius, & si quid dignum morte admisit, moriatur, quatenus in hoc præsenti sæculo exoluat crimen peccati sui, vt euadat æternas ac perpetuæ gehennæ pœnas: sin autem nihil dignum morte commisit, quod iustum videtur legibus, ita de eo iube discernere.

Pro sororis filio non nisi æqua à iudice postulat.

AGATHONIS. Pelag. li. bell. 10. num. 10.

21. Fuit etiam de magnis patribus quidam senior, nomine Agathon, nominatissimus in virtute humilitatis & patientiæ. Quodam autem tempore perrexerunt ad visitandum eum fratres. Audientes enim de eo quòd magnam humilitatem habuerit, volentesque probare, si verè humilitatis patientiam possideret, dixerunt ei: Multi scandalizantur in te, pater, quia nimis vitio superbiæ tenearis, & ideò alios despicias, & pro nihilo eos habeas, sed & detractiones aduersus fratres non cesses loqui: affirmant etiam quamplurimi, quòd hæc ideò agas, quia fornicationis vitio tenearis, & ne solus videaris errare, idcircò aliis non cesses detrahere. Ad hæc respondens senior, ait: Hæc omnia quæ dixistis vitia in me esse cognosco, nec possum negare tantas iniquitates meas: procidensque pronus in terram, adorabat eosdem fratres, dicens: Deprecor vos, fratres, vt intentiùs pro me misero & multis peccatis obnoxio Christum Dominum exorare non cessetis, vt indulgentiam tribuat iniquitatibus meis multis ac malis. Ad hæc supradicti fratres addentes, dixerunt ei: Non te lateat etiam hoc, quia hæreticum te esse quamplurimi affirmare volunt. Hoc autem cùm audisset senior, dixit eis: Licet in aliis multis peccatis obnoxius sim, tamen hæreticus penitus non sum: absit hoc ab animâ meâ. Tunc omnes fratres qui ad eum venerant, prostrauerunt se in terram ad pedes eius, obsecrantes eum, ac dicentes: Precamur te, abba, vt dicas nobis, cur tanta vitia & peccata dicentibus nobis de te, in nullo commotus es; de verbo autem hæretici valdè te commouisti, & abominatus es, nec sufferre potuisti auditum? Dixit eis senior: Illas priores culpas & peccata propter humilitatem sustinui, vt peccatorem me esse crederetis. Nouimus enim, quòd si custodiatur humilitatis virtus, magna salus est animæ. Nam Dominus & Saluator noster Iesus Christus, cùm ei Iudæi multas contumelias & conuitia irrogassent, patienter cuncta tolerauit, vt nobis humilitatis præberet exempla. Immissi enim falsi testes, multa aduersus eum falsa dixerunt, & vsque ad mortem crucis patienter cuncta sustinuit. Ita enim & apostolus Petrus prædicabat, dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Oportet igitur vt patienter cum humilitate cuncta aduersa sustineamus. Sermonem autem, quem obiecistis de hæresi, non potui sustinere, & valdè abominatus sum, quia hæresis separatio est à Deo. Hæreticus enim separatur à Deo viuo & vero, & coniungitur diabolo & angelis eius. Alienatus enim à Christo, iam non habet Deum quem exoret pro peccatis suis, quia ex omni parte periit. Si autem conuersus fuerit ad veram & Catholicam sanctæ Ecclesiæ fidem, suscipitur à bono & pio Saluatore nostro Christo, & reconiungitur Deo vero creatori & Saluatori nostro Christo, qui est in Patre Filius semper cum sancto Spiritu. Ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Tentatur à fratribus Agathonis humilitas.

Humiliat se vir Dei accusantibus, quasi multorum peccatorũ esset reus.

Solius hæresis crimen à se amolitur.

Humilitas salus animæ.

1. Pet. 2.

Hæresis malum.

ISAAC. Pasch. c. 33. n. 2.

22. Consilium inter se habuerunt seniores patres, & omnes monachi habitantes in eremo Scithi, & consenserunt vt pater Isaac presby-

presbyter eis ordinaretur in ecclesiâ quæ in ipsâ eremo sita est, vbi conueniit die & horâ statutâ multitudo monachorum, qui in illâ eremo conuersantur. Audiens autem supradictus abbas Isaac huiuscemodi consilium, fugit in Ægyptum, & abscôdit se in quodam agro inter fruteta, arbitrans indignum se esse honore presbyterij: quamplurimi autem fratres monachi sequebantur, vt comprehenderent eum. Cùm autem applicuissent ad vesperam in eodem agro prolongiùs, vt reficerentur fatigati de itinere (erat enim nox) dimiserunt asellum qui eis sumptus portabat in itinere vt pasceret. Cùm autem pasceretur asellus, peruenit in locum vbi supradictus abbas Isaac latitabat. Cumq; illuxisset dies, requirentes monachi asellum, peruenerunt ad eumdem locum vbi se senior occultauerat, & admirantes valdè dispensationem diuinam, comprehendentes ligare & constringere eum voluerunt, & ita perducere. Venerabilis autem senior non permisit, dicens: Iam non possum contradicere vobis, quia forsitan voluntas Dei est, vt licet indignus suscipiam ordinem presbyterij.

Fugit Isaac ex humilitate, ne fiat presbyter.

Occultatus mirè proditur.

Ex Dei voluntate presbyterium suscipit.

DVORVM FRATRVM.

23. Erant autem duo fratres monachi pariter in cellâ commorantes, quorum humilitatem & patientiam multi etiam de sanctis patribus collaudabant. Audiens verò quidam sanctus vir, voluit probare si veram perfectamque humilitatem haberent: venit ergo ad visitandum eos. Cumque cum gaudio suscepissent eum, & ex more complessent orationes & psalmodiam, egressus foris cellulam vidit paruum hortum vbi sibi olera faciebant. Apprehensoque baculo, cum toto impetu cœpit omnia olera cædendo confringere, ita vt nihil omnino remaneret. Videntes autem supradicti fratres, nihil penitùs dixerunt, sed nec vultum tristem aut turbatum habentes. Et rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes complentes, adorantes eum dixerunt: Si præcipis, domine, ibimus, vt eum qui remansit caulem coquentes gustemus, quia iam hora est vt cibum sumamus. Tunc senior adorauit eos, dicens: Gratias ago Deo meo, quia video Spiritum sanctum requiescere in vobis; & ideò hortor vos ac moneo, fratres charissimi, vt vsque in finem custodiatis sanctæ humilitatis & patientiæ virtutem, vt ipsa in regno cælesti vos magnos & sublimes in conspectu Domini faciat apparere.

Insigne humilitatis & patientia exemplum.

SENIS.

24. Erat quidam in cœnobio iam senex & probatissimus monachus, & incurrit grauissimam ægritudinem: confectusque nimiâ & intolerabili infirmitate, per longum tempus laborabat in doloribus multis, nec inuenire poterant fratres, qualiter succurrerent ægritudini eius, quoniam ea quæ necessitas infirmitatis eius expetebat, non habebant in monasterio. Audiens autem quædam famula Dei de afflictione infirmitatis eius, deprecabatur patrem monasterij, vt eum ad cellulam suam tolleret, vt ministraret ei, maximè autem, quia facilius inuenire posset in ciuitate quæ necessaria ægritudini eius videbantur. Præcepit ergo pater monasterij, vt portarent eum fratres ad cellulam famulæ Dei. Ipsa verò cum omni veneratione suscipiens senem, propter nomen Domini ministrabat ei pro retributione mercedis æternæ, quam credebat à Christo Saluatore nostro recipere. Cumque per tres & ampliùs annos sedulè obsequeretur famulo Dei, cœperunt homines mente corrupti, secundùm scabiem mentis suæ suspicari, quòd non sinceram haberet senior conscientiam de virgine, quæ ministrabat ei. Audiens autem hæc senior, exorabat diuinitatem Christi, dicens: Tu, Domine Deus noster, qui solus nosti omnia, & vides quia multi sunt dolores ægritudinis & miseriæ meæ, & afflictionem consideras tantæ infirmitatis, quæ me ita per tantum consumpsit tempus, vt necessarium habeam obsequium huius famulæ tuæ, quæ mihi propter nomen tuum ministrat; tribue ei, Domine Deus meus, condignam mercedem in vitâ æternâ, sicut dignatus es promittere propter bonitatem tuam his qui propter nomen tuum exhibent egenis & infirmis suum ministerium. Cùm autem approximasset dies transitus eius, conuenerunt ad eum quamplurimi sancti seniores fratres de monasterio, & dixit eis senior: Obsecro vos, domini, & patres, & fratres, vt cùm defunctus fuero, tollatis baculum meum, & plantetis eum super sepulcrum meum, & si radices fecerit, miseritque fructum, tunc scietis quia munda est conscientia mea à famulâ Dei, quæ mihi ministrabat. Si autem non fronduerit, scitote quia non sum mundus ab eâ. Cùm ergo vir Dei exiisset de corpore, secundùm præceptum eius sancti patres plantauerunt baculum eius super sepulcrum ipsius, & fronduit, accedenteque tempore protulit fructum: & admirati sunt omnes, glorificantes Deum. Ad tale enim miraculum, etiam de vicinis regionibus multi conuenientes magnificabant gratiam Saluatoris, nam & nos ipsam arbusculam vidimus: & benedicimus Dominum, qui protegit in omnibus in sinceritate & veritate sibi seruientes.

Seni incurabili morbo laboranti famula Dei promptè seruit.

Baculus senis in probationē castitatis super sepulcro eius frondescit.

25. Quo-

APOLLON. Pelag. libell. 15. n. 65.

25. Quodam tempore ad beatum abbatem Apollonium duxerunt quemdam vexatum, qui fortiter à dæmonio torquebatur. Cumque per triduum obseruarent, qui cum eo venerant, obsecrantes senem vt eum in nomine Christi fusis ad Deum precibus curaret: respondens senior, dixit eis, non esse se huius meriti, vt dæmonibus imperaret. Cùm autem persisterent qui venerant, rogantes eum, & flentes nimis deprecantes, tandem acquieuit. Cùm autem in nomine Domini Saluatoris nostri imperaret dæmoni, dicens: Exi, immunde spiritus, de plasmate Dei. Tunc respondens dæmon dixit ei: Ego quidem imperante virtute Christi egredior, tamen interrogabo te sermonem vt dicas mihi. Quid est quod scriptum est in Euangelio: Qui sunt hœdi, & quæ sunt oues? Respondens autem senior dixit ei: Hœdi quidem iniusti sunt, inter quos & ego sum peccator, qui multis peccatis obnoxius sum: oues autem Deus nouit quæ sunt. Tunc exclamauit dæmon voce magnâ, dicens: Propter humilitatem tuam stare omnino non possum; & statim egressus est de homine quem obsederat. Videntes autem omnes qui astabant, dederunt gloriam Deo.

Apollonius dæmonem humilitate suâ ab energumeno expellit. Matth. 25.

INCERTI.

26. Referebant sancti seniores nobis dicentes: Quia fuit quidam monachus in eremo Scithi; venit autem ad visitandos sanctos patres in loco qui dicitur Cellia, vbi multitudo monachorum diuisis habitabat cellulis. Cumque non inueniret ad præsens cellulam vbi posset manere, quidam de senioribus habens aliam vacantem cellulam, dedit ei, dicens: Interim repausa in hac cellulâ, donec inuenias vbi possis manere. Cumque ad visitandum eum conuenirent quamplurimi fratres, desiderantes ab eo audire verbum salutis æternæ: habebat enim spiritualem gratiam docendi verbum Dei. Videns ille senior, qui ei ad habitandum præstiterat cellam, inuidiæ liuore cor eius vulneratum est, & indignari cœpit ac dicere: Quoniam ego tantis temporibus in hoc loco habito, & ad me non veniunt fratres nisi rarissimè, & hoc in diebus festis, & ecce ad istum impostorem pænè quotidie fratres quamplurimi vadunt; dixitque discipulo suo: Vade, & dic ei, vt egrediatur de cellulâ illâ, quoniam necessaria mihi est. Cùm autem perrexisset discipulus eius ad illum fratrem, dixit ei: Mandauit abbas meus sanctitati tuæ, iube ei per me mandare qualiter habeas; audiuit enim te infirmari. Ipse verò remandauit ei dicens: Ora pro me, domine pater, quia valdè stomachum doleo. Reuersus autem discipulus dixit abbati suo: Nimis rogat sanctitatem tuam, vt vel duos dies iubeas ei inducias dare, vt possit sibi aliam cellam prouidere. Transactis autem tribus diebus iterùm, misit discipulum suum, dicens: Vade, dic ei vt egrediatur de cellulâ meâ: nam si rursus distulerit, dices ad eum, quia continuò venio, & cum baculo cædendo expello eum de cellâ meâ. Pergens autem discipulus ad supradictum fratrem dixit ei: Quoniam valdè sollicitus est abbas meus de infirmitate tuâ, ideò misit me requirens, si meliùs habeas. At ille respondens dixit: Gratias ago, domine sancte, charitati tuæ, quia sollicitus es de me, verumtamen precibus tuis meliùs habeo. Reuersus autem discipulus, dixit abbati suo: Etiam & nunc deprecatur sanctitatem tuam dicens, vt vsque ad diem Dominicam exspectes, & statim egredietur. Cùm autem aduenisset Dominicus dies, & non egrederetur; accipiens vectem senior, inflammatus inuidiæ & iracundiæ spiritu, pergebat vt cædendo expelleret eum de cellâ suâ. Accedens autem discipulus eius dixit ei: Si iubes, pater, præcedo te, & video, ne forsitan aliqui fratres ad salutandum eum venerint, & si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, & ingressus ad eum dixit: Ecce abbas meus venit ad salutandum te, egredere ergo celeriùs, & cum gratiarum actione occurre ei, quia pro nimiâ charitate & dilectione venit ad te. Qui statim surgens cum nimiâ alacritate occurrit ei. Cumque vidisset eum antequam approximaret ad eum, prostrauit se pronus in terram, adorabatque senem cum gratiarum actione, dicens: Retribuat tibi Dominus, charissime pater, bona æterna pro cellulâ tuâ, quam mihi propter nomen eius præstitisti, & in cælesti Ierusalem inter sanctos suos Christus Dominus tibi gloriosam & splendidam præparet mansionem. Hæc autem audiens senior, compunctus est corde, & proijciens baculum recurrit in amplexus eius, & osculatus est eum, & inuitauit illum ad cellulam suam, vt pariter cum gratiarum actione sumerent cibum. Vocauit autem senior supramemoratum discipulum suum, & interrogauit eum, dicens: Dic mihi, fili, si dixisti verba isti fratri, quæ propter cellulam mandaui vt diceres ei. Tunc discipulus eius confessus est ei, dicens: Verè domine dico, quia propter humilitatem, quam tibi exhibere debeo tamquam patri & domino, ideò non audebam respondere tibi aliquid quando me mittebas ad eum: verumtamen nihil eorum dixi ei, quæ mandabas ad eum. Hæc audiens senior, statim prostrauit se ad pedes eius

Humilitate iunioris fratris placatur senex.

Compertam discipuli discretionem laudat magister. eius dicens: Ex hodierna die tu meus pater esto, & ego discipulus tuus: quoniam te festinante & moderante, ac cum timore & charitate Dei agente, & meam & illius fratris animam de peccati laqueo Christus Dominus liberauit. Pro fide enim & sancta sollicitudine & intentione discipuli, qui perfecte in charitate Christi diligebat abbatem suum, & anxie timebat, ne per inuidiæ & iracundiæ vitium, aliquid tale ageret pater suus spiritualis, vt perderet omnes labores sanctos, quos ab ineunte ætate in Christi seruitio, pro vitæ æternæ præmijs laborauerat. Ideoque Dominus donauit gratiam suam, vt in pace Christi pariter lætarentur.

IOANNIS. Pelag. libell. 14. n. 4. 27. Dicebant sancti seniores de discipulo abbatis Pauli, nomine Ioannes, quoniam magnam haberet humilitatem, & virtutem obedientiæ, vt etiam difficiles caussas imperante ei abbate, in nullo penitus contradiceret, sed nec leuiter in aliquo murmuraret. Cum autem necessarius esset in monasterij vtensilibus fimus boum, misit eum abbas in proximum vicum, vt requireret ibi fimum boum, & cum celeritate afferret ad monasterium. Erat autem in loco illo mala bestia leæna. Statim ergo egressus discipulus eius Ioannes, ibat secundum præceptum abbatis; cumque pergeret, dixit abbati suo: Domine pater, audiui quamplurimos dicentes, quia in illo loco mala bestia leæna sit. Tunc senior quasi ioculariter dicit ei: Si venerit super te, tene, & alliga eam, & adduces eam tecum. Cum autem venisset ad locum iam vespere, statim egressa leæna irruit super eum, & ille comprehendens tenere eam voluit, illa vero excutiens se, de manibus eius aufugit. Sequebatur autem ille dicens: *Ioannes ex obedientia leænam adducit.* Quia abbas meus præcepit, vt alligatam te perducam ad eum. Continuo autem stetit bestia, & tenens eam, reuertebatur ad monasterium. Dum autem retardaret in itinere, abbas nimis sollicitus pro eo, tristabatur grauiter: & ecce subito superuenit discipulus eius tenens ligatam leænam. quod cum vidisset senior, admiratus valde, gratias agebat Saluatori nostro Domino. Dicit autem discipulus eius: Ecce, domine, sicut præcepisti, adduxi leænam ligatam. Volens autem humiliare sensum eius senior, ne extolleret se in cogitationibus suis discipulus suus, ait ei: Sicut tu insensibilis es, ita etiam & istam insensibilem bestiam adduxisti: solue ergo, & dimitte eam, vt pergat ad locum suum. *Magister discipulum humilitate seruat.*

INCERTI. Ioannes libell. 2. n. 17. 28. Quidam de sanctis senioribus misit discipulum suum ad hauriendam aquam. Prolongius autem erat puteus a cella senioris. Oblitus est autem secum tollere funem discipulus eius, de quo hauriret aquam. Cumque peruenisset ad puteum, contristatus est valde, quia longe erat cellula eorum; quid ageret, quo se verteret, nesciebat: dubitabat enim ad cellulam sine aqua reuerti. Tunc anxius nimis, prostrauit se in orationem cum lacrymis, dicens: Domine, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam: qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui fecisti mirabilia magna solus, miserere mei propter seruum tuum qui misit me. & cum exurrexisset ab oratione, exclamauit dicens: O putee putee, seruus Christi abbas meus misit me, vt hauriam aquam. Statim autem ascendit aqua sursum vsque ad os putei, & cum implesset lagenam suam frater, abscessit glorificans potentiam Domini Saluatoris: aqua autem putei reuersa est in locum suum. Psal. 50. *Ad orationem serui Dei, aqua ex puteo sursum adscendit.*

EVLALII. Pelag. libell. 15. n. 86. titulo Incerti. 29. Fuit quidam frater in monasterio, nomine Eulalius, nimis gratia humilitatis ornatus. Si quid igitur, vt solet, culpabile admisissent fratres negligentiores, excusantes culpas suas, supradictum fratrem asserebant esse culpabilem. Cumque argueretur a senioribus fratribus, non negabat, sed prosternebat se in terram, & adorans eos, se dicebat peccasse, & negligenter fecisse. *Eulalij humilitas qui aliorum errata in se recipit.* Cum autem iterum ac frequenter accusarent eum, & secundum regulam monasticam biduana ac triduana ieiunia ei indicerentur, ille omnia patienter tolerabat. Ignorantes autem fratres, quia hæc omnia pro humilitatis virtute patienter sustineret, conuenientes pariter, & maxime seniores fratres ad patrem monasterij, dixerunt: Considera, pater, quid faciendum sit, quamdiu enim possumus sustinere negligentias & damna, quæ frater ille Eulalius facit in monasterio? Iam pæne omnia vasa & vtensilia monasterij confracta sunt, & exterminata per negligentiam eius. Quomodo ergo iste talis tolerandus est? Respondens pater monasterij ait: Interim paucos dies sustineamus fratrem, & postea ordinabimus de eo, quod competit fieri. hæc dicens dimisit fratres. Ingressus vero cellulam prostrauit se in orationibus, obsecrans misericordiam Domini, vt ei manifestare dignaretur, quid ordinare aut definire posset de sæpe dicto fratre: tunc reuelatum est ei quid ageret. Conuocauit ergo omnes fratres abbas, dixitque eis: Credite mihi, fratres, quia magis opto mattulam fratris Eulalij cum humilitate & patientia eius, quam omnia opera eorum dumtaxat, qui murmurantes in cordibus suis operantur in monasterio. Vt autem ostendat vobis Dominus, quale meritum

ritum habet ipse idem frater apud Deum, præcipio vobis vt deferantur mihi mattulæ omnium fratrum: quas cùm detulissent, iussit vt accenderent ignem, & misit in eum omnium fratrum mattulas, quæ statim combustæ sunt, præter mattulam fratris Eulalij, quæ integra reperta est, & non est combusta. Cumque hoc vidissent fratres omnes, timuerunt valdè, & prostrauerunt se in terram, veniam & indulgentiam à Christo Domino postulantes, & collaudantes admirabantur nimis patientiam & humilitatem fratris Eulalij. Denique ex eo honorabant & magnificabant eum, tamquam vnum de magnis patribus; istos autem honores & laudes non poterat sustinere frater Eulalius, dicens: Væ mihi infelici, quia perdidi humilitatem meam, quam tantis temporibus acquirere, auxiliante & adiuuante me Christo Domino, festinaui. Consurgens itaque nocte, egressus de monasterio fugit in eremum, vbi nullus eum agnosceret, & ibi in speluncâ habitauit. Noluit enim temporales hominum laudes, sed cælestem æternamque gloriam à Saluatore nostro Christo in futuro sæculo percipere.

Mattula Eulalij in igne perstat illæsa.

Vt gloriam æternam consequatur, temporalem fugit.

ANASTASII.

Pelag. libel. 16. n. 1. nomine *Gelasij.*

30. Beati abbatis Anastasij laudabilem humilitatem & patientiæ virtutem oportet vt cognoscamus, quatenus admirabilem magnanimitatem & tranquillitatem animæ eius considerantes, imitemur exemplum. Hic itaque Anastasius habebat codicem in pergamenis valde optimis scriptum, qui decem & octo valebat solidis: totum enim vetus & nouum Testamentum scriptum habebat. Cùm autem quidam frater venisset ad eum visitandi gratiâ, vidit in cellulâ eius codicem ipsum, & concupiuit, furatusque est eum, & abijt. Supramemoratus autem abbas Anastasius, cùm requisisset eadem die ad legendum codicem suum, & non inuenisset, intellexit quia frater ille furatus esset eum, & noluit mittere post ipsum, nec requirere eum; ne post furtum, etiam & periuria adderentur. Descendens autem frater ille in eam quæ in proximo erat ciuitatem, voluit distrahere codicem illum, petebat autem in pretio eius solidos sedecim. Dicit ei ille qui eum emere volebat: Da mihi codicem, vt possim probare, si tanti pretij valet: dedit ergo ei codicem vt probaret eum. Statim autem frater ille cum ipso codice perrexit ad sanctum Anastasium, & rogabat eum dicens: Iube considerare, pater, codicem istum, & æstimare eum si valeat solidos sedecim, quoniam tantum pretij petit qui distrahit illum. Dixit autem abbas Anastasius, Quia bonus est codex, & valet tanti. Reuersus autem qui eum emere volebat, dixit distrahenti: Ecce accipe pretium, quia ostendi codicem abbati Anastasio, & dixit mihi Quia bonus est codex, & valet tanti. Interrogauit autem frater ille, si nihil beatus Anastasius dixit aliud. Cui respondens ille ait: Crede mihi quia nihil penitùs mihi aliud dixit. Hæc cùm audisset frater ille, dixit ei: Quia iam recogitaui, frater, & nolo distrahere codicem meum. compunctus enim corde, festinanter perrexit ad abbatem Anastasium, & prostrauit se in terram ad pedes eius, & precabatur cum fletu & lacrymis pœnitendo, vt resusciperet codicem suum, sed non acquiescebat ei abbas, dicens: Vade cum pace, frater: ecce iam cum voluntate meâ habeto ipsum codicem. Ille autem persistebat cum lacrymis petendo eum dicens: Quia si non susceperis codicem, domine pater, nullo modo requiescet anima mea. Post hoc ille recepit codicem suum; nam frater ille permansit apud beatum Anastasium in cellulâ eius, vsque in exitum vitæ suæ.

Abbas Anastasius fratris furtum dissimulat.

Humilitate & patientiâ Anastasij commotus frater, ablatum codicem restituit.

PIOR.

Sancti Antonij discipulus Pior.

31. Fuit quidam eremita, Pior nomine, de antiquis patribus, quem beatus Antonius adolescentem in sancto proposito monachorum instruxit: demoratus est autem apud beatum Antonium annos paucos. Cumque viginti & quinque esset annorum, abijt ad alium secretum eremi locum, vt solitarius habitaret, hoc etiam volente & consentiente beato Antonio. Dixitque ei sanctus Antonius: Vade, Pior, & habita vbi volueris: & cùm tibi per aliquam rationabilem occasionem reuelauerit Dominus, venies ad me. Cùm autem peruenisset hic ipse Pior ad locum qui situs est inter Nitriam & eremum Sciti, effodit puteum, cogitans apud semetipsum, Quoniam qualemcumque aquam inuenero, oportet me ipsâ contentum esse; quod & factum est, ad augmentum meritorum eius talis occasio: tantùm enim salsa & amara inuenta est aqua, vt si quis ad eum visitandi gratiâ veniret, in proprio vasculo sibi aquam deportaret. Remoratus est in eodem loco annis triginta. Dicebant ergo ei fratres, vt recederet de loco ipso propter amaritudinem aquæ: ipse autem dixit eis: Si amaritudinem & laborem fugimus abstinentiæ, & volumus in hoc mundo requiem habere, post exitum vitæ huius non percipiemus illa æterna & verè dulcia bona, nec fruemur illis perpetuis beati paradisi delicijs.

Aquam salsam & amaram bibit.

Dicebant ergo fratres, quia tantùm vnum paximatium & quinque oliuas in cibo accipiebat, & hoc deambulando foris.

Vno paximatio & quinque oliuis victitat.

Etiam & hoc affirmabant de eo multi sanctorum patrum, quia triginta & amplius

Pelag. libel. 4. n. 34

A parentū visitatione abhorret.

pliùs annis, ex quo egressus est de domo parentum suorum, numquam ei suasum fuisse, etiam cùm defunctos audisset parentes suos, vt pergeret ad requirendum seu visitandum propinquos. Verumtamen soror eius cùm esset vidua, habens duos filios iam adolescentulos, misit eos in eremum ad requirendum fratrem suum Pior. Qui cùm diuersa monasteria circuissent, requirentes eum, vix tandem inuenientes illum dixerunt ei: Nos filij sororis tuæ sumus, quæ nimio desiderio optat te videre ante exitum suum. Ipse verò non acquieuit petitioni eorum. Perrexerunt autem adolescentes ad hominem Dei beatum Antonium, indicantes ei pro quâ caussâ venerant. Misit autem beatus Antonius, & vocauit eum ad se, dixitque ei: Quare, frater, tanto tempore non venisti ad me? Qui respondens, dixit ei: Præcepisti mihi, beatissime pater, vt cùm per aliquam occasionem reuelasset mihi Dominus, venirem ad te, & ecce vsque hactenus non mihi reuelatum est. Dixit ei beatus Antonius: Vade vt videat te soror tua. Tunc assumpsit secum alium monachum, & perrexit ad locum & domum sororis suæ: & stans foris prope ianuam atrij, clausis oculis, vt non videret sororem suam stetit. Illa autem veniens proiecit se ad pedes eius, de nimio enim gaudio angustiata est. Dicit ei Pior: Ecce ego sum Pior frater tuus, vide ergo me quantum volueris: & post hoc statim reuersus est ad eremum in cellulam suam. Hoc autem fecit ad erudiendum monachos, vt non daretur eis licentia, cùm libitum eis fuerit, visitare parentes vel propinquos suos.

Ex obedientiâ vadit, sed clausis oculis sorori se exhibet.

IOANNIS.

23. Etiam abbas Ioannes, qui commanebat in monte qui vocatur Calamus, habebat sororem, quæ ex infantiâ in sancto proposito conuersabatur, ipsa enim erudiuit & docuit fratrem suum eumdem abbatem Ioannem vt relinqueret vanitates sæculi huius, & ingrederetur monasterium. Cùm autem ingressus fuisset monasterium, per viginti & quatuor annos non est egressus de monasterio, nec visitauit sororem suam: illa verò nimis desiderabat videre eum; nam frequenter scribebat, & mittebat ad eum epistolas, petebatque vt ante exitum eius de hoc corpore veniret ad eam, vt in charitate Christi de præsentiâ suâ lætaretur. Ille autem excusabat, nolebatque de monasterio egredi. Venerabilis autem famula Dei & soror eius iterùm scripsit ad eum dicens: Quia si nolueris venire ad me, necesse habeo vt ego veniam ad te, vt post tantum temporis adorare merear sanctam charitatem tuam. Hæc cùm audisset supradictus Ioannes, contristatus est nimis, & cogitabat apud semetipsum, dicens: Quoniam si permisero vt ad me veniat soror mea, de cetero licentia datur, vt & alij parentes & propinqui nostri veniant ad visitandum me: ideoque tractauit apud se, vt magis ipse pergeret, & visitaret sororem suam; accepit etiam alios duos secum fratres de monasterio. Et cùm venisset ad ianuam monasterij sororis suæ clamauit, dicens: Benedicite, & audite peregrinos. Egressa est autem soror eius cum aliâ famulâ Dei, & aperuit ianuam, & penitùs non cognouit fratrem suum; ipse autem cognouit sororem suam; sed non est locutus verbum, ne fortè cognosceret in voce eum. Monachi verò qui cum ipso erant, dixerunt ad eam: Rogamus te, domina mater, vt iubeas nobis aquam dare ad bibendum, quia de itinere fatigati sumus. Cùm autem accepissent, & bibissent, facientes orationem, & gratias agentes Deo, discesserunt, & reuersi sunt ad monasterium suum. Post aliquantos autem dies iterùm scripsit ad eum soror sua vt veniret, & videret eum ante exitum suum, & orationem faceret in monasterio eius. Tunc ille rescripsit ad eam, & direxit epistolam per monachum de monasterio suo, dicens: Quia præstante gratiâ Christi ego veni ad te, & nullus me cognouit; ipsa verò egressa es ad nos, & dedisti nobis aquam, & accepi de manibus tuis, & bibi, & gratias agens Domino reuersus sum in monasterium: sufficiat ergo tibi quia vidisti me, & non sis vlteriùs mihi molesta, sed ora pro me incessanter ad Dominum nostrum Iesum Christum.

Ioannes 24. annis non egressus è monasterio.

Diu rogatus sorori se, sed incognitus exhibet.

CVIVSDAM. Pelag. libel. 4. n. 61.

33. Sed & alius quidam monachus abijt ad sororem suam, vt visitaret eam, audierat enim eam ægrotantem in monasterio. Erat autem ipsa famula Dei nominata in sancta conuersatione; itaque non acquieuit illa suscipere & videre fratrem suum, vt non per occasionem eius ingrederetur monasterium feminarum, sed mandauit ei, dicens: Vade, domine frater, & ora pro me; præstante enim gratiâ Dei & Saluatoris nostri, videbo te in futuro sæculo in regno Domini nostri Iesu Christi.

Famula Dei fratrem suum videre detrectat.

THEODORI. Suprà l. 1. in Vitâ sancti Pachomij c. 28. dicitur de sorore Pachomij.

34. Etiam de abbate Theodoro oportet nos exempla virtutum proferre. Hic itaque beatus Theodorus discipulus fuit sancti Pachomij viri de sanctis patribus, qui fuit pater infinitæ multitudinis monachorum, multorumque monasteriorum pater in partibus Thebaidæ. Cùm enim in omnibus sanctitatis fulgeret virtutibus, etiam prophetiæ gratiam à Domino promeruit: multa enim futura reuelabat ei Dominus. Quo-

Quodam autem tempore ſupradicti Theodori ſoror germana venit ad monaſterium, in quo idem beatus Theodorus conuerſabatur; vt poſt multa tempora videret germanum ſuum. Cumque nuntiaſſent ei de aduentu ſororis eius, miſit continuò duos monachos, qui obſeruabant ad ianuam monaſterij, mandauitque per eos ſorori ſuæ, dicens: Ecce ſoror audiſti & cognouiſti quia viuo, ne contriſteris, quia minimè me vidiſti, ſed magis conſidera vanitatem & inſtabilitatem præſentis mundi, & conuerte cor tuum, & apprehende ſanctæ vitæ conuerſationem, vt poſſis peruenire ad æternam vitam, & ad cæleſtia bona, quæ præparauit diligentibus ſe Dominus, & facientibus mandata eius. Tracta ergo apud te, quia hæc eſt ſola vera & firma ſpes, vt faciat homo præcepta Dei, vt mereatur homo peruenire ad glorioſa & æterna promiſſa Domini Saluatoris noſtri Chriſti. Hæc autem cùm audiſſet illa, ſtatim compuncta eſt corde, lacrymáſque fundebat in conſpectu Domini, & poſt paululum ingreſſa eſt in monaſterium virginum famularum Dei, quod in eodem vico conſtructum erat, & procedenti tempore multiplicabatur in ſancto propoſito famula Chriſti.

Theodorus ſororem videre renuit, & vt futuram vitam inquirat, nuntiari curat.

Theodori ſoror virginum monaſterio ſe dedicat.

Suprà l. 1. in Vitâ ſancti Pachomij cap. 31.

Hæc itaque geſta cùm audiſſet mater eorum, deprecata eſt epiſcopos, & dederunt ei epiſtolas ad ſupradictum ſanctum Pachomium patrem monaſteriorum pro filio eius. Cumque veniſſet, applicuit in monaſterio famularum Dei, & direxit epiſtolam ad patrem monaſterij, obſecrans vt videret filium ſuum. Beatus autem Pachomius vocauit eius filium Theodorum, & dixit ei: Audiui, fili, quia mater tua aduenit propter te. Itaque propter epiſtolas epiſcoporum qui ſcripſerunt ad me, vade, & videat te mater tua. Dixit ei Theodorus: Præcepiſti mihi, domine, v[illegible]deam matrem meam: ſi ergo abiero videre eam poſt tantam ſcientiam ſpiritualem, vereor ne culpabilis inueniar apud Deum: etenim oportebat me fortitudinem animi mei ad exemplum aliorum fratrum demonſtrare. Audiens autem mater, quia non acquieuit videre eam, nimio affectu feruens in filium, noluit remeare ad domum ſuam, ſed permanſit in monaſterio virginum, dicens: Quoniam ſi permanſero hîc, ſæpè etiam videbo filium meum, cùm inter alios fratres egredietur ad neceſſarias monaſterij cauſſas, & monitis & exhortatione eius proficere poſſum in ſanctâ conuerſatione, doctrinaque eius ſpiritualis confirmabit cor meum, vt merear peruenire ad æternam requiem quam promiſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus diligentibus ſe.

Theodorus vt exemplo ſit fratribus, etiam matrem ſuâ videre detrectat.

Multa autem & magnifica per ſanctum Pachomium fecit Dominus mirabilia. Nam & à dæmonibus obſeſſos frequenter inuocato Chriſti Domini nomine curauit. Multis etiam diuerſas ægritudines ſuſtinentibus, & paralyticis, orationibus eius miſertus eſt Dominus.

Pachomius multorum mirabilium patrator.

PACHOMII.

Suprà l. 4. in Vitâ ſancti Pachomij cap. 20.

35. Multo tempore beatus abbas Pachomius contra immundiſſimas dæmonum impugnationes certamen bonum certauit, ſicut athleta veritatis, tamquam & beatus Antonius. Denique intentiſſimis precibus exorauit Dominum, vt ſomnum non caperet per aliquod tempus, quatenus diebus ac noctibus peruigil permaneret contra aduerſarios dæmones dimicando, donec proſterneret & ſuperaret eos; ſicut dicitur in pſalmo: Et non conuertar, donec deficiant. Præſtitit ergo, & conceſſit ei Dominus petitionem eius. Impoſſibiles enim & imbeciles ſunt dæmones, cùm quis noſtrûm ex totâ fide & ex totâ intentione cordis feruente ſancto deſiderio, & adiuuante nos virtute Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, contendimus contra eos.

Peruigil Pachomius dæmones ſuperat.

Pſal. 17.

In Vitâ Pachomij per Metaphr. c. 55. apud Surium tom. 3. Maij 14.

Referebant autem nobis fratres de eodem beatiſſimo patre Pachomio, qui fuit, vt diximus, monaſteriorum multorum in regione Tabenneſiotarum præpoſitus. Referebant ergo de eo, quoniam frequenter dicebat fratribus: Quia (ſicut mihi teſtis eſt Dominus Deus) ſæpè audiui immundos ſpiritus dæmonum loquentes inter ſe diuerſas ac varias artes ſuas, quas contra ſeruientes Deo, maximéque contra monachos habent. quidam enim dicebant: Quia ego certamen contra duriſſimum hominem habeo, & quoties ei immitto peruerſas cogitationes, ille ſtatim ſurgit, & proſteruit ſe in oratione, cum gemitu orans adeſſe ſibi diuinum auxilium. Ego autem minimè illo exurgente cum grandi confuſione egredior. Item alius dæmon dicebat: Ego ad illum quem obſeruo, cùm ei cogitationes immiſero in corde, conſentit, & ſuſcipit, & facit eas. Sæpè enim exardeſcere eum in iracundiâ facio, & in contentiones rixæ, & pigritiam orationis, & dormitionem in pſalmodiâ, & non contradicit mihi. Ideoque, fratres mei dilectiſſimi, ſemper oportet vt cuſtoditatis ſenſum & animum veſtrum, inuocantes nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſecundùm præcepta Dei conuerſamini tam in orationibus quàm pſalmodiâ, ſicut dicit Apoſtolus: Inſtantes orationi, & vigilantes in eâ. Ideoque cum compunctione & timore cordis vigilanti-

Viſio Pachomij de diaboli tentationibus.

Coloſſ. 4.

bus non præualebunt nocere nobis aduersarij & immundissimi dæmones. Ipse autem beatus pater Pachomius docebat fratres, vt semper memores essent verbi Dei, in salutem animarum suarum. Postmodum verò discedebat vnusquisque fratrum in cellulas suas, operantes manibus suis, & meditantes quæ de sacris Scripturis didicerant. Impossibile est enim, aliquem apud eos verbum otiosum loqui, sed ea tantùm quæ de sanctis Scripturis didicerant erant inter se conferentes, & exponentes de capitulis Scripturarum, quæ ad timorem Domini confirmarent & illuminarent animas eorum.

Verbum otiosum exulat à congregatione Pachomij.

INCERTI. Ioannes libell. 1. n. 3.

36. Fuit quidā vir magnus de sanctis senioribus, cui talem gratiam donauerat Christus, reuelante ei Spiritu sancto, vt videret quod alij non videbant. Referebant ergo sancti seniores, quia aliquando quamplurimi sedebant fratres, & simul loquebantur inter se, & conferebant de sanctis Scripturis, quæ ad salutem pertinent animarum. Stabant autem circa eos sancti Angeli lætantes in hilari vultu, considerantes; delectabantur enim de eloquijs Domini. Cùm autem aliud quodcumque inter se loquerentur, statim sancti Angeli recedebant longiùs, indignantes contra eos; veniebant autem porci sordidissimi & morbo pleni, & volutabant se inter eos; dæmones enim in specie porcorum delectabantur per superflua & vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns, abijt in cellulam suam, & per totam noctem cum grandi fletu & vlulatu gemendo deflebat miserias nostras. Exhortabatur ergo sanctos patres per monasteria, & commonebat fratres, dicens: Cauete, fratres, à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam prohibete, per quam malus interitus animæ generatur, & non intelligimus, quoniam per hæc & Deo & sanctis Angelis odibiles sumus. Dicit enim Scriptura: Per multiloquium non effugies peccatum. Hæc enim infirmam & vacuam efficiunt mentem atque animam nostram.

Spiritalibus colloquiis Angeli, secularibus dæmones intersunt.

Prou. 10.

ARSENII. Pelag. libell. 15. n. 6.

37. Fuit quidam vir in palatio sublimis, sub Theodosio Imperatore, nomine Arsenius, cuius filios, id est Arcadium & Honorium Augustus de Baptismo suscepit. Hic itaque Arsenius desiderio diuini amoris accensus, relinquens omnem sæculi gloriam temporalem, perrexit ad eremum Scithi, vt inter sanctos patres secretam & quietam ab omni strepitu huius mundi ageret vitam, vt separatus ab illecebris & delectationibus corporalibus, cum totâ mentis intentione adhæreret Domino Saluatori, sicut scriptum est: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Dicebant ergo de eo sancti seniores, quia sicut cùm in sæculi conuersatione esset, nimis pretiosis vestimentis præ omnibus vtebatur; ita postmodum in eremo Scithiæ degens, studebat vt ab omnibus monachis viliora & despectiora vestimenta haberet.

Arsenius Arcadium & Honorium de Baptismo suscepit.

Psal. 62.

Vt in palatio pretiosis, ita in eremo vilibus induitur vestibus.

EIVSDEM. Pelag. libell. 18. n. 2.

38. Dicebat etiam abbas Daniel, quoniam sanctus Arsenius referebat fratribus dicens, quasi de alio audisset; sed quantum datur intelligi, ipse talem vidit visionem: Sedebat, inquit, quidam de senioribus monachis in cellula suâ, & subitò venit ad eum vox dicens: Egredere foràs, & ostendam tibi opera hominum. & surrexit, inquit, & egressus est foràs. Duxit autem eum, & ostendit ei Æthiopem nigrum cum securi cædentem ligna, & facientem grandem sarcinam, & tentabat subleuare sarcinam illam, & præ magnitudine non poterat portare eam; sed redibat, & cædebat iterùm alia ligna, & addebat super sarcinam illam. Iterùm autem ostendit ei alium hominē stantem super lacum, & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, & de aliâ parte per foramina defluebat aqua desubter in eodem loco. Iterùm dixit ei: Veni, sequere me, & ostendam tibi aliud. Et vidit quasi quoddam ædificium templi, & duos sedentes in equis, portantes super scapulas suas vterque lignum vnum, id est, perticam longam, volentes pariter ingredi portam templi illius, & non permittebat eos lignum quod ex aduerso portabant, ingredi per portam illam; non enim humiliabat se alter alteri, sed contendebant vtrique, pariter ingredi volentes; & non præualebant, nec enim humiliabat se vnus eorum, vt alteri locum daret. Exponit ergo ei has visiones, dicens: Hi qui lignum portant, hi sunt qui habent iugum sanctum monachorum, sed iustificantes seipsos in cordibus suis cum exaltatione superbiæ, non humiliantur inuicem, noluerunt enim ambulare in humilitate viam Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, qui dixit: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ideoque propter superbiam cordis sui remanserunt foris, de regno Regis cælorum Christi exclusi. Qui autem cædebat ligna, & super sarcinam adhuc addebat, homo est qui oneratus est multis peccatis, & super sarcinam peccatorum suorum addit semper alia peccata: quem oportebat magis vt pœnitentiam ageret de prioribus peccatis; sed negligens vitia emendare peccatorum priorum, magis & alia addit supra priora peccata. Ille autem qui aquam de lacu hauriebat,

Arsenij visio de tribus hominum operibus & generibus.

Visionis expositio.

Matth. 11.

riebat, homo est qui aliqua bona operatur; sed quia mala etiam ampliùs per peccata operatur, & ideò pereunt & delentur etiam bona opera quæ facit. Oportet ergo hominem, sicut ait Apostolus, cum timore & tremore salutem suam operari.

Philip. 2.

EIVSDEM. Pelag. libell. 4. n. 5.

39. Dicebat autem abbas Daniel de abbate Arsenio, quia cùm operaretur sportas ex palmarum folijs, mittebat aquá in peluim, vt infunderentur palmæ: & cùm fœteret [9] brumosa aqua odore, non permittebat vt aliam aquam mutarent, sed super illam fœtidam, aliam addebat aquam, vt semper fœteret. Interrogabant autem fratres eum, dicentes: Cur non permittis, pater, vt aqua mutetur, sed pessimo fœtore, tota cellula tua repletur? Respondens autem beatus senior ait: Quoniam propter thymiamata, & [10] muscata, & alia diuersa quibus in sæculari conuersatione sine intermissione fruebar, oportet nunc me, dum in hoc corpore sum, sustinere istiusmodi fœtorem, pro suauissimo illo odore, vt in die iudicij de illo gehennæ inenarrabili fœtore liberet me Dominus, & non cum illo diuite, qui epulabatur in isto mundo deliciosè & splendide, condemnetur anima mea.

Arsenius sæculi odoramenta fœtore castigat.

Lucæ 16.

POEMENIS Pelag. libell. 5. n. 32.

40. Quidam de fratribus dixit beato Arsenio: Ecce, beatissime pater, meditari festino de Scripturis sanctis, quæ didici, & non sentio compunctionem in corde meo, quoniam non intelligo virtutem diuinæ Scripturæ, vnde & valdè contristatur anima mea. Respondens autem beatus Arsenius ait: Oportet te, fili, incessanter meditari eloquia Domini: audiui enim quia dixit beatus abbas Pœmen & alij multi sanctorum patrum, quoniam incantatores illi qui serpentes solent incantare, non intelligunt ipsi verba illa quæ loquuntur, sed serpentes audientes intelligunt virtutem verborum illorum, & conquiescunt, & subduntur eis. Sic etiam & nos faciamus: quamuis enim non valeamus intelligere diuinarum Scripturarum virtutem, tamen dæmones audientes, diuini verbi virtute terrentur, & effugati discedunt à nobis non sustinentes eloquia Spiritus sancti, quæ per seruos suos prophetas & apostolos locutus est.

Scriptura sacra piè recitata, etsi non intellecta, dæmones fugat.

MACARII Ruffin. l. 2. cap. 28. in Macario Aegyptio pænè ad verbum.

41. Quodam tempore cùm in vicinio beati Macarij homicidium fuisset perpetratum, & cuidam innocenti homini impingeretur crimen admissum, surgens ille qui calumniam patiebatur, fugit ad cellulam beati Macarij: adfuerunt etiam & illi qui eum perurgebant, & alligabant eum, dicentes, periclitari seipsos, nisi comprehenderent & legibus traderent homicidam: ille verò cui crimen impingebatur, cum sacramentis affirmabat, conscium se non esse sanguinis illius. Et cùm diu ab vtraque parte certamen haberetur, interrogauit sanctus Macarius, vbi sepultus esset, qui dicebatur occisus: cumque designassent ei locum, cum ipsis pergit ad sepulcrum, atque ibi fixis genibus inuocato Christi nomine, ait ad eos qui assistebant: Nunc Dominus ostendet, si verè reus est hic qui à vobis perurgetur: & eleuatâ voce ex nomine clamabat defunctum. Cumque ei de sepulcro vocatus respondisset, ait ad eum sanctus Macarius: Per fidem Christi te obtestor, vt dicas nunc, si ab isto homine, qui in te insimulatur, occisus es. Tunc ille clarâ voce de sepulcro respondit, dicens, non se esse ab eo interfectum. Et cùm obstupefacti omnes decidissent ad terram, ac pedibus eius voluerentur, rogare eum cœperunt, vt interrogaret illum à quo esset occisus: tunc sanctus vir ait: Hoc ego non interrogabo: sufficit enim mihi vt liberetur innocens; non est autem meum vt reus prodatur: forsitan enim compungetur adhuc pro scelere quod commisit, & aget pœnitentiam, vt saluetur anima eius.

Macarius mortuum excitat, vt accusato testimonium dicat.

MACARII Philip. 2. Ruffin. l. 2. cap. 29. in Macario Alexandrino pænè verbotenus.

42. Alio itidem tempore, cùm sancto Macario quidam frater vuam detulisset, ipse qui secundùm charitatem non quæ sua sunt sed quæ alterius cogitaret, ad alium fratrem eam detulit, qui infirmior præ ægritudine videbatur. Tunc infirmus gratias egit Deo pro fratris officio, & suscepit eam, & ipse nihilominùs plus de proximo quàm de semetipso cogitans, ad alium detulit eam infirmum fratrem; & iterùm ille ad alium, & sic cùm per omnes cellulas, quæ longè à semetipsis erant per eremum dispersæ, vua illa circumlata esset, ignorantibus eis, qui eam primus misisset, ad vltimum defertur ipsi qui eam miserat. Gratulatus autem sanctus Macarius, quòd tantam videret in fratribus abstinentiam, tantamque charitatem, ad acriora semetipsum spiritualis vitæ exercitia extendit.

Vua infirmo missa, per mutua charitatis officia, cellas fratrum perambulat.

EIVSDEM. Ruffin. l. 2 cap. 29. ad verbum.

43. Illud etiam ad fidem confirmatum nobis de eo est ab his, qui ex ore eius audierunt, quoniam quodam tempore nocte in specie monachi dæmon ad ostium cellulæ eius pulsauerit, dicens: Surge, abba Macari, & eamus ad collectam, vbi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille gratiâ Dei repletus falli non potuit: intellexit enim diaboli esse fallaciam, & ait: O mendax, & veritatis inimice: quid enim tibi consortij, quid societatis est cum collectâ & congregatione sanctorum? At ille ait: Latet ergo te, ô Macari, quòd sine nobis nulla collecta

Macarius à dæmone ad collectam vocatur.

V 2 agitur,

agitur, nulláve congregatio monachorum? veni denique, & videbis ibi operam nostram. Dixit autem sanctus Macarius: Imperet tibi Dominus, dæmon immunde. Et conuersus ad orationem, petijt à Domino, vt sibi ostenderet si hoc verum esset, quod gloriatus est dæmon. Abijt ergo ad collectam, vbi iam vigiliæ à fratribus celebrabantur, & iterùm in oratione Dominum deprecabatur, vt ei veritatem verbi huius ostenderet: & ecce videt quasi paruulos quosdam pueros Æthiopes nigros per totam ecclesiam discurrere huc atque illuc, & velut volitando deferri. Discurrentes autem illi Æthiopes pueri, singulis quibusque fratribus in oratione positis atque psallentibus alludebant, & si cui de eis oculos duobus digitulis compressissent, statim dormiebat: si cui verò in os immersissent digitum, oscitare eum faciebant. Item post psalmum, cùm ad orandum se proiecissent fratres, percurrebant iterùm singulos, & ante alium quidem iacentem in oratione, quasi in mulieris speciem vertebantur, ante alium quasi ædificantes, & portantes aliquid, aut diuersa quæque agentes apparebant: & quæcumque dæmones quasi ludentes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant. Ab aliquantis tamen fratribus, vbi aliquid horum agere cœpissent, quasi violenter repulsi, præcipitati deiiciebantur, ita vt nec ante eos stare aut transire auderent, alijs verò etiam supra ceruices & dorsa ludebant. Hæc cùm vidisset sanctus Macarius, ingemuit grauiter, & lacrymas profundens ad Deum, dixit: Respice Domine, & ne sileas, neque mitigeris Deus; sed exurge, & dispergantur inimici tui, & fugiant à facie tuâ, quoniam anima nostra repleta est illusionibus. Post orationem autem examinandæ veritatis gratiâ, seorsum vocatis singulis quibusque fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diuerso habitu & varijs imaginibus ludentes, requirit ab eis si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diuersa, quæ vnicuique per dæmones imaginata viderat: & singuli eorum ita confitebantur in corde suo fuisse cogitationes, sicut ille arguebat. Et tunc vere intellectum est, quòd omnes malæ, & superfluæ, & vanæ cogitationes, quæ vel psallentes, vel somniorum aut orationum tempore vnusquisque in corde suo conceperit, illusione & instinctu dæmonum fiant. Nam ab his qui omni custodiâ seruant in timore & amore Domini cor suum, illi tenebrosi Æthiopes, & hę quas emittunt cogitationes repelluntur: Christo enim mens coniuncta, & præcipuè in tempore orationis intenta, nihil malum, nihilque superfluum recipit.

Iudæ ep. — *Macarius vidit dæmones Æthiopum specie collectis interesse.* — *Varia dæmonum suggestiones tempore orationis.* — *Psal. 82. Psal. 87.* — *Superflua cogitationes tempore orationis opus dæmonis.*

44. Quidam frater requisiuit abbatem Sisoium, quemadmodum in cellâ propriâ degere deberet. Cui ille respondens dixit: Comede panem tuum cum sale & aquâ, & non erit tibi necessitas aliquid coquendi, aut longiùs euagandi.

SISOII. Pasch. c. 1. num. 1. POEMENIS — *Victus monachi panis cum sale & aquâ.*

45. Requisitus abbas Pœmen quemadmodum oporteat ieiunare, respondit: Ego volo monachum ita esse quotidie parũ comedentem, vt non satietur; nam biduana & triduana ieiunia vanæ gloriæ vacant. Hæc enim omnia examinauerunt sancti patres, & inuenerunt, quia bonum est quotidie ieiunare & parum comedere, vt possit & quotidie esurire. Hanc enim viam regiam leuem nobis esse demonstrauerunt.

POEMENIS Pelag. libell. 10. num. 44. — *Quomodo monacho ieiunandum.*

46. Abbas Siluanus dum cum discipulo suo Zachariâ ad quoddam monasterium peruenisset, antequam egrederentur, fecerunt eos monachi parum comedere. Postquam ergo egressi sunt, inuenit discipulus eius aquam, & volebat bibere. Cui abbas Siluanus: Zacharia, hodie ieiunium est. At ille dixit: Numquid hodie non comedimus, pater? Et dixit ei senex: Illa esca charitatis erat, fili; nos autem nostrum ieiunium teneamus.

SILVANI. Pelag. libell. 4. num. 40. — *Esca charitatis ieiunium non frangit.*

47. Quidam de fratribus in Panephô ad abbatem Ioseph perrexerunt, vt eum requirerent de susceptione fratrum, si liceret cum his illo tempore vel fiduciam habere, vel lætitiam. At ille antequam requirerent eum, dicit discipulo suo: Quod facturus sum hodie, fili, ne mireris; & posuit duo sedilia illis qui venerant, & dicit eis: Sedete. Et posuit vnum à dextris suis, & alterum à sinistris: & ingressus cellulam suam misit sibi vestimenta corrupta, & égressus transit in medio eorum; & iterùm ingressus misit alia meliora, quibus solebat die festo vti, & egressus est posteà ad eos: iterùm autem ingressus quotidiano vestimento suo vestitus, venit, & sedit inter eos. Illi autem mirati sunt, & obstupuerunt propter hoc factum. Dicit eis senex: Vidistis quid feci? Cùm autem illi annuissent, dicit eis: Et quid feci? Et dicunt ei: Primùm vestimento corrupto vsus es, & posteà alio meliori. Et dicit eis: Numquid mutatus sum ex illo inhonesto, aut ex illo meliore? Dicunt ei: Non. Quibus senex ait: Si ergo idem ego sum in vtrisque, & non sum mutatus, & sicut illud primum non me nocuit, ita nec secundum mutauit: sic ergo debemus facere in occursione fratrum, vt quando eorum præsentia est, cum fiduciâ & lætitiâ suscipiamus

IOSEPH. Pelag. libell. 13. num. 1. — *Ioseph apologo docet, quomodo suscipiendi sunt hospites.*

piamus eos, quando autem soli sumus, opus est vt luctus & abstinentia permaneant in nobis. Illi verò audientes quæ in cordibus suis habebant, antequam requirerent eum, glorificauerunt Deum; & læti discesserunt.

Incerti. Pelag. libell. 10. n. 99. Pasch. c. 1. n. 3. Sobriorum diuersitas.

48. Dicebat vnus ex patribus: Quia inuenitur homo multum comedens, & adhuc esuriens se continet ne satietur: alter autem parum comedit, & satiatur. Qui ergo multum comedit, & adhuc esuriens se continet, maiorem mercedem habet, quàm ille qui parum comedit & satiatur.

Incerti. Pasch. c. 1. n. 4.

49. Dixit quidam senex: Ne quod desideraueris aliquando manduces. Comedens autem quod tibi à Domino transmissum fuerit, gratias age sine intermissione.

Incerti. Pelag. libell. 4. num. 60. Modus castigandi effrenem appetitum.

50. De quodam sene referebant fratres, quia desiderasset cucumerem: quem cùm attulisset, suspendit ante oculos suos; & ne vinceretur à cupiditate, non tetigit eum, sed magis agebat pœnitentiam, puniens semetipsum ob hoc, quia ipsum desiderasset.

Senis. Pelag. libell. 4. n. 59.

51. Quidam ex senioribus factus est infirmus, & per multos dies non poterat escam vllam percipere. Compulit autem eum discipulus suus, dicens: Si iubes, pater, facio tibi parum placentæ; & vt annuit ei, fecit. Erat autem ei vasculum paruum habens mel, & aliud vas simile habens oleum de lini semine expressum, & erat fœtidum, & in re nullà alià proficiebat, nisi fortè in lucernâ: & deceptus frater misit in escam senis de illo, sperans quia mel misisset: cùm autem gustasset senex, nihil locutus est, sed tacens comedit: tertià verò vice cùm ei daret, dixit ei: Non possum comedere, fili. Ille verò tamquam volens adhortari eum, dixit: Ecce, abba, bona sunt, & ego comedo ex ipsis: & postquam gustauit, & sensit rem quam fecerat, cecidit in faciem, dicens: Væ mihi, abbas, quoniam occidi te: istud peccatum posuisti super me, quia locutus non es. Dicit ei senex: Non contristeris, fili, propter hoc; si enim voluisset Deus vt bonum comederem, tu mel misisses, & non hoc quod misisti.

Senex rancido oleo pro melle per errorem cibatus tacet.

Pœmenis. Pelag. libell. 4. n. 29. 4. Reg. 25. Gastrimargia origo impugnationis diaboli.

52. Dixit abbas Pœmen: Nisi Nabuzardan princeps cocorum venisset in Ierusalem, templum Domini non arsisset igne. Hoc autem est, quia nisi desiderium gastrimargiæ in animam veniret, sensus hominis non succenderetur impugnatione diaboli.

Macarii. Pelag. libell. 4. n. 16.

53. Abbas Macarius quotiescumque cum fratribus factâ charitate reficiebat, hoc in proprio corde statuerat, vt quantos vini calices oblatos hausisset, tantis diebus nec & ipsam aquam gustaret omnino. Cùm ergo ei fratres vinum porrigerent, cum gaudio sumebat, vt posteà se ipsum maceraret. Quod cùm discipulus eius didicisset, patefacto senis consilio, ne ei vinum porrigerent, coniurabat, tormenta illi potiùs esse quàm pocula manifestans.

Macarius vini pocula etiam aquæ abstinentiâ castigat.

Theodori. Pelag. libell. 8. n. 21. tit. Incerti.

54. Factâ congregatione in ecclesiâ cùm esset festiuitas, & ceteri monachi comederent, vnus ministrantibus dicit: Quia nihil coctum comedo, sal mihi deferri præcipito. Quo verbo minister audito, cum clamore audientibus ceteris alij imperauit, dicens: Quoniam coctum ille frater non comedit, parum illi salis afferto. Tunc beatus Theodorus dixit: Oportuit te magis, frater, carnes in cellâ tuâ comedere, quàm hunc præsentibus fratribus audire sermonem.

Cibi singularitas in communitate fugienda.

Siluani. Pelag. libell. 10. n. 69. Lucæ 10.

55. Quidam peregrinus frater venit ad Abbatem Siluanum in monte Sinà, & vidit quòd fratres operarentur; & dicit eis: Quare operamini escam, quæ perit? Maria enim bonam partem elegit. Tunc senex dicit discipulo suo Zachariæ: Da illi codicem vt legat, & mitte illum in cellulam, quæ nihil habet. Horâ autem nonâ circumspiciebat frater ille viam, si fortè vocaret eum senex ad comedendum. Postquam verò transijt hora nona, venit ad senem, dicens ei: Numquid hodie non comederunt fratres, abba? Cumque senex fateretur, ait ille: Quare me non vocasti? Tunc dixit ei abbas Siluanus: Tu homo spiritualis es, & non habes necesse hanc escam: nos autem tamquam carnales opus habemus comedere, ideò operamur; tu autem bonam partem elegisti. Legis enim omni die, & non vis carnalem escam accipere. Quod cùm audisset, cœpit pœnitere, ac dicere: Indulge mihi, abba. Tunc respondit illi Siluanus: Ergo necessaria est Martha Mariæ; propter Martham enim & Maria laudatur.

Martha Mariæ iungenda; cibus corporalis spirituali.

Ioannis. Pelag. libell. 10. n. 27. In editis est hic textus Pelagij. posui vt in MSS.

56. Abbas Ioannes dicebat fratri suo maiori: Vellem enim securus esse, sicut & Angeli securi sunt, nihil operantes, sed Deum semper tantummodò collaudantes. Et proiecto pallio suo, egressus est in eremum; factâque illic septimanâ, regressus est ad fratrem suum. Cùm autem pulsaret ostium, & non illi aperiret frater, dicens: Tu quis es? At ille dixit: Ego sum Ioannes. Illo autem non aperiente, rogabat, dicens: Ego sum. & noluit illi ostium aperire, vsquequò illucesceret. Manè autem facto dixit ad eum: Homo es, & necesse habes operari, vt pascaris. Tunc ille proiecit se ad pedes eius, & dixit: Indulge mihi, abba.

Dum in hac vitâ sumus, operandum vt pascamur.

Pœmenis.

57. Quidam frater impugnabatur à spiritu blasphemiæ, & erubescebat dicere, & quoscumque audisset magnos senes, perge-

bat ad eos vt illos declararet, sed mox cùm peruenisset, iterùm verecundabatur illis dicere. Cùm ergo frequenter ad abbatem Pœmenem veniret, vidit eum senex habentem cogitationes, & dicit ei: Ecce, frequenter venis ad me habens cogitationes, & sic iterùm remeas tristis tecum illas reportans: dic ergo mihi, fili, quid habes. At ille dixit: In blasphemiâ impugnat me diabolus, & erubescebam dicere: & mox vt aperuit caussam, leuior impugnatio eius apparuit. Et dicit ei senex: Non contristeris, fili. Quando hæc cogitatio ad te venit, dic: Ego caussam non habeo, blasphemia tua super te sit satanas, hanc enim caussam anima mea non vult. Quamcumque autem caussam anima non voluerit, non diu permanebit: & ita sanus factus frater ille discessit.

Pasch. c.1.n.5.

Remedium contra cogitationem blasphemiæ.

MOYSIS. Pasch.c.1. n.6. Passionum origo.

58. Dixit abbas Moyses: Per has quatuor res passio gignitur: per abundantiam escæ & potus, & per satietatem somni, & per otium & iocum, & ornatis vestibus incedendo.

POEMENIS. Pelag. libell. 5. n.8.

59. Dixit abbas Pœmen: Quemadmodum Imperatoris spatharius semper illi assistit armatus; ita & animam aduersus dæmonem huiusmodi oportet esse semper paratam.

SENIS.

60. Dixit quidam senex: Sicut venenata animalia fortiores herbæ vel pigmenta expellunt, ita cogitationes sordidas oratio cum ieiunio repellit.

MACARII. Pelag. libell. 18. n.9. Pasch.c.1. num. 8.

61. Abbas Macarius dum in illâ solitudine (in quâ solus erat) maneret, inferior autem plena esset multis fratribus, serò per viam circumspiciebat, & vidit dæmonem venientem in figurâ hominis, vestitum tunicâ lineâ perforatâ, & per singula foramina, vascula parua dependebant, & dixit illi senex: Quò vadis, maligne? Et respondit ei: Vado commouere fratres hos, qui sunt inferiùs. Cui senex dixit: Et propter quid tot vascula fers tecum? At ille dixit: Gustum fero fratribus, & ideò tanta fero, vt si vnum displicuerit, ostendam aliud, & si illud non placet, porrigam aliud; & fieri non potest, nisi vnum ex ipsis aliquod placeat eis. Et hæc dicens discessit. Permansit autem senex iterùm viam circumspiciens, vsquequò rediret, & cùm rediret, dicit ei: Salueris. Dicit & ille: Quomodo istud mihi verbum dicis, quia omnes mihi contrarij facti sunt, & nullus meis consilijs acquiescit. Et dicit ei senex: Ergo nullum habes amicum? At ille respondit: Vnum habeo amicum, vel ipse consentit mihi, & quoties me viderit, huc atque illuc citò conuertitur. Cumque nomen eius ab eo requisisset, ait: Quia Theopemptus dicitur. Discedente illo mox surrexit abbas Macarius, & descendit ad inferiorem eremum. Quod cùm audissent fratres, egressi sunt illi obuiàm, & vnusquisque sperans, quòd apud se maneret, præparauit se. At ille requirens cellam Theopempti, ad eum profectus est. Cumque cum gaudio illum suscepisset, & essent vtrique simul soli, dixit ei senex: Quemadmodum est tecum, fili? At ille respondit: Orationibus tuis benè sum. & ait senex: Non te impugnant cogitationes? At ille respondit: Intereà benè sum. Erubescebat enim dicere; & dixit ei senex: Ecce quot annos sum in solitudine, & ab omnibus honoror, & in hac ætate cùm sim senex, molestant me cogitationes meæ. Respondit Theopemptus: Crede mihi, abba, quia similiter & mihi faciunt. Tunc senex singulas cogitationes quasi se impugnantes fingebat, vsquequò totum illi Theopemptus confiteretur. Post hæc dixit ei: Quemadmodum ieiunas? At ille dicit ei: Vsque ad nonam. Cui senex ait: Vsque ad vesperam ieiuna, & de Euangelio vel de alijs Scripturis sine cessatione semper aliquid meditare; & quoties tibi aliqua immunda cogitatio superuenerit, numquam deorsum aspicias, sed sursum, & mox Dominus tibi adiutor est. Et mox ita discessit abbas Macarius in propriam solitudinem. Iterumque viam circumspiciens, vidit dæmonem redeuntem, & requirit eum: Quò vadis? At ille respondit: Simili modo commouere fratres. Cùm autẽ reuerteretur, requisiuit eum, quemadmodum agerent fratres. At ille dixit: Malè, quoniam omnes agrestes effecti sunt, & quod de omnibus peius est, eum quẽ habui amicum & obedientem mihi, ipse nescio quomodo conuersus est, & omnibus ampliùs asperior mihi visus est. Et iurauit non ibi accedere, nisi post multum tempus: & hæc dicens, discessit.

Visio Macarij de dæmone, gustum fratribus portante.

Prudentiâ suâ fratrem curat.

Sursum aspiciendum cùm immundæ cogitationes molestæ sunt.

SENIS. Pelag. libell. 5. n.11.

62. Quidam frater requisiuit quemdam senem, dicens: Quid faciam, pater, quia non possum sufferre cogitationes? Cui senex dixit: Ego in hac caussâ numquam impugnatus sum. Scandalizatus autem frater, ipse venit ad alterum senem, & dixit ei: Ecce quid dixit mihi senex ille? Scandalizatus sum in ipso, quoniam super naturam humanam locutus est. Dixit ei ille senex secundus: Non simpliciter tibi dixit ille homo Dei hunc sermonem. Vade ergo, & age pœnitentiam apud ipsum, vt dicat tibi virtutem verbi illius. Reuersus ergo frater, venit ad senem, & cœpit ei dicere: Indulge mihi, abba, quoniam insipienter egi, vt tibi vale non dicerem, & sic egrederer. Sed rogo te, explana mihi quomodo non es impugnatus? Dixit ei senex: Ex quo factus sum monachus, non sum satiatus neque pane, neque aquâ, neque somno, & horum omnium cogitatio non me permisit

Abstinentiâ & vigilia malæ cogitationes pellendæ.

misit habere pugnam, quam tu dixisti. & egressus est ab eo frater ille iuuatus ab eo.

Poemenis. Pasch. c. 1. n. 9. Venter & lingua continendi.

63. Interroganti iterùm cuidam super cogitationes, dixit abbas Pœmen: Monachus si ventrem suum & linguam tenuerit, & vagationem non fuerit sectatus, confidat quia non morietur, sed viuet in perpetuum.

Eliae. Pasch. c. 1. num. 10.

64. Duo fratres ad abbatem Eliam venerunt impugnati à cogitationibus suis: & videns eos senex quòd essent corpulenti, tamquam ad discipulum suum subridens, ait: Verè, frater, ego erubesco pro te, quia sic enutristi corpus tuum, cùm certè profitearis te monachum: pallor enim & macies cum humilitate, decus est monachi.

Pallor, monachi decus.

Item dixit: Quia monachus edens multum, & operans multum, non confidat; qui autem parum edit, etiam si parum operetur, confidat, & viriliter agat.

Parum edendum.

*Arsenii. Pelag. libell. 2. n. 7. * Pall. Canopo.*

65. Abbas Arsenius dum sederet in * campo, quædam mulier virgo, diues, timensque Deum, ac propterea abbatis Arsenij famà compertà, de Romanâ ciuitate, vt eum videre mereretur, aduenit in Alexandriam. Quæ cùm honorificè à Theophilo fuisset suscepta, ipsius ciuitatis Archiepiscopo, rogauit eum, quatenus persuaderet beatum Arsenium, vt eam suscipere dignaretur. Ipse igitur ad eum profectus est, dicens: Quædam mulier Romana, & dignitate, & opibus, & opinione ceteras antecellens, videre te ac benedici desiderans, de tam longinquâ regione peruenit, cui occurras exposco. Sed cùm non acquieuisset occurrere ei Arsenius, illa cognoscens hoc, animalia sua sternere præcepit, dicens: Confido in Deo meo, quia videbo illum, nec ab hac intentione fraudabor. Non enim homines veni conspicere, quia & in nostrâ supersunt ciuitate, sed prophetam videre desideraui. Cùm ergo venisset ad cellam beati Arsenij, contigit vt foris illum deambulantem conspiceret. Ac mox ante pedes eius in faciem prona prosternitur. Quam ille cum festinatione suscitans, ita compellebat, dicens: Si faciem meam tantùm videre desideras, ecce, intuere. Illa verò præ verecundiâ oculos non audebat attollere. Dicit ei senex: Si quid de meis actibus comperisti, hoc debueras intueri. Quomodo ergo & tantum pelagus nauigare præsumpsisti? An ignoras te mulierem esse, quibus quocumque non licet exire? An ideò huc venisti, vt Romam rediens, alijs te feminis glorieris vidisse Arsenium, vt fiat peruium mare ad me venientium feminarum? At illa respondens, ait: Si vult Deus, nullam huc venire permittat. Sed vt pro me ores, & in memoriâ me habere digneris, exoro. Cui Arsenius dixit: Oro Deum meum, vt deleat tuam ex corde meo memoriam. Quo illa verbo percepto, in ciuitatem regrediens, ægritudine præ tribulatione correpta est. Ad quam cùm visitationis causâ venisset episcopus, & quid rei esset inquireret, illa sermonem senis, quem vltimum de memoriâ sui dixerat, enarrauit, ac propterea se velle mori præ tristitiâ confitetur: sed episcopus tali eam consolatur alloquio: Numquid nescis te esse mulierem? Et quia per feminam solet inimicus hominem impugnare, ideò vultum tuum de corde suo delere dixit. nam pro animâ tuâ Dominum deprecatur. Quibus verbis mulier recreata est.

Arsenius mulierum aspectum refugit.

Moysis. Pelag. libell. 4. n. 19. Ieiunio passiones superandæ.

66. Dicebat abbas Moyses: Si voluerit Imperator inimicorum ciuitatem aliquam expugnare, priùs escam eorum & aquam interdicit, & ita inimici eius fame ac penuriâ compulsi subijciunt se regno eius. Et ita passiones carnales, si in ieiunio & fame velis viuere, deterescunt, & non sunt fortes aduersus animam. Quis enim tam fortis vt leo? Et tamen propter ventrem suum intrat in caueam, & omnis virtus eius humiliatur.

Incerti. Pelag. libell. 14. n. 4. Pasch. c. 2. num. 1. Insignis iuuenis cuiusdam renuntiatio.

67. Quidam iuuenis volebat renuntiare mundo, & frequenter egressum reuocabant eum cogitationes, inuoluentes eum varijs negotijs: erat enim diues. Vnâ ergo die egressum eum dæmones circumdederunt, & multum puluerem ante eum excitauerunt. Ille verò confestim exspolians se, & iactans vestimenta sua currebat nudus ad monasterium. Declarauit autem Deus vni seni, dicens: Surge & accipe athletam meum. Exurgens ergo senex, obuiauit illi nudo, & cognoscens caussam admiratus est, & dedit illi habitum monachilem. Quando autem veniebant aliqui fratres ad ipsum senem, perquirere eum de conditionibus varijs, respondebat eis; de renuntiatione autem sciscitantibus dicebat: Hunc requirite fratrem, quia ego ad renuntiationem ipsius nondum perueni.

Antonii. Pelag. libell. 6. n. 1. Perfectè sæculo renuntiandū.

68. Quidam frater renuntiauit sæculo: & cùm dispersisset res suas pauperibus, quædam sibi retinuit in propriâ ratione, & venit ad abbatem Antonium. Quod cùm senex comperisset, dixit ei: Si vis, vade in vico, & eme tibi carnes, & impone tibi corpori tuo nudo, & veni ad me. Cùm ergo hoc fecisset frater, tam canes quàm aues omne corpus suum propter carnem rapiendam, tam dentibus quàm vnguibus diruperunt. Cùm ergo venisset ad Antonium, requisitus est si fecisset quod ei præceperat. Illo autem demonstrante corpus suum laceratum, dicit ei sanctus Antonius: Quicumque renuntiant

nuntiant sæculo, & volunt adhuc habere pecunias, sic à dæmonibus lacerantur.

INCERTI. Pelag. libell. 6. num. 21. *Nihil pecuniæ reseruare debet monachus.*

69. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Vis vt retineam mihi duos solidos propter infirmitatem corporis? Et videns senex cogitationes eius, quòd vellet retinere eos, dixit: Retine. Reuersus ergo in cellam frater, cœpit cum cogitationibus proprijs colluctari, dicens: Putas benedixit mihi senex an non? Exurgens ergo iterùm venit ad senem, rogans, & dicens: Propter Deum dic mihi veritatem, quia conturbor à cogitationibus meis, propter illos duos solidos. Dicit illi senex: Quia vidi cogitationem tuam volentem retinere eos, dixi tibi vt retineres: nam non est bonum, tenere plus quàm necesse est corpori. Duo ergo solidi sunt spes tua; & si contigerit vt pereant, numquid Deus non cogitat de nobis? Iacta ergo cogitationem tuam super Deum, quoniam ipsi cura est de nobis.

SERAPIONIS. Pelag. libell. 6. num. 5. tit. *Incerti.*

70. Quidam monachorum Serapion tantùm Euangelium possidens, vendidit illud, & esurientibus dedit, dignum memoriæ sermonem imitans: Ipsum, inquit, verbum venumdaui, quod mihi semper dicebat: Vende quæ possides, & da pauperibus.

AGATHONIS. Pelag. libell. 6. n. 17. tit. *Incerti. Agatho omnem pecuniam reiicit.*

71. Cùm quidam vir rogaret abbatem Agathonem, vt pecuniam illius susciperet in propriâ ratione, nolebat ille, dicens: Non est necesse mihi, quia opera manuum mearum me pascunt. Cùm autem ille persistens diceret: Vel propter indigentes dignare suscipere; respondit: Duplex verecundia est, quia non indigens suscipio, & aliena præstans, vanæ gloriæ subiacebo.

PAVLI. Pasch. c. 2. n. 2. *Monacho cella custodienda.*

72. Dicebat abbas Paulus: Si aliquas res voluerit monachus in cellâ suâ habere, præter eas sine quibus non potest viuere, frequenter cogitur de cellâ suâ egredi, & ita à dæmone decipitur. Hæc autem ipse Paulus obseruans in vnâ quadragesimâ, cum sextario lenticulæ & paruo aquæ vasculo perdurauit, & vnam mattam faciens, eamdem texebat & retexebat, ne tantummodò foris exiret.

MACARII. Pelag. libell. 16. num. 6. Pasch. c. 3. n. 1. *Macarius furantem è cellâ suâ iuuat.* Iob 1. 1. Tim. 6.

73. Abbas Macarius cùm esset in Ægypto, & egressus fuisset de cellâ suâ, reuersus inuenit quemdam furantem id quod in cellâ suâ habebat. Stetit ergo & ipse tamquam peregrinus, & carricauit animal cum illo cum multâ requie & perduxit eum, dicens: Nihil in hunc mundum intulimus. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut & ipse voluit, ita factum est. Benedictus Dominus in omnibus.

INCERTI. Pelag. libell. 16. n. 19. Pasch. c. 3. n. 2. *Senis in furto tolerãdo patientia.*

74. Quidam frater veniens ad cellam cuiusdam magni senis, ingrediebatur, & furabatur ei victum. Cùm autem videret senex, non arguebat illum, sed ampliùs operabatur, dicens: Puto, frater ille necessarius est. Habebat autem grandem tribulationem senex ex penuriâ panis. Cùm autem idem senior moreretur, & circumdassent eum fratres: ille videns eum fratrem qui solebat furari ei panem suum, dicit ei: Accede huc ad me, frater: & apprehendit manum eius, & osculatus est, dicens: Gratias ago manibus istis, fratres, quia per eas arbitror me intrare in regnum cælorum. Ille autem compunctus de hoc verbo, & agens pœnitentiam, factus est ipse strenuus monachus ex actibus senis, quos vidit.

AGATHONIS. *Agathonis discretio.*

75. Abbas Agathon dispensabat semetipsum, & in omnibus cum discretione pollebat, tam in opere manuum suarum, quàm in vestimento. Talibus enim vestibus vtebatur, vt nec satis bonæ, nec satis malæ cuiquam apparerent.

INCERTI. Pasch. c. 6. n. 1. *Ira quatuor radicales causas.* *Quatuor iræ modi.* *Diuersitas irascentium.*

76. Dixit quidam senex: Ira per has quatuor res exurgit: per cupiditatem auaritiæ, dando & accipiendo; & si quis propriam sententiam amans, vt nec satis bona nec satis mala cuiquam appareat, defendat; & si quis vult se honoribus sublimari, & si quis se doctorem esse velit, & plus omnibus sapientem sperat. Ira etiam per hæc quatuor humanos sensus obscurat: Si odio habuerit hominem proximum suum, aut si illi inuiderit, aut si pro nihilo duxerit, aut si detraxerit ei. Ideò autem passionis huius retributio quatuor modos habet: Primum ex corde, secundum ex facie, tertium ex linguâ, quartum ex facto. Si ergo potuerit quis ita portare malum, vt ne ingrediatur in cor, non peruenit vsque ad faciem: si autem venerit in faciem, custodiat linguam ne loquatur illud. Quòd si locutus fuerit, vel hoc custodiat ne reddat in facto, sed mox dimittat. Tres enim gradus hominum sunt in passione iræ. Nam cui voluntariè nocetur & iniuriatur, & parcit proximo suo, hic secundùm naturam Christi est. Qui autem non lædit, nec lædi vult, hic secundùm naturam Adam est. Qui verò nocet aut iniuriatur, aut calumniam ingerit, aut vsuras exigit, hic secundùm diabolum est.

SISOIS. Pelag. libell. 16. n. 10. Pasch. c. 7. n. 1. *Sisoius prudenter fratrem à vindictâ reuocat.*

77. Quidam ex fratribus passus ab alio iniuriam, venit ad abbatem Sisoium, & contumeliæ genus exponens, addebat: Cupio me vindicare, pater. Senex autem rogare eum cœpit, vt relinqueret Deo vindictam. At ille inquit: Non desistam, nisi fortiter vindicauero. Cui senex ait: Quatenus semel hoc in animo statuisti, vel nunc oremus. Exurgens autem senex, his verbis cœpit orare: Deus, iam non es nobis necessarius, vt pro nobis sis sollicitus: quia nosipsi

ipsi

ipsi, sicut frater iste dicit, & volumus & possumus nos vindicare. Quod cùm ille frater audisset, ante pedes senis effusus veniam postulabat, promittens se cum illo cui irascebatur, numquam certaturum.

INCERTI. Pasch. c. 7. num. 2. *Omnis iniuria peccato suo imputãda.* 78. Quidam frater, dum ab altero iniuriaretur, venit & nuntiauit seni. Cui ille respondit: Satisfac cogitationi tuæ, quoniam non vult te frater iniuriari, sed peccata tua. Nam in omni tentatione quæ tibi contingit per hominem, non arguas eum, sed tantummodò dic: Quia propter peccata mea contingunt mihi hæc.

POEMENIS Pelag. libell. 10. n. 53. Pasch. c. 7. num. 3. 79. Dicebat frequenter abbas Pœmen: Malitia numquam te exuperet. Si quis tibi malum fecerit, tu illi bonum redde, vt per bonum vincas malum.

INCERTI. Pelag. libell. 16. n. 12. Pasch. c. 7. n. 4. *Iniuria profectus occasio.* Isaiæ 3. 80. Quidam frater, quantò plus eum aliquis iniuriabatur aut deridebat, tantò plus ille gaudebat, dicens: Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum; qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim: Quoniam hi qui beatificant vos, decipiunt vos.

INCERTI. Pasch. c. 7. n. 5. *Iniuria beneficiis remunerãda.* 81. Alter senex, si quis detraxisset ei, ille festinabat (si vicinus ei erat) per seipsum benè illum remunerari: quòd si longiùs manebat, transmittebat ei munera.

SISOIS. Pasch. c. 8. n. 1. *Boni monachi est, etiam vim vi non repellere.* 82. Quidam frater rogabat abbatem Sisoium, dicens: Si latrones aut barbari super me irruerint, occidere me volentes, & ego si præualere potuero, iubes occidam eos? Cui ille respondit: Ne facias omnino; sed totum Deo te committe. Quidquid enim tibi aduersi contigerit, profitere hoc tibi propter peccata tua venire: diuinæ enim dispensationi debes totum adscribere.

POEMENIS Pasch. c. 8. n. 2. *Suadet Pœmen monacho non prodendos latrones.* 83. Erat quidam eremita magnus, in monte qui dicitur Athlibeus, & venerunt super eum latrones. Cùm autem ille vocem fecisset, de vicinis locis fratres alij confluentes comprehenderunt eos. Quos transmissos in ciuitatem iudex misit in carcerem. Fratres ergo illi mœsti facti sunt, quia propter ipsos latrones traditi essent iudici: & venientes ad abbatem Pœmenem, renuntiauerunt ei factum. qui scripsit ad eremitam, dicens: Reminiscere, prima proditio vnde facta est? & tunc videbis secundam. Nisi enim proditus fuisses ab interioribus tuis, secundam proditionem numquam perpetrasses. Quo ille sermone cùm compunctus esset, in omni illâ regione nominatus, & per multum tempus non exiens, surrexit statim & venit in ciuitatem, & excutiens latrones publicè de carcere, liberauit eos à tormentis.

IOANNIS. Ioannes libell. 4. n. 11. *Quidam iniuriantibus mercedem dat.* 84. Cuiusdam philosophi discipulus peccauit: & cùm sibi indulgeri vellet, dicit ei philosophus: Non tibi indulgeo, nisi in his tribus annis portaueris onera aliorum. Cui reuerso post tres annos, cùm iam peccato satisfecisset, dicit ei philosophus: Nec nunc tibi adhuc indulgeo, nisi alijs tribus annis dederis his mercedem, qui te iniurijs & conuitijs affligunt. Quod etiam cùm ille complesset, remisso peccato eius, dicit ei magister suus: Veni modò & ingredere Atheniensium ciuitatem, vt illic sapientiam possis discere. Erat autem ibi quidam senex sapientiâ studiosus, & sedebat ad portam, omnesque ingredientes experiendi caussâ conuitijs affligebat: qui cùm idem iuueni illic ingredienti faceret, ille exorto cachinno risit. Cui senex ait: Quid est hoc quod agis? ego te iniurior, & tu rides? Cui iuuenis ait: Et non vis vt rideam, cùm tribus annis mercedem dederim, vt hoc paterer quod hodie à te gratis patior? Tunc senex dixit ei: Ingredere ergo ciuitatem, quia dignus es. Hoc autem solebat abbas Ioannes referre, & his ipse addebat, dicens: Hæc est porta Dei, per quam patres nostri per multas tribulationes & iniurias gaudentes ingressi sunt ciuitatem Dei. *Porta cæli iniuriarum perpessio.*

INCERTI. Pelag. libell. 15. n. 83. *Salutis via, iniuriarum tolerantia.* 85. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Da mihi, pater, vnam rem, quam custodiam, & saluer per eam. Respondit ei senex: Si potueris iniuriari & affici conuitijs, & portare ac tacere: magna est hæc res, & super alia mandata.

ZACHARIAE. Pelag. libell. 15. n. 17. *Quis verus monachus.* 86. Interrogantibus quibusdam fratribus abbatem Moysen sermonem; ille hortatus est discipulum suum Zachariam, vt eis aliquid diceret: Tunc ille pallium suum deposuit subtus pedes suos, & conculcauit illud, & dixit: Nisi quis sic fuerit conculcatus, monachus esse non potest.

MACARII *Sui ipsius victoria monacho necessaria.* 87. Dicebat abbas Macarius: Ille verè est monachus, qui se in omnibus vincit. Nam si quis alium arguens ad iracundiam mouetur, propriam passionem implet. Nec enim vt alterum saluet, seipsum debet perdere.

ANTONII. Pelag. libell. 8. n. 2. *Iniuria impatientia, animæ latrocinium.* 88. Quemdam fratrem sub præsentiâ abbatis Antonij alij fratres collaudabant; sed cùm tentasset eum senex, reperit quòd non sufferret iniuriam. Et dixit ei senex: Tu quidem frater similis es ædificio, quod quamuis habeat ingressum ornatum, per posticia tamen à latronibus expugnatur.

ISAAC. Pelag. libell. 4. num. 22. nomine Isidori. *Dæmones mãsuetum timent.* 89. Quidam frater requisiuit abbatem Isaac, dicens: Abba, quare te ita dæmones timent? Respondit senex: Ex quo factus sum monachus, statui apud me, vt iracundia mea foris guttur meum non procederet;

deret; & ideò timent me dæmones.

ACHILLAE. Pelag. libell. 4. n.9.

Insignis vindictæ refrænatio in Achilla.

90. Cùm venisset quidam de patribus ad abbatem Achillam, vidit eum sanguinem exspuentem, & requisiuit quid hoc esset. At ille respondit: Sermo erat fratris qui me contristauerat, & repugnaui vt non illum dicerem, sed petiui Dominum, vt tolleret à me, & factus est ille sermo sanguis in ore meo, & postquam exspui, requieui; sed & ipsam tristitiam & sermonem istum oblitus sum.

INCERTI. Pelag. libell. 15. n.14.

A minoribus assuefaciendus animus patientiæ.

91. Quidam fratres venerunt ad quemdam sanctum senem, sedentem in solitudine; & inuenerunt infantes pecora pascentes, & aliquoties inter se loquentes verba turpia. Postquam autem de singulis cogitationibus requirentes, à sene acceperunt responsum, dicunt ei: Quemadmodum potes sustinere, abba, voces infantium istorum, & nec præcipis eis vt non ita vociferentur? Et dicit eis senex: In veritate, fratres, plurimos dies habuit cogitatio mea volens illis aliquid dicere, sed redargui memetipsum, reputans mihi: Si parum hoc non porto, quomodo si maior mihi tentatio aduenerit, portabo? Et ideò illis nihil dico, vt fiat mihi consuetudo portandi.

Item dixit: Si quis linguam suam non tenuerit in tempore iræ, nec passionem carnis suæ aliquando poterit continere.

IOANNIS. Pelag. libell. 16. n.3.

Ioannes perfectè patiens, & interiùs & exteriùs.

92. Abbas Ioannes dum sederet inter fratres, & singuli eum de propriis cogitationibus inquirerent, atque ille responsum omnibus daret, quidam senex ex inuidiâ dicit ei: Sic est hic Ioannes quomodo mulier meretrix ornans semetipsam, vt congreget sibi amatores. Cui abbas Ioannes ait: Verum dicis, abba, & non est aliter; nam & hoc ipsum Deus tibi reuelauit. Respondit illi iterùm ille senex, dicens: Nam & vas tuum, Ioannes, veneno plenum est. At Ioannes ait illi: Sic est, abba, vt dixisti, & hoc dicis, quia illa tantummodò quæ deforis sunt vides: nam si ea quæ intrinsecus sunt videres, quanto plus haberes quod diceres? Et post hoc quidam ex discipulis eius dixit ei: Non es conturbatus interiùs, abba, in verbis senis huius? Cui ille respondit: Non; sed sicut sum deforis, ita sum deintus.

POEMENIS Pelag. libell. 17. n.8.

Pœmen humilitate sua senis inuidentis animum placat.

93. Erat quidam senex in Ægypto, & antequam veniret illuc abbas Pœmen, grandi veneratione habebatur ab omnibus. Cùm autem abbas Pœmen de Scithi illuc subiisset, multi relicto illo sene, veniebant ad hunc, & propterea cœpit illi inuidere & detrahere. Quod audiens abbas Pœmen, contristatus est, & dixit fratribus suis: Quid facimus? quia in tribulationem miserunt nos homines, vt illum senem tam sanctum relinquerent, & nos qui nihil sumus respicerent? Quomodo sanabimus hunc virum magnũ? Venite ergo, faciamus paruas escas, & portantes pergamus ad eum, & parum vini, ac pariter cum eo gustemus: forsitan in hoc possumus animum eius placare. Profecti ergo pulsauerunt ostium eius. Audiens verò discipulus illius senis, dixit: Qui estis? At illi dixerunt: Dic abbati tuo quoniam Pœmen venit, vt benedicatur ab eo. Quod cùm ille per discipulum suum audisset, respondit ad eum: Vade, dic eis: Ite hinc, non enim mihi vacat. Illi tamen restiterunt * mœsti, dicentes: Quia non hinc discedimus, nisi digni fuerimus adorare eum. Quorum cùm ille humilitatem & patientiam peruidisset, compunctus aperuit ostiũ, & osculantes se inuicem, gustauerunt pariter. Dixit ergo eis ipse senex: In veritate non sunt ea sola quæ audiui de vobis, sed & centuplum opera vidi in vobis. Et ab illo die amicus charissimus factus est ei.

* al. in æstu.

MVTHVIS Pasch. c.10.n.1.

Muthues humilitate & charitate aduersarium præuenit.

94. Abbas Muthues aliquando ædificauit sibi cellulã in loco qui dicitur Heracleona. Et dum ibi à multis molestaretur, alterum locum introgressus est, & similiter etiam ibi construxit habitaculũ. Sed per insidias diaboli, quidam frater inuentus est ibi, qui per inuidiam semper iram cum eo habuit: propter quod surrexit inde, & ad proprium reuersus est vicum, & fecit sibi illic quoque cellulam, & reclusit se in eam. Post tempus autem aliquantulum congregati sunt senes de illo loco vnde egressus est, deducentes secum etiam illum fratrem cum quo habuit litem, quatenus rogarent eum vt rediret ad cellulam suam. Postquam autem in vicinum locum venerunt, tam melotes suas quàm illum fratrem ibidem dereliquerunt: ipsi verò profecti sunt ad senem, & pulsantibus illis, apertâ fenestrâ respexit eos, & cognouit, & dixit eis: Vbi sunt melotes vestræ? At illi responderunt: Ecce hîc in vicino sunt vnà cum fratre illo, qui tecum iram habebat. Hoc pòstquam senex audiuit, & illos cognouit, præ gaudio ostium, per quod ingressus fuerat, cum securi confregit, & egressus cucurrit vsque ad locum, vbi erat ille frater, & cœpit ipse prior pœnitentiam apud eum agere, & amplexatus est eum, & introduxit illos in cellam suam, & per tres dies conuiuatus est cum eis, qui numquam habebat consuetudinem, vt ieiunium solueret. Et posteà surrexit, & profectus est cum illis.

AGATHONIS. Pelag. libell. 17. n.6.

Agathon semper pacificus.

95. Abbas Agathon solebat dicere: Numquam litem habens cum aliquo dormiui; sed nec permisi aliquẽ mecum litem habentem dormire, quantum ad virtutem meam pertinuit, nisi priùs cum illo in pace reuerterer.

96. Erant

INCERT. Pelag. libell. 17. n. 22.

Duo senes minimè litigiosi.

96. Erant duo senes in vnâ cellâ pariter sedentes, & numquam inter se vel qualemcumque paruam contentionem habuerant. Dixit ergo vnus ad alterum: Faciamus & nos vel vnam litem, sicut & alij homines. At ille alter dixit ei: Nescio quemadmodum fit lis. Dixit ei ille: Ecce ego pono laterem in medio, & dico, Quia meus est. & tu dic, Quia non est tuus, sed meus. & ex hoc fit contentio & rixa. Et cùm posuissent laterem in medio, dicente vno, Quia meus est; ille alter primò respondebat: Ego meum esse spero. Cùm ille alter iterùm diceret: Non est tuus, sed meus; tunc ille respondit: Et si tuus est, tolle illum. Quo dicto, non inuenerunt quemadmodum litigarent.

MACARII Ioannes libell. 3. n. 17.

97. Quodam tempore orante beato Macario abbate, vox ad eum personuit, dicens: Macari, necdum ad mensuram duarum mulierum peruenisti, quæ in proximâ pariter habitant ciuitate. Quo audito, senex exurgens arrepto baculo in designatam peruenit ciuitatem. Cumque ostium quæsitæ domus atque inuentæ pulsaret, egressa vna ex illis, cum magnâ exultatione eum suscepit. Quas vtrasque senex conuocatas, ita est allocutus: Propter vos tantum laborem veniens ex solitudine longinquâ sustineo, vt opera vestra cognoscerem, quæ mihi vos condicite ac narrate. Cui illæ sic dixerunt: Crede nobis sanctissime pater, quia nec præsenti nocte à maritorum lectulis fuimus separatæ. Qualia ergo opera à nobis exquiris? Sed senex in precibus persistebat vt ei vitæ suæ ordinem declararent. Cui tunc illæ compulsæ dixerunt: Nos nulla inter nos sumus parentelitatis affinitate coniunctæ: contigit autem vt duobus fratribus iungeremur, & cum his quindecim annis in domo vnâ pariter permanentes, neque turpe verbum altera dixit ad alteram, neque litem aliquando commisimus, sed in pace hactenus viximus, & pari consensu tractauimus, quatenus pariter relictis maritis, in congregatione religiosarum virginum proficisceremur, & multis precibus hoc à coniugibus non valuimus obtinere. Quo non adepto, inter nos & Deum posuimus testamentum, vt vsque ad mortem nostram sæculare verbum non loqueremur omnino. Quæ cùm audisset beatus Macarius, dixit: In veritate non est virgo, neque maritata, neque monachus, neque sæcularis; sed Deus tantùm propositum quærit, & spiritum vitæ omnibus ministrat.

Concordia & pietas duarum coniugum Macarij virtutibus prælata.

INCERTI. Pelag. libell. 7. n. 33.

98. Quidam frater dum esset in cœnobio, & frequenter ad iram moueretur, dixit ad semetipsum: Vadam in solitudinem: & cùm non habeam, cum quo litigem, forsitan requiescet à me hæc passio. Cùm autem egressus esset, & mansisset solus in spelæo, quadam die cùm vas aquâ replesset, & posuisset in terram, subitò versatum est. Cumque tertiâ vice replesset, ac similiter contigisset, arrepto ipso vase, fregit illud iratus. Cùm autem ad se reuersus fuisset, cogitabat, quia ab spiritu iracundiæ esset deceptus, & dixit: Ecce & solus sum, & tamen ab iracundiâ victus sum. Reuertar in cœnobium, quia vbique pugnâ opus est & patientiâ, & maximè Dei auxilium. Et ita exurgens, reuersus est ad locum suum.

In editis est hic textus Pelagij, posui vt in MS.

Ira non in solitudine, sed in consortio superanda.

MACARII Pelag. libell. 15. n. 25.

99. Beatus Macarius de semetipso referebat, dicens: Dum essem iuuenis, & tamen in cellâ residerem, inuitum me tenentes clericum ordinauerunt in vico. Cùm autem nolens illic esse, in vicum alterum effugissem, & quidam mihi sæcularis religiosus opere meo vendito ministraret: contigit quamdam virginem per stuprum ventris onus accipere. Quæ dum à parentibus, à quo fuisset compressa requiritur, dixit illa: Anachoreta ille vester hoc in me facinus perpetrauit. Egressi verò parentes puellæ comprehendentes me, suspenderunt meo collo vasa fictilia, & per singulas semitas circumducebant me cæde mactantes, atque insuper his vocibus insultantes: Hic monachus filiæ nostræ vim intulit. Cumque me vsque ad necem fustibus pænè mulctassent, quidam ex senioribus dixit ad eos: Vsquequò hunc peregrinum monachum cæde mactatis? Sed & ministrante mihi sequente & rubore perfuso, iniurias irrogabant, dicentes: Ecce quid fecit hic pro quo tu testimonium perhibebas? parentes autem puellæ dixerunt: Nullâ hunc ratione dimittimus, nisi pro alimentis puellæ præstandis aliquis pro ipso satisdator accesserit. Quòd dum ministranti mihi vt faceret innuissem, interpositâ me suâ fide suscepit. Itaque regressus ad cellulam, quantascumque inueni sportellas ei contribuebam, quibus venditis, victum mihi coniugique meæ ministraret. Dicebam autem: Ecce, Macari, inuenisti tibi vxorem: necesse est ergo ampliùs operari, vt eam valeas enutrire. Et tam diebus quàm noctibus operabar, vt ei quotidie victum ministrarem. Sed quando miseræ tempus pariendi aduenit, diebus plurimis parere cruciata non potuit. Quæ, quid fecisset requisita, respondit: Quia anachoretæ illi caussam non habenti crimen imposui. Nam me iuuenis vicinus noster ille compressit. Quod cùm ille qui mihi ministrabat, audisset, gaudio repletus aduenit, infelicem illam puellam, priusquam fateretur, quòd tibi calumniam frustrà con-

Macarius calumniam patienter fert.

Puella calumnia structrix dirè torquetur.

contexuit, parere nullatenus potuisse vociferans, sed & omnes vicinos venire, & te commissi veniam postulare. Quæ ego cognoscens, ne me & ipsi homines molestarent, festinus abscedens in hunc locum perueni; & hæc est caussa mei in istis locis aduentus.

POEMENIS Pasch. c. 39 n. 2. Pelag. libell. 9. n. 8. Append. Mart. n. 39. Contra tristitiam remedia.

100. Quidam frater requisiuit abbatem Pœmenem, dicens: Quid faciam, pater, quoniam conturbor à tristitiâ? Dixit ei senex: Neminem pro nihilo aspicias, nullum condemnes, nulli detrahas, & dabit tibi Dominus requiem.

ISIDORI. Pasch. c. 11. n. 3. Isidori contra superbiam & desperationem responsum.

101. Dicebat abbas Pœmen de abbate Isidoro, quia solus ipse se cognouisset. Nam quoties illi cogitatio sua dicebat, Quia magnus es; tunc & ipse respondebat ad se: Numquid talis sum qualis Antonius, aut certè abbas Pambo, vel reliqui patres, qui Deo placuerunt? Quoties ergo hæc cogitabat, requiescebat. Quando verò dæmon conturbans eum suggerebat ei desperationem & pœnas, dicens: Quoniam post hæc omnia iturus es in tormenta. dicebat iterùm ipse: Quia quamuis ego in tormenta mittar, tamen vos subtus me inuenio.

MOYSIS. Pasch. c. 11. n. 4. Diabolus humilitate vincendus.

102. Abbati quoque Moysi frequenter apparuerunt dæmones maledicentes ei, ac dicentes: Præualuisti nobis, Moyses, & nihil tibi possumus facere: quoniam quoties te in desperationem humiliare volumus, exaltaris, quoties autem exaltaris, ita te humilias, vt nullus de nobis accedat ad te.

SISOIS. Pasch. c. 11. n. 5. Semper à lapsu resurgendum.

103. Cùm quidam frater abbatem Sisoium frequenter talem sermonem requireret, dicens: Quid faciam, pater, quoniam cecidi? respondit, Surge. At ille respondit, Exurrexi; & iterùm se cecidisse confessus est. Ait senex: Et iterùm surge. Cùm autem frater frequenter se surrexisse & frequenter se cecidisse narraret, eodem sermone senex vtebatur exclamans: Non cesses exurgere, fili. Cui frater ait: Vsquequò possum surgere, pater, explana. Tunc senex ait: Quousque aut in bono opere, aut in malo deprehensus occumbas. In quo enim opere homo deprehensus fuerit, in eo iudicabitur.

INCERTI. Pelag. libell. 7. n. 42. Malæ cogitationes, dum molestis contingunt, corona seruiunt.

104. Quidam senex tentabatur à cogitationibus grauiter per annos decem, ita vt iam desperaret, dicens: Perdidi iam animam meam: sed quia semel perij, reuertar ad sæculum. Cùm autem proficisceretur, venit ad eum vox, dicens: Decem anni in quibus certatus es, coronæ tuæ erunt. Reuertere ergo in locum tuum, & ab omni malâ cogitatione libero te. Et statim regressus, permansit in incœpto opere. Non est ergo bonum, desperare se quemquam propter cogitationes. Illæ enim magis nobis coronas prouident, si vtiliter eas pertractantes transierimus.

ANTONII Pelag. libell. 7. n. 1. Variæ cogitationes operatione fugandæ.

105. Quodam tempore abbas Antonius, dum resideret in eremo, spiritu tentatus acediæ, cogitationibusque diuersis implicatus, dicebat ad Deum: Domine, saluari desidero, sed cogitationes variæ non me permittunt. Quid faciam in tribulatione meâ, vel quomodo saluari valeam, dignanter ostende. Et post paululum surgens, quemdam sibi similem conspicatur sedentem, torquentem funiculum, & surgentem ex opere, & orantem. Erat autem Angelus ad emendationem Antonij destinatus, à quo etiam hunc sermonem audiuit: Et tu ita faciens, Antoni, saluaberis. At ille summo gaudio cumulatus, acceptâ confidentiâ saluatus est.

INCERTI. Pelag. libell. 7. n. 34. Propter Deum cellæ custodia valet contra acediam.

106. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Quid faciam, pater, quoniam nulla opera facio monachi, sed in negligentiâ constitutus comedo, & bibo, & dormio, & de horâ in horam transgredior de cogitatione in cogitationem; & propterea contristor & deficio. Cui senex ait: Tu sede in cellâ tuâ, & fac quod potes sine perturbatione animi, & confide in Deum: quia qui sedet in cellâ suâ propter Deum, inuenietur in loco illo, vbi est abbas Antonius.

ACHILLÆ. Pelag. libell. 7. n. 28. titulo Incerti. Futurorum cogitatio acediam fugat.

107. Alter frater requisiuit abbatem Achillam, dicens: Cur sedens in cellâ meâ patior acediam? Cui senex ait: Quia necdum vidisti requiem, fili, quam speramus, neque tormenta quæ timemus. Si enim ea diligenter inspiceres, etiam si vermibus plena esset cella tua vsque ad collum, tu tamen in ipsis iaceres permanens sine acediâ.

ANTONII Pelag. libell. 1. n. 1. Dei præsentia, Scripturarum exempla, loci stabilitas, Deo nos gratos faciunt.

108. Quidam frater abbatem Antonium requisiuit, dicens: Quid obseruando, Deo placebo? Respondit senex: Quod dico tibi, custodi. Quocumque vadis, Deum semper habeto præ oculis tuis. & quodcumque opus exerces, sume ex diuinis Scripturis exempla; & in quocumque loco resederis, ne inde citiùs mouearis, sed patienter in eodem loco consiste. Hæc enim tria custodiens, saluus efficieris.

MOYSIS. Pelag. libell. 2. n. 1. nomine Antonij. Vitâ Antonij c. 52. Monachus extra cellâ, piscis extra aquam.

109. Quidam frater cùm expetisset sermonem ab abbate Moyse, dicit ei senex: Vade, & sede in cellâ tuâ. Cella autem tua omnia te potest instruere, si ibi permanseris. Sicut enim piscis ex aquâ eductus statim moritur; ita & monachus perit, si foris cellam suam voluerit tardare.

POEMENIS Pasch. c. 11 n. 1.

110. Quidam frater requisiuit abbatem Pœmenem: Si melius est remotiùs, an cum alijs manere? Respondit senex: Homo si seipsum reprehendit, vbique potest persistere; si autem se magnificat, numquam stat.

Quid-

Quidquid enim boni fecerit homo, ne exultet in eo; quia mox perdet illud.

ZENONIS. Pasch.c.12 num.4. *Virtus celanda, vitia manifestanda.*

111. Aliquando venit ad abbatem Zenonem in Syriam aliquis frater Ægyptius, & cœpit cogitationes proprias accusare præsente sene. Ille autem admirans dixit: Ægyptij virtutes quas habent, celant; & vitia quæ non habent, manifestant. Syri autem & Græci virtutes quas non habent, prædicant; & vitia quæ habent, abscondunt.

INCERTI. Pelag. libell. 15. num. 56. Pasch.c.13 num.1.

112. Quidam senex dixit: Qui ab hominibus amplius honoratur aut laudatur, non paruum animæ damnum patitur; qui autem penitus ab hominibus non honoratur, desuper gloriam à Deo accipiet.

EIVSDEM. Pelag. libell 8. n. 20 titulo Syncletica. Pasch.c.13 num.2.

113. Idem dixit: Fieri non potest, vt simul & herba nascatur & semen; ita impossibile est, vt laudem & gloriam sæcularium habentes, simul etiam & fructum faciamus cælestem.

EIVSDEM. Pelag. libell. 8. n. 19 titulo Syncletica. *Ex laude dispendium.*

114. Idem dixit: Sicut thesaurus manifestus minuitur, ita & virtus deperit publicata. Nam sicut cera à facie ignis soluitur, ita & anima per laudem resoluta, perit ab intentione suâ.

EIVSDEM. Pelag. libell. 15. num 54. Pasch.c.13 num.3. *Vanagloria bonorum prædo.*

115. Idem dixit: Quando cogitatio vanæ gloriæ vel superbiæ te impugnat, perscrutare teipsum, si omnia Dei mandata seruasti, si inimicos tuos diligis, si gaudes in gloriâ inimici tui, & contristaris in deiectione eius: si apud te habes, Quoniam seruus inutilis sum, & plus omnibus hominibus peccans: & neque tunc tamen aliquid grande sapias, tamquam aliquid boni feceris; sciens quòd elata cogitatio omnia illa bona dissoluit.

SENIS. Pelag. libell. 11. n. 38. Pasch.c.12 num.5. *Etiam mortuo sæculo dæmon insidiatur.*

116. Quidam senex cùm venisset ad alium senem, dicit ei: Ego iam mortuus sum sæculo huic. At ille alter respondit: Ne confidas in teipsum, donec egrediaris de corpore hoc. Nam etsi tu dicas: Quoniam mortuus sum; diabolus tamen necdum est mortuus, cuius innumerabilia sunt artis mala.

ABRAHAM. Pelag. libell. 10. n. 15. In editis est hic stilus Pelagij. Posui vt in MSS. *Passiones nō moriuntur sed ligantur in sanctis.*

117. Quidam senex cùm quinquaginta annis esset in deserto, neque panem gustans, neque aquam ad satietatem accipiens, dicebat ipse: Quia occidi vanam gloriam & auaritiam. Quod cùm audisset abbas Abraham, venit ad eum, & requisiuit illum sermonem si ipse dixisset. At illo confitente, dixit ei Abraham: Ecce dum per viam ambulas, vides lapides & fragmenta laterculorum, & inter hæc massam auri, nec potest cogitatio tua illud simile illis alijs iudicare? Dixit ei senex: Non: sed iterùm pugno cum cogitationibus meis. Ecce enim viuit auaritia, sed ligata est. Item dixit abbas Abraham: Hic diligit te & laudat, alter verò te horret & detrahit: si vtrique veniunt ad te, non vtrosque æqualiter aspicis? Dixit ei senex: Non: sed iterum pugno cum cogitatione meâ, vt & illum diligam quem horreo. Cui abbas Abraham ait: Ecce ergo viuunt in te passiones adhuc, sed ligatæ sunt à sanctis, quæ tibi fortè propter vitam tuam permanent.

INCERTI. Ioan. libell. 4. n. 35 Pasch.c.12 num 7. *Stultum se simulat senex vt honores declinet.*

118. Quidam senex habitabat in inferioribus partibus eremi, & sedebat quiescens in speluncâ, vnus autem sæcularis religiosus ministrabat ei. Contigit autem vt filius sæcularis istius infirmaretur. Multis ergo precibus postulabat senem, vt veniret in domum suam, & faceret orationem pro infante. Exurgens autem senex, ambulabat cum eo: Ille autem præcessit, & ingressus in domum suam dixit: Venite in occursum anachoretæ. Quos cùm vidisset de longè egressos [16] cum lampadibus, sensit quòd ad se venirent. Despolians itaque se vestimenta sua, misit in flumen, & cœpit ea lauare, stans nudus. Ille autem qui ministrabat ei, videns hæc erubuit, & rogauit homines, dicens: Reuertimini, senex enim noster sensum perdidit. Et veniens ad eum, ait illi: Abba, ad quid hoc fecisti? Omnes enim qui te viderunt, dixerunt, Quia dæmonium habet senex. Cui ille: Et ego hæc volebam audire.

MOYSIS. Pelag. libell. 8. n. 33 *Moyses per humilitatem sibi detrahit.*

119. Cùm quidam iudex prouinciæ abbatem Moysen vellet adorare, audiens ille fugiebat de loco suo. Et cùm obuiàm fortè illi fuisset, requisiuit iudex ab eo, dicens: Dic nobis, vbi est cella abbatis Moysis? At ille respondit: Quid illum vultis videre hominem stultum & hæreticum? Quod cùm audisset iudex, veniens ad ecclesiam, retulit clericis, dicens: Ego quidem diuersa audiens de abbate Moyse, volui ab eo benedici: sed quidam veniens mihi obuiàm monachus, retulit de eo quòd esset hæreticus. Quod cùm audissent clerici, contristati sunt: & cœperunt interrogare eum qualis esset monachus ille qui hoc dixisset. Ille autem respondit: Senex erat, & veterrimis indutus vestimentis, longus, & niger. Et tunc cognoscens ex relatione eorum, quia ipse erat Moyses, satis miratus discessit.

SISOIS. Ioan. libell. 2. n. 13

120. Abbas Sisoius cùm habitaret in monte, in quo erat beatus Antonius reclusus, quidam sæcularis ad eum cum paruo filio percipiendæ benedictionis gratiâ properabat. Contigit autem vt infans moreretur in viâ. Quem pater sine vllâ perturbatione mentis sublatum, cum fide portauit ad senem: ingressusque cellulam, tam

Sisoius mortuum verbo resuscitat.

se quàm infantem proiecit in terram, vt est moris postulantium benedictionem. Oratione autem expletà, exurgens pater egressus est foràs, filij corpusculo derelicto ante pedes abbatis; quem cùm adhuc senex orandi caussâ iacere speraret, Surge, inquit, fili, & egredere; defunctum enim esse nesciebat. Confestimque puer exurgens, egressus est. Cumque vidisset pater eius, obstupuit, regressusque in cellulam, adorato sene, tam caussam filij quàm luctum cum fide narrauit. Sed senex valdè mœstus effectus est: non enim à se quidquam tale volebat audiri factum. Sed per discipulum suum homini illi, ne cuiquam vsque ad transitum suum hæc diceret, imperauit.

Occultari miraculum iubet.

BESARIONIS. Ioannes libell.2.n.4. Pasch.c.14 n.2.

121. Cùm quidam sæcularis in ecclesiam veniens, ab immundo spiritu teneretur, & omnes orationem fecissent, & nullatenus spiritus immundus ab eo egrederetur; dicunt ergo inter se fratres: Quid possumus huic spiritui facere? nemo potest illum excutere, nisi abbas Besarion. Sed si dixerimus hoc illi, nec ad ecclesiam acquiescet venire: sed faciamus taliter, quoniam ante omnes solet ad ecclesiam venire: hunc qui patitur faciamus sedere, & posteà dicamus abbati: Abba, suscita hunc dormientem. fecerunt ita. Et veniente abbate Besarione, steterunt omnes in oratione, & dicunt ei: Abba, suscita etiam istum dormientem. Ille autem excitauit eum, dicens: Surge, & egredere foràs, & mox ab eo egressus est spiritus immundus, & sanus effectus est ex illâ horâ.

Besarion dæmonem etiam nesciens expellit.

EIVSDEM. Ioan.libell.2.n.7. nomine *Macarij.*

122. Erat quidam habens filium paralyticum in Ægypto, & attulit eum in cellam beati Besarionis abbatis, & reliquit eum super ostium plorantem, & discessit longè. Cœpit ergo infans flere. Cùm autem senex per fenestram vidisset eum, dixit: Quis te huc detulit, fili? Cui infans respondit: Pater meus detulit me, & ipse discessit. Cui senex dixit: Surge, & adiungere illi, & mox sanus effectus surrexit, & peruenit ad patrem suum.

Besarion nesciens paralyticum curat.

MVTHVIS. Pelag.libell.15. num.28.

123. Dixit abbas Muthues: Quantum homo Deo appropinquauerit, tantum se peccatorem videbit. Isaias enim propheta videns Dominum, miserum se & immundum vocauit. Nos ergo non simus hîc sine sollicitudine. Dicit enim Scriptura: Qui stat, videat ne cadat. (1.Cor.10.) Incerti ergo nauigamus in hoc mundo. Sed nos quidem quasi in tranquillo mari nauigare videmur: sæculares verò quasi in periculosis locis. Nos quasi in die, sole iustitiæ illustrati: illi verò in ignorantiâ, quasi per noctem. Sed frequenter contingit, vt sæcularis in tenebrosâ nocte nauigans, vigilans autem & clamans, propriam nauim saluet; nos autem dum in tranquillo nauigamus, sæpiùs ex ipsâ securitate negligimus, & perimus, humilitatis gubernaculum relinquentes: sicut enim impossibile est nauim firmam fieri sine clauis, ita impossibile est hominem sine humilitate saluari.

Pelag.libell.11. n.34.titulo Syncletica.

Humilitas nauigij spiritalis gubernaculi.

MACARII. Pelag.libell.15. num.26. Pasch.c.13 num.6.

124. Abbas Macarius dùm diluculo palmarum folia portans, ad cellam suam reuerteretur, occurrit ei diabolus cum falce præacutâ, volensque eum percutere, non valebat. qui exclamans dixit: Magnam à te vim patior, ô Macari, qui cùm te cupio nocere, non valeo; dum quæcumque tu facis, ego magis ex opere facio. Tu ergo ieiunas interdum, ego nullo vmquam cibo reficior. Tu sæpè vigilas, me verò sopor numquam oppressit. Sed in vnâ re me vincis ipse profiteor. Cum ab eo rem ipsam beatus Macarius requisisset; Humilitas tua, dixit, sola me vincit. Hæc dicente inimico, & extendente beato Macario manus suas ad orationem, spiritus immundus inter auras euanuit.

Macarius humilitate diabolum vincit.

INCERTI. Pelag.libell.15. num.53.

125. Quidam ex senibus monachorum eremita fuit, quem quidam à spiritu malo correptus, & spumans, fortiter eum in maxillam percussit: senex autem præbuit illi alteram maxillam vt feriret: diabolus autem non sufferens incendium humilitatis eius, statim discessit.

Humilitas diabolum incendit.

INCERTI. Pasch.c.13 num.7.

126. Quidam ex patribus dicebat: Omnis labor monachi sine humilitate vanus est. Humilitas enim præcursor est charitatis, sicut Ioannes erat præcursor Iesu, omnes trahens ad eum: ita & humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum; quia Deus charitas est.

MACARII

127. Quodam tempore abbas Macarius dum ad montem Nitriæ ascenderet, discipulo suo vt parum præcederet imperauit. Qui cùm ante illum pergeret, obuium habuit quemdam sacerdotem idolorum, cursu concito venientem, & lignum grande portantem. Cui exclamans ait: Quò curris dæmon? At ille iratus, tantis eum plagis affecit, vt exanimem pænè relinqueret: & relicto eo sacerdos iterùm currebat, progressusque parum, obuiauit beato Macario, qui ait ad eum: Salueris laborator, salueris. At ille admiratus respondit: Quid in me boni conspexisti, vt me salutares? Cui senex ait: Quia vidi te laborantem, & curris ignoranter. Cui sacerdos dixit: Et ego salutatione tuâ compunctus magnum seruum Dei te cognoui: nam alter nescio quis miserabilis monachus occurrens mihi iniurias fecit, sed & ego plagas illi pro verbis imposui.

Discipulus Macarij plagis afficitur.

Sacerdos idolorũ fit monachus.

sui. Tunc apprehendens pedes beati Macarij clamabat, dicens: Nisi me monachum feceris, non desistam. Pergentesque pariter venerunt ad locum, vbi cæsus frater iacebat: quem vtrique tollentes, quoniam gradi non poterat, manibus in ecclesiam pertulerunt. Cùm autem fratres vidissent sacerdotem illum beatum Macarium comitantem, stupefacti, cum admiratione monachum illum perficiunt, & multi propter illum ex paganis facti sunt Christiani. Dicebat ergo abbas Macarius: Quia sermo superbus & malus etiam bonos viros conuertit ad malum; sermo verò humilis & bonus, etiam malos mutat in melius.

Sermo humilis malos in melius mutat.

ANTONII

Pelag. li. bell. 15. n. 80. titulo Incerti. Pasch. c. 15 num 1.

128. Sæpè dicebat beatus Antonius: Nisi [17] pistor molæ oculos operiret, mercedem suam recipiens ipse consumeret. Ita & nos per Dei dispensationem tegumen accipimus, vt ea quæ operamur bona non valeamus attendere, ne nosipsos beatificantes possimus extolli, & mercedem propriam amittamus. Nam & ob hoc quando relinquimur in sordidis cogitationibus, necesse est vt hoc tantummodò prouideamus, vt nosipsos & nostram sententiam condemnemus, ne ea quæ sunt in nobis sordida, illud paruum bonum opus nostrum in nobis obscurent. Numquam enim homo bonus est, etiamsi bonus esse desideret, nisi Deus habitauerit in ipso: quia nemo bonus nisi solus Deus. Oportet ergo vt nosipsos veraciter semper incusemus. Quando enim se quisque reprehendit, mercedem propriam non amittit.

Humilitas custos bonorum operum.

Sui reprehensor mercedis est conseruator.

EIVSDEM

129. Item beatus Antonius retulit vidisse omnes laqueos inimici super vniuersam terram extetos. & cùm suspirans dixisset: Quis hos poterit transire? vocem ad se dicentem audiuit: Humilitas sola pertransit, Antoni; quâ nullo modo valent superbi contingere.

Laqueos dæmonis effugit humilitas.

EIVSDEM

Pasch. c. 15 num. 2.

130. Item beatus Antonius dum in cellâ propriâ oraret, venit ad eum vox dicens: Antoni, nondum peruenisti ad mensuram coriarij, qui est in Alexandriâ. Quo audito senex surgens manè, arrepto baculo in ciuitatem Alexandriam festinus venit. Cumque ad designatum hominem fuisset ingressus, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propter te relicto deserto huc veni. Qui respondens ait: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse: vnde & ex cubili proprio manè consurgens, antequam in opere meo resideam, dico quòd omnis hæc ciuitas à minore vsque ad maiorem ingrediuntur regnum Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam. Quod verbum antequam quiescam serò, ex cordis mei recenseo veritate. Quod audiens beatus Antonius, respondit: In veritate, fili, sicut bonus aurifex sedens in domo tuâ cum requie regnum Dei adeptus es; ego autem veluti sine discretione omne tempus meum in solitudine conuersatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.

Coriarius Antonio præfertur.

Humilitas coriarij.

POEMENIS

Pasch. c. 15 num. 3. Tit. 3.

131. Quidam frater requisiuit abbatem Pœmenem dicens: Quid est, pater, quod ait Apostolus: Omnia munda mundis? At ille dixit ei: Si quis ad hunc sermonem poterit peruenire vt eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ. Cui frater: Et quomodo possum me minorem videre ab eo qui homicida est? Respondit senex: Si potuerit homo ad hunc sermonem Apostoli peruenire, & viderit hominem qui forte occidit alium, dicit in semetipso: Ille quidem hoc solum peccatum fecit, ego autem omni horâ homicidium committo, meipsum peccando interficiens. Et cùm frater requireret, quomodo hoc possit fieri; respondit: Hæc sola iustitia est hominis vt semetipsum reprehendat. Tunc enim iustus est, cùm sua pecccata condemnat.

Sui reprehensio sola iustitia.

EIVSDEM

132. Cùm sederent quidam fratres propè abbatem Pœmenem, vnus alium quemdam fratrem laudauit, dicens: Bonus est ille frater, quoniam mala horret. Cui senex ait: Et quid est mala horrere? At ille nesciens quid ei responderet, petebat dicens: Dic mihi, abba, quid est malum horrere? Cui senex ait: Ille horret mala, qui sua peccata propria horret, & omnem fratrem suum beatificat & diligit.

Mala horret, qui peccata sua horret.

EIVSDEM

Pasch. c. 16 num. 1.

133. Quidam frater requisiuit abbatem Pœmenem, dicens: Quomodo potest homo vitare ne loquatur malum de proximo suo? Respondit senex: Ego & proximus meus duæ imagines sumus: cùm ergo meam prospexero, & reprehendero me, inuenitur imago fratris mei apud me venerabilis. Quando autem meam laudauero, tunc fratris mei imaginem prauam respicio. Tunc ergo de alio non detracto, si semper meipsum reprehendo.

Sui inspector, proximi est laudator.

HYPERICHII.

Pelag. libell. 4. n. 51 & 52.

134. Dixit abbas Hyperichius: Melius est comedere carnes & vinum bibere, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Euam de paradiso excussit; ita qui de fratre suo detrahit, non suam solùm, sed & audientis animam perdit.

Detractio fugienda.

IOANNIS.

135. Solebat dicere abbas Ioannes: Paruam sarcinam dimisimus, id est nosipsos reprehendere; & grauem portare elegimus, id est vt nos iustificemus, & alios condemnemus.

Alterius condemnatio grauis est sarcina.

PIOR. Pelag. libell. 9. n. 9. In editis erat hic stilus Pelagij. Posui vt in MSS.

136. Peractâ congregatione semel in Scithi, dum patres de multorum vitâ & de rebus plurimis loquerentur, abbas Pior tacebat. Posteà verò egressus tollens saccum impleuit eum arenâ, & portabat in dorso suo, & iterùm in alio paruo panno misit alteram arenam, & portabat ante se. Videntes autem ceteri fratres, requisierunt ab eo, quod esset hoc exemplum: & respondit, dicens: Iste saccus, qui habet multam arenam, mea peccata sunt, quoniam pluri- mæ sunt iniquitates meæ, & ecce dimisi ea post dorsum meum, nolens illa videre, vt pro illis doleam vel plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratris mei ante oculos meos posui, & crucior in ipsis condemnans fratrem. Sed non oportet sic iudicare, sed magis ante me adducere, & de ipsis cogitare, & rogare Deum, vt indulgeat mihi. Quod audientes patres, dixerunt: In veritate hæc est via salutis.

Magis nostra, quàm aliena pensanda peccata.

ISAAC. Pelag. libell. 9. n. 3. In editis est hîc stilus Pelagij. Posui vt in MS.

137. Venit aliquando abbas Isaac in cœnobium, & vidit illic fratrem negligentem, & iratus iussit eum expelli de cœnobio. Cùm ergo egrederetur ad habitaculũ suũ; venit angelus Domini, & stetit ante ostium cellulæ eius, dicens: Non te permittam ingredi. At ille rogabat, vt eius culpa manifestaretur. Et respõdit Angelus, & dixit: Deus transmisit me, dicẽs: Vade, & dic Isaac: Vbi iubes vt mittamus illum fratrem, qui peccauit? At ille mox egit pœnitentiam, dicens: Peccaui, Domine, indulge mihi. Et dixit illi Angelus: Exurge, indulget tibi Deus. Sed ne iterùm hoc facias, vt quemcumque condemnes, antequam Deus illum iudicet. Tulerunt homines iudicium, & non mihi illud permittunt, dicit Dominus: hoc autem dictum est, quia si cõtigerit de illis perfectis aliquem vel in paruo peccare, mox prodatur.

Nemo temerè iudicandus.

PAPHNVTII.

138. Contigit fratri cuidam culpa in cœnobio: & dum à ceteris increparetur, ad abbatem profectus est Antonium. Et assecuti sunt eum fratres volentes eum reducere, cœperuntque ei culpas exprobrare. Ille verò fecisse culpam denegabat. Inuentus est ibi abbas Paphnutius, cui cognomen erat Cephalas, qui talem retulit in congregatione fratrum inauditam parabolam: Vidi, inquit, in ripâ fluminis hominem vsque ad genua in limo demersum: venientes autem quidam vt eum porrectâ manu extraherent, vsque ad collum demerserunt. Tunc beatus Antonius de beato Paphnutio ait: Ecce homo, qui ex veritate potest animas saluare. Quo fratres illius sermone compuncti agentes pœnitentiam, eum qui discesserat, ad cœnobium reuocauerunt.

Nimia increpatio quandoque noxia.

INCERTI.

139. Dixit quidam de senioribus: Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum qui impugnat eum, dicens: Væ mihi, quia iste nolens, victus est, sicut & ego; & plange, & inquire Dei solatium, quia omnes decipimur.

Non tam peccator, quàm impellens ad peccatum culpandus.

TIMOTHEI.

140. Quidam Timotheus anachoreta, negligentem fratrem aliquem audiens, interrogante ipsius abbate, quid illi fratri faceret, dedit consilium vt eum expelleret de cœnobio. Cùm ergo ille fuisset expulsus, tentatio venit ad Timotheum: & cùm ploraret in conspectu Dei, & diceret: Miserere mei, venit ad eum vox dicens: Timothee, ideò tibi hæc caussa venit, quia fratrem tuum in tempore tentationis suæ despexisti.

Timotheus contra sententiã asperior, etiam tentatur.

INCERTI. Pelag. libell. 14. num. 19. In editis est hîc stilo Pelagij. Posui vt in MSS.

141. Quidam ex patribus in extasi positus, vidit quatuor ordines ante Deum. Et primus quidem erat hominum infirmantium & gratias agentium Deo; secundus verò erat eorum, qui hospitalitatem sectantur, & in hoc stant & ministrant; tertius verò illorum, qui solitudinem sectantur, & non vident homines; quartus verò illorum qui propter Deum & obedientiam solliciti, & subiecti sunt patribus. Erat ergo illis tribus ordinibus hic ordo superior, qui obedientiam exhibebat, & vtebatur torque aureâ, & maiorem gloriam præ ceteris possidebat. Dixit autem senex ei qui sibi hoc in extasi demonstrabat: Quare hic ordo quartus, maiorem ceteris gloriam habet? Ille autem respondit ei, dicens: Quia isti alij omnes habent aliquam requiem adimplendo, quamuis in bonis operibus, voluntates suas; obediens autem, propriam voluntatem relinquens, pendet in patris voluntate iubentis, & ideò maiorem præ ceteris gloriam est sortitus.

Ordines meritorum quatuor.

Ordo obedientium ceteris præcellens.

SENIS. Pelag. libell. 15. n. 73.

142. Quidam senex dixit: Quia si quis fratri suo iniunxerit caussam cum timore Dei, & cum humilitate; sermo ille, qui propter Deum egreditur, compellit fratrem obedire, & facere quod iniunctum est ei. Si autem iubere quis cupiens, non secundùm timorem Dei, sed ex auctoritate & propriâ voluntate fratri voluerit imperare, qui videt abscõsa cordis, non illum permittit vt audiat, ne faciat quod illi præceptum est, quia manifestum est opus Dei, quod fit propter Deum, & manifesta est hominis auctoritas quæ per iactantiam ordinatur. Quæcumque enim ex Deo sunt, à principio humilitatem habent; quæ autem ex auctoritate & iracundiâ, vel conturbatione, ex inimico sunt.

Humilis obedientiã imperans imperans facilè impetrat.

MARCI. Pelag. libell. 14. n. 5.

143. Abbas Siluanus habebat discipulum, nomine Marcum, cuius obedientia erat magna, & propterea senior diligebat eum. Habebat autem & alios vndecim discipulos, qui contristabantur eò quòd illum plus diligeret.

ligeret. Quod postquam alij senes audierunt, mœsti venerunt ad eum, vt ei renuntiarent, quia fratres illi qui cum eo erant contristabantur. Sed antequam illi aliquid faterentur, ipse cum illis ad singulorum cellas profectus est, & vnumquemque nomine proprio vocauit, dicens: Egredere forâs, frater, quia opus te habeo: & nullus ex illis voluit egredi. Venerunt autem post omnes ad cellam Marci, & cùm pulsassent ostium, vocauit abbas Siluanus nomen eius: ille autem mox vt audiuit vocem senis, forâs egressus est. Et ingressus abbas in cellam Marci, quoniam scriptor erat, reperit quaternionem quem scribebat, & inuenit quòd in quâ horâ vocatus est, litteram quam faciebat, mediam dereliquit, tantummodò vt obedientiam adimpleret. Noluit autem post auditam vocem senis, litteram * quam cœperat percomplere. Vnde illi alij senes dixerunt ei: In veritate, quem tu diligis, & nos iam diligimus: quia & Deus eum propter suam obedientiam diligit.

Obedientia promptissima etiam litterâ imperfectâ relictâ.

* O interponūt editi: & ita in Pelag.

INCERTI. Pelag. libell. 14. num. 16.

144. Quidam senex solitarius habebat quemdam ministrantem sibi, manentem in vico. Cùm autem ille tardasset per dies aliquot, & seni necessaria defecissent, & neque quod operaretur haberet, & quo reficeretur, & propter hoc tristaretur, dixit discipulo suo: Vade in vicum. At ille respondit: Quod vis, pater, faciam. Timebat autem frater accedere ad vicum propter scandalum, & tamen vt obediret patri, promisit se iturum. Dixit ei senex: Quia confido in Deo patrum nostrorum, quòd protegat te ab omni tentatione. Et factâ oratione transmisit eum. Cùm autem venisset frater in vicum, & requisisset quò maneret ille qui seni ministrabat, inuentâ domo cùm pulsasset ostium, contigit vt nemo ex illis inueniretur in domo, præter vnam filiam illius ministrantis. Quæ cùm aperuisset ostium, & frater eamdem pro patre eius requireret, cur tot diebus tardasset, illa hortabatur eum ingredi domum simul, & trahebat eum. Cùm autem ille non acquiesceret, illa inualuit, & traxit eum ad se. Cùm autem vidisset ille, quia ad peccatum trahebatur, & vrgebant eum cogitationes, ingemuit, & clamauit, dicens ad Deum: Domine, propter orationem eius qui me misit, salua me in hac horâ. Et cùm hoc dixisset, subitò inuentus est ad flumen iuxta monasterium suum, & reuersus est ad patrem suum sine maculâ.

In editis ad verbum ex Pelagio: posui vt in MSS.

Ex obedientiâ proficiscens, periculo eripitur.

DVORVM FRATRVM. Pelag. libell. 14. num. 17.

145. Duo fratres carnales venerunt in quoddam monasterium habitare, & vnus ex ipsis erat religiosus valdè, alter habens obedientiam grandem. Cùm ergo abbas præciperet illi: Fac hoc, & faceret. Et iterùm: Fac illud, & faceret. Et in hoc glorificabatur in monasterio, quòd talem obedientiam haberet. Inuidens verò frater eius ille * religiosus dixit intra semetipsum: Tentabo hunc fratrem meum si habet certam obedientiam; & veniens ad abbatem dixit ei: Transmitte fratrem meum mecum, quoniam necessarius sum in quodam loco. Et dimisit eum abbas. Cùm autem pariter proficiscerentur, volens tentare eum, cùm peruenissent ad flumen, in quo erat multitudo crocodilorum, dixit ei: Descende in fluuium, & transi: & descendit ille, & venerunt crocodili, & ceperunt lingere corpus eius, & non ei nocuerunt. Quod cùm vidisset ille, dixit ei: Ascende de fluuio, & eamus. & dum irent, inuenerunt corpus mortuum iacens in viâ. Et dixit ille religiosus: Si haberemus aliquid ex veteramentis, mitteremus super illud. Cui frater dixit: Oremus, si forte suscitet eum Deus. Et stantibus illis in oratione, suscitatus est mortuus, & laudauit se ille religiosus, dicens: Propter religionem meam surrexit hic mortuus. Manifestauit autem Deus patri in monasterio eorum omnia, & quemadmodum tentauit fratrem de crocodilis, & quomodo mortuus surrexisset. Et postquam venerunt in monasterium, dixit abbas ad istum religiosum: Quare hæc fecisti fratri tuo? Cognosce, quia propter obedientiam eius surrexit mortuus ille.

In editis ad verbum ex Pelag. dedi ex MSS.

* abstinens apud Pelag.

Obedientia abstinentiâ potior.

Obedientiæ ferè comes humilitas, abstinentiæ sæpè superbia.

146. Quidam ex senibus de Scithi discipulum suum transmisit in Ægyptum, vt ei camelum deduceret, qui sportellas quas fecerat, portaret in Ægyptum. Cùm autem deduceret camelum, alter senex obuians eum dicit ei: Si scissem, frater, quando ibas in Ægyptum, dixissem tibi vt & mihi alterum camelum adduceres. Quod cùm ille frater proprio abbati dixisset, præ multâ charitate dicit ei: Vade, fili, & duc camelum ad illum, dicens ei: Quia necdum parati sumus, comple necessitatem tuam, & vade tu cum ipso camelo vsque in Ægyptum, & iterùm reduc nobis camelum, vt & nostra vasa portemus. Cùm ergo fecisset frater sic, & iuisset ad illum senem, dicens: Abbas Pambos dicit, Quia nos necdum parati sumus, tolle & comple necessitatem tuam. Carricauit autem senex camelum, & iuit in Ægyptum. Cùm autem discarricasset iterùm ille frater reducebat camelum; & dixit: Ora pro me, pater. Cumque senex requisisset, quò pergeret; respondit: In Scithim vado, vt etiam nostras sportellas huc afferam. Quod cùm audisset senex, compunctus cœpit pœnitere, dicens lacryman-

PAMMOS vel PAMBO.

Pambonis charitas camelum suum alteri concedentis.

 do:

do: Indulgete mihi, dulcissimi, quia charitas vestra fructum meum abstulit.

INCERTI. Pelag. libell. 17. num. 16.

147. Alter senex cùm perfecisset sportellas suas, & iam retinacula misisset earum, audiuit vicinum suum dicentem: Quid faciam, quoniam nundinæ propè sunt, & non habeo vnde mittam retinacula in sportellas meas. & mox ingressus dissipauit propria retinacula, & attulit ad fratrem, dicens: Ecce ista superflua habeo, tolle, & mitte in sportellas tuas, & ita præ nimiâ charitate fecit vt fratris opera complerentur, sua autem imperfecta reliquit.

Senis charitas sportella sua retinacula alteri dantis.

IOANNIS.

148. Abbas Ioannes gratiâ charitatis omnem malitiam est oblitus. Hic cùm à fratre quodam mutuasset solidum vnum, & comparasset linum vnde operaretur; venit vnus frater petens eum parum lini, vt faceret sibi saccum: at ille dedit ei cum gaudio. Item alter venit petens eum linum, & dedit ei. Necnon & alijs plurimis venientibus & petentibus, dedit omnibus cum gaudio. Post hoc ille qui mutuauerat solidum, venit repetens eum. At ille dixit: Ego vado, & afferam tibi. Et non habens vnde redderet, surrexit, & profectus est ad abbatem Iacobum, vt peteret eum quatenus redderet illi, à quo mutuauerat. Et dum iret per viam inuenit solidum iacentem, & non eum tetigit; sed factâ oratione reuersus est in cellulam. Et cùm iterùm frater ille repeteret rationem suam, dicit ei: Vndecumque modò defero illum. Et iterùm profectus inuenit solidum, vbi anteà positus erat: & factâ oratione reuersus est, & ecce iterùm venit frater ille molestans eum pro solido. Tunc senex dixit modis omnibus: Modò vado, & affero illum: & dum proficisceretur inuenit eodem loco solidum iacentem: & factâ oratione tulit eum, & venit ad abbatem Iacobum, & dicit ei: Abba, veniens ad te, inueni hunc solidum in viâ. Fac ergo charitatem, & prædica hîc in ciuitate, ne fortè aliquis perdiderit illum, & si inuentus fuerit dominus eius, redde illum. Profectus est ergo senex, & per tres dies prædicauit, & nemo inuentus est qui perdidisset solidum illum. Tunc ergo Ioannes dicit ad abbatem Iacobum: Si nemo illum perdidit, reddo illum fratri illi, quoniam debeo illi; & veniens ad te mutuare, aut certè tollere in charitate, & reddere illi debitum meum, inueni illum. Et miratus est senex, quemadmodum & debens & inueniens, non statim tulit eum, & reddiderit, nisi bis reuersus esset, & tertiò prædicasset. Hoc autem erat eius mirabile, quia si quis volebat ab illo aliquid mutuari, non dabat per manus suas, sed dicebat fratri: Vade, & tolle tibi quod opus habes. Et cùm reportaret iterùm, dicebat: Vade, & reporta in loco vnde tuleras. Si autem nihil detulisset, nihil ille penitùs dicebat.

Ioannes aliis charitatem præstans solidū inuenit.

Inuentum iubet publicari.

POEMENIS. Pelag. libell. 4. n. 30 Ineditis hic stilo Pelag. Dedi ex MSS.

149. Abbas Pœmen dicebat: Voluntatem tuam numquam adimpleas, sed magis humilia teipsum, vt facias voluntatem proximi tui.

Item abbas Pœmen quando vocabatur vt extra voluntatem suam comederet: ibat plorans, ne inobediens fratri suo contristaret eum.

Pœmen obedientiam suadet.

Idem mactans propriam voluntatem humiliatus, voluntatem sequebatur alterius.

INCERTI. Pelag. li. bell. 13. n. 8 Pasch. c. 11 num. 1.

150. Quidam anachoreta sedebat in spelæo iuxta cœnobium multas virtutes faciens: & cùm aliqui monachi venissent de cœnobio, compulerunt eum horâ non consuetâ comedere. Et post hoc dicunt ei fratres: Contristatus es aliquid, abba, quia hodie extra consuetudinem fecisti? Quibus ille respondit: Tunc mihi est tribulatio, quando propriam fecero voluntatem.

Cuidam tribulatio est propriā voluntatem facere.

PAPHNVTII. Pelag. libell. 17. n. 11.

151. Abbas Paphnutius non gustabat vinum aliquando. Semel autem ambulans deuenit super latrones: & cùm in viâ eos inuenisset bibentes, cognitus est à principe latronum, qui sciebat eum quòd vinum non biberet: sed videns quia ex labore itineris fatigatus esset, impleuit calicem grandem vino, & gladium tenens in manu suâ, dixit seni: Nisi biberis hunc calicem, occidam te. Cognoscens senex, quia ex mandato Dei vult facere; volens eum lucrari, tulit, & bibit. Princeps autem latronum cœpit ei dicere: Indulge mihi, abba, quoniam tribulaui te. Cui senex ait: Confido in Deum meum, quia propter vnum calicem vini faciat tecum misericordiam, & in præsenti sæculo & in futuro. Dicit ei princeps latronum: Et ego confido in Deo, quia ab hodie nemini malefacio. Et sic lucratus est senex omne collegium latronum.

Paphnutius obediens latrones lucratur.

DVORVM FRATRVM. Pelag. libell. 17. num. 14.

152. Erant duo fratres: vnus ex ipsis senex erat, qui rogabat iuniorem, dicens: Rogo vt pariter habitemus, frater. Ille autem respondit: Ego peccator sum, & non potes mecum habitare. Ille verò rogabat eum, dicens: Possumus. Erat autem ille senior mundus, & nolebat audire quia monachus habebat aliquando cogitationem prauam. Et dicit ei ille iunior: Permitte quiescere hac vnâ septimanâ, & iterùm loquemur. Cùm ergo post septimanam senex venisset ad eum, ille volens experiri eum, dixit ei: In grandem tentationem incidi in septimanâ hac, abba. Profectus enim in vicum pro-

pter

Senex alterius onus simul portat. pter necessitatem, peccaui. Et dixit ei senex: Et vis pœnitere? Cùm autem ille promisisset, ait senex: Ego tecum porto medium peccati illius. Tunc ille frater dixit: Modò possumus ambo pariter manere. Et manserunt pariter vsque ad tempus transitionis suæ.

INCERTI. *Pelag. libell. 1. n. 21 Pasch. c. 16 num. 2.* *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 153. Quidam senum dicebat: Quidquid horret homo, alij omnino ne faciat. Horres enim, si quis detrahit tibi? tu ne detrahas alteri. Horres, si quis tibi calumniam fecerit, vel si quis tibi aliquid abstulerit? & tu siue hoc, siue alia his similia ne facias alicui. Qui enim hoc verbum seruauerit, potest illi sufficere ad salutem.

POEMENIS *Pelag. libell. 4. n. 33* 154. Abbas Pœmen & abbas Nuph postquam in desertum venerunt, desiderabat mater eorum videre eos, & sæpè veniebat ad eorum cellam, nec tamen potuit illic contemplari eos. Captato itaque tempore, occurrit eis cùm ad ecclesiam festinarent: quâ visâ reuersi velociter ostium cellæ clauserunt; illa autem stans foris cum lacrymis quærebat eos. Tunc abbas Nuph egressus ad beatum Pœmenem, ait: *Pœmen & Nuph matris aspectũ fugiunt.* Quid faciemus de hac matre nostrâ, quæ plangit ad ostium? Tunc exurgens abbas Pœmen vadit ad ostium; quo non aperto audiens eam iugiter lamentari, dixit ei: Cur tantos clamores, cùm iam ætate defessa sis, & planctus effundis? Illa autem voce filij cognitâ, ampliùs exclamauit, dicens: Quoniam vos videre desidero, filij. Quid est enim si vos videro? nónne sum vestra genitrix? nónne vos his meis lactaui vberibus? Iam omni moratum contractione repleta sum, & auditâ voce tuâ omnia viscera mea præ desiderio conturbata sunt. Cui Pœmen ait: Hîc nos magis, an in futuro sæculo videre desideras? At illa dixit: Quid ergo si vos hîc non videro, quasi illic pro certo visura sim? Sene autem respondente: Quòd si te hîc cohibere potueris, ne nos videas, illic nos proculdubiò semper videbis. *Mater pacatur spe æterna visionis.* Tunc illa discessit cum gaudio, dicens: Si pro certo illic vos visura sum, hîc vos videre iam nolo.

IOANNIS. *Pelag. libell. 16. n. 4 Pasch. c. 19 num. 2.* 155. Ioannes minor Thebæus, discipulus abbatis Ammonis, per duodecim annos cuidam seni infirmanti fecit obsequium. Senex tamen cùm vidisset eum laborantem, numquam illi sermonem blandum aut placidum locutus est. Cùm autem transiret de corpore, sedentibus alijs senibus, tenuit manum eius, & dixit ei tertiò: Salueris, Salueris, Salueris. & tradidit illum senibus, dicens: Iste non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi infirmanti, nec tamen bonum sermonem à me audiens fecit obsequium. *Ioannis obsequium & patientia erga infirmum.*

AGATHONIS. 156. Abbas Agathon veniens in ciuitatem, vt opera sua venderet, inuenit quemdam peregrinum iacentem in angiportu infirmum, nullum habentem qui ei curam adhiberet: & permansit ibi senex, & conduxit sibi cellam, & ex opere manuum suarum præstabat infirmo illi obsequium. *Agathon infirmo peregrino ministrat.* Permansit autem ibi mensibus quatuor, donec sanaret infirmum: & sic ad cellam suam regressus est.

SENIS. *Pelag. libell. 7. n. 16 titulo Syncletica. Pasch. c. 20 num. 1.* 157. Quidam magnus senex infirmanti discipulo suo dixit: Non contristeris, fili, ex infirmitate vel plagâ corporis tui; summa enim religio est, vt in infirmitate quis agat Deo gratias. Si ferrum es, per ignem æruginem amittis: si verò aurum es, per ignem probatus à magnis ad maiora procedis. Ne anxieris ergo, frater: si enim Deus te vult in corpore torqueri, tu qui sis, qui molestè feras? Sustine ergo, & roga Deum, vt quæ ipse vult, illa concedat. *Virtus in infirmitate perficitur.*

SENIS. *Pelag. libell. 7. n. 41 Pasch. c. 20 num. 2.* 158. Senex quidam cùm frequenter infirmaretur corpore & langueret, contigit vt vno anno nulla eum valetudo contingeret. Et proptereà flebat, & grauiter ferebat, dicens: Reliquisti me, Domine, & noluisti me præsenti hoc anno visitare. *Flet senex, quia non ægrotat.*

INCERTI. *Pelag. libell. 11. n. 52.* 159. Quidam senex cùm moreretur in Scithi, & circumdassent lectulum eius fratres, & composuissent eum atque plangerent, aperuit ille oculos suos & risit; & iterùm aperuit & risit; & tertiò similiter fecit. Cùm autem rogarent eum fratres, dicentes: Dic nobis, abba, cur nobis flentibus ipse rides? Respondit & dicit eis: Primò risi, quia omnes timetis mortem; & secundò risi, quia non estis parati; tertiò verò risi, quia de labore vado ad requiem. *Cur senex moribundus tertiò riserit.*

PAMMON. *Pelag. libell. 1. n. 16* 160. Abbas Pammon in ipsâ horâ quando transibat iam de corpore, dixit alijs viris sanctis astantibus sibi: Ex quo veni, fratres, in hunc locum eremi, & ædificaui mihi hanc cellulam, extra opera manuum mearum nescio me panem gustasse, nec pœnitui super sermonem quem locutus sum, vsque in hanc horam: & tamen sic vado ad Deum, tamquam si nec inciperem colere eum. *Religioso vsque ad mortem semper incipiendum.*

AGATHONIS. *Pelag. libell. 11. n. 2.* 161. Abbas Agathon dum moreretur, per tres dies oculos apertos tenuit non eos mouens. Fratres autem tangentes eum dixerunt: Vbi nunc es, abba? At ille dixit: In conspectu iudicij Dei sto. Et dicunt ei fratres: Numquid & tu times? Quibus ille respondit: Intereà quantum fuit ad virtutem meam semper consideraui, vt mandata Dei mei facerem: sed homo sum, & vnde scio, si opera mea placent Deo. Cui fratres dixerunt: Non confidis quòd opera tua se- *Aliud Dei, aliud hominum iudicium.*

cundùm Deum sunt? At ille respondit: Non confido in conspectu Dei: quia aliud est iudicium Dei, & aliud hominum.

SISOIS. Ioan. libell. 3. n. 6.

Sisoio in horâ mortis varij Sancti apparent.

162. Abbati Sisoio cùm tempus dormitionis eius aduenisset, & multi illic alij senes conuenissent, viderunt faciem eius fulgore quodam radiantem; & dicit eis ipse: Ecce Abbas Antonius venit ad nos. Et post parum ait: Ecce & chorus prophetarum. Et iterùm facies eius clariore luce aspersa est; & dicit eis: Beati quoque apostoli adsunt: visusque est cum quibusdam loqui. Cùm ergo postularent ab eo patres, vt cum quibus loqueretur ediceret, ait ille: Angeli, inquit, venerunt auferre animam meam; & supplico illis, vt paululùm me pro pœnitentiâ agendâ sustineant. Dicunt autem ei patres: Tu iam non indiges pœnitentiam agere, abba. At ille respondit: In veritate dico vobis, quia nec initium pœnitentiæ me reminiscor arripuisse. Ex quo dicto senserunt, quòd in timore Domini esset perfectus. Tunc in splendore solis eius effigie relucente, dicit ad eos ipse: Videte, videte quia Dominus venit. In hoc sermone reddito spiritu, omnis locus ille grato odore repletus est.

Humilitas Sisoij.

Christus ei apparet.

ARSENII. Pelag. libell. 10. n. 9.

Oblatio pro defunctò.

163. Beatus Arsenius, dum tempus eius vt migraret de hoc sæculo approximaret, dicebat ad discipulos suos: Nemo super me faciat charitatem, nisi in solâ oblatione: ego si feci charitatem, inuenio illam.

Pelag. libell. 15. n. 9

Turbatis autem discipulis eius, quasi iam tempore propinquante dicit eis: Necdum hora mea venit; cùm autem venerit, non tacebo. Sed tamen stabitis mecum in diuino iudicio ante tribunal Christi, si alicui de meo corpusculo aliquid velut reliquias dederitis. Illis autem respondentibus: Et quid faciemus, pater, quia nescimus hominem sepelire? Respondit ille: Numquid nescitis funem in pedibus meis mittere, & ita me ad montem trahere?

Pelag. libell. 3. n. 1.

Lacryma continua Arsenij.

Pili autem oculorum eius ex iugi fletu ceciderunt. Nam per omne tempus vitæ suæ sedens & operans, pannum in sinu suo habebat propter lacrymas defluentes ex oculis eius.

Pelag. libell. 15. n. 9

Timuit semper mortem.

Qui hic plangit, perpetuò gaudebit.

Dum ergo moreretur, cœpit flere, & cùm fratres illius requirerent dicentes: Quid fles, pater? numquid & tu times? Ille respondit: In veritate timeo; & iste timor qui nunc mecum est, semper in me fuit ex quo factus sum monachus. Cùm autem vidisset abbas Pœmen, quia transijt, dixit: Beatus es abba Arseni, quia te tantum in hoc sæculo planxisti. Qui enim hîc se nòn planxerit, illic in perpetuum lugebit. Aut ergo hîc ex voluntate, aut illic pro tormentis impossibile est hominem non plangere.

PAMMONIS. Pelag. libell. 17. n. 11.

Salutaris monachorũ benedictio.

Pelag. libell. 3. n. 14

Simile in Vitâ Pelagiæ cap. 3.

Pammonis lacrymæ ob duas caussas.

164. Beatus Athanasius episcopus rogauit aliquando abbatem Pammon vt iret in Alexandriam. Qui descendens cum fratribus, cùm vidisset quosdam sæculares, dicit eis: Surgite, & salutate monachos, vt benedicamini ab eis. Frequenter enim isti loquuntur cum Deo: & os eorum sanctum est. Et cùm vidisset ibi mulierem theatricam, lacrymatus est. Et requisierunt astantes cur plangeret. At senex respondens, dixit: Duæ me res ad has lacrymas compulerunt; vna quidem perditio illius mulieris; secunda verò, quia ego tantam curam non habeo placendi Deo, quantam habet hæc mulier, vt hominibus turpibus placeat.

INCERTI. Pelag. libell. 11. num. 44.

Hodie pænitendum.

165. De quodam sene dicebatur, quia quoties illi sua cogitatio dicebat: Dimitte hodie, & cras pœnitebis: ipse iterùm respondebat: Non ita; sed hodie debemus pœnitere, & cras voluntas Dei fiat in nobis.

INCERTI. Ioan. libell. 1. n. 16 Pasch. c. 23 n. 1.

Diuersa hominum diuersorum merita vel demerita per Communionem declarata.

166. Quidam ex patribus de aliquo referebat episcopo, eò quòd audisset duos de plebe sua viros nimiæ impuritatis adulteros. Rogauit ergo Deum, vt si ita esset agnosceret. Cùm ergo post oblationem consecratam vnusquisque ad Communionem accederet, per singulorum facies intelligebat & animas. Peccatorum enim facies nigras inspiciebat vt carbonem, & oculos eorum sanguine repletos; alios verò vidit clarâ facie, & vestibus albis indutos. Cùm autem corpus Domini suscepissent, in quorumdam vultibus lumen, in quorumdam flammâ videbatur. Vt autem agnosceret de illis, quorum crimina audierat, Communionem illis porrexit: & vidit vnum ex eis clarâ facie & honorabili, albisque vestibus circumdatum; alterum verò nigrum, & horribili vultu. Et postquam diuini gratiam mysterij perceperunt, illum vis quædam luminis illustrabat, istum verò alium quasi flamma succendebat. Orauit autem episcopus de singulis quæ ei ostensa fuerant se doceri. Astitit autem angelus Domini, dicens ei: Omnia quæ de ipsis audisti vera sunt: sed ille vnus in suis sordibus permanet, & in voluntate peccandi, ideò illum nigrâ facie, & flammâ succendi vidisti. Ille verò alter similis ei quidem erat, sicut audieras; sed ideò illum clarâ facie illustrari vidisti, quia recordatus de his, quæ primùm fecit, abrenuntians illis malis operibus, cum lacrymis & gemitibus Dei misericordiam postulabat, promittens vt si præterita ei fuissent remissa peccata, vlteriùs ad eadem non rediret. Et ideò prioribus deletis criminibus, ad hanc gratiam quam vidisti, peruenit. Cùm autem episcopus de gratiâ Dei mira-

miraretur, eò quòd non solùm de tormentis tam turpis vitæ hominem eruerit, sed etiam tanto honore decorauerit. Respondens Angelus, dixit: Benè miraris; homo enim es, nam Dominus noster ac vester naturaliter bonus & humanus est cessantibus à peccatis; petentibus enim se per confessionem non solùm peccata dimittit, sed etiam honore efficit dignos. Sic enim dilexit Deus hominem, vt vnigenitum suum Filium pro peccatoribus destinaret, & pro ipsis daret ad mortem. Qui ergo dum inimici eius essent, mori pro ipsis elegit, quantò magis quando illi proprij fiant. Hoc ergo scias quia nullum peccatum humanum bonitatem Dei vincit, si tantummodò per pœnitentiam vnusquisque ea quæ prius fecerat, aboleuerit mala: misericors enim Deus, & infirmitatem humani generis scit, & passionum fortitudinem, & diaboli virtutem vel malitiam. Et cadentibus quidem hominibus in peccatum, tamquam filijs indulgens sustinet emendationem: pœnitentibus verò tamquam languidis compatitur, & mox soluens peccata eorum, iustorum etiam illis præmia tribuit. Audiens verò hæc episcopus, miratus est nimis, & glorificabat Deum.

Dei bonitas erga pœnitentes. *Ioan. 3.* *Rom. 5.*

167. Abbas Paulus Simplex habebat hanc gratiam, vt ingredientes in ecclesiam aspiceret, & ex ipsa facie eorum vniuscuiusque cogitationes, seu malæ essent seu bonæ, sentiret. Cùm ergo venissent ad ecclesiam, & ingrederentur, senex vidit eos clarâ facie & læto animo ingredi, & Angelos eorum pariter cum gaudio cum ipsis. Vnum autem nigrum vidit, & nebulosum habentem corpus, & dæmones hinc atque inde trahentes eum ad se misso fræno in naribus, & Angelum sanctum eius à longè sequẽtem tristem. Beatus ergo Paulus cœpit flere amarissimè, & pectus suum tundere, sedens ante ecclesiam, propter eum quem talem viderat. Omnes autem alij senes videntes eum sic flentem, cœperunt rogare vt si quid in ipsis vidisset manifestaret, aut cum eis ingrederetur in congregationem: ille autem nolebat ingredi, sed semper flebat propter eum quem sic viderat. Post paululùm autem cùm absolutâ congregatione discederent, iterùm omnium vultus circumspiciebat, si tales egrederentur, quales ingressi sunt; & vidit illum quem antè viderat nigrum & nebulosum, egressum de ecclesiâ clarâ facie, & candido corpore, & dæmones à longè sequẽtes eum, sanctum autem Angelum eius prope eum, hilarem & gaudentem super eum nimis. Tunc Paulus exurgens cum gaudio vociferabatur, benedicens Deum, ac dicẽs: Quanta misericordia & benignitas Dei est: quanta miseratio eius est. Et ascendens in altiorem locum, magnâ voce dicebat: Venite, & videte opera Dei: venite & videte quemadmodum vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Venite adoremus eum, dicentes: Quia tu solus potes peccata tollere. Cùm autem omnes conuenissent, exposuit eis Paulus, quem vidisset antequam ingrederentur in ecclesiam, & quem posteà: & petebat illum fratrem quem sic viderat, vt ei manifestaret cogitationes suas & actus, vel quemadmodum tantam commutationem illi Deus donasset. Ille autem ante omnes cœpit referre, dicens: Ego sum homo peccator, & in multis temporibus istis semper fornicationem gessi. Ingressus autem nunc in ecclesiam Dei, audiui verba Isaiæ prophetæ, magis autem Dei per ipsum loquentis: Lauamini, mundi estote, & tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum. Discite benefacere: quærite iudicium. Et si fuerint peccata vestra tamquam coccinum, velut nix dealbabuntur: & si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ego autem miser & fornicator, compunctus in hoc sermone Prophetæ, & ingressus intra pectus meum, dixi ad Deum: Domine, tu es qui venisti saluare peccatores. Hæc ergo quæ nunc per Prophetam promisisti, opere comple in me indigno peccatore. Ecce enim amodò profiteor tibi, & ex toto corde confiteor, quia hoc vlteriùs non faciam malum, sed renuntio omni iniustitiæ, & amodò seruio tibi in conscientiâ mundâ. Ab hodie ergo, Domine, & ab hac horâ suscipe me pœnitentem, & adorantem te, & renuntiantem omnibus peccatis. Iuraui & statui apud me, seruare omnes tuas iustificationes. Sub hac ergo sponsione egressus sum de ecclesiâ, statuens apud me, nihil de prioribus peccatis vlteriùs facere. Tunc omnes senes exclamauerunt dicentes ad Dominum voce magnâ: Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientiâ fecisti.

PAVLI SIMPLICIS. Pelag. libell. 18. num. 20. Pasch. c. 23 num. 2. *Paulus Simplex communicantium diuersos status videt.* *Gaudent Angeli de Communione, dæmones tristantur.* *Peccator pœnitens, post Communionem clarâ facie apparet.* *Psal. 45.* *1. Tim. 2.* *Isaiæ 1.* *Psal. 118.* *Psal. 103.*

168. Abbas [19] Ioseph dum cum aliis senibus ad abbatem Pœmenem venisset, quidam ex parentibus prædicti senis attulit infantem, cuius facies per corruptionem fuerat deprauata, & sedens pater eius cum eo foris ad monasterium, plorabat. Cùm autem vnus senex ad vocem flentis egressus esset, & interrogaret eum cur ploraret; ille respondit: Parens sum istius abbatis Pœmenis, & ob hoc veni vt hunc infantem, quem tentatio cõterit, vidisset, & timuimus illum vsque nunc huc afferre, quia non vult videre nos; & nunc si cognouerit quia hic sum, adhuc

POEMENIS. Ioan. libell. 2. n. 10

adhuc expellet me hinc. Ego autem videns vos patres, qui modò ad eum venistis, præsumpsi venire huc. Quomodo vis ergo, abba, miserere mei, & tolle infantem hunc, & defer intus tecum, vt oret pro eo. Quem cùm senex attulisset in cellam, sapienti visus est consilio: non illum primò obtulit abbati Pœmeni, sed à minoribus fratribus incipiēs, dicebat: Signate hunc infantem, fratres, facientes orationem, similiter rogās per singulos senes. Post omnes detulit illum ad abbatem Pœmenem: at ille nolebat eum contingere. Cùm autem rogaret eum, vt sicut omnes, ita & ille oraret. Exurgens senex ingemuit, & orauit, dicens: Deus, sana facturam tuam, ne dominetur illi inimicus. Et signauit infantem, moxque patri sanus est redditus.

Pœmen oratione & signo crucis infantem sanat.

INCERTI. 169. Requisitus quidam ex patribus, si perfectum bonum esset egestas; respondit: Magna res est penuria: nam qui eam voluntariè sustinet, tribulationem quidem carnis habet, animæ verò suæ inuenit requiem.

Egestas voluntaria, animæ requies.

INCERTI. Pasch. c. 5. num. 2. 170. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Si paucos nummos mihi debet frater, iubes vt repetam eos? Cui senex ait: Semel tantummodò dic illi cum humilitate. At ille dixit: Quòd si semel dixero, & nihil mihi dederit, quid faciam? Tunc senex ait: Vlteriùs nihil ei dicas. At ille dixit: Et quid faciam, quia non possum vincere cogitationem meam, nisi fuero illi importunus. Dixit ei senex: Dimitte cogitationem tuam crepare; tantummodò ne contristes fratrem tuum, quia monachus es.

Monachus debitum non debet sollicitè exigere.

INCERTI. Pasch. c. 15 n. 10. 171. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Quomodo potest anima humilitatem adipisci? Ille respondit: Si sua tantummodò, & non alterius mala consideret.

Perfecta humilitas quomodo acquiratur.

Pelag. libell. 15. n. 77. Pasch. c. 15 num. 5. Dicebat autem: Quia perfectio hominis humilitas est. Quantumcumq; enim deposuerit se homo in humilitatem, tantum prouehitur in honorem. Sicut enim superbia si ascenderit in cælum, vsque ad inferos deducitur; ita humilitas, si descenderit vsque ad infernum, tunc exaltatur vsque ad cælos.

Hominis perfectio humilitas.

MACARII. Ioan. libell. 3. n. 16 paulò aliter narrat. 172. Abbas [20] Macarius dum ambularet in deserto, caput cuiusdam hominis aridum inuenit in terrà. Quod postquam baculo suo conuertit, vocem visum est emittere. Quod senex quisnam esset interrogat: at ille respondit: Ego quidem princeps eram sacerdotum idolorum, qui in hoc loco habitabant. Tu autem es abbas Macarius spiritu diuino repletus. Quacumque enim horâ misertus eorum fueris qui in pœnâ sunt, & pro eis oraueris, consolationem aliquam sentiunt. Cui senex: Et quæ est consolatio vestra, vel pœna? responde. At ille altiùs ingemiscens: Quantum, inquit, cælum distat à terrâ, tantum ignis est altus, in quo medio sumus à pedibus vsque ad caput vndique perfusi, nec cuiquam licet faciem alterius intueri, sed facies nostro dorso coniunctæ sunt. Cùm ergo oras pro nobis, ex parte videmus alterutrum, & hoc nobis pro consolatione constat. His auditis, lacrymas fudit, dicens: Væ diei illi in quo homo mandata Dei transgressus est! Et iterùm ab eo, si esset altera pœna maior, inquirit. Cui ille respondit: Sunt nobis alij multò inferiùs. Cumque qui essent illi interrogaret, dixit: Nos quidem, qui Deum non cognouimus, misericordiam quantulamcumque patimur: illi verò qui cognitum negauerunt, grauioribus & ineffabilibus pœnis subtus nos cruciantur. Quibus auditis, beatus Macarius capite altiùs terræ defosso discessit.

Macarius à cranio idololatra responsum de pœnis inferni elicit.

Sanè hæc intelligenda. Vide Notat.

Grauior Christianorū quàm paganorum pœna.

173. Quidam frater requisiuit à sene, dicens: Abba, cur à dæmonibus tam grauiter impugnamur? Respondens senex, dixit: Quia arma nostra proijcimus à nobis, id est, patientiam, humilitatem, mansuetudinem, atque obedientiam. INCERTI. Pelag. li. bell. 15. num. 38. Pasch. c. 15 num. 1.

174. Quidam frater requisiuit abbatem Sisoium, dicens: Putas, abba, sic modò persequitur nos diabolus, sicut antiquos patres? Respondit: Magis nūc persequitur nos: quia appropinquante pœnarum tempore magis angustiatur, nec tamē infirmos quosque dignatur appetere, quos vbi voluerit citò subuertit, sed fortes viros ac magnos aggreditur. SISOIS. Pelag. li. bell. 15. n. 45. Pasch. c. 15 num. 2.

Dæmonis maior nunc persecutio.

175. Quidam fratres requisierunt abbatem Siluanum, per quam viam adeptus esset tantam prudentiam. Respondit eis ille, dicens: Numquam dimisi morari cogitationes malas in corde meo, quæ Deum prouocarent ad iram. SILVANI. Pelag. li. bell. 11. n. 29.

Prudentia acquiritur malas cogitationes repellendo.

176. Beatus Antonius dicebat: Si potest fieri, quantos passus ambulet monachus, vel quot calices aquæ bibit in cellâ suâ, debet senioribus declarare, vt non deuiet in ipsis. ANTONII

Omnia senioribus detegenda.

177. Abbas Pœmen dixit: In nullo sic gaudet inimicus, quomodo in illo qui non vult cogitationes suas manifestare. POEMENIS

Cogitationes manifestanda.

178. Quidam frater dixit ad senem: Ecce, abba, frequenter interrogo seniores patres vt dicant mihi commonitionem pro salute animæ meæ, & quidquid dixerūt mihi, nihil retineo. Erant autem seni duo vasa vacua, & dixit ei senex: Vade, & affer vnum ex illis vasis, & mitte aquam, & laua illud, & effunde, & pone nitidum in locum suum. Fecit ergo ita frater semel & bis, & dixit ei senex: Vtraque vasa simul affer. Et cùm attulisset, dicit ei: Quale est ex vtrisque mundius? Respondit frater: Vbi aquam misi, & laui. Tunc senex dixit ei: Sic est & anima, fili, quæ frequenter audit verba Dei, quamuis nihil INCERTI. Pelag. li. bell. 10. n. 92.

Fructus verbi Dei sæpiùs auditi.

nihil retineat ex his quæ interrogat, tamen plus mundatur quàm illa quæ non requirit.

INCERTI. Pasch.c.26 num.3. *Bona opera fugant diabolum.*

179. Quidam senex dixit: Quando opera bona exercet monachus, veniens diabolus locum non inuenit in eo, & statim discedit: si autem malum opus exercet, veniens frequenter Spiritus Dei, & videns malum opus, non ad eum accedit, sed recedit. Si autem ex toto corde iterùm requisitus fuerit, citò reuertetur.

SENIS. Pasch.c.28 n.1. *Etiam electis laborandum.*

180. Quidam senex dixit: Vsque tunc debet laborare monachus, vsquequò possideat Christum. qui autem semel illum adeptus fuerit, iam non laborat. Permittit tamen Dominus laborare electos suos, vt rememorentur tribulationum labores, vnde semetipsos custodiant, timentes ne tantos labores amittant. Nam & filios Israël ideò Deus per desertum quadraginta annos circumduxit: vt rememoratis tribulationibus, non redirent retrorsum.

INCERTI. Pelag.libell.17. num.19. Pasch.c.28 num.4. *Vbi maior charitas, maior gratia.*

181. Quidam frater interrogauit senem, dicens: Dic mihi, pater, quare nunc laborantes in conuersationibus monachi non accipiunt gratiam, sicut antiqui patres? Cui senex dixit: Tunc tanta charitas erat, vt vnusquisque proximum suum sursum traheret: nunc verò postquam charitas refrixit, & totus mundus in maligno positus est, singuli proximos suos ad inferiora deducunt; & ideò sic gratiam non sortimur.

INCERTI. *Gratia in sanctis quandoque occulta.* *Ad verbū senis moritur discipulus, & resurgit.*

182. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Putas, abba, cognoscunt sancti viri quando venit in eos gratia? Respondit senex, dicens: Non semper cognoscunt. Nam cuiusdam magni senis discipulus cùm peccasset in aliqua re, iratus senex dixit ei cum clamore: Vade, & morere. & statim ille cecidit & defunctus est. Cumque senex vidisset eum mortuum, timor ingens irruit super eum, & cum magnâ humilitate orauit rogans Deum, & dicens: Domine Iesu Christe, resuscita illum, & iam vlterius sine consideratione talem non loquar sermonem: & cùm hæc dixisset, statim surrexit discipulus eius.

POEMENIS. Pelag.libell.10. num.50. *Facta verbis respondere debent.*

183. Abbas Pœmen dixit: Homo qui alios docet, & non facit ea quæ docet, similis est fonti alto, qui omnium res lauat, & omnes satiat potu, seipsum autem lauare non potest; sed habet & immunditias & sordes limorum.

Idem dixit: Doce animam tuam seruare, quæ lingua tua alios docet.

EIVSDEM. Pelag.libell.10. num.39.

184. Quidam anachoreta cùm venisset ad abbatem Pœmenem, suscepit eum senex cum lætitiâ. Et cùm se alterutrum amplexi fuissent, cœpit anachoreta de Scripturis sanctis, & de rebus cælestibus conferre. Tunc senex vertit faciem suam ad alium fratrem; & nullum dedit anachoretæ responsum. Ille verò videns quòd non loqueretur cùm eo, egressus est tristis, & dicit discipulo illius: Sine caussâ tantum itineris & laboris assumpsi, vt venirem ad eum qui mihi loqui dedignatur. Ingressus autem discipulus ad abbatem Pœmenem dixit: Propter te huc venit abbas iste, homo tam magnus, tantam gloriam in locis suis habens, & tu non vis loqui cum ipso? Respondens senex dixit: Iste homo de superioribus est, & cælestia loquitur; ego autem de inferioribus sum, & terrena vix loqui possum: si mihi locutus fuisset aliquid de passionibus monachi, forsitan & ego respondissem illi: si autem de cælestibus loquitur, ego me nescire confiteor. Egressus ergo discipulus, dicit ad anachoretam: Senex iste noster non vult de altioribus quæstionibus loqui: sed si quis ei de passionibus locutus fuerit, respondet illi. At ille compunctus in hoc sermone, ingressus ad senem dixit: Quid faciam, abba, quia dominantur mihi passiones cordis mei? Tunc senex respexit eum gaudens, & dixit ei: Modò benè, pater, venisti. Aperio ergo os meum, & imple illud bonis tuis. Et hoc sermone adiutus est anachoreta, & dixit: In veritate, bona est hæc via quam tenes, & vera. & agens seni gratias, reuersus est in propriam regionem.

Infirmior altiora ne scrutetur.

SENIS. Pasch.c.31 n.1. *Contentiones vitandæ, iuxta Apostolum.* 2.Tim.2.

185. Quidam senex dixit: Si quis aut de Scripturis aut de quacumq; caussâ locutus fuerit, ne contendas cum eo; sed si quidem benè dicit, consenti ei; si verò malè, dic ei: Tu scias quomodo loquaris. Hoc obseruans, & humilitatem possidebis, & odium euitabis: nam si perstas contendens, & vis defendere sermonem tuum, nascetur scandalum. De quacumque ergo caussa si non obseruaueris contentiones, nullo modo requiem possidebis.

INCERTI. Pasch.c.32 num.3. *In silentio requies.*

186. Quidam frater interrogauit senem, dicens: Vsquequò est obseruandum silentium, pater? Respondit senex: Vsquequò interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.

INCERTI. Pasch.c.32 n.7. titulo Amponis. *Monachus apis.*

187. Quidam senex dicebat: Sicut apis quocumque vadit, mel operatur; ita & monachus quocumque pergit, si propter opus Dei perrexit, dulcedinem bonorum actuum semper potest perficere.

MVTHVIS. Pelag.libell.15. num.17. Pasch.c.33 num.3.

188. Abbas Muthues venit aliquandò de loco qui vocatur Ragitham, in partibus Gebalonis: erat autem cum eo etiam discipulus eius. Videns autem eum episcopus loci illius, tenens eum, inuitum presbyterum fecit. Et dum pariter commorarentur,

dicit

dicit ei episcopus: Indulge mihi, abba: scio enim quia hanc caussam nolebas; sed ego à te benedici desiderans hoc præsumpsi. Cui senex pro humilitate ait: Et mea cogitatio parum volebat: sed in hoc laboro, quia diuidi habeo à fratre qui mecum est, & solus non sufficio orationes meas implere. Dicit ei episcopus: Si scis eum esse dignum, ordino ego & illum. Respondit abbas Muthues: Si quidem dignus sit, nescio: vnum autem scio, quia melior me est. Ordinauit autem & illum: vtrique tamen ipsi ita permanserunt vsque ad finem suum, vt ad altare, quantum ad oblationem sacrandam, numquam accederent. Vnde dicebat senex: Confido in Deum meum, quia non habeo grande iudicium propter hanc ordinationem: quia oblationem non mihi præsumpsi offerre. Nam ordinatio hæc illorum est, qui sine culpâ sunt iusti & immaculati: ego autem benè me cognosco.

Muthuis humilitas offerre detrectantis.

Iustorum tantùm est oblatio.

MACARII

189. Quidam frater beatum Macarium postulabat, vt ei sermonem diceret, per quem posset saluari. Cui senex ait: Oportet fugere homines, & sedere in cellâ, & pro peccatis iugiter lamentari: & quod super omnes virtutes est, tam linguam coërcere quàm ventrem.

Quæ salutis via.

ARSENII. Pelag.li. bell.2.n.3.

190. Abbas Arsenius dum adhuc sæcularis in palatio moraretur, orauit Dominum, dicens: Domine, ostende mihi viam per quam possim saluari. Et audiuit vocem dicentem sibi: Arseni, fuge homines, & saluaberis. Cùm ergo recessisset in solitudinem, & eumdem sermonem oraret; rursus audiuit sibi vocem dicentem: Arseni, fuge, tace, & quiesce. Hæc sunt principia salutis.

Fuge, tace quiesce, salutis principia.

EIVSDEM Pelag.li. bell.2.n.4.

191. Cùm ad eumdem Arsenium Theophilus Archiepiscopus venisset aliquem ab eo audire sermonem ædificationis; tunc sanctus Arsenius ait cunctis qui aderant: Si dixero vobis aliquid, custodietis? Quod cùm illi gratanter promisissent, addidit ille: Quocumque loco audieritis Arsenium, illuc vlteriùs ne accedatis.

A consortio hominum abhorret Arsenius.

Item cùm eum vellet Archiepiscopus videre, misit primò videre si aperiret ei. At ille remandauit ei, dicens: Si solus veneris, aperio tibi: si autem cùm pluribus, vltrà hîc non sedebit Arsenius. Quod cùm audisset Archiepiscopus, cœptum distulit iter, ne propter se loco illo eremita discederet.

* Hic in editis intercedit alius de Arsenio numerus, videlicet de arundineto.

EIVSDEM Diuersus stilus in editis. Posui ex MSS. Pasch.c.34 num.2.

* 192. Quidam fratres dum ex Thebaidâ linum pergerent comparare, dixerunt ad inuicem: Per hanc occasionem beatum videbimus Arsenium. Cumque ad speluncam eius peruenissent, nuntiauit ei discipulus suus Daniel. Cui ille ait: Vade, fili, & susceptis eis obsequium præbe: me autem permitte cælum aspicere, & dimitte eos redire; nam faciem meam non videbunt.

Fugit fratrum conspectum, vt continuò cælum aspiciat.

EIVSDEM Diuersus stilus in editis. Posui ex MSS.

193. Cùm quidam ad eumdem beatum Arsenium ex fratribus aduenisset volens videre eum, pulsauit ostium. Abbas autem Arsenius sperans suum esse discipulum, aperuit ei. Sed postquam alterum esse conspexerat, mox se in terram proiecit in faciem. Illo autem vt surgeret postulante, respondit Arsenius, dicens: Non hinc exurgam, nisi discesseris. Per multas autem horas rogatus à fratre, non acquieuit surgere, quousque discederet ille.

Pronus in terram cadit, ne homines videat.

Pelag.li. bell.15. n.10.

Quotiescumque autem idem beatus Arsenius in ecclesiam cum alijs patribus conuenisset, post columnam sedebat, ne aut ipse alterius, aut alter illius faciem inspicere posset.

* Hic in editis additur numerus alius de Arsenio.

BESARIONIS. Ioan.li. bell.3.n.1. Pasch.c.34 n.3.

* 194. Abbas Besarion dum ambularet cum discipulo suo per eremum, venerunt ad quamdam speluncam: & ingressi, ibi inuenerunt fratrem sedentem & funiculum operantem, qui neque respexit ad eos, neque salutauit, neque aliquid locutus est eis. Dixit ergo abbas Besarion ad discipulum suum: Eamus hinc, quia hic senex non vult loqui nobiscum. Et profecti sunt ad abbatem Ioannem. Cùm autem reuerterentur, venerunt ad eamdem speluncam; & ait Besarion ad discipulum suum: Ingrediamur iterùm ad hunc fratrem, si fortè vel modò persuadeat illi Deus, vt loquatur nobiscum. Et cùm ingressi fuissent, inuenerunt corpus tantummodò mortuum, & ingemiscens dixit discipulo suo: Veni, frater, componamus illud, quia propter eum huc nos Dominus transmisit. Cum autem sepelirent, inuenerunt quòd mulier esset, & admirati sunt, & dixerunt: Quemadmodum & mulieres colluctantur, & vincunt dæmonia. Et collaudantes atque glorificantes Deum qui est omnium protector, recesserunt de loco illo.

Monachus silentij obseruans.

Mortuus femina deprehenditur.

MACARII Ioan.li. bell.3.n.1. Diuersus hic in editis stilus.

195. Venerunt aliquando duo quidam iuuenes ad beatum Macarium; vnus quidem ad plenum doctus, alter verò adhuc incipiens. Et prouoluti pedibus eius, postulabant vt secum eos habitare permitteret. Quos cùm vidisset quasi corpore deliciosos, existimauit eos eremum ferre non posse. Dixitque ad eos: Hîc, fratres mei, non potestis manere. Et illi dixerunt: Si tecum non possumus habitare, pater, quid ergo faciemus? Quo ille audito, cœpit intra se ita reputare: Si illos hinc eiecero, scandalum patientur. nunc dicam illis: Venite, construite vobis cellulam, si potestis. Cumque illi locum sibi

Macarius duos iuuenes delicatos probat.

sibi tantummodò demonstrari rogarent, duxit eos & ostendit eis petram, quâ incisâ sibi habitaculum præpararent, & lignis allatis de palude contegerent. Arbitrabatur autem Macarius, confestim illos pro iniuncto labore discedere. Illi verò interrogauerunt eum, dicentes: Quid operis exercere iubes nos, pater? Tunc ille sublatis folijs, funiculum illis intexere ostendit, quem pro victu eos distrahere commonuit, & ita ab eis discessit. At illi cum summâ patientiâ, quæcumque eis fuerant imperata, perfecerunt. Videns ergo eos senex in operibus bonis quotidie succrescere, & frequenter in ecclesiam cum silentio in orationibus persistere, desiderabat scire vera opera eorum. Septimanâ ergo integrâ ieiunauit, & rogauit Dominum, vt sibi opera eorum dignaretur ostendere. Et post hæc profectus est ad eos, pulsauitque ostium speluncæ eorum: Quo aperto, & viso homine Dei, adorauerunt vtrique in terrâ. Et postquam factâ ex more oratione consederunt, ille maior innuit minori, & egressus est foràs. Ipse autem sedebat torquens funiculum, nihil loquens omnino. Horâ verò nonâ pulsauit ostium frater iunior, & ingressus est cum cibo, quo reficerentur. Eodem nutu iussus, mensulam paruulam cum tribus paximatijs apposuit, tacensque stetit. Cumque comedissent, dixerunt ad beatum Macarium: Discedis, pater, an non? Et ille illic se quiescere velle respondit. Tunc illi mattulam in vno angulo ad opus ipsius collocarunt, ipsi verò in altero angulo quieuerunt, quasi ad dormiendum se proiecissent. Iterùm ergo Macarius rogauit Dominum, vt ei opera ipsorum declararet. Et ecce velut dissipato tecto, lux clara cellulam illam quasi media dies impleuit, quam tamen illi non senserunt: sed postquam arbitrati sunt senem dormire, surgentes in orationem sese dederunt, extendentes manus ad cælum; quos quidem ille, quid facerent, intuebatur; illi autem illum videre non poterant. Intentiùs autem senex respiciens, vidit tamquam muscas dæmones venientes in illius minoris ore atque oculis residere volentes, sed angelus Domini rhomphæâ igneâ armatus, tam illos circumdabat & defendebat, quàm dæmones repellebat & eiiciebat; ad maiorem verò accedere nullo modo præualebant. Propè verò iam luce, proiecerunt se in eodem stratu suo. Tunc Macarius velut euigilans surrexit, similiter surrexerunt & ipsi, quasi de longo somno excitati. Et accedens senior frater ad senem dixit: Vis, pater, vel duodecim psalmos canamus. Cumque psallerent, de ore iunioris fratris per singulos versus fax ignis egressa ascendebat ad cælum. Item & maior cùm decantaret, quoties ad psallendum labia deducebat, velut funiculus ignis de ore eius similiter tendebatur ad cælum. Postquam verò expleuerunt matutinos, egressus Macarius obsecrabat eos, vt pro se orare dignarentur: illi verò tacentes, ad eius pedes sunt prouoluti, seipsos orationibus illius commendantes. Et cognouit senex, quoniam maior quidem esset in timore Dei perfectus, minorem verò adhuc dæmones impugnarent. Post paucos verò dies maior frater receptus est in pace, tertio die etiam minor est eum adsecutus.

Proficiunt.

Surgunt ad orationem.

Protegũtur ab Angelo.

Psalmos duodecim cantant.

Ignis ex ore eorum egrediunt.

196. Abbas Moyses commonebat fratres, dicens: Quatuor sunt monacho principalia obseruanda; id est, tacendi, seruandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, & angustia paupertatis. Oportet ergo monachum vt semper lugeat, semper suorum sit memor peccatorum, & omni horâ ponat sibi mortem ante oculos suos.

MOYSIS. Pasch. c. 35 n. 1.

Quæ quatuor monacho obseruanda.

197. Sancti patres congregati prophetauerunt de vltimâ generatione, ex quibus vnus præcipuus, nomine * Squirion, dixit: Nos quidem adhuc mandata Dei implemus. Interrogauerunt eum alij patres, dicentes: Quid hi, qui post nos futuri sunt? At ille respondens dixit: Media fortè complebunt mandata Dei, & æternum requirent Deum. Dixeruntque sancti patres: Post hos autem qui veniunt, quid facturi sunt? Respondens dixit: Homines generationis illius mandatorum Dei opera non habebunt, & præcepta Dei obliuiscentur. Superabundabit autem tunc iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Veniet verò super eos tentatio, & qui inuenti fuerint in illâ tentatione probati, & nobis & patribus nostris meliores existent, & feliciores, & probabiliores.

INCERTI.

* *Vulgati* Isquirio, Ioan. libel. 1. n. 14.

Squirionis de vltimâ generatione prophetia.

Matth. 24.

198. Quidam frater abbatem requisiuit Agathonem, dicens: Volo, pater, manere in congregatione cum fratribus: dic mihi quomodo habitem cum eis? Respondit ei senex: Obserua hoc præ omnibus, vt qualis primo die ingredieris apud ipsos, talis etiam reliquos peragas dies cum humilitate.

AGATHONIS. Pelag. libell. 10. n. 1. Pasch. c. 42. n. 1.

Vt primo die conuersionis, semper conuersandum.

199. Quodam tempore [a] Mazices cùm superuenissent in Scithi, & multos ex patribus interfecissent, abbas Pœmen cum alio abbate seniore se, nomine Nub, & cum alijs quinque patribus fugiens inde, venit in locum [a] Therenuthi; & inuenerunt ibi templum quoddam desertum, manserunt in eo septem diebus pariter, donec cognoscerent vbi mansurus esset vnusquisque in

NVB. Pelag. libell. 15. n. 11. Pasch. c. 42. n. 4.

Ægypto. Dicit ergo eis abbas Nub: Septimanâ hac vnusquisque requiescat apud se, & cum altero non loquatur. Cùm autem sic facerent, erat in templo illo statua cuiusdam idoli. Abbas ergo Nub exurgens manè lapidabat eam, & vespere veniens dicebat ad eam: Peccaui, indulge mihi. & per totam septimanam similiter fecit. Die autem Sabbati cùm pariter conuenissent, dicit ei abbas Pœmen: Quid voluisti hac totâ facere septimanâ, vt homo fidelis idolo diceres, Indulge mihi. Dicit ei senex: Hæc ego propter vos feci: dicite mihi, numquid hoc idolum quando lapidabam, locutum est, aut iratum? Et iterùm quando indulgentiam petebam, numquid exaltauit se, aut gloriatum est? Cui abbas Pœmen respondit: Non vtique. Tunc senex dixit: Fratres, ecce, sumus septem; si vultis ergo vt pariter maneamus; sit idolum istud nobis exemplum, nequando iniuriatus aliquis irascatur; nec quando ab eo venia petitur, glorietur vel extollatur. Sin autem ita non vultis, vnusquisque vbi vult pergat. At illi proijcientes se in terram, responderunt se ita facturos, & sic permanserunt per multos annos cum multa humilitate & patientiâ. Quatuor horis dormiebant in nocte, & quatuor psallebant, & quatuor operabantur; in die verò vsque ad horam sextam operabantur: deinde vsque ad nonam legebant; & post hoc victum sibi præparabant, colligentes quasdam herbas terræ.

Verus monachus instar statua, nec laude nec iniuriâ mutatur.

Canon vita septem fratrum.

VII. MONACHORVM.

200. Fuerunt & alij septem similiter probatissimi viri, qui in eâ eremo, quæ Sarracenis contigua est, habitabant; cellulis quidem haud longè à se diuisis, sed ipsi vinculo charitatis connexi: quorum vnus vocabatur Petrus, alius Stephanus, tertius Ioannes, quartus Georgius, quintus Theodorus, sextus Felix, septimus Laurus. Hîc ergo in sterili ac vastissimâ solitudine, & penè hominibus inhabitabili commorantes, semel sibi in septimanâ videndos se præbebant. Sabbatorum namque die, horâ diei nonâ conueniebant singuli de locis suis ad locum sibi condictum, deferentes vnusquisque, si quid inuenire poterat. Et vnus quidem deferebat nuces, alius [23] lactorones, alius dactylos, alius ficus, alius herbas visibiles, id est, lapsanum, pastinacas, caricas, & petroselinum. Iste quippe erat præcipuus eorum victus: panem namque & oleum vel potum extra vsum habebant. Tantummodò enim supradictis herbis & pomis sustentabantur. Vestimentum eis palma solummodò præbebat: aqua in illis locis minime inueniebatur. Neque enim aliter potabantur; quàm exeuntes manè, ac discurrentes per diuersas herbas colligentes rorem, qui affluentissimè ibi cadit, & inde tantummodò bibebant. Cumque (vt diximus) in vnum conuenirent locum, agentes Deo gratias sumebant cibum. Post refectionem verò vsque ad vesperam sedentes meditabantur de Scripturis sanctis. Non enim discurrebat inter eos sæcularis fabula, non cura sæculi, non actio terrenarum rerum, sed solummodò collatio spiritalis, regni cælestis desiderabilis commemoratio, futura beatitudo, gloria iustorum, pœna peccatorum, sanctorumque quies. Hæc commemorantes suspirabant ex imo pectore, & flebant vberrimè. Cumque per totam noctem peruigiles manerent celebrantes Domino laudes: die Dominico horâ nonâ, loquendi secum & videndi se terminum capiebant. Redibat enim vnusquisque ad cellam suam, in quâ solus soli Deo diebus ac noctibus vacabat. In his igitur studijs eos positos Sarraceni latè per eremum discurrentes repererunt, & irruentes supra eos de eremo eiecerunt, atque ligantes eos pedibus suspenderunt, multisque iniurijs afflictos ad extremum focum subtus eos de herbis amarissimis congesserunt, vbi incredibiliter cruciati, lumen oculorum ex amaritudine fumi amiserunt. Et postquam multis tormentis eos afflixerunt, semiuiuos eos dimiserunt: ex quibus vnum nouimus in quodam loco plurimo posteà superuixisse tempore, ceteri verò vbinam fuerint deuoluti penitùs ignoramus.

Septem eremita die Sabbati tantùm conueniunt.

Herbis solis victitant.

Rore potantur.

Spiritaliter colloquuntur.

A Sarracenis cruciantur.

POEMENIS. Pelag. libell. 17. n. 10. Pasch. c. 37. n. 3. Append. Mart. n. 14. Ioan. 15.

201. Interrogauit quidam frater abbatem Pœmenem, dicens: Quid est quod Dominus in Euangelio dicit: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt quis animam suam pro amico suo ponat: quomodo hoc fiet? Respondit senex: Si quis audit verbum malum à proximo suo, & cùm possit ipse similia illi respondere, tolerat tamen in corde suo, & vim laboremque sibi facit, ne fortè respondeat illi malum & contristet illum, iste animam suam ponit pro amico suo.

Quomodo quis animâ spiritaliter pro amico ponat.

INCERTI. Ioannes libell. 4. n. 4 tit. *Moysis.* Append. Mart. n. 35 In editis alio stilo.

202. Dixit quidam senex: Si non recordatur homo suos actus in oratione, in vanum laborat cùm orat. Quando enim voluntatem peccandi quis dimiserit, & ambulat permanens in timore Dei, istum mox cum gaudio suscipit Deus.

INCERTI. Append. Mart. n. 36

203. Sanctum senem requisiuit frater, dicens: Quid faciet homo in omni tentatione veniente super se, & in omni cogitatione immissâ ab inimico? Respondit: Plangere debet in conspectu bonitatis Dei, vt succurrens auxilietur ei. Scriptum est enim:

Orandũ in tentatione.

Psal. 117. enim: Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos.

INCERTI. Pasch. c. 39 n. 3. titulo Pimenij. *Spiritu feruentes fugiunt diaboli.* 204. Quidam senex dixit: Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident in eâ, & faciunt vermes: ita & monachum succensum igne diuini amoris fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt & insequuntur.

SILVANI. Pelag. libell. 3. num. 15. atque eius stilo hîc in editis. Posui ex MSS. Append. Mart n. 48 *Siluanus vidit multos monachos damnari, & laicos saluari.* 205. Abbas Siluanus dum sederet in spelæo, factus in exstasi pendebat in faciem suam. Et post aliquot horas surgens plangebat vehementer. Astans autem discipulus eius, dixit ei: Quid habes, pater? At ille tacens plangebat. Cùm autem compelleret eum discipulus, vt diceret ei quid plangeret; dixit ei: Ego ad iudicium raptus fui, fili, & vidi multos de habitu nostro monachili euntes ad supplicium, & multos laicorum euntes in regnum Dei. & hæc dicens senex, lugebat grauiter.

INCERTI. Pasch. c. 43 n. 2. titulo Siluani. Append. Mart. n. 108. *Documenta salubria.* 206. Quidam senex dixit fratri: Omni die vicinam tibi mortem esse cogita; quasi iam clausus sis in monumento, nihil de hoc sæculo cures. Timor Dei iugiter permaneat in te, in omni horâ. Crede te hominibus omnibus inferiorem esse. Non detrahas alicui, quia Deus cognoscit omnia; sed esto pacificus cum omnibus, & dabit tibi Dominus requiem semper.

MACARII Pelag. libell. 12. n. 10. *Quomodo sit orandum.* 207. Cùm quidam fratres quemadmodum orarent, beatum Macarium requisissent, respondit illis, dicens: Non sunt necessaria nobis superflua verba, sed extendere tantùm manus ac dicere debemus: Deus quomodo vis, & sicut tibi placet, ita fiat. Si autem tentatio irruerit, aut impugnatio, dicendum est: Deus auxiliare nobis. ipse enim scit quæ nobis expediant.

IOANNIS. 208. Abbas Ioannes dicebat: Similis debet esse monachus homini sedenti sub arbore, qui respiciens feras diuersas & serpentes venientes ad se, cùm non potuerit eis resistere, ascendit in arborem vt euadat. *Oratione tentationes superanda.* Ita & monachus sedeat in cellâ suâ, & respiciens prauas cogitationes venientes super se, & cùm non potuerit eis resistere, confugiat per orationem ad Dominum, & saluabitur.

EIVSDEM. 209. Idem dixit: Similis debet esse monachus homini habenti à sinistrâ ignem, & à dextrâ aquam; quoties enim succensus fuerit ignis, tollit de aquâ & exstinguit illum. *Turpis cogitatio orationis aquâ extinguenda.* Sic oportet & monachum facere omni horâ, vt quandocumque cogitatio turpis succensa fuerit ab inimico, tunc aquam orationis effundat, & exstinguat illam.

ZENONIS. Pelag. libell. 18. num. 7. 210. Abbas Zenon dum esset in Scithi, egressus est nocte de cellâ suâ ambulare per eremum: & factum est, dum longiùs processisset, errauit tres dies & noctes ambulans, & cecidit fatigatus vsque ad mortem. Et ecce stetit ante eum infans, habens in manu suâ panem; & dixit ei: Exurge, & comede. At ille exurgens orauit; sperabat enim phantasiam esse. *Contra phantasmata oratio adhibenda.* Cui infans dixit: Benè fecisti quòd orasti, modò ergo surge & comede. cui abbas Zenon non acquieuit, nisi secundò ac tertiò orasset. Et cùm ille laudaret quia orabat, iam tunc surrexit & comedit. Post hæc dixit ei infans: Quantum plus ambulasti, tantum longiùs es à cellâ tuâ; sed surge, sequere me: & mox inuentus est ante cellam suam. *Diuinitus reducitur in cellam.* Dixit ergo ei senex: Ingredere in cellam meam, & fac orationem. Et ingresso sene in cellam suam, ille non apparuit.

ARSENII. Pelag. libell. 12. n. 1. *Sabbatis Arsenius orat à solis occasu vsque ad ortum.* 211. Abbas Daniel referebat de beato Arsenio, eò quòd sabbatorum die vespere solem relucentem post dorsum suum dimittebat in oratione persistens; extendensque ad cælum manus non desistebat orare, nisi iterum sequenti die sol surgens oculos eius implesset.

Pelag. libell. 4. n. 2. *Somnus malus seruus.* Ceteras autem noctes peruigiles ducebat, & propè diluculo, cùm vellet parum pro naturæ fragilitate quiescere, dicebat somno: Veni male serue; & mox claudens oculos, quiescens subripiebat parum somni sedendo, & statim exurgebat.

Pelag. libell. 3. n. 1. Ruffin. sup. n. 163. Hic ipse Arsenius totum tempus vitæ suæ sedens ad opus manuum, pannum habebat in sinu propter lacrymas, quæ ob desiderium æternæ vitæ crebrò currebant ex oculis eius.

LVCII. Pelag. libell. 12. n. 9. atque eius stilo hic in editis. 1. Thess. 5. 212. Quidam fratres cùm ad abbatem Lucium aduenissent, requisiuit eos senex, dicens: Quid soletis manibus vestris operari? At illi dixerunt: Nos nihil manibus nostris operamur, sed secundùm quod dicit Apostolus, sine cessatione oramus. Quibus senex dixit: Non manducatis? At illi professi sunt: Etiam. Dixitque eis: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? At illi conticuerunt. Et iterùm requisiuit eos, dicens: Numquid dormitis? Cumque illi se dormire dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? Et non inuenerunt quid responderent ei. Tunc dixit eis: Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis sicut dicitis. Ego autem dicam vobis quemadmodum manibus meis operans sine cessatione oro. *Quomodo quis semper orare possit.* Sedeo enim de manè vsque ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & interim oro, dicens: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Psal. 50. Cumque

per compleuero opera manuum mearum, & fecero aliqua vasa aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quando ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine cessatione implent orationem meam.

MACARII Ioan. libell. 2. n. 6. *Macarius lassus diuinitus träsportatur.*

213. Abbas Macarius, dum semel de Scithi portaret sportellas quas texerat, grandem habens viæ laborem, resedit, & dixit: Deus, tu scis, quia ampliùs non valeo ambulare. & mox inuentus est ad fluuium, vnde adhuc multis aberat interuallis.

AMMONIS. *Ammon à basilisco diuinitus liberatur.*

214. Abbas Ammon veniens in deserto ad quemdam locum haurire aquam, vidit basiliscum: & iactans se in faciem suam, dixit: Domine, aut ego moriturus sum, aut ista bestia. Mox basiliscus per virtutem Dei dissipatus est.

BESARIONIS. Ioan. libell. 2. n. 1. *Aqua maris oratione Besarionis dulcescit. Deo fidendum.*

215. Abbatis Besarionis discipulus, nomine Dulas, cùm quadam die cum ipso pariter iuxta littus maris ambularet, contigit eum multùm sitire, & dixit seni: Sitis me macerat, pater. At beatus Besarion factâ oratione iussit eum aquam de mari tollere & bibere. Quod cùm fecisset, & dulcissimam aquam reperisset, vasculum quod secum portauit, impleuit. Quod cùm vidisset abbas Besarion, dixit ad eum: Quare implesti vas aquâ, fili? At ille dixit: Indulge mihi, pater, timui enim ne fortè in anteà sitiam. Cui senex dixit: Indulgeat tibi Dominus, fili; quia & vbique Deus est, & potest tibi dulcem aquam præstare.

INCERTI. Pelag. libell. 3. n. 20. atque eius stilo hîc in editis. Posui ex MS. *Religiosus negligens visione monetur.*

216. Quidam frater volens discedere in solitudinem, à matre propriâ prohibebatur. Ille verò dicebat matri suæ: Permitte me, mater; saluare enim volo animam meam. Cùm autem non posset retinere eum mater, dimisit eum. Ille verò veniens in solitudinem, per negligentiam omnem vitam suam consumebat. Contigit autem vt moreretur mater eius. Et post tempus aliquod factus est & ipse ægrotus, & raptus in extasi ad iudicium, inuenit matrem cum his qui iudicabantur. Illa autem cùm vidisset eum, obstupuit, dicens: Quid est hoc, fili? & tu in hoc loco deductus es cõdemnandus? Et vbi sunt illa verba, quæ solebas dicere, Quoniam saluare volo animam meam? Erubescens ergo ille in verbis quæ audiebat, stabat nihil habens quod responderet. Et ecce voce factâ, vt hic reuocaretur, tamquam altero iusso ex cœnobio fratrum transire, reuersus ad se, omnia quæ cognouerat quæque audierat adstantibus referebat. Ad confirmationem sanè verborum suorum rogauit, vt aliquis ex adstantibus iret ad monasterium, vt videret si transisset frater eiusdem nominis, de quo audierat: qui profectus, inuenit ita. Ipse verò postquam sanus effectus est: reclusit se, & sedit cogitans de salute suâ, pœnitens & lacrymans super his quæ fecerat priùs in negligentiâ. Tanta autem erat ei compunctio, vt cùm multi eum rogarent paululùm requiescere, ne forsitan noxium aliquid pateretur per incessantem fletum, ille nollet, dicens: Si matris meæ improperium non portaui, quemadmodum præsente Christo & angelis eius in die iudicij aut improperia aut tormenta portabo?

Ex infirmitate & visione profecit.

INCERTI. Pasch. c. 24. n. 4. *Monachus sororem à meretricio reuocat.*

217. Quidam frater sedebat in Ægypto in magnâ humilitate præcipuus, & habebat sororem in ciuitate meretricem, quæ multis animabus perditio fuerat. Frequenter ergo monebant senes fratrem illum, & vix potuerunt ei persuadere, vt veniret ad eam, quatenus per admonitionem eius posset peccatum, quod per eam fiebat, euincere. Cùm autem veniret ad locum, quidam ex notis eum videns, præcessit, & nuntiauit illi, dicens: Ecce frater tuus venit ad te de eremo. Illa autem hęc audiens, præ gaudio relictis amatoribus suis quibus ministrabat, capite discooperto ad occurrendum fratri egressa est. Et dum vidisset eum, tentaretque eum complecti, dixit ei ille: Soror mea charissima, parce animæ tuæ, quoniam multi propter te pereunt. Considera quanta habeas tormenta præparata, nisi citò pœnitere festinaueris. Illa autem contremiscens dixit ad eum: Et scis, frater, quia est mihi salus vel modò? Cui ille dixit: Si volueris, est tibi adhuc salus. Illa autem iactans se ad pedes fratris sui, petebat vt eam secum duceret in desertum. Cui frater dixit: Vade, cooperi caput tuum, & sequere me. Cui illa, Eamus, ait, velociter: oportet enim me deformare, & inter homines nudo capite ambulare, quàm in officinam peccati mei iterùm ingredi. Dum autem pariter ambularent, monebat eam frater ad pœnitentiam. Videns autem ille quia quidam fratres obuiarent sibi, dixit ad eam: Quoniam necdum omnes sciunt quòd soror mea es, secede parum de viâ, donec transeant. Quod cùm fecisset, postquam transierunt illi, vocauit eam frater suus, dicens: Veni soror, eamus viam nostram. Illa autem non respondit ei. Perquirens ergo ille diligenter sororem suam, inuenit eam mortuam, & vestigia pedum eius plena sanguine; erat enim discalceata. Tunc ille flens & eiulans nuntiauit senioribus omnia quæ facta fuerant: at illi contendebant inter se de saluatione eius. Manifestauit autem Deus vni seni de ipsâ, quia quòd nulla illi cura fuit de rebus corporalibus, sed vt vulnus proprium sanaret, neglexit omnia sua, & suspirauit graui-

grauiter, & fleuit propter peccata sua, propterea suscepisset Deus pœnitentiam eius.

Antonii. *Ex Hieron. ep. 33. ad Castrutium.*

218. [24] Quodam tempore cùm beatus Antonius à sancto Athanasio Alexandriæ episcopo propter confutationem hæreticorum in vrbem esset adductus, perrexit ad eum Didymus vir eruditissimus, captus oculis. Cumque multa de Scripturis sanctis loquerentur, inter ceteras sermocinationes quas de sanctis Voluminibus habebant, cùm Antonius miraretur ingenium eius, & acumen animi collaudaret, sciscitans, ait ad eum: Non tristis es quòd oculis carneis careas? Et cùm ille præ pudore reticeret; secundò tertioque eum interrogans Antonius, tandem elicuit vt mœrorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius ait: Miror prudentem virum eius rei dolere damnum, [25] quam formicæ, & muscæ, & culices habent; & non potiùs lætari illius possessione, quam sancti & apostoli meruerunt. Melius enim multò est spiritu videre, quàm carne; & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere, quàm istos qui solo visu per concupiscentiam possunt hominem in interitum gehennæ mittere.

Antonius Didymum super cæcitate solatur.

Seniorum. *Ex Hieron. ep. 22. ad Eustoch. de custod. virgin.*

219. [26] Quidam frater ex Nitriâ parcior magis quàm auarior, & nesciens triginta argenteis Dominum Iesum venditum, centum solidos, quos lina texendo collegerat, moriens dereliquit. Initum est autem consilium inter monachos ([27] nam eodem in loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus distribuendos esse censebant, alij dandos ecclesiæ, nonnulli parentibus eius remittendos. Macarius verò, & Pambo, & Isidorus, & ceteri seniores patres, sancto in eis loquente Spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum domino suo, dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Sed ne hoc crudeliter quisquam putet factum; tantus terror & pauor per totam Ægyptum cunctos monachos inuasit, vt vnum solidum dimisisse, grandis apud eos sit criminis.

Solidi cum mortuo monacho infodiuntur. Actor. 8. *Grande crimen monacho vel solidi vnius proprietas.*

Incerti. Ad verbū penè ex D.Hieron. ep. 4. ad Rusticum.

220. Erat quidam adolescens Græcus in Ægypto constitutus in cœnobio, qui nullâ continentiâ, nullâ operis magnitudine flammas poterat carnis extinguere. Cumque ad patrem monasterij hæc eius tentatio fuisset perlata, hac ille eum arte saluauit: Imperauit cuidam viro graui & aspero, vt iurgijs atque conuitijs insectaretur adolescentem, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam. Cumque imperata sibi perficeret, insuper vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam adolescenti fecerat. At ille cœpit flere contra mendacium: quotidie gemitus, quotidie lacrymæ fluebant: sedebat solus, quia amaritudine repletus erat, omnique auxilio destitutus ad Iesu pedes iacebat. Quid multa? ita totus annus deductus est: quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an si adhuc molestiæ aliquid sustineret, respondens dixit: Pater, viuere mihi non licet, quemadmodum fornicari libet? Ita ergo spiritali patre procurante adolescens superatâ libidine saluatus est.

Libido molestiis superanda.

IN LIBRVM TERTIVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

Prologvs.

1 RVFFINO.] *Vide Prolegomenon v. generale initio horum librorum.*

2. VERE MVNDVM QVIS DVBITET MERITIS STARE SANCTORVM.] *Vel hinc aliquo modo colligi potest, libri huius auctorem esse Ruffinum, vt Prolegomeno v. tetigi. Repetit enim hic Ruffinus quæ dixerat Prologo libri prioris: vel potius eiusdem libri Prologo epiphonematicè respondet. Cùm enim illic dixisset:* vt dubitari non debeat eorum meritis adhuc stare mundum: *nunc infert epiphonematicè, ad prius dicta alludens:* Verè mundum quis dubitet meritis stare Sanctorum?

Vt porrò prioris libri Prologus in quibusdam ad Palladij Proœmium in Lausiacam historiam alludit, ita hic apertiùs communia quædam habet cum epistolâ Palladij ad Lausum, quæ post Proœmium ibidem ponitur, quæ singulatim iam subiungo.

Non ergo spernas simplicitatem & impolitos sermones. *Palladius initio Lausiaca Hist. epistolâ ad Lausum:* neque respuas rudem & inornatam dictionem.

Nec enim mei operis est diuinæ doctrinæ scripturæque sophisticè & eloquenter signare sermones. *Palladius ibidem:* Non est enim diuinæ doctrinæ, ornatâ & ad ostendendam sapientiam compositâ vti oratione.

Sed suadere mentes hominum in fide & operibus veritatis. *Palladius ibidem:* Sed verbis persuadere veritatis.

Patrum denique sanctorum patriarcharum & prophetarum Abraham, Isaac, & Iacob, Moysis, & Eliæ, & Ioannis ideò descripta est fides, *&c. Palladius ibidem:* Nam ij quoque, qui patrum Vitas conscripserunt, Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & Moysis, & Eliæ, & Ioannis, & eorum qui deinceps consequuntur, non narrarunt vt eorũ illustretur gloria, sed vt prodessent ijs qui eas legerent.

3. MI DOMINE FIDOSE.] *Putabam primò,* Phidose *legendum Græco vocabulo, quòd scirem simile nomen alibi esse; vt Phidus episcopus Ioppæ in Concilio Ephesino, & Phidus diaconus in Vitâ sancti Euthymij* XX. *Ianuarij. & Athanasius epistolâ de Synod. Arim. & Seleuc. habet quemdam* Φιδήλιον, Phidelium *episcopum pro quo apud Socratem libro* II. *cap.* XXXII. *est* Φιλήδιος, Philedius. *Sed varijs excussis, nihil inueni quod huc faceret. Tandem cùm attentè Palladium legerem (ex quo videbam Prologum hunc adumbratum,) & in eo, tam in Prœmio, quàm epistolâ ad Lausum aliquoties occurreret* fidelissimus: *In Prœmio:* Fidelissimique & religiosi imperij splendor Lause. *In epistolâ:* Hæc ergo cùm scias fidelissime Lause. *& cap.* XIX. XX. *&* XXXIV. hominum fidelissime Lause, *vbi in Græco est* πιστότατε, *videbatur mihi Ruffinus* fidosum *posuisse pro* fidelissimo, *& ita Lausum occultè insinuare. Nec enim puto Ruffinum nomen suum libro huic præfixisse, cùm ex alio vel verterit, vel alterius librum cum præfatione ediderit.*

Atque vt Prologum hunc in manuscriptis & editionibus omnibus, exceptâ primâ, inueni, ita eum hîc dedi. Prima tamen editio sequentia post Fidose *ita concipit, & auctiora exhibet; quæ hîc subiungo, ne quid desiderares omissum.*

Beatifico siquidem & admiror laudabile propositum tuum, vt dignum est; quoniam cùm plurimi religiosam vitam professi circa vana & inania præsentis sęculi studium suum impendant, & iuxta Prophetæ oraculum, lapides sanctuarij dispersi sunt in capite omnium platearum; ex hoc valdè gaudeo, quòd tu verbo ædificationis, & sanctæ Scripturæ doctrinâ informari desideras, sanctorumque patrum considerationes & instituta perquiris.

Igitur vigesimum in episcopatu agens annum, desideranti tibi spiritualium virorum, quos in Dei rebus spectatos vidi & audiui, vitam moralemque doctrinam præsentis libelli compendio declarare tentabo, quatenus in proposito pietatis dux tibimetipsi bonorum operum, & eorum qui tecum sunt, & qui post te erunt, doctor efficiaris imperitorum.

Sed oro te, ne spernas simplicitatem eloquij, nec politi à me exigas stili venustatem. Nec enim operis est diuinæ Scripturæ, sophisticè & eloquenter signare sermones, sed suadere mentes hominum in fide & operibus veritatis, secundùm quod

Prou. 31. scriptum est: Aperi os tuum verbo Dei. & iterùm:

Eccle. 8. Non aspernas verba seniorum, & ipsi enim didicerunt à patribus suis.

Denique sanctorum patriarcharum & prophetarum, Abraham scilicet, Isaac, Iacob, Moysi, Eliæ, & Ioannis ideò à præcedentibus descripta est fides & conuersatio, non tantùm vt illos glorificarent, quos certè Dominus glorificauerat, & in regno suo gloriosos habebat; sed vt legentibus posteris conferrent veritatis doctrinam, & exempla salutis.

Accipiens ergo à nobis non diserta, sed fortia; vera, non fucata; sanctos imitare quos legis, prædica quos diligis. Ex hoc enim auditores tui, facti amatores Christi, proficient ad æternam salutem.

Atque ex his manifestius quoque euadit, quomodo Ruffinus Prologum hunc ex Palladij Prœmialibus expresserit. Conferantur inter se, & non vanam coniecturam meam esse, facile deprehendes.

4. PAXIMATIA.] *Panes sunt Ægyptiis monachis in vsu. Vide Onomasticon.* Num. 4.

5. GELLO.] *Post* gelluncalus: *In Pelagio libello* V. *num.* 24. *est* iuriscula. *Intelligitur vas aquarium. Vide Onomasticon.* Num. 14.

6. PROASTIVM.] *Mira hîc MSS. librorum lectio. Audomaren.* prastro, qui vocatur insentimo. *Aquic.* proastion, qui vocatur setimo. *Editi,* prope prascium *vel* prastium. *Cedrenus anno* XX. *Imperij Theodosij iunioris, eamdem historiolam narrat, vbi Græcè est* προάστειον. *& infrà apud Pelagium libello* XV. *n.* 66. *in hac eadem re,* suburbanum. *Suprà in Vitâ S. Basilij c.* II. *etiam habes* proastium. *Vide Onomasticon.* Num. 19.

7. SEPTIMO.] *Intelligitur septimum clima seu regio Constantinopoleos, quod in proastio seu suburbio erat. Aliquando Græcum vocabulum Latini seruant, & vocant* hebdomon. *Vide Onomasticon.*

8 SVBRIPIAT.] *Id est,* subrepat. *Editi addunt,* meritum. *Sic suprà apud Ruffinum lib.* II. *cap.* XV. Huic quodam die satanas subripere volens.

9. BRVMOSA.] *Ita MS. Editi ferè,* bramosa *&* bromosa. *Intelligitur autem aqua crassa & fœtida. Glossa Isidori: Bromosa,* immunda. *Brumosus,* annosus, resinosus. *Brumalia,* resinosa pluuia. *Vide Onomasticon.* Num. 38.

10. MVSCATA.] *Varia hîc lectio in MSS.* musica *in Aquicinct.* musaco *in Audomaren. Suprà in Vitâ Pelagiæ cap.* II. Quæ tamen transiens per nos, totum impleuit aërem ex odore musci. *In Vitâ Marcellæ cap.* III. fragrare musco mure. *Vide Onomasticon.*

11. ABBAS IOANNES.] *Fulbertus Carnotensis episcopus in fine epistolarum suarum, post hymnum de Natiuitate Christi & Epiphaniâ, ex hoc loco, vel ex Pelagio infrà libell.* X. *num.* 27. *hanc de Ioanne Paruo narrationem ita versibus & rhythmis sæculi sui reddidit:* Num. 56.

In Vitis patrũ veterum quiddã legi iucundum,
Exemplo tamen habile, quod vobis dico rhythmicè.
Ioannes abba paruulus staturâ, non virtutibus,
Ita maiori socio, quicum erat in eremo,
Volo, dicebat, viuere securè, sicut Angelus,
Nec veste nec cibo frui, qui laboretur manibus.
Respõdit frater: Moneo, ne sis incœpti properus,
Quod tibi postmodum sit non cœpisse satius.
At ille: Qui nõ dimicat, nõ cadit neque superat.
Et nudus eremum interiorem penetrat,
Septem dies gramineo vix vbi durat pabulo:
Octauâ fames imperat, vt ad sodalem redeat:
Qui serò clausâ ianuâ, tutus sedet in cellulâ,
Cùm minor voce debili appellat: Frater, aperi;

Ioan-

Ioannes opis indigus notis assistit foribus:
Ne spernat tua pietas, quem redigit necessitas,
Respōdet ille deintus: Ioãnes factus est Angelus,
Miratur cęli cardines, vltrà non curat homines.
Foris Ioãnes excubat, malamq; noctem tolerat,
Et præter voluntariam hanc agit pœnitentiam.
Facto manè recipitur, satisque verbis vritur,
Sic intentus ad crustula, fert patienter omnia.
Refocillatus Domino grates agit ac socio:
Dehinc rastellū brachiis tētat mouere lãguidis.
Castigatus angustiā de leuitate nimiâ,
Cùm Angelus non potuit, vir bonus esse didicit.

Num.61. 12. THEOPEMPTVS.] *Ita Θεόπεμπτος vocatur in Menæis Græcis XIX. Ianuarij in Vitâ Macarij Ægyptij. In MSS. & editis variè hoc nomen deprauatur,* Theopentus, Theopentius.

Num.73. 13. CARRICAVIT.] *Gloss. vett.* Carrico, onero.

Num.84. 14. CONVITIIS AFFLIGEBAT.] *De hoc Atheniensium more habes apud Gregorium Nazianz. Oratione in laudem D. Basilij. Vide in Onomastico* Depositio.

Num.104. 15. CERTATVS ES.] *Aliàs,* certasti. *Sed sæpiùs hæc forma loquendi eo sæculo vsitata in his libris occurrit.*

Num.118. 16. CVM LAMPADIBVS.] *Viris in dignitate constitutis, vel sanctitate eminentissimis occurrebant cum igne, cereis, lampadibus, thymiamate. Vide dicta ad Vitam S. Basilij cap. IX. n. 44. Consule & Onomasticon.*

Num.128. 17. PISTOR MOLÆ OCVLOS OPERIRET.] *Deest prior pars huius numeri in manuscriptis vsque ad* Numquam. *Editi eam habent: quare reliqui. Sed qui* oculi molæ? *Legendum existimo,* pistor molæ, oculos animalis operiret. *Ita Pelagius libello XV. numero* 80.

Num.134. 18. HYPERICHIVS.] *Hoc numero in editis variè comprehendebantur apophthegmata breuia, quæ ijsdem verbis habentur in Pelagio libello LV. à numero 45. vsque ad num. 54. inclusiuè nomine Hyperichij; exceptis duobus vltimis, qui sub Incerti titulo habentur. Substitui hîc quod erat in MSS.*

Num.168. 19. IOSEPH.] *MS. Aquic.* Iusefel. *MS. Audomar.* Tusefel. *alij* Iosephel.

Num.172. 20. MACARIVS.] *Numerus hic & historiola Macarij hoc modo in MS. Aquicinct. erat concepta:* Abbas Macarius dum ambularet per desertum, hominem quemdam mortuum pronum in terrâ inuenit iacentem, & posito baculo suo super eum, ait: In nomine Iesu Christi surge. Et statim, qui iacebat mortuus, surrexit, & iactauit se ad pedes S. Macarij. Et cœpit proclamare, quemadmodum ducebatur ab angelis satanæ ad locum tormentorum, & propter petitionem eius fuisset ab Æthiopis dimissus. Cui, cùm interrogaret Macarius in quo loco fuisset destinatus; ille altè ingemiscens, ait: Quantum cælum distat à terrâ, tantum ignis est altus: in quo medio eram missus. His autem auditis senex lacrymas effudit, dicens: Væ homini illi, qui mandata Dei transgressus fuerit. *Quæ in textu edito sunt de refrigerio damnatorum, non valdè quadrant cum placitis Theologorum Scholasticorum. Eadem historiola paulò aliter narrata, habetur etiam inf. apud Ioannem libello III. n. 16. vbi Notationem vide.*

Num.199. 21. MAZICES.] *Impressi* Mazines. *MS. Aquic.* Amazones. *sed legendum* Mazices. *apud Pelagium est,* gens Mazicarum. *Vide Onomasticon.*

22. THERENVTHI.] *Ita legendum, ex Pelagio libell. XV. n. 11. constat. MS. & impressi, vel* tenerituudinis, *vel* terenitudinis. *vel simile quid deprauatum. Vide Onomasticon.*

23. LACTORONES.] *Ita impressi. MS. Aquicin.* lactopones, *qui totum locum ita legit:* Alius lactopones, alius dactylos, alius ficus, alius herbas visibiles, id est lapsanium, pastenacas, scaruitas, & petrosilinum. *MS. Audomar. priora deerant, reliqua ita legit:* lapsanium, pastanacas, carricas ex petris. *Colon. editio:* lapsanium & pastenatas, cucurbitas & petroselinum. *Aliqua editiones* caricas *omittunt. Omnino difficile hîc diuinare. An* lacterones *sunt* lactuca, *à* lacte? *an decurtatum ex Græco* γαλακτίφορος? *quod tamen non memini legisse. Fortè etiam* scaruitæ *proba vox, vnde Gallis* cherdy, *inter herbas visibiles. Vide Onomasticon.* Num.200.

24. QVODAM TEMPORE.] *Desumptum hoc ex D. Hieronymo epist.* XXXIII. *ad Castrutium, quæ hîc tamen in fine desunt Hieronymo.* quàm illos qui solo visu per concupiscentiam possunt hominem in interitum gehennæ mittere. *Ruffin. lib.* I. *Eccl. hist. cap.* VII. *Socrat. lib.* IV. *cap.* XX. *Hieron. in præfat. Didymi de Spiritu sancto:* Didymus verò meus oculum habens sponsæ in Cantico canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimari Iesus præcepit, procul altiùs intuetur. *& ep.* XXXII. *ad Abigaunm:* Sed illum te oculum habere lætare, de quo in Cantico dicitur canticorum: Vulnerasti me soror mea sponsa vno de oculis tuis. Num.218. Cant.4.

25. QVAM FORMICÆ ET MVSCÆ ET CVLICES HABENT.] *Hieron. epist.* XXXII. *ad Abigaunm, quæ est consolatoria super cæcitate:* Nec doleas si hoc non habeas quod formiculæ, & muscæ & serpentes habent. *Vbi etiam refert, quosdam mundi philosophos, vt* totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, sibi oculos eruisse. *Et lib.* II. *in Iouinianum:* quosdam legimus sibi effodisse oculos. *Cicero lib.* V. *de fin.* Democritus qui verè falsòne dicitur oculis se priuauisse. *De eo idem* V. *Tuscul. Gellius lib.* X. *c.* XVII. *Tertullianus Apolog. cap.* XLVI.

26. QVIDAM FRATER.] *Huc fortasse facit quod habet D. Hieronymus epist.* V. *ad Rusticum:* Vidimus nuper & planximus Crœsi opes vnius morte deprehensas, vrbisque stipes quasi in vsus pauperum congregatas stirpi & posteris derelictas. Tunc ferrum quod latebat in profundo, supernatauit aquæ: & inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monstrata est. Nec mirum; talem & socium & magistrum habuit, qui egentium fames suas fecit esse diuitias; & miseris derelicta in suam reseruauit miseriam. Quorum clamor tandem peruenit ad cælum, & patientissimas Dei vicit aures, vt missus angelus pessimus Nabal Carmelo diceret; Stulte hac nocte auferent animam tuam à te: quæ autem præparasti cuius erunt? *vbi tralatitiè ferrum pro latenti granique monachi iniquitate accipe; & amaritudinem aquæ à Moyse propè septuaginta palmas inuentam pro crimine, quod palmis velut sanctitatis vmbrâ obtegitur.* Num.219. 4.Reg.6. Exod.15. 1.Reg.25. Lucæ 12.

Nescio an per sociū & magistrum suggillet Ruffinum, quem Grunnij nomine designat, de quo in eadem epistolâ: Hic benè numatus plus placebat in prandiis. Nec mirum, si qui multos inescare solitus erat, facto cuneo circumstrepentium garrulorum procedebat in publicum, intus Nero, foris Cato.

27. NAM EODEM LOCO CIRCITER QVINQVE MILLIA DIVISIS CELLVLIS HABITABANT.] *Suprà lib.* II. *qui primus Ruffini est, in Prologo:* Commanent autem per eremum dispersi & separati in cellulis. *Non frustrà dixit,* diuisis cellulis. *vt Cellia seu Lauram insinuaret.*

DE VITIS PATRVM LIBER QVARTVS,

AVCTORIBVS SEVERO SVLPITIO ET IOANNE CASSIANO.

Excerpta hæc sunt ex Severi Svlpitii Dialogo I. & Ioannis Cassiani Institutis & Collationibus.

PROLOGVS.

Seuer. Sulpit. Dialogo 1. cap. 1. quædam huius Prologi verba habet. Intelligẽda omnia nomine Posthumiani, qui interloquitur.

FREQVENTER ac sæpiùs à me, fratres, flagitatis, vt vobis gratiâ ædificationis, regressus de partibus transmarinis, edisseram meæ peregrinationis historiam, vel qualiter in Oriente fides Christi floreat, quæ sit principum pax, quæ sanctorum quies, quæ instituta monachorum, quæ eremitarum vita vel conuersatio. Si vel in eremo viuere Christianis licet, quantisque signis ac virtutibus in seruis suis Christus operetur, quemadmodum etiam mihi prospera nauigatio fuerit, quà vel quò me iter terrenum perduxerit. Vestris ergo adiutus orationibus faciam, vt desiderare vos video: & quæso vt libentissimè ad ea quæ narro aurem accommodetis.

Cap. I. *De monacho solitario, qui in finibus Cyrenorum in paruo tugurio commanebat.*

Seuer. Sulpit. Dialogo 1. c. 2.

ANTE hoc triennium, quo tempore hinc abij, vbi à Narbonâ nauim soluimus, quinto die portum Africæ intrauimus: adeò prospera Dei nutu nauigatio fuit. Libuit animo adire Carthaginem, loca visitare sanctorum, & præcipuè ad sepulcrum Cypriani martyris adorare. Quintodecimo igitur die ad portum regressi, profectique in altum Alexandriam petentes, reluctante Austro, pænè in Syrtim illati sumus: quod prouidi nautæ cauentes, iactis anchoris nauim sistunt. Sub oculis autem terra continens erat, in quam scaphis egressi, cùm vacua omnia ab humano cultu cerneremus, ego studiosiùs explorandorum locorum gratiâ, longiùs processi. tribus ferè à littore millibus paruum tugurium inter arenas conspicio, cuius tectum, quasi carina nauis, erat contiguum terræ, satis firmis tabulis constructum. Non quòd ibi imbrium vlla vis timeatur; fuisse autem illic pluuiam nec aliquando quidem auditum est: sed quòd ventorum tanta vis est, vt si quando vel clementiore cælo aliquantùm spirare flatus cœperit, maius in illis terris, quàm in vllo mari naufragium fit.

Posthumianus adorat ad sepulcrum sancti Cypriani.

Insula incognita.

sit. Nulla ibi germina, sata nulla proueniunt: quippe in instabili loco arentibus arenis, ad omnem motum ventorum cedentibus. Verùm vbi aduersa quædam à mari promontoria ventis resistunt, terra aliquantulùm solidior herbam raram atque hispidam gignit: ea ouibus est pabulum satis vtile. Incolæ loci illius lacte viuunt. Qui solertiores sunt, vel (vt ita dixerim) ditiores, hordeaceo pane vtuntur. Et ibi sola messis est: quæ celeritate prouentus, per naturam solis siue aëris, ventorum casus euadere solet. Quippe fertur à die iacti seminis, trigesimo die maturescere. Consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quàm quòd omnes tributo liberi sunt. Extrema siquidem Cyrenorum ora est deserto illi contigua, quod inter Aegyptum & Africam interiacet; per quod olim Cato Cæsarem fugiens duxit exercitum.

Hordeum trigesimo die maturescens.

Ergo vt ad tugurium illud, quod eminus conspexeram, pertendi, inuenio ibi senem in veste pelliceâ, molam manu vertentem. Consalutatus, accepit nos benignissimè. Eiectos nos in illud littus exponimus; & ne statim repetere cursum possemus, maris mollitie detineri. Egressos in terram, vt est mos humani ingenij, naturam locorum, cultumque habitantium voluisse cognoscere: Christianos nos esse, id præcipuè quærere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani. Tunc verò ille flens præ gaudio, ad genua nostra prouoluitur, iterumque ac sæpiùs nos deosculans, inuitat ad orationem. Deinde expositis in terram ferinis pellibus, facit nos discumbere; apponit prandium sanè locupletissimum, dimidium panem hordeaceum. Eramus autem nos quatuor, ipse erat quintus. Fasciculum herbæ etiam intulit, cuius nomen mihi excidit, quæ menthæ similis est, exuberánsque folijs saporem mellis præstabat. Huius prædulci admodum suauitate & delectati sumus, & satiati. Septem enim diebus apud illum fuimus. Posterâ igitur die, cùm aliqui ex incolis ad nos confluere cœpissent, cognoscimus illum hospitem nostrum esse presbyterum, quod summâ nos dissimulatione ille celauerat. Deinde cum ipso ad ecclesiam processimus, quæ ferè duobus millibus à conspectu nostro, interiectu montis, exclusa aberat. Erat autem vilibus texta virgultis, non multò ambitiosior, quàm nostri hospitis tabernaculum: in quo vix quis, nisi curuus, poterat consistere. Cùm hominum mores quæreremus, illud præclarum animaduertimus, nihil eos neque vendere, neque emere. Quid sit fraus atque furtum, nesciunt: aurum atque argentum neque habent, neque habere cupiunt. Nam cùm ego presbytero illi decem aureos obtulissem, refutauit. Et cùm nollet eos accipere, aliquantulum vestimentorum ei indulsimus. Quod cùm ille benignè accepisset, reuocantibus nos ad mare nautis, discessimus ab eo.

Senis Cyrenésis prandium hospitale.

Posthumianus septem diebus apud senem mansit.

Gentis innocentia.

De dictis Origenis, quòd hæretica sint. Cap. II.

Seuerus Sulp. Dialogo 1. c. 3. Contentio episcoporum & monachorum ob Origenem.

PROSPERO igitur cursu, septimo die Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur, ex eâ occasione vel causâ, quòd congregati in vnum sæpiùs sacerdotes, frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui tractator sanctarum Scripturarum peritissimus habebatur: sed episcopi quædam in libris illius insaniùs scripta memorabant. Quæ assertores Origenis non ausi defendere, ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant: & ideò non propter illa, quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda; cùm legentium fides facilè posset habere discrimen, ne falsa sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis & recenter scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset impetere Euangelicam veritatem. Aduersum hoc episcopi obstinatiùs renitentes, pro potestate cogebant recta etiam vniuersa cum prauis, & cum ipso auctore damnare, quia satis super his sufficerent libri, quos ad se iam recepisset Ecclesia; respuendámque esse penitùs lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus. Mihi autem ex illis libris quædam curiosiùs indaganti, admodum multa placuerunt: sed aliqua reprehendi, in quibus illum praua sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror, vnum eumdémque hominem tam diuersum à se esse potuisse: vt in ea parte, quâ probatur, neminem post apostolos habeat æqualem; in eâ verò, quâ iure reprehenditur, nemo deformiùs doceatur errasse. Nam cùm ab episcopis excerpta ex libris illius multa legerentur, quæ contra Catholicam fidem scripta constarent: locus ille vel maximam parabat inuidiam, in quo editum legebatur: Quia Dominus noster Iesus Christus sicut pro redemptione hominis in carnem venisset, crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis æternitate gustasset; ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrue-

Origenis scripta ab hæreticis adulterata.

Præclarum de Origene testimonium cum restrictione.

Error Origenis de diabolo quandoque redimendo.

grueret, vt qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret. Cùm hæc atque alia huiusmodi ab episcopis proderentur, ex studijs partium orta est magna seditio. Quæ cùm reprimi sacerdotum auctoritate non posset, sæuo exemplo ad regendam ecclesiæ disciplinam præfectus assumitur: cuius terrore dispersi fratres, ac per diuersas oras monachi sunt fugati, ita vt propositis edictis, in nullâ constare sede sinerentur. Illud autem me admodùm permouebat, quòd Hieronymus vir maximè Catholicus, & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur: quem nunc idem ipse Hieronymus præcipuè, & omnia illius scripta damnaret. Nec verò ausus sum de quoquam temerè iudicare: præstantissimi tamen viri doctissimique ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, vt ego sentio; siue hæresis, vt putatur; non solùm reprimi non potuit multis animaduersionibus sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset. Istiusmodi ergo turbatione cùm veni, Alexandria fluctuabat. Me quidem episcopus illius ciuitatis benignè admodum, & meliùs quàm opinabar excepit, secumque tenere tentabat. Sed non fuit animus ibi consistere, vbi recens fraternæ cladis feruebat inuidia.

Hieronymus sacræ legis peritissimus.

Hæreses contentionibus crescunt.

Cap. III.

De conuersatione Hieronymi Ierosolymitani.

Igitvr inde egressus, Bethleem oppidum petij, quod ab Ierosolymis sex millibus separabatur: ab Alexandriâ autem sedecim mansionibus abest ecclesia loci illius, quam Hieronymus presbyter regebat. Nam parochia est episcopi, qui Ierosolymam tenet. Mihi iampridem Hieronymus superiore illâ meâ peregrinatione compertus, facilè obtinuerat, vt nullum præter illum mihi expetendum rectiùs arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotemque virtutum, non solùm Latinis atque Græcis, sed & Hebraicis etiam litteris eruditus est, vt se illi in omni scientiâ nemo audeat comparare. Nam sex menses apud ipsum fui conuersatus. Cui iugis aduersum malos pugna, perpetuumque certamen conciuit odia perditorum. Verè fateor, pinxisse mihi videtur in aliquibus opusculis vitia multorum; imò quòd nihil penitùs omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret; præcipuè auaritiam, nec minùs vanitatem insectatus est. multa de superbiâ, non pauca de superstitione disseruit. Ceterùm de familiaritatibus virginum & monachorum, atque etiam clericorum, quàm vera, quàm fortia disputauit? Vnde à quibusdam dicitur non amari. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit. Oderunt eum clerici, quia vitia eorum insectatur & crimina. Sed planè eum boni homines admirantur & diligunt. Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Verè dixerim, Catholica hominis scientia, sana doctrina est: totus semper in lectione, totus in libris est. Non die, non nocte quiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit. Quod nisi mihi fuisset fixum animo, & promissum, Deo teste, ante propositum, eremum adire, vel exiguum temporis punctum à tanto viro discedere noluissem. Huic ergo traditis atque commissis omnibus meis, omnique familia, quę me contra voluntatem animi mei secuta, tenebat implicitum, exoneratus quodammodò graui fasce penitùs ac liber, egressus sum ad Alexandriam. Visitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaidam, id est ad Aegypti extrema contendi. Ibi enim vastæ patentis eremi solitudinis plurimum ferebantur habere monachorum. Longum est, si omnia cupiam referre quæ vidi: pauca namque perstringam.

Seuer. Sulpit. Dialogo I. c. 4. Beatus Hieronymus in Bethleem rexit ecclesiam.

Eiusdem encomium.

Posthumianus sex mensibus mãsit apud Hieronymum.

Hier. ep. 22 ad Eustochium de custod. virgin.

A quibus odio habeatur Hieronymus, à quibus ametur.

Posthumianus post Alexandriam lustrat Thebaidam.

Quòd abbates fratribus suis eorum licentiâ in eremo constitutis victum administrant.

Cap. IV.

Havd longè ab eremo contiguâ Nilo, multa sunt monasteria: habitant in vno loco plerumque centeni, quibus summum ius est, sub abbatis imperio viuere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatemque pendêre. Ex his ergo si qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, non nisi permittente abbate discedunt. Hæc illorum prima virtus est, parêre alienó imperio. Transgressis ergo ad eremum abbatis illius ordinatione, panis & quilibet alius cibus ministratur.

Seuer. Sulpit. Dialog. I. c. 5. Varia monasteria in Aegypto.

Prima monachorum virtus obedientia.

Quòd frater in eremo pascitur pane cælico.

Cap. V.

Casv per illos dies, quibus illuc adueneram, cuidam solitariò, qui nuper ad eremum secesserat, neque ampliùs ab hoc monasterio, quàm sex millibus, tabernaculum sibi constituerat, panem abbas per duos pueros miserat. Quorum maior habebat ætatis annos quindecim, minor duodecennis erat. His ergo inde redeuntibus, aspis miræ magnitudinis venit obuiàm: cuius occursu nihil perterritis; vbi ante pedes eorum

Seuerus Sulp. Dialog. I. c. 5.

Pueri innoxiè aspidem tractant. eorum venit, quasi incantata carminibus, cærulea colla deposuit; minor ex pueris manu eam apprehensam ac pallio inuolutam, ferre cœpit: deinde monasterium quasi victor ingressus, in occursum fratrum captiuam bestiam, resoluto pallio, non sine iactantiæ tumore deposuit. Sed cùm infantium fidem atque virtutem ceteri prædicarent, abbas ille altiori consilio, ne infirmior ætas insolesceret, vtrumque virgis compescuit, multùm obiurgatos, cur ipsi, quod per eos operatus fuerat Dominus, prodidissent: opus illud non suæ fidei, sed diuinæ fuisse virtutis: discerent potiùs Deo in humilitate seruire, non in signis & virtutibus gloriari; quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate. *Vapulant pueri quòd non fugissent vanam gloriam.* Hoc vbi ille frater audiuit solitarius, & periclitatos infantulos serpentis occursu, & ipsos insuper multa verbera victo serpente meruisse; abbatem obsecrat, ne sibi post hæc vllus panis aut cibus aliquis mitteretur. Iamque octauus dies fuerat emensus, quo se homo Christi infra periculum famis ipse concluserat. Arebant membra ieiunio, sed deficere mens cælo intenta non poterat. Corpus inediâ fatiscebat, fides firma durabat: cùm interim admonitus abbas ille per Spiritum, vt discipulum visitaret, piâ sollicitudine cognoscere cupiens, quâ vitæ substantiâ vir fidelis aleretur, qui ministrari sibi panem ab homine noluisset, ad requirendum eum ipse abbas proficiscitur. At ille, vbi eminùs senem venire conspexit, occurrit ei obuiàm: agit gratias, ducit ad cellulam. *Panis calitus subministratus.* Cùm ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam, calido pane congestam, foribus affixam de poste pendêre: ac primùm panis calidus sentitur odore, tactu verò ac si ante paululum foco esset ereptus, ostenditur: Ægyptij tamen panis forma non cernitur. Obstupefacti ambo, munus cæleste cognoscunt: cùm ille hoc abbatis aduentu præstitum fateretur, abbas verò illius fidei ac virtuti adscriberet: ita ambo cælestem panem cum magnâ exultatione fregerunt. *Contentio humilitatis* Quod cùm abbas ad monasterium pòst regressus fratribus retulisset, tantus omnes incenderat ardor animarum, vt certatim ad eremum & sacras solitudines ire properarent.

Ibid. c. 6. In hoc monasterio duos ego iam senes vidi, qui per quadraginta annos ibi degere, ita vt numquam inde discesserint, ferebantur. *Sol monachum non vidit epulantem, nec alterum iratum.* Siquidem id de eorum virtutibus, & abbatis ipsius testimonio, & omnium fratrum audierim sermone consono celebrari, quòd vnum eorum sol numquam vidisset epulantem, alterum numquam vidisset iratum. Sed quia vnius eremitæ cognouistis virtutem, referam vobis adhuc pauca de pluribus.

Quòd leæna tamquam animal mansuetum à sene escam cepit. *Cap. vi.*

Seuer. Sulpit Dial. 1. cap. 7. Ego vbi primam partem eremi ingressus sum, duodecim ferè à Nilo millibus (habebam autem vnum ex fratribus ducem locorum peritum) peruenimus ad quemdam senem monachum, sub radice montis habitantem: ibi, quod in illis locis rarissimum est, puteus erat. Bouem vnum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsâ rotali machinâ aquam producere: nam mille aut ampliùs pedum profundum putei ferebatur. *Hortulus fertilis in loco sterilissimo.* Hortus & illic erat multis oleribus copiosus. Id quidem contra naturam eremi, vbi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius vmquam seminis vel exiguam radicem ferunt. Verùm hoc sancto illi labor cum pecude communis, & propria præstabat industria: frequens enim irrigatio aquæ tantam pinguedinem arenis dabat, vt mirum in modum virere atque fructificare hortuli illius olera videremus. Ex his ergo vnà cum domino suo bos ille viuebat: nobis quoque ex eâ copiâ cœnam sanctus ille dedit. Post cœnam autem iam inclinante vesperâ, inuitat nos ad arborem palmæ, cuius interdum pomis vti solebat: quæ ferè duobus millibus aberat. Nam hæ tantùm in eremo arbores, licet raræ, habentur tamen: quod vtrùm solers antiquitas procurauerit, an solis natura gignat, ignoro; nisi Deus præscius futurorum, habitandam quandoque sanctis eremum, hæc seruis suis præparauerit. Ex maiore enim parte, quæ inter illa consistunt secreta, cùm alia germina nulla succedant, istarum arborum pomis ibi aluntur. Ergo vbi ad illam, ad quam nos hospes noster ducebat, arborem peruenimus, leonem ibi offendimus. Quo viso, ego & ille dux meus intremuimus: sanctus ille incontanter accessit, nos licet trepidi, secuti sumus. Fera ab eo imperata, modesta discessit & constitit, dum ille attigua ramis humilioribus poma decerperet. *Leo anachoretæ conuiua, eique obediens.* Cumque palmis plenam manum obtulisset, occurrit bestia: accepitque tam liberè, quàm nullum animal domesticum. Et cùm comedisset, abscessit: nos hæc intuentes, & adhuc trementes, facile potuimus agnoscere, quanta in illo virtus fidei, & quanta in nobis esset infirmitas.

Quòd

Quòd lupa à sene pascitur, furti rea veniam precatur.

Seuerus Sulp. Dialogo 1. c. 8.

ALIVM æquè singularem virum vidimus, in paruo tugurio, in quo non nisi vnus recipi posset, habitantem. Huic lupa solita erat astare cœnanti, nec facilè vmquam bestia fallebatur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret: & tam diu pro foribus exspectaret, donec ille panem, qui in cœnâ superetat, offerret; illa manum eius lambere solita, atque ita quasi impleto officio & præstitâ consolatione discedebat. Sed fortè accidit, vt sanctus ille dum fratrem, qui ad eum venerat, deducit abeuntem, diutiùs abesset, & non nisi sub nocte remearet, interim bestia ad cõsuetum illud tempus cœnæ occurreret: vacuam cellam, cùm familiarem patronum abesse sentiret, ingressa est, curiosiùs explorans, vbinam esset habitator. Casu contigua cum panibus quinque palmicia fiscella pendebat: ex his vnum sumit & deuorat, deinde perpetrato scelere discessit. Regressus eremita, vidit sportulam dissolutam, non constante panum numero. Damnum rei familiaris intelligit, ac prope limen panis assumpti fragmenta cognoscit. Sed non erat incerta suspicio, quæ furtum persona fecisset. Ergo cùm sequentibus diebus secundùm consuetudinem bestia non veniret, nimirum audacis facti conscia ad eum venire dissimulans, cui fecisset iniuriam, ægrè patiebatur eremita se alumnæ solatio destitutum: postremò illius oratione reuocata, septimum post diem affuit, vt solebat, ante fores cœnanti. Sed vt facilè cerneres verecundiam pœnitentis, non ausa propiùs accedere, deiectis profundo pudore in terram luminibus, quod palàm licebat intelligi, quamdam veniam precabatur. Quam illius confusionem miseratus eremita, iubet eam propiùs accedere, ac manu blandâ caput triste permulcet: deinde pane duplicato ream suam refecit: ita indulgentiam consecuta, officij consuetudinem deposito mœrore reparauit. Intuemini quæso, Christi etiam in hac parte virtutem, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sæuit: lupa officium præstat, bestia furti crimen agnoscit, lupa conscio pudore confunditur: vocata adest, caput præbet: & habet sensum indultæ sibi veniæ, sicut pudorem gessit errati. Tua hæc virtus, Christe; tua hæc sunt, Christe, miracula. Etenim quæ in tuo nomine operantur serui tui, tua sunt mirabilia: & in hoc ingemiscimus, quòd maiestatem tuam feræ sentiunt, homines non verentur. Ne cui autem hoc incredibile videatur, maiora adhuc memorabo. Fides Christi adest, me nihil fingere, sed quæ mihi benè comperta sunt, explicabo.

Lupa eremita alumna.

Furti veniam petit.

Quòd quinque catuli leonum cæci per anachoretam illuminati sunt. C. VIII.

Seuerus Sulp. Dialogo 1. c. 9.

HABITABANT plerique in eremo sine vllis tabernaculis, quos anachoretas vocant. Viuunt herbarum radicibus, nullo vmquam certo loco consistunt, ne ab hominibus visitentur. Ad quemdam igitur hoc ritu atque hac lege viuentem, duo ex Nitriâ monachi, licet longè diuersa regione, tamen quia olim ipsis in monasterij conuersatione charus & familiaris fuisset, auditis eius virtutibus tetenderunt. Quem diu multumque quæsitum, tandem mense septimo repererunt in extremo illo deserto, quod est Memphis contiguum, demorantem; quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebatur habitare. Qui licet omnium hominum vitaret occursum, tamen agnitis fratribus non refugit, seque charissimis per triduum non negauit. Quarto die aliquantulum progressus, cùm prosequeretur abeuntes, leænam miræ magnitudinis ad se venire conspiciunt. Bestia, licet tribus repertis, non incerta quem peteret, anachoretæ pedibus aduoluitur: ac deinde præcedentem sequuntur. Nam illa præiens & subinde restans, in eos intendebat, vt facilè posset intelligi, id eam velle, vt quò illa ducebat, anachoreta sequeretur. Quid multis? ad speluncam bestiæ peruenitur, vbi illa adultos iam quinque catulos malefœta nutriebat. Qui vt clausis luminibus ex aluo matris exierant, cæcitate perpetuâ tenebantur. Quos singulos de rupe prolatos, ante anachoretæ pedes mater exposuit. Tunc demum sanctus aduertit, quid bestia postularet: inuocatoque Christi nomine, contrectauit manu clausâ lumina catulorum; ac statim cæcitate depulsâ, apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit. Ita fratres illo anachoretâ, quem desiderauerant, visitato, fructuosâ laboris sui mercede ad monasterium redierunt: & fidem sancti, gloriámque Christi quam ipsi viderant, enarrauerunt.

Anachoretarum domicilia & viuendi ratio.

Leæna anachoretæ pedibus supplex aduoluitur.

Anachoreta cæcis leænæ catulis visum donat.

Frater quidam ibicis exemplo didicit, quid de herbis edere, quidve respuere deberet. Cap. IX.

Seuerus Sulp. Dialogo 1. c. 10

FVIT & alius in illis regionibus anachoreta, qui in eâ parte, quæ est Syenes, habitabat. Hic cùm primùm se ad eremum con-

contulisset, herbis herbarumque radicibus, quas prædulcis interdum & saporis eximij fert arena, victurus, ignarus germinis eligendi, nociua plerumque carpebat: nec erat facile vim radicum sapore discernere; quia omnia æquè dulcia, sed pleraque occultiore naturâ virus letale cohibebant. Cùm ergo edentem vis interna torqueret, & immensis doloribus vitalia vniuersa quaterentur, ac frequens vomitus cruciatibus non ferendis ipsam animæ sedem, stomacho iam fatiscente, dissolueret, eremita omnia penitùs quæ essent edenda formidans, nihil iam attrectare aut gustare audebat. Septimum quoque ieiunus diem, spiritu iam deficiente, ducebat: cùm ad eum fera, cui ibicis est nomen, accessit: huic propiùs adstanti, fasciculum herbarum, quem collectum pridie attingere eremita non audebat, obiecit. Sed fera, quæ virulenta erant, ore discutiens, quæ innoxia nouerat, eligebat. Ita vir sanctus eius exemplo, quid edere, quid respuere deberet, edoctus, & periculum famis euasit, & herbarum venena vitauit.

Læditur vi herbarum ignotarum monachus.

Fame laborat.

Ibicis magisterio noxias herbas dijcit.

Cap. x.

Frater quidam quinquaginta annis in monte Sinâ constitutus, non patitur aliorum fratrum accessus.

Seuer. Sulpit. Dialogo 1. c. 11.

Posthumianus hæsit in solitudine anno integro cum 7. ferè mensibus.

Sed longum est de omnibus qui eremum incolunt, comperta nobis memorare. Annum integrum & septem ferè menses intra solitudinem constitutus exegi: sæpiùs tamen cum illo sene, qui puteum & bouem habuit, habitaui. Duo beati Antonij monasteria adij, quæ hodieque ab eius discipulis incoluntur. Ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est diuersatus, accessi: iugum Sina montis vidi, cuius cacumen cælo pænè contiguum, nequaquam adiri potest. Inter huius montis secessus anachoreta esse aliquis ferebatur, quem diu multumque quæsitum videre non potui. Qui ferè iam ante quinquaginta annos à conuersatione humanâ remotus, nullum vestis vsum habebat, sed setis corporis sui tectus erat. Hic itaque quoties eum religiosi viri adire voluerunt, cursu rapido auia petens, occursum fugiebat humanum. Vni tantummodò ferebatur se ante quinquennium præbuisse videndum, qui, credo, potenti fide id obtinere promeruit. Cui inter multa colloquia percontanti, cur homines tantopere fugeret, respondisse ille perhibetur: Qui ab hominibus frequentatur, non potest ab Angelis visitari. Vnde non immeritò receptâ opinione multorum, fama vulgauerat, sanctum illum ab Angelis visitari.

Cacumen montis Sina cælo panè contiguum.

In Sinâ monte anachoreta degit nudus.

Qui ab hominibus frequentatur, non visitatur ab Angelis.

Ibidem.

Ego autem à Sinâ monte digressus, ad Nilum flumen regressus sum, cuius ripas frequentibus monasterijs consertas, vtraque ex parte lustraui: plerumque vidi, vt dudum dixeram, vno in loco habitare centenos: sed & bina & terna millia in iisdem viculis agere constabat. Nec sanè ibi minorem putetis diuersantium in multitudine monachorum esse virtutem, quàm eorum esse cognouistis, qui se ab humanis cœtibus remouerunt. Præcipua, vt iam dixi, & prima ibi virtus, obedientia. Neque enim ibi aliter quis aduenìens, à monasterij abbate suscipitur, quàm qui tentatus fuerit & probatus, nullum vmquam recusaturus, licet arduum & difficile, indignumque abbatis imperium.

Monachorum Orientalium virtus prima obedientia.

Probatio nouitiorũ.

Cap. xi.

Obedientiæ incredibilis magna miracula.

Seuer. Sulpit. Dialogo 1. c. 12.

Referam vobis duo incredibilis obedientiæ magna miracula. Igitur cùm quidam frater sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressus, suscipi se rogaret in congregationem, abbas cœpit ei multa proponere: graues esse illius disciplinæ labores, sua verò dura imperia, quæ nullius facilè posset implere patientia: aliud potiùs monasterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret; & non tentaret aggredi, quod non posset adimplere. Ille verò his terroribus nihil permoueri, sed magis omnem obedientiam ita polliceri cœpit, vt si eum abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem vbi abbas accepit, non cunctatus probare, iubet eum in clibanum, qui coquendis panibus parabatur, intrare. At ille non distulit parêre præcepto: sed statim medias flammas, nihil cunctatus ingressus est. Quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cesserunt, & confestim fugit incendium. Et ipse qui ingressus est, & putabatur arsurus, velut frigido rore perfusum se esse miratus est. Sed quid mirum, si tuum, Christe, tironem ignis ille non tetigit, vt nec abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret obedientiam explesse. Hinc ergo intelligendum est, quantum obedientia obtinere apud Deum mereatur, dum ille qui eo quo aduenerat die tentatur infirmus, per agilitatem obedientiæ perfectus inuentus est. Meritò felix, meritò gloriosus probatus obedientiâ, glorificatus est passione.

Abbas initiandum igne explorat.

Ardentem clibanum ex obedientiâ quidam illæsus transit.

Cap. xii.

Aliud miraculum obedientiæ.

Seuer. Sulpit. Dialogo 1. c. 13.

Quidam itidem frater in eodem monasterio ad eumdẽ abbatem recipiendus adue-

aduenerat. Cùm prima ei lex obedientiæ proponeretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam, casu abbas storacinam virgam aridam manu gerebat: hanc fixit in terram, atque illi aduenæ id operis iniunxit, vt tam diu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec (quod contra naturam erat) virga arida in solo arente virescceret. Subiectus ille frater duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè millia petebatur. Iamque emenso anni spatio, labor non cessabat operantis, de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus, vano labore tantum effectum fratris eludit. Tertio demùm anno, succedentium temporum labente curriculo, cùm neque nocte neque die aquarius ille cessaret, virga floruit. Ego ipse ex illâ virgulâ arbusculam vidi, quæ hodieque intra atrium monasterij ramis virentibus quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides posset, ostendit.

Simile apud Pelag. libell. 14. num. 3.

Monachi miranda patientia, aridam rigantis virgam.

Tertio anno virga arida floruit.

Cap. XIII

Dæmonia eijciens etiam à dæmone possidetur: fine tamen salubri restituitur.

Seu. Sulp. Dialog. 1. cap. 14.

QVIDAM ex sanctis patribus fugandorum de corporibus obsessis dæmonum incredibili præditus potestate, multa signa faciebat. Non solùm enim præsens, neque verbo tantùm, sed & absens quoque, interdum cilicij sui fimbrijs aut epistolis missis obsessa corpora curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur à populis, ex multis locis ad eum venientibus: taceo de minoribus; præfecti, comites, atque diuersarum iudices potestatum, præ foribus illius sæpè iacuerunt. Hic enim omni potu in perpetuum penitùs abstinuit, ac pro cibo septem tantùm caricis sustentabatur. Intereà sancto viro, vt ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit subrepere. Quod malum vbi ille primùm potuit in se sentire grassari, diu multumque discutere conatus est: sed repellere penitùs non potuit. Vbique nomen eius dæmones fatebantur. Excludere à se confluentem populum non valebat: virus interim latens serpebat in pectore, & cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur, seipsum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuersus ad Dominum, orauit, vt permissâ in se diaboli potestate, similis illis fieret, quos ipse curauerat. Quid multis? ille præpotens, ille signis atque virtutibus toto Oriente vulgatus; ille ad cuius limina populi antè confluxerant, correptus à dæmone est: ac retentus in vinculis, omnia illa quæ energumeno solent fieri, perpessus, quinto demum mense purgatus est non tantùm dæmone, sed quod illi erat vtilius atque optatius, etiam vanitate.

Mira dæmonis eijciendi potestas.

Perpetua potus in monacho carentia.

Subrepit ei vana gloria.

Dæmonis celeberrimus fugator à dæmone possideri optat.

Possidetur à dæmon.

Liberatur à dæmone & vanâ gloriâ.

Eremita ad sæculum rediens quomodo punitus est.

Cap. XIV.

Seu. Sulp. Dialog. 1. cap. 15.

ADOLESCENS quidam prædiues opibus, genere clarus, habens vxorem & filium paruulum, cùm in Ægypto tribunus esset, & frequentibus aduersum * Blembos expeditionibus quædam eremi contigisset, sanctorum etiam tabernacula complura vidisset, à beato Ioanne eremitâ verbum salutis accepit. Nec moratus inutilem militiam cum vano honore illo contemnere, eremum constanter ingressus, breui tempore in omni genere virtutum perfectus emicuit. Potens ieiunijs, humilitate conspicuus, fide firmus, facilè se antiquis monachis studio virtutis æquauerat. Cùm interim subijt eum cogitatio iniecta per diabolum, quòd rectius esset vt rediret ad patriam, filiumque vnicum ac domum totam cum vxore saluaret: quod vtique & acceptius Deo foret, quàm si solum se sæculo eriperet, & salutem suorum negligeret. Istiusmodi ergo falsæ iustitiæ colore superatus, post quadriennium cellam suam atque propositum eremita deseruit. Sed vbi ad proximum monasterium, quod à multis fratribus habitabatur, accessit, caussam discessionis atque consilium quærentibus confitetur. Renitentibus cunctis, & præcipuè loci illius abbate, malè animo fixa sententia non potuit euelli. Igitur infelici se obstinatione proripiens, cum dolore omnium digressus est à fratribus. Et vix à conspectu eorum abscesserat, mox impletur dæmone: cruentasque spumas ore prouoluens, suis dentibus seipsum lacerabat. Deinde ad idem monasterium fratrum humeris reportatus, cùm coërceri in eo immundus spiritus non valeret, necessitate cogente ferreis nexibus alligatus, pedes cum manibus vinciuntur. Non immerita pœna fugitiuo. Post biennium verò oratione sanctorum ab immundo spiritu liberatus, ad eremum, vnde discesserat, mox regressus, & ipse correctus est, & alijs futurus pro exemplo, ne quem aut falsæ iustitiæ vmbra, aut incerta mobilitas inutili leuitate compellat semel cœpta deserere.

** forte Blemyes*

Tribunus diues eremum petit. Deco Ruff. lib. 2. c. 1.

Tentatus recedit ab instituto.

Inuaditur à dæmone.

Liberatus corrigitur.

Pœnitentiâ ductus eremũ repetit.

De

CAP. XV. *De habitu vel vestimento Aegyptiorum monachorum.*

Cassian. l.1. Instit. c.4. SVNT prætereà quædam in ipso Ægyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia. *Cucullorũ vsus & significatio.* Cucullis namque perparuis indesinenter vtuntur diebus ac noctibus, scilicet vt innocentiam & simplicitatem paruulorum iugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur.

Ibid. c.5. *Colobiorũ.* Colobiis quoque lineis induuntur, quæ vix ad cubitos vsque pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos eos habere actus & opera mundi huius, suggerat abscissio manicarum.

Ibid. c.7. *Palliolorũ.* Post hæc angusto palliolo tam amictus humilitate quàm vilitate pretij, colla pariter atque humeros tegunt, quod mafortes tam nostro quàm ipsorum nuncupatur eloquio.

Ibid. c.8. *Melotarũ.* Vltimum est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes appellatur. Qui tamen habitus pellis caprinæ, significat mortificata membra omni petulantiâ carnalium passionum, debere eos in summâ virtutum grauitate consistere.

Ibid. c.10. Matth. & Luc. 10. Calceamenta quoque, velut interdicta Euangelico præcepto recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus rigor hiemis sæuit, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodò muniunt pedes. Quibus tamen caligis quamquam licitò vtantur, vtpote Domini mandato concessis; Act. 12. Marc. 6. nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cùm accedunt ad celebranda seu ad percipienda sacrosancta mysteria, illud etiam existimantes secundùm litteram custodiri debere, quod dicitur ad Moysen & ad Iesum filium Naue: Exod. 3. Iosue 5. Solue corrigiam calceamenti tui; locus enim in quo stas, terra sancta est.

CAP. XVI. *De canonico orationum modo, & perfectâ abrenuntiatione sæculi.*

Cass. l.2. Instit. c.3. ITAQVE per vniuersam Ægyptũ & Thebaidam, vbicumque habentur monasteria, legitimum orationum modum in vespertinis conuentibus seu nocturnis vigiliis tenent. *Hora canonica in monasterijs.* Non enim illic quisquam congregationi fratrum interesse permittitur, nisi priùs vniuersis facultatibus suis reddatur extraneus. Et qui ingressus in congregationem fuerit, sic obedire cogitur cunctis, vt redeundum sibi secundùm sententiam Domini ad infantiam pristinam nouerit, *Nouitij debent ad infantiam reuerti.* nihil sibi consideratione ætatis vel annorum numerositate præsumens, quam in sæculo inaniter consumptam se reputat perdidisse: sed pro rudimentorum merito & tirocinij nouitate, quam se gerere in Christi militiâ recognoscit, subdere se etiam iunioribus compellitur.

Ibid. c.4. Igitur per vniuersam (vt diximus) Ægyptum duodenarius psalmorum numerus, tam in vespertinis quàm in nocturnis sollemnitatibus custoditur, ita dumtaxat, vt post ipsos psalmos duæ lectiones, vna veteris, alia noui Testamenti, subsequantur. Qui modus antiquitus constitutus, *Mos psallendi ab Angelo.* idcircò per tot sæcula intemeratus perdurat, quia non humanâ adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed cælitus angelico ministerio patribus antiquis fuisse delatus.

CAP. XVII. *Vbi Angelus in congregatione seniorum psalmos visus fuit cantasse.*

Cass. l.2. Instit. c.5. NAM cùm in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi viri, monachorum nomine censerentur, quique iam normam viuendi à successoribus apostolorum susceperant, secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, vt omnibus stupori esset tam ardua conuersationis eorum professio. Hi ergo venerabiles patres peruigili curâ posteris consulentes, qui modus quotidiano cultui per vniuersum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi omnes in vnum locum conueniunt, vt hereditatem pietatis ac pacis successoribus suis absolutam ab omni dispensationis lite transmitterent: *Dissonantiam & varietatẽ à religione amoliuntur patres.* verentes, ne qua in quotidianis sollemnitatibus inter viros eiusdem culturæ dissonantia vel varietas exorta, quandoque in posterum erroris noxij germen emitteret. Cumque pro suo vnusquisque feruore, diuerso modo psalmorum numeros instituèret, & alij quinquagenos, alij sexagenos psalmos; nonnulli vèrò nec hoc quidem contenti numero, transcendi eum debere censerent, essetque inter eos pro religionis gloriâ pia contentio, ita vt tempus vespertinæ sollemnitatis sacratissimæ quæstioni succederet: repentè vnus in medio eorum psalmos Domino cantaturus exurgit. *Angelus psallit cum orationum interiectione.* Cumque admirantibus cunctis, vndecim psalmos orationum interiectione distinctos, contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluia responsione consummans, ab vniuersorum oculis repentè subtractus, quæstioni pariter & cærimoniis finem imposuit.

Ibid. c.6. Exhinc sancti qui aderant seniores, intelligentes angelico magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, *Decretum patrum de canone psallendi.* decreuerunt hunc numerum tam in vespertinis quàm in nocturnis vigilijs custodire.

Cass. lib. 2. Instit. c. 7. Has igitur prædictas orationes hoc modo incipiunt atque consummant, vt finito psalmo, quem Gloria subsequitur, non statim ad incuruationem genuum corruant, sed antequam genua flectant, paulisper orant: & stantes in supplicatione, maiorem partem horarum expendunt. Itaque post hæc puncto breuissimo procidentes ad terram, velut orantes tantùm diuinam clementiam, cum summâ rursus velocitate consurgunt: ac iterùm expansis manibus, eodem modo quo priùs stantes orauerunt, suis precibus intentiùs immorantes. Dicunt enim ipsi, in terrâ diutiùs procumbentem monachum, quasi in oratione enixiùs laborantem, non solùm diuersis cogitationibus, sed etiam somno grauiùs impugnari. Experimento didicimus, quòd plerique non tam orationis gratiâ, quàm refectionis obtentu in terram prostrati, diutiùs videntur orationem protrahere. *Procumbere in oratione non probant.*

Cap. XXIX. *Quanta discretio & obseruantia in oratione tenenda sit.*

Cass. lib. 2. Instit. c. 10. CVM igitur prædictas sollemnitates, quas illi synaxeos vocant, celebraturi conueniunt, tantum præbetur à cunctis silentium, vt cùm in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, nullius vox, excepto canentis, personet. In quâ oratione non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non oscitatio somnolenta trahitur; nullaque vox absque sacerdotis precem concludentis auditur. Cùm autem ille qui orationem collecturus est, è terrâ surrexerit, ita vt nullus nec antequam inclinetur ille, genu flectere, nec cùm ex terrâ surrexit, morari præsumat. Ideò enim orationes illi celeri fine concludunt, ne fortè immorantibus eis diutiùs, redundantia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat orationis excessum: & idcircò dum adhuc feruet, velut de faucibus inimici velociter rapienda est. Qui cùm sit nobis semper infestus, tunc maximè adsistit infestior, cùm contra se offerre nos Domino preces videt. *Summum psalmorum tempore silentium.*

Ibid. c. 11. Quamobrem vtiliùs censent, breues quidem orationes, sed creberrimas fieri. Meliusque esse dicunt, decem psalmi versus cum contritione cordis & cum rationabili assignatione cantare, quàm totidem psalmos cum confusione mentis effundere. *Crebra orationes breues longioribus præferuntur.*

Cap. XIX. *Quòd in responsione Alleluia non dicatur psalmus, nisi qui hoc titulo prænotatur.*

Cass. lib. 2. Instit. c. 11. ILLVD quoque apud eos omni obseruantiâ custoditur, vt in responsione Alleluia, nullus dicatur psalmus, nisi is qui in titulo suo Alleluia inscriptione prænotatur.

Ibid. c. 12. Nullum etiam tempus ab operis exercitatione vacuum transire concedunt: quia non solùm ea quæ diei splendor emittit, omni instantiâ manibus exercere contendunt: sed etiam illa operationum genera sollicitâ mente perquirunt, quæ ne ipsius quidem noctis densissimæ tenebræ valeant impedire, credentes se tantò subliniorem spiritalium contemplationum puritatem mentis intuitu quæsituros, quantò diutiùs fuerint erga operis studium ac laboris intenti. *Nullum tempus vacuum vel ab oratione vel operatione.*

Ibid. c. 18. Hoc quoque nosse debemus, à vesperâ Sabbati, quæ lucescit in diem Dominicum, ad vesperam sequentem, apud eos genua non curuari, sed nec totis quidem quinquagesimæ diebus. *Quando genuflectendum.*

Cap. XX. *De opere manuum, & cur tertia, sexta, & nona psallatur.*

Cass. lib. 3. Instit. c. 2. ITA namque ab eis incessanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt psalmorum quoque vel ceterarum Scripturarum studium per totum diei spatium iugiter meditantes, in his officijs quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumant.

Ibid. c. 3. Tertiam verò horam & sextam atque nonam, trinis psalmis quotidie finiunt. His enim tribus temporibus etiam Danielem prophetam quotidie fenestris apertis in cœnaculo preces Domino fudisse cognoscimus. Nec immeritò hæc specialiùs tempora religiosis sunt officijs deputata: in his siquidem promissionum perfectio, & summa nostræ salutis est adimpleta. Horâ namque tertiâ, repromissus olim per prophetas Spiritus sanctus, super apostolos descendit, linguarumque omnium eis scientiam dedit. Horâ autem sextâ, immaculata hostia Dominus noster Iesus Christus oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendés, humani generis deleuit peccata. Eadem quoque horâ Petro in excessu mentis vocatio gentium, per summissionem vasis euangelici cælitus delati, & purificatio omnium generum animantium in eodem vase consistentium, delatâ ad eum voce diuinitus reuelatur, dicente ei: Surge Petre, occide & manduca. Quod vas quatuor initijs de cælo summissum, non aliud quàm Euangelium designare manifestè cognoscitur. Horâ verò nonâ Christus inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit: portasque æreas eius effringens, & seras ferreas conterens, captiuitatem *Daniel. 6. Act. 2. Mysterium horarum, tertiæ, sextæ, nonæ. Coloss. 2. Actor. 10. Matth. 27.*

tatem sanctorum quæ clausa tenebatur, secum transuexit ad cælos, igneaque rhomphæâ summotâ, antiquum incolam paradiso restituit. Eadem quoque horâ Cornelius centurio in precibus persistens, commemorationem orationum & eleëmosynarum suarum ante Deum factam, ab Angelo sibi loquente cognoscit. Quibus testimonijs liquidò comprobatur, non immeritò sanctis & apostolicis viris, has horas religiosis obsequijs consecratas, à nobis quoque obseruari similiter oportere: qui nisi velut lege quadam soluere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium obliuione aut desidiâ vel vanis occupationibus inuoluti, absque orationis interpellatione consumamus.

Act. 10.

Cap. XXI. *Cum quantâ discretione & cautelâ suscipiantur in monasterio abrenuntiantes sæculo.*

Cass. l. 4. Instit. c. 3. CVM igitur quis renuntiaturus sæculi negotijs, in monasterium se suscipi rogauerit, non antè admittitur, quàm diebus decem vel eò ampliùs pro foribus monasterij excubans, indicium perseuerantiæ suæ, pariter humilitatis ac patientiæ demonstrauerit. Cumque omnium fratrum prætereuntium genibus prouolutus, & ab vniuersis refutatus atque despectus sit, quasi qui non causâ religionis, sed necessitatis obtentu monasterium optet intrare, iniurijs quoque multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ: & qualis futurus sit in tentationibus, opprobrij tolerantiâ declarauerit: atque ita postmodum susceptus, diligentiâ summâ perquiritur, ne de facultatibus suis inhæserit, ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum sub monasterij disciplinâ diuturnum esse non posse, sed nec humilitatem aut obedientiam obtinere, si in conspectu eius quantulumcumque pecuniæ latitauerit.

Nouitiorum probatio ante ingressum & post.

Pecunias abdicant.

Ibid. c. 5. Quamobrem ita nudatur vnusquisque, cùm receptus fuerit, omni pristinâ facultate, vt ne ipsum quidem vestimentum, quo indutus est, habere permittatur vlteriùs: sed in conuentu fratrum productus in medium, exuitur proprijs indumentis, ac per manus abbatis induitur monasterij vestimentis: vt per hoc non solùm se vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatum, sed etiam omni mundiali fastu deposito, ad Christi paupertatem & inopiam se descendisse cognoscat.

Vestem deponunt.

Cum sæculari veste fastus simul deponendus.

Ibid. c. 6. Illa verò quæ posuit vestimenta, tamdiu reseruantur in monasterio, donec profectus & conuersationis eius ac tolerantiæ virtutem euidenter agnoscant. Et si posse eum ibi perdurare perspexerint, tunc indigentibus eadem vestimenta largiuntur: sin verò in quadam illum murmuratione vel qualibet inobedientiâ deprehenderint, exuenteseum monasterij, quibus indutus erat, vestimentis, & reuestitum antiquis, quæ seruata fuerant, depellunt de congregatione.

Vestes nouitiorum sequestrantur.

Ibid. c. 7. Cùm igitur quis susceptus, & hac perseuerantiâ (quâ diximus) fuerit comprobatus, ac depositis proprijs indumentis, habitu monasteriali fuerit accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur; sed deputatur alicui seniori, qui seorsum non longè à vestibulo monasterij commanens, habet curam peregrinorum atque aduenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit. Cumque ibidem cum ipso integro anno deseruiens, absque vllâ querelâ suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, doctus per hæc primâ institutione humilitatis, admiscetur posthæc congregationi fratrum.

Hospitibus famulantur.

Ibid. c. 8. Ac demum docetur primitus suas vincere voluntates, & ea illi sæpiùs imperare student, quæ senserint animo eius esse contraria. Pronuntiant enim, nullatenus posse monachum præualere vel iræ, vel tristitiæ, vel spiritui fornicationis, nisi priùs didicerit mortificare per obedientiam suas voluntates: sed nec humilitatem quidem cordis veram, nec cum fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in monasterio diutiùs permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare.

Docentur abdicare voluntatem.

Quòd nullus in monasterio sine iussione seniorum agere aliquid præsumat. Cap. XXII

Cass. l. 4. Instit. c. 10. POST hæc tantâ obseruantiâ apud eos obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientiâ vel permissu nec ad ipsas quidem naturales necessitates progredi præsumant: & sic vniuersa præcepta, quæ eis ab abbate fuerint imperata, complere festinant, tamquam si ex Deo sint cælitus edita: vt aliquando etiam impossibilia sibimet imperata, eâ fide ac deuotione suscipiant, vt totâ virtute perficere ea & consummare nitantur.

Superiorũ præcepta vt Dei accipiunt.

Ibid. c. 12. Itaque considentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi studium pariter impendentes, cùm signum aliquod audierint ad orationem eos seu ad opus aliquod inuitans, certatim de cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt ille qui scripturas exercet, cùm repertus fuerit inchoasse litteram, finire non audeat: sed in eodem puncto quo ad

Promptitudo ad opus.

aures eius sonitus pulsantis signi aduenerit, summâ velocitate prosiliens, ne tantum quidem moræ ei interponat, quantum cœpti apicis consummet effigiem.

Cass. lib. 4. c. 13. *Nulla proprietas.* Illam sanè virtutem inter ceteras institutiones eorum magnam esse cognouimus, quòd nulli fiscellam, nulli peculiarem sportam, nec aliquid aliud quasi proprium possidere liceat; sed nec verbo quidem audeat quis dicere, aliquid esse suum.

Cap. xxiii.

De tribus granis lenticulæ negligenter dimissis.

Cass. lib. 4. Instit. c. 20. IGITVR in septimanâ cuiusdam fratris, qui officio coquinæ deseruiebat: cùm præteriens præpositus monasterij, tria grana lenticulæ iacere vidisset in terrâ, quæ fratri festinanti ad coctionem præparandam, inter manus, quando aquâ lauabantur, elapsa fuerant, confestim super hoc abbatem consuluit. *Etiam leuis culpa punitur.* Tunc frater ille, velut interuersor & neglector sacri peculij iudicatus, ab oratione suspensus est: cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi cùm publicâ pœnitentiâ diluisset.

Cap. xxiv

De duobus monachis, in quorum septimanâ lignum defecit.

Cass. lib. 4. Instit. c. 21 NOVI alios fratres, in quorum septimanâ cùm accidisset tanta lignorum penuria, vt nō esset penitùs vnde soliti cibi fratribus pararentur, & donec possent coëmpta deferri, vt xerophagiâ contenti essent, abbatis fuisset auctoritate præceptum: essetque hoc vniuersis placitum, nec quisquam posset vllum coctionis sperare pulmentum: illos, velut qui fructu ac mercede sui laboris & obsequij fraudarentur, si in ordine vicis suæ cibos fratribus non secundùm consuetudinem parauissent, tantum sibi spontanei laboris ac sollicitudinis indixisse, vt in illis aridis ac sterilibus locis, in quibus ligna nisi de fructiferis arboribus excidantur, omnimodis nequeunt inueniri: neque enim in illis locis vlla reperiuntur fruteta siluestria. *Egregia fratrum charitas & sedulitas.* Igitur per extenta auia discurrentes fratres illi, & in eremum, quæ versus mare mortuum tenditur, abeuntes, festucas tenues ac spinulas, quas ventus huc illucque disperserat, colligentes, cunctam sollemnitatem ciborum spontaneis obsequijs præparauerunt. Tantâ namque fide hæc sua munera fratribus exhibuerunt, vt etiam cùm illos honestè posset vel lignorum excusare penuria, vel abbatis imperium, pro suo fructu atque mercede noluerint abuti licentiâ.

De beato Ioanne, qui habitabat iuxta Lyco oppidum.

Cap. xxv.

NECESSARIVM reor huic operi, commemorationem facere beati Ioannis, Cass. lib. 4. Instit. c. 23. Ruff. lib. 1. cap. 1. qui commoratus est iuxta Lyco, quod est oppidum Thebaidæ, quique propter obedientiæ virtutem vsque ad prophetiæ gratiam sublimatur. *Obedientiæ fructus prophetia.* Sic enim per totum clatuit mundum, vt & regibus mundi huius merito suo redderetur illustris. Nam cùm in extremis, vt dixi, Thebaidæ partibus commaneret, non antè præsumebat Theodosius Imperator ad præpotentium tyrannorum bella procedere, quàm illius animaretur oraculis atque responsis. Quibus confidens, velut cælitus sibi delatis, trophæa de desperatis bellis atque hostibus semper reportauit.

De obedientiâ eiusdem Ioannis.

Cap. xxvi

HIC itaque beatus Ioannes ab adolescentiâ suâ vsque ad perfectam ac virilem ætatem Cass. lib. 4. Instit. c. 24 cuidam seniori deseruiens, donec ille in huius vitæ conuersatione durauit, tantâ ei humilitate inhæsit, vt ipsi quoque seni stuporem summum obedientia illius incuteret. Cuius hanc virtutem, vtrùm de verâ fide ac profundâ cordis simplicitate descenderet, volens senex manifestiùs explorare, ei plura, etiam superflua & impossibilia, frequentiùs iniungebat, ex quibus pauca narrabo. Sumpsit namque de lignario suo virgultum senex, quod olim excisum, vsibus foci fuerat præparatum: cùm hoc coram ipso infixisset in terram, præcepit ei, vt aduectâ aquâ, quotidie illud bis irrigaret. Quod præceptum veneratione solitâ, sine vllâ impossibilitatis consideratione adolescens suscipiens, *Aridum lignum quotidie bis irrigat Ioannes.* ita quotidianis diebus expleuit, vt aquam per duo milliaria indesinenter apportans, nullatenus lignum cessaret rigare: atque per totum anni spatium, non infirmitas corporis, non occupatio necessitatis vllius intercedens, ab obseruantiâ præcepti huius potuit eum impedire. Cumque hanc sedulitatem tacitus senex latenter diebus singulis explorasset, & videret eum simplici cordis affectu mandatum suum, velut diuinitus imperatum, seruare: miserans tandem tam longi laboris eius perseuerantiam, accedens ad aridum virgultum, dixit: O fili Ioannes, misitne radices hæc arbor, an non? Cumque ille nescire se dixisset, senex velut tentans, si iam suis radicibus teneretur, euulsit coram ipso virgultum: & proijciens longiùs illud, præcepit discipulo, vt deinceps rigare cessaret.

De

Cap. xxvii. *De immani saxo, quod idem Ioannes per obedientiam aduexit.*

Cass. lib. 4. Instit. c. 25. ITAQVE cùm iam fama obedientiæ eius per monasteria vniuersa fragraret, quidam fratres probationis, imò ædificationis eius caussâ venerunt ad senem. Tunc senex vocans discipulum suum, ait ad eum: Curre, Ioannes, & saxum illud huc aduolue quantocyùs. Qui confestim saxum immane, applicitâ nunc ceruice; nunc toto pectore, tanto nisu atque conatu prouoluere contendebat, vt sudore membrorum suorum, non solùm totum infunderet vestimentum, sed etiam saxum ipsum suis ceruicibus humectaret. In hoc quoque parum metiens impossibilitatem præcepti vel facti, pro reuerentiâ senis & obsequij simplicitate sincerâ, quâ credebat totâ fide, senem nihil posse incassum ac sine ratione præcipere. Hucusque abbatis Ioannis pauca de multis dixisse sufficiat: nunc abbatis Mutij factum dignum memoriâ comprehendam.

In re impossibili omnes exerit vires.

Cap. xxviii. *De mirabili patientiâ abbatis Mutij.*

Cass. lib. 4. Instit. c. 27 HIC namque abbas Mutius abrenuntiare desiderans huic mundo, monasterium petijt. Qui tam diu pro foribus monasterij cum paruulo filio octo circiter annorum excubauit, donec suscipi mereretur. Cumque tandem recepti fuissent, confestim ab inuicem separati sunt, ne scilicet iugi visione paruuli, reminisceretur pater quam abiecerat facultatem: & quemadmodum diuitem se iam non esse sciebat, ita & patrem se esse nesciret. Quod vt pleniùs probaretur, vtrùm ipse plus faceret affectione sanguinis an obedientiæ, negligebatur paruulus, pannis potiùs quàm vestimentis indutus. Sed & colaphis atque alapis expositus diuersorum, quos plerumque sub oculis suis pater innocenti paruulo etiam gratis cernebat inferri, ita vt numquam genas eius nisi lacrymarum sordentibus vestigijs videret infectas. Cumque taliter infans sub oculis eius per singulos dies ageretur, ille pro amore Christi & obedientiæ virtute, rigido semper & immobili viscere perdurauit. Non enim reputauit iam suum filium, quem secum pariter obtulerat Christo, nec curabat de præsentibus eius iniurijs. Sed magis exultabat, quòd ille nequaquam districtionem mentis illius atque immobilem rigorem emolliret. Quod videns pater monasterij, ad comprobandam magis eius constantiam, cùm vidisset quadam die infantem plorare, simulans se iratum, præcepit patri eius, vt tollens eum, iactaret in aquam. Tunc ille velut à Domino hoc sibi esset præceptum, confestim celeri cursu rapiens filium, ad ripam fluminis iacturus aduexit. Quod profectò furore fidei & obedientiæ eius fuisset opere consummatum; nisi procurati fuissent ab abbate fratres, qui sollicite ripam fluminis possiderent ad paruulum eruendum: proiectumque iam quodammodò de fluminis alueo paruulum confestim rapuerunt, & cum summâ deuotione præcepto patris completo, ab effectu operis reuocauerunt.

Mutius paternum superat affectum ex obedientiâ.

Pater filium in flumen proijcit.

Ibid. c. 28. Cuius fides atque obedientia & deuotio intantum fuit Deo accepta, vt statim diuino testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuò seniori, hac eum obedientiâ Abrahæ patriarchæ opus impleſſe. Cumque breui tempore exacto, idem abbas migraret de sæculo, hunc patrem Mutium pro obedientiâ cunctis fratribus proponens, successorem sui atque abbatem monasterio reliquit.

Obedientia Mutij probata & laudata.

Cap. xxix *De monacho cuiusdem comitis filio, qui sportas per plateas iussus fuerat portare.*

Cass. lib. 4. Instit. c. 29 NOVIMVS quemdam fratrem, secundùm sæculi huius ordinem summæ familiæ; nam patre comite & ditissimo oriundus fuit. Qui relictis parentibus cùm ad monasterium peruolasset, ad comprobandam eius humilitatem, statim ei à seniore præceptum est, vt decem sportas grandes, quas necesse non erat tunc vendere, ceruicibus suis impositas, distrahendas per plateas circumferret: adiectâ conditione, quò diutiùs in hoc officio ipse detineretur, vt si fortè vnus eas emere pariter voluisset, non cederet, sed sigillatim eas quærentibus venderet. Quod ille totâ deuotione compleuit: & omni verecundiâ pro Christi desiderio calcatâ, sportas humeris suis imponens, & per plateas portans, statuto pretio distraxit, & pecuniam ad monasterium reportauit.

Nobilis monachus verecundiam fortiter calcat.

Cap. xxx. *De abbate Pinuphio, qui pro humilitate fugiens, de monasterio longiùs secessit.*

Cass. lib. 4. Instit. c. 30 VIDIMVS & abbatem Pinuphium, qui cum esset immanis monasterij presbyter, quod est in Ægypto, non longe a Panephysi ciuitate, & pro ipsâ reuerentiâ vel vitæ suæ vel ætatis vel sacerdotij, cunctis honorabilis existeret: videns se pro hoc ipso humilitatem tenere non posse, occultè fugiens de cœnobio, secessit solus in Thebaidis vltimas partes: ibique deposito indumento

Pinuphius presbyter honores fugit.

monachorum, assumptâ sæculari veste, monasterium Tabennensiotarum expetiuit, quod sciebat cunctis monasterijs esse districtius, & in quo se pro longitudine regionis credidit ignorandum. Vbi dum diutissimè pro foribus perseuerans, cunctorum fratrum genubus prouolutus, vt susciperetur summis precibus ambiuit. Cumque multo despectu probatus, & tandem fuisset admissus, continuò vt seni, nullique operi penitùs apto, horti cura diligentiaque mandatur. Quam ille operam sub alio fratre iuniore, qui eum sibi creditum retinebat, exercens, sic eidem subdebatur, vt non solùm ea quæ ad horti diligentiam pertinebant, sed etiam vniuersa officia, quæ erant cunctis fratribus aspera vel indigna, totâ quotidie sedulitate compleret: complura verò etiam nocte consurgens, ita furtim nullo teste operabatur, vt penitùs auctorem operis nemo deprehenderet. Cumque ibidem triennio delitescens, per vniuersam Ægyptum dispersis vbique fratribus quæreretur, à quodam tandem visus fratre, qui de Ægypti partibus aduenerat, vix potuit pro humilitate habitus sui ac vilitate officij, quod gerebat, agnosci: nam sarculo deorsum incuruus, præparabat oleribus terram: deinde stercus humeris suis apportans, eorum radicibus ingerebat. Cumque hæc intuens frater, super agnitione eius diutissimâ hæsitatione fuisset detentus, propiùs tandem accedens, non solùm vultum, sed etiam sonum vocis eius diligenter explorans, ad pedes eius cominus se proiecit. Tunc fratres stupere cœperunt, & inquirere cur hoc fecisset ei, qui apud ipsos velut nuper de sæculo egressus, habebatur extremus. Cumque eis frater ille rei ordinem & nomen ipsius abbatis indicasset, maiori miraculo sunt perculsi, quoniam & apud ipsos magnâ opinione fuerat compertus. Tunc ignorantiæ suæ veniam ab eo postulabant, quòd eum tanto tempore inter iuniores ac paruulos deputassent. At ille flebat multùm & lugebat, quòd scilicet inuidiâ diaboli fuisset proditus, nec licuisset ei diutiùs in tali humilitate atque abiectione perdurare. Tunc eum fratres inuitum ac flentem ad proprium monasterium reduxerunt, custodientes cum summâ diligentiâ, ne similiter quoque delapsus aufugeret.

Humiliatur.

Furtim nocte operatur.

Agnoscitur & honoratur.

Vbi cùm fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio accensus, captans nocturna silentia, ita defugit, vt iam non vicinam prouinciam, sed incognitas regiones expeteret. Nam conscendens nauim, in Palæstinæ partes commeare curauit, credens se tutiùs latiturum, si ad illa semetipsum asportasset loca, in quibus nec nomen quidem suum fuisset auditum. Quò cùm aduenisset, nostrum monasterium protinus expetiuit: quod non longè erat ab spelæo in quo Dominus noster ex Virgine nasci dignatus est. In quo monasterio modico tempore supradictus abbas Pinuphius delitescens, secundùm sententiam Domini, tamquam ciuitas supra montem posita, diutiùs abscondi non potuit. Nam continuò quidam fratrum, qui ad loca sancta de Ægypti partibus orationis caussâ venerant, agnitum eum cum multâ prece & maximè inuitum, ad suum iterùm cœnobium reuocauerunt.

Cassian. l. 4. Instit. c. 31.

Iterùm fugit.

Matth. 5.

Exhortatio optima ad nouitium monachum. Cap. XXXI

Hvnc igitur senem pro illâ, quæ nobis fuerat apud ipsum in nostro monasterio familiaris amicitia, cùm post hæc in Ægypto requisissemus, contigit vt nobis illic commorantibus, fratrem quemdam in monasterio suo reciperet. Cui miram exhortationem sub nostrâ præsentiâ indidit, quam mihi animus fuit huic opusculo intexere. Ait ergo ad eum: Nosti, fili, quot diebus pro foribus excubans, hodie sis receptus. Cuius difficultatis caussam primitus debes agnoscere. Poterit enim tibi in hac vitâ quam ingredi concupiscis, multùm conferre, si ratione eius agnitâ, ad seruitium Christi sicut oportet accesseris.

Cass. lib. 4. Instit. c. 31.

Rationem reddit cur difficulter recipiatur nouitius.

Sicut namque immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundùm institutiones huius regulæ ei cohærentibus repromittitur in futurum: ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam negligenterque fuerint executi: & secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidē exhibere neglexerint. Melius est enim non vouere, quàm vouere & non reddere: & maledictus qui facit opus Domini negligenter. Igitur ob id à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti, sed ne temerè receptus, & nos apud Deum leuitatis, & te reum grauioris supplicij fecerimus, si ad præsens facilè susceptus, nec pondus professionis huius intelligens, vel destitutor posthæc, vel tepidus extitisses.

Ibid. c. 33.

Eccle. 5.

Ierem. 48.

Noueris ergo hodiernâ die, te huic mundo & actibus eius esse defunctum: teque secundùm Apostolum, mundo huic esse crucifixum, tibique hunc mundum. Sed fortè dicis: Quomodo quis viuens potest esse crucifixus? Audi breuiter rationem.

Cass. lib. 4. Instit. c. 34.

Gal. 6.

Crux nostra timor Domini est. Sicut enim

Cass. lib. 4. Instit. c. 35.

Crux monachi timor Dei. enim quis crucifixus, iam non pro animi sui motu, membra sua quoquam mouendi vel conuertendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria, non secundùm id quod nos delectat ad præsens, sed secundùm præceptum Domini, quo nos constrinxit, applicare debemus. Et sicut ille qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, nullâ iam possidendi concupiscentiâ permouetur, seque cùm adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum: ita nos quoque timore Domini oportet esse crucifixos omnibus carnalibus vitijs, & illuc semper habere oculos mentis nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis esse migraturos.

Cass. lib. 4. Instit. c. 36. Cauendum est ergo, ne quid aliquando eorum præsumamus, quæ renuntiantes abiecimus. Non enim qui cœperit hæc, sed qui perseuerauerit in his vsque in finem, hic saluus erit. Matth. 10. & 24.

Cass. lib. 4. Instit. c. 37. Gen 3. Versutus enim serpens calcanea nostra semper obseruat, id est, insidiatur exitui nostro, & vsque ad finem vitæ nos semper supplantare conatur: & idcircò benè cœpisse nihil proderit, si benè consummatum non fuerit.

Cass. lib. 4. Instit. c. 38 Quapropter secundùm Scripturæ sententiam, ingressus ad seruiendum Domino, sta in timore Domini, & præpara animam tuam non ad requiem, non ad delicias, sed ad tentationes & angustias: per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Angusta namque est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Eccli. 2. Act. 14. Matth. 7.

Cass. lib. 4. Instit. c. 39 Principium ergo nostræ salutis timor Domini est. Per hunc enim & initium conuersionis, & virtutis custodia acquiritur. Qui cùm penetrauerit hominis mentem, contemptum omnium rerum parit, & mundi gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione omnium facultatum, humilitas vera acquiritur. Humilitas quomodo acquiratur. Humilitas autem his indicijs comprobatur: primo, si mortificatas in se monachus omnes habeat voluntates: secundo, si actus & cogitationes non celauerit seniorem: tertio, si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat: quarto, si in omnibus præceptis seruet obedientiæ mansuetudinem, & patientiæ constantiam: quinto, vt nulli inferat iniuriam, sed & illatas sibi patienter toleret: sexto, si nihil agat præter regulæ exempla: septimo, si ad omnia quæ sibi imperantur, velut operarium malum se iudicauerit & indignum: octauo, si semetipsum cunctis inferiorem pronuntiet: nono, si linguam suam cohibeat, & non sit clamosus in voce: decimo, si non sit facilis ac promptus in risu. Talibus namque indicijs humilitas vera dignoscitur. Signa humilitatis.

Cass. lib. 4. Instit. c. 41. Quid obseruandum in congregatione. Sed & hæc quoque tibi in congregatione necessariò custodienda sunt, vt scilicet secundum psalmistæ sententiam, sis tamquam surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum: nihil discernens, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint imperata. Psal. 37.

Ibid. c. 42. Ergo patientiam tuam non debes sperare de aliorum virtute, id est, vt tunc eam tantummodò possideas, cùm à nemine fueris irritatus.

Ibid. c. 43. Scala & gradus perfectionis. Principium nostræ salutis (sicut iam dictum est) timor Domini est. De timore Domini nascitur compunctio salutaris: de compunctione cordis procedit contemptus omnium facultatum ac nuditas: de nuditate humilitas procedit: de humilitate generatur mortificatio voluntatum: de mortificatione voluntatum extirpantur vniuersa vitia: expulsione vitiorum, virtutes fructificant atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis apostolicæ charitatis perfectio possidetur.

De monacho, qui ante constitutam horam peregrinos reficere coegit. Cap. XXXII.

Cass lib. 5. Instit. c. 24 Cvm de Syriæ partibus Ægypti prouinciam petissemus, quidam monachus senex probatissimus gratificè nos suscipiens, refectionem nobis ante constitutam horam ieiunij præparauit. Percontantibus ergo nobis, cur ante canonicam refectionis horam nos prandere cogeret; respondit & ait: Ieiunium, fratres, semper est mecum; vos autem continuò dimissurus, mecum iugiter tenere non potero. Itaque Christum in vobis suscipiens, reficere eum debeo: & cùm vos deduxero, districtionem ieiunij in memetipso potero compensare. Non enim possunt filij sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus: cùm autem discesserit, tunc licitò ieiunabunt. Hospitalitatis deuotio. Luc. 5. Matth. 9.

De monacho, qui numquam solus escam sumere solitus erat. Cap XXXIII.

Cass. lib. 5. Instit. c. 26 Vidimvs & alium in solitudine commorantem, qui numquam solus cibum sumere consueuerat: sed etiam si per totos quinque dies ad eius cellulam nullus ex fratribus aduenisset, refectionem iugiter differebat, ieiunus permanens, donec Sabbatorùm vel Dominico die congregationis obtentu

tentu

tentu procedens ad ecclesiam, peregrinum quempiam reperisset: quem exinde reducens ad cellulam suam, cum ipso pariter sumebat cibum.

CAP. XXXIV.

De Machete sene monacho.

Cass. lib. 5. Instit. c. 29.

VIDIMVS & alium senem, Machetem nomine, solitarium: cui hanc gratiam donauerat Dominus, vt si quando in conuentu fratrum per totam noctem & diem agitaretur collatio spiritalis, numquam ille somno opprimeretur: si quis verò detractionis verbum seu otiosum tentasset inferre, statim ille in somnum concidebat.

Ibid. c. 32.

Huic etiam seni, cùm aliquando epistolæ patris eius ac matris amicorumque multorum de prouinciâ Ponti transmissæ fuissent, accipiens grandem fasciculum litterarum, diuque apud semetipsum voluens, dixit: Quantarum cogitationum caussa erit mihi istarum lectio: quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent? Quantis diebus horum recordatione qui scripserunt, intentionem pectoris mei à propositâ contemplatione reuocabunt? Et hæc voluens in suo pectore, non solùm nullam resoluere epistolam definiuit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare: ne scilicet eorum qui scripserunt, vel nomina recensendo, vel vultus recordando, à spiritus sui intentione cessaret. Itaque vt eum constrictum acceperat, igni tradidit cremandum, Ite, inquiens, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me vlteriùs ad ea quæ fugi, reuocare tentetis.

Machet parentum & amicorum epistolas non lectas, ne iis distrahatur, exurit.

CAP. XXXV.

De Theodoro abbate.

Cass. lib. 5. Instit. c. 33.

VIDIMVS & alium abbatem Theodorum, summâ sanctitate ac scientiâ præditum non solùm in actuali vitâ, sed etiam notitiâ Scripturarum: quam ei non tam studium lectionis contulerat, quàm sola puritas cordis. Hic cùm explanationem cuiusdam obscurissimæ quæstionis inquireret, septem diebus ac noctibus in oratione infatigabilis perstitit, donec solutionem propositæ quæstionis Domino reuelante cognosceret. Hic idem beatus Theodorus, cùm inopinatus ad meam cellulam intempestâ nocte venisset, quidnam nouus adhuc eremita solus agerem, paternâ curiositate latenter explorans: cumque ego iam finitâ vespertinâ sollemnitate, lassum corpus cœpissem reficere, & me incubantem psiathio reperisset: protrahens ex intimo corde suspiria, meoque me vocitans nomine, dixit: Quanti, inquit, ô Ioannes, de Deo loquuntur, eumque in semetipsis amplectuntur, & tu fraudaris isto lumine, inerti sopore solutus? Itaque excitato me, salubriter deinceps vigilare compulit.

Notitiam Scripturarum sola cordis puritas confert.

Auctor se Ioannem vocat; Est Ioannes Cassianus.

CAP. XXXVI.

De anachoretis in vastissimâ eremo habitantibus.

Cass. lib. 5. Instit. c. 36

ITAQVE cùm de Palæstinæ monasteriis ad oppidum Ægypti, quod Diolcos appellatur, venissemus, ibique plurimam turbam cœnobii disciplina constrictam vidissemus, alium quoque ordinem, qui excelsior habetur, id est, anachoretarum, cunctorum præconiis instigati, sagacissimo corde videre properauimus. Hi namque in monasteriis primùm sub districtione regulæ diligenter edocti, durissimis dæmonum præliis congressuri, penetrant eremi profunda secreta. Huius ergo propositi viros comperimus * citra Nili fluminis alueum commorari, in loco qui vno latere Nilo flumine, alio maris vastitate circumdatus, insulam reddit, nullis aliis hominibus, quàm monachis secretum expetentibus optabilem. nec enim cuiquam culturæ aptam esse terram illam salsitas sali ac sterilitas patitur arenarum. Ad istos ergo summo desiderio festinantes, supra modum summos eorum labores, quos in solitudine tolerant, admirati sumus. Nam ipsius aquæ tantâ penuriâ constringuntur, vt tali diligentiâ dispensent, quali nemo facit pretiosissimum vinum. Tribus namque millibus & eo ampliùs, eam de Nilo flumine necessariis vsibus apportant: quod tamen interuallum arenosis diuisum montibus, laboris difficultate grauissimâ duplicatur.

Institutum anachoretarum.

* al. circa

CAP. XXXVII.

De Archebio monacho.

Cass. lib. 5. Instit. c. 37.

HIS igitur visis, cùm nos imitationis eorum ardor accenderet, vnus eorum probatissimus eremita, Archebius nomine, humanitatis gratiâ perduxit nos ad suam cellulam. Qui cùm comperisset, nos ibidem velle commorari, finxit se eumdem locum velle derelinquere, ac nobis cellulam suam, velut exinde migraturus, cœpit offerre. Dicebat autem hoc se facturum, etiam si nos non aduenissemus. Tunc susceptam cellulam ipsius, cum omnibus vtensilibus possedimus. Erat itaque illic paucis diebus, quibus construendæ cellæ pararet impendia, de illo loco discedens. Reuersus post hæc, aliam sibi summo labore construxit, quam rursum non longè pòst superuenientibus fratribus similiter chari-

Archebii in Cassianum liberalitas.

charitatis caussâ cum vniuerso tradidit instrumento. Ipse verò erga opus charitatis infatigabilis perseuerans, tertiam sibi cellam, vbi commaneret, instruxit.

Cap. xxxviii. *De duobus adolescentibus qui ficus ad ægrotum ferentes in itinere defuncti sunt.*

Cass. lib. 5. Instit. c. 40. QVIDAM autem frater, cùm ficus de Mareote, abbati Ioanni in eremum Scithim detulisset, ille statim eas ad senem quemdam, qui in interiore deserto malâ valetudine laborabat, per duos adolescentulos misit: siquidem decem & octo millibus longè ab ecclesiâ commanebat hic solitarius. Qui adolescentes acceptis pomis, cùm ad prædicti senis tenderent cellulam, infusâ repentè densissimâ nube, tramitem recti itineris perdiderunt. Cùmque totâ die ac nocte discurrentes per auiam eremi vastitatem, nequaquam potuissent eremitæ ægrotantis cellulam inuenire; tam itineris lassitudine quàm inediâ sitique confecti, fixis in terram genubus, dum orarent, spiritum Domino reddiderunt. Qui post hæc vestigiorum indicijs diutissime perquisiti, quæ in locis illis arenosis tamquam niuibus impressa designantur, donec ea leui flatu ventorum tenuis arena discurrens cooperiret, inuenti sunt tandem sicut orauerant iacentes, & ficus intactas, vt acceperant, reseruantes. Elegerunt enim animam magis quàm fidem depositi perdere: ne scilicet absque iussu abbatis quidquam victus præsumerent: vitamque potiùs voluerunt amittere temporalem, quàm senioris violare mandatum.

Maluunt adolescentes animam quàm fidem depositi perdere.

Cap. xxxix. *Quanta sit iugitas operum apud Aegypti monachos.*

Cass. lib. 10 Instit. c. 22. PER totam itaque Ægyptum monachi nullo modo patiuntur esse otiosi, sed victum suum labore manuum consequuntur: & non solùm de laboribus suis peregrinos & aduenientes fratres secum reficiunt, sed etiam per loca Libyæ, quæ fame laborant, nec non etiam per ciuitates his qui in carceribus & diuersis vinculis tenentur, immanem conferunt alimoniæ substantiam, de fructu manuum suarum rationabile sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.

Otium fugiendum.

Ibid. c. 23. Dicunt enim operantem monachum dæmone vno pulsari semper, otiosum verò innumerabilibus spiritibus deuastari.

Operans vno dæmone, otiosi multis pulsantur.

Cap. xl. *De abbate Paulo.*

Ibid. c. 24. DENIQVE abbas Paulus probatissimus patrum, cùm in eremo vastissimâ consisteret, quæ Porphyrio nuncupatur, tantùm palmarum fructibus & horto modico sustentabatur; nec poterat aliud vnde sustentaretur, operis exercere, eò quòd ab hominibus vel habitabili terrâ ampliùs quàm septem mansionibus aberat in deserto. Hic ergò ne momentum temporis penitùs otiosus staret, colligebat palmarum folia: & quotidianum pensum, velut exinde sustentandus, ipse à semetipso exigebat iugiter. Cùmque opere totius anni spelunca eius fuisset impleta, & non haberet qui hoc distraheret, neque ipse otiosus posset manere: totum quod sollicitâ curâ laborauerat, annis singulis igne supposito concremabat. Intantum probans, sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere.

Paulus pensum sibi diurnum imponit.

Operum manuum necessitas.

Cap. xli. *De fratre blasphemo, qui intolerabili æstu libidinis vrebatur.*

Cass. lib. 12 Instit. c. 20. NOVI alium fratrem, qui probatissimo cuidam seni, vitio carnis semetipsum grauissimè confessus est impugnari: intolerabili namque æstu libidinis vrebatur. Tunc senex velut spiritalis medicus, interiorem caussam & originem morbi huius protinus peruidens, grauiterque suspirans ait: Nequaquam, fili, tam nequam spiritui te Dominus permisisset, nisi aliquid blasphemasses in eo. Quod frater audiens, statim procidit ad pedes eius in terram, summaque admiratione perculsus, confessus est in Filium Dei cogitatione impiâ blasphemasse. Vnde perspicuum est, eum qui in Deum blasphemus existit, tamquam qui irroget illi iniuriam, perfectionis integritate priuari, & sanctificationem castimoniæ non mereri.

Inflammatio libidinis pœna est grauioris peccati.

Cap. xlii. *Vbi plurimi conuenerunt seniores ad sanctum Antonium gratiâ consolationis.*

Cassian. Collat. 2. cap. 2. QVODAM autem tempore conuenerunt plurimi seniorum ad beatum Antonium, commorantem in Thebaidæ partibus, perfectionis inquisitione & collationis gratiâ. Cùmque à vespertinis horis vsque ad lucem fuisset protracta collatio, quæstio discretionis maximum noctis spatium consumpsit. Nam diutissime inter eos quærebatur, Quænam virtus vel obseruatio monachum à diaboli laqueis custodire posset illæsum, vel certè ad Deum recto tramite firmoque gressu perduceret. Cùmque pro captu mentis suæ vnusquisque sententiam proferret in medium; & alij quidem hoc in ieiuniorum vigiliarumque studio collocarent, alij in nuditate & contemptu

Quæ res monachum à diaboli laqueis seruet illæsum.

ptu rerum, alij remotiorem vitam & eremi secreta censerent: & nonnulli in primis sectanda charitatis, id est, humanitatis officia definirent: quia ipsa piè erga fratres & peregrinos studio susceptionis impenduntur. Cumque in hunc modum piâ contentione decertarent, essetque iam noctis maximum tempus consumptum, respondens demum beatus Antonius vniuersis, dixit:

S. Antonij sententia. Omnia quidem hæc quæ dixistis, necessaria sunt & vtilia sitientibus Deum: sed his principalem tribuere gratiam, nequaquam nos innumerabiles multorum fratrum casus & experimenta permittunt. Nam sæpè vidimus fratres has obseruationes tenentes, repentino casu deceptos, eò quòd in bono quod cœperant, discretionem minimè tenuerunt. Nec enim alia caussa lapsus eorum deprehenditur, nisi quòd minùs à senioribus instituti, nequaquam potuerunt

Discretio viam regiam docet. rationem discretionis huius adipisci, quæ viam regiam docet monachum semper incedere, & nec excessu continentiæ modum transire permittit, nec deflectere ad vitia concedit. In omnibus ergo quæ agimus, discretio anteponenda est. Manifestissimè enim declaratur, nullam sine discretionis gratiâ perfectè posse vel perfici vel stare virtutem. Et hæc dicente Antonio, vniuersorum sententiâ definitum est, discretionem esse quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, & prædictas virtutes iugiter conseruet illæsas.

Discretio, virtutum genitrix & custos. Omnium namque virtutum genitrix & custos atque moderatrix, discretio est.

Cap. XLIII.

De Herone sene.

Cassian. Collat. 2. cap. 5. Et vt hæc exemplis certioribus approbemus, referam vobis de quodam sene, Herone nomine, qui discretionem minimè retinens, omnes pristinos labores perdidit, & insuper miserabiliter vitàm finiuit. Ante paucos etenim dies illusione diaboli, à summis ad ima deiectus est.

Defectu discretionis cadit Hero. Hic itaque quinquaginta annis in eremo commoratus, singularem vitæ districtionem tenuit, & solitudinis secreta miro furore vltra omnes sectatus est. Hic igitur post tantos labores ab insidiatore delusus, grauissimo lapsu corruens, cunctos in eremo constitutos luctuoso dolore percussit. Qui minimè cecidisset, si bonum discretionis tenere voluisset. Tanto siquidem rigore animi sui immutabilem ieiunij continentiam semper exercuit, & solitudinis ac cellulæ secreta

Etiam die sancto Pascha ieiunat. iugiter sectatus est, vt nec die sancti Paschæ rigorem abstinentiæ solueret. Cumque omnes eremitæ pro tantâ sollemnitate ad ecclesiam pariter conuenissent, solus ille non affuit: ne quantulacumque perceptione leguminis parui, à suo proposito videretur relaxasse: quâ præsumptione deceptus, angelum satanæ velut Angelum lucis suscipiens cum summâ veneratione, eiusque præceptis obediens, semetipsum in

In puteum se præcipitat. puteum profundissimum præcipitem iactauit, magnum scilicet virtutis suæ meritum probaturus, cùm inde exisset illæsus: de quo puteo cùm grandi fratrum labore semiuiuus extractus, vitam tertiâ die finiuit; & quod his deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, vt ei nullatenus potuisset persuaderi, quòd dæmonum calliditate fuisset delusus.

Cap. XLIV.

De duobus monachis, qui euntes per desertum, decreuerunt non sumere cibum, nisi Deus illis transmitteret.

Cassian. Collat. 2. cap. 6. Qvid dicam de illis duobus fratribus, qui habitantes vltra illam eremum, vbi quondam fuerat beatus Antonius commoratus, minùs cautâ discretione permoti, euntes per extentam solitudinis vastitatem, nullam escam penitùs sumere decreuerunt, nisi quam per semetipsum illis Dominus præstitisset? Cumque errantes eos per deserta, & deficientes iam fame, conspexissent à longè Mazices, quæ gens cunctis nationibus immanior atque crudelior est, non eos ad effusionem sanguinis desiderium prædæ, sed sola ferocitas mentis instigat. Visis ergo eis, contra naturam ferocitatis suæ cum panibus illis occurrerunt: tunc vnus ex illis fratribus subueniente discretione, velut à Deo porrectos sibi panes

Frater vnus discretione seruatur, altero indiscretè pereunti. cum gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi diuinitus ministrari, nec sine Dei iussu factum esse dicens, vt illi qui semper hominum sanguine gauderent, nunc deficientibus eis vitæ substantiam largirentur. Alius verò recusans cibum, velut ab homine sibi oblatum, inediæ labore consumptus, mortuus est: quorum scilicet quamuis initia ex reprehensibili persuasione descenderint, vnus tamen subueniente discretione, id quod incautè conceperat, emendasse cognoscitur: alius autem stultâ præsumptione perdurans, mortem quam Dominus ab eo auertere voluit, ipse sibi consciuit.

Cap. XLV.

De monacho, qui deceptus à diabolo, voluit filium suum immolare.

Cassian. Collat. 2. cap. 7. Qvid etiam de illo monacho commemorem, cuius nomen, quia adhuc superest, sileo. Qui dum longo tempore

Cassian. Collat. 2. cap 7. pore dæmonum in Angeli suscepit claritate, reuelationibus eius sæpe deceptus, credidit eum internuntium esse iustitiæ. Nam per omnes noctes in cellulâ eius lumen absque vllius lucernæ officio præbebat diabolus: ad extremum verò iussit eum, vt filium suum, qui cum eo pariter in eodem monasterio commanebat, deuotus Deo offerret victimam: vt scilicet hoc sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cuius verbis ille intantum est seductus, vt hoc confestim opere perfecisset, nisi puer de cellâ manibus eius elapsus, concitus aufugisset.

Diaboli præstigia cellam illuminatis.

C. XLVI. *De monacho, cui ostendebat diabolus exercitum Christianorum & Iudæorum.*

Cassian. Collat. 2. cap. 8. FVIT & alius monachus, qui nimiam semper tenuit abstinentiam, quique per annos multos singulariter in cellâ reclusus, perpaucis imitabilem exhibuit abstinentiam. Hic ad extremum ita est diabolicis reuelationibus delusus, vt post annuos labores atque virtutes, quibus alios monachos excesserat, ad Iudaismum & circumcisionem carnis miserabiliter sit lapsus. Post multa namque tempora diabolus, velut nuntius veritatis, ostendebat illi per vana somnia, & per quasdam inanes reuelationes, Christianorum atque monachorum exercitum tenebrosum ac tetrum, omnique macie tabidum atque deformem: & econtrà ostendebat illi Iudæorum plebem summâ lætitiâ tripudiantem, ingentique lumine coruscantem. Ac proinde commonebat eum, vt si mallet beatitudinis illorum particeps effici, circumcisionem quoque suscipere festinaret. Ex quibus profectò constat, quòd ex memoratis viris tam lugubriter nemo fuisset illusus, si rationem discretionis assequi laborassent. Quamobrem in quantis perniciosum sit discretionis gratiam non habere, multorum casus experimentis declarat.

Monachus impulsu dæmonis circumcidit seipsum.

C. XLVII. *De abbate Serapione.*

Cassian. Collat. 2. cap. 11. ABBAS Serapion solebat frequenter iunioribus fratribus, instructionis gratiâ, de seipso narrare, dicens: Cùm adhuc essem puerulus, & cum abbate Theone commanerem, hæc mihi consuetudo erat inimico imminente, vt postquam refecissem cum sene horâ nonâ, vnum paximatium quotidie in sinu meo latenter abscondere: quem serò, ignorante sene, occultè comedebam. Quod furtum licet quotidie perficerem, expleta tamen concupiscentiâ fraudulentâ, ad meipsum reuertens, super admisso furto acriùs cruciabar, quàm super esum illius fueram iucundatus. Cumque istud molestissimum opus singulis diebus explere non sine cordis mei dolore compellerer, & clandestinum furtum patefacere seni confunderer: contigit per Dei prouidentiam, quosdam fratres ædificationis obtentu cellulam senis auidissimos expetisse. Cumque refectione transactâ, confabulatio spiritalis interesse cœpisset, respondensque senex propositis interrogationibus eorum, de gastrimargiæ vitio & occultarum cogitationũ exponeret, ad vltimum intulit, dicens: Nihil sic noxium est monachis, & lætificat dæmones, quàm si celent cogitationes suas spiritales patres. Tunc ego compunctus corde, existimaui seni secreta pectoris mei patefacta: & in occultos primùm gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorumpens, cœpi amarissimè flere: & continuò eieci de sinu meo paximatium quod vitiosâ consuetudine clanculò paraueram comedendum. Cumque in medium proferens, quomodo quotidie inuoluens eum occultè ederem, prostratus in pauimento, cum veniæ postulatione confessus sum: & vbertim profusis lacrymis, orationibus eorum veniam apud Deum postulabam. Tunc senex dixit: Confide, fili, quia liberauit te à captiuitate istâ confessio tua: victorem namque aduersarium tuum hodie triumphasti, validiùs eum tuâ confessione elidens, quàm ipse fueras ab eo tuâ taciturnitate deiectus. Et idcircò post hanc publicationem tuam iste malignus spiritus non dominabitur tibi, nec in te latibulum sibi teterrimus serpens hactenus vsurpabit: quia de tenebris cordis tui per hanc confessionem proiectus est. Necdum senex hæc verba compleuerat: & ecce statim velut lampas magis accensa, de meo sinu procedens, tanto fœtore cellam repleuit, vt vix in eâ residere possemus. Resumensque senex, dixit: Ecce probauit tibi Dominus veritatem sermonum meorum, vt passionis illius incentorem de corde tuo confessione salubri fugatum, oculorum fide perciperes, patefactumque hostem, nequaquam locum in te vlteriùs habiturum, apertâ eius expulsione cognosceres. Itaque secundùm sententiam senis, ita est in me virtute confessionis dominatio diabolica extincta, vt numquam mihi vlteriùs nec memoriam concupiscentiæ huius tentauerit inimicus ingerere.

Serapion paximatiũ occultè aufert, & cruciatur.

Maximè noxium, cogitationes patri spirituali nõ detegere.

Confessione liberatur Serapion.

Confessionis quanta vis contrà dæmonem.

De monachis à Saracenis interfectis. C. XLVIII.

IN Palæstinæ partibus * iuxta vicum Thecue, qui Amos prophetam meruit pro- Cassian. Collat. 6. cap. 1.

 crea-

creare, solitudo vastissima est, vsque Arabiam ac mare mortuum (quò ingressa desiciunt fluenta Iordanis, & cinis Sodomorum) amplissimâ extensione porrecta pertingens. In hac solitudine summæ sanctitatis monachi diutissimè commorantes, repentè sunt à discurrentibus interempti Saracenis. Quorum corpora tam à populo regionis illius, quàm ab vniversâ Arabum plebe, tantâ veneratione sunt percepta, vt innumeri populi concurrentes ex vtraque parte, grauissimum sibi certamen pro reliquijs eorum indixerint, piè inter se pro sanctâ rapinæ deuotione decertantes, quinam iustiùs mereretur eorum sepulturam ac reliquias possidere: illis scilicet de vicinâ commoratione ipsorum, alijs de originis propinquitate gloriantibus.

Certamen pro reliquiis sanctorum.

C. XLIX.

De abbate Daniele.

Cassian. Collat. 4. cap. 1.

INTER ceteros eremitas, abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem ceteris in omnibus virtutibus, sed peculiariùs gratiâ humilitatis præditum. Qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ, à sancto Paphnutio eiusdem solitudinis presbytero, ad diaconij officium est prælectus. Intantum enim idem beatus Paphnutius virtutibus ipsius aggaudebat, vt quem vitæ meritis & gratiâ parem sibi nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret. Denique optans sibimet successorem dignissimum prouidere superstes, presbyterij honore eum prouexit. Qui tamen prioris consuetudinem humilitatis non omittens, nihil vmquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit: sed semper abbate Paphnutio offerente spiritales hostias, ille velut diaconus in prioris ministerij permansit officio. In quo tamen beatum Paphnutium, cùm talis vir esset ac tantus, vt in multis etiam præscientiam gratiæ possideret, hæc spes de substitutionis electione frustrata est. Nam non longè pòst, hunc ipsum quem sibi parauerat successorem, ante se ad Deum præmisit.

Danielis humilitas. *Fit presbyter.*

CAP. L.

De abbate Sereno.

Cassian. Collat. 7. cap. 1.

SVMMÆ sanctitatis & continentiæ virum, nominisque sui speculum, abbatem vidimus Serenum: quem singulari veneratione prę ceteris admirati sumus. Cui supra omnes virtutes, quæ non solùm in actu eius vel moribus, sed etiam ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, vt nec se ipsis quidem naturalibus incentiuis inquietari vel in sopore sentiret. Ad quam tamen carnis puritatem quomodo peruenerit, quia supra conditionem humanæ naturæ videtur, necessarium esse reor explicare.

Castitas Sereni in vultu refulgens.

Ibid. c. 1. *Quomodo ad castitatem peruenerit.*

Hic igitur beatus Serenus pro internâ cordis atque corporis castitate, nocturnis diurnisque precibus, ieiunijs quoque ac vigilijs infatigabiliter insistens, cùm se vidisset orationum suarum obtinuisse vota, cunctosque æstus in corde suo concupiscentiæ extinctos, velut suauissimo gustu puritatis accensus in maiorem suam sitim zelo castitatis exarsit, & intensioribus cœpit ieiunijs atque obsecrationibus incubare, vt mortificatio passionis huius, quæ interiori homini solò dono Dei fuerat attributa, ad exterioris etiam puritatem eatenus perueniret, vt ne ipse quidem vel vllo simplici ac naturali motu, qui etiam in paruulis atque lactentibus excitatur, vlteriùs pulsaretur. Cumque petitioni cœptæ supplicatione iugi ac lacrymis indefessus insisteret, adueniens ad eum Angelus in visione nocturnâ, eique velut aperiens vterum, quamdam ignitam carnis strumam de eius visceribus euulsit atque proiecit, suisque locis, vt fuerant, omnia intestina restituens, dixit ad eum: Ecce, inquit, incentiua carnis tuæ abscisa sunt, & obtinuisse te noueris hodierno die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter postulasti. Hæc de gratia Dei, quæ memorato viro peculariter attributa est, breuiter dixisse sufficiat.

Ibid. c. 2.

Ceterùm cùm ad eum die quadragesimâ venissemus, ac de diuersis quæstionibus eum flagitaremus, ad extremum de impugnatione dæmonum eum requirebamus. Tunc ille, vt semper erat, placidissimo vultu respondens, dixit: Non enim dęmones habere potestatem quemquam hominum lædendi, exemplum beati Iob manifestâ ratione demonstrat, vbi non ampliùs eum tentare audet inimicus, quàm diuinâ ei dispensatione conceditur.

Ibid. c. 12. Iob 1.

De eo, quòd non eamdem vim habeant nunc dæmones contra monachos, quomodo anteriori tempore.

CAP. LI.

Cassian. Coll. 7. cap. 23.

SATIS tamen nobis experientiâ nostrâ, & seniorum nostrorum relatione compertum est, non eamdem vim dæmones nunc habere contra monachos, quam anteriori tempore inter anachoretarum principia, in quibus adhuc raritas monachorum in eremo commanebat. Tanta namque tunc erat dæmonum feritas, vt vix paucissimi tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem in ipsis cœnobijs, in quibus commorabantur decem vel duodecim, ita eorum atrocitas grassabatur, & frequenter visi-

Vigilia contra dæmonem. visibiles sentiebantur aggressus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire: sed vicissim alijs degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes, psalmis & orationibus seu lectionibus inhærebant. Cumque illos ad soporem naturæ necessitas inuitasset, expergefactis alijs ad eorum qui dormituri erant custodiam, similiter vigiliæ tradebantur. Vnde dubitari non potest, vnum è duobus nunc esse: aut enim virtute crucis etiam deserta penetrante, & eius gratiâ vbique coruscante, retusa est nequitia dæmonum: aut negligentia nostra illos ab impugnatione pristinâ reddidit lentiores, dum dedignantur aduersum nos illâ intentione confligere, quâ tunc contra illos probatissimos Christi milites sæuiebant.

Cassian. Coll. 7. cap. 25. *Sanctorum purgatio ob leuia peccata.* Ceterùm corporaliter traditos satanæ vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos nouimus, pro leuissimis quibusque delictis; cùm in illis nec tenuissimum quidem peccatum aut maculam in illo iudicij die patitur inuenire diuina clementia: vt eos tamquam aurum probatum, ad illam perpetuitatem gloriosam, nullâ indigentes pœnali purgatione, transmittat, iuxta illud: Vir iustus probatur in fornace humiliationis. Eccli. 27. Et illud: Quem enim diligit Dominus, Heb. 12. Prou. 3. corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Cassian. Coll. 7. cap. 26. Quod nostris quoque temporibus satis euidens ostendit & aperta probatio in abbate Paulo vel Moyse, qui habitauerunt locum huius solitudinis, qui Calamus nuncupatur. Nam Paulus commoratus est in eremo, quæ adiacet Panephysi ciuitati, quam solitudinem iam olim factam aquæ salsissimæ inundatione cognouimus: quæ quoties flauerit spiritus Aquilonis, de stagnis impulsæ ac superfusæ adiacentibus terris, ita omnem illius superficiem contegit regionis, vt antiquos ibidem vicos, qui olim hac ipsâ de caussâ omni sunt habitatore deserti, faciat velut insulas apparere.

Cap. LII.

De abbate Paulo.

Cassian. Collat. 7. cap. 26. HIC igitur abbas Paulus in tantam cordis puritatem quiete solitudinis silentioque profecerat, vt non dicam vultum femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius, conspectui suo pateretur offerri. Nam cùm quadam die pergeret ad cuiusdam senioris cellam, casu mulier ei obuiauit: quam cùm vidisset, tantâ fugâ ad suum rursum monasterium, prætermisso quod arripuerat itinere, cucurrit, quantâ nullus à facie leonis vel immanissimi draconis aufugeret. *A muliere vt à facie leonis fugit Paulus.* Quod licet zelo castitatis & puritatis ardore sit factum, tamen quia non secundùm scientiam præsumptum est, sed obseruantiâ disciplinæ excessus est moderatus, ne elatio eum inuaderet: talique confestim correptione percussus est, vt totum corpus eius paralyseos valetudine solueretur, nullumque in eo membrum penitùs suum officium præualeret explere. *Indiscretio eius punitur.* Siquidem non solùm pedes ac manus, sed etiam linguæ motum, ipsæque aures ita auditus proprij amiserunt sensum, vt in eo nihil ampliùs ex homine, quàm immobilis statuæ figura remaneret. Et ad hoc redactus est, vt infirmitati eius nullo modo virorum diligentia deseruire sufficeret, nisi sola ei muliebris sedulitas ministraret. *Mulierum ministerium cogitur admittere.* Nam portato eo ad monasterium sacrarum virginum, cibus ac potus femineo ei ingerebatur obsequio: explendisque omnibus naturæ necessitatibus, eadem illi diligentia per annos fermè quatuor, id est, vsque ad vitæ suæ terminum seruiebat. Qui cùm tantâ esset membrorum omnium debilitate constrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum retentarent, tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt cùm de oleo, quod corpore suo tetigerat, vngerentur infirmi, statim à cunctis valetudinibus curarentur: *Donatur virtute curationum.* ita vt super hac eius valetudine euidenter claresceret, & debilitatem membrorum eius amore Domini contributam, & sanitatum gratiam pro testimonio & manifestatione meritorum eius Spiritus sancti virtute paratam.

De abbate Moyse.

C. LIII.

Cassian. Collat. 7. cap. 27. SECVNDVS verò, quem diximus, Moyses in hac eremo commoratus, cùm & ipse singularis & incomparabilis vir esset, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra abbatem Macarium duriùs protulit, tam diro dæmoni est confestim traditus, vt humanas egestiones ori suo ingereret. *Moyses ob leue peccatum à dæmone corripitur.* Quod flagellum purgationis diuinam ei intulisse dispensationem, ne vel momentanei peccati macula in eo resideret, velocitate curationis eius demonstratum est. Nam continuò abbate Macario in orationem prostrato, dictu citiùs malignus spiritus ab eo fugatus discessit. *Liberatur continuò.*

Ibid. c. 28. Ex quo manifestè perpenditur, non debere eos abominari vel despici quos videmus diuersis tentationibus vel malignis spiritibus tradi: quia duo hæc credere immobiliter nos oportet: primò, quòd sine Dei permissu nullus omnino tentetur: secundò, quòd omnia quæ à Deo nobis inferuntur, velut à piissimo patre ac clementissimo medico, pro nostris vtilitatibus irrogentur. *Non sunt contemnendi, qui à dæmonibus vexantur.*

De monacho, qui in solitudine noctu vidit multitudinem dæmonum.

Cassian. Collat. 8. cap. 16.

QVIDAM autem frater, cùm per solitudinem iter ageret, aduesperante die speluncam quamdam reperiens, ibidem substitit. Vbi dum psalmos ex more cantaret, tempus mediæ noctis excessit. Cumque finitâ vigiliâ, refecturus lassum corpus, paululùm resedisset, repentè cœpit innumerabiles cateruas dæmonum vndique confluentium intueri: quæ infinitâ constipatione procedentes, aliæ præibant principem suum, aliæ sequebantur: qui princeps eorum, & magnitudine procerior cunctis, & adspectu terribilior videbatur. Cumque in quodam solio sublimissimo consedisset, vniuscuiusque actus diligenti examinatione cœpit discutere: illosque qui necdum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes, à conspectu suo cum iniuriâ iubebat expelli, spatia tanti temporis & opus inaniter expensum cum fremitu furoris eis exprobrans. Illos verò, qui nuntiabant se consignatos sibi homines decepisse, summis laudibus cum exultatione ac fauore cunctorum, vt fortissimos pugnatores, ad exemplum cunctorum, gloriosissimos coram omnibus emittebat. Inter quos cùm quidam nequissimus spiritus, vtpote magnum triumphum nuntiaturus, lætior aduenisset, nomen monachi optimè cogniti designauit, asserens se post * quinque annos, quibus eum iugiter obsideret, vix eadem nocte in ruinam fornicationis mersisse. Super cuius relatione cùm immane cunctorum gaudium fuisset exortum, summis à principe eorum laudibus eleuatus, magnisque præconijs coronatus abscessit. Aurora itaque superueniente, cùm omnis multitudo dæmonum ab oculis eius euanuisset, dubitans frater ille de assertione spiritus immundi, memor etiam euangelicæ sententiæ, quòd in veritate non stetit, & quia non est veritas in eo; & cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: Pelusium petijt, vbi illum fratrem nouerat commorari, quem malignus spiritus asseruit esse deceptum. Erat etiam ibi & alius frater illi notissimus, quem interrogans de eodem fratre, reperit quòd eadem nocte, quâ teterrimus ille dæmon ruinam eius suo principi nuntiaret, monasterio pristino derelicto, vicum petisset, & in fornicationem miserabiliter cecidisset. Hæc autem audiens frater, suspirans & flens, reuersus est in locum suum.

Lapsu hominum diabolus lætatur.

* Cassian. *quindecim*

Ioan. 8.

De duobus philosophis, qui ad sanctum Antonium perrexerunt.

Cap. LV.

Cassian. Collat. 8. cap. 18.

QVODAM autem tempore duo quidam philosophi audientes famam beati Antonij, perrexerunt ad eum. Qui cùm inter se quasdam quæstiones habuissent, despicientes philosophi sanctum Antonium, velut imperitum & sine litteris virum, reuersi sunt ab eo. Volentes autem eum, si nihil ampliùs potuissent lædere, vel de cellulâ eius magicis præstigijs, & circumuentione dæmonum perturbare, immiserunt ei nequissimos dæmones ad impugnationem, hac inuidiâ & liuore perculsi, eò quòd multi hominum ad illum, velut Dei famulum, quotidie conuenirent. Cumque, illo nunc quidem imprimente pectori suo & fronti signaculum crucis, nunc verò orationi suppliciter incubante, nec appropinquare quidem durissimi dæmones eidem auderent, reuertebantur ad eos qui illos direxerant, sine effectu. Tunc illi alios rursum, quasi potentiores, miserunt. Cumque & illi fatigati reuertissent, iterùm alios nihilominùs potentiores ac vehementiores aduersus militem Christi destinauerunt, qui nihil penitùs præualuerunt, Antonio viriliter reluctante. Eo itaque nihil profecerunt tales tantæque eorum insidiæ, totâ magicâ arte & necromantiâ quæsitæ, vt per hæc euidentissimè comprobarent, magnam virtutem inesse professioni Christianorum, quibus illæ tam sæuæ vmbræ nihil Antonium, non solùm lædere, sed nec puncto quidem de habitaculo suo valuerunt perturbare.

Antonio philosophi immittunt dæmones ad impugnationem.

Fugantur oratione & signo crucis.

Pro hac ergo admiratione stupefacti philosophi, confestim ad sanctum Antonium venerunt, impugnationum suarum magnitudinem & caussas atque insidias liuoris sui ei patefecerunt, Christianos se fieri protinus poposcerunt. Cumque diem ab illis proditæ impugnationis requireret, indicauerunt; asseruit autem se beatus Antonius amarissimis cogitationum stimulis tunc fuisse pulsatum.

Ibid. c. 19. *Conuertuntur ad Christum philosophi.*

Eumdem beatum Antonium ita nonnumquam in oratione nouimus perstitisse, vt eodem in excessu mentis frequenter orante, cùm solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in feruore spiritus sic proclamantem: Quid me impedis, sol, qui ad hoc oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate.

Cassian. Collat. 9. cap. 31. *Tenebræ contemplantibus aptiores.*

IN.

IN LIBRVM QVARTVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

1 AVCTORIBVS.] *Inscripsi libri huius quarti auctores Seuerum Sulpitium & Ioannem Cassianum, quia ex eorum libris hic liber verbis eorum excerptus est. Quis excerpserit, non planè constat. Vide dicta in Prolegomeno generali* VI.

2. SEVERO SVLPITIO.] *Varia eius elogia habes initio operum eius, à variis doctis viris adornatorum. Dabo tantùm hîc ea, quæ Dialogorum, ex quibus hæc excerpta sunt, mentionem faciunt. Gelasius Decreti parte* I. *dist.* XV. *cap.* III. Opuscula Posthumiani & Galli apocrypha. *Hieronymus lib.* XI. *in Ezech. c.* XXXVI. *post enumeratos erroris Millenariorum sectatores, addit:* Et nuper Seuerus noster, in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit.

Ne mirere, Seueri Dialogos, in quibus Posthumianus & Gallus interloquuntur, numerari à Gelasio Papâ inter apocrypha. Continent enim quosdam næuos, quos vide notatos in Indice librorum expurgandorum à F. Ioanne Mariâ Brasichellensi, magistro sacri Palatij, & apud Bellarminum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Baronium varijs locis in Annalibus, & Possevinum nostrum in Apparatu sacro. Nulli tamen næui in his excerptis occurrunt.

Porrò de anno, quo Seuerus Sulpitius Dialogos suos conscripsit, ita Baronius tomo V. *anno Christi* CCCCII. *Innocentij Papæ* I. *Arcadij & Honorij Impp.* VIII. *Quoto, inquit, Domini anno Seuerus Dialogum illum scripserit, ex his pariter intelligi potest. Nam cùm idem dicat S. Hieronymus, eos* nuper *à Seuero conscriptos, constetque Commentarios in Ezechielem, vbi de his agit, anno quo à Gothis capta est vrbs, esse conscriptos (vt ex eius in libris illis affixis præfationibus apparet) nempe post octo ab hoc tempore annos: vtique fatendum est, longè post obitum S. Martini eam à Seuero scriptionem elucubratam; licet profectio illa Posthumiani in Orientem, à quâ sumit Dialogorum exordium, contigerit viuente S. Martino, anno videlicet, quo ob Origenistas contigit Alexandrinam ecclesiam turbis exagitari.*

Idem Baronius tomo V. *anno Christi* CCCCXXXI. *Cælestini Papæ* VIII. *Theodosij* XXIV. *Valentiniani* VII. *Impp. ostendit, Seuerum Sulpitium Dialogorum auctorem, diuersum esse à Seuero Sulpitio episcopo Bituricensi. quâ in re lapsi erant Seueri commentatores, Carolus Sigonius, Petrus Galesinius, & Victor Giselinus. quod etiam notauit Iosephus Scaliger Prolegomenis ad libros de Emendatione temporum, & Nicolaus Faber in Opusculis posthumis, Schediasmate de Dionysio Areopagitâ. qui hunc nostrum Seuerum ait fuisse monachum Primuliacensem.*

Posthumiani, qui Seueri Dialogis interloquitur, in Ægyptum peregrinatio describitur primo Seueri Dialogo, cuius excerpta hîc legis. quæ quo anno Christi existimetur contigisse, vide hîc Notationem ad caput II. *num.* 4. *Labitur Reatinus Victorius in Vitâ S. Hieronymi, qui existimauit Seuerum in Ægyptum profectum, cùm ipse Posthumiani profectionem narret.*

3. IOANNE CASSIANO.] *Et huius elogia varia habes ante eius Opera ab Henrico Cuyckio & Petro Ciaccone expolita. qui simul monent, quid in operibus Cassiani cauendum. Nihil in his excerptis censoriâ virgulâ dignum occurrit. Porrò de Cassiani in Ægyptum profectione, ita Baronius anno Christi* CCCCIV. *Innocentij Papæ* III. *Arcadij & Honorij Impp.* X. *postquam egit de Cassiano ad Innocentium Papam in caussâ Ioannis Chrysostomi legato misso: Ceterùm, inquit, post hæc Cassianus profectus in Ægyptum, ibi monasticam vitam excolere cœpit, indeque scribendi Collationes Patrum hausit argumentum. Exstat Isidori Pelusiotæ ad Cassianum epistola, cùm aggressus esset vitam monasticam profiteri, quâ eum in primis sibi coërcendam esse linguam admonuit. Hactenus Baronius.* Isid. Pelus. lib. I. epist. 309.

Quæ Baroniana de Cassiani in Ægyptum profectione putatio, non video qui cum Cassiani scriptis cohæreat. Ille enim se à pueritiâ ait inter eremitas versatum. Ita enim scribit præfatione ad Castorem episcopum, quam libris suis de Institutis Cœnobiorum præmisit, cùm caussas adfert, cur minùs idoneus nunc sit ad monastica Ægyptiorum monachorum instituta recolenda & recolligenda: Secundò, quòd ea, quæ à pueritiâ nostrâ inter eosdem constituti, atque ipsorum incitati quotidianis exhortationibus & exemplis, vel agere tentauimus, vel didicimus, vel visu percepimus, minimè iam possumus ad integrum retinere, tot annorum curriculis ab eorum consortio & imitatione conuersationis abstracti. *Vnde quoque colligitur, non esse eumdem cum nostro Cassianum, ad quem scribit Isidorus Pelusiota.*

4. ORIGENIS] *Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCXCIX. *Anastasij Papæ* II. *Arcadij & Honorij Impp.* V. *Accidit autem, cùm librorum Origenis caussâ tot tantæque turbæ concitatæ essent Alexandriæ, atque in vniuersâ Ægypto per Theophilum eius ciuitatis antistitem aliosque episcopos aduersus monachos scriptorum Origenis fautores, Posthumianum illum, qui apud Seuerum cum Gallo Dialogum* CAP. II.

 agit,

agit, Alexandriam appulisse, compluraque eorum quæ inter ambas aduersas partes transacta fuerunt, præsentem conspexisse. Soluens enim Narbonâ in Africam, ad tumulum sancti Cypriani martyris inuisendum perrexit: inde verò Cyrenensium legens ora, in Ægyptum peruenit, Ierosolymam profecturus visendorum caussâ locorum sanctorum, &c. Cuius in Ægyptum Ierosolymamque peregrinatio etsi non hoc anno, haud tamen multò post contigisse potuit.

Cap. v. 5. DVOS EGO IAM SENES.] *Quod hic de duobus senibus narratur sine nomine, hoc de Pæsio & Ioanne. ita narrat Cassianus lib.* v. *Instit. cap.* xxvii. Ad senem Pæsium in eremo vastissimâ commorantem cùm senex Ioannes magno cœnobio ac multitudini fratrum præpositus aduenisset, & ab eo velut ab antiquissimo sodale perquireret, quidnam per omnes quadraginta annos, quibus ab eodem separatus in solitudine minimè à fratribus interpellatus egisset; Numquam me, ait, sol reficientem vidit. Et ille, Nec me, inquit iratum. *Idem habetur apud Pelagium libello* iv. *num.* 24.

C.xlviii. 6 IVXTA THECVE VICVM.] *Martyrologium Romanum* xxviii. *Maij:* Thecue in Palæstinâ sanctorum monachorum martyrum, qui tempore Theodosij iunioris à Sarracenis occisi sunt: quorum sacras reliquias accolæ colligentes, summâ veneratione illas habuerunt. *Vbi Baronius notat: Hi illi esse videntur, de quibus agit Ioannes Cassianus in Collat.* vi. *cap.* i. ii. *& seq.*

Idem Baron. tomo v. *anno Christi* ccccx. *Innocentij Papæ* ix. *Honorij* xvi. *Theodosij* iii. *Impp. Cassianus, inquit, integrâ Collatione* vi. *in eo argumento versatur, vt doceat, cur Deus sanctos viros ab impijs necari permittat. Erat planè quæstio ista versata ore omnium his temporibus ob ingruentia vbique mala, & barbaros longè lateque grassantes. De eâ enim non Cassianus tantùm egit, sed eadem occasione etiam Augustinus in epistolâ ad Victorianum, quòd* August. epist. 122. *ille inter alia interpellasset*, Quare & serui Dei barbarorum ferro perempti sunt, & ancillæ Dei captiuæ ductæ. *Quæ itidem pluribus tractat ad Marcellinum in Commentarijs de Ciuitate Dei. Hactenus Baronius.*

Existimat ibidem Baronius, eodem tempore cladem Ægypto illatam à barbaris, probatque ex litteris Augustini ad Victorianum: Totus quippe mundus tantis affligitur cladibus, vt pæne pars nulla terrarum sit, vbi non talia, qualia scripsisti, committantur atque plangantur. Nam ante paruum tempus etiam in illis solitudinibus Ægypti, vbi monasteria separata ab omni strepitu quasi secura degebant, à barbaris interfecti sunt fratres. August. epist. 122.

Cassianus tamen, qui hoc tempore in Ægypto viuebat, nullam mentionem facit deprædationum per barbaros monasterijs Ægypti illatarum. Nam postquam narrauit de monachis in Palæstinæ partibus occisis, subdit: Mœsti ad sanctum Theodorum, singularem in conuersatione actuali perreximus virum. Hic namque morabatur in Cellijs, qui locus intra Nitriam & Scithin situs, & à monasterijs quidem Nitriæ quinque millibus distans, octoginta millium solitudine ab eremo Scithi, in quâ commorabamur, interueniente discernitur. *Atqui præcipua Ægypti monasteria erant in Scithi, Nitriâ, & Cellis.* Cassian. Coll. 6. cap. 1.

Quare quæ D. Augustinus habet de Ægypti monasterijs deuastatis, intellige de ijs, quæ erant in extremitate & limite Ægypti. Colligitur ex D. Hieronymo ep. lxxxii. *ad Marcellinum:* Hoc autem, *inquit*, anno, cùm tres explicassem libros, (*Ezechielis videlicet*) subitus impetus barbarorum, de quibus tuus dicit Virgilius:

——— lateque vagantes Aen. 4.

Barcæi: ———

& sancta Scriptura de Ismaël: Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit: sic Ægypti limitem Palæstinæ, Phœnices, Syriæ percurrit, & instar torrentis cuncta secum trahens, vt vix manus eorum misericordiâ Christi potuerimus euadere. Gen. 16.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

DE

DE VITIS PATRVM LIBER QVINTVS,

AVCTORE GRAECO INCERTO,

INTERPRETE PELAGIO S. R. E. DIACONO.

PRÆLVDIA.

De Libri huius apud Græcos inscriptione, materiâ, diuisione, & vtilitate.

PHOTIVS Patriarcha Constantinopolitanus Bibliothecæ suæ Cod. CXCVIII.

ΑΝεγνώσθη ΑΝΔΡΩΝ ΑΓΙΩΝ ΒΙΒΛΟΣ, πολιτείας τε αὐτῶν καὶ κατορθώματα πρὸς ψυχικὴν προκοπὴν καὶ ὠφέλειαν ἀπαγγέλλουσα.

Συγκεφαλαίωσις δ' ἦν, ὡς ἔοικε, καὶ σύνοψις τοῦ ΜΕΓΑΛΟΥ καλουμένου ΛΕΙΜΩΝΑΡΙΟΥ, ὃ ἀπαγγέλλει τοὺς βίους καὶ τὰ ἔργα τῶν περὶ Ἀντώνιον τὸν Μέγαν, καὶ τῶν ἑξῆς ἀκμασάντων. Ὥσπερ γὰρ τὸ καλούμενον ΝΕΟΝ ΠΑΡΑΔΕΙΣΙΟΝ, (al. παράδεισον) τὰς τῶν ἔτι νεωτέρων μέχρις Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως, καὶ μικρὸν ἔτι προσωτέρω πολιτείας καὶ τοὺς ἀσκητικοὺς ἀγῶνας ἀναγράφει.

Ἀλλ' οὖν τὸ προκείμενον βιβλίον εἰς δύο καὶ

LEgimus SANCTORVM VIRORVM LIBRVM, qui ipsorum vitas & rectè facta narrabat, ad spiritualem profectum atque vtilitatem. *Quæ libri huius apud Græcos inscriptio.*

Epitoma autem erat, vt apparet, & comprehensio MAGNI, quem vocant, LIMONARII, (seu PRATI SPIRITVALIS) quo & vitæ opera narrantur, tum Magni Antonij & æqualium, tum eorum qui post eos floruerunt. Quemadmodum & qui dictus est HORTVLVS NOVVS, his recentiorum ad ætatem vsque Heraclij, & paulò etiam viciniorum Vitas, religiosasque exercitationes describit. *Quæ libri huius materia.*

Verùm hic liber in duo & vi- *Quæ libri huius diuisio.*

viginti contractus, argumenta eorum cuiusque vtilitatem & obtinendi rationem, varijs narrationibus expositam habet.

I. Igitur horum caput admonitio est ad perfectionis profectum, & à varijs quidem illa instituta personis.

II. Tranquillæ vitæ ac solitariæ fructum ostendit.

III. De continentiâ agit, quam non in victu dumtaxat, sed & in reliquis animi motibus similiter exercendam docet.

IV. Vt se munire quisque debeat aduersus insurgentes à fornicatione pugnas.

V. De paupertate, vtque vitare auaritiam oporteat.

VI. De patientiâ & fortitudine.

VII. Nihil esse per ostentationem agendum.

VIII. Non oportere quemquam iudicare.

IX. De discretione.

X. Sobrium (siue circumspectum) semper esse oportere.

XI. Assiduè esse & cum attentione precandum.

XII. Hospitalitatem esse ac misericordiam cum hilaritate exercendam.

XIII. Obedientiam docet.

XIV. De humilitate.

XV. De malorum tolerantiâ.

XVI. De dilectione.

XVII. De ijs, qui visiones viderunt.

XVIII. De senibus qui miracula patrarunt.

XIX. De variorum sanctorum patrum vitâ Deo gratâ.

XX. Aliquot eorum qui in monasticâ exercitatione consenuerant, scitè dicta.

XXI. Collationes continet senum inter ipsos de suis considerationibus.

εἴκοσι, συγκεφαλαιούμενον ὑποθέσεις, ἑκάστης αὐτῶν καὶ τὸ χρήσιμον καὶ τὴν κτῆσιν διαφόροις διηγήμασιν ἐμφανίζει.

Ὧν τὸ μὲν πρῶτον κεφάλαιον παραίνεσιν εἰς προκοπὴν τελειότητος ἐκ διαφόρων προσώπων περιέχει.

Τὸ δεύτερον δὲ, τὸ ἀπὸ τῆς ἡσυχίας δείκνυσι κέρδος.

Τὸ τρίτον περὶ ἐγκρατείας διαλαμβάνει, καὶ ὡς δεῖ τὴν ἐγκράτειαν μὴ * βρώμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν τῆς ψυχῆς κινημάτων ὁμοίως ποιεῖσθαι. *al. σω-μάτων

Τὸ δὲ τέταρτον, πῶς δεῖ ἀσφαλίζεσθαι ἡμᾶς πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς πορνείας ἐπανισταμένους ἡμῖν πολέμους.

Τὸ δὲ πέμπτον, περὶ ἀκτημοσύνης, καὶ ὡς δεῖ καὶ τὴν πλεονεξίαν φυλάττεσθαι.

Περὶ ὑπομονῆς δὲ καὶ ἀνδρείας τὸ ἕκτον.

Καὶ τὸ ἕβδομον, ὅτι δεῖ μηδὲν πρὸς ἐπίδειξιν ποιεῖν.

Καὶ τὸ ὄγδοον, ὅτι οὐ δεῖ τινα κρίνειν.

Περὶ διακρίσεως δὲ τὸ θ΄.

Τὸ δὲ δέκατον, περὶ τοῦ δεῖν ἀεὶ νήφειν.

Καὶ τὸ ἑνδέκατον, ὅτι δεῖ ἀδιαλείπτως καὶ ἐν νήψει προσεύχεσθαι.

Καὶ τὸ δωδέκατον, ὡς φιλοξενεῖν δεῖ καὶ ἐλεεῖν ἐν ἱλαρότητι.

Περὶ ὑπακοῆς * ἐκδιδάσκει τὸ τρισκαιδέκατον. *al. ἡ διδασκαλία

Τὸ δὲ τεσσαρεσκαιδέκατον, περὶ ταπεινοφροσύνης.

Καὶ τὸ πεντεκαιδέκατον, περὶ ἀνεξικακίας.

Περὶ ἀγάπης δὲ τὸ ἑξκαιδέκατον.

Τὸ μέντοι ἑπτακαιδέκατον, περὶ διορατικῶν.

Καὶ τὸ ὀκτωκαιδέκατον, περὶ σημειοφόρων γερόντων.

Τὸ δὲ ιθ΄, περὶ πολιτείας θεοφιλοῦς διαφόρων πατέρων.

Καὶ λοιπὸν τὸ εἰκοστὸν, ἀποφθέγματα τῶν ἐν ἀσκήσει γηρασάντων.

Εἶτα τὸ πρῶτον καὶ εἰκοστὸν διαλέξεις εἰσάγει γερόντων περὶ λογισμῶν πρὸς ἀλλήλους.

Καὶ τὸ ἐπὶ πᾶσι δεύτερον καὶ εἰκοστὸν, Ἡσυχίου πρεσβυτέρου Ἱεροσολύμων γνώμας περιέχει.

Ἐν οἷς καὶ ὁ σύμπας τοῦ βιβλίου ἀπαρτίζεται λόγος.

Χρειωδέστατος καθεστὼς, εἴπερ τι ἄλλο, τοῖς ἐπὶ τῷ κλήρῳ τῶν οὐρανῶν τὸν βίον ἀσκουμένοις.

Ἔχει δὲ καὶ κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν, καὶ τὸ σαφὲς καὶ τ' ἄλλα τοιοῦτος, οἷος ἂν γένοιτο ἀνδράσιν ἁρμόζων περὶ μὲν τὸν κατὰ λόγους ἀγῶνα, μηδὲν ἐπεστραμμένοις, πάντα δὲ τὸν πόνον καὶ τὴν σπουδὴν εἰς τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις ἄσκησιν ἀναδεδεγμένοις.

XXII. Ad hæc omnia & vltimum caput sententias continet Hesychij presbyteri Ierosolymitani.

Quibus & liber hic totus absoluitur.

Vtilissimus profectò ijs, si quis alius, qui ad cælestem hereditatem parandam vitam suam componunt. *Qua libri huius vtilitas.*

Adhibet idem, quam promiserat, perspicuitatem quoque: alioqui cetera talis, qualis ijs aptùs sit viris, qui non de verbis laborent, sed omnem operam atque conatum in operibus exercendis ponant. *Quis stilus.*

NOTATIO.

1 GRÆCO INCERTO.] *Græcum aliquem huius libri auctorem esse, satis constat ex Photio, qui Græco exemplari vsus, & interprete qui ex Græco vertit: incertum tamen esse, quidquid aliqui diuinarint, Photius indicat, qui nullius nomen exprimit. Vide dicta Proleg. gener.* VII. *&* VIII.

2. PELAGIO.] *Consule, quæ de hoc notaui Prolegomeno generali* XIV.

3. PHOTIVS.] *Certum est, librum, cuius Photius Græcè suo tempore exstantis meminit, hunc eumdem esse, quem hîc Latinè habes, translatum partim à Pelagio S.R.E. Diacono, libro hoc* V. *partim à Ioanne Subdiacono S.R.E. libro* VI. *quem librum, qui apud Græcos & Latinos vnicus est, in duos distinximus ob diuersos interpretes, ita nobis Sigeberto Gemblacensi præeunte libro De viris illustribus cap.* CXVI. *&* CXVII.

Citat tamen duo Photius, quæ Latino exemplari videntur deesse. Primò deest hîc liber, quem Photius vocat numero XXI. *qui* Collationes continet senum inter ipsos, de suis considerationibus. *Non enim ille hoc quidem loco comparêre videtur, sed habetur hîc in fine libri* VII. *à Paschasio S.R.E. diacono è Græco translati, hoc titulo:* De meditationibus XII. anachoretarum. *quod Græcè exstat in Augustanâ Bibliothecâ, Cod.* LXVIII. *n.* 2. *diciturque in Catalogo eiusdem Bibliothecæ:* Narratio de XII. patribus, qui conuenerunt de suis ipsorum rectè factis. *Secundò deest hîc liber, quem Photius habet numero* XXII. *Non enim hîc habes* gnomas *seu* sententias Hesychij, *sed prodiêre ea tum Græcè tum Latinè duabus centuriis, ad Theodulum, separatim vulgata à Ioanne Pico Lutetiæ, anno Christi* M.D.LXIII. *typis Frederici & Guilielmi Morellij, post opuscula Marci anachoretæ; si tamen eædem sententiæ illæ sunt, quas Photius citat cum libro Hesychij edito.*

4. DE IIS QVI VISIONES VIDERVNT.] *Ita* διορατικῶν *vertit Schottus noster, & inde librorum editorum corrigendam* ἐπιγραφὴν *existimauit. Videndum num potiùs ex editis hæc versio sit interpolanda:* De præuidentiâ (*seu* peruidentiâ) & contemplatione. *Nam* διορῶ *est* transpicio, *quo Latino verbo vtitur Lucretius & Lactantius, vel* perspicio. *Vnde* διορατικὸς, perspicax ad internoscendum, *vti vsurpat Chrysostomus, Damascenus, Aphrodisæus. Vide Budæum. Hinc in Athanasio de Vitâ sancti Antonij:* Ἐγὼ γὰρ πιστεύω, ὅτι καθαρεύουσα ψυχὴ πανταχόθεν, καὶ κατὰ φύσιν ἑστῶσα, δύναται, διορατικὴ γενομένη, πλείονα καὶ μακρότερα βλέπειν τῶν δαιμόνων. *quæ vertit Dauid Hæschelius:* Persuasissimum enim habeo, animum à perturbationum sordibus vacuum, & naturâ constantem, dono perspicacitatis imbutum, longè plura & remotiora quàm dæmones perspicere posse. *Sozomenus lib.* I. *cap.* XIII. *de S. Antonio:* Εἰ δὲ καὶ τούτου, φησὶ, μέλει τῳ, καθαρεύετω τὴν ψυχήν. τοῦτο γὰρ δύνασθαι διορατικὴν αὐτὴν ποιεῖν, καὶ τῶν ἐσομένων ἐπιστήμονα, τοῦ Θεοῦ τὸ μέλλον προαναφαίνοντος: Quòd si huius rei (dicere solitus est) cura cuiquam sit, animum omni labe purget: nam illud solum posse eum perspicacem efficere, & rerum futurarum scientem, Deo videlicet quod futurum sit præsignificante.

LIBEL-

Libel. I. DE PROFECTV PATRVM.

LIBELLVS PRIMVS.

De profectu patrum.

1 ANTONII Ruffin.l.3. n.108.

Tria media salutis.

INTERROGAVIT quidam abbatem Antonium, dicens: Quid custodiens placebo Deo? Et respondens senex dixit: Quæ mando tibi, custodi. Quocumque vadis, Deum semper habe præ oculis tuis: & in his quæ agis, adhibe testificationem sanctarum Scripturarum: & in quocumque loco sederis, non citò mouearis. Hæc tria custodi, & saluus eris.

EIVSDEM. Append. Martini n.54. *Continentia linguæ & ventris.*

2. Interrogauit abbas Pambo abbatem Antonium, dicens: Quid faciam? Respondit ei senex: Noli esse in tuâ iustitiâ confidens: neque pœniteaaris de re transactâ: & continens esto linguæ tuæ & ventris.

GREGORII. *Tria exiguntur à baptizato.*

3. Dixit sanctus Gregorius: Quia hæc tria exigit Deus ab omni homine, qui est Baptismum consecutus: id est, fidem rectam ex totâ animâ & virtute, linguæ continentiam, & castitatem corporis.

INCERTI. *Portus impassibilitatis.*

4. Dixit abbas [1] Euagrius: Quia dicebant quidam patrum, quòd siccior [2] & non inæqualis victus charitati coniunctus, citiùs introducat monachum [3] in portum impassibilitatis.

INCERTI. *Monacho pater immortalis est.*

5. Iterùm dixit: [4] Nuntiata est cuidam monacho mors patris sui. Ille autem ait ad eum qui nuntiabat sibi: Desine, inquit, blasphemare; meus enim pater immortalis est.

ZACHARIAE. *Quod opus monachi.*

6. Dixit abbas Macarius abbati Zachariæ: Dic mihi, quod est opus monachi? Dixit ei: Me interrogas, pater? Et dixit ei abbas Macarius: Certus sum de te, fili Zacharia: est enim qui me pulsat, vt interrogem te. Dixit ei Zacharias: Quantum ad me, pater, hoc puto, quoniam quicumque semetipsum necessitatibus subiecerit atque coëgerit, ipse est monachus.

THEODORI.

7. Dicebant de abbate Theodoro, cui est prænomen [5] de Pherme, quia hæc tria capitula habuerit supra multos: id est, nihil possidendi, abstinendi, homines fugiendi.

IOANNIS. *Manè de omni virtute cogitandum.*

8. Dixit abbas Ioannes Nanus: Ego volo hominem ex omnibus virtutibus percipere. Itaque per singulos dies surgens manè, de omni virtute sume principium, & mandatum Dei custodi in magnâ patientiâ, cum timore & longanimitate, in charitate Dei, cum proposito animæ & corporis, & humilitate multâ: in patientiâ, in tribulatione cordis & obseruationis, in oratione multâ & supplicationibus, cum gemitibus: in puritate & munditiâ linguæ, & custodiâ oculorum, iniuriam patiens, & non irascens; pacificus, & non reddens malum pro malo: non attendens ad vitia aliorum, neque teipsum exaltans; sed esto subditus & humilior omni creaturæ: renuntiando omni materiæ corporali, & his quæ secundùm carnem sunt, in cruciatu, in certamine, in humilitate spiritus, in bonâ voluntate & abstinentiâ spirituali: in ieiunio, in patientiâ, in fletu, in certamine pugnæ, in discretione iudicij, in castitate animi, in perceptione boni cum quiete, & opere manuum tuarum: in nocturnis vigilijs, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus, includens te sepulcro tamquam iam mortuus, vt videatur tibi esse proxima mors omni die.

Velut sepulcro inclusus viuas.

IOSEPH. *Tres ordines Deo grati.*

9. Dixit abbas Ioseph Thebæus: Quia tres ordines sunt honorabiles in conspectu Domini. Primus est, quando homo infirmatur, & adijciuntur ei tentationes, & cum gratiarum actione suscipit eas. Secundus autem est, quando aliquis omnia opera sua facit munda coram Deo, nihil habens humanum. Tertius verò, quando aliquis sedet in subiectione & præceptis patris spiritualis, & omnibus proprijs renuntiat voluntatibus.

IOANNIS. Cassian. lib.5. Instit. cap.18.

10. Narrauit abbas Cassianus de quodam Ioanne abbate, qui erat primus congregationis, quòd magnus quidem fuerit in vitâ suâ. Hic autem cùm moriturus esset & discessurus cum hilaritate & proposito mentis ad Dominum, circumsteterunt eum fratres, rogantes verbum aliquod compendiosum & salutare loco hereditatis sibi ab eodem relinqui, per quod possent ascendere ad perfectionem, quæ est in Christo. Ille autem ingemiscens, ait: Numquam feci propriam voluntatem, nec aliquem docui quidquam, quod ego prius ipse non fecerim.

Compendiosum ad salutem verbum.

NISTERONIS. *Secundùm Deum operandum.*

11. Frater interrogauit senem, dicens: Quę res sic bona est, quam faciam, & viuam in eâ? Et dixit senex: Deus solus scit, quod bonum est; sed tamen audiui, quia interrogauit vnus patrum abbatem Nisteronem magnum, qui erat amicus abbatis Antonij, & dixit ei: Quod opus est bonum vt faciam? Et ille respondit ei: Non sunt opera omnia æqualia. Scriptura dicit, Quia Abraham hospitalis fuit, & Deus erat cum

Gen. 18.

eo. Et

eo. Et Elias diligebat quietem, & Deus erat cum eo. Et Dauid humilis erat, & Deus erat cum ipso. Quod ergo vides secundùm Deum velle animam tuam, hoc fac, & custodi cor tuum.

PASTORIS. *Tres animæ operationes.* 12. Dixit abbas Pastor: Quia custodire, & semetipsum considerare, & discretionem habere, hæc tria operationes sunt animæ.

EIVSDEM. *Deo seruiendum.* 13. Frater quidam interrogauit eum, dicens: Quomodo debet homo conuersari? Respondit ei senex: Vidimus Danielem, quia non est inuenta accusatio eius, nisi de seruitio quod exhibebat Deo suo.

EIVSDEM. App. Mart. n. 8. titulo Moysis. Ezech. 14. *Tres operationes Deo acceptæ.* 14. Dixit iterùm: Quia paupertas, tribulatio, & discretio, hæ sunt operationes solitariæ vitæ. Scriptum est enim, Quia si fuerint hi tres viri, Noë, Iob, & Daniel: Noë personam habet nihil possidentium, Iob autem personam tribulantium, Daniel verò discernentium. Si ergo sunt hæ tres actiones in homine, Deus habitat in eo.

EIVSDEM. *Quis liber à mundo.* 15. Dixit abbas Pastor: Quia si duas res oderit monachus, potest liber esse ab hoc mundo. Et dixit frater: Quæ sunt istæ? Et dixit senex: Carnalem repausationem, & vanam gloriam.

PAMBO. Ruffin. l. 3. n. 160. 16. Dicebant de abbate Pambo, quia in ipsa horâ, quâ discedebat ex hac vitâ, dixit adstantibus sibi viris sanctis: Quia ex quo veni in hunc locum solitudinis, & fabricaui mihi cellam, & habitaui; extra laborem manuum mearum non recolo me comedisse panem, neque pœnituisse de sermone, quem locutus sum vsque in hanc horam. Et sic vado ad Dominum, quomodo qui nec initium fecerim seruiendi Deo. *Monacho semper incipiendum.*

SISOIS. *Vnde requies.* 17. Dixit abbas Sisois: Esto contemptibilis, & voluptates tuas post tergum tuum projice; & esto liber & securus à sæcularibus curis, & habebis requiem.

CHAME. *Fuga hæreticorum.* 18. Abbas Chame cùm esset moriturus, dixit filijs suis: Nolite habitare cum hæreticis: neque habeatis notitiam iudicum: neque sint manus vestræ apertæ ad aliquid congregandum; sed sint magis extensæ ad tribuendum.

INCERTI. Patch. c. 21 n. 2. *Quomodo veniat timor Dei.* 19. Frater interrogauit senem: Quomodo venit timor Dei in hominem? Et dixit senex: Si habet homo humilitatem & paupertatem, & non iudicet alterum, sic venit in eo timor Domini.

INCERTI. Patch. c. 21. n. 3. 20. Dixit senex: Timor, & humilitas, & egestas victualium, & planctus maneant in te.

INCERTI. Ruffin. l. 3. n. 153. Patch. c. 16. n. 2. 21. Dicebant ergo quidam senum: Quidquid odio habes, alij ne facias. Si odis qui tibi malè loquitur, neque tu malè loquaris de aliquo: si odio habes qui tibi calumniam facit, neque tu facias alicui calumniam: si odio habes qui te in calumniam ducit, aut iniurijs appetit, aut aufert quod tuum est, aut aliquid tale facit, tu nihil horum facias cuiquam. Qui ergo hoc verbum custodire potest, sufficit ei ad salutem. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.*

INCERTI. Psal. 96. *Quæ vera monachi vita.* 22. Dixit senex: Vita monachi hæc est, opera, obedientia, meditatio, & vt non iudicet, aut non obloquatur, aut non murmuret. Scriptum est enim: Qui diligitis Dominum, odite malum. Monachi vita hæc est, non ingredi cum iniusto, neque videre oculis suis mala, neque curiosè agere, neque scrutari, neque audire aliena: neque manibus rapere, sed magis tribuere, neque superbire corde, neque cogitatione malignari, neque ventrem implere, sed cum discretione omnia agere. Ecce in his est monachus.

INCERTI. 23. Dixit senex: Roga Deum, vt det luctum in corde tuo & humilitatem: & respice semper in peccatis tuis, & non iudices alios; sed esto subiectus omnibus, & ne habeas amicitias cum muliere, neque cum puero, neque cum hæreticis. Abscinde à te fiduciam, & retine linguam tuam & ventrem, & abstine à vino. Et si quis loquitur tecum de quacumque caussâ, noli contendere cum eo. Sed si benè dicit, dic: Etiam. Si autem malè, dic ei: Tu scis, quod loqueris. Et ne contendas cum eo de his quæ locutus est, & tunc erit mens tua pacifica. *Quomodo mens sit pacifica.*

LIBELLVS SECVNDVS.

De Quiete.

ANTONII Ruff. l. 3. n. 100. tit. Moysis. & in Vitâ Antonij cap. 52. *Piscis extra aquam, monachus extra cellã.* 1. DIXIT abbas Antonius: Sicut pisces, si tardauerint in sicco, moriuntur: ita & monachi tardantes extra cellam, aut cum viris sæcularibus immorantes, à quietis proposito reuoluuntur. Oportet ergo sicut piscem in mari, ita & nos ad cellam recurrere; ne fortè foris tardantes, obliuiscamur interioris custodiæ.

EIVSDEM. *Solitudinis commodum.* 2. Dixit iterùm: Qui sedet in solitudine, & quiescit, à tribus bellis eripitur; id est, auditus, locutionis, & visus: & contra vnum tantummodò habebit pugnam, id est, cordis.

ARSENII. Ruff. l. 3. n. 190. *Fuge, tace, quiesce, salutis principia.* 3. Abbas Arsenius, cùm adhuc esset in palatio, orauit ad Dominum, dicens: Domine, dirige me ad salutem. Et venit ei vox, dicens: Arseni, fuge homines, & saluaberis. Idem ipse discedens ad monachilem vitam, rursum orauit, eumdem sermonem dicens. Audiuitque vocem dicentem sibi: Arseni, fuge, tace, quiesce: hæc enim sunt radices non peccandi.

EIVSDEM Ruff. l. 3. n. 191. 4. Venit aliquando beatæ memoriæ Theophilus Archiepiscopus ad abbatem Arsenium, cum quodam iudice. Et interrogauit

DE QVIETE.

Arsenius homines fugit.

gauit senem Archiepiscopus, volens audire ab eo sermonem. Paulisper autem tacens senex, posteà respondit ad eum, dicens: Et si dixero vobis, custodieritis? Illi autem promiserunt se custodire. Et dixit eis senex: Vbicumque audieritis Arsenium, nolite approximare. Aliâ autem vice volens Archiepiscopus videre eum, misit primùm videre, si aperiret ei. Et mandauit ei, dicens: Si venis, aperio tibi. Sed si tibi aperuero, omnibus aperio, & tunc iam vltrà hîc non sedebo. Hæc ergo audiens Archiepiscopus, dixit: Si eum persecuturus vado, numquam vadam ad hominem sanctum.

EIVSDEM.

Quies extra omnem strepitum.

5. Venit aliquando abbas Arsenius in quodam loco, & erat ibi arundinetum, & motum est à vento. & dixit senex ad fratres: Quis est motus hic? Dicunt ei: Arundines sunt. Dicit eis senex: Verè, quia si quis sedet cum quiete, & audierit vocem auis, non habebit cor eius eamdem quietem, quantò magis habentes sonum arundinum harum?

EIVSDEM.

Scithi deuastatio.

6. Dicebant autem de eo, quia erat cella eius longè in millia triginta duo, & non exibat citò, sed alij ei faciebant ministeria. Quando verò in solitudinem redactus est locus qui vocatur Scithi, exiuit plorans & dicens: Perdidit mundus Romam, & monachi Scithi.

EIVSDEM. Ruff. l. 3. num. 65.

Arsenius mulierum conspectum auersatur.

7. Sedente eodem abbate Arsenio aliquando in Canopo, venit vna matrona virgo de Romà, diues valdè, & timens Deum, vt videret eum, & suscepit eam Theophilus Archiepiscopus. Illa autem rogauit eum, vt ageret cum sene, vt videret eum. Qui abiens ad eum rogauit, dicens: Aliqua matrona venit de Româ, & vult videre te. Senex verò non acquieuit vt veniret ad eum. Cùm ergo hæc renuntiata fuissent supradictæ matronæ, iussit sterni animalia, dicens: Credo in Deum, quia videbo eum. Sunt enim & in ciuitate nostrâ multi homines; sed ego veni prophetas videre. Et cùm peruenisset ad cellam eiusdem senis, iuxta Dei ordinationem inuentus est opportunè foris cellam senex. Et vt vidit eum supradicta matrona, prostrauit se ad pedes eius. Ille autem leuauit eam cum indignatione; & intuens in eam, dixit: Si faciem meam videre vis, ecce vide. Illa autem præ verecundiâ non considerauit faciem eius. Et dixit ei senex: Non audisti opera mea? hæc enim videre necesse est. Quomodo autem præsumpsisti tantam nauigationem assumere?

Mulieri non exeundum.

Nescis quia mulier es, & non debes exire quoquam? An vt vadas Romam, & dicas alijs mulieribus, Quia vidi Arsenium, & facias mare viam mulierum venientium ad me? Illa autem dixit: Si voluerit me Deus reuerti Romam, non permitto aliquam venire huc. Sed ora pro me, & memor esto mei semper. Ille autem respondens dixit ei: Oro Deum, vt deleat memoriam tui de corde meo. Quæ audiens hæc, egressa est turbata, & cùm venisset in ciuitatem præ tristitiâ febrire cœpit. Et nuntiatum est Archiepiscopo, quia infirmaretur: & venit eam consolari, interrogans quid haberet. Illa autem dixit ei: Vtinam non peruenissem huc! dixi enim seni: Memor esto mei. Et dixit mihi: Oro Deum, vt deleatur memoria tui de corde meo: & ecce ego ipsa præ tristitiâ morior. Et dixit ei Archiepiscopus: Nescis, quia mulier es, & inimicus per mulieres sanctos viros impugnat? Proptereà hoc dixit senex: nam pro animâ tuâ semper orat. Et ita curata est mens eius. Et discessit cum gaudio ad propria.

Arsenius sibi vel à memoriâ mulieris timet.

EVAGRII.

Affectiones extirpãda.

8. Dixit abbas Euagrius: Abscinde à te affectiones multorum, ne mens tua in perturbatione fiat, & quietis dissipet modum.

MOYSIS.

Cella omnium magistra.

9. Frater quidam applicuit in Scithi ad abbatem Moysen, petens ab eo sermonem. Et dixit ei senex: Vade & sede in cellâ tuâ, & cella tua docebit te vniuersa.

EIVSDEM.

Vua matura homo hominem fugiens.

10. Dixit abbas Moyses: Homo fugiens hominem similis est vuæ maturæ: qui autem cum hominibus conuersatur, sicut vua acerba est.

NILI.

Solitudo hominem munit.

11. Dixit abbas Nilus: Imperforabilis manet à sagittis inimici, qui amat quietem: qui autem miscetur multitudini, crebra suscipiet vulnera.

PASTORIS.

Corporalibus inhærens, est lacui profundo proximus.

12. Dixit abbas Pastor: Initium malorum est distendere mentem. Dicebat iterùm: Quia bonum est fugere corporalia. Quando enim est homo iuxta corporale bellum, assimilatur viro stanti supra lacum profundissimum, vt quâ horâ visum fuerit inimico eius, facilè eum deorsum impingat. Si autem à corporalibus longè fuerit, assimilabitur viro longè posito à puteo, vt vel si trahat eum inimicus proijcere deorsum, dum eum violenter trahit, Deus ei auxilium dirigit.

SISOIS.

Mulier fugienda.

13. Dicebat aliquando Abraham discipulus abbatis Sisois ad eum: Pater, senuisti, eamus parum iuxta mundum. Dicit ei abbas Sisois: Vbi non est mulier, ibi eamus. Dicit ei discipulus eius: Et vbi est locus non habens mulierem, nisi fortè in solitudine? Dicit ei senex: Ergo in solitudinem me tolle.

MATRONÆ.

A solitudine cogitatio multitudinis abdicanda.

14. Dixit abbatissa Matrona: Multi in monte positi ea quæ popularia sunt agentes, perierunt. Melius est enim, vt cum multis sis, & solitariam vitam agas voluntate; quàm cùm solus sis, esse cum multitudine proposito mentis.

15. Di-

SENIS. 15. Dixit senex: Semper debet monachus emere quietem sibi, vt contemnat etiam si corporale contingat euenire dispendium.

Quies sectanda.

INCERTI. 16. Narrauit quidam: Quia tres studiosi diligentes se, facti sunt monachi. Et vnus ex eis elegit litigantes in pace reducere, iuxta illud quod scriptum est, Beati pacifici. Secundus verò visitare infirmos. Tertius verò abiit quiescere in solitudine. Primus ergo laborans propter lites hominum, non poterat omnes sanare. Et tædio victus, venit ad eum, qui seruiebat infirmis, & inuenit etiam ipsum animo deficientem, & non præualentem mandatum perficere. Et concordantes hi duo, abierunt videre illum qui in eremo discesserat, narraueruntque ei tribulationes suas. & rogauerunt eum, vt differeret eis quid ipse profecerit. Et reticens paululùm, mittit aquam in scyphum, & dicit eis: Attendite in aquam. Et erat turbulenta. Et post modicum rursus dicit: Attendite modò, quomodo limpida facta est aqua. Et cùm intenderent in aquam, vident quasi in speculo vultus suos. Et tunc dixit eis: Sic est qui in medio hominum consistit; à turbulentia enim non videt peccata sua: cùm autem quieuerit, & maximè in solitudine, tunc delicta sua conspicit.

Matth. 5.

Quies & solitudo sui cognitionē generat.

LIBELLVS TERTIVS.

De Compunctione.

ARSENII. 1. DICEBANT de abbate Arsenio, quia toto tempore vitæ suæ sedens ad opus manuum suarum, pannum habebat in sinu propter lacrymas, quæ crebrò currebant ex oculis eius.

Ruff. lib. 3. num. 163. & 211.

Lacryma Arsenij.

AMMONIS. 2. Frater quidam interrogauit abbatem Ammonem, dicens: Dic mihi aliquod verbum. Dixit ei senex: Vade, & talem fac cogitationem tuam, sicut faciunt iniqui qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, Vbi est iudex, & quando veniet? & in ipsa exspectatione pœnarum suarum plorant. Ita & monachus debet semper suspectus esse, & animam suam obiurgare, dicendo: Væ mihi, quomodo habeo adstare ante tribunal Christi; & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur semper sic meditatus fueris, poteris saluus esse.

Iudicij extremi memoria salutaris.

EVAGRII. 3. Dixit abbas Euagrius: Cùm sedes in cellâ, collige ad te sensum tuum, & memor esto diei mortis. Et tunc videbis corporis tui mortificationem. Cogita cladem, suscipe dolorem. Horreat tibi mundi istius vanitas. Esto modestus & sollicitus, vt possis semper in eodem quietis proposito permanere, & non infirmaberis. Memorare etiam eorum qui in inferno sunt. Cogita apud teipsum quomodo sunt ibi modò animæ, & in quàm amaro silentio, aut in quo pessimo gemitu, vel in quali metu atque certamine, aut in quali exspectatione & dolore, & sine mitigatione infinitas lacrymas habentes animæ. Sed & diei resurrectionis memor esto, & illud diuinum, horrendum, atque terribile imaginare iudicium. Adduc ad medium repositam peccatoribus confusionem, quam passuri sunt in conspectu Christi & Dei, & coram Angelis & Archangelis, Potestatibus, & vniuersis hominibus: sed & supplicia omnia, ignem æternum, vermem immortalem, tartarorum tenebras, & super hęc omnia dentium stridores, & timores, & tormenta. Adduc etiam & bona quæ sunt iustis reposita, fiduciam ante Deum Patrem & Christum eius Filium: coram Angelis & Archangelis, & Potestatibus, atque omni plebe; regnum cælorum, & dona eius, gaudium & requiem. Vtrorumque horum commemorationem habe apud te, & super iudicia quidem peccatorum ingemisce, plora, vestire luctuum imaginem, metuens ne & tu ipse in his corruas: super bona verò iustis reposita, gaude, exulta, & lætare. Et his quidem frui festina, ab illis verò effici alienus. Vide ne obliuiscaris aliquando, siue intra cellam tuam sis, siue foris alicubi: & memoriam horum ne abijciat mens tua, vt per hæc saltem sordidas & noxias cogitationes effugias.

Nouissimorum recordatio.

4. Dixit abbas Elias: Ego tres res timeo. Vnam, quando egressura est anima mea de corpore: aliam quando occursurus sum Deo: tertiam, quando aduersum me proferenda est sententia. ELIAE.

Append. Mart. n. 97. tit. Senis.

Tria timenda.

5. Sanctæ memoriæ Theophilus Archiepiscopus cùm moriturus esset, dixit: Beatus es, abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti. THEOPHILI.

Hora extrema memoria.

6. Dicebant fratres, quia manducantibus aliquando fratribus in charitate, risit vnus frater ad mensam. Et videns eum abbas Ioannes, fleuit, dicens: Quid putas habet frater iste in corde suo, quia risit, cùm debuisset magis flere, quia charitatem manducat. IOANNIS.

Risus importunus.

7. Dixit abbas Iacobus: Quia sicut lucerna obscurum cubiculum illuminat: ita timor Dei, si venerit in corde hominis, illuminat eum, & docet omnes virtutes & mandata Dei. IACOBI.

Timor Dei, lucerna animæ.

8. Interrogauerunt quidam patrum abbatem Macarium Ægyptium, dicentes: Quomodo corpus tuum, & quando manducas, & quando ieiunas, siccum est? Et dixit eis senex: Sicut lignum in manu hominis, MACARII

nis, cum quo frutices in igne versantur atque reuersantur, semper ab igne consumitur: ita si homo mundauerit mentem suam in timore Dei, ipse timor Dei etiam ossa eius consumit.

Timor Dei mentem mundat.

MACARII 9. Miserunt aliquando senes de monte Nitriæ ad abbatem Macarium in Scithi, rogantes, vt veniret ad eos; alioquin sciret, omnem multitudinem, si ipse ad eos non veniret, ad ipsum esse venturam; quoniam desiderabant videre eum antequam migraret ad Dominum. Qui cùm venisset in montem, congregata est omnis multitudo fratrum ad eum. Rogabant autem eum senes, vt faceret verbum ad fratres. Ille autem lacrymans ait: Ploremus, fratres, & producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc, vbi lacrymæ nostræ corpora comburant. Et fleuerunt omnes, & ceciderunt proni in faciem, dicentes: Pater, ora pro nobis.

Lacrymæ hic lauant, post mortem vrunt.

PASTORIS 10. Præteriens aliquando abbas Pastor in Ægypto, vidit mulierem in monumento sedentem & flentem amarè, & dixit: Si veniant omnia delectabilia mundi huius, non transferent animam illius à luctu. Ita & monachus debet semper luctum habere in semetipso.

Monacho flendum.

EIVSDEM. 11. Aliâ vice transibat cum abbate Anub in partibus Diolci, & venientes circa monumenta, viderunt mulierem nimis cædentem se, & flentem amarè. Qui stantes intendebant in eam. Paululùm autem procedentes, occurrerunt cuidam, & interrogauit eum abbas Pastor, dicens: Quid habet mulier ista, quòd sic plorat amarè? Dixit ei: Mortuus est maritus eius, & filius, & frater. Et respondens abbas Pastor, dixit abbati Anub: Dico tibi, quia nisi homo omnes voluntates carnis suæ mortificauerit, & possederit luctum hunc, non potest monachus fieri. Tota enim vita mulieris istius & mens in luctu est.

Luctus salutaris.

EIVSDEM. 12. Dixit iterùm abbas Pastor: Luctus duplex est; qui operatur, & custodit.

EIVSDEM. Append. Matt. n. 34 titulo Incerti. *De sepulcro cogitandum.* 13. Frater interrogauit eum, dicens: Quid facio? Dicit ei: Quando venit Abraham in terram repromissionis, monumentum sibi comparauit, & per sepulcrum terram in hereditatem percepit. Et dixit ei frater: Quid est sepulcrum? Et dixit senex: Locus flendi & lugendi.

PAMBO. Ruff. lib. 3. n. 164. Simile in Vitâ Pelagiæ cap. 3. 14. Sanctæ memoriæ Athanasius rogauit abbatem Pambo, vt descenderet de eremo ad Alexandriam: qui cùm descendisset, vidit ibi mulierem theatricam, & lacrymatus est. Interrogatus autem ab ijs qui aderant, quare fuerit lacrymatus, ait: Duæ, inquit, res me mouerunt. Vna de illius perditione: alia, quia ego non habeo tale studium placendi Deo, quale habet ista vt hominibus turpibus placeat.

15. Abbas Siluanus sedens aliquando cum fratribus, factus est in excessu mentis, & cecidit in faciem suam. Et post multum surgens plorabat. Et rogauerunt eum fratres, dicentes: Quid habes, pater? Ille autem tacebat & flebat. Compellentibus autem eum, dixit illis: Ego ad iudicium raptus sum, & vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos sæculares euntes ad regnum. Et lugebat senex, & nolebat deinceps exire de cellâ suâ. Sed si exire cogebatur, operiebat capitio faciem suam, dicens: Quid necesse est videre lumen istud temporale, in quo nihil est vtile? SILVANI. Ruff. lib. 3. num. 203. Append. Matt. num. 48. *Siluani visione monachis damnatio, & laicis salutatio.*

16. Dixit sanctæ memoriæ Syncletica: Labor est & magnum certamen impiorum qui conuertuntur ad Deum, & posteà inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignem accendere volunt, priùs fumantur, & ex fumi molestiâ lacrymantur, sicque obtinent quod volunt. Etenim scriptum est; Quia Deus noster ignis consumens est: ita oportet & nos diuinum ignem cum lacrymis atque laboribus in nobis ipsis accendere. SYNCLETICÆ. *Post lacrymas gaudium.*

17. Dixit abbas Hyperichius: Nocte & die laborat monachus vigilans, in orationibus permanens: pungens autem cor suum producit lacrymas, & celeriùs prouocat Dei misericordiam. HYPERICHII. *Lacrymæ Dei misericordiam prouocant.*

18. Applicuerunt fratres ad abbatem Felicem, habentes secum aliquos sæculares, & rogauerunt eum, vt diceret eis sermonem. senex autem tacebat. Illis autem diutiùs rogantibus dixit ad eos: Sermonem vultis audire? Qui responderunt: Etiam, pater. Dixit ergò senex: Modò non est sermo. Quando autem interrogabantur seniores, & faciebant fratres quæ dicebant eis, tribuebat Deus quomodo loquerentur. Nunc autem quoniam interrogant quidam, non autem faciunt quæ audiunt, abstulit Deus gratiam à senibus, vt non inueniant quid loquantur: quoniam qui operetur non est. Quæ cùm audissent fratres, ingemuerunt, dicentes: Ora pro nobis, pater. FELICIS. *Verba seniorum opere complenda.*

19. Narrauerunt de abbate 7 Hor, & de abbate Theodoro, quia misissent caprinam pellem in cellâ suâ, & dixerunt sibi adinuicem: Si nos visitauerit Deus modò, quid faciemus? Et flentes reliquerunt locum ex lateribus, & sic recesserunt in cellis suis. HOR ET THEODORI. Append. Matt. num. 47.

20. Narrauit quidam senex, quòd aliquis frater cùm conuerti voluisset, & prohiberet mater sua, ille non quiescebat ab intentione suâ, dicens: Saluare volo animam meam. INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 116.

meam. Illa verò multùm resistens; cùm desiderium eius impedire non posset, posteà permisit. Abiens autem factus monachus sub negligentiâ vitam suam expendit. Contigit autem, vt mater ipsius moreretur: & post tempus aliquantum etiam ipse infirmatus est infirmitate magnâ. Et cùm factus fuisset in excessu mentis, raptus est ad iudicium, & inuenit matrem suam cum his qui iudicabantur. Illa autem vt vidit eum, obstupuit, & dixit: Quid est hoc, fili? Et tu in locum hunc condemnatus iussus es venire? Vbi sunt sermones tui, quos loquebaris, dicens: Saluare volo animam meam? Confusus autem in his quæ audierat, ipso dolore stupidus factus est, & stabat non habens quid matri suæ respondere posset. Iuxta dispensationem autem misericordiæ Dei, postequam hæc vidit, contigit vt repararetur, & euaderet ab instanti infirmitate. Et cogitans apud se, diuinitus factam esse huiusmodi visionem, includens se de cetero sedebat, & cogitabat de salute suâ, pœnitens & plorans de his, quæ egerat sub negligētiâ priùs. Tanta autem erat intentio, vt cùm multi eum rogarent indulgere sibi paululùm, ne fortè læsionem aliquam pateretur de fletu, quem supra modum effundebat, consolari noluit, dicens: Si improperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi & sanctorum Angelorum eius aduersum me confusionem potero in die iudicij sustinere?

Monachus negligens visione docetur.

Iugiter plorat.

SENIS.

21. Dixit senex: Si possibile esset in aduentu Dei post resurrectionem præ timore interire animas hominum, omnis mundus moreretur à terrore atque formidine. Quale est enim videre cælos scissos, & Deum reuelatum cum irâ & indignatione, & militias innumerabiles Angelorum, & totum simul hominum genus intendere? Propter quod sic debemus viuere, vtpote qui de singulis motibus nostris rationem exigendi simus à Deo.

Viuere debemus tamquam rationem reddituri.

INCERTI. Pasch. c. 21 num. 4. Append. Mart. num. 22.

Increpatio timorem generat.

22. Frater interrogauit senem, dicens: Vnde est, abba, cor meum durum, & non timeo Dominum? Dicit ei senex: Puto, quia si homo teneat in corde suo increpationem, possideat timorem. Dicit ei frater: Quid est increpatio? Dixit autem senex: Vt in omni re homo increpet animam suam, dicendo ei: Memor esto, quia te oportet Deo occurrere. Dic autem & hoc: Quid volo ego cum homine? Existimo autem, quia si quis in his permaneat, venit & timor Dei.

SENIS.

Risus quâ cohibendus.

23. Vidit senex quemdam ridentem, & dicit ei: Coram cæli & terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides?

SENIS.

24. Dixit senex: Quemadmodum vmbram corporum nostrorum vbique nobiscum circumferimus, sic debemus fletum & compunctionem habere nobiscum vbicumque sumus.

Vt umbra corpus, sic cõpunctio te comitetur.

INCERTI.

25. Frater interrogauit senem, dicens: Abba, dic mihi aliquod verbum. Dicit ei senex: Quando percussit Deus Ægyptum, non erat domus non habens luctum.

INCERTI.

26. Frater interrogauit alium senem, dicens: Quid facio? Dicit ei senex: Flere debemus semper.

Contigit enim quemdam senum mori aliquando, & post multam horam iterùm in semetipsum reuerti. Interrogauimus eum, dicentes: Quid vidisti ibi, abba? Et narrauit nobis plorans: Audiui vocem illic lugubrem sine cessatione dicentem: Væ mihi, væ mihi. sic & nos semper dicere debemus.

Væ mihi, semper dicendum.

FRATRIS.

27. Interrogauit frater quidam senem, dicens: Quomodo desiderat anima mea lacrymas, sicut audio senes lacrymantes, & non veniunt, & tribulant animam meam? Et dixit senex: Filij Israël post quadraginta annos intrauerant in terram repromissionis. Lacrymæ igitur sunt sicut terra repromissionis, ad quas si perueneris, iam non timebis bellum. Ita enim vult Deus affligi animam, vt semper desideret ingredi in terram illam.

Donum lacrymarum non omnibus obuium.

LIBELLVS QVARTVS.

De Continentiâ.

SENIS.

1. FRATRES aliqui volentes venire ad abbatem Antonium de loco Scithi, ingressi sunt nauem, vt irent ad eum: & inuenerunt in ipsâ naui senem, qui idem ad Antonium ire volebat. Ignorabant autem fratres eum. Et sedentes in naui loquebantur sermonem patrum, & de Scripturis, & rursus de opere manuum suarum. Ille autem senex per omnia tacebat. Cùm autem venissent ad portum, agnouerunt & ipsum senem proficisci ad abbatem Antonium. Cùm autem venissent ad eum, dicit eis abbas Antonius: Bonum comitem itineris inuenistis senem hunc. Dixit autem & seni: Bonos fratres inuenisti tecum, abba. Dixit ei senex: Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet ianuam. Quicumque vult, intrat in stabulum, & soluit asinum. Hoc autem dicebat, quia quodcumque eis ascendebat in cor, in ore loquebantur.

Linguam non continens, stabulum sine ianuâ.

ARSENII. Ruff. lib. 3. n. 211.

2. Dicebat abbas Daniel de abbate Arsenio, quia noctem vigilans pertransiret. Totâ enim nocte vigilabat, & quando volebat circa manè propter ipsam naturam dormire, dicebat somno: Veni serue male.

Somnus seruus malus.

Verba Seniorum. Lib. IV. De continentia.

& subripiebat parum somni sedendo; & statim surgebat.

Eivsdem. *Somnus vnius hora.*

3. Dicebat abbas Arsenius: Sufficit monacho, si dormierit vnam horam, si tamen pugnator est.

Eivsdem. *Abstinentia.*

4 Dicebat de eo abbas Daniel: Quia tantis annis mansit nobiscum, & mensuram paruam victus dabamus ei in anno: & quoties veniebamus, exinde comedebamus & nos.

Eivsdem. Ruff lib. 3. num. 39.

5. Dixit iterùm, quòd nisi semel in anno non mutabat aquam palmarum, sed tantùm adiiciebat. Faciebat quoque [8] plectam de ipsis palmis, [9] & cusabat vsque ad horam sextam. Interrogauerunt ergo eum seniores, cur non mutaret aquam palmarum, quæ fœtebat. Et dixit eis: Pro thymiamate & odoribus vnguentorum, quibus in sæculo vsus sum, opus est vti me nunc fœtore isto.

Odoramenta fœtore castiganda.

Eivsdem. *Abstinentia.*

6. Iterùm dixit: Quia quando audiuit quòd maturasset omne genus pomorum, dixit: Afferte mihi. Et gustauit semel tantùm parum ex omnibus, gratias agens Deo.

Agathonis. *Taciturnitas.*

7. Dicebant de abbate Agathone: Quia per triennium lapidem in ore suo mittebat, donec taciturnitatem disceret.

Eivsdem. Append. Matt. n. 6.

8. Aliquando iter agebat abbas Agathon cum discipulis suis. Et inuenit vnus ex eis paruum fasciculum cicerculæ viridis in viâ, & dixit seni: Pater, si iubes, tollo illud. Intendit verò senex, admirans, & dicit: Tú illud posuisti? Respondit ei ille frater: Non. Et dixit senex: Quomodo vis tollere, quod non posuisti?

Quod non tuum, ne tolle.

Achillis. Ruff. lib. 3. num. 90.

9. Venit aliquando quidam senum ad abbatem Achillem, & vidit eum iactantem sanguinem de ore suo: & interrogauit eum, dicens: Quid est hoc, pater? Et dixit senex: Sermo est cuiusdam fratris, qui me contristauit, & omnino conatus sum conseruare illud apud me. Et deprecatus sum Deum, vt auferretur à me, & factus est sermo ille sanguis in ore meo. Ecce expui illum, & requieui, & dolorem illum oblitus sum.

Omnis animi asperitas exspuenda.

Eivsdem.

10. Venit aliquando abbas Achilles in cellam abbatis Isaiæ, in loco Scithi, & inuenit eum comedentem. Miserat enim in catinulo sal & aquam. Videns autem quia abscondit illud post plectas de palmis, dicit illi: Dic mihi, quid manducabas? Ille respondit: Ignosce mihi, abba, quia palmas incidebam, [10] & ascendi in cauma: & propterea intinxi modò buccellam in sale, & misi in ore meo; quia exaruerunt fauces meæ: & quia non descendebat buccella, quam in ore meo miseram, propterea compulsus sum superfundere modicum aquæ in sale, vt vel sic possem glutire: sed ignosce mihi. Et dicebat abbas Achilles: Venite & videte Isaiam comedentem iuscellum in Scithi. Si ius manducare vis, vade in Ægyptum.

Iusculum à Scithi exulat.

Ammoy.

11. Dicebant de abbate Ammoy, quia ægrotaret, & in lecto plurimis annis decumbens, numquam relaxauit animum suum, vt intenderet in interiora cellæ suæ, & videret quid haberet. Multa enim deferebantur ei velut infirmo: sed introeunte discipulo suo Ioanne & exeunte, claudebat oculos suos, ne videret quid faciebat. Sciebat enim, quia fidelis monachus esset.

Ammoy ciborum incuriosus.

Beniamin.

12. Dixit abbas Beniamin, qui erat presbyter in Cellis: quia cùm applicuisset in Scithi ad quemdam senem, & voluisset ei dare modicum olei, ille ei dixerit: Ecce vbi iacet illud paruulum vasculum, quod attulisti mihi ante tres annos: & quomodo posuisti illud, sic remansit. Audientes autem nos admirati sumus conuersationem senis.

Abstinentia.

Dioscori.

13. Narrauerunt de abbate Dioscoro de Namisias, quia panis ei hordeaceus erat, & farina lenticulæ, per singulos annos ponebat sibi legem cuiuscumque vnius obseruantiæ: id est, aut non occurrere vno anno alicui, aut non loqui, aut non gustare aliquid coctum, aut non comedere aliquid pomorum, aut olera: & in omni opere suo ita faciebat. Et perficiens vnumquodque sic aliud assumebat, & hoc per annos singulos faciebat.

Singulis annis virtus aliqua acquirenda.

Incerti.

14. Dixit abbas Euagrius, quia dixerit senex: Propterea amputo à me delectationes carnales, vt etiam iracundiæ occasiones abscindam. Scio enim eam semper aduersum me pugnare pro delectationibus, & conturbare mentem meam, & intellectum meum expellere.

Ira mentem turbat.

Epiphanii et Hilarionis.

15. Misit aliquando Epiphanius episcopus Cyprius ad abbatem Hilarionem, rogans eum, & dicens: Veni, vt nos videamus, antequam de corpore exeamus. Qui cùm venissent adinuicem, manducantibus eis allatum est de auibus quiddam; quod tenens episcopus dedit abbati Hilarioni. Et dicit illi senex: Ignosce mihi, pater, quia ex quo accepi habitum istum, non manducaui quidquam occisum. Et dixit ei Epiphanius: Ego autem ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habebat aliquid aduersum me: neque ego dormiui aliquid habens aduersum aliquem. Et dicit ei senex: Ignosce mihi, quia tua conuersatio maior est meâ.

Hilarion nihil edit occisum.

Epiphanius non discedit cubitum irreconciliatus.

Elladii.

16. Dicebant de abbate [11] Elladio, quia fecerit viginti annos in cellâ, & non leuauerit oculos suos sursum, vt videret tectum eius.

Oculorum custodia.

17. Ab-

ZENONIS. Ruff. lib. 2. num. 7.

17. Abbas Zenon ambulans aliquando in Palæstinâ, cùm laboraſſet, reſedit vt manducaret iuxta cucumerarium. Suadebat autem ei animus ſuus dicendo: Tolle tibi vnum cucumerem, & manduca. Quantum autem eſt? Qui reſpondens cogitationi ſuæ dixit: Fures ad tormenta vadunt. proba ergo teipſum in hoc, ſi potes ferre tormenta. Qui conſurgens ſtetit in cauma quinque diebus, & defrigens ſeipſum in ſole, dicebat quaſi animus eius ad ſeipſum: Non poſſum ferre tormenta. Dixit ergo ad animum ſuum: Si non potes portare tormenta, ergo non rapias vt manduces.

A furto tormentorum memoriâ abſtinendum.

THEODORI. * al. Theodotus.

18. Dixit abbas * Theodorus: Inopia panis tabefacit monachi corpus. Alter autem quidam ſenior dicebat: Quia vigilijs plus tabeſcit corpus.

IOANNIS. Ruff. lib. 3. n. 66. titulo *Moyſis.*

19. Dixit abbas Ioannes breuis ſtaturæ: Quia ſi voluerit rex aliquis ciuitatem inimicorum tenere, priùs aquam tenet & eſcas eorum qui ſunt in ciuitate, & fame periclitantes tunc ſubijciuntur ei: ita eſt & paſſio ventris. Si in ieiunio & fame conuerſetur homo, inimici eius, qui ſollicitant animam ipſius, infirmantur.

Ieiunio infirmandus hoſtis domeſticus.

EIVSDEM. Append. Mart. num. 12. *Fuga contentionis.*

20. Dixit iterùm: Quia aſcendens aliquando per viam, quæ ducit ad Scithi, cum plectis de palmis, vidi camelarium loquentem, & commouentem me ad furorem. Et ego dimiſi quod portabam, & fugi.

INCERTI.

21. Dixit abbas Iſaac presbyter Cellarum: Scio fratrem metentem in agro, qui voluit manducare ſpicam tritici. Et dixit domino agri: Vis manduco vnam ſpicam? Ille audiens miratus eſt, & dixit ei: Tuus eſt ager, pater, & me interrogas? In tantum autem ſcrupuloſus erat memoratus frater.

Metens ne quidem ſpicam ſine veniâ edit.

ISIDORI. Ruff. lib. 5. n. 89. titulo *Iſaac.*

22. Interrogauit quidam fratrum abbatem Iſidorum ſeniorem Scithi, dicens: Quare te ſic fortiter dæmones timent? Dixit ei ſenex: Ex quo factus ſum monachus, ſtudeo ne permittam iracundiam vſque ad fauces meas aſcendere.

Non iracundum timet dæmon.

EIVSDEM.

23. Dixit iterùm qui ſuprà, quadraginta annos eſſe, ex quo ſentiret quidem motum peccati in mente ſuâ, numquam tamen conſentiret neque concupiſcentiæ neque iracundiæ.

Concupiſcentia & ira frananda.

ESII, ET IOANNIS. Apud Caſſian. lib. 5. Inſtit. c. 27. Simile ſuprà l. 4. c. 5.

24. Narrauit abbas Caſſianus de quodam abbate Ioanne, quia fuerit apud abbatem [12] Eſium in ſummitate eremi habitantem, per annos quadraginta: & quia habebat circa ipſum multam charitatem, & per hanc charitatis fiduciam interrogauit eum, dicens: Tanto tempore ſic remotus, & à nullo hominum moleſtiam patiens facilè, dic mihi, quid profeciſti? Et ille dixit: Ex quo cœpi ſolitarius eſſe, numquam me vidit ſol manducantem. Dixit autem ei abbas Ioannes: Nec me iraſcentem.

Sol monachum non vidit manducantem, nec alterum iratum.

THEONÆ. Caſſian. Collat. 2. cap. 11. Suprà l. 4. cap. 47.

25. Dixit iterùm: Quia narrauit nobis abbas Moyſes, quòd ei abbas Serapion dixit: Quia dum eſſem iuuenis, & ſederem cum abbate meo Theonâ & manducaremus, ſurgens à refectione, ſecundùm opera diaboli rapui vnum panem paximatem, & manducaui eum occultè, neſciente abbate meo. Cùm ergo perſeuerarem aliquanto tempore hoc faciens, cœpit mihi ipſum vitium dominari, & non præualebam meipſum retundere: ſed ſolummodò adiudicabar à propriâ conſcientiâ, & ſeni dicere confundebar. Contigit autem ſecundùm diſpenſationem miſericordis Dei, vt quidam venirent ad ſenem vtilitatis animæ ſuæ cauſſâ, & interrogabant eum de proprijs cogitationibus. Reſpondens autem ſenex, dixit: Quia nihil ſic noxium eſt monachis, & lætificat dæmones, quomodo ſi celent cogitationes ſuas ſpiritualibus patribus. Locutus eſt autem eis & de continentiâ. Et cùm hæc dicerentur, cogitans ego quia Deus reuelauit ſeni de me, compunctus cœpi flere, eieci paximatem de ſinu meo, quem malè conſuêram rapere, & proſternens me in pauimento, poſtulabam de præteritis veniam, & orationem pro cautelâ futurorum. Tunc dixit ſenex: O fili, liberauit te de captiuitate iſtâ, etiam me tacente, confeſſio tua, & dæmonem tenebrantem cor tuum per taciturnitatem nunc aduerſum teipſum confitendo interfeciſti, quem hactenus dominari tibi permiſeras, neque contradicens, neque aliquo modo increpans eum. Amodò autem nequaquam locum habebit in te: quippe qui ex corde tuo ex[...]ſus eſt in aperto. Necdum autem finito ſermone ſenis, ecce opere, quod dixit, apparuit: quia velut lampada ignis egreſſa eſt de ſinu meo, & impleuit totam domum fœtido odore, ita vt putarent qui aderant, quia ſulphuris plurimum fuiſſet incenſum. Et dixit ſenex: O fili, ecce verborum meorum & liberationis tuæ per ſignum quod factum eſt, præſtitit Dominus documentum.

Lætatur dæmon, cùm nouitius celat cogitationes.

Confeſſio captiuam animam liberat.

MACARII. Ruff. lib. 3. num. 53.

26. Dicebant de abbate Macario, quia ſi vacauit inter fratres, ponebat ſibi terminum, vt quando inueniebatur vinum, & propter fratres bibebat, & pro vno calice vini, die integrâ aquam non bibebat. & fratres quidem volentes eum recreare, dabant ei vinum. Sed & ſenex cum gaudio ſumebat, vt ſemetipſum poſteà cruciaret. Diſcipulus autem eius ſciens cauſſam, dicebat fratribus: Propter Deum rogo, ne detis ei; quia in cellâ poſteà ſe cruciatu domat.

Macarius ob vnum vini calicem ſe aquæ abſtinentiâ caſtigat.

Quod cognoscentes fratres, vltrà ei vinum non dederunt.

MACARII. *Post missam silentium seruandum. Taciturnitas.*

27. Abbas Macarius maior in Scithi dicebat fratribus: Post Missas ecclesiæ, fugite, fratres. Et dicit ei vnus fratrum: Pater, vbi habemus fugere ampliùs à solitudine istâ? Et ponebat digitum suum in ore suo, dicens: Istud est quod fugiendum dico. & sic intrabat in cellam suam, & claudens ostium sedebat solus.

EIVSDEM. *Iracundus neminem increpet.*

28. Dixit item abbas Macarius: Si aliquem increpare volens ad iracundiam commoueris, propriam passionem imples: non enim vt alium salues, teipsum perdas.

PASTORIS. Ruff. lib. 3. num. 52. 4. Reg. 25. *A gulâ incendium.*

29. Dixit abbas Pastor: Nisi Nabuzardan archimagirus venisset, non concrematum fuerat templum Domini igne: ita & nisi quies gulæ & ventris venerit in animam, nequaquam mens corruit, pugnans contra inimicum.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 149. *Pastor lacrymatur, dum ad escas inuitatur.*

30. Dicebant de abbate Pastore, quia dum vocatus fuisset ad manducandum, contra voluntatē suam ibat lacrymando, ne inobediens esset fratribus suis, & contristaret eos.

31. Narrauerunt quidam abbati Pastori de quodam monacho, qui non bibebat vinum. & dixit eis: Quia vinum monachorum omnino non est.

EIVSDEM. *Vinum non est monachorum.*

EIVSDEM. *Socordia fugienda.*

32. Dixit iterùm abbas Pastor: Quia sicut fumo expelluntur apes vt tollatur dulcedo operis earum; ita & corporalis quies timorem Domini expellit ab animâ, & aufert ab eâ omne opus bonum.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. num. 154. *Pastor & Anub matrem videre renuunt.*

33. Narrauit quidam senum de abbate Pastore & fratribus eius, qui habitarent in Ægypto. Et cùm desideraret mater eorum videre eos, & non posset, obseruauit vnâ die: & euntibus illis ad ecclesiam, obtulit se eis. Illi autem videntes eam, conuerterunt se ad cellam, & intrantes clauserunt ostium in faciem eius. Illa autem ad ostium stans, clamabat, plorans cum nimiâ miseratione. Audiens autem eam abbas Anub, intrauit ad abbatem Pastorem, dicens: Quid faciemus vetulæ isti, ita ante ostium flenti? Surgens autem abbas Pastor, venit ad ostium, & intrò stans, audiuit eam plorantem miserabiliter nimis; & dixit: Quid sic clamas, vetula? Illa autem cùm vocem eius audisset, multò magis clamabat, plorans & dicens: Volo vos videre, filij mei. Quid est enim si videro vos? numquid non sum mater vestra? aut non ego lactaui vos, & tota sum iam canis plena? Sed & audiens vocem tuam, turbata sum. Dicit ei senex: Hîc nos vis videre, an in illo sæculo? Dicit ei: Et si non videro vos hîc, videbo vos illic, filij? Dicit ei: Si potes æquanimiter ferre, vt hîc nos non videas, videbis nos illic. Et ita discessit mulier, gaudens, & dicens: Si omnino visura vos ero illic, nolo vos videre hîc.

PIOR. Ruff. lib. 3. num. 31. *Edere pergens tiet.*

34. Dicebant de abbate Pior, quia ambulando comederet. Et interrogante eum quodam, quare sic manducaret; respondit, se non hoc velut opus aliquod agere, sed velut quiddam superfluum vti. Alij autem de hoc interroganti, respondit, Vt non vel in comedendo corporalem delectationem habeat anima.

PETRI. *Petrus vinū respuit.*

35. Dicebant de abbate Petro, cognomento Pyonio, qui erat in Cellis, quia vinum non bibebat. Quando autem senuit, rogabant eum, vt sumeret modicum vini. Qui cùm non acquiesceret, tepefaciebant aquam, & ita ei offerebant, & dicebat: Credite mihi, filij, quia velut pro condito illud accipio. Et adiudicauit se tepidâ aquâ esse contentum.

SISOI. *In vino satanas.*

36. Facta est aliquando celebratio Missarum in monte abbatis Antonij, & inuentum est ibi modicum vini. Et tollens vnus de senioribus paruum calicem, portauit ad abbatem Sisoi, & dedit ei, & bibit semel: & secundò accepit, & bibit: attulit etiam ei tertiò; sed non accepit, dicens: Quiesce, frater, an nescis, quia satanas est?

EIVSDEM. *Satanas in cibis insidiatur.*

37. Frater quidam interrogauit abbatem Sisoi, dicens: Quid facio? quia cùm occurro ad ecclesiam, frequenter fratres pro charitate ad cibum retinent me. Dixit ei senex: Onerosa res est. Dicit ergo Abraham discipulus eius: Si occurritur in Sabbato & Dominicâ ad ecclesiam, & biberit frater tres calices, ne multum est? Et dixit senex: Si non esset satanas, non esset multum.

EIVSDEM. *Sisoi cibi obliuiosus.*

38. Frequenter dicebat abbati Sisoi discipulus: Surge, abba, manducemus. Ille autem dicebat: Quia adhuc non manducauimus, fili? Et ille respondebat: Non, pater. Dicebat autem senex: Si necdum manducauimus, affer, manducemus.

EIVSDEM. *A linguâ ruina.*

39. Dixit aliquando cum fiduciâ abbas Sisoi: Crede, quia ecce triginta annos habeo quòd non deprecor Deum propter peccatum, sed orans hoc dico: Domine Iesu Christe, protege me à linguâ meâ. Et vsque nunc per singulos dies [14] corruo per ipsam & delinquo.

SILVANI. Ruff. lib. 3. num. 46. *Ieiunij fermenta.*

40. Venerunt aliquando abbas Siluanus & discipulus eius Zacharias ad quoddam monasterium, & fecerunt eos gustare modicum antequam ambularent. Et exeuntibus eis, inuenit discipulus eius aquam in viâ, & volebat bibere. Dixit abbas Siluanus: Zacharia, ieiunium est hodie. Cui ille dixit: Non manducauimus hodie, pater? Dixit ei senex: Illud manducare, charitas fuit: nos autem teneamus ieiunium nostrum, fili.

41. Di-

SYNCLETICAE. *Summa castitatis custodia.*

41. Dixit sancta Syncletica: Quia oportet nos, qui huiusmodi propositum sumpsimus, castitatem, quæ summa est, retinere. Etenim apud sæculares videtur castitas obseruari: sed adest ei & stultitia, propter quam alijs omnibus sensibus peccant: nam & aspiciunt indecenter, & rident inordinatè.

EIVSDEM. *Mala cogitatio pellitur ieiunio & oratione.*

42. Dixit iterùm quæ suprà: Quia sicut venenosa animalia acriora medicamenta à se expellunt, ita cogitationem sordidam ieiunium cum oratione depellit ab animâ.

EIVSDEM. *Ieiunium monachi condimentum.*

43. Dixit iterùm: Non te seducant diuitum huius sæculi deliciæ, tamquam vtile aliquid habentes in se. Etenim illi delectationis caussâ artem diuerso modo condiendi cibos honorant; tu autem ieiunio & abiectione ciborum abundantiam deliciarum illorum supergredere: sed nec satieris pane, nec desideres vinum.

SISOI. Pasch. c. 32 num. 4. Append. Mart. num. 72. *Os frænare peregrinatio monachi.*

44. Dixit abbas Sisoi: Quia peregrinatio nostra est, vt teneat homo os suum.

HYPERICHII. *Quod leo onagris, id perfectus monachus malis cogitationibus.*

45. Dixit abbas Hyperichius: Quia sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ.

EIVSDEM. *Ieiunium frænum peccati.*

46. Dixit iterùm: Ieiunium frænum est monacho aduersus peccatum. Qui autem abijcit ieiunium, velut equus feruens desiderio feminæ rapitur.

EIVSDEM. *Ieiunium siccat fistulas delectationum.*

47. Dixit iterùm: Siccatum ieiunio corpus monachi, animam de profundo eleuat, & siccat fistulas delectationum ieiunium monachi.

EIVSDEM. *Casto honor in terris, corona in cælo.*

48. Dixit iterùm: Castus monachus in terrâ honorabitur, & in cælis coronâ ab Excelso coronabitur.

EIVSDEM. *Lingua retentor, passionum retentor.*

49. Idem ipse dixit: Monachus, qui non retinet [15] linguam in tempore furoris, neque passionum corporalium retentor erit aliquando.

EIVSDEM. *Verba mala vt spinas fuge.*

50. Dixit iterùm: Verbum malum non proferat os tuum: quoniam vitis non adfert spinas.

EIVSDEM.

51. Dixit iterùm: Bonum est manducare carnem & bibere vinum, quàm manducare in obtrectatione carnes fratrum.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 134. *Qui obtrectat, carnes fratrum manducat.*

52. Dixit iterùm: Susurrans serpens ad Euam, de paradiso eiecit eam. Huic ergo similis est, qui proximo suo obloquitur: quoniam & audientis se animam perdit, & suam non saluat.

EIVSDEM. Ruff. ibid. *Obloquium pellitur paradiso.*

INCERTI. *In vino mors.*

53. Facta est aliquando festiuitas in Scithi, & dederunt seni in calice vinum; quod abijciens, dixit: Tolle à me mortem istam. Quod videntes alij qui cum ipso edebant, nec ipsi biberunt.

INCERTI. *A vino periculum.*

54. Aliâ vice allatum est ibi vasculum vini de primitijs, vt daretur fratribus ad singulos calices. Et introëunte quodam fratre, & vidente quia vinum acciperent, fugit in cryptâ, quæ crypta cecidit. Et cùm audissent sonum, currentes inuenerunt fratrem semianimem iacentem, & cœperunt eum obiurgare, dicentes: Benè tibi contigit, quia vanam gloriam habuisti. Abbas autem refouens eum, dixit: Dimittite filium meum, bonum opus fecit. Et viuit Dominus, quia non reædificabitur crypta hæc temporibus meis, vt cognoscat mundus; quia propter calicem vini cecidit crypta in Scithi.

PRESBYTERI. *Oculorum custodia.*

55. Ascendit aliquando presbyter de Scithi ad episcopum Alexandrinum. Et quando reuersus est in Scithi, interrogauerunt eum fratres: Quomodo est ciuitas? Ille autem dixit eis: Credite mihi, fratres, ego ibi faciem hominis nullius vidi, nisi tantum episcopi. Illi autem audientes, mirati sunt, & dixerunt: Quid putas facta est omnis illa multitudo? Presbyter verò refouit illos hæsitantes, dicens: Extorsi animum meum ne intuerer faciem hominis. Ex quâ relatione profecerunt fratres, & custodierunt se ab extollentiâ oculorum suorum.

INCERTI. *Cibi obliuio ex colloquio spirituali.*

56. Venit aliquando quidã senex ad alium senem. Ille autem dixit discipulo suo: Fac nobis modicum lenticulæ. Et fecit. Et infunde nobis panes. Et infudit. Et manserunt sic vsque ad aliam diem horâ sextâ, loquentes de spiritualibus rebus. Iterùm dixit senex discipulo suo: Fac nobis modicum lenticulæ, fili. Ille respondit: Ab hesterno die feci. Et ita surgentes sumpserunt cibum.

SENIS. *Obliuio famis ex spirituali lectione.*

57. Alter quidam senex venit ad quemdam patrum. Ille autem coxit modicum lenticulæ, & dixit: Faciamus opus Dei, & gustemus. Et vnus quidem eorum compleuit totum psalterium; alter verò [16] ex corde duos prophetas maiores lectoris ordine recitauit. Et facto mane discessit senex ille qui venerat, & obliti sunt sumere cibum.

INCERTI. Ruff. lib. 3. num. 4. *Cibi dilatio.*

58. Esurijt quidam frater à manè, & pugnauit cum animo suo, ne manducaret, donec fieret hora tertia. Et facta est hora tertia, exegit à se vt fieret sexta. Infudit panem & sedit, vt manducaret. Posteà verò surrexit, dicens: Manebo sic vsque ad horam nonam. Horâ autem nonâ fecit orationem, & vidit opus diaboli sicut fumum exeuntem à se, & ita cessauit esuries eius.

SENIS. Ruff. lib. 3. num. 51.

59. Infirmatus est quidam senum: & cùm non posset sumere cibum multis diebus, rogabatur à discipulo suo, vt fieret ei aliquid, & reficeretur. Abijt autem & fecit de farinulâ lenticulam, & [17] zippulas. Erat autem ibi vasculum pendens, in quo erat modicum mellis: & aliud in quo erat [18] raphanelæum, & fœtebat, quod tantùm ad lucernam proficeret. Errauit autem frater, & pro melle de raphanelæo misit in pulmentum.

Senis patientia in cibo rancido.

tum. Senex verò cùm gustasset, nihil locutus est, sed tacitus manducauit. Compellebat autem eum adhuc manducare. Et extorquens sibi manducauit: & dabat ei tertiò. Ille autem nolebat manducare, dicens: Verè non possum, fili. Discipulus autem hortabatur eum, & dicebat: Bonum est, abba; ecce ego manduco tecum. Qui cùm gustasset, & cognouisset quid fecerat, cecidit pronus in faciem, dicens: Væ mihi pater, quia occidi te, & tu peccatum hoc posuisti super me, quia non es locutus. Et dixit ei senex: Non contristeris, fili; si voluisset Deus, vt mel manducarem, mel habuisti mittere in zippulas istas.

INCERTI. Ruff. lib. 3. num. 50. *Gula etiã cibo proposito vincenda.*

60. Narrauerunt de sene quodam, quia desiderauit aliquando manducare cucumerem. Quem cùm accepisset, appendit eum prius ante oculos suos. Et cùm non esset vi[illegible] desiderio, domans seipsum pœnitentiam agebat, vel quia omnino desiderasset.

INCERTI. Ruff. lib. 3 n. 33. *Soror fratrem videre renuit.*

61. Frater aliquando abiit visitare sororem suam in monasterio ægrotantem. Erat autem fidelissima. Et non acquiescens aliquando videre virum, neque occasionem dare fratri suo, vt propter illam veniret in medio feminarum, & mandauit fratri suo: Vade, frater, ora pro me; quia cum gratiâ Christi videbo te in regno cælorum.

ABBATISSAE. *Perfectus monachus non respicit feminas.*

62. Monachus occurrit ancillis Dei in itinere quodam. Quibus visis diuertit extra viam. Cui dixit abbatissa: Tu si perfectus monachus esses, non respiceres nos sic, vt agnosceres quia feminæ eramus.

QVORVMDAM. *Abstinentia à carnibus.*

63. Intrauerunt aliquando fratres in Alexandriam, inuitati à Theophilo Archiepiscopo, vt præsentibus his factâ oratione templa destrueret paganorum. Et manducantibus eis cum Archiepiscopo ministratæ sunt carnes vitulinæ, & manducabant nihil discernentes. Et accipiens Archiepiscopus vnum [19] copadium, dedit iuxta se recumbenti seni, dicens: Ecce istud bonum copadium est, manduca, abba. Illi autem respondentes dixerunt: Nos vsque modò credebamus, quia olera manducaremus. Nam si carnes sunt, non manducamus. Et vltrà nemo ex eis acquieuit gustare.

INCERTI. *Propter Deum vltra consuetum manducant quidam.*

64. Frater quidam attulit panes recentes in cellam, & inuitauit ad mensam seniores. Et cùm manducassent singulos paximates, pausauerunt. Frater verò sciens laborē abstinentiæ eorum, cœpit cum humilitate supplicare, dicēs: Propter Deum mãducate hodie donec satiemini. Et manducauerũt alios denos paximates. Ecce igitur quantum suprà quàm opus erat, manducauerunt propter Deũ veri monachi & simpliciter abstinētes.

SENIS. *Senex etiã in morbo cibum recusat.*

65. Ægrotauit quidam senum aliquando in magnâ infirmitate, ita vt de visceribus multum sanguinis egereret. Et attulit quidam frater [20] nixas siccas, & fecit pultes, & misit eas ibi, & obtulit seni, & rogabat eum, dicens: Comede, quia forte expedit tibi. Intuens autem in eum senex diutiùs, dixit: Verè dico, quia volebam, vt me dimitteret Deus in hac infirmitate esse alios triginta annos. Et nullo modo acquieuit senex in tali ægritudine vel modicum sumere cibum, ita vt tolleret frater quod apportauerat, & rediret ad cellam suam.

INCERTI. *Senex omnis cibi oblitus.*

66. Alter senex sedebat longè in eremo, & contigit fratrem venire ad eum, & inuenire eum infirmantem. Qui lauans eius faciem, fecit ei refectionē ex his quę attulerat. Quod cùm vidisset senex, dixit: Verè, frater, oblitus fueram, quia haberent homines de cibo solatium. Obtulit etiam ei calicē vini. Quod cùm vidisset, plorauit, dicēs: Non sperabam me vsque ad mortem bibiturum vinum.

SENIS. *40. diebus senex contra sitim militat.*

67. Statuit quidam senex, vt quadraginta diebus non biberet. Et si quando fiebat cauma, lauabat [21] surisculam, & implebat eam aquâ, & appendebat eam ante oculos suos. Qui cùm interrogaretur à fratribus quare hoc faceret; respondit, dicens: Vt cùm videns quod desiderabam, nón gustauero, maiorem ardorem sustineam, & propter hoc maiorem mercedem à Domino consequi merear.

FRATRIS CVIVSDAM. *Ignis corpus mulieris.*

68. Frater quidam iter agens, habebat secum matrem suam, iam senem. Qui cùm venissent ad quemdam fluuium, non poterat vetula illa transire. Et tulit filius eius pallium suum, & inuoluit exinde manus suas, ne aliquo modo contingeret corpus matris suæ, & ita portans eam transposuit fluuium. Dixit autem ei mater sua: Vt quid sic operuisti manus tuas, fili? Ille autem dixit: Quia corpus mulieris ignis est. Et ex eo ipso quo te contingebam, veniebat mihi commemoratio aliarum feminarum in animo.

INCERTI. *Ieiunium totâ Paschæ hebdomadâ.*

69. Dicebat quidam patrum: Quia sciret fratrem in cellâ ieiunantem totâ hebdomadâ Paschæ. Et cùm Sabbato serò venisset ad Missas, communicans mox fugiebat, ne cogeretur à fratribus in ecclesiâ manducare. Apud se autem tantùm modicas betas elixas cum sale manducabat sine pane.

INCERTI. *Insignis sui victoria.*

70. Fratres conuocati sunt in Scithi, vt manducarent palmas, & erat aliquis infirmus de nimiâ abstinentiâ, qui tussiens exscreabat phlegma, quod nolente eo venit super alium fratrem. Qui cùm à cogitatione suâ compelleretur dicere ei: Quiesce iam, & non excrees super me; vt superaret cogitationes suas, tulit quod excreauerat, & mittens in ore suo, statim comedit illud. Et

tunc

tunc cœpit ad seipsum dicere: Aut non dicas fratri tuo, quod eum contristet; aut manduca, quod horres.

LIBELLVS QVINTVS.

De Fornicatione.

ANTONII. DIXIT abbas Antonius: Æstimo quòd habeat corpus motum naturalem conspersum in se, qui nolente animo non operatur, sed tantummodò significatur in corpore, quasi impassibilis motus. Est autem & alius motus ex eo, quòd nutritur & fouetur corpus cibis & potibus, & ex quibus calor sanguinis excitat corpus ad operandum. Ephes. 5. Propter quod dicit Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et rursum Dominus in Euangelio discipulis mandans, Lucæ 21. dixit: Videte, nequando grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate. Est autem & alius quidam motus certantibus in conuersatione ex insidijs & inuidiâ dæmonum veniens. *Trium corporalium motuum origo.* Itaque scire conuenit, quia tres sunt corporales motus. Vnus quidem naturalis: alius autem ex plenitudine ciborum: tertius verò ex dæmonibus.

GERONTII. 2. Dixit abbas Gerontius Petrensis: Quia multi tentati à corporalibus delectationibus cùm non approximarent corporibus, mente fornicati sunt: *Mentis fornicatio.* & corporalem virginitatem seruantes, secundùm animum fornicantur. Bonum est ergo, dilectissimi, facere Prou. 4. quod scriptum est: Omni custodiâ vnumquemque cor suum seruare.

MOYSIS. Cassian. Collat. 2. cap. 10. 3. Dixit abbas Cassianus, quia dixerit nobis abbas Moyses: Bonum est non abscondere cogitationes, sed senibus spiritualibus & discretionem habentibus manifestare eas: *Cogitationes senibus spiritualibus detegenda.* non his qui tantùm tempore senes sunt: quoniam multi ad ætatem respicientes, & cogitationes suas dicentes eis qui experimentum non habebant, pro consolatione ad desperationem vltimam peruenerunt.

APOLLINIS. Cassian. Collat. 2. cap. 13. 4. Erat quidam frater omnino in conuersatione sollicitus. Et cùm malè à fornicationis dæmone turbaretur, venit ad quemdam senem, & retulit ei cogitationes suas. Ille autem audiens, quia expers erat, indignatus est, & miserabilem dicebat esse fratrem illum, & indignum monachi habitu; quippe qui eiusmodi cogitationes reciperet. Hæc audiens frater, desperans seipsum, reliquit propriam cellam, & ad sæculum redibat. Secundùm verò Dei dispensationem occurrit ei abbas Apollo: & videns eum perturbatum, & nimiùm tristem, interrogauit eum, dicens: Fili, quæ est caussa tantæ tristitiæ tuæ? Ille autem priùs ex multâ confusione animi sui non respondit ei quidquam: posteà autem cùm multùm rogaretur à sene, quæ circa se agerentur, confessus est, dicēs: Quia cogitationes fornicationum inquietant me: quod confessus sum illi seni, & secundum verba eius, iam non est mihi spes salutis: desperans ergo meipsum, ad sæculum redeo. Hæc autem pater Apollo audiens, velut sapiens medicus multùm rogabat, & monebat eum, dicens: Noli mirari, *Apollo sapiens medicus iuuenem ob prauas cogitationes desperantem à ruinâ reuocat.* fili, neque desperes de teipso. Ego enim in hac ætate atque conuersatione valdè ab huiusmodi cogitationibus inquietor. Ne ergo deficias in huiusmodi occasione, quæ non tantum humanâ sollicitudine, quantum Dei miseratione curatur. Tantùm hodie dona mihi quod peto, & reuertere ad cellam tuam. Fecit autem frater sic. Abbas autem Apollo discedens ab eo perrexit ad cellam illius senis, qui ei desperationem fecerat: & stans foràs deprecatus est Dominum cum lacrymis, dicens: Domine, qui tentationes vtiliter infers, conuerte bellum quod patitur frater ille in hoc sene, vt per experimentum in senectute suâ discat, quod tempore longo non didicit; quatenus compatiatur his, qui huiusmodi tentationibus perturbantur. Qui cùm orationem complesset, vidit Æthiopem stantem iuxta cellam, & sagittas mittentem contra illum senem: quibus quasi perforatus, statim tamquam ebrius à vino, huc atque illuc ferebatur. Et cùm non posset tolerare, egressus est de cellâ, & eadem viâ, quâ & ille iuuenis ad sæculum redibat. Abbas autem Apollo intelligens quod factum erat, occurrit ei. & accedens ad eum, dixit: Quò vadis? & quæ est caussa turbationis, quæ obtinuit te? Ille autem sentiens, quia intellexerit sanctus vir quæ ei euenerant, præ verecundiâ nihil dicebat. Dixit autem ei abbas Apollo: Reuertere in cellam tuam, & de cetero agnosce infirmitatem tuam, & habe apud temetipsum; quia aut ignoratus sis à diabolo vsque modò, aut contemptus, propter quòd nec meruisti secundùm viros virtutum habere contra diabolum luctamenta. Quid autem dico luctamenta? qui nec vno die aggressionem ipsius portare potuisti. Hoc autem tibi contigit, quia iuuenem illum à communi aduersario impugnatum suscipiens, *Tentati benigni consolandi.* cùm debuisses eum contra diabolicum certamen consolatorijs verbis vngere, etiam in desperationem misisti: non cogitans illud sapientissimum præceptum, quo iubemur eripere eos qui ducuntur ad Prou. 14. mortem, & non negligas redimere occidendos: sed neque parabolam Saluatoris nostri, dicentis: Arundinem quassatam non Matth. 12. debere

Sine gratiâ Dei nihil valet humana infirmitas.

debere constringi, & linum fumigans non extingui. Nemo enim ferre posset insidias aduersarij, neque bullientis naturæ ignem extinguere vel retinere, nisi gratia Dei conseruaret infirmitatem humanam, quem in nobis salutari dispensatione omnibus orationibus Dominum deprecemur, vt & aduersum te dimissum flagellum auertat, quoniam ipse & dolere facit, & iterùm saluti restituit: percutit, & manus ipsius sanat; humiliat & exaltat, mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. (1. Reg. 2.) Hæc dicens, orationem impleuit, & statim ab illato sibi bello senex ille liberatus est. Quem commonuit abbas Apollo, vt peteret sibi à Deo dari linguam eruditam, vt sciret tempus quo oporteat loqui sermonem.

SYRI. (* al. Cyrus) *Cogitationes carnis non inutiles resistentibus.*

5. De cogitatione fornicationis interrogatus abbas * Syrus Alexandrinus, ita respondit: Si cogitationes non habes, spem non habes: quoniam si cogitationes non habes, opera habes. Hoc autem est, quia qui cogitatione aduersus peccatum non pugnat, neque contradicit, corporaliter peccat. Qui autem corporaliter peccat, cogitationum molestias nullas habet.

INCERTI. *Pictores cogitationes.*

6. Interrogauit autem quidam senex fratrem, dicens: Ne consuetudinem habes colloqui mulieri? Et dixit frater: Non. Et ille dixit: Veteres & noui pictores sunt cogitationes meæ, & commemorationes quædam, inquietantes me ex similitudine mulierum. Senex autem dixit ad eum: Mortuos non timeas, sed viuentes fuge: hoc est, consensum & opera peccati, & extende magis orationem tuam.

MATHOIS. *Fornicatio mors.*

7. Dicebat abbas Mathois, quòd quidam frater veniens dixerit, deteriorem esse qui obloquitur, quàm qui fornicatur. Et respondit: Durus est hic sermo. Dixit ergo ei frater: Et quomodo vis esse hanc rem? Dixit senex: Oblocutio quidem mala est, celerem tamen inuenit curam, & plerumque pœnitentiam agit, qui oblocutus est, dicens: Malè locutus sum, & transit. Fornicatio autem naturaliter mors est.

PASTORIS. (Ruff. lib. 3. num. 59.)

8. Dixit abbas Pastor: Sicut spatharius principis assistit ei semper paratus; ita oportet & animam semper esse paratam aduersus dæmonem fornicationis.

EIVSDEM. (Ruff. lib. 3. num. 63. Pasch. c. 1. num. 9.) *Cogitationi praua statim resistendum.*

9. Venit aliquando frater ad abbatem Pastorem, & dixit ei: Quid facio, pater? quia affligor à fornicatione. Et perrexi ad abbatem Hybistionem, & dixit mihi: Non debes eam longo tempore permittere habitare in te. Dixit ei abbas Pastor: Abbatis Hybistionis actus sursum in cælo sunt cum Angelis, & latet eum: ego autem & tu in fornicatione sumus. Si ergo teneat monachus ventrem & linguam, & maneat in solitudine, confidat quia non moritur. *Continentia ventris & linguæ.*

SARAE. *Vtilis tentatio.*

10. Narrauerunt de abbatissâ Sarâ, quia manserit tredecim annis fortiter à fornicationibus dæmonum impugnata. Et numquam orauit, vt recederet ab eâ huiusmodi pugna; sed solùm hoc dicebat: Domine, da mihi fortitudinem.

EIVSDEM. *Sara dæmonis fornicationis victrix.*

11. Dixerunt iterùm de eâ, quia infestior ei fuerat aliquando imminens fortiùs idem fornicationis dæmon, mittens in cogitationem eius sæculi vanitates. Illa autem non relaxans animum à timore Dei, & à proposito abstinentiæ suæ, ascendit semel super lectum suum orare, & apparuit ei corporaliter spiritus fornicationis, & dixit ei: Tu me vicisti, Sara. Illa autem respondit: Ego non te vici, sed Dominus meus Christus.

INCERTI. *Fortiter resistens à stimulo carnis liberatur.*

12. Frater quidam stimulabatur à fornicatione, & erat stimulus velut ignis ardens in corde eius die ac nocte. Frater autem decertabat non condescendens vel consentiens cogitationi suæ. Post multum autem tempus discessit ab eo stimulus, nihil præualens propter perseuerantiam fratris. Et statim lux apparuit in corde eius.

INCERTI. *Principium victoriæ, reuelatio tentationis.*

13. Alius frater stimulatus est à fornicatione. Et surgens nocte perrexit ad senem, & dixit ei cogitationem suam, & consolatus est eum senex. Ex quâ consolatione proficiens, reuersus est in cellam suam. Et ecce iterùm spiritus fornicationis tentauit eum. Ille autem iterùm abijt ad senem. Factum est autem hoc frequenter. Senex verò non contristauit eum, sed loquebatur ei quæ ad vtilitatem ipsius pertinerent, dicens: Non concedas diabolo, nec relaxes animum tuum; sed magis, quoties molestus est dæmon, veni ad me, & increpatus abscedet. Nihil enim sic extædiat dæmonem fornicationis, quomodo si reuelentur stimulationes eius. Et nihil eum sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes. Venit ergo frater ad senem vndecies, accusans cogitationes suas. Posteà autem dixit frater seni: Ostende charitatem, abba, & dic mihi verbum. Dicit ei senex: Crede, fili, quia si permitteret Deus cogitationes meas, quibus animus stimulatur, in te transferri, non eas portares, sed omnino corrueres deorsum. Hæc autem dicente sene, propter nimiam humilitatem eius quieuit stimulus fornicationis à fratre.

INCERTI.

14. Item alius stimulatus à fornicatione, cœpit decertare & extendere abstinentiam suam, per quatuordecim annos cogitationem suam custodiens, ne consentiret concupiscentiæ suæ. Posteà autem veniens ad eccle-

ad ecclesiam, manifestauit vniuersæ multitudini quod patiebatur. Et datum est mandatum, & omnes afflixerunt se pro eo hebdomadâ, iugiter orantes Dominum, & quieuit stimulus eius.

Publicè cogitationes reuelans liberatur.

INCERTI. 15. De cogitatione fornicationis dixit quidam senex: Eremita dormiens, vis saluari? Vade, labora, vade affligere, vade, quære & inuenies; vigila, pulsa, & aperietur tibi. Sunt enim in sæculo [11] pancratiarij, qui cùm nimis cæsi steterint, & fortes apparuerint, coronas accipiunt. Aliquoties autem & vnus à duobus cæditur, & confortatus plagis cædentes se vincit. Vidisti quantam virtutem per carnis exercitium acquisiuit? Et tu sta, & confortare; & Dominus expugnat pro te inimicum.

Pancratiarius contra carnem coronatur.

SENIS. 16. De eadem ipsâ cogitatione fornicationis, dixit alter senex: Esto velut qui transit in plateâ, aut per tabernam, & capit cuiuscumque coctur æ odorem, aut alicuius assaturæ. Et qui vult, ingreditur & manducat; qui autem non vult, odoratus est tantùm, atque præterit. Ita & tu excute à te fœtorem, surge & ora, dicens: Domine Fili Dei, adiuua me. Hoc autem fac etiam aduersus alias cogitationes. Neque enim eradicatores sumus cogitationum, sed luctatores aduersus easdem cogitationes.

Per cogitationes velut per odorem taberna transeundum.

INCERTI. 17. Alter senex dixit: Hæc de negligentiâ patimur. nam si consideremus, quia Deus habitat in nobis, non alienum vas inferemus intra nos. Dominus enim Christus habitans in nobis atque cohabitans nobis, respicit vitam nostram. Vnde & nos portantes eum & contemplantes, negligere non debemus, sed sanctificare nosmetipsos, sicut & ille sanctus est. Stemus super petram, & rumpetur malignus. Non formides, & non committet aduersum te. Psalle cum virtute, dicens: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. *Psal. 124.*

Qui Deum cohabitatorem considerat, facilè resistit tentationi.

INCERTI. 18. Frater interrogauit senem, dicens: Si incurrerit monachus in peccatum, affligitur velut qui de profectu in deteriorem statum peruenerit, & laborat donec resurgat: qui autem à sæculo venit, velut qui initium fecerit, proficit. Et respondens senex dixit: Monachus in tentationem incurrens, sic est tamquam domus quæ cadit. Et si sobrius fuerit in cogitatione suâ, reædificat eam quæ corruerat domum; inueniens materias ad ædificium profuturas, habens posita fundamenta, & lapides, & arenam, & cetera quæ sunt ædificio necessaria, atque ita velociter fabrica proficit. Ille autem qui nec effodit, nec fundamentum misit, nec habet aliquid eorum quæ sunt necessaria: sed in spe dimittens, si quomodo aliquando perficiatur. Ita est & monachus, si in tentationem ceciderit, & conuersus fuerit ad Dominum, habet plurimum apparatum, meditationem diuinæ legis, psalmodiam, opus manuum, orationem, & cetera, quæ sunt fundamenta. Qui autem recens est in conuersione, donec ista discit, ille in primum ordinem veniet.

Monachus lapsus qui restauretur.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 13. 19. Frater quidam, cùm in fornicationis spiritu teneretur, perrexit ad quemdam senem magnum, & rogabat eum, dicens: Ostende charitatem & ora pro me, quia à fornicatione sollicitor. Senex autem deprecatus est Dominum. Et iterùm secundò veniens ad senem, eumdem sermonem dixit. Similiter & senex non neglexit pro eo rogare Dominum, dicens: Domine, reuela mihi vnde in hoc fratre operatio est ista diaboli? quoniam deprecatus sum te, & requiem necdum inuenit. Et reuelauit Dominus quæ agebantur circa fratrem illum. Et vidit eum senex sedentem, & spiritum fornicationis iuxta illum, & quasi ludentem cum eo, & Angelus stabat missus ad adiutorium eius, & indignabatur aduersus fratrem illum, quia non se prosternebat Deo: sed quasi delectabatur cogitationibus suis, totam mentem suam ad hoc inclinans. Et agnouit senex, quia caussa magis ab eodem fratre esset, & annuntiauit ei, dicens: Tu consentis cogitationi tuæ. Et docuit eum quomodo talibus cogitationibus deberet obsistere. Et respirans frater per doctrinam senis illius & orationem, inuenit requiem à tentatione suâ.

Tentatis adest Angelus.

INCERTI. 20. Tentatus est aliquando discipulus senis magni à fornicatione. Senex verò cùm videret eum laborantem, dixit ei: Vis rogo Dominum, vt subleuet à te molestiam istam? Ille autem dixit: Video, abba, quia si laboro, tamen ex pondere laboris huius considero fructificare me. Sed hoc roga Deum in orationibus tuis, vt det mihi tolerantiam, per quam sustineam. Dicit ei abbas suus: Nunc agnoui, quia in magno profectu es, fili, & supergrederis me.

Ex labore resistendi fructus.

INCERTI. 21. Dicebant de quodam sene, quia descendit in Scithi, & habebat filium adhuc sugentem lac: qui quoniam in monasterio nutritus est, quæ essent mulieres nesciebat. Qui cùm factus esset vir, ostendebant ei nocte dæmones habitus mulierum, & nuntiauit patri suo, & mirabatur. Aliquando ergo ascendit cum patre suo in Ægyptum, & videns mulieres, dixit patri suo: Abba, ecce istæ sunt, quæ veniebant ad me nocte in Scithi. Et dixit ei: Isti sunt monachi de sæculo, fili. Alio autem habitu vtuntur isti, & ere-

Dæmones mulierum specie insidiantur.

& eremitæ alio. Et miratus est senex, quomodo in Scithi ostenderent ei dæmones imagines mulierum, & statim reuersi sunt in cellam suam.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 11.

22. Frater quidam erat probatus tentationibus in Scithi, & immittebat ei aduersarius memoriam mulieris cuiusdam pulchræ in animo, & affligebat eum valdè. Et contigit secundùm Dei dispositionem, vt alter frater descendens de Ægypto, applicaret in Scithi. Et cùm loquerentur, nuntiauit ei, dicens: Vxor illius mortua est. Erat autem ipsa mulier, de quâ inquietabatur ille frater. Quod cùm audisset, tulit vestimentum suum nocte, & ascendit vbi eam sepultam audierat. Et fodit locum, & extersit cruorem putredinis eius in vestimento suo, & reuersus habebat illud in cellâ suâ. Et cùm nimis fœteret, ponebat illos fœtores ante se, & improperans cogitationi suæ, dicebat: Ecce desiderium quod quærebas. habes illud, satiare ex eo. Et ita ex eiusmodi fœtore castigabat semetipsum donec emorerentur concupiscentiæ eius.

Quidam fœtore cadaueris concupiscentiam vincit.

INCERTI.

23. Venit quidam in Scithi aliquando, vt fieret monachus. Qui etiam attulit filium suum nuper ablactatum. Qui cùm factus esset iuuenis, cœperunt impugnare dæmones & sollicitare eum. & dixit patri suo: Vado ad sæculum, quia non possum carnales concupiscentias sustinere. Pater autem eius consolabatur eum. Dixit ergo ille iuuenis: Iam sustinere non valeo, pater; dimitte me redire ad sæculum. Dixit ei pater suus. Audi me, fili, adhuc semel, & tolle tibi quadraginta panes, & folia palmarum dierum quadraginta, & vade in eremo interiore, & esto ibi quadraginta diebus, & voluntas Dei fiet. Qui obediens patri suo, surrexit & abijt in eremo, & mansit ibi, laborans & faciens plectas de palmis siccis, & panem siccum comedens. Et cùm ibi diebus viginti quiesceret, ecce vidit opus quoddam diabolicum venire super se; & stetit coram ipso velut mulier Æthiopissa, fœtida & turpis aspectu, ita vt fœtorem eius sufferre non posset: & abijciebat eam à se. Et illa dicebat ei: Ego sum, quæ in cordibus hominum dulcis appareo; sed propter obedientiam tuam, & laborem quem sustines, non me permisit Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum. Ille autem surrexit, & gratias agens Deo, venit ad patrem suum, & dixit ei: Iam nolo ire ad sæculum, pater. vidi enim operationem diaboli, & fœtorem eius. Cognouerat autem & pater eius de hoc ipso, & dixit ei: Si mansisses quadraginta dies, & custodisses vsque in finem mandatum meum, maiora habuisti videre.

Carnalis concupiscentia fœtida Æthiopissa.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 14.

24. Senex quidam sedebat in longinquâ eremo, qui habebat vnam parentem, quæ desiderabat eum videre post multos annos, & quæsiuit in quo loco habitaret, & surrexit & venit in viam eremi illius. Et inueniens camelarios, adiunxit se cum illis, & ingressa est in eremo, cum eis. Hæc enim trahebatur à diabolo. Quæ cùm venisset ad ianuam senis, cœpit signis indicare seipsam, dicens: Ego illa parens tua: & mansit apud eum. Erat autem alius monachus sedens in inferiori parte, qui implebat sibi surisculam aquæ, horâ quâ manducare voluisset; & subitò versabatur suriscula, & reuersabatur aquâ; qui inspirante Deo dixit in semetipsum: Ingredior in eremum, & dico hoc quod mihi euenit de aquâ senioribus. Et surgens abiit; & cùm serò factum esset, dormiuit in templo quodam idolorum iuxta viam, & audiuit nocte dæmones, dicentes: Istâ nocte præcipitauimus illum monachum in fornicationem. Quod cùm audisset, contristatus est, & perueniens ad senem, inuenit eum tristem, & dicit ei: Quid facio, abba? quia impleo mihi vasculum aquæ, & horâ manducandi effunditur. Et dicit ei senex: Tu venisti interrogare me, quare surifcula tua versatur; & ego quid facio, quia hac nocte cecidi in fornicationem? Cui respondit: Et ego cognoui. Et dicit ei: Tu vnde scis? Qui dixit: Dormiebam in templo, & audiui dæmones loquentes de te. Et dixit senex: Ecce ego vado ad sæculum. Ille autem rogabat eum, dicens: Noli, pater, sed permane in loco tuo; mulierem verò dimitte hinc. hoc enim ex occursu inimici contigit. Quo audito senex sustinuit, extendens & aggrauans conuersationem suam cum lacrymis, donec rediret in priori ordine suo.

Dæmones de lapsu monachi exultant.

Monachus compungitur.

SENIS.

25. Dixit senex: Quia securitas, & taciturnitas, & occulta meditatio pariunt castitatem.

Quæ castitatem pariant.

INCERTI.

26. Frater quidam interrogauit senem, dicens: Si contingat hominem in tentationem cadere, quid fit propter eos qui scandalizantur in eo? Et narrauit senex, dicens: Diaconus quidam erat nominatus in monasterio Ægypti. Dum autem quidam [23] curialis insecutionem iudicis pateretur, venit cum omni domo suâ ad monasterium. Et operante iniquo incurrit diaconus ille in mulierem eius, & facta est omnibus fratribus confusio. ille autem abijt ad quemdam senem, & indicauit ei rem. Senex verò habebat occultam cellam interiorem. quam cùm vidisset diaconus ille, dixit: Sepeli

Diaconi lapsi vera pœnitentia miraculo declaratur. Sepeli me hîc sic viuum, & non indices cuiquam. Et intrauit in obscuritatem cellæ illius, & egit illic pœnitentiam ex veritate. Contigit autem, vt post multum tempus non ascenderet aqua in flumine Nilo. Et cùm omnes Litanias facerent, reuelatum est cuidam sanctorum, quia nisi venerit diaconus, qui absconsus est apud illum talem monachum, non ascendent fluminis aquæ. Quod cùm audissent, admirati sunt, & venientes eiecerunt eum de loco in quo erat: & orauit, & ascendit aqua. Et qui aliquando scandalizati in eo fuerant, ædificati sunt posteà in pœnitentiâ eius, & glorificauerunt Deum.

DVORVM FRATRVM Ruffin. l. 3. n. 12. 27. Duo fratres perrexerunt ad ciuitatem, vt venderent quod fuerant operati; cùm à se inuicem in ciuitatem fuissent diuisi, incurrit vnus in fornicationem. Veniens autem posteà frater eius, dixit ei: Reuertamur ad cellam nostram, frater. Ille autem respondit, dicens: Non venio. Et interrogabat eum ille, dicens: Quare, frater? Et ille respondit: Quia cùm discessisses à me, incurri in tentationem, & fornicatus sum. Ille autem volens eum lucrari, cœpit dicere, Quia & mihi sic contigit: quando separatus sum à te, incurri & ego in fornicationem. Sed eamus, & simul pœnitentiam agamus cum omni labore; & Deus ignoscet nobis peccatoribus. *Frater ex charitate cum fratre lapso pœnitentiam implet.* Qui cùm venissent ad cellam, retulerunt senibus quod eis contigerat, & dederunt eis illi mandata, qualiter pœnitentiam agerent. Ille tamen vnus non pro se, sed pro illo alio fratre pœnitentiam agebat, tamquam si & ipse peccasset. Videns autem Deus laborem & charitatem eius, intra paucos dies manifestauit vni de senibus, quòd pro multâ charitate illius fratris, qui non peccauerat, indulserat illi qui fornicatus est. *Quidam animam pro fratre ponere.* Verè hoc est ponere animam suam pro fratre suo.

INCERTI. 28. Venit aliquando frater ad quemdam senem, dicens ei: Frater meus soluit me egrediens huc atque illuc; & pro hoc ego affligor. Et rogabat eum senex, dicens: Æquanimiter porta, frater, & Deus videns laborem *Magis benignitate quàm austeritate homines reducuntur.* sustentationis tuæ, reuocabit eum ad te. neque enim possibile est, vt cum duritiâ & austeritate facilè ab intentione suâ aliquis reuocetur; quia nec dæmon expellit dæmonem: sed magis benignitate reuocabis eum ad te. Quoniam & Deus noster consulendo, ad se homines trahit. Et narrauit ei, dicens ei: Quia fuerunt in Thebaidâ duo fratres, & cùm vnus incurrisset ex his in fornicationem, dicebat ad alium: Reuertor ad sæculum. Alter verò plorabat, dicens: Non te dimitto, frater, discedere, & perdere laborem tuum, & virginitatem tuam. Ille verò non acquiescebat, dicens: Non hîc sedeo, sed vado. Aut veni mecum, & iterùm redeo tecum, aut certè dimitte me, & permaneam in sæculo. Vadens autem frater, nuntiauit hoc cuidam seni magno. Dixit autem ei senex: Vade cum ipso, & Deus *Fratris charitas fratrem à lapsu seruat.* illum per laborem tuum non dimittet corruere. Qui consurgens abijt cum eo ad sæculum. Et cùm peruenisset ad quemdam vicum, videns Deus laborem illius, qui ex charitate & necessitate fratrem suum sequebatur, abstulit concupiscentiam à fratre eius. Et dicit fratri suo: Eamus iterùm ad eremum, frater. Ecce puto, quia iam peccaui cum muliere: quid lucratus sum ex hoc? Et reuersi sunt illæsi in cellam suam.

INCERTI. 29. Frater tentatus à dæmone profectus est ad quemdam senem, dicens: Quia duo illi fratres simul sunt, & malè viuunt. Cognouit autem senex, quia à dæmone illuderetur, & mittens vocauit eos ad se. Et cùm factum esset vespere, posuit mattam duobus illis fratribus, & cooperuit eos in vno stratu, dicens: Filij Dei magni & sancti sunt. Dixit *Temerè de alijs suspicans, ipse impugnatur.* autem discipulo suo: Hunc fratrem claude in cellâ seorsùm: ipse enim passionem, quam illis obiecit, in se habet.

INCERTI. 30. Frater quidam dixit seni: Quid facio, quia occidit me sordida cogitatio? Dicit ei senex: Mulier quando vult ablactare filium suum, amarum aliquid superungit vberibus suis; & cùm venerit infans ex con- *A cogitatione praua amaritudine tormentorum ablactandi sumus.* suetudine sugere lac, sentiens amaritudinem, refugit. Mitte ergo & tu in cogitatione tuâ amaritudinem. Dicit ei frater: Quæ est amaritudo, quam debeam mittere? Dixit ei senex: Cogitationem mortis & tormentorum, quæ in sæculo futuro peccatoribus præparantur.

SENIS. Ruff. lib. 3. n. 62. 31. Frater quidam interrogauit senem de huiusmodi cogitatione. Et dicit ei senex: Ego numquam stimulatus sum de hac re. Et scandalizatus est in eo ille frater, & abijt ad alium senem, dicens: Ecce hoc dixit mihi ille senex, & scandalizatus sum in eo: quia super naturam est quod dixit. Dicit ei senex: Non simpliciter tibi dixit hoc ille homo Dei; sed surge, vade, & pœnitentiam age apud eum, vt aperiat tibi virtutem sermonum suorum. Surrexit ergo ille frater, & venit ad senem, agens in conspectu eius pœnitentiam. Et dixit: Ignosce mihi, pater, quia stultè feci, non dicto tibi vale discedens: sed obsecro te, vt interpreteris mihi, quomodo numquam sollicitatus sis à fornicatione. Dicit ei senex: Quia ex quo factus sum *Esuries stimulos carnis pellit.* monachus, non sum satiatus pane, neque aquâ, neque somno, & appetitu horum

DE FORNICATIONE.

quibus pascimur, crucians me, non permittebar sentire fornicationis stimulos. Et exijt frater ille, proficiens ex relatione senis.

PASTORIS. Ruffin. l. 3. n. 40.

32. Frater quidam interrogauit quemdam senem, dicens: Quid facio? quia cogitatio mea semper in fornicatione est intenta, & non dimittit me quiescere vnâ horâ, & affligitur ex hoc anima mea. Ille autem dixit ei: Quando dæmones cogitationes in corde tuo seminant, & sentis hoc, non colloquaris cum animo tuo: quoniam dæmonum est suggerere. Et licet non negligant hæc immittere; tamen non extorquent dæmones. In te est ergo suscipere, & non suscipere. Respondens autem frater, dixit seni: Et quid faciam, quia fragilis sum, & superat me passio hæc? Ille autem dixit ei: Intentus esto ad huiusmodi. Scis autem quid fecerint Madianitæ? Ornauerunt filias suas, & statuerunt eas in conspectu Israëlitarum: non tamen extorserunt aliquibus, vt miscerentur cum eis; sed qui voluerunt, incurrerunt in eis. Alij autem indignantes comminati sunt, & cum interitu eorum qui præsumpserant, vlti sunt fornicationem: ita agendum est & de fornicatione. Et quando initium faciunt loqui in corde tuo, non respondeas eis: sed surgens, ora, & age pœnitentiam, dicens: Fili Dei, miserere mei. Dixit autem ei frater: Ecce meditor, abba, & non est compunctio in corde meo, quia nescio virtutem verbi. Et ille dixit: Et tu tamen meditare. Audiui enim, quia dixerit abbas Pastor, sed & alij patres hoc verbum: Quoniam incantator virtutem verborum quæ dicit, nescit; sed serpens audit, & scit virtutem eorum quæ incantantur, & subjicitur incantanti, & humiliatur. Sic & nos, quamuis ignoremus virtutem eorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes terrentur atque discedunt.

Malarum cogitationum semina suffocanda.

Num. 25.

Verbo Dei etiam non intellecto vtendum.

INCERTI.

33. Dicebat senex: Quia cogitatio fornicationis fragilis est, velut papyrus. Si ergo iactetur in nobis, & non acquiescentes projiciamus illam à nobis, facilè rumpitur. Necessarium igitur est, vt sit discretio in cogitatione nostrâ, quâ agnoscamus, quia his qui consentiunt ei, non sit spes salutis: illis autem qui non consentiunt, reposita sit corona.

Corona certantium contra cogitationes.

DVORVM FRATRVM.

34. Duo fratres impugnati à fornicatione, abierunt, & acceperunt vxores. Posteà autem dixerunt adinuicem: Quid lucrati sumus, quia deseruimus angelicum ordinem, & venimus in immunditiam hanc, & post hæc in ignem, & in tormentum venturi sumus? Redeamus ergo ad eremum, & agamus de his quæ præsumpsimus, pœnitentiam. Et venientes ad eremum, rogauerunt patres vt susciperent eos pœnitentes & confitentes ea quæ gesserant. Et clauserunt eos anno integro senes, & ambobus æqualiter ad pensum dabatur panis, & ad mensuram aqua. Erant autem visione consimiles. Et dum completum fuisset tempus pœnitentiæ, exierunt. Et viderunt patres vnum pallidum & tristem nimis; alium verò robustum & clarum: & mirati sunt, quoniam cibum & potum æqualiter acceperant. Et interrogauerunt eum qui tristis & afflictus erat, dicentes: Quid exercitabas cum cogitationibus tuis in cellâ tuâ? Et ille dixit: Pro malis quæ feci, pœnas in quibus venturus eram in animo reuoluebam, & à timore adhæserunt ossa mea carni meæ. Interrogauerunt autem & alium, dicentes: Tu quid cogitabas in cellâ tuâ? Et ille dicebat: Deo gratias referebam, quia eruit me de inquinamento mundi huius, & de futuri sæculi pœnis, & reuocauit me ad hanc conuersationem angelicam: & reminiscens assiduè Dei mei, lætabar. Et dixerunt senes: Æqualis est amborum pœnitentia apud Deum.

Æqualis duorum fratrum pœnitentia.

Diuersus corporum in duobus pœnitentibus ex diuersâ meditatione habitus.

MOYSIS.

35. Senex quidam erat in Scithi: qui cùm incurrisset in ægritudinem magnâ, seruiebant ei fratres. Et videns senex quia laborarent, dixit: Vado in Ægyptum, & non soluam fratres istos. Et dicit ei abbas Moyses: Non vadas, quoniam in fornicationem incursurus es. Ille autem contristatus dicebat: Mortuum est corpus meum, & tu mihi ista dicis? Surgens ergo abijt in Ægyptum. Quod cùm audiissent homines circumquaque habitantes, offerebant ei multa. Venit etiam ad eum quædam virgo fidelis, volens obsequium suum seni infirmanti deferre. Et post aliquantum temporis cùm paululùm de ægritudine, quâ tenebatur, meliùs habuisset, incurrit in eam, & illa concepit. Interrogata autem à vicinis loci vnde conceperit; illa respondit: De sene hoc. Illi autem non credebant ei. Senex verò dicebat: Ego hoc feci; sed custodite mihi infantem quem peperit. Quæ cùm genuisset puerum, & ablactatus fuisset, tulit senex infantem in humeris suis, & die quâ erat festiuitas in Scithi, occurrit ibi, & intrauit in ecclesiam coram multitudine fratrum. Illi autem videntes eum, fleuerunt: Qui dixit fratribus: Videtis infantem hunc? filius est inobedientiæ meæ. Cauete ergo vos, fratres, quia in senectute hoc feci, & orate pro me. Et pergens ad cellam suam, ad initium primæ conuersationis suæ reuersus est.

Vinitetiam in præmortuis senibus libido.

INCERTI.

36. Frater quidam tentatus est pessimè à dæmonibus. In specie enim pulchrarum mulie-

Virilis cuiusdam victoria.

mulierum transformati, iugiter quadraginta diebus perseuerauerunt pugnantes aduersus eum, vt traherent eum ad turpem commixtionem. Illo autem viriliter reluctante, & minimè superato; Deus aspiciens bonum eius certamen, donauit ei, vt vltrà nullum calorem carnalis concupiscentiæ pateretur.

INCERTI. 37. Solitarius quidam erat in inferioribus Ægypti, & hic erat nominatissimus, quia solus in ecclesiâ sedebat in deserto loco. Et ecce, iuxta operationem satanæ mulier quædam inhonesta audiens de eo, dicebat iuuenibus: Quid mihi vultis dare? & depono istum solitarium vestrum. Illi autem constituerunt ei certum quid quod darent ei. Quæ egressa vesperè, venit velut errans ad cellam eius: & cùm pulsaret ad cellam, egressus est ille; & videns eam turbatus est, dicens: Quomodo huc aduenisti? Illa autem velut plorans, dicebat: Errando huc veni. Qui cùm miseratione viscerum pulsaretur, introduxit eam in atriolum cellulæ suæ, & ipse intrauit interiùs in cellam suam, & clausit. Et ecce infelix illa clamauit, dicens: Abba, feræ me comedent hîc. Ille autem iterùm turbatus est, timens etiam iudicium Dei, dicebat: Vnde mihi venit ira hæc? Et aperiens ostium, introduxit eam intrò. Cœpit autem diabolus velut sagittis stimulare cor eius in eam. Qui cùm intellexisset diaboli esse stimulos, dicebat in semetipso: Viæ inimici tenebræ sunt: Filius autem Dei lux est. (Psal. 34.) Surgens ergo accendit lucernam. Et cùm inflammaretur desiderio, dicebat: Quoniam qui talia agunt, in tormentis vadunt. (Gal. 5.) Proba ergo teipsum ex hoc, si potes sustinere ignem æternum. Et mittebat digitum suum in lucernam. quem cùm incendisset, & arderet, non sentiebat propter nimiam flammam concupiscentiæ carnalis. Et ita vsque manè faciens, incendit omnes digitos. Illa autem infelix videns quod faciebat, à timore velut lapis facta est. Et venientes iuuenes manè ad monachum illum, dicebant: Venit hîc mulier serò? Ille autem dixit: Etiam; ecce vbi dormit. Et intrantes inuenerunt eam mortuam. Et dicunt: Abba, mortua est. Tunc ille recutiens palliolum suum, quo vtebatur, ostendit eis manus suas, dicens: Ecce quod mihi fecit filia ista diaboli, perdidit omnes digitos meos. Et narrans eis quod factum fuerat, dicebat: Scriptum est, Ne reddas malum pro malo. (Prou. 17. 1.Thess.5. 1.Pet.3.) Et faciens orationem, suscitauit eam. Quæ conuersa, castè egit residuum tempus vitæ suæ.

Igne corporali ignis est extinguendus libidinis.

FRATRIS. 38. Frater quidam impugnabatur à fornicatione. Contigit autem eum venire in vicum quemdam Ægypti, & videns filiam sacerdotis paganorum, adamauit eam, dixitque patri eius: Da mihi eam vxorem. Ille autem respondens dixit ei: Non possum eam tibi dare, nisi rogauero deum meum. Et abiens ad dæmonem, quem colebat, dixit ei: Ecce quidam monachus venit ad me, volens accipere filiam meam; do ei eam? Respondens dæmon, dixit: Si negat Deum suum, & Baptismum, & propositum monachi, interroga eum. Et veniens sacerdos dixit ei: Nega Deum tuum, & Baptismum, & propositum monachi, & dabo tibi filiam meam. Ille verò consensit. Et statim vidit velut columbam exire de ore suo, & volare in cælum. Pergens autem sacerdos ad dæmonem, dixit: Ecce promisit se tria illa facturum. Tunc respondens diabolus dixit ei: Non des ei filiam tuam in vxorem, quia Deus eius non recessit ab eo: sed adhuc adiuuabit eum. Et veniens sacerdos dixit illi fratri: Non tibi possum eam dare; quia Deus tuus adhuc adiuuat te, & non recessit à te. Hæc audiens frater, dixit in semetipsum: Si tantam bonitatem ostendit in me Deus, cùm ego infelix negauerim & ipsum, & Baptismum, & propositum monachi: bonus autem Deus etiam sic malum nunc vsque adiuuat me, cur ego recedam ab eo? Et in semetipsum reuersus, recepit sobrietatem mentis, & venit in eremum ad magnum quemdam senem, & narrauit ei quæ fuerant acta. Et respondens senex, dixit ei: Sede mecum in speluncâ, & ieiuna tres hebdomadas continuas, & ego deprecabor Deum pro te. Et laborauit senex pro fratre, & deprecatus est Deum, dicens: Obsecro, Domine, dona mihi animam hanc, & suscipe pœnitentiam eius. Et exaudiuit orationem eius Deus. Et cùm completa fuisset prima hebdomada, venit senex ad illum fratrem, & interrogauit illum, dicens: Aliquid vidisti? Et respondens frater, dixit: Etiam; vidi columbam sursum in altitudine cæli contra caput meum stantem. Et respondens senex, dixit ei: Attende tibimetipsi, & deprecare Deum intentè. Secundâ verò hebdomadâ venit senex iterùm ad fratrem, & interrogauit eum, dicens: Vidisti aliquid? Et respondit: Vidi columbam venientem iuxta caput meum. Et præcepit ei senex, dicens: Sobrius esto mente, & ora. Et completâ tertiâ hebdomadâ, venit iterùm senex, & interrogauit eum, dicens: Ne aliquid plus vidisti? Et ille respondit, dicens: Vidi columbam, quia venit & stetit supra caput meum, & tetendi manum meam tenere eam: illa autem surgens intrauit in os meum. Et

Qui Deum abnegat, deseritur à columbâ sancti Spiritus.

Ad pœnitentem redit columba.

gratias agens Deo ſenex, dixit fratri: Ecce ſuſcepit Deus pœnitentiam tuam: de cetero attende temetipſum, & eſto ſollicitus. Et reſpondens frater dixit: Ecce amodò tecum ero donec moriar.

SENIS.

39. Dicebat quidam de Thebæis ſenibus, quòd filius eſſet ſacerdotis idolorum: & cùm paruulus ſederet in templo, vidiſſet patrem ſuum frequenter ingredi, & ſacrificia offerre idolo; & quia ſemel poſt ipſum occultè intrauerit, & viderit ſatanam ſedentem, & omnem militiam eius aſtantem ei: & ecce vnus de principibus eius veniens adorauit eum. Cui diabolus dixit: Vnde venis tu? Et ille reſpondit: In illâ prouinciâ eram, & ſuſcitaui illic bella & perturbationes plurimas, effuſiones ſanguinis faciens, & veni nuntiare tibi. Et diabolus interrogauit eum: In quanto tempore hoc feciſti? Et ille reſpondit: In triginta diebus. Et diabolus iuſſit eum flagellari, dicendo: Tanto tempore hoc feciſti? Et ecce alius veniens adorauit eum. Et ipſi dixit: Vnde venis tu? Et reſpondit dæmon: In mari eram, & ſuſcitaui commotiones, & demerſi naues, & multos homines occidens, veni nuntiare tibi. Et dixit diabolus: Quanto tempore hoc feciſti? Et ille reſpondit: Sunt dies viginti. Et hunc ſimiliter iuſſit flagellari, dicens: Quare in tantis diebus hoc ſolum feciſti? Et tertius veniens adorabat eum. Dixit autem & huic: Et tu vnde venis? Et reſpondit: In illâ ciuitate fui: & dum ibi fierent nuptiæ, excitaui lites, & multas effuſiones ſanguinis feci: inſuper & ipſum ſponſum occidi, & veni nuntiare tibi. Et dixit ei: In quantis diebus hoc feciſti? Et reſpondit: Decem. Iuſſit autem, tamquam moras fecerit, & hunc flagellari. Venit autem alius adorare eum, & dixit ei: Vnde venis? Et reſpondit ei: In eremo eram; ecce quadraginta anni ſunt, quòd impugno monachum quemdam; & vix nocte iſtâ præualui, vt facerem eum fornicari. Quod diabolus audiens ſurrexit, & oſculatus eſt eum: & tollens coronam quam ipſe habebat, poſuit in capite illius, & fecit eum ſibi in vnâ ſede conſidere, dicens: Magnam rem fortiter geſſiſti. Hoc ego cùm audiſſem, & vidiſſem, dixi intra meipſum: Valdè magnus eſt ordo monachorum.

Conſiſtorium demonum.

Lætitia demonum de monachi lapſu.

INCERTI.

40. Dicebant de quodam patre, quia ſæcularis fuiſſet, & pòſt conuerſus eſt, & de concupiſcentiâ vxoris ſuæ frequenter ſtimulabatur, & narrabat hoc patribus. Qui cùm vidiſſent quia operarius eſſet, & maiora faciebat quàm illi dicebant, imponebant ei quædam, vt debilitaretur corpus eius, ita vt nec ſurgere poſſet. Deo autem diſpenſante, venit quidam pater vt applicaret in Scithi: & cùm veniſſet ad cellam eius, vidit eam apertam, & pertranſiuit adiurans quomodo nemo egreſſus eſſet in occurſum eius. Et reuerſus pulſabat, dicens: Ne fortè frater qui in eâ habitat, infirmetur. Et cùm pulſaſſet, intrauit, & inuenit eum nimiùm infirmum. Et dicit ei: Quid habes, pater? Et narrauit ei, dicens: Ego de ſæculari vitâ ſum, & ſollicitat me modò inimicus in vxore meâ: & narraui patribus, & impoſuerunt mihi conuerſationis onera diuerſa. & cùm obedienter implere vellem, ecce defeci, & tamen ſtimulus creſcit. Audiens hæc ſenex, contriſtatus eſt, & dixit ei: Equidem patres, vt potentes viri benè tibi impoſuerunt onera, quibus grauaris: ſed ſi me paruulum audis, iacta à te hæc, & ſume parum cibi in tempore ſuo, & recolligens vires tuas, fac aliquantum opus Dei, & iacta in Domino cogitatum tuum: quoniam tuo labore hanc rem non poteris ſuperare. Corpus enim noſtrum velut veſtimentum eſt. ſi illud diligenter tractaueris, ſtabit: ſi autem neglexeris illud, putreſcet. Qui cùm audiſſet eum, fecit ita, & intra paucos dies receſſit ab eo ſtimulus ille.

Concupiſcentia non tam labore, quàm oratione ſuperanda.

Pſal. 54.

Corpus inſtar veſtimenti.

MONACHI.

41. Monachus quidam ſolitarius antiquus, & conuerſatione proficiens, ſedebat in monte in partibus Antinoo, ſicut audiuimus à notis monachis, cuius verbis & actu multi proficiebant. Et cùm talis eſſet, excitatus eſt diabolus ad inuidiam contra eum, ſicut & contra omnes virtutum viros, & immittit animo eius cogitationem talem; vt ei qui in tali conuerſatione eſſet, non deberet ſeruiri ab alio, aut miniſterium exhiberi, ſed magis ipſum debere alijs miniſtrare. Quòd ſi alijs non exhiberet miniſterium, ſaltem ſibi ipſi ſeruiret, dicens: Vende ergo in ciuitate ſportellas, quas facis, & eme tibi quæ opus ſunt, & reuertere ad locum tuum, & nulli ſis oneroſus. Hoc autem ſuggerebat diabolus, inuidens quieti eius & opportunæ vacationi ad Dominum, & vtilitati multorum. vndique enim inimicus venari eum & capere feſtinabat. Ille verò tamquam bonæ cogitationi acquieſcens, deſcendit de monaſterio ſuo. Et quia erat omnibus admirandus, ignotus tamen habere huiuſmodi inſidias aſtutiæ, notus autem & famoſus omnibus, à quibus videbatur, exiſtens. Et cùm poſt longum tempus mulierem vidiſſet, pro incautelâ ſuâ ſupplantatus eſt, & incurrit in eam. Et veniens in deſertum locum ſequente diabolo veſtigia eius, cecidit iuxta flumen. Et cogitans quia gauiſus eſt ini-

Specie humilitatis eductum monachum diabolus decipit.

est inimicus de ruinâ eius, voluit semetipsum desperare, quia Spiritum Dei maximè contristauerit, & sanctos Angelos, & venerabiles patres, quorum multi etiam in ciuitatibus habitantes superauerunt diabolum. Et cùm nulli horum se facere similem posset, contristabatur valdè, & non recordabatur, quia Deus est qui virtutem tribuit his qui ad eum deuotissimè conuertuntur. Cæcatus ergo, & non videns peccati sui curam, voluit se in flumen illud iactare, vt perfectum gaudium faceret inimico. Ex multo itaque animi dolore infirmatus est corpore; & nisi postea misericors Deus auxilium præstitisset ei, ad perfectum gaudium inimici sine pœnitentiâ moreretur. Nouissimè autem in se reuersus, cogitauit maiorem laborem in afflictione pœnitentiæ demonstrare, & supplicare Deo in fletu & luctu, & ita rediit iterùm ad monasterium suum. Et damnans ostium cellæ suæ, sicut solet super mortuum, ita flebat supplicans Deo. Ieiunans autem & vigilans cum omni anxietate attenuauit corpus suum: & nec sic satisfactum putabat animo suo, quia congruè pœnituisset. Fratribus autem sæpè ad eum venientibus suæ vtilitatis caussâ, & pulsantibus ostium, ipse dicebat, non se posse aperire, dicendo: Sacramento me constrinxi vnum annum deuotè me pœnitentiam agere; sed orate pro me. Nec enim inueniebat quomodo eis excusaret, quoniam illi scandalizabantur, hæc audientes de eo, quia erat apud eos honorabilis, & valdè magnus monachus. Et fecit totum annum intentè ieiunans, & deuotè pœnitentiam agens. Die autem Paschæ nocte ipsâ resurrectionis Dominicæ, tollens lucernam nouam posuit in cacabo nouo. Et cooperiens de cooperculo, à sero surrexit ad orationem, dicens: Misericors & miserator Dominus; qui & barbaros saluare vis, & ad veritatis agnitionem venire, ad te confugi fidelium Saluatorem, miserere mihi qui te plurimùm exacerbaui, inimicum gaudere feci, & ecce mortuus sum obediens ei. Tu Domine, qui & impiis & his qui sunt sine misericordiâ petens misereris, sed & proximis misericordiam impendere præcipis, miserere humilitati meæ. Apud te enim impossibile nihil est, quoniam secus infernum dissipata est sicut puluis anima mea. Fac misericordiam, quia benignus es & misericors, figmento tuo; qui & corpora quæ non sunt, in die resurrectionis resuscitaturus es. Exaudi me, Domine, quia defecit spiritus meus, & infelix anima mea. Tabefactum est etiam corpus meum, quod coinquinaui. Et iam viuere non valeo, pro eo quòd non credidi. Ignosce peccatum per pœnitentiam, duplex habenti peccatum ex desperatione. Viuifica me contritum, & igne tuo præcipe hanc lucernam accendi. Vt & ego accipiens fiduciam misericordiæ & indulgentiæ tuæ, per residuum tempus vitæ meæ, quod mihi donaueris, mandata tua custodiam, & à timore tuo non recedam, sed deuotè seruiam tibi ampliùs quàm primò. Et hæc in nocte ipsâ resurrectionis cum multis lacrymis dicens, surrexit vt videret si accensa esset lucerna. Et detecto cacabo, vidit quia non esset accensa. Et cecidit iterùm in faciem suam, rogans Dominum, & dicens: Scio, Domine, quia certamen factum est, vt coronarer, non steti in pedibus, eligens magis propter carnis delectationem tormentis impiorum addici. Parce ergo mihi, Domine. Ecce enim iterùm confiteor tuæ bonitati turpitudinem meam coram Angelis tuis, & coram iustis omnibus, & nisi quia scandalizari possent, etiam hominibus omnibus confiterer. Deus miserere mei, vt & alios erudiam; Domine, viuifica me. Et ita tribus vicibus orans, exauditus est. Et exurgens inuenit lucernam ardentem clarè. Et exultans spe, confortatus gaudio cordis est, admirans de gratiâ Dei, qui ita & peccatis eius indulsit, & satisfecit iuxta petitionem eius & animum ipsius, & dicebat: Gratias ago tibi, Domine, quia etiam vitæ sæculi huius indigno misertus es, magno & nouo hoc signo fiduciam tribuens: parcis enim misericors animabus, quas tu creas. Ita autem perseuerante eo in confessione illuxit dies. Et lætabatur in Domino, oblitus cibi corporalis. Ignem autem lucernæ illius toto tempore vitæ suæ seruauit, oleum subinde superinfundens, & faciens desuper quò minùs extingueretur. Et ita rursus diuinus Spiritus habitauit in eo, & factus est apud omnes insignis, humilitatem exhibens in confessione & actione gratiarum Domino cum lætitiâ. Cui etiam ante aliquot dies mortis suæ relatum est de transitu suo.

Monachi pœnitentis oratio.

Lucernâ diuinitus accensâ pœnitentiam suam Deo acceptam discit.

LIBELLVS SEXTVS.

De eo, quòd monachus nihil debeat possidere.

1. FRATER quidam renuntians sæculo, & dans quæ habebat pauperibus, retinens autem pauca in suâ ratione, venit ad abbatem Antonium. Quod cùm agnouisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cùm sic fecisset frater ille, canes & aues corpus eius lacerabant. Cùm peruenisset autem ad senem, interrogauit, si fecisset quod ei di-

ANTONII Ruff. lib. 3. n. 68.

Monachus pecunias possidens lacerandus à dæmonibus.

ei dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum, dixit sanctus Antonius: Qui renuntiant sæculo, & volunt habere pecunias, ecce ita impugnati à dæmonibus discerpuntur.

ARSENII. *Mortuus sæculo non exspectat testamenta.*

2. Narrauit abbas Daniel de abbate Arsenio, quia venit aliquando [24] Magistrianus, deferens ei testamentum cuiusdam senatoris parentis eius, qui reliquerat ei hereditatem magnam valde. Et accipiens testamentum, voluit illud scindere: Magistrianus autem cecidit ad pedes eius, dicens: Deprecor te, ne scindas illud, quia incidetur mihi caput. Et dicit ei abbas Arsenius: Ego priùs mortuus sum quàm ille. Ipse autem modò mortuus est, quomodo me fecit heredem? Et remisit testamentum, nihil accipiens.

EIVSDEM. *Arsenij paupertas.*

3. Ægrotauit aliquando memoratus abbas Arsenius in Scithi, & opus habuit in necessitate suâ vsque ad vnam siliquam nummi. Et cùm nō inueniret, accepit à quodam velut eleēmosynam, & dixit: Gratias tibi ago, Domine, quia me dignum fecisti pro nomine tuo ad hoc peruenire, vt egens eleēmosynam postularem.

AGATHONIS. *Mutandus locus si saluti obsit.* Ioan. 14.

4. Narrauerunt de abbate Agathone, quia longo tempore cellam sibi cum suis discipulis fabricaret. Quam cùm perfecissent, & cœpisset illic habitare, vidit in ipsâ hebdomadâ quædam non vtilia sibi: & dixit discipulis suis illud quod Dominus apostolis dixerat: Surgite, eamus hinc. Discipuli autem contristati sunt valdè, dicentes: Si omnino voluntatem habebas migrandi hinc, vt quid tantum laborem sustinuimus, ædificantes longo tempore cellam? Incipient autem homines scandalizari in nobis, & dicere: Ecce iterùm migrant, nusquam sedentes. Ille autem cùm eos vidisset pusillanimes effectos, dicit eis: Etsi scandalizantur aliqui; sed iterùm sunt alij qui ædificentur & dicunt: Beati sunt isti, quia propter Deum migrauerunt, & sua omnia contempserunt. Verumtamen dico vobis, qui vult venire, veniat; quia ego interim vado. Illi verò prostrauerunt se in terram, rogantes, vt concederet secum abire.

INCERTI. Ruffin. l. 3. n. 70. titulo *Serapionis.* Matth. 19.

5. Dixit abbas [25] Euagrius, fuisse quemdam fratrem, qui nihil habuit in substantiâ suâ, nisi tantùm Euangelium, & ipsum vendidit in pauperum nutrimento. Dicens quodam verbo, quod memoriæ dignum est commendari: Ipsum etiam, inquit, verbum vendidi, quod iubet, Vende omnia, & da pauperibus.

THEODORI.

6. Abbas Theodorus, cognomento de Pherme, habebat tres codices bonos. Et cùm venisset ad abbatem Macarium, dixit ei: Habeo tres codices, & proficio ex lectione eorum. Sed & fratres petunt eos ad legendum, & ipsi proficiunt. Dic ergo mihi quid debeo facere? Et respondens senex, dixit: Boni sunt quidem actus: sed melius omnibus est, nihil possidere. Quod cùm audisset, abijt, & vendidit memoratos codices, & dedit indigentibus pretium ipsorum.

Optimum nihil possidere.

IOANNIS. Ruff. lib. 3. n. 148.

7. Narrauit quidam patrum de abbate Ioanne Persâ, quia ex multis virtutibus suis ad profundam simplicitatem atque innocentiam peruenerit. Hic autem manebat in Arabiâ vicinâ Ægypti. Et mutuauit aliquando à fratre suo solidum vnum, & emit linum vt operaretur. Et venit frater rogans eum, & dicens: Dona mihi, abba, aliquantum lini, & faciam mihi vestimentum, quo vtar. Et dedit ei cum gaudio. Similiter & alius veniens rogauit eum, vt daret ei aliquantum lini, vt faceret sibi tegumentum. Et dedit ei. Et multis alijs petentibus dabat simpliciter cū gaudio. Posteà venit dominus solidi quem mutuò acceperat, volēs recipere quod mutuauerat. Et dixit ei senex: Ego affero tibi eum. Et cùm non haberet, vnde redderet, abijt ad abbatem Iacob dispensatorem, vt rogaret eum, & daret ei solidum. Et cùm iret, inuenit in terrâ iacentem solidum, & non tetigit eum, sed fecit orationem, & reuersus est in cellam suam. Et venit iterùm frater ille, & cœpit ei molestus esse pro solido. Et dicit ei: Ego reddam tibi. Et abijt iterùm senex, & inuenit solidum in terrâ vbi erat priùs, & rursus factâ oratione reuersus est. Et ecce iterùm cœpit frater ille molestus esse, & dicit senex: Adhuc semel me exspecta, & affero tibi solidum tuum. Et surgens venit ad illum locum, & inuenit ipsum solidum ibi; & factâ oratione tulit eum, & venit ad abbatem Iacobum, & dicit: Abba, cùm venirem ad te, inueni hunc solidum in viâ. ostende ergo charitatem, & prædica ieiunium, ne quis perdiderit eum. Et prædicauit abbas, & nemo est inuentus qui perdidisset eum. Tunc verò dicit abbati Iacobo: Si ergo nemo eum perdidit, do eum illi fratri, quia ipsi debeo solidum. & cùm venirem ad te, vt tu mihi solidum præstares, & redderem debitum, inueni eum in viâ. Et miratus est abbas Iacobus, quomodo compulsus pro debito inuenisset, & non statim tulisset eum: & reddidit solidum fratri illi. Et hoc erat mirabile de ipso: quia si veniebat quis mutuum aliquid petere ab eo, non per seipsum dabat, sed dicebat fratri mutuum postulanti: Vade, tolle tibi tu ipse quod opus habes. Et quando referebat quod mutuum accepisset, dicebat ei: Repone illud iterùm vnde tulisti. Si autem nihil refere-

Libenter mutuum præstans in viâ solidum inuenit.

Tertiò erat antequam tollat.

Promptitudo mutuum præstandi.

ferebat ille qui mutuum acceperat, senex nihil dicebat ei.

ISAAC. 8. Narrauerunt quidam patrum, quia venit aliquando frater aliquis in conuentum Cellarum coram abbate Isaac, vestitus modicum cucullum: & spectabat eum senex, dicens: Hîc monachorum est habitatio; tu sæcularis es, & non poteris hic esse. *Modicus cucullus sæcularium est.*

EIVSDEM. 9. Dicebat autem fratribus abbas Isaac: Patres nostri & abbas Pambo, vetustis & de multis partibus resarcitis vestibus vtebantur: nunc autem pretiosis vestibus vtimini. discedite hinc, desertastis locum hunc. Quando autem perfecturi erant ad messem, dicebat eis: Iam vobis nulla mandata dabo, quia non obseruatis. *Monachorum vetusta & resarcita vestimenta.*

BASILII. Cassian. lib. 7. Instit. c. 19. 10. Dixit abbas Cassianus: Quia Syncleticus aliquis nomine renuntiasset sæculo, & facultates suas pauperibus diuidens, aliqua sibi retinuisset ad proprium vsum, nolens perfectè ex omnibus renuntiantium humilitatem & communis monasteriorum vitæ suscipere regulam. Ad quem sanctæ memoriæ Basilius dixit hoc: Et senator esse desijsti, & monachum non fecisti. *Perfectè renuntiandum.*

PISTERAMONIS. 11. Dixit quidam frater abbati Pisteramoni: Quid faciam, quoniam durum est mihi vendere quod manibus meis laboro. Et respondens dixit: Quia abbas Sisois & ceteri vendebant opus manuum suarum. hoc enim non lædet. Sed quando vendis, semel dic pretium speciei quam distrahis. Et si vis relaxare modicum pretij, in te est, sic enim & quietem inuenies. Iterùm dixit ei frater: Si habeo quod sufficiat necessitatibus meis aliunde, videtur tibi vt non cogitem de labore manuum? Respondens senex, dixit: Quantumuis habeas, non negligas operari, & quantum potes, fac, tantùm non cum turbatione animi. *Monacho manibus operandum.*

SERAPIONIS. 12. Frater interrogauit abbatem Serapionem, dicens: Dic mihi vnum verbum. Dicit senex: Quid tibi habeo dicere, quia tulisti ea quæ erant viduarum & orphanorum, & posuisti in fenestrâ. Viderat enim eam codicibus plenam.

SYNCLETICAE. 13. Interrogata est beatæ memoriæ Syncletica: Si perfectum bonum est nihil habere? Et illa dixit: Valdè bonum est his qui possunt. Etenim hi qui tolerare possunt, tribulationem quidem carnis habent, sed animæ requiem possident. Quoniam sicut fortia vestimenta dum calcantur, & pedibus sæpiùs reuersantur, lauantur atque incandidantur; ita fortis anima per voluntariam paupertatem ampliùs confirmatur. *Paupertas incandidat animas.*

HYPERICHII. 14. Dixit abbas Hyperichius: Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Thesauriza ergo tibi, frater, in cælo; quia ibi ad requiescendum sine fine sunt sæcula. *Thesaurus monachi, paupertas.*

PHILAGRII. 15. Erat quidam sanctorum, Philagrius nomine. hic habitabat in Ierosolymis, & laborabat operando, vt potuisset sibi ad panem sufficere. Et dum staret in plateâ, volens vendere quod manibus suis fuerat operatus, contigit vt caderet cuidam sacellus cum solidis mille, & inueniens eum senex, stetit in eodem loco, dicens: Necesse est modò eum, qui perdidit, huc venire. Et ecce veniebat, qui perdiderat, plorans. Tulit ergo eum seorsum, & reddidit sacellum suum. Quem ille rogabat, vt acciperet aliquam partem ex eo, sed senex nullatenus acquieuit. Tunc ille cœpit clamare & dicere: Venite, & videte hominem Dei, quid fecit. Senex autem occultè fugiens, exiuit de ciuitate, ne agnosceretur de eo quid fecerat, & honorarent eum. *Philagrij fidelitas & continentia* *Honorem fugit.*

SENIS. 16. Interrogatus est senex quidam à fratre, quid faceret vt saluus esset. Ille autem expolians se vestimento suo, & cingẽs lumbos suos, atque extendens manus, dixit: Sic debet nudus esse monachus ab omni materiâ sæculari, & crucifigere se aduersus tentationem atque certamina mundi. *Nudus sit monachus à materiâ sæculari.*

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 71 titulo Agathonis 17. Quidam rogauit senem quemdam, vt acciperet pecunias in suis necessitatibus profuturas. Ille autem nolebat, vtpote qui operi manuum suarum esset sibi sufficiens. Sed dum ille persisteret obsecrando, vt saltem pro indigentium necessitate susciperet, respondit senex, & dixit: Duplex mihi opprobrium esset: quia & cùm non indigeam, accipio; & aliena tribuens, vanam gloriam colligo. *Qui non indiget nihil accipiat.*

INCERTI. 18. Venerunt aliquando quidam Græcorum, vt darent eleëmosynam in ciuitate [16] Ostracines; & assumpserunt sibi œconomos ecclesiæ, vt ostenderent eis, qui necessitatem maiorem haberent. Illi autem duxerunt eos ad quemdam leprosum, & dederunt ei. Ille autem nolebat accipere, dicens: Ecce modicas palmas habeo, quas operor, & facio plectas, & ex eis manduco panem. Iterùm duxerunt eos ad cellam vnius viduæ, quæ erat cum filiabus suis. Et cùm pulsarent ostium, cucurrit filia eius ad ostium nuda. mater autem eius abierat ad quoddam opus; erat enim candidatrix: & dabant filiæ eius vestimentum & nummos. Illa autem nolebat accipere, dicens venisse matrem suam, & dixisse sibi: Confide, quia voluit Deus, & inueni opus quod faciam hodie, vnde habeamus victum nostrum. Et cùm venisset mater eius, rogabant eam, vt acciperet; & noluit, dicens: Ego habeo curatorem meum Deum, & eum tollere vos vultis à me hodie? Illi autem agnoscentes *Deus fidelis curator.*

tes fidem eius, glorificauerunt Deum.

INCERTI. *Auri contemptus.* 19. Venit quidam vir magnus ignotus, portans secum aurum in Scithi, & rogabat presbyterum eremi, vt erogaretur ad fratres. Dixit autem ei presbyter: Non opus habent fratres. Et cùm nimis esset vehemens, & non acquiesceret, posuit sportam cum solidis in ingressu ecclesiæ, & dicit presbyter: Qui opus habet, tollat. Et nemo tetigit; quidam autem nec aspexerunt. Et dicit ei senex: Suscepit Deus oblationem tuam; vade, & da illud pauperibus. Et valdè ædificatus discessit.

SENIS. 20. Attulit quidam seni pecuniam, dicens: Habe ad expensas tuas, quia senuisti & infirmus es. erat enim leprosus. Hic autem respondens dixit: Tu post sexaginta annos venis auferre nutritorem meum? *Bonus nutritor Deus.* Ecce tantum temporis habens in infirmitate meâ, nihil indigui, Deo tribuente & pascente me. Et non acquieuit accipere.

CVIVSD. HORTVLANI. 21. Narrauerunt senes de quodam hortulano, quia laboraret, & omnem laborem suum expenderet in eleëmosynam. Et tantum sibi retinebat, quantum ad victum ipsius sufficeret. Posteà verò satanas immisit in corde eius, dicens, Collige tibi aliquantam pecuniam; ne cùm senueris aut ægrotaueris, opus habeas ad expensas. Et collegit & impleuit lagenam de nummis. Contigit autem eum infirmari, & putrefieri pedem eius; & expendit, quod collegerat, in medicos, & nihil ei prodesse potuit. Posteà verò venit quidam de expertis medicis, & dicit ei: Nisi incideris pedem tuum, putrefiet. Et constituerunt diem, vt inciderent eius pedem. Illâ autem nocte rediens in semetipsum, & pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit & fleuit, dicens: Memor esto, Domine, operum meorum priorum quæ faciebam, cùm laborarem in horto meo, ex quo pauperibus ministrabam. Et cùm hoc dixisset, stetit angelus Domini, & dixit ei: Vbi sunt nummi quos collegisti? & vbi est spes de quâ tractasti? *Non in nummis, sed in Deo spes ponenda.* Tunc intelligens, dixit: Peccaui, Domine; ignosce mihi: & amodò vlteriùs hoc non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem eius, & sanatus est statim. Et exurgens manè, abijt in agrum operari. Venit ergo medicus secundùm constitutum cum ferramentis, vt secaret pedem eius; & dicunt ei: Exijt à manè operari in agro. Tunc admiratus medicus perrexit in agrum, vbi operabatur ille. & videns eum fodientem terram, glorificauit Deum, qui reddiderat ei sanitatem.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 69. 22. Frater interrogauit senem quemdam, dicens: Vis teneo mihi duos solidos propter infirmitatem corporis? Videns autem senex cogitationem eius, quia vellet tenere, dixit ei: Etiam. Et vadens frater in cellam suam, conterebatur cogitationibus suis, dicens: Putas verum dixit mihi senex, an non? Et surgens iterùm venit ad senem, agens pœnitentiam & rogans, ac dicens: Propter Dominum dic mihi veritatem, quia affligor à cogitationibus meis propter duos solidos. Dicit ei senex: Quia vidi te voluntatem habere retinendi eos, dixi tibi, vt retineres; *Deo fidendum, non pecuniæ.* verumtamen non est bonum, tenere plus quàm opus est corpori. Si ergo duos solidos retinueris, in ipsis inuenietur spes tua. Et si contigerit vt pereant, Deus iam non cogitat de nobis. Cogitationem ergo nostram iactemus in Domino, quoniam ipsi cura est de nobis.

LIBELLVS SEPTIMVS.

De Patientiâ seu Fortitudine.

ANTONII Ruffin. l. 3. n. 105. SANCTVS Antonius abbas cùm sederet aliquando in eremo, animus eius in tædium & confusionem cogitationum incurrit, & dicebat ad Deum: Domine, volo saluus fieri, & non me permittunt cogitationes meæ. quid faciam in hac tribulatione, quomodo saluus ero? Et modicè assurgens, cœpit foras exire. & vidit quemdam, tamquam seipsum, sedentem atque operantem; *Operatio orationi iungenda.* deinde surgentem ab operibus & orantem; & iterùm sedentem, & plectam de palmis facientem, & inde rursus ad orationem surgentem. Erat autem angelus Domini missus ad correptionem & cautelam dandam Antonio. Et audiuit vocem Angeli, dicentis: Sic fac, & saluus eris. Ille autem hoc audito, magnum gaudium sumpsit atque fiduciam. Et ita faciens, salutem, quam quærebat, inuenit.

AGATHONIS. 2. Frater quidam interrogauit abbatem Agathonem, dicens: Mandatum mihi venit, & est mihi pugna grauis in loco, quo est ipsum mandatum. Volo ergo propter mandatum pergere illuc, & pauesco bellum. *Obedientia in bello victrix.* Dicit ei senex: Sic erat Agatho; implebat mandatum, & vincebat bellum.

AMMONÆ. *Precibus ira superanda.* 3. Dixit abbas Ammonas, quia quatuordecim annos fecerit in Scithi, deprecans Deum die ac nocte, vt daret ei virtutem superandi iram.

BESARIONIS. *Rigida pœnitentia.* 4. Dixit abbas Besarion, quia quadraginta noctes manserit inter spinas stans, & non dormierit.

THEODORI. 5. Frater quidam sedens singularis turbabatur, & pergens ad abbatem Theodorum de Pherme, dixit ei, quia conturbaretur. Senex autem dixit ei: Vade, humilia mentem

mentem tuam, & subde te; & habita cum alijs. Abijt autem in montem, & mansit cum alijs. Et reuersus est posteà ad senem, & dixit ei: Nec cum alijs hominibus habitans, quietem inuenio. Et dixit ei senex: Si solitarius non quiescis, neque cum alijs, cur voluisti monachum facere? nónne vt sustineas tribulationes? Dic autem mihi, quot annos habes in habitu isto. Et dicit ei: Octo. Et dicit ei senex: Crede mihi, habeo in habitu isto septuaginta annos, & nec vnâ die potui requiem inuenire; & tu in octo annis requiem vis habere?

Non facilè hic requies datur.

EIVSDEM. 6. Interrogauit eum iterùm frater quidam, dicens: Si fiat subitò sonus ruinæ alicuius, fit tibi timor, abba? Et dixit ei senex: Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat. Poposcerat enim precibus à Deo, vt auferretur ab eo formido, & propterea interrogauit eum frater.

Theodorus vixit sine formidine.

THEODORI ET LVCII. 7. Dicebant de abbate Theodoro, & abbate Lucio [27] de Nono Alexandriæ, quia fecerint quinquaginta annos, seducentes animos suos, & dicentes: Transactâ hieme istâ, migrabimus hinc. Et iterùm quando fiebat æstas, dicebant: Quia transacto æstiuo, discedemus hinc. Et sic fecerunt toto tempore conuersationis suæ semper reminiscendi patres.

Eludenda desideria.

IOANNIS. 8. Dixit abbas Pastor de abbate Ioanne breuis staturæ, quia rogauerit Dominum, & abstulerit ab eo omnes passiones, & effectus est securus, & veniens dixerit cuidam seni: Vide hominem quietum, & nullam habentem pugnam. Et dixit ei senex: Vade, roga Dominum, vt iubeat in te moueri pugnam, quoniam proficit pugnando anima. Et cùm rediisset in eo pugna, vlteriùs non orauit, vt auferretur ab eo pugna, sed dicebat: Domine, da mihi tolerantiam sustinendi has pugnas.

Pugna cum tolerantiâ animæ salutaris.

ANTONII ET MACARII. 9. Venit abbas Macarius maior ad abbatem Antonium in montem: & cùm pulsasset ostium, exiuit ad eum, & dixit ei: Tu quis es? Et ille ait: Ego sum Macarius. Et claudens ostium intrauit, & dimisit eum foris. Et cùm vidisset posteà patientiam eius, aperuit ei. Et adgaudens ei, dicebat: Multum tempus est, ex quo te videre desiderabam, audiens de te. Et exhibens ei hospitalitatem, refecit eum; erat enim fessus de multo labore. Vespere autem facto infudit sibi abbas Antonius modicas palmas, & dicit ei abbas Macarius: Da mihi, vt ego infundam quod operer. Ille autem dixit: Non habeo plus. Et faciens fasciculum maiorem, infudit eum. Et sedentes à sero, & colloquentes de vtilitate animarum, faciebant plectam, & ipsa plecta per fenestram descendebat in speluncâ. Et egrediens manè sanctus Antonius, vidit collectionem plectarum abbatis Macarij, & admiratus est, & osculatus manus eius, dicebat: Multa virtus de istis egreditur.

Operosus Macarius.

MACARII. 10. Descendit aliquando ipse Macarius de Scithi ad locum qui dicitur Terenuthin, & intrauit dormire in monumento, vbi erant antiquitus sepulta corpora paganorum. Et traxit vnum corpus sub caput suum tamquam [28] plumatium de scirpo. Dæmones autem videntes fiduciam eius, inuisi sunt, & volentes terrere eum, vocabant quasi quamdam mulierem, dicentes: [29] Nonna illa, veni nobiscum ad balneum. Et alter dæmon de sub ipso tamquam ex mortuis illis respondit, dicens: Peregrinum quemdam habeo super me, non possum venire. Senex autem non expauit, sed confidens tundebat corpus illud, dicens: Surge, vade, si potes. Quod cùm audissent dæmones, clamauerunt voce magnâ, dicentes: Vicisti nos. Et fugerunt confusi.

Macarius dæmonem tundit.

MATHOIS. 11. Dicebat abbas Mathois: Volo aliquod leue opus & continuum, quàm graue quod citò finitur.

Continuò leui opere laborandum.

MILIDI. 12. Narrauerunt de abbate [30] Milido, quia cùm habitaret aliquando cum duobus discipulis in finibus Persarum, exierunt duo filij Imperatoris secundùm consuetudinem in venationem, & miserunt retia in longum per millia quadraginta, vt quodcumque intra retia inueniretur, occiderent. Inuentus est autem senex cum duobus discipulis intra retia. Et cùm vidissent eum pilosum & terribilem aspectu, admirati sunt, & dixerunt ei: Homo es, an spiritus aliquis? dic nobis. Et dixit eis: Homo sum peccator, & exiui flere peccata mea, & adoro Filium Dei viui. Illi autem dixerunt ei: Non est alius Deus, [31] nisi Sol, & Ignis, & Aqua; ipsos adora, & sacrifica eis. Et ille respondit: Ista creaturæ sunt, & erratis. Sed obsecro vos, conuertimini, & agnoscite verum Deum, qui & ista creauit, & cetera omnia. Illi autem deridentes, dixerunt: Condemnatum & crucifixum dicis esse verum Deum? Etiam, inquit, ipsum qui crucifixit & occidit mortem, hunc dico esse verum Deum. Illi autem tam ipsi quàm fratribus qui cum eo erant, inferentes tormenta, cogebant eos sacrificare. Et duos quidem fratres post plurima tormenta decapitauerunt, senem autem diebus multis torquebant. Posteà verò statuerunt eum in quodam loco, & sagittabant in ipso quasi ad signum: vnus à dorso, & alter à pectore. Dicit eis senex: Quoniam facti estis in consensu in vnum, vt effundatis sangui-

Dij Persarum, Sol, Ignis, Aqua.

Martyriû Milidi cum duobus discipulis.

Puniuntur martyrum occisores.

sanguinem innocentem, crastinâ in momento hac horâ, quæ modò est, sine filijs remanebit mater vestra, & priuabitur affectu vestro, & proprijs sagittis inuicem sanguinem vestrum effundetis. Illi autem subsannantes verba eius, exierunt in crastino, vt venarentur. Et contigit, vt euaderet vnus ceruus de rete eorum, & ascenderunt equos, & currebant vt comprehenderent ceruum: qui cùm iactassent sagittas post ipsum, inuicem sibi in cor dederunt, & mortui sunt iuxta verbum quod prædixerat senex.

PASTORIS *Tentatio probat virtutem.*

13. Dixit abbas Pastor: Quia virtus monachi in tentationibus apparet.

ISIDORI. *In labore requies.*

14. Dixit iterùm qui suprà, quia Isidorus presbyter de Scithi allocutus sit aliquando plebem fratrum, dicens: Fratres, numquid non ad laborandum venimus in hoc loco? Et nunc video, quia nullus hîc labor est. Ego igitur collectâ pelle meâ vado vbi est labor, & ibi inuenio requiem.

SYNCLETICAE. *Loci stabilitas fœtificat.*

15. Dixit sancta Syncletica: Si in monasterio cum alijs versaris, non mutes locum: læderis enim, si facias hoc. Etenim sicut gallina si dereliquerit oua sua fota, sine pullis ea exire facit: ita monachus vel virgo frigescit & mortificatur in fide, de loco ad locum transeundo.

EIVSDEM. Ruffin. l. 3. n. 157. Pasch. c. 20 n. 1.

16. Dixit iterùm aliud: Diabolus cùm per stimulos paupertatis non mouerit, diuitias adhibet ad seducendum. Et dum per contumelias & opprobria non præualet, laudes & gloriam adhibet. Sin autem satietatem corporis immittit, & cùm delectationibus seducere non potest, per molestias, quæ contra votum eueniunt, animam conatur subuertere. Infirmitates autem quasdam graues expetendo aduersus eum qui tentandus est adhibet, vt per eas pusillanimes faciens monachos, conturbet charitatem eorum, quam habent ad Deum. Sed quamuis concidatur corpus, & febribus validis inflammetur, insuper etiam intolerabili siti affligatur; siquidem peccator es qui hæc sustines, recordare futuri sæculi pœnas, & æternum ignem, & iudicialia tormenta: & ita non deficies ad ea quæ in præsenti contingunt; insuper & gaude, quia visitauit te Deus. Et illud famosissimum dictum in linguâ habeto, id est, Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Si ferrum es, per adhibitum tibi ignem amittes æruginem. Quòd si iustus es & hæc pateris, de magno ad maiora promoueris. Aurum es, sed per ignem probatior eris. Datus est enim tibi angelus satanæ, stimulus carnis tuæ. Exulta videns, cui similis factus es: Pauli enim simile donum meruisti accipere. Si febribus, si rigore frigoris castigaris, memor esto quid Scriptura dicit: Transiuimus per ignem & aquam: residuum est quod sequitur, vt inducamur in refrigerium. Obtinuisti primum, exspecta secundum, agens quæ virtutum sunt. Clama verba Prophetæ, dicentis: Pauper & inops & dolens ego sum. Perfectus enim eris per huiusmodi tribulationem: ait enim: In tribulatione dilatasti me. In his ergo maximè exercitijs animas nostras probemus: ante oculos enim habemus aduersarium nostrum.

Ambidexter diaboli astus. *Memoriâ inferni roborandi tentati.* Psal. 117. 2. Cor. 12. Psal. 65. Psal. 68. Psal. 4.

EIVSDEM. *Deest hoc in editione Parisiensi.*

17. Dixit iterùm: Si infirmitas molesta nobis fuerit, non contristemur, tamquam qui pro infirmitate & vulnere corporis non possimus stare ad orandum aut psallendum ad vocem. Hæc autem omnia nobis pro destruendo corporis desiderio necessaria sunt, quoniam ieiunia & labores propter turpes delectationes nobis constituta sunt. Si igitur ægritudo ista retundit, superflua de his obseruandis ratio est. Sicut enim magno & forti medicamine ægritudo, ita ægritudine corporis vitia reciduntur. Et hæc est magna virtus, quando in infirmitatibus tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad Deum. Si amittimus oculos, non feramus grauiter. extollentiæ enim instrumentum amisimus, sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? non contristemur, quia auditum vanum amisimus. Manus vestræ ex aliquâ passione debilitatæ sunt? sed interiores paratas habeamus aduersus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus nostrum tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit.

Ægritudo vitia corporis recidit.

EIVSDEM. *Deest hoc in edit. Parisiensi.* *Voluntaria castigatio.*

18. Dixit iterùm quæ suprà: Qui in sæculo isto aliqua crimina commiserunt, etiam nolentes mittuntur in carcerem, & nos pro peccato nostro redigamus nosmetipsos in custodiam, vt voluntaria mentis nostræ vindicta futuras à nobis pœnas amoueat. Si ieiunas, non tibi inuenias occasionem dicendi, quia exacerbatus in ægritudinem incurristi; quoniam & qui non ieiunant, similes ægritudines incurrunt. Inchoasti aliquid boni? non reuoceris per impedimenta inimici, quoniam & ipse inimicus patientiâ tuâ destruetur. Etenim qui nauigare cœperint, primò pandentes vela prosperum ventum inueniunt; posteà autem contrarius ventus eis occurrit. Sed nautæ non mox propter incursum contrarij venti, aut exonerant aut deserunt nauim, sed paululùm sustinentes aut pugnantes aduersus procellam, iterùm rectum cursum inueniunt. Ita ergo & nos in contrarium spiritum incurrentes, crucem pro velo erigamus,

Perseuerandum in bono inchoato. *Crux pro velo erigenda hic nauigantibus.*

gamus, & sine periculo sæculi istius nauigium explicabimus.

SARAE. *Oculorum custodia.* 19. Dicebant de abbatissâ beatæ memoriæ virgine Sarâ, quòd supra alueum fluminis sexaginta annos habitauerit, & nûquam inclinata est, vt flumen ipsum aspiceret.

HYPERICHII. *Hymnis tentatio subleuanda.* 20. Dixit abbas Hyperichius: Hymni spirituales sint in ore tuo, & meditatio assidua subleuet pondus tentationum superuenientium tibi. Huius enim rei exemplum manifestum est viator sarcinâ alicuius oneris prægrauatus, flando & respirando, oneris & viæ paulatim laborem imminuit.

EIVSDEM. *Tentationibus probamur.* 21. Dixit iterùm qui suprà: Oportet nos aduersus tentationes armari, quoniam modis omnibus veniunt: sic enim superuenientibus eis probati apparebimus.

SENIS. 22. Dixit quidam senex: Si venerit homini tentatio, vndique ei multiplicantur tribulationes, vt pusillanimis fiat & murmuret. Et narrauit senex ita: Frater quidam erat in cellâ, & venit super eum tentatio; & si quis eum videbat, nec salutare eum volebat, neque in cellam recipere; & si opus habebat panem, nemo mutuabat ei; & si de messe veniebat, nemo eum, sicut erat consuetudo, vt reficeret, inuitabat. Venit autem semel de messurâ per cauma, nec panes habuit in cellâ suâ; & in his omnibus gratias agebat Deo. Videns autem Deus patientiam eius, abstulit bellum tentationis ab eo. Et ecce quidam statim ostium pulsabat, trahens camelum onustum * pane ab Ægypto; quod cùm vidisset frater ille, cœpit flere, dicens: Domine, non sum dignus vel modicè tribulari. Et cùm transisset tribulatio eius, tenebant eum fratres in cellis suis, & in ecclesiâ, & repausabant eum.

A patiente bellum tentationis aufertur.

INCERTI. *Virtus labore acquirenda.* 23. Dicebat senex: Propptereà non promouemur, quia nescimus mensuras nostras, neque patientiam habemus in opere quod cœpimus, sed sine labore aliquo virtutem volumus possidere.

INCERTI. 24. Quidam frater interrogauit senem, dicens: Quid facio, quia cogitatio mea non dimittit me horâ vnâ sedere in cellâ meâ? Et dicit ei senex: Fili, reuertere, sede in cellâ tuâ, & labora manibus tuis, & ora Deum incessanter, & iacta cogitatum tuum in Domino, & ne te quis seducat exire inde. Et dicebat: Quia erat quidam adolescens sæcularis, habens patrem, & desiderabat fieri monachus: & dum multùm supplicaret patri suo, vt dimitteret eum conuersari, non acquiescebat; postmodum autem rogatus à fidelibus amicis vix acquieuit. Et egressus frater ille adolescens, introiuit in monasterium; & factus monachus cœpit omne opus monasterij perfectè perficere, & ieiunare quotidie; cœpit etiam & biduanas abstinere, similiter semel in hebdomadâ reficere. Videbat autem eum abbas suus, & mirabatur, & benedicebat Deum in abstinentiâ & labore ipsius. Contigit ergo post aliquod tempus, cœpit frater ille supplicare abbati suo, dicens: Rogo te, abba, vt dimittas me, & vadam in eremo. Dicit ei abbas: Fili, noli hoc cogitare, non potes sufferre talem laborem, & prætereà tentationes diaboli & versutias eius: & cùm contigerit tibi tentatio, non inuenies ibi qui te consoletur à perturbationibus inimici, quæ tibi illatæ fuerint. Ille autem cœpit ampliùs rogare eum, vt permitteret abire. Videns autem abbas eius quia tenere eum non poterat, factâ oratione dimisit eum. Postmodum dicit abbati suo: Rogo te, abba, vt concedas qui ostendant mihi iter, quò pergere debeam. Et ordinauit cum eo duos monachos monasterij, & abierunt cum eo. Ambulantibus autem eis per eremum vnâ die & alterâ, defecerunt præ æstu, & projicientes se in terram iacebant, & soporati modico somno, ecce aquila venit, percutiensque eos de alis suis, præcessit procul, & sedit in terrâ. Euigilantes viderunt aquilam, & dixerunt ei: Ecce Angelus tuus, surge & sequere eam. Et surgens, valedicensque fratribus, sequebatur eam; & venit vsque vbi stabat aquila illa: quæ mox surgens, volauit vsque ad vnum stadium, & iterùm sedit; similiter sequebatur eam frater ille: & iterùm volauit, & sedit non longè: & factum est hoc per horas tres. Postmodum autem dum sequeretur eam, diuertit ipsa aquila in dexteram partem sequentis se, & non comparuit. Frater ergo ille nihilominùs sequebatur: & respiciens vidit tres arbores palmarum, & fontem aquæ, & speluncam modicam, dixitque: Ecce est locus, quem mihi præparauit Dominus. Et ingressus cœpit sedere in eâ, sumens cibum dactylorum, & de fonte aquam bibens, & fecit ibidem annos sex solitarius, neminem videns. Et ecce vnâ die venit ad eum diabolus in similitudinem cuiusdam senioris abbatis, habens vultum terribilem. Videns autem illum frater ille timuit, & procidens in orationem, surrexit. Et dicit ei diabolus: Oremus iterùm, frater. Et surgentes, dixit diabolus: Quantum temporis habes hîc? Et respondit: Habeo annos sex. Dicit ei dæmon: Ecce te vicinum habui, & non potui cognoscere, nisi ante dies quatuor quia hîc habitares. Et ego non longè à te habeo monasterium: & ecce anni sunt vndecim, quòd de monasterio non exiui nisi hodie, quo cognoui quòd hîc mihi in vicino

Seniorû & perfectorû est viuere solitariè.

Angelus aquilæ specie iuuenem ad eremum ducit.

Diabolus etiam bona suadendo monachum è cellâ extrahit.

VERBA SENIORVM. Lib. VII. DE FORTITVDINE

vicino habitares. Et cogitaui mecum dicens: Vadam ad hominem Dei istum, & cum eo conferam quod potest esse saluti animæ nostræ? Et hoc dico, frater, quia nihil proficimus sedentes in cellis nostris; quia corpus & sanguinem Christi non percipimus, & timeo ne efficiamur exteri ab eo, si nos ab hoc mysterio elongauerimus: sed dico tibi, frater, ecce hinc ad tria millia est monasterium habens presbyterum; eamus cata Dominicum diem, aut post duas hebdomadas, & accipiamus corpus & sanguinem Christi, & reuertamur ad cellas nostras. Placuit autem hæc suasio diabolica fratri illi: Et veniente Dominico die, ecce diabolus venit & dicit ei: Veni, eamus, quia hora est. Et exeuntes perrexerunt ad prædictum monasterium, vbi ille presbyter erat: & ingressi in ecclesiam, miserunt se in orationem. Et exurgens ab oratione frater ille, respiciens non inuenit hunc, qui adduxerat eum illuc, & dixit: Vbi putas perrexit? ne ad commune necessarium ambulauit? Et cùm diu sustineret, non venit. Postmodum autem exiens foràs, requirebat eum. Et cùm non reperisset, dixit ad fratres loci illius interrogans eos: Vbi est abbas ille, qui mecum in ecclesiam ingressus est? Et dicunt ei: Nos neminem vidimus alium nisi te tantùm. Tunc cognouit frater ille quia dæmon fuisset, & dixit: Vide cum quâ argutiâ diabolus me eiecit de cellâ meâ; sed tamen non ad me pertinet, quia ad bonum opus veni: percipio corpus & sanguinem Christi, & sic reuertar ad cellam meam. Et post factas Missas in ecclesiâ, volens reuerti frater ille ad cellam suam, tenuit eum abbas monasterij ipsius, dicens: Nisi refeceris nobiscum, non dimittemus te reuerti. Et cùm percepisset cibum, reuersus est in cellam suam. Et ecce iterùm diabolus venit in similitudinem iuuenis cuiusdam sæcularis, & cœpit eum respicere à summo capite vsque ad pedes, & dicere: Ipse est iste? Non est hic. Et cœpit eum considerare. Et dixit ei frater: Quare me sic respicis? At ille ait: Puto non me cognoscis: tamen post tantum tempus quomodo me habes cognoscere? ego sum vicinus patris tui, filius illius. Quomodo? Non est dictus pater tuus sic, & mater tua tale nomen non habuit, & soror tua sic non est dicta, & tu sic non vocaris? & mancipia illa & illa sic non sunt dicta? Mater verò tua & soror ante tres annos mortuæ sunt; pater verò tuus modò defunctus est, & te fecit heredem, dicens: Cui habeo dimittere substantiam meam, nisi filio meo viro sancto, qui reliquit sæculum, & abijt post Deum? Ipsi dimitto omnia bona mea. Modò autem qui habet Dominum, & scit vbi est, dicat, vt veniens distrahat omnem substantiam, & eroget eam pauperibus pro animâ meâ & suâ. Et perrexerunt multi requirentes te, & minimè inuenerunt; ego autem veniens ex occasione pro quodam opere huc, cognoui te: vnde non facias moras, sed veni & vende omnia, & fac secundùm voluntatem patris tui. Respondens frater ille dixit: Non necesse habeo reuerti ad sæculum. Dicit diabolus: Si non veneris, & deperierit substantia illa, in conspectu Dei tu exinde reddes rationem. Quid enim mali dico tibi, vt venias & eroges ea pauperibus & egenis, quomodo bonus dispensator, vt non à meretricibus & malè viuentibus extricetur, quod pauperibus dimissum est? aut quid onerosum est vt venias & facias eleëmosynas secundùm voluntatem patris tui pro animâ tuâ, & reuertaris in cellam tuam? Quid multa? suadens fratrem deposuit in sæculum; & veniens cum eo vsque ad ciuitatem, reliquit eum. Voluit autem frater ille ingredi in domum patris sui, tamquam iam defuncto eo, ecce ipse pater eius viuus egrediebatur; & videns eum non cognouit, & ait ad eum: Tu quis es? Ille verò turbatus nihil poterat respondere. Et cœpit eum iteratò pater eius interrogare vnde esset. Tunc confusus, dixit ei: Ego sum filius tuus. Et ait ei: Vt quid reuersus es? Erubescebat autem ei dicere, quod verum erat, sed dixit: Charitas tua fecit me reuerti, quia desiderabam te. Et remansit ibi. Et post aliquantùm tempus incurrit in fornicationem, & multis supplicijs afflictus à patre suo, infelix ipse non egit pœnitentiam, sed remansit in sæculo: ideoque dico, fratres, quia monachus numquam debet quóuis, suasus ab aliquo, egredi cellam suam.

Corporis & sanguinis Christi perceptio.

Bono prætextu diabolus fallit.

Nullo prætextu cella relinquenda.

25. Venerunt quidam in eremo ad senem quemdam magnum, & dixerunt ei: Quomodo contentus es hîc, abba, & sustines laborem hunc? Et dixit eis senex: Totus labor temporis mei, quem hîc sustineo, non est idoneus comparari ad vnam diem tormentorum, quæ peccatoribus in futuro sæculo præparantur.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 3. *Tolerabilis hic labor tormentis futuris comparatus.*

26. Dicebat senex: Quia antiqui non citò migrabant de loco ad locum, nisi fortè pro tribus rebus, id est, si quis erat, qui contristaretur aduersus eum, & satisfaciens ei per omnia non potuisset eum placare: aut iterùm si contigisset, vt à pluribus laudaretur: aut si in tentatione fornicationis incurrisset.

SENIS. *Loci stabilitas seruanda.*

27. Frater quidam dixit abbati Arsenio: Quid facio, abba, quia affligor à cogitatione meâ, dicens: Quia non potes ieiunare, neque

ARSENII.

neque laborare, vel infirmos visitare, quia & hoc merces est. Videns autem senex diabolica semina esse, dixit ei: Vade, manduca, bibe, & dormi, tantummodò de cellâ non exeas; sciens quia perseuerantia cellæ perducit monachum in ordinem suum. Qui cùm fecisset tres dies, extædiatus est, & inueniens paucas palmulas, scidit eas; & iterùm in crastino cœpit plectam facere ex eis. Qui cùm esurisset, dixit intra se: Ecce aliæ paucæ sunt palmæ, explico eas, & manduco. Et cùm perexpendisset eas, dixit iterùm: Lego parum, & sic manduco. & cùm legisset, dixit: Dicam aliquantos psalmos, & iam securus manduco. Et ita paulatim proficiebat Deo cooperante, donec veniret ad ordinem suum. Et cùm accepisset fiduciam aduersùs cogitationes malas, vincebat eas.

Perseuerantia in cellâ monachum perficit.

INCERTI. Ruffin.l.3. n.107. titulo *Achilla.* *Quomodo cellæ tædium superandum.*

28. Interrogatus est senex, quare sedens frater in cellâ tædium pateretur. Et dixit ei senex: Quia adhuc non vidisti neque speratam resurrectionem, neque accensa tormenta: nam si hæc vidisses, & ita esset cellâ tua plena vermibus, vt vsque ad collum tuum mergereris in ipsis, sustineres vtique, & non extædiareris.

INCERTI. *Assiduè laborandum.*

29. Quemdam senem rogabant fratres, vt quiesceret à graui labore. Ille autem respondit eis: Credite mihi, ô filij, quia Abraham pœnitebatur, cùm videret magna & præclara dona Dei, cur non ampliùs fuerit in laboribus decertatus.

INCERTI. *Cogitatio pullus vagabundus.*

30. Frater interrogauit senem, dicens: Cogitationes meæ nutant, & tribulor. Et ille dixit: Tu sede in cellâ tuâ, & cogitationes iterùm veniunt: sicut enim si asina ligata sit, pullus eius vagatur & currit huc atque illuc, semper autem ad matrem suam reuertitur, vbicumque ierit: ita erunt & cogitationes eius, qui propter Deum tolerabiliter in cellâ suâ resederit; quia etsi ad modicum nutant, sed iterùm reuertuntur ad eum.

INCERTI. *Angelus laboriosa vestigia numerat.*

31. Senex quidam sedebat in eremo, qui longè habebat aquam à cellâ suâ, per duodecim millia; vbi dum semel iret haurire aquam, defecit, & dixit: Quid necesse est vt hunc laborem patiar? Venio & habito circa aquam hanc. Et cùm hoc dixisset, conuersus vidit quemdam sequentem se & numerantem vestigia sua: interrogauit autem eum, dicens: Quis es tu? Et ille dixit: Angelus Domini sum, & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod cùm audisset senex, forti animo factus promptior, & adhuc longiùs posuit cellam suam ab aquâ illâ.

INCERTI. *Ob tentationem non deserendus locus.*

32. Dicebant patres: Si tibi contigerit tentatio in loco quo habitas, non deseras locum in tempore tentationis; quia si deserueris, quocùque perrexeris, ante te inuenies quod fugiebas: sed patiens esto donec tentatio transeat, ne discessio tua alijs scádalú faciat, & ne fortè alijs qui circa locum ipsum habitant, tribulationem ingerat discessio tua.

INCERTI. Ruffin.l.3. n.98. *Etiam in solitudine opus patientiâ.*

33. Frater quidam erat in congregatione inquietus, & frequenter mouebatur ad iram. Dicit ergo in semetipso: Vado, & solus alicubi habitabo: & cùm non habeo cum quo dicam, vel audiam, ero quietus, & quiescit à me passio iræ. Egrediens ergo manebat in speluncâ solus. Vnâ autem die implens sibi surisculam aquæ, posuit illam in terrâ: contigit autem vt subitò versaretur: ille verò impleuit secundò, & iterùm versata est: deinde tertiò implens posuit eam, & rursùs versata est. Qui commotus furore, tenuit vasculum illud, & fregit: in se autem conuersus cognouit quia ab eodem dæmone iracundiæ sit illusus, & dixit: Ecce ego & solus sum, & vicit me: reuertar ergo in congregationem, quia vbique labor & patientia opus est, & maximè adiutorium Dei. Et surgens reuersus est in locum suum.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 106. *Propter Deum cella custodienda.*

35. Frater interrogauit senem, dicens: Quid facio, pater, quia nihil operor monachile, sed in negligentiâ quadam sum manducans, bibens, & dormiens, & insuper in cogitationibus turpibus & multâ perturbatione sum, transiens ab opere ad opus, & à cogitationibus ad cogitationes? Dixit autem ei senex: Tu sede in cellâ tuâ, & fac quod potes sine perturbatione: ita est enim parum quod tu modò facis, sicut quando abbas Antonius magna & plurima faciebat in eremo. Credo enim in Deo, quia quicumque sedet in cella propter nomen eius, & custodit conscientiam suam, inueniatur & ipse in Antonij loco.

INCERTI. *Non est retrò respiciendum.*

35. Interrogatus est senex, quomodo oporteat vigilantem monachum non scandalizari, quando videt aliquos ad sæculum reuertentes. Et respondit: Intueri debet monachus canes, qui venantur lepores; & sicut vnus ex eis videns leporem insequitur, ceteri autem tantummodò canem videntes currentem, aliquamdiu cum ipso currunt, posteà verò lassantes post se reuertuntur: solus autem ille, qui vidit leporem, sequitur donec comprehendat, nec impeditur ab intentione cursus sui propter illos qui post se reuertuntur, sed neque præcipitijs, neque de siluis, neque de vepribus cogitans, sed in spinis aliquotiens incurrens raditur & pungitur, & non quiescit donec comprehendat. Ita & monachus, vel qui Dominum Christum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad Crucifixum perueniat.

Monachus sit instar canis venatici.

36. Dixit senex: Sicut arbor fructificare non potest, si sæpius transferatur; sic nec monachus frequenter migrans potest fructificare.

INCERTI. *Mutatio loci noxia.*

37. Frater quidam dum sollicitaretur à cogitationibus proprijs, vt exiret à monasterio, indicauit hoc ipsum abbati. Ille autem dixit: Vade, & sede, & da parieti cellæ tuæ corpus tuum in pignore, & non exeas inde: cogitationem autem tuam dimitte; cogitet quantum vult, tantùm ne eijcias de cellâ tuâ corpus tuum.

INCERTI. *Corpus sit cella pignus.*

SENIS. *In cellâ loquitur Deus.*

38. Dixit senex: Cella monachi est caminus ille Babylonius, vbi tres pueri Filium Dei inuenerunt; sed & columna nubis est, ex quâ Deus locutus est Moysi.

INCERTI. *Tentatio patientiâ eludenda.*

39. Frater quidam nouem annis mansit impugnatus à cogitationibus suis, vt exiret de congregatione fratrum, & quotidie tollebat pelliculam suam, in quâ iacere solitus erat, vt exiret. Et quando fiebat vesperè dicebat in seipso: Crastinâ hinc discedo. Et manè dicebat in cogitatione: Extorqueamus nobis hîc stare & hodie propter Dominum. Qui cùm impleset nouem annos, de die in diem ita faciens, abstulit Dominus ab eo tentationem eius.

INCERTI. *Monachus semel excidens, difficulter ad regulam reducitur.*

40. Frater quidam incidens in tentationem, tribulando perdidit regulam monachilem: & cùm iterùm vellet obseruantiæ regularis sibi principia dare, à tribulatione impediebatur, & dicebat in seipso: Quando habeo me ita inuenire, sicut aliquando eram? Et deficiens animo non præualebat vel inchoare monachi opus. Veniens autem ad quemdam senem, narrauit ei quæ agebantur circa ipsum: senex autem audiens ea de quibus affligebatur, adhibuit ei tale exemplum, dicens: Homo quidam habuit possessionem, & de negligentiâ eius in sentibus redacta est, & repleta est tribulis & spinis. Visum est autem ei posteà, vt excoleret eam; & dixit filio suo: Vade, & purga agrum possessionis illius. Et venit filius eius vt purgaret. qui cùm respexisset, vidit multitudinem tribulorum & spinarum increuisse ei, & deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo hæc omnia eradicare & purgare? Et proijciens se in terram cœpit dormire: hoc autem fecit multis diebus. Posthæc venit pater eius videre quod fecerat, & inuenit eum nihil operatum. & dixit ei: Quare vsque modò nihil fecisti? Et dixit iuuenis ille patri suo: Mox vt veniebam operari, pater, cùm vidissem multitudinem hanc tribulorum & spinarum, reuocabar ab assumptione laboris, & præ tribulatione proijciebam me in terrâ, & dormiebam. Tunc dixit ei pater suus: Fili, ad mensuram latitudinis, quam iacens in terrâ occupas, per singulos dies operare, & ita paulatim proficiet opus tuum, & tu pusillanimis non efficieris. Quod cùm audisset iuuenis, fecit sic; & in paruo tempore purgata est & exculta possessio. Et tu ita, frater, paulatim operare & non deficies, & Deus per gratiam suam restituet te iterùm priori ordini tuo. Hoc audito frater ille abijt, & cum omni patientiâ sedens faciebat sicut edoctus fuerat à sene: & sic inueniens requiem, promouebatur per Dominum Christum.

Paulatim extirpanda vitia. *Paulatim longius itur.*

SENIS. Ruffin. l. 3. n. 158. Pasch. c. 10 n. 2. *Flet senex quia morbo non visitatur.*

41. Senex quidam erat, qui frequenter ægrotabat. Contigit autem eum vno anno non ægrotare: qui affligebatur grauiter & plorabat, dicens: Dereliquit me Deus, & non visitauit me.

INCERTI. Ruffin. l. 3. n. 104. *Ex tentatione corona.*

42. Dixit senex, quia frater aliquando stimulabatur à cogitationibus suis per annos nouem, ita vt metu ipso desperaret de salute suâ: & adiudicauit semetipsum dicens: Perdidi animam meam; & iam quia perij, vadam ad sæculum. Qui cùm abiret, venit ei in viâ vox dicens: Tentationes quas in nouem annis sustinuisti, coronæ tuæ erunt: reuertere ergo in locum tuum, & subleuabo te à cogitationibus malis. Vnde agnoscitur, quia non est bonum, desperare de se aliquem pro his quæ in cogitationibus veniunt. Hæ enim cogitationes magis coronam nobis prouident, si benè eas exegerimus.

INCERTI.

43. Senex quidam erat in Thebaidâ sedens in speluncâ, & habuit quemdam discipulum probatum: consuetudo autem erat, vt senex vesperè doceret discipulum, & commoneret eum quæ erant animæ profutura; & post admonitionem, faciebat orationem, & dimittebat eum dormire. Contigit autem laicos quosdam religiosos scientes multam abstinentiam senis venire ad eum: & cùm consolatus eos fuisset, discesserunt. post quorum discessum sedit iterùm senex vesperè post Missas secundùm consuetudinem, admonens illum fratrem & instituens eum. Et cùm loqueretur, grauatus est somno: frater autem sustinebat, donec excitaretur senex, & faceret ei iuxta consuetudinem orationem. Cùm ergo non euigilante sene, diu sederet discipulus, compulsus est cogitationum suarum molestiâ recedere & dormire; qui extorquens sibi, restitit cogitationi, & resedit. Iterùm autem compellebatur somno, & non abijt. Similiter factum est vsque septies, & restitit animo suo. Posthæc iam mediâ nocte transactâ euigilauit senex, & inuenit eum assidentem sibi, & dicit: Vsque modò non discessisti? Et ille dixit: Non, quia me non dimiseras, pater.

pater. Et ſenex dixit: Quare me non exci-taſti? Et ille reſpondit: Non te præſumpſi pulſare, ne te contribularem. Surgentes autem cœperunt facere matutinos, & poſt matutinorum finem, dimiſit ſenex diſcipulum: qui cùm ſederet ſolus, factus eſt in exceſſu mentis: & ecce quidam oſtendebat ei locum glorioſum, & ſedem in eo, & ſuper ſedem ſeptem coronas. Interrogabat autem illum, qui hæc oſtendebat ei, dicens: Cuius ſunt hæc? Et ille dixit: Diſcipuli tui, & locum quidem & ſedem pro conuerſatione ſuâ donauit ei Deus: has verò ſeptem coronas nocte iſtâ promeruit. Hęc audiens ſenex miratus eſt, & tremefactus vocauit diſcipulum, & dicit ei: Dic mihi quid feceris nocte hac. Et ille reſpondebat: Ignoſce mihi, pater, quia nihil feci. Senex autem æſtimans quia humiliando ſe non confiteretur, dixit ei: Crede, non quieſco, niſi dixeris mihi quid feciſti, vel quid cogitaſti nocte hac. Frater autem nihil ſibi conſcius quid egiſſet, non inueniebat quid diceret: dicebat autem ſeni: Ignoſce mihi, pater, nihil feci, niſi tantùm hoc quòd compulſus ſum motu cogitationum mearum, vt diſcederem & dormirem ſepties, ſed quia à te dimiſſus ſecundùm conſuetudinem non fueram, non receſſi. Audiens autem hoc ſenex, ſtatim intellexit, quia quoties reſtitit cogitationi ſuæ, toties coronabatur à Deo. Et fratri quidem nihil horum dixit, cauſsâ vtilitatis eius, ſed aliis narrauit hæc ſpiritualibus patribus; vt diſcamus quia & pro paruis cogitationibus Deus nobis coronam tribuit. Bonum ergo eſt, vt extorqueat ſibi ipſe homo in omni re propter Deum: etenim, ſicut ſcriptum eſt, Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.

Quoties tentationi reſiſtitur, toties corona paratur.

Matth. 11.

INCERTI.

44. Ægrotauit aliquando ſenex quidam qui ſolitarius habitabat: & quia non habebat qui ei ſeruiret, ſurgebat, & quodcumque inueniſſet in cellâ ſuâ, manducabat: & cùm aliquot diebus ita fieret, nemo veniebat ad viſitationem eius. Tranſactis autem triginta diebus, & nullo veniente ad eum, miſit Dominus Angelum ſuum, qui miniſtraret ei: & cùm ſic fieret per ſeptem dies, recordati ſunt patres & dixerunt ad inuicem: Eamus & videamus ne fortè infirmetur ille ſenex. Cùm ergo veniſſent, & pulſaſſent, diſceſſit Angelus ab eo. Senex autem de intrò clamauit: Diſcedite hinc, fratres. Illi autem leuantes à cardine oſtium intrauerunt, & interrogauerunt eum, quare clamauerit. Et ille dixit: Quia triginta dies habui laborans infirmitate, & nemo me viſitauit; & ecce iam dies ſeptem ſunt, ex quo Dominus Angelum miſit vt miniſtraret mihi, qui cùm veniſſetis, receſſit à me. Et hæc dicens dormiuit in pace. Fratres autem mirati ſunt, & glorificauerunt Deum, dicentes, Quia non derelinquit Dominus ſperantes in ſe.

Angelus ægro ſeni miniſtrat.

Iudith 6.

INCERTI.

45. Dixit quidam ſenex: Si te occupauerit infirmitas corporis, noli puſillanimis fieri: quia ſi te Dominus Deus vult corpore debilem fieri, quis es qui moleſtè ſuſcipias? Nonne ipſe pro te cogitat de omnibus? numquid ſine ipſo viuis? Patienter ergo fer; & roga eum vt donet tibi quæ expediunt, hoc eſt, vt quod voluntas ipſius eſt facias, & ſede cum patientiâ manducans quod habes in charitate.

Ægritudo patienter ferenda.

INCERTI.

46. Narrauit quidam patrum, dicés: Quia cùm eſſem in Oxyrincho, venerunt ibi pauperes in veſpere Sabbati vt acciperent agapem: & dormientibus eis erat ibi quidam habés tantummodò mattam, cuius medietatem ſibi ſubtermittebat, & medietate cooperiebatur: erat enim ibi validum frigus. Et cùm exiſſet ad vrinam, audiui eum murmurantem & gementem de frigore, & conſolabatur ſemetipſum, dicens: Gratias ago tibi, Domine; quanti ſunt modò diuites in cuſtodiâ, qui etiam in ferro ſedent, aut pedes habent in ligno conſtrictos, qui neque vrinam ſuam libere faciant: ego autem velut imperator ſum, extendens pedes meos, & vbi volo ambulo. Hęc illo dicente, ego ſtabam audiens verba eius: ingrediens autem narraui ea fratribus, & audientes ea multùm ædificati ſunt.

Pauper intuitu aliena miſeria ſuam ſolatur.

INCERTI.

47. Frater interrogauit ſenem quemdam dicens: Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & non habuero cui me committam, & indicem paſſionem animi mei; quid facio? Dixit ei ſenex: Crede in Deo, quia ipſe mittet Angelum & gratiam ſuam, & ipſe tibi eſt conſolatio, ſi in charitate rogaueris eum. Et addidit dicens: Audiui enim, quia in Scithi aliquid tale factum eſt. Erat enim ibi quidam qui ſuſtinebat tentationes, & non habens fiduciam in aliquo cui confiteretur, parabat à ſero melotem ſuam vt diſcederet: & ecce nocte apparuit ei gratia Dei in ſpecie virginis, & rogabat eum, dicens: Nuſquam vadas, ſed ſede hîc mecum: nihil enim malè fiet ex his quæ audiſti. Qui credens verbis eius ſedit, & ſtatim ſanatum eſt cor eius.

Præſtò Dei auxilium, vbi humanum deeſt.

Gratia Dei ſpecie virginis cuidam apparet.

LIBELLVS OCTAVVS.

De eo, quòd nihil per oſtenſionē fieri debeat.

ANTONII.

1. AVDIVIT aliquando abbas Antonius de quodam iuuene monacho, quia ſignum quoddam huiuſmodi fecerit

in viâ, id est, cùm vidisset quosdam senes iter agentes & laborantes in ambulando, onagris iussit, vt venirent & portarent eos, donec peruenirent ad se: illi autem senes indicantes hoc abbati Antonio, dixit abbas Antonius: Videtur mihi monachus iste similis esse naui oneratæ omnibus bonis, de quâ incertum est vtrùm peruenire possit in portum. Et post aliquantum temporis, subitò cœpit abbas Antonius flere, & trahere sibi capillos, & lugere. Quod cùm vidissent discipuli eius, dicunt ei: Quid ploras, abba? Et respondit senex: Magna columna ecclesiæ cecidit modò. Dicebat autem hoc de monacho illo iuuene, & adiecit: Ambulate ad eum, & videte quod factum est. Perrexerunt igitur discipuli eius, & inuenerunt monachum illum super mattam sedentem, & flentem peccatum quod fecerat. Videns autem discipulos senis, ait eis: Dicite seni, vt obsecret Deum decem tantùm dierum dari mihi inducias, & spero me satisfacturum ei. Qui intra quinque dies mortuus est.

Nauis bonis onusta alliditur sæpè ad scopulum vana gloria.

EIVSDEM. Ruff. l. 3. num. 88. *Iniuriâ perfectio monachi probatur.*

2. Laudatus est quidam frater à monachis apud abbatem Antonium: ille autem cùm venisset ad eum, tentauit si portaret iniuriam: & cùm cognouisset, quia non posset ferre, dixit ei: Similis es domui, quæ à facie quidem ornata est, de retrò verò à latronibus despoliata.

ARSENII ET THEODORI. *Homo homini gladius.*

3. Dicebant de abbate Arsenio & abbate Theodoro de Pherme, quia super omnia humanam gloriam odio haberent: abbas enim Arsenius non citò occurrebat alicui: abbas verò Theodorus occurrebat quidem, sed vt gladius erat ei.

EVLOGII.

4. Eulogius quidam nomine, discipulus fuit Ioannis Archiepiscopi: qui Eulogius presbyter erat, & abstinens atque ieiunans 12 biduanas leuando, aliquando etiam & vsque hebdomadam trahebat ieiunium, panem tantùm & salem comedens; & per hoc laudabatur ab hominibus. Qui venit ad abbatem Ioseph in loco, qui dicitur Panepho, credens se aliquam duriorem continentiam inuenire apud eum. Et suscipiens eum senex cum gaudio, quod habebat fecit ei pro charitate parari. Dixerunt autem discipuli Eulogij: Non comedit presbyter nisi panem & salem: abbas autem Ioseph tacitus manducabat. Qui cùm fecissent tres dies, non audierunt eos aut psallentes aut orantes: occultum enim erat opus illorum; & exierunt nihil ædificati. Deo autem dispensante facta est caligo, & errantes de viâ reuersi sunt ad senem: & priusquam pulsarent ostium, audierunt psallentes: & cùm exspectassent diu vt audirent, posteà pulsauerunt, & suscepit eos iterùm senex gaudens. Hi autem qui cum Eulogio erant, propter cauma tulerunt surisculam, & dederunt ei vt biberet: erat autem aqua permixta de mari & flumine, & non potuit bibere. Qui cùm hæc in animo suo cogitaret, cœpit rogare senem, vt disceret eius institutum, dicens: Quid est hoc, abba, quia primò non psallebatis, sed nunc cœpisti posteaquam nos sumus egressi, & quia cùm aquam bibere volui, inueni eam salsam? Dicit ei senex: Frater aliquis motus est, & per errorem miscuit aquam marinam. Eulogius verò rogabat senem, volens agnoscere veritatem. Et dixit ei senex: Paruus ille calix ad vinum est, quod charitas prouidet: hic autem ad aquam, quam assiduè fratres bibunt. Et his verbis docuit eum habere discretionem cogitationum, & abscidit ab eo omnia humanitus mouentia mentem eius: & factus est communis, manducans de cetero omnia, quæ apposita sunt ei. Didicit etiam ipse in secreto operari; & dixit seni: Pro certo in charitate est opus vestrum.

Bona opera in occulto facienda.

Singularitas in cibo fugienda.

ZENONIS. *Humilis cellenda.*

5. Dixit abbas Zenon discipulus abbatis Siluani: Numquam maneas in loco nominato, neque sedeas cum homine habente magnum nomen, neque mittas fundamentum, vt ædifices tibi cellam aliquando.

THEODORI.

6. Venit aliquando frater quidam ad abbatem Theodorum de Pherme, & fecit tres dies rogās eum vt audiret ab eo sermonem. Ille autem non respondit ei, & egressus est tristis. Dicit ergo ei discipulus suus: Abba, quare ei non es locutus, & ecce egressus est tristis? Et dixit senex: Crede mihi, quia non dicebam ei sermonem, quoniam negotiator est, alienis verbis vult gloriari.

Negotiator verborum.

EIVSDEM.

7. Alter frater interrogauit ipsum abbatem Theodorum, dicens: Vis aliquantis diebus non manduco panem? Et dixit senex: Benè facis: nam & ego feci sic. Et dixit ei frater: Volo portare modicum cicer ad pistrinum, & facere inde farinam? Et dixit ei abbas Theodorus: Iam si ad pistrinum vadis, fac tibi panem: & quid opus est ista adiectio?

Sine ambiguitate loquendum.

EIVSDEM.

8. Alius frater interrogauit eumdem senem abbatem Theodorum, & cœpit loqui & exquirere de rebus quas necdum fuerat operatus. Et dixit ei senex: Adhuc nec tibi nauem inuenisti, nec vasa tua in eam posuisti, nec nauigare cœpisti, & iam in illâ ciuitate, vbi disponebas, peruenisti? Cùm ergo priùs operatus fueris rem de quâ loqueris, tunc ex ipsâ re loquere.

Qui loquimur, antè præstanda.

SERAPIONIS.

9. Tunc dixit abbas Cassianus, quia venit frater quidam ad abbatem S[illegible]pionem, & horta-

hortabatur eum senex, vt secundùm morem faceret orationem: ille autem dicens se esse peccatorem, & ipsius monachi habitu indignum, non acquiescebat. Voluit etiam eius pedes lauare, & eisdem iterum verbis vsus, nullatenus acquieuit. Fecit autem illum gustare, & cœpit senex in charitate monere eum, dicens: Fili, si vis proficere, permane in cellà tuâ, & attende tibi ipsi & operibus manuum tuarum: non enim tibi tantum procedere expedit, quantum sedere. Ille autem hæc audiens, ita exacerbatus est, & vultum mutauit, vt nec latere posset senem. Dixit ergo ei abbas Serapion: Vsque modò dicebas, Peccator sum, & accusabas teipsum tamquam indignum iam viuere; & quia te cum charitate monui, ita exacerbari debuisti? Si enim re verâ humilis vis esse, quæ tibi ab alio imponuntur, disce portare viriliter, & non odiosa verba effundere tibi ipsi. Hoc autem audiens frater, pœnitentiam gessit coram sene, & multùm proficiens discessit.

Verè humilis libenter monetur.

MOYSIS. Ruff.li.3. nu.119.

10. Audiuit aliquando iudex prouinciæ de abbate Moyse, & perrexit in Scithi vt videret eum; & nuntiauerunt quidam seni de aduentu eius, & surrexit vt fugeret in paludem; & occurrit ei ille iudex cum suis, & interrogauit eum, dicens: Dic nobis, senex, vbi est cella abbatis Moysi. Et dicit eis: Quid vultis eum inquirere? homo fatuus est & hæreticus. Et veniens iudex ad ecclesiam, dixit clericis: Ego audiens de abbate Moyse, veni vt viderem eum; & ecce occurrit nobis senex pergens in Ægyptum, & interrogauimus eum vbi esset cella abbatis Moysi, & dixit nobis: Quid eum quæritis? fatuus est, & hæreticus. Audientes autem clerici, contristati sunt, dicentes: Qualis est senex ille, qui hæc de sancto homine locutus est ad vos? Et illi dixerunt: Senex vetustissimo vestimento vtens, longus & niger. Et illi dixerunt: Ipse est abbas Moyses; & quia noluit videri à vobis, ideò hæc vobis ipse de se dixit. Et multùm ædificatus iudex discessit.

Moyses homines fugit.

MATHOIS

11. Frater interrogauit abbatem Mathoën dicens: Si abiero manere in loco aliquo, quomodo vis vt agam ibi? Dicit ei senex: Si habitaueris in loco, ne velis tibi illic nomen facere de aliquâ re, dicendo, Aut non venio in conuentu fratrum, aut non manduco hoc vel illud: hæc enim vanum nomen tibi faciunt, sed posteà importunitatem patieris; quoniam homines vbi hoc audierint, ibi current.

Iactantia fugienda.

NISTERONIS.

12. Abbas Nisteron maior ambulabat in eremo cum aliquo fratre, & videntes draconem, fugerunt. Dicit ei frater: Et tu times, pater? Respondit senex: Non timeo, fili; sed expedit quia draconem videns fugi, quoniam non habui effugere spiritum vanæ gloriæ.

13. Voluit aliquando iudex prouinciæ videre abbatem Pastorem, & non acquiescebat senex. Iudex autem tenuit filium sororis eius velut malefactorem, & redegit eum in carcerem, dicens: Si venerit senex & rogauerit pro eo, dimittam eum. Et venit mater pueri ad fratrem suum abbatem Pastorem, & cœpit flere ad ostium eius; ille autem omnino non dedit ei responsum: illa verò compulsa dolore, increpabat eum, dicens: Et si viscera ferrea habes, & nulla te compassio mouet, flectat te saltem miseratio sanguinis tui. Ille autem mandauit ei; Pastor filios non generauit. Et ita discessit. Audiens autem iudex misit, dicens: Vel verbo iubeat, & ego eum dimittam. Senex autem remandauit ei, dicens: Examina caussam secundùm legem: & si dignus est morte, moriatur; si autem non est, fac quomodo vis.

Fuga vanæ gloriæ.

PASTORIS. Ruff.l.3. nu 20.

Pastor iudicem videre renuit.

Nihil cognati tribuit, sed omnia legi relinquit.

14. Dixit iterùm abbas Pastor: Doce cor tuum seruare quæ docet alios lingua tua. Dixit iterùm: Quia homines ad loquendum perfecti videri volunt, & in operando id quod loquuntur minores sunt.

EIVSDEM. *Cor seruet, quod lingua docet.*

15. Venit aliquando abbas Adelphius, qui fuit episcopus Nilopoleos, ad abbatem Sisoi in montem: & quia discessurus erat, fecit eos gustare à manè, erat verò ieiunium: & cum ponerent mensam, ecce fratres pulsauerunt. Dixit autem senex discipulo suo: Da eis modicas zippulas, quia de labore sunt. Et dicit ei abbas Adelphius: Dimitte interim, nec dicant, Quia abbas Sisois à manè comedit. Et intendit eum senex, & dixit fratri: Vade tu, da eis. Cùm ergo vidissent pultes, dixerunt: Ne peregrinos aliquos habetis? Putas & senex vobiscum comedit? Et frater: Etiam. Cœperunt ergo contristari & dicere: Ignoscat vobis Deus, quia senem permisistis istâ horâ manducare: an nescitis quia plurimos dies laboraturus est? Audiens hæc episcopus, cœpit coram sene pœnitentiam agere, dicens: Ignosce mihi, abba, quia ego quidem humanum aliquid cogitaui, tu autem quod Dei est fecisti. Et dicit ei abbas Sisois: Nisi Deus glorificauerit hominem, gloria hominum numquam stat.

SISOI.

Instabilis hominum gloria.

16. Interrogauit abbas Ammonas de loco, qui dicitur Raythum, abbatem Sisoi dicens: Quando lego Scripturas, vult cogitatio mea ornare sermonem, vt paratus sim ad interrogata respondere. Et dixit ei senex: Non est opus, sed magis de puritate mentis

EIVSDEM. *Puritas mentis ornatui sermonis præferenda.*

VERBA SENIORVM. Lib.IX. DE NON IVDICANDO.

tis prouide tibi securitatem edicendi sermonem.

SIMONIS. *Simon primariorum virorum visitationem auersatur.*

17. Venit aliquando iudex prouinciæ videre abbatem Simonem, & ille tulit lorum quo cingebatur, & ascendit in arborem palmæ, vt purgaret eam. Illi autem venientes dixerunt ei: Vbi est senex, qui hac in solitudine habitat? Et ille respondit: Non est hîc solitarius aliquis. Et cùm hoc dixisset, discessit iudex.

EIVSDEM. *Idem rursus gloriam hominum fugit.*

18. Aliâ iterùm vice alter iudex venit videre eum, & præcedentes clerici dixerunt ei: Abba, paratus esto, quia iudex audiens de te venit, vt benedicatur à te. Et ille dixit: Etiam ego præparabo me. & cooperiens se sacco suo, & tollens in manu suâ panem & caseum, sedit in ingressu cellulæ suæ, & cœpit manducare. Venit ergo iudex cum officio suo, & videntes eum spreuerunt, dicentes: Hic est monachus solitarius, de quo talia audiebamus? Et statim discesserunt, & reuersi sunt ad se.

SYNCLETICAE. Ruff.l.3. n.114. *Virtus publicata periclitatur.*

19. Dixit sancta Syncletica: Sicut thesaurus manifestus citò expenditur, ita & virtus quælibet, cùm innotuerit vel publicata fuerit, exterminabitur. Sicut enim cera soluitur à facie ignis, ita & anima laudibus inanitur, & amittit virtutum rigorem.

EIVSDEM. Ruff.l.3. num.113. Pasch. c.13.n.2.

20. Dixit iterùm: Sicut impossibile est, vno eodemq; tempore & herbam esse & semen; ita impossibile est, vt sæcularem gloriam habentes, cælestem faciant fructum.

INCERTI. Ruff.l.3. n.54. titulo *Theodori.*

21. Aliquando in Cellis festiuitate celebratâ, edebant fratres in ecclesiâ. Erat autem ibi frater quidam, qui dixit ministranti: Ego non manduco coctum aliquid, sed sal. Et vocauit minister alium fratrem coram multitudine, dicens: Ille frater non comedit coctum, affer ei sal. Surrexit autem quidam senum, & dixit ei: Expedierat tibi hodie in cellâ tuâ comedere carnes, quàm audiri hanc vocem coram tantis fratribus.

Singularitas cibi in societate fugienda.

INCERTI.

22. Erat quidam abstinens à cibis, & non manducans panem; venit ad quemdam senem. Opportunè autem illic etiam alij superuenerant peregrini, & fecit senex modicum pulmentum propter eos. Et cùm sedissent manducare, frater ille abstinens posuit sibi soli cicer infusum, & manducabat. Et cùm surrexissent à mensâ, tulit eum senex secretò, & dixit ei: Frater, si venis ad aliquem, non ostendas illi conuersationem tuam: si autem conuersationem tuam tenere vis, sede in cellâ tuâ, & nusquam exeas. Ille autem acquiescens verbis senis, factus est communis vitæ in id quod cum fratribus inuenisset.

Vel non exeundum, vel more aliorum viuendum.

INCERTI.

23. Dixit senex: Humana prouidentia omnem pinguedinem hominis amputat, & relinquit eum siccum.

Humana prouidentia hominē exsiccat.

INCERTI. *Aut fugiendus aut irridēdus mundus.*

24. Dixit senex: Aut fugiens fuge homines, aut irridens mundum & homines qui in mundo sunt, stultum temetipsum in pluribus facito.

LIBELLVS NONVS.

De eo, quòd nō oporteat iudicare quēquam.

ANTONII

1. CONTIGIT aliquando fratri in congregatione abbatis Eliæ tentatio, & expulsus inde, abiit in montem ad abbatem Antonium. Et cùm mansisset aliquanto tempore apud eum, remisit eum ad congregationem vnde exierat. Illi autem videntes eum, iterùm expulerunt: qui similiter perrexit ad abbatem Antonium, dicens: Noluerunt me suscipere, pater. Misit ergo senex ad eos, dicēs: Nauis naufragium tulit in pelago, & perdidit onus quod portabat, & cum labore vacua nauis perducta est ad terram. Vos ergo liberatam nauim in terram vultis submergere? Illi autem cognoscentes, quia eum abbas Antonius remisisset, statim susceperunt eum.

Apologus insignis de pœnitente recipiendo.

BESARIONIS. *Peccator animādus.*

2. Quidam frater peccauerat, & iussit eum presbyter exire de ecclesiâ. Surrexit autem Besarion, & exiuit cum eo, dicens: Et ego peccator sum.

ISAAC. Ruff.l.3. n.137.

3. Venit abbas Isaac de Thebaidâ in cōgregatione fratrum, & vidit quemdam de fratribus culpabilem, & adiudicauit eum. Cùm autem exisset ad eremum, venit angelus Domini, & stetit ante ostium cellæ eius, dicens: Non te dimitto intrare. Ille autem rogabat, dicens: Quæ est caussa? Et respondens angelus Domini, ei dixit: Deus me misit vt dicerē tibi: Vbi iubes vt mittam illum fratrem culpabilem, quem addixisti? Et statim abbas Isaac pœnitentiam egit, dicens: Peccaui, ignosce mihi. Et dixit Angelus: Surge, ignoscit tibi Deus; sed custodi decetero ne adiudices quemquam, priusquam Deus adiudicet eum.

Deo iudicium proximi relinquendum.

MOYSIS.

4. Frater aliquando in Scithi inuentus est culpabilis, & fecerunt seniores conuentum, & miserunt ad abbatem Moysem, dicentes, vt veniret: ille autem venire noluit. Misit autem ad eum presbyter, dicens: Veni, quia plebs fratrum te exspectat. Et ille surgens venit. Tollens autem secum sportam vetustissimam, impleuit eam arenâ, & post se portauit. Illi verò exierunt ei obuiàm, dicentes: Quid hoc est, pater? Dixit autem eis senex: Peccata mea sunt post me currentia, & non video ea, & veni ego hodie iudicare aliena peccata? Illi autem audientes, nihil locuti sunt fratri, sed ignouerunt ei.

Moyses aliena peccata non iudicanda docet.

5. Inter-

PASTORIS. *Quies in neminem iudicando.*

5. Interrogauit abbas Ioseph abbatem Pastorem, dicens: Dic quomodo monachus fiam. Et dixit ei senex: Si vis requiem inuenire & in hoc & in futuro sæculo, in omni caussâ dic: Quis sum ego? & ne iudices quemquam.

EIVSDEM. *Tegenda aliorum peccata.*

6. Frater quidam interrogauit eum iterùm, dicens: Si videro culpam fratris mei, bonum est celare eam? Dixit ei senex: Quacumque horâ tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum: & quacumque horâ prodiderimus culpas fratrum, & Deus nostras similiter prodet.

EIVSDEM.

7. Offendit aliquando frater in congregatione. Erat autem in ipsius locis quidam solitarius, qui iam longo tempore foris non exibat. Veniens autem abbas de congregatione illâ ad eum, indicauit de fratre illo qui offenderat. Et ille dixit: Expellite eum. Expulsus autem frater de congregatione, misit se in fossatum, & flebat ibi: contigit autem vt alij fratres euntes ad abbatem Pastorem audirent eum in fossatu plorantem: qui descendentes ad eum inuenerunt eum in magno dolore constitutum, & rogauerunt eum vt iret ad senem illum solitarium; & non acquieuit, dicens: In hoc loco moriar ego. Venientes autem fratres ad abbatem Pastorem, narrauerunt ei de eo. Et rogauit eos, vt irent ad eum, dicentes: Abbas Pastor vocat te ad se. Quod cùm ei dixisset, perrexit ad eum. Et videns eum senex afflictum, surrexit & osculatus est eum, & adgaudens ei rogabat vt sumeret cibum. Misit autem abbas Pastor vnum de fratribus suis ad illum solitarium, dicens: Audiens de te, multi anni sunt, quòd te videre volui, & pro pigritiâ nostrâ amborum non potuimus nos inuicem videre: modò autem Deo volente & occasione factâ fatiga te vsque huc, vt nos videre possimus: erat enim non egrediens de cellâ suâ. Quod cùm audisset, dicebat: Nisi Deus inspirasset seni illi de me, non misisset ad me. Et surgens venit ad eum. Et salutantes se inuicem cum gaudio sederunt. Dixit autem ei abbas Pastor: Duo homines erant in loco vno, & ambo habebant mortuos suos. Reliquit autem vnus mortuum suum, & abiit plorare illius alterius. Audiens autem hæc senex, compunctus est in sermone eius, & recordatus est quod fecerat, & dixit: Pastor sursum in cælo, ego autem deorsum in terrâ.

A sene expellitur frater offendens. *Pastor aduocat expulsum.* *Paradigmate senẽ corripit.*

EIVSDEM. Ruff. l. 3. n. 100. Pasch. c. 39. n. 2. Append Mart. n. 39 *Vnde requies.*

8. Frater quidam interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Quid facio, quia pusillanimis fio dum sedeo? Dixit ei senex: Nullum spernas neque condemnes, & nulli obloquaris, & Deus præstabit tibi requiem, & erit sessio tua sine perturbatione.

Ruff. l. 3. n. 136.

9. Factus est aliquando conuentus in Scithi, & loquebantur patres de quodam fratre culpabili. Abbas autem Prior tacebat: posteà autem surgens egressus est, & tollens saccum, impleuit eum arenâ, & portabat eum in humeris suis; & mittens in sportellâ modicâ de eadem arenâ, portabat etiam ipsam in antè. Interrogatus autem à patribus quid hoc esset? Ille respondit: Saccus iste qui multum habet arenæ, mea peccata sunt; & quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum, ne doleam pro ipsis & plorem: ista autem arena modica peccata sunt istius fratris, & sunt ante faciem meam, & in ipsis exerceor iudicans fratrem; quod non oportet ita fieri, sed mea magis peccata ante me esse, & de ipsis cogitare, & rogare Deum vt ignoscat mihi. Audientes autem patres, dixerunt: Verè hæc est via salutis.

Nostra magis quã aliorum pensanda peccata.

INCERTI. *Neminem iudices.*

10. Dixit senex: Non iudices fornicatorem, si castus es; quoniam similiter legem præuaricaris. Etenim qui dixit: Non forniceris, dixit: Ne iudices.

INCERTI.

11. Ad quemdam solitarium venit presbyter cuiusdam basilicæ, vt consecraret ei oblationem ad communicandum. Veniens autem quidam ad illum solitarium, accusauit apud ipsum eumdem presbyterum. Qui cùm ex consuetudine iterùm venisset ad eum, vt consecraret oblationem, scandalizatus ille solitarius non aperuit ei. Presbyter autem hoc viso discessit. Et ecce vox facta est ad solitarium, dicens: Tulerunt sibi homines iudicium meum. Et factus est velut in excessu mentis, & videbat quasi puteum aureum, & situlam auream, & funem aureum, & aquam bonam valdè. Videbat autem & quemdam leprosum haurientem & refundentem in vase, & cupiebat bibere, & non poterat propter quòd leprosus esset ille qui hauriebat. Et ecce iterùm vox ad eum, dicens: Cur non bibis ex aquâ hac? quam caussam habet qui implet? implet enim solummodò & effundit in vase. In se autem reuersus solitarius, & considerans virtutem visionis, vocauit presbyterum, & fecit eum sicut & priùs sanctificare sibi oblationem.

Malum presbyterum Sacramenta non contaminare docetur parabolâ.

INCERTI.

12. Fuerunt duo fratres magnæ vitæ in congregatione, & meruerunt videre singuli gratiam Dei in alterutrum. Factum est autem aliquando, vt vnus ex eis egrederetur in sextâ feriâ extra congregationem, & videret quemdam manè comedentem. Dixit autem ei: Hac horâ manducas in sextâ feriâ? Die autẽ sequenti facta est celebratio Missarum secundùm consuetudinem. Intuens verò frater eius, vidit gratiam, quæ ei

Sexta feria ieiunium. *Solita Missarum celebratio die Sabbati.*

ei data fuerat discessisse ab eo, & contristatus est. Qui cùm venisset in cellam, dicit ei: Quid fecisti, frater; quia non vidi, sicut pridem, gratiam Dei in te? Ille autem respondens dixit: Ego neque in actu, neq; in cogitationibus conscius mihi sum alicuius mali. Dicit ei frater eius: Nec sermonem odiosum aliquē locutus es? Et recordatus, dixit: Etiam. hesternâ die vidi quemdam comedentem manè, & dixi ei: Hac horâ mãducas in sextâ feriâ? Hoc est peccatum meum: sed labora mecum duas hebdomadas, & rogemus Deum vt mihi indulgeat. Fecerũt ita: & post duas hebdomadas vidit frater gratiam Dei iterùm venientem super fratrem suum, & consolati sunt; Deo, qui solus bonus est, gratias referentes.

Recedit gratia ob verbum odiosum.

Vident fratres in alterutro Dei gratiam.

LIBELLVS DECIMVS.

De Discretione.

ANTONII

1. DIXIT abbas Antonius: Quia sunt quidam conterentes corpora sua in abstinentiâ; sed quia non habuerunt discretionem, longè facti sunt à Deo.

Opera bona indiscretione vitiantur.

EIVSDEM.

2. Fratres quidam venerunt ad abbatem Antonium, vt nuntiarent ei phantasias quas videbant, & cognoscerent ab eo vtrùm veræ essent, an à dæmonibus illuderentur. Habebãt autem asinum secum, & mortuus est eis in viâ. Cùm ergo venissent ad senem, præuenit eos, dicens: Quomodo mortuus est ille asinus in viâ? Dicunt ei: Vnde scis, pater? Et ille dixit: Dæmones mihi ostenderunt. Dicunt ei: Et nos propterea venimus interrogare te, quia vidimus phantasias, & plerumque fiunt in veritate, ne forte erremus. Et satisfecit eis senex, sumpto exemplo de asino, ostendens quia à dæmonibus fiunt ista. Superuenit autem quidam venationem faciens in siluam agrestium animalium, & viderat abbatem Antonium gaudentem cum fratribus, & displicuerat ei. Volẽs autem senex ei ostendere, quia oportet aliquando condescendere fratribus, dicit ei: Pone sagittam in arcu tuo, & trahe: & fecit sic. Et dixit ei: Iterùm trahe; & traxit. Et rursus dixit ei: Trahe adhuc; & traxit. Dixit ei venator: Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei abbas Antonius: Ita est & in opere Dei: si plus à mensurâ tendimus, fratres citò deficiunt; expedit ergo vnâ & vnâ relaxare rigorem eorum. Hæc audiens venator compunctus est, & multùm proficiens in sermone senis, discessit; & fratres confirmati, reuersi sunt in locum suum.

Grauiora vicissitudine leniorum moderanda.

EIVSDEM

3. Frater dixit abbati Antonio: Ora pro me. Et respondit ei senex: Nec ego tui miseror, nec Deus, nisi pro teipso sollicitus fueris & poposceris à Deo.

EIVSDEM.

4. Dixit iterùm abbas Antonius: Quia non permittit Deus bella excitari in generatione hac, quoniam scit quia infirmi sunt, & portare non possunt.

Ab infirmis Deus auertit bella.

ARSENII

5. Dixit aliquando abbas Euagrius abbati Arsenio: Quomodo nos excitati eruditione & scientiâ nullas virtutes habemus, hi autem rustici in Ægypto habitantes tantas virtutes possident? Respondit abbas Arsenius: Nos quia mundanæ eruditionis disciplinis intenti sumus, nihil habemus: hi autem rustici Ægyptij ex propriis laboribus acquisierunt virtutes.

Mundana eruditio virtutum retardatio.

EIVSDEM.

6. Dicebat beatæ memoriæ abbas Arsenius: Peregrinus monachus in aliâ prouinciâ habitans, nullis rebus se medium faciat, & quietus erit.

Vnde quies peregrino.

EIVSDEM

7. Interrogauit abbas Marcus abbatem Arsenium, dicens: Bonum est non habere aliquam in cellâ consolationem. Vidi enim quemdam fratrem habentem paruum olus in cellâ, & eradicabat ea. Et dixit abbas Arsenius: Bonum quidem est, sed secundùm exercitationem hominis vniuscuiusque agendum est: etiam si non habuerit virtutem huiusmodi tolerare, iterùm plantaturus est ea.

Omnimoda abdicatio.

AGATHONIS Ruff. l. 3. n. 128. Pasch. c. 41. n. 1.

8. Narrauit abbas Petrus, qui fuit discipulus abbatis Lot, dicens: Eram aliquando in cellâ abbatis Agathonis, & venit frater quidam ad eum, dicens: Volo habitare cum fratribus, sed dic mihi quomodo habitem cum eis. Dicit ei senex: Sicut in primâ die quando ingrederis ad eos, ita custodi peregrinationem tuam omnibus diebus vitæ tuæ, nec assumas fiduciam. Dicit ei abbas Macarius: Quid enim facit fiducia? Dicit ei senex: Sic est sicut æstus grandis: qui quando exarserit, omnes fugiunt à facie eius, quia æstus etiam arborum fructus corrumpit. Dixit abbas Macarius: Sic mala fiducia est? Respondit abbas Agathon: Non est peior altera passio quàm fiducia; genitrix est enim omniũ passionum. Conuenit ergo operatio monacho, non sumere fiduciam, vel si solus sit in cellâ.

Feruor nouitiatus toto tempore religionis seruandus.

Cauendum à fiduciâ seu præsidentiâ.

ARSENII. Ruff. l. 3. nu. 163.

9. Dicebat abbas Daniel: Quia cùm moriturus esset abbas Arsenius, delegauit nobis, dicens: Videte ne velitis pro me agapem facere; quoniam si feci ego pro meipso, id inuenio.

AGATHONIS. Ruff. li. 3. n. 21.

10. Dicebant de abbate Agathone, quia abierunt quidam ad eum, audientes quia magnæ discretionis vir esset: & volentes eum probare si irasceretur, dicunt ei: Tu es Agatho? Audiuimus de te, quia fornicator es, & superbus. Et ille respondit: Etiam sic est.

Agathon patiens opprobrij.

est. Et dixerunt ei: Tu es Agatho verbosus & detractor? Et respondit: Ego sum. Dicunt ei iterùm: Tu es Agatho hæreticus? Et respondit: Non sum hæreticus. Et rogauerunt eum, dicentes: Dic nobis cur tanta dicentibus nobis in iniuriâ tuâ, patienter tuleris; hunc autem sermonem, quia diximus, Hæreticus es, non sustinuisti? Et ille respondit, & dixit ei: Illa prima mihi ascribo, vtilitas enim animæ meæ est: quòd autem dixistis hæreticum me esse, ideò non acquieui, quia separatio est à Deo, & non opto separari à Deo. Illi audientes admirati sunt discretionem eius, & ædificati discesserunt.

Agathon patiens opprobrij. *Hæresis à Deo separatio.*

EIVSDEM. 11. Interrogatus est idem abbas Agatho: Quid est maius, labor corporis, aut custodia interioris hominis? Dicit abbas: Homo similis est arbori; corporalis igitur labor velut folia arboris, custodia autem interioris hominis fructus est. Quoniam ergo, secundùm quod scriptum est, Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur; oportet propter fructum nostrum omnem in nobis sollicitudinem esse, hoc est mentis custodiam. Opus tamen habemus etiam tegumento & ornatu foliorum, quæ sunt labor corporis. Erat autem abbas Agathò sapiens ad intelligendum, & impiger ad laborandum, & sufficiens in omnibus, intentus etiam assiduè ad laborem manuum, parcus in cibo atque vestimento.

Quid labor corporis, quid custodia interioris hominis. Matth. 3.

EIVSDEM 12. Idem abbas Agatho cùm fuisset conuentus pro quadam caussâ in Scithi, & fuisset caussâ ipsa ordinata, posteà venit, & dicit eis: Non benè ordinastis caussam. Illi autem dixerunt ei: Tu quis es, qui vel loquaris? Et ille respondit: Filius hominis; scriptum est enim: Si verè vtique iustitiam loquimini, iusta iudicate filij hominum.

Iustè iudicandum. Psal. 57.

EIVSDEM 13. Dixit abbas Agatho: Iracundus si mortuos suscitet, non placet Deo propter iracundiam suam.

Iracundus Deo ingratus, etiam mortuos suscitans.

ACHILLIS. 14. Venerunt aliquando tres senes ad abbatem Achillem, & vnus ex eis habebat opinionem malam. Dicit autem ei vnus de senibus: Abba, fac mihi vnam sagenam ad piscandum. Et ille dixit: Non facio. Et alius dixit ei: Fac nobis, vt habeamus memoriam tui in monasterio nostro. Et ille respondit: Non mihi vacat. Dixit ei tertius ille, qui habebat malam opinionem: Mihi fac sagenam, vt habeam de manibus tuis benedictionem, abba. Et ille statim respondit ei: Ego tibi faciam. Dixerunt autem ei secretò duo priores, quibus non acquieuerat: Quomodo sic, quia nobis rogantibus noluisti facere, & huic dixisti: Ego tibi faciam? Respondit eis senex: Vobis ideò dixi, Non facio; quia non mihi vacat, & non contristabimini; huic autem si non fecero, dicturus est, quia de opinione meâ, quæ mala est, audiuit senex; & ideò noluit facere sagenam; & statim incidebamus funem ad sedandum animum eius, ne tristitiâ absorberetur huiusmodi.

Cur indigniori postulatum præstet Achilles.

ABRAHAM. Ruff. li. 3. n. 117. 15. Dicebant de quodam sene, quia fecerit quinquaginta annos neque panem comedens, neq; facilè aquam bibens; & dicebat: Quia extinxi fornicationem, & auaritiam, & vanam gloriam. Et quia abbas Abraham audierat quòd hęc dixisset, venit ad eum, & dixit ei: Tu dixisti hunc sermonem? Et ille respôdit: Etiam. Et dixit ei abbas Abraham: Ecce intras in cellam tuam, & inuenis supra mattam tuam mulierem, potes non cogitare quia mulier est? Et dixit: Non; sed impugno cogitationem meam, vt non tangam mulierem illam. Dixit abbas Abraham: Ecce igitur non fornicationem interfecisti, quia viuit passio ipsa, sed alligata est. Iterùm si ambulas in viâ, & vides lapides & testas vasorum, & in ipsis iacens aurum, quod videris, potes velut lapides reputare? Et respondit: Non; sed resisto cogitationi meæ ne colligam illa. Et dicit ei abbas Abraham: Ecce ergo viuit passio; sed alligata est. Et dixit iterùm abbas Abraham: Si audieris de duobus fratribus, quia vnus diligit te & bona de te loquitur, alius autem odit & detrahit tibi, & venerint ad te, vtrosque æqualiter suscipis? Et dixit: Non; sed extorqueo animo, vt similiter benefaciam ei qui me odit, sicut illi qui diligit me. Et dixit ei abbas Abraham: Viuunt ergo passiones, sed tantùm à sanctis viris quodammodò religantur.

Passio in viris sanctis alligatur, non extinguitur.

AMMONAE. 16. Narrauit quidam patrum, quia senex aliquis erat in cellâ studiosè laborans, & vestiebatur mattâ: qui cùm perrexisset ad abbatem Ammonam, vidit eum abbas Ammonas vtentem mattâ, & dixit ei: Hoc tibi nihil prodest. Et dixit ei ille senex: Tres cogitationes mihi molestæ sunt; Vna, quæ me compellit vt alicubi in eremo recedam; alia, vt peregrina petam, vbi me nemo cognoscat; tertia, vt includam me in cellâ, vt nullum videam, & post biduum comedam. Dicit ei abbas Ammonas: Nihil tibi ex his tribus expedit facere, sed magis sede in cellâ tuâ, & comede parum quotidie, habens semper in corde tuo publicani illius, qui in Euangelio legitur, sermonem, & ita poteris saluus esse.

Cella cum humilitate custodienda. Lucæ 18.

DANIELIS. 17. Dicebat abbas Daniel: Quia quantum corpus viruerit, tantum anima exsiccatur; & quantum siccatum fuerit corpus, anima

Viror corporis siccat animam.

anima tantum virescit. Dixit iterùm abbas Daniel: Quia quantum corpus fouetur, tantum anima subtiliatur, & quantum fuerit corpus subtiliatum, tantum anima fouetur.

ARSENII. 18. Narrauit iterùm abbas Daniel, quia quando erat in Scithi abbas Arsenius, erat ibi monachus quidam rapiens ea quæ habebant senes: abbas autem Arsenius volens eum lucrari, & senibus quietem præstare, tulit eum in cellam suam, & dicit ei: Quidquid vis ego tibi dabo, tantùm non rapias: & dedit ei aurū, & nummos, & 34 rescellas, & omne quod in 35 responso suo habebat, dedit ei. Ille autem iterùm rapiebat. Senes verò videntes, quia non quieuit, expulerunt eum, dicentes: Quia si inuenitur frater habens de infirmitate corporis aliquid, oportet sustinere eum; si autem furatus & admonitus non quiescit, expellite eum: quoniam animæ suę detrimentum facit, & omnes in eo loco habitantes conturbat.

Infirmus tolerãdus, non fur.

INCERTI. 19. Venit in initio conuersationis suæ abbas Euagrius ad quemdam senem, & dixit: Dic mihi, abba, sermonem quo saluus fiam. Ille autem dixit ei: Si vis saluari, quando ad aliquem vadis, non priùs loquaris antequam te ille inquirat. Euagrius autem compunctus in hoc sermone, pœnitentiam egit in conspectu senis, & satisfecit ei, dicens: Crede mihi, multos codices legi, & talem eruditionem numquam inueni. Et multùm proficiens exiit.

Nõ loquaris nisi rogatus.

EVAGRII 20. Dixit abbas Euagrius: Mentem nutantem vel errantem solidat lectio, & vigiliæ, & oratio: concupiscentiam verò feruentem madefacit esuries & labor & sollicitudo: iracundiam autem perturbatam reprimit psalmodia, & longanimitas, & misericordia, sed hæc opportunis temporibus, & mensurâ adhibitâ: si autem inopportunè vel sine mensurâ fiunt, ad paruum tempus proficiunt; quæ autem parui temporis sunt, noxia magis quàm vtilia erunt.

Vitiosarũ passionum medela.

EPHRAEM. 21. Transeunte aliquãdo abbate Ephręm, vna prostituta ex immissione cuiusdam cœpit ei blandiri, cupiens eum, si posset, ad turpem commixtionem illicere; vel si hoc non posset, saltem ad iracundiam prouocaret, quoniam numquam eum vidit quisquam irascentem vel litigantem. Ipse autem dixit ad eam: Sequere me. Cùm venissent autem in loco populoso, dicit ei: Veni huc, & sicut voluisti, commisceor tecum. Illa autem videns multitudinem, dicit ei: Quomodo possumus hîc hoc facere, tantâ multitudine hîc astante? confundemur enim. Ipse autem ait: Si homines erubescis, quantò magis erubescere debemus Deum, qui reuelat occulta tenebrarum? Illa autem confusa & confutata recessit absque opere voluptatis suæ.

Idem l. 1. in Vitâ Ephræm, cap. 7.

Ephram prudenter impudicam corrigit.

1. Cor. 4.

ZENONIS. 22. Venerunt aliquando ad abbatem Zenonem quidam fratres, & interrogauerunt eum, dicentes: Quid est quod scriptum est in libro Iob, Nec cælum mundum esse in conspectu Dei? Respondit autem senex dicens: Reliquerunt homines peccata sua, & cælestia scrutantur. Hæc autem est interpretatio sermonis, quem requisistis, vt quoniam Deus solus est mundus, dictum sit, nec cælum mundum esse in conspectu eius.

Iob 15.

Deus solus mundus.

THEODORI. 23. Dixit abbas Theodorus de Pherme: Si habes amicitias cum aliquo, & contigerit eum in tentationem fornicationis incurrere; si potes, da ei manum, & retrahe illum sursum: si autem in errore aliquo fidei incurrerit, nec tibi acquiescit, reuertere citò, incide amicitias eius abs te, ne forte remorans traharis cum eo in profundum.

Hæreticus fugiendus.

EIVSDEM. 24. Venit aliquando memoratus abbas Theodorus ad abbatem Ioannem, qui erat eunuchus ex natiuitate. Et cùm loquerentur, dixit abbas Theodorus: Quando eram in Scithi, opus animæ erat opus nostrum, opus autem manuum tamquam in transitu habebamus: nunc autem factum est opus animæ, velut cùm in transitu factum est opus.

Opus manuũ postpositum sit operi animæ.

EIVSDEM. 25. Venit aliquando quidam patrum ad eumdem abbatem Theodorum, & dixit ei: Ecce quidam frater reuersus est ad sæculum. Et dixit ei abbas Theodorus: In hoc non admireris: si quando audieris, quia præualuit quis effugere de ore inimici, hoc admirare.

Conuersio miranda, non lapsus.

EIVSDEM. 26. Dixit memoratus abbas Theodorus: Multi eligunt in hoc sæculo temporalem quietem, antequam præstet eis Dominus requiem.

Nulla hic requies quærenda.

IOANNIS NANI. 27. Dicebant de abbate Ioanne staturâ breui, quia dixerit aliquando fratri suo maiori: Volebam esse securus sicut Angeli sunt securi, nihil operantes, sed sine intermissione seruientes Deo; & spolians se quo vestitus erat, abiit in eremo. Et factâ ibi hebdomadâ vnâ, reuersus est ad fratrem suum; & dum pulsaret ostium, respondit ei antequam aperiret, dicẽs: Quis es tu? Et ille dixit: Ego sum Ioannes. Et respondit frater eius, & dixit ei: Ioannes Angelus factus est, & vltrà inter homines non est. Ille autem pulsabat dicens: Ego sum. Et non aperuit ei, sed dimisit eum affligi. Posteà verò aperiens dixit ei: Si homo es, opus habes iterùm operari, vt viuas; si autem Angelus es, quid quæris intrare in cellam. Et ille pœnitentiam agens, dixit: Ignosce mihi, frater, quia peccaui.

Ruff. l. 3. nu. 56.

Non quæ supra nos sunt sequenda.

28. Ve-

EIVSDEM 28. Venerunt aliquando senes in Scithi, & erat cum eis abbas Ioannes Nanus: & dum comederent, surrexit quidam presbyter vir magnus, vt daret per singulos vasculum aquæ paruum ad bibendum: & nemo acquieuit accipere ab eo, nisi solus Ioannes Breuis. Admirati sunt autem ceteri, & dixerunt ei: Quomodo tu cùm sis omnium minor, præsumpsisti ministerio vti viri senis & magni? Et dicit eis: Ego quando surgo dare aquam, gaudeo si omnes biberint, vt mercedem acquiram: nunc igitur proptereà ego suscepi, vt faciam ei qui surrexit inuenire mercedem, ne fortè etiam contristetur nullo sumente ab eo. Hæc cùm dixisset, admirati sunt omnes de discretione eius.

Ioannis discretio.

IOSEPH. 29. Interrogauit aliquando abbas Pastor abbatem Ioseph, dicens: Quid faciam, quando approximant mihi aliquæ tentationes; resisto illis, an permitto intrare? Dicit ei senex: Dimitte intrare, & pugna cum eis. Reuertens ergo in Scithi sedebat: & contigit vt veniens quidam à Thebaidâ in Scithi narraret fratribus, se interrogasse abbatem Ioseph, Quando approximat mihi tentatio, resisto ei, an dimitto intrare? Et dixerit ei: Omnino nón dimittas tentationem in te, sed citò abscinde eam. Audiens autem abbas Pastor, quia sic dixerit huic, qui venerat à Thebaidâ, abbas Ioseph, surgens iterùm abijt in Panepho ad abbatem Ioseph, & dicit ei: Abba, ego tibi commisi cogitationes meas, & tu aliter dixisti mihi, aliter autem fratri de Thebaidâ. Et dicit ei senex: Scis quia diligo te? Et respondit: Etiam. Nónne tu mihi dixisti, vt sicut mihi ipsi, ita tibi dicerem quod sentirem? Etenim si intrauerint tentationes, & dederis atque acceperis cum eis, probatiorem te faciunt; ego autem velut mihi ipsi sic tibi locutus sum: sunt autem aliqui quibus nec approximare expedit passiones, sed statim debent abscindere eas.

Quibusdam prodest tentari, quibusdam non.

EIVSDEM 30. Item dixit abbas Pastor: Veni aliquando in Heracleo inferiore ad abbatem Ioseph, & habebat in monasterio suo arborem sycomorum pulchram nimis; & dicebat mihi à manè: Vade, & collige tibi, & manduca. Erat autem sexta feria. Ego autem non comedi propter ieiunium: & rogaui eum dicens: Dic mihi propter Dominum rationem huius rei, quia dicebas mihi: Vade, manduca. Ego quidem propter ieiunium non abij, sed erubescebam, quia mandatum tuum non feceram, cogitans quia sine ratione mihi hæc non præceperas. Ille autem respondit: Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta; & si viderint, quia ea quæ torta sunt faciunt, iam eis non loquuntur nisi quæ expediunt, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt.

Ieiunium sexta feria.

Aliquando distorta seniores fratribus præcipiebant, & quare.

EIVSDEM 31. Frater interrogauit abbatem Ioseph, dicens: Quid faciam, quia nec molestiam ferre possum, nec laborare, & dare eleëmosynam? Et dicit ei senex: Si non potes horum nihil facere, vel serua conscientiam tuam ab omni malo proximi tui, & ita saluus eris: Deus autem animam sine peccato quærit.

Proximus non iudicandus.

ISAAC. 32. Dixit abbas Isaac Thebæus fratribus suis; Pueros hîc non adducatis, quia propter pueros in Sciti quatuor ecclesiæ eremus factæ sunt.

Pueri ab eremo ablegandi.

LVCII. 33. Interrogauit abbas Longinus abbatem Lucium, dicens: Habeo tres cogitationes: vnam vt ad peregrinationem vadam. Et respondit ei senex: Si non tenueris linguam tuam vbicumque perrexeris, non eris peregrinus: sed refræna hic linguam tuam, & eris etiam hîc peregrinus. Et dixit ei abbas Longinus: Alia cogitatio mea est, vt ieiunem biduanas leuando. Et respondit ei abbas Lucius: Isaias propheta dixit: Si curuaueris velut circulum ceruicem tuam, nec sic erit acceptum ieiunium tuum: sed magis contine mentem tuam à cogitationibus malis. Et dixit abbas Longinus: Tertium est dispositum meum, vt declinem hominum aspectus. Et respondit ei abbas Lucius: Nisi priùs correxeris vitam tuam inter alios conuersando, neque solus habitans corrigere te præualebis.

Qui linguam refrænat, vbique peregrinus est.

Isaiæ 58.

MACARII 34. Dixit abbas Macarius: Si recordamur mala quæ inferuntur nobis ab hominibus, amputamus menti nostræ virtutem recordandi Deum: si autem recordamur malorum, quæ dæmones excitant, erimus imperforabiles.

Pasch. c. 37 n. 4. Append. Mart. n. 15

Qualium malorum illatorum debemus esse memores.

MATHOIS 35. Dixit abbas Mathois: Nescit satanas quâ passione seducatur anima, & ideò seminat quidem in eâ zizaniam suam; sed metere nescit: spargit aliquando semina fornicationum, aliquando detractionum, & ceterarum similiter passionum; & in quâ passione viderit animam declinantem, hanc ei ministrat: nam si sciret ad quid procliuis est anima, non ei diuersa vel varia seminaret.

Varia diaboli semina tentationum.

NATHYRAE. 36. Narrauerunt de abbate Nathyrâ, qui fuit discipulus abbatis Siluani, quia cùm sederet in cellâ suâ in monte Sinâ, mediocriter gubernauit vitam suam de his quæ erant necessaria corpori. Quando autem factus est episcopus in Pharan, multùm coartabat animam suam in duritiâ continentiæ. Et dicit ei discipulus suus: Abba, quando eramus in eremo non te ità crucia-

Append. Pallad. c. 20. n. 18

Quare Nathyra seuerior in episcopatu quam monachatu.

cruciabas. Et dicit ei senex: Fili, illic solitudo erat, & quies, & paupertas, propterea volebam gubernare corpus meum, ne infirmaret, & quærerem quod non habebam: nunc autem hic sæculum est, & occasiones sunt excedendi plurimæ: & si in infirmitatem incurrero, sunt hic qui succurrant, ne propositum monachi perdam.

Pastoris 37. Frater interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Perturbatio mihi fit, & volo derelinquere locum istum. Et dicit ei senex: Pro qua caussa? Et ille dixit: Quia audio verba de quodam fratre, quæ me non ædificant. Et dicit ei senex: Non sunt vera quæ audisti? Et dixit ei: Etiam, pater, vera sunt: nam frater qui dixit mihi, fidelis est. Et respondens dixit: Non est fidelis, qui tibi dixit; nam si esset fidelis, nequaquam diceret tibi talia: Deus autem audiens vocem Sodomorum, non credidit, nisi descenderet & videret oculis suis. Et ille dixit: Et ego vidi oculis meis. Hæc audiens senex, respexit in terram, & tenuit paruam festucam, & dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Festuca est. Iterum intendit senex ad tectum cellæ, & dicit ei: Quid est hoc? Et ille respondit: Trabes est, quæ portat tectum. Et dixit ei senex: Pone in corde tuo, quia peccata tua sic sunt sicut trabes hæc; illius autem fratris de quo loqueris, velut hæc parua festuca. Audiens autem abbas Sisois hunc sermonem, admiratus est, & dixit: In quo te beatum faciam, abbas Pastor? Verumtamen velut pretiosus lapis, ita verba tua gratia & gloria plena sunt.

Gen. 18.

Aliena minuenda peccata, propria aggrauanda.

Eiusdem 38. Venerunt aliquando presbyteri regionis illius ad monasteria vicina, in quibus etiam erat & abbas Pastor; & intrauit abbas Anub, & dixit ei: Rogemus presbyteros istos hodie accipere hic in charitate dona Dei. Ille autem stans diu non dedit ei responsum; abbas verò Anub contristatus exijt. Dixerunt autem abbati Pastori, qui iuxta eum sedebant: Quare non dedisti ei responsum? Et dicit eis abbas Pastor: Ego caussam non habeo; iam enim mortuus sum. mortuus enim non loquitur; non igitur reputetis me, quia hic vobiscum sum.

Pastor vt mortuus conuersatur.

Eiusdem. Ruff. lib. 3. n. 114. 39. Abijt quidam frater aliquando de monasterio abbatis Pastoris in peregre, & applicuit ad quemdam solitarium: erat enim ille habens cum omnibus charitatem, & multi veniebant ad eum. Nuntiauit autem ei frater ille quædam de abbate Pastore: qui audiens virtutem animi eius, desiderauit eum videre. Cùm reuersus autem fuisset frater ille in Ægypto, post aliquantum tempus surgens supradictus solitarius, venit vt peregrinus in Ægyptum ad eumdem fratrem, qui priùs applicuerat apud ipsum: dixerat enim ei, vbi maneret. Videns autem ille, miratus est & valde gauisus. Dixit autem ei ille solitarius: Ostende charitatem quam habes in me, & duc me ad abbatem Pastorem. Et tollens eum, duxit ad senem, & nuntiauit ei de eo, dicens: Quidam magnus homo, & multam charitatem habens, & honorem plurimum in prouinciâ suâ, venit desiderans videre te. Suscepit ergo eum cum gratulatione senex, & salutantes se inuicem resederunt. Cœpit autem loqui peregrinus ille frater de Scripturis sanctis, & de rebus spiritualibus atque cælestibus: abbas autem Pastor auertit faciem suam, & non dedit ei responsum. Videns autem ille quia non loqueretur ei, contristatus exijt, & dicit fratri illi qui eum adduxerat: In vanum iter istud assumpsi; veni ad senem, & ecce nec loqui mecum dignatur. Intrauit autem frater ad abbatem Pastorem, & dicit ei: Abba, propter te venit magnus hic vir, habens tantam gloriam in loco suo, quare non locutus es cum eo? Respondit ei senex: Iste de sursum est, & de cælestibus loquitur; ego autem de deorsum sum, & de terrenis loquor: si ergo mihi locutus fuisset de passionibus animæ, ego vtique responderem ei; si autem de spiritualibus, ego hæc ignoro. Exiens ergo frater dixit illi: Quia senex non citò de Scripturis loquitur, sed si quis ei loquitur de passionibus animæ, respondet ei. Ille autem compunctus intrauit ad senem, & dixit ei: Quid faciam, abba, quia passiones animæ dominantur mei? Et intuens eum senex gaudens, dixit ei: Modò benè venisti, nunc aperiam os meum de his, & implo illud bonis. Ille autem valde ædificatus dicebat: Verè hæc est via charitatis. Et gratias agens Deo, quia tam sanctum virum videre meruit, reuersus est in regionem suam.

Pastor humiliat, terrena se scire, non cælestia.

40. Frater interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Feci peccatum grande, & volo triennio pœnitere. Dixit autem ei abbas Pastor: Multum est. Et dixit ei frater: Iubes annum vnum? Et dixit iterùm senex: Multum est. Qui autem præsentes erant dicebant: Vsque ad quadraginta dies? Senex iterùm dixit: Multum est. & adiecit dicens: Ego puto, quia si ex toto corde homo pœnituerit, & non apposuerit facere iterùm vnde pœnitentiam agat, etiam triduanam pœnitentiam suscipiat Deus. Eiusdem.

Pastor mitius in pœnitentia præscriptione.

41. Interrogauit eum abbas Ammon de immundis cogitationibus, quas cor hominis generat; & de vanis desiderijs. Et dixit ei abbas Pastor: Numquid gloriabitur securis Eiusdem. *Isaiæ 10.*

Quod manus securi, id consensus cogitationi.

securis sine eo, qui incidit cum ipsâ? Et tu ergo non eis porrigas manus, & otiosæ erunt.

EIVSDEM

42. Interrogauit eumdem sermonem abbas Isaias. Dicit abbas Pastor: Sicut capsa plena vestibus, si dimissa fuerit tempore longo, putrefiunt vestes in eâ: ita sunt & cogitationes in corde nostro; si non fecerimus ea corporaliter, tempore longo exterminabuntur & putrefient.

Cogitationes tempore euanescunt.

EIVSDEM

43. Interrogauit abbas Ioseph de eadem re; & dixit abbas Pastor: Sicut quis claudens serpentem vel scorpionem in vase, & obturat eum, procedente tempore omnino moritur: ita malignæ cogitationes, quæ studio dæmonum pullulant, patientiâ eius cui immittuntur paulatim deficiunt.

Cogitationes cordis immoriuntur.

EIVSDEM Ruff. l. 3. n. 45.

44. Interrogauit abbas Ioseph abbatem Pastorem, dicens: Quomodo opus est ieiunare? Et dixit abbas Pastor: Ego volo vt quotidie manducans subinde paululum subtrahat sibi, ne satietur. Dicit ei abbas Ioseph: Ergo quando eras iuuenis, non ieiunabas biduanas leuando? Et dixit ei senex: Crede mihi, quia & triduanas, & hebdomadam; sed & hæc omnia probauerunt senes magni: & inuenerunt, quia bonum est quotidie manducare, per singulos dies parum minus: & ostenderunt nobis viam hanc regalem, quia leuior est & facilis.

Quomodo ieiunandum.

Regalis via ieiunij.

EIVSDEM.

45. Dixit abbas Pastor: Non habites in loco, vbi vides aliquos habentes aduersum te zelum, quia ibi non proficies.

EIVSDEM

46. Frater venit ad abbatem Pastorem, & dicit ei: Semino agrum meum, & facio ex ipso agapem. Dicit ei senex: Bonum opus facis. & discessit cum proposito animi: & adiiciebat ad agapem, quam faciebat. Hoc autem audiens abbas Anub, dixit abbati Pastori: Non times Deum, quia sic locutus es fratri illi? Et tacuit senex. Post duos autem dies misit abbas Pastor ad fratrem illum, & vocauit eum ad se, & dixit ei, audiente abbate Anub: Quid me interrogasti illâ die? quia mens mea alibi erat. Et dixit ei frater: Hoc dixi, quia semino agrum meum, & de hoc quod colligo, ex ipso facio agapem. Et dixit ei abbas Pastor: Putaui quia de fratre tuo illo, qui laicus est, diceres; si autem tu facis hæc, non est opus monachi. Ille autem contristatus est audiens, & dixit: Aliud opus non facio nec scio, nisi hoc; & non possum seminare agrum meum? Cùm autem discessisset, cœpit abbas Anub pœnitentiam agere apud abbatem Pastorem, dicens: Ignosce mihi. Dixit ei abbas Pastor: Ecce ab initio sciebam, quia non est opus monachi, sed secundùm animum eius locutus sum ei, & excitaui animum eius ad profectum charitatis; nunc autem abiit tristis, & tamen istud opus facit.

Quid non sit opus monachi.

EIVSDEM Matth. 5. in Græco.

47. Frater quidam interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Quid est illud quod scriptum est, Qui irascitur fratri suo sine caussâ? Et ille respondit: Ex omni re, quâ te grauare voluerit frater tuus, si irasceris aduersus eum, donec oculum tuum dexterum eiicias, & à te proiicias, sine caussâ irasceris ei: si autem aliquis voluerit te separare à Deo, pro hoc irascere.

Quâ caussâ irascendum.

EIVSDEM.

48. Dixit abbas Pastor: Si peccauerit homo & non negauerit, dicens, Peccaui; non increpes eum, quia frangis propositum animi eius. Si autem dixeris: Non contristeris, frater, sed obserua de cetero; excitas animum eius ad pœnitentiam.

Ad pœnitentias non cogendi sed excitandi delinquentes.

EIVSDEM.

49. Dixit iterùm qui suprà: Bonum est experimentum. Experimento enim homines probatiores sunt.

EIVSDEM. Ruff. li. 3. n. 183.

50. Item dixit qui suprà: Si quis docet aliquid & non facit quod docet, similis est puteo qui omnes ad se venientes satiat & delet sordes, seipsum autem purgare non potest; sed omnis spurcitia & immunditia in eo est.

Docens, & nõ faciens, cui similis.

EIVSDEM.

51. Dixit iterùm ipse: Est homo, qui seipsum agnoscit. Dixit iterùm: Quia est homo, qui videtur ore tacere, cor autem eius condemnat alios; hic ergo sine cessatione loquitur. Est & alius à manè vsque ad vesperam loquens, & taciturnitatem tenet; hoc autem ideò dixit, quia numquam sine audientium vtilitate locutus est.

Quomodo quis loquẽs taciturnitatem teneat.

EIVSDEM.

52. Iterùm dixit: Quia si sunt tres in vnum, ex quibus vnus benè quiescat, alius infirmetur & gratias agat, tertius verò ministret eis ex sincerâ voluntate, hi tres similes sunt, velut etiam si vnius sint operis.

Diuersorũ similia merita.

EIVSDEM. Ruff. li. 3. nu. 79. Pasch. c. 7. n. 3.

53. Iterùm dixit: Malitia nequaquam expellit malitiam: sed si quis tibi malè facit, tu benè fac ei, vt per bonum opus tuum destruas malitiam ipsius.

EIVSDEM

54. Dixit iterùm: Qui querulosus est, monachus non est: qui malum pro malo reddit, monachus non est: qui iracundus est, monachus non est.

Quis monachus non sit.

EIVSDEM.

55. Frater venit ad abbatem Pastorem, & dicit ei: Multæ cogitationes veniunt in animâ meâ, & periclitor in eis. Et eiecit eum senex sub aëre nudo, & dicit ei: Expande sinum tuum & apprehende ventum. Et ille respondit: Non possum hoc facere. Et dicit ei senex: Si hoc non potes facere, nec cogitationes prohibere potes ne introëant, sed tuum est eis resistere.

Cogitationes nõ possũt excludi, sed eludi.

EIVSDEM. Pasch. c. 36. n. 4. tit. Sisois. Append. Mart. n. 7.

56. Frater quidam interrogauit eum dicens: Dimissa est mihi omnis hereditas, quid

facio ex eâ? Et dicit ei abbas Pastor: Vade, & post tres dies veni, & dico tibi. Venit autem sicut præfiniuit, & dicit ei senex: Quid tibi habeo dicere, frater? Si dixero, Da eam in ecclesiam, clerici sibi facient conuiuia ex eâ: si autem dixero, Da eam parentibus tuis; non est tibi merces: si verò dicam, Da pauperibus, securus eris. Quidquid ergo vis, vade, fac: ego caussas non habeo.

Hereditas cum mercede pauperibus erogatur.

EIVSDEM. 57. Dixit iterùm abbas Pastor: Si venerit tibi cogitatio de rebus corpori necessariis, & delegaueris semel; & iterùm venerit, & delegaueris, quid fiat? iam tertiò si venerit, non intendas ei, otiosa est enim.

Quæ otiosa cogitatio.

EIVSDEM. 58. Frater quidam dixit abbati Pastori: Si video rem aliquam, vis vt dicam illam? Dicit ei senex: Scriptum est, Qui responderit verbum antequam audiat, stultitia ei & opprobrium est. Si ergo interrogatus fueris, dic; sin aliàs, tace.

Eccli. 11. Non interrogatus taces.

AMMONIS. 59. Dixit iterùm abbas Pastor, quia dixerat abbas Ammon: Est homo qui portat toto tempore vitæ suæ securim, & non potest deiicere arborem: est autem alter habens vsum incidendi, & in paucis plagis deiicit arborem. Dicebat autem securim discretionem esse.

Discretio securis.

PASTORIS. 60. Iterùm dixit: Voluntas hominis murus est æreus, & lapis percutiens inter ipsum & Deum. Si ergo reliquerit hæc, dic ei & ipse, quod in psalmo scriptum est: In Deo meo transgrediar murum. Et Deus meus impolluta via eius. Si enim iustitia subuenerit voluntati, laborat homo.

Psal. 17.

EIVSDEM. 61. Frater interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Damnum animæ meæ patior, quòd sum cum abbate meo. Quid ergo iubes? Maneo adhuc apud ipsum? Et sciebat abbas Pastor, quia læderetur anima eius per abbatem suum, & admirabatur quare vel interrogabat eum, si manere deberet cum illo. Et dixit ei: Si vis, esto. Et discedens, mansit apud eum. Venit autem iterùm dicens abbati Pastori: Grauo animam meam. Et non dixit ei abbas Pastor: Discede ab eo. Venit tertiò, & dixit: Crede mihi, iam non ero cum eo. Et dicit ei senex: Ecce modò saluatus es, vade, & non sis vltrà cum eo. Dixit enim abbas Pastor eidem: Homo qui vidit damnum pati animam suam, non opus habet interrogare. Etenim de occultis cogitationibus interrogat quis, vt seniores probare possint: de manifestis autem peccatis non est opus interrogare, sed statim abscindere.

Fugienda societas, quâ quis læditur.

EIVSDEM. 62. Interrogauit abbas Abraham, qui erat abbatis Agathonis discipulus, abbatem Pastorem, dicens: Quare me sic dæmones impugnant? Et dicit ei abbas Pastor: Te impugnant dæmones? Non pugnant nobiscum dæmones, quando voluntates nostras facimus: quia voluntates nostræ dæmones factæ sunt, & hæ sunt quæ tribulant nos vt faciamus eas. Si autem vis scire, quales sunt cum quibus dæmones pugnant; cum Moyse & similibus eius.

Dæmones cum quibus pugnent.

MOYSIS. 63. Dixit abbas Pastor, quia frater quidam interrogauerit abbatem Moysem, dicens: Qualis homo mortificat se? homo à proximo suo? Et respondit ei: Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium habet in sepulturâ, non attingit ad hoc verbum.

Ruff. l. 3. n. 102. titul. Incerti. Pasch. c. 43. n. 2. titulo Siluani. Append. Mart. n. 108.

PASTORIS. 64. Frater interrogauit abbatem Pastorem, dicens: Quomodo oportet monachum sedere in cellâ? Et dixit ei senex: Sedere in cellâ, quantum ad id quod in manifesto est, hoc est, vt faciat opus manuum, & semel comedat, & taceat, & meditetur: occultè enim proficere in cellâ, hoc est, vt portet vnusquisque opprobrium suum in omni loco quocumque perrexerit, & vt ministerij horas custodiat, & de occultis non negligat. Si autem contigerit tempus vt vacet ab opere manuum, intret ad ministerium operis Dei, & id sine aliquâ perturbatione consummet. Finis autem horum est, vt comitatum simul conuersantium bonorum teneas, & reuoceris à malorum comitatu.

Societas bona sectanda.

PAMBO. 65. Venerunt aliquandò duo fratres ad abbatem Pampo, & interrogauit vnus ex eis, dicens: Abba, ego biduo ieiuno, & duos paximates manduco; putas saluo animam meam, an seducor? Et alter dixit: Ego colligo de opere manuum mearum duas siliquas diurnas, & parum ex eis retineo ad victum, aliud autem expendo in eleëmosynam; putas saluus ero, an seducor? Et cùm plurimùm rogarent eum, ille non respondebat eis. Post quatuor autem dies cùm discessuri essent, rogabant eos clerici, dicentes: Nolite tristari, fratres, Deus vobis præstabit mercedem: sic est enim consuetudo huius senis, non citò loquitur, nisi Deus ei dederit quod dicat. Intrauerunt ergo ad senem, & dixerunt ei: Abba, ora pro nobis. Et ille dixit eis: Ambulare vultis? Et dixerunt: Etiam. Et intuens eos, in semetipso accipiens opera eorum, scribebat in terram, & dicebat: Pambo biduo ieiunat, & duos paximates manducat; putas in hoc est monachus? Non. Iterùm dicebat: Et Pambo laborat in die duas siliquas, & dat eas in eleemosynam; putas in hoc est monachus? Necdum. Et paululùm reticens, dixit ad eos: Bonum quidem operaris, sed si custodias conscientiam tuam

Pax cum proximo, via salutis.

tuam cum proximo tuo, ita saluaberis. In his ergo sic ædificati fratres, cum gaudio discesserunt.

EIVSDEM. *Non tam dæmon, quàm voluntas mala nos impedit.*

66. Frater quidam interrogauit abbatem Pambo, dicens: Quare me prohibent spiritus quidam facere bona proximis? Dixit ei senex: Non sic loquaris, alioquin Deum mendacem facies; sed dic magis: Omnino misericordiam facere nolo. Præueniens enim Deus dixit: Dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones & serpentes, & super omnem virtutem inimici; cur ergo tu immundos spiritus non conculcas? (Lucæ 10.)

PALLADII. Pallad. epist. ad Lausum titulo Heraclidis in edit. Herueti. *Quomodo discendum & docendum.*

67. Dixit abbas Palladius: Oportet animam secundùm Christi voluntatem conuersantem, aut discere fideliter, quæ nescit; aut docere manifestè, quæ nouit; si autem vtrumque, cùm possit, non vult, insaniæ morbo laborat. Initium enim recedendi à Deo, fastidium doctrinæ est, & cùm non appetit illud quod semper anima esurit quæ diligit Deum.

SISOI. *Passiones qui superandæ.*

68. Frater dixit abbati Sisoi: Quare non recedunt à me passiones? Et dicit ei senex: Quia vasa earumdem passionum intra te sunt, sed da eis pignus suum, & discedent.

SILVANI. (Ioan. 6. Lucæ 10. Ruff. l. 3. n. 55.)

69. Venit quidam frater ad abbatem Siluanum in monte Sinâ, & vidit fratres laborantes, & dixit seni: Nolite operari cibum qui perit; Maria autem optimam partem elegit. Et dicit senex discipulo suo: Voca Zachariam, & mitte fratrem istum in cellam, vbi nihil est. Et cùm facta fuisset hora nona, intendebat ad ostium, si mitterent & vocarent eum ad manducandum; & cùm nemo loqueretur ei, surgés venit ad senem, & dicit ei: Abba, hodie fratres non comederunt? Et dixit ei senex: Etiam iam comederunt. Et dicit ei frater: Et quare me non vocasti? Et respondit senex: Tu homo spiritalis es, & non indiges hoc cibo; nos autem carnales sumus & volentes manducare, propterea operamur manibus nostris, tu verò bonam partem elegisti, legens totâ die, & nolens sumere cibum carnalem. Qui cùm hæc audisset, prostrauit se ad pœnitentiam, dicens: Ignosce mi abba. Et dixit senex: Puto opus habet omnino Maria Martham: per Martham enim Maria laudatur. (*Martha Mariæ necessaria.*)

SYNCLETICAE. *Spiritalis sis negotiator.*

70. Dixit sancta Syncletica: Qui sensibiles diuitias de labore & periculis maris colligunt, quando multa lucrantur, tunc plura desiderant, & quæ habent, velut nihilum reputant; ad ea verò, quæ necdum habent, omnem intentionem animi tendunt. Nos autem & eorum quæ quærenda sunt, nihil habemus, & nolumus possidere quæ necessaria sunt propter timorem Dei.

EIVSDEM.

71. Dixit iterùm: Est tristitia vtilis, & est tristitia quæ corrumpit. Tristitia ergo vtilis est, vt pro peccatis ingemiscamus, & pro ignorantia proximorum, & vt non cadamus à proposito, vt perfectionem bonitatis attingamus: hæ sunt species veræ tristitiæ. Est enim & aduersarij nostri ad hæc quædam coniunctio. Immittit enim tristitiam sine aliquâ ratione, quam tædium appellauerunt. Oportet ergo talem spiritum sæpiùs orando & psallendo magis depellere. (*Duplex tristitia, vna bona, altera mala.*)

EIVSDEM.

72. Dixit iterùm: Est enim ex immissione diaboli extensa dura abstinentia, nam & sequaces eius faciunt hoc: quando ergo discernimus diuinam & regalem abstinentiam à tyrannicâ atque diabolicâ? Manifestum est, quia mediocri tempore conuersationis tuæ vna regula ieiunij sit tibi. Non subitò quatuor aut quinque dies continuos ieiunas, & iterùm multitudine ciborum soluis virtutem? hoc enim lætificat diabolum. Semper enim quod sine mensurâ est, corruptibile est. Noli ergo subitò arma tua expendere, ne nudus inuentus in bello facilè capiaris; arma verò nostra corpus nostrum est, anima verò nostra miles est. Vtrisque ergo diligentiam præsta, vt paratus sis ad id quod necesse est. (*Ieiunium quale lætificans dæmonem.*)

SARAE. *Sara sexu mulier, animo vir.*

73. Venerunt aliquando duo senes de partibus Pelusij ad abbatissam Saram. Et cùm ambularent, dicebant ad inuicem: Humiliemus vetulam istam. Et dicunt ei: Vide ne extollatur animus tuus, & dicas: Quia ecce solitarij viri veniunt ad me, quæ mulier sum. Et dixit eis abbatissa Sara: Sexu quidem mulier sum, sed non animo.

EIVSDEM.

74. Iterùm dixit abbatissa Sara: Si poposcero à Deo, vt omnes homines ædificentur in me, inuenior ante ianuas singulorum pœnitentiam agens; sed magis oro, vt cor meum cum omnibus purum sit.

HYPERICHII.

75. Dixit abbas Hyperichius: Ille est vere sapiens, qui facto suo docet alios, non qui verbis.

MONACHI ROMANI. *Non omnibus æqualis corporis maceratio conuenit.*

76. Venit aliquando monachus quidam ab vrbe Romá, qui in palatio magnum locum habuit, & habitabat in Scithi in vicinitate ecclesiæ; habebat autem secum vnum seruum qui ministrabat ei. Videns autem presbyter ecclesiæ infirmitatem eius, & cognoscens quia de deliciis esset vir ille, id quod ei Dominus donabat, vel quod in ecclesiam intrabat, transmittebat ei. Qui cùm fecisset viginti quinque annis in Scithi, factus est vir contemplator, præuidens & nominatus. Audiens autem quidam de magnis monachis Ægyptiis opinionem eius, venit videre eum, sperans corporalem conuersationem plus apud eum arduam inuenire. Qui cùm intrasset, salutauit eum; &

facientes orationem sederunt. Videns autem Ægyptius vestitum mollibus rebus, & budam de papyro, & pellem stratam sub ipso, & modicum capitale de carticâ sub caput eius, sed & pedes mundos habentem cum caligulis, scandalizatus est intra se de eo, quia in loco illo non erat consuetudo taliter conuersandi, sed magis duram abstinentiam habere consueuerant. Senex autem ille Romanus habens contemplationem siue præuidentiæ gratiam, intellexit quia scandalizatus est intra se de eo Ægyptius monachus, & dicit ministro suo: Fac nobis hodie propter abbatem qui venit, bonam diem. Et coxit parua olera quæ habebat, & surgentes horâ competenti comederũt: habuit etiam & modicum vini propter infirmitatem suam, & illud biberunt. Et cùm factum esset vesperè, dixerunt duodecim psalmos, & dormierunt: similiter autem & nocte. Surgens autem manè Ægyptius dixit ei: Ora pro me. Et egressus est, nõ ædificatus in eo. Et cùm paululùm discessisset, volens eum ille senex Romanus sanare, misit post ipsum & reuocauit eum. Qui cùm venisset, cum gaudio iterùm suscepit eum, & interrogauit eum, dicens: Ex quâ prouinciâ es? Et ille dixit: Ægyptius sum. Et dixit ei: Cuius ciuitatis? Et respondit: Ego omnino non fui de ciuitate, nec habitaui aliquando in ciuitate. Et dixit ei: Antequam monachus esses, quid operabaris in possessione, quâ manebas? Et ille respondit: Custos eram agrorum. Et dicit ei: Vbi dormiebas? Respondit: In agro. Et dixit: Habebas aliquid stratus? Et respondit: Ego in agro habui habere stramenta in quibus dormirem? Et dixit: Et quomodo dormiebas? Respondit: In terrâ nudâ. Et dixit: Quid manducabas in agro, aut quale vinum bibebas? Iterùm respondit: Quæ sunt escæ aut qualis potus in agro? Et dixit: Quomodo ergo viuebas? Respondit: Manducabam panem siccum, & si inueniebam quodcumque de salsamentis, & bibebam aquam. Et dixit senex: Grandis labor. Et dixit: Erat ibi vel balneum in possessione, vbi lauareris? Et ille dixit: Non, sed in flumine lauabar, quando volebam. Cùm ergo hæc omnia ab eo senex responsione eius exegisset, & cognouisset modum prioris vitæ eius atque laboris, volens eum proficere, narrauit ei suam vitam præteritam, quam habebat cùm esset sæcularis, dicens: Me miserum quem vides, de magnâ illâ ciuitate Româ sum, habens in palatio maximum locum apud Imperatorem. Et cùm audisset Ægyptius initia verborum eius, compunctus est, & sollicitè quæ dicebantur audiebat. Et ille adiecit: Reliqui ergo Romam & veni in solitudinem istam. Et iterùm dixit: Me quem vides, habui domos magnas & pecunias multas, & contemnens eas, veni in istam paruam cellam. Iterùm dixit: Me quem vides, lectos vestitos ex auro habui, habentes pretiosissima stramenta; & pro his dedit mihi Deus stramentum hoc de papyro & hanc pellem. Sed & vestes meæ inæstimabili pretio dignæ erant; & pro his vtor has viles rescellas. Iterùm dixit: In prandio meo multum auri expendebatur; & pro illo mihi dedit modica olera hæc & paruulum calicem vini. Erant autem & qui seruiebant mihi plurimi serui, & ecce pro illis vni isti Dominus compunxit, vt seruiret mihi. Pro balneo autem perfundo modico aquæ pedes meos, & caligulis vtor propter infirmitatem meam. Et rursus pro calamis & citharâ vel alio musico opere, quo delectabar in conuiuiis meis, dico mihi duodecim psalmos in die, & duodecim in nocte. Sed & pro peccatis meis, quæ antè faciebam, modò cum requie exhibeo paruum & inutile ministerium Deo. Vide ergo te, abba, vt non scandalizeris propter infirmitatem meam. Et hæc audiens Ægyptius atque in semetipsum reuersus, dixit: Væ mihi, quia ego de multâ tribulatione & plurimo labore sæculi magis ad repausandum in conuersationem monachi veni, & quod non habebam tunc, modò habeo; tu autem multâ ex delectatione sæculi, voluntate propriâ in tribulationem venisti, & ex multâ gloriâ atque diuitiis venisti in humilitatem & paupertatem. Ex quo multùm proficiens discessit, & factus est ei amicus, & sæpè veniebat ad eum suæ vtilitatis causâ: erat enim vir discernens, & repletus bonò odore Spiritus sancti.

Aegyptius in Romani commodu & hospitalitate scãdalizatur.

Tollit Romanus Aegyptij scãdalum.

77. Dicebat senex: Non necesse est verborum tantum: sunt enim plurima verba in hominibus tempore hoc, sed opera necessaria sunt; hoc enim Deus quærit, non verba, quæ non habent fructum. INCERTI.

Opera necessaria, non verba.

78. Frater aliquis interrogauit quosdam patrum: Si polluitur aliquis quando res sordidas cogitat. Et cùm de hoc inquisitio fieret apud eos, alij dicebant: Etiam polluitur: alij dicebant: Non; quia si polluitur, non possumus saluari nos, qui idiotæ sumus; sed hoc pertinet ad salutem, si ea quæ cogitamus, corporaliter non fecerimus. Ille autem frater qui interrogauerat, non sibi sufficere iudicans variam responsionem patrum, abiit ad senem probatiorem, & interrogauit eum de hoc. Et respondit ei senex: Secundùm mensuram vniuscuiusque requiritur ab eo. Rogauit ergo frater ille senem, INCERTI.

senem, dicens: Peto propter Dominum, absolue mihi hoc verbum. Et dicit ei senex: Ecce forte iacet hîc vas aliquod, desiderabile. Et dicit senex: Intrauerunt duo fratres, ex quibus vnus habebat mensuras magnas exercitatæ vitæ, alter verò paruas. Si ergo cogitatio illius perfecti mota fuerit ad aspectum vasis illius, & dixerit intra se: Volebam habere vas istud. & non permanserit in hoc, sed citò absciderit huiusmodi appetitum, non est pollutus: si verò qui necdum ad maiores mensuras attigit, concupierit vas illud, & exercitatus fuerit cum cogitatione suâ desiderio compellente, & tamen non tulerit illud, non est inquinatus.

Immunda cogitatio non inquinat, si citò reijciatur.

SENIS. 79. Dixit senex: Si quis manserit in aliquo loco, & non fecerit fructum loci illius, locus ipse expellit eum, vtpote quia non fecit fructum loci illius.

Qui non fructificat in loco, à loco expellitur.

INCERTI. 80. Dixit senex: Si quis fecerit rem aliquam sequens voluntatem suam, quærens quod non est secundùm Deum, si id tamen per ignorantiam fecerit, posteà oportet eum reuerti ad viam Domini. Qui autem tenet voluntatem suam, non secundùm Deum, & neque ab aliis vult audire, sed velut scitum se putat; qui huiusmodi est, vix perueniet ad viam Domini.

Sibi placēs & sciolus vix ad viā Domini peruenit.

INCERTI. 81. Interrogatus est senex: Quid est, quod legitur, Via angusta & arcta? Et respondit senex, dicens ei: Angusta & arcta via hæc est, vt cogitationibus suis homo violētiam faciat, & abscidat propter Deum voluntates suas. Hoc est etiam quod scriptum est de apostolis: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Matth. 7. *Angusta via quæ.* *Matth. 19.*

INCERTI. 82. Dixit senex: Sicut ordo monachorum honoratior est sæcularibus: ita peregrinus monachus speculum debet esse localibus monachis per omnem modum.

Ordo monachorum honoratior sæcularibus.

INCERTI. 83. Dixit quidam patrum: Si manserit operarius in loco, vbi non sunt operarij, non potest proficere; hæc est enim virtus operarij, certare vt ab opere non minuatur. Nam & piger si manserit cum operario, proficit; & si non proficit, non tamen descendit inferiùs.

Bonum manere cùm proficientibus.

INCERTI. 84. Dixit quidam senex: Quia homo si verbum quidem habeat, opera autem non habeat, assimilatur arbori habenti folia, fructum autem non. Sicut enim arbor fructibus plena etiam foliis viret, ita & sermo consequitur hominem qui habet opera bona.

Homo sine opere arbor sine fructu.

SILVANI. 85. Dixit senex, quia aliquando quidam lapsus in graui peccato, & compunctus ad pœnitentiam, abiit indicare hæc seni cuidam, & non dixit ei quòd fecerat, sed quasi interrogauit, dicens: Si alicui ascendat cogitatio talis, habet salutem? Ille verò, quia nesciebat discretionem, respondit ei: Perdidisti animam tuam. Hoc audiens frater, dixit: Ergo si perij, vado ad sæculum. Pergens autem ille, deliberauit ire & indicare cogitationes suas abbati Siluano: erat enim hic Siluanus magnus discretor. Veniens ergo ad eum frater, non dixit ei quòd fecerat, sed iterùm eo modo, quo & priùs seni illi dixerat; hoc est, Si ascenderint alicui tales cogitationes, habet salutem? Aperiens autem abbas Siluanus os suum, cœpit de Scripturis dicere ei: Non omnino iudicium tantum est de cogitationibus quàm de peccato. Audiens autem frater, & suscipiens virtutem dictorum in animo, sumptâ spe indicauit etiam ei actum suum. Audiens autem abbas Siluanus quòd egerat, tamquam bonus medicus posuit cataplasma animæ eius de diuinis Scripturis assumptum, dicendo, esse pœnitentiam his, qui pro charitate reuerà conuertuntur ad Deum. Post aliquot autem annos contigit abbatem memoratum ad illum senem applicari, qui ei desperationem fecerat, & narrauit ei ista, & dixit: Ecce frater ille, qui de responso tuo desperauerat, & ad sæculum redierat, velut stella splendida est in medio fratrum. Hæc autem ideò retuli, vt sciamus, quale periculum est, quando aliquis siue cogitationis, siue actuum aliquid peccati indicat his, qui discretionem nesciunt.

Siluanus bonus animæ medicus. *Cum discretis conuersandū.*

INCERTI. 86. Dixit quidam senex: Non quia intrant cogitationes malæ in nobis, condemnamur ex eo, sed si malè vtimur cogitationibus. Fit enim, vt per cogitationes naufragium patiamur, & iterùm de cogitationibus coronemur.

A cogitatione naufragium vel corona.

INCERTI. 87. Dixit aliquis senex: Non des & accipias cum sæcularibus hominibus, & non habeas notitiam cum muliere, nec habeas fiduciam diu cum puero.

Ne sit fiducia cum muliere & puero.

INCERTI. 88. Frater quidam interrogauit senem, dicens: Quid faciam, quia multæ cogitationes sollicitant me, & nescio quomodo repugnem eis? Dixit senex: Non repugnes contra omnes, sed contra vnam. Omnes enim cogitationes monachorum vnum habent caput: necessarium ergo est considerare, quæ & qualis sit, & aduersus illam reniti; ita enim & residuæ cogitationes humiliantur.

Caput vnum cogitationum expugnandum.

SENIS. 89. Aduersus cogitationes malas dixit quidam senex: Obsecro, fratres, sicut compressimus actus malos, comprimamus etiam cogitationes.

Vt actus, ita cogitationes comprimenda.

INCERTI. 90. Dixit quidam senex: Qui vult habitare eremum, debet esse doctor, non qui doceri egeat, ne detrimentum sustineat.

Eremita debet esse doctor.

VERBA SENIORVM. Lib. X. DE DISCRETIONE.

INCERTI. *Nulla virtutem prosunt sine humilitate.*

91. Interrogatus est senex à quodam fratre dicente: Quomodo inuenio Deum? vtrùm in ieiuniis, an in laboribus, vel in vigiliis, aut in misericordiâ. Et respondit: In his quæ numerasti, & in discretione. Dico enim tibi; quia multi afflixerunt carnem suam, & quia sine discretione hoc faciebant, abierunt vacui nihil habentes. Os nostrum de ieiunio fœtet, scripturas omnes didicimus: ex corde Dauid consummauimus, & quod Deus requirit non habemus, scilicet humilitatem.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 178. *Auditum etiam non retentum verbum Dei prodest.*

92. Frater interrogauit senem, dicens: Abba, ecce ego rogo seniores & dicunt mihi de salute animæ meæ, & nihil retineo de verbis eorum: quid autem vel rogo eos nihil proficiens? Totus enim sum in immunditiâ. Erant autem duo vasa vacua. Et dixit ei senex: Vade, & aufer vnum ex vasis istis, & mitte in eo oleum, & accende intus stupam, & refunde oleum, & pone vas in locũ suum. Et fecit sic. Et dixit ei: Fac iterùm sic. Et cùm fecisset hoc sæpiùs, dixit ei senex: Affer modò vtraque vasa, & vide quod eorum mundius sit. Et respondit: Illud vbi oleum misi. Cui senex dixit: Sic est & anima de his quæ interrogat. quamuis enim nihil retineat eorum quæ audit, tamen plus ipsa mundabitur, quàm illa quæ omnino nec interrogat quidquam.

INCERTI. *Dæmonibus etiam ad collectã excitantibus nõ obediendum.*

93. Frater sedebat in cellâ suâ quiescens, & volebant dæmones seducere eum sub specie Angelorum, & excitabant eum, vt iret ad collectam, & lumen ostendebant ei: ille autem venit ad quemdam senem, & dixit ei: Abba, veniunt Angeli cum lumine, & excitant me ad collectam. Et dicit ei senex: Non audias eos, fili, quoniam dæmones sunt, & quando veniunt excitare te, dic: Ego quando volo surgo, vos autem non audio. Accipiens autem præceptum senis, reuersus est ad cellam suam. Et sequenti nocte iterùm dæmones secundùm consuetudinem venientes excitabant eum. Ille verò, sicut præceptum sibi fuerat, respondebat eis, dicens: Ego quando volo surgo, vos autem non audio. Et illi dicunt ei: Malus senex ille falsator seduxit te; ad quem venit frater volens mutuare pecuniam: & cùm haberet, mentitus est ei, dicens se non habere, & non dedit ei, ex hoc ergo cognosce quia falsator est. Surgens ergo frater diluculò venit ad senem, & nuntiauit ei hæc ipsa. Senex verò dixit ei: Verum est quia habebam, & quia venit frater volens mutuare, & non dedi ei, sed sciebam, quia si darem ei, damnum animæ ipsius faciebam. Cogitaui ergo vnum mandatum præterire, quàm præuaricari decem, ex quibus ad tribulationem potuissemus venire pro illo, si à me pecuniam accepisset. Tu autem dæmones, qui te seducere volunt, ne audias. Et multùm confortatus de verbis senis, abiit ad cellam suam.

INCERTI. *In opere virtus, non in memoriâ vel libris.*

94. Venerunt aliquando tres fratres ad quemdam senem in Scithi, & vnus ex his interrogauit eum, dicens: Abba, commendaui vetus & nouum Testamentum memoriæ. Et respondit senex, & dixit: Replesti verbis aërem. Et secũdus interrogauit eum, dicens: Vetus & nouum Testamentum ego scripsi per me ipsum. Dixit autem & huic: Et tu replesti fenestras de chartis. Et tertius dixit: Mihi in focularem herbæ ascenderunt. Et respondit senex, & dixit: Et tu expulisti à te hospitalitatem.

INCERTI. *Senex quasi personam Dei sustinens docet.*

95. Narrauerunt quidam patrum de quodam sene magno, quia si veniebat aliquis interrogare eum sermonem, ille cum magnâ fiduciâ dicebat: Ecce ego suscipio personam Dei, & sedeo in sede iudicij, quid ergo vis vt faciam tibi? Si ergo dixeris mihi, miserere mei; dicit tibi Deus. Si vis vt miserear tui, miserere & tu fratribus tuis, & ego misereor tui. Si autem vis vt ignoscam tibi, ignosce & tu proximo tuo. Numquid à Deo est caussa? Absit: sed in nobis est, si volumus saluari.

INCERTI. *Vel leue verbum foris auditum distrahit.*

96. Dicebant de quodam sene in Cellis, quia erat magnus laborator, cùm faceret opus suum, contigit alium quemquam sanctum virum venire ad cellam eius, & audiuit eum de foris litigantem cum cogitationibus, & dicẽtem: Vsquequò propter vnum verbum omnia illa amitto? Ille autem foris stans, putabat quia cum aliquo alio litigaret, & pulsauit vt intraret & pacificaret eos: & ingrediens & videns quia nemo alius erat intrò, habens etiam fiduciam apud senem, dixit ei: Cum quo litigabas, abba? Ille respondit: Cum cogitationibus meis, quia quatuordecim libros memoriæ commendaui, & vnum verbum modicum audiui foris, & cùm venissem facere opus Dei, omnia illa perdidi, & hoc solum, quod foris audieram, venit in memoriâ meâ in horâ ministerij mei, & propterea litigabam cum cogitatione meâ.

INCERTI. *Charitatis officium benignè interpretandum.*

97. Fratres de congregatione venerunt in eremo, & applicuerunt ad quemdam eremitam, & suscepit eos cum gaudio. Et sicut est consuetudo eremitis, vidẽs eos de labore fatigatos, posuit mẽsam extra horã; & quod habuit in cellâ apposuit eis, & repausauit eos. Et quando factum est serò, dixerunt duodecim psalmos, similiter & nocte: cùm autem senex vigilaret, audiuit eos inter se dicen-

dicentes: Quia solitarij viri plus repausant in eremo, quàm nos in congregatione. Manè autem cùm ambulaturi essent ad alium vicinum eius, dixit eis: Salutate eum pro me, & dicite ei; Non adaques olera. Ille autem cùm hoc audisset, intellexit verbum, & tenuit eos vsque serò laborantes ieiunos. Cùm autem serò factum esset, fecit prolixum opus Dei, & posuit ea quæ habebat, & dixit: Cessemus modicè propter vos, quia de labore estis fatigati. Et dixit iterum: Quotidie manducare non solemus, sed propter vos gustemus modicum. Et apposuit eis panem siccum & sal, & dixit: Ecce propter vos festiuitatem habemus hodie; & misit parum aceti in salibus illis. Et surgentes cœperunt psallere vsque manè. Et dixit: Propter vos non possumus adimplere regulam nostram, vt modicè pausetis, quia peregrini estis. Manè autem facto volebant fugere: ille autem rogabat eos, dicens: Manete aliquantum temporis nobiscum; sin aliàs, vel propter mandatum, dies tres secundùm consuetudinem eremi facite nobiscum. Illi autem videntes, quia non relaxaret eos, fugerunt occultè.

Nulli scandalo sit hospitalitas.

Triduum hospitalitatis ex more eremi.

INCERTI. 98. Frater interrogauit quemdam patrem, dicens: Si contigerit grauari me somno, & transierit hora ministerij mei, anima mea præ verecundiâ non vult implere opus suum. Et dixit senex: Si te contigerit vsque manè dormire, quando euigilas, surge, claude ostium & fenestras tuas, & fac opus tuũ; scriptum est enim; Tuus est dies, & tua est nox; in omni enim tẽpore glorificatur Deus.

In omni tempore glorificatur Deus. Psal. 73.

SENIS. Ruff. li. 3. nu 48. Pasch. c. 1. n. 3. 99. Dicebat aliquis senex: Quia est homo comedens multa & adhuc esuriens; est etiam alter homo qui pauca comedit, & satiatur. Maiorem autem habet mercedem ille qui plus comedit, & esuriens manet, ab illo qui parum comedit, & satiatur.

Comedens sobriò quãdo prefertur.

INCERTI. 100. Dixit quidam senex: Si contigerit inter te & alium sermo aliquis tristis, & negauerit ille, dicens: Non dixi sermonem hunc, ne certes cum eo, & dicas: Dixisti; quia exacerbatur, & dicet tibi: Etiam dixi.

Contentio vitanda.

INCERTI. 101. Frater aliquis interrogauit senem, dicens; Soror mea pauper est, si do ei eleëmosynam, non est sicut vnus de pauperibus? Et dixit senex: Non. Dixit autem frater: Quare, abba? Et respondit senex: Quia sanguis ipse trahit te modicum.

Eleëmosyna danda potiùs non consanguineis.

INCERTI. 102. Dixit senex: Quia oportet monachum neq; auditorem esse obtrectantium, neque obtrectari, neque scandalizari.

Obtrectatio fugienda.

SENIS. 103. Dixit quidam senex: Non omnia quæ dicuntur placeant tibi, neque omni sermoni consentias. Tardiùs crede, & quod verum est, citiùs dic.

Tardè credendum.

INCERTI. 104. Dixit quidam senex: Si ascenderit in corde fratris sedentis in cellâ verbum, & reuoluens frater verbum in animo, non potuerit ad mensuram verbi pertingere, neque tractus fuerit à Deo, assistunt ei dæmones, & ostendunt ei de verbo illo, quod ipsi volunt.

Sine Deo nihil possumus.

INCERTI. 105. Dicebant quidam senum: Quando congregabamur initio ad inuicem, & loquebamur aliquid quod vtile esset animabus nostris, efficiebamus seorsum & seorsum, & ascendebamus in cælum: nunc autem congregamur, & in obtrectationibus occupamur, & vnus alterum trahimus in profundum.

Colloquia sint ædificatoria, nõ obtrectatoria.

INCERTI. 106. Dixit alter quidam patrum: Si quidem interior homo noster sobriè agit, potest etiam exteriorem custodire: si verò non est ita, quâ possumus virtute custodiamus linguam.

Ab interiori homine vis ad exteriorem manat.

INCERTI. 107. Item qui suprà dixit: Opus spirituale necessarium est, quia in hoc venimus. Magnus enim labor est ore dicere, quod non fit opere corporali.

Quod ore dicitur, opere complendum.

INCERTI. 108. Alter quidam patrum dixit: Quia omnino oportet hominem habere intra cellam opus, quod laboret: si autem in opere Dei occupatur, venit ad eum diabolus die inter diem, sed non inuenit locum in quo maneat. Si autem rursus dominando ei inimicus in captiuitatem redegerit eum, venit iterùm spiritus Dei frequenter: sed si nos ei non facimus locum propter malitiam nostram, discedit.

Fuga otij.

INCERTI. 109. Descenderunt aliquando monachi de Ægypto in Scithi, vt viderent seniores loci illius. Et cùm vidissent eos extenuatos fame, de nimiâ abstinentiâ impatienter comedere, scandalizati sunt in eis. Hoc autem presbyter agnoscens, voluit sanare eos, & ita dimittere, & prædicauit in ecclesiâ plebi, dicens: Ieiunate & extendite abstinentiam vestram, fratres. Volebant autem Ægyptij, qui illic venerant, discedere, & retinuit eos. Cùm autem ieiunassent primò aporiati sunt; fecerat enim eos biduo ieiunare continuato. In Scithi autem habitantes ieiunauerunt hebdomadam: & facto Sabbato sederunt manducare Ægyptij cum senibus. Turbantibus autem se ad manducandum Ægyptiis, vnus de senibus tenuit manus eorum, dicens: Cum disciplinâ manducate, quomodo monachi. Vnus autem ex Ægyptiis repulit manus eius, dicens: Dimitte me quia morior, totâ hebdomadâ nihil coctum comedi. Et dixit ei senex: Si vos biduo interuallo manducantes ita defecistis, quare in fratribus scandalizati estis, qui semper hebdomadas

Senes Scithi integrâ hebdomadâ ieiunãt.

madas eo ordine leuando abstinentiam seruant. Illi autem pœnitentiam coram eis egerunt, & ædificati in abstinentiâ eorum abierunt cum gaudio.

INCERTI. 110. Frater quidam renuntians sæculo, & accipiens habitum monachi, statim reclusit se, dicens: Solitarius volo esse. Audientes autem vicini seniores, venerunt & eiecerunt eum, & fecerunt circuire cellas fratrum, & pœnitentiam coram singulis agere, & dicere: Ignoscite mihi, quia non sum solitarius, sed adhuc initium monachi nuper assumpsi.

Recèns cõuersus non debet fieri solitarius.

INCERTI. 111. Dixerunt quidam senes: Si videris iuuenem voluntate suâ ascendentem in cælum, tene pedem eius, & proiice eum in terram, quia non ita expedit ei.

Voluntas abdicãda.

INCERTI. 112. Frater dixit cuidam seni magno: Abba, volebam inuenire senem aliquem iuxta voluntatem meam, & morari cum ipso. Et dixit ei senex: Benè quæris, domine meus. Ille autem affirmabat huiusmodi esse desiderium suum, non intelligens quod locutus est senex ille. Sed cùm videret eum senex æstimantem quòd benè sentiret, dixit ei: Ergo si inuenis senem secundùm voluntatem tuam, vis manere cum eo? Et ille dixit: Etiam omnino hoc volo, si inuenero secundùm voluntatem tuam. Dixit ergo ei senex: Non vt tu sequaris voluntatem senis illius, sed vt ille tuam voluntatem sequatur, & ita in eo repauses. Sensit autem frater ille quod dicebat, & surgens prostrauit se ad pœnitentiam, dicens: Ignosce mihi, quia valdè gloriabar, æstimans me benè dicere, cùm nihil tenerem boni.

Iunior senioris se voluntati accommodet.

INCERTI. 113. Duo fratres carnales renuntiauerunt sæculo, quorum vnus, qui ætate minor erat, primus cœperat conuersari: & cùm venisset apud eos quidam patrum, & applicuisset apud eos, posuerunt peluim. Et venit qui minor erat ætate vt lauaret pedes seni: senex autem tenens manum eius remouit eum, & eum qui maior ætate fuerat, fecit implere opus, quod primi in monasterio facere consueuerant. Dixerunt autem ei astantes fratres: Abba, ille minor in conuersatione primus est. Respondit eis senex: Et tollo primatum minoris, & trado ei qui ætate præcedit.

Senex ætati non professioni defert.

SENIS. 114. Dixit quidam senex: Prophetæ conscripserunt libros; patres autem nostri venerunt post eos, & operati sunt in eis plurima: & iterùm successores illorum commendauerunt eos memoriæ. Venit autem generatio hæc quæ nunc est, & scripsit ea in chartis atque membranis, & reposuit in fenestris otiosa.

Scriptura opere complenda.

INCERTI. 115. Dicebat senex: Quia cucullum, quo vtimur signum est innocentiæ: superhumerale, quo humeros & ceruicem alligamus, signum est crucis: zona verò quâ cingimur, signum est fortitudinis. Conuersemur ergo iuxta id quod habitus noster significat, quia omnia cum desiderio facientes, numquam deficiemus.

Mysterium vestis monachorum.

LIBELLVS VNDECIMVS.

De eo, quòd oporteat sobriè viuere.

1. FRATER interrogauit abbatem Arsenium, vt audiret ab eo sermonem. Dixit autem ei senex: Quantacumque tibi virtus est, conare vt interiùs opus tuum secundùm Deum sit, & vincat exterioris hominis passiones. Dixit iterùm: Si quærimus Deum, apparebit nobis; & si tenemus eum, manebit apud nos. ARSENII.

Secundùm Deum interius operandum.

2. Dixit abbas Agathon: Non debet monachus permittere conscientiæ suæ vt accuset eum in quacumque re. Quando autem moriturus erat memoratus abbas Agatho, tres dies mansit immobilis, apertos oculos tenens. Pulsauerunt autem eum fratres, dicentes: Abba, vbi es? Et ille respondit: In conspectu diuini iudicij assisto. Dicunt ei: Et tu times? Et ille dixit: Interim laboraui virtute quâ potui, in custodiendis mandatis Dei; sed homo sum, & nescio vtrùm placuerint opera mea coram Deo. Dicunt ei fratres: Et non confidis de operibus tuis, quia secundùm Deum sint? Et dixit senex: Non præsumo, nisi venero ante Deum; aliter enim sunt iudicia Dei, aliter hominum. Cùm autem vellent eum adhuc interrogare alium sermonem, dicit eis: Ostendite charitatem, & nolite mecum loqui, quia occupatus sum. Quo dicto, statim emisit spiritum cum gaudio. Videbant enim eum colligentem spiritum, quemadmodum si quis salutat amicos suos dilectos. Habuit autem custodiam magnam in omnibus, & dicebat: Quia sine custodiâ ad nullam virtutem ascendit homo. AGATHONIS. Ruff. l. 3. num. 161.

Non fidendum propriis operibus.

3. Dicebant de abbate Ammoys, quia quando ibat ad ecclesiam, non permittebat discipulum suum iuxta se ambulare, sed de longè sequi; sed & si approximasset se ad eum, vt interrogaret eum de quacumque re, mox dicebat ei, & statim repellebat eum retrò, dicens: Ne forte cùm loquimur aliquid de vtilitate animæ, incurrat etiam sermo qui non pertinet ad rem, propterea non te permitto morari iuxta me. AMMOYS.

Ne peccet linguâ, etiam sodali suum timet Ammoys.

4. Dicebat abbas Ammoys abbati Arsenio in initio: Quomodo me vides modò? Et ille dixit: Sicut Angelum, pater. Et ARSENII.

iterùm

Omnis sermo Arsenio gladius. iterùm dixit ei posteà: Nunc quomodo me vides? Et ille dixit: Quomodo satanam, etenim vel si bonum sermonem loquaris, velut gladius mihi est.

ALLOIS. Append. Matt. n. 71 *Vnde requies.* 5. Dixit abbas Allois: Nisi dixerit homo in corde suo, Ego solus & Deus sumus in hoc mundo, requiem non habebit.

EIVSDEM *Possumus vno die proficere.* 6. Dixit iterùm: Quia si vult homo, in vnâ die vsque ad vesperam peruenit ad mensuram diuinitatis.

BESARIONIS. *Monachus, sit totus oculus.* 7. Abbas Besarion moriens dicebat: Debet monachus totus oculus esse, sicut Cherubim & Seraphim.

DANIELIS. 8. Iter agebat aliquando simul abbas Daniel & abbas Ammoys: dixit autem abbas Ammoys: Putas aliquãdo & nos sedebimus in cellâ, pater? Dixit ei abbas Daniel: Quis *Dei præsentia vbique.* enim aufert à nobis Deum? nam & foris Deus est modò, & iterùm in cellâ Deus est.

EVAGRII *Magnum nõ distrahi.* 9. Dixit abbas Euagrius: Magnum est quidem, sine impedimento orare; maius est, psallere sine impedimento.

EIVSDEM. *Nouissimorum memoria.* 10. Idem dixit: Memor esto semper exitus tui, & non obliuiscaris æterni iudicij, & non erit delictum in animâ tuâ.

THEODORI. *Fuga distractionis.* 11. Dixit abbas 37 Theodorus de Ennato: Quia si nobis imputat Deus negligẽtias tẽporis quo oramus, & captiuitates quas patimur dũ psallimus, non possumus salui fieri.

THEONAE. *Deo intentus non ducitur passionibus.* 12. Dixit abbas Theonas: Quia impeditur mens nostra & reuocatur a contemplatione Dei, propterea captiui ducimur in carnalibus passionibus.

IOANNIS. 13. Venerunt aliquando quidam fratrum tentare Ioannem Breuem, quia non dimittebat mẽtem suam diffundi in cogitationibus sæculi, neq; loquebatur caussam huius mundi, & dicunt ei: Gratias agimus Deo, *Ioannes secularia ad spiritualia trahit.* quia multum pluit isto anno, & rigatæ competenter arbores palmarum bene incipiunt producere ramos, & inuenient vnde laborẽt fratres, qui solẽt in manuum suarum operibus occupari. Dicit ergo eis abbas Ioannes: Sic est quando Spiritus sanctus descendit in corda sanctorũ, virescunt quodammodò & innouantur, & proferũt folia in timore Dei.

EIVSDEM. 14. Dicebant iterùm de abbate Ioanne, quia fecerit aliquãdo plectas ad duas sportas, & expenderit eas in vnâ sportâ, & non *Ioannes operãs Deo intentus.* intellexit donec iungeret parieti. Erat enim mens eius occupata in cõtemplatione Dei.

EIVSDEM 15. Senex quidam erat in Scithi, habens quidem tolerantiam corporalem, sed non valdè scrupulosus erat in retinendis quæ audierat. Abiit ergo iste ad abbatem Ioannem Breuem, vt interrogaret eum de obliuione: & audiens ab eo sermonem, rediit in cellam suam, & oblitus est quod dixit abbas Ioannes. Iterùm abiit & interrogauit eum; audiens autẽ ab eo, similiter reuersus est: mox autem vt peruenit ad cellam suam, oblitus est quod audiuit; atq; ita multoties vadens atq; reuertens, dominabatur ei obliuio. Post hæc verò rursus occurrens seni, dixit: Nosti, abba, quia oblitus sum rursus quod dixisti mihi? sed ne tibi molestus essem, ideò non veni. Dixit ei abbas Ioannes: Vade, incende lucernam. Et incendit. & dixit ei: Affer alias lucernas, & incẽde ex eâ. Et fecit sic. Et dixit abbas Ioãnes seni: Ne aliquid læsa est lucerna, quia ex eâ alias incendisti? Et dixit: Non. Ita nec Ioãnes læditur, si tota Scithia veniat ad me, nec impedit me à charitate Dei; quãdo igitur vis, veni nihil hæsitans. Et ita per patiẽtiam vtrorumque, abstulit Deus obliuionem à sene: hoc enim erat opus habitantiũ in Scithi, vt animarent eos qui impugnabãtur à quacumq; passione, & extorquebant sibi laborẽ, vnde inuicem lucrarẽtur bono. *Monachi Scithi alios animant.*

EIVSDEM. 16. Interrogauit frater abbatem Ioannem, dicens: Quid facio, quia frequẽter venit quidã frater, vt tollat me secum ad opus quod laborat, & ego miser sum infirmus, & deficio in tali re: quid ergo de mandato Dei faciam? Respondens senex dixit ei: Caleph filius Iephone, dixit Iesu filio Naue: Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses seruus Domini tecum ad terram istam; & nunc octoginta annorum sum: & quemadmodum tunc eram fortis, ita & nunc valeo intrare & exire ad bellum. Itaq; & tu, si potes, vt sicut ingrederis, ita egrediaris, vade; si autẽ non potes id facere, sede in cellâ tuâ plorans peccata tua. Et si inuenerint te lugentem, nõ te compellent exire. *Iosue 4.* *Non omnia possumus omnes.*

ISIDORI. 17. Dixit abbas Isidorus, qui erat presbyter in Scithi: Ego quando eram iuuenis & sedebam in cellâ meâ, non habebam numerum psalmorũ, quos dicebam in ministerio Dei: nox enim mihi & dies in hoc expẽdebatur. *Nox & dies expensi in psalmis.*

SENIS. 18. Narrauit abbas Cassianus de quodam sene in eremo sedente; quia rogauerit Deum, vt donaret ei, ne dormitaret aliquãdo, cùm spirituales res faceret: si autem detractionis aut odij verba essent, statim in somno corrueret, vt non huiusmodi venenum aures eius exciperent. Hic dicebat, diabolum studiosum esse vt moueret homines in verba otiosa; impugnatorem etiam totius doctrinæ spiritualis. Ad quam rem hoc vtebatur exemplo: Loquente me aliquando de vtilitate animarum ad quosdam fratres, in tantum somno profundo occupati sunt, vt nec palpebras oculorum mouere possent: ego autem volens ostendere opus dæmoniacum esse, otiosarum rerũ verba introduxi: ad quod illi gaudentes, statim somno reluctati sunt. Ego autem ingemiscens dixi: Vsq; nunc de *Senex dormit secularibus, vigilat spiritualibus sermonibus.*

de cælestibus rebus loquebamur, & omnium vestrûm oculi somno grauissimo tenebantur: quando autem sermo otiosus inuentus est, omnes prompti audire cœpistis. Propter quod rogo, charissimi fratres, cognoscentes maligni dæmonis opus esse, attendite vobismetipsis, custodientes vos à somno, quando aliquid spirituale vel facitis vel auditis.

PASTORIS. 19. Abiit aliquando abbas Pastor cùm esset iuuenis ad quemdam senem, vt interrogaret eum tres sermones: Cùm autem peruenisset ad senem, oblitus est vnum ex tribus sermonibus, & reuersus est ad cellam suam. Et cùm tetendisset manum, vt teneret clauem, recordatus est sermonis illius, quem antè fuerat oblitus; & sustulit manum à claui, & reuersus est ad senem: senex autem dixit ei: Accelerasti venire, frater. Et ille narrauit ei, quia cùm tetendissem manum tenere clauem, recordatus sum sermonis, quem quærebam, & non aperui cellam, sed mox ad te sum reuersus. Erat autem longitudo viæ multa nimis. Dicebat autem ei senex: Verè gregum Pastor: nominabitur enim nomen tuum in totâ terrâ Ægypti.

Ardor discendi.

EIVSDEM. 20. Venit abbas Ammon ad abbatem Pastorem, & dicit ei: Si vado ad cellam vicini, aut si ille ad me venerit pro aliquâ re, veremur inuicem, ne incurrat aliqua incompetens fabula, & aliena à proposito monachi. Et dixit ei senex: Benè facis; necessariam enim habet iuuentus custodiam. Dicit ei abbas Ammon: Senes ergo quid faciebant? Et dixit ei: Iam senes proficientes, atque firmati, non habebant in se aliud quid aut peregrinum in ore suo, vt id loquerentur. Et ille dixit: Si ergo fit necessitas cum vicino loquendi, videtur tibi vt de Scripturis cum eo loquar, aut de verbis & sententiis seniorum? Et dicit ei senex: Si non potes tacere, bonum est magis vt de verbis seniorum loquaris, quàm de Scripturis. Periculum est enim non paruum.

Securius de verbis seniorum loqui, quàm Scripturis.

EIVSDEM. 21. Interrogatus est abbas Pastor de inquinamentis, & respondit: Quia si stabilimus actiuam vitam nostram timore Dei, & sobrietate, non inuenimus in nobis inquinamenta.

Timore Dei & sobrietate stabiliendũ cor.

EIVSDEM. 22. Dicebant de abbate Pastore, quia cùm exiturus erat ad opus Dei faciendum, sedebat primus eorum discernens cogitationes suas iugiter vnâ horâ, & sic egrediebatur.

Ante egressum cogitationes discerne.

PAYSIONIS. 23. Dixit abbas Pastor, quia interrogauit quidam abbatem Paysionem, dicens: Quid facio animæ meæ, quia insensibilis facta est, & non timet Deum? Et dixit ei: Vade, & iungere homini timenti Deum: & cùm illi inhæseris, doceberis & tu timere Deum.

Bona societas.

PASTORIS. 24. Dixit iterùm: Quia principium & finis timor Domini: sic enim scriptum est: Initium sapientiæ timor Domini. Et iterùm, quando Abraham perfecit altare dixit ei Dominus: Nunc scio quoniam timeas Deum.

Timor Dei. *Psal. 110.* *Gen. 2.*

EIVSDEM. 25. Dixit iterùm: Discede ab omni homine qui in collocutione incessanter contentiosus est.

Fuge contentiosum.

PETRI. 26. Dixit iterùm: Interrogaui aliquando abbatem Petrum, discipulum abbatis Lot, dicens: Quando sum in cellâ, in pace est anima mea; cùm autem venerit frater aliquis ad me, & retulerit mihi verba eorum quæ foris sunt, turbatur anima mea. Et dixit mihi abbas Petrus, quia dicebat abbas Lot: Clauis tua aperuit ostium meum. Et ego dixi ei: Quod est verbum hoc? Et dixit: Si quis venit ad te, & interrogas eum, Quomodo habes, vnde venis, qualiter agitur circa illos vel illos fratres, susceperunt te an non? tunc aperis ianuam oris fratri tuo, & audis quæ non vis. Et ego dixi ei: Ita est. Sed quid faciat homo, cùm venerit frater ad eum? Et dixit ei senex: In luctu omnino doctrina est: vbi autem luctus non est, impossibile est custodire mentem. Et dixit ei: Quando in cellâ sum, mecum est luctus: cùm autem aliquis ad me venerit, aut cùm egredior de cellâ, non inuenio luctum. Et dixit ei senex: Necdum tibi subiectus est, sed velut ad vsum pro tempore adhibetur. Et dixit ei: Quis est hic sermo? Et dixit mihi: Si laborat homo pro re aliquâ secundùm virtutem, quacumque horâ quæsierit eam ad vtilitatem suam, inuenit eam.

Append. Mart. n. 25 *Clauis silentij.* *Luctus in cellâ quærendus.*

SISOI. 27. Frater interrogauit abbatem Sisoi, dicens: Desidero custodire cor meum. Dicit ei senex: Et quomodo possumus custodire cor nostrum, si lingua nostra ianuam apertam habuerit?

Os, cordis ianua.

SILVANI. 28. Sedente aliquando abbate Siluano in monte Sinâ, discipulus eius volens abire ad quoddam ministerium suum, dixit seni: Dimitte aquam, & riga hortum. Ille autem exiens ad dimittendam aquam tegebat faciem suam de cucullo suo, tantùm ad pedes suos intendens. Contigit autem vt ipsâ horâ quidam superueniret ad eum; & videns eum à longè, considerauit quid fecisset. Et cùm peruenisset ad eum, dixit ei: Dic mihi, abba, vt quid tegebas de cucullo faciem tuam, & sic adaquabas hortum? Et dixit ei senex: Ne viderent oculi mei arbores, &

Oculorum custodia.

& occuparetur mens mea ab opere suo in consideratione earum.

EIVSDEM Ruff. l. 3. n. 175. *Semper homini incipiendum.* 29. Interrogauit abbas Moyses abbatem Siluanum, dicens: Potest homo per omnem diem initium facere conuersationis? Respondit ei abbas Siluanus: Si est homo operarius, potest per diem & per horam inchoare initium conuersationis suæ.

EIVSDEM. *Qui acquiratur prudentia.* 30. Interrogauerunt quidam aliquando abbatem Siluanum, dicentes: In quali conuersatione operatus es, vt acciperes prudentiam istam? Et ille respondens, dixit: Numquam permisi in corde meo cogitationem morari, quæ exacerbabat.

SERAPIONIS. *Intentio in opere Dei.* 31. Dixit abbas Serapion: Quia sicut milites Imperatoris cùm ante ipsum stant, non debent dexterâ aut sinistrâ respicere; ita & monachus cùm stat in conspectu Dei, & intentus est omni horâ in timore eius, nihil est quod eum de aduersarij malis terrere possit.

SYNCLETICAE. *Fures per sensus ingrediuntur.* 32. Dixit sancta Syncletica: Sobriè viuamus, quia per sensus corporis nostri, vel si non velimus, fures ingrediuntur: quomodo enim potest non fuscari domus, si fumus exteriùs ascendens fenestras apertas inuenerit?

EIVSDEM *Dupliciter nobis instant dæmones.* 33. Dixit iterùm quæ suprà: Oportet nos aduersum dæmones vndique armatos existere, quoniam & exteriùs ingrediuntur, & de intrò mouentur: siquidem & anima nostra id patitur. Sicut enim nauis, quæ aliquando exteriùs fluctuum mole opprimitur, aliquando verò interiùs crescente sentinâ demergitur: sic & nos aliquando operum exteriùs commissorum iniquitate damnamur, aliquando verò interiùs nequitiâ cogitationum addicimur: & ideò oportet non solùm exteriùs spirituum immundorum impetus obseruare, verùm etiam interiorum cogitationum immunditiam exhaurire.

EIVSDEM. 34. Dixit iterùm: Non habemus in hoc sæculo securitatem: etenim Apostolo dicente, Qui stat, videat ne cadat: (1. Cor. 10.) in incerto siquidem nauigamus: quia sicut Psalmista dicit: Velut mare est vita nostra. (Psal. 103.) Sed tamen sunt loca in mari, quædam verò periculis plena, quædã autem & tranquilla: (Ruff. l. 3. nu. 123.) nos enim in tranquillâ parte maris nauigare videmur, sæculares verò homines in locis periculosis. Et iterùm nos in die nauigamus, sole iustitiæ nobis præbente ducatum, illi autem in nocte ignorantiæ deportantur. *Via spiritualium & sæcularium diuersitas.* Sed tamen plerumque contingit, vt sæculares illi in tempestate & in obscuro nauigantes, pro metu periculi ad Deum clamando & vigilando saluent nauim suam; nos autem in tranquillitate neglectu ipso demergimur, dum gubernacula iustitiæ derelinquimus.

HYPERICHII. *Cælum cogita.* 35. Dixit abbas Hyperichius: Cogitatio tua semper sit in regno cælorum, & citò in hereditatem accipies illud.

EIVSDEM. *Vita monachi, Angelorum imitatio.* 36. Dixit iterùm: Vita monachi iuxta imitationem Angelorum fiat, comburens atque consumens peccata.

ORSISII. 37. Dixit abbas Orsisius: Puto, quia nisi homo custodierit cor suum, omnia quæ audit & videt, obliuiscetur & negliget. Denique sic inimicus inueniens in eo locum, supplantat eum: sicut enim lucerna oleo & [38] lychino præparata lucet, si autem per negligentiam non acceperit oleum, paulatim extinguitur, atque ita inualescunt tenebræ aduersus eam: sed & mus veniens ad eam, volensque [39] myxum eius comedere priusquam perfectè extinguatur, non potest propter calorem ignis; si autem viderit quòd nec lumen habet, nec calorem iam retinet ignis, tunc volens trahere myxum eius, deiicit etiam ipsam lucernam in terram: quæ si testea fuerit, minutatur; si ærea, à domino suo reparatur. *Qui torpescit, paulatim cadit.* Ita etiam si neglexerit anima, paulatim recedit ab eâ Spiritus sanctus, donec perfectè extinguatur calor eius; atque ita inimicus consumit & deuorat propositum animæ illius, sed & corpus nequitiæ exterminat. Si autem quis per affectum quem habet in Deo, bonus fuerit, simpliciter autem ad negligentiam raptus fuerit, Deus, qui misericors est, excitat in eo mentem suam, & memoriam pœnarum, quæ in futuro sæculo peccatoribus præparantur, & curat vt sobrius sit, & custodiat se de cetero cum magnâ cautelâ, vsque ad tempus visitationis suæ.

SENIS. Ruff. l. 2. nu. 116. Pasch. c. 11. n. 5. *Etiam sæculo mortuus ne confidat.* 38. Venit quidam senex ad alium senem; & cùm loquerentur, vnus ex eis dixit: Ego mortuus sum huic sæculo. Alter verò dixit ei: Ne confidas in temetipso, donec exeas de corpore isto: nam si dicis de te quia mortuus es, satanas autem mortuus non est.

ARSENII *Conscientiæ examen bis in die.* 39. Dixit quidam senex: Debet monachus quotidie manè & serò cogitare in semetipso, quid fecit eorum quæ vult Deus, & quæ non fecit. Et ita tractantem omnem vitam suam pœnitentiam agendo monachum esse oportet: sic enim abbas Arsenius vixit.

INCERTI. *Aurum perditum reinueniri potest, non ita salus.* 40. Dixit senex: Quia si quis aurum vel argentum perdidit, potest reinuenire pro eo quod perdidit.

INCERTI. *Monachus sibi certet.* 41. Dixit senex: Sicut miles & venator proficiscentes ad propositum sibi laborem, non cogitãt vtrùm vulneretur aliquis, an illæsus maneat alter; sed vnusquisque pro se solo certat: ita oportet & monachum esse.

42. Di-

VERBA SENIORVM. Lib. XI. DE SOBRIETATE.

Deo proximus non læditur. Zach. 1. 42. Dixit senex: Sicut nemo potest lædere eum qui ad latus Imperatoris est, ita neque satanas potest aliquid nos nocere, si anima nostra inhæserit Deo: scriptum est enim: Appropinquate mihi & appropinquabo vobis: sed quia frequenter extollimur, facilè rapit inimicus miseram animam nostram in ignominiâ passionis.

INCERTI. 43. Frater dixit cuidam seni: Nihil pugnæ video in corde meo. Et dixit ei senex: Tu sic es velut quadrigemina porta, vt quicumque voluerit intret vnde voluerit in te, & vnde voluerit exeat, & tu non intelligis quæ aguntur. Nam si haberes ianuam & clauderes eam, nec permitteres intrare per eam cogitationes malas, tunc videres stantes foris, & pugnantes aduersum te. *Instar portæ quadrigemina est, qui existimat se non impugnari.*

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 165. 44. Dicebant de quodam sene, quia quando ei cogitationes suæ dicebant: Dimitte hodie, iam crastino pœnitebis; contradicebat eis ille dicens: Non, sed hodie pœnitentiam ago; crastino autem fiat voluntas Domini. *Hodie pœnitendum.*

INCERTI. 45. Dixit senex: Nisi exterior noster homo se sobriè gesserit, impossibile est custodire interiorem. *Exterius te custodi.*

INCERTI. 46. Dicebat senex: Quia tres virtutes satanæ, quæ præcedunt vniuersa peccata: prima obliuionis, secunda negligentiæ, tertia concupiscentiæ. Etenim si obliuio venerit, generat negligentiam: de negligentiâ verò concupiscentia nascitur: de concupiscentiâ verò corruit homo. Si enim ita est sobria mens, vt obliuionem respuat, ad negligentiam non venit: & si non neglexerit, concupiscentiam non recipit: si verò concupiscentiam non recipit, numquam cadet opitulante Christi gratiâ. *Tres antecursores satanæ, obliuio, negligentia, concupiscêtia.*

INCERTI. 47. Dixit quidam senex: Taciturnitati operam da, & nihil vanum cogites, & intende meditationi tuæ siue quiescens vel surgens cum timore Dei. & hæc faciens, malignorum impetus non timebis. *Quis non timeat maligni impetus.*

INCERTI. 48. Dixit senex cuidam fratri: Diabolus est inimicus, & tu domus. Inimicus ergo non cessat iactare super te quidquid sordidum inuenerit, effundens in te vniuersas immunditias. Tuum est autem, non negligere vt proiicias foris, quæ ille iactauerit: nam si neglexeris, replebitur tibi domus sordibus, & nequaquam valebis intrare in eam, sed ab initio, quæ ille iactauerit, tu eiice paulatim, & manebit domus tua munda per gratiam Christi. *Domus cõscientiæ semper purganda.*

INCERTI. 49. Dixit quidam senum: Quando cooperiuntur oculi animalis, tunc circuit ad molendinum; sin autẽ discoopertos habuerit oculos, non ambulat in circuitu molæ: sic enim & diabolus, si occurrerit cooperire oculos hominis, in omne peccatum humiliat eum; quòd si non fuerint clausi oculi eius, faciliùs potest effugere ab eo. *Cæcitas peccantiũ.*

INCERTI. 50. Dicebant senes: Quia in monte abbatis Antonij sedebant septem monachi tempore dactylorum, & vnus ex eis abigebat ab eis volucres: erat autem ibi senex, qui in die quâ eum dactylos custodire contingebat, clamabat, dicens: Discedite ab intrò malæ cogitationes, & de foris aues. *Cogitationes vt aues abigendæ.*

INCERTI. 51. Frater quidam in Cellis infundebat palmulas suas; & cùm sedisset facere plectas, dicit ei cogitatio sua, vt iret ad quemdam senem visitare eum. Et iterùm cogitans in semetipso, dicebat: Post paucos dies vadam. Et rursum dicebat ei cogitatus suus: Si inter hæc moriatur, quid facies? Sed vadam modò vt loquar ei, propter æstiuum tempus. Et iterùm dixit intra se: Sed non est modò tempus. Iterùm autem cogitauit, dicens: Sed cùm incideris scirpum ad mattas fit tempus. Et rursum dixit: Extendo palmulas istas & tunc vado. Rursus dixit in semetipso: Sed hodie bonum aërem facit. Et surgens reliquit palmas infusas, & tollens melotem suam, ibat. Erat autem senex quidam vicinus ei, vir præuidens: qui cùm vidisset eum cum impetu ambulantem clamauit, dicens: Captiue, captiue vbi curris? veni huc ad me. Qui cùm venisset, dixit ei senex: Reuertere in cellam tuam. Ille autem frater narrauit ei fluctus, quos pertulerat in cogitationibus suis, & ita reuersus est ad cellam suam. Et cùm ingressus fuisset in eam, prostrauit se, & pœnitentiam egit. Hoc autem facto, voce magnâ subitò dæmones clamauerunt, dicentes: Vicisti nos, monache, vicisti nos. Et facta est matta eius supra quam iacebat, velut ab igne vstulata: dæmones autem velut fumus exterminati sunt: sicque frater ille didicit versutias eorum. *Frater discessum è cellâ semper procrastinans saluatur.*

INCERTI. Ruff. l. 3. nu. 159. 52. Dicebant de quodam sene, quia moriebatur in Scithi, & circumdederunt fratres lectum eius, & vestierunt eum, & cœperunt flere: ille autem aperuit oculos suos & risit, & adiecit iterùm ridere. hoc autem factum est tertiò. Quod cùm viderent fratres, rogauerunt eum, dicentes: Dic nobis, abba, quare nobis flentibus tu rides? Et dixit eis: Primò risi, quia vos timetis mortem: secundò risi, quia non estis parati: tertiò autem risi, quia ex labore ad requiem vado, & vos ploratis. Hoc cùm dixisset, statim vtpote moriens clausit oculos. *Senex lætus & ridens moritur.*

INCERTI. 53. Venit aliquando frater manens in cellâ ad vnum de patribus, & dixit ei, quia à cogitatione suâ affligeretur. Et dixit ei senex:

nex: Tu proiecisti in terrâ ferramentum magnum, quod est timor Dei, & accepisti in manu tenere arundineam virgam, hoc est cogitationes malas. Accipe ergo magis tibi ignem, qui est timor Dei. Et quando approximabit tibi cogitatio mala, velut calamus igne timoris Dei comburetur: neque enim præualet malitia aduersus eos qui habent timorem Dei.

Timor Dei velut ignis comburit arundinetum cogitationum.

INCERTI. 54. Dixit quidam patrum: Nisi prius odio habueris, non potes diligere. Nisi ergo oderis peccatum, non facies iustitiam, sicut scriptum est: Declina à malo, & fac bonum. (Psal. 36.) Verumtamen in omnibus his propositum animi vbique requiritur. Adam enim in paradiso consistens, præuaricatus est mandatum Dei: Iob autem in stercore sedens, custodiuit. Vnde constat quia propositum bonum quærit Deus ab homine, vt semper teneat eum.

LIBELLVS DVODECIMVS.

De eo, quòd sine intermissione & sobriè debet orari.

ARSENII. Ruff. l. 3. num. 211. *Perseuerantia in oratione.*

1. DICEBANT de abbate Arsenio, quia vesperè Sabbati lucescente Dominicâ, relinquebat post se solem, & extendebat manus suas ad cælum orans, donec manè die Dominico illustraret ascendens sol faciem eius, & sic residebat.

AGATHONIS. *Maximus labor, orare.*

2. Interrogauerunt fratres abbatem Agathonem, dicentes: Pater, quæ virtus in conuersatione plus habet laboris? Et dixit eis: Ignoscite mihi, quia puto non esse alium laborem talem, qualem orare Deum: dum enim voluerit homo orare Deum suum, semper inimici dæmones festinant interrumpere orationem eius, scientes quia ex nullâ re impediuntur, nisi per orationem fusam ad Deum. Siquidem omnem alium laborem, quem homo in religiosâ conuersatione positus assumpserit, quamuis instanter & toleranter agat, habet tamen & possidet aliquam requiem: oratio autem vsque ad vltimam exhalationem opus est, vt habeat laborem magni certaminis. (*Semper orandum.*)

BESARIONIS. *Besarion per 14. dies iugiter orat.*

3. Narrauit abbas Dulas, qui fuit discipulus abbatis Besarionis, dicens: Veni aliquando in cellam abbatis mei, & inueni eum stantem ad orationem: & manus eius erant extensæ in cælum. Permansit autem hoc faciens iugiter per quatuordecim dies. Et post hæc vocauit me, & dixit: Sequere me. Et exeuntes perreximus in eremo; cùm sitirem dixi ei: Abba, sitio. Ille autem melotem tollens discessit à me, quantum iactus est lapidis: & factâ oratione attulit eam plenam aquâ. Et abiuimus in ciuitatem Lyco, & venimus ad abbatem Ioannem: & salutantes eum, fecimus orationem. Deinde sedentes cœperunt loqui de visione quam viderant. Dixit abbas [illegible]sarion: Quia exiuit præceptum à Domi[illegible], vt destruantur templa. Et factum est, & destructa sunt.

EVAGRII. *Diabolus orationem impedire nititur.*

4. Dixit ab[illegible]agrius: Si deficis animo, ora. Ora a[illegible]em cum timore, & tremore, & labore, sobriè & vigilanter. Ita oportet orare, maxime propter malignos & ad nequitias vacantes inuisibiles inimicos nostros, qui nos in hoc præcipuè impedire nituntur.

EIVSDEM. *Contra cogitationes gladius lacrymarum exacuendus.*

5. Dixit iterum: Quando cogitatio contraria in corde venerit, noli alia pro aliis per orationem quærere, sed aduersus eum qui te impugnat, gladium lacrymarum exacue.

EPIPHANII. *Semper orandum vel psallendum.*

6. Mandatum est sanctæ memoriæ Epiphanio episcopo Cyprio, ab abbate monasterij sui, quod habuit in Palæstinâ: Quia orationibus tuis non neglegimus regulam, sed cum sollicitudine tertiam, sextam, nonam atque vesperam celebramus. Ille autem reprehendens eum, mandauit ei: Constat vos vacare ab oratione ceteris horis; eum autem qui verus est monachus, oportet sine intermissione orare, aut certè psallere in corde suo.

ISAIAE. *Quidam manducans orat.*

7. Dixit abbas Isaias: Quia presbyter Pelusij cùm faceret agapem, & fratres in ecclesiâ comederent & loquerentur sibi ad inuicem, increpans eos dixit: Tacete, fratres; ego enim scio vnum fratrem manducantem vobiscum, & oratio eius ascendit in conspectu Dei velut ignis.

IOSEPH. *Feruor orationis.*

8. Venit abbas Lot ad abbatem Ioseph, & dixit ei: Abba, secundùm virtutem meam facio modicam regulam, & paruum ieiunium, & orationem, & meditationem, & quietem, & secundùm virtutem meam studeo purgare cogitationes meas: quid ergo debeo de cetero facere? Surgens ergo senex, expandit manus suas in cælum, & facti sunt digiti eius velut decem lampades ignis, & dixit ei: Si vis, efficiêre totus sicut ignis.

LVCII. Ruff. l. 3. n. 212.

9. Venerunt aliquando ad abbatem Lucium in Ennato monachi quidam, qui dicebantur [40] Euchitæ, hoc est orantes: & interrogauit eos senex, dicens: Quod est opus manuum vestrarum? Et illi dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum, sed sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus. (1. Thess. 5.) Dicit eis senex: Et non manducatis? Illi autem dixerunt: Etiam manducamus. Et dicit eis senex: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? Et iterum interrogauit eos, dicens: Non dormitis?

VERBA SENIORVM. Libell. XIII. DE HOSPITALITATE.

Et illi dixerunt: Dormimus. Et dixit senex: Et cùm dormitis, quis pro vobis orat? Et non inuenerunt quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: Ignoscite mihi, fratres, quia ecce non facitis sicut dixistis: ego autem ostendam vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro. *Quomodo sine intermissione orandum.* Sedeo enim iuuante Deo, infundens mihi paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. *Psal. 50.* Et dixit eis: Oratio est, an non? Et dixerunt ei: Etiam. Et ille dixit: Quando permansero totâ die laborans & orans corde vel ore, facio plus minus sedecim nummos, & pono ex eis ad ostium duos, & residuos manduco. Qui acceperit illos duos denarios, orat pro me tempore quo ego manduco vel dormio: atque ita per gratiam Dei impletur à me quod scriptum est: Sine intermissione orate. *1. Thess. 5.*

10. Interrogauerunt quidam abbatem Macarium, dicentes: Quomodo debemus orare? *MACARII. Ruff. l. 3. nu. 207.* Et dixit ei senex: Non opus est multum loqui in oratione, sed extendere manus frequenter, & dicere: Domine sicut vis & scis, miserere mei. *Modus orandi Macarij.* Si autem instat bellum in animo, dicere: Adiuua me. Et quia ipse scit quæ expediant, facit misericordiam nobiscum.

11. Dicebant de abbate Sisoi, quia nisi citò deponeret manus suas quando stabat ad orationem, rapiebatur mens eius in superioribus. *SISOI. Sisoi sæpè rapiebatur in ecstasim.* Si ergo contingebat cum eo aliquem fratrem orare, festinabat citò deponere, ne raperetur mens eius & moraretur.

12. Dicebat aliquis senex: Quia assidua oratio citò corrigit mentem. *INCERTI.*

13. Dicebat quidam patrum: Quia sicut impossibile est vt videat quis in aquâ turbidâ faciem suam; sic & anima, nisi purgata fuerit à cogitationibus alienis, contemplatiuè non potest orare Deum. *INCERTI. Animâ purgatâ orandum.*

14. Venit quidã senex aliquando in monte Sinâ: & cùm exiret inde, occurrit ei frater in viâ, & ingemiscens dicebat seni illi: Affligimur, abba, propter siccitatem, quia nobis non pluit. *INCERTI.* Et dixit ei senex: Quare non oratis & rogatis Deum? Et ille dixit: Et orationem facimus, & deprecamur assiduè Deum, & non pluit. Et dixit senex: Credo quia non oratis attentiùs. Vis autem scire, quia ita est? Veni, stemus pariter ad orationem: & extendens in cælum manus orauit, & statim pluuia descendit. *Oratione senex pluuiam impetrat.* Quod cùm vidisset frater ille timuit, & procidens adorauit eum: senex autem statim fugit illinc.

15. Narrauerunt fratres, dicentes: Quia venimus aliquando ad quosdam senes, & cùm ex more facta fuisset oratio, salutantes inuicem sedimus. *INCERTI.* Et postquam locuti sumus, cùm discederemus, poposcimus vt fieret rursus oratio. Dixit autem vnus illorum seniorum ad nos: Quid enim, non orastis? Et nos diximus: Etiam. Sed quando intrauimus, pater, tunc est facta oratio, & ex illâ horâ vsque modò locuti sumus. *Colloquens quidam sapiùs orat.* Et ille dixit: Ignoscite mihi, fratres, quia vobiscum sedens quidam frater, & loquens, centum & tres orationes fecit. Hoc cùm dixisset, factâ oratione dimiserunt nos.

LIBELLVS DECIMVSTERTIVS.

De eo, quòd oporteat hospitalem esse, & misericordem in hilaritate.

1. PERREXERVNT aliquando quidam patrum ad abbatem Ioseph in Panepho, vt interrogarent eum de susceptione fratrum, qui superueniunt ad eos, si deberent sibi relaxare abstinentiam suam cum ipsis, & congaudere eis. *IOSEPH. Ruff. l. 3. n. 47.* Et priusquam interrogarent eum, dixit senex discipulo suo: Considera quod facio hodie, & exspecta: & posuit duo sedilia de scirpo in fasciculis ligata, vnum à dextrâ & vnum à sinistrâ; & dixit: Sedete. & intrauit in cellam suam, & vestiuit se res vetustas. Et exiens transiuit in medio eorum: & iterùm intrauit & vestiuit se rescellas suas, quas priùs habuerat. Et egressus iterùm sedit in medio eorum. *Ioseph cum gaudio suscipiendos fratres hospites parabolâ demonstrat.* Illi autem stupentes in id quod fecerat senex, interrogauerunt eum quid hoc esset. & dixit eis: Vidistis quid feci? Dixerunt: Etiam. Et ille dixit: Ne mutatus sum ego pro contumeliosâ veste? Et dixerunt: Non. Et ipse dixit iterùm: Ne læsus sum de meliori veste? Et dixerunt: Non. Et ille dixit: Sic ego ipse sum in vtrisque; & sicut priori veste mutatus non sum, nec sequenti læsus sum; ita debemus in susceptione fratrum facere, sicut in sancto Euangelio legitur: Date quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. *Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 20.* Quando ergo est præsentia fratrum, cum gaudio debemus suscipere eos; quando verò soli sumus, opus habemus lugere. Illi autem audientes, admirati sunt: quia quæ in corde eorum erant vt interrogarent eum, priùs agnouit, & glorificauerunt Deum.

2. Dixit abbas Cassianus: Quia venimus à Palæstinâ in Ægypto ad quemdam patrum. *CASSIANI. Cassian. lib. 5. Instit. c. 24.* Et cùm hospitalitatem nobis impendisset, interrogauimus eum: Quare tempore susceptionis fratrum regulã ieiunij non custoditis, sicut & in Palæstinâ fit? *Senex ob hospites ieiunium soluit.* Et respondens dixit: Ieiunium semper mecum est, vos hîc

hîc semper tenere non possum: & ieiunium quidem quamuis vtilis & necessaria res sit, in nostrâ voluntate est; charitatis autem plenitudinem lex Dei exigit à nobis. Vnde suscipiens in vobis Christum, debeo exhibere quæ charitatis sunt cum omni sollicitudine: cùm autem dimisero vos, regulam ieiunij possum recuperare: quoniam non possunt filij sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus, cùm autem ablatus fuerit ab eis, tunc ex suâ potestate ieiunant. *Matth. 9.*

EIVSDEM. 3. Dixit iterùm qui suprà: Quia venimus ad alium senem, & fecit nos gustare, & hortabatur nos satiatos adhuc sumere cibum: & cùm dixissem, quia iam non possum, ille respondit: Ego iam superuenientibus diuersis fratribus sexies mensam posui; & dum singulos hortor, etiam ego ipse manducaui, & adhuc esurio: tu verò hîc semel manducans ita satiatus es, vt iam manducare non possis? *Sexies senex caussâ hospitum comedit.*

MOYSIS. 4. Factum est aliquando in Scithi mandatum, vt ieiunarent illâ hebdomadâ, & facerent Pascha; contigit autem vt in ipsâ hebdomadâ venirent ad abbatem Moysem fratres quidam ab Ægypto; & fecit eis modicum pulmentum: & cùm vidissent vicini fumum, dixerunt clericis ecclesiæ quæ illic est: Ecce Moyses soluit mandatum, & coxit apud se pulmentum. Illi autem dixerunt: Quando venerit, loquemur ei nos. Facto autem Sabbato, videntes clerici magnam côuersationem abbatis Moysis, dicunt ei coram omni plebe: O abbas Moyses, mandatum quidem hominum soluisti, sed Dei mandata fortiter alligasti. *Moyses ieiunium ex hospitalitate itinerantibus laxat.*

PASTORIS. Append Matt. n. 43 5. Frater quidam venit ad abbatem Pastorem in secûdâ hebdomadâ Quadragesimæ, & dicens ei cogitationes suas, atque responsione eius inueniens requiem; dicit ei frater ille: In modico impediri habui, ne venirem ad te hodie. Et dixit ei senex: Quare? Et ille dixit: Metuebam ne propter Quadragesimam mihi non aperiretur. Et respondit ei abbas Pastor: Nos non didicimus ianuam ligneam claudere, sed magis linguæ ianuam cupimus clausam habere. *Lingua ianua claudenda.*

EIVSDEM. 6. Frater quidam dixit abbati Pastori: Si dedero fratri meo modicum panis aut aliquid aliud, dæmones polluunt illud, vt videatur ad placendum hominibus fieri. Et dixit ei senex: Et si ad placendum fiat tale opus, nos tamen fratribus debemus præbere quæ egent. Dixit autem ei parabolam talem. Duo homines erant agricolæ, habitantes in vnâ ciuitate: & vnus ex eis seminâs, collegit pauca & sordida; alius autem negligens seminare, nihil omnino collegit. Si ergo fiat fames, quis duorum potest euadere? Et respondit frater ille: Qui fecit, quamuis parum atque immundum. Et dixit ei senex: Ita & nos seminemus pauca, etsi immunda, ne famis tempore moriamur. *Propter vanã gloriam opus bonum non relinquendum.*

INCERTI. 7. Frater quidam venit ad quemdam solitarium; & cùm egrederetur ab eo, dixit: Ignosce mihi, abba, quia impediui regulam tuam. Ille respondit, & dixit ei: Mea regula est, vt recipiam te in hospitalitate, & cum pace dimittam. *Regula charitatis.*

INCERTI. Ruff. l. 3. num. 150. Pasch. c. 18. n. 1. 8. Solitarius quidam habitabat non longè à congregatione fratrum, operationes faciens plurimas: contigit autem quosdam venire in monasterio illo, vbi congregatio erat, & diuertentes ad solitarium illum, fecerunt eum extra horam manducare. Posteà verò dixerunt ei fratres illi: Non contristaris, abba? Et ille respondit eis: Mea tristitia est, si propriam fecero voluntatem. *Non tristetur, qui propriam non facit voluntatẽ.*

INCERTI. 9. Dicebant de quodam sene in Syriâ, qui iuxta viam eremi habitabat, & hoc erat opus eius, vt quacumque horâ veniret monachus de eremo, cum fiduciâ faciebat eum reficere. Venit ergo aliquando vnus solitarius, & ille petebat ab eo vt gustaret. Qui cùm nollet gustare, dicens: Ego ieiuno. Contristatus senex, dixit ei: Ne prætermittas puerum tuum, obsecro te, ne despicias me, sed veni oremus, ecce enim arbor hîc est, cum quo curuante genu & orante inclinata fuerit, ipsum sequamur. Curuauit ergo ille solitarius genu in oratione, & nihil factum est. Flexit etiam senex ille, qui eum susceperat, genu, & statim curuata est etiam arbor illa cum ipso: quod cùm vidissent, gauisi sunt, & gratias egerunt Deo semper mirabilia facienti. *Arbor diuinitus inclinata, hospitalis senis charitatem prodit & probat.*

INCERTI. 10. Venerunt aliquando duo fratres ad quemdam senem: consuetudo autem erat seni, non manducare quotidie. Qui cùm vidisset fratres, gaudens suscepit eos, & dixit: Ieiunium suam mercedem habet. Et iterùm: Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet; quoniam voluntatem propriam dereliquit, & mandatum impleuit reficiens fratres. *Manducare charitatis quid sit.*

INCERTI. 11. Erat quidam senum in Ægypto, habitans in deserto loco: erat etiam alter longè ab eo Manichæus, & hic erat presbyter ex his, quos ipsi vocabant presbyteros. Qui cùm vellet pergere ad quemdam eiusdem erroris hominem, comprehendit eum nox in illo loco, quo erat vir ille sanctus & orthodoxus, & anxiabatur volens pulsare, vt maneret apud eum; sciebat enim quia cognosceret quòd esset Manichæus, & reuocabatur à cogitatione suâ, ne forte non acquie-

VERBA SENIORVM. Libell. XIII. DE HOSPITALITATE.

quiesceret suscipere eum: compulsus autem necessitate pulsauit. Et aperiens senex, & cognoscens eum, suscepit cum hilaritate, & coëgit eum orare, & reficiens eum collocauit vbi dormiret: Manichæus autem cogitans in se nocte, mirabatur, dicẽs: Quomodo nullam suspicionem habuit in me? vere iste seruus Dei est. Et surgens manè cecidit ad pedes eius, dicens: Ab hodie orthodoxus sum, & non recedam à te. Et deinceps permansit cum eo.

Senex charitate Manichæum lucratur.

INCERTI. 12. Monachus quidam Thebæus accepit gratiam ministerij à Deo, vt singulis indigentibus ministraret quod necessarium esset. Contigit autem aliquando in quodam vico, vt faceret agapem; & ecce mulier quædam venit ad eum, vt acciperet, & hęc erat vestita vetustissimas res: quam cùm vidisset ita vetustis rebus indutam, impleuit manum vt daret ei multum; clausa est manus eius, & leuauit parum. Alia verò venit ad eum, vestita benè: & videns eius vestes, misit manum vt daret ei parum; & aperta est manus eius, & leuauit multum. Et requisiuit de vtrisque mulieribus illis, & cognouit quia illa quæ bonis vestibus vtebatur, de honestis mulieribus ad paupertatem peruenerit, & quia pro opinione natalium suorum bonis fuerit rebus induta; illa verò alia accipiendi caussâ vestierit se res vetustas.

Eleëmosyna in verè mendicis miraculo firmata.

INCERTI. 13. Monachus quidam erat habens fratrem sæcularem pauperculum, & quidquid laborabat præbebat ei: sed quantum ille præbebat, tantum ille pauperior fiebat. Pergens autem monachus ille indicauit hæc seni cuidam. Senex autem dixit ei: Si me vis audire, vltra nihil præbeas ei, sed dic ei: Frater, quando habui præbui tibi: tu ergo modò labora, & ex eo quod laboraueris, præbe mihi, & quidquid tibi attulerit, accipe ab eo: & vbi scis peregrinum aut senem pauperem, da illud, & roga eos vt orent pro eo. Ille autem frater hæc audiens, fecit ita: & veniente ad se illo sæculari fratre, locutus est ei quemadmodum dixerat senex, & discessit tristis. Et ecce quadam die tollens de horto minuta olera attulit ei: accipiens autem frater ille, dedit senibus, & rogauit eos vt orarent pro eo. Qui cùm accepissent benedictionem, reuersus est in domum suam. Posteà verò iterùm attulit olera & tres panes: & accipiens frater eius fecit sicut priùs. Et consecutâ benedictione iterùm discessit. Tertiò veniens attulit multas expensas, & vinum, & pisces. quod cùm vidisset frater eius, miratus est, & vocauit pauperes, & refecit eos. Dixit autem illi sæculari fratri suo: Ne opus habes aliquantos panes? Et ille dixit: Non, domine: quoniam quando aliquid accipiebam à te, velut ignis intrabat in domum meam, & consumebat illud; nunc autem quando à te nihil accipio, superabundo, & Deus benedicit mihi. Pergens autem frater, indicauit omnia quæ facta fuerant seni. Et dixit ei senex: Nescis quia opus monachorum ignis est, & vbicumque ingreditur, consumit? Hoc autem vtile est fratri tuo, vt de labore suo misereatur, & orationem à sanctis viris accipiat: & ita benedictionem consequens, multiplicabitur labor eius.

Monachi munera consanguineis non prosunt.

Eleëmosynam dans monachis dicatur.

Res monachi data sæcularibus sunt ignis consumens.

INCERTI. 14. Dicebat quidam senum: Quia est quidam faciens multa bona frequenter, & diabolus mittit ei scrupulositatem in animo pro paruis rebus, vt aliorum omnium, quæ facit, mercedem amittat. Sedente enim me aliquãdo in Oxyrincho cum quodam presbytero qui faciebat multas eleëmosynas, venit quædam mulier vidua postulans ab eo modicum tritici. Et dixit ei: Vade, affer modium, & mensuro tibi. Et attulit ei. Ille autem mensurans modium ad manum, dixit ei: Maior est; & fecit verecundiam viduæ illi. Cùm verò discessisset vidua illa, dixi ego: Abba, mutuasti viduæ isti triticum, aut quid? Et ille dixit: Non, sed donaui illi. Ego autem dixi: Ergo si totum gratis dedisti, quomodo in modico sic scrupulosus esse voluisti, & fecisti verecundiam mulieri?

Eleëmosyna sine mensurâ danda.

INCERTI. 15. Senex quidam cum alio vno fratre habebat communem vitam: erat enim senex ille misericors. Contigit autem vt fieret fames, & cœperunt quidam venire ad hospitium eius, vt acciperent agapem: senex verò omnibus venientibus ministrabat panem. Videns autem frater quod fiebat, dicit seni: Da mihi partem meam de panibus, & quod vis fac de parte tuâ. Senex verò diuisit panes, & faciebat more solito eleëmosynam de parte suâ. Multi autem concurrebant ad senem, audientes quia omnibus daret. Videns autem Deus propositum voluntatis eius, benedixit panes. Frater autem ille, qui acceperat partem suam, & nulli dabat, consumpsit panes suos, & dixit seni: Quoniam modicum est, quod adhuc habeo de panibus meis, abba, suscipe me ad communem vitam. Et dixit ei senex: Quomodo vis, facio. Et cœperunt iterùm simul esse & communiter viuere. Factâ autem iterùm egestate victualium, veniebant iterùm indigentes, vt acciperent agapem. Contigit autem vnâ die, vt intraret frater ille, & videret quia defecerant panes. Venit autem & pauper postulans agapem.

Danti datur, & abundat.

agapem. Senex ergo dixit fratri illi: Da ei panem. Et dixit: Iam non habeo, pater. Et dixit senex: Intra, & quære. Ingressus autem frater, attendit & vidit repositionem, in quâ panes haberi solebant, repletam panibus. Quod cùm vidisset, timuit; & tollens dedit pauperi: atque ita cognoscens fidem & virtutem senis, glorificauit Deum.

LIBELLVS DECIMVSQVARTVS.

De Obedientiâ.

ARSENII.

BEATÆ memoriæ abbas Arsenius dixit aliquando abbati Alexandro: Quando perexpenderis palmulas tuas, tunc veni & gustemus; si autem aliqui peregrini superuenerint, comede cum eis. Abbas autem Alexander leniùs & modestè operabatur. Et cùm facta fuisset hora manducandi, supererat adhuc de palmulis suis: volens autem custodire mandatum senis, sustinuit donec explicaret palmas; abbas autem Arsenius cùm videret quia tardaret, gustauit, existimans quia fortè ei peregrini superuenerint, & cum ipsis gustauerit. Abbas autem Alexander posteaquam explicauit vespere, perrexit ad abbatem Arsenium. & dixit ei abbas Arsenius: Peregrinos aliquos habuisti? Et dixit: Non. Et ille dixit: Quare ergo non venisti? Et respondit: Quia dixisti mihi, Quando defecerint palmæ, tunc veni. Ego autem habens sermonem tuum in animo, non veni, quia modò compleui opus. Et admiratus est senex scrupulositatem obedientiæ eius, & dixit ei: Citiùs disiungere ab opere tuo, vt & ministerium psallendi facias, & aquam tibi implere occurras; alioquin citiùs debilitabitur corpus tuum.

Scrupulositas obedientiæ.

AREM.

2. Venit abbas Abraham ad abbatem Arem; & cùm sederent simul, superuenit quidam frater, & dixit abbati Arem: Dic mihi, quid faciam vt saluari possim. Et dicit ei senex: Vade, toto anno isto vesperè manduca panem & sal; & veni iterùm, & loquor tibi. Qui pergens fecit ita. Completo autem anno, venit iterùm frater ad abbatem Arem. Contigit autem vt rursus inueniretur apud eum abbas Abraham. Et iterùm senex fratri illi: Vade, ieiuna anno isto, & post biduum manduca. Qui cùm discessisset, dixit abbas Abraham abbati Arem: Quare omnibus fratribus leue iugum imponis, istum verò fratrem graui sarcinâ onerasti? Et dixit ei senex: Alij fratres quomodo veniunt quærere ita & discedunt; hic verò quia propter Deum venit audire verbum, operarius autem est magnus, & quidquid ei dixero, cum omni sollicitudine facit, propterea & ego loquor ei verbum Dei.

Vnius anni silentium.

Cur fratrem grauiter onerat Arem.

IOANNIS. Simile hic lib 4 c. 12. ex Sulpitio.

3. Narrauerunt de abbate Ioanne breuis staturæ, quia perrexit ad quemdam senem Thebæum genere, commorantem in Scithi, qui sedebat in eremo. Tollens autem aliquando abbas eius lignum siccum, plantauit, & dixit ei: Per dies singulos mitte ei ad pedem eius lagenam aquæ, donec fructum faciat. Erat verò longè ab eis aqua, vt à sero pergeret, & manè rediret: post tres autem annos viruit lignum illud, & fructum fecit. Sumens autem ex fructu eius senex, attulit ad ecclesiam, & dixit fratribus: Accipite & manducate fructum obedientiæ.

Lignum aridum ex obedientiâ viret.

IOANNIS. Ruff. li. 3. nu. 67. Pasch. c. 2. n. 1.

4. Dicebant de Ioanne qui fuit discipulus abbatis Pauli, quia magnæ obedientiæ fuerit. Erat autem in quodam loco memoria, & habitabat in eâ leæna pessima. Videns autem senex circa ipsum locum stercora leænæ ipsius, dixit Ioanni: Vade, & affer stercora illa. Et ille dixit ei: Et quid facio, abba, propter leænam illam? Senex autem subridens dixit ei: Si venerit contra te, liga illam, & affer huc. Perrexit ergo frater illic vesperè, & ecce venit leæna super ipsum: ille autem secundùm verbum senis impetum fecit super eam, vt teneret illam. Fugit autem leæna, & sequebatur eam ille, dicens: Exspecta, quia abbas meus dixit, vt ligem te; & tenens eam alligauit. Senex autem exspectando eum diutiùs sedebat, & tribulatione affligebatur: & ecce tardè venit, & habebat leænam illam ligatam. Quod cùm vidisset senex, admiratus est: volens autem humiliare illum, cecidit eum, & dixit: 41 Bauose, canem fatuum adduxisti mihi? Soluit autem eam statim senex, & dimisit redire ad locum suum.

Obediens leænam securus adducit.

MARCI. Ruff. l. 3. nu 143.

5. Dicebant de abbate Siluano, quòd habuerit in Scithi discipulum, nomine Marcum, & hic fuerit magnæ obedientiæ, quique etiam scriptor antiquarius erat: diligebat autem eum senex propter obedientiam suam. Habebat etiam alios vndecim discipulos, qui contristabantur quòd diligebat eum plus eis. Quod cùm audissent vicini senes, quia senex plus eum ceteris diligebat, molestè tulerunt. Vnâ autem die venerunt ad eum: quos assumens secum abbas Siluanus, egressus est de cellâ suâ, & cœpit singulorum discipulorũ suorum cellas pulsare, dicens: Frater ille, veni, quia opus te habeo. Et vnus ex his non est mox secutus eum. Venit autem ad cellam Marci, & pulsauit, dicens: Marce. Ille autem cùm audisset vocem senis, statim exiuit foris, & misit

Marcus antiquarius valdè obediẽs.

Promptissima obedientia.

eum ad quoddam ministerium. Abbas ergo Siluanus dixit senibus: Vbi sunt ceteri fratres? Et ingressus est in cellam Marci, & inuenit quaternionem, quem eadem horâ inchoauerat, in quo litteram O faciebat. Et auditâ voce senis, non fixit, nec gyrauit calamum vltrà, vt impleret & clauderet litteram quam in manus habebat. Et dixerunt senes: Vere, abba, quem tu diligis, & nos diligimus, quoniam & Deus diligit eum.

EIVSDEM. 6. Venit aliquando mater supradicti Marci, vt videret eum, & habebat secum plurimum obsequium: ad quam cùm exisset senex, dicit ei illa: Abba, dic filio meo, vt exeat ad me, vt videam eum. Ingrediens autem senex, dixit ei: Egredere, vt videat te mater tua. Ille autem vestitus erat saccum scissum & recusutum pannis, & caput atque facies eius tincta fumo & fuligine coquinæ: qui propter obedientiam abbatis egressus est quidem, sed clausit oculos suos, & ita salutauit matrem suam, vel eos qui venerant cum ipsâ, dicens: Sani estote. Et nemo ex eis, nec mater sua cognouit quia ipse esset: quæ iterùm misit ad senem, dicens: Abba, mitte filium meum, vt videam eum. Et dixit Marco: Non dixi tibi, Egredere, vt videat te mater tua? Et dixit ei Marcus: Egressus sum iuxta verbum tuum, pater; verumtamen rogo te, ne mihi illud dicas, vt exeam, ne inobediens tibi videar esse. Egressus senex, dixit matri eius: Ipse est qui exiuit ad vos, & salutauit vos, dicens: Salui estote. Et consolatus est eam, & ita discedere fecit.

Marcus clausis oculis matrem salutat.

PAMBO. 7. Venerunt aliquando quatuor fratres de Scithi ad abbatem Pambo vestiti pelliceas tunicas, & indicauit vnusquisque virtutem alterius, non præsente eo de quo loquebatur. Vnus namque ex eis ieiunabat multùm, alter verò nihil possidebat, tertius autem habebat charitatem plurimam; de quarto verò dixerunt, quia viginti duos annos haberet in obedientiâ permanens seniorum. Respondit autem ei abbas Pambo: Dico vobis, quia istius virtus maior est quàm ceterorum: quoniam vnusquisque vestrûm virtutem quam possidet, voluntate propriâ eam retinuit; hic autem suam voluntatem abscindens, alienæ voluntatis se seruum fecit. Tales enim viri confessores sunt, si vsque ad finem ita permanserint.

Obedientiæ præcellentia.

Obediens verus confessor ob mortificationem propriæ voluntatis.

SISOI. 8. Venit quidam ad abbatem Sisoi Thebæum, volens fieri monachus. Et interrogauit eum senex, si quid haberet in sæculo. Et ille dixit: Habeo vnum filium. Et dicit ei senex: Vade iacta eum in flumine, & tunc fies monachus. Qui cùm abiisset proijcere eum, misit senex vnum de fratribus, qui prohiberet eum. Qui cùm tenuisset iactare puerum, dicit ei frater: Quiesce, quid facis? Et ille respondit: Abbas mihi dixit, vt proiiciam eum. Et dixit ei frater: Sed iterùm abbas dicit: Ne proiicias eum. Ille autem relinquens filium suum venit ad senem, & factus est probatissimus monachus per obedientiam.

Verè obediens nec proprio filio parcit.

SYNCLETICÆ. 9. Dixit sancta Syncletica: Quia in congregatione manentes cuilibet continentiæ obedientiam magis præponimus: quoniam continentia arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur.

Obedientia continentiæ præfertur.

EIVSDEM. 10. Dixit iterùm quæ suprà: Oportet nos cum discretione animam gubernare, & in congregatione manentes, non quæ nostra sunt quærere, neque seruire propriæ voluntati; quoniam velut exilio relegantes nos tradidimus vni secundùm fidem patri à rebus sæcularibus alienati. Vnde ergo egressi sumus, nihil vlteriùs requiramus: illic enim gloriam habuimus, illic abundantiam ciborum, hîc autem etiam panis ipsius inopiam.

Monacho velut in exilio viuendum.

HYPERICHII. 11. Dixit abbas Hyperichius: Quia ministerium monachi est obedientia, quam qui possidet, quod poscit, exaudietur, & cum fiduciâ Crucifixo astabit: etenim Dominus sic venit ad crucem, factus scilicet obediens vsque ad mortem.

Obedientia ministerium monachi.

INCERTI. 12. Dicebant senes: Quia si habet quis in aliquo fidem, & tradit se ei ad subiectionem, non debet attendere in mandatis Dei, sed patri suo spirituali omnem voluntatem suam committere: quia illi per omnia obediens, non incurret peccatum apud Deum.

Perfectè obediens non intendit in mandata Dei, sed superioris.

INCERTI. 13. Dicebat senex: Quia ista quærit Deus à Christianis, vt obediat quis Scripturis diuinis, quoniam inde accipiet loquendorum & agendorum formam, & vt consentiat præpositis & patribus orthodoxis.

Scriptura loquendorum & agendorum forma.

INCERTI. 14. Frater quidam de Scithi vadens ad messem, applicuit ad quemdam senem magnum, & dicit ei: Dic mihi, abba, quid faciam pergens ad metendum? Dicit ei senex: Et si tibi dixero, acquiesces mihi? Respondit ei frater: Etiam, obedio tibi. Dixit ei senex: Si mihi acquiescis, surgens vade, & renuntia messioni huic; & veni, & dico tibi quid facias. Ille autem frater renuntiauit messuræ, & venit ad senem. Dixit autem ei senex: Intra in cellam tuam, & fac quinquaginta dies continuos; semel comedens in die panem cum sale: & iterùm indicabo tibi aliam rem. Et fecit sic, & iterùm venit ad senem. Senex autem sciens, quia

quia vir operarius esset, dixit ei quomodo oporteret esse in cella sua. Et descendens frater in cella sua, prostrauit se pronus in terram tres dies & tres noctes, plorans in conspectu Dei. Posthæc verò cùm dicerent ei cogitationes suæ: Exaltatus es, magnus factus es: ipse temperans vitia cogitationum suarum, humiliter reuocabat culpas suas in conspectu suo, dicens: Et vbi sunt omnia illa peccata mea quæ feci? Si autem in cogitatione eius ascendebat, quia multum neglexerit de mandato Dei; dicebat & ipse intra se: Sed exhibebo paruum seruitium Deo meo, & credo quia faciet mecum misericordiam. Hoc igitur modo euincens spiritus malarum cogitationum, post ea apparuerunt ei visibiliter, dicentes: Turbati sumus à te. Et dicit eis: Quare? Et dixerunt: Quia si te exaltamus, recurris ad humilitatem; si verò nos te humiliamus, tu te erigis in altum.

Conflictus vanæ gloriæ cum humilitate.

15. Dicebant senes: Quia nihil sic quærit Deus ab his qui primitias habent conuersationis, quomodo obedientiæ laborem.

INCERTI. *In nouitiis præcipuè quæritur obedientia.*

16. Senex quidam solitarius habuit quemdam ministrum manentem in possessione. Contigit autem semel, vt tardante ministro, deficerent necessaria seni. Et cùm tempus intercessisset, & non veniret minister ille, defecerunt quæ necessaria habebat senex ad victum, & quod operaretur manibus suis. Qui cùm affligeretur non habendo quod laboraret, neque vnde viueret, dixit discipulo suo: Vis vt vadas ad possessionem illam, & voces nobis ministrum, qui solet afferre quæ opus sunt nobis? Et ille respondit: Quomodo iubes facio. Differebat adhuc senex, non præsumens mittere fratrem. Et cùm diu sustinerent & tribularentur non veniente ministro, dixit iterùm senex ad discipulum suum: Vis ire vsque ad possessionem, & adducere eum? Et ille respondit: Quid vis facio. Timebat etiam & discipulus ille descendere ad possessionem, ne scandalizaretur aliunde: sed ne inobediens esset patri suo, acquieuit abire. Dixit ei senex: Vade & crede in Deum patrum tuorum, quia proteget te ab omni tentatione; & facta oratione direxit eum. Veniens autem frater in possessionem, requisiuit vbi maneret minister ille; & inuenit hospitium eius. Contigerat autem eum cum suis omnibus extra possessionem inueniri, excepta vna filia eius. Quæ pulsantem fratrem vt audiuit, venit ad ostium & aperuit ei. Et cùm interrogaret eam de patre suo, illa hortata est eum, vt intraret hospitium, simul etiam & trahebat eum. Ille verò non acquiescebat intrare. Sed cùm diu eum cogeret, præualuit introducere eum ad se. Et complexa eum cœpit eum illicere ad commixtionem corporis sui: ille autem videns trahi se ad luxuriam, & cogitationibus confundi, ingemiscens clamabat ad Deum, dicens: Domine, propter orationes patris mei libera me in hora ista. Et cùm hoc dixisset, subitò inuentus est ad flumen pergens ad monasterium; & restitutus illæsus ab abbatem suum.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 144. *Sæculi periculum timendum.* *Obediens oratione superioris euadit periculum.*

17. Duo fratres carnales venerunt habitare in monasterio quodam: ex quibus vnus erat præclaræ continentiæ, alter obedientiæ magnæ. Cui dicebat pater: Fac hoc, & faciebat: Et fac illud, & faciebat: Manduca manè, & manducabat. De qua re magnam opinionem in monasterio habebat, quia ita obediens existebat. Punctus autem inuidiæ mucrone frater eius ille continens aduersus eum, dixit in semetipso: Ego probo istum si habet obedientiam. Et accedens ad patrem monasterij, dixit ei: Mitte mecum fratrem meum, vt eamus alicubi. Et dimisit eos abbas abire. Et assumens eum ille frater abstinens, voluit eum tentare. Et cùm venissent ad flumen, vbi erat multitudo crocodilorum, dicit ei: Descende in flumen & transi. Et ille mox descendit: venerunt autem crocodili, & lingebant corpus eius, in nullo lædentes eum. Quod cùm vidisset frater eius, dixit ei: Ascende de flumine. Et cùm iter agerent, inuenerunt corpus humanum iacens in via. Et dixit abstinens ille ad fratrem suum: Si habuissemus aliquid vetustum, iactaremus super corpus illud. Et respondens ille obediens frater, dixit: Magis oremus, & forsitan resurget. Et stantes ad orationem, atque orantes intentè, surrexit mortuus ille. Quo facto gloriabatur ille abstinens frater, & dixit: Pro continentia mea suscitatus est mortuus hic. Omnia autem hæc reuelauit Deus abbati monasterij eorum; & qualiter tentauerit fratrem suum, de crocodilis, & quomodo suscitatus est mortuus. Et cùm venissent in monasterium, dixit abbas abstinenti illi: Quare ita fecisti fratri tuo? Et ecce tamen pro obedientia eius, mortuus ille surrexit.

DVORVM FRATRVM Ruff. l. 3. n. 145. *Frater fratri in arduis obediens.* *Obediens mortuum suscitat.*

18. Alter quidam sæcularis vitæ, habens tres filios, renuntiauit sæculo, & venit ad monasterium, relinquens filios suos in ciuitate. Et cùm fecisset tres annos in monasterio, cœperunt ei cogitationes suæ filios ad memoriam frequenter adducere, & contristabatur pro eis valdè: neque enim dixerat abbati, filios se habere. Videns autem eum abbas tristem, dicit ei: Quid habes quòd tristis es? Et narrauit ei, quia tres

INCERTI.

 filios

filios haberet in ciuitate, & quia vellet eos ad monasterium eius adducere: præcepit autem abbas, vt adduceret eos. Qui cùm perrexisset ad ciuitatem, inuenit duos ex eis iam esse defunctos, vnum verò solummodò remansisse. Quem assumens venit ad monasterium: & requirens abbatem, non eum inuenit illic. Interrogauit autem fratres, vbi esset abbas. Et illi dixerunt: Vsque ad pistrinum perrexit. Ille verò tollens filium suum quem adduxerat, abiit in pistrinum. Et videns eum abbas venientem, salutauit. Et tenens infantem quem adduxerat, amplexatus est eum. Et dicit patri eius: Amas eum? Et ille dixit: Etiam. Rursum dixit ei: Omnino diligis eum? Et respondit: Etiam. Hæc audiens abbas, posteà dixit ei: Tolle ergo, si amas eum, & mitte in furnum, sic modò cùm ardet furnus. Et tenens pater filium suum, iàctauit eum in furnum ardentem. Statim autem factus est furnus velut ros: ex quâ re acquisiuit gloriam in tempore illo, quemadmodum Abraham patriarcha.

Pater filiū ex obedientiâ in furnū iactat.

Rorescit furnus ex obedientiâ.

Incerti. Ruff. l. 3. nu. 141. *Obediens præfertur solitario.*

19. Dixit quidam senex: Quia frater, qui ad obedientiam patris spiritalis animum dederit, maiorem mercedem habet, quàm ille qui solus in eremo recesserit. Dicebat autem: Quia narrauit aliquis patrum vidisse se quatuor ordines in cælo: quorum primus ordo erat hominum infirmorum & gratias agentium Deo: secundus ordo hospitalitatem sectantium, & instanter ministrantium eis: tertius ordo in solitudine conuersantium & non videntium homines: quartus ordo eorum qui ad obediendum spiritualibus patribus se subiiciunt propter Deum. Vtebatur autem ordo obedientium torque aureâ & coronâ, & maiorem quàm alij gloriam habebat. Et ego dixi ei, qui mihi ostendebat omnia hæc: Quomodo iste ordo, qui paruus est, maiorem quàm alij gloriam habet? Et ille respondens dixit mihi: Quia qui hospitalitatem sectantur, secundùm propriam voluntatem idipsum faciunt. Similiter & qui in eremo se relegant, arbitrio suo de sæculo recesserunt. Hic autem ordo, qui se ad obediendum dedit, omnes voluntates suas abiiciens, pendet ad Deum & ad iussionem patris spiritualis, propterea & maiorem gloriam aliis habet. Quapropter, ô fili, bona est obedientia, quæ propter Deum fit. Intendite ergo, filij, virtutis huius aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni cælorum inuentrix est. Obedientia cælos aperiens, & homines de terrâ eleuans est. Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum omnium cibus est. Ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.

Aureola obedientia.

Obedientiæ elogia.

LIBELLVS DECIMVSQVINTVS:

De Humilitate.

Antonii

1. Abbas Antonius, deficiens in consideratione profunditatis iudiciorum Dei, postulauit, dicens: Domine, quomodo aliqui in paruo tempore vitæ suæ moriuntur, & aliqui vltra decrepitam veniunt senectutem: & quare quidam egestuosi sunt, alij autem facultatibus ditantur: & quomodo iniusti opulenti sunt, iusti verò paupertate premuntur? Et venit ei vox, dicens: Antoni, ad teipsum intende; hæc enim iudicia Dei sunt, & te scire ea non conuenit.

Sibi intendendum.

Eiusdem. *Semper tētatio timēda.*

2. Dixit abbas Antonius abbati Pastori: Hoc est magnum opus hominis, vt culpam suam super seipsum vnusquisque ponat coram Domino, & exspectet tentationem vsque ad vltimum vitæ suæ tempus.

Eiusdem. *Humilitas euadit diaboli laqueos.*

3. Dixit iterùm abbas Antonius: Vidi omnes[42] laqueos inimici tensos in terrâ, & ingemiscens dixi: Quis putas transiet istos? Et audiui vocem dicentem: Humilitas.

Eiusdem

4. Venerunt aliquando senes ad abbatem Antonium, & erat cum eis etiam abbas Ioseph. volens autem abbas Antonius probare eos, mouit sermonem de Scripturis sanctis. Et cœpit interrogare à iunioribus, quid esset hoc vel illud verbum. Et singuli dicebant prout poterant. Ille autem dicebat eis: Nec dum inuenistis. Post eos verò dixit abbati Ioseph: Tu quomodo dicis esse verbum hoc? Ille respondit: Nescio. Et dixit abbas Antonius: Vere abbas Ioseph solus inuenit viam, qui se nescire respondit.

Nesciens cæteris sapientior.

Arsenii

5. Astiterunt aliquando abbati Arsenio dæmones in cellâ sedenti, & tribulabant eum: superuenerunt autem fratres, qui ministrare solebant ei; & stantes extra cellam audiebant eum clamantem ad Dominum, & dicentem: Domine, non me derelinquas, quia nihil boni feci coram te. Sed præsta mihi, Domine, secundùm benignitatem tuam, saltem modò habere bene viuendi principia.

Auxilium Dei contra dæmones inuocandū.

Eiusdem. Ruff. l. 3. n. 37.

6. Dicebant autem de eo qui suprà, quia sicut dum in palatio esset, nemo melioribus vestibus eo vtebatur: ita & dum in conuersatione moraretur, nemo eo viliùs tegebatur.

Eiusdem.

7. Cùm interrogaret aliquando abbas Arsenius quemdam senem Ægyptium de cogita-

cogitationibus suis, alius videns eum dixit: Abba Arseni, quomodo tu, qui tantæ eruditionis in Latinâ & Græcâ linguâ edoctus es, rusticum istum de cogitationibus tuis interrogas? Et ille respondit: Latinam quidem & Græcam eruditionem, quantum ad sæculum, apprehendi; sed alphabetum rustici istius necdum discere potui.

Alphabetum rustici ignorat doctus Arsenius.

EIVSDEM. 8. Dicebant senes, quia dederint quidam aliquando in Scithi fratribus paucas caricas, & pro hoc quòd paucæ erant, non transmiserunt ex eis abbati Arsenio, ne velut iniuriam pateretur. Ille autem cùm hoc audisset, non est egressus iuxta morem ad opus Dei cum fratribus celebrandum, dicens: Excommunicastis me, vt non mihi daretis eulogiam, quam transmisit Dominus fratribus, ex qua ego non fui dignus accipere. Quod cùm audissent omnes, ædificati sunt in humilitate senis; & vadens presbyter portauit ei de caricis illis, & adduxit eum in congregatione gaudentem.

Eulogiam etiam paruam expetit Arsenius.

EIVSDEM. 9. Dicebant autem de eo, quia nemo potuerit comprehendere modum conuersationis eius. Sedente eodem abbate Arsenio aliquando in inferioribus partibus Ægypti, cùm illic importunitates pateretur, visum est ei derelinquere cellam suam; & nihil ex eâ tollens secum, dixit discipulis suis Alexandro & Zoilo: Tu Alexander ascende nauim, & tu Zoile veni mecum vsque ad flumen, & quære mihi nauiculam in Alexandriam nauigantem, & ita nauigabis etiam tu ad fratrem tuum. Turbatus autem Zoilus in verbo isto, tacuit, atque ita diuisi sunt ab inuicem. Descendit autem senex circa partes Alexandriæ, & ægrotauit ægritudine magnâ. Discipuli autem eius dicebant ad inuicem: Putásne aliquis nostrûm contristauit eum, & propterea diuisus est à nobis? Et non inueniebant in se ingratitudinis caussam, neque quia inobedientes ei aliquandò fuissent. Cùm verò sanus factus fuisset senex, dixit ad seipsum: Vadam ad patres meos. Et ita venit in locum qui dicitur Petra, vbi erant supradicti ministri eius. Cùm verò iuxta flumen esset puella quædam Æthiopissa, veniens tetigit melotem eius: senex autem increpauit eam. Illa verò dixit: Si monachus es, vade in montem. Compunctus autem in hoc verbo senex, dicebat ad seipsum: Arseni, si monachus es, vade in montem. Et inter hæc occurrerunt ei Alexander & Zoilus discipuli sui. & cùm cecidissent ad pedes eius, proiecit se senex in terrâ, & flebant simul. Dixit autem senex: Non audistis quia ægrotaui? Et dixerunt ei: Etiam, audiuimus. Et ille dixit: Quare non venistis videre me? Et dixit Alexander: Quia diuisio tua à nobis non fuit nobis tolerabilis, quoniam & multi ex eâ contristati sunt, dicentes: Nisi inobedientes fuissent seni, numquam se separasset ab eis. Et dixit eis senex: Et ego cognoui, quia hoc diceretur: sed tamen iterùm dicturi sunt homines, Quia non inueniens columba requiem pedibus suis, reuersa est ad Noë in arcam. In hoc igitur verbo curati sunt animi discipulorum eius, & permanserunt cum eo vsque ad vltimum vitæ ipsius tempus.

Alexander & Zoilus Arsenij discipuli.

Monachi est ire in montem.

Gen. 8.

Qui cùm moreretur, turbati sunt valdè. Et dixit eis: Nondum venit hora, cùm autem venerit, dicam vobis. Iudicari autem habeo vobiscum ante tribunal Christi, si permiseritis cuiquam de corpore meo aliquid facere. Et illi dixerunt: Quid ergo faciemus, quia nescimus mortuum vestire vel sepelire? Et dixit senex: Nescitis mittere funem in pede meo, & trahere me in montem? Cùm autem traditurus esset spiritum, viderunt eum flentem, & dicunt ei: In veritate & tu times mortem, pater? Et dixit eis: In veritate. timor enim, qui in hac horâ est mihi, semper fuit in me, ex quo factus sum monachus, & timeo valdè; atque ita in pace dormiuit. Ille autem sermo semper erat in ore Arsenij, Propter quid existi? loqui me semper pœnituit, tacere numquam. Audiens autem abbas Pastor, quia ex hac vitâ discesserit Arsenius, lacrymatus est; & dixit: Beatus es, abba Arseni, quia fleuisti temetipsum in sæculo isto: qui enim se in hoc sæculo non fleuerit, sempiternè plorabit illic: siue igitur hîc voluntariè, siue illic tormentis cogentibus, impossibile est non flere.

Ruff. l. 3. nu 163.

Semper in ore Arsenij, Propter quid existi

10. Narrauit abbas Daniel de abbate Arsenio, quia numquam voluerit loqui de quæstione aliquâ Scripturarum, cùm posset magnificè si vellet, sed neque epistolam citò scripsit ad aliquem. Quando autem ad conuentum post aliquantum temporis veniebat, post columnam sedebat, ne quis videret faciē eius, & ne ipse attenderet alium. Erat enim visio eius angelica, sicut Iacob; canis ornatus, elegans corpore, siccus tamen. Habebat autem barbam prolixam, omnino attingentem vsque ad ventrem eius: pili autem oculorum eius nimio fletu ceciderant: longus autem erat, sed senio longæuo curuatus; moritur autem annorum nonaginta quinque. Hic fecit in palatio diuæ memoriæ Theodosij Imperatoris maioris, qui fuit pater Arcadij & Honorij, annos quadraginta, & in Scithi fecit annos quadraginta, & decem

EIVSDEM.

Arsenius non vult loqui de quæstionibus Scripturæ.

Ruff. li. 3. nu. 198.

Iconisma Arsenij.

Breuis vita summa Arsenij.

decem annos in loco qui dicitur Trohen, supra Babyloniam, contra ciuitatem Memphis, & tres annos in Canopo Alexandriæ; alios duos annos reuertens iterùm in Trohen fecit, consummans in pace & timore Dei cursum suum, quia erat vir bonus & plenus Spiritu sancto & fide.

Actor. 11.

ANVB. Ruff. l. 3. n. 199. Pasch. c 42. n. 4.

11. Narrauit abbas Ioannes: Quia abbas Anub & abbas Pastor & residui fratres eorum ex vno vtero nati, monachi fuerunt in Scithi: & quando illic venit gens Mazicarum, & desolauerunt locum ipsum, primò discesserunt illinc, & venerunt in locum qui vocatur Therenuthi, donec deliberarent vbi habitare deberent: & manserunt illic in templo quodam antiquo paucis diebus. Dixit autem abbas Anub abbati Pastori: Ostende charitatem & tu & fratres tui, & singuli seorsim habitemus, & non veniamus ad nos inuicem hebdomadâ hac. Et respondit abbas Pastor: Faciamus qualiter vis; & fecerunt sic. Erat autem ibi in templo statua lapidea. Et surgebat quotidie manè abbas Anub, & faciem statuæ illius lapidabat; vespere autem dicebat: Ignosce mihi. Et totâ hebdomadâ ita fecit; die autem Sabbati occurrerunt sibi inuicem. Et dixit abbas Pastor abbati Anub: Vidi te, abba, hebdomadâ istâ lapidantem faciem statuæ huius, & iterùm pœnitentiam agentem apud eam; fidelis autem homo hæc non facit. Et respondit senex: Hanc rem ego propter vos feci. Quando me vidisti lapidantem faciem statuæ ipsius, num locuta est, num furuit? Et dixit abbas Pastor: Non. Iterùm quando apud eam pœnitentiam egi, num turbata est? num dixit: Non ignosco? Et respondit abbas Pastor: Non. Et ille dixit: Ergo & nos qui sumus septem fratres, si vultis vt maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbatur: si autem non vultis ista fieri, ecce quatuor ingressus sunt ad aditum templi huius, vnusquisque quò vult exeat, & quò vult vadat. Illi autem hæc audientes, prostrauerunt se in terram abbati Anub, & dixerunt ei: Quomodo iubes, pater, ita fiat; faciemus quod dixeris nobis. Posteà autem retulit abbas Pastor, dicens: Quia mansimus simul per omne tempus vitæ nostræ operantes & facientes omnia secundùm verbum senis quod dixit nobis. Constituit autem vnum ex nobis dispensatorem, qui quodcumque nobis apposuisset, comedebamus, & impossibile erat, vt diceret aliquis ex nobis: Affer aliud aliquid; aut diceret: Nolo istud manducare. Et sic transiuimus omne tempus vitæ nostræ cum quiete & pace.

Viuendi concorditer inter fratres modus.

Verus monachus instar statuæ esse debet.

12. Dicebant de abbate Ammone, quia venerunt ad eum quidam petentes, vt iudicaret inter eos; senex autem dissimulabat. Et ecce quædam mulier ad aliam mulierem iuxta se stantem dicebat: Senex iste fatuus est. Audiuit autem eam senex; & vocans illam ad se dixit ei: Quantos labores putas sustinui in solitudinibus diuersis, vt acquirerem fatuitatem istam, & propter te hodie eam perditurus sum? AMMONIS.

Sapiens Ammonis fatuitas.

13. Narrauerũt de episcopo ciuitatis, quæ vocatur Oxyrinchus, nomine Affy, quia cùm esset monachus, nimis durè tractauerit vitam suam; & cùm factus fuisset episcopus, voluit ipsâ duritiâ vti in ciuitate quam in eremo habuerat, & non præualuit. Idcircò prostrauit se in conspectu Domini, dicens: Putásne, Domine, propter episcopatum discessit à me gratia tua? Et reuelatum est ei: Quia non; sed quia tunc solitudo erat, & cùm non esset homo, Deus tuus susceptor erat tuus: nunc autem hîc in sæculo es, vbi homines auxiliantur tibi. AFFY.

Deus solitariorum susceptor.

14. Dixit abbas Daniel, quia erat in Babyloniâ filia cuiusdam primarij, dæmonium habens; pater autem eius diligebat monachum quemdam. Dixit autem monachus ipse ei: Nemo potest curare filiam tuam, nisi quos scio solitarios: & si perrexeris ad eos, non acquiescent hoc facere propter humilitatem. Sed hoc faciamus, & quando veniunt afferentes venalia quæ operantur, dicite vos emere velle quod vendunt. Et dum venerint in domo pretium accepturi, dicemus eis vt faciant orationem, & credo quia saluabitur filia tua. Exeuntes ergo in plateâ, inuenerunt vnum discipulum senum sedentem vt venderet sportellas suas; & tulerunt eum secum in domo vt quasi pretium sportarum acciperet. Et cùm intrasset monachus ille in domo, venit puella illa quæ à dæmonio vexabatur, & dedit alapam monacho illi. Ille autem conuertit ei & aliam maxillam, secundùm diuinum præceptum. Dæmon autem coactus clamare cœpit: O violentia! mandata Iesu Christi expellunt me hinc: & statim mundata est puella illa. Cùm autem venissent ad senes, indicauerunt eis quod fuerat factum, & glorificauerunt Deum, & dixerunt: Consuetudo est superbiæ diabolicæ, humilitate mandatorum Christi Iesu corruere. DANIELIS.

Monachus à dæmoniacâ colaphizatus, alteram maxillam præbet.

Superbia diaboli, humilitate hominum corruit.

15. Dixit abbas Euagrius: Principium salutis est, si teipsum redarguas. EVAGRII.

16. Dixit abbas Serapion: Quia multos labores corporales plus quàm filius meus Zacharias feci, & non perueni ad mensuram humilitatis & taciturnitatis eius. SERAPIONIS.

17. Abbas

ZACHARIAE. Ruff. l. 3. num. 86. Append. Mart. n. 49

17. Abbas Moyses dixit fratri Zachariæ: Dic mihi quid faciam? Ille autem hæc audiens, iactauit se pronus in terram ad pedes eius, dicens: Tu me interrogas, pater? Dixit autem ei senex: Crede mihi, fili Zacharia, quia vidi Spiritum sanctum descendentem in te, & propterea compellor interrogare te. Tunc tollens Zacharias cucullum suum de capite suo, misit illud sub pedibus suis, & conculcans eum, dixit: Nisi ita conculcatus fuerit homo, non potest monachus esse.

Conculcãs cucullum docet humilitatem.

EIVSDEM.

18. Dixit abbas Pastor: Quia interrogauit abbas Moyses fratrem Zachariam, tempore quo moriebatur, dicens: Quid vides? Et ille dixit ei: Nihil melius quam tacere, pater. Et dixit ei: Verum est, fili, tace. Horâ autem mortis eius sedens abbas Isidorus, respexit in cælum, & dixit: Lætare, fili mi Zacharia, quoniam apertæ sunt tibi ianuæ regni cælorum.

Nihil melius taciturnitate.

THEOPHILI.

19. Sanctæ memoriæ Theophilus episcopus Alexandrinus venit aliquando ad montem Nitriæ, & venit ad eum abbas montis illius, & dixit ad eum episcopus: Quid amplius inuenisti in viâ istâ, pater? Et respondit ei senex: Culpare & reprehendere meipsum sine cessatione. Et dixit ei episcopus: Non est alia via sequenda nisi hæc.

Quid amplius inuenitur in eremo quã in sæculo.

THEODORI.

20. Quando abbas Theodorus cum fratribus manducabat, accipiebant calices cum reuerentiâ & taciturnitate, nec dicebant, sicut mos est, Ignosce.

Aulicismus, Ignosce.

EIVSDEM.

21. Dicebant de eo ipso abbate Theodoro, quia cùm factus esset Diaconus in Scithi, non acquiescebat ministrare; & huc atque illuc fugiebat. Et iterùm senes adducebant eum, dicentes: Non derelinquas ministerium tuum. Dixit autem eis abbas Theodorus: Dimittite me, & deprecor Deum. Et si ostenderit mihi, quia debeo stare in locum ministerij huius, facio. Et cùm deprecaretur Deum, dicebat: Si voluntas tua est, Domine, vt stem in hoc ministerio, demonstra mihi. Et ostensa est columna ignis de terrâ vsque ad cælum, & vox sonuit, dicens: Si potes fieri sicut columna hæc, vade, ministra. Ille autem hæc audiens, statuit apud se nullatenus ministrare. Qui cùm venisset ad ecclesiam, pœnitentiam egerunt apud eum, dicentes: Si non vis ministrare, vel calicem tene. Et non acquieuit, dicens: Si me non dimittitis, discedo de loco isto. Et ita discesserunt ab eo.

Quàm magna diaconi dignitas.

IOANNIS.

22. Dixit abbas Ioannes Breuis: Quia ianua Dei est humilitas; & patres nostri per multas contumelias acti, gaudentes intrauerunt in ciuitatem Dei. Dixit iterùm ipse idem: Quia humilitas & timor Dei superant vniuersas virtutes.

Ianua Dei humilitas.

IOANNIS.

23. Dixit abbas Ioannes Thebæus: Quia debet monachus ante omnia humilitatem habere: hoc enim est primum Saluatoris mandatum, dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Prima monachi virtus humilitas. Matth. 5.

COPRIS.

24. Collecti sunt aliquando fratres qui habitabant in Scithi, & cœperunt intra se quærere de Melchisedech sacerdote: obliti sunt autem vocare abbatem Coprem. Posteà autem vocantes eum, interrogabant eum de eadem quæstione. Ille autem tundens tertiò os suum, dixit: Væ tibi Copres, quia quæ mandauit tibi Deus vt faceres, dereliquisti; & quæ à te non requirit, illa scrutari præsumis. Hæc autem audientes fratres, fugerunt singuli in cellis suis.

Curiosæ quæstiones non scrutandæ.

MACARII. Ruff. l. 3. nu. 99.

25. Narrauit aliquando de seipso abbas Macarius, dicens: Quando eram iuuenis, & sedebam in cellâ meâ in Ægypto, tenuerunt & fecerunt me clericum in vico. Et cùm nollem acquiescere ad ministrandum, fugi ad alium locum. Et venit ad me quidam sæcularis homo, sed vitâ religiosus, & tollebat à me opus quod faciebam manibus meis, & ministrabat mihi quæ necessaria erant. Contigit autem tentante diabolo, vt quædam virgo in vico illo vitiata lapsum faceret. Et cùm in vtero habere cœpisset, interrogatur quis esset de quo in vtero haberet: illa autem dixit: Quia hic solitarius est, qui mecum dormiuit. Exeuntes autem de vico illo, comprehenderunt me, & adduxerunt ad vicum, & appenderunt in collum meum cacabatas ollas & ansas vasorum, & miserunt me circituram in vico illo, per viam cædentes atque dicentes: Hic monachus corrupit filiam nostram: tollite, tollite eum. Et ceciderunt me pænè vsque ad mortem. Superueniens autem quidam senum dixit: Quamdiu cæditis monachum istum peregrinum? Ille autem, qui mihi solebat ministrare necessaria, sequebatur retrò cum verecundiâ: etenim etiam ipsum contumeliis multis affecerant, dicentes: Ecce solitarius monachus, cui tu testificabaris, quid fecit? Et dixerunt parentes puellæ illius: Quia non dimittimus eum, donec fideiussorem præbeat, quia pascet eam. Et dixi illi qui mihi solebat ministrare, vt fideiussor mihi fieret, & fidedixit mihi. Et reuersus sum ad cellam meam, & dedi ei quantas habui sportellas, dicens: Vende eas, & da illi meæ mulieri manducare. Dicebam autem in animo meo: Macari, ecce inuenisti tibi mulierem, opus habes modò amplius labo-

Macario innoxio illuditur.

Macarius pro fornicatore haberi se patitur.

laborare, vt pascas eam. Et operabar non solùm in die, sed etiam in nocte, & transmittebam ei. Cùm autem venisset tempus infelici illi, vt pareret, traxit plurimis diebus in dolore, & non pariebat. Dicunt ergo ei: Quid est hoc? Et illa dixit: Ego scio, quare torqueor diu. Et interrogata à parentibus suis, Quare? Respondit: Quia illi monacho crimen imposui, & fallens implicaui eum, cùm iste non habeat caussam; sed iuuenis ille talis hoc fecit. Audiens autem verba hæc ille minister meus, gaudens venit ad me, & dixit: Quia non potuit parere illa puella, donec confiteretur, quia tu nullam caussam in conspectu eius habuisses, sed quia mentita sit aduersum te. Et ecce omnes habitatores vici illius volunt venire hîc ad cellam tuam glorificaturi Deum, & pœnitentiam apud te acturi. Ego autem audiens ista à ministro meo, ne affligerent me homines, surrexi, & fugi hîc in Scithi: & hoc principium caussæ, propter quam hîc habitare cœpi.

Falsaria cruciatur.

Quomodo Macarius venerit in Scithi.

EIVSDEM. Ruff. li. 3. n. 124. Pasch. c. 13. n. 6.

26. Præteriens aliquando abbas Macarius, à palude ad cellam suam reuertens, portabat palmulas: & ecce occurrit ei diabolus in viâ cum falce messoriâ. Voluit autem eum percutere de falce illâ, & non potuit, & dixit ei: Multam violentiam patior à te, ô Macari, quia non præualere aduersus te possum. Ecce enim quidquid tu facis, & ego facio; ieiunas tu, & ego penitùs non comedo; vigilas tu, & ego omnino non dormio. Vnum est autem solum in quo me superas. Et dicit ei abbas Macarius: Quod est illud? Respondit diabolus: Humilitas tua, per quam non præualeo aduersum te.

Humilitate diabolus vincitur.

MATHOIS. Ruff. l. 3. n. 188. Pasch. c. 33. n. 3.

27. Perrexit aliquando abbas Mathois de Raythu in partibus Gebalon: erat autem cum eo frater eius. & venit episcopus loci illius ad memoratum senem, & fecit eum presbyterum. Et dum gustarent simul, dixit episcopus: Ignosce mihi, abba, quia scio quòd nolueris rem hanc; sed vt benedictionem tuam acciperem, præsumpsi hoc facere. Dixit autem ei senex cum humilitate: Et animus meus modicum volebat hoc, verumtamen in hoc grauiter fero, quia compellor separari à fratre meo, qui mecum est: neque enim sufficio omnes orationes quas simul faciebamus, implere. Et dixit episcopus: Si scis quia dignus est, ego & ipsum ordino. Et dixit ei abbas Mathois: Equidem si dignus est nescio, vnum autem scio, quia melior me est. Ordinauit autem & ipsum episcopus: & ita vterque recesserunt de hac vitâ, vt numquam se ad sacrificandam oblationem altari approximarent. Dicebat autem senex: Credo in Deum, quia forsitan non sustineam graue iudicium propter ordinationem, quam suscepi, dum oblationem non audeo consecrare: hoc enim officium illorum est, qui sine querelâ viuunt.

Humilitas Mathois.

Quorum sit oblationem consecrare.

EIVSDEM. Ruff. l. 3. n. 113. Isaiæ 6.

28. Dixit autem abbas Mathois: Quantum se approximat homo Deo, tantum se peccatorem videt: Isaias enim propheta videns Dominum, miserum se & immundum dicebat.

MOYSIS.

29. Dicebant de abbate Moyse, quia factus esset clericus, & posuerunt ei superhumerale. Et dixit ei Archiepiscopus: Ecce factus es candidatus, abba Moyses. Et ille respondit: Putas à foris, domne Papa, aut deintus? Volens autem episcopus probare eum, dixit clericis: Quando intrat abbas Moyses ad altare, expellite eum, & sequimini, vt audiatis quid dicat. Dum autem cœpissent eum mittere foràs, dicebant ei: Exi foras Æthiops. Ille verò egrediens, dicebat: Bene tibi fecerunt, cinerente & caccabate. Qui cùm homo non sis, quare te in medio hominum dare præsumpsisti?

Profunda Moysis humilitas.

NESTERONIS.

30. Dum abbas Pastor in congregatione esset, audiens de abbate Nesterone, desiderauit eum videre, & mandauit abbati eius, vt mitteret eum ad ipsum. Qui cùm nollet eum solum dimittere, non direxit eum. Post paucos autem dies dispensator monasterij rogauit abbatem, vt permitteret eum ire ad abbatem Pastorem, vt diceret ei cogitationes suas. Abbas autem eius, cùm eum dimitteret, dixit ei: Tolle tecum & fratrem istum, quia mandauit mihi de ipso senex; & non præsumens eum solum dimittere, distuli vsque modò. Cùm ergo venisset dispensator ad senem, locutus est ei de cogitationibus suis, & ille sanauit eum responsione suâ. Posthæc autem interrogabat senex fratrem illum, dicens: Abba Nestero, quomodo acquisisti virtutem hanc, vt quando emerserit tribulatio aliqua in monasterio, non loquaris, neque tædium facias? Et cùm multùm cogeretur frater à sene, dicit ei: Ignosce mihi, abba, quando intraui in initio in congregatione, dixi animo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut enim asinus vapulat & non loquitur, iniuriam patitur & non respondet, sic & tu; quemadmodum & in Psalmo legitur: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Psal. 72.

Quomodo Nestero tribulatus didicerit silentium & patientiam.

OLYMPII. Ruff. l. 3. n. 17.

31. Dicebant de abbate Olympio in Scithi, quia seruus esset, & descendebat per singulos annos in Alexandriam portans mercedes

cedes suas dominis suis. Et occurrebant ei, & salutabant eum: senex autem mittebat aquam in peluim, & afferebat, vt lauaret pedes dominis suis. Illi autem ad eum dicebant: Noli, pater, non graues nos. Ille verò respondebat eis: Ego confiteor, quia seruus sum vester; & gratias ago, quia dimisistis me liberum seruire Deo. sed tamen lauo vobis pedes, ecce & suscipite mercedes meas. Illi verò contemnebant. Et non acquiescentibus dicebat: Credite mihi, quia si non vultis suscipere mercedes meas, remaneo hîc & seruio vobis. Illi autem reuerentiam ei habentes, dabant in potestate eius, vt faceret quod vellet. Et reuertentem deducebant eum cum honore, præbentes ei quæ necessaria erant, vt faceret pro eis agapem: & ex hoc factus est nominatus in Scithi.

Agape pro proximo.

PASTORIS Append. Mar.n.101 tit. *Incerti. Velut anhelitus sit humilitas.*

32. Dixit abbas Pastor: Quia semper homo humilitatem & timorem Dei ita incessabiliter respirare debet, sicut flatum quem naribus attrahit vel emittit.

EIVSDEM. *Non studendum, vt sententia nostra præualeat.*

33. Interrogatus est abbas Pastor à quodam fratre: Quomodo debeo esse in loco, in quo habito? Et respondit ei senex: Habeto prudentiam velut aduena: & vbicumque fueris, ne quæras verbum tuum coram te habere potentiam, & requiesces.

EIVSDEM.

34. Dixit iterùm: Quia proijcere se in conspectu Dei, & non seipsum extollere, & mittere post tergum suum propriam voluntatem, ferramenta sunt, quibus anima operatur.

EIVSDEM.

35. Item dixit: Non metiaris temetipsum, sed adhære ei qui benè conuersatur.

ALONII.

36. Dixit iterùm: Quia interrogauit frater abbatem Alonium, Quid est contemptus? Et dixit senex: Vt sis infra animalia irrationabilia, & scies quia illa non condemnantur.

PASTORIS *In humilitate sacrificium fit Deo.*

37. Dixit iterùm qui suprà: Quia humilitas terra est, in quâ Dominus sacrificium fieri demandauit.

EIVSDEM.

38. Rursus dixit: Quia si homo ordinem suum custodiat, non turbabitur.

ALONII.

39. Iterùm dixit: Quia sedentibus aliquando senibus ad manducandum, stabat Alonius abbas & ministrabat eis; & videntes laudauerunt. Ille autem nihil omnino respondit. Dixit ergo quidam secretò: Quare non respondisti senibus laudantibus te? Et dixit abbas Alonius: Quia si responderem eis, inueniebar delectatus laudibus meis.

Laudatus tace.

PASTORIS *Iuuenis ob frenans, abbas vocari potest.*

40. Narrauit abbas Ioseph: Quia sedentibus nobis aliquando cum abbate Pastore, nominauerit abbatem Agathonem, & diximus ei: Iuuenis est, quare eum appellas abbatem? Et dixit abbas Pastor: Quia os suum fecit eum appellari abbatem.

EIVSDEM. *Laudanda aliena.*

41. Dicebant de abbate Pastore, quia numquam voluisset sermonem dimittere supra alterius senis verbum, sed magis laudauerit semper quæ ille dixisset.

PAMBO.

42. Venit aliquando sanctæ memoriæ Theophilus episcopus Alexandrinus in Scithi: congregati autem fratres dixerunt ad abbatem Pambo: Dic vnum sermonem Papæ, vt ædificetur animus eius in hoc loco. Et respondit senex: Si in taciturnitate meâ non ædificatur, neque in sermone meo ædificabitur.

Taciturnitas ædificant.

SISOI, HOR ET ATHRE.

43. Narrauit frater Pystus, dicens: Quia ibamus septem fratres solitarij ad abbatem Sisoi habitantem in insulâ Clysmatus: & cùm rogaremus eum, vt diceret nobis aliquid, ille respondit: Ignoscite mihi, quia idiota sum homo; sed veni aliquando ad abbatem Hor & abbatem Athre; & erat in infirmitate abbas Hor, decem & octo annis, & cœpi supplicare eis, vt dicerent mihi aliquod verbum; & dixit abbas Hor: Quid tibi habeo dicere? Quidquid vides, fac; Deus enim illius est, qui sibi vltrà quàm potest extorquet, & violentiam facit ad omnia: hi autem ambo non erant de vnâ prouinciâ, hoc est abbas Hor & abbas Athre. Fuit autem inter eos magna gratia, donec exirent ambo de corpore. Abbas autem Athre summæ obedientiæ erat, abbas verò Hor multæ humilitatis. Feci ergo paucos dies apud eos, inuestigans virtutes eorum, & vidi mirabile quid quod fecit abbas Athre. Attulerat enim eis quidam vnum piscem modicum, & voluit illum facere abbas Athre seniori abbati Hor: posuerat ergo abbas Athre cultellum, & incidebat piscem illum, & vocauit eum abbas Hor, dicens: Athre, Athre. Ille verò statim dimisit cultellum in medio pisce inciso, & non perincidit eum, & cucurrit ad eum: & miratus sum tantam obedientiam eius, quia non dixit: Exspecta donec incidam piscem. Dixi ergo abbati Athre: Vbi inuenisti obedientiam hanc? Et ille mihi respondit: Non est mea, sed istius senis est. Et tulit me, dicens: Veni, vide obedientiam eius. Coxit ergo modicum piscem malè, ita vt perderet eum voluntariè, & apposuit seni; & ille manducauit, nihil loquens. Et dixit ei: Bonum est, senex? Et ille respondit: Bonum valdè. Posthæc attulit ei illud modicum, nimis benè coctum; & dixit: Ecce istud perdidi, senex, malè illud coxi. Et ille respondit: Etiam modicè tibi malè exiuit. Et conuersus ad me abbas Athre dixit: Vides quia hæc obedientia istius

Athre summè obediës. Hor multum humilis.

 senis

senis est? Et exij ab eis: & quidquid vidi, hoc feci secundùm virtutem meam. Hæc dixit fratribus abbas Sisoi: vnus autem ex nobis rogauit eum dicens: Ostende nobis charitatem; & dic nobis tu vnum sermonem. Et dixit: Qui habet quod innumerabile est in scientia, perficit omnem Scripturam. Iterùm alter ex nobis dixit ei: Quid est peregrinatio, pater? Et ille respondit: Tace, & in omni loco quocumque veneris, dic: Non habeo caussam, & hæc est peregrinatio.

Peregrinatio spiritualis.

Sisoi. 44. Venit quidam frater ad abbatem Sisoi in montem abbatis Antonij: & loquentibus eis, dicebat abbati Sisoi: Modò adhuc non peruenisti ad mensuras abbatis Antonij, pater? Et respondit ei senex: Ego si haberem vnam cogitationem abbatis Antonij, essi cerer totus velut ignis: verumtamen scio hominem, qui cum labore potest ferre cogi tationes suas.

Sancti Antonij perfectio.

Eivsdem. Ruff. l. 3. num. 174. Pasch. c. 25. n. 2. 45. Iterùm autem interrogauit eum frater ille, dicens: Putas sic persequebatur satanas antiquos? Et dicit ei abbas Sisoi: Modò plus, quia tempus eius appropinquauit, & turbatur.

Eivsdem. 46. Venerunt alij quidam ad eum, vt audirent ab eo sermonem, & nihil eis loquebatur, sed semper dicebat: Ignoscite mihi. Videntes autem sportellas eius, dixerint discipulo eius Abraham: Quid facitis de sportellis istis? Et respondit eis: Huc & illuc expendimus eas. Hoc autem audiens senex, dixit: Et Sisois hinc & inde manducat. Illi verò audientes ædificati sunt valdè in humilitate eius, atque cum gaudio recesserunt.

Sisois humilitas.

Eivsdem. 47. Frater interrogauit abbatem Sisoi, dicens: Video meipsum, quia memoria mea ad Deum intenta sit. Et dicit ei senex: Non est magnum hoc, vt mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si teipsum infra omnem videas creaturam: hoc autem & labor corporalis corrigit, & ducit ad humilitatis viam.

Magnum, infra omnem creaturam se humiliare.

Syncleticae. 48. Dixit beatæ memoriæ Syncletica: Sicut impossibile est nauim fabricari sine acutis, ita impossibile est hominem sine humilitate saluari.

Humilitatis necessitas

Hyperichii. 49. Dixit abbas Hyperichius: Arbor vitæ est in excelsum, & ascendit ad eam humilitas monachi.

Humilitas ascendit arborem vitæ.

Eivsdem. 50. Dixit iterùm qui suprà: Imitare Publicanum illum, ne cum Pharisæo damneris: & sequere mansuetudinem Moysis, vt summitates cordis tui resecans, conuertas in fontes aquarum.

Publicani humilitas imitanda.

Orsisii. 51. Dixit abbas Orsisius: Si fragmen crudæ tegulæ in fundamento mittatur, vbi iuxtà sit fluuius, non sustinet vnum diem; coctæ autem permanet velut lapis: ita est homo qui carnalem sapientiam habet, & non est tentationum igne decoctus, sicut & Ioseph: huiusmodi enim verbo Dei resoluitur: qui cùm initium fecerit, multis tentationibus in medio hominum agitatur. Bonum est enim, vt quis nouerit mensuras suas, & declinet in initio pondus; fortes autem in fide immobiles sunt: nam de ipso sancto Ioseph si velit aliquis loqui, dicet quia nec terrenus erat; quantum tentatus est, & in quali prouincia, vbi nec vestigium erat diuini cultus? Sed Deus patrum eius erat cum eo, qui eripuit eum ex omni tribulatione, & nunc est cum patribus suis in regno cælorum. Et nos ergo agnoscentes mensuras nostras certemus; vix enim nos possumus effugere iudicium Dei.

Igne tentationis percoctus durat.

Iosephi tentatio & victoria.

52. Senex quidem erat solitarius vacans in eremo, & dicebat in semetipso, quia perfectus esset in virtutibus. Hic orauit Deum, dicens: Ostende mihi, quid est perfectio animæ, & facio. Volens autem Deus humiliare cogitationes eius, dixit ei: Vade ad illum archimandritam, & quidquid tibi dixerit, facito. Reuelauit autem Deus archimandritæ illi, antequam ille ad ipsum veniret, dicens: Ecce ille solitarius venit ad te: dic ergo ei vt tollat flagellum, & vadat vt pascat porcos tibi. Veniens ergo senex pulsauit ostium, & ingressus est ad archimandritam illum: & cùm se salutassent, sederunt. Et dixit ei solitarius ille qui venerat: Dic mihi quid faciam, vt sim saluus. Et ille dixit: Facies quodcumque dixero tibi? Et respondit ei: Etiam. Et dixit ei: Ecce tolle flagellum, & vade, pasce porcos. Hi autem, qui eum nouerant & audierant de eo, cùm vidissent quia porcos pasceret, dicebant: Vidistis illum solitarium magnum, de quo audiebamus? ecce stupuit cor eius, & dæmonio vexatur, & pascit porcos. Videns autem Deus humilitatem eius, quia ita patienter sustinebat opprobria hominum, præcepit eum iterùm redire ad locum suum. Incerti.

Qui perfectum se putat, humiliandus.

53. Quemdam senem monachum solitarium homo, qui à dæmonio vexabatur & fortiter spumabat, percussit in maxillam: senex verò conuertit ei aliam maxillam statim. Dæmon autem, non ferens incendium humilitatis eius, mox exiuit ab eo. Incerti. Ruff. l. 3. num. 115.

Humilitas incendit dæmonem.

54. Dixit senex cuidam: Quando cogitatio superbiæ aut elationis intrauerit in te, scrutare conscientiam tuam, si diuina mandata omnia custodis, si inimicos tuos diligis, si gaudes in aduersarij tui glorificatione, & si contristaris in minoratione eius, & si Incerti. Ruff. l. 3. n. 115. Pasch. c. 15. n. 3.

& si agnoscis teipsum esse inutilem seruum, & si omnium peccatorum esse deteriorem: sed nunc si ita de te sentias, quasi omnia correxeris, sciens quia huiusmodi cogitatio tua vniuersa resoluet.

INCERTI. *Nemini te preferas.* 55. Dixit senex cuidam: Non apponas cor tuum aduersus fratrem, dicens, quia tu magis illo sobrius & continentior, & intelligentior sis; sed subditus esto gratiæ Dei in spiritu paupertatis, & per charitatem non fictam: ne spiritu exaltationis elatus, perdas laborem tuum; sed esto spiritali sale conditus in Christo.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 112. Pasch. c. 13 n. 1. 56. Dixit senex: Quia qui plusquam dignus est honoratur aut laudatur, amplius patitur detrimentum: qui autem non fuerit omnino ab hominibus honoratus, hic desuper glorificabitur.

INCERTI. *Humili Deus apparet.* 57. Frater aliquis interrogauit senem, dicens: Bonum est assiduè pœnitere? Et respondit ei senex: Vidimus Iesum filium Naue, quia cùm pronus iaceret in facie, apparuit illi Deus.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 173. Pasch. c. 25 n. 11. 58. Interrogatus senex, quare ità inquietaremur à dæmonibus, respondit: Quia arma nostra abijcimus, quod est contumeliam, & humilitatem, & paupertatem, & patientiam.

INCERTI. *Loquacitas fratris taciturnitate reprimenda.* 59. Frater quidam interrogauit senem dicens: Si quis fratrum attulerit ad me deforis cogitationes; vis, abba, dicam ei vt non eas afferat ad me? Et respondit ei senex: Noli. Et dixit frater: Quare? Respondit ei senex: Quia nec nos hoc possumus custodire: & ne fortè cùm dicimus proximo, Ne facias illud, inueniamus nos posteà idipsum facientes. Et dixit frater: Quid ergo debet fieri? Et respondit ei senex: Si voluerimus taciturnitatem seruare, sufficit proximo modus ipse.

INCERTI. 60. Interrogatus est senex, quid esset humilitas? Et ille respondit: Si peccanti fratri in te ignoueris, antequam apud te pœnitentiam agat.

INCERTI. 61. Dixit senex: In omni tentatione non culpes hominem, sed teipsum tantùm, dicens: Quia pro peccatis meis hæc mihi euenerunt.

INCERTI. *Humilitas imperturbabilis.* 62. Dixit senex: Numquam præteriui ordinem meum, vt altiùs ambularem: neque turbatus sum aliquando in humilitate positus: Omnis enim cogitatio mea in hoc erat, vt deprecarer Dominum, quò spoliaret me veterem hominem.

INCERTI. *Humilis malum bono pensat.* 63. Frater quidam interrogauit senem: Quid est humilitas? Et respondit ei senex: Vt benefacias his qui tibi malefaciunt. Et dixit frater: Si non perueniat homo in eadem mensurâ, quid faciet? Respondit senex: Fugiat, eligens taciturnitatem.

INCERTI. 64. Frater aliquis interrogauit senem, dicens: Quod est opus peregrinationis? Et ille dixit ei: Scio fratrem peregrinantem, qui cùm tentus esset in ecclesiâ, & contigisset ibi fieri agapem, sedit ad mensam vt manducaret cum fratribus. Dixerunt autem quidam: Istum hîc quis tenuit? Et dixerunt ei: Surge & vade hinc foràs: qui surrexit & abijt. Alij verò contristati de expulsione eius, egressi sunt, & reuocauerunt eum. Post hæc interrogauit eum quidam, dicens: Quid, putas, est in corde tuo, quia expulsus es, & iterum reuocatus? Et ille dixit ei: Quoniam posui in corde meo, quia æqualis essem cani, qui quando insectatur, foràs egreditur; quando verò vocatur, ingreditur. *Promptè obediens se cani comparat.*

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 25. *Humilitas expellit dæmonem.* 65. Venerunt quidam aliquando in Thebaidam ad quemdam senem, habentes secum vnum qui à dæmonio vexabatur, vt curaretur ab illo sene. Senex ergo cùm diu rogaretur, dixit dæmoni: Exi de facturâ Dei. Et respondit dæmon: Exeo. sed interrogo te vnum verbum, vt dicas mihi, qui sunt hœdi, & qui sunt agni. Et dixit senex: Hœdi quidem tales, qualis ego; agni verò qui sint, Deus scit. Et audiens dæmon, clamauit voce magnâ, dicens: Ecce propter istam humilitatem tuam exeo. Et exijt eadem horâ.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 19. narrante Pœmene. 66. Manebat quidam monachus Ægyptius in suburbano Constantinopolitanæ ciuitatis: & dum transiret Theodosius iunior Imperator per viam illam, reliquit omnes qui in obsequio eius erant, & venit solus ad cellam eius. Et pulsans ad ostium monachi, aperuit ei monachus. Videns autem eum, agnouit quidem quia Imperator esset; sic tamen suscepit eum, tamquam vnum ex officio militantium. Cùm ergo introisset, fecerunt orationem, & sederunt. Cœpit autem interrogare Imperator, dicens: Quomodo sunt patres in Ægypto? Et ille respondit: Orant omnes pro salute vestrâ. Imperator autem circumspiciebat in cellâ eius, si quid haberet, & nihil illic vidit nisi paruam sportellam, habentem modicum panis, & lagenam aquæ. Et dixit ei monachus: Gusta modicè. Et infudit ei panes, & misit ei oleum & sal, & manducauit, & dedit ei aquam vt biberet. Dixit autem ei Imperator: Scis quis sum ego? Et ille dixit: Deus te scit quis sis. Tunc dixit ei: Ego sum Theodosius Imperator. Ille autem statim adorauit salutans eum humiliter. Et dicit Imperator: Beati estis vos, quia securam vitam habetis, & non cogitatis de hoc sæculo. Veritatem autem dicam, quia in imperio natus sum, & num- *Tenue sed securum eremita conuiuium.*

quam ita delectatus sum pane & aquâ sicut hodie; satis enim libenter comedi. Et cœpit ex tunc honorare eum Imperator: senex verò egrediens fugit, & iterùm venit in Ægyptum.

INCERTI. 67. Dicebant senes: Quoniam quando tentamur, tunc magis humiliamur; quoniam Deus sciens infirmitatem nostram, protegit nos: si autem gloriamur, aufert à nobis protectionem suam, & perimus. *Qui gloriatur non protegitur.*

INCERTI. 68. Cuidam fratri apparuit diabolus transformatus in Angelum lucis, & dixit ad eum: Ego sum Gabriel angelus, & missus sum ad te. Ille verò dixit ei: Vide ne ad alium missus sis; ego autem non sum dignus vt Angelus mittatur ad me. Diabolus autem statim non comparuit. *Humilitas praeseruat à fraude diaboli.*

INCERTI. 69. Dicebant senes: Quia vel si pro veritate Angelus tibi appareat, non suscipias facilè, sed humilia temetipsum, dicens: Non sum dignus Angelum videre viuens in peccatis. *Etiam Angeli sint suspecti.*

INCERTI. 70. Narrauerunt de alio sene, quia sedens in cellâ suâ, & sustinens tentationes, videbat dæmones manifestè, & contemnebat eos. Cùm autem diabolus videret se vinci à sene, venit & ostendit se ei, dicens: Ego sum Christus. Videns autem eum senex, clausit oculos suos. Et dixit ei diabolus: Ego sum Christus, & quare clausisti oculos tuos? Et respondit senex: Ego hîc Christum nolo videre, sed in illâ vitâ. Audiens autem diabolus hæc, non comparuit. *Christi gloria in cælo quærenda.*

INCERTI. 71. Alterum senem volentes seducere dæmones, dicebant ei: Vis videre Christum? Et ille dixit: Anathema vobis & de quo dicitis. Ego autem meo Christo credo dicenti: Si quis vobis dixerit, Ecce hîc Christus, aut ecce illic, nolite credere. Quo dicto statim non comparuerunt. *Matth. 24.*

INCERTI. 72. Narrauerunt de alio sene, quia perseuerauit ieiunans septuaginta hebdomadas, semel in hebdomadâ reficiens. Hic postulauit à Deo de quodam sermone Scripturarum sanctarum, & non reuelabat ei Deus. Dixit ergo in semetipso: Ecce tantum laborem sumpsi, & nihil profeci: vadam ergo ad fratrem meum, & requiro ab eo. Qui cùm egressus clausisset ostium suum vt abiret, missus est ad eum angelus Domini, dicens: Septuaginta hebdomadæ quas ieiunasti, non te fecerunt proximum Deo: nunc verò quando humiliatus es, vt ad fratrem tuum pergeres, missus sum indicare tibi sermonem: aperiensque ei de re quam quærebat, discessit ab eo. *Humilitas Deo proximat.*

SENIS. Ruffin. l. 3. n. 73. 73. Dicebat quidam senex: Quia si quis cum humilitate & timore Dei iniungat fratri aliquid facere, sermo ipse qui propter Deum egreditur, facit fratrem illum suum subiectum existere, & implere quod fuerit imperatum: si autem quis volens iubere fratri, & non hoc secundùm timorem Dei fecerit, sed quasi per auctoritatem, volens sibi in eo potestatem defendere; Deus qui videt occulta cordis, non permittit eum audire vel facere quod iubetur. Manifestum enim est opus, quod secundùm Deum fit: & iterùm manifestum est, quod pro voluntate aut in potestate iniungitur: quoniam quod à Deo est, cum humilitate & obsecratione imperatur; quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, vtpote quod à maligno est. *Cum humilitate imperandum, non cum auctoritate.*

74. Dixit senex: Volo magis vinci cum humilitate, quàm vincere cum superbiâ. INCERTI.

75. Dixit senex: Non condemnes astantem tibi, quoniam nescis vtrùm in te sit Spiritus Dei, an in illo. Astantem autem tibi dico eum, qui minister est tuus. INCERTI.

76. Frater aliquis interrogauit senem, dicens: Si habito cum alijs fratribus, & video aliquam rem inconuenientem, vis vt loquar? Et dixit ei senex: Si sunt aliqui maiores tibi aut coætanei, tacens magis requiem habebis: in hoc enim, quo te minorem facies, etiam securum te reddes. Dicit ei frater: Quid ergo facio, pater? perturbat enim me spiritus. Dicit ei senex: Si laboras, commonefacito semel humiliter; si autem non obediunt tibi, relinque laborem tuum in conspectu Dei, & ipse te consolabitur: hoc enim est vt proijciat se Dei cultor coram Deo, & relinquat ipse voluntates suas. Attende autem tibi vt secundùm Deum sit sollicitudo tua: & tamen quomodo video, bonum est tacere; humilitas enim tibi est taciturnitas. INCERTI. *Maioribus & coætaneis cedendum. Taciturnitas humilitati deputatur.*

77. Frater quidam interrogauit senem, dicens: Quid est profectus hominis? Et respondit ei senex: Profectus hominis est humilitas. Quantùm enim quis ad humilitatem inclinatus fuerit, tantum eleuabitur ad profectum. INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 171. Pasch. c. 15 n. 5.

78. Dixit quidam senex: Quia si quis dixerit, Ignosce mihi, humilians se, comburit dæmones tentatores. INCERTI.

48. Dixit senex: Si acquisieris taciturnitatem, non habeas apud temetipsum quasi aliquam virtutem, etiamsi obtinueris, sed dic, Quia indignus sum loqui. INCERTI.

80. Dicebat quidam senex: Nisi velaret pistor oculos animalis ad molam circumeuntis, conuerteret se animal & comederet labores suos: ita & nos velamen accipimus secundùm dispensationem Dei, ne videamus quæ operamur bona, & beatificantes forsitan nosmetipsos, perdamus mercedem INCERTI. Ruff. l. 3. n. 118. Pasch. c. 15 n. 1. *Velanda bona opera.*

dem nostram. Propterea ergo relinquimur per interualla temporum semel sic sordidas cogitationes assumere, vt cùm easdem cogitationes aspicimus, nosmetipsos iudicio proprio condemnemus. Eæ enim cogitationes ipsæ, velamen sunt ipsius modici boni operis. Quando autem homo seipsum accusat, non perdit mercedem suam.

INCERTI. Doceri melius quàm docere.

81. Dixit quidam senex: Quia volo magis doceri quàm docere. Item dixit: Non doceas ante tempus, alioquin omni tempore vitæ tuæ minoraberis intellectu.

INCERTI. Quæ sit via humilitatis. Quid subijci omnibus.

82. Interrogatus est quidam senex: Quid est humilitas? Et respondens dixit: Humilitas magnum opus est & diuinum: via autem humilitatis hæc est, vt labores corporales assumi debeant, & adscribat seipsum homo peccatorum, & ponat se subiectum omnibus. Et dixit frater: Quid est esse subiectum omnibus? Respondit senex: Hoc est esse subiectum omnibus, vt non attendat quis aliena peccata, sed sua semper aspiciat, & deprecetur sine intermissione Deum.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 85. Magnum, contumeliam pati.

83. Interrogauit quidam frater senem, dicens: Dic mihi vnam rem, quam custodiam, & viuam per eam. Et dixit ei senex. Si potueris contumeliam pati & sustinere, magnum est hoc, & super omnes virtutes.

INCERTI. Salus ex contemptu.

84. Dixit senex: Qui contemptum & iniuriam & damnum patienter fert, potest saluus esse.

INCERTI. Ex abbatis familiaritate non assumenda fiducia.

85. Dixit senex cuidam: Non habeas notitiam cum abbate, neque frequenter adiungas te ei; quoniam ex hoc fiduciam sumes, & desiderare incipies vt teneas etiam ipse primatum.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 29. tit. Eulalij. Vna humilitatis mattula multis superbiâ mattis potior. Matta humilitatis in igne perstat illæsa.

86. Frater quidam erat in congregatione, & omne pondus quod fratribus imminebat, ipse suscipiebat, ita vt se etiam in fornicatione accusaret. Quidam autem fratrum ignorantes actus eius, cœperunt murmurare aduersus eum, dicentes: Quanta mala facit hic & nec operatur? Abbas sciens quæ agebat, dicebat fratribus: Volo vnam mattulam istius cum humilitate, quàm omnes vestras cum superbiâ. Et vt demonstraret ex Dei iudicio, qualis esset frater ille, attulit omnia quæ operati fuerant illi fratres, & mattam eius de quo querebantur, & accendit ignem, & iactauit in medio. Consumpta sunt ergo omnia illorum opera, matta autem fratris illius illæsa permansit. Hoc autem videntes illi fratres timuerunt, & pœnitentiam coram illo egerunt, habentes eum deinceps velut patrem.

INCERTI. Beatius est peccatum suum videre, quàm Angelos.

87. Interrogatus est senex, quomodo quidam dicerent videre se aspectum Angelorum; & respondit dicens: Beatus est qui peccatum suum semper videt.

INCERTI. Nemo seipsum iustificet.

88. Frater aliquis contristabatur aduersus alium fratrem; quod audiens ille venit satisfacere ei. Ille autem non aperuit ei ostium cellæ suæ. Perrexit ergo ille ad quemdam senem, & dixit ei caussam: Vide ne quasi iustam habeas caussam apud temetipsum in corde tuo, tamquam culpaturus fratrem tuum, vt quasi illum reprehendas, & teipsum iustifices, & propterea non tetigerit Deus cor eius, vt aperiret tibi. Verumtamen hoc est quod dico tibi, vt vel si ille peccauit in te, pone in corde tuo, quia tu in illo peccaueris, & fratrem tuum iustifica, & tunc Deus dat in corde illius concordare tecum: & narrauit illi exemplum tale, dicens: Duo quidam erant sæculares religiosi, & colloquentes secum egressi sunt, & facti sunt monachi: æmulationem autem habentes vocis euangelicæ, sed non secundùm scientiam, castrauerunt se quasi propter regna cælorum. Audiens autem Archiepiscopus, excommunicauit eos: illi autem putantes, quia benè fecissent, indignati sunt contra eum, dicentes: Nos propter regna cælorum castrauimus nos, & hic excommunicauit nos? Eamus & interpellemus aduersus eum Ierosolymitanorum Archiepiscopum. Abeuntes ergo indicauerunt ei omnia. Et dixit eis Archiepiscopus Ierosolymitanus: Et ego vos excommunico. Ex quo iterùm contristati abierunt in Antiochiam ad Archiepiscopum, & dixerunt ei omnia quæ facta fuerant circa se. Et ille similiter excommunicauit eos. Et dixerunt ad seipsos: Eamus Romam ad Patriarcham, & ipse nos vindicabit de omnibus istis. Abierunt ergo ad summum Archiepiscopum Romanæ ciuitatis, & suggesserunt ei quæ fecerant eis memorati Archiepiscopi, dicentes: Venimus ad te, quia tu es caput omnium. Dicit autem eis & ipse: Ego vos excommunico, & segregati estis. Tunc defecerunt excommunicati totius rationis, & dixerunt ad semetipsos: Isti episcopi sibi inuicem deferunt & consentiunt, propter quod in Synodis congregantur: sed eamus ad illum virum Dei sanctum Epiphanium episcopum de Cypro, quia propheta est, & personam hominis non accipit. Cùm autem appropinquarent ciuitati eius, reuelatum est ei de ipsis; & mittens in occursum eorum dixit: Ne intretis ciuitatem istam. Tunc illi in se reuersi, dixerunt: Pro veritate nos culpabiles sumus: vt quid ergo nosipsos iustificamus? Fac etiam quia illi iniustè nos excommunicauerunt, numquid & iste propheta? ecce enim Deus reuelauit ei de nobis. Et reprehenderunt semetipsos valdè de culpâ quam fecerunt. Tunc videns

Excommunicantur qui se etiam propter regna cælorum castrant.

Romanus Pontifex caput omnium.

qui corda nouit quia pro veritate se culpabiles fecerant, reuelauit episcopo Epiphanio. Et vltrò misit & adduxit eos, & consolatus eos, suscepit in communionem. Scripsit itaque de his Archiepiscopo Alexandriæ, dicens: Suscipe filios tuos, quoniam in veritate pœnitentiam egerunt. Et addidit senex qui hoc exemplum narrauerat, dicens: Hæc est sanitas hominis, & hoc est quod vult Deus, vt homo culpam suam proijciat ante Deum. Hæc cùm audisset frater, fecit secundùm verbum senis, & pergens pulsauit ostium fratris; ille autem mox vt sensit eum, priùs apud illum deintus pœnitentiam gessit, aperuitque statim ostium, & osculati sunt se inuicem ex animo, & facta est inter vtrosque pax maxima.

Inimicus humilitate praueniendus.

INCERTI. Ruff.l.3. n.18.

89. Duo monachi, qui erant etiam carnales fratres, habitabant simul, & volebat diabolus separare eos ab inuicem. Semel ergo vnus, qui erat minor ætate, incendit lucernam, & posuit eam super candelabrum. Fecit autem opera sua dæmon, & euertit candelabrum: quapropter cecidit eum maior frater cum irâ. Ille verò pœnitentiam egit, dicens ei: Habe patientiam in me, frater, & iterùm accendo eam. Et ecce virtus Domini venit, & torquebat illum dæmonem vsque manè. Dæmon autem nuntiauit suo principi quod factum fuerat. Et audiuit sacerdos Paganorum id quod retulerat dæmon, & egressus factus est monachus, & ab initio conuersionis suæ tenuit humilitatem, dicens: Humilitas soluit omnem virtutem inimici, sicut ego audiui eos loquentes, dicendo: Quia quando perturbamus monachos, conuertitur vnus ex eis, & agit pœnitentiam, & destruit omnem virtutem nostram.

Humilitas soluit omnem virtutem inimici.

LIBELLVS DECIMVSSEXTVS.

De Patientiâ.

GELASII. Ruff.l.3. n.30. nomine *Anastasij.*

1. DICEBANT fratres de abbate Gelasio, quia habuerit codicem in membranis valentem solidos decem & octo. Continebat vetus & nouum Testamentum totum: & positus erat codex ipse in ecclesiâ, vt qui vellet de fratribus legeret. Superueniens autem quidam frater peregrinus applicuit ad senem, & videns codicem illum concupiuit eum, & furatus eum exiuit atque discessit. Senex verò non est secutus post eum vt comprehenderet eum, vtpote qui intellexerat quod fecerat. Ille autem pergens in ciuitatem, quærebat cui venderet eum. Et cùm inuenisset qui volebat emere, cœpit solidos sedecim pretium eius postulare. Ille verò volens comparare eum, dixit: Da mihi primùm vt ostendam eum, & sic tibi pretium dabo. Dedit ergo ille codicem ad ostendendum. Quem accipiens ille qui emere cupiebat, attulit eum ad abbatem Gelasium, vt probaret si bonus codex esset, aut si tantum valeret. Dixerat enim ei & quantitatem, quam venditor postulabat. Et dixit senex: Eme illum, quia bonus codex est, & valet pretium quod dixit tibi. Ille autem veniens dixit venditori aliter, & non sicut audierat à sene, dicens: Ecce ostendi illum abbati Gelasio, & dixit mihi quia carus est, & non valet quantum dixisti. Ille hoc audiens dixit ei: Nihil aliud tibi dixit senex? Et respondit: Nihil. Tunc dicit ei: Iam nolo vendere codicem istum. Compunctus autem venit ad senem pœnitentiam agens, & rogans eum vt reciperet codicem: senex autem nolebat accipere eum. Tunc dixit ei frater: Quia si non recipis eum, non possum securus esse. Et dixit ei senex: Si non potes esse securus nisi recipiam, ecce recipio eum. Et remansit frater ille apud eum vsque ad exitum suum, proficiens de patientiâ senis.

Gelasij patientia & prudens dissimulatio.

Non datur securitas nisi restituto ablato.

EVAGRII.

2. Factus est aliquando conuentus in Cellis pro caussâ quadam, & locutus est quidam abbas Euagrius, & dixit ei presbyter monasteriorum: Scimus, abba Euagri, quia si esses in patriâ tuâ, fortè aut episcopus fueras, aut multorum caput; nunc autem hîc velut peregrinus es. Ille verò compunctus, non quidem turbulenter aliquid respondit, sed mouens caput, respiciensque in terram, digito scribebat, & dixit eis: Reuerà ita est, patres: verumtamen semel locutus sum, in scripturis verò secundò nihil adiiciam.

IOANNIS. Ruffin. l.3.n.92.

3. Sedente aliquando abbate Ioanne Breui ante ecclesiam, circumdederunt eum fratres, exquirentes ab eo singuli de cogitationibus suis. Quidam autem senex hoc videns, accensus inuidiâ dixit ei: Suriscula tua, abba Ioannes, veneno est pleno. Et respondit ei abbas Ioannes: Ita est, abba. Hoc autem dixisti, quia ea quæ sunt foris, tantummodò vides; si autem videres quæ intrò sunt, quid esses dicturus?

Ioannis humilitas.

IOANNIS. Ruff.l.3. n.155. Pasch.c.19 n.2.

4. Dicebant de Ioanne Minore de Thebaidâ, qui fuit discipulus abbatis Ammonij, quia duodecim annos fecerit in ministerio, seruiens seni in infirmitate eius, & posthæc sedebat super mattam: senex verò contristabatur pro eo. Et dum multùm laborasset cum eo, numquam dixit ei: Sanus esto. Quando autem iam moriturus erat, residentibus senibus loci, tenuit manum eius, & dixit: Sanus sis, sanus sis, sanus sis. Et tradidit

didit eum senibus, dicens: Hic angelus est, non homo.

ISIDORI. *Patientiâ frater curandus.* 5. Dicebant de abbate Isidoro, qui erat presbyter in Scithi, quia si quis habuisset fratrem infirmum, aut pusillanimem, aut iniuriosum, & volebat eum expellere foris, ille dicebat: Adducite eum ad me. Et apprehendens eum, patientiâ suâ curabat animum fratris illius.

MACARII Ruff. lib. 3. n. 73. Pasch. c. 3. n. 1. *Furantem sibi adiuuat Macarius.* 6. Abbas Macarius in Ægypto positus, inuenit hominem qui adduxerat animal, & rapiebat quæ habebat: ipse verò vt peregrinus astitit furi, & adiuuabat eum ad animal carricandum, & cum omni quiete deduxit eum, dicens in semetipso: Nihil intulimus in hunc mundum, sed Dominus dedit; sicut voluit ipse, ita factum est: benedictus in omnibus Dominus. 1. Tim. 6.

MOYSIS. *Moyses opprobria patienter fert.* 7. Factâ aliquando congregatione fratrum in Scithi, cùm voluissent senes probare abbatem Moysen, contempserunt eum, dicentes: Vt quid iste Æthiops venit in medio nostrûm? Ille autem audiens, tacuit. Cùm verò dimissus fuisset conuentus, dixerunt ei hi, qui eum iniuriosè tractauerant: Nec modò non es turbatus? Et ille respondit: Turbatus sum, & non sum locutus. Psal. 67.

AMMONAE. 8. Paysius frater abbatis Pastoris habuit affectum cum quodam monacho ex cellâ suâ; abbas autem Pastor nolebat hoc: qui consurgens fugit ad abbatem Ammonam, & dicit ei: Frater meus Paysius habet cum quibusdam affectum, quod ego non libenter fero. Dixit autem ei abbas Ammonas: Abba Pastor, adhuc viuis? Vade in cellam tuam, & pone in corde tuo, quia annum iam habes in sepulcro. *Sepulcri memoria contra inuidiam.*

PASTORIS *Taciturnitate omnia superantur.* 9. Dixit abbas Pastor: Omnis labor quicumque euenerit tibi, ex taciturnitate superabitur.

SISOI. Ruff. l. 3. n. 77. Pasch. c. 7. n. 1. 10. Quidam frater læsus ab alio fratre, venit ad abbatem Sisoi Thebæum, & dicit ei: Læsus sum à quodam fratre, & volo me vindicare. Senex autem rogabat eum, dicens: Noli, fili; sed dimitte magis Deo vindictam. Ille autem dicebat: Non quiesco donec meipsum vindicauero. Dixit autem senex: Oremus frater. Et surgens dixit senex: Deus, iam te opus non habemus cogitare de nobis, quoniam nos ipsi vindictam nostram facimus. Hoc autem audiens frater, cecidit ad pedes illius senis, dicens: Iam non contendo cum fratre illo, sed rogo ignosce mihi. *Qui se vindicat, de eo Deus non cogitat.*

INCERTI. *Magis viuentes quàm mortuos porta.* 11. Quidam videns quemdam religiosum portantem mortuum in lecto, dicit ei: Mortuos portas? Vade, viuentes porta.

INCERTI. 12. Dicebant de quodam monacho, quia quantum eum iniurijs quis appetisset aut exacerbasset, tantò magis ille ad eum concurrebat, dicens: Quia huiusmodi homines caussa corrigendi fiunt his, qui in conuersatione studiosi sunt. Nam qui eos beatificant, magis confundunt animas eorum. Scriptum est enim: Quia qui beatificant vos, seducunt vos. Ruff. l. 3. n. 80. Pasch. c. 7. n. 4. Isaiæ 3.

INCERTI. Prat. spirit. c. 212. 13. Venerunt aliquando latrones in monasterium senis, & dixerunt ad eum: Omnia quæ in cellâ tuâ sunt, tollere venimus. Et ille dixit: Quantum vobis videtur, filij, tollite. Tulerunt ergo quodcumque inuenerunt in cellâ, & abierunt. Obliti sunt autem ibi saccellum, quod erat absconditum in cellâ. Senex verò tollens eum, secutus est post eos, clamans & dicens: Filij, tollite quod obliti estis in cellâ. Illi verò admirantes patientiam senis, retulerunt omnia in cellâ eius, & pœnitentiam egerunt omnes, ad inuicem dicentes: Hic verè homo Dei est. *Egregia senis patientia, fures sustinentis & adiuuantis.*

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 91. 14. Fratres quidam venerunt ad senem quemdam sanctum in deserto loco sedentem, & inuenerunt foris extra monasterium puerum pascentem pecora, & loquentem verba quæ non decebat. Postquam autem viderunt senem, & indicauerunt ei cogitationes suas, & de responsione eius se profecisse senserunt, dicunt ei: Abba, quomodo acquiescis habere tecum pueros istos, & non præcipis eis [44] ne strinientur? Et dixit senex: Credite mihi, fratres, dies habeo, ex quo volo eis præcipere, & redarguo meipsum, dicens: Si hoc parum non portauero, quomodo maiorem tentationem, si permiserit mihi Deus inferri, portare possum? Et propterea nihil eis dico, vt fiat consuetudo portandi quæ superueniunt. *A minoribus tolerandis ad maiora assuescimus.*

INCERTI. 15. Narrauerunt de sene quodam, quia habuerit puerulum cohabitantem secum: & videns eum, quia fecerit opus quod non expediebat ei, dixit ei semel: Non facias hanc rem. & ille non obediuit ei. Hoc autem senex videns, abiecit de cogitatione suâ curam illius, iactans proprium iudicium super ipsum; puer verò clausit ostium cellæ, in quâ erant panes, per tres dies, & dimisit senem ieiunum, & non dixit ei senex: Vbi es, aut quid facis foris? Habebat autem vicinum senex: qui cùm agnouisset, quia tardaret puerulus ille, fecit modicum pulmentum, & dabat ei per parietem, & rogabat vt gustaret, & dicebat seni: Quid tardat frater ille foris? Senex verò dicebat: Quando ei vacauerit, reuertetur. *Admiranda senis patientia.*

INCERTI. Ruff. l. 2. n. 74. 16. Narrauerunt aliqui: quia philosophi quidam aliquando voluerunt probare mona-

VERBA SENIORVM. Libell. XVI. DE PATIENTIA. Pasch. c. 3. n. 2.

monachos, & venit vnus transiens stolà indutus & benè vestitus. Et dixerunt ei philosophi: Tu veni huc. Ille verò indignatus, iniurijs aggressus est eos. Transijt & alter vnus monachus magnus, rusticus genere; & ipsi dixerunt ei: Tu monache male senex veni huc. Ille verò cursim venit. Et cœperunt ei alapas dare: ille autem conuertit eis aliam maxillam. Statim verò illi surrexerunt philosophi, & adorauerunt eum, dicentes: Verè ecce monachus. Et fecerunt eum sedere in medio sui, & interrogauerunt eum, dicentes: Quid est quod plus facitis de nobis in solitudine istà? Ieiunatis, & nos ieiunamus; & castigatis corpora vestra, & nos castigamus; sed & quidquid facitis, etiam & nos facimus. Quid ergo plus facitis à nobis sedentes in eremo? Respondit eis senex: In gratià Dei speramus nos, & mentem nostram custodimus. Et illi dixerunt ei: Nos hoc custodire non possumus. Et ædificati dimiserunt eum.

Verus monachus, qui iniuriarum patiens.

INCERTI. 17. Senex quidam erat habens probatum discipulum, quem aliquando contristatus expulit foràs. Ille verò discipulus exspectabat sedens foris; & aperiens senex inuenit eum, & pœnitentiam egit apud eum senex, dicens: Tu pater meus es, quia humilitas & patientia tua vicit pusillanimitatem animi mei. Veni intus, amodò enim tu senex & pater, ego autem iuuenis & discipulus, quoniam opere tuo superasti meam senectutem.

Discipulus patientià magister euadit.

INCERTI. 18. Dicebat quidam senum, quòd audierit aliquos viros sanctorum dicere, esse iuuenes qui ducatum præbeant senibus in vità hac, & narrauerunt, dicentes: Quia erat quidam ebriosus senex, & operabatur vnam mattam in die, & vendebat eam in vicino vico, & bibebat quod accipiebat de pretio eius. Posteà verò venit ad eum quidam frater, & manebat cum ipso, qui similiter operabatur & ipse mattam vnam: tollebat autem eam senex & vendebat, & ambarum mattarum pretium expendebat in vino, illi autem fratri afferebat tantummodò modicum panem ad seram. Et cùm hoc triennio iugiter faceret, nihil locutus est frater ille. Posthæc verò dixit frater ille in semetipso: Ecce nudus sum, & panem cum egestate comedo, surgam ergo & discedam hinc. Iterùm autem cogitauit in semetipso, dicens: Vbi habeo ire? Sedeo hìc; ego enim propter Deum sedeo in hac vità communi. Et statim apparuit ei angelus Domini, dicens: Nusquam discedas, veniemus enim cras ad te. Et rogauit frater ille senem illum ipsà die, dicens: Non discedas hinc alicubi, quia venient hodie mei tollere me. Cùm ergo facta fuisset hora, quà solebat senex descendere ad vicum, dixit fratri: Non venient hodie, fili; iam enim tardè est. Et ille dixit ei modis omnibus, quia venient: & dum cum eo loqueretur, dormiuit in pace; senex autem flebat, dicens: Heu me, fili, quia multis annis sub negligentià viuo, tu autem in paruo tempore saluasti animam tuam per patientiam. Et ex illo die factus est senex sobrius & probatus.

Nouitij quandoque senum in virtutibus duces.

Nouitium patientem Angelus solatur.

INCERTI. Ruff. l. 3. num 74. Pasch. c. 3. n. 1. 19. Dicebant de quodam fratre, qui seni cuidam magno vicinus erat, quia ingrederetur, & raperet quidquid haberet senex in cellà suà. Videbat autem eum senex, & non obiurgabat eum, sed extorquebat sibi plus solito manibus operari, dicens: Credo, opus habet frater iste. Et exigebat à se maiorem solito laborem; & astringebat ventrem suum, vt cum indigentià comederet panem. Cùm autem mori cœpisset senex ille, circumsteterunt eum fratres. Et respiciens in eum, qui furabatur, dixit ei: Iunge te huc ad me. Et tenuit & osculatus est manus eius, dicens: Gratias ago istis manibus, frater, quia propter istas vado in regno cælorum. Ille autem compunctus & pœnitentiam agens, factus est etiam ipse probatus monachus, exemplum sumens de actibus magni illius senis.

Manibus furis iter suum ad cælum senex ascribit.

Hic in editis sequebatur n. 20. de Thaïs meretrice: sed eam habes lib. 1. inter Vitas.

LIBELLVS DECIMVSSEPTIMVS.

De Charitate.

ANTONII. 1. DIXIT abbas Antonius: Ego iam non timeo Deum, sed amo, quia amor foràs misit timorem. 1. Ioan. 4.

Charitas timore potior.

EIVSDEM. 2. Dixit iterùm: Quia de proximo est vita & mors: si enim lucremur fratrem, lucrabimur Deum: si autem scandalizamus fratrem, in Christo peccamus.

Lucrum fratris, lucrum Dei.

3. Abbas Ammon de loco Nitrionis, venit ad abbatem Antonium, & dixit ei: Video quia maiorem laborem quàm tu sustineo, & quomodo nomen tuum magnificum est in hominibus super me? Et dixit ei abbas Antonius: Quoniam & ego diligo Deum plus quàm tu.

Dilectio Dei hominem magnificat.

HILARIONIS ET ANTONII. 4 Venit aliquando abbas Hilarion de Palæstinà ad abbatem Antonium in montem, & dicit ei abbas Antonius: Benè venisti, Lucifer, qui manè oriris. Et dixit abbas Hilarion: Pax tibi, columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.

Lucifer Hilarion, columna lucis Antonius.

ARSENII. 5. Dixit abbas Marcus abbati Arsenio: Quare nos fugis? Et dicit ei senex: Scit Deus, quia diligo vos; sed non possum esse cum Deo & cum hominibus: superiorum enim

Qui cum Deo esse vult, homines fugiat.

enim virtutum millia & millium millia vnam voluntatem habent; homines autem multas voluntates. Non possum ergo dimittere Deum, & venire, & esse cum hominibus.

AGATHONIS. Ruff. l. 3. n. 95. 6. Dixit abbas Agathon: Quia secundùm voluntatem meam numquam dormiui, retinens in corde aduersus quemquam dolorem, neque dimisi dormire alium habentem aduersum me aliquid.

IOANNIS. 7. Ascendente aliquando de Scithi abbate Ioanne cum alijs fratribus, errauit, qui eis ducatum præbebat, in viâ; erat enim nox. Et dixerunt fratres abbati Ioanni: Quid facimus, abba, quia errauit frater iste de viâ, ne fortè moriamur errantes? Et dixit eis senex: Si dixerimus ei aliquid, contristabitur. Sed ecce facio meipsum quasi defectum, & dico me non posse ambulare, sed iaceo hîc vsque manè. Et fecerunt sic. sed & residui dixerunt: Nec nos ibimus, sed sedebimus tecum: & sederunt vsque manè, ne obiurgarent fratrem illum.

Charitas fratrum errores tegit.

PASTORIS Ruff. lib. 3. n. 95. 8. Senex quidam erat in Ægypto, antequam veniret illic abbas Pastor: ille autem senex habebat notitiam hominum & multum honorem. Cùm ergo ascendisset abbas Pastor de Scithi cum suis, dimiserunt illum senem, & venerunt ad abbatem Pastorem: inuidiatus autem senex malè loquebatur de eis. Hoc audiens Pastor, contristabatur, & dicit fratribus suis: Quid faciemus de sene isto magno, quia nos in tribulatione miserunt homines derelinquentes senem, & ad nos qui nihil sumus, attendentes? Quomodo ergo possumus sanare eum? Et dixit eis: Facite aliquid ad gustandum, & tollite vasculum vini, & eamus ad eum, & gustemus simul, forsitan per hæc possumus sanare animum eius. Tulerunt ergo quos parauerant cibos, & perrexerunt ad eum: & dum pulsarent ostium, respondit discipulus eius, dicens: Qui estis? Et illi dixerunt: Dic abbati, quia Pastor est, & desiderat benedici per vos. Hoc autem nuntiat ei discipulus eius. Ille mandauit, dicens: Vade, quia non mihi vacat. Illi autem perseuerantes in caumate dixerunt: Non discedimus, nisi meruerimus benedictionem senis. Senex autem videns perseuerantiam & humilitatem eorum, compunctus aperuit eis, & intrantes gustauerunt cum eo: cùm ergo manducarent, dixit senex: In veritate dico, minus quàm quod est audiui de vobis: centuplum enim est quod video in opere vestro. Factus est ergo amicus eis ex illo die.

Pastor humilitate æmuli animum ægrum sanat.

EIVSDEM. 9. Dixit abbas Pastor: Conare secundùm virtutem tuam nulli omnino facere malum, & castum serua cor tuum omni homini.

10. Iterùm dixit: Non est aliquid maius dilectione, etiam vt animam suam ponat quis pro proximo suo. Etenim si quis audiens sermonem tristem, cùm possit ipse id facere, certet atque sustineat, & non recontristet; vel etiam si læsus in re aliquâ patienter tulerit, non retribuens contristanti atque lædenti se; eo modo huiusmodi homo animam suam ponit pro proximo suo.

EIVSDEM. Ruff. l. 2. n. 201. Pasch. c. 37 n. 3. Append. Matt. n. 14

Quomodo quis animā ponat pro proximo.

PAMBO. Ruff. l. 3. n. 164. 11. Contigit aliquando abbatem Pambo iter cum fratribus in partibus Ægypti facere: & videns quosdam sæculares sedentes dixit eis: Surgite, & salutate, & osculamini monachos vt benedicamini, frequenter enim cum Deo loquuntur; & sancta sunt ora eorum.

Ora monachorum sancta.

PAPHNVTII. Ruff. l. 3. n. 151. 12. Dicebant de abbate Paphnutio, quia non citò bibebat vinum. Ambulans autem aliquando iter, superuenit in conuentu latronum, & inuenit eos bibentes: cognouit autem eum qui primus erat latronum; & sciebat quia non biberet vinum. Videns ergo eum de multo labore fatigatum, impleuit calicem vini, & in aliâ manu tenuit gladium euaginatum, & dicit seni: Si non bibis, occidam te. Sciens autem senex, quia mãdatum Dei vult facere, & volens eum lucrari, accepit & bibit. Ille verò princeps latronum pœnitentiam apud eum egit, dicens: Ignosce mihi, abba, quia contristaui te. Et dicit ei senex: Credo in Deo meo, quia per hunc calicem faciet misericordiam tecum & in hoc sæculo, & in futuro. Et respondit primus latronum: Et ego credo in Deo, quia amodò non faciam alicui quidquam mali. Et lucratus est senex omne collegium illorum latronum, per id quòd se propter Deum dimisit voluntati eorum.

Paphnutius latronibus obediens, omnes lucratur.

HYPERICHII. 13. Dixit abbas Hyperichius: Eripe proximum à peccatis, quanta tibi est virtus, sine improperio, quoniam Deus conuertentes non repellit à se. Verbum autem malitiæ & nequitiæ non habitet in corde tuo aduersus fratrem tuum, vt possis dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matth. 6.

Proximi salus procuranda.

DVORVM FRATRVM Ruff. lib. 3. n. 152. 14. Duo fratres erant in Cellis: vnus autem ex eis senex erat, & rogabat illum, qui erat iuuenis, dicens: Maneamus simul, frater. Et ille dixit ei: Peccator sum, & non possum manere tecum, abba. Ille autem rogabat eum, dicens: Etiam possumus. Erat autem senex ille mundus, & nolebat audire, quia monachus haberet in cogitatu fornicationem. Et dicit ei frater: Dimitte mihi vnam hebdomadam, & iterum loquemur. Venit ergo senex, & volens eum iuuenis ille probare, dicebat: In magnâ tenta-

tentatione incurri hebdomadâ istâ, abba: pergens enim pro ministerio quodam in vicum, incidi in mulierem. Et dixit ei senex: Estne pœnitentia? Et dixit frater: Etiam. Senex autem dixit: Ego tecum porto medietatem peccati huius. Tunc dixit frater ille: Modò scio quia possumus simul manere. & manserunt simul vsque ad exitum suum.

Alter alterius onera portate.

INCERTI. 15. Dixit quidam patrum: Si quis te petierit rem aliquam, & violenter præstiteris ei, sit voluntas animi in id quod datur, sicut scriptum est: Quia si quis te angariauerit milliario, vade cum ipso duo: hoc autem est, vt si quis te petierit rem aliquam, des ei ex animo & spiritu.

Matth. 5.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 147. 16. Dicebant de quodam fratre, quia cùm fecisset sportas & posuisset eis ansas, audiuit etiam vicinum suum alium monachum dicentem: Quid facio, quia proximum est mercatum, & non habeo ansas, quas imponam sportellis meis? Ille verò resoluit ansas quas imposuerat sportellis, & fratri illi vicino attulit, dicens: Ecce istas superfluas habeo, tolle, impone in sportas tuas. Et fecit opus fratris sui perficere ad quod opus erat, proprium autem opus reliquit imperfectum.

Charitas proximum sibi prefert.

INCERTI. 17. Dicebant de quodam sene in Scithi, quia ægrotauit, & voluit manducare modicum panem recentem: hoc autem audiens quidam exercitatorum fratrum, tulit melotem suam, & misit in eam panem siccum, & vadens in Ægyptum, mutauit illum ad panem recentem, & attulit seni. Et cùm vidissent fratres panes illos recentes, mirati sunt; senex autem noluit gustare, dicens: Quia sanguis fratris est. Et rogauerunt senes, dicentes: Propter Deum comede, ne vacuum sit sacrificium fratris istius. Atque ita rogatus comedit.

Charitas in ægrotū.

INCERTI. 18. Frater interrogauit quemdam senem, dicens: Duo sunt fratres, ex quibus vnus quiescit in cellâ suâ, protrahens ieiunium sex dierum, & multum sibi laborem imponens: alter verò ægrotantibus deseruit. Cuius opus magis acceptum est Deo? Respondit ei senex: Si frater ille, qui sex diebus ieiunium leuat, appendat se per nares, non potest esse æqualis illi, qui infirmantibus deseruit.

Seruiens infirmis ieiunatori præfertur.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 181. Pasch. c. 28 n. 4. 19. Interrogauit quidam senem quemdam, dicens: Quomodo sunt modò quidam laborantes in conuersatione, & non accipiunt gratiam sicut antiqui? Dicit ei senex: Quia tunc charitas erat, & vnusquisque proximum suum trahebat sursum: nunc autem refrigescente charitate, vnusquisque proximum suum deorsum trahit, & propterea gratiam non meremur accipere.

INCERTI. Append. Mart. n. 9. 20. Perrexerunt aliquando tres fratres ad messem, & susceperunt certum spatium sexaginta modiorum quod meterent. Vnus autem ex eis ipsâ primâ die infirmari cœpit, & reuersus est ad cellam suam. Duo autem qui remanserant, vnus alteri dixit: Ecce frater vides, quia incurrit in ægritudinem frater noster: extorque ergo tu animo tuo, & ego similiter meo paululùm, & credamus in Deo, quia per orationem eius implebimus nos duo opera, & metemus partem ipsius. Cùm ergo explicassent messem totius loci illius quem susceperant, venerunt accipere mercedes suas: & vocauerunt fratrem illum, dicentes: Veni frater, accipe laborem tuum. Et ille dixit eis: Qualem laborem accipiam, qui non messui? Et illi dixerunt ei: Orationibus consummata est messis: veni ergo, accipe mercedes tuas. Factâ ergo plurimâ contentione inter eos de hac re; illo scilicet dicente, Non accipiam, quia non laboraui; illis verò non acquiescentibus, nisi & ipse perciperet partem suam, abierunt ad iudicium cuiusdam magni senis. Et dixit ei ille frater: Perreximus tres, vt meteremus in agro cuiusdam ad mercedes. Cùm autem venissemus ad locum quem messuri eramus, ipsâ primâ die in ægritudine cecidi, & reuersus sum in cellam meam, nec vnâ die metere præualens cum eis. & nunc cogunt me isti, dicentes: Frater, veni, accipe mercedes, vbi non laborasti. Dixerunt autem & illi fratres: Reuerà perreximus metere, & suscepimus spatium sexaginta modiorum quod meteremus: & si fuissemus toti tres, cum grandi labore vix potuissemus explicare illud; orationibus autem fratris huius nos duo velociùs quàm tres potuimus & demessuimus agrum, & dicimus ei: Veni accipe mercedes tuas, & non vult. Hoc autem audiens senex, miratus est, & dixit vni de monachis suis: Percute signum in cellâ fratrum, vt congregent se hic omnes. Qui cùm venissent, dixit eis: Venite fratres, & audite hodie iustum iudicium. Et indicauit eis omnia senex, & adiudicauit fratrem illum, vt acciperet mercedes suas, & faceret ex his mercedibus quod ipse vellet. Et discessit frater ille contristatus & plorans, quasi præiudicium passus.

INCERTI. 21. Dicebat quidam senex: Quia patres nostri consuetudinem habuerunt venire ad cellas nouorum fratrum, qui solitarij conuersari volebant, & visitabant eos, ne quis eorum tentatus à dæmonibus læderetur

Nouitij visitandi.

retur à cogitatione suâ. Et si quando aliquis eorum inueniebatur læsus, adducebant eum ad ecclesiam, & ponebatur peluis cum aquâ, & fiebat pro eo oratio qui tentationibus laborabat, & lauabant omnes fratres manus suas in pelui, & perfundebatur aqua illa fratri qui tentabatur, atque ita statim purgabatur frater ille.

Mira vis aquæ à manibus virorum sanctorum.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 96.

22. Duo senes multis annis simul conuersati sunt, & numquam inter se litem habuerunt. Dixit autem vnus alteri: Faciamus & nos vnam litem, sicut homines faciunt. Et ille respondit fratri, dicens: Nescio qualiter fiat lis. Et ille dixit: Ecce pono in medio laterculum, & ego dico: Meum est hoc. tu autem dic: Non, sed meum est; inde fit litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, & dicit vnus eorum: Meum est hoc. Et alter dixit: Non, sed meum est. Et ille respondit ei, Etiam tuum est: tolle ergo & vade. Et discesserunt, nec contendere inter se potuerunt.

Senes duo multis annis sine litigio viuentes.

INCERTI.

23. Frater aliquis interrogauit senem quemdam, dicens: Si videro fratrem, de quo audiui aliquam culpam, non possum suadere animo meo, vt introducam eum in cellam meam: si autem videro bonum fratrem, ipsum libenter suscipio. Et dixit ei senex: Si facis bonum fratri bono, illi parum, alteri duplum impende: ipse est enim qui infirmatur.

Infirmo fratri duplum obsequium impendendū.

INCERTI.

24. Dixit quidam senex: Numquam desideraui opus quod mihi vtile esset, & fratri meo dispendium faceret, huiusmodi habens spem, quia lucrum fratris mei, opus fructificationis est mihi.

Lucrum fratris fructus tuus.

INCERTI.

25. Quidam frater erat minister cuiusdam patris. Contigit autem vt vulnus fieret in corpore senis, & sanies multa ex eo cum fœtore proflueret. Dicebat autem cogitatio sua fratri illi qui ei deseruiebat: Discede hinc, quia non potes sustinere fœtorem putredinis istius. Ille verò frater, vt reprimeret huiusmodi cogitationem, tulit vas & lauit vulnus senis illius, & recolligit ipsam aquam in vase; & quoties sitiebat, ex eâ bibebat. Cœpit autem iterùm cogitatio sua sollicitare eum, dicens: Si non vis fugere, vel non bibas fœtorem hunc. Frater autem ille laborabat, & toleranter ferebat, bibens lauaturam vulneris illius. Et cùm ita ministraret seni, vidit Deus charitatem laboris eius, & illam lauaturam vulneris in aquam mundissimam vertit, & senem inuisibili medicamento sanauit.

Insignis sui victoria lauaturam vulneris bibendo.

Lauatura in aquam mundam vertitur.

LIBELLVS DECIMVSOCTAVVS.

De Præuidentiâ siue Contemplatione.

DE PRAEVIDENTIA.

ARSENII.

1. FRATER abijt ad cellam abbatis Arsenij in Scithi, & attendit per fenestram, & vidit senem totum quasi igneum: erat autem frater ille dignus, qui talia intueretur. Et cùm pulsasset, egressus est senex, & vidit fratrem illum stupentem, & dicit ei: Diu est quòd hîc pulsas? ne aliquid vidisti? Et ille respondit ei: Non. Et colloquens cum eo, dimisit eum.

Arsenius totus igneus apparet.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 38.

2. Dixit abbas Daniel, qui erat discipulus abbatis Arsenij: Quia narrauit ei abbas Arsenius, tamquam de alio aliquo dicens: (puto tamen quòd de eo dicebatur.) Quia cùm sederet in cellâ suâ quidam senum, venit vox dicens ei: Veni, ostendam tibi opera hominum. Et surgens exijt: & duxit eum in quemdam locum, & ostendit ei Æthiopem incidentem ligna, & facientem sarcinam grandem, & tentabat portare eam; & non poterat, & pro eo vt auferret ex sarcinâ illâ, ibat item, & incidebat ligna, & addebat ad sarcinam: hoc autem faciebat diutiùs. Et procedens paululùm, ostendit ei hominem rursus stantem super lacum, & impleuit vas aquâ, & ex eo infundentem in cisternam pertusam, quæ cisterna iterùm aquam ipsam refundebat in lacum. Et dicit ei iterùm: Veni, ostendam tibi aliud: & ecce vidi templum, & duos viros sedentes in equis, & portantes lignum transuersum vnum contra vnum: volebant autem per ianuam intrare in templum, & non poterant propter lignum illud, quod in transuerso portabant, & non inclinantes se vnus post alium, vt fieret lignum illud directum, remanserunt foris extra ianuam templi. Et cùm interrogasset quid hoc esset, ille respondit ei: Hi sunt qui portant velut iustitiæ cum superbiâ iugū, & humiliati non sunt vt corrigant se & ambulent humiliter in viâ Christi, propter quod & remanent foris à regno Dei. Ille autem qui ligna incîdit, homo est in peccatis multis, & pro illis non agit pœnitentiam, nec subtrahit de peccatis suis, sed & iniquitates adhibet supra iniquitates suas. Qui autem aquâ implet cisternam, homo est qui opera quidem facit bona, sed quia habet etiam in eis permixta & mala, pro hoc perdit etiam & bona opera sua. Quapropter conuenit omnem hominem sobrium esse in considerandis operibus suis, ne in vanum videatur sustinere labores.

Arsenij visio de tribus hominum generibus & operibus.

Visionis expositio.

SENIS.

3. Narrauit iterùm abbas Daniel, dicens: Dixit pater noster abbas Arsenius de quodam

dam

dam sene, qui erat magnus in hac vitâ, simplex autem in fide, & errabat pro eo quòd erat idiota, & dicebat, non esse naturaliter corpus Christi panem quem sumimus, sed figuram eius esse. Hoc autem audientes duo senes quòd diceret hunc sermonem, & scientes quia magna esset vita & conuersatio eius, cogitauerunt quia innocenter & simpliciter diceret hoc, & venerunt ad eum, & dicunt ei: Abba, audiuimus sermonem cuiusdam infidelis, qui dicit, Quia panis quem sumimus, non naturâ corpus Christi, sed figura est eius. Senex autem ait eis: Ego sum qui hoc dixi. Illi autem rogabant eum, dicentes: Non sic teneas, abba; sed sicut Ecclesia Catholica tradidit: nos autem credimus quia panis ipse corpus Christi est, & calix ipse est sanguis Christi secundùm veritatem, & non secundùm figuram: sed sicut in principio puluerem de terrâ accipiens plasmauit hominem ad imaginem suam, & nemo potest dicere quia non erat imago Dei, quamuis incomprehensibilis: ita & panis, quem dixit, Quia corpus meum est, credimus quia secundùm veritatem corpus Christi est. Senex autem ait eis: Nisi reipsa cognouero, non mihi satisfacit responsio vestra. Illi autem dixerunt ad eum: Deprecemur Deum hebdomadâ hac de mysterio hoc, & credimus, quia Deus reuelabit nobis. Senex verò cum gaudio suscepit sermonem istum, & deprecabatur Deum, dicens: Domine, si tu cognoscis, quoniam non per malitiam incredulus sum rei huius, sed per ignorantiam errem, reuela ergo mihi, Domine Iesu Christe, quod verum est. Sed & illi senes abeuntes in cellâ suâ, rogabant & ipsi, dicentes: Domine Iesu Christe, reuela seni mysterium hoc, vt credat & non perdat laborem suum. Exaudiuit autem Deus vtrosque: & hebdomadâ completâ venerunt Dominico die in ecclesiâ, & sederunt ipsi tres soli super sedile de scirpo, quod in modum fascis erat ligatum, medius autem sedebat senex ille. Aperti sunt autem oculi eorum intellectuales: & quando positi sunt panes in altari, videbatur illis tantummodò tribus tamquam puerulus iacens super altare. Et cùm extendisset presbyter manus, vt frangeret panem, descendit angelus Domini de cælo habens cultrum in manu, & secauit puerulum illum, sanguinem verò excipiebat in calice. cùm autem presbyter frangeret in partibus paruis panem, etiam & Angelus incidebat pueri membra in modicis partibus. Cùm autem accessisset senex, vt acciperet sanctam Communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruentata.

Eucharistia naturâ est corpus Christi, non figura.

Reuelationem petit senex eâ de re dubitans.

Christus in Eucharistiâ instar puerulli apparet.

Quod cùm vidisset, pertimuit, & clamauit, dicens: Credo, Domine, quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum est, & calix tuus est sanguis. Et statim facta est pars illa in manu eius panis, secundùm mysterium, & sumpsit illud in ore, gratias agens Deo. Dixerunt autem ei senes: Deus scit humanam naturam, quia non potest vesci carnibus crudis, & propterea transformat corpus suum in panem, & sanguinem suum in vinum, his qui illud cum fide suscipiunt. Et egerunt gratias Deo de sene illo; quia non permisit Deus perire labores eius, & reuersi sunt cum gaudio ad cellas suas.

Christus sub pane latens naturæ humanæ accommodat.

4. Iterùm ipse abbas Daniel narrauit de alio sene magno, qui habitabat in inferiores partes Ægypti, quia diceret per simplicitatem, quòd Melchisedech ipse est filius Dei. Hoc autem indicatum est sanctæ memoriæ Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino, & misit ad eum. Sciens autem, quia signifer esset ille senex, & quidquid peteret à Deo, reuelabatur ei, & quia simpliciter diceret hoc verbum, vsus est huiusmodi ratione, dicens: Abba, rogo te quia in cogitatione meâ est, quòd Melchisedech ipse sit filius Dei: & rursus alia cogitatio mea dicit, quia non sit, sed homo sit, & sacerdos summus fuerit Dei. Quoniam ergo hæsito de hoc, idcircò misi ad te vt depreceris Deum, quatenus reuelare tibi dignetur de hoc, quid veritas habeat. Senex autem de conuersatione suâ præsumens, cum fiduciâ dixit: Da mihi per tres dies inducias, & ego deprecor Deum de hac re, & renuntio tibi, quod mihi fuerit reuelatum de hoc. Intrans ergo in cellam suam, deprecabatur Deum de verbo hoc: & veniens post tres dies dixit sanctæ memoriæ Cyrillo: Homo est Melchisedech. Archiepiscopus autem respondit ei: Quomodo constat apud te, abba? Et ille dixit ei: Deus ostendit mihi omnes patriarchas, ita vt singuli eorum coram me transirent ab Adam vsque ad Melchisedech, & Angelus assistens mihi dixit: Ecce iste est Melchisedech; & ideò, Archiepiscope, certus esto, quia sic est. Abiens autem senex, per semetipsum prædicabat, quia homo esset Melchisedech. Et gauisus est magnificè sanctæ memoriæ Cyrillus.

CYRILLI.

Cyrilli prudentia, vt senem ab errore de Melchisedech reuocet.

Instruitur senex ab Angelo de Melchisedech.

5. Puer erat adhuc sanctæ memoriæ Ephræm, & vidit somnium siue reuelationem, quia nata sit vitis in linguâ eius, & creuerit, & impleuerit totam terram fructifera nimis: & quia venirent omnia volatilia cæli, & comedebant de fructu vitis illius; quantum autem manducabant, eò ampliùs implebatur fructu.

EPHRAEM. Suprà in Vitâ Ephræm, cap. 1. Visio Ephræm.

6. Iterùm vidit quidam sanctorum in

EIVSDEM.

somnis

Suprà in Vitâ S. Ephræm c. 3

somnis ordinem angelicum descendentem de cælo, secundùm præceptum Dei, habentem in manu librum; hoc est tomum scriptum intus & foris: dicebant autem ad inuicem: Cui debet committi hoc? Quidam autem dicebant de illo, alij de alio: responderunt autem & dixerunt: Verè quidem vtrique sancti sunt & iusti, quos dicitis; verumtamen hoc eis committi non potest. Multa etiam alia nomina sanctorum dicentes, posteà dixerunt: Quia nemini potest alteri hoc committi nisi Ephræm: & vidit senex ille, cui hoc in somnis apparuit, quia Ephræm dederunt tomum illum. Manè autem surgens audiuit Ephræm docentem & velut fontem ebullientem de ore ipsius: & cognouit senex, qui somnium viderat, quia Spiritus sancti operatio est, quod egrediebatur de labijs Ephræm.

Visio de sancto Ephræm.

ZENONIS. Ruff. lib. 3. n. 40.

7. Dicebant de abbate Zenone, quia cùm moraretur in Scithi, exijt nocte de cellâ suâ velut ad paludem: & cùm errasset, fecit tres dies & tres noctes ambulans & laborans; & cùm defecisset, cecidit semianimis: & ecce puerulus stetit ante eum habens panem & fursculam aquæ, & dicebat ei: Surge, manduca. Ille autem surgens orauit, existimans quia phantasma esset; puer autem respondens, dixit ei: Benè fecisti. Et iterùm orauit secundò, & tertiò. Et dixit ei: Benè fecisti. Surgens ergo accepit & manducauit. & posthæc dixit ei: Quantum ambulasti, tantum longè es à cellâ tuâ; sed surgens sequere me. Et statim inuentus est in cellâ suâ. Dixit ergo ei senex: Veni intrà, & da nobis orationem. Et cùm intrasset senex, ille subitò non comparuit.

Phantasma oratione explorandum.

IOANNIS.

8. Dixit abbas Ioannes: Quia vidit quidam senum in excessu mentis, tres monachos stantes trans mare: & facta est vox ad eos ex aliâ parte littoris, dicens: Accipite alas igneas & venite ad me. Et duo quidem ex eis acceperunt alas, & volauerunt ad aliud littus, vnde facta est vox. Tertius verò remansit & flebat & clamabat fortiter. Posteà verò datæ sunt sibi alæ, sed non igneæ, sed infirmæ & debiles, ita vt cum omni labore mergendo & resurgendo, nimis afflictus veniret illuc. Sic est & generatio hæc, quæ si accipit pennas, non tamen igneas, sed vix infirmas & debiles potest accipere.

Diuersitas generationis antiquæ & nouæ.

MACARII. Ruff. l. 3. n. 61. Pasch. c. 1. n. 8.

9. Abbas Macarius habitabat in loco omnis deserto: erat autem solus in eo solitarius. In inferiore verò parte erat alia solitudo, in quâ habitabant plurimi fratres. Obseruabat autem senex ad iter, & vidit satanam venientem in habitu hominis, vt transiret per cellam eius. Videbatur autem tunicâ vti lineâ omnino vetustâ & totâ cribratâ, & per omnia foramina eius pendebant ampullæ. Et dixit ei senex: Ohe, maior: vbi vadis? Et ille respondit: Vado commemorare fratres. Senex autem dixit illi: Vt quid tibi ampullæ istæ? & dixit illi: Gustum fratribus porto. Et dixit ei senex: Et totas cum gustu portas? Et respondit: Etiam; si vnum alicui non placet, offeram aliud; si autem nec illud, dabo tertium, & ita per ordinem, vt modis omnibus vel vnum ex eis placeat ei. Et cùm hoc dixisset, transijt; & obseruabat senex custodiens vias, donec ille iterùm remearet: & cùm vidisset eum senex, dicit ei: Sanus sis. Et respondit ei: Vbi est mihi salus? Et dicit ei senex: Quare? Et respondit: Quia modò omnes sanctificati sunt, & nemo mihi acquiescit. Et dixit ei senex: Neminem ergo amicum habes illic? Et respondit: vnum tantummodò habeo fratrem illic, vel ipse solus mihi acquiescit; & quando videt me, conuertitur velut ventus. Senex verò dixit ei: Et quid vocatur frater ille? Respondit: * Theoctistus. Et cùm hoc dixisset, transijt. Surgens autem abbas Macarius, perrexit ad inferiorem eremum: quod cùm vidissent fratres, acceperunt ramos palmarum, & occurrerunt obuiàm ei, & singuli eorum parabant cellas suas, incerti apud quem declinaret. Senex autem requirebat, quis inter eos Theoctistus vocaretur in loco illo: & inueniens eum, intrauit in cellam eius: Theoctistus autem suscepit eum gaudens. Cùm ergo cœpissent loqui secretè, dicit ei senex: Quomodo circa te est frater? Et ille dixit: Orationibus tuis benè. Et dixit senex: Ne impugnant te cogitationes? Et ille dixit: Interim benè sum. Erubescebat enim dicere ei. Et dixit ei senex: Ecce quot annos habeo in conuersatione loci istius, & omnes honorant me; & tamen in hac senectute meâ infestus mihi est spiritus fornicationis. Et respondit Theoctistus, dicens: Crede, abba, quia & mihi. Senex autem simulabat alias cogitationes sibi esse molestas, donec faceret eum confiteri. Deinde dicit ei: Quomodo ieiunas? Et ille dixit: Ad nonam. Dicit ei senex: Ieiuna vsque ad seram, & abstine te, & commenda Euangelia, vt memoriter retineas, sed & alias residuas ex animo meditare Scripturas: & si tibi ascenderit cogitatio mala, numquam deorsum aspicias, sed semper de sursum; & statim te Dominus adiuuabit. Et corrigens senex fratrem illum, reuersus est in solitudinem suam. Et cùm obseruaret, vidit iterùm dæmonem illum, & dicit ei: Vbi vadis iterùm? Et ille respondit: Commemorare fratres. Et abijt. Cùm autem reuerteretur

Visio Macarij de dæmone fratribus gustum portante.

* Ruffinus Theopemptus.

Prudentiâ suâ Macarius fratrem tentatum curat.

Cogitationes si molestant, cælum aspice.

ampul

retur, dicit ei senex: Quomodo sunt ibi fratres? Et ille respondit: Malè. Senex autem dixit: Quare? Et ille respondit: Quia toti sancti sunt; & maius malum, quia & vnus, quem habui amicum & obedientem mihi, etiam ipse nescio vnde subuersus est, & nec ipse mihi acquiescit, sed omnibus sanctior est factus. Et propterea iuraui iam non calcari ad illum nisi post longum tempus. Hæc dicens transiuit relinquens senem; senex verò sanctus intrauit in cellam suam, adorans & gratias agens Deo Saluatori.

EIVSDEM.

10. Abbas Macarius volens consolari fratres, dicebat: Venit huc aliquando cum matre suâ puer, qui à dæmonio vexabatur, & dicebat matri suæ: Surge, eamus hinc. Illa autem dicebat: Non possum pedibus ambulare. Et dicebat ei filius suus: Ego te porto. Et admiratus sum astutiam dæmonum, quomodo eos exinde fugare volebat.

Dæmonis astutia.

EIVSDEM.

11. Dicebat iterùm de desolatione Scithi ad fratres: Quando videritis cellam ædificatam iuxta paludem, scitote quia propè est desolatio Scithi: quando autem arbores videritis, iam ante ianuam est: quando autem videritis pueros, tollite melotes vestras, & discedite.

Pueri à cellis ablegandi.

ISIDORI.

Ruff. lib. 3. n. 10.

12. Abbas Moyses, qui habitabat in Petrâ, impugnatus est aliquando nimis à fornicatione: & cùm non præualeret se tenere in cellà, perrexit & indicauit hoc abbati Isidoro; & rogauit eum senex vt reuerteretur in cellam suam. Ille autem non acquieuit, dicens: Non possum, abba. Et assumpsit eum, & leuauit secum in domo. Et dicit ei: Attende ad Occasum. Et attendens vidit multitudinem dæmonum; & hi erant confusi, & turbantes se ad oppugnandum. Dicit ei iterùm abbas Isidorus: Respice ad Orientem. Et attendit, & vidit innumerabilem multitudinem Angelorum in gloriâ. Dixit ergo abbas Isidorus: Ecce isti sunt qui missi sunt ad auxiliandum; qui verò ad Occasum ascendunt, hi sunt qui impugnant nos: plures ergo qui nobiscum sunt, quàm qui aduersum nos sunt. Et ita agens gratias Deo abbas Moyses sumpsit fiduciam, & reuersus est in cellam suam.

Angeli homines contra dæmones tuentur.

4. Reg. 6.

MOYSIS.

13. Dicebat abbas Moyses in Scithi: Si custodimus mandata patrum nostrorum, ego præsumens de Deo spondeo vobis, quia hud barbari non venient: si autem non custodierimus, desolandus est locus iste.

A mandatorum Dei prauaricatione desolatio.

EIVSDEM

14. Sedentibus aliquando fratribus apud eumdem abbatem Moysem, dicit eis: Ecce barbari hodie in Scithi venient, sed surgite & fugite. Dicunt ei illi: Et tu non fugies, abba? Ille autem dicit eis: Ego per tot annos exspecto diem istum, vt impleatur sermo Domini mei Iesu Christi dicentis: Omnes qui accipiunt gladium, gladio peribunt. At illi dixerunt ei: Neque nos fugiemus, sed tecum moriemur. Et ille dixit eis: Ego caussam non habeo: vnusquisque vestrûm videat quomodo sedeat. Erant autem septem fratres cum eo, & dicunt ei: Ecce barbari appropinquarunt ianuæ, & statim intrantes barbari occiderunt eos. Vnus autem ex eis timore carnali perterritus fugit, & abscondit se post plectas de palmis; & vidit septem coronas descendentes, & coronantes abbatem Moysem & sex fratres qui cum eo fuerant interfecti.

Matth. 26.

Visio septem coronarum pro septem martyribus.

MARCI.

15. Dicebant de abbate Siluano, quia voluit aliquando pergere in Syriam; & dicit ei discipulus suus Marcus: Pater, nolo exire hinc, sed neque te dimitto abire, abba. Exspecta ergo hîc alios tres dies. Et cùm exspectaret abbas, tertiâ die dormiuit in pace Marcus discipulus eius.

Marcus mortem suam prævidet.

PASTORIS

16. Dicebat abbas Ioannes, qui exiliatus est à Marciano: Quia venimus aliquando de Syriâ ad abbatem Pastorem, & volebamus interrogare eum de duritiâ cordis. Senex autem Græcè nesciebat, neque interpres inueniebatur. Videns ergo nos senex tribulantes, cœpit Græcâ linguâ loqui, dicens: Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est: & si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum; ita & sermo diuinus lenis est, cor autem nostrum durum: audiens ergo homo frequenter diuinum sermonem, aperitur cor eius ad timendum Deum.

Sermone diuino frequenter audito cor durum emollitur.

EIVSDEM

Psal. 41.

17. Dixit abbas Pastor: Scriptum est: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quoniam igitur cerui in solitudine serpentes plurimos glutiunt, & cùm accensi eorum veneno fuerint, ad aquas peruenire desiderant: bibentes autem temperantur à feruore serpentini virus: ita & monachi in solitudinibus habitantes, accenduntur dæmonum malignorum veneno; & propterea desiderant Sabbato Dominico venire ad fontes aquarum, hoc est ad Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, vt purgentur ab omni amaritudine dæmonum malignorum.

Corpus & Sanguis Christi fons animæ sitienti.

EIVSDEM.

1. Thess. 5.

1. Pet. 3.

18. Interrogauit aliquis abbatem Pastorem, dicens: Quid est quod scriptum est, Non reddas malum pro malo? Dicit ei abbas Pastor: Hæc passio quatuor modos habet: primum de corde, secundum de aspectu, tertium de linguâ, quartus est facere malum pro malo. Si enim potueris purgare cor, non venit ad aspectum: custodi enim ne loqua-

Ita quatuor modi.

loquaris; si autem locutus fueris, citò te corripe, ne facias malum pro malo.

Pyoterii. Pallad. c.41.&42. 19. Narrauit sanctus Basilius episcopus, dicens: Fuit in quodam monasterio feminarum virgo quædam, quæ stultam esse ac dæmonem se habere simulabat: quæ vsque adeò ab omnibus alijs pro errore habebatur, ita vt nec cibum quidem cum eâ caperent. Talem siquidem elegerat vitam, vt à coquinâ numquam recedens, totius illic ministerij impleret officium: & erat *Humilitas cuiusdam ancillæ Dei.* secundùm vulgare prouerbium, vniuersæ domus spongia, impletum à se rebus probans, quod sanctis libris scriptum legimus: Si quis, inquit, ex vobis putat se esse sapientem in hoc mundo, sit stultus, vt sapiens fiat. *1. Cor. 3.* Hæc igitur inuolutum pannis habens caput, ita quoque in omnibus seruiebat; ceteræ autem virgines tonsæ cucullis cooperiuntur. Nulla aliquando potuit hanc de quadringentis virginibus videre manducantem, numquam per omne æuum suum sedit ad mensam: A nullâ vel modicam partem panis accepit, sed micas tantùm detergens ipsarum mensarum, & abluens ollas, his solis alimonijs contenta viuebat. Nulli vmquam fecit iniuriam: nulla ipsius murmur audiuit: nulli aut parum aut satis locuta est vmquam. Et certè cùm ab omnibus cæderetur, cum omnium odio viueret, maledicta omnium sustineret, sancto Pyoterio, cui hoc vocabulum erat, probatissimo viro, semperque *Præfertur sancto Pyoterio.* in deserto viuenti astitit angelus Domini quadam die sedenti in loco Porphyrite, affatusque est his verbis: Cur, inquit, grande aliquid esse te credis, vt sanctus, & in huiusmodi degens loco? Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad Tabennesiotarum monasterium feminarum, & vnam ex ipsis illic inuenies habentem in capite coronam, ipsamque cognosce te esse meliorem. Quæ dum contra tantum populum sola diebus ac noctibus pugnat, cor ipsius à Deo numquam recessit, tu autem vno in loco residens, neque quóquam aliquando progrediens, per omnes vrbes animo & cogitatione vagaris. Statimque ad supradictum monasterium venit, & magistros fratrum rogauit, vt introducerent eum ad habitaculum feminarum. Quem mox illi, vt virum non solùm vitâ gloriosum, verumetiam & prouectioris ætatis, cum fiduciâ grandi introduci fecerunt. Ingressus autem, omnes sorores desiderauit inspicere: inter quas solam illam, propter quam venerat, non videbat. Ait autem ad postremum: Omnes, inquit, mihi adducite, deesse mihi videtur aliqua. Dicunt ei: Vnam, inquiunt, * stultam *Pallad. item* habemus intrinsecus in coquinâ. Sic enim eas, quæ à dæmone vexantur, appellant. At ille, Exhibete, inquit, ad me ipsam quoque, vt eam videam. Quo audito, suprà memoratam vocare cœperunt. Quæ cùm nollet audire, sentiens, vt credo, aliquid, aut fortassis hoc ipsum diuinâ reuelatione cognoscens, dicunt ei: Sanctus Pyoterius te videre desiderat: erat enim vir famæ ac nominis grandis. Cumque adducta fuisset exhibita, vidissetque panno frontem ipsius inuolutum, proiecit se ad pedes ipsius, dicens: Benedic me, inquit. Quod rursus ad illius pedes tunc & ipsa fecit, ac dixit: Tu me benedic, domine. Omnes sorores obstupuerunt simul, dicentes: Noli, abba, talem iniuriam sustinere; fatua est enim ista, quam cernis. Et sanctus Pyoterius hoc ipsis omnibus ait: Vos, inquit, estis fatuæ; nam hæc & vestra & mea est * Amma. *Amma honoris causâ vocatur.* Hoc enim nomine eâ vocant illi feminas spirituales. Et deprecor Deum, ait, vt dignum ipsâ in die iudicij merear inueniri. Quo audito, omnes simul ad pedes ipsius prociderunt, singulæ varia peccata ei propria confitentes. Alia enim abluens sordes catini supra eam se fudisse dicebat: alia verò colaphis eam à se verberatam sæpè memorabat: alia nares ipsius sinapi impletas à se esse deflebat: ceteræ quoque diuersas referebant se ei iniurias irrogasse. Pro quibus omnibus sanctus ille fusis Deo precibus egressus est. Post paucos autem dies non ferens illa tantam sui gloriam, tantoque se nolens sororum honore *Fugit gloriam & honorem.* cumulari, grauarique se credens excusationibus singularum, egressa est de monasterio illo occultè, & quò ierit, in quem se miserit locum, vel quo fine defecerit, ad nullius potuit notitiam peruenire.

Pauli Simplicis. Ruff. l.3. n.167. Pasch. c.23 n.2. Simile in Ruff. lib. 2. cap. 14. de Eulogio. 20. Beatæ memoriæ Paulus Simplex, discipulus abbatis Antonij, narrauit patribus talem rem: Quia aliquando veniens in monasterio visitandi gratiâ, & pro fratrum instructione, post consuetam ad inuicem consolationem, intrauerunt in ecclesiam Dei, Missas more solito celebrare. Beatus ergo Paulus intuens ad vnumquemque introeuntium in ecclesiam, intendebat quali animo intus intraret: habebat enim hanc gratiam sibi datam à Deo, vt sic videret vnumquemque cuius animi esset, sicut nos facies nostras videmus ad inuicem; sed & cuiusque Angelum gaudentem in eis. Ingredientibus ergo omnibus clarâ facie & splendido vultu, vnum vidit nigrum & obscurum corpore toto, & dæmones ex vtraque parte eius tenentes & trahentes eum ad semetipsos, & capistrum in naribus eius mittentes: sanctum verò Angelum eius de longè lugubrem tristemque sequentem. Paulus

VERBA SENIORVM. Libell. XVIII. De praevidentia.

verò lacrymans & manu frequenter pectus tundens sedebat ante ecclesiam, plorans valdè eum, qui ei talis apparuerat. Qui autem videbant quod faciebat, & tam celerem eius mutationem, & lacrymas & luctum, interrogabant rogantes eum vt diceret quid esset quod videret, timentes ne quid in reprehensione omnium vidisset, pro quo hæc faceret. Postulabant etiam, vt ad Missas intraret cum eis. Paulus autem eos repellens, & negans se ingressurum, sedebat foris iacens & plorans nimis illum qui ei taliter apparuerat. Post paululum autem dimisso ecclesiæ conuentu, iterum Paulus attendebat singulos exeuntes, vt quorum introitum agnouerat, sciret quales exirent, & vidit illum virum nigrum & obscurum toto corpore priùs, exeuntem ab ecclesiâ claro quidem vultu candidoque corpore, dæmones autem, qui antè tenebant eum, posteà de longè sequentes; sanctum verò Angelum iuxta ipsum ambulantem lætum & promptum & gaudentem supra eum valdè. Paulus verò exiliens cum gaudio clamabat, benedicens Deum, & dicens: O ineffabilis misericordia Dei & bonitas! ô diuinæ miserationes eius & innumerabilis bonitas! Currens autem & ascendens super altum gradum magnâ voce dicebat: Venite, videte opera Domini quàm terribilia sunt, & omni stupore digna. Venite, videte eum qui vult omnes homines saluare, & ad agnitionem veritatis venire. Venite, adoremus & procidamus ante eum, & dicamus: Quia tu solus potens es peccata dimittere. Ad hanc vocem eius omnes cucurrerunt, cupientes audire quæ dicebat. Et conuenientibus omnibus referebat Paulus quæ vidisset antequam in ecclesiam intrarent, quæ posteà iterùm. Et interrogauit illum virum, vt diceret ei caussam, pro quâ ei subitò tantam mutationem Deus donauerit. Homo ergo ille conuictus à Paulo, coram omnibus qui circa ipsum erant, apertè narrauit, dicens: Ego peccator homo sum, & multo tempore in fornicatione vixi vsque nunc: ingrediens autem modò in sanctam ecclesiam Dei, audiui vocem Isaiæ prophetæ cùm legeretur, magis autem Dei vocem loquentis in eo, vbi dicit: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, discite benefacere, & si fuerint peccata vestra tamquam phoenicium, velut nix dealbabuntur. Et si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ego, inquit, fornicator in hoc sermone compunctus sum nimis, & ingemiscens intra conscientiam meam, dixi ad Deum: Tu Deus, qui venisti in mundum peccatores saluos facere, & qui hæc quæ modò lecta sunt promisisti per Prophetam, comple effectu & opere etiam in me indigno & peccatore. Ecce enim amodò promitto tibi & spondeo sermone, & corde confiteor, quia iam non agam vltrà illud malum, sed abrenuntio omni iniquitati, & seruio tibi amodò in conscientiâ mundâ. Hodie ergo, Domine, & in hac horâ suscipe me pœnitentem & interpellantem te, & renuntiantem omne peccatum. In his igitur promissionibus, ait, egressus sum de ecclesiâ, statuens in animâ meâ, nihil vltrà agere mali coram oculis Domini. Quod cùm audissent, omnes clamauerunt ad Dominum voce magnâ, dicentes: Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientiâ fecisti. Quapropter agnoscentes hoc Christiani de sanctis Scripturis ac diuinis reuelationibus, quantam Deus habeat bonitatem circa eos qui ad eum deuotè confugiunt, & per pœnitentiam emundant priora delicta, non solùm non coguntur pœnas soluere pro peccatis antè commissis, verumetiam consequuntur promissa bona. Non ergo desperemus de nostrâ salute: quia sicut per Isaiam Prophetam promisit eos, qui in peccatis sunt inuoluti, denuò lauare, & sicut lanam & niuem dealbare, & bonorum cælestium, quæ in cælestis Ierusalem ciuitate sunt, replere; ita & iterùm nunc per Ezechielem prophetam cum iureiurando promisit: Viuo, inquit, ego, dicit Dominus: quia nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.

Marginal notes: *Paulus Simplex merita & demerita communicantium diuinitus nouit.* — *Lætatur Angelus de dignè communicante.* — 1. Tim. 2. — Isaiæ 1. — *Fornicator templum ingressus, auditâ sacrâ lectione compungitur.* — Psal. 103. — Isaiæ 1. — Ezech. 18.

IN

IN LIBRVM QVINTVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

Libell. I. Num. 4. 1. EVAGRIVS.] Fuit hic Euagrius Ponticus, Origenista, de quo vide dicta ad lib. II. Ruffini cap. XXVII. Notat hic Fr. Ioannes Maria Braschellensis, Magister sacri Palatij, in Indice librorum expurgandorum: Hic Euagrius Ponticus Origenista Stoicam suam impassibilitatem, toties tamquam manifestum errorem à S. Hieronymo explosam, inculcat.

2. NON INÆQVALIS.] Ita legendum; editi omittunt, non. Apophthegma hoc Græcè ex Euagrij Practico seu Monacho ita concipitur apud Socratem lib. IV. cap. XXIII. in Græco textu, XVIII. in Latino. Ὅτι ἡ ξηροτέρα, καὶ μὴ ἀνώμαλος δίαιτα, ἀγάπῃ συζευχθεῖσα θᾶττον εἰσάγει τὸν μοναχὸν εἰς τὸν τῆς ἀπαθείας λιμένα. Ita etiam legit Nicephorus lib. XI. cap. XLIII. In Suidâ, vbi de Macarijs agit, & Euagrij quædam opuscula recenset, perperàm legitur ἀνώμαλον, pro μὴ ἀνώμαλον. quæ negatio omissa interpretibus crucem fixit. Hieronymus VVlosius loco ἀνώμαλον diuinabat ἀναίμακτον, quasi incruenta diæta intelligatur, si piscibus & carnibus abstineatur, more Pythagorico. Zacharias Palthenius, qui S. Macarij homilias è Græco vertit, & Suidæ verba præfixit, ἀνώμαλον δίαιταν, asperam viuendi rationem extulit. Ego verò per non inæqualem victum, intelligo æquabilem viuendi rationem, ne quis nunc præparcè, aliàs prælautè; nunc his, aliàs illis cibis vtatur.

3. IN PORTVM IMPASSIBILITATIS.] Insinuat hîc Euagrius Stoicam suam impassibilitatem, contra quam agit D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem contra errores Pelagianorum. Græcè apud Euagrium est, εἰς τὸν τῆς ἀπαθείας λιμένα: apud Suidam tantùm, εἰς ἀπάθειαν.

Num. 5. 4. NVNTIATA.] Hoc dictum apud Socratem lib. IV. cap. XXIII. Græcè, XVIII. Latinè, ex Euagrij Practico seu Monacho ita exprimitur: Ἐμήνυσέ τινι τῶν μοναχῶν θάνατος τοῦ πατρός. Ὁ δὲ, πρὸς τὸν ἀπαγγείλαντα, Παῦσαι, φησὶ, βλασφημεῖν. ὁ γὰρ ἐμὸς πατὴρ ἀθάνατός ἐστι. Idem dictum ex eodem Euagrio citat Nicephorus libro XI. cap. XLIII.

Num. 7. 5. DE PHERME.] Et editi & MSS. hîc variant, alijs Ferine, alijs Firme legentibus. Non dubito, quin recta lectio sit, de Pherme. qui Palladio agenti de Paulo abbate cap. XXIII. mons est in Aegypto, abducens in vastam Scetæ solitudinem, vbi quingenti monachi exercebantur. De eo & Sozomenus libro VI. cap. XXIX. & Nicephorus lib. XI. cap. XXXVI. Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico existimat hunc tractum describi à Philone, libro de Vitâ contemplatiuâ; etsi non nominet. Theodorus igitur hic dictus est de Pherme, ad distinctionem alterius Theodori, qui dicitur de Nono Alexandriæ, libello VII. Pelagij, n. 7. siue de Ennato, libello XI. num. 10. Alibi aliquoties absolutè ponitur Theodorus. quod de vtro intelligendum sit, an de tertio aliquo, quis dicet?

6. IOSEPH.] Ad hoc dictum notat idem Fr. Ioannes Maria, Magister sacri Palatij: Cautè lege: nam Euagrij impassibilitatem innuere videtur. Et cuius hominis opera in hac vitâ ita munda extitêre, vt nihil humani admixtum habuerint, nisi Christi, & eius Genitricis? Num. 9.

7. HOR.] Notat hîc Fr. Ioannes Maria, Magister sacri Palatij, qui suprà: Hic est ille Hor hæreticus Origenista, cuius S. Hieronymus meminit ad Ctesiphontem, quem pro sancto obtrudere conatus est miserabilis Euagrius (imò Ruffinus, vt docui Prolegomenô generali IV.) Quocircà vmbra virtutum eius in ventum abierunt. Libell. III. Num. 19.

8. PLECTAM DE PALMIS.] Crebrò occurrit plecta in his libris, quæ nunc plecta à Græco πλεκτὴ, vt videtur, nunc flecta dicitur. Habenæ sunt è palmâ, iunco, sparto, aut simili re contextæ, ex quibus sportæ, canistra, aliaque eiusmodi conficiuntur. Has Ægyptij σειρὰς vocant. Vide Cassianum Collat. XVIII. caput XV. Libell. IV. Num. 5.

9. ET CVSABAT.] Manusc. quidam, cusibat. Deest hoc editioni Parisiensi. Postquam plectam è palmis torsissent & confecissent, ex plectis illis sportas texebant & consuebant. Hoc interpreti huic cusare seu cusire, Gallis coudre. Et alibi in his libris vox hæc occurret.

10. ASCENDI IN CAVMA.] Id est, incalui. Vsurpat Latinè Græcum καῦμα, quod & alibi hic reperies. Sic mox num. 17. Stetit in cauma, & defrigens seipsum in Sole. Num. 10.

11. ELLADIO.] Veteres editiones, Palladio. Num. 16.

12. ESII.] Apud Cassianum lib. V. Instit. capite XXVII. est Pæsius vel Phesius. Num. 24.

13. PANEM PAXIMATEM.] Aliàs, paxamatem. Panis erat certo pondere in refectionem monachorum in Ægypto. Vide Onomasticon. Num. 25.

14. CORRVO PER IPSAM.] Parisiensis editio: curro opera ipsa. Non rectè. Num. 39.

15. LINGVAM TEMPORE FVRORIS.] Parisiensis editio: intemperiem roris. nullo sensu. Num. 49.

16. EX CORDE.] Gallis, mis, par cœur, id est, memoriter. Sic libello X. num. 91. apud eumdem Pelagium, ex corde Dauid consummauimus. Hildegar- Num. 57.

degardis in Explicatione Regulæ S. Benedicti: Prædictas lectiones ex corde & memoriter, id est, sine libro, quoniam breues sunt, recitabunt. *Sic Græcis* ἀπὸ στήθους λέγειν, *&* ἀποστηθίζειν.

Num. 59. 17 ZIPPVLAS.] *Ita plerique manuscripti & editi. In Vedastino MS. est* pulmentum. *Supra apud Ruffinum lib.* III. *n.* 51. *in hac eadem re,* placentas. *An* zippulæ, *vel* sippulæ, *vel* sipulæ, *à veteri verbo* sipando? *Vide Onomasticon.*

18. RAPHANELÆVM.] *Parisiensis editio:* oleum de semine lini expressum. *Vetus editio:* rafenealion, id est lini oleum. *Quid ni è* raphano *cum Plinio lib.* XIX. *cap.* V. *Vide Onomasticon.*

Num. 63. 19. COPADIVM.] *Parisiensis editio,* compadium. *Veteres editiones Germanicæ in proximo sequenti verbo:* capadium, id est, frustum. *Rem exprimit Germanica interpretatio. Scribendum tamen existimo* copadium, κοπάδιον, *à* κόπτω. *vnde Gallis* couper. *Iam olim tamen videtur etiam* compadium *lectum. Glossarium Camberonense MS.* Compadium pulmentum dictum quasi companium, eò quòd cum pane edatur, n conuersâ in d. *Ita quisque sibi etyma fingebat.*

Num. 65. 20. NIXAS SICCAS.] *Glossarium Camberonense:* Nixa, est genus arboris, à similitudine enixi dicta fructus. *Adumbratum hoc ex Isidori Originibus lib.* XVII. *cap.* VII. *Vide Onomasticon.*

Num. 67. 21. SVRISCVLAM.] *Ita constanter omnes libri. Glossarium Camberonense MS.* Suriscula, vas aquarium. *Non rectè in Glossis Isidori apud Bon. Vulcanium,* Sirascula, vas aquarium. *Lege,* suriscula.

Libell. V Num. 15. 22. PANCRATIARII.] *Ita dicti à* pancratio, *certaminis gymnici specie, quod* ἀπὸ τῶν πάντων κρατεῖν, *quòd omnibus viribus certarent, volunt dictum. Gellius lib.* III. *cap.* XV. pancratiastem *vocat:* Diagoras filios tres habuit, vnum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem. *Glossa Benedictis* Pancratiarij, παγκρατιάσαι.

Num. 26. 23. CVRIALIS.] *Erant* curiales, *qui curijs adscripti erant. Cassiodorus lib.* VI. *Var. ep.* III. Curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus, Minor Senatus. *Sed & aliter hæc vox vsurpata.*

Libell. VI Num. 2. 24. MAGISTRIANVS.] *Ado Viennensis in Martyrologio* II. *Iulij in libello De festiuitatibus Apostolorum:* Natalis SS. Processi & Martiniani, qui cùm essent Magistriani melloprincipes. *Ita locum eum legendum docui ibi in Notationibus, & quid officij gesserint in militiâ Palatinâ ibidem expressi.*

Num. 5. 25. EVAGRIVS.] *Habes hoc Græcè apud Socratem lib* IV. *cap.* XVIII. *ex Euagrij Practico:* Ἐπώλησέ τις τῶν ἀδελφῶν εὐαγγέλιον μόνον, καὶ τοῦτο πωλήσας, ἔδωκεν εἰς βρῶσιν τοῖς πεινῶσιν, ἄξιον μνήμης ἐπιφθεγξάμενος ῥῆμα, Αὐτὸν γάρ, φησι, τὸν λόγον πεπώληκα τὸν λέγοντα· Πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς: Frater quidam librum Euangelij, quem solum habebat, vendidit, pecuniamque ad pauperes sustentandos contulit, dictum memoriâ dignissimum simul elocu-

Matth. 19. tus: Eum ipsum librum vendidi, qui dicit: Vende quæ habes, & da pauperibus.

Num. 18. 26. OSTRACINES.] *Parisiensis editio,* ostiatim. *Aliæ editiones,* ostracen. *Nota* Ostracine *ciuitas in Ægypto.*

Libell. VII Num. 7. 27. DE NONO ALEXANDRIÆ.] *Parisiensis editio,* de Nouo. *alia,* de Nonno. *alia,* de loco. *Sic infrà libello* XI. *num.* II. Theodorus de Ennato, *quod Latinè est,* de Nono. *Intelligitur nonum clima seu regio Alexandriæ. Sic alibi* in Septimo *seu* Hebdomo.

28. PLVMATIVM DE SCIRPO.] *Ita rectè manuscripti & veteres editiones. Malè in editione Parisiensi,* plumarum de stirpe. *Vide Onomasticon.* Num. 10.

29. NONNA.] *Ita manuscripti & veteres editi. Non rectè Parisiensis,* Nonne. *Fingunt dæmones se alloqui quamdam mulierem, quam* nonnam *seu* dominam *vocant. Quasi Gallicè dicant:* Ceste dame la, venez icy. *Vide Onomasticon.*

30. MILIDO.] *Dicitur hic* Milus *in Menologio* Num. 12.
X. *Nouembris:* Commemoratio sancti martyris Mili episcopi, & duorum discipulorum, qui ex Persarum regione ad Christi fidem conuersus ac baptizatus, diuinas litteras edoctus, vnà cum duobus discipulis pro mortali ac terrenâ vitâ immortalem ac cælestem assecutus est.

31. NISI SOL, ET IGNIS, ET AQVA.] *Hæc tria pro dijs culta à Persis, vt notum ex Persarum historijs.*

32 BIDVANAS LEVANDO.] *Sic antè libello* VII. Libell. VIII.
num. 24. biduanas abstinere. *Infrà libello* X. *n.* 44. Num. 4.
biduanas leuando. *Nempe abstinebant aliquando biduo, aliquando triduo, aliquando diutiùs, & cùm ieiunium soluerent, dicebantur* leuare biduanas *vel* triduanas, *videlicet abstinentias.*

33 FOSSATVM.] Fossatum *vel* fossatus *hic videtur capi pro fossâ. fortè pro palude, ex quâ materiam pro cellis suis & sportis conficiendis deferebant. Aliud est* fossatum *in re castrensi.* Libell. IX. Num. 7.

34. RESCELLAS.] *Etiam hoc eodem libello n.* 76. Libell. X.
occurrunt rescellæ. *Diminutiuum est à* res. *Inde formabant,* reculas, rescellas. Num. 11.

35. RESPONSO.] *Ita manuscriptus Andomaren. & editio Parisiensis. Alij editores reposuêre,* expensu. *quod ab ijs factum puto, vt quàm minimum à vestigijs MS. in quo* responsum *inuenerunt, recederent. Diuinabam primò,* in reposito, *quòd infrà libello* XIII. *num.* 15. *vsurpetur* repositio *in simili re:* & vidit repositionem, in quâ panes haberi solebant. *Sed vix dubito, interpretem inuenisse in Græco* προσφωνάριον, *quod* responsum *quidem significat eâ notione, quâ vulgò capitur, pro* responsione. *sed hîc videtur capi pro fiscellâ seu sportâ. Sanè ita Græcum hoc vocabulum vsurpat Edessenus monachus in Elencho Agareni:* Καὶ μετὰ μικρὸν ἀπέστειλεν αὐτὴν βόσκειν τοὺς καμήλους κατὰ τὴν τῶν Ἀράβων συνήθειαν ἐπιφερομένην τὸ ὀψώνιον αὐτοῖς ἐν προσφωναρίῳ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτῆς: Et paulò pòst misit ipsam pascere camelos iuxta consuetudinem Arabum adferentem ipsis obsonium in prosphonario in humero suo. *Iterùm posteà:* Καὶ λαβοῦσα ἐν τῷ προσφωναρίῳ κατὰ τὸ σύνηθες ἑσπέρας τῶν καμήλων κόπρον, καὶ ἀνωθεν τὸ μουχαμὲτ, ἦλθεν ἐν τῷ οἰκίᾳ τοῦ κυρίου αὐτῆς: Et accipiens in prosphonario iuxta morem consuetum vesperi camelorum fimum, & desuper muchamet, venit in domum heri sui.

36. BVDAM DE PAPYRO, *&c.* CAPITALE DE CARTICA.] *Ita constanter manuscripti.* Num. 76.
Quædam editiones loco budam *habent* mattam, *& omittunt* de carticâ. *Difficile de vtroque dicere, cùm vix alibi reperiantur. Certum est, per* budam *intelligi stratum seu stramentum, vt hoc ipso numero mox vocatur. Glossarium Camberonense MS.* Buda, stramentum lecti de biblo, id est, papyro. *Glossæ Isidori:* Buda, historia. *Lege,* storea. *Nam* historia *pro* storea *ad eum modum dictum, quo* Hispania *pro* Spania.

Quid propriè cartica *sit, non habeo dicere. Ioannes Meursius in Glossario Græcobarbaro in* Καρτζὰ *citat* Cartica *ex Glossarum Arabicolatinarum Ex-*

cerptis sine interpretatione. & in Excerptis ex veteri Lexico Græcolatino, Carticula, δίκτυον; *quæ significatio huc non facit. Apud Cassianum Collatione* I. *cap.* XXIII. *habes* embrimium *seu* embrymium, *pro ceruicali monachorum in Ægypto, atque ita describit*: Psiathijs admonens incubare, embrimijs pariter capiti nostro ceruicalium vice suppositis, quæ crassioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis, sesquipedali interuallo molliter nexa, nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem fratribus in synaxi considentibus præstant, nunc verò subiecta ceruicibus dormientium præbent capiti non nimiè durum, sed tractabile aptumque fulmentum. Ad quos monachorum vsus hæc idcircò vel maximè opportuna habentur & congrua, quòd non solùm sint aliquatenus mollia, paruoque & opere præparentur & pretio, vtpote passim papyro per ripas Nili fluminis emergente, quam cuique volenti in vsum assumere, nemo prohibeat desecare; sed & quòd ad remouendum, seu cùm necesse fuerit, admouendum, habilis materiæ, leuisque naturæ sint.

Libel. XI. Num. 11. 37. Theodorvs de Ennato.] *Sic suprà libello* VII. *num.* 7. de Nono Alexandriæ. *Per* Ennatum *seu* Nonum *Alexandriæ, intelligitur nonum clima seu regio Alexandriæ.*

Num. 36. 38. Lychino.] *Ita manuscripti. Editi* lychno. *Puto intelligi* ellychnium. *Nisi quis legat* licinio. *Nam Isidoro* licinium *quasi* lucinium: *quod idem est cum ellychnio.*

39. Myxvm.] *Ita reposui. In manuscriptis tamen & editis omnibus* nixum. *Existimo intelligi ellychnium, quod Græcis etiam μύξα dicitur.*

Libell. XII. Num. 9. 40. Evchitæ.] *Quædam editiones* euschiti, *quædam suprà apud Ruffinum lib* III. *num.* 212. Cochiti. *Noti* Euchitæ *hæretici ab* εὔχομαι, oro.

Libell. XIV. Num. 4. 41. Bavose.] *Ita manuscripti & Parisiensis editio. Aliæ editiones*, stulte. *Ruffinus lib.* III. *numero* XXVII. *in hac eadem narratione habet* insensibilis.

Libel. XV. Num. 3. 42. Laqveos.] *Sic Ecclesiastici* IX. *versu* 20. *monemur*: Ἐπίγνωθι ὅτι ἐν μέσῳ παγίδων διαβαίνεις: Scito quòd in medio laqueorum pertransis. *D. Augustinus in Psalmum* CXLI. Quid est, *In medio laqueorum?* In viâ Christi, & hinc laquei, & hinc laquei. Laquei à dextris, laquei à sinistris. Laquei à dextris, prosperitas sæculi: laquei à sinistris, aduersitas sæculi. Laquei à dextris, promissiones: laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à viâ noli discedere: nec promissio te capiat, nec terror elidat.

Num. 29. 43. Cinerente et caccabate.] *Ita manuscripti Vedastinus & Audomarensis. Variant editi. quidam*, cinerose & caccabate; *quidam* cinerate & caccabate. *Existimo* cinerentum *dictum eâ formâ, quâ* puluerulentus *& similia. Vide Onomasticon.*

Libell. XVI. Num. 14. 44. Ne striniientvr.] *Ita manuscr. Audomarensis. Prima editio*, ne hystrientur. *Coloniensis*, ne histrientur. *Parisiensis*, ne struentur. *Quædam editiones*, vt constringantur. *Apud Ruffinum libro* III. *num.* 91. *vbi idem refertur, est* vociferentur. *Flandris* **strijen** *est contendere, vt Gallis* estriuer *litigare. nescio an allusione ad hoc Latinum verbum. Vide Onomasticon.*

Libell. XVII. Num. 20. 45. Percvte signvm.] *Sic apud Ioannem infrà libello* III. *num.* 2. percutiens. *Pulsabant olim ligna ad sonitum edendum, & excitationem fratrum. Vide Onomasticon.*

46. Amma.] *Mira hîc varietas quà ab editis libris, quà à MSS. Parisiensis editio, & Palladius cap.* XLII. anima. *aliæ*, nonna. *aliæ* domna. *Manusc. Audomarensis*, Amma. *Atque hæc verissima lectio est. Firmant Græca Palladij.* Αὕτη γὰρ καὶ ὑμῶν, καὶ ἐμοῦ ἀμείνων ὑπάρχει Ἀμμᾶς οὖσα (οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας) Hæc enim & me & vobis melior, existens est Amma (sic enim vocant matres spiritales.) *Sic apud eumdem Palladium cap.* XXXVII. Amma Piamun. *cap.* CXXXVII. Amma Taor. *cap.* CXXXVIII. Amma Talida. *Vide Onomasticon.* Libell. XVIII. Num. 19.

Adverte, *Lector, in editione primâ & tertiâ huius libri num.* 13. *interseri sequentem historiam.*

Quidam presbyter fuit religiosus valdè, * Plegus nomine, frequenter Missarum sollennia celebrans ad corpus sancti * Nyni episcopi & confessoris. Qui cùm digno moderamine sanctam Christo propitio duceret vitam, cœpit omnipotentem Deum pulsare precibus, vt sibi monstraret naturam corporis Christi & sanguinis. Itaque non ex infidelitate, vt assolet, sed ex pietate mentis ista petiuit. Fuerat enim à pueritiâ diuinis legibus imbutus, & propter amorem superni Regis, olim patriæ fines & dulcia liquerat arua, vt Christi mysteria exul sedulè disceret. Idcircò eius amore magis succensus, quotidie pretiosa munera offerebat, poscebatque sibi præmonstrari quæ foret species latitans sub formâ panis & vini: non quia de Christi corpore dubius esset, sed quia sic Christum cernere vellet, quem nemo mortalium iam super astra leuatum, in terris passim conspicere potest. Venerat ergo dies, & idem celebrans piè Missarum sollemnia more solito, procubuit genibus: Te deprecor, inquit, omnipotens, pande mihi exiguo in hoc ministerio naturam corporis Christi, vt mihi liceat eum conspicere præsentem corporeo visu, & formam pueri quem olim sinus matris tulit vagientem, nunc manibus contractare. Quem dum talia precaretur, Angelus de cælo veniens sic affatur: Surge, inquit, properè si Christum videre placet. Adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit. Tunc venerabilis presbyter pauidus, ab humo vultum erigens, vidit super aram Patris Filium puerum, quem Simeon infantem portare suis vlnis meruit. Cui Angelus inquit: Quia Christum videre placuit, quem priùs sub specie panis verbis sacrare solebas mysticis, nunc oculis inspice, attrecta manibus. Tunc sacerdos cælesti munere fretus, quod mirum dictu est, vlnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium Christi pectori iunxit. Deinde profusus in amplexum dat oscula Deo, & suis labijs pressit pia labia Christi. Quibus itaque exactis, præclara Dei Filij membra restituit in vertice altaris, & repleuit cælesti pabulo Christi mensam. Tunc rursus homo prostratus, deprecatus est Deum vt dignaretur ipse iterùm verti in pristinam formam. Quâ expletâ oratione, surgens è terrâ, inuenit corpus Christi in formam remeasse priorem, vt deprecatus fuerat. *Sed deest hæc historia reliquis editionibus & MSS. Certum est, insertam esse ex historijs Anglicanis. Certè in Angliâ vixit S. Ninianus. Habetur in Paschasio de corpore & sanguine Domini cap.* XIV. *& citat D. Thomas Opusculo* LVIII. *cap.* XI. *& Guilielmus Malmesburiensis lib.* III. *de Gestis Anglorum. Similis visio in Vitâ S. Basilij suprà cap.* VII. *Vide ibi dicta ad num.* 36.

* al. Plegils
* al. Niniani

DE VITIS PATRVM LIBER SEXTVS,

AVCTORE [1]GRAECO INCERTO, INTERPRETE [2]IOANNE S.R.E. SVBDIACONO.

PRÆLVDIVM.

NIHIL magnopere huic libro præmittendum, cùm pars sit libri prioris, quem Sigebertus cap. CXVII. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus à priore distinctum citat ob diuersum interpretem. Quo nomine & nos distinctum edidimus, vt facilior & distinctior eius (cùm sæpè alibi citandus sit) allegatio esset.

NOTATIO.

1 GRÆCO INCERTO.] *Vide dicta Prolegomeno generali* VII. *&* VIII. *vbi nec Euagrium, nec Palladium libri huius & præcedentis (qui coniungi solent, & pro vno haberi) auctores esse probauimus. Quare* Græco incerto auctori *librũ inscripsi, cùm etiam Photij tempore sine nomine auctoris in manibus sit versatus, & Græcè inscriptus* ΑΝΔΡΩΝ ΑΓΙΩΝ ΒΙΒΛΟΣ, SANCTORVM VIRORVM LIBER. *Vide eum in Bibliothecâ cod.* CXCVIII.

2. IOANNE.] *Vide Prolegom. generale* XIV. *vbi ex Sigeberto de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus c.* CXVII. *& MSS. huius libri interpretem esse Ioannem S.R.E. Subdiaconum ostendimus.*

LIBELLVS PRIMVS.

De Prauidentiâ seu Contemplatione.

SILVANI.

1 ABIIT aliquando Zacharias ad abbatem suum Siluanum, & inuenit eum in excessu mentis, & erant manus eius extensæ in cælum. Et cùm vidisset ita, clausit ostiũ, & exijt: & intrans circa horam sextam atque nonam, inuenit eum eodem modo: circa decimam verò horam pulsauit, & ingressus, inuenit eum quiescentem, & dicit ei: Quid habuisti hodie, pater? Qui dixit ei: Infirmatus sum hodie, fili. Ille verò tenens pedes eius, dicebat: Non te dimittam, nisi mihi indicaueris quid vidisti. Respondit ei senex: Ego in cælum raptus sum, & vidi gloriam

Siluani extasis.

Siluani raptus in cælum.

gloriam Dei, & illic steti vsque modò, & nunc dimissus sum.

SYNCLETICAE. *Qua serpentum prudentia, qua columbæ simplicitas.*

2. Dixit sancta Syncletica: Efficiamur prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, vt astutè intelligamus laqueos diaboli: nam prudentes fieri sicut serpentes dictum est, vt non ignoremus impetus diaboli & artes eius. Etenim simile aliquid ex alio simili superatur: nam & simplicitas columbæ demonstratur.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 36. *Differentia colloquij sæcularis & spiritalis.*

3. Dicebat quidam patrum: Quia dum sederent aliquando seniores & loquerentur de ædificationibus, erat inter eos vnus præuidens: & vidit Angelos manus agitantes & lauantes eos. Vt autem venisset locutio sæcularis, discedebant Angeli, & volutabantur porci in medio pleni fœtoribus, & polluebant eos: cùm autem rursus loquerentur de ædificatione, veniebant iterùm & lauabant eos Angeli.

INCERTI. Amos 1. *Ira Dei contra opus malum.*

4. Dixit quidam senex: Hoc est quod scriptum est: Super duobus & tribus peccatis Tyri auertam me, super quatuor autem non auertam: cogitare malum, & consentire cogitatui, & loqui; quartum verò est perficere opus. In hoc ergo non auertitur ira Domini.

INCERTI. *Senis tristitia propter desolationem Scithi.*

5. Dicebant de quodam sene magno in Scithi: Quotiescumque fratres ædificabant cellulam, egrediebatur cum gaudio, & ponens fundamentum non discedebat donec commoraretur; aliquando autem exiens ad fabricandam cellam contristabatur valdè. Et dicunt fratres: Quare tristis ac mœstus es, abba? Qui dixit eis: Desolandus est locus iste, filij. Ego enim vidi quoniam accensus est ignis in Scithi, & accipientes fratres palmas cædentes extinxerunt eum: & iterùm accensus est, & accipientes fratres rursus palmas cædentes exstinxerunt eum: tertiò accensus est & impleuit totam Scithim, & iam non potuit exstingui. Ideò ego contristor ac mœstus sum.

SENIS. *Quomodo iustus sit palma.*

6. Dixit quidam senex: Scriptum est; Iustus vt palma florebit. Significat autem hic sermo bonorum actuum fructum altum & rectum ac dulcem: est verò in palmâ vnum [1] incarduum, & ipsum candidum omnem habens operationem in se; simile autem & super iusto reperitur: vnum enim ei & simplex est cor, ad Deum tantùm respiciens. Est autem & album, habens illuminationem fidei, & omnis operatio iusti in corde ipsius est: nam & acumen stimulorum eius, aduersus diabolum est propugnaculum.

INCERTI. Pasch. c. 37 n. 4. titulo Macarij Append. Mart. n. 16 *Quomodo anima Sunamitis.*

7. Dixit aliquando alter senex: Sunamitis Elisæum suscepit, eò quòd non haberet affectum cum aliquo homine. Dicitur Sunamites personam habere animæ, Elisæus verò personam Spiritus sancti. Quacumque ergo horâ recedit anima à sæculari confusione & perturbatione, adueniet ei Spiritus Dei, & tunc poterit parere cùm sit sterilis.

INCERTI. *Voluptuosus instar porci, difficilè cælum respicit.*

8. Alius quidam patrum dixit: Quia oculi porci naturale habent figmentum, ita vt necessitate semper intendant in terrâ, nec aliquando possint respicere ad cælum. Sic ergo & anima eius, qui in dulcedine delectatur voluptatum, semel delapsa in luxuriæ cœnum, difficilè potest respicere ad Deum, aut sapere aliquid dignum Deo.

INCERTI. *Ingressus in religionem instar Baptismi.*

9. Fuit quidam magnus inter præuidentes, hic affirmabat dicens: [2] Quia virtutem, quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum monachi, quando accipit habitum spiritualem.

INCERTI. *Meditationi non præualet dæmon.*

10. Cuidam seni data est gratia videndi quæ fiebant, & dicebat: Quia vidi in cœnobio aliquando meditantem in cella fratrem: & ecce dæmon veniens stabat foris cellam. Et dum frater ille meditaretur, non præualebat ingredi: cùm autem cessasset meditando, tunc ingrediebatur ille dæmon.

INCERTI. *Dæmones instar apum nos circumdant.*

11. Dicebant de quodam sene, quia deprecatus est Deum, vt videret dæmones. Et reuelatum est ei: Non opus habes videre eos. Senex autem rogabat dicens: Quia, Domine, potes me protegere gratiâ tua. At verò Deus reuelauit oculos eius, & vidit eos, quia tamquam apes sic circumdant hominem, stridentes dentibus suis super eum: Angeli verò Dei increpabant eos.

SENIS. *Angeli animam peregrini cuiusdam deducunt.*

12. Dixit quidam senex: Quia duo fratres erant ei vicini, [3] vnus peregrinus, & vnus inchoris: erat autem peregrinus ille modicùm negligentior: ille verò inchoris studiosus valdè. Contigit autem vt dormiret ille peregrinus in pace. At ille senex vicinus eorum cùm esset præuidens, vidit multitudinem Angelorum deducentem animam eius: & cùm perueniret ad cælum vt intraret, facta est quæstio de illo. Et venit vox de super dicens: Manifestum est, quia modicùm negligentior fuit, sed propter peregrinationem eius aperite ei. Et post hæc dormiuit & ille inchoris, & venit omnis cognatio eius ad eum. Cernens verò ille senex non venire Angelos ad deducendam animam eius, miratus est; & cadens in faciem suam in conspectu Dei, dixit: Quomodo peregrinus ille cùm negligentior fuerit talem gloriam habuit, & hic cùm studiosus esset nihil huiusmodi meruit? Et venit ei vox dicens: Hic studiosus cùm venit vt dormiret, aperuit oculos suos, & vidit parentes suos flentes, & consolata est anima eius. Peregrinus verò ille,

ille, licet negligentior fuerit, nullum suorum vidit: & fleuit, & Deus consolatus est eum.

DE PRAEVIDENTIA. INCERTI.

13. Narrauit alter quidam patrum, quia erat aliquis solitarius in eremo Nilopoleos, & ministrabat ei quidam sæcularis, sed fidelis. Erat autem & in eadem ciuitate homo, qui erat diues, & impius. Contigit autem vt moreretur ille diues, & ducebat eum tota ciuitas simul & episcopus cum lampadibus. Egressus est autem & ille, qui ministrabat illi solitario, secundùm consuetudinem portans illi panes: & inuenit, quia comederat eum bellua, & cecidit in faciem suam in conspectu Domini, dicens: Non surgam hinc, donec demonstretur mihi à Deo, quæ sunt hæc: quia ille quidem impius, talem apparatum habuit in deducendo; hic verò, qui seruiuit tibi die noctuque, ista pertulit. Et ecce angelus Domini veniens dixit ei: Ille impius habuit paruum opus bonum in hoc sæculo, & recepit illud hîc, vt illic nullam requiem inueniat: iste autem solitarius, quia homo erat ornatus ad omnem virtutem, habebat verò & ipse, vt homo, modicum aliquid culpæ, & recepit illud hîc, vt ibi inueniatur purus coram Deo. Et ita consolatus in his verbis, abijt glorificans Deum super iudicia eius, quia vera sunt.

Honor & opprobrium sepulturæ in præmiū & pœnam cedunt.

CYRIONIS Ruff. l. 3. n. 197.

14. Sancti patres de Scithi prophetauerunt de vltimâ generatione, dicentes: Quid operati sumus nos? Et respondens vnus ex illis vir magnæ vitæ, nomine * Cyrion dixit: Non mandata Dei custodimus. At illi respondentes dixerunt: Hi verò qui fuerint post nos, quid erunt facturi? Qui dixit eis: Dimidium operis nostri operaturi sunt. Et dixerunt ei: Hi autem, qui post ipsos fuerint, quid facient? Qui respondit: Omnino non habebit operationem generatio illa ventura. Esse autem illis video tentationes, & qui reperti fuerint probati in tempore illo, meliores super nos & patres nostros erunt.

* al. Squirion, vel Isquirion, vel Histirion.

INCERTI.

15. Narrauit quidam senex, dicens: Quia erat quædam virgo prouectâ ætate valdè, quæ profecerat in timore Dei. Et interrogata à me, quæ res eam ad hanc adduxerit conuersationem; illa ingemiscens cœpit dicere: Mihi quidem, ô mirabilis vir, cum adhuc essem paruula, erat pater modestus ac mansuetus moribus, debilis verò & infirmus corpore: qui ita vixit curam sui agens, vt vix aliquando videretur ab his, qui in eodem habitabant vico: terram autem suam assiduè operabatur, & ibidem semper occupabat vitam suam. Si quando fortasse sanus fuisset, fructus culturæ suæ domi portabat; plurimum autem temporis in lecto & languoribus detinebatur, tantaque ei erat taciturnitas, vt ignorantibus eum sine voce crederetur esse. Mater verò mihi erat è contrario curiosa absque modo, & quæ vltra omnes quæ erant in regione hac, turpior esset: sermones verò eius ita ad vniuersos mouebantur, vt putaretur omne corpus ipsius lingua esse: lites frequentiùs commouebantur ad omnes ab ipsâ: in ebrietate autem vini, cum viris luxuriosis demorabatur: dispensabat autem & ea, quæ intus domi erant, tamquam meretrix pessimè, vt etiam substantia multa valdè non potuerit nobis sufficere; nam huic à patre meo delegata erat dispensatio domus: corpore autem suo ita in turpitudine abutebatur, vt pauci de vico ipso potuerint effugere libidinem eius. Numquam corpori eius morbus occurrit, nec dolorem aliquem sensit vel aliquantulum, sed à natiuitate suâ vsque ad vltimum diem integrum sanumque corpus suum possedit. Inter hæc contigit, vt pater meus longâ ægritudine fatigatus moreretur, & continuò aër commotus est, & pluuia & coruscationes atque tonitrua aërem conturbabant, & neque nocte neque die imber cessando triduo super lectum sine sepulturâ, fecit eum manere, ita vt homines vici illius mouentes capita admirarentur, quod tam malum vniuersos lateret, dicentes: Sic enim Dei erat inimicus, vt nec terra eum recipiat ad sepulturam. Sed tamen ne intra domum dissoluta membra eius ingressum prohiberent habitantibus, imminente adhuc aëre turbido & pluuiâ descendente, vix aliquo modo eum sepulturæ tradidimus. At verò mater mea posthæc licentiâ plurimâ acceptâ, cum improbitate maximâ corporis sui libidini abutebatur, & prostibulum deinceps faciens domum nostram in multâ luxuriâ vixit atque delicijs. Et dum adhuc paruula essem, & deficeret nobis substantia nostra, vix aliquando cum timore, sicut mihi videtur, morte illius adueniente tantam meruit funeris prosperitatem, vt etiam putaretur aër simul in exequijs deducere funus eius. Ego verò post obitum eius puellarem egressa ætatem, & desideria titillationesque iam corporis cùm me permouerent, in quadam die ad vesperam, vt fieri solet, cogitare cœpi atque considerare, cuius vitam eligerem imitandam; vtrùm patris, qui modestè, & mansuetè, & sobriè vixit; sed rursum recogitabam illud, quia nihil invitâ suâ consecutus est boni, sed per omne tempus in infirmitate & tribulatione consumptus esset, ita finem vitæ accipiens, vt nec sepulturam eius terra reciperet. Si igitur bona esset huiusmodi conuersatio apud Deum, quare ergo

Diuersa parentum cuiusdam in sæculo conditio.

Pater sine per miser, etiam sepulturâ caret.

Mater omnibus vitijs & delicijs dedita honorificè tumulatur.

Ambigit de vita statu eligendo filia.

ergo tantum malorum consecutus est pater meus, qui sic viuere elegit? Sed sicut mater, inquit cogitatus meus, bonum est viuere, tradere voluptati, luxuriæ ac libidini corpus: etenim illa nullum opus turpe prætermisit: in ebrietate autem omne tempus incolumis atque prospere degens, ita vitam suam expleuit. Quid ergo? Sic oportet me viuere, sicut mater vixit: melius est enim propriis oculis credere his quæ manifestè cognita sunt, & nihil prætermittere. Et cùm placuisset mihi miseræ eidem me constituere vitæ, superuenit nox, & sopor continuò mihi accessit. Post hos sermones astitit mihi quidam grandi quidem corpore, aspectu autem horribilis: deinde intuendo me perterrens, iracundâ visione & asperâ voce interrogabant me: Dic mihi, inquit ille, quæ sunt cogitationes cordis tui? Ego autem ab aspectu eius & habitu tremefacta, neque aspicere in eum audebam. Maiore verò voce vsus, iterùm iussit vt ea quæ mihi placuerant, pronuntiarem. Ego autem præ timore dissoluta, & omnes oblita cogitatus, nihil esse dicebam. Ille verò negante me reuocabat vniuersa ad memoriam, quæ in corde meo meditata eram. Ego autem conuicta & ad precem conuersa, supplicabam veniam consequi, & caussam ei narrabam huiusmodi cogitatus. Qui ait mihi: Veni & vide vtrosque, patrem & matrem, & quam volueris vitam deinde elige tibi: & apprehendens mihi manum trahebat. Ducens autem me in quemdam campum magnum, habentem paradisos multos & diuersos fructus, & varias arbores, & pulchritudinem inenarrabilē, introduxit me intus illic. Occurrēs autem mihi pater meus, amplexatus est me, & osculabatur, filiam me vocans. Ego verò circumplexa eum, rogabam vt manerem cum ipso. At ille, Nunc, inquit, non potes hîc esse; si verò mea sequi vestigia volueris, venies huc non post multum tempus. Cùm autem adhuc ego deprecarer manere cum ipso, trahens me rursum manu, qui me ibi duxerat, Veni, ait, ostēdam tibi & matrem tuam, quæ igne exuritur, vt scias ad quem horum debeas declinare vitam tuam. Statuens autem me in domo tenebrosâ atque obscurâ, omni stridore perturbationeque repletâ, ostendit mihi fornacem ignis ardentem & picem feruentem, & quosdam illic terribiles aspectu stantes super fornacem. Ego autem inspiciens deorsum video matrem meam in fornace vsque ad collum demersam, stridentem dentibus & igne ardentem, & vermium multum fœtorem fieri. Videns autem me illa, cum vlulatu clamabat, filiam me vocans: Heu me, filia, de propriis operibus hæc patior; quia quasi deliramenta mihi videbantur vniuersa quæ de sobrietate erant: opera autem fornicationis & adulterij non mihi credebam esse tormenta; ebrietatem verò & luxuriam non arbitrabar esse pœnas: & ecce propter paruam libidinem, quantam recipio gehennam & sustineo pœnas: ecce propter exiguas delicias quanta exoluo tormenta: ecce pro contemptu Dei, quales recipio mercedes: apprehenderunt enim me vniuersa immobilia mala. Nunc est tempus auxilij, ô filia; nunc recordare nutrimentorum quæ à me consecuta es; nunc retribue beneficium si quid boni aliquando accepisti. Miserere, inquit, mei quæ ardeo igni & ab ipso consumor: miserere mei quæ in huiusmodi cruciatibus exanimor: miserere mei, filia, & porrigens manum tuam educ me de hoc loco. Me autem recusante hoc facere propter eos qui ibi astabant, rursus cum lacrymis clamabat: Filia mea, adiuua me, & noli despicere fletum propriæ matris tuæ: memento doloris mei in die parturientis te, & ne me despicias, quæ gehennæ igne depereo. Ego autem à voce eius lacrymis commota, humanum aliquid patiebar, & cœpi cum clamore condolens ei ingemiscere. Exurgentes verò hi, qui erant in domo meâ, & accendentes ignem, caussam mugitus mei interrogabant: ego autem narraui eis quæ videram. Et sic etiam vnum hoc deliberaui, vt patris mei sequerer vitam, certa facta per ineffabilem misericordiam Dei, quæ pœnæ repositæ sunt his qui malignè viuere volunt. Siquidem illa beata virgo ex ipsâ visione cognoscens, multam esse & bonorum retributionem operum, & malorum actuum turpis vitæ maximas esse pœnas renuntiabat: ideoque efficiamur melioris consilij nobismetipsis, vt possimus beati fieri.

Filia visio horribilis.

Pater in sæculo afflictus, post hanc vitam paradiso fruitur.

Mater in sæculo deliciosa, post tormentis cruciatur.

Filia patris vestigia sequi eligit.

16. Narrauit iterùm senex & de quodam episcopo, vt maximè ex eo fiduciam accipientes diligentiam nostram in Deo habeamus ad salutem. Nuntiabatur à quibusdam episcopo, qui apud nos consistebat, sicut hæc ipse episcopus referebat, quasdam sæcularium matronarum duas esse mulieres fideles, quæ quasi impudicè viuerent. Episcopus autem ex his qui ei hæc nuntiauerant commotus est, & suspicatus est forte & aliæ huiusmodi essent, ad deprecandum Deum se conuertit, inde certus effici rogans, quod & meruit. Post diuinam enim illam atque terribilem consecrationem, dum accederent singuli ad participanda sancta mysteria, per vultus eorum cernebat animas, quibus vnaquæque subiaceret peccatis. Et peccatorum

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 166. Pasch. c. 23 n. 2.

Diuersus communicantium vultus.

Corpus Domini dignè sumentibus lux, indignè ignis vrurens.

torum quidem hominum videbat facies nigras, quosdam verò ipsorum tamquam ab æstu exustas facies habentes, oculos autem rubeos ac sanguineos; alios autem eorum claros quidem facie, candidos verò amictu. Et alij quidem, dum acciperent corpus Domini, exurebat eos & incendebat; alijs autem sicut lumen efficiebatur in se, & per os ingressum, omne corpus eorum illuminabat. Erant autem inter ipsos etiam qui solitariam vitam elegerant, & hi qui in coniugijs erant, qui & ipsi ita esse videbantur. Deinde conuertit se, & cœpit etiam ipse mulieribus distribuere, vt cognosceret quales & ipsarum essent animæ; & vidit simili modo fieri nigras atque rubeas facies earum, sanguineas quoque & albas. Inter ipsas autem aduenerunt & illæ duæ mulieres, quæ accusatæ erant illi episcopo, propter quas maximè ad hanc precem & præuidentiam venerat: cernit etiam ipsas, dum accedunt ad sanctum mysterium, clarum habentes vultum & honorificum, candidâ verò stolâ circumamictas. Deinde cùm & ipsæ participatæ fuissent mysterio Christi, factæ sunt sicut à lumine illustratæ. Rursum episcopus ad solitam precem conuertebatur, supplicans Deo, & discere cupiens modum reuelationum, quæ ei demonstratæ fuerant. Astitit autem angelus Domini, & de singulis interrogare præcipiebat. Sanctus verò episcopus continuò de illis duabus sciscitabatur mulieribus, si vera esset illa prima accusatio, an falsa: at verò Angelus affirmabat vera esse omnia, quæ dicta de eis fuerant. Episcopus quoque ait ad Angelum: Et quomodo in perceptione corporis Christi splendidæ erant facies earum, albam autem stolam habebant, lumine quoque fulgebant non paruo? Ait autem Angelus: Eò quòd resipuerunt de actibus suis, & discedentes ab his lacrymis & gemitibus atque eleëmosynis pauperum, per confessionem diuinum meruerunt numerum: de cetero in his malis numquam ambulare promittentes se, si quidem de prioribus delictis veniam mereantur. Propter hoc ergo meruerunt diuinam immutationem, & à criminibus absolutæ sunt, & viuent deinceps sobriè, ac piè, & iustè. Episcopus autem mirari se dicebat, non tantùm de immutatione illarum mulierum (hoc enim contigit multis fieri) sed Dei donum, qui non solùm eas tormentis minimè subiecit, sed etiam tantam eis dignatus est donare gratiam. Ait autem Angelus ad eum: Admiraris hoc iustè, quasi homo; Dominus autem ac Deus noster & vester cùm naturaliter sit bonus ac misericors his qui discedunt à proprijs delictis, & per confessionem accedunt ad eum, non tantùm in tormenta eos ire non sinit, sed etiam furorem suum mitigat ab eis, & honore dignos facit: etenim sic dilexit Deus mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro eo. Qui igitur cùm inimici essent homines, mori pro ipsis elegit, non multò magis domesticos effectos eos, & pœnitentiam super his quæ gesserant agentes, absoluit à pœnis? His verò, quæ ab ipso præparata sunt, bona præstabit fruenda; hoc ergo scito, quia nulla delicta hominum vincunt clementiam Dei: tantùm per pœnitentiam ea, quæ pridem quis mala gesserat, abluat actibus bonis. Cùm enim sit misericors Deus, scit infirmitatem generis vestri, & passionum fortitudinem, & diaboli potentiam atque astutiam, & incidentibus quidem hominibus in peccatis, quasi filijs ignoscit, & exspectat correctionem eorum, patientiam habens in eis. Conuertentibus verò atque eius exorantibus bonitatem, tamquam infirmis compatitur, & absoluit confestim tormenta eorum, & donat eis bona, quæ præparata sunt iustis. Ait autem episcopus ad Angelum: Obsecro te, dic mihi etiam vultuum differentias, in quibus peccatis vnusquisque eorum subiaceat; vt etiam & de his agnoscens, ab omni liberer ignorantiâ. Angelus autem dixit ad eum: Hi quidem, qui splendido atque hilari vultu sunt, in sobrietate, & castitate, & iustitiâ viuunt, modesti quoque & condolentes ac misericordes sunt. Hi verò qui nigras habent facies, fornicationis & libidinis operarij sunt, ceterisque sceleribus & delictis dediti. Hi verò qui apparuerunt sanguinei ac rubei, in malignitate & iniustitiâ viuentes sunt, amantes detractiones, blasphemi, dolosi, & homicidæ sunt. Rursum dicit ei Angelus: Adiuua eos, si quidem salutem ipsorum desideras: propterea etiam meruisti orationum tuarum effectum, vt videndo discas discipulorum tuorum peccata, & per admonitiones atque obsecrationes, meliores per pœnitentiam eos facias ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit à mortuis, Iesu Christo Domino nostro. Quantacumque igitur tibi virtus est & studium ac dilectio circa Dominum tuum Christum, omnem eorum gere prouidentiam, vt conuertantur à proprijs peccatis ad Deum, suadens eis manifestè, quibus peccatis subiaceant, ne propriam desperent salutem ex hoc. Pœnitentibus quidem illis & conuertentibus ad Deum animabus eorum salus erit & epulatio futurorum bonorum: tibi verò erit plurima merces, imitando Domi-

Pœnitentia & confessio in diuinum numerum pœnitentes referunt.

Ioan. 3.

Rom. 5.

Clementia Dei exsuperat omnia delicta.

Explicatio vultuum diuersorum tempore Communionis [illegible]

[illegible]

Dominum tuum, qui cælos quidem reliquit, in terris autem demoratus propter salutem hominum est.

INCERTI. 17. Referebat quidam patrum: Quia tres res sunt honorabiles apud monachos, quibus oportet nos cum timore, & tremore, & gaudio spirituali accedere: communicatio sanctorum Sacramentorum, & mensa fratrum, & peluis in quâ fratrum pedes lauantur. Proferebatque exemplum tale, dicens: Erat quidam magnus senex præuidens, & contigit ei vt gustaret cum pluribus fratribus. Et comedentibus illis videbat in spiritu idem senex sedens ad mensam quosdam edentes mel, alios autem panem, alios verò stercus. Et admirabatur intra semetipsum, & deprecabatur Deum, dicens: Domine, reuela mihi mysterium hoc, quia idem cibus omnibus appositus est super mensam; in manducando autem ita immutatus videtur; & quidam edunt mel, quidam verò panem, alij autem stercus. Et venit ei vox desuper, dicens: Quia illi qui manducant mel, hi sunt qui cum timore, & tremore, & gratiarum actione edunt ad mensam, & incessanter orant; & oratio eorum sicut incensum ascendit ante Deum, ideoque & mel comedunt. Qui autem panem manducant, hi sunt qui gratias agentes percipiunt ea quæ à Deo donata sunt. Illi verò qui stercus manducant, hi sunt qui murmurant & dicunt: Hoc bonum est, illud malum est. Hæc autem talia non oportet cogitare, sed magis glorificare Deum, atque laudes ei offerre, vt & in nobis impleatur illud quod dictum est: Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriâ Dei facite.

Tria honorabilia apud monachos.

Triplex diuersus manducantium status.

1. Cor. 10.

1. Cor. 10.

LIBELLVS SECVNDVS.

De sanctis senioribus qui signa faciebant.

BESARIONIS. Ruff. lib. 3. n. 215.

DIXIT abbas Dulas discipulus abbatis Besarionis: Quia ambulantibus nobis secus littus maris, sitiui; & dixi abbati Besarioni: Abba, sitio valdè. Et cùm fecisset senex orationem, dixit mihi: Bibe de mari. Et dulcis facta est aqua, & bibi: ego autem hausi modicam in vase, ne fortè iterum sitirem. Quod cùm vidisset senex, dixit mihi: Vt quid vas implesti aquâ? Dixi ei: Ignosce mihi, ne fortè iterùm sitiam. Et ait senex: Deus qui hîc est, & vbique est.

Deo fidendum.

EIVSDEM. *Sub pedibus Besarionis aqua solidatur.* 2. Alio quoque tempore, cùm necessarium ei esset, fecit orationem, & transiuit Chrysoroan fluuium pedibus; ego autem admiratus satisfeci ei, dicés: Quomodo sentiebas pedes tuos, dũ ambulares in aquâ? Et ait senex: Vsq; ad talum sentiebam aquam, reliqua autem erat solida sub pedibus meis.

EIVSDEM. *Stat sol ad preces Besarionis.* 3. Rursus euntibus nobis ad alium senem, venit sol ad occasum. Et orauit senex, dicens: Obsecro, Domine, stet sol, donec perueniam ad seruum tuum. Et factum est sic.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 121. Pasch. c. 14 num. 2. 4. Venit aliquando quidam dæmonium habens in Scithi, & facta est pro eo oratio in ecclesiâ, & non egrediebatur dæmon ab eo, quia durus erat. Dicunt autem ad inuicem clerici loci illius: Quid faciemus huic dæmoni? Nemo potest eum eijcere, nisi abbas Besarion; & si rogauerimus eum pro ipso, neque in ecclesiam veniet. Hoc ergo faciamus: ecce venturus est manè ante omnes in ecclesiam, faciamus eum qui vexatur, sedere in loco ipsius, & cùm ingredietur, stemus ad orationem, & dicamus ei: Excita fratrem istum, abba. Fecerunt autem sic. Veniente autem manè sene illo, steterunt ad orationem, & dicunt ei: Excita fratrem istum, abba. Et dixit senex illi patienti: Surge, egredere forâs. Et confestim exiuit ab eo dæmon, & sanus factus est ex illâ horâ.

Besarion verbo dæmonem pellit.

ELIAE. 5. Dicebant seniores aliquando abbati Eliæ in Ægypto de abbate Agathone, Quia bonus frater est. Et dicit eis senex: Secũdum generationẽ suam bonus est. Qui dixerunt ei: Secundùm autem antiquos quid? At ille respondens ait: Iam dixi vobis, quia bonus est secundùm generationem suam; secundùm antiquos verò, vidi hominem in Scithi, qui poterat facere, vt sol staret in cælo, sicut fecit Iesus filius Naue. Et hæc audientes obstupuerunt, & glorificauerunt Deum.

Senex Scithensis solem sistit.

MACARII Ruff. lib. 3. n. 213. 6. Dicebant de abbate Macario illo maiore, quia ascendens de Scithi, portabat sportas, & fatigatus resedit & orauit, dicens: Deus, tu scis, quia iam non præualeo. Et mox eleuatus, inuentus est super flumen.

Oranti Deus succurrit.

MACARII Ruff. lib. 3. n. 122. 7. Habebat quidam filium paralyticum in Ægypto, & adduxit eum ad cellam beati Macarij, & relicto eo ad ostium flente, recessit longè. Respiciens ergo senex, vidit puerum plorantem, & dixit ei: Quis te adduxit huc? Qui dixit: Pater meus proiecit me hîc, & abijt. Et dicit ei senex: Surge, & apprehende eum. Qui statim sanus factus est, & surgens apprehendit patrem suum, & sic abierunt in domum suam.

Macarius paralyticum sanat.

EIVSDEM. 8. Dicebat abbas Sisois: Quando eram in Scithi cum abbate Macario, ascendimus metere cum eo septem nomina. Et ecce, vna vidua colligebat spicas de post nos, & non cessabat plorans. Vocauit ergo senex dominum agri illius, & dixit ei: Quid est aniculæ huic, quòd semper plorat? Qui

dixit ei: Quia vir eius habuit depositum cuiusdam, & mortuus est non loquens, & non dixit vbi posuit illud, & vult dominus depositi accipere eam & filios eius in seruitutem. Et ait senex: Dic illi, vt veniat ad nos vbi requiescimus in caumate. Et cùm venisset, dicit ei senex: Vt quid semper ploras? Quæ ait: Vir meus defunctus est, accipiens commendatum alicuius, & non dixit moriens vbi posuit illud. Et dixit ei senex: Veni, & ostende nobis sepulcrum viri tui. Et assumptis secum fratribus abijt cum eâ. Et cùm venissent ad locum, vbi positus erat, dixit ad illam senex: Recede hinc in domum tuam. Et orantibus illis vocauit senex illum qui mortuus fuerat, dicens illi: Vbi posuisti alienum depositum? Qui respondens dixit ei: In dômo meâ absconditum est sub pede lectuli. Et ait illi senex: Dormi iterùm vsque in diem resurrectionis. Videntes autem fratres ceciderunt ad pedes eius; quibus dixit senex: Non propter me factum est hoc, nihil enim sum; sed propter illam viduam & orphanos ipsius fecit Deus hanc rem: hoc enim est magnum, quia sine peccato vult Deus esse animam, & si quid petierit, accipit. Veniens autem nuntiauit viduæ illi, vbi erat illud commendatum. At illa sumens illud, reddidit domino suo, & liberauit filios suos. Et qui audierunt hoc, glorificauerunt Deum.

Macarius à mortuo responsum elicit, vt vidua succurrat.

EMILIS.

9. Transiens aliquando abbas Emilis per quemdam locum, vidit quemdam monachum detentum à quibusdam tamquam homicidam. Accedens autem senex, atque interrogans fratrem illum, & comperto quia calumniabantur ei, dixit ad eos qui eum tenebant: Vbi est ille qui occisus est? & ostenderunt ei. Tunc approximans ipsi defuncto, dicit omnibus: Orate. Ipso verò expandente manus ad Deum, surrexit is, qui defunctus erat. Et dixit ei coram omnibus: Dic nobis, quis est qui te interfecit? At ille dixit: Ingressus in ecclesiam commendaui pecunias presbytero, ipse surgens interfecit me, & portans proiecit me in monasterium abbatis huius: sed rogo vos, vt tollantur ipsæ pecuniæ ab eo, & dentur filijs meis. Tunc ait ad eum senex: Vade, dormi, donec veniat Dominus & resuscitet te. Et confestim obdormiuit.

Emilis ab occiso responsum elicit, vt innocentem seruet.

PASTORIS Ruff. l. 3. n. 168.

10. Venerunt aliquando plures fratres ad abbatem Pastorem: & ecce quidam de cognatis ipsius habebat filium, & erat facies eius per operationem diaboli conuersa retrorsum. Videns autem pater eius multitudinem patrum, accipiens puerum sedebat foris plorans. Contigit autem, vt vnus seniorum egrederetur foràs. quem cùm vidisset, ait: Quid ploras, homo? Qui dixit ei: Cognatus sum abbatis Pastoris, & ecce contigit puero huic tentatio ista: & volens eum huic seni offerre, vt eum curaret, timui; non enim vult nos videre: & nunc si cognouerit quia hîc sum, mittit persequens, 7 & minat me hinc. Ego verò videns præsentiam vestram præsumpsi venire hîc. Ergo quomodo vis, abba, miserere mei, & introduc intus puerum hunc, & ora pro ipso. Et accipiens eum senex, intrauit, & vsus est prudenter, & non eum statim obtulit abbati Pastori, sed incipiens à minoribus fratribus dicebat: Consignate puerum istum. Cùm autem fecisset omnes per ordinem consignare eum, ad vltimum obtulit eum abbati Pastori, qui nolebat tangere eum. At illi rogabant eum, dicentes: Vt omnes, ita & tu, pater, fac. Et ingemiscens surrexit & orauit, dicés: Deus, salua plasma tuum, vt non dominetur illi inimicus. & consignans curauit eum, & reddidit patri sanum.

Pastor signo crucis puerum de formitatis sanat.

PAVLI.

11. Narrauit quidam patrum de aliquo abbate Paulo, qui erat in inferiores partes Ægypti, habitans iuxta Thebaidam. Hic ergo Paulus tenebat manibus eos, qui dicuntur cornutæ, aspides, & serpentes atque scorpiones, & scindebat eos per medium. Videntes autem hæc fratres, satisfacientes ei, interrogabant eum, dicentes: Dic nobis quid operatus es, vt acciperes gratiam istam? Qui ait eis: Ignoscite mihi, fratres, si quis possederit puritatem, omnia subijciuntur ei, sicut Adæ quando erat in paradiso ante præuaricationem diuini mandati.

Puritati etiam noxij serpentes subiecti.

PVBLII.

12. [8] Temporibus Iuliani apostatæ, cùm descenderet in Perside, missus est dæmon ab eodem Iuliano, vt velociùs vadens in Occidentem, afferret ei responsum aliquod inde. Cùm autem peruenisset ille dæmon in quemdam locum, vbi quidam monachus habitabat, stetit ibidem per dies decem immobilis, eò quòd non poterat vltrà progredi, quia monachus ille non cessabat orando, neque nocte neque die. Et regressus est sine effectu ad eum qui miserat illum. Dixit autem ei Iulianus: Quare tardasti? Respondit ei dæmon & dixit: Et moram feci, & sine actione reuersus sum: sustinui enim decem dies Publium monachum, si fortè cessasset ab oratione vt transirem, & non cessauit, & prohibitus sum transire, & redij nihil agens. Tunc impijssimus Iulianus indignatus dixit: Cùm regressus fuero, faciam in eum vindictam. Et intra paucos dies interemptus est à prouidentiâ Dei. Et continuò vnus ex præfectis qui cum eo erant, vadens vendidit omnia quæ habebat, & dedit pauperibus, & veniens ad senem illum, factus

Publius monachus diabolum Iuliani emissarium oratione sistit.

Præfecti cuiusdam conuersio.

factus est monachus magnus, & sic quieuit in Domino.

Sisoi. Ruff. lib. 3. n. 120.

13. Venit aliquando quidam sæcularis ad abbatem Sisoi in montem abbatis Antonij, habés filium suum secum: & in itinere mortuus est filius eius, & non est conturbatus, sed cum fide tulit eum ad illum senem, & procidit cum filio suo tamquam pœnitentiam faciens, vt benediceretur ab eodem sene. Et surgens pater pueri reliquit filium suum ante pedes ipsius senis, & egressus est forâs cellam. Porrò senex putans, quia pœnitentiam ageret ante pedes ipsius puer ille, dixit ei: Surge, vade forâs. Non enim sciebat quia mortuus erat. Et statim surgens egressus est. Et videns eum pater eius, expauit, & intrans, adorauit senem: & dixit ei caussam. Audiens autem hoc senex, contristatus est: non enim volebat hoc fieri. Præcipit itaque ei discipulus ipsius senis, vt nemini nuntiaret hæc vsque ad obitum ipsius senis.

Sisoi verbo velut aliud agens puerum mortuum excitat.

EIVSDEM.

14. Tentatus est aliquando Abraham discipulus eiusdem abbatis Sisoi à dæmonio: & videns eum idem senex, quia cecidit, surrexit & expandit manus suas ad Deum, dicens: Deus, vis non vis, non dimitto nisi curaueris eum. Et curatus est frater ille.

Sisoi discipulum à dæmonio curat.

INCERTI.

15. Senex quidam erat solitarius iuxta Iordanem fluuium, & ingressus propter cauma in speluncam, inuenit ibi leonem, & cœpit leo fremere dentibus suis ac rugire. Dixit autem ei senex: Quid angustiaris? est locus qui capiat & me & te. si verò non vis, surgens egredere hinc. Leo autem non ferens, egressus est inde forâs.

Mira senis confidentia.

Leo seni cubile cedit.

INCERTI.

16. Ascendit quidam senex aliquando in Terenuthim de Scithi, & ibi diuertit, videntes laborem abstinentiæ eius, obtulerunt ei modicum vini: alij autem audientes de ipso adduxerunt ad eum hominem quemdam, dæmonium habentem. Cœpit autem dæmon ille maledicere senem illum, dicens: Ad istum potatorem vini me adduxistis? Et senex quidem propter humilitatem, nolebat eum eijcere: propter verò improperium eius dixit: Credo in Christo, quia priùs quàm finem faciam, bibens calicem istum, egredieris ab eo. Et cùm cœpisset senex bibere, clamauit dæmon, dicens: Incendis me. Et antequam consummaret bibens, exiuit ab eo dæmon per gratiam Christi.

Humilitate senis inenditur dæmon, & à bibente sene expellitur.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 28.

17. Misit quidam patrum discipulum suum haurire aquam: erat autem puteus procul valdè à cellâ ipsorum, & oblitus est portare funem secum. Dum verò venisset frater ille ad puteum, & cognouisset quia non portauerat funem, fecit orationem & clamans, dixit: O putee, putee, abbas meus dixit, vt implerem lagenam istam aquâ. Et continuò ascendit aqua vsque ad summum putei, & impleuit frater ille lagenam suam, & restituta est iterum in locum suum.

Ad orationem serui Dei aqua ex puteo sursum ascendit.

LIBELLVS TERTIVS.

De conuersatione optimâ diuersorum sanctorum.

BESARIONIS Ruff. lib. 3. n. 194. Pasch. c. 34. num. 3.

1. RETVLIT abbas Dulas, dicens: Ambulantes aliquando in eremo ego & abbas meus Besarion, venimus secus quamdam speluncam: in quam ingressi inuenimus ibi quemdam fratrem sedentem & operantem plectam de palmis; qui noluit respicere ad nos, neque salutare, nec omnino loqui voluit nobiscum. Dixit autem mihi senex: Eamus hinc, forsitan non est animus fratris istius loqui nobiscum. Egressi quoque inde, illicò ambulauimus videre abbatem Ioannem. Redeuntes verò venimus iterum per speluncam illam, vbi fratrem illum videramus. Et dixit mihi senex: Ingrediamur ad fratrem istum, si fortè reuelauerit ei Deus loqui nobiscum. Intrantes autem inuenimus eum, quia dormierat in pace. At verò senex ait mihi: Veni, frater, colligamus corpus eius; in hoc ipsum enim misit nos Deus ad recondendum eum. Cùm autem colligeremus eum, inuenimus quia naturâ mulier erat. Et admiratus est senex, dicens: Ecce quomodo & mulieres colluctantur aduersus diabolum in eremo, & nos in ciuitatibus dehonestamur. Glorificantes ergo Deum qui protegit diligentes se, recessimus inde.

Monachus silentij obseruans.

Mortuus femina deprehenditur.

MACARII Ruff. lib. 3. n. 195.

2. Dicebat abbas Vindemius, quia narrauit abbas Macarius, dicens: Sedente me aliquando in Scithi, descenderunt duo adolescentes peregrini. Vnus quidem ipsorum incipiebat mittere barbam, alius verò non adhuc. Venerunt autem ad me, dicentes: Vbi est cella abbatis Macarij? Ego autem dixi eis: Quid eum vultis? Responderunt: Audientes de eo, in Scithi venimus videre eum. Dico eis: Ego sum. Qui pœnitentiam agentes, dixerunt: Hîc volumus manere. Ego autem cùm vidissem eos delicatos, & quasi à diuitijs, dixi eis: Non potestis hîc sedere. Dixit ille maior: Et si non possumus hîc sedere, pergemus alibi. Dixi ergo apud animum meum: Vt quid eos persequor, & scandalizantur? Labor ipse faciet eos vt à semet fugiant. Tunc dixi eis: Venite, facite vobis cellulam, si potestis. Dicunt & illi: Ostende nobis tantummodò, & faciemus. Dedi autem eis securim & sportam plenam panibus, & salem, ostendi etiam illis duram petram, dicens: Excidite hîc, & adducite

Macarius duos iuuenes delicatos probat.

vobis ligna de palude: & cùm imposueritis tectum, sedete in eodem loco. ego autem putabam, quòd fugerent propter laborem. At illi interrogauerunt me: Quid operabimur hìc? Dico eis: Plectam de palmis: & sumens folia palmarum de palude, ostendi eis initium plectæ, & quomodo consuere debe-rent. Quibus etiam dixi: Facite sportas, & date custodibus ecclesiæ, & ipsi afferēt vobis panes. Post hæc ergo recessi ab eis: ipsi autem patienter omnia quæcumque dixi eis, fecerunt, & non venerunt ad me per tres annos. Sustinui autē & ego luctando cum animo meo, dicens: Putas, quæ est horum operatio, quia non venerunt interrogare me de cogitationibus suis? Qui enim de longinquo sunt, veniunt ad me; isti autem de proximo mihi non venerunt ad me: nam nec ad alium abierunt, nisi solùm ad ecclesiam cum silentio accipere oblationem. Igitur oraui ego Deum ieiunans vnâ septimanâ, vt demonstraret mihi operationem istorum. Surgens autem post illam septimanam abij ad eos, videre quomodo sederent. Et cùm pulsassem, aperuerunt mihi, & salutauerunt me tacētes: faciensque orationem sedi. Innuens autem ille maior minori, vt egrederetur, ipse sedit facere plectam, nihil loquens. Et circa horam nonam significauit percutiens, & venit ille minor, & fecit modicam coctu-ram pulmenti. Apposuit verò & mensam, innuente ei illo maiore, & posuit super eam tres paximates, & stetit tacens. Ego autem dixi: Surgite, manducemus. Et exurgentes manducauimus: attulit verò lagunculam, & bibimus. Cùm autem factum esset vesperè, dicunt mihi: Vadis hinc? Respondi ego: Non, sed hìc dormiam. Posuerunt autem mihi mattam in parte, & sibi in alium angulum à parte: tulerunt etiam cingulos suos, & semicinctia sua, & posuerunt se dormire simul super mattam ante me. Cumque se reclinassent, oraui ad Deum, vt mihi reuelaret operationem ipsorum. Et apertum est tectum cellæ, & facta est lux magna sicut per diem, ipsi verò non cōspiciebant lumen illud. Cùm verò putarent, quia ego dormirem, tetigit ille maior minorem in latus. Et surrexerunt atque cinxerunt se, expandentes quoque manus in cælum steterunt cum silentio. Et ego quidem videbam eos, ipsi verò me non videbant. Videbam ergo dæmones sicut muscas venientes super illum minorem fratrem, & alij quidem veniebant vt sederent super os eius, alij verò super oculos. Et vidi angelum Dei habentem gladium ignis circumuallantem eum, atque infestantem ab eo dæmones. Illi autem maiori non poterant appropinquare. Circa mane verò reclinauerunt se. Et ego feci meipsum quasi euigilantem, & ipsi fecerunt similiter. Dixit autem ille maior hunc sermonem tantùm: Vis dicimus duodecim psalmos? Dixi: Etiam. Et psallebat ille minor quinque psalmos, senos versus, & vnum alleluia: & per vnumquodque verbum exibat lampas ignis de ore ipsius, & ascendebat in cælum. Similiter autem & ille maior cùm aperiebat os suum psallens, tamquam fumus ignis egrediebatur de ore eius, & pertingebat in cælum. Et ego dixi modicum ex animo, sicut & illi, opus Dei. Exiens autem dixi: Orate pro me. Ipsi autem satisfecerunt mihi tacentes. Et cognoui, quia ille maior perfectus est, illum autem minorem impugnabat adhuc inimicus. Post paucos autem dies dormiuit ille maior frater, & tertio die ille minor. Et cùm aliqui patrum aduenirent abbati Macario, ducebat eos in cellam ipsorum, dicens: Venite videre martyrium horum minorum peregrinorum.

Proficiunt.

Visitantur à Macario.

Surgunt ad orationem.

Proteguntur ab Angelo.

Cantant 12. psalmos.

Ignis ex ore eorum egreditur.

EVCHARISTIVS ET MARIA.

3. Duo quidam patrum rogabant Deum, vt ostenderet eis, in quam peruenerint mensuram. Et venit eis vox, dicens: Quia in villâ illâ quæ est in Ægypto, est sæcularis quidam, Eucharistius nomine, & vxor eius vocatur Maria; nondum adhuc peruenistis ad mensuram ipsorum. Exurgentes autem illi duo senes, venerunt in vicum illum. Qui percontantes inuenerunt cellulam ipsius, & vxorem eius. Et dicunt ad illam: Vbi est vir tuus? At illa dicit eis: Pastor est ouium, & illas pascit. Et introduxit eos in domum suam. Cùm autem serò factum esset, venit ipse Eucharistius cum ouibus: & videns illos senes, parauit illis mensam, misitque aquam in peluim, vt lauaret pedes eorum. Qui dixerunt ei: Non gustabimus quidquam, nisi indicaueris nobis operationem tuam. Tunc ille Eucharistius cum humilitate dixit eis: Ego pastor sum ouium, & hæc vxor mea est. Cùm verò perseuerassent illi duo senes, rogantes eum vt omnia denuntiaret eis, ipse nolebat dicere. Tunc dixerunt ei: Dominus nos misit ad te. Audiens autem hoc verbum, timuit, dixitque eis: Ecce istas oues habemus à parentibus nostris, & quidquid ex eis donauerit mihi Deus, facimus illud tres partes: partem vnam pauperibus, & vnam partem in susceptione peregrinorum, & tertiam partem ad vsum nostrum. Ex quo autem accepi vxorem, neque ego pollutus sum, neque illa, sed virgo est, singuli autem remoti à nobis dormimus: & noctu quidem induimus saccos, in die verò vestimenta nostra. Et vsque nunc nemo hominum hæc cognouit. Cumque hæc audissent illi patres,

Continentes in matrimonio senibus duobus præferuntur.

Pia opera duorum coniugatorum.

patres admirati sunt, & recesserunt glorificantes Deum.

MACARII. 4. Venit aliquando abbas Macarius ille Ægyptius de Scithi in montem Nitriæ in die oblationis, ad monasterium abbatis Pambo, & dixerunt ei seniores loci illius: Dic fratribus verbum ædificationis, pater. Qui dixit eis: Ego nondum factus sum monachus, sed vidi monachos. & dixit: Sedente enim me aliquando in cellâ in Scithi, perurgebant me cogitationes meæ, dicentes: Surgens, vade vsque in desertum, & considera quod illic vides. Et permansit reluctando huiusmodi animus meus per quinque annos, dicens: Ne fortè à dæmonibus sit hæc suggestio. Cùm ergo perseuerasset cogitatio ista in me, abij in eremo, & reperi ibidem stagnum aquarum, & insulam in medio eius. Veniebant quoque diuersa animalia eremi, & bibebant ex eo: inter quæ vidi duos homines nudos, & contremuit corpus meum; putabam enim quia spiritus sunt. Cumque vidissent illi me trepidantem, locuti sunt ad me, dicentes: Noli timere, & nos enim homines sumus. Dixi itaque illis: Vnde estis, & quomodo in hanc eremum venistis? Qui dixerunt: De cœnobio fuimus, & factus est nobis consensus, & egressi sumus huc; ecce quadraginta anni sunt. Erat autem vnus ex ipsis Ægyptius, alius verò Libycus. Interrogauerunt autem me & ipsi dicentes: Quomodo est mundus, & si ascendit aqua secundùm tempus suum, si etiam habet mundus abundantiam suam? Respondi eis: Etiam. Quos & ego interrogaui: Quomodo possum fieri monachus? Dicunt mihi: Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ in mundo sunt, non potest fieri monachus. Quibus dixi: Ego infirmus sum, & non possum sicut vos. Responderunt mihi: Si non potes sicut nos, sede in cellâ tuâ, & plange peccata tua. Interrogaui ergo eos, dicens: In hieme non sentitis frigus, aut in æstate non inceditur corpus vestrum in caumate? At illi dixerunt: Deus fecit nobis hanc dispensationem, vt neque in hieme frigus, neque æstate ardorem sentiamus. Ideoque dixi vobis quia ego nondum factus sum monachus; ignoscite mihi, fratres.

Quinquennio Macarius suggestionem explorat.

Duo eremitæ nudi Macario occurrunt.

Qui omnibus renuntiat, potest fieri monachus.

SISOIS. 5. Sedebat aliquando abbas Sisois solus in monte abbatis Antonij: moram autem faciente ministro eius venire ad eum, per menses decem non vidit hominem. Ambulans autem per montem, inuenit quemdam Pharanitem capientem animalia agrestia. Cui senex dixit: Vnde venis, aut quantum tempus habes hîc? At ille dixit: Verè, abba, habeo vndecim menses in monte isto, & non vidi hominem nisi te. Audiens autem hæc senex, intrauit in cellam suam, & percutiebat seipsum, dicens: Ecce, Sisoi, existimabas te aliquid fecisse, & neque, vt sæcularis hic, ita fecisti.

Pharanites vndecim mensibus hominem non vidit.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 161. 6. Item ipse abbas Sisois sedens in cellâ, semper claudebat ostium suum. Dicebatur autem de ipso, quoniam in die dormitionis suæ, cùm sederent circa eum patres, resplenduit tamquam sol facies eius, & dixit ad eos: Ecce abbas Antonius venit. Et post pusillum rursum dicit eis: Ecce chorus prophetarum venit. Et iterum amplius facies eius resplenduit, & dixit: Ecce chorus Apostolorum venit. Et dupliciter refulsit adhuc facies eius; & ecce ipse quasi cum aliquibus loquebatur. Deprecati sunt autem senes illum, dicentes: Cum quo loqueris, pater? Qui dixit eis: Ecce Angeli venerunt accipere me; & rogo vt dimittar pœnitere modicum. Dicunt ei seniores: Non indiges pœnitentiâ, pater. Dixit autem illis: Verè nescio meipsum vel initium pœnitentiæ arripuisse. Et cognouerunt omnes, quia perfectus esset. Et rursum subitò facta est facies eius sicut sol, & timuerunt omnes. Dixit autem eis: Videte, ecce Dominus venit, dicens: Afferte mihi vas electionis eremi. Et continuò reddidit spiritum. & factus est sicut fulgur, & repletus est totus locus ille odore suauitatis.

Sisoi in hora mortis varij Sancti apparent.

Humilitas Sisoi.

Christus ei apparet.

Sisois vas electionis eremi.

HOR. 7. Dicebant de abbate Hor: Quia neque mentitus est vmquam, neque iurauit, neque maledixit hominem, neque si necesse non fuit, locutus est alicui.

EIVSDEM. 8. Idem abbas Hor dicebat discipulo suo: Vide ne aliquando alienum verbum adducas in cellam istam.

INCERTI. 9. Duo quidam magni senes ambulabant in eremo quæ est iuxta Scithim: & audientes murmur cuiusdam vocis de terrâ, quæsierunt introitum speluncæ; in quam ingressi repererunt ibidem quamdam aniculam, virginem sanctam, iacentem infirmam, & dicunt ei: Quando huc aduenisti, anus; aut quis est qui tibi ministrat? Nihil enim inuenerunt in ipsâ speluncâ, nisi solam ipsam iacentem infirmam. At illa dixit: Trigesimum octauum annum habeo in speluncâ hac eremi, cum tantâ sufficientiâ seruiens Christo, & non vidi hominem nisi hodie: misit enim vos Deus, vt sepeliatis corpus meum. Cumque hoc dixisset, quieuit in pace. Patres verò illi glorificauerunt Deum, & recondito corpusculo eius, recesserunt in locum suum.

38 annis anicula reclusa, hominem non videns.

INCERTI. 10. Narrauerunt de quodam solitario, quia exijt in eremum vestitus lineo sacco tantùm. Cumque perambulasset tres dies, ascendit supra petram, & vidit sub ipsa viri-

dem herbam, & hominem pascentem tamquam bestiam. Descendens autem occultè, tenuit eum: senex verò ille cùm esset nudus, nec ferre posset odorem hominum, angustiatus vix potuit euadere de manibus ejus, & fugiebat. Ille quoque frater exijt, post ipsum currens & clamãs: Exspecta me, quia propter Deum te sequor. At ille conuersus, dixit ei: Et ego propter Deum fugio abs te. Frater autem ille posthæc proiecit [10] leuitionem, quâ erat indutus, & sequebatur eum. Quem cùm vidisset senex, quia iactauerat indumentum suum, sustinuit eum. Et cùm appropinquasset ei, dixit ad illum senex: Quando proiecisti materiam mundi abs te, & ego te exspectaui. Rogabat autem frater ille, dicens: Pater, dic mihi verbum quo saluus efficiar. Qui dixit ei: Fuge homines, & tace, & saluus eris.

Fuge, tace; via salutis.

*INCERTI.

11. Narrabat quidam solitarius fratribus, qui erant [11] in Raythum vbi sunt septuaginta arbores palmarum, in locum, vbi applicuit Moyses cum populo, quando egressus est de terrâ Ægypti, sic dicens: Cogitaui aliquando, debere me ingredi in interiorem eremum, si fortè inuenirem aliquem interiùs me habitantem in eremo, & seruientem Domino nostro Iesu Christo. Ambulans autem quatuor dies ac noctes inueni speluncam: & cùm appropinquassem, respexi intus, & vidi sedentem hominem, & pulsaui secundùm consuetudinem monachorum, vt egredientem salutarem eum. At ille non mouebatur; requieuerat enim in pace. Ego autem nihil dubitans introiui: & cùm tenuissem scapulam ipsius, confestim dissolutus est, & factus est puluis. Deinde aspiciens, vidi colobium pendens: cùm verò & hoc tenuissem, dissolutum est, & in nihilum redactum est.

Exod.15.

Simile quid vel idem in Vitâ sancti Onuphrij cap.2. per Metaphrastem apud Surium tom.3. de se narrat Paphnutius.*

Cùm autem de hoc hæsitarem, egressus sum inde, & perambulabam in desertum, in quo rursus aliam reperi speluncam, & vestigia hominis ibidem. Factus sum autem alacrior. Appropinquans autem ad ipsam speluncam, vt iterùm pulsaui, & nemo mihi obaudiuit, ingressus nullum inueni: stans autem foràs speluncam, dicebam intra meipsum: Quia hìc oportet venire hunc seruum Dei, vbicumque fuerit. Cùm verò iam præterisset dies, vidi bubalos venientes, & illum seruum Dei venientem cum eis nudum, de capillis cooperientem quæ inhonesta erant corporis sui. Qui appropinquans mihi, existimabat me spiritum esse, & stetit ad orationem. Nam multùm tentatus fuerat à spiritibus, sicut ipse posteà dicebat. Ego autem hæc intelligens, dicebam ei: Serue Dei, & ego homo sum, vide vestigia mea & contrecta me, quia caro & sanguis sum. Cùm verò post orationem dicto Amen, respexisset me & consolatus fuisset, introduxit me in speluncam, & interrogabat me, dicens: Quomodo huc aduenisti? Cui ego dixi: Requirendi gratiâ seruos Dei veni in hanc solitudinem, & non me fraudauit Deus à desiderio meo.

In Vitâ sancti Onuphrij iam citatâ c.3.

Ego autem interrogaui eum rursus, dicens: Quomodò & tu huc venisti, & quantum tempus habes, aut quod est alimentum tuum, vel quomodo cùm sis nudus, non indiges vestiméto? Qui dixit mihi: Ego in cœnobio eram * Thebeæ, & opus meum erat lini textura: subintrauit autem in animum meum cogitatus, vt inde exiens singulariter sederem: & poteris, inquit, quietus esse, & suscipere peregrinos, & pluriorem mercedem habere ex eo, quod acquisieris de opere tuo. Vt autem consensi cogitationi huic, & opere perfeci eam, exiens ædificaui mihi monasterium, ibique veniebant, qui mihi iniungebant opus. Cumque iam multum esset quod congregaueram, festinabam pauperibus ac peregrinis illud distribuere. Sed aduersarius noster diabolus inuidens mihi, sicut & semper & tunc, futuram in me fieri retributionem machinabatur auferre, eò quòd festinabam labores meos Deo offerre. Videns enim vnam virginem sacram iniungentem mihi species, & eas me perficientem atque reddentem; immisit ei vt rursus mihi alias demandaret species. At verò vbi iam consuetudo facta est ac fiducia maior, postremò etiam tactus manuum & risus, ac simul conuescere, ad vltimum concepimus dolorem, & peperimus iniquitatem. Cùm autem mansissem in eadem ruinâ sex mensibus, posteà cogitaui, dicens: Quia aut hodie, aut crastino, aut post multos annos morti addictus, æternum habebo supplicium. Si enim quis vxorem hominis violauerit, pœnis æternis legitimè subiacebit; quantis tormentis dignus est, qui Christi stuprauerit sponsam? Et sic occultè in hanc eremum cucurri, omnia relinquens illi mulieri, veniensque huc inueni hanc speluncam, atque fontem hunc, & istam palmam afferentem mihi bo[illegible]nes duodecim dactylorum: per singulos menses affert mihi vnum botryonem, qui mihi sufficit triginta diebus, & post hunc maturatur alter. Post tempus autem multum creuerunt capilli mei, & cùm iam disrumperentur vestimenta mea, de ipsis, quam decet, partem operui corporis mei.

** al. Thebaidæ. In Vitâ Onuphrij iam citatâ c.5. vocatur hic eremita Timotheus.*

Periculosa cum virgine etiam sacrâ consuetudo.

Monachus memoriâ æterni supplicij se reuocat à lapsu.

Dum autem rursum eum interrogarem, si in primordijs difficultatem habuisset ibidem, ait mihi: In initijs afflictus sum valdè

dolore

dolore iecoris, ita vt humi iacens non possem stans psalmum dicere, sed prostratus in terrâ, clamabam ad Altissimum. Cùm autem in speluncâ essem in dolore valido atque defectione, vt etiam nec egredi iam possem, vidi virum intrantem & iuxtà stantem ac dicentem mihi: Quid pateris? Ego autem confortatus ab eo modicum, dixi ei: Hepar doleo. Qui dixit mihi: Vbi doles? Cùm verò ostendissem ei, digitos manus suæ in directum coniungens, diuisit locum illum tamquam per gladium, & auellens iecur, ostendit mihi vulnera, & raso iecore manu suâ in pannum ipsas scabies misit, atque rursum ipsum iecur imponens manibus suis, locum ipsum reclusit. Et ait mihi: Ecce sanus factus es, serui Domino nostro Iesu Christo sicut oportet. Et ex tunc factus sum sanus, & sine labore iam sum hîc. Ego autem multùm illum rogaui, vt manerem in interiorem eremum. & ait mihi: Non potes sufferre dæmonum impetus. Et ego hoc ipsum considerans, rogabam vt orans pro me dimitteret me. Qui cùm orasset, dimisit me. Hæc vobis narraui ædificationis gratiâ.

Iecur eius Angelus curat.

INCERTI. *Vide & supra l.1. in Vitâ sancti Onuphrij cap.1.2.*

12. Dicebat rursus alius senex: Qui etiam dignus effectus est episcopus ciuitatis Oxyrynchi, tamquam ab alio hæc audisset, sed ipse erat qui hoc fecerat. Visum est, inquit, mihi aliquando intrare in interiorem eremum, quæ est circa Oasa, vbi genus est Mazicorum, vt viderem, si fortè inuenirem aliquem Christo seruientem. Sumens itaque paucos paximates, & quasi dierum quatuor aquam in vase, iter meum faciebam. Transactis verò quatuor diebus, consumptisque cibis, exspectabam quid agerem. Et confidens dedi meipsum ad pergendum. Ambulaui quoque alios quatuor dies sine cibo perdurans. Cumque ieiunium & laborem itineris ferre non posset corpus meum, in pusillanimitatem veni, ac sic iacebam in terrâ. Veniens autem quidam digito suo tetigit labia mea, tamquam si medicus de sputo oculum percurrat: statim verò confortatus sum, ita vt putarem me neque ambulasse, neque famem pertulisse. Cùm ergo vidissem venientem in me virtutem hanc, surgens perambulabam desertum. Præteritis itaque alijs quatuor diebus, rursum fatigatus defeci. Cumque extendissem manus meas in cælum, ecce vir ille, qui pridem me confortauerat, iterùm digito suo quasi liniens labia mea, confortauit me. Peracti sunt autem dies decem & septem, & posthæc inuenio tugurium, & arborem palmæ, & virum stantem, cuius capilli capitis erant pro indumento ipsius; qui capilli canitie eius erant candidi per totum. Erat autem & terribilis aspectu. Cumque vidisset me, stetit ad orationem. Et expleto Amen, cognouit me esse hominem, tenensque mihi manum interrogabat me, dicens: Quomodo huc aduenisti, & si adhuc constant omnia quæ sunt in mundo, si adhuc etiam sunt persecutiones? Ego autem dixi ei: Vestri gratiâ, qui in veritate Domino Iesu Christo seruitis, hanc perambulo eremum; persecutio verò cessauit per potentiam Christi. Edissere mihi nunc, obsecro te, & tu quomodo huc aduenisti? At ille cum lamentatione plorans, cœpit dicere mihi: Ego episcopus eram, & persecutione factâ, multis mihi illatis supplicijs, cùm iam ferre non possem tormenta, posteà sacrificaui. In meipsum autem deinde reuersus, agnoui iniquitatem meam, & dedi meipsum ad moriendum in hanc eremum; & sum degens hîc annis quadraginta nouem in confessione & obsecratione ad Deum, si fortè dimittatur mihi peccatum meum. Et victum quidem præstitit mihi Dominus ex hac palmâ, consolationis verò indulgentiam non accepi, vsque ad quadraginta octo annos: in hoc autem anno consolatus sum. Hoc autem dicens, repentè surrexit; & currens exijt foràs, & stetit in oratione diu. Cùm autem complesset orans, venit ad me. Intuens autem ego faciem eius, exterritus trepidaui, factus enim erat ipse tamquam ignis. Dixit ergo mihi: Noli timere. Deus enim te misit, vt funeri tradas corpus meum, atque sepulturæ. Dum autem consumasset hæc dicens, statim extendens manus pedesque, finem vitæ fecit. Dissutâ ergo tunicâ meâ, ego dimidiam mihi tenui, & dimidiâ inuolutum sanctum corpusculum abscondi in terrâ. Recondito ergo illo, continuò palma illa aruit, & tugurium illud cecidit. Ego autem multùm fleui, obsecrans Deum, si quomodo mihi præstaret palmam illam, vt perseuerarem in loco illo residuum tempus meum. Vt autem non est hoc factum, dixi apud me: Non est voluntas Dei. Orans ergo tendebam iterùm ad sæculum, & ecce homo, qui liniuit labia mea, veniens apparuit mihi, atque confortauit me, & ita conualui peruenire ad fratres, & narraui eis hæc, rogans eos ne desperarent semetipsos, sed per pœnitentiam inuenirent Deum.

Episcopus lapsum suum 49. annorum pœnitentiâ eluit.

13. Frater quidam interrogauit senem, dicens: Nomen est quod saluat, aut opus? Respondit ei senex: Opus. Et ait senex: Scio enim fratrem orantem aliquando, & statim audiebatur oratio eius. Subintrauit autem in animo eius cogitatus, velle videre animam peccatoris & iusti, quomodo abstra-

INCERTI.

hitur à corpore. Et nolens Deus contristare eum in desiderijs eius, dum sederet in cellâ suâ, ingressus est lupus ad eum, & tenens ore suo vestimenta ipsius fratris, trahebat eum foràs. Surgens autem frater sequebatur eum: lupus autem duxit eum vsque ad aliquam ciuitatem, & dimittens fratrem illum, recessit. Cùm verò sederet foràs ciuitatem in monasterio, in quo erat quidam habitans, qui habebat nomen quasi magni solitarij, ipse verò solitarius infirmus erat, exspectans horam mortis suæ. Frater ille qui ibidem venerat, videbat multam præparationem fieri cereorum & lampadarum propter solitarium illum, tamquam per ipsum Deus panem & aquam inhabitantibus ciuitatem illam præstaret atque saluaret eos, & dicebant: Si hic finierit, simul omnes moriemur. Facta autem exitus eius horâ, vidit frater ille tartaricum inferni descendentem super solitarium illum, habentem tridentem igneum, & audiuit vocem dicentem: Sicut anima ista non me fecit quiescere, neque vnâ horâ in se, sic neque tu miserearis eius euellens eam. Deponens igitur tartaricus ille quem tenebat tridentem igneum in cor solitarij illius, per multas horas torquens eum, abstraxit animam eius. Posthæc autem ingressus frater ille in ciuitatem, inuenit hominem peregrinum iacentem in plateâ ægrotum, non habentem qui ei curam adhiberet; & mansit cum eo die vnâ. Et cùm venisset hora dormitionis eius, conspicit frater ille Michaëlem & Gabrielem descendentes propter animam eius. Et sedens vnus à dextris & alius à sinistris eius, rogabant animam eius, vt egrederetur foràs: & non exibat, quasi nolens relinquere corpus suum. Dixit autem Gabriel ad Michaëlem: Assume iam animam istam vt eamus. Cui Michaël respondit: Iussi sumus à Domino, vt sine dolore eiiciatur, ideóque non possumus cum vi euellere eam. Exclamauit ergo Michaël voce magnâ, dicens: Domine, quid vis de animâ hac, quia nō acquiescit nobis, vt egrediatur? Venit autem ei vox: Ecce mitto Dauid cum citharâ, & omnes Deo psallentes in Ierusalem, vt audiens psalmum ad vocem ipsorum egrediatur. Cúmque descendissent omnes in circuitu animæ illius cantantes hymnos, sic exiens anima illa sedit in manibus Michaël, & assumpta est cum gaudio.

Visio de diuerso duorum morientium statu.

Michaël & Gabriel animam peregrini cuiusdam deducunt.

EIVSDEM. 14. Dixit iterùm qui suprà, de quodam sene, quia venit aliquando in ciuitatem, vt venumdaret vasa quæ operatus fuerat. Et cùm explicuisset ea, contigit eum sedere ante ianuam cuiusdam diuitis, qui iam moriebatur. Sedens ergo senex ille, vidit equos nigros, & ascensores eorum nigros & terribiles, habentes singulos baculum igneum in manu suâ. Cùm ergo iam peruenissent ad ianuam illam, statuerunt equos suos foràs, & intrauit vnusquisque cum festinatione. Infirmus autem ille videns eos, clamauit voce magnâ, dicens: Domine, adiuua me. At illi dixerunt ei: Nunc memor factus es Dei, quando tibi sol obscuratus est? quare vsque in hodiernum diem non exquisisti eum, dum adhuc tibi splendor erat diei? Nunc autem in hac horâ non est tibi portio spei neque consolationis.

Diuitis miseranda mors.

15. Dixerunt patres, fuisse quemdam Macarium, qui Scithi primus monasterium fecit. Est enim locus ipse eremi longè à Nitriâ, habens interuallum itineris die noctuque. Est autem & grande periculum euntibus ibidem: si enim modicum quis errauerit, vagatur periclitans per eremum. Sunt autem illic omnes perfecti viri, nec aliquis imperfectus potest in eodem loco tam feroci perdurare, quia omnino aridus est, absque vllâ consolatione eorum quæ necessaria sunt. Hic igitur prædictus vir Macarius, cùm esset homo de ciuitate, coniunctus est aliquando illi Macario maiori. Et cùm venissent ad transfretandum Nilum fluuium, contigit eos ingredi in naui maiore, in quâ tribuni duo quidam cum multâ intrauerant extollentiâ, habentes intus rhedam totam æream, & equos quibus fræni aurei erant, & obsecundantes quosdam milites, & pueros torques vtentes, atque aliquos aureos habentes cingulos. Videntes ergo tribuni illi hos duos monachos veteres pannos indutos, & in angulo sedentes, beatificabant exiguitatem ipsorum. Vnus verò ex tribunis illis ait ad eos: Beati estis vos, qui mundo huic illusistis. Respondens autem ille vrbanus Macarius, dixit ad eos: Nos quidem mundo isti illusimus, vobis autem mundus hic illusit. Scito tamen, quia non volens hoc dixisti; vtrique enim beati dicimur, id est Macarij. At ille tribunus compunctus in verbo eius, regressus domum, exspoliauit se vestimenta sua, & cœpit esse monachus, faciens eleēmosynas multas.

MACARII Ruff. lib. 1. cap. 29.

Monachi mundo illudunt, secularibus mundus.

16. Dicebant de eodem abbate Macario maiore, quia dum ambularet aliquando in eremum, inuenit caput hominis mortui in terrâ iacens; quod cùm moueret de virgâ palmæ, quam in manu habebat, locutum est caput illud ad eum. Cui dixit senex: Quis es tu? Respondit caput illud ad senem: Ego eram sacerdos gentilium qui commanebant in loco hoc, tu verò es abbas Macarius, qui habes Spiritum sanctum Dei. Quacumque ergo horâ miser-

MACARII. Ruff. l. 3. num. 172. pauló aliter narrat.

tus

tus fueris eorum qui sunt in tormentis, & oraueris pro eis, tunc consolantur pusillum. Dicit ei senex: Et quæ est ipsa consolatio? Respondit illud caput: Quantum distat cælum à terrâ, tantum est ignis sub pedibus nostris, & super caput nostrum. Stantibus ergo nobis in medio ignis, non est vt quis facie ad faciem videat proximum suum. Ait ergo senex cum fletu: Væ illi diei, in quâ natus est homo, si hæc est consolatio supplicij. Rursum dixit senex: Est peius tormētum ab his? Respondit caput illud: Maior pœna subtus nos est. Dicit ei senex: Et qui sunt in ipsâ? Dicit ei caput illud: Nos qui ignorauimus Deum, vel ad modicum habemus aliquid misericordiæ: hi verò qui cognouerunt Deum, & negauerunt eum, nec fecerunt voluntatem eius, hi sunt subtus nos. Et post hæc sumens senex caput illud sepeliuit.

Christiani in inferno grauiùs quam ethnici cruciantur.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 97.

17. Orante aliquando eodem abbate Macario in cellâ suâ, venit ei vox, dicens: Macari, nondum peruenisti ad mensuram illarum duarum mulierum illius ciuitatis. Surgens ergo mane senex, accepit virgam suam palmeam, & cœpit pergere in ciuitatem. Cùm ergo peruenisset, reperto loco pulsauit ad ianuam. Egressa autem vna, suscepit eum in domum suam. & cùm sedisset, vocauit eas: quæ cùm venissent, sederunt cum eo. Ait autem ad eas senex: Propter vos laborem tantum pertuli: dicite mihi nunc operationem vestram, quæ vel quomodo est. At illæ dixerunt: Crede nobis, quia hac nocte non fuimus sine viris nostris. Quam ergo operationem possumus habere? At verò senex cum satisfactione rogabat eas, vt manifestarent ei actum suum. Tunc dixerunt ei: Nos quidem secundùm sæculum extraneæ nobis sumus; placuit autem nobis nubere duobus fratribus secundùm carnem. Quindecim annis nos hodie duæ habitamus in vnâ domo, & nescimus si aliquando litigauimus ad inuicem, aut vel sermonem turpem dixit vna ex nobis ad alteram: sed in pace & concordiâ peregimus totum tempus hoc. Subintrauit autem nobis in animum ingredi in monasterium virginum, & rogati viri nostri, non nobis consenserunt in hoc. Cùm verò minime valuissemus obtinere huiusmodi consilium, disposuimus testamentum inter nos & Deum, vt vsque ad mortem per os nostrum non egrediatur sermo sæcularis. Audiens autem hoc abbas Macarius, dixit: In veritate dico, quia neque virgo, neque sub marito agens, neque monachus, neque sæcularis, sed secundùm vniuscuiusque propositum, Deus omnibus præstat Spiritum sanctum.

Macario duæ coniugatæ sine querelâ viuentes præferuntur.

In omni statu Deus suos sanctos habet.

INCERTI. 18. Dicebant patres de aliquo sene magno, quia cū ambularet in eremo, vidit duos Angelos comitantes secum, vnum à dextris, & alium à sinistris suis. Dum verò ambularent, inuenerunt cadauer in viâ iacens. Et cooperuit ille senex nares suas propter fœtorem: fecerunt autem & Angeli similiter. Et profecti pusillum, dixit senex: Et vos hoc odorastis? Qui dixerunt ei: Nequaquam, sed propter te cooperuimus & nos: nam immunditiam mundi huius non odoramus nos, neque appropiat nobis; sed animas, quæ fœtorem peccatorum habent, ipsarum odorem nos odoramus.

Angeli duo senis comites.

Fœtor peccati Angelis abominandus.

LIBELLVS QVARTVS.

Septem Capitula verborum, quæ misit abbas Moyses abbati Pœmenio. Et qui custodierit ea, liberabitur à pœnâ.

1. DIXIT senex Moyses: Quia debet homo quasi mortuus esse socio suo, hoc est mori amico suo, vt non diiudicet eum in aliquâ caussâ. MOYSES. Append. Mart. n. 109.

Neminem iudices.

2. Dixit iterùm: Quia debet homo mortificare seipsum ab omni re malâ, priusquam egrediatur de corpore, vt non lædat vllum hominem. EIVSDEM.

Neminem lædas.

3. Dixit iterùm: Nisi habuerit homo in corde suo, quia peccator est, Deus non exaudit eum. Dixit ei frater: Quid est in corde habere, quia peccator est? Et dixit senex: Si quis portat peccata sua, non videt peccata proximi sui. EIVSDEM.

Te peccatorem cogita.

4. Dixit iterùm senex: Nisi cōuenerit actus orationi, in vanum laborat homo. Et dixit frater: Quid est consensus actus cum oratione? Respondit senex: Vt pro quibus oramus, iam non illa faciamus. Quando enim homo dimiserit voluntatē suam, tunc ei reconciliatur Deus, & suscipit orationes eius. Interrogauit frater: In omni labore hominis quid est quod eum iuuat? Dicit ei senex: Deus est qui adiuuat. Scriptum est enim: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 202. Append. Mart. n. 35 titulo Moysis. Psal. 45.

Actus orationi consentiat.

5. Dixit frater: Ieiunia & vigiliæ, quas facit homo, quid efficiunt? Dixit ei senex: Quoniam ipsa sunt, quæ faciunt humiliari animam. Scriptum est enim: Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Si ergo fecerit anima labores istos, miserebitur super eam Deus propter eos. EIVSDEM. Psal. 24.

Ieiunia & vigiliæ animam humilians.

6. Interrogauit frater senem, dicens: Quid faciet homo in omni tentatione veniente super se, aut in omni cogitatione inimici? Ait illi senex: Flere debet in conspectu bonitatis Dei, vt adiuuet eum; & requiescet velociter, si rogat in scientiâ. Scriptum est enim: EIVSDEM. Psal. 117.

In omni tentatione Deus inuocandus.

DE VII. CAPITVLIS MOYSIS. enim: Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo.

EIVSDEM. Append. Mart. n.37 tit. Incerti. 7. Interrogauit eum iterùm frater, dicens: Ecce homo cædit seruum suum propter peccatum quod egit, quid dicet seruus ille? Dicit ei senex: Si bonus seruus est, dicet: Peccaui, miserere mei. Dicit ei frater: Nihil aliud? Dicit ei senex: Non. ex quo enim culpam super se posuerit, & dixerit: Peccaui, statim miseretur ei dominus suus: finis autem horum est, non iudicare proximum suum. Quando enim manus (Exod.12.) Domini occidit primogenita in terrâ Ægypti, non erat domus, in quâ non esset mortuus. Dicit ei frater: Quid est hoc verbum? Respondit ei senex: Quia si conspexerimus peccata nostra, non videbimus peccata proximi. Stultitia est enim homini habenti mortuum suum, relicto eo ire & flere mortuum proximi sui. mori autem proximo tuo, hoc est portare peccata tua, & sine cogitatu esse ab omni homine, quia iste bonus est, & ille malus est, & ne facias malum vlli homini, neque cogites malum in aliquem, neque spreueris aliquem facientem malum, neque acquiescas facienti malum proximo tuo, & noli gaudere cum eo, qui facit malum proximo suo: & hoc est mori proximo tuo. Et noli obloqui de aliquo, sed dicito: Quia Deus cognoscit vnumquemque. Noli ergo obedire detrahenti, neque congaudeas ei in detractione ipsius. Noli obedire obloquenti proximum suum, & hoc est, nolite iudicare, & non iudicabimini. (Matth.7.) Non habeas inimicitias cum quocumque homine, neque retineas inimicitias in corde tuo, neque odio habeas eum qui inimicatur proximo suo, & non consentias inimicitijs ipsius. Noli despicere eum qui inimicitias habet cum proximo suo, & hæc est pax. In his temetipsum consolare: modicum tempus est labor, & sempiterna requies, gratia Dei Verbi, Amen.

Mortuum tuum domi tua plora.

Quid sit mori proximo.

INCERTI. 8. Dixit alius senex: Propter te homo Saluator est natus; propter hoc venit Filius Dei, vt tu saluareris. Factus est homo, manens Deus; factus est puer; factus est lector, (*Christus lector.*) accipiens librum legit in synagogâ, dicens: (Lucæ 4.) Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me; euangelizare pauperibus misit me. Factus est subdiaconus: (*Subdiaconus.* Ioan.2.) faciens namque de fune flagellum omnes eiecit de templo oues & boues, & cetera. Factus est diaconus: (*Diaconus.* Ioan.13.) præcingens namque se linteo lauit pedes discipulorum suorum, præcipiens eis fratrum pedes lauare. Factus est presbyter, (*Presbyter.* Lucæ 13. & 21.) & resedit in medio magistrorum docens. Factus est episcopus, (*Episcopus.* Matth.26.) & accipiens panem benedixit ac fregit, & dedit discipulis suis, & cetera. Flagellatus est propter te, crucifixus & mortuus est; & tertiâ die resurrexit, & assumptus est. Omnia propter te suscepit in se, omnia iuxta dispensationem, omnia ordine, omnia consequenter est operatus, vt nos saluaret; & tu propter eum non toleras? Simus sobrij, vigilemus, vacemus orationibus, vt quæ placita sunt ei facientes, saluari possimus. Ioseph nónne in Ægypto est venditus, in terrâ alienâ? Tres pueri in Babylone captiui, numquid cuiusquam habuerunt notitiam? Tamen Deus patrocinatus est eis, suscepit & glorificauit eos, quia timebant eum. Qui dat animam suam Deo, non habet propriam voluntatem, sed exspectans Dei arbitrium non laborat. Nam si tuam vis facere voluntatem, non cooperante Deo, nimiùm fatigaris.

9. Interrogauit frater abbatem Pastorem: PASTORIS Quid est quod scriptum est: Nolite cogitare de crastino? (Matth.6.) Dicit ei senex: Ad hominem respicit hoc, qui in tentatione est constitutus, & deficit, vt non cogitet quantum temporis in eâ facturus sit, sed potiùs quod hodiernum est & quotidianum, futurum libenter suscipiat. (*Ne cogites de crastino.*)

10. Interrogauit frater abbatem Ioannem, IOANNIS dicens: Quomodo anima habens propria vulnera, non erubescit detrahere proximo suo? Cui respondit senex per parabolam: Erat quidam homo pauper habens vxorem: qui cùm vidisset aliam mulierem pulchriorem, & ipsam quoque sortitus est in coniugium. Erant autem vtræque nudæ. (*Insignis parabola Ioannes detractionem aperit.*) Sed cùm essent in quodam loco nundinæ, rogauerunt eum ambæ, dicentes: Tecum venire desideramus. Quas mittens nudas in dolium, cum nauiculâ transfretauit, venitq; ad locum. Factâ autem meridie, cùm vna earum populo recedente vidisset silentium, exiliuit in quemdam locum dolio vicinum velociter, & veteres atque conscissos pannos reperiens se præcinxit, & de hinc fiducialiter visa est ambulare. Altera verò nuda sedens intrinsecus, dicebat marito: Ecce meretrix ista nuda est, nec confunditur. Cui maritus cum dolore ait: O miraculum; hæc vtcumq; confusionem suam cooperuit, tu verò vndique nuda non erubescis culpare vel ex parte vestitam? Ita est omnis detractor, qui propria mala non videns, aliena semper accusat. (*Detractor cui similis.*)

11. Dixerunt quidam fratres abbati Antonio: ANTONII. Volumus à te audire verbum, quo saluari possimus. Tunc senex ait: Ecce Scripturas audistis, sufficiat vobis. Qui dixerunt: Et à te volumus audire, pater. Respondit eis senex: Audistis Dominum dicentem: Si quis (Matth.5.) te percusserit in maxillâ sinistrâ, præbe ei & alteram. Dicunt ei: Hoc implere non possu-

Patientiæ gradus. possumus. Dicit eis: Si ergo præbere ei & alteram non potestis, saltem de vnâ ferte patienter. Responderunt ei: Nec hoc possumus. Dicit eis: Si neque hoc potestis, ne velitis percutere magis quàm percuti. Dicunt ei: Nec hoc possumus. Tunc senior ait discipulo suo: Succos præpara fratribus istis, quia nimis infirmati sunt. Deinde dixit eis: Si nec hoc nec illud potestis, quid faciam vobis? ergo sola oratio necessaria est pro vobis. *Infirmo in viâ Dei oratio necessaria.*

IOANNIS. Ruff. lib. 3. n. 84. 12. Dicebat abbas Ioannes quibusdam fratribus: Quia fuerunt tres philosophi amici, quorum vnus moriens alteri reliquit filium suum commendatum; qui in ætate iuuenili prouectus, nutritoris sui adulterauit vxorem. Quo scelere cognito missus est foràs. Deinde cùm plurimùm pœniteret, non ei concessit regressum, sed ait illi: Vade, & esto tribus annis inter damnatos qui metalla in flumine deponunt, & sic indulgeo tibi culpam tuam. Quo post triennium redeunte, rursus ait: Vade alios tres annos da mercedes, vt iniurias patiaris. Ille verò fecit sic alios tres annos. Qui dixit ei: Veni ergo nunc [13] ad ciuitatem Atheniensium, vt philosophiam discas. Erat autem ad portam ciuitatis quidam senex philosophus sedens, atque intrantes contumelijs afficiebat; iniuriauit ergo & iuuenem illum. At ille iniuriatus risit. Cui senior ait: Quid est hoc, quòd tibi ego iniurias facio, & tu rides? Dicit ei iuuenis: Non vis vt rideam, qui tribus annis, vt iniurias paterer, dedi mercedes, & hodie gratis eas patior? Prorsus ob hoc ego risi. Dixitque ei senex: Ascende & ingredere ciuitatem. Cumque hoc retulisset abbas Ioannes, dixit: Hæc porta Domini, & patres nostri per multas iniurias in eâ gratulantes ingressi sunt. *Quidam iniuriantibus mercedem dat.* *Porta cæli iniuriarũ perpessio.*

EIVSDEM. 13. Dicebat abbas Ioannes de animâ, quæ desiderat pœnitere: Quædam pulcherrima meretrix fuit in quadam ciuitate, quæ habuit plurimos amatores. Quidam autem vir de ducibus veniens ad eam dixit: Promitte mihi castitatem tuam, & ego te accipiam in vxorem. Illâ igitur promittente, accipiens eam introduxit in domum suam. Cumque à suis amatoribus quæreretur, agnito quòd ille tam magnus vir fortitus eam fuisset vxorem, dixerunt: Si accesserimus ad ianuam hominis tam potentis, cognoueritque desideria requirentium, proculdubiò puniemur; sed venite post dorsum domus, vtamur solito sibilo: cumque illa sibilantium sonum audierit, descendet ad nos, & inueniemur innoxij. Quæ cùm audisset, signauit aures suas, & exiliens in interiora domus ingressa est, atque clausit. Hæc ita locutus senior, dicebat meretricem esse animam, amatores ei esse vitia, ducem verò vel principem dicebat esse Christum, domumque eius cælorum perpetuam mansionem, sibilatores autem dæmones sunt maligni. Hæc ergo si casta fuerit & fidelis, semper currit ad Deum. *Apologus de meretrice & animâ.*

PASTORIS 14. Dixit abbas Pastor: Scriptum est in Euangelio, Qui habet tunicam, vendat eam, & emat sibi gladium. Hoc intelligitur: Qui habet requiem, dimittat eam, & teneat pugnam; pugnam verò dicebat aduersus diabolum. *Lucæ 22.* *Pugna necessaria.*

SENIS. 15. Dicebat qui suprà: Quia senior quidam in partes Ægypti sedebat in cellâ, cui frater aliquis & virgo quædam ministrabant. Accidit autem vnâ die, vt vterque sibi ad senem venientes occurrerent. Cùm ergo facto iam sero ad sua remeare non possent, posuit mattam senior inter vtrosque vt dormirent. Frater verò ille carnis suæ pugnam non sufferens, miserandam virginem stuprauit & perdidit, consummatoque peccato manè discessit. Senex autem cùm cognouisset, futura prospiciens, tacuit in præsenti. Redeuntes itaque prosequente eos sene, neque aliquam tribulationem demonstrante, vbi recessit ab eis, ita ad inuicem loquebantur: Putásne intellexit hic senex facinus nostrum, an non? Reuersique ad eum pœnitentiâ ducti dixerunt: Sancte pater, intellexisti quemadmodum nos seduxit inimicus atque prostrauit, an non? Qui respondit: Intellexi, fili. Dicunt ei: Et vbi fuit in illâ hora mortis nostræ cogitatio tua? Dixitque eis: Mea cogitatio illic erat illâ horâ, vbi crucifixus est Christus; stabam & flebam tam pro me, quàm pro vobis. Sed quia pœnitentiam vestram Dominus repromisit, admoneo, vt curando vulneri, quod per superbiam pertulistis, diligentius insistatis. Acceptâ igitur regulâ pœnitentiæ ab eo, recesserunt iam fortiter vnusquisque certantes, donec vasa electa fieri potuissent. *Ne peccet, Christum crucifixum cogita.*

ANTONII. 16. Philosophus quidam interrogauit sanctum Antonium: Quomodo, inquit, contentus es, pater, qui codicum consolatione fraudaris? Ille respondit: [14] Meus codex, philosophe, natura rerum est creatarum, quæ mihi, quoties verba Dei legere cupio, adesse consueuit. *Codex Antonij natura rerum.*

MACARII 17. Cùm quidam venisset ad abbatem Macarium, meridiano æstu nimiâ siti accensus, & aquam quæreret ad bibendum, Sufficit, inquit, tibi hæc vmbra, quâ multi viatores aut nauigantes nunc indigent, nec fruuntur. *Macarius in siti vmbrâ se solatur.*

EIVSDEM. 18. Apud eumdem senem cùm verba de continentiæ exercitio haberem, Age, inquit,

quit, fiducialiter, ô fili: nam & ego per viginti annos continuos non pane, non aquâ, non somno satiatus sum. Panem quidem pensatum accipiens, aquam verò ad mensuram, somnum autem parietibus me dumtaxat inclinans subripere paululùm festinabam.

Macarius non pane, non aquâ, non somno satiatus.

INCERTI. *Cum muliere ne manduca.*

19. Quidam frater interrogauit senem, vtrùm cum fratribus ad eos proficiscens manducare deberet. Cui senex respondit: Cum muliere, inquit, non manducabis.

ISIDORI. *Cogitatio praua oratione pellenda.*

20. Interrogauit quidam frater abbatem Isidorum Scithinsem de cogitatu fornicationis. Respondit ei senex: Quòd quidem veniat cogitatio fornicationis, animum conturbans & occupans, sed actum implere non præualens, neque proficiens, sed tantùm impedit ad virtutem: sobrius autem vir à se eam discutiens, ad orationem statim conuertitur.

EIVSDEM. *Perseuerantia & victoria corona.*

21. Idem de eodem cogitatu respondit senex: Si cogitationes non habemus, feris similes sumus. Sed sicut inimicus, quod suum est, exigit; nos quoque, quod nostrum est, implere debemus. Insistamus orationi, & inimicus fugatur. Vaca meditationi Dei, & vinces. Perseuerantia boni victoria est. Certa, & coronaberis.

INCERTI. *Mors præ oculis habenda pusillanimi.*

22. Dixit senex: Homo habens mortem præ oculis, omni horâ vincit pusillanim[illegible]m.

SYNCLETICAE. *Nihil possidens faciliùs diabolũ superat.*

23. Dixit abbatissa Syncletica: Aduersarius noster faciliùs à nihil possidentibus superatur. non enim habet quo lædat eos, quia plerique memores angustiæ atque tentationum à Deo separantium, in ablatis pecunijs ceterisque facultatibus feriri consueuerunt.

EIVSDEM. *Spiritalis sis negotiator, numquam satur.*

24. Rursus quæ suprà, Qui visibiles, inquit, diuitias ex multis laboribus atque marinis periculis colligunt, dum plura lucrantur, plurima concupiscunt, & præsentia quidem tamquã nihil existimant. Nos verò necessaria pro timore Dei renuimus possidere.

INCERTI. *Memoria mali, ignis sub paleâ.*

25. Dixit senex: Qui in animâ suâ memoriam malitiæ ligat, similis est ignem inter paleas occultanti.

INCERTI. *Cane inferiorem te æstima.* Psal. 49.

26. Dixit quidam senex: Si de vitâ æternâ sermonem cuiquam facis, dic verbum audienti cum compunctione & lacrymis; alioquin non dicas, ne inueniaris inutilis, alienis verbis alios saluare festinans. Peccatori namque dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Dic ergo: Canis sum, imò canis melior est me, propter quod & amat dominum suum, & ad iudicium non est venturus.

INCERTI.

27. Interrogauit quidam frater seniorem, dicens: Quomodo anima diligit immunditiam? Dicit ei senior: Anima quidem corporales plerumque desiderat passiones: sed spiritus Dei est, qui eam retinet. Flere ergo debemus, & immunditias nostras attendere diligenter. Vidisti Mariam, quemadmodum, cùm se ad sepulcrum Domini inclinasset, & fleret, vocauit eam Dominus: sic erit & animæ.

Anima à corporalibus passionibus auocanda.

INCERTI. *Tua peccata considera.* Matth. 7.

28. Interrogauit frater seniorem: Quid sunt peccata? Dicit ei senex: Peccata sunt cùm homo sua delicta velut nihil despiciens, alios docere conatur. Propterea dicit Dominus: Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.

INCERTI. *Tentationibus viriliter resistendum.*

29. Interrogauit frater seniorem: Quid agam, quòd animus meus in paruo labore me vulnerat? Dicit ei senex: Non miramur Ioseph, cùm esset puer in Ægypto, in terrâ colentium idola: quemadmodum tentationes viriliter pertulit, & Deus glorificauit eum vsque in finem. Videamus & Iob quòd se vsque in finem non relaxauerit timens Deum, vnde eum nullus à spe Dei mouere præualuit.

INCERTI. *Deus pœnitentem acceptat.*

30. Interrogatus est senior à quodam militante: Si Deus recipit pœnitentem. Qui cùm eum pluribus ædificasset sermonibus, postremò ait ad eum: Dic mihi, dilectissime, si chlamys tua cõscissa sit, proijcis eam? Qui respondens ait: Non, sed resarciens vtor eâ. Dicit ad eum senior: Si ergo tu parcis proprio vestimento, Deus sui imagini non indulget?

INCERTI. *Ad collectam post collectam fratres remorandos.*

31. Erat quidam frater in cellâ, qui post expletas sacras Missas, cùm presbyter dimitteret ecclesiam, exspectabat donec omnes egrederentur, vt aliquis eum teneret ad manducandum. Vnâ ergo dierum expleto conuentu, ante omnes egressus est, & currebat ad cellam suam: quem intuens presbyter currentem miratus est. Cumque transactâ septimanâ venisset frater ille in collectam ecclesiæ, dicit ei presbyter: Dic mihi, frater, quod verum est, quæ caussa fuit circa te, qui per omnes quidem conuentus ecclesiæ remanebas vltimus omnium, in collectione autem præteritâ ante omnes egressus es? Cui frater ille respondit: Quia abstinebam ne mihi coquerem, & ideò exspectabam vt aliquis me teneret ad manducandum. Illâ verò collectâ, priusquam venirem in ecclesiam, coxi mihi pusillum lenticulæ, ideoque consummato sacro mysterio ante omnes exiui. Audiens autem hæc presbyter, dedit mandatum in ecclesiâ, dicens: Fratres, antequam veniatis ad ecclesiæ collectam, coquite vobis pusillum cocturæ, vt propter

propter illud cum alacritate festinetis recurrere in cellis vestris.

PASTORIS 32. Venit aliquando iudex regionis alicuius in prouinciâ abbatis Pastoris. Venientes autem habitatores loci illius rogauerunt abbatem, vt veniens rogaret eum. Qui dixit eis: Sinite me tres dies, & tunc venio. Orauit ergo senex ad Dominum, dicens: Domine, noli mihi dare hanc gratiam; alioquin non me permittent homines sedere in loco isto. Veniens ergo senex rogabat iudicem. At ille dixit: Pro latrone rogas, abba? Gauisus est autem senex, quia non obtinuit apud iudicem gratiam, quam postulauit, & sic redijt in cellam suam.

Pastor concursum hominum auersatur.

INCERTI. 33. Dicebant seniores: Quia quando intrabat Moyses in nube, cum Deo loquebatur; quando autem exibat de nube, cum populo: sic & monachus, quando in cellâ suâ est, cum Deo loquitur; egrediens autem de cellâ, cum dæmonibus est.

Qui in cellâ est cum Deo loquitur.

MACARII 34. Venit quidam adolescens ad abbatem Macarium, vt sanaretur à dæmonio. Et dum esset foris stans, ecce aduenit quidam frater de alio monasterio, & concubuit in peccatum cum adolescente illo. Egressus autem senex cernit fratrem illum peccantem cum paruulo illo, & non eum increpauit, dicens: Si Deus, qui plasmauit eos, videns patientiam in illis habuit, qui si vellet, incenderet eos, ego quis sum, qui arguam eos?

Mirandum Macarij iudicium non imitandum.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 118. Pasch. c. 12 n. 7. 35. Dicebant de aliquo sene, quia in inferiores partes Ægypti sedebat quietus, & vnus sæcularis fidelis ministrabat ei. Contigit autem, vt filius illius sæcularis infirmaretur: qui multùm rogabat senem, vt veniens oraret pro puero. Surgens quoque senex abiit cum ipso. Præcurrens autem ille, securus introiuit in domum suam, dicens: Venite in obuiàm solitario illi. Videns autem eos senex à longè exeuntes cum lampadibus, cognouit quia sibi venirent in occursum: & exuens vestimenta sua, misit illa in flumine, & cœpit lauare ea, stans nudus. Minister autem eius ille laicus erubuit, videns eum nudum: & rogauit homines illos, dicens: Reuertimini, quia senex iste mente excessit; veniensque ad senem, dixit ei: Quid hoc fecisti? Omnes enim dicebant: Quia dæmonium habet senex iste. Qui dixit: Et ego volebam hoc audire.

Senex sui cōtemptum amat.

PASTORIS 36. Interrogauerunt quidam seniores abbatem Pastorem, dicentes: Si viderimus aliquem fratrem peccantem, arguemus eum? Respondit eis abbas Pastor: Ego interim si necesse est transire per inde, & videro eum peccantem, prætereo; & non arguo eum: sed quia scriptum est, Quæ viderunt oculi tui, his testimonium perhibe; ideò ego dico vobis, quia si non palpaueritis manibus vestris, nolite testificari. Aliquando enim quidam frater seductus est in huiuscemodi re, & apparuit ei quasi quòd frater quidam cum muliere peccaret. Qui cùm multùm impugnaretur à cogitationibus, existimans simul eos coire, abijt & pulsauit eos pede suo, dicens: Cessate iam. Et ecce erant manipuli messis tritici. Ideoque dixi vobis, nisi & manibus vestris palpaueritis, nolite testificari.

Prou. 25.

Non facilè ferendum testimonium.

INCERTI. 37. Dicebant de quodam fratre, quia sedebat in eremo, & seducebatur à dæmonibus per annos plurimos: ipse verò existimabat, quia Angeli essent. Egrediebatur autem pater eius secundùm carnem per tempus, & visitabat eum. vnâ autem dierum tulit bipennem secum, dicens: Quia reuertens afferam mihi pauca ligna. Et præueniens vnus dæmonum, dixit ad filium eius: Ecce diabolus venit ad te in similitudinem patris tui, habens bipennem in sportâ suâ, vt impugnet te: tu ergo præueniens, tolle bipennem ab eo, & repugna illum. Igitur pater eius venit secundùm consuetudinem, & accipiens filius ipsius bipennem ab ipso, percussit eum, & occidit. Et continuò adhæsit ei spiritus malignus, & offocauit eum.

Miseranda fratris à dæmone illusio.

IN LIBRVM SEXTVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

I LIBELL. I. Num. 6. INCARDVVM.] *Ita Parisien. editio & manusc. Aquicinctin. sed Germ. editio* incardium. *Lugdunen.* incordium. *An non idem quod Græcis ἐγκάρδιον? quod medium cuiusque rei, seu interna pars & medulla cuiusque ligni, quod alio nomine dicitur ἐντεριώνη. sic hîc ἐγκάρδιον in palmâ. Vide Onomasticon.*

Num. 9. 2. QVIA VIRTVTEM.] *Vide dicta suprà libro* I. *ad Vitam S. Antonij cap.* XXXVII. *num.* 78. *quomodo quædam inter Baptismum & ingressum religionis sit similitudo.*

Num. 12. 3. VNVS PEREGRINVS, ET VNVS INCHORIS.] *Ita MSS. & veteres editiones. pro* inchoris, *Parisiensis editio,* incola. *Bona quidem est ea interpretatio, sed auctor vsus est voce Græcanicâ, ἐγχωρις. Sic in Sacris litteris Ecclesiastici* XX. Homo acharis, quasi fabula vana. *malè in edit. Colonien. & Speculo Exemplorum postremò recognito*, in choris. *Vide Onomasticon.*

Num. 13. 4 ILLE IMPIVS.] *Vide dicta ad Vitam S. Pachomij cap.* XXXIX. *num.* 39. *quomodo sepultura ad præmium vel pœnam conferat.*

Num. 14. 5 CYRION.] *Varia hîc lectio erat, vt difficile sit verum nomen eruere. Parisien.* Histition. *Manusc. Audomaren.* Cyrion, *quam retinui. Id nomen militis occurrit in Martyrologio Rom. Beda, Vsuardi, Adonis* IX. *Martij, qui Sebastæ Licinio Imp. affectus est martyrio. item alius* XIV. *Febr. officio presbyter, laureâ martyr, idque Alexandriæ. Fortè hic ipse noster, qui in Scithi apud Alexandriam vixit. Ruffin. libro* II. *hist. cap.* VIII. *Scyrionem monachum habet in Apeliote suo tempore monachum.*

Ad hanc senum prædictionem respicit, vt opinor, Theodorus Alexandrinus abbas apud Sophronium in Prato Spirit. cap. LIV. Venimus, *inquit Sophronius,* posteà Teremithem ad abbatem Theodorum Alexandrinum. Aitque nobis senex: Filioli, multam reuerà perdiderunt Scithiotæ monachi iuxta senum prædictionem. Credite enim mihi, filij, quia magna erat charitas apud Scithiotas, magna abstinentia, magna discretio.

LIBEL. II. Num. 8. 6. METERE CVM EO SEPTEM NOMINA.] *Quæ hæc* nomina, *non satis capio. Si Græcus adesset textus, fortè lucem aliquam adferret. Apud Pelagium libello* XVII. *num.* 20. Susceperunt certum spatium sexaginta modiorum, quod meterent. *Apud Ruffinum suprà lib.* II. *cap.* XVIII. *in Serapione:* Atque ex eâ mercede octogenos vnusquisque modios frumenti plus minùs conquireret. *Nondum tamen ex his liquet, quid sint* nomina. *Suggerebat Petrus Lansselius noster,* nomia, *à νόμος; vnde νόμοι & νόμαι Ægyptiorum: vt intelligatur certa terræ portio.*

7. ET MINAT ME HINC.] *Verbum* minare *vsurpatum non Ecclesiasticis tantùm scriptoribus, sed etiam profanis. Vide Onomast.* Num. 10.

8. TEMPORIBVS IVLIANI.] *De auctore necis Iuliani varia auctorum relatio. Vide Baronium tomo* IV. *Annal. copiosè hac de re agentem.* Num. 11.

9. HOR.] *Frater Ioannes Maria, Magister sacri Palatij, in Indice librorum expurgandorum hic notat: Hic est ille Or hæreticus Origenista, cuius Hieronymus meminit ad Ctesiphontem, quem pro sancto obtrudere conatus est miserabilis Euagrius; quæ circà vmbræ virtutum eius in ventum abierunt. Hactenus ille. At non Euagrium, sed Ruffinum auctorem esse libri* II. *de Vitis Patrum, in cuius capite* II. *mentio fit* Hor *vel* Or, *docui fusè Prolegomeno generali* IV. LIBELL. III Num. 7.

Num. 10. 10. LEVITIONEM.] *Ita MSS. & Parisiensis editio. Editi quidam* lebetonem, *alij* lebitonem. *Vario modo nomen hoc Græcis scriptum & elatum, vnde & in Latino diuersitas. Vide Onomasticon.*

11. IN RAYTHVM, VBI SVNT LXX. ARBORES PALMARVM.] *Menologium* XIV. *Ianuarij, de Martyribus* XLIII. *in Raitho:* Vbi sunt XII. fontes & LXX. arbores palmarum. *quæ in Menæis ita Græcè habentur. In Sacris litteris palmarum harum mentio est Exodi* XV. *quò alludit D. Hieronymus epist.* IV. *ad Rusticum:* Et inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monstrata est. Num. 11.

12. MACARIO.] *Frater Ioannes Maria Brasichellensis, qui suprà, hîc notat: Circumspectè lege hanc de cranio à Macario reperto narrationem; nam quòd cum placitis Theologiæ haud rectè cohæreat, vt apocrypha à multis reijcitur. Vide Bellarminum libro* II. *de Purgatorio cap.* XVIII. *sed eamdem explicat S. Thomas in* IV. *Sent. Distinct.* XLV. *q.* II. *artic.* II. *ad* IV. *consule Sixtum Senen. annot.* XLV. *lib.* V. *Bibl. Hactenus ille.* Num. 16.

Historiam hanc de cranio citat ex l. IV. *Vitarum Patrum Dionysius Carthusianus libello de quatuor nouissimis, art.* LII. *Breuiatè tamen, omittens ea quæ hîc dicuntur de relaxatione pœnarum damnatorum. credo, quòd rem eam inter Scholasticos videret maximè controuersam, dum quisque rem hanc interpretari conatur.*

Bellarminus tomo II. *Controu.* III. *l.* II. *de Purgatorio cap.* XVIII. *existimauit eam rem reperiri apud solum Damascenum oratione de Defunctis: & quia ille ex Palladij historiâ Lausiacâ citat, in quâ nunc non exstat, existimauit rem falsam & apocrypham.*

Sed mentio eius rei in Menæis Græcorum XIX. *Ianuarij*

nuarij, & hoc loco apud Pelagium, & suprà apud Ruffinum libro III. *num.* 172. *& apud Ioannem Damascenum libro de ijs qui in fide dormierunt, vbi ita hanc Macarij historiam Græcè narrat:* Πρὸς τὸ ξηρὸν γὰρ κρανίον πυθόμενος περὶ τῶν κεκοιμημένων, μεμάθηκεν ἅπαντα. εἶτα πρὸς τοῦτο, οὐδέποτε τοίνυν τινὰ παραμυθίαν εὑρίσκεται; ἦν γὰρ ὁ ἅγιος σύνηθες ποιῶν ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων εὐχὰς, καὶ γνῶναι ἐφίετο εἰ ἄρα πρὸς ὄνησιν γίνονται. τοῦτο δὴ βουληθεὶς ὁ φιλόψυχος ἐπιδεῖξαι κύριος, καὶ τὸν ἑαυτοῦ πληροφορῆσαι θεράποντα, τῷ ξηρανθέντι κρανίῳ λόγον ἀληθείας ἐνέπνευσεν. Ὅτε, φησὶν, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τὰς δεήσεις προσφέρεις, τότε παραμυθίας μικρᾶς αἰσθανόμεθα: Macarius ex cranio arido sciscitando de defunctis pleraque edidicit. Et quia faciebat pro consuetudine suâ pro defunctis preces, scireque desiderabat, numquid illis prodessent, & an consolatio eis inde proueniret: Deus animarum amator, volens hoc seruo suo pluribus & certis argumentis patefacere, cranio, quod exaruerat, verbum veritatis inspirauit. Prorupit enim cranium in hæc verba: Quando pro mortuis offers preces, consolatiunculam sentimus.

Quæ ro interpretatio aliqua quærenda. quam vide apud D. Thom. in IV. *d.* XLV. *art.* II. *q.* II. *qui ait, damnatos recipere non veram aliquam pœnarum mitigationem, sed solùm inane & fallax aliquod gaudium; quod nimirum videant, se habere socios in pœnis, quale est gaudium dæmonum, cùm aliquem decipiunt. Ibidem D. Th. refutat variorum Scholasticorum interpretationes huiusce loci. Certè cùm veteres Scholastici in rei huius explicatione laborauerint, non habuêre eam pro apocryphâ.*

LIBEL. IV. Num. 12. 13. AD CIVITATEM ATHENIENSIVM.] *Idem occurrit suprà ad librum* III. *n.* 84. *Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Basilij ritum describit, quo tirones accedentes Athenas excipiebantur:* Ἐπεὶ δ' ἂν οὖν τις ἐπιστῇ τῶν νέων, καὶ ἐν χερσὶ γένηται τῶν ἐχόντων, γίνεται δὲ ἢ βιασθεὶς ἢ ἑκὼν, νόμος οὗτός ἐστιν αὐτοῖς Ἀττικὸς, καὶ παιδιὰ σπουδῇ σύμμικτος. Πρῶτον μὲν ξεναγεῖται παρά τινι τῶν προειληφότων, ἢ φίλων, ἢ συγγενῶν, ἢ τῶν ἐκ τῆς αὐτῆς πατρίδος, ἢ τῶν ὅσοι περὶ τὰ σοφιστικὰ, καὶ προσαγωγοὶ τῶν λημμάτων, κἀντεῦθεν μάλιστα διὰ τιμῆς ἐκείνοις· ἐπεὶ καὶ τοῦτο μισθός ἐστιν αὐτοῖς τὸ σπουδαστῶν τυγχάνειν. Ἔπειτα ἐρεσχελεῖται παρὰ τοῦ βουλομένου παντός. βούλεται δὲ αὐτοῖς οἶμαι τοῦτο, τῶν νεηλύδων συστέλλειν τὸ φρόνημα, καὶ ὑπὸ χεῖρα σφῶν ἀπ' ἀρχῆς ἄγειν. Ἐρεσχελεῖται δὲ παρὰ μὲν τῶν θρασύτερον, παρὰ δὲ τῶν λογικώτερον, ὅπως ἂν ἀγροικίας ἢ ἀστειότητος ἔχῃ. Καὶ τὸ πρᾶγμα τοῖς μὲν ἀγνοοῦσι λίαν φοβερὸν καὶ ἀνήμερον, τοῖς δὲ προειδόσι, καὶ μάλα ἡδὺ καὶ φιλάνθρωπον. πλείων γάρ ἐστιν ἡ ἔνδειξις, ἢ τὸ ἔργον τῶν ἀπειλουμένων. Ἔπειτα πομπεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐπὶ τὸ λουτρὸν προαγόμενος. ἡ πομπὴ δέ. Διατάξαντες ἑαυτοὺς στοιχηδὸν κατὰ συζυγίαν ἐκ διαστήματος, οἱ τελοῦντες τῷ νέῳ τὴν πρόοδον, ἐπὶ τὸ λουτρὸν προπέμπουσιν. ἐπειδ' ἂν δὲ πλησιάζωσι, βοῇ τε πολλῇ καὶ ἐξάλμασι χρώμενοι, καθάπερ ἐνθουσιῶντες (κελεύει δὲ ἡ βοὴ, μὴ προβαίνειν, ἀλλ' ἵστασθαι, ὡς τοῦ λουτροῦ σφᾶς οὐ παραδεχομένου) καὶ ἅμα τῶν θυρῶν ἀρασσομένων, καταπλήξαντες τὸν νέον φοβήσαντες, εἶτα τὴν εἴσοδον συγχωρήσαντες, οὕτως ἤδη τὴν ἐλευθερίαν διδόασιν, ὁμότιμον ἐκ τοῦ λουτροῦ καὶ ὡς αὐτῶν ἕνα δεχόμενοι. Καὶ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς τῆς τελετῆς τὸ τερπνότατον, ἡ ταχίστη τῶν λυπούντων ἀπαλλαγὴ καὶ κατάλυσις: Cùm autem iuuenis quispiam accesserit, atque in eorum, à quibus captus est, manus & potestatem venerit (venit autem vel sponte, vel coactus) tum verò Attica hæc illis consuetudo est, ludusque rei seriæ admixtus. Primùm apud eorum aliquem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui eiusdem sunt patriæ, vel qui Sophistices artem apprimè callent, ac lucra magistris conciliant, eoque nomine apud eos in summo honore ac pretio sunt; quandoquidem illis mercedis loco est, habere qui ipsorum commodis studeant. Deinde à quolibet cauillis lacessitur: quod quidem, ni fallor, eò faciunt, vt nouitiorum animos contrahant, atque à principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab alijs audaciùs, ab alijs eruditiùs, prout ille vel rusticis & ineptis est moribus, vel vrbanitate præditus. Atque id ignaris quidem horrendum valdè & inhumanum videtur, ijs autem perquam iucundum & suaue, qui hoc priùs norunt. Amplior enim est hæc minarum ostentatio, quàm res ipsa. Tum per forum ad balneum cum pompâ deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi iuuenis munere funguntur, ordine collocati, atque æquis spatijs distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cùm autem propiùs accesserint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentem cum saltatione tollentes (hic autem clamor, ne vlteriùs progrediantur, vetat; sed vt insistant; tamquam eos balneum minimè admittat) simulque pulsatis ianuis, cùm per strepitum iuueni metum incusserint, posteà concesso ingressu, ita demum eum in libertatem asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps vt æqualem ac sodalem accipiunt. Atque hoc ipsis est totius huiusce cærimoniæ iucundissimum, nimirum ab his qui molestiam exhibent, quamprimùm liberari. *Atque hinc fluxisse videtur mos quarumdam Academiarum, quo tirones è triuialibus scholis ad publica Academiarum gymnasia accedentes probantur, exercentur, & dedolantur, vti fit Coloniæ, Basileæ, & in alijs aliquot Germaniæ Academijs; quam* Beanorum *depositionẽ vocant. Alibi dicuntur* pupillatu exui. *Vide Antonium Possevinum nostrum libro* I. *Bibliothecæ selectæ cap.* XIX. *Iacobum Pontanum nostrum volumine* I. *Dialogorum Latinitatis, progymnasm.* LXXXIV. *Iacobum Middendorpium libro* I. *de Academiis cap.* XVI.

14. MEVS CODEX.] *Socrates libro* IV. *c.* XVIII. *iuxta Latinum textum hoc Antonij apophthegma ita ex Euagrij Practico seu Monacho citat:* Τῷ δικαίῳ Ἀντωνίῳ προσῆλθέ τις τῶν τότε σοφῶν, καὶ Πῶς διακαρτερεῖς, εἶπεν, ὦ πάτερ, τῆς ἐκ τῶν βιβλίων παραμυθίας ἐστερημένος; Τὸ ἐμὸν βιβλίον, ἔφη ὁ Ἀντώνιος, ὦ φιλόσοφε, ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστὶ, καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ Θεοῦ: Cuidam ex eorum numero qui id temporis sapientes sunt habiti, ad Antonium illum iustum accedenti, quærentique quo pacto vitam posset sustentare, solatio illo, quod ex libris capi solet, orbatus: respondit, Meus liber, ô philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, quæ, quotiescumque animo lubitum sit meo, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat. *Ita sollemne sanctis viris in creaturis Deum legere.* Num. 16.

DE VITIS PATRVM LIBER SEPTIMVS,

AVCTORE GRAECO INCERTO,

INTERPRETE PASCHASIO S.R.E. DIACONO.

PRÆLVDIVM.

NIHIL habeo quod huic libro præmittam, præter iam dicta in Prolegomeno generali IX. vbi diximus auctorem esse Græcum incertum, quem nondum vidi à quoquam proditum; & Prolegomeno XIV. vbi de Paschasio interprete inquisiuimus.

PROLOGVS.

DOMINO VENERABILI PATRI MARTINO PRESBYTERO ET ABBATI PASCHASIVS.

VITAS Patrum, Græcorum (vt cetera) facundiâ studiosè conscriptas, iussus à te, sanctissime pater, in Latinum transferre sermonem, in insolito, si licuisset, opere renuissem. Neque enim vmquam quid scribi, vel legi, vel excudi potest, ingenio aut conscientiâ cordis prohibente. Scire enim me quòd nihil sciam, non audeo dicere: ne verbum hoc sapientissimo Socrati surripiam. Sed quia tuâ pariter necesse est iussione vtar, non gloriabor ingenio: sed fidem, quam tibi debeo, etiam in opere iniuncto præstabo. Verùm quia eloquentium virorum libri sunt plurimi sermone Latino conscripti, quorum lectionis expertum esse te etiam astruente testificor, si quid de illis aut hic insertum fortè reperis,

veris, vt minùs eleganter expressum, ne mea culpæ deputetur, exoro: quia sicut in dato mihi codice reperi eà scripta, sic transtuli, licet nec eà studiosè posse me proferre profiteor. Vnde restat, vt quod te iubente cœpi, te orante perficiam: quæ tamen si scribenda decreueris, vt tuo polire sermone digneris, exposco. Neque enim mihi liquebit quædam placuisse tibi, si non & aliqua displicuisse cognouerim.

CAP. 2.

Contra gastrimargiam deuincendam & desiderium gulæ.

1 SISOIS. Ruff. l. 3. n. 44. *Victus monachi, panis & sal.*

QVIDAM frater, quemadmodum in cellâ propriâ degere deberet, abbatem Sisoium requisiuit. Qui respondit abbas Sisoi: Comede, inquit, panem tuum, & salem; & non sit tibi necessitas aliquid excoquendi, aut longiùs euagandi.

Dan. 10. Alteri quoque idem requirenti, respondit Daniel propheta, cùm dixit: Panem desideriorum non comedi.

INCERTI. Append. Pallad. c. 20 n. 9. *Charitas sit discreta.*

2. Dixit vnus senex ad alterum senem habentem charitatem, & suscipientem tam monachos multos quàm sæculares: Lucerna quidem multis lucet, rostrum tamen proprium incendit.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 48. Pelag. libell. 10. n. 99. *Sobriorum diuersitas.*

3. Dixit vnus ex patribus: Quia inuenitur homo multum comedens, & adhuc esuriens, continens se; alter autem comedit parum, & satiatur. Qui autem multum comedit, & adhuc esuriens continet se, maiorem mercedem habet, quàm ille qui parum comedit, & satiatur.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 49. *Gula frenanda.*

4. Dixit quidam senex: Ne quod desideraueris, aliquando manduces: comede autem quod transmissum tibi fuerit à Domino, & gratias age.

PIMENII. Ruff. l. 3. n. 57. *Reuelata impugnatio minuitur.*

5. Quidam frater impugnabatur à spiritu blasphemiæ, & erubescebat dicere; & quoscumque audisset magnos senes, pergebat ad eos vt illis declararet: & mox vt peruenit, erubescebat dicere. Cùm tamen frequenter ad abbatem Pimenium veniret, vidit eum senex habentem cogitationes, & dixit ei: Ecce frequenter venis ad me habens cogitationes, & sic iterùm remeas tristis, tecum illas portans: dic ergo, fili mi, quid est quod habes? At ille dixit: In blasphemiâ impugnat me diabolus, & erubesco dicere. & mox vt aperuit caussam, leuior eius impugnatio apparuit. Et dixit ei senex: Ne contristeris, fili; quando enim hæc cogitatio aduenit, dic: Ego hac caussâ opus non habeo: blasphemia tua super te sit, satanas. Hanc enim caussam anima non vult: quamcumque caussam anima noluerit, non diu permanebit. Et ita frater ille discessit.

MOYSIS. Ruff. l. 3. n. 58. *Origo pollutionis.*

6. Dixit abbas Moyses: Per has quatuor res pollutionis passio gignitur: per abundantiam escæ & potus, & satietatem somni, per otium & iocum, & ornatis vestibus incedendo.

EIVSDEM. Ephes. 5.

7. Idem dixit: Corporeæ multæ sunt passiones. Et dicit ei frater: Et quæ sunt, abba? At ille respondit: Quia Paulus apostolus dicit: Fornicatio & immunditia, vel omnis cupiditas nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: visus quoque & fiducia frequenter ad prælium veniunt.

MACARII. Ruff. lib. 3. n. 61. Pelag. libell. 18. num. 9. *Macarij visio de dæmone gustum fratribus portante.*

8. Abbas Macarius referebat, quod cùm maneret in illâ solitudine, vbi solus residebat: inferiùs autem fuit altera solitudo, quæ plena erat multis fratribus, serò per viam circumspiciens, vidit dæmonem venientem in figurâ hominis, vestitum lineâ tunicâ perforatâ: & per singula foramina vasa parua pendebant, & dixit ei senex: Quò vadis, maligne? Et respondit ei: Vado commonere fratres, qui sunt inferiùs. Ait senex: Et propter quid tot vascula tecum fers? At ille dixit: Gustum fero fratribus: & ideò tanta fero, vt si vnum non placuerit, porrigam aliud; quod si & illud displicuerit, ostendam aliud: & sic fieri non potest, nisi vnum aliquid ex illis placeat eis. Et hæc dicens, discessit. Permansit autem senex in eodem loco, iterùm per viam circumspiciens, vsquequò dæmon rediret, & cognosceret quæ indicaret. & cùm rediret, dixit ei: Saluus sis. At ille respondit: Quid mihi istud verbum, quia omnes mihi contrarij facti sunt, & nullus consilijs meis acquiescit? Dixit ei senex: Ergo neminem ibi habes amicum? At ille respondit: Vnum habeo amicum, ipse mihi consentit, & quoties viderit me huc atque illuc, citò conuertitur ad me velut ventus. Cùmque nomen eius ab eo requisiuit, dixit: Quia * Theopistus dicitur. Et mox euanuit. Exurgens itaque confestim abbas Macarius, descendit ad inferiorem eremum. Quem cùm vidissent fratres à longè, egressi sunt obuiàm ei: & vnusquisque sperans quòd apud se maneret, præparabat se. At ille requirens cellam Theopisti, ad eum profectus est. Cùmque cum gaudio illum suscepisset, & essent vterque soli, dicit ei abbas Macarius: Quemadmodum tecum est, frater? At ille respondit: Interim orationibus tuis benè est. Et senex ait: Non te impugnant

Ruffin. Theopemptus. Pelag. Theoctistus.

Verba Seniorum.

pugnant cogitationes? At ille ait: Intereà benè sum. Erubescebat enim dicere. Et dicit ei senex: Ecce quot annis sum in solitudine, & ab omnibus honoror: & in hac ætate, cùm sim senex, molestæ sunt mihi cogitationes. Respondit Theopistus, & ait: Crede, abba, quoniam & mihi. Tunc senex singulas cogitationes quasi se impugnantes fingebat, vsquequò confiteretur illi totum Theopistus. Posthæc dixit senex: Quemadmodum ieiunas? At ille dixit: Vsque ad nonam. Dicit ei senex: Ieiuna vsque ad vesperam, & de Euangelio vel de aliis Scripturis, sine cessatione, semper aliquid meditare: & quoties tibi aliqua cogitatio superuenerit, numquam deorsum aspicias, sed sursum oculos cordis intende, & mox Dominus adiutor tibi erit. Et ita discessit ad propriam solitudinem. Et dum insisteret orationi, circumspiciens viam, iterùm vidit dæmonem eumdem, & requirit eum: Quò vadis? At illi simili modo, fratres commonere, respondit. Cùm autem reuerteretur, interrogauit eum senex: Quemadmodum nunc se habent fratres? At ille dixit: Malè, quoniam omnes agrestes effecti sunt, & quod de omnibus peius est, vnum quem habui amicum obedientem mihi, & ipse nescio vnde conuersus, omnibus asperior est; & iuraui me non calcaturum illum locum, nisi post multum tempus. Et hæc dicens, discessit.

Prudentiâ suâ Macarias tentatum sanat.

In tentatione sursum aspiciendum.

Pimenii. Ruff. l. 3. n 63. Pelag. libell. 5. n. 9.

9. Interrogauit quidam frater super cogitationes suas abbatem Pimeniū. Et respondit senex: Monachus si ventrem, & luxuriam, & linguam renuuerit, & vagationem non fuerit sectatus, confido quia non morietur, sed viuet in perpetuum.

Quatuor monacho frenanda.

Eliae. Ruff. l. 3. n. 64.

10. Duo fratres ad abbatem Eliam venerunt, impugnati à cogitationibus. Et videns eos senex, quòd corpulenti essent, tamquam ad discipulum suum subridens, dixit: Verè, frater, ego erubesco pro te, quia sic in saginâ nutristi corpus tuum: quia esca vermium sumus, cùm profitearis te esse monachum: pallor enim cum humilitate & macies, decus est monachi. Item dixit: Quia monachus edens multum, & operans multum, non confidat: qui autem parum edit, etiam si parum operetur, confidat, & agat viriliter.

Pallor & macies, decus monachi.

Cap. II.

Contra philargyriam, & de perfectâ abrenuntiatione.

Incerti. Ruff. l. 3. n. 67 Pelag. libell. 14. n. 4.

1. QVIDAM iuuenis volebat abrenuntiare mundo, & frequenter eum egressum de domo suâ, reuocabant cogitationes inuoluentes plurimis negotijs; erat enim diues valdè. Vno die egresso eo, hostes immundi circumdederunt eum, & multum puluerem excitauerunt ante illum. Ille verò confestim expolians se, & iactans vestimenta sua, currebat nudus ad monasterium. Declarauit autem Deus vni seni, dicens: Surge, & suscipe athletam meum. Surgens ergo senex, obuiauit illi nudo: & cognoscens caussam, admiratus est, & dedit illi habitum monachalem. Quando autem aliqui veniebant ad senem requirere de cogitationibus varijs, instruebat eos de abrenuntiatione mundanâ, & dicebat: Illum fratrem requirite, qui nec indumenta sui corporis seruauit, quia ego ad mensuram renuntiationis istius necdum perueni.

Diues perfectè abrenuntians etiam vestibus relictis.

Pauli. Ruff. l. 3. n. 72.

2. Dicebat autem Paulus abbas Galata: Si aliquas res voluerit monachus in cellâ suâ habere, præter eas sine quibus non potest viuere, frequenter cogitur è cellâ egredi, & ita à dæmonibus præuaricatur ac decipitur. Hic autem ipse Paulus in vnâ quadragesimâ cum sextario lentis & paruo vasculo aquæ perdurauit, & vnam mattulam faciens, eamdem texebat & retexebat, ne tantummodò foràs exiret.

Monacho cella custodienda.

Incerti.

3. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Fac, abba, charitatem, & dic mihi sermonem, quid debeam in iuuentute congregare, vt habeam illud in senectute. Respondit senex: Aut Christum adipiscere, & cogita de te: aut certè pecuniam, ne mendices: ergo tuum est, eligere aut Dominum Deum, aut mammonam.

Christus præ mammonâ eligendus.

Agathonis.

4. Frequenter abbas Agathon suum discipulum commonebat, dicens: Ne aliquando tale aliquid tibi acquiras, quod fratri te petenti dare pigeat, & per hoc inueniaris mandata Dei transgrediens. Qui petit, da ei: & volenti à te mutuari, ne auertaris.

Petenti dandum. Lucæ 6.

Cap. III.

Nihil dolendum monacho, si quid perdiderit aut amiserit.

Macarii Ruff. l. 3. num. 73. Pelag. libell. 16. n. 6.

1. ABBAS Macarius dum esset in Ægypto, & egressus fuisset de cellâ suâ, regressus inuenit quemdam latronem furantem id quod in cellâ suâ haberet. Stetit ergo & ipse tamquam peregrinus, & carricauit animal cum illo: & cum magnâ patientiâ deduxit eum, dicens: Nil intulimus in hunc mundum: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut illi placuit, ita factum est: benedictus Dominus in omnibus.

1. Tim. 6.

Macarius furantem sibi adiuuat.

Incerti. Ruff. l. 3. n. 74. Pelag. libell. 16. n. 19.

2. Quidam frater vicinus cuiusdam magni senis, occultè ingrediebatur cellam eius, & quidquid habebat senex, furabatur. Cùm autem videret senex, non illum arguebat, sed amplius operabatur, dicens: Pu-

ro,

to, frater ille necessarius est. Habebat ergo senex grandem tribulationem ex penuriâ panis. Cùm autem moriturus esset, & circumdedissent eum alij fratres, ille cùm vidisset illum fratrem qui solebat illi furari, dicit ei: Accede huc ad me, frater. Et apprehendens manus eius, osculatus est eas, dicens: Gratias ago manibus istius fratris, quia propter eum arbitror me iturum in regnum cælorum. Ille autem compunctus, & agens pœnitentiam, factus est & ipse strenuus monachus, ex actibus suis quos vidit.

Furis manibus senex cælum acceptum refert.

CAP. IV. *Quòd tolerantia paupertatis in requiem ducit.*

INCERTI. 1 DICEBAT vnus ex senibus: Nihil inuenimus scriptum de Lazaro, illo paupere, quòd aliquam virtutem fecisset, nisi hoc tantùm, quia numquam aduersus diuitem murmurauit, quamuis illi nullam misericordiam faceret: sed cum gratiarum actione portauit laborem paupertatis suæ, ideoque in sinum Abrahæ susceptus est.

Lazarus ex tolerantiâ cælum promeruit.

EIVSDEM. 2. Item dixit: Quia non oportet quemquam cogitare, nisi de timore Dei. Nam etsi coactus fuerit de corporali necessitate esse sollicitus, numquam cogitet de eâ ante tempus.

Sufficit diei malitia sua.

CAP. V. *De reprimendâ auaritiâ.*

SILVANI. 1. ABBAS Siluanus dum modicum discessit à cellâ, discipulus suus Zacharias cum alijs fratribus sepem horti amouit, & fecit hortum maiorem. Quod postquam regressus senex agnouit, tulit melotem suam vt discederet. At illi projicientes se ad pedes eius, propter quid hoc faceret, vt indicaret, postulabant. Tunc senex ait: Non ingredior, inquit, in cellam hanc, nisi sepes fuerit in locum suum reuocata. Quo mox facto, ita regressus est.

Siluanus amans paupertatis.

INCERTI. 2. Quidam frater requisiuit senem, dicens: Si mihi debet paucos nummos frater, iubes vt repetam eos? Cui senex: Semel tantummodò illi dic cum humilitate. At ille dixit: Quòd si semel dixero, & nihil mihi dederit, quid faciam? Tunc senex ait: Vlteriùs ei nihil dicas. At ille iterùm ait: Et quid faciam, quia non possum vincere cogitationem meam, nisi fuero illi importunus? Dicit ei senex: Dimitte cogitationes tuas, tantummodò fratrem tuum ne contristeris, quia monachus es.

Ruff. l. 3. n. 170.

Debitum non rigidè exigendum.

AGATHONIS. 3. Abbas Agathon volentibus emere opera manuum suarum, cum requie vendebat: pretium autem erat, cribri quidem nummi centum; sportellæ verò, ducenti quinquaginta: & volentibus comparare dicebat pretium, & quidquid illi dedissent, suscipiebat tacens, nec aliquando dinumerans. Dicebat enim: Quid mihi prodest concertare cum illis, vt illi peccent forsitan iurantes, & quandò superfuerint nummi, erogem illos fratribus? Sed quia Deus non vult huiuscemodi eleemosynam à me, neque illi placet, vt aliquem permittam in sacrificando peccare. Et dum illi frater diceret: Et panis in cellam vnde venturus est? dixit ei: Quid enim panis hominum in cellâ?

In mercimonijs iuramentum cauendum.

CAP. XI. *Contra iram, & de origine iræ.*

INCERTI. 1. DIXIT quidam ex sanctis patribus: Ira per hos quatuor actus exurgit, propter cupiditatem auaritiæ dandi & accipiendi, resque alienas rapiendi, & si quis propriam sententiam amans defendit; & si quis se vult honoribus esse dignum, & si quis doctorem se esse vult, plus omnibus sapientem se esse sperans. Ira etiam per hæc quatuor humanos sensus obscurat, si odio habuerit homo proximum suum, aut si pro nihilo habuerit, aut si inuiderit illi, aut si detractauerit de eo. Ad hoc sanctum Ioannem euangelistam ostendâ auctorem: Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris est, & nescit quò eat, & manet in morte. Passionis autem huius retributio quatuor modos habet: primum ex corde, secundum ex facie, tertium ex linguâ, quartum ex facto. Si quis ergo potuerit ita portare malum, vt non ingrediatur in corde, non peruenit vsque ad faciem. Si autem venerit in faciem, custodiat linguam suam, ne loquatur illud. Quòd si locutus fuerit, vel hoc custodiat, ne reddat in facto, sed mox abscidat à corde. Tres enim gradus sunt hominum in passione iræ. Nam qui nulli voluntariè nocet, & resistentibus non iniuriatur, & parcit proximo suo, hic secundum Christi naturam est. Qui autem nec alium lædit, neque se lædi vult, hic secundùm Adam est. Qui verò alijs nocet, aut iniuriatur, aut calumnias ingerit, aut vsuras exigit, hic secundùm diabolum est.

Ruff. l. 3. n. 76.

Ira quatuor causæ.

1. Ioan. 2.

Ira quatuor modi.

Diuersitas irascentium.

ANTONII. 2. Quidam fratres venientes ad abbatem Antonium, postulabant ab eo audire sermonem per quem saluarentur. Quibus ille ait: Scripturas audiuistis, & scitis quæ vobis à Christo sufficiant. At illi, vt ipse quoque aliquid eis dicere dignaretur, instabant. Tunc dicit eis: Euangelium dicit: Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & alteram. At illi se facere hoc non posse dixerunt. Respondit senex: Præbere alteram non potestis? vel in illam iterùm, si voluerit,

Ioan. libel. 4. n. 11.

Matth. 5.

Patientiæ gradus.

rit, ferire sustinete. Sed cùm neque hoc se posse facere testarentur, dicit eis senex: Ergo si hoc non potestis, ne reddatis malum pro eo quod accepistis. Et cùm idem verbum, quod superius dixerant, repeterent, dixit abbas Antonius discipulo suo: Vade, fac illis escas, vt comedant: vides enim quòd valdè infirmi sunt. Et ait ad illos: Si enim hoc non potestis, & alterum non vultis, quid à me requiritis? Vt video, necessaria est vobis oratio, per quam infirmitas vestra sanetur.

CAP. VII.

De retribuendo bonum pro malo.

SISOIS. Ruff. l. 3. n. 77. Pelag. libell. 16. n. 10.

1. QVIDAM ex fratribus ab alio passus iniuriam, venit ad abbatem Sisoim; & contumeliæ genus exponens, addebat: Cupio me vindicare. Senex autem rogabat eum, vt relinqueret Deo vindictam. At ille iterùm, Non desistam, inquit, nisi fortiter me vindicauero. Cui abbas Sisois ait: Quia semel hoc in animo posuisti, saltem oremus. Et exurgens senex his verbis cœpit orare: Deus, iam non es nobis necessarius, vt pro nobis sollicitus sis, quia nosipsi, sicut iste frater dicit, & volumus & possumus vindicare. Quod cùm ille frater audisset, ante pedes senis prostratus, veniam precabatur, promittens se cum illo, cui irascebatur, numquam deinceps esse certaturum.

Deo vindicta relinquenda.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 78.

2. Quidam frater cùm ab altero iniuriaretur, venit & annuntiauit seni. cui senex respondit: Satisfac cogitationi tuæ, quoniam frater non vult te iniuriari, sed peccata tua submittunt illum. Nam in omni tentatione, quæ tibi contigerit, per omnia ne arguas eum; nisi tantummodò dic, Quia propter peccata mea contingunt mihi hæc.

Peccata caussa iniuriarum.

PIMENII. Ruff. lib. 3. n. 79. Pelag. libell. 10. n. 53.

3. Dicebat frequenter abbas Pimenius: Malitia numquam exuperat malitiam: sed si quis malefecerit tibi, tu illi bonum redde, vt per bonitatem vincas malitiam.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 80. Pelag. libell. 16. num. 12. Isa. 3.

4. Quidam frater erat, qui quantò plus eum aliquis iniuriabatur aut incitabat, tantò magis ad eum recurrebat, dicens: Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram: qui autem beatificant nos, decipiunt nos, & semitam pedum nostrorum subuertunt.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 11.

5. Alius erat senex, si quis detraxisset ei, ille festinabat, si vicinus ei erat, per seipsum benè remunerare illum: quòd si longiùs manebat, transmittebat ei munera.

C. VIII.

De non retribuendo inimicis.

SISOIS. Ruff. l. 3. n. 82.

1. QVIDAM frater interrogauit abbatem Sisoi, dicens: Si latrones aut barbari super me irruerint, occidere me volentes, & ego si præualuero, iubes vt occidam? Cui ille respondit: Ne facias istud, ne nomineris homicida, sed totum Deo contrade: & quidquid tibi contigerit aduersi, profitere hoc tibi propter peccata tua venire; si quid verò boni fueris consecutus, diuinæ dispensationi totum debes adscribere.

Mala nobis, bona Deo attribuenda.

PIMENIONIS. Ruff. l. 3. n. 83. * Ruffin. Athlibeus.

2. Erat eremita quidam magnus in monte qui dicitur * Athabeos, & venerunt super eum latrones. Cùm autem ille vocem dedisset, de vicinis locis fratres alij confluentes comprehenderunt eos. Quos transmissos in ciuitatem, iudex misit in carcerem. Fratres verò illi contristati sunt nimis, quia propter eos latrones traditi essent ad pœnam: & venientes ad abbatem Pimenionem, narrauerunt ei factum, Qui scripsit ad eremitam, dicens: Reminiscere primam proditionem, vnde facta est, & tunc videbis secundam proditionem. Nisi enim proditus fuisses ab interioribus tuis, secundam publicationem numquã perpetrasses. Cumque ille talem audisset sermonem, compunctus est: & cùm esset in illa regione nominatus, & per multum tempus de cellâ suâ non exiens, exurgens tamen in ciuitatem, & expellens latrones de carcere, liberauit eos publicè.

Comprehensos occasione sui latrones eremita liberat.

CAP. IX.

De perfectâ patientiâ.

INCERTI. Pelag. libell. 16. n. 11. Matth. 5.

1. QVIDAM videns laboriosè portantem in lecto mortuum, dicit ei: Mortuos portas? si vis melius facere, viuos porta: quia pacifici filij Dei vocabuntur.

ZACHARIÆ. Ruff. l. 3. n. 86. Pelag. libel. 15. n. 17.

2. Interrogantibus quibusdam fratribus abbatem Moysen sermonem, ille hortatus est discipulum suum Zachariam, vt eis aliquid diceret. Tunc ille pallium suum deposuit sub pedibus, & conculcauit illud, & dixit: Nisi quis sic fuerit conculcatus, monachus esse non potest.

ANTONII.

3. Abbati Ammoni prophetauit beatus Antonius, dicens: Multum habes in timore Dei proficere. Et educens eum de cellâ, ostendit ei lapidem, & dicit ei: Vade, & iniuriare lapidem hunc, & indesinenter cæde illum. Quod cùm fecisset, interrogauit eum sanctus Antonius, si ei aliquid lapis respon... At ille dixit: Non. Cui abbas Antonius ...: Ita & tu ad hanc mensuram peruenturus es, vt nullam tibi fieri arbitreris iniuriam.

Ad iniurias vt lapis sit insensibilis.

CAP. X.

Quòd oportet pro pace, quamuis bona sint opera, dimittere.

MOTOIS. Ruff. l. 3. n. 94.

1. ABBAS Motois ædificauit sibi monasterium in loco qui dicitur Heracleona. Et dum ibi à multis molestaretur, in al-

in alterum locum transgressus est, & similiter ibi construxit monasterium. Sed per inuidiam diaboli quidam frater ibi inuentus est, qui semper iram cum eo habebat: propter hæc surrexit inde, & ad proprium reuersus est vicum; & fecit illic monasterium; & reclusit semetipsum. Post tempus autem aliquantum congregati sunt senes de illo loco vnde regressus est, deducentes secum illum fratrem, cum quo habuerat litem; quatenus rogarent eum, vt reducerent in monasterium suum. Postquam autem in vicina loca venerunt, tam melotes suas quàm illum fratrem ibidem dereliquerunt, ipsique profecti sunt ad senem. Et pulsantibus illis, apertâ fenestrâ respexit, & cognouit eos. Post orationem factam dicit eis abbas Motois: Vbi sunt melotes vestræ? At illi responderunt: Ecce in vicino sunt vnà cum fratre, qui tecum iram habebat. Postquam hoc senex audiuit, & nomen illius & aduentum cognouit, præ gaudio ostium per quod ingressus fuerat, cum securi confregit: & egressus, cucurrit ad locum vbi erat ille frater, & prior ipse cœpit agere pœnitentiam apud eum: & amplectens eum, introduxit in cellam suam; & per tres dies conuiuatus est cum eis, qui numquam habebat consuetudinem, vt ieiunium solueret: & surrexit, profectusque est cum illis.

Inimicus humilitate præueniendus.

ELIAE. 2. Quidam frater requisiuit abbatem Eliam, dicens: Si contristauero aliquem, quemadmodum togem? Respondit senex: Ex profundo cordis tui, cum dolore age pœnitentiam apud eum: & videns Deus propositum tuum, satisfaciet ei.

Contristato à te pœnitentiâ satisfac.

CAP. XI.

Contra spiritum tristitiæ, qui desperationem facit.

ARSENII. Pelag. libell. 15. n. 51. tit. Orsisij.

1. Abbas Arsenius dixit: Non coctus laterculus, si missus in fundamentum fuerit prope fluuium, neque vno die sufferre poterit: si autem benè fuerit coctus, permanet tamquam lapis. Sic & homo non coctus neque inflammatus, secundùm quod de Ioseph dictum est, eloquium Domini inflammauit eum, mox in principio carnalis cogitationis dissoluitur.

Amore Dei coctus perstat. Psal. 104.

EIVSDEM. 2. Idem requisitus ab altero fratre, dicente: Si peccauero, etiam in quocumque minuto peccato, & consumit me cogitatio mea, & arguit me, dicens: Quare peccasti? quid faciam? Respondit senex: Quacumque horâ ceciderit homo in culpam, & dixerit ex corde; Domine Deus peccaui, indulge mihi; mox cessabit cogitationis vel tristitiæ illa consumptio.

Statim à culpâ ad Deum recurrēdum.

ISIDORI. 3. Dicebat autem abbas Pimenius de abbate Isidoro, quia solus ille se cognouisset. Nam quoties illi dicebat cogitatio sua, Quia magnus es: tunc & ipse respondebat sibi: Numquid talis qualis Antonius, aut certè abbas Piamon, vel reliqui patres qui Deo placuerunt? Quoties ergo hæc cogitabat, requiescebat. Quando verò inimicus conturbans eum, suggerebat ei desperationem & pœnam, dicens: Quoniam post hæc omnia iturus es ad tormenta, dixit ipse: Quia quamuis ego in tormenta mittar, tamen vos subtus me inuenio.

Ruff. lib. 3. n. 101. *Isidori contra superbiam & desperationem responsum.*

MOYSIS. 4. Abbati Moysi frequenter apparuerunt spiritus maligni, dicentes: Vicisti nos, & nihil tibi possumus facere: quoniam quoties per desperationem humiliare te volumus, exaltaris; quoties te exaltare, ita te humilias, vt nullus de nobis accedat ad te.

Ruff. l. 3. n. 102. *Qui se humiliat exaltabitur.*

SISOII. 5. Cùm quidam ad abbatem Sisoium frequenter talem sermonem requireret, Quid faciam pater, quoniam cecidi? Ille respondit: Surge. Et surrexit. Et iterum se cecidisse professus est. Ait senex: Et iterum surge. Cùm autem frater frequenter se cecidisse narraret, eodem senex vtebatur sermone, exclamans: Non cesses surgendo, fili. Cui frater: Vsquequò possum surgere pater, explana. Ait senex: Quousque aut in bono opere, aut in malo deprehensus, occumbas. In quo enim opere deprehensus fuerit homo, iudicabitur.

Ruff. l. 3. n. 103. *A lapsu semper resurgendum.*

EIVSDEM. 6. Item dixit: Qui laborat, & arbitratus se fuerit aliquid facere, recipit hîc mercedem suam.

Sibi placēs mercedem recipit.

CAP. XII.

Contra spiritum vanæ gloriæ.

PIMENII. Ruff l. 3. n. 110.

1. Qvidam frater requisiuit abbatem Pimenium: Si melius esset, remotiùs, an cum alijs manere? Respondit senex: Homo si semetipsum reprehenderit, vbique potest persistere; si autem se magnificat, nusquam stat, sicut scriptum est: Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quidquid enim homini fecerit homo, ne exultet in eo, quia mox perdet illud.

Sui reprehensor vbique viuere potest. Galat. 6.

MACARII. 2. Abbatem Macarium si quis cum timore velut sanctum virum voluisset audire, suspectus nullum penitùs à sene excipiebat responsum. Si quis verò velut contemnens eum, talibus verbis compellaret: Abba Macari, quando eras camelarius & nitrum furabaris, numquid non vapulabas à magistris, deprehensus in furto? libenter ei, quidquid requisisset, cum gaudio respondebat.

Macarius laudatus tacet, contemptus verba ædificationis loquitur.

NESTERONIS. Pelag. libell. 8. n. 12. 3. Abbas Nesteron dum cum alijs ambularet, fratribus in deserto, viderunt draconem, & fugerunt. Dicit ei vnus ex eis: Et tu times, abba? Cui senex: Non timeo, fili, sed oportuit

oportuit me fugere: quia nisi fugissem, cogitationem vanæ gloriæ non vitassem.

ZENONIS. Ruff. l. 3. n. 111. Virtus celanda, vitia manifestanda.

4. Venit aliquando ad abbatem Zenonem in Syriâ aliquis frater Ægyptius, & cœpit cogitationes proprias accusare, præsente sene. Ille autem audiens hoc, admiratus dixit: Ægyptij quas habent virtutes, celant, & vitia, quæ non habent, manifestant: Syri autem & Græci virtutes quas non habent, prædicant; & vitia, quæ habent, abscondunt.

SENIS. Ruff. l. 2. n. 116. Pelag. libell. 11. n. 38. Nemo se mortuum sæculo iactet.

5. Quidam senex, cùm venisset ad alium senem, dixit: Ego mortuus sum huic sæculo. Cui ille alter: Ne confidas in te, donec egrediaris de corpore hoc. nam etsi dicis tu, Quia mortuus sum; diabolus tamen necdum mortuus est, cuius innumerabiles sunt malæ artes.

SISOIS. Occulta sint suspiria.

6. Abbas Sisois cùm sedens, præsente fratre altero, factus esset in exstasi, & altero audiente nesciens suspirasset, cœpit pœnitere, ac dicere: Indulge mihi, frater, exposco; necdum enim me cognosco esse monachum, quia audiente altero suspiraui. Quoties autem in oratione senex idem stans, manus suas erexit ad cælum, citò deponebat manus, propterea, si alter præsens esset, ne hoc ipsum illi pro laude constaret.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 118. Ioannes libell. 4. n. 35. Senex stultitiam simulat, vt gloriam fugiat.

7. Quidam senex habitabat in inferioribus partibus Ægypti, & sedebat quiescens. Vnus autem sæcularis religiosus ministrabat ei. Contigit autem, vt filius sæcularis infirmaretur. Multis ergo precibus postulabat senem, vt veniret ad domum suam, & faceret orationem pro infante. Exurgens verò senex, ambulabat cum eo. Ille autem præcessit, & ingressus in domum suam, dixit: Venite in occursum anachoretæ. Quos cùm senex vidisset à longè egressos cum lampadibus, sensit quòd ad se venirent: & statim despolians se vestimenta sua misit in fluuium, & cœpit lauare stans nudus. Ille autem qui ministrabat ei, videns hæc erubuit. Et rogabat homines, dicens: Reuertimini; senex enim noster sensum perdidit. Et veniens ad eum, ait illi: Abba, quid est hoc quod fecisti? Omnes enim, qui te viderunt, dixerunt: Quia dæmonium habet senex. Cui ille: Ego verò volebam hoc audire.

EIVSDEM. Pelag. libel. 8 n. 18. tit. Simonis. Senex gloriam & honorem auersatur.

8. Item aliâ vice volebat eum aliquis videre ex iudicibus, & præcesserunt clerici, dicentes ei: Abba, præpara te, quoniam iudex audiens opera tua veniet ad te, benedici cupiens à te. Ille autem dixit: Ita faciam, ego præparabo me. Vestitus ergo [1] lebetone suo; & tollens panem & caseum in manibus, adscendit in portam, & diuaricatis pedibus sedens, cœpit manducare. Veniens autem cum officio suo iudex, & videns eum, dixit: Iste est anachoreta, de quo talia audiebamus? Et contemnens eum, ita discessit.

Contra spiritum superbiæ. CAP. XIII.

SENIS. Ruff. l. 3. n. 111. Pelag. libell. 15. num. 56. Laus hic fugienda.

1. QVIDAM senex dixit: Qui ab hominibus amplius honoratur aut laudatur, non paruum damnum patitur: qui autem ab hominibus non honoratur, desuper gloriam accipit.

EIVSDEM. Ruff. l. 3. n. 113. Pelag. libell. 8. n. 10. tit. Syncletica.

2. Item dixit: Fieri non potest, vt simul herba nascatur & semen: ita impossibile est, vt laudem & gloriam habentes sæcularium, simul & fructum faciamus cælestem.

EIVSDEM. Ruff. l. 3. n. 115. Pelag. libell. 15. n. 54. Cogitatio superbiæ quomodo superanda.

3. Item dixit: Quando cogitatio superbiæ, vel certè vanæ gloriæ te impugnat, perscrutare teipsum, si omnia mandata Dei seruasti, si inimicos diligis, si gaudes de gloriâ inimici tui, & contristaris in deiectione eius: si apud te habes, quoniam seruus inutilis es, & quòd plus omnibus hominibus sis peccator: & neque tunc tam grande aliquid sapias, tamquam aliquid boni feceris, sciens quòd elata cogitatio illa omnia bona dissoluit.

INCERTI. Pelag. libell. 15. num. 55. Exaltatio fugienda.

4. Dixit senex cuidam: Non apponas cor tuum aduersus fratrem tuum, dicens: Quomodo tu ampliùs sobrius es, quàm ille, & continentior? sed subditus esto gratiæ Dei in spiritu paupertatis, & per charitatem non fictam, ne spiritu exaltationis perdas laborem tuum.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 171. Pelag. libell. 15. n. 77. Humilitas exaltatur.

5. Item dixit senex: Quantumcumque enim se deposuerit homo in humilitate, tantum quoque proficit in altum. Sicut enim superbia, si ascenderit in cælum, vsque ad infernum deducitur: ita & humilitas, si descenderit ad infernum, tunc exaltabitur vsque ad cælum.

MACARII. Ruff. l. 2. n. 124. Pelag. libell. 15. n. 26. Sola humilitas diabolum vincit.

6. Abbas Macarius dum diluculò palmarum folia portans, ad cellam suam reuerteretur, occurrit ei diabolus cum falce præacutâ, volens eum percutere, & non valebat. Qui exclamans, ait: Magnam vim à te patior, Macari, qui cùm te cupio nocere, non valeo: dum quæcumque tu facis, ego magis exuperem. Tu ergo interdum ieiunas, ego numquam vllo cibo reficior. Tu sæpè vigilas, me verò numquam sopor oppressit: sed vnâ re me vincis ipse, fateor. Cumque ab eo rem ipsam Macarius requisisset, ait: Humilitas tua sola me vincit. Hæc dicente inimico, & extendente beato Macario manus suas ad orationem, spiritus immundus inter auras euanuit.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 116. Humilitas charitatis præcursor.

7. Quidam ex patribus dicebat: Omnis labor sine humilitate vanus est. Humilitas enim præcursor est charitatis. Sicut Ioannes præcursor erat Iesu, omnes trahens ad

ad eum: ita & humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum, quia Deus charitas est.

SENIS. Pelag. libell. 15. tit. Hyperichij

8. Quidam frater requisiuit à sene: Quid est humilitas? Cui senex: Arbor est vitæ, in altum excrescens.

EIVSDEM. Pelag. libell. 15. n. 37. tit. Pastoris

9. Item dixit: Terra, in quâ Deus dixit sibi sacrificium offerre, humilitas est.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 171. Append. Mart. n. 58.

10. Iterùm requisitus senex quidam: Quomodo potest anima humilitatem adipisci? Respondit: Si sua tantummodò mala homo consideret. Dicebat autem, Quia perfectio hominis est humilitas.

MOTOIS.

11. Dixit abbas Motois: Humilitas nec ipsa irascitur, nec alios irasci permittit.

EIVSDEM. Pelag. libell. 15. n. 60. tit. Incerti.

12. Item dixit: Humilitas est, si quando peccauerit in te frater tuus, antequam pœniteat, indulseris ei.

CAP. XIV.

Quòd perfecti viri, quamuis possint, nolunt miracula facere, ne extollantur.

PIMENII. Ruff. l. 3. n. 168. Ioan. libel. 2. n. 10.

1. ABBAS Ioseph dum cum alijs fratribus ad abbatem Pimenium veniret, quidam ex parentibus prædicti senis Pimenij attulit infantem, cuius facies per arreptionem diaboli fuerat deprauata: & sedens pater eius cum eo foris monasterium, plorabat. Cùm autem vnus senex ad vocem flentis egressus esset, & interrogaret eum, cur ploraret, ille respondit: Parens sum istius Pimenij, & ob hoc veni, vt videret infantem hunc. Vides, domine, quæ huic infanti per satanam contigerit tentatio. Timuimus enim vsque nunc illum huc offerre, quia non vult nos videre. Et nunc si cognouerit, quòd hîc ego sum, cum confusione eiiciet me. Ego autem vos videns, patres, qui modò ad eum venistis, præsumpsi venire huc. Quomodo ergo vis, vade & miserere mei, abba: & tolle infantem istum, & defer intus tecum, vt oret pro me. Quem cùm senex tulisset, & ingressus fuisset in cellam, sapienti consilio vsus, non illum obtulit primò abbati Pimenio, sed minoribus patribus, & dicebat: Signate infantem, fratres, facientes orationem, rogans per singulos senes. Et post omnes detulit illum Pimenio. At ille nolebat eum nec aspicere. Cùm autem rogarent eum, vt sicut omnes, sic & ipse oraret; ingemuit, & surgens orauit, dicens: Deus sana facturam tuam, ne dominetur ei inimicus. Et signauit infantem, & mox sanus est patri redditus.

Pueri vultus per satanam distortus.

Signo crucis per Pimenium restituitur.

BESARIONIS. Ruff. l. 2. n. 121. Ioan. libell. 2. n. 4.

2. Cùm quidam sæcularis in ecclesiam veniens ab immundo spiritu teneretur, & omnes orationem fecissent, nullatenus spiritus immundus egrediebatur ab eo. Dicunt ergo inter se fratres: Quid possumus huic spiritui facere? nemo illum potest excutere, nisi abbas Besarion: sed si hoc dixerimus, ille nec ad ecclesiam acquiescit venire. Sed faciamus taliter: quando ad ecclesiam ante omnes solet venire, hunc qui patitur faciamus sedere, & posteà dicamus: Abba, abba, suscita hunc dormientem. Fecerunt ergo ita. Et veniente abbate Besarione, steterunt omnes in oratione, & dicunt ei: Abba, suscita istum qui dormit. Ille autem dixit: Surge, & egredere foràs. Et mox egressus est ab eo spiritus immundus, & sanus factus est ex illa horâ.

Besarion verbo dæmonem pellit.

CAP. XV.

Quòd vtiliter aliquotiès in sordidis cogitationibus relinquimur, ne extollamur.

ANTONII Ruffin. l. 3. n. 128. Pelag. libell. 15. n. 80. tit. Incerti.

1. SÆPE dicebat beatus Antonius: Nisi pistor velaret oculos animalis, mercedem suam recipiens, ipse consumeret. Ita & nos per Dei dispensationem tegimen accipimus, vt ea quæ operamur bona, non valeamus intendere; ne nos ipsi beatificantes, possimus extollere, & mercedem propriam amittamus. Nam & ob hoc quando relinquimur in sordidis cogitationibus, necesse est, vt hoc tantummodò præuideamus, vt nosipsos & nostram sententiam condemnemus: & ea quæ sunt in nobis sordida, illud paruum bonum opus nostrum in nobis obscurent. Numquam enim homo bonus est, etiam si bonus esse desideret, nisi Deus habitauerit in ipso: quia nemo bonus nisi solus Deus. Oportet autem vt nosipsos semper veraciter incusemus. Quando enim se quisque non reprehendit, mercedem propriam amittit.

Humilitas custos bonorum operum.

Luc. 18.

Sui reprehensio mercedis est conseruator.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 130.

2. Idem beatus Antonius dum in cellâ propriâ oraret, venit ad eum vox, dicens: Antoni, necdum peruenisti ad mensuram coriarij, qui est in Alexandriâ. Quo audito, senex consurgens mane, arrepto baculo in ciuitatem festinus peruenit. Cumque ad designatum hominem peruenisset, & ingressus fuisset, ille viso tanto viro obstupuit. Cui dixit senex: Refer mihi opera tua, quia propter te, relicto deserto, huc veni. Qui respondens, ait: Nescio me aliquando aliquid boni perpetrasse. vnde ex cubili proprio manè consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quòd omnis hæc ciuitas, à minore vsque ad maiorem, ingreditur in regnum Dei propter iustitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam sempiternam ingrediar. Quod verbum manè, & antequam quiescam serò, ex cordis mei sentio veritate. Quod audiens beatus Antonius, respondit: In veritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo tuâ, cum

Coriarius Antonio præfertur.

Humilitas coriarij.

VERBA SENIORVM.

cum requie regnum Dei adeptus es: ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conuersatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.

PIMENII. Ruff. lib. 3. n. 131. Tit. 1.

3. Quidam frater requisiuit abbatem Pimenium, dicens: Quid est, pater, quod Apostolus dicit: Omnia munda mundis? At ille dixit: Si quis ad hunc sermonem peruenire potuerit, vt eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ. Cui frater: Et quomodo me possum videre minorem ab eo qui homicida est? Respondit senex: Si potuerit homo ad sermonem hunc Apostoli peruenire, & viderit hominem qui fortè alium occiderit, dicit in semetipso: Ille quidem hoc solum peccatum fecit, ego autem omni horâ homicidium committo, meipsum interficiens. Et cùm frater requireret, quomodo hoc posset fieri; respondit senex: Hæc sola hominis iustitia est, vt semper semetipsum reprehendat: & tùnc iustificabitur, cùm sua peccata condemnat.

Sui reprehensio sola hominis iustitia.

INCERTI.

4. Quidam frater dixit ad senem: Cogitatio mea dicit mihi, Bonus sum. Respondit ei senex: Qui non videt peccata sua, semper ille in bonis esse se credit: qui autem videt illa, cogitationes ei suadere non possunt quòd in bonis sit: scit enim quod videt. Opus ergo est laborare multùm, vt se quisque consideret: nam negligentia, ignauiaque, & relaxatio excæcant oculos cordis nostri.

Sui cognitio necessaria.

ISIDORI.

5. Quidam frater dixit abbati Pimenio: Cogitationes meæ non permittunt me peccata mea respicere, sed patres mei cogunt me cogitare peccata. Respondit abbas Pimenion, de abbate Isidoro referens, & dicens: Dum plangeret abbas Isidorus in cellâ suâ, & discipulus eius in aliâ cellâ sederet, contigit vt illâ horâ idem discipulus ad illum veniret, quâ ille plangebat, & requisiuit eum, dicens: Quid plangis, pater? At ille respondit: Peccata mea plango, fili. Iterùm dicit ei: Non habes peccata, abba. Dicit ei senex: O fili, si peccata mea Deus manifestaret hominibus, nec tres nec quatuor sufficerent, sed nec plures.

Peccata plangenda.

CAP. XVI.

Quomodo vitetur detractio.

PIMENII. Ruff. l. 3. n. 133.

1. QVIDAM frater requisiuit abbatem Pimenium, dicens: Quomodo potest homo vitare, ne loquatur malè proximo suo? Respondit senex: Ego & proximus meus duæ imagines sumus. Cùm ergo meam imaginem reprehendero, inuenitur imago fratris mei apud me venerabilis: quando autem meam laudauero, tunc fratris mei imaginem prauam respicio. Tunc ergo alij non detraho, si semper meipsum reprehendo: quia magnum virum despicit, qui seipsum non considerat.

Sui inspector, proximi est laudator.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 133. Pelag. libell. 1. num. 11.

2. Dicebat quidam patrum: Quidquid habes odio, alij ne facias. Si odis qui tibi malè loquitur, neque tu malè loquaris de alio. Si odio habes qui tibi facit calumniam, neque calumniam tu alicui facias. Si odio habes qui te in contemptu ducit, aut iniurijs appetit, aut aufert quod tuum est, aut aliquid tale facit; nihil horum facias alicui. Qui autem hoc verbum custodire potest, sufficit ei ad salutem.

Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.

INCERTI.

3. Vnus ex sanctis patribus videns alium negligentem, fleuit amarè, dicens: Væ mihi, quia quomodo hodie iste peccat, sic & ego crastino. Et monebat discipulum suum, dicens: Quamuis aliquis grauiter præsente te peccauerit, ne condemnes eum: sed sic apud te sit, tamquam tu plus eo pecces, quamuis ille sæcularis sit, nisi fortè Deum blasphemauerit, quod est hæreticorum.

Nemo facilè condemnandus.

TIMOTHEI. Ruff. l. 3. n. 140.

4. Quidam nomine Timotheus anachoreta, negligentem quemdam fratrem audiens, interroganti abbati quid illi fratri faceret, dedit consilium vt eum expelleret. Cùm ergo ille expulsus esset, tentatio venit super Timotheum. Et cùm imploraret in conspectu Dei, & diceret: Peccaui, miserere mei; venit ad eum vox, dicens: Timothee, ideò tibi hoc euenit, quia fratrem tuum in tempore tentationis suæ despexisti.

Nemo tentatus despiciendus.

C. XVII.

De voluntate proximi faciendâ.

PIMENII.

1. FRATER quidam requisiuit abbatem Pimenion, dicens: Quid est fides? Cui senex: In charitate & humilitate semper viuere, & facere bonum proximo suo.

Quid fides.

THEODORI.

2. Abbas Theodorus cùm de opere manuum animæque loqueretur, dicit ad eum frater: Explana nobis opus animæ, abba, & opera manuum. Cui senex: Omnia quæcumque pro mandato Dei facimus, in operibus animæ reputanda sunt: quæ verò pro nostrâ agimus vtilitate vel commodo, hæc omnia opera manuum esse noscuntur.

Quid opus animæ, quid manuum.

APOLLONIS.

3. Abbas Apollo, si quis de fratribus eum in suo requisisset opere & labore, mox pergebat cum omni lætitiâ, dicens: Ego cum rege meo Christo vado hodie operari pro animâ meâ. Hæc est enim merces, quæ animæ reputatur.

In proximo Christum cogita.

C. XVIII.

De refutatione propriæ voluntatis.

INCERTI. Ruff. l. 3. n. 150. Pelag. libell. 15. n. 8.

1. QVIDAM anachoreta sedebat iuxta cœnobium, multas virtutes faciens. Et cùm venissent ad illum aliqui monachi de cœnobio, compulerunt eum non consuetâ

Tribulatio omnis à propriâ voluntate. tâ horâ manducare. Et pòst hoc dixerunt ei fratres: Contristatus es, abba, aliquid, quia hodie contra consuetudinem fecisti? Quibus ille respondit: Tunc est mihi tribulatio, quando propriam fecero voluntatem.

ARSENII ET MOYSIS. 2. Quidam frater veniens in Scithi, vt videret abbatem Arsenium postulabat. Cùmque alij fratres ei, vt paululùm requiesceret, suaderent, respódit: Non manduco panem, nisi illum videre meruero. Tunc vnus ex fratribus ipsum duxit ad abbatem Arseniú, pulsatoque ostio cellulæ, introduxit eum. Deinde suscepti, & oratione factâ, consederunt. Cùm autem beatus taceret Arsenius, *Arsenius fugiens & tacens.* ille, qui fratrem adduxerat, ait: Ego discedo. Sed & is qui ex magno desiderio venerat, videns quia nihil ei locutus fuisset abbas Arsenius, præ verecundiâ tacitus sedens, dixit: Et ego quoque tecum, frater, abscedo. Ac sic vterque discesserunt. Postulabat autem, vt etiam ad abbatem Moysen, qui ex *Moyses omnibus communis.* latronibus conuersus fuerat, deduceretur. A quo susceptus, factâ charitate dimissus est. Frater autem qui ad vtrosque ipsum duxerat, dixit illi: Ecce, vtrosque quos postulabas, vidisti: quis tibi plus ex ambobus placet? At ille ait: Mihi intereà hic melior videtur, qui nos vtrosque & benè suscepit, & benè pauit. Quo sermone comperto, vnus ex patribus ad Dominum orauit, dicens: Domine, hanc mihi rem precor ostende, quia vnus propter nomen tuum omnes homines videre aut appellare refugit, alter verò omnibus propter nomen tuum communis est. Et ecce, in exstasi duæ illi naues per flu- *Vtriusque perfectio visione ostensa.* uium ostensæ sunt: & in vnâ quidem vidit Spiritum sanctum cum silentio & requie, vnà cum abbate Arsenio nauigantem: in alterâ verò naui vidit abbatem Moysen & angelos Dei, mel & fauum in os & in dentes eius inserentes.

CAP. XIX. *De obsequiis infirmantium, vel infirmitate ipsâ.*

INCERTI. Pelag. libell. 17. num. 18. QVIDAM frater requisiuit senes, dicens: Si duo fratres in vnâ sunt cellâ, & ille quidem vnus sex diebus integris ieiunat, ille autem alter infirmitati facit obse- *Obsequium infirmis præstitum ieiunio potius.* quium; cuius ergo opus maius est apud Deum? Respondit senex: Si ille qui ieiunat sex dies, per nares se suspenderit, non erit similis illi alteri in conspectu Dei.

AMMONIS Ruff. lib. 3. n. 155. Pelag. libell. 16. num. 4. 2. Ioannes minor Thebæus, discipulus abbatis Ammonis, duodecim annis ipsi seni infirmanti fecit obsequium: senex tamen cùm vidisset eum laborantem, numquam illi sermonem blandum aut placitum locutus est. Cùm autem de hoc mundo transiret, sedentibus alijs senibus, tenuit manus eius, & dixit ei tertiò: Salueris, salueris, salueris. & tradidit illum senibus, dicens: Ille non homo, sed Angelus est, qui tot annis mihi *Infirmo patienter seruiens instar Angeli est.* infirmanti seruiens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magnâ patientiâ.

EVLOGII Pallad. c. 26. 3. Plures igitur diuersis laborantes necessitatibus conuenerunt fratres ad sanctum Antonium, inter quos & [2] Eulogius quidam monachus Alexandrinus, cùm alioqui elephantiaco morbo cruciabatur: quos illuc propter huiuscemodi caussam venisse memorabant. Hic Eulogius [3] scholasticus erat, sæcularibus litteris eruditus. Qui immortalitatis desiderio captus, huic mundo renuntiauerat: diuisisque rebus suis omnibus atque dispersis, parum aliquid pecuniarum reliquerat sibi: quibus quia per se operari non poterat, vteretur. Cùm igitur eum quædam animi defectio fatigaret, & neque cum multis in monasterio degere, neque solitariam vitam posset ferre patienter, repperit quemdam publicè in plateâ iacentem, ita inualitudine illâ, quam superiùs dixi, impletum, vt sine pedibus & manibus videretur: cui lingua tantummodò immunis à tantis cruciatibus erat, quâ magis posset ab intuentibus malorum suorum remedium promereri. Cumque eum assistens vidisset Eulogius, oratione factâ ad Deum, & factâ quadam cum Domino pactione, his allocutus est verbis: Domine, inquit, Deus, in tuo nomine suscipio istum tam immani valetudine præpeditum, vt propter istum possim & ipse saluari. Adsis ergo mihi, Iesu Christe, atque patientiam in tali ministerio largiaris. Moxque ad iacentem illum ait: Vis frater, suscipio te in domo meà, & quacumque potero ratione, sustento? Cumque hæc ille libenter amplecti, si dignaretur, se diceret; Vadam ergo, inquit, & asinum quo veharis adducam. Cui vehementer exultans consensit ægrotus. Idque mox fecit Eulogius, & memoratum ad hospitium suum sine dilatione transuexit. Per quindecim igitur annos iugi curatione & perpetuâ ei sollici- *Eulogius elephantiacum per 15. annos curat.* tudine seruiebat: per quod omne tempus & ille, cui tantum deferebatur obsequium, cum gratiarum actione cuncta tolerabat, & Eulogij manibus & medicamentis, cibisque & balneis, prout competebat valetudini, curabatur. Post quindecim verò annos instinctu dæmonis, supradictus ægrotus immemor tot laborum Eulogij, tantorumque meritorum cœpit ab eo velle discedere, multisque iniurijs atque opprobrijs increpare eum, dicens: [4] Fugitiue, qui propriam domum deuorasti, furatusque es alienam

 substan-

substantiam, in me occasionem salutis tuæ reperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum, & satisfaciens animo eius, dicebat: Noli, mi domine, talia loqui, sed dic potius quid te contristauerim, & emendo. Elephantiosus autem cum furore dicebat: Vade, nolo istas adulationes tuas; proijce me in publicum; refrigeratione tuâ non egeo. Eulogius autem, Obsecro te, inquit, placare: aut quid te, inquit, contristauerim, venerande senex, edicito. Elephantiosus autem asperior in furore, dicebat ad eum: Iam fraudulentas irrisiones tuas non fero, adulationes & subsannationes tuas non tolero. Nec mihi hæc arida pascaque vita iucunda est: volo carnibus saturari. Cumque ei exhibitæ à viro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterum proclamare: Non potes, inquit, meæ satisfacere voluntati, neque tecum solitarius habitare prævaleo: populum videre, ad publicum ire desidero. Dicit ei Eulogius: Ego adduco tibi multitudinem fratrum. Rursus ferocior ac penè blasphemus ægrotus, Nec, inquit, faciem tuam videre volo, & adducis mihi similes tuos, solius panis deuoratores: concutiensque semetipsum, inquietâ voce clamat, dicens: Hic esse nolo, ad publicum ire desidero. O violentia! In eum locum me proijce, vnde me sustulisti. Tanta ergo erat eius insania, adeoque sensus eius infirmi, quodammodò & * mores peruerterat dæmon, vt & laqueo se fortè suspendisset, si manus, per quas hoc facere posset, habuisset. Ad monachos itaque vicinos pergit Eulogius, ita dicens eis: Quid faciam, quia elephantiosus iste penitùs desperare me fecit? Dicunt ei: Quam ob caussam? Respondit eis: Quia dura sunt quæ mihi conatur imponere, & quid agam ignoro: proijciam ne eum? Sed aliter Deo dexteras dedi: de hoc satis vereor. Non proijciam eum. sed tot ac tanta iterùm dierum ac noctium mala ferre non possum, quid de ipso igitur à me fiat, ignoro. Ad quem illi his verbis loquuntur: Dum adhuc viuit & superest Magnus ille, sic enim vocabatur, Antonius, ascende ad eum, ægrumque naui impositum, in monasterium eius defer, exspectans ibi donec speluncam suam egressus adueniat. Quem cùm videris, referes ista quæ pateris, atque ab eo consilium postulabis: quidquid tibi super hoc dixerit, facies, & eius monitionibus acquiesces, sciens à Deo iuberi tibi, quod ille præceperit. Mox igitur sermonibus fratrum libenter instructus, supradictum ægrum blandis precibus superans, littorali nauiculæ imposuit: sustulitque de ciuitate per

Eulogius elephãtiaci opprobria patienter fert.

* *fortè humores*

Beatus Antonius dictus Magnus.

noctem, & ad discipulorum sancti Antonij habitaculum duxit. Euenit autem, vt alio die vespertinis horis superueniret illuc beatus Antonius, referente mihi Cronio, quòd chlamyde ex pellibus factâ indutus aduenerit. Solebat autem veniens ad monasterium fratrum, vocare ex ipsis Macarium, eumque his verbis interrogare: Venerunt adhuc aliqui fratres? Et ille venisse dicebat. De Ægypto, inquit, sunt, an de Ierosolymâ? Hoc autem signum ab his iusserat dari, vt quoties aliqui non satis digni colloquio ipsius venirent, aduenisse Ægyptij dicerentur: quoties autem sancti quidam & spirituales viderentur viri, venisse de Ierosolymâ nuntiarentur. Tunc ergo veniens iuxta consuetudinem suam, cùm interrogaret vtrùm Ierosolymitæ illic fratres essent, an Ægyptij? Respondit Macarius, dicens: Ex vtroque illic quosdam genere vidisse se. Cùm autem dixisset illi sanctus Antonius: Fac illis lætitiam, & sumant cibum, & vnà cum eis, oratione completâ, iubebantur discedere: ac verò cùm Ierosolymitas venisse didicisset, per totam noctem cum eis sedens, ea illis quæ saluti eorum proficerent loquebatur. Memoratâ igitur nocte eum consedisse referebant, & vnumquemque ad se de his qui conuenerant, euocasse. Cumque à nullo quis illic Eulogius vocaretur, audisset, ipse in tenebris propriâ voce suâ illum ter nomine vocauit. Cui cùm supradictus scholasticus non responderet, putans quòd alter aliquis Eulogius vocaretur, dicit ei rursus: Te voco Eulogi, qui ab Alexandriâ ciuitate venisti. Dicit ei Eulogius: Quid quæso iubes? Et Antonius, Quid, inquit, huc venisti? Respondit Eulogius, dicens: Qui tibi nomen meum reuelare dignatus est, ipse etiam & aduentus mei caussam procul dubio reuelauit. Tunc ille, Quare, inquit, veneris scio, sed ante omnes hos fratres, vt omnes audiant, refer. Iussus igitur à magno Antonio seruus Christi Eulogius, retulit ante omnes: Istum elephantiosum in plateâ publicâ repperi proiectum, cuius curam nullus hominum gerebat: & promisi Deo. vt deseruirem ægritudini eius quomodo possem, & ego per illum, & ille per me saluaretur. Ex quo autem pariter sumus, quintus decimus annus est, sicut & vestræ sanctitati credo omnia reuelata. Quia igitur post plurimos annos cùm à me nihil mali pertulerit, varijs me procellis ac tempestatibus vexat: ob quod & ego ipsum à me proijcere cogitaui: propterea ad sanctitatem tuam veni, vt quid ex hoc faciam, digneris me tuis edocere consilijs, & orationibus adiuuare. Pessimis enim motibus totus fatigor & crucior. Cui

Qui Ægyptij, qui Ierosolymitani monacchi dicebantur Antonio.

Antonius Eulogi premium diuinitus nouit.

Eulogius ab Antonio consilium poscit.

Cui hæc tunc Antonius seuerâ atque iracundâ voce respondit: Tu illum à te proijcis, Eulogi? sed ille eum non proijcit, qui eum à se factum esse cognoscit. Proijcis eum? meliorem te inueniet: & eliget Deus, qui colligat destitutum. Cumque perterritus ad hæc Eulogius verba tacuisset, relicto rursus sanctus Antonius Eulogio, cœpit ægrotum proprijs sermonibus verberare, & hæc ad eum cum clamore maximo loqui: Elephantiose, cœno & luto horride, nec terrâ digne nec cælo, non desinis iniuriam Dei vociferari? Nescis quòd qui ministrat tibi, Christus est? Quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? Nam propter Christum se iste seruitio tali & obsequijs subiugauit; quem & ipsum mordaci sermone laceratum reliquit. Conuersisque verbis ad alios fratres, ad vnumquemque ita, vt ratio singulorum exigebat, locutus, rursus ad Eulogium & ad ægrotum redit, dicitque eis: Ne quis vestrûm, ô filij, quóquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram, in quâ per tantum tempus vixistis, redite in pace, omnem tristitiam deponentes. Iam nunc enim ad vos Dominus Deus mittet: nam tentatio ista idcircò accidit vobis, quia ad finem vitæ ambo venistis, etiam vterque vestrûm merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne si fortè Angelus veniens, vos in eo, quem dixi, loco inuenire non possit, vtrique coronis fraudemini. Qui cùm ad cellam suam velociter redeundo redintegratâ pace venissent, intra quadraginta dies Eulogius prior obijt, & post aliquot dies supradictus defecit ægrotus, animo vehementer incolumis.

Antonius vtrumque inter se conciliat.

Cronius autem cùm plurimum temporis in Thebaidis fuisset locis, ad monasteria Alexandrina descendit: euenitque, vt ad illum occurreret diem, qui vnius quidem quadragesimus, alterius autem tertius celebratus tunc à fratribus dicebatur. Cùm igitur Cronius hoc audisset, obstupuit: sumptoque Euangelio sancto, atque in medio fratrum posito, cum sacramento ipsis per ordinem cuncta exposuit, dicens: Horum omnium quæ commemoraui, interpres ipse fui sermonum, eò quòd Græcè loqui sanctus Antonius nesciebat. ego autem vtramque linguam nouêram, atque inter ipsos loquebar: illis quidem Græco, isti autem Ægyptio ore respondens.

Commemoratio defunctorum.

Cronius interpres Antonij.

ANTONII. Idem in Vitâ Antonij c. 39.

4. Hocquoque Cronius ipse nobis referebat, quòd ei sanctus Antonius in illâ ipsâ nocte, quâ beatum Eulogium dimisit, dixisset, quia per totum annum deprecatus fuisset, vt ostenderentur ei per reuelationem loca peccatorum atque iustorum. Et se vidisse dicebat procerum quemdam vsque ad nubes gigantem, tetri coloris, extensas habentem ad cælum manus, atque infra pedes ipsius lacum ad speciem maris fusum; vbi tamquam aues inquietas animas volantes vidit Antonius: & ille quidem quæcumque supra ipsius manus caputque volabant, conseruabantur: quæcumque autem sub manibus ipsius repertæ fuissent, mergebantur in lacum. Vocem autem tunc talem sibi venisse referebat: Has omnes animas, quas volantes vides, scias animas esse iustorum, quæ in paradisi habitatione requiescunt: illæ autem animæ aliæ ad inferna mittuntur, quod patiuntur quicumque carnali obedierint voluntati, & quicumque iracundiam retinentes, reddere malis paria tentauerint.

Antonij visio de animabus iustorum & damnatorum.

INCERTI. 5. Referebant autem nobis tam Cronius, quàm sanctus Hierax, atque alij plures vicini fratrum, ista quæ dicam. Quidam senex dixit: Quia si scit monachus esse aliquem, apud quem proficere posset, sed necessaria corporis cum labore habet, & propterea non vadit ad eum, huiusmodi monachus non credit esse Deum.

Cibus animæ necessitati corporis præferendus.

INCERTI. Pelag. libell. 10. num. 90. 6. Dixit quidam senex: Qui vult eremum habitare, debet esse doctor, non qui doctrinâ egeat, ne detrimentum sustinere videatur.

Qui eremum habitat, debet esse doctor.

Quòd infirmitas corporis prosit animæ. CAP. XX.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 157. Pelag. libell. 7. n. 16. tit. Syncletica.

1. MAGNVS quidam senex infirmanti discipulo suo dixit: Ne contristeris, fili, ex infirmitate vel plagâ corporis tui. Summa enim religio est, vt in infirmitate quis gratias agat Deo. Si ferrum es, per ignem amittis æruginem: si verò aurum es, per ignem probatus, à magnis ad maiora procedis. Ne anxieris ergo, frater: si enim te Deus vult in corpore torqueri, tu quis es qui eius voluntati resistas aut molestè feras? Sustine ergo, & roga Deum, vt quæ ipse vult, illa concedat.

Virtus in infirmitate perficitur.

SENIS Ruff. lib. 3. num. 158. Pelag. libell. 7. num. 41.

2. Quidam senex cùm frequenter infirmaretur corpore & langueret, contigit vt vno anno nulla eum ægritudo contingeret: & propterea flebat & grauiter ferebat, dicens: Reliquisti me, Domine, & noluisti me præsens hoc anno visitare.

Flet senex morbo non visitatus.

De timore Dei. CAP. XXI.

PIEMONIS.

1. ABBAS Piemon requisitus à fratre, quemadmodum anima resisteret, & timere Deum non vult. Et respondit senex: Anima quidem vult timere Deum, sed nec-

necdum tempus est. Timor enim Domini, magna perfectio est.

INCERTI. Pelag. libell. 1. num. 19. *Timor Dei ex humilitate.*

2. Quidam frater à sene requisiuit, dicens: Quomodo timor Dei venit in animam? Et ait senex: Si quis priùs humilitatem possederit; vt neminem iudicet vel condemnet, vel largitor sit eleëmosynarum, & vt nihil habeat, tunc venit timor Dei in animam.

INCERTI. Pelag. libell. 1. num. 20. *Timor, humilitas, egestas semper adsint.*

3. Dixit senex: Timor, & humilitas, & egestas victualium maneant in te.

INCERTI. Pelag. libell. 3. n. 22. Append. Mart. n. 22. *Memor sis Deo aliquando occurrendũ.*

4. Frater quidam interrogauit senem, dicens: Vnde est, abba, cor meum durum, & non timet Deum? Dixit ei senex: Puto, quòd si homo teneat increpationem in corde suo, possideat timorem Domini. Dixit ei frater: Quid est increpatio? Ait senex: Vt in omni re increpet homo animam suam, dicendo ei: Memor esto, quoniam oportet te Deo occurrere. Dicit autẽ & hic: Quid ego volui cum homine? Existimo autem, quia si quis in his permanet, veniet ei timor Dei.

CAP. XXII.

De Pœnitentiâ.

PIMENII.

1. REQVISIVIT quidam frater abbatem Pimenium, dicens: Quid est pœnitentia? Cui senex respondit: Pœnitentia peccatorum est, vlteriùs non peccare. Hæc enim vox ad hominem semper clamat vsque ad vltimam respirationem: Hodie conuertimini, ne vobis repentina mors tamquam fur superueniat.

Hodie pœnitendum.

EIVSDEM. Append. Mart. n. 59.

2. Abbas Pimenius dixit cum gemitu: Omnes virtutes ingressæ sunt in cellam meam, præter vnam virtutem, & ex eius labore stat homo. Interrogauerunt eum fratres: Quæ est ista virtus, abba? Respondit senex: Vt semper seipsum reprehendat homo.

Magna virtus sui reprehẽsio.

CAP. XXIII.

Quòd per Pœnitentiam vno die potest homo reconciliari Deo.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 166. Ioan. libell. 1. n. 16.

1. QVIDAM ex patribus de aliquo referebat episcopo, eò quòd audisset duos ex plebe suâ viros esse nimiæ impuritatis, & adulteros. Rogauit ergo Deum, vt si ita esset, agnosceret. Cùm ergo post oblationem consecratam vnusquisque ad Communionem accederet, per singulorum facies intelligebat & animos. Peccatorum enim facies, nigras inspiciebat vt carbones, & oculos sanguine repletos: alios verò vidit clarâ facie, & vestibus albis indutos. Cùm autem corpus Domini suscepissent, in quorumdam vultibus lumen, in quorumdam verò flamma videbatur. Vt autem agnosceret de illis, quorum crimen audierat, Communionem illis porrexit: & vidit vnum ex illis clarâ facie & honorabili, albisque vestibus circumdatum; alterum verò nigrum, & horribili vultu. Et postquam diuini mysterij gratiam susceperunt, vnum lux quædam illuminauit, alterum autem quasi flamma succendit. Orauit ergo episcopus Deum de singulis, quæ ostensa fuerant, se edoceri. Adstans autem angelus Domini, dixit ad eum: Omnia quæ de istis audisti, vera sunt. Sed ille vnus in sordibus suis adhuc permanet, & in voluntate peccandi: ideò illum nigrâ facie, & flammâ succendi vidisti. Ille autem alter similis illi quidem erat, sicut audieras: sed ideò illum clarâ facie illustrari vidisti, quia recordatus eorum quæ priùs fecerat, & abrenuntians illis malis operibus, cum lacrymis & gemitibus Dei misericordiam postulabat: promittens, vt si præterita illi fuissent dimissa peccata, vlteriùs ad eadem non rediret: & ideò prioribus criminibus deletis, ad hanc gratiam, quam vidisti, peruenit. Cùm autem episcopus de gratiâ Dei miraretur, eò quòd non solùm de tormentis tam turpis vitæ hominem liberum statuerit, sed & tanto honore decorauerit, respondit Angelus: Benè miraris, homo enim es. Nam Dominus noster ac vester, naturaliter bonus & humanus est cessantibus à peccatis, & pœnitentibus in confessione: quia non solùm tormenta dimittit, sed & honore efficit dignos. Sic enim Deus dilexit homines, vt Vnigenitum suum daret pro peccatoribus, & pro ipsis ad mortem destinaret. Qui ergo, cùm inimici eius essent, mori pro ipsis elegit: quantò magis miseretur eorum, cùm illius proprij sint? Hoc ergo scias, quòd nulla peccata hominum Dei bonitatem vincunt, si tantummodò per pœnitentiam vnusquisque, quæ priùs fecerat, abluerit mala. Misericors enim est Deus, & infirmitatem generis humani scit, & passionum fortitudinem, & diaboli virtutem vel malitiam: & cadentibus quidem hominibus in peccatum, tamquam filijs indulgens, exspectat emendationem; pœnitentibus verò, tamquam languidis compatitur & miseretur: & mox soluens peccata eorum, iustorum illis etiam præmia tribuit. Audiens autem episcopus, miratus est nimis, & glorificauit Deum, manifestans omnibus quæ facta sunt.

Merita & demerita communicantium episcopus quidam ex vultu post Communionem agnoscit.

Iustus communicans clarâ facie apparet, nigrâ peccator.

Ioan. 3.

Dei bonitas superat omnia peccata.

PAVLI SIMPLICIS. Ruff. lib. 3. n. 167. Pelag. libell. 18. num. 10.

2. Abbas Paulus Simplex habebat hanc gratiam, vt ingredientes in ecclesiam sedens adspiciens, ex ipsâ facie eorum, vniuscuiusque cogitationes, siue malæ siue bonæ essent, sentiret. Cùm ergo aliquando venissent ad ecclesiam, vidit eos clarâ facie & læto

læto animo ingredi, & Angelos eorum cum gaudio pariter cum ipsis. Vnum autem vidit nigrum & nebulosum habentem corpus, & dæmones hinc atque inde trahentes eum ad se, misso fræno in naribus eius, & Angelum sanctum eius de longe sequentem, tristem. Beatus ergo Paulus cœpit flere amarissimè & pectus suum tundere, sedens ante ecclesiam, propter eum quem talem aspexerat. Omnes autem alij senes videntes eum sic flentem, cœperunt rogare, vt si quid in illis vidisset, manifestaret, aut cum illis ingrederetur in congregationem. Ille autem noluit ingredi, sed semper flebat propter eum quem sic viderat. Post paululum autem, cùm absolutâ congregatione discederent, iterùm omnium vultum circumspiciebat, si tales egrederentur, quales ingressi sunt. Et vidit illũ, quem antè viderat nigrum & nebulosum, egressum clarâ facie & candido corpore, dæmones de longè sequentes eum, sanctum autem Angelum eius prope eum, hilarem & gaudentẽ super eum nimis. Tunc sanctus Paulus exurgens, cum gaudio vociferabatur, benedicens Dominum, ac dicens: O quanta misericordia & benignitas Dei est, quanta eius miseratio est! Et ascendens in altiorẽ locum, voce magnâ dicebat: Venite, & videte opera Dei: venite, & videte quemadmodum omnes homines saluos vult fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Venite, adoremus eum, dicentes: Quia tu solus potes peccata dimittere. Cùm autẽ omnes conuenissent, exposuit eis Paulus quæ vidisset antequam ingrederetur in ecclesiam, & quæ posteà: & petebat illum fratrem quem sic viderat, vt ei manifestaret cogitationes & actus suos, vel quemadmodum tantam commutationem illi Deus donasset. Ille verò ante omnes cœpit referre, dicens: Ego homo sum peccator, & multis temporibus semper fornicationi fui deditus: ingressus autem nunc in ecclesiam Dei, audiui verba quæ locutus est Dominus per prophetam Isaiam, dicens: Mundi estote, & tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum. Discite benefacere, quærite iudicium. Et si fuerint peccata vestra vt coccinum, vt nix dealbabuntur. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ego verò fornicator compunctus in hoc sermone Prophetæ, & ingemiscens intra pectus meum, dixi ad Dominum: Domine, tu es qui venisti saluare peccatores: hæc ergo quæ nunc per Prophetam promisisti, opere comple in me indigno & peccatore. Ecce enim amodò profiteor tibi, & promitto ex toto corde, quia vlteriùs hoc malum non faciam, sed renuntio omni iniustitiæ, & amodò tibi seruio in conscientiâ mundâ. Ab hodie ergo, Domine, & ab hac horâ suscipe me pœnitentem, & adorantem te, & abrenuntiantem omnibus peccatis. Iuraui & statui apud me, seruare omnes iustificationes tuas. Sub hac sponsione egressus sum de ecclesiâ, statuens apud me nihil de prioribus peccatis vlteriùs facere. Quod cùm audissent omnes, clamauerunt vnâ voce ad Dominum, dicentes: Quàm magnifica sunt opera tua Domine! omnia in sapientiâ fecisti.

Lætatur Angelus de dignâ Communione sui clientis. — *1. Tim. 2.* — *Isai. 1.* — *Ex lectione sacræ Scripturæ peccator compungitur.* — *Psal. 118.* — *Psal. 103.*

Quòd & in proposito pœnitentiæ si transeat homo, tamen suscipiatur. CAP. XXIV

1. VENIT quidam frater ad abbatem Pimenium, dicens, quòd grandẽ tribulationem passus esset. Dicit ei senex: Fuge de loco illo, quantum tribus diebus & tribus noctibus ambulare potes: & fac annum integrum, ieiunans vsque ad noctem. Cui ille: Si mortuus fuero antequam vnus annus transeat, quid de me fiet? Dixit abbas Pimenius: Confido in Deum, quia si tu cum tali proposito à me fueris egressus, vt hoc facias, etiam si mox mortuus fueris, cum desiderio bono suscipietur pœnitentia tua apud Deum. PIMENII

Etiam pœnitentiæ propositum proficuum.

2. Quidam frater sedebat in cellâ suâ in Ægypto, in magnâ humilitate præcipuus, & habebat sororem in ciuitate meretricem, quæ multis animabus perditio fuerat. Frequenter autem insultabant senes fratri illi, & vix potuerunt persuadere illi, vt veniret ad illam: quatenus per admonitionem eius posset peccatum, quod per eam fiebat, euincere. Cùm ergo venisset ad locum, quidam ex notis eius videns eum, præcessit & nuntiauit illi, dicens: Ecce frater tuus venit ad te. Illa autem præ gaudio relictis amatoribus suis, quibus ministrabat, capite discooperto ad occurrendum fratri egressa est. Dum ergo tentaret eum amplecti, dixit ei: Soror mea charissima parce animæ tuæ, quoniam propter te multi pereunt, & quemadmodum poteris sufferre amara illa & æterna tormenta? Illa autem contremiscens, dixit ad eum: Scis, frater, quia est mihi salus vel amodò? Cui ille: Si volueris, est salus. Illa autem iactans se ad pedes fratris, petebat vt eam secum duceret in desertum. Cui frater: Vade, cooperi caput tuum, & sequere me. Cui illa: Eamus. oportet me enim deformari inter homines nudo capite deambulantem, quàm in officinam peccati mei iterùm ingredi. Dum verò pariter ambularent, monebat eam ad pœnitentiam. Videns autem quia quidam obuia-

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 117. — *Frater sororem meretricem ad meliorẽ frugem reducit memoriâ æterni tormẽti.*

obuiarent sibi, dixit ei: Quoniam non omnes sciunt, quòd soror mea es, parum de viâ secede, donec transeant. Et post, transgressis illis, vocauit eam, & dixit: Eamus, soror, viam nostram. Illâ autem non respondente, perquirens inuenit eam mortuam, & vestigia pedum eius sanguine plena, erat enim discalceata. Cùm autem senibus renuntiasset factum, contendebant inter se de salute eius. Manifestauit autem Deus vni seni de ipsâ, eò quòd nulla cura fuit illi in itinere de corporali vsu, sed vulnus proprium neglexit, & suspirauit in tam grandi perditione, ideò pro deuotione cordis eius suscepit Deus pœnitentiam eius.

CAP. XXV.

De impugnatione dæmonum.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 173. Pelag. libell. 15. num 58. *Qua arma contra dæmonem.*

QVIDAM frater requisiuit à sene, dicens: Cur, abba, à dæmonibus impugnamur? Respondit senex: Quoniam arma nostra abiecimus, id est, pœnitentiam, humilitatem, obedientiam, & penuriam.

SISOIS. Ruff. lib. 3. n. 174. Pelag. libell. 15. num. 45.

2. Frater quidam abbatem Sisoium requisiuit, dicens: Putas, abba, sic modò persequitur nos diabolus, sicut antiquos? Respondit: Magis modò homines nostræ ætatis persequitur, quia appropinquant genera pœnarum, vbi ille cum legionibus suis angustatur, dum scit stagnum, vbi in igne & sulfure arsurus erit: ideò hominibus infestatur. Nec tamen infirmos quosque dignatur appetere, quos vbi voluerit, citò subuertit: sed fortes magis ac magnos supplantare per diuersa præcipitia aggreditur.

Dæmon viris magnis insidiatur.

ABRAHAM. Pelag. libell. 10. num. 62.

3. Abba Pimenius requisiuit abbatem Abraham: Quemadmodum nos dæmones impugnant? Ait senex: Dæmones nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus: sed nostræ nobis voluntates, dæmones facti sunt, & tribulant nos. Vnde Apostolus: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Nam vis scire cum quibus dæmones pugnauerunt? cum abbate Moyse, & similibus eius: nos autem voluntates cordis nostri impugnant.

Galat. 5.

Quosdam dæmon, quosdam sua voluntas impugnat.

ACHILLIS *al. Achullecum.

4. Quidam frater requisiuit abbatem *Achillem: Quemadmodum aduersum nos possunt dæmones? Respondit senex: Per voluntates nostras. Et adiecit, dicens: Ligna Libani dixerunt: Quàm grandia sumus & alta, & paruissimo ferramento incidimur. nihil ergo ei demus ex nobis, & nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, & fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, & ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ, securis, diabolus, manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur.

Mala voluntas, diaboli manubrium.

Qualiter homo in se mortificare vitia potest.

CAP. XXVI.

MOYSIS. Pelag. libell. 10. n. 63.

1. QVIDAM frater requisiuit abbatem Moysen, dicens: Quomodo potest se homo mortificare? Dixit ei senex: Nisi quis arbitratus fuerit, se habere iam triennium in sepulcro, ad hunc sermonem peruenire non potest.

Iam triennio te sepultum cogita.

PIMENII.

2. Abbas Pimenius dixit: Ille monachus potest tamquam mortuus huic sæculo esse, qui duas res horruerit, id est, carnis suæ requiem, & vanam gloriam.

Quis sæculo mortuus.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 179.

3. Senex quidam dixit: Tunc erit monachus liber ab omnibus, cùm in opere tantùm intentus est bono. quando enim bona opera exercet, veniens diabolus locum non inuenit, & discedit: si autem malum opus exercet, veniens frequenter, & impugnat eum, & in deteriora subuertit.

Monachus bono operi sit semper intentus.

ANTONII

4. Beatus Antonius monebat discipulum suum, dicens: Horre ventrem tuum, & necessitates huius sæculi, & concupiscentiam malam, & honorem tamquam absens de hoc sæculo; & requiem possidebis.

Quomodo requies possidetur.

De perseuerantiâ.

CAP. XXVII.

ANTONII

1. ABBAS Antonius dixit: Monachus si paucis diebus laborat, & iterùm relaxatur; & rursus laborat, & inde negligit: hic nihil agit, nec patientiæ perseuerantiam possidebit.

Perseuranter laborandum.

INCERTI. Append. Mart. n. 102.

2. Dixit senex: Quid est opus, incipere artificium, si non discat perficere illud? Nihil est ergo quod incipitur, & non perficitur.

Operis perfectio.

De labore sanctorum.

CAP. XXVIII.

SENIS. Ruff. lib. 3. n. 180.

1. QVIDAM senex dixit: Vsque tunc laboret homo, vsquequò possideat Christum. Qui autem semel illum adeptus fuerit, iam non periclitatur. Permittitur tamen laborare, vt rememorans tribulationem laboris, vndique semetipsum custodiat, timens ne tantos labores amittat. Nam & filios Israël ideò Deus per desertum quadraginta annis circumduxit, vt rememorantes viæ tribulationem, nollent redire retrorsum.

Etiam electis laborandum.

INCERTI.

2. Quidam frater requisiuit senem: Quemadmodum laborant postulantes de remissione peccatorum? Respondit senex: Antequam perueniat in eos gratia, quæ ope-

operetur pro labore ipsorum, ipsi pallidi & in labore sunt: super quos verò ex priori patientiâ iam gratia Christi peruenit, isti florent, & exultant animæ eorum, & facies eorum clara est sicut sol, cùm nubes non habet, & lucet: quando verò sol nube cooperitur, pallescit: sic & anima, quando passiones eam & tentationes obscurant. Quæ autem per gratiam Dei mundata est, ita fulget sicut scriptum est: Magna est gloria eius in salutari tuo.

Passiones animam obscurant. Psal. 20.

INCERTI. *Viri sancti requies, libertas à mundo.*

3. Item dixit: Quamuis laborent hîc sancti viri, tamen &, aliquam requiem possident, quoniam liberi sunt à cogitationibus huius mundi.

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 181. Pelag. libell. 17. num. 19. *Frigescente charitate minus proficitur.*

4. Quidam frater requisiuit à sene, dicens: Quemadmodum nunc laborantes in conuersationibus viri, non accipiunt gratiam sicut antiqui. Ait enim senex: Tunc erat charitas, & vnusquisque proximum suum sursum trahebat: nunc verò postquam charitas refriguit, singuli proximos suos ad inferiora deducunt; & ideò gratiam Dei non merentur.

CAP. XXIX.

De exhortatione doctrinæ.

PIMENIONIS. *Frequenter auditum verbum emollit durum cor.*

1. INTERROGANTI cuidam abbatem Pimenionem de duritiâ cordis, respondit senex, dicens: Natura aquæ mollis est, & lapidis dura: si autem frequenter aqua stillat super lapidem, stillando perforat illum. Sic & verbum Dei dulce & molle est; nostrum autem cor, durum. Homo ergo audiens frequenter aut meditans verbum Dei, dat locum timori Dei ingredi in eum.

CAP. XXX.

De curiositate vitandâ.

INCERTI. *Non inquirendum de alijs.*

1. SENEX quidam dixit: Non oportet monachum requirere qualiter sit ille, aut quemadmodum ille: quia per interrogationem huiusmodi abstrahitur ab oratione, & defluit in detractiones & verbositates, vnde nihil est melius, quàm tacere.

INCERTI. *Taciturnitate quandoque proximus docetur.*

2. Frater quidam requisiuit à sene, dicens: Si venerit frater aliquis, sermones mihi deforis inferens alienos: iubes vt dicam illi, quatenus mihi illos non afferat? Ait senex: Nihil dicas, quia nec nos potuimus obseruare. Cauendum est ergo, ne fortè dicentes proximo, Hoc ne facias, nos idem vel peiora posteà faciamus. Cui frater: Quid ergo oportet facere? Et senex: Si voluerimus, inquit, tacere, exemplum solum sufficit proximo.

CAP. XXXI.

De contentione vitandâ.

SENIS. Ruff. lib. 3. n. 185.

1. QVIDAM senex dixit: Si quis tecum aut de Scripturis, aut de quacumque caussâ locutus fuerit, ne contendas cum eo: sed si quidem benè dicit, consenti ei; si verò malè, dic illi: Tu scis quomodo loquaris. Ait Apostolus: Noli contendere verbis. Hæc obseruans, & humilitatem possidebis, & odium vitabis. Nam si persistas contendens, & vis defendere sermonem tuum, nascitur inde scandalum. Frequenter ergo dum laudas alterum, fit etiam ex iustificatione contentio. De quacumque autem re, si grauiter contenderis, non paruam noxietatem senties, & nullo modo requiem possidebis. Magis stude custodire silentium, & de nullo esse sollicitus. Attende meditationi tuæ, cum timore Dei exurgens tam manè quàm vesperè, & impetum inimicorum non timebis.

2. Tim. 2. *Contentio vitanda.*

CAP. XXXII.

De silentio.

ANTONII. *Indignum te loqui æstima.*

1. BEATVS Antonius discipulo suo solebat dicere: Si affectaueris silentium, ne arbitreris te exercere virtutem, sed indignum te proloqui confitere.

SISOII. Pelag. libell. 11. n. 27. *Os animæ ostiû claudendum.*

2. Cum quidam frater abbati Sisoi dixisset: Volo animam meam saluare; respondit: Quâ ratione possumus animam nostram saluare, cùm lingua nostra aperto ostio sæpè prosiliat?

INCERTI. Ruff. lib. 3. n. 186. *Ex taciturnitate requies.*

3. Quidam frater interrogauit senem, dicens: Vsquequò seruandum est silentium, patet? Respondit senex: Vsquequò interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.

INCERTI.

4. Dixit senex: Peregrinatio est tacere.

Pelag. libell. 4. num. 44. titulo Sisois. Append. Mart. n. 71.

5. Dixit quidam senex: Peregrinatio quæ propter Deum fit, bona est, si habuerit & silentium: nam fiducia non est peregrinatio.

INCERTI. ARSENII. *Vnde quies.*

6. Abbas Arsenius solebat dicere: Peregrinus monachus in alienâ terrâ nullius caussæ mediator accedat: & quietem poterit adipisci.

AMPO. Ruff. lib. 3. n. 189. tit. Incerti. *Monachus sit apis vbique mel operans.*

7. Abbas Ampo dicebat: Sicut apis quocumque vadit, mel operatur: ita & monachus quocumque pergit, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem bonorum actuum potest afferre.

CAP. XXXIII.

De fugiendo clericatus honorem.

THEODORI. *Theodorus ex humilitate diaconi officium exercere renuit.*

1. ABBAS Theodorus cùm esset in Scithi diaconus ordinatus, nullatenus permanere acquiescebat, sed multis locis fugiebat. Et iterùm senes reducebant eum, dicentes: Ne derelinquas locum tuum. Quibus ille ait: Permittite me deprecari Deum, si me iubet ministrare loco meo. Et orauit sic: Domine, si voluntas tua est, vt in ordinatione meâ persistam, ostende mihi. Et

 ostensa

ostensa est illi columna ignea, à terrâ vsque ad cælum pertingens, & vox ad eum: Theodore, si potes fieri sicut columna ista, vade & ministra. Sufficit quòd Leuitis & sacerdotibus per Moysen dictum est, vt mundo corde & corpore, innoxijs manibus & vestimento mundissimo, pro filijs Israël offerrent sacrificia. Quod ille audiens, vltrà nullatenus acquieuit. Sed cùm venisset in ecclesiam, deprecabantur eum, vt si non ministraret, vel calicem teneret. Qui non acquieuit, dicens: Si mihi de hac re ampliùs verbum feceritis, discedo hinc: & sic eum dimiserunt.

Theodori humilitas detrectantis administrare Sacramenta.

ISAAC. Ruff. lib. 3. num. 22.

2. Abbas Isaac audiens, quia presbyterum eum patres volebant facere in Scithi, fugit in Ægyptum: & ingressus in agrum, latuit inter herbas. Contigit autem vt patres, qui sequebantur eum, in eodem agro requiescerent, quia iam nox erat, & dimiserunt asinum, vt pasceretur. Ille autem peruenit pascendo ad locum, vbi latebat abbas Isaac. Et manè facto, quærentes asinum, inuenerunt & senem: & mirati sunt. Cùm autem vellent eum ligare, dicit eis: Iam non fugio, quia scio ex iussione Dei esse; & quocumque fugero, ad hoc peruenturus sum.

Isaac honorem presbyterij fugiens, mirabiliter proditur.

MOTOIS. Ruff. lib. 3. n. 188. Pelag. libell. 15. num. 27.

3. Abbas Motois venit aliquando de loco qui vocatur Ragita, in partibus Gebilonis. erat autem cum eo etiam discipulus eius. Videns autem illum episcopus loci illius, tenens eum, inuitum presbyterum fecit. Et dum pariter comederent, dicit ei episcopus: Indulge mihi, abba: scio enim quia hunc honorem nolebas, sed ego à te benedici desiderans, hoc facere præsumpsi. Cui senex pro humilitate ait: Et mea cogitatio parum volebat, sed in hoc laboro, quia diuidi habeo à fratre qui mecum est, & solus non sufficio orationes meas implere. Dixitque ei episcopus: Si scis eum dignum, ordinabo & ego illum. Respondit abbas Motois: Si quidem dignus sit, nescio; vnum tamen scio, quia melior est me. Ordinauit autem & illum. Vterque tamen ita permanserunt vsque ad finem suum, vt ad altare, quantum ad oblationem sacrandam, numquam accederent. Vnde dicebat senex: Confido in Deum meum, quia non habeo grande iudicium propter ordinationem hanc, quia oblationem offerre non præsumpsi: nam ordinatio illorum est, qui sine culpâ sunt, iusti & immaculati; ego autem me benè cognosco.

Motois ob presbyterium à fratre diuidi metuit.

Ordinatio & oblatio est immaculatorum.

CAPVT XXXIV.

De eremo; & quare fugerunt in solitudinem.

ARSENII. Pelag. libel. 17. n. 5.

1. ABBAS Arsenius ab abbate Marco requisitus est aliquâdo, cur fugeret homines. At ille respondit: Scit Deus quia diligo homines, sed cum Deo pariter & hominibus esse non possum. Supernæ enim multitudines ac virtutes, vnius sunt voluntatis; homines verò & multas habent voluntates, & varias: & ob hoc Deum relinquere, & cum hominibus esse non possum.

Cur quis simul cum Deo & hominibus esse non possit.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. num. 192.

2. Quidam fratres dum linum ex Thebaidâ pergerent comparare, dixerunt: Per occasionem beatum Arsenium videamus. Quod cùm Daniel discipulus eius ei nuntiasset, præcepit vt pro quâ caussâ illic aduenissent de Alexandriâ, ab eis inquireret. Cùm ergo nuntiasset, quòd propter linum pergerent comparandum, respondit Arsenius: Ergo faciem meam non videbunt, quia non propter me, sed propter suum opus aduenerunt. Vade itaque, & susceptis eis fac obsequium, ac dimitte eos, dicens: Quia senex non potest vobis occurrere.

Arsenius occasionem excusationis captat, ne videatur ab hominibus.

BESARIONIS. Ruff. lib. 3. n. 194. Ioan. lib. 3. num. 1.

3. Abbas Besarion dum deambularet cum discipulo suo per eremum, venerunt ad quamdam speluncam. Et ingressi ibi, inuenerunt fratrem sedentem, & funiculum operantem, qui neque respexit in eos, neque salutauit eos, neque aliud locutus est eis. Dixit ergo abbas Besarion ad discipulum suum: Eamus hinc, quia non vult hic senex loqui nobiscum. Et profecti sunt ad Ioannem abbatem. Cùm autem reuerterentur, venerunt ad eamdem speluncam, & dixit abbas Besarion: Ingrediamur iterùm ad hunc fratrem, si fortè vel modò persuadeat illi Deus, vt loquatur nobiscum. Et cùm ingressi fuissent, inuenerunt eum mortuum. Et dixit discipulo suo: Veni, frater, componamus illum, quia propter eum Deus huc transmisit nos. Cùm autem sepelirent eum, inuenerunt quia mulier esset: & admirati sunt, & dixerunt: Quia magna misericordia Domini est, quia & mulieres colluctantur, & vincunt dæmonia. Et glorificantes Deum qui est protector omnium, ad propria redierunt, narrantes quæ viderant.

Frater silentij amans.

Mortuus femina apparet.

CAPVT XXXV.

Quæ sit obseruantia eremitæ.

MOYSIS. Ruff. lib. 3. n. 196.

1. ABBAS Moyses ad solitarios solebat proferre sermonem, dicens: Quatuor sunt principalia obseruantiæ regularis, id est, tacendi, seruandi mandata Dei, humiliandi semetipsum, & angustia paupertatis. Tres autem has virtutes homo difficilè possidet, vt semper lugeat, & semper suorum memor sit peccatorum, & omni horâ ponat sibi præ oculis mortem.

Quæ quatuor monacho obseruanda.

ANTONII.

2. Beatus Antonius solebat dicere: Patres antiqui egressi sunt in desertum, & ipsi sani

sani effecti, facti sunt medici: & reuersi, alios sanauerunt: ex nobis autem si quem egredi contigerit in desertum, antequam ipsi sanemur, curam alijs adhibemus: & reuertitur ad nos infirmitas nostra, & fiunt vltima nostra peiora prioribus, propter quod dicitur nobis: O medice, priùs tibi curam impende.

Medice teipsum priùs cura.
Lucæ 4.

CAP. XXXVI.

Qui sint similes vnius meriti fratres.

PIMENIONIS. Pelag. libell. 10. num. 52.

1. QVIDAM frater interrogauit Pimenionem abbatem, dicẽs: Qui sunt vnius meriti fratres? Respondit senex: Si fuerint tres simul, vnus quidem in omni verbo vel opere quiescens, alter autem infirmans & gratias agens, tertius verò cum mundâ conscientiâ illis obsequium faciens: hi tres vnius meriti sunt.

Qui tres vnius meriti fratres.

INCERTI.

2. Dixit senex: Iniuriari, aut mentiri, aut periurare, alienum à Christo est. Per has quatuor res anima maculatur, id est, si amicitiam quis cum potentibus habuerit, concupiscentijs carnalibus studens, vel si de proximo suo detractauerit, aut si per ciuitatem ambulans, oculos suos non custodierit: & si quamcumque notitiam cum muliere habuerit.

Quibus anima maculetur.

ARSENII. Ruff. lib. 2. num. 38. Pelag. libell. 18. num. 2.

3. Beatus Arsenius referebat, quòd cùm in propriâ cellâ resideret, vocem sibi audiret dicentem, vt egrederetur foràs propter opera manuum contemplanda. Et egressus, vidit hominem quemdam aquam de puteo haurientem, atque in vas perforatum mittentem, & aqua egrediens, refundebatur in puteum. Et iterùm parum progressus, vidit Æthiopem ex lignis à se concisis sarcinam facientem, quam cùm tentasset, & importabilem sensisset, alia iterùm ligna super ea congessit. Similiterque tentans, cum nec mouere potuisset, tamen alia addere ligna non destitit. Et iterùm progressus Arsenius, vidit ante portam ciuitatis duos iuuenes sedentes in equis: qui lignum transuersum portantes, ingredi non poterant ciuitatem. Lignum enim, quod ab eis portabatur, non eos permittebat intrare, & sequi vel humiliare alteri alter non volebat, & ita foris ciuitatem vterque remanserunt. Ille verò, qui hoc sancto Arsenio in spiritu ostendebat, dixit ei: Hic, quem priùs vidisti aquam de puteo haurire, & de vase perforato rursum in puteum fundere, similitudo est hominis facientis eleëmosynam, qui bonum opus imitatur efficere: sed quia in alijs operibus sæpe committit iniquitatem, propter hæc mala illud parum boni se coinquinans, perdit. Ille autem, quem vidisti ligna concidere, & grauem sarcinam addidisse, facereque grauiorem, homo est in peccatis plurimis constitutus, qui post pœnitentiam aliud super peccatis suis onus augmentat. Hi verò, quos transuerso ligno renitente, ciuitatem non posse ingredi conspexisti, sunt qui iugum miserabile videntur ferre superbiam, & alteri se humiliare noluerunt, vt per hoc emendati, viam Christi humilem sequerentur: atque ideò extra regnum Dei tam hi quàm illi remanserunt.

Arsenij visio de tribus hominum generibus.
Visionis explicatio.

4. Interrogauit frater abbatem Sisoium, dicens: Dimissa est mihi hereditas à parentibus meis: quid faciam de illâ? Respondit senex: Si dixero, Da illam in ecclesiam clericis, illi epulantur ex ipsâ. Si dixero, Da illam consanguineis tuis, nullam habebis mercedem. Si ergo vis implere mandatum diuinum, da hanc pauperibus & egenis, & perfectus eris.

SISOIS. Pelag. libell. 10. n. 56. titulo Pastoris. Append. Mart. n. 7.
Hereditas pauperibus vtiliter datur.

Temporalis profectus derelinquendus est propter amorem charitatis.

CAP. XXXVII.

1. ABBAS Sisoius dixit: Cùm fuissem aliquando in mercato, & sportellas meas fratri venderem, videns quia iracundia approximabat mihi, dimisi vascula mea fugiens.

SISOIS. Append. Mart. n. 11.
Ira fugâ quandoque reprimẽda.

2. Dixit abbas Ioannes: Ascenderam aliquando per viam eremi in Scithi, texens plectam: & audiui camelarium loquentem sermones vanos, & ne fortè irascerer, dimisi plectam meam, & fugi.

IOANNIS. Append. Mart. n. 12.
Iræ occasio vitanda.

3. Interrogauit frater abbatem Pimenium, dicens: Quid est quod Dominus dixit: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis? quomodo hoc facit? Respondit senex: Si quis audit verbum malum à proximo suo, & dum possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, & vim sibi facit, ne respondeat malum, vt contristet illum: iste talis animam suam ponit pro amico suo.

PIMENII. Ruff. lib. 3. n. 201. Pelag. libell. 17. num. 10. Append. Mart. n. 14. Ioan. 15.
Quid animam pro amico ponere.

4. Abbas Macarius dixit: Si reminiscimur malorum quæ ab hominibus patimur, perdimus memoriæ virtutem. Item dixit: Si autem recolimus malorum, quæ nobis à dæmonibus mittuntur, sine perturbatione erimus, scientes quòd ab initio bona Deus creauit, diabolus verò mala superseminauit. En sunt perditiones innumeræ. Et addidit, dicens: Culpa est monachi, si læsus à fratribus, primus in charitate purgato corde non occurrit. Nam Sunamitis non meruisset recipere Elisæum prophetam in domum suam, nisi quia cum nullo alio habuit caussam. Sunamitis enim in personâ est animæ, Elisæus verò in personâ Spiritus sancti figu-

MACARII. Pelag. libell. 10. num. 34. Append. Mart. n. 15.
Dæmon malorum superseminator.
Ioan. libell. 1. n. 7. titulo Incerti. Append. Mart. n. 16.

figuratus: quia nisi pura sit anima, non meretur suscipere Spiritum Dei. Ita ira inueterata excæcat oculos cordis, & animam excludit ab oratione.

CAPVT XXXVIII.

Quid lamentatio vel paupertas, quæ fit propter Deum, operetur.

ANTONII. 1. SANCTVM Antoniū requisiuit frater, dicens: Quid faciam pro peccatis meis? Respondit: Qui vult liberari à peccatis, fletu & planctu liberabitur ab eis: & qui vult ædificari in virtutibus, per fletum lacrymarum ædificatur. Ipsa laudatio psalmorum, planctus est. Memento exemplum Ezechiæ regis Iudæ, sicut scriptum est per Isaiam prophetam; qui flendo non solum sanitatem recepit, sed etiam per quindecim annos augmentum vitæ promeruit, & superuenientem hostis exercitum, videlicet centum & octogintaquinque millium, per lacrymarum eius rigationem, virtus Domini in mortem prostrauit. Sanctus Petrus apostolus flendo recepit, quod in Christum negando commiserat. Maria, quia cum lacrymis rigauit pedes Domini, meruit audire, se optimam partem elegisse. Ipse timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.

Lacrymarum virtus. Isai. 38.

MACARII Append. Mart. n. 23 2. Beatus Macarius dixit: In veritate, si facta est monacho despectio quasi laus, paupertas sicut diuitiæ, inopia sicut epulæ, numquam moritur. Impossibile est, benè credentem, & piè colentem Deum, cadere in passionem immundam & in errorem dæmonum.

Quis monachus non moritur.

CAPVT XXXIX.

In hac vitâ homo requiem inuenire non potest.

SISOIS. Append. Mart. n. 26. 1. ABBATEM Sisoium requisiuit frater: Post quantum tempus debet homo à se abscindere passiones? Respondit: Scriptum est in Euangelio, Quia peccatores Deus non audit; sed qui cultor Dei est, & voluntatem eius facit. Ideò cùm venerit impugnatio, abscide illam, quia fragilis est anima: antè armetur quàm à peccatis inquinetur.

Ioan. 9. *Semper armanda anima.*

PIMENII. Ruff. lib. 3. n. 100. Pelag. libell. 9. n. 8. Append. Mart. n. 39. 2. Abbatem Pimenium interrogauit frater: Quid faciam, quia conturbant me cogitationes sedentem in cellâ? Respondit: Neminem despicias, nullum diiudices, de nullo malè loquaris: & Deus dabit tibi requiem, & statuet sessionem tuam sine conturbatione. Custodiam enim seniorum, & quietem ipsorum considera. Meditare in diuinis officijs, & scias horas canonicas die ac nocte. Timor Domini non discedat à corde tuo: & non glorieris, neque te æstimes cum iustis: & ex omni virtute tuâ custodi, vt non facias propriam voluntatem.

Vnde quies.

EIVSDEM. Ruff. lib. 3. n. 104. tit. Io Incerti. Append. Mart. n. 41. 3. Idem dixit: Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insidunt in eam, & faciunt vermes: ita & monachum succensum igne diuini Spiritus, dæmones fugiunt; tepidum verò illudunt & insequuntur.

Feruor Spiritus.

CAP. XI.

Vnde vitia oriuntur.

ANTONII. 1. SANCTVM Antonium requisiuit frater: Quomodo Deus repromittit bona animæ per assiduitatem Scripturarum, & non vult anima in bonis permanere, sed declinat ad transitoria, caduca, & immunda? Respondit: Ad hoc iungitur quod Psalmista ait: Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiet Deus. Ignoras quòd cùm venter plenus fuerit escâ, statim ebulliunt magna vitia, quæ Saluator noster per Euangelium prædixit: Non coinquinat, quod in os intrat, animam hominis: sed de corde exeunt, quæ in interitum demergunt hominem. Vide quid dixerit primùm: Cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ. Quia qui necdum gustauit dulcedinem cælestium, vt ex toto corde exquirat Deum, ideò ad immunda reuertitur. Quis poterit rectè dicere, Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Psal. 65. *E ventre pleno ebulliunt vitia.* Matth. 15. Psal. 72.

CAP. XII.

Qualiter virtutes obtinere oportet.

INCERTI. Append. Mart. n. 46. 1. QVEMDAM senem requisiuit frater, dicens: Doce me, pater. Et dixit ei: Vade, ama tibi ipse vim facere. Euagina gladium tuum, & exi in bellum. Dixit ei frater: Non me permittunt cogitationes. Respondit senex: Scriptum est: Inuoca me in die tribulationis tuæ: eripiam te, & glorificabis me. Inuoca ergo Deum, & eripiet te.

Contra cogitationes Deum inuoca. Psal. 80.

INCERTI. Pelag. libell. 10. n. 94. 2. Perrexerunt duo fratres ad vnum senem sanctum in Scithi sedentem singularem; dixitq; vnus ex illis: Abba, omne vetus & nouum Testamentum memoriter didici. Dicit ei senex: Implesti aërem verbis. Et alter dixit: Ego & vetus & nouum Testamentum totum scripsi, & penes me habeo. Et huic respondit: Et tu implesti fenestras tuas chartis. An ignoratis qui dixit: Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute. Et iterùm: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Inquirebant ergo ab eo viam salutis. Ille autem dixit eis: Initium sapientiæ timor Domini, & humilitas cum patientia. Omnibus his insertis vtentibus, pauca sufficiunt.

Non ex sermone sed ex virtute regnum Dei. 1. Cor. 4. Rom. 2. Psal. 110.

Quo-

CAP. XLII

Quomodo in cœnobiis viuendum sit.

AGATHONIS. Ruff. lib. 3. n. 198. Pelag. libell. 10. num. 8.

1. CVM quidam adolescens frater abbatem Agathonem requireret, dicens: Volo permanere cum fratribus; dic mihi quomodo habitem cum ipsis? Respondit ei senex: Obserua præ omnibus hoc, vt qualis primo die ingrederis apud ipsos, talis reliquum peragas tempus, & cum quiete adimplebis peregrinationem tuam. custodi enim, ne quando fiduciam loquendi assumas, dicente Apostolo: Nemo militans Christo, implicat se negotijs sæcularibus.

Primus nouitiatus feruor semper conseruandus. 2. Tim. 2.

EIVSDEM. Append. Mart. num. 10.

2. Item dixit Agathon: Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea: quæ si iniuriatur, non irascitur: si glorificatur, non extollitur.

Instar columnæ immobilis esto.

NESTERONIS. Pelag. libell. 15. num. 30.

3. Abbas Pimenius abbatem Nesteronem sedentem in cœnobio requisiuit, dicens: Vnde adeptus es hanc virtutem, frater, vt quotiescumque tribulatio contigit in cœnobio, neque loquaris, neque mediator accedas? Et cùm nollet dicere, posteà compulsus à sene, dixit: Indulge mihi, abba; quia in principio quando ingressus sum, dixi cogitationi meæ: Ecce tu & hic asinus estis pares. Sicut enim hic asinus vapulat, & non loquitur; iniuriatur, & nihil respondet: ita ergo esto & tu, nam sic dicit & psalmus: Vt iumentum factus sum apud te; & ego semper tecum.

Contra tribulationes cogita, Ego & asinus vnum sumus.

Psal. 72.

ANVB. Ruff. lib. 3. n. 199. penè ad verbum. Pelag. libell. 15. num. 11.

4. Cùm aliquando gens Mazicorum in Scithi superueniens, multos ex patribus occidisset, abbas Pimenius vnà cum alio patre seniore, nomine Anub, & cum alijs quinque patribus fugiens inde, venit ad locum qui dicitur Terenuthi: & inuenerunt ibi templum antiquum desertum, & manserunt in eo hi septem pariter, donec cognoscerent vbi vnusquisque in Ægypto mansurus esset. Decreuerunt autem inter se, dicentes: Septimanâ hac vnusquisque requiescat apud se, & alter ad alterum non loquatur. Cùm autem id facerent, erat in templo illo statua cuiusdam idoli. abbas ergo Anub exurgens, manè lapidabat eam in facie: & vespere veniens, dicebat ad eam: Peccaui, indulge mihi. & sic fecit per totam hebdomadam. Die autem Sabbati cùm venissent pariter, dixit ei abbas Pimenius: Quid voluisti hac totâ hebdomada facere, vt homo fidelis diceres idolo, Indulge mihi. Dixit ei senex Anub: Hoc ego propter vos feci. dicite mihi, numquid quando hoc idolum lapidabam, locutum est aut iratum? aut quando indulgentiam petebam, numquid exaltauit se aut gloriatum est? Cui abbas Pimenius respondit: Non vtique. Tunc dixit senex: Fratres ecce septem sumus, si vultis ergo pariter manere, vt lucrum animæ faciamus, sit idolum nobis istud in exemplum, ne quando iniuriatur aliquis, irascatur; nè quando ab eo venia petitur, glorietur, aut extollatur: si autem ita non vultis, vnusquisque vadat, quò vult. At illi proijcientes se in terram, spoponderunt se ita facturos: & sic permanserunt per multos annos, cum magnâ humilitate & abstinentiâ; vnum ex ipsis facientes dispensatorem. Et erat eis perfectio, & vnum desiderium: & quidquid positum esset in mensâ, reficiebantur, nullo dicente: Adfer nobis illud: aut, Istud nolo comedere. Quatuor siquidem horas dormiebant in nocte, & quatuor psallebant, & quatuor operabantur. In die verò per interualla horarum officijs diuinis insistebant, operantes & legentes, & fundentes folia palmarum, vsque ad horam nonam. Post hoc verò victum sibi præparabant, colligentes quasdam herbas terræ.

Anub, nec laude nec iniuriâ moueri, fratres suos exemplo statuæ docet.

Ratio viuendi Anub cum socijs.

Quæ sit obseruantia spiritualis disciplinæ.

CAP. XLIII.

SERAPIONIS. Append. Mart. n. 106 tit. Incerti.

1. QVIDAM frater requisiuit sanctum Serapionem abbatem, habentem sub regimine suo decem millia monachorum, dicens: Alij fratres de cœnobio elegerunt me, vt ego illis præcipiam; ostende mihi, quomodo iubes? Respondit Serapion: Durum est meum fortassè imperium. Nam Dominus noster Iesus Christus per Euangelium suum instituit, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et cùm discipuli de primatu inter se disceptarent, quis eorum esset senior, ait ad eos: Si quis voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister, & quicumque voluerit in vobis prior esse, erit omnium seruus. Petrus apostolus in epistolâ suâ monet pastores: Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed voluntariè secundùm Deum: nec turpis lucri gratiâ, sed forma estote gregis, & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Ita facito priùs quod præcipis, vt non tantùm illis præcepta, sed formulam præbeas, vt tua imitentur exempla. Ne sis mercenarius, sed pastor ouium: quia Saluator noster beatum dixit, quem constituit super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.

Qualis esse debeas prælatus.

Ioan. 14.

Marc. 10.

1. Pet. 5.

Qui præest, exemplo præire debet.

Matth. 24.

SILVANI. Append. Mart. n. 108.

2. Interrogauit abbas Moyses abbatem Siluanum, dicens: Potest homo per singulos dies apprehendere conuersationis initium? Respondit: Oportet enim apprehendere vnumquemque aliquid ex omnibus. Surgens manè, sumat initium sapientiæ: in omni virtute, & in omni mandato Dei, in magnâ

Manè bona proposita statuenda.

magnâ patientiâ, & longanimitate. & charitate Dei, cum humilitate animæ & corporis, in multâ sustentatione & commoratione cellæ, in oratione & deprecatione, cum gemitu, cum puritate cordis & oculorum, & custodiâ linguæ ac sermonum, in abrenuntiatione rerum materialium, desideriorum carnis, cruciationem habentes in certamine, in continentiâ spiritali & agone pugnæ, in pœnitentiâ & luctu, in simplicitate animæ & taciturnitate, in ieiunijs & vigilijs nocturnis, in operatione manuū, secundum quod dicit apostolus Paulus, operantes manibus vestris, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus & angustijs & persecutionibus, in foueis & speluncis & cauernis. Esto factor verbi, & non auditor tantùm, operans talentum in duplum, habés vestem nuptialem, firmatus supra firmam petram.

1.Cor.11. Iacob.1.

Eleemosyna & fides non te derelinquant. Cogitans esto, omni die mortem vicinam esse: & quasi iam clausus in monumento, nihil de hoc sæculo cures, quia sollicitudo sæculi & cupiditas diuitiarum, hæc sunt spinæ, quas Dominus cauere dixit in Euangelio, quæ bonum semen suffocant. Inedia escarum, humilitas & luctus non recedant à te: quia Dominus dissipat ossa hominum sibi placentium. Timor omni horâ permaneat in te, sicut scriptum est: Propter timorem tuum, Domine, in vtero concepimus, & doluimus, & peperimus spiritum salutis. Hæc ergo, & si qua alia virtus est, in his prospice: & ne te mensures cum magnis, aut iustum te æstimes: sed te crede inferiorem esse totius creaturæ, id est, viliorem quouis homine peccatore. Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Non diiudices proximum, neque despicias aliena delinquentium, sed tua plange peccata, & de nullius hominis actu sollicitus sis. Esto mansuetus spiritu, & non iracūdus. Nihil in corde tuo, neque odium, neque contra inimicum aliquid sine caussâ habeas: neque despicias eum in tribulatione eius, neque reddas malum pro malo, sed esto pacificus cum omnibus: hoc est vinculum perfectionis. Non te credas malum facienti, neque congaudeas ei qui fecit proximo suo malum. Non detrahas alij; quia Deus iudex & testis est in omnibus. Ne oderis aliquem propter peccatum eius, quia scriptum est: Nolite iudicare, vt non iudicemini. Dum alium arguis, vide ne peiora committas. Non despicias peccantem, sed ora pro illo, vt Deus illi det conuersionem ad pœnitentiam: & si audieris de aliquo, quòd agat iniqua, responde dicens: Numquid ego horum sum iudex? homo

Ruff. lib. 3. n. 206. titulo *Incerti.* Pelag libell. 10. n. 63. titulo *Moysis.* Append. Mart. num. 108. Luc. 8. Isaiæ 26. Galat. 6. Matth. 7.

sum peccator, mortuus sub peccatis meis. Mortuus enim caussam non habet curare pro aliquo. Qui hæc omnia procurat & cogitat, operarius est omnis iustitiæ, dum de Christo redemptore nostro Propheta denuntiet, dicens: Ego autem sum vermis, & non homo. Et alius propheta Abacuc dicit: Lapis de pariete clamauit, & scarabeus de ligno loquitur: nos verò dum in multis extollimur, in multis supplantamur. Qui verò hæc custodit, viuit sub gratiâ & virtute Domini nostri Iesu Christi.

Psal. 21. Abac. 2.

§ De meditationibus duodecim anachoretarum. Cap. XLIV

ANACHORETÆ aliquando sapientes, sancti & spiritales, duodecim numero, congregati in idipsum, expetierunt à semetipsis, dicere vnumquemque quæ emendauerit in cellâ suâ, & quam meditationem meditatus sit spiritaliter.

1. Et dixit primus, qui & senior eorum: Ego, fratres, ex quo cœpi quiescere, totum crucifixi meipsum his quæ extrinsecus sunt actionibus, reminiscens quod scriptum est: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Et velut murum faciens inter animum & corporales actus, dixi in mente meâ: Quemadmodum is qui intra murum est, stantem foris non videt: sic nec tu velis exteriores actus adspicere, sed teipsum intuere, sustinens quotidie spem Dei. Sic autem habeto malignas cogitationes aut malas concupiscentias, sicut serpentis & scorpionum prolem. Si quando autem eas in corde meo nasci sensero, attendens illas cum comminatione & irâ arefacio eas: nec vmquam cesso, irascens corpori & menti meæ, nequid prauum faciat.

Psal. 2. *Ab externis rebus animus sequestrandus.*

2. Secundus ait: Ego dixi, ex quo renuntiaui terræ: Hodie renatus es, hodie cœpisti seruire Deo, hodie hîc inhabitare cœpisti: sic esto quotidie peregrinus, & crastino liberandus. hoc mihi quotidie consulebam.

Semper se incipere cogita.

3. Tertius dixit: Ego diluculò adscendo ad Deum meum: & adorans illum, iacto me in faciem meam, confitendo culpas meas: & sic descendens, adoro angelos Dei, rogans illos supplicare Deo pro me, & omnem creaturam. Et cùm ista adimpleuero, vado ad abyssum: & quid Iudæi faciunt, Ierosolymis euntes, concidentes se, & lacrymantes ac lugentes casum patrum suorum. Hoc ego circuiens & exspectans, propria membra tormentis subdo, & cum plorantibus ploro.

Diluculò ad Deum ascendendum.

4. Quartus ait: Ego sic sum, ac si in monte oliuarum sedens cum Domino & disci-

Cælestium cogitatio. pulis eius. Et dixi mihi: Nullum agnoscas secundùm carnem, sed cum his esto semper cælestis conuersationis imitator, sicut bona Maria Magdalena ad pedes Iesu sedens, *Matth. 5.* & verba eius audiens. Efficiamini sancti & *Matth. 11.* perfecti sicut & Pater vester qui in cælis est. &, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Memoria finis. 5. Quintus ait: Ego Angelos adspicio, adscendentes & descendentes ad vocationem animarum, & semper finem meum oppe-*Psal. 107.* rior, dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Consideratio præsentia Dei nobiscum. 6. Dixit sextus: Ego per dies singulos statui verba mea audiri à Domino, putans mihi dici: Laborate propter me, & ego quiescere faciam vos. Adhuc modicùm decertate, & videbitis salutare meum, & gloriam meam. Si diligitis me, si filij mei estis, ad patrem rogantes reuertimini. Si fratres mei estis, erubescite pro me, quemadmodum propter vos multa perpessus sum. Si oues meæ estis, Dominicam passionem sequimini.

Fides, spes, charitas, semper sint in mente, ore. 7. Septimus ait: Ego ista assiduè meditor, & sine intermissione colloquor mihi, fidem, spem, & charitatem: vt spe quidem gaudeam, dilectione verò neminem aliquando contristem, & fide corroborem.

Vigilantia contra diabolum. 8. Octauus ait: Ego volentem diabolum exspecto, quærentem quem deuoret. Et vbicumque ierit, exspecto illum interioribus oculis meis, & Dominum Deum aduersus illum interpello, vt sine effectu maneat, & in nullo præualeat, maximè in timentibus Deum.

Cælestis gloriæ exspectatio. 9. Nonus ait: Ego quotidie ecclesiam intellectualium virtutum exspecto, Dominum gloriæ in medio earum video super omnes splendentem. Quando autem abscedam ab eo, ascendo in cælum, exspectans admirandas pulchritudines Angelorum, & quos emittunt hymnos incessabiliter Deo, & dulces eorum cantilenas: differor-*Psal. 18.* que sonis ac vocibus & suauitate, vt libeat reminisci quod scriptum est: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum. Et omnia quæ super terram sunt, sicut cinerem & stercora opinor.

Angelus custos verendus. 10. Decimus ait: Ego Angelum meum assistentem mihi iuxta me exspecto: & custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens: Prouidebam Dominum in con-*Psal. 15.* spectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Timeo igitur eum, vt custodientem vias meas, & quotidie adscendentem ad Deum, & insinuantem actus meos & verba.

11. Vndecimus ait: Ego personam imponens virtutibus, veluti si abstinentiæ, castitati, benignitati, dilectioni, in meipsum steti: *Virtutum personatarum circumuallatio.* & circumdans mihi illas, & vbicumque iero, dico mihi ipsi: Vbi sunt sequaces tuæ? Ne pusillanimis sis, ne deficias, habens iuxta te ea semper. Quæcumque libent, loquere de virtute, vt post mortem testificentur de te coram Deo, quia inuenerunt requiem in te.

12. Duodecimus ait: Vos quidem, patres, cælestem habentes conuersationem, cælestem & sapientiam possidetis. Nihil mirum. Eleuatos vos operibus video, & superiora sectantes. Quid dicam? Virtute enim etiam transpositi estis terram, vosmetipsos ex toto alienantes ab eâ. Quid dicam? Vos terrenos angelos, & cælestes homines dicens, non peccauerim. Ego verò me *Profunda humilitas, & tormentorum in inferno memoria.* his indignum iudicans, video quòd peccata mea, vbicumque iero, præcedunt me semper ad dexteram & ad sinistram: in infernum verò adiudicaui meipsum, dicens: Esto cum his quibus dignus es, istis post modicum annumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus & incessabiles lacrymas, quæ à nullo referri queunt. Aspicio quosdam stridentes dentibus, & salientes toto corpore, & trementes à capite vsque ad pedes. Et iactans me super terram, & amplectens cinerem, deprecor Deum, numquam casuum me illotum experimenta accipere. Video & mare ignis bullientis immensibile; & circumfluentes & mugientes, vt putent aliqui vsque ad cælos attingere fluctus ignis, & in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos ab agrestibus: & vnâ voce omnes illos clamantes & vlulantes simul, quales nemo super terram vlulatus & voces vmquam audierat; & sicut arentia omnis virgulti cremare: misericordiâ autem Dei auertente se ab illis propter iniustitias eorum. Et tunc lamento genus hominum, quòd audeat loqui vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans, quod ait Dominus, indignum me cælo & terrâ iudicans, reputansque quod scriptum est: Factæ sunt mihi lacrymæ meæ *Psal. 41.* panes die ac nocte.

Hæc sapientium & spiritualium responsa patrum. Et veniat & in nos digna memoria, vt narrationem conuersationis opere ostendere possimus, vt facti inuituperabiles, & perfecti, & irreprehensibiles, placeamus Saluatori nostro. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN LIBRVM SEPTIMVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

PAVCA hoc libro notanda sunt, cùm vel ex margine, vel ex antedictis lux affulgeat.

CAP. XII. Num. 8. 1. LEBETONE.] *Pelagius libello* VIII. *num.* 18. *habet* sacco. *Vide Onomasticon.*

CAP. XIX. Num. 3. 2. EVLOGIVS.] *Eadem historia sensu eodem apud Pallad. cap.* XXVI. *quem Heruetus Latinam reddidit. Dissentit ab eo Paschasius in quorumdam vocabulorum translatione, uti & vetus Palladij interpres. Ecce locum vnum, sed insignem, num.* 4.

3. SCHOLASTICVS.] *Varia huius vocis significatio. Ferè pro aduocato, vel declamatore accipitur. Vide Onomasticon.*

5. FVGITIVE, QVI PROPRIAM DOMVM DEVORASTI, FVRATVSQVE ES ALIENAM SVBSTANTIAM.] *Vetus Palladij interpres:* Multa mala commisisti, fugitiue forsitan domini tui, alienas pecunias furatus es. *Heruetus, recentior Palladij interpres:* Abi hinc scelerate fugitiue, suffuratus es alienas pecunias, & dominum spoliasti. *Quæ Meursius in Glossario suo ex Græco MS. sic repræsentat:* Σχάτα, γλύπτον, φαγοκύει, ἀλλότρια χρήματα ἔκλεψας. *Qui tamen vnicâ dictione & per κ legit* σκατογλύπτων: *vultque Palladio* σκατογλύπτων *idem esse quod* σκατοφάγος *Aristophani, id est,* stercorimanducus. *Eidem Meursio* φαγοκύει *est* dominus helluo. *Non potiùs,* domini helluo, *si is sensus placet; quod Herueto* dominum spoliasti? *Paschasius etiam videtur legisse* φαγοκύεις, *sed alio sensu. nam vertit,* propriam domum deuorasti. *quare illi* φαγοκύεις *est, quasi* κυρίων φάγος propriarum rerum deuorator. *& facilis à suarum rerum dilapidatione ad furtum gradus est, quare & ritè hæc coniunguntur,* sua deuorasse, & aliena furatum esse. *Vetus Palladij interpres legisse videtur* φυγοκύει: *vertit enim,* fugitiue domini tui. *Quod idem Meursius ex* χάτα, γλύπτον, *facit* σκατογλύπτων, *nondum probare possum potiùs dixerim esse ea duo verba probrosa, etsi nunc non ita cognita.*

5. DE MEDITATIONIBVS.] *Quia in tempore ex Augustanâ Bibliothecâ, promptissimè submittente Dauide Hœschelio, hoc ipsum caput Græcè expressum accepi, iuuat hîc subnectere.*

Διήγησις ιβ´ πατέρων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντων περὶ τῶν οἰκείων κατορθωμάτων.

ΑΝΑΧΩΡΗΤΑΙ ποτὲ σοφοὶ καὶ πνευματικοὶ, δώδεκα τὸν ἀριθμὸν, συναχθέντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ἀπῄτησαν ἑαυτοὺς, εἰπεῖν ἕκαστον ὃ κατώρθωσεν ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ, καὶ ποίαν ἄσκησιν ἤσκησε καὶ πνευματικὴν ἀρετήν.

Καὶ εἶπεν ὁ πρῶτος, ὁ καὶ πρεσβύτερος ἐξ αὐτῶν· Ἐγὼ, ἀδελφοὶ, ἀφ' οὗ ἠρξάμην ἡσυχάζειν, ὅλον ἐσταύρωσα ἐμαυτὸν τοῖς πράγμασιν, ἐννοῶν τὸ γεγραμμένον· Διαῤῥήξωμεν τοὺς δεσμοὺς αὐτῶν, καὶ ἀποῤῥίψωμεν ἀφ' ἡμῶν τὸν ζυγὸν αὐτῶν, καὶ τεῖχος ὥσπερ ποιήσας ἀνὰ μέσον τῆς ψυχῆς μου καὶ τῶν σωματικῶν πραγμάτων, εἶπον ἐν τῇ διανοίᾳ μου· Ὅτι ὥσπερ ὁ ἔσω τοῦ τείχους οὐχ ὁρᾷ τὸν ἔξω ἑστῶτα, οὕτω μηδέ σὺ θελήσῃς ὁρᾷν τὰ τῶν ἐκτὸς πράγματα, ἀλλὰ * σαυτῷ πρόσεχε, ἐκδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τοῦ Θεοῦ σου. Οὕτω δὲ ἔχων τὰς πονηρὰς ἐπιθυμίας, ὡς ὄφεις καὶ γεννήματα ἐχιδνῶν, ὅταν αἴσθωμαι ἐν τῇ καρδίᾳ μου φυομένας ταύτας, προσέχων αὐταῖς μετ' ἀπειλῆς καὶ ὀργῆς, καὶ ξηραίνω αὐτὰς, καὶ οὐκ ἐπαυσάμην ποτὲ ὀργιζόμενος τῷ σώματί μου καὶ τῇ ψυχῇ μου, ἵνα μηδὲν φαῦλον ποιήσωσιν. α'.

Psal. 2. v. 3.

* Deut. 15. vers. 9. in quâ Moysis præceptionem extat homilia Basil. M.

Ὁ δεύτερος λέγει· Ἐγὼ εἶπον ἐμαυτῷ, ἀφ' οὗ ἀπεταξάμην τῇ γῇ, ὅτι σήμερον ἀνεγεννήθης, σήμερον ἐνταῦθα παροικῆν ἤρξω· Οὕτως ἔσο καθ' ἑκάστην, ὡς ξένος, καὶ αὔριον ἀπαλλαττόμενος. Καὶ τοῦτο ἐμαυτῷ καθ' ἑκάστην συμβουλεύω. β'.

Ὁ τρίτος· Ἐγὼ ἀπὸ πρωΐας ἀνέρχομαι πρὸς τὸν Κύριόν μου, καὶ προσκυνήσας αὐτῷ, ῥίπτω ἐμαυτὸν ἐπὶ πρόσωπόν μου, ἐξομολογούμενος τὰ παραπτώματά μου. Καὶ οὕτω καταβαίνω προσκυνῶν τοὺς Ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ, εὐχόμενος ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ πάσης τῆς κτίσεως. Καὶ ὅτ' ἂν τοῦτο ἐπιτελέσω, κατέρχομαι ἐν τῇ ἀβύσσῳ. Καὶ ὥσπερ οἱ Ἰουδαῖοι ποτὲ, ἐπὶ Σοδόμοις καὶ Γομόῤῥοις ἀπιόντες, καὶ περιχιζόμενοι, καὶ δακρύοντες ἐπὶ τῇ συμφορᾷ τῶν πατέρων αὐτῶν, οὕτω κἀγὼ περιέρχομαι τὰς κολάσεις, καὶ θεωρῶ τὰ ἴδια μέλη βασανιζόμενα, καὶ κλαίω μετὰ κλαιόντων. γ'.

Ὁ δὲ τέταρτος ἔφη· Ἐγὼ οὕτως εἰμὶ ὡς ἐν τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν καθήμενος, μετὰ τοῦ Κυρίου καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ, καὶ εἶπον ἐμαυτῷ· Ἀπὸ τοῦ νῦν μηδένα γίνωσκε κατὰ σάρκα· ἀλλὰ μετ' αὐτῶν ἔσο διὰ παντὸς τὸν ζῆλον αὐτῶν καὶ τὴν πολιτείαν μιμούμενος, ὡς ἡ καλὴ Μαρία παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου καθημένη, καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ ἀκούουσα· Γίνεσθε ἅγιοι, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι· γίνεσθε οἰκτίρμονες, ὡς ὁ Πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· γίνεσθε τέλειοι, ὡς ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ, Μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. δ'.

1. Pet. 1. 16.
Lucæ 6. 36
Mat. 5. 48
Ibid. 11. 29

Ὁ δὲ πέμπτος εἶπεν· Ἐγὼ τοὺς Ἀγγέλους θεωρῶ πάσαις ὥραις ἀνερχομένους καὶ κατερχομένους εἰς τὴν κλῆσιν τῶν ψυχῶν. καὶ διὰ παντὸς τὸ τέλος προσδοκῶν, λέγω· Ἑτοίμη ἡ καρδία μου ὁ Θεός. ε'.

Ὁ ἕκτος λέγει· Ἐγὼ καθημέραν νομίζω τούτους τοὺς λόγους ἀκούειν παρὰ τοῦ Κυρίου· Κάμετε δι' ἐμὲ, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. ἔτι μικρὸν ἀγωνίσασθε, καὶ ὄψεσθε τὸ σωτήριόν μου καὶ τὴν δόξαν μου. Εἰ ἀγαπᾶτέ με, τὰς ἐντολάς μου τηρήσατε. Εἰ τέκνα μου ἐστὲ, ὡς πατέρα καλοῦντα αἰσχύνθητέ με, ὡς πολλὰ ὑπομείναντα δι' ὑμᾶς. Εἰ πρόβατά μου ἐστὲ, τῆς φωνῆς τοῦ ποιμένος ἀκούσατε. Εἰ δοῦλοί μου ἐστὲ, τοῖς δεσποτικοῖς ἀκολουθήσατε παθήμασιν. ϛ'.

Mat. 11. 28
Ioan. 14. 15.
Ioan. 10. 27.

Ὁ ἕβδομος εἶπεν· Ἐγὼ τὰ τρία ταῦτα συνεχῶς μελετῶ, καὶ ἀδιαλείπτως ἐπιλέγω ἐμαυτῷ, ἐλπὶς, πίστις, ἀγάπη· ἵνα ζ'.

ἵνα τῇ μὲν ἐλπίδι χαίρω, τῇ δὲ πίστει στηρίζωμαι, τῇ δὲ ἀγάπῃ μηδένα λυπήσω ποτέ.

η'. Ὁ ὄγδοος ἔφη, Ἐγὼ * πί.. μετὰ τὸν διάβολον θεωρῶ, καὶ ὅπου
* ἰσ. πέσοντα δ' ἂν ἀπέλθω, θεωρῶ αὐτὸν τοῖς ἔσωθεν ὀφθαλμοῖς, καὶ τῷ δεσπότῃ Θεῷ ἐντυγχάνω κατ' αὐτοῦ, ἵνα ἄπρακτος μείνῃ, καὶ ἐν μηδενὶ ἰσχύσῃ. καὶ μάλιστα κατὰ τῶν φοβουμένων τὸν Κύριον.

θ'. Ὁ ἔνατος ἔφη, Ἐγὼ καθ' ἡμέραν τὴν ἐκκλησίαν τῶν ὁσίων θεωρῶ, καὶ τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐν μέσῳ αὐτῶν ὑπὲρ πάντας λάμποντα. ὅταν δὲ ἀκηδιάσω, ἀνέρχομαι εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ θεωρῶ τὰ κάλλιστα τάγματα τῶν Ἀγγέλων, καὶ τοὺς ὕμνους, οὓς ἀναπέμπουσιν ἀπαύστως τῷ Θεῷ, καὶ τὰς μελῳδίας· καὶ μετεωρίζομαι ὑπὸ τῶν φθόγγων καὶ τῶν φωνῶν, ὡς ἐννοῆσαι τὸ γε-
Psal.18.2. γραμμένον· Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ, καὶ πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς σποδὸν καὶ σκύβαλα ἡγοῦμαι.

ι'. Ὁ δέκατος εἶπε, Διόλου ἐγὼ τὸν Ἄγγελον τὸν φυλάσσοντά με θεωρῶ πλησίον, καὶ τηρῶ ἐμαυτὸν ἐννοῶν τὸ γεγραμμένον·
Psal.15.8. Προωρώμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντός· ὅτι ἐκ δεξιῶν μού ἐστιν, ἵνα μὴ σαλευθῶ. Φοβοῦμαι οὖν αὐτόν, ὡς τηροῦντά μου τὰς ὁδούς, καὶ καθ' ἑκάστην ἀνερχόμενον πρὸς τὸν Θεόν, καὶ ἐμφανίζοντά μου τὰ ἔργα καὶ τοὺς λόγους.

ια'. Ὁ ἑνδέκατος ἔφη, Ἐγὼ πρόσωπον ἐπιθεὶς ταῖς ἀρεταῖς, οἷον τὴν ἐγκράτειαν, τὴν σωφροσύνην, τὴν μακροθυμίαν, τὴν ἀγάπην, εἰς ἐμαυτὸν ἔσχον, κυκλώσας μου αὐτάς. ὅπου δ' ἂν ἀπέλθω, λέγω· Ποῦ εἰσιν οἱ παιδαγωγοί σου, μὴ ὀλιγωρήσῃς, μὴ ἀκηδιάσῃς, ἔχων αὐτὰς ἐγγύς μου διὰ παντός. οἷα θέλεις ὁμίλει περὶ ἀρετῆς, ἵνα μετὰ θάνατόν σου μαρτυρήσωσιν ὑπέρ σου τῷ Θεῷ. ὡς εὑρῆσαι ἀνάπαυσιν ἐν σοί.

ιβ'. Ὁ δωδέκατος ἔφη, Ὑμεῖς μέν, πατέρες, οὐράνιον ἔχοντες πολιτείαν, οὐράνια καὶ τὰ φρονήματα κέκτησθε. καὶ οὐδὲν θαυμαστόν. ἀπηρτισμένους γὰρ ἡμᾶς ὁρῶ τοῖς ἔργοις, καὶ τὰ ἄνω διώκοντας. καί, τί εἴπω; καὶ ταῖς διανοίαις ἐπαίρεσθε. τῇ γὰρ δυνάμει μετατίθεσθε ἀπὸ τῆς γῆς, οἱ ἑαυτοὺς παντελῶς ἀπαλλοτριώσαντες ἐξ αὐτῆς. Τί εἴπω ὑμᾶς; ἐπιγείους Ἀγγέλους, καὶ οὐρανίους ἀνθρώπους, καὶ οὐκ ἂν ἁμάρτοιμι. ἐγὼ δὲ ἔτι ἐμαυτὸν τοῦ τοιούτου κρίνω ἀνάξιον. ὅπου δ' ἂν ἀπέλθω ἢ περιστραφῶ, ἔμπροσθέν μου καθορῶ περιλαμβανούσας τὰς ἁμαρτίας μου. καὶ * ὁρῶ ἐν δεξιᾷ καὶ ἀριστερᾷ, ἐν τοῖς καταχθονίοις, ἑαυτὸν καταδικάσας λέγω· Ἔσῃ μετὰ τούτων, ὡς εἶ ἄξιος, ἐν τούτοις γὰρ μικρὸν ὕστερον καταλογισθήσῃ. θεωρῶ οὖν ἐκεῖ, πατέρες, οἰμωγὰς καὶ δάκρυα ἄπαυστα, ἃ οὐδεὶς δύναται διηγήσασθαι. θεωρῶ τινὰς βρύχοντας τοὺς ὀδόντας, καὶ παλλομένους ὅλῳ τῷ σώματι, καὶ τρέμοντας ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν. καὶ ῥίψας ἐμαυτὸν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ σποδὸν καταπασάμενος, ἱκετεύω τὸν Θεόν, τῶν συμφορῶν ἐκείνων πεῖραν μὴ λαβεῖν. βλέπω δὲ καὶ θάλασσαν πυρός, καχλάζουσαν ἀμετρήτως καὶ διαφυσῶσαν, καὶ μυκωμένην· ὡς νομίσαι τινὰ ἕως τοῦ οὐρανοῦ φθάνειν τὰ μυκήματα τοῦ πυρός. καὶ ἐν τῇ φοβερᾷ ἐκείνῃ θαλάσσῃ ἀναριθμήτους ἀνθρώπους, ἐρριμμένους ὑπὸ φοβερῶν καὶ ἀγρίων ἀγγέλων, καὶ μιᾷ φωνῇ πάντας βοῶντας, καὶ ὀλολύζοντας ὁμοῦ, οἵας οὐδεὶς ἤκουσεν ἐπὶ γῆς ὀλολυγὰς καὶ φωνάς· καὶ ὥσπερ φρύγανον πάντας καιομένους· καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ Θεοῦ ἀποστρεφομένους ἀπ' αὐτῶν, διὰ τὰς ἀνομίας αὐτῶν. καὶ τότε θρηνῶ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, πῶς τολμᾷ καὶ λαλῆσαι λό-
γον, ἢ προσέχειν τινί, τοσούτων κακῶν ἀποκειμένων τῷ κόσμῳ. καὶ Mat.5.5.
ἐν τούτοις μου κρατῶ τὴν διάνοιαν, τὸ πένθος ἀσκῶ, ὃ εἶπεν ὁ Κύριος, ἀνάξιον καὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς ἐμαυτὸν κρίνας, λογι-
ζόμενος τὸ γεγραμμένον, Ἐγενήθη μοι τὰ δάκρυά μου ἄρτος Psal.41.4.
ἡμέρας καὶ νυκτός.

Ταῦτα τῶν σοφῶν καὶ πνευματικῶν πατέρων, καὶ τῶν ὄντως ζητούντων τὸν Κύριον, τὰ ἀποφθέγματα, γένοιτο δὲ καὶ ἡμᾶς ἀξίαν μιμήσεως καὶ διηνεκῶς πολιτείαν δέξασθαι· ἵνα γενόμενοι ἄμεμπτοι, καὶ τέλειοι, καὶ ἀνεπίληπτοι, εὐαρεστήσωμεν τῷ Θεῷ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *Quæ Latinè non exhibeo, quia à Paschasio hîc Latinè expressa habes, & promptum cuique ea cum Latino conferre textu. Vtinã plures viri docti, si quæ ad Vitas Patrum eremitarum facientia Græcè habeant, vel publico donent, vel suppeditent, vt interpretũ fides appareat, & sua historia constet auctoritas.*

ADVERTE, *me huius libri non nisi duo MSS. nactum exemplaria, quæ tamen non omnino conueniebant in capitibus & numeris, nec inter se nec cum editis. In altero eorum vetustissimo, hoc præterea caput ante caput* V. *interserebatur :* DE VILITATE VESTIVM. Abbas Agathon dispensabat semetipsum, & in omnibus cum discretione pollebat, tam in opere manuum suarum, quàm vestimento. Talibus enim vestibus vtebatur, vt nec satis bonæ, nec satis malæ cuiquam apparerent. Dicebat autem discipulis suis: Vestis quoque sit monachi, quæ nuditatem & frigorem repellat, non inditi coloris, quâ in iactantiâ elationis, aut in vanitate anima fluctuetur. *Correxerat hîc sciolus quidam* Indici *pro* inditi. *Sed rectum,* inditi, *id est ascititij.*

ADVERTE *etiam, pleraque, quæ cum Ruffino Paschasius habet communia, iisdem ferè verbis apud Ruffinum & Paschasium haberi.*

DE VITIS PATRVM LIBER OCTAVVS,

AVCTORE PALLADIO HELENOPOL. EP.

INTERPRETE GENTIANO HERVETO.

PRÆLVDIA IN LIBRVM OCTAVVM.

LECTORI.

QVOD *libro primo & secundo præstitimus, vt auctorum, quorum potiores in ijs libris partes erant, peregrinationes sub vnum aspectum ex Annalibus Illustrißimi Cardinalis Baronij exhiberemus, idem hîc præstare conabimur. Accipe igitur Palladij peregrinationem, per annos & loca aliquo modo generatim digestam. Nam reliqua minuta & particulares conuentus in ipsius textu leges. Subiunxi & Melaniæ iunioris varias profectiones, ad lucem Palladij, qui obiter tantùm quædam de eius itinere insinuat. De Melaniâ seniore, cuius etiam Palladius meminit, habes fusè suprà in Præludiis ad librum secundum, cùm de Ruffini, qui eius libri vel auctor, vel interpres est, peregrinatione egimus, quem Melaniæ lateri comitem hæsisse, & peregrinationis eius fuisse socium, statuit Baronius.*

PALLADII HELENOPOLEOS EP. PEREGRINATIO.

PROFECTIO ÆGYPTIACA.

Hoc eodem anno [Christi CCCLXXXVIII. Siricij Papæ IV. Valentiniani XIII. Theodosij X. Impp.] sub consulatu videlicet Theodosij secundo, Palladius Galata (vt ipse testatur) Alexandriam petiit: qui tum ex iis, quæ ibi eremum Ægypti peragratus vidit, tum ab alijs audiuit, scripsit posteà commentarium ad Lausum Præfectum; quam ob caussam eumdem librum interdum [1] Lausiaca appellarunt, cui & titulus ille præfixus alicubi reperitur, vt [2] Paradisus Heraclidis nominetur. Mansit hic in eremo cum Euagrio Pontico aliquot annis (de triennio ibi confecto ipse meminit.) Porrò Euagrij Pontici consuetudine, Origenis erroribus imbutus est.

Anno Christi CCCLXXXVIII. Baron. t. 4. ad eum an. Pallad. in Lausiac. cap. 1. Pallad. cap. 12.

[3] Mirati sumus aliquem dubitare, num hic Palladius idem sit cum illo, quem fuisse natione Galatam & professione Origenistam, S. Hieronymus tradit; cùm idem ipse Palladius eo commentario id profiteatur his verbis: *Respondi me esse peregrinum, & de Galatiæ partibus venire, & vnum ex Euagrij fratribus esse confessus sum.* Hæc ipse. Porrò ambos, Palladium scilicet & Euagrium, Origenis erroribus fuisse corruptos, non obscurè tum Hieronymus tum etiam Epiphanius affirmarunt.

Pallad. cap. 22.

Palladius igitur Euagrio inhærens, eiusdem quoque morbi contagione contabuit; de quo Hieronymus aduersus Pelagianos agens, hæc habet: *Palladius, seruilis nequitiæ, eamdem hæresim instaurare conatus est, & nouam translationis Hebraicæ mihi calumniam struere: num & illius ingenio nobilitatique inuidimus? nunc quoque mysterium iniquitatis operatur*, &c. Ob quam etiam caussam S. Epiphanius eumdem in Palæstinâ ista docentem deplorans, ait: *Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordiâ Dei indiget, caue; quia Origenis hæresim prædicat & docet: ne fortè aliquos de populo tibi credito ad peruersitatem sui inducat erroris.* Hæc ipse scribens ad Ioannem Ierosolymitanum episcopum, cùm idem Palladius iam deseruisset eremum Nitriæ, & morbi caussâ (vt ipse testatur) abijsset in Palæstinam; vbi aliquamdiu moratus, hæreses docebat Origenis: quem cauendum, Epiphanius Ioannem eius loci episcopum quàm primùm admonuit. Cùm verò Origenistarum nullum alium nominet, nisi Palladium: certè, & si alij essent eadem labe conspersi, tamen non alium quàm ipsum id muneris subijsse, vt Origenis deliramenta doceret, satis apparet. Quamobrem Origenistam illum, quem S. Paulam tentasse Hieronymus scribit, neminem certè præter Palladium tunc in Palæstinâ morantem fuisse conspicio, de quo ista in eiusdem Paulo epitaphio habet: *Tangam ergo breuiter, quo modo hæreticorum cœnosos deuitauerit lacus, & eos instar habuerit Ethnicorum. Quidam veterator callidus, atque, vt sibi videbatur, doctus & sciolus, me nesciente cœpit ei proponere quæstiones, & dicere: Quid peccauit infans, vt à dæmone corripiatur? In quâ ætate resurrecturi sumus? si in ipsâ quâ morimur, ergo nutricibus post resurrectionem opus erit: si in alterâ, nequaquam erit resurrectio mortuorum, sed transformatio in alios. Diuersitas quoque sexus maris & feminæ erit, aut non erit? Si erit, se-*

Hieron. procem. aduers. Pelag. Apud Hieron. ep. 60. Pallad. in Lausiac. cap. 21. Hier. epistolâ 27. Qua Palladius cum Paulâ.

quentur & nuptiæ, & concubitus, sed & generatio: si non erit, sublatâ diuersitate sexus, eadem corpora non resurgent: aggrauat enim terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: sed tenuia erunt, & spiritualia, dicente Apostolo: Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Ex quibus omnibus probare cupiebat, rationales creaturas ob quædam vitia & antiqua peccata in corpora esse delapsas, & pro diuersitate & meritis peccatorum, tali vel tali conditione generari, vt vel corporum sanitate gauderent, & parentum diuitijs ac nobilitate, vel in morbidas carnes & domos inopum venientes, pœnas pristinorum luerent delictorum, & præsenti sæculo atque corporibus quasi carcere clauderentur.

Sap. 9.
1. Cor. 15.

Quod cùm audisset, & ad me retulisset, indicans hominem; mihique incubuisset necessitas nequissimæ viperæ ac mortiferæ bestiæ resistendi, de quibus Psalmista commemorat, dicens: Ne tradas bestias animas confitentium tibi: &, Increpa, Domine, bestias calami, quæ scribentes iniquitatem, loquuntur contra Dominum mendacium, & eleuant in excelsum os suum: conueni hominem, & orationibus eius, quam decipere nitebatur, breui interrogatione conclusi, dicens, &c. refert disputationem tunc cum eo habitam, atque ad postremum addit: *Ex quo die ita cœpit Paula hominem detestari, & omnes qui eiusdem dogmatis erant, vt eos voce publicâ hostes Domini proclamaret.* Hæc Hieronymus. Sic igitur à S. Hieronymo confutatus Palladius, in ipsum stilum conuertit, atque primùm hæc de Paulâ aduersus eumdem S. Hieronymum in suo commentario ad Lausum effutijt: *Multas feminas vidi, plurimasque tam viduas quàm virgines noui, inter quas Paulam Romanam, matrem Toxotij, feminam ad genus vitæ, quod est secundùm spiritum, dexterrimo ingenio: cui quidem, quò minùs ei se daret, impedimento fuit Hieronymus quidam genere Dalmata, qui mulierem optimâ indole ad genus vitæ perfectum, cùm in eo multos, ne dicam omnes, longissimo post se interuallo videretur posse relinquere, ipse inuidiâ motus ad suum peculiare viuendi institutum pertraxit. Eius filia nomine Eustochium in Bethlehem vitam adhuc monachalem exercet: quam quidem ego numquam allocutus sum: ceterùm fertur insigni esse pudicitiâ, & regere societatem virginum quinquaginta.* Hæc Palladius: mansisse autem ipsum in Palæstinâ saltem vsque ad annum trecentesimum nonagesimum secundum, inferiùs dicemus ex epistolâ Epiphanij ad Ioannem.

Psal. 73.
Psal. 67.

Pallad. in Lausiac. cap. 29.
Quæ Palladius in sanctum Hieronymum.

PROFECTIO IN BITHYNIAM.

At quid posteà de Palladio? Accidit quidem, vt recedens è Palæstinâ in Bithyniam, Catholici hominis personam induerit, & inter Catholicos consuescens, posteà in Ioannis Chrysostomi episcopi Constantinopolitani se amicitiam insinuârit. Et vnde hoc, inquies, de consuetudine cum Ioanne accepisti? Ex eo potissimùm, quòd fauit eidem Ioanni Chrysostomo; cui quidem non communione Catholicâ tantummodò coniunctus, sed & eidem fuit tolerantiâ malorum propinquus: nam quæ ob eiusdem Ioannis defensionem passus est, his verbis ipse declarat: *De Palæstinâ autem ad prouinciam Bithyniam veni, in quâ nescio quo modo, vtrùm studio hominum, an voluntate diuinâ (hoc Deus nouit) episcopus vltra meritum meum factus sum. In quâ tempestatis illius, quæ sub S. Ioanne commota est, interfui malus, & per decem menses in obscurissimâ cellulâ occultatus, cœpi illius sancti dicta reminisci,* &c.

A.C. ccc-xcii. Baron. t. 4. ad annum Christi ccclxxx-viii.
Palladius militat inter Catholicos.
Pallad. in Lausiac. c. 22.

PROFECTIO IN ASIAM.

Anno Christi cccc. Anastasij Papæ iii. Arcadij & Honorij Impp. vi. Synodus est habita Constantinopoli xxii. episcoporum in caussâ Asianorum episcoporum, cùm Antonini episcopi Ephesini caussa examinata est, & Palla-

A.C. cccc. Baron. t. 5. ad eum annum. Pallad. in Dial.

Palladius cum duobus alijs in Asiam destinatus. De quâ re ita Palladius, vel quisquis auctor, in dialogo de rebus Ioannis Chrysostomi: *Consilioque Synodi præsentis habito, quosdam ex præsentibus episcopis in Asiam mittit ad testes interrogandos. Tres enim ex omnibus electi sunt, Syncletius Metropolitanus, Hesychius Opariensis, & Palladius Helenopolitanus. His dederat Synodus in mandatis, vt qui intra duos menses non occurrisset Hypæpis Asiæ ciuitati ad sua tuenda iura, quòd vicini essent & qui arguebantur, & episcopi reliqui à Syncletio sociisque iudicandi, excommunicatus esset. Descenderunt igitur Smyrnam prænominati episcopi Syncletius & Palladius: Hesychius enim, quòd faueret Antonino, finxit se valetudinarium. Significaruntque continuò per litteras vtrisque partibus aduentum suum, vt concurrentes in memoratam ciuitatem, implerent quæ polliciti fuerant.*

Illi ante iudicum aduentum amicitias inierant, partim persuasi auro, partim iureiurando constricti. Congregati igitur in ipsâ ciuitate, iudices ludere se posse putabant dilatione testium, quasi peregrè profecti essent ob varias caussas. Ad hæc iudices accusatorem rogant, intra quos dies adducturus esset testes; se exspectaturos pollicentes. Ratus ille eos aëris inclementiam ferre grauiter, ac per id velle discedere (erat enim feruor æstiui Solis) intra quadraginta dies producturum promittit testes; aliàs pœnæ canonum suâ se sponte subijcit. Exspectauêre iudices quadraginta dies: cùm ille ad inquirendum dimissus testes, omisit hoc interim, & Constantinopolim venit, illicque delituit. Vbi verò nusquam comparuit, scripsêre iudices omnibus Asiæ episcopis, denuntiantes excommunicatum, siue vt desertorem, siue vt detractorem. Post hæc alios quadraginta dies persistentes, cùm ille minimè appareret, Constantinopolim rediêre. Illic inuento Eusebio, ei quæ gesserat exprobrant. Rursus ille infirmitatem corporis allegans, pollicetur testes exhibiturum.

PROFECTIO ROMANA.

QVO etiam tempore, cùm vigeret vehementior in eumdem Chrysostomum persecutio, ex Oriente recedens, Romam se contulit ad Innocentium, à quo vnà cum alijs exceptus est. Et vnde hæc? dices. Testatur id ipse, cùm de Piniano atque eius coniuge Melaniâ iuniore, à quibus exceptus in vrbe fuit, sermonem habens, hæc ait: *Ne nobis quidem certè, cùm plurimi simul essemus, qui Romam propter beatum episcopum Ioannem perrexeramus, exigua præstiterunt; sed dum in illis partibus degeremus, officiosissimo nos susceperunt hospitio, largissimisque sumptibus, cùm inde proficisceremur, honorauerunt.* Hæc ipse.

A.C. cccc-IV. Baron. t.4. ad annum 308. & t.5. ad annũ 404. Pallad. in Lausiac. cap. 49.

Quando autem id acciderit, expressum habes in dialogo de rebus eiusdem S. Ioannis his verbis: *Vix mensis effluxerat, cùm Palladius quoque episcopus Helenopoleos* (est enim Helenopolis ciuitas in Bithyniâ, de quâ superiùs) *absque litteris venit, qui & ipse fugisse dicebat vesaniam principum: expressiùs autem atque signantiùs enarrauit omnia, ipsumque exemplar edicti protulit*, &c. Licet hunc, de quo agimus, Palladium diuersum ab illo esse oporteat, qui in eo dialogo interloquitur: etenim tunc primùm Romam se venisse dicit, cùm sub Zosimo Papâ pro pace ecclesiarum eâ functus est legatione. Sed quid tandem? ipsum foris pro tempore mutasse personam potiùs, quàm animum impietate refertum, non leue argumentum est, quòd eo libro, quem post eas turbas conscriptum ab eo constat (nam in eo meminit de Melaniæ obitu, qui contigit post vrbis Romæ excidium) Origenistas complures laudauit, ipsumque Euagrium Origenis erroribus infamatum ad cælum euexit.

Extat t.1. Io. Chrys. edit. Paris. col. 10. *Palladij Romam aduentus.*

PALLADII SECVNDVS ROMAM CVM CÆLESTIO IN CAVSSA PELAGII HÆRESIARCHÆ ADVENTVS.

Anno Christi CCCCXVII. Baron. tom. 5. ad eum annũ.

QVADRINGENTESIMVS decimus septimus Christi annus [Innocentij Papæ XVI. Honorij XXIII. Theodosij X. Impp.] Honorio Augusto vndecimum & Constantio secundùm consulibus aperitur: quo Pelagius hæresiarcha: cùm accepisset non esse receptam ab Innocentio Romano Pontifice purgationem suam habitam in Concilio Palæstino, sed priori apud eum astrictum teneri damnatione; vt eum falleret, omnem adhibuit fallendi artem: etenim ipse ad Innocentium Papam litteras dedit, quibus profiteretur, se verè esse Catholicum. Dedit & alias de hoc ipso Praylius Ierosolymitanus, quibus legitimè factam Pelagij purgationem significaret. Adiectum, vt vnà cum his mitteretur Romam, qui æquè esset hæresis infamatus Cælestius eius discipulus suam caussam acturus, suosque accusatores ad Sedis Apostolicæ iudicium, quasi calumnijs exagitatus, prouocaturus; quo declararet se non aliter credere, quàm quod Catholica teneret Ecclesia.

Palladius Galata Romam legatus.

5 Quantum autem opinari licet, cum his omnibus & ad hæc omnia videtur etiam legatus fuisse Palladius Galata episcopus Helenopolitanus, quem Pelagio fauisse, testificatione S. Hieronymi superiùs dictum est. Ipse enim Palladius in dialogo quem scripsit de rebus S. Ioannis Chrysostomi, ipso eius exordio de se testatur, venisse Romam sub Zosimo Papâ.

PALLADIVS GALATA AB HIERONYMO IMPVDICITIÆ NOTATVS.

Baron. t. 5. ad annum Christi CCCCXIII. Hier. cõtra Pelag. l. 2.

PORRO quòd in eam dementiam superbus iste (*Pelagius*) elatus fuerit, vt assereret esse hominis, vi liberi arbitrij non tantùm non peccare, sed etiam non tentari: hinc ipse Hieronymus ex personâ Pelagij, eiusque verbis hæc ait: *Alij clausi cellulis, & feminas non videntes, quia miseri sunt, & verba mea non audiunt, torquentur desiderijs: ego etiam, si mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiscentiam. de me enim dictum est: Lapides sancti voluuntur super terram; & ideò non sentio, quia liberi arbitrij potestate Christi trophæum circumfero.* Huiusmodi planè hæreticos visus est idem S. Hieronymus alibi suggillasse, dum ait: *Si nota fecissent verba mea populo meo, non blandientes eis, & adulatione perdentes, vt dicerent, Non habetis peccata, perfectam iustitiam possidetis, sanctitas & pudicitia atque iustitia in vobis tantummodò reperiuntur. &: ego non tradidissem eos in immunditiam & ignominiam, vt facerent quæ non conueniunt, & sequerentur cogitationes suas pessimas. Contemplemur hæreticos, quomodo semel desperantes salutem, gulæ se tradant & delicijs: vescantur carnibus, frequentes adeant balneas, musco fragrent, vnguentis varijs delibuti, quærant corporis pulchritudinem,* &c. Perstringens in hunc modum S. Hieronymus Pelagium atque Pelagianos, & haud dubium inter alios suggillat Palladium Galatam episcopum Helenopolis in Bithyniâ, de quo sæpè superiùs, cuius disertis verbis meminit in præfatione in eosdem libros aduersus Pelagium scriptos, quòd cùm versari soleret assiduè cum feminis religiosis, magnâ tamen iactantiâ gloriaretur, quòd omnis esset penitùs concupiscentiæ expers. Ita quidem ipse, cùm præsertim in Ægypto, visitans monachos, iunctus feminis peregrinaretur. Quo nomine redargutus est etiam per epistolam ab

Zachar. 9.

Hier. in Ieremiam lib. 4. c. 23.

Hieron. præf. adu. Pelag.

Palladius Galata frequens cum feminis.

ab Isidoro Pelusiotâ, dignam illam quidem quæ hîc recitetur, vtpote tanti viri profuturum omnibus monumentum. Sic enim se habet:

PALLADIO EPISCOPO.

Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest, fuge. Nam eos qui sacerdotij munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi & sui, & plebis; hi autem sui dumtaxat curam gerunt. Atque illi in huiusmodi dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque vitam eorum perscrutantur & explorant: hi autem in spelunca sedent, aut sua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas sibiipsis texentes. Quòd si etiam, vt cum illis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat; oculos humi deiectos habe, atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce: non enim dumtaxat docendum est, quonam modo cernere oporteat, sed etiam, vt oportet, cernere. Cumque pauca quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim euola, ne fortè diuturna consuetudo vires tuas emolliat & infringat, atque velut horrendum quemdam & elatum leonem nacta, comam quidem quæ leonem verè leonem efficit, regiamque dignitatem ipsi conseruat, amputet; dentes autem eripiat, atque vngues (quorum adminiculo robustissimas etiam feras vincit) euellat, ac deinde deformatum ac ridiculum redditum, animal inquam illud horrendum ac intolerandum; ac vel solo rugitu montem percellens, pueris etiam se illudendum præbeat. Isidor. ep. 284. lib. 2.

Quòd si à mulieribus honori affici cupis (maximè quidem hoc spiritualem virum haudquaquam decet) vt vt autem res se habeat, nihil tibi cum fœminis commercij sit, ac tum ab illis honorem consequêris. Tum enim hoc præsertim nobis aderit, cùm à nobis minimè quæretur. Solet enim quiuis eos quidem à quibus colitur ac delinitur, aspernari; eos autem à quibus assentatione minimè demulcetur, admiratione prosequi. Ac muliebris natura huic potissimùm affectui obnoxia est. Intolerandam enim se præbet, cùm quis ipsi blanditur; ac contrà eos omnium maximè suspicit & admiratur, qui maiore libertate præditi sunt, amplioreque auctoritate apud eas vtuntur.

Quòd si te frequenter cum ipsis versari, nec vllo inde detrimento affici dixeris; id quidem fortasse mihi persuaderi sinam. At illud item velim omnibus fidem adhiberi, à quis lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excauari dicunt. Quorum verborum huiusmodi sensus est: Quid rupe durius fingi queat? Quid item aquâ mollius, & quidem aquæ guttulâ? Et tamen assiduitas naturam vincit. Quòd si natura, quæ ægrè dimoueri potest, dimouetur, idque quod minimè habebat, perpetitur: quâ tandem ratione voluntas, quæ facilè mouetur, à consuetudine non vincatur & euertatur?

Hucusque Isidorus optimâ ratione & exemplo destruens quod assererent illi, voluntatem nostram sui naturâ posse, si velit, euitare peccatum absque gratiæ adminiculo, imò nec etiam posse tentari si nolit: quandoquidem docuit Isidorus, vinci assiduitate naturam.

MELA-

MELANIÆ IVNIORIS ET PINIANI MARITI CVM ALBINA MATRE PEREGRINATIO.

PROFECTIO IN SICILIAM.

Anno Christi cccc VIII. Baron. t. 5. ad eum annum.

Melania recedit ab vrbe.

Hoc item anno [Christi CCCCVIII. Innocentij Papæ VII. Honorij XIV. Theodosij I. Impp.] qui vrbis obsidionem præcessit, Melania Romana vidua, de quâ sæpè superiùs mentio facta est, antiqui vaticinij ante annos quadringentos (vt ait Palladius) editi memor, distractis prædijs, vnà cum Melaniâ nepte, Pinianoque eiusdem Melaniæ viro, & Albinâ nuru, euasura cum illis imminentem vrbis cladem, Româ recedens, [per Siciliam] Ierosolymam se iterùm contulit, vbi post dies quadraginta ex hac vitâ migrauit. Hæc ex Palladio.

Pallad. in Lausiac. cap. 33.

PROFECTIO IN AFRICAM AC PRIMO CARTHAGINEM ET TAGASTAM.

An. Christi ccccIX. Baron. t. 5. ad eum annum. Palladius in Lausiac. c. 9.

Pinianus cum suis venit in Africam.

Hoc ipso anno [Christi CCCCIX. Innocentij Papæ VIII. Honorij XV. Theodosij II. Imp.] Pinianus V.C. vnà cum Melaniâ seniore, & Melaniâ iuniore coniuge, atque socru Albinâ iunioris matre Melaniæ, cùm anno superiori distractis bonis, quæ Romæ & in Italiâ habebat, adnauigasset Carthaginem, ibi ex congestis pecunijs locupletans eius ecclesiæ pauperes, inde ad S. Alypium Tagastam profectus est. Ad quos omnes S. Augustinus, cùm primùm eorum aduentum audisset, litteras dedit, quibus se excusat, quòd propter ingruentem duram hiemem, & statum Hipponensis ecclesiæ titubantem, ad eos inuisendos minimè accurrere valuisset. extat ipsa epistola, cuius est titulus ad Albinum, Pinianum, & Melaniam: ' sed pro Albino, Albinam, restituendum puto; quòd eius nominis femina eiusdem Piniani socrus vnà cum ipsis profecta est in Africam, vt tum ex Palladio, tum ex eiusdem Augustini testificatione satis apparet.

August. epist. 227.

Tagastæ autem cùm esset Pinianus, effusâ munificentiâ adeò ecclesiam illam locupletauit, vt nonnullorum in eius episcopum Alypium inuidiam mouerit, prout S. Augustinus in epistolâ ad eum scriptâ testatur, & ipsa Acta S. Melaniæ his verbis fidem faciunt: *Ciuitas autem, in quâ versabantur, appellabatur Tagasta; in quâ erat sacrum templum & sacerdos dicendi peritus, & qui oratione multos poterat inducere ad salutem, nomine Alypius: cum quo versantes, sacra meditabantur eloquia. Templum verò, in quo agebat Alypius, admodum munificè & aureis ornamentis & lucidis gemmis & plurimis ditarunt agrorum prouentibus. Ab eis quoque sunt ædificata duo monasteria, quibus satis dedit opum atque prouentuum; quorum alterum quidem habebat chorum virorum numero octoginta, alterum autem habebat virgines quæ erant numero centum & triginta.* Hæc de collatis ecclesiæ Tagastensi à Piniano muneribus.

Epist. 224. Metaph. die 31. Ianuarij.

PROFECTIO HIPPONENSIS.

Baronius tom. 5. ad an. Christi 499.

Placvit autem Piniano vnà cum Melaniâ Hipponem proficisci ad inuisendum S. Augustinum ibi agentem episcopum. Comitatus est eos Aly-

Alypius: qui & timentem Pinianum, ne cogeretur ab Augustino presbyter ordinari, numquam id euenturum fore, securum reddidit: nam de eâ re fidem Augustini id promittentis acceperat. Accidere namque consueuit (quod & superiùs, de Paulino cùm egimus, dixisse meminimus) vt cùm aliquis religione insignis ceteris emineret Christianis, is licet coniugatus esset, soleret interdum in ecclesiâ à fidelibus rapi, & tradi episcopo ordinandus, coniuge quoque pari cum viro voto continentiam profitente: vt inter alia, quod de Paulino atque Tharasiâ præcessit, enarratum exemplum ostendit. Pinianus itaque id fortasse subodoratus, retardabat accessum; sed Alypij promissione securus, Hipponem ad eumdem S. Augustinum se contulit. Vbi cùm esset, atque id minus exspectaretur, factum est, vt dum Synaxis in ecclesiâ haberetur, antequam catechumeni ex more dimitterentur, fidelis populus, facto impetu, Pinianum ne effugeret obsiderent, postulantes eum ordinari debere presbyterum. Quæ res Alypio fideiussori admodum displicuit; ipseque Pinianus & Albina socrus id perindigno tulerunt animo, id totum ex sententiâ Augustini factum existimantes: quamobrem nonnihil in eum ijdem commoti sunt, atque in primis Alypius. Quomodo autem res se habuerit, S. Augustinus datis ad eos litteris, cùm statim recessissent Hippone, Tagastamque reuersi essent, significauit, cùm se excusauit, atque nihil se conscio factum pluribus declarauit. *Piniani quid passus Hippone.*

Scribens enim ad Albinam Piniani socrum, quam tamen appellare consueuit eius matrem, ad sui defensionem, prolixam satis dedit epistolam, eius querelis & suspicionibus malè conceptis in omnibus satisfaciens, cùm in hæc verba exorditur: *August. ep. 225.*

Dolorem animi tui, quem te scribis explicare non posse, consolari æquum est, non augere; vt si fieri potest, sanemus suspiciones tuas, non vt eis pro nostrâ causâ succensendo venerandum cor tuum & Deo dicatum ampliùs perturbemus. Sancto fratri nostro, filio tuo Piniano nullus ab Hipponensibus mortis metus ingestus est, etiam si fortè ipse tale aliquid timuit. Nam & nos metuebamus, ne ab aliquibus perditis, qui sæpè multitudini occultâ conspiratione miscentur, in violentam prorumperetur audaciam, occasione seditionis inuentâ, quam velut iustâ indignatione concitaret. Sed sicut posteà audire potuimus, nihil tale à quoquam dictum est vel molitum; sed verè in fratrem meum Alypium multa contumeliosa & indigna clamabant: à quo tam ingenti reatu vtinam per illius orationes mereantur absolui. Ego autem post primos eorum clamores, cùm eis dixissem de illo inuito non ordinando, quâ iam promissione detinerer; atque adiecissem, quòd si meâ fide violatâ illum haberent presbyterum, me episcopum non haberent: ad nostra subsellia, relictâ turbâ, redieram. Tum illi aliquantulum inopinatâ meâ responsione cunctati atque turbati, velut flamma vento paululùm pressa, deinde cœperunt multò ardentiùs excitari, existimantes fieri posse, vt vel mihi extorqueretur illud non seruare promissum, vel me tenente promissi fidem, ab alio episcopo ordinaretur. Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in apsidem honoratiores & grauiores ascenderant, nec à promissi fide me posse dimoueri, nec ab alio episcopo in ecclesiâ mihi traditâ, nisi me interrogato ac permittente, posse ordinari. Quod si permitterem, à fide nihilominùs deuiarem. Addebam etiam, nihil eos velle, si ordinaretur inuitus, nisi vt ordinatus abscederet. Illi hoc posse fieri non credebant. *S. Augustinus se purgat apud Albinam.*

*Multitudo verò pro gradibus constituta, horrendo & perseuerantissimo clamorum fremitu, in eadem voluntate persistens, incertos animi consilijque faciebat. Tunc illa in fratrem meum (*Alypium scilicet*) indigna clamabantur: tunc à nobis grauiora timebantur. Sed quamuis tanto motu populi, & tantâ perturbatione ecclesiæ permouerer, nec aliud constipationi illi dixissem, nisi eum me inuitum ordinare non posse: nec sic tamen adductus sum, qui & hoc promiseram non me fuisse facturum, vt aliquid ei de suscipiendo* *Pinianus vrgetur vt fiat Presbyter.*

piendo presbyterio suaderem. Quòd si persuadere potuissem, non iam ordinaretur inuitus. Seruaui vtriusque promissionis fidem, non solùm illius quam iam populo patefeceram, verùm etiam illius in quâ vno teste, quantum ad homines attinet, detinebar. Seruaui, inquam, fidem promissionis, non iurationis in tanto periculo: quod licet falsò, sicut posteà comperimus, metuebatur; omnibus tamen, si quid esset, communiter impendebat, & erat metus ipse communis; ac per ecclesiam in quâ eramus, maximè metuens abscedere cogitabam. Sed metuendum fuit, ne magis, me absente, tale aliquid facerent & reuerentia minor & dolor ardentior. Deinde si cum fratre Alypio discederem per populum constipatum; cauendum fuit, ne quisquam in eum manum mittere auderet. Si autem sine illo, qua frons esset existimationis, si quid ei fortassis accideret, & viderer eum propterea deseruisse, vt furenti populo traderetur?

Inter hos æstus meos, grauemque mœrorem & nullius consilij respirationem, ecce repentè atque inopinatè sanctus filius noster Pinianus mittit ad me seruum Dei, qui mihi diceret, eum se velle populo iurare, quòd si esset ordinatus inuitus, ex Africâ discederet: omnino credo existimans eos, quandoquidem peierare non posset, non iam vlteriùs infructuosâ perseuerantiâ clamaturos, ad expellendum hinc hominem, quem saltem habere deberemus vicinum. Mihi autem, quia videbatur vehementiorem eorum dolorem post hanc iurationem fuisse metuendum, apud me tacitus habui: & quia simul petierat vt ad eum venirem, non distuli. Cùm mihi dixisset hoc ipsum, continuò & illud adiunxit eidem iurationi, quod mihi, dum ad eum pergo, per alium Dei seruum mandauerat, de præsentiâ scilicet suâ, si ei clericatus sarcinam nolenti nullus imponeret, nimirum non discessurum Hippone, si sic liber absque nexu clericatus esse sineretur.

S. Augustinus sequester inter Pinianum & populũ.

Hic ego in tantis angustiis, quasi aurâ respirante, recreatus, nihil ei respondi; sed ad fratrem Alypium gradu concitatiore perrexi; eique quid dixerit, dixi. At ille (vt existimo) deuitans, ne quid se auctore fieret, vnde vos putabat offendi: Hinc me (inquit) nemo consulat. Quo audito, ad populum tumultuantem perrexi: factoque silentio, quid promissum esset, cum promissione etiam iurationis aperui. Illi verò, qui solum eius presbyterium cogitabant atque cupiebant, non ita, vt putabam, quod oblatum fuerat, acceperunt: sed inter se aliquantulùm mussitantes, petiuerunt vt adderetur eidem promissioni atque iurationi, vt si quando illi ad suscipiendum clericatum consentire placuisset, nonnisi ipsâ Hipponensi ecclesiâ consentiret. Retuli ad eum: sine dubitatione annuit. Renuntiaui illis: lætati sunt, & mox iurationem pollicitam poposcerunt. Reuerti ad filium nostrum Pinianum, eumque inueni fluctuantem, quibusnam verbis comprehendi posset illa cum iuratione promissio, propter necessitates irruentes, quæ possent eum vt abscederet cogere. Simul etiam quid timeret, ostendit; ne quis irruisset hostilis incursus, qui esset discessione vitandus. Volebat addi sancta Melania & aëris morbidi caussationem; sed illius responsione reprehensa est. Ego autem dixi, grauem ab illâ & non contemnendam caussam necessitatis ingestam; quæ ciues etiam emigrare compelleret: sed si hæc populo dicerentur, timendum esse, ne malè nos ominari videremur: si autem sub necessitatis nomine fieret excusatio, nonnisi fraudulentam necessitatem putari.

Promissio iurata à Piniano.

Placuit tamen, vt de hac re populi animum experiremur: & nihil aliud, quàm quod putaueramus, inuenimus. Nam cùm eius verba à diacono dicta recitarentur, & omnia placuissent: vbi nomen interpositæ necessitatis insonuit, continuò reclamatũ est, promissioque displicuit, tumultu recrudescente, & nihil aliud quàm fraude secum agi, populo existimante. Quod cùm sanctus filius noster Pinianus vidisset, iussit inde auferri nomen necessitatis; rursumque ad lætitiam populus remeauit. Et cùm lassitudinem excusarem, sine me ad plebem accedere noluit: simul accessimus. Dixit ei, quæ à diacono audita erant, se mandasse, se iurasse, eaque se esse facturum; continuoque omnia eo tenore, quo dictauerat, prosecutus est. Responsum est, Deo gratias; & petitum, vt totum scriptum subscriberetur. Dimisimus catechumenos: continuoque scriptum subscripsit. Deinde peti cœpimus nos episco-

episcopi non vocibus populi, sed tamen à populo per honestos fideles, vt nos quoque subscriberemus. At vbi cœpi subscribere, sancta Melania contradixit. Miratus sum quare tam serò; quasi promissionem illam & iurationem nos, non subscribendo, facere possemus infectam. Sed tamen obtemperaui: ac sic remansit mea non plena subscriptio: nec vltrà nobis quisquam, vt subscriberemus, putauit instandum. Hæc S. Augustinus.

REDITVS TAGASTAM.

PINIANVS autem, quòd quæ per vim & metum pollicitus esset, se obligatum minimè teneri probè sciret, sequenti die clàm vnà cum suis Tagastam reuersus est. Quid autem tum populus Hipponensis, cùm resciset? Augustinus refert in eadem epistolâ ad Albinam alio scripto se significasse: nam ait: *Qui autem alio die, postquam ipsum discessisse didicerunt, fuerint motus, vel linguæ hominum: quantum satis arbitratus sum, sanctitati vestræ per commonitorium intimare curaui. Quisquis itaque vobis contraria his quæ narraui, fortè narrauit; aut mentitur, aut fallitur.* Hæc ipse. Baron. t. 5. ad annum Christi CCCCIX. *Pinianus ab Hippone recedens venit Tagastam.* Aug. epistolâ 225.

Quòd autem Albina litteris conquesta esset primùm aduersus Augustinum, quòd ad iurandum Pinianum induxisset; quodque etiam illa suggillaret populum Hipponensem amore illectum pecuniæ, virum prædiuitem sibi vendicare sategisse: cùm ex ijs ex obliquo Augustini fama impeteretur, idem Augustinus cùm pro se tum pro populo eadem epistolâ excusationem attexuit. & inter alia illud inculcat, se olim ciuem Tagastensem eamdem vim ab Hipponensi populo passum esse, non aliâ quidem ex caussâ illis ad id agendum impulsis, quàm pietatis: vt quem virum frugi putarent, eumdem presbyterum sibi præficerent. Sed iam ipsum audiamus: *Quomodo ergo* (inquit) *dicis hoc eos fecisse turpissimo appetitu pecuniæ? Primò quia ad plebem, quæ clamabat, omnino non pertinet. Sicut enim plebs Tagastensis, de his quæ consuluistis ecclesiæ Tagastensi, non habet nisi gaudium boni operis vestri: sic & Hipponensis, & cuiuslibet alterius loci, vbi de mammonâ iniquitatis Domini præcepta fecistis, vel estis vbicumque facturi. Non ergo populus, vt de tanto viro ecclesiæ consuleret suæ, ardentissimè flagitans, suum pecuniarium quæsiuit commodum à vobis, sed vestrum pecuniæ contemptum dilexit in vobis. Nam si in me dilexerunt, quòd audierant, paucis agellulis paternis contemptis, ad Dei liberam seruitutem me fuisse conuersum: neque in hoc inuiderunt ecclesiæ Tagastensi, quæ carnalis patria mea est: sed cùm illa clericatum mihi non imposuisset, quando potuerunt, habendum inuaserunt: quantò flagrantiùs in nostro Piniano amare potuerunt tantam mundi huius cupiditatem, tantas opes, tantam spem, tantâ conuersione superatam atque calcatam?* *Sanctus Augustinus suos Hipponenses excusat.*

Ego quippe secundùm multorum sensum comparantium semetipsos sibimetipsis, non diuitias dimisisse, sed ad diuitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest in comparatione prædiorum ecclesiæ, quæ nunc vt dominus existimor possidere. cùm è contrà qui in ecclesiâ Africanâ ad presbyteratum adsciti essent, fuerint prædiuites: vnde subdit: *In qualibet autem maximè Africanarum ecclesiarum hic noster, non dico presbyter, sed episcopus sit, comparatus pristinis opibus suis, etiam si animo dominantis egerit, pauperrimus erit. Multò ergo liquidiùs & securiùs in hoc amatur Christiana paupertas, in quo nulla rerum ampliorum potest putari cupiditas. Hoc accendit animos populi, hoc in illam violentiam perseuerantissimi clamoris erexit. Non eos turpis cupiditatis insuper accusemus: sed magis bonum, quod ipsi non habent, saltem in alijs diligere sine crimine permittamus.* Hæc & alia plura ad excusationem ingerit Augustinus.

Sed & quòd Alypius, sicut Albina, idem sentiret de Hipponensibus, eosdem nimirum amore pecuniæ vim inferre conatos esse Piniano; quodque ambo eiusdem sententiæ essent, nullius esse vigoris præstitum iuramentum vi atque metu *Inter Alypium & Augustinum consensio.*

extortum: idem S. Augustinus sicut ad ipsam, ita etiam ad Alypium aduersus hæc ipsa litteras dedit, quibus sanè apparet, hæc inter eos non sine mutuâ offensione fuisse transacta: sed citò charitas omnem absterssit obductam ex eiusmodi altercatione rubiginem.

Aug. epistolâ 124.

PROFECTIO IEROSOLYMITANA.

Baron. t. 5. ad annum Christi ccccxix. Hier. epistolâ 79. *Albina *Pinianus

SED & illud ex eadem S. Hieronymi epistolâ velim obserues, ipsum non Paulæ neptis tantùm nomine eisdem Augustino atque Alypio Episcopis salutem impertire, sed nomine etiam Albinæ, Piniani, atque Melaniæ, quos ante septem annos diximus versatos in Africâ, & posteà vnà simul venisse Ierosolymam. ait enim: *Sancti filij communes * Albinus, * Apinianus, & Melania plurimùm vos salutant.* Hæc ibi. Verùm pro Albinus, Albina, & pro Apinianus, Pinianus restituendi sunt; nisi præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius. Sed quando, inquies, hi Ierosolymam peruenerunt? ante triennium. Et ne putes nos agere coniecturâ, vel diuinare; habes id ipsum expressè demonstratum in rebus gestis eiusdem Melaniæ iunioris: vbi cùm dicatur eadem annis septem in Africâ commorata; si repetas tempus eius Româ illuc profectionis, quam accidisse diximus anno qui præcessit vrbis cladem, nempe quadringentesimonono; & ab eo tempore numeres septem illos annos, inuenies vtique ante triennium (vt dictum est) ipsam ac eius socios Ierosolymam peruenisse, & vnà cum eâ Albinam matrem Melaniæ iunioris, vt eius Acta testantur: fuisse namque hanc Albinam nomine coniugem filij Melaniæ senioris, Palladius docet.

Extant apud Metaphrast. die 31 Ian. & Sur. t. 1.

Pallad. in Lausiac. cap. 33. Idem c. 47 Idem c. 49

Ab ipso autem Ierosolymam aduentu post dies quadraginta defunctam esse Melaniam seniorem, Palladius tradit, licet de alijs nullam habeat mentionem: quos dum ait inferiùs vitam duxisse in Campaniâ & Siciliâ; planè ignorasse visus est, ex Augustino certum reddi eosdem in Africâ degisse; nescisse pariter, ex S. Hieronymo palàm fieri eosdem Ierosolymam profectos esse: quæ omnia pluribus testantur Acta S. Melaniæ iunioris. Quinetiam ex eodem S. Augustino constat, hos cùm Ierosolymam peruenissent, & Pelagium ibi agentem inuenissent, ipsum admonuisse, vt ea omnino damnaret quæ ab Orthodoxis aduersus eum obijcerentur: ipsum autem, velut eis obtemperantem, scripsisse anathematismum aduersus illos errores, qui ab Occidentalibus in eum obiecti essent: sed quàm dolosè, quamque veteratoriè, sanctus Augustinus aperuit. Sed accipe modò quid ipse de his cum Pelagio agentibus scriptis tradat: *Scripsistis mihi, cum Pelagio vos egisse, vt quæcumque aduersus eum dicerentur, scripto damnaret: eumque dixisse, audientibus vobis: Anathemo*, &c. Miserunt autem dicta à Pelagio idem * Albinus, Pinianus, atque Melania ad ipsum Augustinum: qui posteà sub Zosimo Papâ contrarijs scriptis ostendit impij hæresiarchæ fallacias. Sed de his aliàs.

Albinus & Pinianus admonent Pelagium.

August. de Christi gratiâ l. 1. cap. 1.

*Albina.

Melania & Piniani vita institutum.

De rebus autem gestis Melaniæ iunioris, ac Piniani viri eius, ac sociorum, eiusdem Melaniæ vitæ Acta declarant; nimirum peregrinatos esse in Ægyptum ad visendos sanctos monachos eremi accolas, relictâ Albinâ matre ob ingrauescentem senectutem Ierosolymis: inde verò redeuntes Ierosolymam, seorsum à coniuge Pinianum vitam excoluisse monasticam, Melaniam verò ad annos quatuordecim apud montem Oliueti clausam in cellâ perseuerasse, duxisseque ibi in angusto loco vitam Angelis similem. Mira quidem hæc videbuntur: sed si quis legat, quæ de eiusdem Melaniæ vitæ instituto, antequam Ierosolymam proficisceretur, cùm adhuc in Italiâ ac Romæ potissimùm versaretur, idem qui suprà Palladius scripsit, atque ea quæ de eiusdem viuendi ratione cùm esset in Africâ,

Pallad. in Lausiac. cap. 49.

Africâ, eadem Acta habent; summum huiuscemodi monasticæ vitæ genus tum ipsam tum virum eius attigisse, haud valdè mirabitur, cùm se ab initio penitissimè Deo ambo addixissent.

PROFECTIO CONSTANTINOPOLITANA.

HOC eodem anno [Christi ccccxxxiv. Sixti Papæ III. Theodosij xxvii. Valentiniani x. Impp.] quo Proclus sedis Constantinopolitanæ regimen suscepit, sancta Melania iunior, quæ (vt diximus) Ierosolymis monasticam vitam agebat, litteris à suo patruo Volusiano Constantinopolim accersitur: quò cùm venisset, ipsum Volusianum reluctantem hactenus ad Christi fidem conuertit, & vt Christianus moreretur, vitamque consequeretur æternam, tum precibus ad Deum, tum verbis apud ipsum infatigabili studio egit. Sed præclarâ memoriâ dignam historiam recolamus, quam quidem Photius in suâ Bibliothecâ cognouit esse germanam, dum agit de legatione Volusiani, de Melaniâ eius nepte, & Proclo episcopo, qui Volusianum Constantinopoli baptizauit, quorum meminimus superiùs, dum egimus de eiusdem Volusiani edicto aduersus Cælestium Pelagianum. Verùm de eo illud breuiter repetendum, hunc ipsum esse Volusianum, cuius conuersionis caussâ à matre Christianâ per Marcellinum tribunum interpellatum diximus sanctum Augustinum, vt ad Christi fidem eum conuerteret: sed datis eâ de re vltrò citroque litteris, vt id faceret, ab ipso sancto Augustino persuaderi tunc minimè valuit. At præstitit tandem Deus, vt id vel serò tandem perficeret: quâ autem occasione; ipsa sanctæ Melaniæ Acta simplici pedestrique stilo quidem scripta, sed vera, his verbis referant:

(A.C. ccccxxxiv. Baron. tom. 5. ad eum annum.)

Redduntur Melaniæ litteræ ab eius patruo Volusiano, qui illo quidem tempore creatus erat præfectus Romanæ ciuitatis, missus verò erat legatus Byzantium ad Eudociam Imperatricem. hoc autem significabat epistola, quòd iam diu illam videre desideraret. Illa verò cupiebat & ipsa quoque videre patruum, & ei persuadere vt à Gentilium desisteret opinione. Dubia autem animi, ne quid imprudens faceret præter id quod Deo videbatur, cùm aliquibus alijs monachis rem communicasset, permitterent autem illi, vt posset proficisci; egreditur Ierosolymis ipsa beata Melania, Constantinopolim versus arripiens iter. Per quamcumque autem transibat ciuitatem & regionem, eam quo par erat omnes prosequebantur honore & officijs. Ciuitatum enim sacerdotes & pontifices eam non paruo honore afficiebant: & venerandæ virgines, & quotquot erant egregij monachi, eam adorabant & salutabant, & tamquam è cælo venientem aspiciebant.

(Extant apud Metaphrast. die vltimâ Ianuar. & Sur. tom. 1 ead. die.)

Cùm autem venisset Chalcedonem & ad ipsum sinum maris, verebatur ingredi, & videbatur perturbata. Ventura enim in maximam ciuitatem mulier quæ vixerat in exercitatione, quietisque & silentij maximam curam gesserat, & non gustauerat tumultus qui sunt in ciuitate, meritò extimescebat & refugiebat. Atque diuertit quidem vbi erat templum omni ex parte benedictæ martyris Euphemiæ. Circa mediam autem noctem martyr non parum ex se effudit suauissimi odoris, & voluptate replet ineffabili. Quocircà bonâ acceptâ fiduciâ, diluculò fretum audacter traiecit, & ingressa est Byzantium. Hospitio verò excipitur à quodam viro illustri & alioqui bono, nomine quidem Lauso, qui ad præpositura honorem ascenderat.

(Hospitatur Melania apud Lausum præfectum.)

Inuenit autem suum quoque patruum Volusianum graui morbo oppressum: qui eius habitum admiratus, formæque & vestitus incredibili & inopinatâ stupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat vultus eius exercitatione) magnâ voce exclamauit: O qualem ex quali te video, Melania charissima! Illa verò ex eius sermone sumptâ occasione: A me quoque (inquit) disce, ô beate patrue, & accipe iudicium futurorum bonorum. Nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec abiecissem curam ipsius corporis, nisi persuasum haberem, me his propediem longè maiora

 acce-

accepturam. Non autem per se solam, sed per multos quoque alios in eius mentem sensim irrepebat beata Melania, & eius falsam religionem studebat labefactare: sicut etiam per sapientissimum Proculum, cuius fidei tunc erat creditus sacer clauus ecclesiæ Constantinopolitanæ. Qui cùm ad eum venisset, & suasu beatæ Melaniæ eum ad pietatem dirigeret; is dicitur illum adeò esse admiratus, vt etiam dixerit post agnitam veritatem, quòd si Roma tres haberet tales, nec illic quidem nomen vmquam audiretur Gentilium. Sed hæc quidem posteà.

Postquam autem Volusianus sensit Melaniam velle Imperatorem quoque ad id incitare, veritus protinus ne violentum & non voluntarium reputaretur esse Baptismum, & quam ex eo esset consecuturus, ipse mercede priuaretur, eam à cœpto prohibuit. Et is quidem (vt dicemus paulò post) rem à se adimpleuit, & abiuratâ Gentilium opinione, traductus est ad Christum. Illa autem nec aliorum curam abiecit: sed cùm tunc esset exorta Nestorij blasphemia, & malignus multos in errorem abduceret etiam ex ijs qui erant in verbo veritatis; ipsa erat quæ magnum aduersus eum inibat certamen, & vanum & inane reddebat eius sophisma, à manè vsque ad vesperam ijs respondens qui eam interrogabant, multisque ex ijs qui decepti fuerant, persuadens, & eos reducens. Quamobrem malignus se ab eâ vinci non ferens, in virum eius conuersus, nempe Pinianum, *& ei apparens miserabilis, cum lugubri & nigrâ veste accedit ad eam, terrens & grauia minitans: & primùm quidem se ipsius Imperatoris & eius famulorum cor mutaturum & in contrarium traducturum, deinde etiam vt miserabili exitu finiret vitam, procuraturum, grauissimis confecta doloribus. Illa autem hanc esse artem maligni intelligens, Christi nomen, quod grauissimam illi plagam affert, inuocans, effecit vt is statim euanesceret. Deinde cùm accessisset eum qui cum ipsâ erat sacerdotem, & incepisset narrare ea quæ viderat & audierat, sensit repentè dolorem in coxendice, eumque adeò acrem, vt vocem amiserit, & nemo dubitauerit id esse manifestum inimici insultum. Cùm sic ei productus esset dolor ad sex vsque dies, & illâ horâ maximè malum intenderetur, quâ nigrum aspexerat, & minas audierat (aderat enim dies septimus) accedit aliquis renuntians patruum Volusianum venisse in periculum ne repentinâ morte vitam mox finiret.*

Melania vrget Nestorianos.

Hoc postquam illa audiuit, etsi propter dolorem coxendicis vix se posset mouere, manibus & lecticâ protinus ad eum vecta proficiscitur. Valdè enim angebatur animo, non quòd ille moreretur, sed quòd mortem subieret animæ, vt qui Baptismi incorruptionem nondum esset assecutus. Deinde venit quidam alius, ei significans Volusianum esse baptizatum, & cùm eam sæpè quæsitam non inuenisset, sed eam morbo detineri didicisset, alium ducem rursus nactus, per illum fit filius lucis, & Baptismum consequitur. Cùm hæc ei dicta essent, cum dolore animæ prorsus cessauit etiam morbus corporis, & lumbus quidem carebat etiam dolore, & pes mouebatur, & communis inimicus afficiebatur dedecore: adeò vt viæ reliquum per se ipsa conficeret; & qui portabant, pro eo quòd priùs portabant, ad Deum laudandum statim manus extendebant. Deinde cùm venisset ad patruum, & verbis eum confirmasset, & de eâ quæ illic est vita, disseruisset, lætum & bonâ spe præditum transmisit ad viam quæ ducit ad Deum, cùm pulcherrimo viatico, nempe pretioso Christi corpore & sanguine eum instruxisset, & sic vt tutò recederet perfecisset. Et hæc quidem hoc modo gesta sunt.

Volusianus redditus Christianus ex hac vitâ decessit.

REDITVS IEROSOLYMAM.

ILLA *autem cùm multos quidem dies hîc transegisset, in paucis verò multis plurimum profuisset, & ante alios Imperatrici & ipsi Imperatori (is autem erat Theodosius;) nam ij maiori opus habent curatione, vt quorum animi maiori mundi gloriâ essent tumidi. Cùm hæc & alia plura fecisset, egreditur de ciuitate,* &c.

Peruenisse autem ipsam ad diem Paschatis Ierosolymam, auctor subdit: vt planè

planè appareat, sequenti ab eius aduentu anno Domini eam Ierosolymam redijsse: cuius monitu Eudociam nonnihil profecisse, ex eo potest intelligi, quòd & ad peregrinationem Ierosolymam posteà suscipiendam etiam inflammasset: quando autem id contigerit, suo loco dicemus. Porrò non Eudociam Augustam tantùm, sed & Theodosium congressu Melaniæ esse redditum meliorem, ex rebus posteà consecutis possumus opinari. Quòd enim Melania Catholicæ fidei zelo æstuaret; par est credere, eum aduersus Nestorianos concitasse, permouisseque vt Nestorij libri Imperatorio vetarentur edicto; quod sequenti anno, quo ipsa recessit Constantinopoli (vt dicemus) est promulgatum. Celeberrimi quidem nominis fuisse Melaniam tum antiquâ parentum nobilitate, tum etiam admirabili sanctitate, totoque factam orbi Christiano notissimam, quæ dicta sunt tum de ipsâ, tum de eius auiâ Melaniâ seniore, demonstrant.

MELANIA EVDOXIÆ IEROSOLYMAM PROFICISCENTI OCCVRRIT.

HOC insuper ipso anno, qui sequens est ab Eudoxiæ nuptijs, Eudocia mater peregrinata est Ierosolymam voti soluendi caussâ, vt Socrates tradit his verbis: *Theodosius Imp. deinceps* (post translationem Ioannis Chrysostomi corporis scilicet) *preces Christo offerre, quibus gratias pro acceptis beneficijs agat, Christique nomen hoc munere obeundo eximijs honoribus decorare cœpit. Quinetiam Eudociam coniugem Ierosolymam misit. Quippe pollicitus erat, illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonium collocatam cerneret. Quin illa ipsa & ecclesias Ierosolymorum, & omnes alias in vrbibus versus Orientem sitas, tum eò proficiscendo, tum domum redeundo, varijs ornamentis honorificè illustrauit.* Hæc Socrates. Porrò persuasione quoque sanctæ Melaniæ iunioris, cùm illa (vt vidimus) esset Constantinopoli, huiusmodi peregrinationem Ierosolymam Eudociam suscepisse, eius Acta testantur, in quibus hæc de Eudociâ: *Interim autem dum hæc fierent, Imperatrix* * *Eudocia iuerat Antiochiam. Parucrat enim Melaniæ monitis, cùm ea venisset Byzantium, suadentis vt hanc susciperet peregrinationem, & veniret Ierosolymam, vt videret loca sancta, & quæ ex eis percipitur fieret particeps sanctificationis. Cùm Melania itaque ei processisset obuiam, magno honore fuit affecta ab Imperatrice, vt quæ eam matris loco haberet, & duabus de caussis prouidentiæ diuinæ ageret gratias, nempe quòd vsque adeò celebratam Ierusalem & sancta loca quæ videret digna sit habita, & quòd in eâ talis matris facta sit filia secundùm spiritum. Signum est autem magni amoris Imperatricis in Melaniam, quòd non dubitauerit tantum iter aggredi, & eò accedere, & quæ illic erant virgines tamquam sorores salutare & amplexari.*

[Socrat l. 7. cap. 46. *Eudocia Augusta proficiscitur Ierosolymam.*]

[Apud Metaphrast. die 31. Decemb. Sur. die 31. Ian. * *Eudoxia.*]

Porrò autem cùm celebraretur noui templi dedicatio, illa quoque aderat, & festum celebrabat. Hanc autem rem bonam consecutum est quiddam dignum maligni improbitate, & boni Dei virtute. Pedem Imperatricis, qui iniuriâ dæmonis è compage erat luxatus, illa absque dolore aptè & rectè in suum locum restituit. Cùm hæc & non pauca alia à magnâ Melaniâ percepisset commoda, & se simul etiam exatiasset spectaculis, decreuit reuerti Constantinopolim: & ei quidem Melania cùm tamquam bonas comites dedisset preces, ipsam dimisit. Hæc ibi: sed de Eudociæ reditu Constantinopolim agemus anno sequenti, quo contigit.

[*Eudocia à sanctâ Melaniâ curata.*]

Quod verò ad Melaniam spectat, quantum superuixerit, non constat; sed illud certum est, ipsam monasticâ vitâ magnâ obseruatione perfunctam, & miraculis pluribus illustratam, die, quam prænouit, Decembris vltimâ ad Deum migrasse, & inter Sanctas relatam anniuersariâ memoriâ in Ecclesiâ celebratam.

DE [8] PALLADII LIBRO ELOGIA.

VIDE dicta suprà in Prolegom. generali x. vbi ex Socrate illustre de Palladij libro elogium attulimus. Cui accedunt sequentia.

CASSIODORVS lib. VIII. Hist. Trip. cap. XXIII. ex Socrate: *Si quis autem velit scire ea quæ ipsi egerint & fecerint, & quæ ad eorum qui audierunt locuti sunt vtilitatem, & quemadmodum eis obedirent bestiæ; à* PALLADIO *monacho scriptus est liber vnus, qui Euagrij quidem erat discipulus, de ijs autem omnia accuratè pertractauit. In quo etiam meminit mulierum, quæ par vitæ institutum cum viris priùs dictis susceperunt.*

IOANNES DAMASCENVS, de ijs qui in fide dormierunt:

Λέγω δὴ τὴν ΠΑΛΛΑΔΙΟΥ *πρὸς Λαῦσον ἱστορικὴν βίβλον, ἐν ᾗ τὰ τοῦ χριστοῦ τοῦ μεγάλου καὶ θαυματουργοῦ Μακαρίου, παναληθῶς ἀναγέγραπται θαύματα: Adde & historicum librum* PALLADII *ad Lausum, in quo verissimè conscripta sunt miracula, quæ magnus signisque clarus Macarius operatus est.*

NICEPHORVS lib. XI. cap. XLIV.

PALLADIVS *Euagrij discipulus Vitas Sanctorum optimè disposuit.*

NOTATIO.

1 LAVSIACA.] *Ita hæc historia vocatur in Triodio, ἐπεὶ ἀνάγνωσις εἰς τὸ Λαυσαϊκόν:* Inde legitur in Lausiacâ. *quod & pòst ibidem occurrit. Ita autem dicta est à Lauso præposito imperij, de quo vide ad num. 7.*

2. PARADISVS HERACLIDIS.] *Habes hîc Paradisum hunc, vt olim prodijt post omnes libros de Vitis Patrum, in Appendice. Vide dicta Prolegomeno generali* XIV.

3. MIRATI SVMVS.] *Existimo hîc intelligi Aloysium Lipomanum, qui tomo* III. *de Vitis Sanctorum Palladium, qui titulo Heraclidis olim Parisijs anno* M. D. IV. *prodierat, secundò impreßit, Venetijs anno* M. D. LIV. *præmissâ præfatione in libri commendationem. Sed si rectè mens Lipomani percipiatur, non tam ille dubitat, an Palladius Galata huius libri auctor sit, quàm ait Hieronymum epistolâ ad Ctesiphontem non agere de hoc libro Palladij, sed de Euagrij* (vel potiùs Ruffini) *quod verum est. Quamquam ijdem sex monachi, qui in libro Ruffini habentur, & Origenistas fuisse taxantur à S. Hieronymo, etiam in hoc libro reperiantur. At* (*ait Lipomanus*) *his sex dimißis alios legere ne graueris. Vide Prolegomenon generale* XV. *vbi egimus de auctoritate horum librorum.*

4. QVANDO AVTEM ID ACCIDERIT.] *Non existimo eum locum ex Palladij dialogo de rebus S. Chrysostomi desumptum, clarè facere ad Palladium nostrum Galatam. Nam etsi ille Palladius dicatur ibi pag.* V. episcopus Helenopoleos, *quomodo tamen pòst in eodem dialogo* episcopus Blemmyorum *siue* Æthiopum *dicitur? Nam pag.* XXX. *editionis Chrysostomi, quam citat Baronius, ita interrogat Theodorus*: Quid, quæso, de episcopis illis actum est, qui cum nostris missi sunt, Eulysio scilicet, Palladio, Cyriaco, atque * Democrito? *Respondet Palladius*, Cyriacum Emissenum octoginta millibus passuum Palmyram Persarum oppidum adductum esse: Eulysium verò Bostræ Arabum in castellum, quod Nusphas appellatur, Sarracenis adiacens relegatum: Palladium Blemmyorum siue Æthiopum episcopum seruari prope locum qui Syene vocatur: Demetrium intus in Oasim Mazicis proximam; sunt enim & aliæ Oases. *Atqui hi quatuor pag.* V. *ibidem memorantur Romam venisse, vbi Eulysius Apamea Bithyniæ dicitur episcopus, & Demetrius Pisinuntis, diciturq́ tunc secundò Romam venisse. Et pag.* VI. *habes Cyriacum cum Demetrio, Eulysio & Palladio, & Romanis aliquot socijs missum in Orientem à Romanâ Ecclesiâ, & ibidem habes de Romanis, qui post quatuor menses redierant:* Neque nobis edicere vltrà potuerunt de beato Ioanne aliquid certius, neque vbi modò sint Demetrius, Cyriacus, Eulysius, & Palladius. *Quare alteruter locus corruptus est. Si rectè priori loco*

pag.

* *lege*, Demetrio.

pag. v. *Palladius ille dicitur* episcopus Helenopoleos, *videndum num posteriore loco pag.* xxx. *verba transposita sint, legendúmque*: Palladium episcopum seruari prope locum Blemmyorum siue Æthiopum, qui Syene vocatur. *Certè Syene circa Blemmyos & Æthiopas. Hæc coniectura mea ita demum locum habeat, si Græco aliquo codice firmetur.*

5. QVANIVM AVTEM.] *Opinatio hæc non video quàm solido fundamento nitatur, cùm Palladius ille auctor dialogi de rebus S. Chrysostomi omnino distinctus videatur à Palladio Galatâ. Quod & ipse Baronius paulò antè anno Christi* CCCCIV. *vbi de Romanâ profectione Palladij Galatæ agit, agnoscit. Quare legatio hæc Palladij ad Zosimum Papam intelligenda de Palladio auctore dialogi, non de Galatâ Lausiacæ scriptore.*

6. SED PRO ALBINO ALBINAM.] *Proba Baronij diuinatio, intelligi hîc Albinam: sed non necesse* Albinam *pro* Albino *restituere. Constat enim illo sæculo feminarum nomina etiam masculinis terminationibus quandoque elata. Sic de feminâ, nunc* Melania, *nunc* Melanius, *nunc* Melanium *apud auctores veteres occurrit. Sic apud Hieron. ep.* LXXIX. *(quæ hîc in Melaniæ Profectione Ierosolymitanâ citatur)* Albinus, Pinianus & Melania plurimùm vos salutant. *nec opus corrigere vel diuinare de Albino filio. Sic in Palladio cap.* CXVII. *vbi Latinè est*, de sancta Melaniâ, *Græcè est*, Περὶ τῆς μακαρίας Μιλανίυ. *Ita quoque capiendus S. Paulinus epistola* CCXLIX. *ad Augustinum, quæ habetur inter Augustini epistolas:* Et nihil possum de beatâ huius filij matre, & sanctorum patre radice ramorum Melanio melius aut sanctius prædicare, quàm sanctitas tua in eam profari & disputare dignata est. *Nam per* Melanium *intelligit ipsam* Melaniam, *vt constat vel ex eo quod sequitur*, in eam. *si enim ibi ageretur de ipsâ Melaniâ & ipsius patre Melanio, vt existimauit marginalium & indicis concinnator apud Baronium tom.* v. *anno Christi* CCCCIX *non* in eam, *sed* in eos *dixisset Paulinus. Et vnde, quæso, constat, Melaniæ patrem dictum fuisse Melanium? Constat Marcellum vel Marcellinum dictum. Intelligit igitur per* Melanium, *vt dixi, ipsam* Melaniam, *quam matrem filij vocat, & patrem radicem sanctorum ramorum, quòd plures ex eâ prodierint sanctitate illustres, vt Melania neptis, & alia personæ.*

An feminæ, hæ Melania, Albina, *dictæ* Melanius *&* Albinus *à virili fortitudine, quâ affectus omnes mundumq́; superarunt? quâ formâ Phryges ob effeminationem Phrygiæ dictæ.*

7. LAVSI.] *Vita Melaniæ iunioris per Metaphrastem* XXXI. *Ianuarij, de eius Byzantij hospite:* Hospitio verò excipitur à quodam viro illustri, & alioqui bono; nomine quidem Lauso, qui ad præpositure honorem adscenderat. *Baronius tomo* v. *anno Christi* CCCCXXXIV. *Sixti Papæ* III. *Theodosij* XXVII. *Valentiniani* X. *Impp. Hic ille quidem videtur esse Lausus, ad quem Palladius Galata sua scripsit Lausiaca. Eodem enim quoque nomine Palladius eum Præpositum vocat, quem & custodem imperij nominat: quænam præpositura hæc esset, idem in fine operis declarat, vbi ait, eum sacro præfectum fuisse cubiculo.*

8. PALLADIO.] *Frater Ioannes Maria Brasichellensis, sacri Palatij Apostolici Magister, in indice librorum expurgandorum hæc de Palladio notat: Vt probè noscas, Lector, quisnam Palladius fuerit, accipe iudicia Patrum de ipso. S. Hieronymus, cuius in hac re iudicium probat S. Gelasius* I. *præfatione in libro aduersus Pelagianos ait:* Palladius seruilis nequitiæ hæresim Pelagianam instaurare conatus est. *S. Epiphanius epist. ad Ioannem Ierosolymitan. sic inquit:* Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordiâ Dei indiget, caue, quia Origenis hæresim prædicat & docet; ne fortè aliquos de populo tibi credito ad peruersitatem sui inducat erroris. *Hæc S. Epiphanius. At res Palladij gestas, vafriciem & odium in S. Hieronymum pluribus exponunt Annal. Ecclesiastici tomo* v. *Ex quibus omnibus disces, quæ fides adhibenda sit hæretico homini Origenistæ & Pelagiano, in his præsertim quæ de quibusdam sui similibus monachis eadem fuligine tinctis in hoc opere prodit: ac maximè verendum, ne aliquos pro sanctis venditet, qui fuerunt Origenistæ; vel Pelagiani. sagaci coniecturâ suis locis in opere quosdam istius furfuris indicabimus. Vt magis autem faciem & intima Palladij introspicias, scito ipsum fuisse discipulum Euagrij Pontici Origenistæ hæretici toties ab Ecclesiâ damnati, de quo plura annotauimus tomo* v. (Bibliothecæ Patrum) *initio libri Euagrij. Hoc de se testatur Palladius in hac Lausiacâ, cùm ait:* Respondi me esse peregrinum, & de Galatiæ partibus venire, & vnum ex Euagrij fratribus esse confessus sum. *Idem affirmarunt Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *& Nicephorus lib.* XI. *cap.* XLIV. *vt nihil mirum sit, si eodem luto errorum, quo Magister, tinctus Palladius fuerit. Quocircà cùm hoc opus laudant Socrates & Nicephorus, vt non imus infitias multa illi inesse vtilia & recta: ita certum est illos, qualis Palladius fuerit, non penitùs perspectum habuisse. Hactenus ille.*

PALLADII HELENOPOLEOS EPISCOPI IN LIBRVM OCTAVVM DE VITIS PATRVM

Fuit Palladius Origenista, & Pelagianus: ideò cautè legendus.

Quæ Historia Lavsiaca dicitur, PROOEMIVM.

Huius libri argumentum.

Intentio.

In hoc Libro scripta est, quâ in virtute vtebantur, exercitatio & admirabilis vitæ agendæ ratio beatorum & sanctorum patrum qui degebant in solitudine; vt eos æmulentur ac imitentur qui cælestem volunt vitam agere, & quæ ad regnum cælorum deducit, viam ingredi: anuumque mulierum memoria, & inclytarum matrum à Deo inspiratarum, quæ magno & forti animo virtutis exercitationis peregêre certamina; vt exemplar proponatur, & amor excitetur ijs quæ continentiæ ac castitatis volunt coronâ redimiri: ex sententiâ & voluntate viri, qui est variâ ac multiplici doctrinâ præditus, moribus pacificus, & corde pius, menteque religiosus, & in ijs quæ sunt opus egentibus communicandis liberalis, & propter morum bonitatem multis viris eximijs est in summis honoribus præpositus, & omnino custoditur virtute diuini Spiritus. Qui quidem nobis iussit, vel, si verum potiùs dicere oporteat, ad eorum quæ sunt meliora contemplationem hebes nostrum & obtusum excitauit ingenium, vt ad proponendam ad imitandum virtutum exercitationis decertationem sanctorum & immortalium & spiritalium patrum nostrorum, qui vt Deo placerent, in durâ & asperâ tractatione corporis vitam egerunt, præclarorum athletarum vitam à nobis descriptam ad eum mitteremus, vniuscuiusque ex magnis strenuas prædicando virtutes. Diuini autem huius & spiritalis desiderij amator est Lausus, cui post diuinum auxilium, mandata est custodia diuinitus afflati & religiosi imperij.

Quis Lausus.

Humilitas auctoris.

Ego igitur qui & linguâ sum ineruditus, & spiritalem cognitionem summis quodammodò labris attigi, & indignus sum qui recenseam catalogum spiritalem vitam agentium sanctorum patrum, etsi reformidem præcepti magnitudinem quod meas vires superat, & iussum ægrè feram, quod & magnam externam sapientiam, & spiritalem requirit intelligentiam: reueritus tamen primùm & eius qui ad hoc exequendum nos excitauit virtutem, & reputans eorum qui hæc legent vtilitatem, & extimescens periculum quod essem aditurus, etsi iure parêre recusarem, cùm egregium primùm iussum diuinæ adscripsissem prouidentiæ, magnaque vsus essem diligentiâ, sanctorum patrum intercessione erectus, ad ea sum aggressus, veluti quodam compendio præclarorum athletarum & magnorum virorum summa solùm certamina & signa describens.

Nec solummodò clarorum virorum, qui optimam ac præstantissimam ex virtute vitam egêre; sed etiam beatarum mulierum, quæ in excellentissimæ vitæ genere se honestè exercuêre. Et aliquorum quidem ex ijs sacros vultus vt ipse coràm viderem sum dignatus, qui iam antè sunt consummati in certamine pietatis: aliquorum autem cælestem vitæ institutionem didici à diuinis athletis. Multas autem vrbes, & multos vicos, & speluncas, & omnia tabernacula deserti monachorum pedestri itinere obiens, diligentissimè consideraui eorum pietatem ac religionem. Atque cùm quæ partim quidem ipse vidi scripsissem, partim autem quæ à sanctis patribus audiui, magnorum virorum certamina, & mulierum, quæ propter spem in Christum erant fortiores quàm earum ferebat natura, huius libri scriptis mandassem, misi ad tuas aures amicas diuinorum eloquiorum, optimorum virorum & religiosorum decus, fidelissimique & religiosi imperij splendor, germane & Christi amice serue Dei Lause, pro eâ quæ mihi inest exiguitate, vniuscuiusque ex Christi athletis tam masculis quàm feminis insigne nomen exprimens, & ex multis & magnis vniuscuiusque certaminibus pauca breuiter exponens. Plurimorum quoque genus etiam adijciens, & vrbem, & locum mansionis.

Vnde didicerit Palladius quæ scripturus est.

Meminimus autem virorum & mulierum, qui ex virtute quidem vitam perfectè instituerunt, propter arrogantiæ autem matrem inanem quæ vocatur gloriam, in infimum inferorum barathrum, & fundum præcipitati fuerant, & quæ longo tempore & plurimo labore sibi perpererant, amplectenda, & acerrimo studio comparanda exercitationis benefacta, vno temporis momento arrogantiâ & vanâ de se persuasione amiserant. gratiâ autem nostri Seruatoris, & sanctorum patrum prouidentiâ, & viscerum miseratione, erepti sunt à spiritalibus diaboli laqueis, & sanctorum precibus recuperauerunt priorem vitam quam agebant ex virtute.

Exemplar epistolæ scriptæ ad LAVSVM præpositum, ab* HERACLIDE episcopo Cappadociæ.

*Græcè est, παρὰ Παλλαδίου ἐπισκόπου à Palladio episcopo.

LAVDO *magnopere tuum institutum. Par est enim vt incipiat epistola à laudatione: quòd cùm omnes vanis rebus inhient, & lapides ædificent, ex quibus nullam capiunt vtilitatem, libros ædifices, & velis doceri. Solus enim est vniuersorum Deus qui nequit doceri. quandoquidem & ipse per se est, & ante se non habet alium. Alia autem omnia doceri possunt, quoniam sunt & facta & creata. Atque primi quidem ordines magistram habent summam Trinitatem, secundi autem discunt à primis, tertij autem à secundis; & sic deinceps, & per ordinem, vsque ad extremos. Qui enim sunt præstantiores honore & virtute, docent eos qui sunt inferiores cognitione. Qui ergo existimant se non egere magistris, aut non parent ijs qui docent in charitate, laborant morbo ignorationis, quæ est mater arrogantiæ. Inter quos primas partes tenent ad interitum, qui eodem vitio exciderunt à cælesti habitatione in aëre volantes dæmones, vt qui aufugerint ab ijs qui erant in cælo magistris. Non enim dictiones aut syllabæ sunt doctrinæ, quas nonnumquam habent etiam qui sunt pessimi: sed mores rectè compositi, & molestiæ & terroris, metus & iræ vacuitas, & in rebus omnibus fiducia ac dicendi libertas, & quæ sermones non secùs gignit quàm ignis flammam, mansuetudo. Nam si ita non esset, non diceret magnus magister suis discipulis: Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Non verborum ornatu instituens & dirigens apostolos, sed morum bonitate neminem molestiâ afficiens, præter eos qui verbum habent odio, & oderunt magistros. Oportet enim animam, quæ Christo conuenienter*

Angelorum ordines.

Quæ vera sit doctrina.

Matth. 11.

nienter

nienter exercetur, vel fideliter discere ea quæ non nouit, vel apertè docere ea quæ scit. Si enim alterutrum horum nolit, laborat insaniâ. Defectionis enim principium est doctrinæ satietas, & verbi fastidium, quod semper esurit anima eius qui Deum diligit. Vale ergo, & sis sanus & fortis, & (quod magnum est) tibi Deus concedat cognitionem Christi.

Exemplar epistolæ scriptæ ad LAVSVM præpositum, à PALLADIO episcopo Cappadociæ.

Quanta sit eorum quæ scripta sunt differentia. CVM multi multa & varia diuersis temporibus scripta huic sæculo reliquerint, quorum alia quidem, ex Dei supernæ gratiæ inspiratione, sunt ad ædificationem & securitatem eorum qui fideli proposito sequuntur dogmata Seruatoris: alia autem, ex corrupto & quod hominibus placere cupit proposito, luxuriant ad eorum consolationem qui inanis gloriæ morbo laborant: alia autem, ex importunâ quadam insaniâ, & dæmonis, qui quæ sunt honesta habet odio, impulsione, ad leuium hominum perniciem, & intemeratæ Catholicæ Ecclesiæ labem, irâ & arrogantiâ irruperunt in mentes stultorum, vt vitam honestam & puram obscurarent: visum & mihi quoque humili propter spem in Christum, & magnificentiæ tuæ iussum reuerenti, vir studiosissime, primùm omnium narrare ea omnia quæ ad me pertinent, & ætatem & mentis meæ ad virtutem in Deum profectum, incipiendo à iuuenili ætate.

Palladius hæc scribit anno 35 ætatis, 20. episcopatus, 33. vita solitaria. Cùm trigesimum quidem & tertium annum agerem in conuersatione cum fratribus & vitâ solitariâ, vigesimum autem episcopatus, totius autem vitæ meæ quinquagesimum tertium, necessarium existimaui, spiritalis vtilitatis gratiâ tibi cupienti in scriptis narrare, quæ à sanctis patribus rectè & ex virtute gesta sunt, tam masculis quàm feminis, quos & ipse vidi, & de quibus audiui ab animis fidelissimis, cum quibus versatus sum in Ægypti solitudine, & in Libyâ, & Thebaide, & Syene, sub quâ sunt etiam qui dicuntur Tabennesiotæ: deinde in Mesopotamiâ, Palæstinâ, & Syriâ, & in partibus Occidentis, & Romæ, & in Campaniâ, & in iis quæ sunt circa eas partibus: vt tibi ab initio accurratissimè in hoc libro exponam instar narrationis; vt cùm habeas honestum & animæ vtile monumentum, perpetuum & non intermittendum pietatis & religionis medicamentum, omnem quidem obliuionis dormitationem, quæ ex cupiditate rationis experte in animâ ingeneratur, omnem autem in fide dubitationem, omnesque in rerum vsu sordes & parcitatem, omnemque dubitationem pusillique & abiecti animi vitium, & nimiam ad iram propensionem, perturbationemque, & ægritudinem rationis expertem, & intempestiuum timorem per id expellas: & ne à corrupti mundi vanâ spe pendeas, effugias; perpetuo autem desiderio in spe ad Deum proficias, & in proposito pietatis: sis & in viâ dux tuus, & eorum qui tecum sunt, & eorum qui tibi subiiciuntur, & maximè piorum Imperatorum. Per quæ quidem benè facta omnes qui Christum diligunt, Deo vniri properant, exspectantes scilicet quotidie resolutionem animæ à corpore, prout scriptum est: Coarctor, cupiens dissolui & esse cum Christo: est enim multò melius. Et illud: Para in exitum opera tua, & præpara te in agrum. Qui enim semper mortis meminit, quæ necessariò omnino veniet, & non tardabit, in magnis non offendet, sicut scriptum est: In omnibus operibus tuis memento nouissima, & in æternum non peccabis. Neque verò præter alia omnia hæc te fallat breuis admonitio narrationum: neque respuas rudem & inornatam

Philip. 1. *Prou. 24.* *Eccle. 7.* *Non in lepôre rhetorico veritas*

tam dictionem. Non est enim diuinæ doctrinæ, ornatâ & ad ostendendam sapientiam compositâ vti oratione, sed menti persuadere per intelligentiam veritatis, vt scriptum est: Aperi os tuum verbo Dei, & iudica omnia sanè. Et rursus: Ne declines à narratione senum: ipsi enim didicerunt à patribus eorum.

Prou. 31. Eccle. 8.

Ego itaque, vir cognitionis Dei studiosissime, aliquâ ex parte sequens hoc dictum, multos conueni sanctos. Neque verò ea cogitatio mihi aliud agenti in mentem venit; sed cùm triginta atque adeò bis totidem dierum viam confecissem, & Dei gratiâ pedestri itinere, omnem Romanorum regionem peruasissem, viæ molestiam nihili feci si conuenire possem virum pium ac Dei amicum, vt lucrifacerem quod non habebam. Si enim qui me est longè præstantior, atque adeò fortè etiam vniuerso mundo, multosque superauit & vitæ agendæ ratione, & cognitione, & spirituali intelligentiâ, & fide in Christum, beatus apostolus Paulus, Tarso in Iudæam profectus est, vt conueniret Petrum & Ioannem & Iacobum: & ideò veluti glorians id narrat; referens suos labores, ad eos incitandos qui in socordiâ & otio vitam transigunt, dicendo: Ascendi Ierusalem vt viderem Cepham, non contentus solâ famâ illius virtutis, sed desiderans eius quoque intueri faciem: quantò magis ego qui sum innumerabilium talentorum debitor, debui hoc facere, non illos sanctos beneficio afficiens, sed mihi peccatori vtilitatem afferens. Nam ij quoque qui Patrum Vitas conscripserunt, Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & Moysis, & Eliæ, & Ioannis, & eorum qui deinceps consequuntur, non narrarunt vt eorum illustraretur gloria, sed vt prodessent ijs qui eas legerent.

Quo studio teneretur Palladius. Quanto feruore pios viros adire debeamus. Gal. 1.

Hæc ergo cùm scias, fidelissime & in primis venerande Christi serue Lause, teipsum sæpè admonens, feras patienter nostras ineptias, vt piam tuam mentem custodias, cui naturâ est insitum, vt diuersis vitijs, quæ sub aspectum cadunt & quæ non cadunt, tamquam vndis agitetur, potest autem sedari solâ perpetuâ oratione & propriâ tui ipsius curâ. Multi enim etiam ex fratribus paulò religiosioribus, qui & de exercitationis & eleëmosynæ laboribus sibi placebant, & de cælibatu perfectaque & absolutâ virginitate se iactabant, & in diuinorum eloquiorum meditatione animum vehementer intendebant, & rerum bonarum disciplinâ freti erant, aberrarunt ab * impatibilitate, temerariæ suæ sententiæ seruientes; vt qui alicuius scilicet pietatis prætextu negotij gerendi cupiditate laborarent, ex quâ oriuntur & gerendi negotij nimiæ sollicitudines, & ad mala negotia animi applicationes, quas consequuntur curæ alienorum negotiorum, quæ honestorum negotiorum curam euellunt radicitus, quæ est mater propria suiipsius curæ.

Cælibatus. * Castè lege.

Esto ergo, rogo te, fortis in omni intelligentiâ, non pingues & nitidas efficiens diuitias, quod quidem certè fecisti, eas satis minuens, impertiendo ijs qui indigent: eæque ad exercendam virtutem tibi fuère ministerio, cùm nec impetu aliquo, nec vllâ quæ ratione careret anticipatione, neque vllo prætextu quo placeres hominibus, iureiurando obligasses tuam liberam eligendi voluntatem, sicut multis euenit hominibus, qui cùm non comedendi vel bibendi contentiosæ vanæ gloriæ seruire fecissent liberum arbitrium, necessitate iurisiurandi, ei rursus miserabiliter succubuerunt, vel vitæ amore & ignauiâ, vel imbecillitate corporis, vel cupiditate alicuius voluptatis periurium patientes. Si ergo & ratione participes, & ratione abstineas, numquam peccabis. Diuina est enim in nobis ratio, quæ ab ijs quæ sunt in nobis monitionibus exterminat quidem ea quæ sunt noxia, assumit autem ea quæ sunt vtilia. Iusto enim, inquit, lex non est posita. Melius est ergo vinum bibere cum ratione, quàm aquam cum fastu & superbiâ. Atque mihi quidem aspice, eos qui cum ratione pietatis ac religionis vinum bibunt, esse viros sanctos; eos autem

Vnde oriã sit ruina & perditio, qui se semel statui perfectiori addixerunt, & ab eo desciuerint. Votum. Ratio contra peccatum. 1. Tim. 1. Nihil fastu in omnibus perniciosius.

qui

qui inconsideratè & citra rationem cum arrogantiâ aquam biberunt, esse homines profanos
Quomodo à cibo & potu abstinendum. Vinum bibere vt bonum. Aquam bibere vt malum. *& corruptos. Et nec ampliùs vituperes aut laudes materiam cibi aut potus, sed beatam vel miseram iudices mentem eorum qui rectè vel malè vtuntur materiâ. Bibit aliquando Ioseph vinum apud Ægyptios, sed non fuit mente læsus; erat enim animo munitus. Aquam autem biberunt Pythagoras & Diogenes & Plato, inter quos etiam Manichæi, & reliquus cœtus Theologorum Philosophorum, & eò vanæ eos perduxit opinionis intemperantia, vt ipsum Deum vniuersorum effectorem ignorarent, & inanima simulacra adorarent. Vsum vini tetigerunt ij quoque, qui cum beato Petro apostolo erant discipuli, adeò vt ipsi Domino & eorum magistro, omnium autem Seruatori id probro daretur, ob participatio-*
Matth. 11. *nem increpantibus Iudæis, & dicentibus: Quare discipuli tui non ieiunant, sicut Ioannis*
Marc. 2. *discipuli? Et rursus insultabant discipulis, & exprobrantes dicebant increduli: Magister*
Lucæ 5. *vester cum publicanis & peccatoribus comedit & bibit. De pane autem & aquâ non reprehendissent, nisi de obsonio & vino scilicet, ij qui vini quidem potionem vituperant, aqua*
Matth. 11. *verò laudant & admirantur. Respondet autem Seruator pulchrè, dicens: Venit Ioannes in viâ iustitiæ, neque comedens, nec bibens; carnem scilicet & vinum: nam absque alijs non potuisset viuere; & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis comedens & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax & vini potor, amicus publicanorum & peccatorum, propter-*
Ieiunandũ cum ratione. *eà quòd comedat & bibat. Quid nos ergo faciemus? Nec eos qui vituperant sequamur; nec eos qui laudant. Sed vel cum Ioanne ratione ieiunemus, etiamsi nobis dicant Iudæi: Dæmonium habetis; vel cum Iesu sapienter vinum bibamus, si corpus indigeat, etiam si nobis dixerint: Ecce homines voraces & vini potores. Neque enim reuerà esca est aliquid, nec potus, sed fides quæ per charitatem extenditur operibus. Cùm enim omnem actionem fides*
Rom. 16. *fuerit consecuta, condemnari non potest qui comedit & bibit, propter fidem. Quidquid enim non est ex fide, peccatum est. Sed quando aliquis ex voluptuarijs, vel ex ijs qui quodlibet aliud peccant, dicit: Fide participo, vel aliquid aliud ago, à ratione alienâ cupiditate, vel*
Matth. 7. *corruptâ conscientiâ innitens fidei, labitur. Seruator enim distinxit, dicens: A fructibus ipsorum cognoscetis eos. Quòd autem fructus eorum, qui diuinâ ratione vitam instituunt & spiritali intelligentiâ, sit ex diuini Apostoli sententiâ, charitas, & gaudium, & pax, & longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas, est*
Gal. 5. *extra controuersiam. Ipse enim dixit beatus Paulus: Fructus autem Spiritus est hoc*
Tria consideranda, ratio, tempus, discretio. *& hoc. Quòd autem qui studet tales habere fructus, citra rationem aut inconsideratè, aut intempestiuè non comedet carnes, nec bibet vinum, neque cum vllâ malâ cohabitabit conscientiâ. rursus dixit idem beatus Paulus: Omnis qui certat ab omnibus abstinet.*
1. Cor. 9. *Cùm sana quidem est caro, abstinens ab ijs quæ pinguefaciunt: quòd si sit ægra vel mærore confecta, vel aliquo casu afflicta, tunc vtetur quidem vel cibo vel potione tamquam medicamento, ad ea curanda quæ molestiam afferunt. abstinebit autem ab ijs quæ*
Aegrotis & cibus & potus licitus est, vt ijs vtantur quasi medicamentis. *sunt animæ noxia, irâ, & inuidiâ, vanâ gloriâ, tristitiâ, & detractione, superbiâ & elatione, Deo agens gratias.*

Cùm de his itaque satis disseruerim, tuæ rursus docilitati aliam affero adhortationem. Fuge pro viribus eorum virorum congressiones qui nullam habent vtilitatem, & pellem exornant aliter quàm conueniat. etiamsi sint orthodoxi, non solùm hæretici: & lædunt hypocrisi, etiamsi cano capite & corrugatâ fronte præ se ferant longitudinem temporis. Nam vt propter mores generosos ab eis nihil lædaris: id certè quod videtur esse minimum, te sauciabit. Insolens enim redditus, animo efferêris, eos irridens. Quod quidem tibi detrimentum afferet, vt qui in superbiam incideris. Super lucidam autem sen-

fenestram persequere & virorum & mulierum sanctas congressiones, vt per eorũ veluti subtiliter scriptum librum, possis tuum cor apertè videre, & per collationem probare socordiam tuam vel diligentiam. Multa enim sunt quæ probitati ferunt testimonium: color vultus qui in eâ vitâ quæ degitur efflorescit, & vestium ornatus, & mores compositi, & modestia orationis, & verba non exquisita & affectata, elegans sententia, cogitata sensaque sapientia. Dominus autem vires dabit tuæ mansuetudini, & omnibus qui sequuntur scopum pietatis, etiamsi vel desidiâ vel casu aliquid acciderit. Amictus enim, & gressus pedis, & risus dentium annuntiabit de ipso, vt ait Prouerbium.

Quæ alicuius probitati adferant testimonium. — Eccle. 10.

Incipiens itaque tibi narrare vitam sanctorum patrũ, neque eos qui sunt in vrbibus, vel vicis, vel speluncis, vel solitudinibus tibi ignoti, prætermittam oratione, adijciens eos etiã qui sunt in cœnobijs. Neque enim locus quæritur in quo se rectè & ex virtute gesserunt, sed modus rectæ eorũ institutionis, per quã Christi auxilio vitam egerunt angelicam.

Monachorum vita angelica.

CAP. I.

Vitâ [1] ISIDORI *presbyteri & xenodochi.*

CVM ergo primùm venissem in Alexandrinam ciuitatem, secundo consulatu Theodosij magni Imperatoris, qui propter suam rectam in Christum fidem nũc est cum Angelis, in ipsâ ciuitate incidi in quemdam virum admirandum, & omni ex parte ornatum, sermone, moribus, & scientiâ, nempe Isidorum, qui erat & presbyter & xenodochus Alexandrinæ ecclesiæ. Is dicebatur primâ quidem iuuentute versans in solitudine, peregisse certamina exercitationis. Cuius etiam cellam vidi ego in monte Nitriæ: offendi autem eum senem septuaginta annos natum; qui cùm vixisset alios quindecim annos, in pace obijt. Hic sanctus vsque ad horam obitus nihil lineum gestauit [2] extra vittam, non balneo est vsus, non tetigit carnes, numquam à mensâ recessit repletus ad satietatem. Erat autem corpore à Dei gratiâ tam benè contemperato, vt omnes qui ignorabant eius victus rationem, persuasum haberent eum lautè viuere & opiparè. Huius virtutes animæ si velim sigillatim narrare, narrantem me tempus deficiet. Qui erat adeò mitis, benignus, & pacificus, vt etiam infideles eius inimici, propter rectam in Christum fidem, vel eius vmbram reuererentur, ob insignem viri bonitatem. Tantam autem habuit spiritalem gratiam & cognitionem sanctarum Scripturarum, & comprehensionem diuinorum dogmatum, vt etiam in ipso conuiuio horâ solitâ refectionis fratrum sancti huius fieret mentis excessus, mutusque euaderet ipse & obstupesceret: & cùm rogaretur vt quæ in excessu euenerant narraret, diceret: Mente sum peregrinatus ab aliquâ raptus contemplatione. Scio ego eum sæpè in mensâ fuisse lacrymarum; & cùm rogaretur caussam cur esset lacrymatus, audiui eum dicentem: Pudet me vesci cibo à ratione alieno, cùm sim ratione præditus; & versari deberem in paradiso deliciarum, replendus ambrosiæ nutrimento, propter eam quæ nobis à Domino data est potestatem. Is erat Romæ notus cuncto senatui & procerum vxoribus, quo tempore cum beato Athanasio episcopo priùs recesserat, deinde cum sancto Demetrio episcopo. Is cùm abundaret opibus, & ijs quæ sunt ad vsum necessaria, non scripsit testamentum decedens, non pecuniam reliquit, non rem vllam suis sororibus quæ erant virgines; sed eas Christo commendauit, dicens: Deus qui vos creauit, vobis quoque victum prouidebit sicut & mihi. Erat autem conuentus virginum quæ erant cum sororibus eius, septuaginta. Is, cùm ad eum venissem adolescens, & rogarem vt ad vitam cooptarer monasticã, meâ adhuc ætate lasciuiente, & non opus habente sermonibus, sed laboribus qui carnem subigerent, duraque & asperâ viuendi ratione quæ corpus compesceret: is, inquam, tamquam bonus domitor pullorum, duxit me extra ciuitatem ad eas quæ dicuntur Cellæ eremiticæ, circiter quinto ab vrbe lapide.

Palladij Alexandriam aduentus. — *A quibus abstinuerit Isidorus.* — *Vel vmbra eius gentilibus venerabilis.* — *Extasis, & eius raptus mentis tempore refectionis.* — *Cibus beatitudinis consolatur esurientem.* — *Eius cum Athanasio & Demetrio Romã aduentus.* — *Conuentus virginum.* — *Monacho iuueni non tam sermonibus quàm laboribus opus est.*

[3] DOROTHEVS THEBANVS. CAP. II.

ET me tradit cuidam Dorotheo exercitatori Thebano sexagesimum annum agenti in speluncâ, & iubet me implere apud ipsum tres annos ad domandas animi perturbationes (sciebat enim senem agere vitam admodum duram & asperam) & postquam annorum numerum implessem, rursus ad eum reuerterer, mandauit ob reliquam doctrinam spiritalem. Cùm autem non potuissem apud eum implere numerum trium annorum, eo quòd in morbum inci-

Dorotheus sexaginta annos versatus in speluncâ. — *Palladius ei in disciplinam traditur.*

incidissem vehementem, ab eo recessi ante tempus præstitutum. Erat enim eius vitæ ratio longè asperrima, squallida, & planè arida. Toto enim die, atque adeò in ipso æstu meridiei, in solitudine quæ est propter mare, colligebat lapides, & ex eis semper ædificans, & cellas faciens, eas cedebat ijs qui non poterant ædificare, singulis annis cellam faciens. Cùm autem ego aliquando huic sancto dixissem: Quid agis, pater, in tantâ senectute corpusculum tuum occidens caloribus intolerabilibus? respondit mihi, dicens: Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam. Comedebat autem singulis diebus sex vncias panis,[4] & minutorum olerum fasciculum: aquæ autem bibebat modicum quid. Deum autem testor, me numquam eum cognouisse pedes extendisse, non deditâ operâ dormijsse in toro, aut super lectum; sed per totam noctem sedens contexebat[5] funem ex ramis palmarum, vt ex eo sibi victum pararet. Cùm autem suspicarer, eum, cùm adessem solummodò, tam extremâ vsum esse exercitatione, sciscitatus sum vt scirem à compluribus eius discipulis, an perpetuò vteretur tam accuratâ exactâque exercitatione: qui quidem manebant ipsi quoque deinceps seorsum, se rectè & ex virtute gerentes. Hi mihi dixerunt quòd à iuuentute vitam suam ita instituit, numquam deditâ operâ dormiens nisi quòd inter operandum vel comedendum aliquando conniuebat oculis deiectis; adeò vt sæpè[6] panis quoque ex eius ore excideret esus tempore propter nimiam dormitationem. Cùm autem ego aliquando cogerem hunc sanctum paululùm iacere super stoream, ægrè ferens mihi dixit: Si quando persuaseris Angelis vt dormiant, tum virtutis studioso quoque persuaseris.

Labor corporis.

Affligendũ corpus, ne illud nos occidat.

Victum sibi parat manibus Dorotheus.

Ne sopor obruat virtutis studiosum.

Quodam autem die ad puteum suum me misit circa horam nonam, vt implerem cadum, quò eo in refectione vteretur cùm instaret hora cibi capiendi. Accidit autem, vt cùm accessissem, infrà in puteo viderem aspidem, & præ metu aquam minimè haurirem, sed currendo reuersus ei nuntiarem, dicens: Periimus, abba, vidi enim aspidem inferiùs in puteo. Ille autem honestè subridens, quoniam mei magnam habebat rationem, & caput quatiens, dixit: Si visum fuerit diabolo in omnem puteum iniicere serpentes, & aspides, vel testudines, aut alia venenata animalia, in omnes fontes aquarum, tu manebis numquam bibens? Ipse autem è cellâ egressus, cùm per se hausisset, bibit ieiunus, cùm prius signaculo crucis muniisset, & dixisset:[7] Vbi Crux adest, illic viribus caret diaboli improbitas.

Crucis signum contra venenum.

Acta & temperantia[8] POTAMIOENAE.

CAP. III.

BEATVS ergo Isidorus xenodochus, qui beatum Antonium conuenerat, narrauit mihi, se ab eo audiuisse rem dignam quæ mandetur litteris.

Potamiœna quędam puella formosissima, tempore Maximini persecutoris fuit ancilla cuiusdã intemperantis & libidinosi. Quam cùm multùm rogasset, & ei varia promisisset eius dominus, eam non potuit decipere. Quo factum est, vt is tandem furore percitus, eam traderet[9] præfecto Alexandrino, qui erat eo tempore, tamquam Christianam, & quæ tempora & Imperatores insectaretur maledictis propter persecutiones; pollicitus se ei magnam pecuniæ vim daturum ob eius calamitatem, dicens: Si ei persuaseris vt meo desiderio assentiatur, eam custodi nullo affectam supplicio: quòd si mansisset in eâ quam ab initio ostenderat austeritate, rogauit vt ea supplicio affecta moreretur: ne, dicens, viua meam irrideat intemperantiam. Producta autem ante tribunal virgo fortis, diuersis ad pœnas sumendas comparatis instrumentis, corpore fuit excruciata, & aduersus multas ac varias rationes mente tamquam turris firma ac stabilis resistebat. Inter instrumenta autem suppliciorum, crudelius quoddam ceteris tormentum ab eo qui tunc erat iudex inuentum est. Iubet enim magnum lebetem pice repletum vehementissimo igne accendi. Cùm bulliret ergo pix & valdè arderet, conuersus ad illam beatam sæuus præses, dixit: Abi, pare voluntati domini tui: alioqui, vt intelligas, iubeo te deuolui in lebetem. Illa verò respondit, dicens: Absit, vt sit iudex adeò iniquus, qui me iubeat parêre libidini & intemperantiæ. Ille itaque furore percitus, iubet eam exui, & in lebetem inijci. Illa verò vocem emittit, dicens:[10] Per caput Imperatoris quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ne iusseris me exui; sed iube me paulatim in picem feruentem demitti, vt videas quantam mihi largitus est patientiam Christus quem tu ignoras. Quæ sic paulatim demissa spatio trium horarum, emisit spiritum cùm pix peruenisset ad eius collum.

Constantia Potamiœnæ.

In lebetem bullientem pice repletum demittitur.

Vita[11] DIDYMI *orbi.*

CAP. IV.

PLVRIMVS ergo cœtus sanctorum virorum & mulierum, tunc fuit consummatus in ecclesiâ Alexandrinâ, qui sunt inuenti digni terrâ mitium. Inter quos consumma-

Hic Didymus inuito sanctitate & doctrinâ clarus, ad extremum Origenista.

Didymus oculis orbatus. summatur etiam beatus scriptor Didymus qui fuit [12] orbus. Cum quo fuit mihi quater congressio, cùm decem annorum interiecto interuallo ad eum proficiscerer. Is autem *Annos 85. vixit.* consummatur natus annos octoginta quinque. Fuit autem is orbus, vt qui cùm esset quatuor annos natus, oculos amiserit, vt ipse mihi narrauit; & neque litteras didicit, neque ventitauit ad præceptores. Habebat enim secundùm naturam magistram firmam ac validam, propriam conscientiam. Tantâ autem spiritalis cognitionis fuit exornatus *Psal. 145.* gratiâ, vt reuerà impleretur in eo quod scriptum est: Dominus illuminat cæcos. Vetus enim & nouum Testamentum interpretabatur ad verbum: dogmata autem subtiliter & tam strenuè exponebat, vt omnes veteres scientiâ superârit. *Sacras Scripturas nouerat, etsi non didicisset.*

Is cùm aliquando me cogeret in cellâ facere orationem, ego autem nollem, mihi dixit narrans: Ter in hanc cellam ingressus est beatus Antonius, vt me viseret; qui à me rogatus vt faceret orationem, statim genu flexit in hac cellâ, neque commisit vt quod dixeram iterùm repeterem, re ipsâ quidem *Ne qua sit in hospite contentio.* docens in obedientiâ. Quare si tu quoque eius vitæ vestigia sequeris, vt qui sis monachus & hospes ob virtutem, omnem depone contentionem.

Hic ipse hoc quoque mihi narrauit: Cùm quodam die, aiebat, de vitâ miseri Iuliani Imperatoris, vtpote persecutoris, essem sollicitus, & animo angerer: accidit vt propter hanc sollicitudinem ad vesperam vsque seram nihil comederem: & cùm in sedili sederem, me somnus opprimeret, & viderem in extasi equos albos cum insessoribus percurrentes, & annuntiantes: Dicite Didymo, Hodie horâ septimâ mortuus est Iulianus; surge ergo & comede: & quod tu scis, domum mitte ad episcopum Athanasium, vt ille quoque hoc sciat. Notaui autem, inquit, & horam, & diem, & hebdomadem, & mensem, & sic inueni. *Mors apostatæ Iuliani reuelatur Didymo.*

CAP. V.

ALEXANDRAE *Vita.*

Alexandra monimento per duodecim annos se inclusit. NARRAVIT autem mihi quoque hic beatus de quadam ancillâ, nomine Alexandra, quę relictâ ciuitate in monimento se inclusit, per foramen accipiens quæ erant necessaria, neque in virorum neque in mulierum conspectum veniens spatio decem annorum. Decimo autem anno aiunt beatam, cùm dormijsset, seipsam composuisse: adeò vt quæ solita erat ad eam venire, cùm illi non respondisset, nobis renuntiauerit. Cùm nos ergo accessissemus, & monimenti ostium amouissemus, ingressi sumus & inuenimus eam obdormisse.

De eâ autem dicebat etiam beatissima Melania Romana, cuius vitam narrabo tempore & loco conuenienti. *Infrà hic cap. 117.* Huius, inquit, beatæ faciem non potui intueri: stans autem ego circa foramen, eam rogaui, vt mihi diceret caussam, propter quàm secessit quidem à ciuitate, seipsam autem inclusit monimento. Illa autem, inquit, per foramen me est allocuta, dicens: Quidam, inquit, insano mei amore tenebatur, & ne eum viderer molestiâ afficere, vel in inuidiam vocare, malui me viuam in hoc monimentum inferre, quàm offendere animam quæ facta est ad Dei imaginem. *Cur se incluserit Alexandra.* Cùm autem ego ei dixissem: Quomodo ferre potes, serua Christi Dei, cum nullo omnino colloqui, sed sola pugnare cum desidiâ & cogitationibus? mihi respondit, dicens: A manè vsque ad horam nonam oro, per horam nens linum: reliquis autem horis mente reuoluo vitam sanctorum patrum, & patriarcharum, & certamina beatorum apostolorum, & prophetarum, & martyrum. *Quibus vacaret sic inclusa.* Postquam autem aduentârit vespera, cùm Dominum meum glorificauero, cibum panis capio, plurimas horas noctis perseuerans in oratione, & finem exspectans, quando hinc dissoluar cum spe bonâ, & apparebo ante faciem Christi Dei.

Non prætermittam autem in narratione eos quoque qui ita vixerunt, vt speciem quidem præ se ferrent pietatis ac religionis, sed eam contemnerent, ad laudem quidem eorum qui rectè & ex virtute se gerunt, & vt cauti sint & attenti, qui legunt.

CAP. VI.

De quadam VIRGINE *quæ laborabat amore diuitiarum.*

ERAT quædam Alexandriæ virgo solùm nomine, habitu quidem humilis, animi autem instituto parca, superba & insolens, & laborans auaritiâ, auri potiùs quàm Christi amans: ex rebus suis nulli vmquam exhibens, non hospiti, non pauperi aut afflicto, non monacho, non virgini, non ecclesiæ vel obolum vnum. *Virgo habitu humilis, sed animo insolens, & in pauperes dura.* Ea multis sanctorum patrum admonitionibus incitata, non repellebat graue pondus diuitiarum. Erat autem ei quoque genus, ex quo sororis suæ filiam in filiam adoptauerat. Cui noctu & diu sua pollicebatur, cùm ipsa excidisset ab opibus cælestibus. *Vt amicos ditet, ipsa opibus cælestibus excidit.* Nam hæc quoque est vna species fraudis diaboli, qui prætextu amoris in cognatos, efficit vt nascatur auaritia. Nam quòd ei nulla sit cura generis, hinc patet. Ipse enim docuit & fratrem, & matrem, & patrem occidere. Idque

Deut. 22.

que est ex Scripturis extra controuersiam. Sed etsi videatur nonnullis curam cognatorum inserere, non hoc facit quòd illis benè velit, sed vt eorum qui ei parent animam apertè exerceat ad iniustitiam, cùm ipse sciat latam sententiam, quæ dicit: Iniusti regnum Dei non possidebunt. Potest autem aliquis, & spiritali motus intelligentiâ, & diuino desiderio, neque suam negligere animam, & cognatis opem ferre, si quid eis defuerit. Quando autem quis ita totam suam instituit animam, vt ea despiciatur [14] & obruatur præ curâ cognatorum, is incidit in legem, vt qui suam pro vano æstimet animam. Canit autem Dauid quoque sacer psalmographus de ijs qui animæ curam gerunt, in timore Dei dicens: Quis ascendet in montem Domini? pro eo quod est, rarus. Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Illi enim animam suam in vano accipiunt, qui existimant eam dissolui vnà cum hac caruncula, qui virtutes spiritales negligunt.

1. Cor. 6.

Quomodo possit quis cognatis succurrere citra animæ naufragium.

Psal. 23.

Qui in vano suam animam accipiunt.

Huic virgini, quæ solo nomine sibi parauerat appellationem, moribus autem erat aliena ab exercitatione, cùm venam, vt dicitur, vellet incidere ad leuandam auaritiam, sanctissimus [15] Macarius presbyter & præfectus Ptochotrophij eorum qui sunt corpore mutilati, talem actum excogitat. Erat enim is à iuuentute [16] lapidarius. Ad eam autem accedens, dicit: In me inciderunt pulchræ gemmæ, smaragdi & hyacinthi; nec scio an sint furtiui, an alicuius mercatoris. Non constituitur enim eis pretium, cùm æstimationem superent: qui habet autem, vendit eas quingentis solidis. Si ergo tibi visum fuerit eas accipere, da quingentos solidos, potes ex vnâ gemmâ accipere quingentos, reliquis autem vti ad variandum mundum filiæ tuæ sororis. Cùm autem quæ dicebatur virgo, tota penderet à puellâ, inescatur eius ornandæ cupiditate; & procidit ad eius pedes, & dixit: Rogo te ne quis alius eas accipiat. Eam ergo adhortatur sanctus, dicens: Veni vsque ad domum meam, & eas aspice. Illa autem noluit; sed ei præbet quingentos solidos, dicens: Rogo te, ipse eas vt vis cape. nolo enim videre hominem qui eas vendit. Cùm autem quingentos solidos ab eâ accepisset sanctus Macarius, dat eos ad vsum Ptochotrophij. Cùm autem multum tempus præteriisset, quoniam magnâ erat existimatione apud Alexandrinos vir ille, vtpote summè pius ac misericors (vixit autem ad centum vsque annos, cuius tempore nos quoque fuimus) verebatur eum admonere. Tandem cùm eum inuenisset in ecclesiâ, dicit ei: Rogo te, quid iubes de lapidibus, pro quibus dedimus solidos quingentos? Ille ei respondit, dicens: A quo die mihi dedisti aurum, eos impendi in pretium gemmarum, & si velis eas videre, veni in hospitium meum. Illic enim sitæ sunt gemmæ, & vide; quòd si tibi non placeant, tolle aurum tuum. Venit autem illa lubentissimè. Habebat autem Ptochotrophium in superiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. Cùm ea autem accessisset, introducit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Macarius: Quid vis primùm videre, hyacinthos, an smaragdos? Ea verò illi dicit: Quod tibi videtur. Ille verò eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei conscissis feminas membris, & vultibus totis variâ morbositate laceratis, & dicit ei: Ecce hyacinthi. Deinde deducit eam in partem inferiorem, & ostendit ei viros, dicens: Ecce smaragdi; & existimo non inueniri his pretiosiores: quòd si tibi non placeant, accipe aurum tuum. His ergo sic gestis, pudore affecta virgo exijt, & domum reuersa magnum accepit dolorem, quòd hanc rem ex Deo non fecisset, sed adducta necessitate. Posteà autem gratias egit presbytero, cùm puella cuius curam gerebat, post nuptias mortua esset sine liberis, ipsaque deinceps facultates suas in rectos vsus expendit.

Domus hospitalis mutilatorum.

Sanctus Macarius quo astu virginem ab auaritiâ reduxerit.

Macarius presbyter ad centum annos vixit.

Pauperes & ægroti gemmæ sunt maximi pretij.

Vita abbatis [17] ARSISII, *& eorum qui cum eo erant in monte Nitriæ.* CAP. VII.

CVM ego cum multis sanctis essem congressus, & versatus tres annos in monasterijs quæ sunt circa Alexandriam, & mansissem cum magnis studiosissimisque & optimis viris circiter bis mille, omni virtute ornatis, illinc recedens veni in montem Nitriæ. Inter hunc montem autem & Alexandriam positus est lacus, qui dicitur Maria: is autem continet ad millia septuaginta. Quem cùm transmisissem, per diem vnum & dimidium veni in montem ad partem meridionalem. In quo monte sita est ingens solitudo, quæ pertinet vsque ad Æthiopiam, & Mazicos, & Mauritaniam. In eo autem habitant ad [18] quinque millia virorum, qui vtuntur vario vitæ genere, vnusquisque vt potest & vult, adeò vt liceat & solum manere, & cum duobus, & tribus, & cum quo velit numero. In hoc monte sunt septem pistrinæ, quæ & illis seruiunt, & anachoretis qui sunt in vastâ solitudine, viris perfectis, numero sexcentis. Cùm ergo toto anno in monte habitassem apud beatos & sanctos patres, magnum Arsisium,

Maria lacus.

Quinque millia virorum in quodam monte.

sisium, & Putuphastum, & [19] Hagionem, & Cronium, & Serapionem: & multis antiquiorum patrum spiritalibus narrationibus, ab ipsis essem stimulatus, veni in intimam solitudinem. In hoc monte Nitriæ vna est maxima ecclesia, & in ipsâ ecclesiâ sunt tres palmæ, ex quibus vnaquæque habet [20] flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos monachos qui delinquunt; alterum verò ad puniendos latrones, si quando inciderint; tertium verò ad corrigendos eos qui forte veniunt, & in aliqua delicta incidunt: adeò vt quicumque delinquunt, & conuincuntur meruisse vt dent pœnas, palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & sic dimittantur. Prope ecclesiam autem positum est xenodochium, in quo venientem hospitem toto tempore accipiunt, etiam si biennium aut triennium voluerit manere, donec velit suâ sponte recedere: permittentes ei vnâ hebdomadâ manere in otio. Alijs autem diebus deinceps occupant eum in operibus, aut in horto, aut in pistrino, aut in coquinâ. Quòd si fuerit quispiam, cuius sit habenda ratio, dant ei librum legendum, non permittentes ei, vt cum vllo colloquatur vsque ad horam sextam. In hoc monte degunt etiam medici & placentarij. Vtuntur etiam vino, & vinum illic venditur. Hi autem omnes suis manibus faciunt vestem lineam, adeò vt sint omnes minimè egentes. Circa horam autem nonam licet stare, & audire in vnoquoque monasterio hymnos & psalmos Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes, adeò vt existimet quispiam se sublime elatum transmigrasse in paradisum deliciarum: veniunt autem ad ecclesiam Sabbato solùm & Dominico. Sunt autem octo presbyteri qui præsunt huic ecclesiæ, in quâ quamdiu viuit primus presbyter huius ecclesiæ, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem: sed tacitè solùm cum eo sedent.

Ecclesia. *Flagellum.* *Xenodochium.* *Dociores.* *Hymni.* *Quando veniunt ad ecclesiam.* *Octo presbyteri.*

Hîc magnus Arsisius, & alij multi cum eo senes, quos nos vidimus, fuerût æquales tempore magno Antonio. Atque mihi quidem narrauit hic magnus Arsisius, se Amon quoque vidisse Nitriotem, cuius animam vidit assumi Antonius ab Angelis, & in cœlum deduci. Is dicebat se etiam Pachomium vidisse Tabennesiotem, virum prophetica gratiâ clarum, ter mille virorum archimandritam; cuius narrabo posteà virtutes.

Arsisius. Vita Antonii, c. 32. Ruff. l. 2. c. 30. Infrà c. 38.

CAP. VIII. *De sancto [21] AMON & eius coniuge.*

DICEBAT autem Amon hoc modo vixisse. Cùm esset, inquit, parentibus orbatus adolescens circiter viginti duos annos natus, vi à suo patruo mulieri iunctus est matrimonio: & cùm non posset resistere necessitati quam ei afferebat patruus; visum est ei, [22] & coronâ redimiri, & sedere in thalamo, & omnia sustinere quæ fiunt in matrimonio. Postquam autem omnes essent egressi, qui in thalamo & lecto dormituros collocauerant, surgit beatus Amon, & claudit fores: & sedens vocat beatam & germanâ suam coniugem, & ei dicit: Adesdum, [23] domina & soror, deinde rem tibi narrabo. Hoc quo coniuncti sumus matrimonium, nihil habet eximium. rectè ergo faciemus, si abhinc vnusquisque nostrûm seorsum dormierit, vt Christo placeamus, intactam nostram reddentes virginitatem. Et cùm è sinu suo paruum libellum protulisset, tamquam ex personâ Apostoli & Seruatoris, legebat puellæ quæ erat ignara litterarum, plurimam lectionis partem, adijciens ex suâ diuinitus inspiratâ doctrinâ, & in vitâ, in virginitate & castitate degendâ eam instituens. Quo factum est vt illa Christi gratiâ repleta, diceret: Ego quoque, domine mi, persuasum habeo, fore vt castam vitam libenter agam; & si quid iubes, hoc deinceps faciam. Ille verò, Ego, inquit, iubeo & rogo, vt vnusquisque nostrûm seorsum maneat. Ea verò hoc non tulit, dicens: Maneamus in eadem domo, sed in diuersis lectis. Viuens ergo cum eâ decem & octo annos in iisdem ædibus, toto die vacabat horto & balsameto. Operabatur enim balsamum; quæ balsamus instar vitis plantatur, vt in quâ colendâ & putandâ multum laboris ponatur. Vesperè ergo domum ingrediens, & faciens orationes, cum eâ comedebat. Et rursus nocturnas preces fundens, & synaxim peragens, summo manè ibat in hortum. Cùm hæc sic fierent, & peruenisset vterque ad impatibilitatem, vim & efficaciam habuêre preces Amonis. Postremò autem ei dicit illa beata: Est aliquid quod tibi dicam, domine mi; vt si me audieris, mihi planè constabit, quòd verè ex Deo me diligas. Is verò ei dicit: Dic quod velis. Ea verò dicit illi: Æquum est, vt tu qui es vir pius & religiosus, & exerces iustitiam, & similiter ego qui eamdem viam institui sum secuta, seorsum maneamus, & multi ex eo capiant vtilitatem. Non par est enim, vt propter me tanta & talis occultetur tua virtus philosophiæ, qui mecum propter Christum cohabitas in castitate. Is verò cùm ei gratias egisset, & gloriam Deo dedisset, ei dicit: Rectè tibi visum est, domina & soror, & si hoc tibi placet, tu habeto hanc domum:

Amon vi adigitur ad matrimonij iugum. *Amon cohortatur coniugem ad virginitatem.* *Amonis exercitium.* *Castè lege.* *Vis precum.* *Vxoris consilio seorsum habitauit.*

Amon ad montem Nitriæ convenit.

Ego verò abibo, & aliam mihi domum faciam. Qui cùm ab eâ esset egressus, ingressus est in interiora montis Nitriæ: nondum enim tunc illic erant frequentia monasteria, & sibi fecit duos cellarum tholos. Et cùm vixisset alios viginti duos annos, & rectè summam exercitationis virtutem exercuisset, in vitâ obijt monasticâ, vel potiùs translatus est sanctus Amon, natus sexaginta duos annos, bis in anno videns beatam vitæ suæ consortem.

Annorum 62. obit Amon.

Cùm is ergo solus esset in Nitrijs, ferunt ad eum puerum rabie exagitatum, vinctum catenis. canis enim rabiosus mordendo illi rabiem dederat. Seipsum ergo totũ laniabat, vt qui intolerabilem morbum ferre non posset. Postquã ergo vidit eius parentes, ad supplicandum procedentes, Quid mihi, inquit, labores exhibetis, ô homines, ea petentes quæ mea merita superant, cùm in vestris manibus præstò sit auxilium. Reddite enim viduæ bouem quem clanculùm occidistis: & sanus reddetur vobis puer. Illi verò cùm conuicti essent, læti fecerunt quæ iussa fuerant: & eo orante puer sanus euasit.

Puer à rabiosi canis morsu curatur precibus Amonis, cùm parentes bouem furto abductũ restituunt.

Accesserunt autem alij eius visendi gratiâ. Ad quos dixit vir sanctus, tentandi eorum animi gratiâ: Afferte ad me doliũ vnum, vt habeam satis aquæ ad eos qui veniunt excipiendos. Ij autem promiserunt seipsos allaturos. Cùm autem alterum pœnituisset, vbi in vicum venisset, dicit alteri: Nolo occidere camelum, neque ei dolium imponere, ne moriatur. His auditis, alius suis iunctis asinis magno labore dolium sursum portauit. Præueniens autem Amon ei dixit: Quid? quòd socij tui camelus est mortuus interim dum huc venisti? Is autem reuersus inuenit eum à lupis deuoratum. Multa quoque alia hic vir fecit.

Qui parcit bonis, ne opera misericordiæ impleat, bonorum incurrit naufragiũ.

Hoc autem miraculũ narrauit beatus Athanasius Alexandriæ episcopus, scribens in Vitâ Antonij, quòd cùm aliquando monachi ad ipsum missi essent ab Antonio (erat enim in interiore solitudine Antonius) cùm ad ipsum venissent, surrexit senex, & ambulabat cum eis. Et cùm esset transiturus Lycum fluuium cum eius discipulo Theodoro, verebatur exui, ne seipsum videret aliquando nudum: & intereà dum de eâ re dissereret, inuentus est trans fluuium; vt qui absque cymbâ in extasi traiecisset, translatus ab Angelo: fratres autem natatu transmiserunt. Postquam autem accessit ad Antonium, primus ei dixit Antonius: Cùm Deus mihi multa de te reuelasset, & tuam translationem mihi significasset, te ad me accersiui necessariò, vt cùm nobis inuicem frui licuisset, pro nobis inuicem intercedere-mus. Cùm autem eum collocasset in quodam loco longè separato, hortatus est ne recederet ante translationem. Cùm autem ipse seorsum fuisset consummatus, vidit Antonius eius animam in cœlum assumptam ab Angelis. Hic est ergo Amon, qui sic vixit, & sic obijt. Hunc Lycum fluuium ego cum metu pontone aliquando transmisi; est enim fossa & deriuatio magni Nili.

Athanasius scripsit Vitam sancti Antonij.

Amon se nudum videre renuebat.

Diuinitus vltra fluuium trãsfertur.

Vidit Antonius animam Amonis in cælum vehi.

Vitâ Abbatis Or.

CAP. IX. Hic Or fuit Origenista. Ruff. l. c. 2.

IN hoc monte Nitriæ fuit vir admirabilis abbas, Or nomine, habens monasteria mille fratrum, habitu angelico præditus: vt qui cùm esset nonaginta annos natus, nihil amisisset de corpore, erat enim vultu nitido & alacri; adeò vt cùm vel solùm videretur, vir esset reuerendus. Is cùm longè antè se in vlteriore exercuisset solitudine, posteà in propiori solitudine congregauit monasteria, palude proprijs plantatâ manibus, cùm ligna non essent in eo loco, adeò vt esset densa silua in solitudine. Dixerunt enim nobis qui cum eo erant patres, quòd ne germen quidem illic erat, quando vir ille venit ex solitudine. Ipsam autem plantauit, ne propter res necessarias, qui ad ipsum conueniebant fratres, cogerentur circuire; sed eorum omnem gerebat curam, Deum orans, & pro eorum salute decertans, vt nihil eis deesset necessarium, nec esset eis vllus socordiæ prætextus. Is primùm quidem degens in solitudine, vescebatur herbis & dulcibus radicibus: aquam quoque bibebat quando inueniebat; in precibus & hymnis toto tempore perseuerans. Postquam autem peruenit ad perfectam ætatem senectutis, Angelus ei apparuit in somnis, dicens in solitudine: Eris in gentem magnam, & magnus tuæ fidei credetur populus. Qui per te autem salui fient, erunt decies mille: quos si hîc lucrifeceris, totidem tibi parebunt in futuro sæculo. Neque quidquam dubitaueris, ait ei Angelus; nihil enim tibi deficiet eorum quæ sunt ad vsum necessaria, vsque ad mortem tuam, quoties Deum inuocaueris. Hæc cùm audijsset, venit ad propinquam solitudinem, seorsum primùm degens, sibi quodam paruo constructo tuguriolo, solùm compositis contentus oleribus: sæpè etiam semel solùm vescens in hebdomadâ. Atque erat quidem primùm illitteratus: postquam autem venit ex solitudine in terram habitatam, ei gratia fuit data diuinitus, & Scripturas expromebat memoriter. Ei enim libro dato à fratribus, ita deinceps legebat tamquam peritus litterarum. Aliam quoque acce-

Monasteria mille fratrum.

Victus parcus.

Angelica apparitio.

Or fuit illiteratus.

acceperat gratiam, nempe dæmonum expellendorum; adeò vt multi ex ijs qui laborabant, etiam eo nolente, clamantes eius vitam ostenderent. Alias quoque curationes non cessabat peragere. Quo factum est, vt ad eum conuenirent tria millia monachorum. Cùm eos autem vir ille vidisset, lætitiâ affectus eos salutauit, & complexus est. Cùm pedes eorum proprijs lauasset manibus, conuersus est ad doctrinam: erat enim valdè peritus litterarum, vt qui hanc gratiam accepisset diuinitus. Cùm autem Scripturarum multa soluisset capita, & fidem tradidisset orthodoxam, adhortatus est ad preces. Viris enim magnis mos est, nihil carnis admittere, priusquam spiritale alimentum animæ tradiderint: hæc autem est Christi communio. Cùm eius ergo fuissent participes, & egissent gratias, hortatus est ad mensam: ipse semper inter sedendum eos admonens, eorum quæ sunt bona & honesta, & dicens eis ea quæ pertinent ad salutem. Fuit ergo hic vir clarus inter multos patres, adeò vt cùm multi ad eum venirent monachi, omnes præsentes fratres conuocans, in vno die eis cellas faceret: vno quidem subministrante lutum, altero verò laterem, alio autem hauriente aquam. Perfectis autem cellis, ipse præbebat venientibus quæ erant necessaria. Is falsum fratrem, qui ad eum aliquando venerat, & vestes suas occultauerat, cùm coram omnibus arguisset, in medium produxit. Quo factum est, vt nemo auderet deinceps apud eum mentiri, cùm tantam haberet gratiam, quam per honestam suam vitam sibi collegerat. Licebat autem videre multitudinem eorum, qui cum ipso erant monachorum in ecclesiâ, tamquam Angelorum choros Deum laudantium.

Tria millia monachorum. *Eucharistia omnibus carnalibus cibis præmittenda.* *Or ipse cellas ædificat.* *Fictionem fratris diuinitus nouit.*

Magnâ huic sancto, suo testimonio tribuit virtutem vniuersa fraternitas: præcipuè autem ancilla Dei Melania, quæ hunc montem ante me est ingressa. ego enim eum non offendi viuum. Hæc autem præclara de hoc viro narrabat, quòd nec vmquã sit mentitus, neque iurauerit, neque vlli malè sit precatus, neque locutus sit nisi opus esset.

Quæ in Or maximè præclara.

Cap. x.

Vita abbatis [25] PAMBO.

Pambo quos docuerit. *Aurum despicit.*

HVIVS montis accola fuit etiam abbas Pambo, qui fuit magister Dioscuri episcopi [26] Ammonij & Eusebij & Euthymij fratrum, & Origenis filij fratris Dracontij viri illustris & admirabilis. Hic Pambo multa quidem habebat & varia priuilegia: inter cetera autem quæ rectè & ex virtute ab eo gerebantur, hoc habebat quo erat reliquis superior, quòd scilicet aurum & argentum despiciebat, quantum postulat ratio Dominica. Vnde mihi narrauit beata Melania, quòd cùm ab initio Româ venisset Alexandriam, & de eius virtute audijsset à beato Isidoro presbytero & xenodocho, qui de eo mihi narrauit; & ad ipsum deduxit in solitudinem. Ad eum, aiebat, attuli vasa argentea trecentarum librarum argenti, rogans eum vt rerum mearum esset particeps. Ille autem, inquit, operans, & ramos texens mihi benè dixit, voce magnâ dicens: Deus det tibi mercedem. Et dixit suo œconomo * Origeni: Accipe, & ea dispensa vniuersæ fraternitati quæ est in Libyâ, & in insulis. Hæc enim monasteria magis indigent: ei præcipiens, vt ex eo nihil daret ijs qui erant in Ægypto, propterea quòd sit regio ditior & abundantior. Ego autem, inquit, stans exspectabam, vt vel benedictionibus ab eo honorarer, vel verbo saltem laudarer ob tantum donum. Cùm verò nihil omnino ab eo audiissem, ei dixi: Domine, vt scias quantum sit, sunt trecentæ libræ argenti. Is autem rursus cùm ad hoc ne omnino quidem annuisset, & nec ad vasis quidem thecam attendisset, respõdit: Is cui hæc attulisti, ô filia, non opus habet vt à te discat quantitatem ponderis. Qui enim montes appendit & saltus staterâ, multò magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, rectè mihi pondus dixisses; sed si Deo ea obtulisti, [27] qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plus quàm omnia æstimauit, tace. Sic ergo, inquit, dispensauit gratia Domini, dum ingressa sum in hunc montem. Breui autem pòst tempore dormijt homo Dei, nec ægrotans, nec in vllâ parte corporis dolorem sentiens, sed sportam contexens me accersijt, & cùm adesset iam extremus stimulus, dicit mihi: Cape hanc sportam à meis manibus, vt mei memineris. Nihil enim habeo aliud quod tibi relinquam. Et cùm hoc dixisset, excedit sine febre, cùm esset annorum septuaginta, Domino commendans spiritum. Quem cùm ego [28] curassem, & linteis sancti corpus inuoluissem & deposuissem, recessi à solitudine, vsque ad diem mortis mecum habens illam sportam. Hic Pambo cùm esset moriturus, in ipsâ horâ excessus, eum circũstantibus [29] Origeni presbytero ac œconomo, & Ammonio viris inclytis, & reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse: Ex quo veni in hũc locum solitudinis, & meam ædificaui cellã, & hîc habitaui, nullus fuit dies quo non aliquid operis fecerim meis manibus: nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse; nec me in hanc horam pœnitet alicuius

Melania ei varia munera offert. ** al. Theodoro.* *Vasa argentea dono accepta dispensat egenis monachis.* *Sapiens responsum. Isa. 40. 12.* *Ne quis eleemosynæ pretium faciat. Marci 12. 42.* *Pambo annorum 70. moritur.* *Verba Pambonis morientis.*

Pambo ne in morte quidem se incepisse religiosè viuere protestatur.

alicuius sermonis, quem dixerim: & sic ad Deum recedo, vt qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim. Hoc quoque de eo ferebant testimonium Christi serui Origenes & Ammonius, quòd numquam de re aliquâ interrogatus, quæ vel ad Scripturam, vel ad actionem negotiúmve aliquod pertineret, statim responderit, sed dixerit: Nondum inueni quod respondeam: sæpè autem præterierant tres menses, & non dabat responsum, dicens: Nondum comprehendi. Tam considerate quidem ex Deo dabat responsa, vt à Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur enim hanc virtutem etiam supra magnum Antonium, & super omnes sanctos exercuisse, nempe vt esset in loquendo accuratus & perfectus.

In loquendo accuratus.

CAP. XI.

Vita abbatis [30] PIOR.

FERTVR autem præter alia hæc quoque actio sancti Pambon, quòd Pior, qui se in vitâ exercebat monasticâ, ad eius cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cùm eum autem Pambon reprehendisset, dicens: Cur hoc fecisti? respondit Pior: Ne te grauarem. Itaque tacitus eum dimisit. Post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus, quanam de causâ panem attulisset madefactum, respondit Pambon: Ideò madefeci, ne ego quoque te grauarem.

Mutua hospitalitatis contentio.

CAP. XII. Hic Ammonius fuit Origenista.

Vita abbatis [31] AMMONII, & *fratrum simul cum sororibus.*

AMMONIVS, qui fuit magni Pambo discipulus, simul cum tribus fratribus & duabus sororibus, cùm peruenissent ad summum pietatis ac religionis, venerunt in solitudinem, & seorsum fecerunt vtrumque monasterium, virorum scilicet & mulierum, ita vt satis magnum intercederet spatium. Quoniam autem insigniter doctus erat virorum optimus Ammonius, quædam ciuitas desiderauit eum habere episcopum. Qui cùm accessissent ad beatum Timotheum episcopum, rogarunt eum vt eis episcopum ordinaret Ammonium. Ille autem dicit: Adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo. Cùm ergo cum magno auxilio iuissent ad eum comprehendendum, is conuersus est in fugam. Cùm vidisset autem se iam esse comprehensum, stans eos rogabat. Cùm ij autem non parerent, iurauit senex se rem non suscipere, neque posse egredi è solitudine. Vbi autem non cedebant, ipsis videntibus, arrepto forfice sinistram aurem sibi abscidit ad imum vsque, eis dicens: Nunc intelligite, fieri non posse vt ego fiam quod me cogitis, cùm lex prohibeat ne ad sacerdotium proueheatur is cui sunt aures amputatæ. Cùm sic ergo eum dimisissent, recesserunt, & ad episcopum venientes hæc ei renuntiarunt. Is autem eis dicit: Hæc lex in vsu sit apud Iudæos. Mihi autem si vel truncatum naribus adduxeritis qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo. Euntes ergo eum rursus rogabant. Cùm ipse autem non parêret, aggressi sunt eum vel vi adducere. Is autem eis iurauit, dicens: Si me coëgeritis, etiam linguam meam exscindam. Eo itaque post hæc dimisso, recesserunt. Huius Ammonij fertur hoc miraculum. Numquã, inquiunt, si quando turpis voluptatis caruncula insurrectio eius corpus inuasit corpori suo pepercit: sed ferrũ candens suis membris admouebat, adeò vt esset totus vlceratus. Eius autem mensa talis fuit à iuuentute vsque ad mortẽ, quòd crudis scilicet vesceretur: nihil enim vmquã comedebat quod igni fuisset admotum, præter panem. Vetus autem & nouum Testamentũ dicebat [32] memoriter: & in doctorum virorum Origenis & Didymi, & Pierij & Stephani scriptis ita erat versatus, vt sexagies centena millia versuũ percurrerit: vt de eo ferunt testimonium magni quoque patres in solitudine. Huius autem feruntur etiam prophetiæ. Tantum autem valebat in consolandis fratribus qui erant in solitudine, quantum vllus alius.

Monasterium aliud virorum, aliud mulierum.

Renuit episcopatum Ammonius

Importunè quæsitus, sibi aurem amputat.

Crudis vescitur.

Vtrumque Testamentum memoriter tenet.

Prophetatur.

Hoc ei suo suffragio tribuebat Euagrius, qui erat vir discernendi vi præditus, se nullum hominem vidisse qui esset magis [33] impatibilis, & alienus ab omnibus animi perturbationibus.

Cautè lege.

Hîc in Græco textu quædam sequuntur, quæ versa habes apud Heraclidem cap. 2.

Vita abbatis [33] BENIAMIN.

CAP. XIII.

IN hoc monte Nitriæ fuit vir admirabilis, qui vocabatur Beniamin, qui rectè & ex virtute vitam egit annis octoginta. Qui cùm summè virtutem exercuisset, dignatus fuit gratiâ curationum, adeò vt cuicumque manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, qui laborabat liberaretur ab omni ægritudine. Hic qui tantâ gratiâ dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius Iob nostris temporis. Cùm nos autem assumpsisset Dioscorus episcopus, qui tunc erat presbyter montis Nitriæ, me inquam & beatum Euagrium,

Oleo sacro curati morbi.

Beniamin hydropisi laborat.

grium, dicit nobis. Adeste, videte nouū Iob qui in tanto corporis morbo & tanto tumore immensam habet patientiam cum gratiarum actione. Accedentes ergo vidimus tantam molem eius corporis, vt paruum eius digitum non possemus complecti digitis duarum manuum. Cùm autem morbi grauitatem non possemus fixis oculis intueri, nostros oculos auertebamus. Tunc dicit nobis beatus ille Beniamin: Orate, filij, ne meus internus homo sit hydropicus. hoc enim corpus neque cùm benè se haberet, mihi quidquā profuit, neque cùm malè, me læsit. Illis ergo octo mensibus facta est illi sella latissima, in qua sedebat assiduè, vt qui non posset in lecto accumbere, propter ea quæ sunt corpori necessaria. Cùm autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs qui tenebantur quibusuis ægritudinibus. Necessarium itaque dixi, morbum huius sancti exponere, ne nobis alienum videatur, si viris iustis aliquis casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij & postes, vt posset corpus efferri ex cellâ. Tanta erat moles corporis beati & inclyti patris Beniamin.

Beniamin alter Iob patientiâ.

Internus homo si sanus sit, non magnopere laborādum de corpore.

Aeger Beniamin aliis medetur.

CAP. XIV. *Vita* [36] APOLLONII *qui cognominabatur* ἀπὸ πραγματευτῶν, *id est, à negotiatoribus.*

QVIDAM Apollonius nomine ἀπὸ πραγματευτῶν, id est, à negotiatoribus, cùm mundo renuntiasset, & montem Nitriæ habitasset, & nec artem discere posset, nec litteras, quòd ætate esset prouectus: viginti annis quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs, & suis laboribus emens Alexandriæ [37] vasa medica omne genus, vniuersæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos: & licebat eum videre à primâ luce vsque ad horam nonam discurrentem obeundo monasteria, & ostium ingredientem, & visentem num quis decumberet. Portabat autem vuam passam, mala punica, oua, panem siligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem inuenit vitæ rationem vsque ad senium Christi seruus. Qui cùm esset moriturus, alteri sibi simili sua reliquit friuola, rogans eum, vt idem obiret ministerium. Nam cùm quinque millia monachorum illum montem habitent, tali quoque opus est curatione, quòd sit locus desertus.

Apollonius medicum se & pharmacopolam præstat fratribus.

CAP. XV. & XVI. *Vita* [38] PAESII & ISAIAE.

ALII Pæsius & Isaias nomine, fuerunt fratres patre [39] mercatore Hispanico, qui quidem cùm pater eorum esset mortuus, diuiserunt facultates quas habebant in mobilibus: in nummis quidem quinque millia, in vestibus autem & seruis quæ inuenta fuerant. Ij inter se deliberarunt, & sibi consulentes, dicebant: Quodnam vitæ iter ingrediemur, ô frater? si exerceamus mercaturam quam pater noster exercuit, nos relinquemus alijs nostros labores: & fortè incidemus in pericula vel latronum vel maris. Age ergo, frater, vitam aggrediamur monasticam, vt & patris nostri lucremur facultates, & nostras animas non perdamus. Placuit ergo vtrisque scopus vitæ solitariæ: sed inuenti sunt alius in alio discrepantes. Cùm itaque pecunias diuisissent, & reliqua omnia, hunc quidem sibi scopum proposuerunt, vt Deo placerent, sed diuerso vitæ instituto. Vnus enim omnia dispergens, dedit monasterijs, & ecclesijs, & custodijs, & cùm artem didicisset, ex quâ sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter autem eius nihil dispersit, sed facto sibi monasterio, & paucis assumptis fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ęgrotum, quemuis senem retinebat, cuiuis pauperi dabat: Sabbato & Dominicâ, tres aut quatuor mensas statuens, eos qui erant egeni excipiebat. Hoc modo vitam suam consumpsit. Ambobus autem mortuis, diuersæ beatitudines vtrisque dabantur à fratribus, vtpote quòd essent inuenti ambo virtute perfecti: & alijs quidem placebat vita eius, qui renuntiauerat; alijs verò ea quæ communicabat omnibus egentibus. Cùm ergo inter fratres incidisset contentio, propter horum beatorum diuersum vitæ institutum, & maximè propter laudes diuersas, vadunt ad beatum Pambo, & ad eum referunt, vt de hac re respondeat, volentes scire vtrânam sit melior vitæ ratio. Is autem eis dicit: Vtrique sunt perfecti apud Deum. alter quidem functus est munere Abrahæ, qui omnes excipiebat; alter verò suscepit firmissimum & constantissimum zelum Eliæ prophetæ, vt Deo placeret. Et cùm alij quidem ei dicerent: Quomodo fieri potest, dic, quæsumus, [40] nobis pedes tuos attingentibus, vt hi sint æquales. Cumque alij exercitatorem præferrent, & dicerent: Præceptum impleuit euangelicum, vt qui omnia vendiderit & dederit pauperibus, noctu & diu perseuerans in orationibus, crucem ferens, & sequens Seruatorem: contrà autem alij de altero contenderent, dicentes: Hic, obsecramus te, tot & talia viscera ostendit in omnes egentes, vt exiret & sederet in vijs regijs, & qui erant afflicti colligeret, & opem ferret:

Pæsius & Isaia fratres, ambo solitudinem spirāt.

Vita diuersum institutum arripiunt.

Contentio illis mortuis, de beatitudine, quam à diuerso illo instituto assecuti sint. Qui melior.

ret: neque solùm suam recreauit animam, sed etiam aliorum, ægrotos curans, & eis dans auxilium. Et dicit beatus Pambo: Rursus vobis dicam: ambo sunt pares apud Dominum, vnicuique autem vestrûm de ijs satisfaciam. Hic si non vsque adeò se exercuisset, non fuisset dignus vt illum bonitati illius compararem. Ille rursus qui recreabat ac reficiebat hospites, & egenis ministrabat, ostensus est Domino pro viribus æqualis. Ipse enim dixit: Ego non veni ministrari, sed ministrare. Hic ergo minister etsi videbatur habere onus ex labore, attamen ex ipso quoque habuit recreationem. Exspectate autem paululùm, vt à Deo quoque de his habeam reuelationem, & posteà scietis cùm veneritis. Intermissis ergo aliquot diebus redierunt, de his Magnum illum rogantes. Senex autem respondit illis, dicens:[41] Ante Deû vobis loquor: vidi vtrosque simul stantes in paradiso.

Mat. 20.

Vita [42] MACARII *iunioris*.

CAP. XVII.

Ex cæde inuoluntariâ occasio Macario adeundæ solitudinis.

QVIDAM ætate iunior, nomine Macarius, decem & octo annos natus, cùm luderet cum suis æqualibus ad lacum qui dicitur Maria, pascens pecora cædem fecit inuoluntariam. Is cùm nemini hoc dixisset, venit in solitudinem, & eò processit metu & Dei & hominum, vt non senserit se tribus annis mansisse sine tecto in solitudine. Est autem illa terra arida, idque sciunt omnes, tam qui auditione acceperunt, quàm qui ex ipsa norunt experientiâ. Hic ipse Macarius sibi posteà ædificauit cellulam: & cùm in eâ vixisset alios viginti & quinque annos: tantâ gratiâ dignus est habitus, vt [43] solitudine delectatus despiceret dæmones. Ego cum eo versatus longo tempore, ab eo didici quomodo affecta esset eius ratio ob peccatum cædis. Dicebat autem, tantum abesse vt doleret, vt etiam gratias ageret de crimine cædis. Fuit enim cædes inuoluntaria mihi caussa salutis. Dicebat autem, ex Scripturis afferens testimonium cædis, quæ à magno Dei seruo Moyse facta fuit in Ægypto, quòd nisi propter cædem, & metum Pharaonis, non dignus habitus fuisset Moyses visione Domini, & tanto dono, & conscriptione sanctorum eloquiorum Spiritus. Nam cùm effugisset ex Aegypto, peruenit in montem Sina. Hæc autem dico non muniens viam ad cædem aliquam: sed potiùs ostendens esse etiam virtutes, quę oriuntur ex casu, quando non vult quis suâ sponte ad bonum accedere. Ex virtutibus enim aliæ quidem sunt, quæ ex voluntate & ex nostro animi instituto proficiscuntur; aliæ verò quæ ex casu nascuntur.

Salutare infortunium.

Virtutes quædam à casu, quædam ab electione.

Vita abbatis NATHANAEL.

C. XVIII.

EX veteribus sanctis fuit quidam alius, optimus Christi athleta, nomine Nathanaël. Eum ego non offendi in carne: dormierat enim quindecim annis ante meum aduentum in montem. Cùm autem in eos incidissem qui cum hoc sancto se exercuerant, & fuerant ei tempore æquales; de viri virtute lubenter sum eos sciscitatus. Mihi autem eius quoque cellam ostenderunt, in quâ nullus adhuc habitat, quòd sit terræ habitatæ propinquior. Ille enim beatus tunc eam condidit, quando rari fuerant anachoretæ. Narrauit autem mihi egregiam eius exercitationem: nempe quòd tantam habuerit in cellâ tolerantiam, vt numquam dimotus sit à proposito. Cùm ab initio fuisset illusus à dæmone qui omnes illudit, qui eum labi fecerat in socordiam & animi mœrorem, & eum è cellâ exegerat (visus est enim esse tristis & animo angi in primâ cellâ) illinc itaque recedens, ædificauit aliam propinquiorem pago. Postquam ergo perfecit cellam, & in eâ habitauit tres vel quatuor menses, accedit noctu dæmon tauream tenens sicut lictores, præ se ferens speciem militis pannis induti, & taureâ edens strepitus. Cui succensus, dixit beatus Nathanaël: Quis tu es qui hæc facis in meo hospitio? Dæmon autem respondit: Ego sum qui te ex tuâ primâ cellâ exegi, & nunc veni vt te ex hac quoque fugem. Cùm ergo cognouisset beatus Nathanaël se fuisse illusum, reuersus est ad primam cellam: & spatio triginta septem annorum non est egressus extra fores, contendens cum dæmone, qui tot & tanta ei fecerat vt eum cogeret è cellâ egredi, vt ne ea narrare quidem liceat. Atque inter cetera quidem hoc machinatus est bonorum inimicus, nempe vt eum probro ac dedecore afficeret, ad eius abrumpendum institutum.

Nathanaël perpetuus cellæ custos.

Tauream pelle indutus dæmon eum vexat.

Contendit Nathanaël cum dæmone.

Cùm septem sancti episcopi sanctum inuisissent, aut ex Dei prouidentiâ, aut ex suggestione illius tentationis, eum propemodum deturbauit à proposito. Cùm enim episcopi postquam eum inuisissent, orassent, & post orationem exirent, ne gressum quidem vnum pedis eos comitatus est vir egregius, ne daret locum inimico bonorum. Ei ergo dicunt diaconi episcoporum: Superbè te geris, ô abbas, qui non deducis episcopos. Is verò dicit eis: Ego & dominos meos episcopos colo, & omnem clerum honoro; sumque ego peccator omnium hominum peripsema: his autem omnibus & toti vitæ, quod in me est, proposito sum mor-

Septem episcopi inuisunt Nathanaëlem.

mortuus. Ego enim habeo scopum occultum, quem scit Dominus qui nouit occulta mei cordis, cur eos non sum comitatus.

Cùm ergo hic quoque actus non successisset dæmoni, rursus talem suscipit figuram. *Dæmon in pueri figurâ apparet.* Nouem mensibus ante dormitionem athletæ transformatus est in puerum duodecim annos natum, tamquam agentem asinum panem in sportâ ferentem. Qui puer cùm serò vesperè esset prope cellam, simulabat cecidisse asinum, & se clamare: Abba Nathanaël, miserere mei, & porrige mihi manum. Ille autem audiuit vtique vocem pueri: & aperto ostio cellæ, stans intus ei dicebat: Quis es, & quid vis tibi faciam? Respondet dæmon: Ego sum huius monachi minister, & fero panes, quoniam est agape tui noti fratris; & cras illucescente Sabbato opus est oblationibus. *Agape.* *Oblatio.* rogo ergo te ne me despicias, ne deuorer ab hyænis. Sunt enim hyænæ in his locis. Stans ergo mutus beatus Nathanaël, præ ingenti eius misericordiâ caligabat conturbatus visceribus, & reputabat apud se quid faceret, dicens: Aut futurum est vt transgrediar mandatum, aut à proposito excidam. Posteà piâ apud se reputans cognitione, dixit: *Firmum Nathanaëlis propositum.* Melius est ne labefactē tot annorum propositum ad ignominiâ afficiendum & vincendum diabolum. Cùm itaque Dominum rogasset, dicit puero qui cum eo loquebatur: Audi puer, aut quicumque sis. *Confidētia.* Credo in Deum quem colo, qui dominatur cuiuis spiritui, quòd si auxilio reuerà egeas, Deus tibi mittet auxilium; & neque hyænæ, neque aliquid aliud tibi malè faciet: sin autem es tentatio, hoc quoque Deus mihi exhinc iam reuelabit, & clauso cellæ ostio est ingressus. Pudore autem affectus dæmon quòd sic quoque esset victus, resolutus est in turbinem, onagrisque exultantibus ac fugientibus & strepitum edentibus assimilatus, sic euanuit.

Hoc fuit certamen beati Nathanaël, & hæ sunt virtutes eius exercitationis, & pugna inuicta aduersus aduersarium: & hic eius celebris vitæ finis.

CAP. XIX. & XX.

Vita abbatis [45] MACARII *Ægyptij &* MACARII *Alexandrini.*

Ruff. l. 2. c. 28. 29.

SANCTORVM & immortalium patrum, Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini, egregiorum & inuictorum athletarum, honestæ vitæ certamina, quæ sunt multa & magna, & incredulis propè incredibilia, & narrare vereor & scriptis mandare, ne fortè mei tamquam mendacis fiat mentio. *Psal. 5.* Quòd autem Deus perdat omnes qui loquuntur mendacium, licet apertè videre sancto Spiritu pronuntiante.

Cùm ego ergo per Dei gratiā non mentiar, hominum fidelissime Lause, ne sis quoque ipse incredulus de patrum certaminibus: sed gloriare potiùs in æmulatione exercitationis eorum qui verè sunt Macarij, hoc est beati.

Distributio eorum qui Macarij dicti sunt. Atque primus quidem Christi athleta, nomine Macarius, erat genere Ægyptius: secundus autem ætate, sed in ijs quæ sunt monachorū præcipua, primas partes obtinens, qui ipse quoque vocabatur Macarius, erat Alexandrinus, qui vendebat bellaria.

Macarius Ægyptius. Et primùm quidem narrabo virtutes Macarij Ægyptij, qui vixit nonaginta annos integros. Ex his in solitudine annos sexaginta. Cùm triginta annos natus ascendisset, essetque ætate iunior, tam toleranter tulit labores exercitationis totum decennium, vt magnâ quadam & insigni dignus haberetur discretione, adeò vt vocaretur παιδαριογέρων, id est, in puerili ætate senex: quoniam citiùs quàm pro ætate profecerat virtutibus. Cùm enim esset quadraginta annos natus, & potestatem accepit contra spiritus, & gratiam curationum, & spiritum futurorum prædictionis; dignus quoque est habitus honorando sacerdotio. *Sacerdotium inter monachos honorandum.* Cum eo habitarunt duo discipuli in intimâ solitudine, quæ vocatur Scete: ex quibus vnus quidem erat ei minister, qui semper prope ipsum inueniebatur, propter eos qui veniebant vt curarentur; alter autem seorsum sedebat in cellâ.

Procedente autem tempore, cùm sanctus perspicaci oculo præuidisset, dicit suo ministro, Ioanni nomine, qui posteà factus est presbyter in loco sancti Macarij (presbyteratu enim dignus fuerat habitus magnus Macarius:) Audi me, frater Ioannes, & fer æquo animo meam admonitionem, eáque tibi proderit. Tentaris enim, inquit, & te tentat spiritus auaritiæ. *Spiritus auaritiæ.* Sic enim vidi: & scio quòd si meam æquo animo tuleris adhortationem, in Dei timore consummaberis & in eius opere, & in isto loco, & laudaberis, & ad tuum tabernaculum non appropinquabit flagellum. Quòd si non audieris, in te veniet finis Giezi, cuius vitio laboras. *4. Reg. 5.* Contigit autem vt sancto quidem non obedierit post eius mortem, sed obedierit ei qui Iudæ alligauit laqueum propter auaritiam. *Simonia.* & post alios quindecim aut viginti annos, cùm bona pauperum sibi vsurpasset, ita laborauit elephantiâ, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum. Hæc est prophetia sancti Macarij.

Ac de cibo quidem & potione superuacaneum est dicere, cùm nec apud ijs socordiores monachos qui sunt extrà, inueniri possit

possit ingluuies, aut vlla citra delectum & discrimen viuendi ratio alia ab ijs qui sunt in illis locis, cùm propter inopiam rerum necessariarum, tum etiam propter zelum qui est in Deum, vnoquoque contendente vincere proximum diuersis vitæ institutis.

Macarius in extasi frequenter. De aliâ autem exercitatione cælestis huius viri, Macarij inquam, dicebatur hic sanctus esse assiduè in extasi, & maiori tempore [46] cum Deo versari quàm huius mundi rebus occupari: cuius etiam feruntur diuersa miracula.

Ruff. l. 2. c. 28. Ægyptius quidam libidinosus, captus amore cuiusdam mulieris ingenuæ, quæ viro nupserat, cùm non posset eam inescare propter pudicitiã & castitatem erga [47] coniugem virginitatis, conuenit improbus præstigiatorem, dicens: Aut eam incita vt me amet, aut arte tuâ effice vt eius maritus eam dimittat. *Præstigiator amatorijs precibus mulierem equam apparere facit.* Cùm ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigijs & incantationibus: & cùm non posset eius animum mouere vt ei assentiretur, efficit vt videretur equa ijs qui eam intuebantur. Cùm ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorem suam in formâ equæ; cumque in suo lecto cubuisset, alienum ei videbatur quòd in suo cubili equa iaceret. Flet ergo eius maritus, & lamentatur quòd rem non inueniat: & quòd existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur, præterquam quòd solummodò eam videbat irasci. Vnde magis angebatur animo, cùm intelligeret eam esse suam vxorem, curiosis autem hominum artibus esse mutatam in equam. His de caussis accersit vici presbyteros, & domum adducit, & eis eam ostendit: sed nec ij cognouerunt calamitatem quæ ei acciderat. Tribus ergo diebus neque fœnum comedit vt equa, neque panem vt homo, vtroque alimento priuata. Tandem vt Deus glorificaretur, & videretur virtus sancti Macarij, ascendit in cor mariti eius ducere eam in solitudinem ad sanctum virum: & cùm eam capistro ligasset vt equam, duxit in solitudinem. Dum autem appropinquassent, steterunt fratres prope cellam sancti Macarij cum eius marito contendentes, & dicentes: Cur huc adduxisti hanc equam? Is autem dicit: Vt misericordiam consequatur sancti oratione. Illi verò dicunt ad eum: Quid mali habet? Ille eis dicit: Quam videtis equam, ea misera erat vxor mea; neque scio quemadmodum mutata sit in equam, & iam sunt tres dies ex quo nihil comedit. Ij autem cùm hæc audijssent, referunt ad seruum Dei Macarium *Reuelatur Macario cur id contigerit.* eo iam intus pro illâ orante: ei enim Deus reuelauerat, ipsis ad eum venientibus; & ideò orabat vt sibi declararetur caussa propter quam hoc euenerat. Respondit autem sanctus Macarius fratribus qui ei renuntiauerunt quemdam illuc equum adduxisse, dicens: Equi vos estis, qui habetis equorum oculos; illa enim est femina ita vt est creata, non transformata, sed sic solùm apparens oculis eorum qui sunt decepti. Quæ cùm esset adducta, aquamque benedixisset, & in eius nudæ caput infudisset, super eius caput est precatus: statimque effecit vt omnibus videntibus videretur femina. *Aqua benedicta virtute phantasma Macarius à feminâ depellit.* Cùm autem iussisset ei cibum afferri, fecit vt comederet, & eam sic curatam dimisit cum suo marito, Deo agentes gratias. Eam autem admonuit vir Dei, sic dicens: Numquam ecclesiam deseras, numquam abstineas à communione Christi Sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quòd iam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata nostri Seruatoris Sacramenta. *Femina fuit præstigijs obnoxia, quia rariùs communicabat.*

Alia est actio magnæ eius exercitationis. Magno vitæ suæ tempore à cellâ suâ in dimidium vsque stadium fodiens cuniculum, summam effecit speluncam: & si quando complures ei essent molesti, occultè è suâ cellâ egrediens, ibat in speluncam, neque quisquam eum inueniebat. *Vt homines lateat, cuniculum effodit Macarius.* Narrauit autem nobis quidam ex studiosis eius discipulis, quòd recedens vsque ad speluncam per cuniculum, dicebat viginti quatuor orationes; & rediens, totidem.

Ruff. l. 2. c. 28. De eo exijt fama, quòd mortuum suscitauit: vt persuaderet hæretico qui non confitebatur esse resurrectionem corporum. & fuit constans hæc fama in solitudine. *Mortuum suscitat in fidei testimonium.*

Ad hunc sanctum adductus est aliquando à matre propriâ lamentante adolescens qui vexabatur à dæmone, à duobus adolescentibus ex vtraque parte constrictus. Hunc autem ita vexabat dæmon. Trium modiorum panes postquam comedisset, & [48] amphoræ vnius Cilicensis aquam bibisset, vtraque eructans, cibos resoluebat in vaporem. *Dæmon comedens, cibos resoluit, non digerit.* Ab eo enim, non secus ac igne consumebantur quę comederat & biberat. Est enim ordo quoque dæmonum qui dicitur igneus. Sunt enim dæmonum quoque sicut hominũ differentiæ, non mutatâ essentiâ, verùm voluntate distinctâ. *Dæmonum differentia mente diuersa, eadem essentia.* Hic ergo adolescens cùm ei mater non suppeditaret, sæpè sua comedebat excrementa, & lotium bibebat. Flente ergo eius matre, & alienam sui filij mœrente calamitatem, & sanctum valdè obtestante & rogante, illum accipiens inuictus Christi athleta Macarius, supplex pro eo Deum orauit. Post vnum autem aut alterum diem, remisit dęmon vexationem. tunc ergo dicit matri adolescentis sanctus Macarius:

carius. Quantum vis vt filius tuus comedat? Illa autem respondit, dicens: Rogo te, iube eum solùm comedere decem libras panis. Eam autem increpans, vt quæ nimium dixerat, dixit: O mulier, cur hoc dixisti? Cumque septem dies orasset cum ieiunio, expulso ab eo pernicioso dæmone ingluuiei, constituit ei vescendi rationem ad tres vsque libras panis, quas deberet ipse comedere, si operaretur. Cùm hoc modo Dei gratiâ puerum emundasset, eum matri reddidit.

Dæmon ingluuiei.

Has res admirabiles & præter opinionem fecit Deus per sanctum Macarium, cuius immortalis anima nunc est cum Angelis. Eum ego non conueni: obierat enim anno antequam ego ingrederer in solitudinem. Conueni autem eum qui erat eius socius in fidei operibus, & idem venerabile nomen quod ipse habebat.

A quo ista didicerit Palladius.

Dico autem sanctum Macarium Alexandrinum, qui erat presbyter earum quæ dicuntur Cellarum. In quibus Cellis ego nouem annos habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius, in quiete sedens, eius quidem optimæ viuendi rationis alia quidem vidi opera & signa, alia verò didici ab ijs qui cum eo vixerunt.

Macarius Alexandrinus.

Presbyter Cellarum.

Is cùm apud magnum virum & patrem Antonium electos palmæ ramos vidisset, quos ipse laborauerat, petijt ab eo vnum manipulum ramorum palmæ. Dixit autem ei Antonius: Scriptum est; Non concupisces res proximi tui. Et cùm id solùm dixisset, rami omnes statim tamquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cùm vidisset Antonius, dixit Macario: Ecce Spiritus sanctus requieuit super te: erisque mihi deinceps heres mearum virtutum.

Non concupiscendum, à magno docetur Antonio.

Deut. 7.

Hinc rursus eum inuenit diabolus in solitudine, corpore valdè defatigato, & dicit ad eum: Ecce accepisti gratiam Antonij; cur non vteris auctoritate, & à Deo petis cibum, & vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum; Virtus mea & laus mea Dominus, tu autem ne tentaueris seruum Dei. Facit ergo diabolus vt ei phantasma appareat, camelus onera baiulans & errans per solitudinem, habens omnia ad vsum necessaria. Qui cùm vidisset Macarium, propè eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, sicut erat, constitit ad orandum: is verò protinus à terrâ fuit absorptus.

Diabolus aggreditur Macarium in solitudine.

Macarius oratione phantasma pellit.

Aliquando rursus venit hic Macarius Alexandrinus ad magnum Macarium qui erat in Scete. & cùm ambo essent Nilum transmissuri, accidit vt ipsi maximum pontonem ingrederentur: in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu & apparatu, vt qui intus haberent rhedam totam æneam, & equos frænis aureis, & quosdam eos stipantes milites, satellites, & pueros torquibus & aureis zonis ornatos. Postquam ergo tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, & sedentes in angulo, humilem illam & tenuem viuendi rationem beatam iudicabant; vnus autem ex ipsis tribunis dixit ad ipsos: Beati estis vos qui mundum illuditis. Respondens autem Macarius qui erat vrbanus, dixit eis: Nos quidem mundum illusimus, vos autem illusit mundus. Scias autem te non tuâ sponte hoc dixisse, sed propheticè: ambo enim vocamur Macarij, hoc est, beati. Is autem eius sermone compunctus cùm domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas.

Beata viuendi ratio in vilibus pannis.

Mundus illuditur à monachis, secularibus mundus illudit.

Rursus cùm aliquando cupijsset vesci vuis recentibus perbellisque ad se missis, ostendens continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque vuas desiderabat. Qui cùm eas accepisset, & magnâ affectus esset lætitiâ, suam celare volens continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque eum cibum appeteret. Cùm ille quoque accepisset, rursus hoc ipsum fecit, etsi ipse valdè vesci cuperet. Postquam autem ad multos fratres deinde venerunt vuæ, cùm nullus eis vesci voluisset, postremus qui eas acceperat, eas rursus misit ad Macarium, tamquam magnum ei donum largiens. Qui cùm rem curiosè inquisiisset, admiratus, & Deo actis gratijs ob tantam eorum continentiam, ne ipse quidem ex ijs tandem comedit.

Domita cibi concupiscentia.

Vua per charitatis officia multorum cellas perambulat.

Atque hæc quidem est magni Macarij exercitatio, quam ego & multi accuratè apud ipsum didicimus. Si quod opus exercitationis aliquem vmquam fecisse audijt, omnino id ardenter effecit.

Cùm ab aliquibus audijsset, Tabennesiotas per totam quadragesimam nullâ re vesci quæ igni esset admota, statuit hic sanctus septem annis nihil comedere quod per ignem transisset: & toto illo septennio nihil gustauit præter cruda olera vel si quæ fortè inuenisset legumina humectata. Cùm hoc ergo rectè gessisset, aspernatus est hanc viuendi rationem. Audijt autem ab aliquo alio hic monachorum optimus, quòd quidam monachus comedebat libram panis. Quem æmulatus, fregit quod habebat buccellatum, & immisit in lagenam, statuens solummodò tantum comedere, quantum manus eius sursum ferret. Magna est autem hæc in tractando corpore asperitas. Festiuè enim nobis narrabat: Plura quidem frusta ap-

Quadragesima obseruatio in cibis igne non coctis.

prehendebam; sed nō sinebat efferre ob angustiam foraminis. Publicanus enim meus mihi non permittebat omnino vesci. Totos ergo tres annos hanc exercuit continentiam, quatuor vel quinque vncias comedens, & aquam quæ eis responderet: olei autem sextarium toto anno consumebat in alimentum.

Victus ratio.

Alia athletæ exercitatio. Statuit indomitus hic vir somnum superare: etenim vtilitatis gratiâ hoc ipse narrauit: Totis viginti diebus & noctibus non sum tectum ingressus, vt somnum vincerem, cùm interdiu quidem æstu arderem, noctu verò algore rigerem. Quòd nisi, inquiebat, tectum citiùs essem ingressus, & somno vsus essem, ita mihi erat arefactum cerebrum, vt deinceps ageret in extasim: & quod ad me quidem attinet, vici somnum; quod autem ad naturam opus habentem, ei cessi.

Somnum superare contendit.

Hic §. variat in Græco. Est vt in Heraclide cap. 6.

Ei aliquando molestiã exhibuit [49] spiritus fornicationis: & tunc condemnauit seipsum sedere nudum sex menses in palude Scetes, quæ est in vastâ solitudine, in quâ possunt culices vel sauciare pelles aprorum, vt qui sint æquè magni vt vespæ, adeò vt in toto eius corpore infixerint aculeos: vt nonnulli existimauerint eum esse leprosum. Reuersus ergo in suam cellulam post sex menses, ex voce cognitum est eum esse dominum Macarium.

A spiritu fornicationis tentatus, culicũ se morsibus exponit.

Is cupijt aliquando, vt ipse nobis narrauit, quod in hortis erat, ingredi monimentum, quod dicitur κηποτάφιον Ianne & Mambre, magorum qui erant tempore Pharaonis, vt id videret, vel etiam vt conueniret eos qui illic sunt dæmones. Dicebatur enim plurimos, eósque ferocissimos, in eo loco ab illis collocatos esse dæmones per infamis artis eorum excellentiam. Hoc autem monumentum factum est à Ianne & Mambre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebant illo tempore apud Pharaonem. Vt qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Ægypto haberent potestatem, construxerunt illud opus [10] ex lapidibus quadratis, & suum illic fecerunt monimentum: & cùm multum illic auri deposuissent, & omne genus arbores plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt: est enim [11] locus humidus. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum frui delicijs in illo paradiso. Tandem ergo quoniam nesciebat viam quæ ad eum ducit hortum, Dei seruus Macarius, coniecturâ quadam sequebatur astra, & sicut nautæ qui transmittunt maria, totam peruasit sanctus solitudinem; & cùm aliquot etiam accepisset arundines, vnam statuit in vnoquoque milliari, vt per ea signa remearet. Cùm ergo intra nouem dies totam illam peruasisset solitudinem, & esset prope illum hortum, succedente nocte parum dormijt. Immanis verò dæmon qui semper aduersatur Christi athletis, cùm collegisset omnes illas arundines dormiente Macario, & circiter ad vnum lapidem à monimento ad eius caput posuisset, recessit: postquam ergo surrexit, inuenit colligatas arundines quas ipse fixerat signi causâ. Fortasse autem hoc quoque fuit Dei permissio ad maiorem eius exercitationem, vt non speraret in arundinibus, sed in Dei gratiâ, quæ per columnam nubis deduxit Israël quadraginta annis in terribili illâ solitudine. Dicebat autem Macarius: Cùm propiùs accessi ad illud monimentum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones varijs formis præditi; alij quidem clamantes, alij verò exilientes, alij verò cum magno fremitu in me stridentes dentibus, alij verò tamquam corui volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes: Quid vis, Macari, tentatio monachorum? quid ad nos accessisti? an non nos quoque aliquem ex monachis vexauimus? Quæ nostra sunt, tu cum tuis similibus illic habes, nempe solitudinem, & illinc nostros cognatos fugauistis. Nihil est nobis tecum commune. quid loca nostra inuadis? tamquam anachoreta, contentus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt; non potes hîc manere. Quid quæris ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex viuis hominibus est ingressus, ex quo fratribus qui hoc condiderunt sunt à nobis hîc factæ exequiæ. Et cùm multa adhuc turbarent & insultarent dæmones, dixit eis sanctus Macarius: Ingrediar tantùm, & videbo, & hinc recedam. Dixerunt autem dæmones: Hoc nobis promitte in tuâ conscientiâ. Dicit autem Christi seruus, Hoc faciam. Dæmones autem euanuerunt. Ingrediente autem eo in paradisum, ei occurrit diabolus cum strictâ rhomphæâ, ei minitans. ad quem hanc vocem respondit sanctus Macarius: Tu venis ad me in strictâ rhomphæâ; & ego contra te ingrediar in nomine Domini sabaoth, in acie Dei Israël. Ingressus autem, contemplatus sum omnia, in quibus inueni etiam cadum æneum catenâ ferreâ pendentem ex puteo, iam tempore consumptum, & fructum malorum punicorum quæ nihil intus habebant, fuerant enim arefacta à sole, & plurima aurea donaria. Cùm sanctus ergo illinc

Monimentum Ianne & Mambre adire statuit, vt cum dæmonibus contendat.

Varia dæmonum apparitiones.

Iurat Macarius dæmonibus.

Strictæ diaboli rhomphææ nomẽ Domini opponit.

Descriptio sepulcri magorum.

illinc recessisset absque tumultu & citra vllam perturbationem, reuersus est per viginti dies in suam cellam.

Cùm autem defecissent panes & aqua quam portabat, in magnâ erat afflictione. Viginti enim diebus ingrediens per solitudinem, vt existimo, nihil omnino gustauit, vt etiam res ostendit. Fortasse autem tentabatur quoque intolerantiâ. Et cùm iam parum abesset quin collaberetur, visa est ei quædam puellæ speciem præ se ferens, vt ipse narrabat, mundâ lineâ veste induta, & tenens vrnam aquâ stillantem: quam dicebat Macarius abfuisse ab eo circiter vnum stadium: qui tres dies ingressus est eam videns cum vrnâ tamquam stantem, & eum prouocantem, non valentem eam assequi: spe autem bibendi, trium dierum laborem fortiter sustinuit. Postquam apparuit multitudo bubalarum, ex quibus vna stetit ex aduerso eius habens vitulum: sunt enim multæ in illis locis. & vt dicebat nobis Macarius, vber eius lacte fluebat, & desuper sonuit vox ei dicens: Macari, accede ad bubalam, & lactare. Cùm ergo, inquit, ad eam accessissem & lactatus essem, mihi suffecit. Vt autem maiorem gratiam ostenderet Dominus, docens meam paruitatem, iubet bubalam me sequi vsque ad cellam. Illa verò parens iussui secuta est, me quidem lactans, suum autem non admittens vitulum.

Tentatur esuriens mediâ 20. dierum.

Lactatur à bubalâ.

Aliquando rursus cùm puteum foderet hic vir virtute præditus, ad recreandos monachos (is autem erat prope folia & sarmēta illic posita) morsus est ab aspide (est autem venenatum & exitiosum animal) ambas fauces aspidis apprehendens sanctus ambabus manibus, eam discerpsit, dicens: Cùm te non misisset Dominus meus, quomodo ad me ausus es accedere?

Aspidis morsus non obfuit Macario.

Cùm ipse rursus magnus audiisset Macarius, quòd haberent præclarum vitæ institutum Tabennesiotæ, veste mutatâ, & assumpto mundano habitu operarij, spatio quindecim dierum peruenit Thebaidem, ingressus per solitudinem. Et cùm venisset in monasterium Tabennesiotarum, quæsijt eorum archimandritam, nomine Pachomium, virum probatissimum, qui & gratiam habebat propheticam. cui quidem sancto tunc reuelatus non fuerat magnus Macarius. Cùm ergo eum conuenisset, dicit ei Macarius: Oro te, suscipe me quæso in tuum monasterium, vt fiam monachus. Dicit ei magnus Pachomius: Non potes deinceps fieri monachus qui sis tam prouectus ætate: non potes te exercere; sunt fratres qui se exercent à iuuentute, & laborem tolerant. Tu autem in hac ætate non potes ferre tentationes exercitationis. offenderis, & exibis, & nobis maledices. Neque eum accepit, nec primo die, nec secundo vsque ad septem dies. Ille verò fuit constans, manens ieiunus. Posteà autem dicit ei senex Macarius: Suscipe me, abba; & nisi ieiunauero, & fecero ea quæ ipsi opera, iube me eijci ex monasterio. Persuadet fratribus magnus Pachomius vt eum admittant. Est autem vnius monasterij conuentus, mille quadringenti viri vsque in hodiernum diem. Ingressus est ergo. Cùm autem præteriisset aliquantum temporis, aduenit quadragesima; & vidit senex Macarius vnumquemque suscepisse diuersas viuendi rationes: alium quidem comedere vespere, alium verò post duos dies, alium post quinque; alium stare per totam noctem, interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cùm aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustauit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem: & si quando egrediebatur ad aliquid necessarium, citò rursus ingrediens, stabat ad opus, os non aperiens, sed stans silentio, nihil aliud faciens præterquam silentium in corde exercens, & faciens orationem, & ramos palmæ operans quos habebat in manibus. Cùm autem hæc vidissent omnes exercitatores illius monasterij, seditionem excitarunt aduersus suum præfectum: Vndenam nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad nostri condemnationem? Aut eum hinc eijce, aut, vt scias, nos omnes hinc recedimus. Cùm hæc autem à fratribus audiisset magnus Pachomius, de eo est sciscitatus. Et cùm didicisset eius vitæ agendæ rationem; Deum rogauit vt ei reuelaretur quisnam sit. Reuelatum est autem ei eum esse Macarium monachum. Tunc eius manum prehendit magnus Pachomius, & eum forâs educit: & cùm deduxisset in domum oratorij vbi est ara, & esset amplexus, ei dicit: Adesdum, venerande senex. Tu es Macarius, & me id celasti. multis abhinc annis cupij te videre cùm de te audirem. Ago tibi gratias, quòd filios meos subegeris, ne se iactent & magnificè circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te, recede in locum tuum: nos enim satis ædificasti, & ora pro nobis. Tunc ab ipso rogatus, & cum omnibus fratribus orantibus, sic recessit.

Macarius explorat austeritatem monachorum Tabennesiotarum. De eo infrà cap. 38.

Quadragesima à monachis diuersimodè obseruata.

Ieiunium portentosum Macarij.

Pachomius agnoscit Macarium reuelatione.

Ali-

Feruens vitæ angelicæ & contẽplationis desiderium.

Aliquando rursus narrauit nobis hic vir impatibilis: Quando rectè gessissem omnem vitæ monasticæ agendæ rationem, tunc veni ad aliud spiritale desiderium. Statui enim quinque dies solùm mẽtem meam ita componere, vt à Deo auelli non posset, & nihil aliud omnino cogitaret. Et cùm id apud me statuissem, clausi meam cellam & aulam extrinsecus, vt nulli datem responsum. Et steti incipiens à secundâ, & menti meæ præcipiens, & ei dicens: Vide ne descendas de cælis. Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim & Seraphim, Deum horum omnium effectorem. Illic versare: ne sub cælos descenderis; ne incideris in mundanas cogitationes. Cùm duos autem, inquit, dies & duas noctes perseuerassem, ita irritaui dæmonem, vt ipse fieret flamma ignis, & combureret omnia quæ habebam in cellâ, adeò vt etiam storea, supra quam stabam, igne arderet, & sic me quoque existimarem totum conflagrare. Tandem timore affectus tertio die destiti ab hoc proposito: cùm non possem ampliùs mentem meam tenere indiuulsam, sed descendi ad huius mundi contemplationem; Deo fortasse permittente, ne hoc mihi reputaretur in superbiam.

Quibus argumentis mentem in cælestia erigeret.

Dæmon instar flãmæ ignis omnia in cellâ eius comburit.

Ego ad eum accessi aliquando, & inueni extra eius cellam iacentem quemdam cuiusdam vici presbyterũ, cuius caput ita erat exesum à morbo qui dicitur cancer, vt etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur: nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum, dicens: Miserere huius miseri, & saltem da ei responsum. Is verò mihi respondit, dicens: Est indignus qui curetur; missa est enim ad eum hæc à Domino disciplina. Quòd si velis eum curari, persuade ei vt deinceps abstineat à ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico: Quamobrem, quæso? Is verò dicit: Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Postquam ergo dixi ei qui affligebatur, iureiurando est pollicitus se non ampliùs sacerdotis partes obiturum. Tunc eum accepit, & dixit ei: Credísne esse Deum quem nihil latet? Respondet ille: Maximè, rogo te. Deinde ei dicit Macarius: Non potuisti Deo illudere? Dicit ille: Non potui, domine mi. Dicit ei Macarius: Si agnoscis tuum peccatum, & Dei disciplinam propter quam hæc subiisti, corrigitor in posterum. Qui confessus est peccatum, & spopondit se non ampliùs peccaturum, neque altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum. Deinde sic sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus fuit curatus, capillique ei creuerunt, & sanus domum rediit Deum glorificans: egit autem magno quoque Macario gratias.

Presbyter cancro laborans Macarium accedit.

Cancro laborat, quia conscius fornicationis sacrificauit.

Post confessionem peccati, & emendationis sponsionem à Macario curatur.

Hic sanctus habebat diuersas cellas: vnam quidem in Scete, quæ est interior in solitudine, & vnam in Libyâ, & vnam in Celliis, & vnam in monte Nitriæ. Et aliæ quidem carebant ostio, in quibus dicebatur sedere in quadragesimâ in tenebris, alia autem erat angustior, in quâ non poterat pedem extendere; alia autem latior, in quâ conueniebat eos qui ad ipsum ventitabant.

Diuersæ cellæ Macarii.

Quadragesima.

Hic curauit tantam multitudinem eorum qui vexabantur à dæmonibus, vt ea non cadat in numerum. Cùm nos autem illic essemus, virgo nobilis & diues deducta est ad eum è Thessalonicâ in finibus Achaiæ, quæ multis annis laborarat paralysi. Hanc ante cellam suam proiectâ misericordiâ commotus, viginti diebus vngens oleo sancto suis manibus, & orans, sanam remisit in suam ciuitatem. Quæ cùm pedibus suis recessisset, ad sanctos copiosam misit oblationem.

Curatio dæmoniacorum.

Mulier curatur à paralysi per oleum sanctum.

Me autem præsente adductus est ad eum puer qui vexabatur à spiritu. Ei autem manum imponens in capite, & sinistram supra cor, tamdiu orauit donec fecisset ipsum pendêre in aëre. Tamquam vter ergo puer inflatus, adeò intumuit, vt esset maximi ponderis. Et cùm repentè exclamasset, per omnes sensus aquam emisit: & cùm rursus desiisset, rediit ad eam in quâ priùs erat mensuram. Et tradidit eum patri; cùm vnxisset oleo sancto: & cùm aquam infudisset, præcepit ne quadraginta diebus carnes gustaret, nec vinum; & sic eum curauit.

Puer dæmoniacus sanatur per oleum sanctum & aquam benedictam.

Abstinentia à carnibus & vino.

Eum aliquando subierunt cogitationes vanæ gloriæ, quæ eum è cellâ eiiciebant, & suggerebant vt honesto consilio & iustâ de caussâ Romam pergeret, pro beneficio eorum qui ægrotabant: valdè enim in eum operabatur gratia aduersus spiritus. Postquam autem longo tempore non obediit, valdè agitabatur. Cadens verò in limine cellæ, foràs pedes emisit, & dicit: Trahite & vellite, ô dæmones, si potestis. Ego enim non abeo meis pedibus, iurans fore vt iaceat vsque ad vesperam, & nisi eum excutiant, non esse auditurum. Cùm autem diu procubuisset, surrexit: cùm nox autem aduenisset, ei rursus exhibuêre negotium. Et cùm duorum modiorum sportam implesset arenâ, & imposuisset humeris, peruadebat totam solitudinem. Huîc occurrit Theosebius Cosmetor, genere Antiochenus, & ei dicit: Quid portas, abba? Cede mihi onus, & ne vexeris. Ille autem dixit: Vexo eum qui me vexat:

Vana gloria viriliter resistit.

Miro more se affligit Macarius, vexantem se vexans.

vexat: nam cùm sim remissus & ignauus, suggerit mihi peregrinationes. Cùm autem diu promouisset, ingressus est cellam contrito corpore.

Heraclides hæc de Marco.

[52] Narrauit autem nobis Dei quoque seruus Paphnutius, præclari huius sancti discipulus, quòd cùm quodam die sederet in aulâ sanctus Macarius, & Deum alloqueretur, hyæna acceptum suum catulum qui erat cæcus, attulit ad sanctum Macarium: & cùm capite pulsasset ostium aulæ, ingressa est, eo adhuc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm autem accepisset catulum sanctus Macarius, & spuisset in eius oculos, orauit, & statim vidit. Et cùm mater eum lactasset & accepisset, ita exijt. Die autem sequenti pellem magnæ ouis attulit ad sanctum Macarium; & cùm sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyænæ: Vndénam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? Quod ergo proficiscitur ab iniuriâ, ego à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genu flectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem. Ipse autem ei dicebat: Dixi me non accepturum, nisi iuraueris te non ampliùs offensuram pauperes, comedendo eorum oues. Illa verò ad hoc quoque capite suo annuit, vt quæ sancto assentiretur Macario. Tunc accepit pellem ab hyænâ. Beata autem Christi ancilla Melania dixit mihi, se illam pellem accepisse à Macario illo, quod appellabatur munus hyænæ. Quid verò mirum est apud viros mundo crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam, & honorem seruorum eius, id sentiens ad eum munera attulerit? nam qui in Daniele prophetâ mansuefecit leones, huic quoque hyænæ largitus est intelligentiam.

Paphnutius Macarij discipulus. *Macarius sputo illuminat cæcum hyænæ catulum.* *Hyæna præmium affert Macario.* *Adiuratur hyæna.* *Etiam feræ sanctos agnoscunt.*

De eo autem dictum est, quòd ex quo fuit baptizatus, humi non spuerit, cùm essent sexaginta anni ex quo fuerat baptizatus. Annos enim natus quadraginta baptismum susceperat.

Humi non spuit Macarius.

Forma autem eius erat huiusmodi. Oportet enim me quoque tibi hoc significare, Christi serue, vt qui hoc sciam optimè, cùm mea paruitas ei fuerit tempore æqualis. Erat autem eius forma satis minuta ac mutila & rara, pilos solùm habens in labro. Quinetiam in supremâ parte habebat paucos. Nam propter ingentes labores exercitationis, ne pili quidem menti barbæ ei enati sunt.

Quæ forma fuerit Macarij.

Ad hunc sanctum Macarium cùm quodam die venissem, & essem animo valdè anxius, dico illi: Abba Macari, quid faciam, quoniam me affligunt cogitationes, mihi dicentes: Nihil facis, recede hinc. Respondet mihi dicens sanctus pater Macarius: Dic tu tuis cogitationibus; Propter Christum custodio parietes.

Palladius consulit Macarium.

Hæc, ô studiose & amantissime Christi serue, ex multis & magnis signis & certaminibus inclyti & virtute præditi Macarij significaui.

Hic Macarius nobis narrauit, (erat enim presbyter) se obseruasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco exercitatori numquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex arâ: solum autem se vidisse digitum manus eius qui dabat.

Marcus eremita Eucharistiam ab Angelo accipit.

Vita abbatis [53] MARCI. CAP. XXI.

CVM esset autem hic Marcus iunior, dicebat memoriter vetus & nouum Testamentum, eratque insigniter mitis, & summè temperans. Quodam ergo die cùm satis otij haberem in cellâ meâ, in extremâ iam eius senectute ad eum venio, & ostio eius cellæ assideo. Quem ego, vtpote qui essem adhuc rudis, existimabam esse supra hominem, sicut erat: & auscultabam quidnam diceret vel faceret. Is autem intus solus, cùm iam centum annos transegisset, & dentes amisisset, secum pugnabat & cum diabolo, & dicebat: Quid vis deinceps, κακόγηρε, id est, male senex. Ecce iam & vinum bibisti, & oleum tetigisti. Quid vis deinceps πολιόφαγε, id est, vorax in canicie, & κοιλιόδουλε, id est, ventri seruiens, probro & contumeliâ te ipsum afficiens? Et diabolo dicens: Recede à me, diabole, consenuisti mecum in dissensionibus, iniecisti mihi imbecillitatem corporis, fecisti me bibere vinum, & sumere oleum, me reddens voluptarium. Adhuc ne tibi aliquid debeo? Apud me nihil inuenis quod velis diripere. Recede à me deinceps, inimice hominum. Ac veluti se prouocans & irritans, secum loquebatur, dicendo: Adesdum, ô nugator, in canicie vorator, & helluo in senectute. Quamdiu ero tecum?

Quantæ virtutes Marci. *Marcus iam capularis senex & secum & cum diabolo disputat.*

Vita abbatis [54] MOYSIS, *qui fuit ex latronibus.* CAP. XXII.

FVIT quidam Moyses nomine, Æthiops genere, niger, seruus cuiusdam qui gerebat rempublicam; quem propter morum improbitatem & latrocinij crimen proiecit eius dominus. Dicebatur enim etiam vsque ad cædes progredi: cogor enim dicere facta eius improbitatis, vt posteà ostendam virtutem eius pœnitentiæ. Narrarunt ergo aliqui eum fuisse præfectum magnæ cateruæ latronum. Cuius inter cetera latrocinandi opera hoc quoque fertur, quòd in-

Mira hominis ad Deum ex summâ miseriâ conuersio.

festo & vindictæ cupido animo erat in pastorem, qui ad rem aliquam patrandam eunti sibi fuerat cum canibus suis impedimento. Quem cùm vellet occidere, obibat locum in quo eius oues habebant stationem. ei autem significatum est, ipsum esse trans Nilum. Et cùm fluuius illo tempore inundaret, & ad mille passus pateret latitudine, ensem tenens mordicus, & tunicam, quâ erat indutus imponens suo capiti, natando sic transmisit fluuium. Dum autem tranataret, potuit pastor se abscondere alicubi infodiens. Cùm ergo Moysi cœptum non successisset, occisis quatuor egregijs arietibus, & fune colligatis, Nilum rursus tranauit: & cùm in paruam quamdam villam venisset, excoriauit arietes: & cùm quæ erant carnis optima comedisset, & pelles pro vino vendidisset, cùm " saltem Italicorũ circiter octodecim ebibisset, illinc ad quinquaginta milliaria est profectus, vbi habebat collegium.

Quæ fuerit conuersionis occasio.

Hic princeps latronum serò tandem casu aliquo qui ei acciderat compunctus, tradidit seipsum monasterio: & ad tantam processit pœnitentiam, quantam res ipsæ indicarunt. Inter cetera autem dicitur, quòd cùm quatuor latrones in eum in cellâ sedentem irruissent, ignorantes eum esse Moysem, beatus Moyses eos tamquam saccum paleæ ligatos, & humeris imposuit, & ad fratrum portauit ecclesiam, dicens: Quoniam non licet mihi alicui facere iniuriam, inueni autem eos me aggressos, quid de ijs iubetis fieri? Hoc modo autem comprehensi à sancto Moyse, Deo confessi sunt. & cùm cognouissent eum esse Moysem, qui fuit aliquando insignis princeps latronũ, Christum eo nomine glorificantes, illi quoque mundo renuntiarunt propter eius pœnitentiam, & euaserunt monachi probatissimi; sic cogitantes: Si hic qui tantum valebat viribus, latrocinia parui faciens, sic Deum timet: quid nos adhuc nostram salutem differimus?

In Moysem è latrone monachum latrones irruunt, quos ille simul alligat.

Beatum autem Moysem (sic enim oportet eum vocare) deinceps adorti sunt dæmones, ad fornicatoriæ intemperantiæ impellentes eum consuetudinem: qui vsque adeò ab ipsis fuit tentatus, sicut ipse narrauit, vt parum abfuerit quin eum ab instituto dimouerent. Cùm autem accessisset ad magnum Isidorum, qui sedebat in Scete, tertiò ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit sanctus: Ne conturberis, ô frater, sunt principia, & ideò te vehementiùs inuaserunt, priorem requirentes consuetudinem. Sicut enim canis cùm assueuerit in macello pernas rodere, non recedit à consuetudine; sed si fuerit clausum macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non am-

Tentatur Moyses ad fornicationem.

Consulit Isidorum.

Quid faciendum contra fornicationis spiritum.

pliùs accedit: sic tu quoque, si permanseris in tuæ continentiæ exercitatione, mortificans membra tua quæ sunt supra terram, & excludens ab ingressu ingluuiem quæ parit intemperantiam, ægrè ferens dæmon, vt qui cibos non habeat qui accendant, à te recedet. Cùm ergo secessisset Christi seruus Moyses, & ab illâ horâ seipsum inclusisset in cellâ, maximâ in omnibus exercebatur tolerantiâ, maximè autem in abstinentiâ à cibis; vt qui nihil aliud sumeret præter panis sicci vncias duodecim, plurimùm operans, & quinquaginta orationes quotidie peragens.

Coloss. 3.

Moysis abstinentia à cibis.

Quinquaginta orationes quotidie fundit

Porrò autem quamuis suum macerasset corpusculum, permansit tamen inflammatus, & præcipuè in somnis. Cùm autem surrexisset, conuenit quemdam alium monachum sanctum probatissimum, & ei dicit: Quid faciam, abba? Rationi meæ tenebras offundunt somnia animi, vt qui eis ex veteri consuetudine delecter. Dicit ei ille sanctus: Non cohibuisti mentem tuam à visis quæ in eis versantur, eâ de caussâ hæc sustines. Fac ergo quod dico. dede te paulatim vigiliæ, & ora sobrius; & ab his citò liberaberis. Cùm hoc autem monitum audijsset vir præclarus, tamquam ab eo qui erat artifex experientiâ, in cellam reuersus, dixit ei; quod quidem sua sciat conscientia, tota nocte non dormijsse: non orationis prætextu genuflexisse, vt somni fugeret tyrannidem.

Somnijs torquetur.

Vitiosa somnia vigiliâ, inediâ, & oratione superanda.

Cùm annis ergo sex mansisset in cellâ, totas noctes stans in medio cellæ, & Deum orans assiduè, & non claudens oculos, non potuit intemperantem vincere cupiditatem. Reuerà enim non potest verè castigari cupiditas. Cùm enim seipsum tabefecisset laboribus, turpem illam affectionem non potuit subigere.

Post hæc aliam sibi suggessit rationem asperæ vitæ agendæ. Egrediens hic pugil satanæ (variè enim cum eo decertauit) noctibus abibat ad cellas monachorum, qui se exercendo consenuerant in laboribus, & per se aquam non poterant ampliùs importare: & accipiens hydrias eis nescientibus, illas aquâ implebat. Habent enim in illis locis aquam certâ distantem longinquitate, alij quidem ad duos lapides, alij verò ad quinque, alij verò ad dimidium. Vnâ ergo nocte quâ hoc faciebat, dæmon qui eum obseruauerat, non ampliùs ferens athletæ fortitudinem, cùm ipse se inclinasset in puteum, vt vnius monachi impleret hydriam, clauam quamdam ei impegit in lumbos, & eum in eo loco reliquit iacentem mortuum, nihil omnino sentientem, neque quid, neque à quo id passus sit. Cùm ergo alio die venisset

Moyses monachorum hydrias replet aquâ.

Dæmon in Moysem irruit.

venisset quidam monachus ad aquam hauriendam, eum illic inuenit iacentem linqui animo. Is autem id renuntiauit magno Isidoro presbytero Scetis. Qui abiens cum aliquot alijs, eum accepit, & tulit in ecclesiam. Ille verò anno toto ægrotauit, vt vix corpus eius & anima conualuerit. Tunc dicit illi magnus Christi sacerdos Isidorus: Cessa deinceps, frater Moyses, contendere cum dæmonibus, & ne sic eis insultaueris: est enim modus quoque fortitudinis in exercitatione. Is autem illi dicit: Non cessabo cum eis pugnare, donec mihi cessauerit phantasia somniorum. Tunc ei dicit Christi seruus Isidorus presbyter: In nomine Domini nostri Iesu Christi ab hoc temporis articulo cessabunt turpia tua somnia: bono deinceps & fidenti animo [56] communica Sacramentis. Ne enim gloriareris, vt qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideò vehementer in te suam exercuit potestatem, ad tuam vtilitatem, ne incideres in animi elationem. His auditis reuersus est in cellam, quietè deinceps attendens moderato instituto exercitationis. Post duos autem vel tres menses rogatus à beato Isidoro presbytero exercitator Moyses, numquid amplius ei molestiam exhibuisset spiritus; respondit: Ab illâ horâ quâ mihi precatus est Christi seruus, nihil mihi accidit eiusmodi. Dignatus est autem hic sanctus gratiâ aduersus dæmones, adeò vt sicut nos muscas hieme contemnimus; ita, atque adeò amplius, hic magnus Moyses contemneret dæmones. Hæc est religiosa & sancta vita quam egit inuictus athleta Moyses Æthiops, qui ipse quoque numerabatur inter magnos. Obijt ante septuaginta quinque annos natus in Scete, cùm factus esset presbyter, relictis septuagintaquinque discipulis.

Moyses ægrotat.

Moyses propter somnia turpia non communicabat.

Moyses factus presbyter obit annorũ 75.

Vita abbatis [57] PAVLI.

C.XXIII.

MONS est in Ægypto, abducens in vastam Scetes solitudinem, qui appellatur Pherme. In hoc monte sedent circiter quingenti homines qui exercentur. Inter quos fuit etiam quidam, nomine Paulus, monachus optimus, qui toto suo tempore hanc egit vitam. Numquam opus attigit, nec vllum suscepit negotium, nil vmquam accepit ab aliquo, præterquam quod posset in ipso die comedere. Fuit autem eius opus & exercitatio, orare perpetuò. Hic habebat trecentas preces expressas & præstitutas, totidem habens in sinu calculos, & in vnaquaque oratione iaciens vnum [58] calculum. Is cùm accessisset ad sanctum Macarium qui dicitur Politicus, eius conueniendi gratiâ, & propter spiritalem vtilitatem, ei dicit: Abba Macari, valdè affligor. Coëgit eum Christi seruus dicere caussam propter quam molestiâ afficiebatur. Is verò ei dicit:

Pherme mons in quo 500. monachi.

300. orationes, & ad vnam quamque calculus.

De VIRGINE *quæ faciebat septingentas orationes.*

CAP. XXIV.

IN quodam vico habitat quædam virgo, quæ trigesimum annum iam exercetur. De quâ multi mihi narrarunt, quòd præter Sabbatum & Dominicam nullo alio die vescitur; sed toto tempore trahens hebdomadas, & post quinque dies comedens, facit septingentas orationes. Hoc cùm didicissem, meipsum reprobaui, quòd vir creatus his viribus corporis, non potuerim facere plus quàm trecentas orationes. Ei respondet sanctus Macarius, dicens: Sexagesimus annus agitur, ex quo centum constitutas facio orationes, & laborans manibus ea quæ sunt ad alimentum necessaria, & fratribus debitum reddens congressionis: nec mea me iudicat ratio quòd fuerim negligens. Si tu autem cùm trecentas facias orationes, iudicaris à conscientiâ; apertè ostendis te non purè orare, vel posse plures orationes facere quàm facias.

Virgo præter Sabbatum & Dominicã nõ comedit.

700. orationes quotidie fudit.

100. orationes constitutæ publicis rebus implicato, non minoris pretij quàm 300. nihil aliud agentis.

De [59] CRONIO *presbytero.*

CAP. XXV.

CRONIVS quidam mihi narrauit presbyter Nitriæ: Cùm essem, inquit, iunior ab initio, & propter animi angorem & tristitiam fugerem ex monasterio mei archimandritæ, errans perueni ad montem sancti Antonij. Sedebat autem beatus Antonius [60] inter Babylonem & Heracleam in vastâ solitudine, quæ fert ad mare rubrum, circiter triginta milliaribus à fluuio. Cùm ergo venissem ad eius monasterium quod est prope fluuium, in quo sedebant eius discipuli Macarius & Amatas in eo qui Pisper appellatur loco, qui eum etiam cùm dormiisset sepelierunt, exspectaui quinque dies, vt conuenirem sanctum Antonium. Dicebatur autem accedere ad hoc monasterium, aliquando quidem post decem dies, aliquando verò post viginti, aliquando verò post quinque, prout expediebat pro beneficio eorum qui veniebant ad monasterium. Conueneramus ergo diuersi fratres diuersis de caussis: inter quos fuit etiam Eulogius Alexandrinus monachus, & cum eo alius membris mancus; qui quidem propter talem caussam accesserunt:

Ruffin. l. 2. cap. 25. de Cronio Antonij discipulo.

Cronius fugit à monasterio.

Locus solitudinis B. Antonij.

Eulogius Alexandrinus.

De [61] EVLOGIO *Alexandrino & eo qui erat membris mancus.*

Pasch. c.19.n,3.

HIc Eulogius fuit disciplinarum liberalium scholasticus, qui diuino amore sauciatus, propter desiderium immortalitatis renuntiauit tumultibus: & cùm omnes suas dispersisset facultates, sibi reliquit paucos nummos, cùm non posset operari. Cùm ergo per se angeretur animo & esset tristis, & neque vellet cum alijs congredi, neq; vt solus esset satis sibi persuaderet, inuenit quemdam mancum ac mutilatum in foro proiectum, qui nec manus habebat nec pedes: ei solùm lingua remanserat integra ad alloquendum eos qui incidebant. Eulogius autem stans, eum fixis intuetur oculis, & Deum rogat: & cum Deo hoc modo paciscitur, dicens: Domine, propter nomen tuum accipio hunc mutilatum, & eum me recreaturum ac refecturum spondeo vsque ad horam mortis eius: vt ego quoque per eum saluus fiam. Largire ergo mihi, Christe, patientiam, vt ei inseruiam. Et ad eum accedens, dicit ei: Vis ego te domo accipiam, & te recreem ac reficiam? Ille ei dicit: Vtinam dignareris, sed ego sum indignus. Vado ergo, inquit, & adducam asinum, & te hinc auferam. Cum magno autem gaudio est assensus is qui erat mutilatus. Eum ergo sustulit & portauit in suum hospitiolum: eiusque curam gessit in omnibus quibus opus habuit. Perpetuis ergo quindecim annis, is qui erat mutilatus, beneuolè ab eo curabatur tamquam pater, vt qui lauaretur, vngeretur, foueretur, & portaretur manibus Eulogij, & supra suam dignitatem quidem custodiretur, morbo autem conuenienter reficeretur. Post quindecim autem annos inuasit dæmon eum qui erat mutilatus, volens priuare Eulogium mandato & proposito, & mutilatum à refectione, & Dei gratiarum actione, seditionémque excitat in Eulogium; multisque eum probris cœpit insequi, adeò vt eum etiam appeteret maledictis, dicens deinceps: [61] Abi hinc, scelerate fugitiue. suffuratus es alienas pecunias, & dominum spoliasti: & meo prætextu vis latere, vt qui prætextu benè faciendi me acceperis in tuum hospitiolum, & propter me vis esse saluus. Eulogius autem eor eius leniebat, dicens: Ne domine, ne hæc dixeris; sed dicas quanam in re tibi fuerim molestus, & eam corrigam. Mancus autem dicebat arroganter; Non fero has assentationes: aufer me hinc, & proijce in foro. recuso tuam curationem. Dicebat autem Eulogius: Rogo te, patere tui curam geri, & dic si quid sit tibi graue, domine mi. Mutilatus autem magis incensus, ei dicebat: Non possum amplius ferre tuam subdolam & ironicam adulationem. Non placet mihi hæc vita parca & sordida: ego volo vesci carnibus. Patiens autem Eulogius carnes ad eum attulit. Cùm eas autem vidisset impatiens, Non satis est mihi, inquit, tecum esse solum; turbas volo cernere. Ei autem dicit Eulogius: Ego ad te iam adducã monachorum multitudinem. Ille autem rursus ægrè ferẽs, dicit: Væ mihi misero: tuum aspectum ferre non possum; & tu ad me adducis tui similes, qui cùm sint otiosi, comedunt. Et insolenti voce seipsum lanians, vociferabatur, dicens: Nolo, nolo; in forum deduci volo. O violentia! abijce me vbi inuenisti. Dico quòd si habuisset manus, in animum induxisset vel se suffocare, vel sibi ense manus inferre. Cum dæmon sic eum efferasset, posteà se confert Eulogius ad propinquos monachos, & dicit eis: Quid faciam? ad desperationem me deduxit mutilatus. Dicunt ei: Quamobrem? Ille autem, Me, inquit, grauiter afficit; nec scio quid faciam. Abijciam ipsum? sed Deo dedi dexteram, & timeo. Non abiiciam? sed me dies noctésque malè habet. Nescio quid faciam. Ei dicunt illi absolutè: Adhuc viuit magnus ille, (sic enim vocabant sanctum Antonium) ascende ad ipsum, mutilatum imponens in nauigium: & defer eum in monasterium, & exspecta donec magnus venerit è speluncâ, & ad eum refer iudicium. & quod tibi dixerit, sta illius sententiæ. Deus enim tibi dicet per ipsum. Verbis eorum morem gessit Eulogius, & mutilato blandiens, cùm eum immisisset in cymbam pastoralem, noctu egressus est ex vrbe, & tulit eum in monasterium discipulorum magni Antonij. Accidit autem vt alio die veniret magnus serò vesperè, vt narrauit Cronius, amictus chlamyde pelliceâ. Ingressus est ergo in suum monasterium. erat autem hæc eius consuetudo, vt alloqueretur Macarium, & eum interrogaret: Frater Macari, venerunt ne huc aliqui? Respondebat Macarius: Venerunt. Dicebat autem magnus: Súntne Ægyptij, an Ierosolymitani? Dederat autem magnus ei signum, dicens: Cùm videris venisse aliquos quibus est minus negotij, dic: Adsunt Ægyptij. Quando autem videris venisse aliquos religiosiores & paulò consideratiores, dic: Sunt Ierosolymitani. Rogabat ergo magnus pro more, dicens fratri Macario, Sunt Ægyptij fratres, an Ierosolymitani? Respondet Macarius, dicens: Est mixtura. Quando ergo dicebat Macarius: Sunt Ægyptij; dicebat ei magnus: Para eis lentem, & da eis quod comedant. & faciebat eis vnam orationem, & di-

Eulogius è scholastico monachus.

Mutilatum membris recreandũ suscipit.

Mira in mutilatum Eulogij humanitas.

Mutilatus agitur spiritu damonico, & in Eulogium murmurat.

Mutilatus vult vesci carnibus.

Perplexus quid agat de mutilato Eulogius consulit sanctum Antonium.

Chlamys pellicea S. Antonij.

Hospitum discretio.

Exhortationes sancti Antonij.

& dimittebat eos. Quando autem dicebat: Sunt Ierosolymitani; sedebat per totam noctem,& eis dicebat ea quę pertinent ad salutem. Sedens ergo illo vespere omnes accersit magnus. Cumque nullus ei dixisset quod nomen haberet scholasticus, cùm serus esset vesper, vocat eum dicẽs: Eulogi, Eulogi, Eulogi:& cùm ter proclamasset,& scholasticus Eulogius non respondisset, putans aliquem alium vocari hoc nomine, dicit ei magnus: Tibi dico Eulogi, qui venisti ab Alexandriâ. Tunc ei dicit Eulogius: Quid iubes, quæso? Dicit ei magnus: Quid huc venisti? Respondit ei Eulogius, dicens: Qui tibi reuelauit nomen meum, rem quoque propter quam veni reuelauit. Dicit ei sanctus Antonius: Didici quare venisti: sed dic coram fratribus, vt ipsi quoque audiant. Iussus autem à magno Eulogius, dixit coram omnibus.

Beato Antonio reuelatur nomẽ Eulogij.

Hunc mutilatum inueni ego in foro proiectum & neglectui habitum. eius autẽ misertus, Deum sum precatus vt daret mihi gratiam in ipsum tolerantię,& illum adsumpsi. Dexteram quoq; dedi Deo, quòd in morbo eius curam geram, vt & ego per ipsum saluus fiam,& ipse à me recreetur. Sunt autẽ quindecim anni ex quo simul versamur; sicut etiam tuæ sanctitati reuelata sunt omnia. Sed nescio quidnã mali à me passus, post tot annos me summè vexat.& in animo habui ipsum eiicere, ipso me ad hoc cogente. Eâ de caussâ veni ad tuam sanctitatem, vt mihi consulas quidnam debeam facere,& ores pro me; me enim vexat grauiter.

Dicit ei magnus Antonius graui & austerâ voce, Abiicias tu eum Eulogi? at qui eum creauit, non abiicit. Si tu eum abiicis, Deus ei excitabit te meliorem qui eum colligat. Cõticuit Eulogius,& extimuit cùm hæc audiisset. Relicto autẽ Eulogio magnus Antonius, incipit linguâ flagellare mutilatum,& ad eum exclamare: [63] Mutilate, maculate, terrâ & cælo indigne, non cessas cum Deo pugnare,& tuum fratrẽ irritare? Nescis esse Christum qui tibi ministrat? Quomodo audes hæc loqui aduersus Christum? Non propter Christum se tuo mancipauit seruitio? Cùm ergo eum quoque verbis coërcuisset increpantibus, eos dimittit:& cùm disseruisset cum fratribus de ijs quæ erant vnicuique necessaria, rursus accedit ad Eulogium & mutilatum,& dicit eis: Ne vsquam immoremini, ô fratres, sed abite in pace,& ne inuicem separemini, depositâ omni molestiâ quam vobis iniecit dæmon:& cum bonâ dilectione reuertimini in cellam, in quâ longo tempore versati estis; iam enim Deus mittet ad vos. Hæc enim tentatio in vos excitata est à satanâ, quoniam scit vos iam ad finem peruenisse; & futurum esse vt coronas à Christo accipiatis, ipsum per te,& te per eũ. Nihil ergo aliud cogitaueritis. Quòd si veniens Angelus non inuenerit vos in eodem loco, futurum est vt coronis priuemini. Citò ergo festinantes ingressi sunt,& venerunt in suam cellam [64] charitate perfectâ.& intra quadraginta dies, obit beatus Eulogius migrans ad Dominum,& intra tres alios obit is qui erat corpore mutilatus, sed animâ firmus ac robustus, qui ipse quoque in manus Dei suum commendauit spiritum.

Non abiiciendi egeni & ægroti.

Obiurgatio mutilati.

In seruiente ægrotis Christus agnoscendus.

Dimittuntur in pace Eulogius & mutilatus.

Obitus Eulogij & mutilati.

Cùm ergo aliquãto tempore versatus esset Cronius circa loca Thebaidis, descendit in monasterium Alexandriæ,& accidit vt beati quidem Eulogij obitus à fraternitate celebraretur quadragesimus dies, manci autem tertius. Cùm hoc ergo didicisset Cronius, obstupuit:& acceptum Euangeliũ, vt fidem haberent audiẽtes, posuit in medio fratrum:& eis iurauit, narrans magni Antonij de his præscientiam,& de omnibus quæ acciderunt,& dicens: Horum ergo verborum fui interpres, cùm beatus Antonius Gręcè nesciret: ego verò sciebam vtramque linguam,& eis sum interpretatus, beatis quidem deinceps per Christi gratiam: Eulogio & corpore mutilato Gręcè, quæ à magno dicta sunt, ipsi autem sancto & beato magnoque Antonio Ægyptiacè, quæ dicta sunt ab vtroque.

Confirmatur superior historia.

De contemplatione quam vidit abbas ANTONIVS. C. XXVII.

Hoc quoque narrauit Cronius illâ nocte magnum eis narrasse Antonium: Ego, aiebat, anno integro orauerã vt reuelaretur mihi locus iustorum & peccatorum. Vidi autem gigantem nigrum altissimum, qui ad nubes vsque pertingebat, habebat autẽ manus ad cælum vsque extẽsas; infrà autem erat lacus qui mare æquabat magnitudine. Vidi quoque animas tamquam aues sursum volantes:& quæcumque quidem eius manus & caput superuolabant, seruabantur ab Angelis: quæ autẽ à manibus eius verberabantur, incidebant in lacum. Ad me itaque vox peruenit, quæ dicebat: Quas vides animas superuolasse caput gigantis & eius manus, eæ sunt animæ iustorum, quæ quidem ab Angelis seruantur in paradiso: quæ autem à manibus nigri percutiuntur, eæ in inferno demerguntur. quæ quidam attractæ fuerunt à voluntate carnis,& odium secutæ sunt,& referendæ iniuriæ cupiditatem.

Suprà l. 1. in Vitã S. Antonij cap. 38. Pasch. c. 19. n. 4.

Visio beati Antonij de animabus iustorum & damnatorum.

Paradisus & infernus.

Vita abbatis [65] PAVLI SIMPLICIS. C. XXVIII.

Ruff. l. 2. cap. 32.

NARRAVIT autem sanctus Christi seruus Hierax,& Cronius,& plures alij ex fratribus ea quæ sum dicturus, quòd quidam Pau-

Paulus Simplex coniugem improbam duxit.

Paulus agrestis agricola, insigniter innocens & moribus simplex, vxorem duxerat mulierem formosissimá, sed moribus improbam, quæ longissimo tépore peccans eum latuit. Aliquando autem de improuiso regressus ex agro, & ingressus domum suam, inuenit eos turpia perpetrantes, deducente Paulum prouidentiâ ad id quod erat sibi conducibile. eámque cùm vidisset, cum eo cùm quo habebat stupri consuetudinem, honestè ac decorè risit, & eis exclamauit, dicens: Benè est, benè est: reuerà non est mihi curæ. Per Iesum, ego eam non accipiam ampliùs, abi, eam tibi habe & eius filios: ego enim recedo, & efficior monachus. Cùm nulli autem dixisset aliquid, pertransit octo mansiones, & abit ad sanctum Antonium, & pulsat ostium. Egressus autem sanctus Antonius, eum interrogat: Quid vis? Ei dicit Paulus: Volo fieri monachus. Respondet ei Antonius: Senex sexagenarius non potest hîc fieri monachus; sed potiùs abi in vicum, & operare, & vitam dege operariam, Deo agens gratias. Non potes enim sustinere afflictiones solitudinis. Respondet senex, & dicit: Si quid me docueris, illud faciam. Dicit ei Antonius: Dixi tibi te esse senem, & non posse esse monachum; abi. Si enim vis esse monachus, ingredere cœnobium vbi sunt complures fratres qui possunt tuam ferre imbecillitatem. Ego enim solus hîc sedeo, quinque dierum spatio interiecto comedens, idque esuriens. His ergo verbis Paulum abigebat. Postquam autem eum non admisit, clauso ostio Antonius tribus diebus foràs non est egressus, propter ipsum, ne quidem ad necessitates suas. Senex autem permansit non recedens. Quarto verò die cùm eum premeret necessitas, aperto ostio egressus est. & cùm rursus vidisset Paulum, ei dicit: Abi hinc, senex. quid mihi es molestus? non potes hîc manere. Dicit ei Paulus: Fieri non potest vt ego alibi quàm hîc moriar. Cùm aspexisset autem Antonius, & vidisset eum non ferre ea quæ sunt ad victum necessaria, non panem, non aquam, non aliquid aliud, & iam quartum diem perseuerasse ieiunum, cogitauit apud se, Ne fortè moriatur, vt qui non sit assuetus ieiunare, & meam maculet animam, eum ergo admittit. Tunc ei dicit Antonius: Potes esse saluus si habeas obedientiam, & quod à me audieris hoc feceris. Paulus autem respondens, dixit: Faciam quæcumque iusseris. Talémque vitæ asperæ agendæ rationem & illis diebus suscepit Antonius, qualem quando erat in principio iuuentutis. Eius ergo mentem probans Antonius, ei dixit: Sta, & ora in hoc loco, donec ingrediar, & afferam tibi quod opereris. Ingressus autem speluncam, per fenestram animaduertit eum in eo loco totam hebdomadam manere immobilem, cùm ab æstu torreretur. Egressus autem post hebdomadam, cùm ex palmis ramos madefecisset, ei dicit: Accipe, & contexe funem vt me vides. Texit senex ad horam vsq; nonam quindecim vlnas magno labore. Cùm autem vidisset Antonius id quod contexuerat, id minimè ei placuit, & ipsi dicit: Malè contexuisti, retexe, & denuò contexe; cùm iam septimo die ieiunus ageret, idque cùm esset grandis ætate. Tantum autem eum hac de caussâ afflixit, vt ægrè ferens senex fugeret Antonium, & vitam monachorum. Is autem eosdem ramos & retexuit, & iterùm contexuit cum magno labore, quòd ex contexturâ primâ fuissent corrugati. Cùm ergo vidisset magnus Antonius eum nec murmurasse, neque animum abiecisse, neque vultum suum omnino auertisse, & neque vel tantillùm succensuisse, propter eum est compunctus. Et sole occidente ei dicit: Patercule, vis comedamus fragmentum panis? Dicit ei Paulus: Vt tibi videtur, abba. Hoc quoque rursus inflexit Antonium, quòd non ad cibi nuntium protinus accurrerit, sed ei potestatem permiserit. Para ergo, inquit, mensam; & obedijt. Fert panes Antonius, & imponit mensæ quatuor paxamates, sex vnciarum: & sibi quidem vnum madefecit, erant enim sicci; illi autem tres. Psalmum psallit Antonius quem nouerat: & cùm eum duodecies cecinisset, duodecies orauit vt in hoc quoque Paulum probaret. Senex autem simul precatus est ipso magno Antonio promptiùs & alacriùs. Malebat enim, vt arbitror, pascere scorpios, quàm vnà viuere cum adulterâ. Post duodecim autem orationes, Paulo dicit magnus Antonius: Sede, inquit, & ne comedas vsque ad vesperam; sed solùm attende esculentis. Cùm autem fuisset vespera, & Paulus non comedisset, dixit ei Antonius: Surge, ora, & dormi. Ille autem mensâ relictâ sic fecit. Mediâ autem nocte excitauit eum ad orationem, & vsque ad horam nonam produxit orationes. Mensâ autem rursus appositâ cùm & rursus cecinisset & orasset, sero vespere sederunt ad comedendum. Cùm ergo comedisset magnus Antonius vnum paxamatem, aliud non tetigit. Senex autem comedens tardiùs, adhuc tenebat paxamidium quod ceperat. Exspectabat ergo Antonius donec perfecisset, & dicit ei: Comede, patercule, etiam vnum aliud paxamidium. Dicit ei Paulus: Si tu comedas, ego quoque comedam; te autem non comedente, nec ego comedam. Dicit ei Antonius:

Qua occasio vt monachus fieret. — *Paulus pergit ad beatum Antonium.* — *Obedientia monacho necessaria.* — *Mira Pauli in orando perseuerantia.* — *Eiusdem septem dierum inedia.* — *Duodecies cum Antonio psalmum canit.* — *Magna probatio.*

nius: Mihi sufficit, sum enim monachus. Et ille: Et mihi sufficit; nam ego quoque volo fieri monachus. Surgit rursus, & facit duodecim orationes, & psallit duodecim psalmos. Et post orationes primi somni parum dormiunt; & rursus expergiscuntur ad psallendum à mediâ nocte ad diem vsque.

Surgunt mediâ nocte ad orandum.

Deinde misit eum ad obeundam solitudinem, dicens ei: Veni huc post tres dies. Cùm hoc autem factum esset, & quidam fratres ad eum venissent, obseruabat Paulus Antonium quidnam vellet eum facere. Is autem dixit ei: Tacens ministra fratribus, neque aliquid gustaueris donec fratres fuerint iter ingressi. Postquam autem tertia iam impleta esset hebdomada ex quo non comederat Paulus, fratres eum rogabât: Quâ de caussâ taces? Cumque ille non responderet, dicit ei Antonius: Quid taces? colloquere cum fratribus. Ille verò est collocutus. Cùm aliquâdò ei fuisset allata vrna mellis, dixit ei Antonius: Frange vas, & mel effundatur. Sic autem fecit. Et ei rursus dicit: Collige rursus mel conchâ, ne sordes aliquas inferas. Et rursus iussit eum aquam haurire toto die. Et rursus cùm vestem eius dissoluisset, iussit consuere. Tantam denique hic vir possedit obedientiam, vt ei etiam data sit gratia diuinitus, nempe vt eijceret dæmones. Postquam ergo vidit senem magnus Antonius, promptè eum esse ad omnia secutum in vitæ exercendæ ratione, ei dicit: Vide, frater, si sic indies potes, manè mecum. Dicit ei Paulus: An quid mihi possis ampliùs ostendere, nescio. nam ea quæ vidi à te fieri, ego quoque facio facilè & citra laborem, Deo mihi opem ferente. Tunc ei dicit Antonius alio die: In nomine Iesu, ecce factus es monachus. Cùm autem satis superq; compertum haberet in omnibus magnus & beatus Antonius, esse admodum perfectam animam Christi seruum, vt qui esset admodum simplex; post certos menses, Dei gratiâ opem ferente beato Antonio, facit ei deinceps cellam ad tres vel quatuor lapides à suâ cellâ. Et dicit ei: Ecce Christi virtute opem ferente tu factus es monachus, mane deinceps seorsum, vt etiam facias periculum dæmonum. Cùm ergo anno vno apud se habitasset Paulus Simplicissimus, & gratiâ dignatus est aduersus dæmones & aduersus omne genus morbos, se perfectè gerens in virtute exercitationis.

Obedientia & simplicitas Pauli gratiam eijciendi dæmones promeretur.

Quodam ergo die adolescentulus qui supra modum grauiter vexabatur à dæmone, allatus est ad beatum Antonium, [67] habens principalem sæuissimum dæmonem, qui etiam ipsum cœlum maledictis & probris insequebatur. Cùm igitur adolescentem obseruasset magnus Antonius, dicit ijs qui eum ducebant: Non est hoc meum opus; nam contra hunc ordinem dæmonum, nempe principalem, nondum sum donatus gratiâ: sed hæc est Pauli gratia Simplicis. Abiens ergo magnus Antonius ad probatissimũ Paulum, ipsos quoque deduxit, & dicit ei: Abba Paule, eiice hunc dæmonem ab hoc homine, vt sanus ad sua redeat, & Dominum glorificet. Dicit ei Paulus: Tu verò quid? Dicit ei Antonius: Non est mihi otium, est aliud quod agam. Et relicto illic puero, reuersus est magnus Antonius in suam cellam. Cùm ergo surrexisset innocens senex, & efficacem fudisset orationem, dicit prouocans dæmoniacum: Dixit abbas Antonius, Egredere ab homine. Dæmon autem cum probris ac maledictis exclamabat, dicens: Non egrediar, [68] helluo, senex nugator. Acceptâ itaque pelle suâ ouillâ, verberabat eum in tergo, dicens: Egredere, dixit abbas Antonius. Dæmon autem maledictis insequebatur Paulum & Antonium, [69] Helluones isti in senectute, veternosi, insatiabiles, qui proprijs numquam sunt contenti, quid est vobis commune nobiscum? quid in nos exercetis tyrannidem? Tandem dicit ei Paulus: Aut exibis, aut abeo vt id dicam Christo, isque faciet vt sit tibi væ. At Iesum quoque probris & maledictis insectabatur immitis ille dæmon, clamans, Non exibo. Eâ de caussâ indignatus Paulus aduersus dæmonem, egressus est è suo hospitio in ipso puncto meridiei: æstui autem Aegyptiorum intercedit cognatio cum fornace Babyloniâ. Stans ergo sanctus senex tamquam columna super petram, sic orat Christum, dicens: Tu vides, Iesu Christe, qui fuisti crucifixus sub Pontio Pilato, me non descensurum ex hac petrâ, neque esurum nec bibiturum donec moriar, nisi me nunc audieris, & hunc dæmonem ab homine eieceris, & à spiritu immundo ipsum liberaueris. Adhuc cum Iesu loquente simplici & humili Paulo, priusquam ipse preces perfecisset, exclamauit dæmon, dicens: Recedo, recedo, vi egredior, & per tyrannidem expellor; discedo ab homine, non ampliùs ad eum accedo. Pauli simplicitas & humilitas me expellit, neque scio quò abeam. Protinusque exijt dæmon, & mutatus est in maximum draconem circiter septuaginta cubitorum, receditque reptans in mare rubrum, vt impleretur quod dictum est per sanctum Spiritum: Fidem quæ demonstratur iustus annuntiabit. Et rursus alibi: Super quem respiciam, inquit Dominus, nisi super mansuetum & humilem & trementem verba mea? Solent enim humiliores dæmones eijci ab hominibus fide prin-

Adolescens dæmoniacus per Paulum curatur.

Pelle ouillâ indutus Paulus.

Humilitas Pauli pellit dæmones.

Prou. 12.

Isa. 66.

principalibus, principales rursus dæmones fugari ab humilibus. Hæc sunt miracula sancti Pauli Simplicis & humilis, aliáque plura & his maiora. Hic vocatus est Simplex à totâ fraternitate.

CAP. XXIX. *Vita abbatis* 70 PACHON.

QVIDAM Pachon nomine, cùm peruenisset ad annum septuagesimum, sedebat in Scete. Accidit autem vt ego vexatus ab affectione femineæ cupiditatis, cogitationibusque & visis nocturnis, ferrem difficiliter. Cumque parum abesset quin propter hanc tentationem exirem è solitudine, quòd me hæc animi perturbatio ageret vehementissimè, vicinis quidem meis rem non exposui; sed neque meo magistro * Euagrio: sed latenter veniens in solitudinem, quindecim diebus versatus sum cum patribus senescentibus in solitudine, qui erant in Scete. Inter quos incidi etiam in sanctum virum Pachonem. Cùm ergo inuenissem eum sinceriorem & magis versatum in exercitatione, ausus sum ei meum animum aperire. Dixit autem mihi ille sanctus: Ne tibi videatur res mira & aliena. hoc enim non tibi accidit ob delicias, otiumque & negligentiam. Nam & mores tibi ferunt testimonium, & penuria eorum quæ sunt necessaria, & quòd nulla sit hîc tibi consuetudo cum feminis; sed potiùs hoc tibi accidit ab aduersario ob studium virtutis. Est enim triplex hostis qui impellit ad fornicationem. Aliquando enim nos caro inuadit luxurians, & quæ nimis lautè & delicatè est curata: aliquando autem in nos insurgunt motus animi propter cogitationes: aliquando autem ipse quoque dæmon in nos exercet tyrannidem propter inuidiam; nam ego quoque multa obseruans, hoc inueni. Ecce me, vt vides, hominem senem; cùm iam quadragesimum annum degam in hac cellâ, curam gerens meæ salutis, & ad hanc ætatem peruenerim, tentor vsque in hodiernum diem. Et iurauit dicens: Iam duodecim annis postquam transegi annum quinquagesimum, nullam diem nec noctem intermisit quâ me non inuaserit. Cùm itaque suspicatus essem Deum à me recessisse, quandoquidem tantâ in me dæmon vteretur potestate, potiùs delegi mori absque ratione, quàm vitio affectioneque corporis me turpiter gerere. Egressusque à cellâ meâ, & obiens solitudinem, inueni speluncam hyænæ. In quam speluncam me nudum immisi toto die, vt feræ egressæ me deuorarent. Postquam autem fuit vespera, prout scriptum est, Sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsâ transibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. Egressæ ergo feræ in illâ horâ, & masculus & femina, me à pedibus ad caput vsque odorati sunt, circumlingentes. Cumque exspectarem fore vt deuorarer, à me recesserunt. Cùm ergo illic totâ nocte iacuissem, non fui deuoratus. Existimans ergo Deum omnino mihi pepercisse, surrexi. Rursus verò in cellam redij. Cum autem se paucis diebus continuisset dæmon, me est adortus vehementiùs quàm anteà, vt parum abfuerit quin blasphemarem. Transformatus enim cùm esset in puellam Æthiopissam, quam in meâ iuuentute videram æstate spicas legentem, ea mihi visa est meis insidere genibus; méque vsque adeò commouit vt putarem me cum eâ coiuisse. Furore ergo percitus impegi ei colaphum; eáque sic euanuit. Hoc autem mihi crede dicenti. Biennio non poteram ferre manus meæ fœtorem. Cùm ergo hac de caussâ pusilli & abiecti animi euasissem, & de me omnem spem abiecissem, egressus sum pererrans vastam solitudinem, & inueni paruam aspidem. Quam cùm accepissem, eam admoueo meis genitalibus, vt vel sic morsus morerer: & cùm eis caput virilibus applicassem, vt quæ mihi fuissent caussa tentationis; ne sic quidem morsus sum gratiæ prouidentiâ. Post hæc autem audiui vocem dicentem mihi in meâ cogitatione: Abi Pachon, decerta. ideò enim permisi in te tantam exerceri potestatem, ne tibi esset elatior & arrogantior spiritus, perinde ac ipse posses hanc superare affectionem: sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in tuæ vitæ instituto numquam haberes fiduciam, sed recurreres ad Dei auxilium. Sic autem admonitus & confirmatus, ad cellam sum reuersus, & deinceps sedens cum fiduciâ, & nullam belli curam gerens, reliquos dies egi in pace. Dæmon autem cùm cognouisset meam eius despicientiam, pudore deinceps affectus, ad me non accessit ampliùs. His verbis cùm ad luctam aduersus satanam me confirmasset, & ad bellum instruxisset, & aduersum dæmonem fornicationis me parasset ac docuisset, dimisit, iubens, vt forti animo me gererem in omnibus.

Vita Abbatis 71 STEPHANI. CAP. XXX.

STEPHANVS quidam Libs genere, sedit sexaginta annos [71] ex latere Marmaricæ & Mareotæ. Is cùm fuisset summè versatus in exercitatione, & esset discernendi potestate præditus, hanc gratiam est con-

Marginalia: * al. Eulogio. — *Palladius tentationes carnis Pachoni aperit.* — *Tres caussæ libidinosarum cogitationum.* — *Pachon aperit miras dæmonis tentationes.* — *Desperat acriter à dæmone tentatus.* — Psal. 103. — *Pachon ab hyænis illæsus circumlingitur.* — *Dæmon in specie Æthiopissæ Pachonem tentat.* — *Humilitas ex tentatione.* — *Dæmon despectus tentare cessat.* — *Dæmon fornicationis.*

Stephanus curat omnes afflictos. consecutus, vt quicumque eum conueniret, à quacumque cruciaretur molestiâ, is molestia vacuus ab eo recederet. Fuit autẽ is quoque notus beato Antonio. Peruenit autem etiam ad nostra vsque tempora; atque ego quidem cum eo non sum versatus propter viæ longitudinem: sanctus autem Ammonius & Euagrius qui eum conuenerunt, narrauerunt se eum inuenisse in talem prolapsum ægritudinem in ipsis locis testiculorum, & penis summum vlcerasse cancrum, qui φαγέδαινα dicitur. *Stephani ægritudo.* Eum, aiebant, inuenimus dum à quodam medico curaretur. & manibus quidem operabatur; & palmæ ramos contexebat, & nobiscum etiam loquebatur: reliquo autem corpori manum adhibebat chirurgus. *Patientia.* Erat autem Dei gratiâ, eâ præditus patientiâ, vt perinde affectus videretur, ac si corpus alterius secaretur; & cùm eius membra rescinderentur, non secùs ac si essent pili insensiles, ita mansit immutabilis: tam insigniter & admirabiliter erat à Deo instructus. Cùm nos autem, inquit, partim angeremur, partim verò terreremur, quòd tanti viri talis vita in tantum morbum incidisset, & tales medicorum exectiones; nostras autem cogitationes sensisset beatus Stephanus, dicebat nobis: Ne ex hac re offendamini, ô filij: nihil enim quod Deus facit, ad malum vmquam facit, sed ad bonum finem. *Melius hic pati, quàm in alterâ vitâ.* Fortasse enim membra merebantur supplicium, & melius est ea hîc dare pœnas, quàm post excessum ex hoc stadio. Cùm nos ergo sic est hortatus; & verbis confirmauit ad tolerantiam, ædificauit ad fortiter ferendas afflictiones. Hæc autem narraui, ne videatur nobis alienum, quando viderimus aliquos sanctos incidisse in tales calamitates.

CAP. XXXI

De [73] VALENTE *qui excidit.*

FVIT quidam Valens, genere quidem Palæstinus, mente autem Corinthius: *1. Cor. 5.* Corinthiis enim vitium inflationis tribuit sanctus Paulus, dicens: Et vos inflati estis. Qui cùm venisset in solitudinem, ipse quoque plures annos habitauit nobiscum. *Elationis vitium.* Eò autem processit superbiæ, vt deceptus sit à dæmonibus. Ex eo enim quòd ipse paulatim deciperetur, fecit vt ipse de se magnificè ac præclarè sentiret, tamquam cum eo versarentur Angeli, eique in singulis ministerijs inseruirent. Quodam certè die, vt narrabat, cùm operaretur in tenebris, acum dimisit quâ consuebat sportam. Quam cùm ipse non inuenisset, dæmon ei fecit lampadem, & inuenit acum. Hoc nomine rursus inflatus, magnificam de se induit opinionem, & vsque adeò elatus est, vt etiam contemneret ipsam Sacramentorũ communionem. Cùm autẽ Christus Dominus eius esset misertus, sic prouidit vt eius detrimentum citò fieret manifestum vniuersæ fraternitati. *Bellaria ecclesiæ donata.* Accidit vt quidam venientes hospites afferrent ad fraternitatem bellaria in ecclesiam. Porrò autẽ cùm eas accepisset sanctus Macarius presbyter noster, misit ad vnumquemque in cellam circiter pugillum: inter quos etiam ad Valentem. Cùm autem accepisset Valens, eum qui attulerat contumeliâ affecit, & verberauit, & ei dicit: Abi, & dic Macario, Non sum te deterior, vt tu ad me mittas benedictiones. Cùm cognouisset ergo sanctus Macarius eum esse seductũ, accessit vno die posteà ad eum exhortandum. & ei dicit: Valens, illusus es, desine, Deumque deprecare. Postquam autem nõ audiuit eius admonitiones, recessit admodum afflictus & mœrens ob Valentis ruinam. *Elatum dæmon fallaci Seruatoris specie illudit.* Cùm ergo certò sibi persuasisset dæmon, eum eius deceptioni maximè fidem habuisse, abit, & figuram Seruatoris induit; & noctu accedit in phantasmate, mille angelis lampadas tenentibus, & rotam igneam, in quâ visus est figuram exprimere Seruatoris. vnusque eum præcedit & dicit: Christus dilexit tuum institutum, tuamque viuendi libertatem & confidentiam, & venit vt te videat; egredere ergo è cellâ, & nihil aliud feceris, nisi cùm procul eum videris, procũbens eum adora, & ingredere in tuam cellam. Egressus ergo cùm vidisset apparatum lampadum, circiter à stadio procul Antichristum adorauit. Alio itaque die adeò fuit emotæ mentis, vt ingrederetur ecclesiam, & fraternitate congregatâ diceret: Ego non habeo opus communione; Christum enim vidi hodie. Tunc patres eum anno vno vinxerunt, & in ferreos compedes coniecerunt, & curarunt; precibus, eiusque contemptione, vitaque austeriore detrahentes eius persuasionem: *Ligatur Valens à patribus.* nam, vt dicitur, contraria contrarijs medicamentis curantur.

Necesse est autem eorum quoque qui sunt tales vitam in hoc libro inserere, ad securitatem eorum qui legunt: sicut etiam sanctis plantis accessit lignum paradisi, nempe cognitio boni & mali. *Gen. 2.* vt si quando contigerit eos in aliquâ re se rectè gerere, non se efferant & se iactent de virtute. Nam sæpè quoque virtus efficitur occasio prolapsionis, quando non recto scopo facta fuerit. Scriptum est enim: Vidi iustum pereuntem in suâ iustitiâ. *Eccle. 7.* id quoque est vanitas.

CAP. XXXII.

De [74] ERONE.

FVIT quidam, Ero nomine, mihi vicinus, Alexandrinus genere, vrbanus adolescens, bono ingenio, vitâ mundus.

Ne monachus seniorem afficiat contumeliâ. *al. Macarium quoque presbyterum. *Vox similis nostrorum hæreticorum.* *Math. 23.*

Qui ipse quoque post magnos labores & præclaros sudores, ab arrogantiâ arreptus & elatione, præceps ruit, & aduersus patres superbus euasit & insolens, & cum illis * beatum etiam Euagrium affecit contumeliâ, dicens: Qui tuæ doctrinæ parent, decipiuntur; non oportet enim alios magistros attendere præter Christum. Abusus est autem testimonio quoque ad peruersum scopum suæ stultitiæ, dicens: Ne vocaueritis magistrum super terram. Qui ipse quoque mentem adeò habuit obtenebratam vanâ persuasione suæ opinionis, vt fuerit etiam ferro vinctus cùm nollet conuenire ad Sacramenta. Amica autem veritas. Fuit is vitæ instituto admodum subtili & accurato, adeò vt multi dicant, quibus cum eo intercessit consuetudo, quòd sæpè non nisi post tres menses comedebat, contentus communione Sacramentorum, & sicubi ei apparuisset olus agreste. Accepi autem ego quoque eius experientiam cum beato Albino, cùm irem in Scetem: aberat autem Scete à nobis quadraginta milliaribus. In his quadraginta miliaribus nos bis comedimus, & ter aquam bibimus; ille verò cùm nihil gustasset pedes ingrediens, pronuntiauit memoriter quindecim psalmos, deinde magnum psalmum, deinde epistolā ad Hebræos, deinde Isaiam, & partem propheticorum Ieremiæ, deinde Lucam Euangelistam, deinde Prouerbia. Eum autem ambulantem non poteramus consequi. Is postremò arreptus à mali dæmonis operatione, vt qui ageretur ab igne vehementissimo, in suâ quidem cellâ sedere non poterat: profectus autem Alexandriam diuino quodam consilio clauum clauo extrusit. Suâ sponte enim incidit in promiscuū & indifferentem rerum vsum, inuentâ posteà salute inuoluntariâ. Accessit enim ad theatra & equestria certamina, & versabatur in cauponis: is autem cùm gulæ esset deditus & ebrietati, incidit in cœnum femineæ cupiditatis; & cùm peccare constituisset, cum quadam mimâ assiduè collocutus, vlcus suum aperuit. Cùm hæc sic fierent, diuino quodam consilio enatus est ei anthrax in glande: & tempore semestri vsque adeò ægrotauit, vt eius virilia membra computruerint, & suâ sponte ceciderint. Cùm posteà autem conualuisset, reuersus est ad hoc vt eâ sentiret quæ Dei sunt, & venit in solitudinem, hæc omnia confitens patribus: & cùm non peruenisset ad operationem, paucis pòst diebus obdormiit.

Ieiunium portentosum.

Eronis mira memoria.

Nulli peiores quàm qui à monasterijs defecerunt.

CAP. XXIII.

De PTOLEMAEO *qui excidit.*

ALIVS quidam rursus, nomine Ptolemæus, cùm narratu difficilem, vel potiùs quæ narrari non potest vitam transegisset, habitauit initio vltra Scetem in eâ quæ dicitur Κλίμαξ, id est scala. Est autem locus, qui sic dicitur, in quo nemo potest habitare, propterea quòd puteus aquarum distet decem & octo milliaribus. Cùm is ergo multa vasa fictilia portasset, & Decembri & Ianuario mense rorem collegisset (est enim permultum roris in illis partibus) & spongiâ ex lapidibus expressisset, perstitit illic habitans annos quindecim. Qui abalienatus à doctrinâ & congressione virorum sanctorum, & vtilitate & continuâ Sacramentorum communione, à rectâ viâ vsque adeò recessit, vt quod nonnulli dicunt impij, casu omnia fieri, is quoque infelix id fateretur, dæmone erroris deinceps in eum obtinente imperium. Hic enim inimicus vano huic homini suggessit, vt diceret res nullam habere essentiam; sed omnino esse omnia ex eo quòd mundus ferretur suâ sponte. In huius ergo animam hæc immisit omnium vitæ hostis, dicendo: Cùm res ita se habeant, quid frustrà teipsum foris domas? Quidnam te iuuabit, Ptolemæe, si non sit remuneratio? Quænam autem tibi sufficeret merces tot & tantorum laborum, etiamsi esset qui redderet? Quodnam autem est iudicium quod minantur Scripturæ, si nulla sit prouidentia? His satanicis circumseptus cogitationibus miserrimus Ptolemæus, dicitur esse emotæ mentis, & hucusque errare in Ægypto, & seipsum dedidisse gulæ & ebrietati, cum nemine conuersans, sed mutus forum obiens miserabile & lacrymabile spectaculum Christianorum oculis, ludibrium autem iis qui vitam nostram nesciunt. Hæc autem calamitas immedicabilis miserum inuasit Ptolemæum, ex rationis experte quadam arrogantiâ, quòd à seductore dæmone illusus, existimaret se scientiâ pollere super omnes sanctos patres: per quam inflatus, suiipsius hostis, præceps datus est in profundum interitus, cùm nullum vmquam conuenisset ex sanctis patribus qui sapienter gubernauerant, nec eorum fuerit fundatus spiritali doctrinâ; sed inuentus absque gubernatore, in extremum mortis profundum cecidit, & sicut arbor viridibus foliis comata, & fructibus ornata, quæ vno temporis momento omnibus simul est nudata, reddita est arida. nam vt scriptum est, Quibus non est gubernatio, ij cadunt vt folia. *Prou. 11.*

Climax locus in Scete.

Hæresis quòd casu fiant omnia.

Negatur prouidentia dæmone suggerente.

Qui stat, videat ne cadat.

CAP. XXIV.

De VIRGINE *lapsâ.*

NOVI rursus quamdam virginem Ierosolymis, quæ saccum gestauit sexennio,

Austeritas sine charitate periculosa. nio, & fuit inclusa: nec aliquid accepit ex ijs quæ tendunt ad voluptatem, sed summam continentiam exercuit inter feminas. Posteà autem à diuino deserta auxilio propter summam superbiam quæ malorum omnium est nutrix, lapsa est, & apertâ fenestrâ admisit eum qui ei inseruiebat, & cum eo fuit commixta; eo quòd non diuino proposito & ex charitate se exercuerat, sed vt humanæ scenæ seruiret: quod quidem est vanæ gloriæ & praui instituti. *Angelus temperantiæ recedit ab obsessâ dæmone superbiæ.* Nam cùm eius piæ cogitationes occupatæ essent in damnandis alijs, incitaretur autem furore à dæmone superbiæ, eoque valdè delectaretur: ab eâ recessit sanctus Angelus custos temperantiæ.

Ideò autem scripsimus, ô virorum fidelissime, & vitam eorum qui se rectè & ex virtute gesserunt, & eorum qui post multos labores per otium & socordiam à summo & perfectissimo vitæ instituto exciderunt, capti à diabolo omne genus laqueis: vt vnusquisque ex suæ vitæ instituto intelligens occulta retia hostis bonorum, fugiat eius laqueos. Cùm sint ergo multi, ijque magni viri & mulieres, qui ab initio se rectè gesserunt in honesto instituto exercitationis, tandem autem fuerunt euersi radicitus ab omnium hominum aduersario; ex multis factâ mentione paucorum, plurimos præteribo silentio: vt qui neque ipsos erigam, neque mihi prosim, dum in ijs multùm immoror, & eximios Christi athletas negligo, non narrans virtutes diuinæ eorum exercitationis.

Cap. XXXV

Vita abbatis Eliae.

Elias quidam optimus exercitator, fuit virginum amantissimus, curam gerens partis imbecillioris. Sunt enim tales animæ, quibus fert finis testimonium, quòd id faciant ex virtute. *Finis actionis eam discernit.* Is cùm misertus esset ordinis feminarum quæ se exercent, haberet autem facultates in * Athribe ciuitate, ædificauit magnum monasterium, & illic congregauit omnes quæ errabant virgines, *Monasterium virginum ædificat Elias.* consequenter eorum in omnibus curam gerens, suppeditans eis omnia quæ ad vsum pertinent necessarium: hortos, & τὰ ad eorum culturam instrumenta, atque vt semel dicam, omnia quæ postulat vita exercitationis. Eæ autem ex diuersis vitæ institutis & priuatâ deductæ consuetudine, inter se depugnabant assiduè. Cùm ergo oporteret hunc sanctum & eas audire, & efficere vt pacem inter se seruarent: *Elias rector 300. virginum tentatur voluptate.* collegerat enim ad trecentas: & necesse ei fuerat esse earum intercessor biennio, licet ætate iuueni; erat enim circiter triginta aut quadraginta annos natus: is tentatus fuit à voluptate. A monasterio autem recedens ieiunus, errabat per solitudinem duos dies, hoc rogans, & dicens: Aut occide me, ne ipsas videam afflictus; aut meam aufer affectionem, vt earum curam geram vt postulat ratio. *Fugit à conspectu virginum metu lapsu.* Cùm fuisset ergo vespera, eum somnus oppressit in solitudine. Venientes autem ad eum tres Angeli, vt ipse mihi narrauit, eum retinentes, ei dicunt: Cur exiisti ex monasterio feminarum? Rem itaque eis narrauit, dicens: Timui ne & illas læderem & meipsum. Dicunt ei Angeli: Si te ergo liberauerimus ab hac affectione, redibis, & earum curam geres? His assensus est. Ab eo autem iusiurandum exigunt: narrabat autem iusiurandum. Iura nobis tale iusiurandum: Per eum qui mei curam gerit, earum curam geram. *Ab Angelis curatur à fomite concupiscentiæ.* Hoc eis iurauit. Tunc Angeli eum tenuerunt: vnus manus, & alter pedes, tertius autem acceptâ nouaculâ excidit eius testiculos tamquam in extasi, non verè, sed quadam visione. Visus est ergo in illâ extasi veluti excisus fuisse & curatus. Post hoc interrogant ipsum Angeli, dicentes: Sensisti vtilitatem aliquam? Eis dicit ille: Valdè magnam accepi vtilitatem; valdè enim leuatus sum: & persuasum habeo me esse liberatum à labore & affectione. Tunc Angeli ei dicunt: Abi ergo ad tuum monasterium. Reuersus est autem post quinque dies, eum lugente toto monasterio, & intus ingressus est: atque ex eo tempore mansit in cellâ ad latus monasterij, quandoquidem cùm esset propè, eas corrigebat assiduè, quantum in illo erat. Cùm autem posteà vixisset alios quadraginta annos, affirmabat patribus, quòd ab eo tempore non ascenderat in cor eius affectio cupiditatis feminæ. Hæc est gratia sancti viri Eliæ, & hæc exercitatio, & quemadmodum curam gessit monasterij virginum.

Cap. XXXVI.

Vita abbatis Dorothei.

Cui successit Dorotheus vir probatissimus, qui in bonâ vitâ, & quæ in agendo versatur, consenuit. *Dorotheus inclusus, rector tamen virginum.* Qui cùm non posset quidem sic curam gerere monasterij vt hic beatus, neque mansisset in illâ cellâ: in ipso monasterio in superiori cœnaculo seipsum inclusit: & fecit fenestram quæ spectabat ad monasterium feminarum, quam claudebat & aperiebat. Perpetuò ergo assidebat fenestræ, procurans vt inter eas pugnæ cessarent. Sicque in superiori cœnaculo consenuit, cùm nec vllus seorsum adscendere, neque ille posset descendere: non enim stabant scalæ. Hæc est beati Dorothei religiosa & virtutibus ornata vita. Hic eiusdem vitæ finis.

** al. Athlebe.*

De Amma PIAMVN.

FVIT quædam virgo Piamun, quæ annos vitæ suæ vixit cum matre propriâ, sola cum solâ vesperè comedens, & linum nens. hæc dignata est gratiâ prædictionis futurorum inter homines. Accidit aliquando in Ægypto, cùm Nilus ascenderet, vt vicus vicum inuaderet: pugnant enim pro aquarum diuisione, adeò vt sequantur cædes & sauciationes. Potentior ergo vicus eius vicum inuasit, & venit virorum multitudo cum lanceis & clauis, vt eius vicum exscinderet. Adstitit autem huic beatæ Angelus reuelans eorum inuasionem; & accersitis vici presbyteris, eis dicit: Exite, & ex hoc vico occurrite eis qui veniunt contra vos, ne vos quoque vnà cum vico pereatis, & rogate eos vt desistant ab insidijs aduersus vos paratis. Territi autem presbyteri ei ad pedes procumbunt, eam rogantes & dicentes: Nos non audemus eis ire obuiàm, scimus enim eorum temulentiam & petulantiam; sed si facis misericordiam in nos & in totum vicum, & in domum tuam, ipsa eis egredere obuiàm, illosque pacatos auerte. Illa autem cùm non assensa esset, veniens in suam domunculam, stetit totâ nocte orans & genu minimè flectens, sed rogans, dicendo: Domine, qui iudicas terram, cui nihil placet quod est iniustum, cùm hæc ad te venerit oratio, virtus tua eos sistat immobiles tamquam columnam, vbicumque eos deprehenderit. Cùm hæc sancta virgo sic orasset, tale quid accidit. Hostes circa horam primam, à tribus milliaribus, in loco fixi tamquam columna, labefactari non poterant. Illis quoque reuelatum est, quòd seruæ Christi Piamun intercessionibus factum est eis impedimentum: ijque ad vicum mittentes pacem petierunt, dicentes: Agite Deo gratias & precibus Piamun quæ nos impedierunt, ne magnum vobis malum inferremus.

Piamun virgo donatur gratiâ prophetia.

Oratione aduersarios immobiles sistit.

CAP. XXXVIII.

Vita abbatis [76] PACHOMII, & eorum qui cum ipso erant.

Vita eius suprà l. 1.

77. TABENNESIS est locus sic appellatus in Thebaide, in quo fuit Pachomius monachus, vir ex ijs qui vixerunt in summo & perfecto vitæ instituto, adeò vt is fuerit dignatus & futurorum prædictionibus & angelicis visionibus. Is fuit valdè amans pauperum, & magnâ charitate in homines. Eo ergo sedente in hac speluncâ, visus est ei angelus Domini, qui ei dicit: Pachomi, ea quidem quæ ad te pertinent, rectè & ex virtute gessisti; superuacaneè ergo sedes in hoc loco: age ergo, egredere, & congrega omnes iuniores monachos, & habita cum eis, & sequens formam quam dabo tibi, eis leges constitue. Eique dedit tabulam æneam; in quâ hæc scripta fuerant: Concede vnicuique vt comedat & bibat pro viribus comedentium: eis quoque manda opera quæ proportione conueniant ac respondeant; & neque ieiunare prohibe nec comedere. Sic quidem fortibus fortia manda opera, imbecilla autem & leuia ijs qui se magis exercent, & sunt imbecilliores. Fac autem diuersas cellas in eadem aulâ, & tres in cellâ maneant. Omnibus autem cibus in vnâ domo paretur. Dormiant autem non recumbentes, sed extructis sibi sedibus paulò supinioribus, & illic suis impositis stragulis dormiant sedentes. Noctu autem gestent lebitones lineos, succincti. Habeat vnusquisque ex his pellem ouillam albam laboratam; absque eâ neque comedant, neque dormiant. Ingredientes autem ad Christi communionem Sabbato & Dominicâ, zonas soluant, & pellem ouillam deponant, & cum solâ cucullâ ingrediantur. Fecit autem eis cucullas [78] sine villis tamquam pueris: in quibus etiam iussit imponi figuram crucis purpureæ. Iussit autem esse viginti quatuor ordines fratrum, ex numero viginti quatuor litterarum: præcepitque vnicuique ordini imponere nomen elementum Græcum, ab α, β, & quæ deinceps sequuntur, vsque ad ω, vt dum interrogat archimandrita de aliquo in tantâ multitudine, sciscitetur eum qui est ab eo secundus, quomodo se habet ordo α, aut quomodo se habet ordo β. Rursus saluta ρ, sequendo quoddam proprium nomen litterarum: & simplicioribus quidem & sincerioribus impones nomen ι; difficilioribus autem ξ: & sic conuenienter institutis eorum & vitæ & moribus, vnicuique ordini elementum litteræ accommodabis; solis spiritalibus intelligentibus ea quæ significantur. Scriptum autem erat in tabula: Si venerit hospes alterius monasterij, quod habet aliam formam, cum eis nec comedat nec bibat, & nec ingrediatur in monasterium, nisi fuerit inuentus in viâ. Porrò eum qui semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes: sed cùm opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium. Comedentes autem velent capita cucullis, ne frater fratrem videat mandentem. Comedenti non licet loqui, nec extra quadram & mensam vsquam aliò oculos conuertere. Constituit autem vt per totum diem facerent duodecim orationes, [79] & cùm ad vespertinum lumen venirent, & in nocturnis vigilijs duodecim, & horâ nonâ tres.

Pachomius vocatur diuinitus in abbatem.

Regulam monasticâ diuinitus accipit.

Die Dominicâ & Sabbato communicabant.

Cuculla monachorum cruce insignita.

Quomodo admittendi hospites.

Quæ victus ratio.

Quis orationum modus.

Quando

Quando autem videretur comedendum esse multitudini, constituit vt vnusquisque ordo in vnaquaque oratione psalmum prius caneret. Cùm autem magnus Pachomius contra Angelum diceret, esse paucas orationes; ei dicit Angelus: Has constitui, vt parui quoque possint procedere ad perficiendam regulam, nec eis sit molestum; qui autem sunt perfecti, non opus habent vt leges eis ferantur: nam cùm per se sunt in cellis, totam suam vitam attribuunt contemplationi. His autem legem tuli, qui mentem minimè habent intelligentem, vt sicut serui contumaces, metu domini totum vitæ institutum implentes, securè & liberè degant. Cùm hæc ordinasset Angelus, & implesset ministerium, recessit à magno Pachomio. Sunt autem hæc monasteria quæ formam hanc obtinuerunt, habentia virorum circiter septem millia. Est autem primum & magnum monasterium, in quo ipse habitat beatus Pachomius, quod alia peperit monasteria, continens numerum circiter mille quadringentorum virorum.

Regula imbecillioribus quoque debent esse accommodata.

7000. virorum in monasterijs S. Pachomij

Cap. xxxix.

Vita abbatis [80] Aphthonii.

Inter quos est etiam seruus Dei qui vocatur Aphthonius, qui est mihi germanus ac sincerus amicus, qui nunc obtinet secundum locum in illo monasterio. Quem vt qui sit potens in Christo, firmusque ac stabilis, nec facilè offendi possit, mittunt ad suos vsus Alexandriam, vt vendat quidem eorum opera, emat autem quæ sunt eis necessaria. Sunt autem alia quoque monasteria quæ constant ex ducentis & trecentis animabus. Atque in [81] Panis quidem ingressus sum ciuitatem, in quâ monasterium constat ex viris trecentis. Exercent autem omnem artem, & ex ijs quæ supersunt, [82] ædificant etiam mulierum monasteria, & custodias. Manè ergo surgentes ij quibus suâ vice hoc munus obtingit, alij quidem sunt occupati in culinâ, alij verò versantur in mensis parandis, mensæ imponentes panes & [83] olera agrestia, oliuas, caseos, & extremas carnium partes, & [84] comminuta olera. Atque ingrediuntur quidem, qui minùs sunt robusti, horâ septimâ, & comedunt, vt qui sint imbecilliores; alij nonâ, alij decimâ, alij sero vespere, alij post biduum, alij post triduum, alij post quatriduum, alij post quinque dies: adeò vt vnumquodque elementum horam propriam significet. Sic autem erant eorum quoque opera: alius quidem laborat in agro colendo, alius in horto, alius in pistrino, alius in æris officinâ, alius in fabricando, alius [85] in arte fullonià, alius in parandis corijs, alius in consuendis calceis, alius in pulchrè scribendo, alius contexebat magnas sportas, alius canistros & sportulas. Memoriter autem omnes expromunt Scripturas.

Aphthonius procurator monasterij S. Pachomij

Hic quædam in Græco, quę habet Heraclides cap. 19.

Quis labor monachorum Pachomij.

Horum est mulierum quoque monasterium circiter quadringentarum, quod habet eamdem viuendi formam & idem institutum, præter pellem ouillam. Et sunt quidem mulieres trans fluuium Nilum; viri autem ex aduerso earum. Si virgo autem obierit, reliquæ virgines cùm eam ad sepulturam concinnauerint, efferunt, & eam ponunt ad ripam fluuij. Traicientes autem fratres cum palmis & ramis oliuæ & psalmodiâ, eam transmittunt, & in suis monimentis sepeliunt. Præter presbyterum autem & diaconum nullus transit ad monasterium feminarum, idque die Dominico.

Monasterium mulierum Tabennesiotarum.

Sepultura virginum cum palmis & ramis oliuæ & psalmodiâ.

Cap. xl.

De [84] Virgine, *de quâ fuerat dictum falsum testimonium.*

In hoc monasterio feminarum hæc res accidit. Sutor sæcularis cùm traiecisset per ignorantiam, quærebat opus: egressa autem vna iunior quàm eius postularet ratio (est enim locus desertus) inuita eum conuenit, deditque ei responsum: Nos habemus nostros sutores. Alia autem quæ eius viderat colloquium, cùm processu temporis inter eas exorta esset contentio, ex diaboli suggestione, præ summâ malitiâ & animi excandescentiâ eam calumniata est apud fraternitatem propter id colloquium. Cum quâ concurrerunt paucæ, quæ non adeò magnâ ferebantur malitiâ. Illa autem dolore confecta, vt quæ talem subijsset calumniam, quæ ne in eius quidem mentem venerat, nec rem potuisset tolerare, se clàm iecit in fluuium, & sic obijt. Cùm autem id sensisset ea quæ ipsam fuerat calumniata, & vidisset se malitiosè eam fuisse calumniatam, [85] & hoc scelus à se commissum, & ipsa quoque se clàm suffocauit, cùm factum ægrè ferret. Cùm autem venisset presbyter, reliquæ virgines ei rem renuntiauerunt: iussit itaque pro nullà harum fieri oblationem. Reliquas autem tamquam conscias, & quæ calumniantem non compescuerant, & quæ dicta sunt crediderant, septennium segregauit, eas excommunicans.

Quæ vis sit murmuris & calumniæ claustralis.

Sacrificium non oblatum pro desperatis.

Excommunicatio calumniantium.

Cap. xli.

De [86] Virgine *quæ simulabat stultitiam.*

In hoc monasterio fuit alia virgo, quæ propter Christum simulabat stultitiam,

Pelag. libell. 18. n. 19.

Virgo ob humilitatem stultitiam simulans.

& se à dæmone occupari, persuadens sibi per hæc virtutem optimè exercere, se in eâ præclarè gerens, seque reddens abiectam & humilem. Hanc vsque adeò reliquæ sunt aspernatæ, vt nec cum eâ quidem vescerentur, id illâ excipiente cum lætitiâ. Discurrens itaque in culinam, exhibebat alijs omne genus ministerium, adeò vt nec horam quidem vnam intermitteret, sed tamquam ancilla seruiret: eratque hæc beata, vt dicitur, spongia monasterij, reuerà implens id quod scriptum est in Euangelio: Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium seruus, & omnium minister. Et rursus alibi: Si quis videtur esse inter vos sapiens in hoc sæculo, sit stultus vt fiat sapiens. Atque aliarum quidem virginum erat eiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite: ipsa verò panno caput obuoluta obibat earum omnium ministerium. Eam nulla ex quadringentis vidit mandentem omnibus annis vitæ suæ. In mensâ numquam sedit, neque vmquam fragmentum panis comedit, sed micas mensarum spongiâ colligens, & ollas lauans, his erat contenta. Neque verò ea vmquam induit calceos, neque aliquem affecit cōtumeliâ, non murmurauit, non paruum vel magnum quid est locuta, etsi contumeliâ afficeretur, & pugnis tunderetur, & maledictis appeteretur, & plurimi eam abominarentur.

Velut spongia monasterij omnia abiecta officia implet.

Matth. 20. Marc. 10. 1. Cor. 3.

Virgines aliæ tonsæ & cucullatæ, ipsa panno caput obuoluta.

Contumeliis affecta tacet.

CAP. XLII.

De sancto PITIRVM.

Pelag. libell. 18. num. 19. vbi dicitur *Pyoterius.*

DE hac sanctâ, sancto Pitirum anachoretæ, qui sedebat in Porphyrite, viro probatissimo in virtute exercitationis, adstitit reuelans Angelus, qui ei dixit: Cur tibi places, & te magnificè circumspicis ob ea quæ à te rectè & ex virtute geruntur, vt qui sis pius & religiosus, & sedeas in hoc loco? Vis videre mulierem te magis piam ac religiosam? Abi in monasterium feminarum Tabennesiotarum, & inuenies illic vnam quæ habet [87] redimiculū in capite; ea est te melior: quæ cum tantâ turbâ decertans, & omnibus indiscriminatim seruiens, cor numquam abduxit à Deo, etsi ab omnibus superbè contemnatur. Tu autem etiamsi hîc sedeas, per vrbes tamen vagaris cogitatione, qui orbem habitabilem numquam calcasti pedibus. Surgens autem magnus Pitirum, venit vsque ad monasterium Tabennesiotarum: & rogat magistros vt liceat ei transire vsque ad monasterium feminarum: vt qui esset ergo inter patres magnæ existimationis, & consenuisset in exercitatione, bono ac fidenti animo transmisso fluuio eum introduxerunt. Cùm autem orassent, petijt magnus Pitirum vt virgines omnes coràm ex facie videret. Cùm omnes ergo in medium accessissent, illa non apparuit. Tandem dicit eis sanctus Pitirum: Cunctas ad me adducite. Cùm autem dicerent: Adsumus omnes. dicit eis: Deest vna quam ostendit mihi Angelus. Eæ verò dicunt: Vnam habemus [88] Salem, quæ est in culinâ. Sic enim vocant illic eas quæ non sunt sanæ mentis. Dicit ei magnus: Illam quoque adducite, sinite vt eam videam. Iuerunt itaque ad eam vocandam. Illa verò nequaquam obediit, vt quæ rem sentiret: nam fortè ipsi quoque fuerat reuelatum. Eam ergo vi trahunt, ipsi dicentes: Sanctus Pitirum vult te videre. erat enim is magni nominis. Eâ ergo adductâ, vidit magnus eius faciem, & pannum in capite & fronte eius, & cadens ad pedes eius, dicit ei: Benedic Amma. Cadens autem ad pedes eius ipsa quoque dicebat: Tu mihi benedic, domine mi. Cùm hoc autem cunctæ vidissent, obstupuerunt, & ei dixerunt: Ne tibi fiat probrum ac vituperium; est enim Sale. Eis dicit sanctus Pitirum: Vos estis Sale, hæc enim & me & vobis est melior; est Amma, (sic enim vocant matres spiritales:) & quæso vt eâ dignus inueniar in horâ iudicij. Eæ autem cùm audijssent, ceciderunt ad pedes eius flentes, & confitentes omnes, quòd beatam diuersis modis afficerent contumeliâ. Alia quidem dicens: Ego hanc semper subsannabam. alia, Ego eius humilem habitum irridebam. & alia, Ego eam tacentem afficiebam contumeliâ. & rursus alia, Ego quadræ eluuiem sæpè in eam effudi. alia, Ego ei plagas inflixi. alia rursus, Ego ea sum quæ ei pugnos incussi. alia rursus, Ego sinapio eius nares aspersi. Et vt semel dicam, significabant omnes se eam varijs affecisse contumelijs. Cùm harum ergo confessionem accepisset sanctus Pitirum, & pro eis simul cum ipsâ orasset, & diu esset consolatus venerandam Christi seruam, sic exijt. Paucis autem pòst diebus cùm ab omnibus valdè honoraretur, & ab omnibus obseruaretur, non ferens beata gloriam & honorem quo afficiebatur ab omni fraternitate, & excusationes onus esse arbitrans, clàm exijt ex monasterio: & quónam iuerit, aut quem locum subierit, aut vbi obierit, nemo cognouit in hodiernum diem. Hæc sunt generosæ & humilis virginis huius ac beatæ rectè facta & opera.

Sanctus Pitirum ad virginem se sanctiorē ab Angelo mittitur.

Sanctus Pitirum adit virginum monasterium.

Virgo à sororibus pro insanâ habita, omnibus tamen erat sanctior.

Non ferens gloriam & honorem, fugit.

De abbate [89] IOANNE *vrbis Lyco.*

CAP. XLIII.

Ruff. lib. 2. cap. 1.

Ioannes primùm faber.

FVIT quidam Ioannes in vrbe Lyco, qui à puero quidem didicit artem fabrilem, cui fuit frater tinctor. Posteà autem cùm esset circiter vigintiquinque annos natus, sæculo

culo renuntiauit;& cùm quinque annos versatus esset in monasterio, secessit solus in montem Lyco,& in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus, seipsum inædificauit. Atque erat quidem vnus tholus ad corporis necessitates,vnus autem vbi operabatur, alius verò vbi orabat. Is cùm complesset triginta annos, inclusus, & ab eo qui ei ministrabat, per fenestram accipiens quæ erant ad vsum necessaria, dignus est habitus gratiâ futurorum prædictionis, quem donum habere prophetiæ planum factum est ex operibus. Etenim cuncta quæ à Deo in mundum veniebant, in primis pio Imperatori Theodosio prius significauit, & quæ rursus euentura erant, prius annuntiauit; nempe & [a] tyrannorum in eum insurrectionem,& rursus velocem eorum interitum,& quæ in eum irruebant gentium deletionem: adeò vt cùm quidam dux exercitus ad eum venisset sciscitatum,an Æthiopes qui sunt in Syene esset superaturus, quæ quidem est principium Thebaidis;ij autem tunc irruperant, & eorum finitimam regionem vastauerant; ei autem dixit Ioannes: Si ascenderis,eos comprehendes, vinces, & subiunges, & clarus eris apud Imperatores. Id etiam factum est, & quæ acciderunt, confirmarunt eius prædictionem. Dicebat autem, Christianissimum Imperatorem Theodosium esse morte suâ moriturum. Habuit autem hic vir admirabilem quoque, & quæ modum superabat, prophetiam, vt audiuimus ex patribus qui cum eo versabantur, quorum vita fuit probata apud omnes qui illic erant. Quòd autem de eo nihil narrarint ad gratiam, sed minus quàm mereretur, hinc facilè sciri potest. Nam cùm ad eum venisset quidam tribunus, & supplex peteret vt permitteret vxorem suam ad eum venire, quæ multa passa fuerat, & volebat eum videre, ventura Syenem vt pro ipsâ prius oraret, & eam datâ benedictione dimitteret. Is autem qui iam quadraginta annis non viderat mulierem in speluncâ, cùm esset nonagenarius, & nec ipse vmquam esset egressus, nec sibi permitteret videre mulierem, recusabat videre eius vxorem. Sed nec vir vllus ad eum vmquam est ingressus.Solùm enim benedicebat per fenestram, & salutabat eos qui accedebant, cum vnoquoque differens de eo quod volebat. Cùm ergo instaret tribunus, rogans an iuberet suam venire coniugem (degebat enim in solitudine quinto ab vrbe lapide) is autem non annuisset, dicens id non posse fieri, tristem dimisit hominem. Vxor autem non cessabat die & nocte marito exhibere molestiam, & iureiurando affirmare, se nusquam abituram nisi videret

Ioannes donatur gratiâ prophetiæ.

Imperatori Theodosio euentum belli prædicit.

Mulierem per 40 annos videre non passus est.

Hic quædam Græcus textus interserit, quæ habes apud Heraclidem cap. 22.

prophetam. Postquam autem beato Ioanni à marito renuntiatum est iusiurandum vxoris, eius fide intellectâ, dicit ad ipsum: Hac nocte ab eâ videbor in somnis; nec amplius pergat in carne videre meam faciem. Vxori autem renuntiauit maritus ea quæ pater dixerat. Videbat autem mulier in somnis prophetam ad ipsam venientem: cui dicit: Quid tibi mecum rei est mulier? quid meam cupiisti videre faciem? numquid enim propheta ego sum,aut iusti locum obtineo? homo sum peccator,& similiter atque vos patibilis: oraui tamen pro te & domo mariti tui, vt fiat vobis secundùm fidem vestram. Ite ergo in pace.Et cùm hæc dixisset, recessit. Cùm autem excitata fuisset mulier, renuntiauit marito verba prophetæ; & narrauit figuram & habitum, & per maritum ei misit agendas gratias. Cùm eum autem vidisset beatus Ioannes, occupans ei dixit: Ecce impleui quod postulaueras. eam enim videns, monui ne me videret amplius, sed, Ite in pace.

Videtur Ioannes in somnis ab vxore tribuni.

Alterius autem præpositi vxor absente marito ferebat vterum. Cùm autem peperisset, eo ipso die quo eius maritus conuenit patrem Ioannem, animi deliquio venit in periculum. Ei autem sanctus annuntiauit, dicens: Si scires donum Dei, & quòd tibi natus sit hodie filius, Deum glorificares; sed mater eius propemodum venit in periculum. cùm veneris igitur, inuenies infantem septem dies natum: ei impone nomen Ioannes. Cumque eum rectè educaueris, & ad annum septimum venerit, mitte eum ad monachos qui sunt in solitudine.Et hæc quidem ostendebat miracula ijs qui veniebant ab exteris: suis autem ciuibus propter suum vsum assiduè ad ipsum venientibus & præsciebat & prædicebat futura;& quæ ab vnoquoque occultè facta fuerant; & de Nilo, & de futurâ anni fertilitate eis significabat. similiter autem Dei quoque minas ad eos venientes prius annuntiabat, & eius auctores arguebat. Atque ipse quidem beatus Ioannes non peragebat apertè curationes: dans autem ole[illegible] curauit multos ex iis qui laborabant.

Prædicit præpositi absentis vxoris periculum.

Ioan. 4.

Designatur monachus infans vixdum natus.

Oleo Ioannes curabat.

Senatorij enim cuiusdam viri vxor, quæ oculos amiserat, & habebat pupillas obductas albugine, rogauit maritum suum vt ad ipsum deduceretur. Cùm is autem diceret, eum numquam conuenisse mulierem, ea autem rogaret, vt ipsi solùm significaretur, & pro ipsa id efficeret, ille sic fecit, & misit oleum. Cùm tres autem dies solùm inunxisset oculos, respexit, & Deo apertè egit gratias.

Oleo albuginem ab oculis sanat oris mulieris pellis.

Et quid opus est dicere de aliis eius operibus

ribus quæ ipſis oculis accepimus? eramus enim ſeptem fratres peregrini omnes in ſolitudine Nitriæ, ego & beatus Euagrius, & Albinus, & Ammonius. Quærebamus autem ſcire accuratè, quænam eſſet huius viri virtus. Dixit autem magnus Euagrius: Lubenter ſcirem ab aliquo qui norit examinare & mentem & orationem, cuiuſnam modi ſit vir: ſi enim ego eum non potuero videre, eius autem vitæ inſtitutum accuratè audire potuero alio narrante, diſcam vt eum conueniam; quòd ſi non didicero, non ibo vſque ad montem. Cùm hoc autem audijſſem, & nemini quidquam dixiſſem, quieui vnum diem, alio autem occluſi cellam: & cùm me & ipſam Deo commendaſſem, profectus ſum vſque ad Thebaidem. *Palladius ad Ioannē contendit.* Cùm eò autem decem & octo dierum ſpatio perueniſſem, partim quidem pedibus, partim verò nauigando in flumine: erat autem [91] tempus aſcenſus, in quo multi ægrotant, quod mihi quoque accidit. Cùm veniſſem autem, inueni clauſum eius veſtibulum: fratres enim poſterius ædificarunt maximum veſtibulum, quod capiebat viros circiter centum: quod claue claudentes, aperiebant tantùm Sabbato & Dominicâ. Cùm ergo didiciſſem cauſſam, propter quam erat clauſum, ſilentium egi vſque ad Sabbatum. Et cùm veniſſem horâ ſecundâ, in congreſſione eum inueni aſſidentem in feneſtrâ, per quam videbatur conſolari eos qui accedebant. *Ioannes, ex quo conuentu ſit, nouit.* Cùm me autem ſalutaſſet, dixit per interpretem: Cuiáſnam es regionis, & cur veniſti? coniicio enim te eſſe ex conuentu Euagrij. Dixi autem me eſſe hoſpitem ex Galatia, & confeſſus ſum me eſſe ex ſodalitate Euagrij. Interim autem dum loqueremur, ingreſſus eſt præſes regionis, Alypius nomine; quo accurrente, deſijt mecum colloqui. Cùm ergo parum ſeceſſiſſem, dedi eis locum eminùs. *Palladius moræ impatiens, abitum parat.* Cùm eſſent autem collocuti diutiùs, triſtitiâ ſum affectus, & murmuraui aduerſus [92] venerabilem ſenem, quòd me quidem contempſiſſet, illum autem honoraſſet: & ob id animo conturbatus, in animo habebam eo contempto recedere. *Siſtit eum Ioannes, eius tentationes diuinitus noſcens.* Vocato autem interprete, Theodoro nomine, dicit ei: Vade, dic illi fratri, vt ne ægrè ferat; iam dimitto præſidem, & eum alloquar. Viſum eſt ergo mihi toleranter ferre, vt qui animaduertiſſem, eum eſſe ſpiritalem. Cùm exijſſet autem præſes, me acceſſito dicit mihi: Cur contra me fuiſti indignatus? Quid inueniſti quod te iure offenderet, quòd illa animo reputaſti quæ neque mihi adſunt, neque te decent? An neſcis ſcriptum eſſe: Non opus habent ſani medico, ſed malè habentes. *Matth. 9. Mar. 10. Lucæ 5.* Te, quando volo, inuenio, & tu me: & ſi te non fuero conſolatus, alij te conſolantur fratres, & alij patres. Hic autem qui per mundana negotia erat deditus diabolo, & cùm breui temporis ſpatio reſpiraſſet, vt ſeruus qui aufugit ab auſtero domino, acceſſit vt aliquam caperet vtilitatem. *Maximè colloquendum cum ijs, quibus prodeſſe poſſumus.* Abſurdum ergo fuiſſet vt eo relicto tecum verſarer, cum tu aſſiduè vaces ſaluti. Cùm eum ergo rogaſſem vt pro me oraret, exploratum habui eum eſſe virum ſpiritalem. Tunc vrbanè mecum iocans, cùm ſiniſtram maxillam mihi ſenſim pulſaſſet, dicit: Multæ te manent afflictiones, & grauia bella paſſus es vt exires è ſolitudine, timoreque affectus es, & diſtuliſti: pios autem prætextus & rationi conſentaneos afferens dæmon, te exagitat. Tibi enim ſuggeſſit & patris tui deſiderium, & fratris tui & ſororis tuæ in vitâ monaſticâ inſtitutionem. *Palladio parentum conditionē prædicit.* Ecce ergo bonum tibi affero nuntium: ambo ſalui ſunt, mundo enim renuntiarunt, & pater tuus eſt adhuc victurus ſeptem annos. Eſto ergo forti & conſtanti animo in ſolitudine, nec eorum cauſsâ velis abire in patriam. ſcriptum eſt enim: Nemo qui manum admouit aratro, & eſt conuerſus, eſt aptus regno Dei. *Lucæ 9.* Ex his ergo verbis adiutus & ſatis roboratus, Deo egi gratias, cùm intellexi, eos qui me vrgebant prætextus eſſe peractos. Deinde rurſus mihi dicit, vrbanè mecum iocans: Vis fieri epiſcopus? Dixi autem: Nequaquam; ſum enim. Is autem mihi dicit: Vbi? Dixi ego: In coquinis, in penu, in menſis, in doliis: ea diligenter inſpicio, & ſi vinum acuerit, id ſegrego; bonum autem bibo: ſimiliter ollam quoque diligenter inſpicio, & ſi ſal defuerit vel condimenti aliquid, eam condio, & ſic eam comedo. *Culinarius epiſcopus Palladius.* Hic eſt meus epiſcopatus, mea inquam inſpectio, me enim ad eum delegit gula. Is verò dixit ſubridens: Mitte ridicula; futurum eſt vt eligaris epiſcopus, & multùm labores, & affligaris: ſi ergo fugis afflictiones, ne exeas è ſolitudine; in ſolitudine enim nemo te poteſt ordinare epiſcopum. *Palladio epiſcopatū prænunticiatur Ioannes.* Ego autem eius verborum ſum oblitus: tribus enim pòſt annis & ſplene & ſtomacho laboraui. Illinc autem à fratribus miſſus ſum Alexandriam, [93] morbus enim ad hydropiſin vergebat: ab Alexandriâ autem conſuluerunt medici, vt aëris gratiâ irem in Palæſtinam; habet enim, quod ad meam attinet temperaturam, ſubtiliorem aërem. A Palæſtinâ autem veni in Bithyniam, & in eâ neſcio quomodo, an humano ſtudio, an [94] diuinâ voluntate, Deus ſcit, dignus habitus ſum ordinatione, quæ meas vires ſuperat, in eum caſum incidens, quem Ioannes prædixerat. *Palladius in Bithyniâ creatur epiſcopus.*

Et

Et vndecim mensibus latens in cellâ tenebrosâ, recordatus sum illius beati qui mihi prædixit ea quæ passus sum.

Porrò autem hoc quoque mihi narrabat, tamquam profuturus ad hoc, vt per narrationem me deduceret ad patienter ferendam solitudinem: Quadraginta annos versor in hac cellâ; non vidi faciem feminæ, non vllum nummum: non vidi aliquem mandantem, non comedentem nec bibentem me vidit aliquis.

Ioannes 40. annis non feminam, non pecuniam vidit.

Cùm ergo ab eo recessissem, veni in solitudinem in loco consueto, hæc omnia narrans beatis patribus, qui post duos menses venerunt, & sunt cum eo collocuti, ijque hæc nobis narrarunt. Cùm ad eum venissemus, læto vultu nos excepit & salutauit, se hilarem vnicuique ostendens. Rogabamus autem eum, vt statim pro nobis perageret orationem: est enim hic mos patribus qui sunt in Ægypto. Is autem nos interrogauit num inter nos esset clericus aliquis. Postquam autem omnes non esse diximus, nos omnes circumspiciens, agnouit eum qui erat occultus: erat autem vnus ex nobis qui dignus fuerat habitus diaconatu, cùm esset vnus frater eius rei conscius, cui etiam præcepit vt nemini diceret. Qui caussâ humilitatis & in talium patrum comparatione, vix se dignum censebat Christiani appellatione, tantum abest vt alicuius dignitatis. Manu ergo eum ostendens, dicebat omnibus: Hic est diaconus. Cùm is autem assiduè negaret, & latere conaretur, è fenestrâ eius manum apprehensam osculatus est, & admonens eum hortatus est, dicens: Ne irritam facias gratiam Dei, fili; ne mentiaris donum Dei inficians. Mendacium enim alienum est à Christianis, & siue sit in re magnâ, siue in paruâ, non est tamen laudabile, cùm dicat Seruator: Mendacium est à malo. Is verò conuictus tacuit, accipiens paternam eius reprehensionem. Cùm preces autem compleuissemus, vnus frater ex nobis, quem iam tertiana febris vehemens tenebat, rogabat vt curaretur. Cùm autem dixisset frater, ei conferre afflictionem propter exiguam quæ ei inest fidem, tradens tamen oleum iussit eum inungi. Cùm is autem se vnxisset, quidquid intus habebat per os emisit, & à febre omnino liberatus, proprijs pedibus recessit ad hospitium. Licebat autem videre hominem nonagenarium toto corpore ita afflictum, vt præ exercitatione ne barba quidem nata esset in facie. Nihil enim aliud comedebat quàm arborum fructus, idque post solis occasum in summâ senectute: cùm se priùs multùm exercuisset, & neque panem sumpsisset, neque aliquid ex ijs quæ igni admota veniunt in vsum. Cùm ipse autem nos iussisset sedere, Deo egimus gratias quòd eius frueremur congressione. Is autem cùm tamquam dilectos suos filios longo tempore accepisset, ridenti vultu hæc nobis est locutus: Vndenam, ô filij, & ex quanam regione ad hominem abiectum & humilem accessistis? Postquam autem diximus patriam, & adiecimus: Pro vtilitate animarum nostrarum ad te venimus ab Ierusalem, vt quod auditione acceperamus, id cerneremus oculis; sunt enim aures minùs fideles oculis: & auditionem quidem sæpè consequitur obliuio, rei autem visæ non deletur memoria, sed menti quodammodò imprimitur historia. Ad nos ergo dixit beatus Ioannes: Et quid mirandum visuri, ô filij charissimi, tantum itineris & laboris tolerantes huc venistis, homines abiectos & humiles videre cupientes, qui nihil habent spectatu dignum nec admiratu? Vbique autem sunt admirandi & laude digni Dei prophetæ & apostoli, qui leguntur in ecclesijs, quos oportet imitari. Valdè autem miror, inquit, vestrum studium, quemadmodum tot contemptis periculis, ad nos venistis propter vtilitatem, cùm nos præ socordiâ ne ex ipsâ quidem speluncâ velimus progredi. Sed age nunc, inquit, etiamsi res vestra sit laude digna, ne tamquam re aliquâ præclarè gestâ, vobis sufficere putetis: sed imitemini virtutes quas patres vestri persequuntur. Quòd si etiam omnes possederitis, quod quidem est rarum, ne sic quidem vobis ipsis crediderítis. Quidam enim qui sic confiderunt, & ad ipsum virtutum fastigium peruenerunt, tandem ex alto ceciderunt. Sed videte num preces vestræ se rectè habeant: num conturbata sit cordis vestri puritas: num mens vestra inter orandum sit occupata alijs negotijs: num aliqua alia mentem subiens cogitatio, auertat ad aliquid aliud: num aliqua cogitatorum memoria animo exhibeat molestiam. Videte num mundo verè renuntiastis: num ingressi estis tamquam nostram speculantes libertatem: num ad vanam gloriam vestras virtutes venamini, vt ad ostentationem videamini hominibus nostra opera imitantes. Videte ne vobis facessat negotium animi perturbatio, ne honor & gloria & laus humana, ne rerum sacrarum curæ simulatio, aut amor proprius: ne putetis vos esse iustos: neque de iustitiâ glorieminì, ne propter virtutes efferamini: ne orantibus cognationis memoria animo insideat: ne memoria commiserationis aut alicuius alterius rei, neque ipsius vniuersi mundi

Diaconi manum osculatur Ioannes.

Ioan, 8.

Oleo curat febricitantem.

Oculi auribus fideliores.

Exhortationes Ioannis.

mundi vobis succurrat. Sin minus; res efficitur vanitas, quando quis Dominum alloquens, deorsum impellitur ab ijs quæ ex aduerso trahunt cogitationibus. Hæc autem mẽtis prolapsio vnicuique accidit qui hunc mundum non omnino abnegauit, sed venatur vt ei placeat. Ob multa enim quæ aggreditur, eius mentem diuidunt curæ corporeæ & terrestres: & dum deinceps disputat cum animi perturbationibus, non potest Deum videre. Sed neque ipsam cognitionem debet accuratè & exactè contemplari, ne si fortè fuerit indignus tali possessione, & eius aliquam partem fuerit consecutus, existimet se totum comprehendisse, & omnino labatur in interitum. Sed oportet semper moderatè & piè ad Deum accedere, quantum potest vnusquisque mente progredi, & quantum possunt homines consequi. Oportet ergo mentem eorum qui Deum quærunt, otium agere ab alijs omnibus. Vacate enim & cognoscite, inquit, quòd ego sum Deus. Qui ergo Dei cognitionem ex parte est consecutus, vniuersam enim nemo potest accipere, consequitur quoque aliorum omnium cognitionem, & videt mysteria Dei illa ei ostendentis, & præuidet futura, & contemplatur reuelationes quales sancti, & efficit virtutes, & obtinet à Deo omnẽ petitionem.

Deo maximè vacandum. *Psal. 45.*

Alia quoque multa dixit de exercitatione: & quòd oportet exspectare mortem tamquam vitam bonæ translationis, & non imbecillitatem intueri corpoream: & nec vel quibuslibet obuijs implere ventrem: Nam qui, inquit, fuerit satiatus, eadem capit consilia quæ ij qui viuunt in delicijs: sed tentare oportet per exercitationem etiam appetitionum parare impatibilitatem. Nec quærat aliquis ea quæ sunt parata, & animi relaxationem: sed nunc fit imbecillus afflictusque & oppressus, vt regni Dei latitudinis possideat hereditatem. Oportet enim nos per multas afflictiones intrare in regnum Dei. Est enim, inquit, angusta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui eam inueniant. &, Lata est via quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui ingrediuntur per eam. Et oportet, inquit, nos hîc contemnere, cùm paulò pòst eamus ad vitam æternam. nec oportet aliquem efferri ob ea quæ rectè à se gesta sunt, sed semper esse humilem, & longiores persequi solitudines, quando senserit se efferri. Habitatio enim propinqua vicis, eos etiam qui erant perfecti sæpè offendit. Quod etiam psallit Dauid cui tale quid acciderat: Ecce elongaui fugiens, & habitaui in solitudine. Exspectabam eum qui saluum me facit à pusillanimitate & tempestate. Hoc autem accidit multis quoque ex nostris fratribus, & propter arrogantiam exciderunt à scopo.

Passiones frænandæ. *Actor. 14.* *Matth. 7.* *Elatus animo quærat solitudinem.* *Psal. 54.*

Narratio abbatis IOANNIS *de eo qui lapsus est.* CAP. XLIV

ERAT enim, inquit, quidam monachus, qui in propinquâ solitudine degebat in speluncâ, & omnem ostenderat exercitationem, & proprijs manibus panem sibi quærebat. Postquam autem permansit in orationibus, & profecit virtutibus, in seipso deinceps habuit fiduciam, fretus pulchro suæ vitæ instituto. Qui autem tentat, eum quoque, sicut Iob, expetijt ad tentandum: & ei vesperè præbet phantasiam formosæ mulieris errantis per solitudinem. Quæ cùm ostium inuenisset apertum, ingressa est speluncam; & procumbens ad viri genua, perijt vt sibi illic liceret quiescere, vtpote quòd nox eam apprehendisset. Ille autem cùm eius esset misertus, quod quidem non debuit, eam admisit in speluncam: & de errore illam est percontatus. Illa verò & narrauit, & blanda ac fallacia verba inspersit, & sermonem diu cum eo protraxit. Eum autem sensim nescio quomodo pelliciebat ad amorem: pluraque deinceps verba inter se conferunt, ridentque ac subrident, eumque ipsa multo sermone seduxit, & deinde contrectatione manus & barbæ & ceruicis; & tandem exercitatorem redegit in seruitutem. Cùm autem ille internis versaretur cogitationibus, deinde vt qui iam rem haberet in manibus, reputans opportunitatem & voluptatis explendæ securitatem, cogitationi assentitur, & tentat cum eâ habere consuetudinem, vt qui iam euasisset insipiens & equus in feminas insaniens. Illa verò cum repentè magnâ voce exclamasset, euasit euanescens ex eius manibus non secùs ac vmbra aliqua. Risus autem in aëre auditur multorum dæmonum qui ipsum increpabant, & in fraudem induxerant, & magnâ voce ad ipsum clamabant: Qui se exaltat, humiliabitur. Tu autem vsque ad cælos quidem es exaltatus, humiliatus verò es vsque ad abyssos. Exinde surgit manè nocturnum luctum attrahens: & cùm totum diem transegisset in lamentatione, suâ desperatâ salute, quod non debuit, in mundum reuersus est. Hoc est enim maligni studium, vt quando quempiam irriserit, eum redigat ad insipientiam, vt non possit deinceps surgere. Vnde ô filij, non est nobis conducibilis propinqua vicis habitatio, neque mulierum collocutio, vt ex quibus oriatur memoria, quæ non potest deleri, quam ex visu attrahimus

Ruff. lib. 2. cap. 1. *Ne quis sibi ipsi confidat, & in proprijs virtutibus glorietur.* *Spectrum mulieris admittitur in speluncam.* *Blanditijs monachum decipit.* *Irrident deceptum dæmones.* *Lucæ 41.* *Ne quis desperet, sed pœnitentiam agat.* *Caueat monachus mulierum collocutiones.*

trahimus & collocutione. Sed neque debemus animum despondere, & nos ipsos detrudere ad desperationem. Iam enim ij quoque qui non spem abiecerunt, non fuerunt priuati Dei misericordis clementia.

CAP. XLV. *De* FRATRE *qui ductus fuit pœnitentiâ, eiusdem abbatis* IOANNIS *narratio.*

Ruff. lib. 2. cap. 1.

Adolescens pœnitens includit se sepulcro.

ERAT enim, inquit, alius adolescens in ciuitate, qui multa mala fecerat, & grauiter peccauerat. Qui Dei nutu, propter multa peccata compunctus, veniens ad sepulcra, priorem suam vitam defleuit; pronus cadens in faciem, & non audens vocem emittere, nec Deum nominare, neque supplicare, ipsâ quoque vitâ seipsum indignum existimans. Et cùm ante mortem se inclusisset in sepulcris mortuorum, & suam vitam diceret, gemebat ex profundo cordis. Cùm iam autem ab eo tempore præteriisset hebdomada, noctu ei adsistunt dæmones, qui eius vitæ priùs damnum attulerant, clamantes & dicentes: Vbi est ille scelestus & profanus, qui libidinibus & lasciuijs exatiatus, nunc nobis intempestiuus, temperans & honestus repentè apparuit: & quando non potest ampliùs, tunc vult esse Christianus, & probis compositisque moribus? Ecquídnam tibi boni ampliùs futurum exspectas, cùm sis nostris malis impletus? non hinc citò exurges? Non venies ad ea quæ sunt nobiscum consueta? te manent scorta & caupones. Non venies, & frueris cupidinibus, cùm sit cuncta alia tibi spes extincta? Velox ad te omnino veniet iudicium, qui sic teipsum perimis. Et cur miser festinas ad supplicium? cur autem contendis tibi pœnas citiùs infligere? Multaque alia dicentes: Noster es, in nostrum ordinem es relatus, exercuisti omnem iniquitatem. Tu es nobis omnibus obnoxius, & audes fugere? non assentieris? non respondebis? non simul egredieris? Postquam autem ille constans in fletibus, ne aures quidem eis præbebat, & nec verbum respondebat eum diu vrgentibus dæmonibus: postquam, inquam, nihil effecerunt, eadem sæpè illi dicentes, acceperunt eum mali & turpes dæmones, & totum eius corpus malè mulctarunt, eum grauiter flagris cædentes: & cùm eum grauiter torsissent, abierunt eo relicto semimortuo. Ille autem nihilo seciùs immobilis iacebat vbi eum reliquerunt, rursus gemens postquam animum collegerat. Cùm autem eius necessarij eum inuestigassent & inuenissent, & caussam eius quod ipsius corpori acciderat didicissent, rogabant eum vt domum rediret: is autem cùm vim ei sæpè attulissent, restitit. Rursus autem sequenti nocte eum ijsdem de caussis peiùs quàm priùs affecerunt dæmones: & ne sic quidem eius consanguinei ei persuadent vt emigret, dicens satius esse mori quàm viuere in talibus vitæ maculis. Tertia nox propemodum fecit vt excederet ab hominibus, cùm crudelibus tormentis in eum inuasissent dæmones, & eum vexassent vsque ad extremum spiritum. Postquam autem viderunt eum non concessisse, recesserunt homine relicto exanimi. recedentes itaque exclamarunt, dicentes: Vicisti, vicisti, vicisti. Neque ei ampliùs aliquid mali occurrit; sed in purissimo sepulcro purè habitauit dum vixit, puram exercens virtutem. Is Deo quoque fuit pretiosus, & virtutibus, miraculorum effectionibus, adeò vt & multos in admirationem induxerit, & ad zelum adduxerit & æmulationem honestorum institutorum. Hinc factum est vt multi quoque ex ijs qui de se valdè desperauerant, bonas actiones aggressi sint, & se rectè gesserint, eisque factum est id quod dicit Scriptura: Omnis qui seipsum humiliat, exaltabitur. Præcipuè ergo, ô filij, exerceamus humilitatem, quæ est fundamentum primum omnium virtutum. Nobis autem multùm quoque confert solitudo longior & remotior.

Dæmones insultant pœnitenti.

Constans persistat in pœnitentiâ.

A dæmonibus verberatur.

Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

Lucæ 14.

Humilitas omnium virtutum fundamentum.

Alia narratio abbatis IOANNIS, *de eo qui lapsus, ductus est pœnitentiâ.* CAP. XLVI

Ruff. lib. 2. cap. 1.

FVIT enim alius quoque monachus qui vlteriorem occuparat solitudinem, & multis annis se rectè & ex virtute gesserat. Qui cùm esset deinceps senio confectus, tentabatur à dæmonum insidijs. silentium enim valdè amplectebatur exercitator: & in orationibus & hymnis & multis contemplationibus diem transigebat; & visiones quasdam diuinas clarè videbat, partim quidem vigilans, partim verò etiam in somnis: & somni propemodum expers tenebatur à vitâ incorporeâ: non terram plantans, neque victus vllam curam gerens, neque in plantis quærens quod egenti præberet corpori. Sed neque auium aucupium, neque vllum animal persequebatur; sed fiduciâ plenus, ex quo ex regione habitabili illuc migrarat, nullam habebat rationem vt ei permaneret corpus nutritum, sed omnium oblitus, se perfecto sustinebat in Deum desiderio, exspectans vocationem, & ex hoc mundo migrationem: & vt plurimùm quidem alebatur delecta-

Senex exercitator omnibus se vita commodis priuat.

delectatione eorum quæ non cernuntur & sperantur, & neque diuturnitate ei corpus macerabatur, neque mœrebat tristisque erat anima: sed in quodam honesto ac venerando statu bonum habebat habitum. Verùm enimuerò Deus eum honorans, post præfinitum temporis interuallum, dabat ei super mensam panem duorum vel trium dierum, vt & videretur, & esset, & eo vteretur. & ingrediens in speluncam, quando sentiebat corpus indigere, inueniebat nutrimentum. Et cùm adorasset & cibum sumpsisset, hymnis rursus fruebatur, perseuerans in precibus & contemplatione, indies germinans, & se tradens præsenti virtuti & futuræ spei, semper magis magisque progrediens; & ferè iam de meliori suâ sorte confidebat, tamquam iam eam haberet in manibus: quod etiam fuit ei caussa lapsus, cùm propemodum excideret per eam quæ ipsum posteà inuasit tentationem. Quid enim non dicimus eius eum qui prope fuit casum? Postquam enim ad hanc processit cogitationem, paulatim imprudens eò deuenit, vt existimaret se esse pluris quàm alios, & iam maius quid possidere quàm alij homines: & cùm talis esset, iam deinceps in seipso habuit fiduciam. Ei ergo gignitur haud ita diu pòst primùm parua quædam animi remissio, vt ne videretur quidem esse remissio. Deinde oritur maior negligentia, quæ deinde eousque progressa est vt sentiretur: nam & ex somno tardiùs surgebat ad hymnos, & erant preces paulò otiosiores, nec hymnus adeò prolixus, & dicit ei anima se velle requiescere, & mens ei annuit: & fluctuabant & vagabantur ei cogitationes, & iam occultè aliquid absurdi meditabatur. sed prior assuefactio adhuc exercitatorem quodammodò abducebat, veluti quidam motus ex priori illâ incitatione, & eum interim conseruabat. Et aliquando post solitas preces ingressus vesperè, inuenit panem super mensam, qui ei suppeditabatur diuinitùs, & se refecit. Quo tempore nec illas execrabiles abiecit cogitationes, neque reputauit animam lædi à contemptione, neque conuersus est ad quærendam mali curationem; sed parum duxit parum abesse quominùs excideret ab ijs quæ decet facere. Amor itaque cupiditatis eum raptum cogitatione in regionem abduxit habitabilem. Cùm se tamen interim cohibuisset in diem sequentem, ad consuetam conuersus exercitationem, cùm orasset & hymnos dixisset, ingressus speluncam, inuenit quidem panem sibi appositum, sed non tam diligenter confectum nec tam purum, sed sordidum & inquinatum. Qui etsi esset id admiratus, & tristitiâ affectus, sumpsit tamen, & se refecit. Successit tertia nox, & triplex malum addidit. Etenim mens eius citò irrupit in cogitationes. Ita autem erat ei affecta memoria, vt videretur vnà cum eo adesse femina & simul accumbere, & eam rem habebat in oculis, & eam veluti facere perseuerabat. Egressus tamen est tertio quoque die ad opus, & preces, & hymnos, sed non habens ampliùs mundas cogitationes, sed frequenter conuersus, in altum tollebat oculos, eos huc & illuc torquens: eius enim pulchrum opus interrumpebant memoriæ cogitationum. Vesperè ergo reuersus pane indigens, illum quidem inuenit in mensâ, veluti corrosum à muribus aut canibus, & foris siccas quasdam reliquias. Tunc ingemiscit quidem & lacrymatur: sed non quantum satis esset ad coërcendam nequitiam. Nutritusque non quantum volebat, se parabat ad quietem. Eum autem aceruatim inuaserunt cogitationes, eum vndique circumdantes: & eius mentem oppugnant, & captiuum statim in mundum abducunt. Surgens autem iuit versus regionem quæ habitatur, ingrediens noctu per solitudinem. Cùm autem dies eum apprehendisset, & quæ habitatur regio adhuc procul abesset, & eum æstus affligeret, defatigatus est. Vndiquaque autem in orbem considerans circumspicit, an alicubi appareret monasterium, in quod ingressus requiesceret. quod etiam accidit, eum excipientibus quibusdam pijs & fidelibus fratribus, qui cùm eum tamquam patrem germanum aspexissent, vultum eius & pedes lauerunt: & cùm orassent, mensam apposuerunt, & rogarunt vt quæ erant apposita sumeret cum charitate. Postquam autem se refecit, postularunt fratres vt verbum salutis ab eo acciperent, & quanam ratione possent seruari à laqueis diaboli, & quemadmodum superarent turpes cogitationes. Is autem ipsos tamquam pater filios admonens, hortabatur vt essent fortes & constantes in laboribus, vt qui essent paulò pòst in summâ quiete collocandi. Multa quoque alia cum eis disserens de exercitatione, eos valdè iuuit. Cùm autem cessasset ab admonitione, & se parum recollegisset, considerabat quemadmodum alios admonens, se non monebat nec corrigebat: & se esse victum intelligens, cursu rursus redijt in solitudinem, seipsum deflens, & dicens: Nisi quia Dominus mihi opem tulisset, propemodum in inferno habitasset anima mea. propemodum in omne malum sum redactus. propemodum me in terrâ confecerunt. Et in eo factum est quod dictum est,

Donatur quotidiano pane diuinitus.

Quantum homini alioquin sanctissimo adferat elatio detrimentum.

Priuatur pane eduli, qui desijt Deo famulari.

Psal. 93.

Prou. 18. est: Frater qui à fratre adiuuatur, est tamquam vrbs munita & excelsa, & tamquam murus qui non potest corruere. Quamquam abhinc toto vitæ tempore luxit perpetuò, priuatus mensâ quæ ei dabatur diuinitus, & panem suum quærens cum labore. Nam cùm se in speluncâ inclusisset, & sibi saccum & cinerem substrauisset, non priùs è terrà surrexit, nec cessauit flere, quàm vocem Angeli audijsset ei dicentem in somnis: Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui est misertus; deinceps autem vide ne decipiaris. Ad te enim venient fratres quos admonuisti, & afferent ad te eulogias: quas cùm acceperis, vescêris cum ipsis, & perpetuò Deo ages gratias.

Pœnitentiā lapsi Deo acceptam ab Angelo nuntiatur.

Hæc ergo vobis narraui, ô filij, vt humilitatem exerceatis, seu in paruis, seu in magnis esse videamini. Hoc est enim primum præceptum Seruatoris, qui dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et ne decipiamini à dæmonibus, qui vobis visa & phantasias excitant: sed si quis ad vos venerit, aut frater, aut amicus, aut mulier, aut pater, aut magister, aut mater, aut soror, primùm extendite manus ad orationem; & si sit phantasma, fugiet à vobis. Et si vos decipiant dæmones aut homines, vobis assentantes & laudantes, ne eis pareatis, nec mente efferamini: nam me quoque sæpè noctu sic deceeperunt dæmones; & neque me sinebant orare, nec quiescere, quasdam mihi phantasias præbentes totâ nocte, & manè illudentes humi procumbebant, dicentes: Condona nobis, abba, quòd tibi labores præbuimus totâ nocte. Ego autem dicebam illis: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; ne tentetis seruum Domini.

Matth. 6.

Cùm phantasma se offert, ad orationem confugiendum.

Psal. 6.

Quare vos quoque, ô filij, quietem persequamini, vos semper exercentes ad contemplationem, vt puram possideatis mentem, Deum rogantes. Nam ille quoque est bonus exercitator, qui assiduè in mundo exercetur, & in honestis occupatur actionibus: qui humanitatem ostendit & clementiam, hospitalitatemque & charitatem, & fecit eleëmosynas, & benè facit aduenientibus, & opem fert laborantibus, & permanet citra vllam offensionem. Est quidem hic quoque valdè bonus: versatur enim in actione, & præcepta exequitur; sed in rebus terrenis occupatur. His quidem certè præstantior est & maior qui versatur in contemplatione, qui à rebus agendis se transfert ad intelligentiam, eas res alijs relinquens prouidendas: ipse autem & seipso abnegato, & sui oblitus, scrutatur cælestia, Deo omnium solutus & expeditus assistens, à nullâ autem aliâ curâ retrò auulsus. Qui est enim huiusmodi, vnà cum Deo degit, vnà cum Deo versatur, assiduis hymnis Deum semper celebrans.

Quæ vita melior, actiua an contemplatiua.

Noui enim ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustauit, sed ei Angelus tertio quoque die cælestem cibum ad eum afferebat, & ei in os inijciebat, isque erat ei instar cibi & potus. Scio quoque ad hunc hominem in phantasiâ venisse dæmones, ostẽdentes angelicos exercitus, & currus ignis, & multos satellites, tamquam alicuius regis venientis, & ei dicentes: In omnibus te rec[illegible] & ex virtute gessisti, ô homo: de cetero [illegible] adora, & tamquam Eliam te assumam. Dicebat autem apud se monachus: Adoro quotidie Regem meum & Seruatorem; & si hic esset ille, non hoc à me peteret. Postquam autem ei dixit quod habebat in animo: Dominum meum & Regem habeo Deum, quem semper adoro, tu autem non es rex meus; ille protinus euanuit. Hæc autem tamquam de alio differens, instituta vitæ suæ, & res gestas volebat celare. Qui autem vnà cum eo erant patres, eum dicebant hæc vidisse.

Cibo cælesti ad decennium Ioannes pastus.

Dæmones in specie sanctorum Angelorum Ioanni se exhibent.

Hæc & alia multa nobis narrans beatus Ioannes, & tres dies ad nonam vsque differens, nostras curauit animas. Cùm autem dedisset nobis benedictiones, iussit ire in pace, nobis quoque dictâ quadam prophetiâ: Hodie, aiebat, nuntiata est Alexandriæ victoria maximè pij Theodosij, propter de medio sublatum tyrannum Eugenium, & oportet Imperatorem mori morte propriâ: quod quidem reuerà ita fieri contigit. Licebat autem cernere multitudinem eorum qui cum ipso erant monachorum in ecclesiâ, veluti quosdam iustorum choros, lucidis vestibus indutos, & hymnis assiduis Deum glorificantes.

Prædicit Ioannes Theodosij Imperatoris epinicia.

Postquam autem multos quoque alios patres vidimus, venerunt fratres nobis annuntiantes, consummatum esse beatum Ioannem modo quodam admirabili: nam cùm iussisset, vt tres dies neminem sinerent ad se venire, genibus flexis ad orationem, consummatus est, ad Deum veniens, cui gloria in sæcula.

Moritur genibus flexis.

De POEMENIA. CAP. XLVII

Is quoque cum Christi ancillâ Pœmeniâ, quæ ad eum videndum accesserat, non est quidem collocutus, significauit autem ei quoque quędam arcana. Ei autem præcepit, dicens: Descendens à Thebaide, ne deflectas Alexandriam; quandoquidem futurum est, vt cadas in tentationes. Ea autem magni Ioannis prædictionem vel nihili ducens, vel

Pœmenia periculum lapsus prænuntiat.

eius oblita, deflexit Alexandriam, vt videret ciuitatem. In itinere autem prope vrbem Niciæ, ad eam accesserunt naues eius quiescendi gratiâ. Egressi autem famuli ex quadam insolentiâ cum illius loci habitatoribus, amentibus & profligatis hominibus, manus conseruerunt: qui quidem vnius quidem eunuchi digitum secuerunt; alium autem occiderunt: Dionysium autem sanctissimum episcopum, in fluuium ignorantes proiecerunt: & illam ipsam conuitijs & maledictis impetierunt, & reliquos omnes seruos sauciarunt.

CAP. XLVIII.

Vita abbatis [96] AMMONAE, *& eorum qui cum ipso erant.*

Ruff. l. 2. cap. 3.

VIDIMVS autem alium quoque virum Thebaide, nomine Ammonam, patrem ter mille monachorum: quos etiam nominabat Tabennesiotas, qui habebant magnum vitæ agendæ institutum, vt qui & ouillas pelles ferrent, & vultu tecto comederent, & se deorsum inclinantes, ne quis proximum comedentem aspiceret: & tantum exercerent silentium, vt viderentur esse in solitudine, vnoquoque occultè peragente suum vitæ institutum; solùm autem specie quadam in mensâ sederent, conantes se inuicem latêre. Aliqui enim ex his semel vel bis manum ori admouebant, tangentes panem vel oleum, vel aliquid ex ijs quæ erant apposita, & cùm de vnoquoque obsonio semel gustassent, contenti erant hoc alimento: alij autem panem sensim mandentes, alia autem accipientes citra simulationem, sic perseuerabant: alij autem iusculum ter tantùm degustabant, à reliquis autem abstinebant. Quæ cùm, vt erat consentaneum, essem admiratus, non prætermisi eam quæ ex eis capitur vtilitatem.

Ammonas pater 3000 monachorum.

Apud Tabennesiotas silentium tempore refectionis.

Varia sobrietas.

CAP. XLIX

De abbate [97] BE.

Ruffin. l. 2. cap. 4.

VIDIMVS autem alium quoque senem, qui lenitate superabat omnes homines, nomine abbatem Be: de quo affirmabant fratres qui apud ipsum versabantur, eum numquam iurasse, numquam de aliquo mentitum esse, neque aliquo verbo increpasse, neque iratum fuisse; erat enim eius vita valdè quieta, & mores mansueti, vt qui statum haberet angelicum: erat autem valdè quoque humilis, & seipsum vilipendens. Cùm nos autem multùm rogaremus, vt adhortatorium nobis sermonem diceret, vix in animum induxit, vt nobis pauca dissereret de mansuetudine. Is, cùm hippopotamus aliquando vastaret vicinam regionem; stans prope fluuium, rogatus ab agricolis, visâ beluâ ingentis magnitudinis, ei præcepit, dicens: Denuntio tibi in nomine Iesu Christi, ne ampliùs vastes hanc regionem. Illa autem tamquam ab Angelo loco pulsa, omnino euanuit. Sic etiam aliquando abegit crocodilum.

Be totus mansuetus, numquam iurauit, numquam mentitus, numquam iratus.

Beluæ grassanti imperat.

De abbate [98] THEONA.

CAP. L.

Ruff. lib. 2. cap. 6.

VIDIMVS etiam alium non procul à ciuitate, in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domunculâ seorsum inclusum, qui tempore triginta annorum silentium exercuerat. Is cùm plurimas virtutes perageret, habebatur ab eis pro prophetâ. Exibat enim ad ipsum per dies singulos multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire saluos. Licebat enim videre ipsum habentem vultum Angeli, lætis oculis, & totum plenum maximâ gratiâ. Is, cùm non multo antè tempore latrones eum noctu inuasissent, existimantes se multum auri apud eum inuenturos, & vellent eum occidere, precatus est, & manserunt immobiles ad portas eius vsque ad matutinum. Cùm turbæ autem manè ad eum accessissent, & eos igni mandare in animo haberent, vnum tantum verbum ad eos est locutus: Sinite eos abire sanos; sin minùs, à me fugiet gratia curationum. Ij verò ipsum audierunt: non audebant enim contra eum dicere, & protinus abiêre latrones ad ea quæ erant circumcircà monasteria, mutati moribus, & de ijs quæ fecerant ducti pœnitentiâ. Erat autem vir eruditus in triplici gratiâ sermonum, in scriptis Romanis, Græcis, & Ægyptiacis, sicut à multis & ab illo ipso audiuimus. Cùm enim nos agnouisset esse hospites, scribens in tabellâ, Deo propter nos egit gratias. Comedebat autem semina non cocta. Noctu autem, vt aiunt, egrediebatur è cellâ, & congregabatur cum feris; & eas potabat ex eâ quam habebat aquâ. Erat enim videre vestigia bubalorum, & onagrorum, & quarumdam caprearum, circa eius monasterium, quibus semper delectabatur.

Silentium 30 annis à Theonâ obseruatum.

Morbidos curat.

Oratione eius latrones redduntur immobiles.

Theonas doctus in genere linguarum diuerso.

Adaquat feras.

CAP. LI.

De abbate [99] ELIA.

Ruff. lib. 2. c. 11.

VIDIMVS autem alium quoque senem in solitudine Antinoi, quæ est metropolis Thebaidis, Eliam nomine, qui natus erat centum & decem annos. Super eum dicebant spiritum Eliæ prophetæ requieuisse: erat enim valdè celebratus, vt qui in terribili illâ solitudine egisset septuaginta annos. Non potest autem oratio pro dignitate narrare asperam illam solitu-

Elias 70. annis vixit in solitudine.

solitudinem, quæ est in monte in quo ille sedebat, numquam descendens in eam quæ habitatur regionem. Est enim quædam semita eorum qui ad ipsum accedunt eiusmodi, vt vix possint insistere vestigijs ij qui accedunt, hinc & inde lapidibus asperis obuallata. Erat autem sedens sub quadam petrâ in speluncâ, adeò vt ipsum quoque videre esset formidabile. Tremebat autem iam totus, vt quem senectus opprimeret. Multa autem signa quotidie peragebat, nec cessabat mederi ęgrotantibus. Dicebant autem qui apud ipsum erant patres, neminem meminisse eius ascensus in montem. Comedebat autem in senectute tres vncias panis, & tres oleas vesperè. In iuuentute autem semper semel comedebat in hebdomadâ.

Elias signis & medicamine clarus.

Ieiunium mirabile.

CAP. LII. *Vita abbatis* 100 APOLLO.

Ruff. l. 2. cap. 7.

VIDIMVS autem alium quoque virum sanctum in Thebaide, in finibus Hermopolis: in quam Seruator venit cum sanctâ Mariâ & Ioseph, implens prophetiam Isaiæ, quæ dicit: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum; & quatientur manufacta Ægypti à facie eius, & cadent in terram. Vidimus enim illic quoque templum, in quo, ingresso vrbem Seruatore, ceciderunt omnia simulacra in faciem super terram. Vidimus autem illic in solitudine virum, Apollo nomine, qui monasteria habebat super montem. Erat enim pater monachorum circiter quingentorum, qui erat valdè clarus & celebratus in Thebaide; erantque eius magna opera, & magnas virtutes per eum faciebat Dominus, & plurima signa & admirabilia per eum efficiebantur. Hic enim cùm à pueritiâ multam ostendisset exercitationem, in perfectâ ætate talem est consecutus gratiam. Cùm enim esset octogenarius, sibi magnum congregauit monasterium virorum perfectorum, qui poterant omnes ferè signa efficere. Is cùm quindecim annos natus à mundo secessisset, & quadraginta annos in solitudine transegisset, & in eâ omnem virtutem exercuisset: visus est posteà audire Dei vocem, dicentis ei: Apollo, Apollo, per te sapientiam sapientum in Ægypto, & prudentiam gentium prudentium abolebo. Perdes autem mihi cum eis etiam sapientes Babylonis: & de medio tolles omnem cultum dæmoniacum; & nunc vade in eam quæ habitatur regionem: generabis enim mihi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum. Is autem respondens, dixit: Aufer à me, Domine, arrogantiam: ne fortè elatus supra fraternitatem, priuer omni bono opere. Ei autem rursus dixit vox diuina: Mitte manum tuam super collum tuum, & deinde comprehendes, & infodies arenâ. Is autem cùm statim manum misisset super collum, apprehendit paruum Æthiopem: & eum infodit in arenâ clamantem & dicentem: Ego sum dæmon superbiæ. Et rursus facta est vox ad eum, dicens: Vade, quoniam quod à Deo petieris, accipies. Is autem cùm primùm hoc audisset, profectus est in eam quæ habitatur regionem; tempore Iuliani tyranni: & tunc venit in propinquam solitudinem.

Isaiæ 19.

Simulacra Aegypti ad ingressum Seruatoris corruunt.

Apollonius pater 500. monachorum.

Quindecim annos natus eremum petit.

Tit. 2.

Orans exauditur pro iactantia spiritu à se auferendo.

Dæmon superbiæ.

Cùm quamdam autem paruam occupasset speluncam, manebat subter montem. Eius autem opus erat, toto diurno spatio preces edere; noctu quidem centies, interdiu autem toties, flexis genibus. Eius autem alimentum tunc quoque sicut priùs, admirabili & præter opinionem ratione à Deo suppeditatur. Ei enim in solitudine per Angelum afferebatur nutrimentum. Eius autem indumentum erat lebiton, quod nonnulli colobium appellant, & paruum linteum in eius capite. Hæc enim ei manebant in solitudine, nec veterascebant. Erat autem in solitudine propinquâ terræ quæ habitatur, faciens signa & virtutes admirabiles in virtute Spiritus: quas propter miraculi insignem magnitudinem nemo potest omnes dicere, sicut audiuimus à senibus qui cum eo versabantur, qui ipsi quoque erant viri perfecti, & præerant multis fratribus. Fuit itaque protinus clarus ac celebratus, tamquam nouus aliquis propheta vel apostolus, qui venisset nostro sæculo: & cùm magna fama de eo sparsa esset, omnes qui circumcircà dispersi habitabant monachi, semper ad eum veniebant, & tamquam patri germano, dona suas offerebant animas. Is autem alios quidem hortabatur ad contemplationem: alios verò instituebat, vt persequerentur virtutem, quæ versatur in actione; primùm ostendens opere ea, quæ ipsos facere admonebat sermone. Sæpè enim eis ostendens exercitationem, Dominicâ solùm cum eis versabatur: ipse quidem non ampliùs sumens, quàm olera quæ sua sponte nascuntur in terrâ; non panem interim vel legumen, non ex fructibus arborum aliquid comedens, nec quæcumque igni admota veniunt in vsus hominum.

Quod opus fuerit Apollinis monachi.

Vestimentum eius non veterascens.

Die Dominico, charitatis gratiâ suos ad cibum conuocat.

Cùm autem tempore Iuliani aliquando audijsset, fratrem in exercitu captũ vinctum teneri in custodiâ, accessit ad eum cum fraternitate, rogans eum & admonens, vt esset fortis & constans in laboribus, & despiceret pericula sibi imminentia. Dicit enim esse sibi tempus certaminum, vt tunc quo-

que mens eius probetur insultu tentationum. Postquam autem his verbis eius animum confirmauit, adueniens tribunus, qui quodam sceleris ferebatur impetu, cùm quidam ei de ipsis significasset, clausis portis custodiæ, & ipsum & omnes qui cum eo erant, monachos inclusit, tamquam futuros aptos ad militiam: & cùm eis quot satis essent custodes constituisset, domum rediit, nec auditione quidem ab eis rogari sustinens. Mediâ autem nocte, lampadem ferens Angelus apparet custodibus, lumine illustrans omnes qui erant in carcere, adeò vt præ stupore hiantes starent custodes. Qui cùm surrexissent, eos rogarunt vt omnes abirent, eis apertis ianuis: fatebantur enim, esse satius pro ijs mori, quàm quæ ad eos diuinitùs venisset libertatem, qui citra rationem detinebantur, despicere. Tribunus itaque cum magistratibus manè veniens in custodiam, contendebat vt viri egrederentur è ciuitate: dicebat enim, domum suam cecidisse terræ motu, & è suis seruis optimos oppressos fuisse. Ij autem hæc audientes, Deo gratias agentes, abierunt in solitudinem: erantque omnes simul, vt dicit Apostolus, habentes cor vnum & vnam animam.

Tribunus monachos ad militiã cogens carcere includit.

Angelus custodibus apparet.

Tribuni domus terræ motu concidit.

Actor. 4.

Docebat autem quotidie ornari virtutibus, & machinas diaboli in cogitationibus in principio protinus propulsare. Contrito enim capite serpentis, totum corpus est mortuum. Iubet enim Dominus, vt obseruemus caput serpentis: id autem est, ne in principio admittamus malas & turpes cogitationes, non solùm vt obscœnas animi nostri phantasias deleamus: conari autem nos inuicem superare virtutibus: & ne quis in his laudibus altero videatur inferior. Hoc autem, inquit, sit vobis argumentum profectus virtutum, quando fueritis vacui affectionibus & appetitionibus: hæc enim sunt Christi donorum principium. Quando autem à Deo habuerit aliquis ostensionem miraculorum, ne nimiùm intumescat, quasi sufficienter profecerit nec efferatur cogitatione, tamquam sit iam magis honoratus quàm alij; neque vt ostentans quòd talem gratiam acceperit: sin minùs, seipsum decipit mente captus, & gratiâ mulctabitur. Habuit ergo hanc magnam doctrinam in sermonibus, quam nos quoque sæpè posteà ab ipso audiuimus: in operibus autem, efficiebat maiora; omnis enim petitio ei statim dabatur à Deo.

*Capita malarum cogitationum contere*nda.

Quinetiam videbat quasdam reuelationes: vidit enim suum fratrem natu maximum, qui ipse quoque fuerat consummatus in solitudine, & ipso pulchro vitæ instituto eum superauerat, cum quo ipse quoque longo tempore vixit in solitudine. Videbatur ergo eum videre sedentem in eodem throno cum apostolis, cùm ei reliquisset suarum virtutum hereditatem: & sic pro se ipso intercedebat, Deum rogans, vt esset velox eius translatio, & cum ipso sibi requiem præstaret in cælis. Visus est autem ei dixisse Seruator, oportere eum adhuc paruo tempore esse in terrâ ad multorum perfectionem, donec multi fiant eius virtutis æmulatores. Magnus enim monachorum populus credetur eius fidei, & pius exercitus, vt gloriam dignam laboribus consequatur apud Deum. Hæc vidit, quæ etiam euenerunt. nam cùm multi vndique ex auditione ad eum conuenissent monachi, & per eius doctrinam & conseruationem plurimi omnino mundo renuntiassent, facta est fratrum cohabitatio, cùm ad quingentos fratres simul apud ipsum communem vitam haberent, & vnam mensam, totâ veste candidati: & in eis impleta est Scriptura, quæ dicit: Lætare desertum sitiens, erumpe & clama quæ non parturis; quoniam multi sunt filij desertæ, magis quàm virum habentis. Nam impletum quidem est hoc eloquium propheticum ex Ecclesiâ quæ congregata est ex gentibus: perfectum est autem in hac etiam Ægyptiacâ solitudine, quæ plures filios Deo exhibet, quàm terra quæ est habitata. Vbi enim sunt in vrbibus tot greges eorum qui salui fiunt, quot Deo exhibent quæ sunt in Ægypto solitudines? Quot sunt enim hîc populi, tot sunt illic in desertis monachi. Ac mihi videtur dictum Apostoli, etiam in ipsis esse impletum: Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Abundauit enim quondam in Ægypto multus & impius idolorum cultus, adeò vt in nullâ gente magis: canes enim & simias quidam colebant, alij allia & cæpe; & ex vilibus oleribus multa deos existimabant, vt ipsum sanctum patrem hæc narrantem audiuimus, & reddentem caussam prioris ignorationis. Nam bouem quidem, aiebat, in deos referebant gentiles qui priùs apud nos habitabant, quoniam per ipsum exercentes agriculturam, victum sibi parabant: aquam autem Nili, quoniam irrigat omnes agros: terram quoque colebant, vt quæ esset alijs omnibus regionibus fertilior. Reliquas autem abominationes, canes & simias, & reliquam omnem animantium & olerum colebant turpitudinem, quatenus eorum vsus fuit eis occasio salutis, qui tempore Pharaonis homines occupatos tenuit, quando ille Israëlem persequens, submersus est. Vnusquisque enim id, in quo fuit occupatus, cùm Pharaonem non esset secutus, hoc in deos

Reuelationes factæ sancto Apollini.

Apollo pater quingentorum fratrum.

Isaiæ 54.

Rom. 5.

Cur Deus tot monachos in Ægypto suscitarit.

Vnde in Aegypto tam multi dij.

in deos retulit, dicens: Hoc fuit mihi deus hodie, per quod effectum est, vt non perirem vnà cum Pharaone. Hæc quidem in sermonibus habuit sanctus Apollo.

Ante sermones autem scribendum est quæ possedit in operibus. Fuerunt enim aliquando gentiles propè accolentes in locis omnibus: & decem pagi qui erant ei propinquiores, magis colebant dæmones. Erat autem templum maximum in vno vico, & simulacrum maximè insigne: lignea autem erat hæc statua. Pompam autem ducebant, eam per vicos circumferentes nefarij sacerdotes, qui bacchabantur cum multitudine, veluti pro aquâ fluuiatili celebrantes mysteria. Accidit autem vt illo tempore illic adesset Apollo cum paucis quibusdam fratribus: postquam autem vidit multitudinem repentè dæmoniacè furentem per regionem, flexis Seruatori genibus, fecit omnes gentiles repentè immobiles.

Gentiles Apollo orante redduntur immobiles.

Cùm autem non possent ex illo loco progredi, alius alium trudentes, & æstu toto die torrerentur, ignorantes vnde hoc eis euenisset, sacerdotes eorum dixerunt esse quemdam Christianum habitantem in eorum finibus sub solitudine, qui hæc faceret, dicentes de Apollo; & oportere ei supplicare: sin minus, fore vt veniant in periculum. Postquam autem qui procul habitabant, auditis clamoribus & lamentationibus, accesserunt, & eos rogarunt: Quidnam est, dicentes, quod vobis repentè accidit? quo pacto hoc factum est? Illi autem dixerunt se nescire, nisi quòd virum habebant suspectum, dicentes oportere illum placare. Alij verò testabantur se eum vidisse prætereuntem: & sic rogarunt eos, vt eis citò daretur auxilium: adductis bobus conati sunt mouere simulacrum; id autem manebat tamquam immobile cum ipsis sacerdotibus.

Imbecillitas idolorum.

Cùm nullam ergo euadendi rationem inuenissent, miserunt per accolas legationem ad Apollo, vt illinc liberati ab errore recederent. His autem Apollo significatis, celerrimè descendit homo Dei: & cùm orasset, omnes soluit à vinculo. Hi autem omnes vno animo ad ipsum processerunt, vniuersorum Seruatori credentes, & Deo qui facit admirabilia, idolo protinus igni mandato.

Apollo Gentiles ad fidē adducit.

Quos omnes catechesi institutos adiecit ecclesijs. Multi autem ex his in hodiernum vsque diem degunt in monasterijs. Huius autem rei fama peruasit in omnes partes, & multi crediderunt in Dominum; adeò vt nullus ampliùs gentilis nominetur in eius finibus.

Non multo pòst autem tempore, duo pagi inter se bellum incipiunt committere, pro agris decertantes. Postquam autem est Apollo renuntiatum, statim ad eos descendit, inter eos pacem conciliaturus. Qui erant autem ex parte aduersa non parebant, sed contrà dicebant, freti vno latronum principe, vt viro ad bellum præstantissimo. Cùm eum ergo Apollo vidisset contrà dicentem, dixit ei: Si parueris, ô amice, rogabo Dominum meum, vt tua peccata remittantur.

Latro conuertitur.

Is autem vbi hoc audiuit, non cunctatus, abiectis armis, eius genibus aduolutus supplicauit: & pace factâ eius intercessione, suos remisit ad propria. Cùm ij autem pacem egissent, & abijssent, insignis eorum propugnator, Apollo de cætero sequebatur, promissum apertè exigens. Quem cùm assumpsisset beatus Apollo in propinquâ solitudine, admonuit & hortatus est, vt patienti & constanti esset animo, posse enim Deum ei condonare. Vbi autem nox aduenit, ambo viderunt in somnijs se astare ante tribunal Christi: vtrique autem contemplabantur Angelos Deum vnà cum iustis adorantes.

Apollo & latronis visio.

Cumque ipsi vnà cum eis procubuissent, Patrem adorauerunt: & vox ad eos facta est Dei dicentis: Quæ est societas luci cum tenebris? aut quæ pars est fidelis cum infideli? Quid verò stat cum isto homicida, cùm sit indignus tali contemplatione? Tu autem abi, ô homo: tibi enim est concessus hic tardè natus perfuga.

2. Cor. 6.

Qui cùm alia multa vidissent & audijssent admirabilia, quæ neque audet oratio dicere, neque auris audire, excitati annuntiarunt ijs qui cum eis conuersabantur. Omnes autem maxima inuasit admiratio; vtrisque vnam narrantibus visionem. Permansit autem cum exercitatoribus, is qui non erat ampliùs homicida, vsque ad mortem vitam suam corrigens, ex lupo in simplicem & innocentem agnum mutatus. In eo quoque impleta est Isaiæ prophetia, dicentis: Lupi & agni simul pascentur; & leo & bos simul comedent paleas.

Isaiæ 65.

Licebat enim illic quoque videre Æthiopes cum monachis se exercentes, & multos virtutibus superantes, & Scripturam in eis impletam, quę dicit: Æthiopia præueniet manum eius Deo.

Psal. 67.

Aliquando autem decertabant gentiles aduersus Christianos rusticos pro suis finibus: erat autem multitudo vtrorumque armatorum, quibus adstitit Apollo pacem inter eos concilians. Ei autem restitit gentilium in pugnâ antesignanus, qui erat vir grauis & sæuus, affirmabat autem & dicebat se non esse daturum pacem vsque ad mortem.

Apollo principi gentilium contentioso mortem prædicit.

Is autem ei dicit: Atque adeò tibi fiat quod elegisti. nullus enim præter te occidetur. Tibi autem mortuo non erit terra sepul-

sepulcrum, sed ventres ferarum & vulturum te implebuntur. Atque adeò oratio effectum protinus est sortita, cùm ex vtraque parte nullus sit interfectus præter antesignanum. Quem etiam cùm in arenâ tumulassent, manè inuenerunt membra laniata ab hyænis & vulturibus. Illi autem cùm vidissent miraculum, & euentum eius quod dixerat, omnes Seruatori credentes eum prædicabant prophetam.

Princeps negans se daturum pacem, ipse solus occiditur.

Erat autem adhuc anteà in montis speluncâ sanctus Apollo, cum quinque alijs fratribus, qui primi fuerunt eius discipuli, cùm recenter venisset è solitudine. Cùm autem aduentasset dies festus Paschæ, & Dei cultum implessent, erant esuri ea quæ inueniebantur: erant autem aliquot sicci panes, & quædam olera reposita. Eis autem dixit Apollo: Si sumus fideles, ô filij, & germani Christi filij, petat vnusquisque vestrûm à Deo id quod eius animo gratum est ad vescendum. Illi verò ei vniuersum permiserunt, existimantes se esse indignos tali gratiâ. Cùm læto autem vultu orasset, & omnes dixissent, Amen; protinus noctu venerunt in speluncam quidam viri penitùs incogniti, qui dicebant se venire à longinquâ regione; & omnia ferebant, ea etiam de quibus ne auditione quidem acceperant, & quæ non nascuntur in Ægypto, horti fructus omnis generis, vuas & mala punica, & ficus & nuces, omnia intempestiuè: quinetiam quosdam inuentos mellis fauos, & vrnam recentis lactis: & [10] nicolaos maximos, & panes mundos & calidos è regione externâ. Ij autem qui ea attulerant, cùm solummodò tradidissent, tamquam missi à viro magno & diuite, protinus properè recesserunt. Cùm autem quæ erant esculenta percepissent, ea illis suffecerunt vsque ad Pentecosten: adeò vt ipsi quoque mirarentur, & dicerent, fuisse ea verè à Deo missa.

Cibi diuinitus suppeditati.

Quidam autem ex monachis rogabat patrem, vt statim Deum pro ipso oraret, vt gratiam aliquam consequeretur. Cùm ipse autem orasset, ei dabatur gratia humilitatis & mansuetudinis, adeò vt mirarentur omnes eum esse tam mansuetum. Has autem eius virtutes narrarunt nobis qui cum ipso erant fratres, hæc multis quoque attestantibus fratribus.

Humilitatem & mansuetudinem cuidam impetrat Apollo.

Etenim cùm non multo antè tempore fuisset aliquando fames in Thebaide: qui autem ea loca accolebant populi audijssent, quòd qui erant apud eum monachi, præter spem omnem & opinionem quotidie alerentur, vno animo apud ipsum accesserant cum vxoribus & liberis, simul benedictionem petentes & alimentum. Is autem nihil veritus, ne cibus ei aliquando deesset, dabat omnibus venientibus, vnicuique quod in diem sufficeret. Relictis autem tribus solis magnis sportis cum panibus, & fame inualescente, iubet sportas afferri in medium, quas ipso die erant esuri monachi: & audientibus omnibus fratribus & populi multitudine, dixit magnâ voce: Non potens est manus Domini hæc implere? Hæc autem dicit Spiritus sanctus: Non deficiet panis ex his sportis, donec nouo frumento fuerimus satiati. Et affirmarunt omnes qui tunc aderant, eis panes suffecisse quatuor menses. Similiter autem & in oleo & frumento: adeò vt veniret satanas, & ei diceret: Num tu es Elias, aut alius ex prophetis & apostolis, quòd hæc facias? Is autem dixit ipsi: Quid enim? non homines sancti fuerunt apostoli & prophetæ, qui hæc nobis tradiderunt? An tunc quidem aderat Deus, nunc autem peregrè est profectus? Potest autem Deus hæc semper facere, & nihil erit quod ipse non possit. si ergo Deus est bonus, cur tu malus? Quid verò non oportet nos quoque dicere ea quæ vidimus? nempe quòd fratres ingrediebantur cum sportis, ad mẽsas panes afferentes, & cùm comederẽt quingenti fratres ad satietatem, eas rursus plenas accipiebant?

In tempore famis populum pascit.

Non defuturum panem sportis prædicit.

Non est peregrè profectus Deus, vt non eadem nunc, quæ olim miracula faciat.

Aliud quoque miraculum, quod videntes obstupuimus, par est dicere. Cùm enim ad eos venissemus spatio trium dierum, cogniti sumus, procul visi à fratribus, qui ex eo audierant de nostro ad eum aduentu: qui quidem properè accurrentes nobis venerũt obuiàm, psallentes: est enim hic mos apud omnes monachos. & cùm proni in terram adorassent, nos deosculati sunt, nos sibi inuicem ostendẽtes, & dicentes: Ecce venerũt fratres, de quibus pater noster dixit tribus antè diebus, dicẽdo: Post tres dies venient ad nos tres fratres, venientes Ierosolymis. Et alij quidem nos deducebãt, alij verò nos retrò sequebantur, psallentes, donec prope ipsum venimus. Cùm autem audijsset pater Apollo vocem psallentium, venit nobis obuiàm, vt mos ei erat erga omnes fratres: & cùm nos vidisset, adorauit primus se in terrâ extẽdens; & cùm surrexisset, est osculatus; & postquam introduxisset, orauit, & pedes nostros manibus lauit proprijs, & hortatus est ad refectionem. Hoc autem faciebat omnibus fratribus qui ad ipsum veniebãt. Qui enim cum ipso erãt fratres, alimentum non priùs accipiebant, quàm Eucharistię Christi communicassent. hoc autem faciebant horâ nonâ diei. Deinde cùm sic comedissent, sedebant audientes eum docentem omnia præcepta, vsque ad primum somnum. Illinc alij quidem ex ipsis secedebant in solitudinem, Scripturas totâ nocte

Hospitum aduentum præcognoscit.

Eucharistia communio cibis alijs ab Apollo fratribus semper præmittitur.

nocte memoriter exprimentes; alij verò illic perseuerabant, assiduis hymnis Deum laudátes, ad diem vsque: quos ego vidi his oculis, cùm vesperè hymnos cœpissent, vsque ad matutinum non cessasse à cantu. Multi certè ex ijs horâ nonâ solùm descendebant de monte, & Eucharistiam sumentes, rursus adscendebant, contenti spiritali nutrimento vsque ad aliam nonam. Hoc autem multi ex ijs faciebant multos dies. Licebat autem eos videre exultantes in solitudine, adeò vt nullã eiusmodi aliam exultationem in terrâ videre liceat, nec lætitiam corporalé. Neque enim erat inter eos aliquis mœstus aut tristis: sed si quis videbatur præ se ferre tristitiam, statim pater Apollo ex eo rogabat caussam, & quæ erát in occulto vniuscuiusque cordis, renuntiabat. Dicebat autem: Non oportet esse tristes propter salutem, cùm futuri simus heredes regni cælorum. Tristes autem, inquit, erunt gentiles, flebunt Iudæi, lugebunt peccatores; iusti autem lætabuntur: & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem qui tantâ spe digni sumus habiti, quomodo non lætamur perpetuò? cùm nobis Apostolus suadeat, vt semper lætemur, & in omnibus gratias agamus. Quis autem dixerit eius in sermoné gratiam, & reliquas eius virtutes, quas propter summum miraculum siluimus, auditas vtique ex ipso, & ex alijs?

Exhortationes abbatis Apollinis.

1. Thess. 5.

Cùm autem de exercitatione & vitæ instituto nobiscum sæpè seorsum disseruisset, sæpè etiam dixit de suscipiendis monachis, quòd oportet adorare fratres aduenientes: Non enim ipsos, aiebat, sed Deum adorasti. Vidisti enim, inquit, fratrem tuum? vidisti Dominum Deum tuum; & hoc, inquit, ab Abraham accepimus: & quòd oporteat, inquit, nonnumquam cogere fratres ad refectionem, à Lot accepimus, qui coëgit Angelos: & quòd oportet, si fieri potest, monachos quotidie communicare Sacramentis. Qui enim se ab eis procul amouet, Deus quoque procul ab eo recedit. Qui autem hoc facit assiduè, assiduè suscipit Seruatoré. Est enim, inquit, vox Salutaris: Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo. Hoc confert monachis salutaris passionis commemorationem continenter facientibus, quotidie etiam se præparare, vt omni tempore digni sint, qui suscipiant cælestia Sacramenta: quandoquidem sic quoque consequitur remissionem peccatorum. Catholica autem & generalia ieiunia non licet soluere sine ingenti necessitate: in quartâ enim feriâ traditur Seruator, & in parasceue crucifigitur; qui ea ergo soluit, Seruatorem vnà tradit, & vnà crucifigit. Sed

Gen. 18. *Cogendi aliquando hospites ad refectionē.* Gen. 19. *Quotidie communicare quàm proficuum.*

Ioan. 6.

Per Sacramentum altaris consequimur remissionem peccatorum. *Ieiunia catholica quarta & sexta feria.*

si ad vos veniat frater, qui opus habet vt reficiatur cùm sit ieiunium, ipsi soli mensam apponite: sin autem nolit, ne cogatis. habemus enim communem traditionem. Multùm autem reprehendebat eos qui ferrum gestabant, & comam nutriebant. Hi enim, inquit, se ostentant & quærunt placere hominibus, cùm oporteat ipsos potiùs corpus soluere ieiunijs, & quod bonum est facere in occultò: ij verò non sic, sed se propalant omnibus. Et quid opus pluribus? Omnis enim eius doctrina est eius vitæ instituto similis, quam nec quis scribere potuerit nec dicere. Plurima ergo nobiscum seorsum, totâ sæpè hebdomadâ disserendo, tandem dimittens dixit: Habete pacem inter vos, neque separemini in viâ.

Austeritates vitæ occultè assumenda.

Cùm autem dixisset ijs qui cum ipso erant fratribus, quisnam ex ipsis vellet nos deducere ad visitandos alios patres, sanctus Apollo tribus viris delectis, qui valerent & sermone & vitæ instituto, erantque periti linguæ Græcæ & Romanæ & Ægyptiacæ, cum eis nos dimittens, iussit eis ne nos priùs relinquerent, quàm satisfactum esset nostro videndorum patrum desiderio: quos si quis vellet omnes videre, ad eos aspiciendos totâ vitâ non sufficeret. Cùm nobis ergo benedixisset, amandauit, dicens: Benedicat vos Dominus ex Sion: & videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitæ vestræ.

Psal. 127.

Nobis autem ambulantibus meridie per solitudinem, videmus tractum magni draconis, qui tamquam trabes erat protractus per arenam: quem cùm vidissemus, nos magnus timor inuasit. Qui autem nos ducebant fratres, hortati sunt ne timeremus, sed essemus bono animo, & sequeremur draconis vestigium: Videbitis enim fidem nostram, cùm ipsi simus eum manu nostrâ superaturi. Multos enim, inquiunt, & dracones & cerastas manu interfecimus, sicut scriptum est. In eis enim implebatur illud: Dedi vobis potestatem ambulandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Nos autem qui ferebamur incredulitate, & qui maiori eramus affecti formidine, rogabamus eos ne iremus per vestigia draconis, sed rectâ viâ. Vnus autem frater ex ipsis, magnâ animi alacritate, cùm nos eo in loco dimisisset, profectus est in solitudinem quærens beluam. Quam cùm inuenisset, non procul ab antro, magnâ voce exclamabat draconem esse in speluncâ; & vocabat ipsos, vt ad se venirent visuri quid esset euenturum: & hortantibus nos alijs fratribus ne timeremus, cum magno metu abijmus visuri beluam. Nobis autem repentè occurrens frater

Sancti viri non horrēt draconem miræ magnitudinis.

Luc. 10.

vnus, manu nos traxit in suum monasterium, dicens nos non posse ferre impetum beluæ, & maximè quòd nondum vidissemus talem, se verò sæpè vidisse ipsam beluam tam vastâ magnitudine, vt quæ sit plus quàm quindecim cubitorum. Cùm nos ergo iussisset manere in loco, abijt ad fratrem, dicens ei vt recederet à cauernâ: conabatur enim ille à loco non recedere, priusquam interfecisset draconem. Qui cùm persuasisset, eum ducit ad nos increpantem modicam nostram fidem. Quiescentes autem apud illum fratrem, qui circiter vnum milliare remotum habebat monasterium, satis refecti sumus.

CAP. LIII

Vita abbatis AMVN.

Ruff. l. 2. cap. 8. vocat *Ammonem*.

ILLE autem nobis narrabat, in illo loco in quo ipse sedebat, fuisse virum sanctum, cuius ipse fuit discipulus, nomine Amun, qui in illo loco plurimas fecit virtutes; ad quem sæpè latrones venientes, accipiebant eius panem & alimenta. Hæc ergo ægrè ferens, cùm vno die egressus esset in solitudinem, adduxit secum duos magnos dracones, & iussit eis vt in eo loco manerent, & portam custodirent. Homicidæ autem cùm pro more venissent, & vidissent miraculum, præ stupore hiantes ceciderunt in faciem. Egressus autem inuenit eos mutos, & ferè semimortuos; & cùm eos excitasset, probris eos affecit, dicens: Videte quantum estis bestijs agrestiores, nam istæ quidem propter Deum nostræ parent voluntati, vos autem neque Deum timuistis, neque Christianorum estis reueriti religionem. Introductis autem eis in cellam, mensam apposuit, & monuit vt mores mutarent. Illi autem surgentes, protinus multis visi sunt meliores: non multò pòst autem ipsi quoque visi sũt eadem signa facere.

Amun contra latrones duos dracones porta monasterij ponit custodes.

Latrones humaniter tractat, & ad Deum conuertit.

Aliquando autem, inquit, cùm vnus magnus draco propinquam vastaret regionem, & multa occideret animalia, quicumque habitabant iuxta solitudinem, omnes simul venerunt ad patrem, rogantes vt deleretur belua ex eorum regione. Is autem eos ita dimisit, vt qui eis tristitiâ affectis nihil prodesse posset. Manè autem surgens, venit in eum locum quo transitura erat belua: postquam autem ter flexit genua ad orationem, in ipsum veniebat belua, magno cum stridore grauem emittens anhelitum, & intumescens ac sibilans, tetrumque edens spiritum. Is autem nihil territus, ad draconem conuersus, dixit: Vincet te Iesus Christus, filius Dei viui, qui est magnum cetum victurus. Idque cùm dixisset, protinus disruptus est draco, per os omne virus euomens cum sanguine. Cùm autem venissent rustici postridie, & illud magnum vidissent miraculum, & non ferrent spiritum, in animal multam arenam congesserunt, patre illic eis adstante: ad draconem enim, licet mortuum non audebant accedere.

Draco disruptus precibus abbatis Amun.

Puer autem, inquit, pascens cùm repentè vidisset adhuc viuum draconem, statim emotâ mente fuit exanimatus: iacuit itaque puer nihil spirans in loco totâ die in solitudine. Cùm eum autem sui vesperè inuenissent parum spirantem, totum inflatum ex ecstasi, deducunt ad patrem, ignorantes caussam eius quod acciderat. Cùm is autem orasset, & eum vnxisset oleo, surrexit puer narrans id quod fuerat deprehensum. Quâ re vir maximè motus, ad interimendum draconem est conuersus.

Puerum emotâ mente oleo sacro sibi restituit.

CAP. LIV.

Vita abbatis COPRE presbyteri.

Ruff. lib. 2. cap. 9.

ERAT autem illic quidam presbyter, qui monasterium propè habebat in solitudine, Copres nomine: vir sanctus, propè nonagenarius, præpositus fratrum quinquaginta, qui ipse quoq; plures faciebat virtutes, morbis medẽs, & multas faciens curationes, & dæmones expellẽs, & res multas efficiens, atque adeò quasdam in nostris oculis. Is ergo postquam nos vidit, salutauit, & pro nobis orauit, & postquam pedes nostros lauisset, sciscitatus est à nobis, quænam in mundo fierent: nos autem rogauimus, vt ipse nobis potiùs exponeret sui vitæ instituti virtutes, & quo modo esset Deus ei dona largitus, & quanam ratione fuisset particeps eius gratiæ. Is autem nullâ eo nomine elatus superbiâ, nobis suam vitam narrauit, & maiorum suorum qui ipsum superarunt, quorum ipse vitæ institutum est imitatus: Non est, inquit, ô filij, quod à me fit admirabile, si cõferatur cum iis quæ in vitâ gesta sũt à patribus nostris. Et cùm narraret nobis Copres presbyter, quæ rectè & ex virtute gesta fuerant à patribus, vnus ex fratribus nostris dormitans, vt qui iis quæ dicebantur fidem nequaquam haberet, videt in eius manibus librum admirabilem, scriptum litteris aureis, & canum virum adstantem, & minaciter ei dicentem: Non audis attentè lecturam, sed dormitas? Is autem conturbatus, nobis eum audientibus, statim quod audierat & viderat Romanè exposuit. Eo autem hæc nobis adhuc dicente, venit quidam rusticus habens calathum arenæ, qui exspectabat donec impleſset narrationem: rogauimus autem nos presbyterum, Quid sibi vult rusticus cum arenâ? nobis respondit pater, dicens: Filioli mei, non oportebat me gloriari apud vos, neque ea enuntiare quæ gesta sunt à patribus; ne mente elati amittamus

Copres presbyter multorum morborum curator.

Dormitans in spirituali colloquio, diuinitus increpatur.

mus mercedem: propter studium autem vestrum & vtilitatem, quòd tam procul ad nos venistis, non fraudabo vos vtilitate; sed quæ per nos Seruator gessit, narrabo præsentibus fratribus.

Sterilitas fide fugatur.

Sterilis erat ager qui est prope nos, & rustici qui ipsum possidebant, seminantes, vix semen duplicatum metebant: vermis enim nascens in spicâ, totam messem corrumpebat. Agricolæ autem catechismo à nobis instituti, & effecti Christiani, rogarunt nos vt oraremus pro messe. Dixi autem eis: Si habetis fidem in Deum, vel arena deserti fructum vobis afferet. Ij autem nihil cunctati, cùm hac arenâ, quæ à nobis calcatur, sinus impleſſent, attulerunt, rogantes vt benediceremus. Postquam autem sum precatus, vt illis fieret secundùm ipsorum fidem, ipsi eam cum frumento se[mi]narunt in aruis suis: & repentè eorum ager ita multiplicauit fructum, vt omnem superaret Ægyptum. Hoc ergo facere soliti, nobis quotannis exhibent molestiam. Vnum autem, inquit, magnum miraculum præbuit mihi Deus multis præsentibus. Cùm enim in ciuitatem aliquando descendissem, inueni quemdam virum Manichæum qui populos seduxerat: cùm autem non possem ei publicè persuadere, dixi conuersus ad multitudinem: Magnum rogum in plateâ accendite, & ingrediamur in flammam; & qui ex nobis illæsus à flammâ manserit, is habet bonam fidem. Postquam autem hoc factum est, & turbæ rogum citò accenderunt, ipsum mecum trahebant in ignem. Is autem dicit: Vnusquisque seorsum ingrediatur: debesque primus ingredi qui iussisti. Cùm autem in nomine Christi signatus essem ingressus, flamma in hanc & illam partem diuisa, me nullâ affecit molestiâ, cùm semihoram in eâ essem moratus. Turbæ autem viso miraculo exclamarunt, & cogebant illum pyram peruadere: is autem nolebat, timore affectus. Cùm eum autem accepissent populi, in medium protruserunt; & totus flammâ ambustus, eiectus est è ciuitate, clamantibus populis: Planum viuentem exurite. Me autem turbæ accipientes, & laudibus prosequentes, deduxerunt in ecclesiam.

Miraculo fidem probat Copres.

Cruce signatus Copres non læditur ab igne.

Idololatras ad fidem conuertit.

Cùm autem ego aliquando per quoddam templum transirem, quidam ex gentibus suis idolis sacrificabant. Dixi autem eis: Cur cùm sitis participes rationis, sacrificatis ijs quæ carent ratione: vosque estis de cetero ijs magis expertes rationis? Illi autem, vt qui rectè dixissem, me statim sunt secuti, credentes Seruatori.

Cùm autem esset mihi aliquando hortus in agro propinquo, propter eam quæ ad nos veniebat fraternitatem, & quidam pauper eum operaretur; ingressus est quidam gentilis, vt furaretur olera: vbi verò ea suffuratus recessisset, eaque tribus horis non potuisset coquere; sed mansissent in lebete qualia acceperat, vtpote quòd aqua minimè calefieret; vir se colligens, accepta olera ad nos detulit, rogans vt sibi condonaretur erratum; & vt fieret Christianus; quod etiam factum est. Erant autem hac ipsâ horâ hospites, fratres qui ad nos venerant: propter quos tempestiuè admodum ad nos allata sunt olera. Quæ cùm comedissemus, egimus Domino gratias, duplici acceptâ lætitiâ, & ex salute hominis, & ex refectione fratrum.

Olera furto rapta coqui non possunt.

Vita abbatis SVRI. CAP. LV.

Ruff. l. 2. cap. 10.

ABBAS autem Surus, inquit, & Isaias, & Paulus sibi inuicem repentè occurrerunt ad fluuium, viri pij & egregij exercitatores, inuisuri magnum abbatem Anuph. Distabat autem eorum interuallum tribus mansionibus; & dicunt ad se inuicem: Ostendat vnusquisque nostrûm suum vitæ institutum, & quemadmodum fuit in hac vitâ à Deo honoratus. Abbas autem Surus dixit eis: Peto à Deo donum, vt nos virtute spiritus indefessi ad locum perueniamus: & cùm ipse solùm orasset, inuentum est protinus paratum nauigium, & ventus secundus, & momento temporis inuenti sunt in loco, cùm aduerso flumine nauigassent.

Surus oratione via subsidia impetrat.

Vita abbatis ISAIÆ. CAP. LVI.

Ruff. lib. 2. cap. 10.

ISAIAS autem dicit eis: Et quid mirum, ô amici, si vir nobis occurrerit, qui vitam narret vniuscuiusque?

Vita abbatis PAVLI. CAP. LVII

Ruff. l. 2. cap. 16.

PAVLVS autem dicit eis: Si Deus nobis reuelauerit, quòd post tres dies assumit hominem? Cùm autem paulò vlteriùs processissent, vir eis obuiàm factus eos salutat; Paulus autem ei dicit: Dic nobis quæ rectè gessisti; nam post crastinum diem abibis ad Deum.

Vita abbatis [103] ANVPH. CA. LVIII

Ruffin. l. 2. cap. 10.

DIXIT autem eis Anuph: Benedictus Deus, qui mihi hæc quoque significauit, & vestrum vitæ institutum & aduentum. Cùm autem dixisset quæ vnusquisque eorum rectè gesserat, exposuit deinceps, quæ ipse fecerat, dicens: Ex quo Seruatoris nomen professus sum in terrâ, ex ore meo non est egressum mendacium; humani cibi nihil sumpsi, me cælesti alimento alente

Anuph nunquam mentitus.

alente quotidie Angelo: nullius alterius rei cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei: nihil ex rebus terrenis occultauit mihi Deus, quod non significauerit & ostenderit mihi. Non interdiu somnum cepi, non noctu requieui, Deum quærens: vna mihi semper adfuit Angelus, mundi ostendens potestates: lumen cogitationis meæ numquam fuit extinctum: omnem petitionem accepi à Deo protinus. Vidi sæpenumerò Deo assistentes myriades Angelorum, vidi choros iustorum, vidi martyrum congeriem, vidi monachorum vitæ institutionem: vidi opus autem omnium Deum laudantium. Vidi satanam igni traditum, vidi angelos eius punitos, vidi iustos lætantes in æternum. Hæc & multa alia narrans, tertio die tradit animam: eamque statim suscipientes Angeli & chori martyrum in cælos sustulerunt, ipsis videntibus, & hymnos audientibus.

Anuph assistentem semper habuit Angelum.

Anima eius ab Angelis ad cælos defertur

CAP. LIX.

Vita abbatis [104] HELLENIS.

Ruff. lib. 2. cap. 11.

QVIDAM autem alius pater, qui vocabatur abbas Hellen, cùm ab ineunte ætate se fortiter exercuisset, sæpenumerò ignem gestabat in sinu, incitans eos qui propè erant fratres ad ostendenda signa, dicens eis: Si vos verè exercetis, virtutis signa de cetero ostendite. Aliquando autem cùm per se esset in solitudine, incessit eum mellis desiderium: cùm verò illicò fauos inuenisset sub petrâ, dixit: Recede à me intemperans cupiditas. scriptum est enim: Spiritu ambulate, & desiderium carnis non perficietis. eisque relictis abijt. Cùm autem iam tres hebdomadas ieiunasset in solitudine, inuentis qui disiecti erant fructibus, dixit: Non comedam, neque attingam aliquid ex ijs; ne fratrem meum scandalizem, nempe meam animam. scriptum est enim: Non in alimento solùm viuit homo. Cùm autem adhuc aliam ieiunasset hebdomadam, posteà dormitauit: & veniens Angelus in somnis, ei dixit: Surge & tolle ea quæ inueniuntur, & comede. Is autem surrexit, & circumquaque aspiciens, videt fontem in orbem herbas delicatas germinasse. Cùm autem & potum sumpsisset, & comedisset olera, affirmabat nihil vmquam sibi fuisse iucundius. Cùm paruam autem speluncam in loco inuenisset, mansit illic paucos dies ieiunus. Vbi autem egebat alimento, orabat flexis genibus: ei autem protinus apponebantur esculenta omnia, & panis calidus, & oliuæ, & varij fructus.

Gal. 5.

Abstinendum à cibo ne lædatur anima.

Matth. 4. Lucæ 4.

Aliquando autem inuisit fratres suos: & cùm eos multùm monuisset, contendebat in desertum, afferens quædam ad vsum necessaria. Cùm autem vidisset quosdam onagros pascentes, ait ipsis: In nomine Iesu Christi, veniat vnus ex vobis, & suscipiat onus meum. Is autem statim ad ipsum accessit. Cùm autem supellectilem ei imposuisset, & ei insedisset, vno die peruenit ad speluncam. In sole verò ab eo positis panibus & fructibus, cùm ad ea venissent feræ, vt solent ad fontem, & panes solùm tetigissent, mortuæ sunt.

Helleni onager obedit.

Accessit autem aliquando ad quosdam monachos, cùm esset dies Dominicus, & dixit eis: Cur hodie non egistis synaxim? Cùm ij autem apertè dicerent: Eò quòd non venerit presbyter. Dixit autem eis: Ego ibo & eum vocabo. Ij autem dixerunt, non posse aliquem transmittere alueum propter altitudinem. Quinetiam dicebant eo in loco esse beluam maximam, nempe crocodilum, qui multos homines cõsumpserat. Is autem non cunctatus, statim surgens profectus est ad vadum: quem cùm belua statim tergo excepisset, ad partem ripæ vlterioris transuexit. Cùm autem in agro inuenisset presbyterum, rogauit ne despiceret fraternitatem. Ille autem eum videns multis consutis pannis obsitum, rogauit vndenam pannum habuisset, dicens: Habes vestem animæ pulcherrimam, ô frater; eiusque humilitatem & frugalitatem admiratus, eum secutus est abeuntem ad fluuium. Cùm autem quâ transueherentur cymbam non inuenissent, vocem emisit abbas Hellen, aduocans crocodilum. Is autem ei statim obediens aderat, tergum substernens: rogauit autem presbyterum, vt cum eo ascenderet; is verò timore affectus, cùm vidisset beluam, retrocessit. Cùm autẽ eum teneret admiratio, & eos qui trãs fluuiũ habitabant fratres, videntes eum cum beluâ transmittentem alueum; ille ascendens in terram, vnà secum attraxit beluam, dicens, melius esse ei vt moreretur, quàm interemptarum animarum acquireret supplicium. Ea autem cadens, protinus est mortua.

Celebranda synaxis & sumenda Eucharistia die Dominico.

Crocodilo vehitur Hellen.

Tres autem dies permanens apud fratres, sedebat, docens eos præcepta, & quæ erant occulta vniuscuiusque consilia apertè enuntians: hunc quidem dicens vexari à fornicatione, illum verò à vanâ gloriâ, alium à delicijs, alium ab irâ, & alium quidem pronũtiabat esse mitem, alium verò pacificum: illorũ quidem vitia, horum verò virtutes arguens. Hæc autem audientes, mirabantur dicendo reuerà ita esse. Eis autem dixit: Parate nobis olera, hodie enim ad nos venient plures fratres. Cùm illi autem adhuc pararent, superuenientes fratres se inuicem salutarunt.

Fratrum occultas cogitationes & tentationes nouit.

Rogauit autem eum quidam ex fratribus, volens vnà cum eo degere in deserto. Eo autem

tem dicente, non posse illum sustinere tentationes dæmonum, is contentiosiùs se omnia toleraturum asseuerauit. Cùm eum autem excepisset, iussit habitare in aliâ speluncâ. Ad eum autem noctu aduentantes dæmones, eum suffocare aggrediebantur, cùm eum primùm turpibus perturbassent cogitationibus. Ille autem excurrens renuntiauit abbati Heleni quæ euenerant. Ipse autem cùm loco figuram impressisset, iussit eum deinde manere securè. Cùm autem aliquando panes ei defecissent in speluncâ, aduentans Angelus in figurâ fratris ei attulit nutrimentum.

Angelus panem esurienti ministrat.

Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die ieiuni permanentes: cùm verò eos inuenisset, iussit in speluncâ quiescere; illi verò eum victus admonuerunt. Ille qui nihil habebat quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens de pontone ipsis orantibus pulsauit fores. Cùm autem aperuisset, viderunt adolescentem habentem magnam sportam panis & oliuarum. Ijs autem susceptis, comederunt, Deo agentes gratias, cùm adolescens statim euanuisset. Hæc & alia multa miracula cùm nobis narrasset pater Copres, nosque benignè & humaniter tractasset, induxit in suum hortum, ostendens nobis palmas, & alias arbores frugiferas quas ipse plantauit in solitudine, admonitus à fide rusticorum, quibus dixit: Potest desertum fructus producere ijs qui fidem habent in Deum. Postquam enim vidi, aiebat, eos qui arenam seminauerant, & eorum agrum fructum tulisse, ipse quoque idem aggressus, idem sum consecutus.

Parat Deus mensam in deserto.

Desertum fidentibus fructus producit.

CAP. LX.

Vita abbatis 105 APELLE.

Ruff. l. 2. cap. 15.

VIDIMVS autem alium quoque presbyterum in partibus superioris regionis, Apellem nomine, virum iustum, qui fabricæ ærariæ artem primùm tractauit, & exinde conuersus est ad exercitationem. Is cùm ad eum venisset diabolus in figurâ muliebri, quo tempore ad vsum monachorum quædam tractabat fabrilia; ferreâ laminâ ex igne raptâ, idque manu propter festinationem, totum eius vultum & corpus combussit, eamque audierunt fratres vlulantem in cellâ. Ab eo tempore vir ille semper manu tenebat ferrum ignitum, nec lædebatur. Is cùm nos benignè & humaniter accepisset, narrauit nobis de viris præclaris & Deo dignis qui cum eo fuerant, & erant adhuc superstites.

Apelles faber ferrarius.

Dæmonem mulieris specie apparentem ferro ignito abigit.

Vita alterius 106 IOANNIS.

Ruff. l. 2. c. 15.

EST, inquit, in hac solitudine frater noster, nomine Ioannes, alterius quidem iam ætatis, omnes autem monachos superans virtutibus: quem nemo potest citò inuenire, quòd semper in solitudinibus locum loco commutet. Is primùm stans tres annos sub quadam rupe, orans perpetuò, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffurabatur, & Dominicâ solùm sumens Eucharistiam, afferente ei presbytero, nihil aliud comedebat. Atque adeò cùm quodam die se satanas transfigurasset in presbyterum, ad eum abibat celeriùs, præ se ferens se ei velle dare Eucharistiam. Cùm eum autem agnouisset beatus Ioannes, dixit ei: O omnis fraudis & malitiæ pater, inimice omnis iustitiæ, non cessabis decipere animas Christianorum: sed audes sanctis insultare Sacramentis? Is autem ipsi respondit: Parum abfuit quin te deiectum lucrifecerim; nam sic quoque seduxi quemdam ex tuis fratribus, & mente motum deduxi ad insaniam. Pro quo cùm multi iusti multùm rogassent, vix potuerunt efficere vt esset sanæ mentis. Hæcque cùm dixisset dæmon, ab eo recessit.

Ioannes assiduè stans.

Solâ Eucharistiâ die Dominicâ sumptâ viuit.

Satanæ presbyterū simulanti resistit.

Cùm autem essent disrupti eius pedes ex eo quòd tanto tempore stetisset immobilis, & exiret sanies, aduenìens Angelus, tetigit eius corpus, dicens: Christus erit tibi verus cibus, & sanctus Spiritus verus potus; interim autem tibi sufficit spiritale nutrimentum, ne repletus euomas. & cùm eum curasset, dimouit à loco. Deinceps autem vitam egit in solitudine, circumiens, & herbis vescés: Dominicâ autem inueniebatur in eodem loco sumens Cõmunionem. Cùm paucos autem palmæ ramos petisset à presbytero, efficiebat cingula animalibus. Cum verò vellet quidã claudus ad eũ venire vt curaretur, & asinum solummodò inscendisset, vbi primùm eius pedes tetigère cingulum quod fuerat à sãcto viro factum, fuit illicò curatus. Aliàs autem ægrotis mittebat eulogias, & à morbis liberabantur protinus. Porrò autem reuelabatur de eius monasterijs, quòd quidam ex ijs qui sunt in ipsis, vitam non rectè instituũt, & per presbyterum ad cunctos scribit epistolas, quòd illi quidem sunt otio dediti, hi verò contendunt ad virtutem; & inuenta est sic se habere veritas. Scribit autem ad eorum quoque patres, quòd quidam ex his sunt de fratrum salute minùs solliciti, alij verò eos quantum satis est hortantur, annuntiauitque vtrorumque honores & supplicia. Et rursus alios quoque prouocans ad statum perfectiorem, admonebat vt à sensilibus se trans-

Angelus pedes eius disruptos sanat.

Curatur claudus attactu cinguli à Ioanne confecti.

Fratrum varias conuersationes absens cognoscit.

transferrent ad ea quæ percipiuntur intelligentiâ. Tempus est enim, inquit, deinceps tale vitæ ostendere institutum. Non debemus enim, inquit, omni tempore permanere pueri & infantes, sed iam nos perfectioribus applicare cogitationibus, & magni & excelsi animi virtutem attingere, & ceteras maximas virtutes aggredi. Hæc & complura alia nobis pater de patre narrabat, quæ quidem, propterea quòd excedant miraculi modum, omnia non scripsimus: non quòd non sint vera, sed propter incredulitatem aliquorum. Nos autem satis de his certiores facti sumus, cùm multi & magni viri ea nobis narrauerint, qui suis viderunt oculis.

CAP. LXII

De abbate [108] PAPHNVTIO.

Ruff. lib. 2. cap. 16.

VIDIMVS autem locum quoque Paphnutij anachoretæ, viri magni & virtute prædíti: qui haud ita multò ab hinc tempore consummatus est in regione, quæ est circa Heracleotas Thebaidis, de quo multi multa narrarunt.

CA. LXIII

De TIBICINE.

Ruff. l. 2. cap. 16.

IS enim post multam exercitationem Deum rogauit, vt ei significaretur, cuinam ex ijs sanctis, qui se rectè gesserunt, esset similis. Angelus autem apparens ei dixit: Es similis tibicini qui degit in hac ciuitate. Is autem studiosè ad eum profectus, eius vitæ institutum ab eo est sciscitatus, & omnia eius vitæ facta est perscrutatus. Is autem ei dixit id quod etiam erat verum, se esse peccatorem, & ebriosum, & scortatorem; haud ita longo autem abhinc tempore, se ex arte latrocinandi eò contulisse. Cùm autem accuratè examinaretur, quidnam vmquam rectè ab eo gestum esset, dixit se nullius rei honestæ sibi esse conscium, nisi quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Christi virginem, cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauerit, & noctu ad vicum vsque reduxerit. Rursus autem, inquit, inueni aliquando formosam mulierem errantem in solitudine, fugatam ab apparitoribus & curialibus præsidis & senatorum, propter publicum mariti debitum, & errorem suum deflentem. Sciscitatus sum autem ex eâ caussam fletus. Illa autem dixit: Ne me roges, domine, nec miseram examines; sed tamquam ancillam tuam abducas quò velis. Nam cùm maritus tempore biennij ob debitum publicum trecentorum aureorum sæpè fuerit flagellatus, & in carcere inclusus, & tres mihi charissimi filij venditi fuerint, ego recedo fugitiua, locum loco commutans: nunc autem etiam errans per solitudinem, sæpè inuenta, & assiduè flagellata, iam tres dies permansi ieiuna in solitudine. Ego autem eius sum misertus, inquit latro: & cùm eam deduxissem in speluncam, dedi ei trecentos aureos, & deduxi eam vsque ad ciuitatem, & eius maritum liberaui cum liberis, citra vllum probrum & contumeliam. Cui respondit Paphnutius: Ego quidem nullius rei talis mihi sum conscius, in exercitatione autem omnino audijsti me esse celebrem; non enim vitam traduxi in otio. mihi ergo Deus de te reuelauit, te rebus gestis nihilo me esse inferiorem: si ergo, ô frater, non parua à deitate tui habetur ratio, ne tuam animam temerè neglexeris. Is autem statim proiectis quos habuit in manibus tibijs, & lyræ musicæ harmoniâ in spiritalem traductâ melodiam, virum secutus est in desertum. Cùm autem tribus annis se pro viribus exercuisset, & in hymnis & orationibus vitæ suæ tempus peregisset, in cælum iter direxit, & cum choris Angelorum & iustorum ordinibus connumeratus, requieuit.

Paphnutius tibicini assimilatur.

Tibicen, antè latro, virginis pudorem tuitus est.

Afflictam feminam eleëmolynâ iuuit.

Monasticæ se addicit.

Nulli infructuosa est pœnitentia.

CAP. LXIV

De PROTOCOMITE.

Ruff. l. 2. cap. 16.

VBI ergo illum qui se exercuerat virtutibus, priùs ad Deum misit, maiori & accuratiori vitæ instituto, quàm priùs esset, sibi imposito, rogauit Deum, vt sibi significaretur, cuinam ex sanctis esset similis: & rursus vox diuina ad eum facta est, dicens: Es similis vicini pagi protocomiti. Is autem ad eum abijt celerrimè: & cùm ipse pulsasset ostium, processit ille, vt ei mos erat, ad accipiendum hospitem. Et cùm pedes eius lauisset, & mensam apposuisset, hortatus est vt vesceretur. Cùm autem facta eius sciscitaretur, & ei diceret: Narra mihi, ô homo, institutum vitæ tuæ; multis enim monachis, vt mihi Deus ostendit, euasisti superior: ille dixit, se esse peccatorem, & indignum nomine monachorum. Cùm autem instaret percontari, homo respondit, dicens: Non habeo quidem necesse narrare ea quæ à me facta sunt; sed quoniam dicis te à Deo venisse, quæ mihi adsunt referam. Iam agitur trigesimus annus, ex quo me à meâ vxore separaui, cùm tribus annis solùm cum eâ habuissem consuetudinem, & tres ex eâ filios suscepissem, qui etiam mihi ad meos vsus inseruiunt; hospitalitatem autem numquam intermisi vsq; in hodiernum diem: non gloriatur aliquis ex comitibus se hospitē ante me excepisse. Nō egressus est pauper nec hospes ex meâ aulâ vacuis manibus, qui non priùs rationi conueniente esset viatico sustentatus. Non adspexi præteriens pauperem infortunio affectum, cui non suppeditarim quod satis fuit solatij. Non accepi personam filij mei in iudicio, non ingressi sunt in domum meam fructus

Paphnutio protocomes æquatur.

Protocomitis ad 30. annos in matrimonio continentia.

Eiusdem hospitalitas & eleëmosyna.

Incorrupta eius iudicia

fructus alieni, non fuit lis aliqua quam non composuerim & pacificauerim, non increpauit aliquis meos filios quòd se inhonestè gererent, non tetigerunt fructus alienos mei greges, non seminaui primus agros meos; sed cùm eos omnibus proposuissem communes, colligebam ea quæ erant reliqua. Non concessi vt pauper opprimeretur à potentiâ diuitis, non affeci aliquem molestiâ in vitâ meâ, numquam malum iudicium protuli in aliquem. Hæc à me esse facta Deo volente mihi sum conscius. Cùm autem viri virtutes audiisset Paphnutius, eius caput osculatus est, dicens: Benedicat te Dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. In iis enim te rectè gessisti: vnum autem tibi restat quod est caput virtutum, nempe Dei omni ex parte sapiens cognitio, quam non poteris sine labore consequi, nisi cùm teipsum à mundo abnegaris, crucem accipias, & sequaris Seruatorem. Is autem vbi hæc audiit, statim nec suis quidẽ valere iussis, virum secutus est in montem. Et cùm venissent ad fluuium, scaphâ non inuentâ iussit Paphnutius eum flumen traiicere pedibus, quod propter altitudinem nemo illo tempore pedibus traiecerat. Cùm autem transiissent, & eis peruenisset aqua vsque ad cingulum, constituit eum in quodam loco. Cùm se autem separasset, Deum rogauit vt eiusmodi hominibus videretur præstantior. Non multo autem interiecto tempore, vidit viri animam assumi ab Angelis, Deum laudantibus & dicentibus: Beatus quem elegisti & assumpsisti: habitabit in atriis tuis. Et rursus iustis respondentibus & dicentibus: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalum. Et tunc cognouit virum esse mortuum.

Psal. 127. *Seculo valedicit.* *Eius anima ab Angelis in cælum defertur.* *Psal. 64.* *Psal. 118.*

De 109 MERCATORE. CAP. LXV.

Ruff. l. 2. cap. 6.

CVM autem perseueraret abbas Paphnutius Deum venerari precibus, & multiplicare ieiunia, rursus orauit vt sibi ostenderetur cuinam esset similis. Dicit ei rursus vox diuina: Similis es mercatori quærenti bonas margaritas: sed surge deinceps, & ne cunctare; tibi enim occurret vir cui es assimilatus. Cùm ille autem descendisset, vidit virum quemdam mercatorẽ Alexandrinum, pium & Christi amantem, vicies mille aureis negotiantem, cum centum nauibus descendentem ex superiore Thebaide, qui omnes suas facultates & merces distribuerat pauperibus. Is cum suis filiis decem saccos leguminum ad eum afferebat. Et quid hæc, ô amice? ei dixit Paphnutius. Is autem dixit ipsi: Sunt fructus meæ mercaturæ, qui Deo offeruntur ad iustam refectionem. Quid autem hæc, inquit ipsi Paphnutius, & tu nostro nomine non frueris? Is autem confessus est se ad id studiosè contendere. Ei respondit Paphnutius: Quousq; ergo tu terrenam exerces negotiationem, nec cælestia attingis mercimonia? Sed hæc quidẽ es aliis dimissurus: tu verò iis te adiungens quæ sunt maximè opportuna, sequere Seruatorem, ad eum venturus paulò pòst. Is verò nihil differens, iussit filios suos reliqua diuidere pauperibus; ipse autem cùm in montem ascendisset, & seipsum in eo loco inclusisset, vbi duo priores consummati fuerant, perseuerabat in orationibus. Paruo autem elapso tempore, relicto corpore factus est ciuis cælestis. Postquam autem eum quoque præmisit in cælos, ipse etiam despondit animum, vt qui se non posset ampliùs exercere. Assistens autem Angelus ei dixit: Huc deinceps accede, veni tu quoque, ô beate, in æterna Dei tabernacula: venerunt enim prophetæ te in suos choros accepturi. Hoc autem non tibi priùs declaraui, ne si fuisses elatus, de tuis detraheretur meritis. Cùm ergo vno solo die superuixisset, & per reuelationem ad eum venissent quidam presbyteri, omnibus illis narratis, tradidit animam. Apertè autem videntes presbyteri eum assumi in choris iustorum & Angelorum, Deum laudabant.

Mercator Alexandrinus pauperibus maximè deuotus Paphnutio æquatur. *Seculo renuntiat.* *Feliciter obit.* *Felix Paphnutij obitus.*

Vita abbatis 110 APOLLONII. CAP. LXVI.

Ruff. l. 2. cap. 19.

FVIT in Thebaide quidam monachus, nomine Apollonius. Is plurimas ostendit virtutes & facta egregia. dignus quoque fuit habitus dono doctrinæ supra multos qui tunc fuêre insignes virtutibus. Is in tempore persecutionis addens animum Christi confessoribus, multos effecit martyres. Porrò autem ipse quoque comprehensus custodiebatur in carcere; ad quem veniebant qui ex gentibus erant nequiores, & cum eo disputabant, incessebantque maledictis, & irridebant.

Apollonius martyrum adhortator.

De 111 PHILEMONE martyre, & iis qui cum ipso fuêre martyribus. CAP. LXVII.

Ruff. l. 2. cap. 19.

ERAT autem quidam ex ipsis choraules, vir nequitiis famosus, qui accedens eum appetebat contumeliis, dicens eum impium & impostorem, & planum, & qui ab omnibus habebatur odio, & qui debebat mori citiùs. Cui dicit Apollonius: Miserebitur tui Dominus, ô homo: & eorum quæ dicta sunt, nihil tibi reputetur ad peccatum. Hæc autem cùm audiisset ille choraules, Philemon nomine, mordebatur animo, à verbis eius compunctus. Statim autem ad tribunal profectus, coram iudice se sistit, & ei dicit populo præsente: Iniustè facis, ô iudex, qui

Philemon choraules per Apollonium ad fidem conuertitur.

viros pios & nulli culpæ affines punis. nihil enim mali faciunt nec dicunt Christiani. Ille autem cùm ipse hæc diceret, in principio quidem existimabat eum loqui ironicè & ludificari; postquam autem eum vidit persistere, Insanis, inquit, ô homo; & mens tibi repentè est emota. Ille autem, Non insanio, inquit, ô iudex iniustissime: sum enim Christianus. Is autem multis blanditiis vnà cum turbâ ei conabatur persuadere: postquam autem vidit immobilem, ei omne genus tormenta adhibuit. Cùm autem rapuisset Apollonium, & multis eum affecisset contumeliis, ipsum torquebat tamquam planum. Apollonius autem ei dixit: Optarem, ô iudex, vt tu & omnes præsentes hunc meum errorem sequeremini. Is autem eo hæc dicente, iussit ambos igni tradi toto inspiciente populo. Cùm autem in flammâ essent præsente iudice, vocem ad Deum emittit beatus Apollonius, toto populo audiente & iudice: Ne tradas Domine bestiis animam confitentem tibi, sed teipsum nobis apertè ostende. Nubes autem roscida & lucida adueniens, viros texit, igne extincto. Admiratæ autem turbæ & ipse iudex, clamabant: Vnus est Deus Christianorum; maleficus verò quispiam hæc renuntiat præfecto Alexandriæ. qui cùm crudeles quosdam & immanes elegisset protectores & apparitores, eos misit vt vinctos adducerent iudicem & Philemonem. Ducebatur ergo vnà cum eis Apollonius, & quidam alij confessores. Cum omnes autem iter ingrederentur, eum inuasit gratia, & cœpit docere milites. Vbi autem ipsi quoque compuncti crediderunt Seruatori, erant omnes vno animo vincti. Quos omnes cùm vidisset præfectus à fide non posse dimoueri, iussit proiici in profundum maris: hoc autem fuit eis signum Baptismatis. Cùm eos autem sui inuenissent disiectos in littore, fecerunt omnibus ædem vnam, vbi nunc multæ virtutes peraguntur. Tanta autem fuit viri gratia, vt de iis quæ esset precatus, statim exaudiretur, eum sic honorante Seruatore. Quem etiam nos in [112] martyrio precati, vidimus cum iis qui cum ipso fuerunt martyrio affecti, & Deum adorantes, eorum [113] tabernacula salutauimus in Thebaide.

Vterque igni traditur.

Psal. 73.

Nubes vtrumque tegit, & ignem extinguit.

Submerguntur cum multis aliis.

Miracula eduntur ad eorum reliquias.

Cap. LXVIII. *Vita abbatis* [114] Dioscvri *presbyteri.*

Ruff. l. 2. cap. 20.

Quæ pollutio nocturna Communionem impediat.

Vidimvs autem alium quoque presbyterum in Thebaide, nomine Dioscurum, patrem centum monachorum. qui cùm ad Dei gratiam essent accessuri, dicebat eis: Videte ne qui noctu phantasiam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta Sacramenta. Ne quis ex vobis visis & phantasiis pulsus somniauerit. nam qui absque phantasiis fiunt fluxus seminis, casu fiunt; nec ex vniuscuiusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate: procedunt enim ex naturâ, & ex redundanti materiâ excernuntur, quocircà nec sunt peccato obnoxij: visa autem ac phantasiæ procedunt ex liberâ eligendi voluntate, & sunt argumentum mali animi. Oportet autem, inquit, monachum transilire etiam legem naturæ; corpus autem liquare, nec inueniri in vllo inquinamento carnis, sed carnem macerare, & non concedere vt in ipsâ redundet materia. Conamini ergo illam exhaurire frequẽtibus & prolixis ieiuniis, sin minùs autem, nos ad appetitiones & desideria incitât. Non oportet autem monachum attingere appetitiones animi. In quo enim differet à mundanis, quos sæpè videmus abstinere à voluptatibus propter sanitatem corporis, aut propter aliquas alias caussas à ratione minimè alienas? quantò autem magis, inquit, monacho curanda est animæ sanitas & spiritus?

Corpus prolixis ieiuniis exinaniendũ.

[115] Nitrienses *Anachoretæ.* Ca. LXIX.

Ruff. l. 2. cap. 21.

Devenimvs quoque ad Nitrienses, vbi multos & magnos vidimus anachoretas; partim quidem indigenas, partim verò etiam hospites, qui se inuicem superabât virtutibus, & magno studio se exercebant, & in vitâ se inuicem contendebant superare. Et alij quidem ex ipsis versabantur in contemplatione, alij verò in actione. Cùm vidissent autem aliqui ex ipsis nos procul venientes, aliqui quidem nobis cum aquâ occurrerunt; & alij quidem pedes nostros lauabant, alij verò vestes mundabant, alij verò ad cibum inuitabant, alij autem ad contemplationem & Dei cognitionem, & quod vnusquisque ex iis poterat, in eo studebat nos iuuare. Et quid dixerit quispiam omnes eorum virtutes, cùm nihil possit dicere pro dignitate? Habitant itaque locum desertum, & habent cellas magno inter se interuallo disiunctas, vt nullus possit procul agnosci ab altero, neque citò videri, nec vox audiri: sed degunt in multâ quiete, vnusquisque per se inclusus. Solùm autem Sabbato & Dominico congregantur in ecclesiis, & seinuicem excipiunt. Multi autem ex iis sæpè etiam quatuor dies inueniuntur in cellis, eo quòd se inuicem non videant, prætersquam in collectâ. Et alij quidem ex his veniebant ad collectam à tertio & quarto lapide, tam longè sunt remoti à se inuicem. Tantam autem habent inter se charitatem, etiam supra reliquam fraternitatem, vt multis

Nitriensium anachoretarum varia studia.

Eorum hospitalitas.

Quies & silentium.

Cellæ custodia.

multis qui cum ipsis salui esse voluerint, vnusquisque studeat suam cellam eis dare ad se reficiendum.

De Abbate [116] AMMONIO & iis, qui erant cum ipso.

CAP. LXX.

VIDIMVS autem patrem quoque eorum qui illic erant, nomine Ammonium, habentem eximias cellas, & atrium, & puteum, & reliqua necessaria. Cùm autem ad eum venisset quidam frater qui volebat saluus fieri, & ei diceret vt ipsi inueniret cellam ad habitandum, illicò egressus, præcepit ei ne egrederetur è cellis, donec ipsi inuenisset aptum habitaculum: & cùm ipsi reliquisset omnia quæ habebat, cum ipsis cellis, seipsum inclusit in paruam cellam. Quòd si plures erant qui conueniebant volentes salui fieri, congregabat vniuersam fraternitatem, & illo quidem tradente lateres, hoc verò aquam, perficiebantur cellæ in vno die. Eos autem qui erant habitaturi in cellis, in ecclesiam vocabant ad conuiuia: dumque illi se recreant & exhilarant, vnusquisque cùm è suâ cellâ ouillam suam pellem aut sportam pane vel ceteris impleslet necessarijs, deferebant ad nouas cellas, vt nulli nota esset vniuscuiusque oblatio. Noctu autem venientes habitaturi suas cellas, repentè inueniebant omnia necessaria. Multi autem ex ipsis neque panem comedebant nec fructus, sed solùm intyba agrestia. Quidam autem ex ipsis totâ nocte non dormiebant: sed sedentes vel stantes vsque ad manè, perseuerabant in oratione.

Institutum vitæ monasticæ Ammonij. *Egregia hospitalitas.* *Mira abstinentia.*

Vita abbatis [117] ISIDORI & eorum qui erant cum ipso.

CA. LXXI. Ruff. l. 2. cap. 17.

VIDIMVS autem in Thebaide monasterium cuiusdam magni Isidori, quod intus habebat mille monachos. Habebat autem intus puteos & hortos, & quæcumque sunt ad vsum necessaria, nemine egrediente extra monasterium: sed erat presbyter ianitor, qui nullum permittebat egredi, neque alium ingredi, præterquam si quis vellet vsque ad mortem illic permanere nusquam progrediens. Porrò autem eos qui portam ingrediebantur, in paruo habitaculo excipiebat hospitio: & cùm manè dedisset eulogias, in pace deducebat. Duo autem ex ipsis presbyteri solùm exibant, opera fratrum administrantes, & referebant ea quæ erant ipsis ad vsum necessaria. Dixit autem mihi is qui portam custodiebat presbyter, eos qui intus sunt sanctos esse tales, vt possint omnes signa efficere: & neminem ante decessum in morbum incidere; sed quando vniuscuiusque venisset translatio, id omnibus prius significantem, & se reclinantem, dormire.

Monasterium mille monachorum. *Presbyter ianitor.* *Clausura monasterij S. Isidori.*

Vita abbatis [118] AMMONA presbyteri.

CAP. LXXII. Ruff. l. 2. cap. 32. cui dicitur Piammon.

EST autem alia quoque solitudo in Ægypto, maritima quidem, sed difficillima, in quâ multi & magni habitant anachoretæ; quæ est prope vrbem Diolcon. Vidimus autem illic presbyterum virum sanctum & valdè humilem, & assiduè videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo [119] sacrificium, videt Angelum stantem à dextris altaris, & notantem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Eum sæpe torquentes dæmones in tantam adduxerunt imbecillitatem, vt non posset ipse stare ad aram, nec offerre: Angelus autẽ veniens, eius manu apprehensâ, protinus eum confirmauit, & sanum ad aram statuit. Cuius tormenta cùm vidissent fratres, obstupuerunt.

Angelus notans in libro fratres accedentes ad Communionem. *Ammonas æger curatur per Angelum.*

De abbate [120] IOANNE.

CAP. LXXIII. Ruff. li. 2. cap. 33.

VIDIMVS autem alium quoq; in Diolco, Ioannem nomine, patrem monasteriorum, qui ipse quoque multam habebat gratiam, & Abrahæ habitum, & barbam Aaron. Efficiebat autem virtutes atque curationes, & qui multos curauit paralyticos & podagrâ laborantes.

Vita abbatis [121] PITYRIONIS & eorum qui cum ipso erant.

CAP. LXXIV. Ruff. l. 2. cap. 31.

VIDIMVS autem in Thebaide altum montem fluuio imminentem, valdè terribilem & præcipitem: & monachos illic viuentes in speluncis. Eorum autem pater erat nomine Pityrion, qui fuit vnus ex discipulis Antonij, & tertius qui illũ locum excepit; qui quidem multas virtutes efficiebat, & efficaciter spiritus expellebat. Cum enim successisset Antonio & eius discipulo Ammonæ, meritò etiam successit hereditati donorum: qui multos quidem alios quoque apud nos habuit sermones, quinetiam de discretione spirituum accuratè disseruit, dicens esse aliquos dæmones qui sequuntur animi motus, & nostras affectiones ad malum sæpè conuertunt. Quisquis ergo, ô filij, dicebat is nobis, vult exigere dęmones, prius in seruitutem redigat affectiones animi: qualem enim quis superarit affectionem, eius quoque expellit dæmonem. Oportet autem vos paulatim vincere affectiones, vt earum expellatis dæmones. Sequitur gulam dæmon. Si quis ergo gulam superauerit, expel-

Monachi in speluncis. *Qui affectionibus dominatur, dæmones fugare potest.* *Pityrio bis tantùm in hebdomade comedens.*

lit eius dæmonem. Is autem comedebat bis in hebdomadâ, Dominicâ & quintâ feriâ, [122] paruam pultem ex farinâ: nec poterat aliquid aliud sumere, propterea quòd suum habitum ita formasset.

CAP. LXXV.

Vita [123] EVLOGII *presbyteri*.

Ruff. l. 2. cap. 14.

Mentem communicantium cognoscebat Eulogius.

Singulis accedentibus impedimenta Communionis prædicit.

VIDIMVS autem alium quoque presbyterum, nomine Eulogium, qui in offerendis Deo donis, tantam accepit gratiam cognitionis, vt vniuscuiusque ex iis qui accedebant monachis mentem cognosceret. Is cùm sæpè vidisset aliquos monachos ad arã accessuros, eos retinuit, dicens: Quomodo audetis ad sancta accedere Sacramenta, cùm habeatis malas cogitationes? Et tu quidem hac nocte animo versasti turpem fornicationis cogitationem; alius autem in animo suo reputauit, dicens nihil referre an peccator an iustus accedat ad Dei gratiam; alius autem de dono dubitauit, dicens: Numquid me accedentem sanctificabit? Parum ergo secedite à sanctis Sacramentis, & ex animo agite pœnitentiam, vt sit vobis remissio peccatorum, & sitis digni Christi communione. Nisi enim primùm mundaueritis cogitationes, non poteritis ad Christi gratiam accedere.

CAP. LXXVI.

Vita [124] SERAPIONIS *presbyteri*.

Ruff. l. 2. cap. 18.

Serapion decem millium monachorum pater.

Quæ ex labore fratres cõquirunt, in pauperes distribuit.

VIDIMVS verò etiam in partibus Arsenoitæ presbyterum quemdam, nomine Serapionem, patrem multorum monasteriorum, & qui præest multæ fraternitati, vt qui sint decies mille numero, magnamque per fratres exequitur dispensationem, cùm omnes simul, tempore messis, omnes suos fructus ad ipsum afferant, quos pro messis mercede acceperunt, vnusquisque frumenti annuas duodecim [125] artabas, qui sunt veluti quadraginta qui apud nos dicuntur modij: & ea ad ministerium pauperum per se dispensat, adeò vt deinceps in eâ quæ est circumcircà regione nullus sit pauper, sed etiã mittat ad eos qui sunt Alexandriæ pauperes. Sed neque prædicti patres per totam Ægyptum vmquam neglexerunt hanc administrationem; sed ex laboribus fraternitatis, nauigia plena frumento & vestimentis pauperibus miserunt Alexandriam, propterea quòd rari essent apud ipsos qui egerent.

CAP. LXXVII.

Vita abbatis POSIDONII.

Posidonius totus mitis.

POSIDONII Thebani multa quidem sunt, eaque narratu difficilia, quemadmodum erat mitis, & in se exercendo acerrimus, & quanta fuerit in eo innocentia. nescio an vllum talem conuenerim. Vixi enim cum eo anno vno in Bethleem, quando se dit vltra [126] Porphyrium, & multas vidi eius virtutes; atq; inter cetera ipse mihi quodam die narrauit: Cùm habitarem, inquit, in loco Porphyrite anno vno, toto anno nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem gustaui; nisi si quando paucis vterer dactylis, & sicubi herbas inuenire agrestes. Quo quidem tẽpore cùm mei panes aliquando defecissent, egressus sum è speluncâ, vt venirem in orbem terræ habitabilem, & cùm toto die ambulassem, vix aberam à speluncâ duo milliaria. Cùm ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præ se ferentem, habentem in capite galeam tiariferam: & cùm cõiectassem eum esse militem, profectus sum vsque ad speluncam, & inueni canistrum vuarum & ficuum nuper decerptarum: quem cùm accepissem, lætus veni ad speluncam, habens duobus mensibus cibos illos ad meam refectionem.

Cùm panis ei deesset, canistrum plenũ vuis & ficubus inuenit.

Hoc autem miraculum fecit beatus Posidonius in Bethleem. Quædam mulier grauida habebat spiritum immũdum, & in ipso tempore quo erat paritura, laborabat in partu, ipsam conterente spiritu. Cùm ergo à dæmone vexaretur mulier, aduenit eius maritus, & rogauit sanctum illum vt adesset: & nobis ingressis ad orandum, cùm stetisset & precatus esset, post secundam genuflexionẽ, eiecit spiritum. Surgens autem dixit nobis: Orate, modò enim expellitur immundus spiritus. oportet autem esse aliquod signum vt de eo fiamus certiores. Egrediens autem dæmon, diruit à fundamento totum aulæ parietem. Mulier autem sexennio non fuerat locuta: postquam autem egressus est dæmon, & peperit, & locuta est.

Curat mulierem grauidam à spiritu immundo.

Dæmon egrediens dat signũ.

CAP. LXXVIII.

De [127] HIERONYMO.

HVIVS sancti noui hanc quoq; prophetiam: Hieronymus enim quidam presbyter habitabat in illis locis, qui in sermone Romano magnâ erat virtute ornatus, & præclaro ingenio; sed tanta fuit eius inuidia, vt ab eâ obrueretur virtus doctrinæ. Cùm ergo multis diebus cum eo versatus esset sanctus Posidonius, dicit mihi in aurem:

CAP. LXXIX.

De [128] PAVLA.

INGENVA quidem Paula, quæ eius curam gerit, præmorietur liberata ab eius inuidiâ, Vt autem arbitror, propter hunc virum non habitabit vir sanctus in his locis, sed eius peruadet inuidia vel vsque ad proprium fratrem. Resque ita accidit.

CA. LXXX.

De OXYPERENTIO.

ETENIM beatum Oxyperentium Italum is hinc expulit.

De PE-

CAP. LXXXI.

De PETRO.

Et Petrum alium quemdam Ægyptium.

CAP. LXXXII.

De SIMEONE.

Et Simeonem, viros admirabiles, quos ego adnotaui.

Posidonius 40. annis pane abstinet.

Narrauit mihi hic Posidonius continentissimus & virtutis obseruantissimus, quòd quadraginta abhinc annis panem non gustasset, neque acceptæ iniuriæ sit recordatus vsque ad diei dimidium.

Hæc sunt certamina & signa præclari Christi athletæ Posidonij, quæ fecit prouidentia eius, quæ est omniū virtutū maxima: & in his est insignis finis vitæ huius beati.

CAP. LXXXIII.

Vita [129] SERAPIONIS Sindonitæ.

Serapion sindone tantùm indutus.

Fvit alius quidam Serapion Sindonites, (nam præter sindoné nihil vmquam induebat) qui exercuit magnam possessionum & facultatum vacuitaté: quam ob caussam & impassibilis vocabatur. Cùm esset autem imperitus litterarū, memoriter dicebat omnes Scripturas. Et neq; ob possessionum egestatem & Scripturarum meditationem, potuit in cellâ quiescere: non quòd traheretur à terrenâ materiâ, sed quòd Apostolicam vitam sectabatur, orbem terræ obiens exactissimam paupertatis virtutem præseferebat, sic vt perfectam impassibilitatem hic sit assecutus. natus enim erat hac naturâ: sunt enim naturarum, non substantiarum differentiæ.

Est Θεοδίδακτος.

Cautè lege.

Narrabant itaque patres, quòd cùm quemdam accepisset exercitatoré qui cum eo luderet, se in quadam vrbe gentilibus vendidit histrionibus viginti [130] solidis: & cùm recondidisset solidos sub sigillo, eos apud se seruabat. Tamdiu autem permansit & seruiit mimis qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, & eos áuulsit à theatro: præter pané & aquam nihil sumens, neq; præ meditatione Scripturarum ore silens: longo auté tempore primus compunctus est mimus, deinde mima, deinde vniuersa eorum familia. Dictum est autem, quòd quo tempore eum ignorabát, lauabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati, à theatro recesserunt: & cùm ad vitam honestam & piam processissent, virum valdè reuerebantur. Ei itaque dicunt: Adesdum, frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti à turpi seruitute. Dicit ergo eis: Quandoquidé Deus meus est operatus, & vos cooperati estis, & salua facta est vestra anima, vobis dicā mysteriū actus.

Se vèdidit mimis vt eos lucrifaceret Christo.

Ego vestræ animæ misertus quæ in multo errore versabatur, cùm essem liber exercitator, genere Ægyptius, eâ de caussâ meipsum vendidi, vt vos seruarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitaté salua euasit anima vestra, accipite aurū vestrū, vt etiam aliis opem feram. Illi autem cùm multùm rogassent & affirmassent, dicendo, Te tamquam patrem & dominum habebimus, solùm mane nobiscum; non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei: Da tu aurum pauperibus, nam id nobis fuit caussa salutis. Ait illis: Date vos illud, quia vestrum est; ego enim alienas pecunias non do pauperibus. Tum illi cohortātur eum, dicentes: Sed saltem post annū nos inuisas. Et sic ab iis abiit.

Aurum respuit.

Is frequentibus peregrinationibus peruenit in Græciam: & cùm tribus diebus moratus esset Athenis, non fuit qui ei panem præberet; nam neq; æs ferebat, neque peram, nó pellem ouillam, nó virgam, nihil horum: sed solâ sindone amictus erat. Cùm autem venisset quartus dies, valdè esuriit; nihil enim illo tempore gustauerat. Res est enim grauis fames inuoluntaria, quæ adiutricem habet incredulitatem. Et stans super tumulum ciuitatis, in quo congregabantur qui erát [131] in dignitate constituti in ciuitate, cœpit vehementer & cum planctu lamentari, & clamare: Viri Athenienses, ferte opem. Ad quem accurrentes omnes qui [132] pallium gestabát & byrrum, dicunt ei: Quid habes, vndénam es, & quid pateris? Is verò dicit ipsis: Genere quidem sum Ægyptius, monachus professione; ex quo autem absum à verâ meâ patriâ, incidi in tres fœneratores: & duo quidé à me recesserunt exsoluto eis debito, cùm non haberent de quo me accerserent; vnus autem à me non discedit. Illi ergo studiosè quærentes de fœneratoribus vt eis satisfacerent, ipsum rogabant: Vbi sunt? quis est qui tibi exhibet molestiam? ostende nobis eum, vt tibi feramus auxilium. Túc eis dicit: Molestiam mihi exhibuit auaritia, & gula, & fornicatio: & à duobus quidem sub liberatus, auaritiâ scilicet & fornicatione; neque enim aurum habeo, neque aliquid aliud possideo; non fruor deliciis quæ sunt nutrices huius morbi: quocircà nihil mihi exhibent ampliùs molestiæ. A gulâ autem nó possum recedere; iā enim quatuor diebus nihil comedi, & mihi pergit venter molestiā exhibere, quærens consuetum debitum, sine quo non possum viuere. Túc quidam philosophi suspicati eum composita quædā & ficta narrare, dant ei solidum: quem acceptum posuit in officinâ panariâ, & accepto pane recessit; statim profectus à ciuitate, & in eam non reuersus ampliùs. Túc cognouerūt philosophi eum verè fuisse virtute præditū; & cùm pistori dedisset pretium panis, acceperunt solidū.

Absque ere, absque perâ, absque pelle incedit.

Tres perniciosi fœneratores, auaritia, gula, fornicatio.

Gula importunus fœnerator.

Cùm autem venisset in loca Lacedæmonis proxima, andiuit quemdam ex primis ciuitatis

Vendidit se viro Manichæo vt ipsum reduceret ab errore.

uitatis esse Manichæum simul cum totâ domo, alioqui virum bonû. Hic optimus monachus huic rursus seipsum vendidit sicut in primo actu. Et cùm intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi & eius vxorem cum totâ familiâ, adduxit in Ecclesiam. Tunc eum amantes, non ampliùs habebant tamquam seruum, sed plusquam germanum fratrem & patrem & magno honore afficiebant, & um eo Deum laudabant.

Romam Serapion nauigat.

Paulò pòst vbi eos pluribus cohortatus esset, illis relictis spiritualis hic adamas Serapion, cùm heris istis pretium suum persoluisset, seipsum coniecit in nauẽ tamquam Romam nauigaturũ. Nautę autem coniicientes eum vel intulisse sumptus, vel in auro habere quod expenderet, nihil aliud percontati eum exceperunt, alius alium existimans accepisse eius vtensilia. Cùm autem ipsi enauigassent, & abessent quingentis stadiis ab Alexandriâ, cœperunt vectores vesci circa occasum solis, cùm nautæ priùs comedissent.

Perstat in naui ieiunus ad quinque dies.

Viderunt autem eum primo die non comedere; & putauerũt caussam esse nauigationem, similiter & secundo, & tertio, & quarto die: quinto autem die vident ipsum sedentẽ quietum, dum omnes comederent, & dicunt ei: Homo, cur nõ comedis? Is verò dicit eis: Quoniam non habeo quod edam. Cùm ergo inter se quæsiuissent quis eius accepisset vtensilia vel impensas, vidissent autem neminem accepisse (neque enim habebat aliquid) cœperunt cum eo contendere: Quomodo sic ingressus es absque impensis? quomodo dabis nobis naulum? quonam autem alêris? Is verò eis dicit: Ego nihil habeo; auferte me, & abiicite vbi inuenistis. Illi verò: Cur irasceris? ne si centum quidem aureos nobis dares, lubenter hoc faceremus, cùm sit nobis ventus adeò secundus: scopum ergo vrgeamus, peragentes quæ sunt nobis proposita. Sic fuit in naui, & eum aluerunt Romam vsque. cùm autem Romam venisset, curiosè indagauit quis esset in ciuitate magnus exercitator aut exercitatrix.

CAP. LXXXIV.

Vita abbatis DOMNIONIS.

Lectus Domnionis curat ægrotos.

INTER quos incidit in quemdam Domnionem fortissimum atque abstinentissimum, Origenis discipulum, quem rumor erat multa miracula edidisset, & cuius lectus curauit ægrotos post mortem.

CAP. LXXXV.

De VIRGINE *silente.*

CVM ergo in eum incidisset, & ex eo vtilitatem accepisset (erat enim vir & moribus ornatus, & eruditione & sermone & vitâ) & ab eo didicisset, quisnam esset illic alius exercitator aut exercitatrix, cognouit esse quamdam virginem silentium agentem & quiescẽtem, quæ iam vigintiquinq; annis in cellâ erat inclusa, & cum nemine vmquã colloquebatur. Cùm autem eius domũ didicisset, venit, & dicit vetulę quæ ei inseruiebat: Dic virgini, me necesse habere eam cõuenire. Anus verò responsum reddidit, illam ex multis annis neminem conuenisse. Tum ait illi: Dic ei vt conueniam illã: Deus enim me misit. At illa ne sic quidem acquieuit. Cùm autem duos vel tres dies intermisisset, eam cõuenit posteà: & ei dixit: Quid sedes? Ea verò dicit ipsi: Non sedeo, sed ambulo. Is verò dicit: Quò ambulas? Illa verò dicit: Ad Deum. Is autẽ dicit: Viuísne, an es mortua? Illa verò ei dicit: Credo in Deum, me esse mortuam mundo: Qui enim carne viuit, nõ potest ad Deum ambulare. Is autem dicit ei: Vt me ergo certiorem reddas te esse mortuã mundo, fac quod facio. Ea illi dicit: Impera mihi quæ possunt fieri, & faciam. Is autem dicit ei: Nihil est quod non possit mortuus, absque eo quòd nõ potest esse impius. Tunc dicit ei: Descende, & progredere. Ea verò respõdit: Iam agitur vigesimus quintus annus ex quo nõ sum progressa, & cur progrediar? Ei autem dicit: Vah! nónne tu dixisti, mortua sum huic mundo? vnde & manifestũ est & mundum tibi mortuum esse. Si hoc quidem verum est, & mortuus nihil sentit, idẽ est tibi progredi & non progredi; ergo progredere. Illa verò progressa est. & postquam progressa fuit vsq; ad quamdam ecclesiam, ei dicit in ecclesiâ: Si vis ergo me certiorem reddere quòd verè sis mortua, & nõ ampliùs viuis placens hominibus, fac quod facio, & sciam te esse mortuã. Ei itaque dicit: Exuens sicut ego omnia vestimenta, ea impone humeris, & trãsi mediam ciuitatem, me in hoc habitu prçeunte. Illa verò ei dicit: Hac re minimè honestâ multos offendam, & poterunt dicere me esse emotæ mentis & dæmoniacã. Is autẽ dicit ei: Et quid tibi est curæ, si dixerint te esse emotæ mentis & dæmoniacam? tu enim es eis mortua; mortuo verò non est cura, si quis ei vel detraxerit vel eum irriserit: nihil enim potest sentire. Tunc illa ei dicit: Dic si quid aliud velis, neq; enim ad hũc vsq; modum me venisse glorior. Tunc ei dicit Serapion impassibilis: Ecce ergo, ne ampliùs te iactes & tibi placeas, tamquam omnibus magis pia & mũdo mortua. Ego enim sum te magis mortuus: & re ipsâ ostendo me esse mortuum mundo: nam citra vllam animi perturbationẽ & pudorem hoc facio. Tunc cùm eam ad humilitatem instituisset, & eius fregisset arrogantiam, recessit.

Mirum virginis silentium annis 25.

Quid sit mundo esse mortuum.

Mirãdum hoc, non imitandũ.

Sunt autem multa quoque alia magna & illustria facta istius Christi Doctoris, virtute præ-

prӕditi, quӕ pertinent ad impatibilitatem, quӕ ex multis pauca selecta perscripsimus, vt ex iis puritas eius vitӕ patefieret. Is decessit agens annum ӕtatis sexagesimum, in locis desertis sepultus est.

CAP. LXXXVI. *De* [133] EVAGRIO *celebri diacono.*

Origenista hic fuit

DE Euagrio claro Christi diacono, qui vixit instar apostolorum, non est ӕquum tacere; sed ea litteris mãdare ad ędificationẽ eorum qui sunt lecturi, & ad bonitatis Seruatoris nostri gloriam ӕquum arbitratus, ab alto expono, & quemadmodum venerit ad institutum monasticum, & quomodo cùm se dignè exercuisset, moritur quinquaginta quatuor annos natus, in solitudine: qui, vt scriptũ est, In breui consummatus, impleuit longa tempora. Fuit enim reuerà eius anima grata Domino. Is genere quidem fuit Ponticus, [134] ciuitatis Iberorum, filius presbyteri, lector promotus à sãcto Basilio [135] episcopo ecclesię Cęsareӕ ad Argeum. Post decessum autem sancti Basilij episcopi, attendens eius aptitudinem, sapientissimus, & à perturbationibus animi alienus, & omni doctrinâ clarus Gregorius episcopus [136] Nyssenus, frater episcopi cui datur honor inter apostolos, eum ordinat diaconũ. Illinc cùm venisset sanctus Gregorius episcopus in magnam synodum Constãtinopolitanam, relinquit eum beato Nectario episcopo, cùm esset omnium disserẽdi artis peritissimus. Floruit ergo in magnâ ciuitate, in disputationibus iuueniliter exultans aduersus omnem hӕresim. Accidit autem vt is qui propter morum insignẽ bonitatem honorabatur à totâ ciuitate, cõfigeretur à simulacro muliebris concupiscentiӕ, vt ipse nobis narrauit posteà, cùm esset mens eius libera. Eum autem vicissim amauit muliercula. erat autẽ ea vna ex primis. Euagrius autem & Deum timens, & suam veritus cõscientiam, & habẽs ante oculos dedecus turpitudinis, & quam hӕreses de alienis malis concipiunt lӕtitiam, Deum supplex rogauit vt ab ipso impediretur scopus quem sibi proposuerat mulier, quӕ eum vrgebat cupiditate, & eius insano tenebatur desiderio. Cumq; vellet ab eâ recedere, nõ poterat, vt qui eius obsequij blandis detineretur vinculis. Haud multo pòst autẽ eam quӕ prӕcessit orationem, antequam rem esset expertus, adstitit ei visio angelica, prӕ se ferens speciem militum prӕfecti, quӕ eum rapit, & ducit tamquam in iudicium, & coniicit eum in eam quӕ dicitur custodiam, collari ferreo eius collo iniecto, & catenâ ferreâ alligatis manibus, iis videlicet qui ad ipsum venerant, ei caussam minimè dicentibus. Ipse autem qui pungebatur cõscientiâ, existimabat se ea sub-

Sap. 4.

Euagrius lector à S. Basilio creatur.

Gregorius Nyssenus ordinat eũ diaconum.

Versatur apud Nectarium ep. ep.

Euagrius agitur concupiscentiâ in mulierẽ.

Visione deterretur ab amore libidinoso.

ire eius gratiâ, arbitrãs maritum mulieris de hac re iudicem conuenisse. Animi itaq; admodum anxius constitit Euagrius, dum de aliâ caussâ ageretur, & de aliis propter tale crimen haberetur quӕstio. Post magnũ ergo illum metum & summum animi angorem, Angelus qui ab initio prӕbuerat visionẽ, ita trãsformatur, vt videretur adesse germanus & sincerus amicus Euagrij, valdè obstupefactus, & tristitiâ affectus ob tantam vinculorũ infamiam, & dicens ei vincto inter catenas quadraginta reorũ: Cur cum tantâ ignominiâ detineris cum reis, domine diacone? Ille ei dicit: Reuerà quidem nescio: suspicor autem N. qui est ex prę̃fectis, me detulisse, motum zelotypiâ citra vllam rationẽ; & vereor ne magistratus fuerit ab eo corruptus pecuniâ, & me maximo afficiat supplicio. Dicit ei is qui amici figuram susceperat: Si audias amicum, tibi consulo; nõ tibi expedit degere in hac ciuitate. Dicit ei Euagrius: Si Deus me liberauerit ab hac calamitate, & me videris Constantinopoli, scias me iure subire hoc supplicium, & esse dignum alio maiore. Dicit ei amicus: Si ita habet, fero ad te sanctũ euãgelium; iura mihi in eo, quòd recedes ab hac ciuitate, & tuӕ animӕ curam geres; & te liberabo ab hac necessitate. Euagrius autẽ, Rogo te, inquit, iurabo vt volueris; me solùmodò libera ab hac nube tenebrosâ. Interim autem ei affert sanctum euangelium, & exigit iusiurandum. Euagrius autem ei iurat per euangelium verbis sic conceptis: Non manebo hîc prӕter vnũ diem, idq; vt meas vestes in nauem immittam. Cùm autẽ processisset iusiurandum, ad se rediit ab ecstasi quӕ ei noctu euenerat. Cumque surrexisset, cogitauit: Etsi mihi fuit datum iusiurandum in ecstasi, iuraui tamen. Omnibus ergo quӕ habebat in naue coniectis, venit Ierosolyma, & illic excipitur à beatâ Melaniâ Romanâ. Rursus cùm diabolus eius cor tamquã Pharaonis indurasset, vtpote adolescentis & ętate luxuriantis, eum rursus incessit dubitatio, & animi fuit ancipitis, cùm tamen nemini quidquam dixisset. Quo factum est, vt & vestes rursus mutaret, & in differendo ei veternum afferret vana gloria: sed Deus qui impedit omnium nostrûm interitum, ei rursus attulit calamitatem, rursus in febrem conijciens, & deinde in lõgum morbum, tempore semestri eius carnem macerans, quӕ ei afferebat impedimentum ad virtutem, medicis dubitantibus, & non inuenientibus modum curationis. Dicit ergo ei beata Melanium: Nõ placet mihi, fili, morbus tuus diuturnus; dic ergo mihi quӕ habes in animo: non est enim verus hic tuus morbus. Confessus est ergo ei rem quę sibi euenerat Con-

Angelus in amici cuiusdam intimi specie Euagrium solatur.

Iurat Euagrius super euangelia se egressurum ciuitatem ad euitandum periculum.

Venit Ierosolymam, & à Melaniâ excipitur.

Rursus ad sӕculum redire tentat.

Morbo reuocatur Euagrius.

 stan-

stantinopoli. Dicit ei beata: Promitte mihi teste Domino, te vitę monasticæ scopum esse secuturum, & ego licet peccatrix, orabo Deum, vt detur tibi tempus commeatus, & vitæ terminus. Is autem est assensus. Cùm ea autem orasset, intra paucos dies conualuit; cumque is surrexisset, ab illâ ipsâ est amictu monastico indutus, & peregrè proficiscitur in mõtem Nitriæ, qui est in Ægypto: in quo cùm habitasset biennio, tertio ingreditur solitudinem. Cùm itaq; vixisset quatuordecim annis in iis quæ dicuntur Celliis, comedebat quidem panis libram in die, trimestri autem tempore olei sextariũ, vir qui in molli delicatâ & lautâ vitâ fuerat educatus. Faciebat autem cẽtum orationes, scribens annuatim pretium solum eorum quæ comedebat: eleganter enim scribebat celerem characterem. Cùm ergo intra quindecim annorum spatium mentem expiasset, dignus est habitus dono cognitionis & sapiẽtiæ, & discretionis spirituum. Is composuit tres sacros libros monachorum, qui dicitur Ἀντιρρητικὰ, hoc est Contradictoria, suppeditans artes quibus sit vtendum aduersus dæmones. Ei aliquando grauem exhibuit molestiam dæmon fornicationis, vt ipse nobis narrauit: & totâ nocte stetit in puteo cùm esset hiems, adeò vt eius carnes gelu constringerentur. Aliquando autem rursus ei molestiam exhibuit spiritus blasphemiæ: & quadraginta diebus nõ est tectum ingressus, vt ipse nobis narrauit, adeò vt corpus eius, non secùs ac corpus ferarum animantium, [137] ricinis scateret. Ei tres apparuerunt dæmones in habitu clericorum, de fide cum eo inquirẽtes: & vnus quidem dicebat eum esse Arrianum, alter verò Eunomianum, tertius autẽ Apollinaristam: & eos paucis superauit spiritu sapientiæ. Rursus cùm quodã die periisset clauis ecclesiæ, serâ cruce signatâ, manu trudẽs eam aperuit, Christo inuocato. Is à dæmonibus adeò fuit flagellatus, & variorum dæmonum tantam fecit experientiam, vt ij nõ possint facilè enumerari. Vni ex discipulis suis, quæ post decem & octo annos erant euentura ei, dixit, omnia ei prædicens in specie. Dicebat autem hic beatus: Ex quo veni in solitudinem, non tetigi lactucam, nõ minutum olus, non aliquid viride, nõ fructum, non vuam, non lauacrum, non carnem, non panem, non vinum, neque omnino aliquid ex iis quæ per ignem transeunt, præter quædam olera cruda, & modicum aquæ. Posteà autem sextodecimo anno instituti vitæ suæ actæ absq; decoctione ignis, cùm caro, propter imbecillitatem corporis & stomachi, opus haberet vt aliquid sumeret quod per ignem transiisset, panem quidem tetigit, nequaquam autem sumpsit cocta olera; sed vel ptisanam, vel legumina duos annos. In his corpus consumebat hic beatus, viuificans animam sancto Spiritu, in Epiphaniis in ecclesiâ communicans. Nobis autem narrabat hic generosus Christi athleta circa tempus mortis: Iam sunt tres anni ex quo non sum ampliùs vexatus à cupiditate carnis. Si autem post vitam ita ex virtute actam, & immensum laborem exercitationis, eumque vel maximè inflexibilem, & sobriam perpetuò orationem, hunc immortalem adeò inuasit bonis infestus & exitiosus dæmon; quid ab execrabili dæmone pati putamus eos qui sunt socordiores, propter suam negligentiam? Huic sancto significata est aliquando mors patris sui, & dicit ei qui renuntiauit: Desine blasphemare, meus enim pater est immortalis: Deum autem dicebat. Hucusque est exactissimum & perfectissimum vitæ institutum insignis Euagrij.

Amictu monastico induitur.

Austeritas eius qui delicatam vitam fuerat secutus.

Euagrij Ἀντιρρητικά.

Dæmones in habitu clericorum.

Crucis signo seram aperit.

Præuidet futura.

Crudis oleribus & aquâ viuit.

Epiphaniis festo communicabat.

Non afficitur morte patris sui. Simile suprà in Pelag. libell. 1. nu. 5. titulo Incerti.

Vita abbatis [138] PIOR.

CAP. LXXXVII.

QVIDAM Pior nomine, Ægyptius genere, ætate iuuenis, cùm mundo renuntiasset, exiit è domo paternâ: & propter insignem amorem spiritalem, Deo est professus se nullum ex suis visurũ ampliùs. Quinquaginta ergo pòst annis, soror eius quæ cõsenuerat, & ab aliquo resciuerat fratrẽ suum viuere, veniebat in mentis emotæ periculum, nisi ipsum videret. Cùm autem non posset venire in vastum desertum, rogauit illius loci episcopum vt scriberet ad sanctos patres qui erant in solitudine, vt ipsum mitterent, & eum videret. Cùm ergo ei vis magna afferretur, patribus obediens, statuit vno alio assumpto, abire: & significauit domui sororis fratrem suum Pior aduenire, & foris stare. Cùm autem sensisset strepitum ostij, & quòd eius soror ei veniret obuiàm, Pior clausis oculis, clamauit ad ipsam: O soror N. ego sum Pior frater tuus, ego sum: ecce, vide, aspice quantum velis. Illa ergo facta certior Deum glorificauit, & cùm multa fecisset, non potuit ei persuadere vt domum ingrederetur: sed oratione factâ in limine, reuersus est in solitudinem, propriam patriam illic sibi virtute comparans. Hoc eius fertur miraculum, quòd cùm fodisset in loco quem ædificauit, inuenit aquam amarissimam, & donec decessit, illic permansit, [139] contentus inuentis amaritudinibus aquæ, vt generosi huius tolerantia innotesceret. Multi autem monachi post eius mortem cùm in cellâ manere contendissent, non potuerunt vnum annum id efficere. Est enim locus terribilis, & alienus ab omni consolatione.

Ruff. l. 3. nu. 31. Pelag. libell. 4. n. 34.

Pior nunquam se amicis non visurum.

Soror fratrem suum Priorem videre desiderans, à fratre illuditur.

Vita

CAP. LXXXVIII

Vita abbatis [140] MOYSIS Libyci.

MOYSES Libycus fuit vir mitissimus, & maximâ charitate præditus: is dignus est habitus dono curationum. Is hoc narrauit: In monasterio, inquit, eram valdè iuuenis, & fodiebam maximum puteum, latum viginti pedes: in eo cùm tres dies fodissemus viri octoginta, & venam consuetam, & quæ aspiciebatur transiissemus circa cubitum, aquam non inuenimus. Magnâ ergo affecti molestiâ, deliberabamus de desistendo ab opere; dumque de eo deliberaremus, ad nos adueniens Pior ex vastâ solitudine, in ipsâ sexta horâ æstus, cùm esset senex indutus suâ pelle ouillâ; & cùm nos salutasset, dicit nobis post salutationem: Quid animum abiecistis, homines modicæ fidei? vidi enim vos iam ab hesterno die abiecisse animum. Quod cùm dixisset, in putei fossam statim demisit scalas, & cum eis facit orationem; & accepto ligone, & tertio ictu incusso, dixit: Deus sanctorum patriarcharum, ne irritum & inutilem feceris laborem seruorum tuorum, sed mitte ad eos vsum aquæ. Et statim aqua exiit, vt nos omnes eâ aspergeremur. Et cùm rursus orasset, abiit, dicens: Hac de caussâ missus sum, & aperta est. Cùm autem illi vim facerent vt illic comederet, nô potuit in animũ inducere, dicens: [141] propter quod missus sum hoc factum est. Hæ sunt res admirabiles Pior præclaræ columnæ tolerantiæ; & hic est finis illius virtutis, qui pro amaro fonte fruitur perpetuo dulcedinis fluento cum magno spiritali gaudio.

Piori pellis ouilla pro veste.

Putei sterilitati Pior medetur.

CAP. LXXXIX.

Vita abbatis [142] CHRONII.

QVIDAM qui dicebatur Chronius, ex vico qui dicitur Phœnix, cùm à suo vico qui est prope solitudinem, mêsus esset quindecim millia passuum dextero pede numeratorum, illic precatus fodit puteum: & cùm aquam inuenisset optimam, quæ in profundo aberat septem vlnis, illic quoque sibi ædificauit paruum hospitiolum. & ex quo die seipsum collocauit in monasterio, Deum rogauit ne reuerteretur in locum qui habitatur. Cùm pauci autem anni præteriissent, dignus fuit habitus presbyteratu, circiter ducentorum virorum circa ipsum congregatâ fraternitate. Hæc ergo fertur eius virtus exercitationis, quòd cum sexaginta annis aræ assedisset fungens sacerdotio, non egressus est è deserto, non extra laborem manuum comedit panem.

Chronius fugit locũ habitatum.

Annis 60. sacerdos aræ assidet.

CAP. XC.

Vita abbatis IACOBI.

CVM eo habitauit quidam Iacob è vicinis, qui cognominatus est Claudus, vir summâ cognitione præditus. Erant autem ambo noti beato Antonio.

CAP. XCI.

Vita abbatis [143] PAPHNVTII CEPHALA.

CVM ergo quodam die conuenisset etiam Paphnutius vir mirabilis qui dicebatur Cephala, qui quidem habuit donum cognitionis diuinarum Scripturarum veteris & noui testamenti, omnes eas interpretans, cùm non legisset Scripturas: erat autem adeò modestus, vt celaret virtutem propheticam. De quo dicitur, quòd octoginta annis non habuit simul duas tunicas. Cùm vnà hos conuenissemus, ego & beati diaconi Euagrius & Albinus, quærebamus scire caussas fratrum qui decidebant vel labebantur inhonestâ vitâ.

Paphnutius θεοδίδακτος.

Annis 80. vnâ tunicâ vtitur.

CAP. XCII.

De CHEREMONE.

ACCIDIT enim illis diebus vt Cheremon exercitator sedens decederet, & inueniretur mortuus sedens in cathedrâ, & tenens opus in manibus.

Cheremon sedens in opere moritur.

CAP. XCIII.

De ALIO.

ACCIDIT etiam vt alius frater fodiens puteum, obrueretur à puteo.

Fodiens puteum obruitur.

CA. XCIV.

De ALIO.

ACCIDIT etiam vt alius veniens à Scete, siti aquæ moreretur.

Quidam siti mortuus.

CA. XCV.

De [144] STEPHANO lapso.

INTER quos commemorauimus etiam Stephanum, qui in turpem lapsus est intemperantiam, & Eucarpium, & Heronem Alexandrinum, & Valentem Palæstinum, & Ptolomæum Ægyptium qui erat in Scete. Simul ergo rogauimus quænam esset caussa, quòd qui sic viuunt in solitudine, ex iis alij quidem mente decipiuntur, alij verò erumpunt in intemperantiam. Hoc ergo responsum nobis dederût & cum illis sanctus Paphnutius, vir maximâ cognitione præditus: Quæcumque fiunt, in duo diuiduntur; in Dei placitum, & Dei promissionem. Atque quæcumque quidem fiunt ex virtute ad Dei gloriam, ea fiunt Dei placito: quæ verò damnosa, periculosa, & quæ infortunia & casus important, ea fiunt Dei permissione. Permissio autem ex egestate rationis, vel infidelitate eorum qui deseruntur. Fieri enim non potest, vt qui piè viuit & recte cogitat, incidat in ignominiæ lapsus, vel imposturæ dæmonum. Quicumque ergo prauo scopo ac instituto, nempe vt hominibus placeant, & arroganti cogitatione, virtutem videntur aggredi, ij in casus incidunt, Deo eos deserente

De Herone suprà cap. 32.
De Valente suprà cap. 31.
De Ptolomæo suprà cap. 33.

Vnde solitarij quidam erumpunt in intemperantiam.

Virtus ex Dei placito.

Vitium ex Dei permissione.

rente ad eorum vtilitatem, vt cùm per derelictionem mutationem senserint, aut propositum, aut actionem corrigant. Nam aliquando quidem peccat propositum, quando fit malo scopo; vt sæpè accidit intemperantem prauo scopo facere eleëmosynam in adolescentulas propter turpem finem: & actionem esse rationi consentaneam, vt orphanæ, & quæ exercetur monachæ, dare auxilium. Accidit autem recto quoque scopo facere eleëmosynam, in ægrotos, vel eos qui euersi sunt bonis, vel eos qui consenuerunt: sed parcè & cum murmuratione; & esse scopum quidem rectum, actionem autem scopo indignam. Oportet enim misericordem misereri in hilaritate & largitate. Hoc quoque dicebat: In multis animis sunt dotes quædam præcipuæ, in aliis quidem bonitas ingenij; in aliis verò aptitudo ad exercitationem; sed quando non fit propter ipsum bonum & ex diuino scopo, neque actio, neque ingenij bonitas, neque ij qui dotes habent præcipuas, non bonorum datori Deo ascribentes, sed suo libero arbitrio, ingenio, & sufficientiæ: qui tales sunt, relicti à prouidentiâ, incidunt in facta turpia, turpes perpessiones, probraque & dedecora. Derelicti ergo, per aduenientem humilitatem & pudorem, sensim nescio quomodo expellunt arrogantiam, quam susceperant ex eâ quæ virtus reputabatur; non in seipsis confisi ampliùs, sed Deo, qui cuncta largitur, beneficiũ suâ confessione tribuunt. Qui enim est inflatus, qui de bonitate inquam ingenij effertur, & Deo non adscribit bonitatem ingenij, neque eam quæ sibi suppeditatur cognitionem, sed vel suæ exercitationi, vel naturæ, abducit ab eo Deus Angelum prouidentiæ, huic gratiæ præfectum. Quo auerso, superatus à viribus aduersarij is qui effertur ob bonitatem ingenij, incidit in intemperãtiam propter insolentiam, vt ablatâ teste temperantiâ, non videantur credibilia quæ dicuntur ab ipsis, fugientibus piis doctrinam quæ ex tali ore procedit, tamquam fontem qui scatet hirudinibus, vt impleatur quod scriptum est; Peccatori autem dixit Deus: Cur tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Eorum enim animæ qui vitiis laborant, sunt reuerà diuersis fontibus assimiles. Nam qui sunt gulæ & vino dediti, lutulentis fontibus: qui verò tenentur auaritiâ & plura habendi cupiditate, fontibus ranas habentibus: inuidi autem, qui habent aptitudinem cognitionis, fontibus serpentes alentibus, in quibus semper fluctuat ratio; propterea quòd nemo haurit ex ipsis, propter morum acerbitatem, vel propter iniustarum actionum odorem.

Ne quid malo proposito aggrediamur, etiam si boni speciẽ habeat.

Eleëmosyna danda in hilaritate.

Gratia Dei, non libero arbitrio bona adscribenda.

Arrogans & sibi placens ab Angelo prouidentia derelinquitur.

Psal. 49.

Gulosi quibus similes.

Auari.

Inuidi.

Quocircà tria rogat Dauid à Deo doceri, bonitatem, & disciplinam, & cognitionem. nam absque bonitate cognitio est inutilis; & si correctus quidem fuerit is qui est huiusmodi, depositâ caussâ derelictionis, nempe arrogantiâ, & assumpserit humilitatem, & sui modum cognouerit, neque aduersus aliquem se efferens, & Deo agens gratias, ad eum rursus reuertitur, quæ testimonio fulcitur cognitio. Orationes enim spiritales, quæ non habent vitam honestam & temperantem simul equitantem, sunt spicæ quæ à vento intereunt, quæ habent quidem spicarum figuram, sed ab eis ereptum est alimentum. Omnis ergo lapsus, siue fiat per linguam, siue per sensum, siue per actiones, siue per totum corpus, conuenienter proportioni arrogantiæ, fit per Dei derelictionem parcentis ijs qui derelinquuntur. Si enim cum intemperantiâ, eorum quoque bonitati ingenij Dominus tulerit testimonium, suppeditando eloquentiam, dæmones ipsos facit superbia, se extollentes cum immunditiâ.

Psal. 118.

Cur Dauid roget bonitatem, disciplinam, & cognitionem.

Oratio spiritalis sine vitâ honestâ est instar spica exanida.

Hæc quoque dicebant nobis hi sancti viri, & optimi patres; cùm videritis aliquem vitâ quidem peruersum, oratione autem aptum ad persuadendum, recordemini dæmonis qui in sacrâ Scripturâ cum Christo loquitur, & testimonij quod dicit: Serpens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ erant super terram. cui prudentia potiùs detrimentum attulit, cùm alia virtus non concurreret. Oportet enim eum qui est fidelis & bonus, ea quidem animo sentire quæ dat Deus, loqui autem quæ sentit, facere autem quæ loquitur. Si enim cum veritate verborum non concurrat vitæ cognatio, panis est sine sale, vt dicit Iob; qui est autem talis, minimè comedetur: quòd si etiam comedatur, conijcit eum qui comedit in malam habitudinem. Si comedetur enim, inquit, panis sine sale, & si est gustus in verbis inanibus
145 hoc est non ad vtilitatem, impletis bonorum operum testimonio. Derelictionum ergo plures sunt caussæ; vna quidem est vt virtus occultata manifestetur, vt virtus Iob, Deo respondente & dicente: Ne reijcias iudicium meum, neque putes me tibi aliter respondisse; sed vt iustus appareas: es enim mihi notus qui noui occulta, & profunda cogitationum intueor humanarum. Sed quoniam ignoraris ab hominibus, suspicantur enim nonnumquam me à te coli propter diuitias, ideò feci vt in huiusmodi casũ incideres. Demessui diuitias, vt ostendam eis tuam gratiarum actionem & philosophiam. Alia autem propter auertendam superbiam, vt in Paulo. Relictus est enim Paulus casibus, & colaphorum incussionibus, & diuersis

Vitâ peruersus & eloquens est dæmonis imitator.

Gen. 1.

Sermo, cui non respondet vita, panis sine sale.

Iob 6.

Iob 40.

Tribulatio immittitur quandoque, vt iustus probetur:

Quandoque, vt ab arrogantiâ preseruetur.

2.Cor.11. sis iactatus afflictionibus, & dixit: Datus est mihi stimulus carnis, vt me colaphizet; ne fortè extollar; ne fortè cum miraculis quies & rerum successus & honor ei accedens, eum in arrogantiam iniiceret diabolicam superbiâ elatum. Relictus quoq; est paralyticus propter peccatum. cui dixit Dominus: Ioan.5. Ecce sanus factus es, noli amplius peccare. Derelictus quoque est Iudas, qui pluris fecerat pecuniam quàm verbum vitæ; quocircà Actor.1. fuit etiam suffocatus. Derelictus quoque est Gen.27. Esau, & incidit in intemperantiam, vt qui stercus intestinorũ præposuerit benedictioni paternæ: adeò vt cùm hæc omnia sensisset Rom.1. beatus Apostolus Paulus, dixerit de aliquibus: Quoniam enim non probauerũt Deum habere in cognitione, tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant quę non cõueniunt. De aliis autem qui videbantur habere Dei cognitionem cum mente corruptâ & inani tumore, dicit: Quoniam enim cùm Deum cognouissent, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, tradidit eos Deus in passiones ignominiæ; adeò vt nos ex eo cognoscamus, fieri non posse vt cadat aliquis in intemperantiam, qui non fuerit derelictus à Dei prouidentiâ, propter negligentiam & socordiam eorum qui derelinquuntur & deseruntur ad hoc vt hæc eis eueniant.

Propter socordiam à Deo relinquimur.

Vita abbatis SOLOMONIS. CAP. XCVI.

In Antinoi ciuitate regionis Thebaidis quadraginta annos versatus, eo tempore accepi etiam cognitionem omnium quæ sunt illic monasteriorum. Nam circa ciuitatem sedent viri circiter bis mille, manibus viuentes, & se summè exercentes. In his sunt etiam anachoretæ qui seipsos incluserunt in speluncis rupium: inter quos est Solomon vir mansuetissimus & temperantissimus, & qui donum habet tolerantiæ. Is quinquaginta annos degit in speluncâ, sibi victum suppeditans opere manuum, & didicit totam sacram Scripturam.

Anachoretæ in speluncis rupium.

Solomon 50. annis in speluncâ degens.

Vita abbatis DOROTHEI. CAP. XCVII.

Fvit etiam quidam Dorotheus presbyter in aliâ speluncâ habitans, qui in summâ bonitate ipse quoque vitam vixit inculpatam, dignusque est habitus presbyteratu, & ministrat fratribus qui sunt in speluncis. Huic aliquando Melanium iunior, magnæ Melaniæ neptis, de quâ dicam posteà, misit quingentos solidos, rogans eum vt ministraret fratribus. Is autem cùm tres solos accepisset, misit reliquos ad Dioclem anachoretam, virum summâ cognitione præditum, dicens: Est me sapientior frater Diocles, & potest eos integrè & innocenter dispensare, vt qui me meliùs sciat eos quibus sit meritò ferendum auxilium; nam hi mihi sufficiunt.

Dorotheus pecuniæ cõtemptor.

Vita abbatis DIOCLIS. CAP. XCVIII.

Hic Diocles in Grammaticâ quidem primùm edoctus, cùm se posteà dedisset philosophiæ, tandem trahente eum gratiâ ad cælestem philosophiam, ętatis annum agens vigesimum octauum, renuntiauit quidem disciplinis liberalibus, se Christo verò coniunxit; & iam trigesimum quintum annum agit in speluncâ. Is dicebat nobis, quòd mens quæ cogitatione recessit à Dei contemplatione, fit vel dæmon, vel bestia. Nobis autem rogantibus: Quonam modo? sic dixit: Mens quæ recessit à Dei contemplatione,[146] necessariò incidit vel in dæmonem cupiditatis, qui in lasciuiam impellit, vel in spiritum iræ malignum, vnde irrationales appetitus gignuntur. Et lasciuam quidem cupiditatem esse dicebat belluinam, iram verò dæmoniacam commotionem. Cùm ego autem contradicerem: Quomodo fieri potest, vt mens humana sit cum Deo sine intermissione? ipse dicebat: Quòd in quacumque cogitatione vel re piâ & diuinâ fuerit anima, ea est cum Deo.

Diocles à Philosopho monachus.

Quomodo mens humana fiat vel dæmon vel bestia.

Quomodo eadẽ semper cum Deo esse possit.

Vita abbatis CAPITONIS. CAP. XCIX.

Prope eum manebat quidam Capito qui fuerat latro, qui cùm quinquaginta annos impleßet in speluncis, quatuor millibus longè ab vrbe Antinoi, non abiit à speluncâ vsque ad fluuium Nilum, dicens, se non posse turbas conuenire, eò quòd communis aduersarius ei adhuc resisteret.

Capito 50. annis in speluncis degit.

Vita ANACHORETAE qui illudebatur. CAP. C.

Cvm his vidimus etiam alterum anachoretam, qui ipse quoque erat similiter in speluncâ. Is in somnis illusus œstro vanæ gloriæ, vicissim illudebat eos qui decipiebantur,[147] ventos pascens, & vmbras persequens. Et habebat quidem in corpore temperantiam, & propter senectutem, & propter tempus, & fortè etiam propter vanam gloriam: vanæ autem gloriæ intemperantiâ corruptus erat eius animus, & à religiosâ conuersatione fuerat alienatus.

Oestrum vanæ gloria omnia bona opera corrumpit. Eccli.34.

Vita sancti[148] EPHRAEM diaconi. CAP. CI.

Avdisti omnino de Ephræm diacono ecclesiæ Edessenorum. Fuit enim vnus ex iis qui digni sunt, de quibus fiat mentio à sanctis Christi seruis. Is cùm spiritus viam dignè peregisset, & à rectâ non declinasset, dignus est habitus gratiâ naturalis cognitionis, quam consequitur Theologia, & postremò

Vita eius extat suprà lib.1.

stremò beatitudo. Cùm ergo vitam exercuisset quietam, & multis iam annis ædificaret eos qui ventitabant, posteà è cellâ procaret eos qui ventitabant, posteà è cellâ processus est hac de caussâ. Cùm magna fames inuasisset ciuitatem Edessenorum, misertus omnium qui peribant agrestium, processit ad eos qui erant diuites in ciuitate, & dicit eis: Cur non miseremini humanæ naturæ quæ interit, sed opes vestras sinitis putrescere ad condemnationem animarum vestrarum? Se autem honestè excusantes, dicunt: Non habemus cui credamus ad hoc vt panem subministret esurientibus: [149] omnes enim res cauponantur. Is verò dicit eis: Quid ego vobis videor? erat autem apud omnes in magnâ existimatione, non falsò, sed reuerà. Ei itaque dicunt: Nouimus te hominem Dei. Si eam de me opinionem concepistis, ait Christi seruus, mihi de cetero credite. Ecce, me propter vos eligo hospitum exceptorem. Cumque pecuniam accepisset, & infixis vallis septum construxisset, & lectos ad trecentos statuisset, curabat eos qui infirmiores erant, suppeditabat iis qui fame conficiebantur: eos quidem qui deficiebant sepeliens; eorum verò qui spem vitę habebant curam gerens: & vt semel dicam, hospitium & ministerium propter famem quotidie exhibens ex iis quæ suppeditabantur. Impleto ergo anno cùm successisset fertilitas, & omnia rectè succederent, cùm nihil haberet ampliùs quod ageret, ingressus est in suam cellam: & post mensem est mortuus, cùm Deus ei hanc occasionem præbuisset adipiscendæ coronæ in extremis diebus. Reliquit autem scripta quoque studio digna quæ magnam viri virtutem testantur.

Auari frumentũ sinunt putrescere.

Ephram succurrit famescentibus.

CAP. CII.

Vita abbatis IVLIANI.

AVDIVI à quodam in illis partibus fuisse Iulianum virum maximæ exercitationis, qui cùm carnem suam supra modum afflixisset, ossa solùm & pellem circumferebat. Is in extremis finis sui diebus dignus est habitus gratiâ curationum.

CA. CIII.

Vita abbatis INNOCENTII.

DE beato Innocentio presbytero Oliueti, à multis quidem & magnis audiisti: nihilo seciùs autem à nobis quoque audies, qui tres annos cum eo viximus. Nam quæ sæpè illos latuerunt, nobis innotuerunt: neq; verò vnus vel alter, sed neque decem potuerunt huius viri narrare virtutes. Is fuit longè simplicissimus. cùm autem is fuisset illustris in palatio [150] sub Imperatore Constantio in principiis eius imperij, mundo renuntiauit, profectus à matrimonio: in quo etiam habuit filium, Paulum nomine, [151] qui inter domesticos militabat. Is cùm peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocentius, Deum rogans, & dicens: Domine, da ei spiritum, ne ampliùs inueniat eius caro tempus peccandi. melius arbitratus eum pugnare cum dęmone quàm cum intemperantiâ. Quod etiam factum est: nam nunc quoque adhuc est in monte Oliuarum, ferrum gestãs, & castigatus à spiritu: & quod mirabile est, huius pater qui alios sanat, huius misertus non est, qui tanto tẽpore à dæmone torquetur. Hic Innocentius adeò fuit misericors (fortasse autem videbor etiam nugari dum vera narro) vt sępè suffuraretur à fratribus, & daret egentibus. Fuit autem summè simplex & innocens. Is dignus est habitus dono aduersùs dæmones: & ad eum aliquando adductus est nobis videntibus adolescens quem inuaserat spiritus & paralysis, vt ego cùm vidissem, voluerim apertè matrẽ expellere cum iis à quibus fuerat adductus, desperãs eum posse curari. Accidit autem vt interim veniens senex hanc videret adstantem, deflentemque, & eiulantem propter inenarrabilem calamitatem filij. Lacrymatus ergo pręclarus senex & commotus visceribus, accepto adolescẽte ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reliquiæ Ioannis Baptistæ: & cùm pro eo orasset vsq; ad horam nonam ab horâ tertiâ, sanum reddidit adolescentem matri, & eodem die & paralysim expulit & dæmonem. Erat autem talis eius paralysis, vt spuens puer tergum suum conspueret; ita erat inuersus. Aliud rursum fuit eius signum. Quædam anus quæ oues pascebat in locis Lazario vicinis, & ouem amiserat, accessit ad eum flens. quam secutus dicit ei: Ostende mihi locum vbi amiseris. Ea verò ducit eum ad loca quæ sunt circa Lazarium. Stans ergo orauit. qui suffurati autem erant adolescentes, ipsam priùs occiderant. Dum ergo ipse oraret, nemine confitente, carne occultatâ in vineâ, alicunde veniens coruus stetit supra furtum, & frustum ex illo rapuit, ac rursus euolauit. Cùm beatus autem animaduertisset, vidit mactatam victimam. Et sic iuuenes ad pedes eius accidentes confessi sunt se occidisse, & iustum pretium fuit ab eis exactum; atque ita castigati sunt, vt ne quid tale ampliùs auderent.

Innocentius è matrimonio monachus.

Virtus eius contra dæmones.

Martyriũ reliquiis sancti Ioannis Baptistæ honoratum.

Paralytiũ sanat Innocentius.

Furtum oratione detegit.

CAP. CIV.

Vita abbatis ADOLII.

RVRSVS noui Ierosolymis quemdam, nomine Adolium, genere Tarsensem: qui cùm venisset Ierosolyma, ingressus est [152] viam minimè tritam, non quam multi ingressi sunt, sed selecto sibi quodam nouo vitæ instituto. Se enim super hominem exercuit;

Adolius dæmonibus est terrori. creuit; vt etiam ipsi praui dæmones horrentes eius austeritatem, ne ad eum quidem auderent accedere. Propter summam autem exercitationem & vigiliam; existimatus est esse spectrum. In quadragesima enim comedebat post quinque dies, toto autem alio tempore, vno die interiecto. *Qui Adolius quadragesimâ obseruarit.* Hoc autem fuit eius virtutis magnum facinus. A vesperâ vsque ad illud tempus quo congregabatur fraternitas in oratorijs, in Oliueto, in colle Assumptionis vnde ascendit Iesus, perpetuò stabat psallens, & orans, & ieiunabat; & siue pluebat, siue grandinabat, manebat immobilis. Impleto autem tempore consueto, excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, *Fratres excitat.* eos congregans ad oratoria, & in vnoquoque oratorio vnà cum eis psallens vnam aut duas antiphonas, & vnà cum eis orans; *Cum ijs orat.* & sic die appropinquante ibat in cellulam, & reuerà fratribus eum exuentibus, & vestes exprimentibus perinde quasi lotæ fuissent ita distillantes, eum aliis induebant. Et cùm quieuisset vsque ad horam tertiam, psalmodià excitatus, erat ei intentus vsque ad vesperam. Hæc est ergo virtus Adolij Tarsensis, qui fuit consummatus Ierosolymis, & ibi æternum somnum dormijt, & sepultus est.

CAP. CV.

De [153] ABRAMIO.

FVIT quidam Abramius, genere Ægyptius, qui vitam asperrimam & maximè agrestem egit in solitudine. *Abramius ex superbiâ asperioris vitæ illusus.* Is animo sauciatus ab intempestiuâ persuasione, veniens in ecclesiam, contendit cum presbyteris, dicens: Noctu à Christo ordinatus sum presbyter, suscipite me vt sacerdotem. Patres cùm abduxissent eum à solitudine, & ad vitam deduxissent crassiorem & magis indifferentem, *Reducitur ad communem vitam.* curarunt eum à superbiâ, deducentes eum ad cognitionem suæ imbecillitatis, illusum à dæmone superbiæ, & sanctis precibus suis in pristinam vitæ sanctitatem restituerunt.

CAP. CVI.

Vita abbatis ELPIDII.

IN Amorrhæorum speluncis quæ sunt in Iericho, quas olim construxerant fugientes Iesum Naue, qui tunc populabatur alienigenas, in monte Lucà fuit quidam Elpidius, Cappadox genere, posteà autem dignatus presbyteratu monasterij quod illic est, factus à Timotheo chorepiscopo Cappadociæ, viro sufficientissimo. *Elpidius habitat in speluncâ.* Is habitauit in quadam speluncâ, & tantam in exercitatione ostendit continentiam, vt omnes obscuraret. Viuit enim viginti quinque annos, vescens solùm Sabbatis & Dominicis; *Annis 25. tantùm comedit Sabbatis & Dominicis.* stans autem totas noctes cantabat. Quem sicut apes Regem suum, ita innumera multitudo fratrum secuta, illum montem ædificauit: liceatque illic videre apud vnumquemque diuersos modos vitæ exercitationis. Hunc aliquando Elpidium, & verè Elpidium, qui reuerà spe gaudebat, & propter Christum sustinebat afflictionem, noctu psallentem nobis vnà cum eo psallentibus, pupugit scorpius: *Illæsus scorpium calcat.* quem cùm calcasset stans, non mutauit habitum corporis; tantâ tolerantiâ nullam duxit rationem doloris quem inussit scorpius. Porrò autem cùm quodam die quidam frater teneret [154] frustum sarmenti, id accepit sanctus dum sederet in margine montis, & infodit tamquam plantans, etsi non esset tempus: *Sarmentum ab eo plantatum crescit in vitem.* vsque adeò autè creuit, & tam ampla vitis euasit, vt tegeret totam ecclesiam.

CAP. CVII.

Vita abbatis ÆNESII.

CVM hoc sancto Dei athletà vnà etiam fuit consummatus inclytus Dei seruus Ænesius, vir magnæ existimationis, & qui fuit insignis in exercitatione.

CAP. CVIII.

Vita abbatis [155] EVSTATHII.

ET eius frater Eustathius ei honore æqualis, promptoque & alacri animo exercens vitæ certamina.

Eò autem processit beatus Elpidius impatibilitate corpus macerans, [156] vt tota eius ossium structura perspicuè pateret. *Elpidius vix ossibus hæret.* Fertur autem hoc quoque in eius virtutis narrationibus à studiosis eius discipulis, quòd totis viginti quinque annis non fuit conuersus ad Occidentem; *Semper ad Orientem conuersus.* etsi speluncæ ostium esset positum in montis cacumine. Neque post horam sextam solem qui imminebat capiti, vidit vmquam inclinantem ad Occidentem: neque stellas quæ in occasu oriuntur vidit viginti annis. Hic magnus athleta patientiæ, ex quo ingressus est speluncam, non descendit de monte donec fuit sepultus. Hæc sunt cælestia facinora coronati & inuicti athletæ Elpidij, qui nunc cum sui similibus degit in paradiso.

CAP. CIX.

Vita abbatis SISINNII.

HVIVS discipulus Sisinnius nomine, qui prodijt quidem ex seruili fortunâ; *Sisinnius Elpidij discipulus.* fide autem liber, genere Cappadox. Oportet enim genera quoque significare ad gloriam Christi qui nos reddit claros genere, nosque deducit ad beatam & veram nobilitatem, nempe regnum cælorum. Hic cùm fuisset longo tempore apud beatum Elpidium, acris athleta virtutum exercitationis, vt qui sex vel septem annis didicisset viri virtutes, & fortitudinem laborum in exercitatione, *Monimento se includit.* is posteà seipsum inclusit monimento. In eo autem constitutus tres annos, perseuerauit

in orationibus; non noctu, non interdiu sedens, non accumbens, non foràs egrediens. Is assecutus est gratiam aduersus dæmones. Nunc autem reuersus in patriam, dignus est habitus presbyteratu, ab eo collecta fraternitate virorum & mulierum, dato testimonio impatibilitatis per honestam vitæ institutionem, & masculâ expulsâ suâ cupiditate, & feminarum mollitie constricta continentiâ, adeò vt impleatur quod scriptum est: In Christo Iesu non est masculus & femina; non est seruus, nec liber. Est autem etiam insigniter hospitalis, etsi careat possessionibus, in vituperium diuitum qui minimè impertiuntur.

Presbyteratu honoratus.

Galat. 3. Hospitalitate insignis.

CAP. CX. *Vita abbatis* [157] GADDANA.

NOVI ego senem quemdam Palæstinum genere, Gaddanam nomine, qui toto vitæ suæ tempore vixit absque tecto, vixit autem circa Iordanem. Hunc beatum eremitam, cùm Iudæi moti æmulatione, in locis quæ sunt circa mare mortuum adorti, stricto gladio inuasissent, accidit vt tale fieret miraculum. Dum ensem extolleret, & vellet Gaddanæ afferre interitum, exsiccata est manus eius qui ensem tenebat, ísque illi ita cecidit vt non sentiret. Hoc auxilium à Deo latum est beato Gaddana, & hæc victus beati viri vsque ad finem vitæ.

Gaddana absque tecto viuens.

Exsiccatur manus Iudæi volentis percutere Gaddanam.

CAP. CXI *Vita abbatis* ELIAE.

RVRSVS quidam Elias monachus probatissimus, in iisdem locis habitabat in speluncâ; & cùm esset vitæ honestissimæ & in primis religiosæ, vacabat continentiæ & orationi, omnes aduenientes benignè excipiens. Quodam ergo die cùm complures fratres ad eum accessissent, erat enim illac eis transeundum, ei panes defecerunt; iuransque nobis affirmabat dicens: Propemodum sum exanimatus ob cibi penuriam. ingressus ergo cellam mœrore animi confectus, quòd nescirem quemadmodum in eos qui aduentarant, implerem pro viribus mensuram charitatis, inueni tres recentes panes illic positos, quos lætus accepi & apposui. Cùm autem viginti viri comedissent ad satietatem, superfuit vnus panis. Eum autem cùm sustulissem, vsus sum eo viginti quinque diebus. Hæc domini gratia facta est cum hospitali Eliâ, cuius laborum remunerationes paratæ sunt apud benignum Dominum.

Tres panes Eliæ diuinitus suppeditantur ad exercendam hospitalitatem.

CAP. CXII. *De* SABBATIO.

QVIDAM sæcularis Sabbatius nomine, Ierichuntinus genere, cùm haberet vxorem, propter Dei timorem adeò amauit monachos, vt ipse obiret cellas & omnem solitudinem noctibus, & in vnoquoque monasterio foris poneret vnum modium dactylorum, & olerum quod satis esset, propterea quòd pane non vescantur qui in Iordane sunt exercitatores [158]. Huic monachorum exceptori, & commodæ mensæ pro continentibus structori, cùm is quodam die tulisset sanctis quæ exercitationi erant necessaria, maligni æmulatione leo occurrit, inimico monachorum excitante immanem feram aduersus ministrum monachorum, studente & illos priuare refectione, & hunc suo proposito. Et cùm fera eum comprehendisset à lapide vnius ex monachis, suis vnguibus eum protrusit & euertit. Sed qui docuit in Daniele leones ieiunare, prohibuit ne eum qui seruabat præcepta deuoraret leo, etsi valdè esuriret. Quo factum est, vt accepto senis asino recederet: qui enim huic vitam donauerat, feræ quoque famem sedauit.

Iordanis ascetæ non vescuntur pane.

Leo insilit in Sabbatium.

CAP. CXIII *De* [159] PHILOROMO *presbytero.*

RELIGIOSISSIMVM presbyterum Deique amantissimum Philoromum in Galatiâ conuenimus, & cum eo longo tempore versati sumus, qui fuit vir exercitatissimus. Is ortus quidem est ex matre seruâ, patre verò libero. Tantam autem virtutum nobilitatem ostendit in vitæ Christianæ institutione, vt etiam ipsi qui sunt in genere insuperabiles, eius vitam Angelis æqualem reuererentur, & efficacem virtutem exercitationis. Is mundo renuntiauit in diebus Iuliani execrandi Imperatoris, & liberè cum hoc impio est locutus generosus Christi athleta Philoromus, quem iussit radi, & à pueris [160] validissimè verberari. Is verò rem fortiter & toleranter tulit, & ei egit gratias, vt ipse nobis narrauit. Hunc præclarum virum in principio adortum est bellum fornicationis & gulæ, vt dicebat, [161] quem morbum tyrannidem exercentem ita superauit, ac si immensum incendium multâ aquâ extingueret. summâ curâ continentiæ ferrum gestando, & se concludendo, & abstinendo à cibis & pane triticeo, & vt semel dicam, ab omnibus coctis, & in his se fortiter gerendo ac tolerando annis octodecim. qui cùm id vicerit, potuit hymnum victoriæ canere, sic dicens: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, & non lætificasti inimicos meos supra me. Hic à spiritu fornicationis variè oppugnatus, perseuerauit quadraginta annos in monasterio. Is autem narrabat, dicens: Triginta & duos annos nullum fructum tetigi. Cùm autem, inquit, timidi-

Iulianus apostata illudit Philoromo.

Tentatio fornicationis & gulæ quomodo retundatur.

Psal. 29.

timiditas me summè oppugnasset, adeò vt, vel interdiu pertimescerem, me inclusi sex annos in monimento: & eâ ratione euasi superior, ex impatibilitate bellum gerens cum spiritu, qui mihi hanc imponebat seruitutem. Huius viri insignis magnam curam gerebat beatus Basilius episcopus, qui delectabatur eius austeritate, constantiâ, & in opere diligentiâ, qui adhuc in hodiernum diem à calamo & chartâ non recessit, cùm sit natus annum octogesimum. Dixit hic beatus: Ex quo sum initiatus & regeneratus ex Spiritu & aquâ, vsque in hodiernum diem, alienum panem gratis non comedi, sed eum qui ex proprijs laboribus paratur: & [162] coram Deo loquens nobis persuadebat se ducentos quinquaginta solidos ex opere manuum suarum dedisse ijs qui erant manci ac mutili, neque vlli vmquam fecisse iniuriam. Is pedestri itinere venit Romam vsque ad orandum in martyrio sanctorum Petri & Pauli: peruenit autem etiam vsque ad Alexandriam, cùm vouisset, in martyrium venerandi athletæ Marci. Dignus autem, inquit, sum habitus, qui voti gratiâ bis proprijs pedibus venirem Ierosolyma ad honoranda loca sancta, & ipse mihi suppeditaui impensas. Dicebat autem nobis, vt vtilitatem ex eo caperemus: Non memini me vmquam animo à Deo meo recessisse. Huius beati Philoromi talia sunt certamina, & in his est inuicta victoria, & beatorum laborum ei redditur finis, corona gloriæ immarcescibilis.

Sanctus Basilius Philoromo familiaris.

Romana peregrinatio, Votum peregrinationis.

Ierosolymitana peregrinatio.

Cap. CXIV

Vita beati [163] SEVERIANI *&* *eius vxoris.*

In Ancyrâ Galatiæ, in ipso loco contigit mihi alloqui quemdam Seuerianum ex Comitibus vnà cum eius coniuge Bosphoriâ, nec eorum magnam habui experientiam. Ij quidem multa spe bonâ repleti sunt, & suos frustrantur filios, reuerà in futura intuentes. Suorum enim prædiorum reditus consumunt in egenos, habentes quatuor filios, & duas filias, quibus [164] nullam possessionem dederunt, præterquam ijs quæ nupserant. Dicebant autem reliquis suis filijs: Post nostrum decessum omnia sunt vestra; quamdiu autem sumus superstites, nos possessionum nostrarum fructus colligemus, eos distribuentes ecclesijs, & monasterijs, & xenodochijs, & omnibus egentibus, quorum preces & vobis & nobis & filijs pro hac temporariâ & laboriosâ vitam æternam comparabunt. In quibus hoc quoque est eorum virtutis egregiæ: Cùm esset magna fames, & quæ omnium hominum peruadebat viscera, illi tunc eas quæ tunc erant hæreses traduxerunt ad rectam opinionem. Nam cùm in multis prædijs horrea sua aperuissent, ea præbebant in alimentum pauperum: adeò vt ex hac inexplicabili eorũ benignitate in vnam rectæ fidei consonantiam conuenerint qui erant hæreticæ opinionis, Deo gratias agentes ob simplicem eorum fidẽ, & immensam beneficentiam. Alia autem exercitatio eorũ erat admirabilis: vestis eorum habitus erat maximè venerandus & parcus, eratque in eis magna & quæ dici nequit victus tenuitas: erant valde modici sumptus, alimentorum frugalitate contenti quantam vita requirebat, pietatem in Deum mirandum in modum exercentes: in agris degentes plurimo tempore, semper fugientes ciuitates, & vitia quæ ex eis oriuntur, ne ex iucundâ cum turbâ conuersatione tumultus ciuiles attraherent, & exciderent à Dei proposito. Propter hæc omnia horũ beatorum rectæ vitæ facinora, hinc iam intelligentibus oculis aspiciũt æterna bona quæ parata sunt à Dei gloriâ.

Seuerianus cum coniuge in pauperes liberalis.

Eccli. 11. 6

Hæreticos conuertunt suâ benignitate.

Vestitus & victus eorum ratio.

Ciuitates & earum vitia fugium.

Cap. CXV.

Vita ELEEMONIS *monachi.*

Vidimus in hac ciuitate monachum, qui ordinem presbyteratus suscipere recusauit. Venerat autẽ ad tale propositum post militiam exigui temporis. Is vigesimum annum agens in exercitatione, hoc habuit vitæ institutum, vt permaneret apud ciuitatis episcopum virum sanctissimum. Est autem adeò benignus & misericors, vt etiam vrbes circumeat, & misereatur eorum qui indigent. Is non negligit custodiam, non nosocomium, non ptochium, non diuitem, non pauperem; sed fert opem omnibus: apud diuites quidem, vt immites & immisericordes, verba faciens de misericordiâ, vnicuique autem ex indigentibus prouidens quæ sunt necessaria, eos qui pugnant pacificans, nudis suppeditans indumenta, ægrotis medicamenta afferens ad curationem. Quod autem solet fieri in omnibus magnis ciuitatibus, in eâ quoque fiunt: in porticu enim ecclesiæ iacet multitudo mancorum ac mutilorum, quotidianũ victum emendicantium; qui partim quidem vxores non duxerunt, partim verò etiam duxerunt. Quodam ergo die accidit, vt vnius horum vxor pareret in porticu, & in ipsâ hieme: eâ ergo clamante cùm ab illo intolerabili dolore pungeretur, audiuit hic beatus vlulatum, orans in ecclesiâ; & relictis sibi consuetis precibus, egressus respexit: & cùm neminem inuenisset qui illi adesset in hac necessitate, ipse functus est vice obstetricis, non abhorrens fastidium quod cõsequitur mulieres parientes, mulierum insensibilitatem ei largiente hac profundissimâ eleẽmosynâ. Atque

Eleëmon in omnes misericors.

In porticu ecclesiæ multitudo mendicantium.

Eleëmon parturienti subuenit.

vestium quidem quibus est indutus pretium non est vnius oboli; cibus autem contendit cum vestibus: libello autem non sustinet incumbere, à lectionibus eum abducente clementiâ. Si quis ex fratribus ei librum donauerit, eum statim vendit, & distribuit pauperibus. Iis autem qui sciscitabantur, Cur hæc vendis? dicebat: Quî possum meo persuadere magistro, me eius artem accuratè didicisse, nisi illo ipso vsus fuero ad artem rectè exercendam? Hic immortalis cùm in hac actione hucusque permansisset, perpetuò germinans memoriæ nomen reliquit illi quę est circumcircà regioni. Ipse fruens æterno gaudio in regno cælorum, recipiens digna præmia beatis laboribus: & qui esurientes hîc nutrijt, & nudis dedit vestimenta, nunc apud bonorum operum remuneratorem fruitur omne genus delicijs.

Libros vendit vt pauperibus subueniat. Simile dictum cap. seq. & sup. apud Pelag. libel. 6. num. 5. Ruff. l. 3. num. 70. nomine *Serapionis.*

CAP. CXVI. *Vita abbatis* [165] BISARIONIS.

FVIT quidam senex, possessionibus carens, & misericors, nomine Bisarion. Is cùm venisset in quemdam vicũ, vidit mendicum nudum in foro mortuum, vnam quidem ferens tunicam conuenienter euangelicæ traditioni, & paruum superhumerale: nihil enim possidebat præter hoc necessarium tegumentum. Habebat autem semper quoque paruum euangelium sub axillâ, aut ad sui faciendum periculum, num perpetuò voci Domini obediret; aut potiùs gestans sermonem quem erat opere executus. Tam admirabili enim vitâ vsus est hic vir, & citra vllum dedecus, vt perinde ac terrestris angelus cæleste iter legitimè peregerit. Hic ergo cùm vidisset reliquias, se protinus exuens superhumerali, eo induit mortuum. Et rursus cùm parum processisset, nudo egenti occurrit, & stetit apud se disceptans, & sic ratiocinans: Quomodo ego quidem, qui mundo renuntiaui, veste induor, frater autem meus algore concrescit? si ergo ego eum siuero exanimari, erò omnino caussa mortis proximo. Quid ergo, exuénsne scindam, & partem distribuam, an totum dabo ei qui est factus ad Dei imaginem? Sed quid mihi & illi erit vtilis pars quæ scinditur? Et cùm apud se disceptasset, dixit: Damnísne aliquid patiemur, si plus quàm sit præceptum faciamus? Generosus itaque hic athleta promptò & alacri animo vocat pauperem in vestibulum: & cùm eum dimisisset indutum, stetit nudus, se operiens manibus, genua flectens & subsidens; solum habens sub axillâ verbum quod facit diuites. Eius autem consilio & prouidentiâ transiens quidam [166] irenarcha, agnouit senem; & dixit proximo suo socio: Respice illuc; non est hic senex abbas Bisarion? Cùm is autem dixisset: Maximè; de equo descendens rogauit sanctum, dicens: Quis te exuit? Ille verò dexterâ protendens euangelium, Hoc, inquit, me exuit. Statim autem se suâ veste exuens irenarcha, perfectum militem induit, & protinus gestans veluti quamdam paruam vestem monachorum, à mundo latens recessit; declinans laudem eius qui suum vidisset vitæ institutum, eum qui est ab occulto honorem celando exspectans. Hic ipse postquam omne præceptum euangelicum rectè esset executus, cùm nihil huius mundi ampliùs haberet in animo, ad diuinorum dictorum perfectiorem executionem, cùm in transitu vidisset pauperem, cursu in forum contendit: vbi cùm paulisper constitisset, vendidit euangelium. Paucis igitur pòst diebus, qui cum eo erat abbatis discipulus, Dulas nomine, rogauit senem, dicens: Quid paruo libello factum est, ô abba? Cui senex placidè verbum pulchrum admodum & valdè scitum est locutus, sic dicens: Ne tristitiâ afficiaris, ô frater; nam vt illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus. Sunt autem aliæ quoque res plurimæ ex virtute gestæ huius magni patris, cum quo nos quoque digni habeamur habere partem, gratiâ Christi, Amen.

Bisarion vnâ tunicâ & superhumerali contentus.

Superhumerali mortuum induit.

Nudum pauperem vestit suo habitu, ipse interim nudus.

Vendit euangelium vt pauperi succurrat.

Simile dictum cap. praeced.

Matth. 19. Luc. 18.

Vita beatæ [167] MELANIAE. CAP. CXVII.

NECESSARIVM autem existimaui, virilium quoque & honestarum mulierum meminisse in hoc libro, quibus Deus æqualia donauit præmia viris qui ex virtute vitam egêre, & ipsis reddidit coronam eorum qui ipsi placuerunt: ne molles teneræque reddantur quæ sunt socordiores, & prætextum quærant & excusationem, tamquam quæ sint imbecilliores ad certamina virtutis, & ad honestam vitam agendam. Atque multas quidem vidi pias ac religiosas, & plurimas virtutis ergò conueni & virgines & viduas; inter quas erat etiam beatissima Melania [168] Romana, quæ fuit quidem filia [169] Marcelli consularis, vxor cuiusdam viri qui erat in magnâ auctoritate, cuius nominis nõ rectè memini. Hæc cùm esset vidua, agens annum [170] vigesimum secundum, diuino amore digna fuit habita; & nemini quidquam dicens (prohibebatur enim ijs temporibus, Valente tenente imperium) cùm curasset vt filij sui nominaretur tutor, ipsa acceptis suis mobilibus, & in nauem inic-

Melania Romana sub Valente.

iniectis cum aliquot famulis & ancillis, cursu nauigauit Alexandriam: & cùm illic res suas vendidisset, & in aurum minutum conuertisset, ingressa est in montem Nitriæ, sanctos patres conueniens, Pambo, & [171] Arsisium, & Serapionem magnum, & Paphnutium Scetiotem, & Isidorum confessorem episcopum Hermipolis, & Dioscurum; & versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens solitudinem, & videns omnes sanctos. Post hæc autem cùm Augustalis Alexandriæ relegasset Isidorum, [172] & Pissimium, & Adelphium, & Paphnutium, & Pambo, & inter eos etiam Ammonium Parotium seu vnam habentem auriculam, & duodecim episcopos, & presbyteros & clericos, & anachoretas, vt essent omnes numero centum viginti sex, in Palæstinam circa Diocæsaream, ipsa eos est secuta, eis ex suis proprijs pecunijs subministrans in necessitatibus sumptuum atque omnibus suppeditans. Cùm autem prohiberentur ministri, vt narrabant (conueneram enim sanctum Pissimium, Isidorum, & Paphnutium, & Ammonium) hæc fortis mulier induta [173] seruili caracallâ, vesperè eis ferebat quæ erant ad vsum necessaria. Cùm autem id cognouisset consularis Palæstinæ, & vellet sinum suum implere, sperauit fore [174] vt eam terreret: eamque retentam coniecit in carcerem, ignorans eius libertatem. Hæc autem significat ei, dicens: Ego illius quidem fui filia, huius verò vxor qui in terrâ fuit genere clarus: nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris, possum enim me, si velim, extollere; nec potes me terrere, neque ex rebus meis aliquid accipere: ne ergo fortè ignorans in aliquod crimen incidas, quænam sim tibi declaraui. Oportet enim aduersus stolidos, tamquam cane & accipitre vti animi elatione, & in tempore eorum superbiæ in ipsos immittere. Tunc certè iudex cum hęc accepisset, se excusauit, & eam adorauit: & iussit eam absque vllo impedimento cum sanctis viris versari.

In monte Nitriæ sanctos patres inuisit.

Subministrat monachis necessaria.

CAP. CXVIII.

Vita [175] RVFFINI *presbyteri.*

Melania Ierosolymis monasterium virginum exstruit.

HÆC, postquam hi fuerunt reuocati, monasterio ædificato Ierosolymis, viginti septem annos versata est in Ierusalem, habens cõuentum virginum quinquaginta.

Cum quâ vixit etiam nobilissimus & moribus simillimus & fortissimus Ruffinus ex Aquileâ ciuitate Italiæ, qui posteà dignus est habitus presbyteratu: quo non est inuentus inter homines nec doctior nec mitior. Viginti autem & septem annis excipiebant eos qui veniebant Ierosolyma voti causâ, & episcopos, & monachos, & virgines & matrimonio iunctos, & illustres & priuatæ conditionis, & omnes qui aduentabant, suis fouebant expensis. Iuuerunt quoque [176] schisma quod Paulinum sectabatur, circiter quadringentorum virorũ vitam monasticam agentium; & omnem hæreticum ex Pneumatomachis, hoc est ex ijs qui bellum gerunt aduersus sanctum Spiritũ, persuasum introduxerunt in Ecclesiam: & clerum qui erat in eo loco, & donis & alimentis honorantes, sic vitam transegerunt, neminem offendentes, sed omnẽ propemodum orbem terræ iuuantes.

Peregrinos voti causâ Ierosolyma venientes excipit.

Hæreticos & schismaticos conuertit.

Atque de admirabili quidem & sanctâ muliere Melaniâ superiùs quidem narraui attingendo leuiter: nihilo seciùs autem reliqua, vel potiùs ea quæ teneo memoriâ de eius virtutibus, adtexam oratione; nempe inenarrabilem religiosissimæ mulieris beneficentiam, per quam cùm beatum incorruptionis indumentum suis texuisset laboribus, & quæ non potest marcescere gloriæ coronam, suis pecunijs, proprio suo capiti fabricata esset, & induisset, cum multâ fiduciâ hinc excessit ad Dominum. Me ergo incipientem narrare præclara huius beatæ facinora, si volo dicere quæ scio, tempus deficiet. Quantam quidem opum materiam ea consumpsit in egentes, cælesti correpta desiderio, non arbitror flammam ignis, si in copiosam inciderit materiam, tantam posse exurere. Hoc autem non est meum solùm narrare, sed etiam eorum qui Persidem & Britanniam, & omnes habitant insulas. Beneficiorum enim & largitionum huius immortalis feminę non Occidens, non Oriens, non Septemtrio fuit expers, nec Meridies. Triginta enim & septem annos hospites excipiens, illis ea quæ erant vsui suis præbuit sumptibus, ecclesijsque & monasterijs & hospitijs & carceribus: & vt semel dicam, nullus ex ijs qui eam conuenit, non est aliquam partem eius opum consecutus, suppeditantibus ei consanguineis, & ipso filio, & procuratoribus quotannis pecunias & tamquam luculentæ lucernæ oleum ministrantibus, vt fulgido lumine flammam accendens eleemosynæ largitione cunctos illuminaret. Ea autem cùm in hospitalitate adeò perseuerauerit, ne palmum quidem terræ possedit, non abstracta est à cupiditate filij ab amore solitudinis, non eam diuisit à charitate in Christum [177] vnigeniti filij desiderium. Sed eius precibus adolescẽs ad summam peruenit doctrinam, moribusque fuit ornatissimus, claroque & illustri fuit matrimonio coniunctus, & mũdanos est honores consecutus; [178] qui duos quoque habuit filios, qui testarentur iustum matrimonium.

Melania bonis operibus coronã sibi texuit.

Beneficentia eius totus orbis particeps.

Annis 37. hospites excipit.

Non tenetur affectu vnici filij.

Multis itaque pòst annis cùm de neptis

 statu

statu audisset, eam & nupsisse, & velle saeculo renuntiare; verita ne fortè in aliquam malam abriperentur doctrinam, vel haeresim, vel malam vitam, anus sexaginta annos nata nauem ascendit, & Caesarea nauigans viginti dierum spatio Romam venit. Atque illic quidem cùm esset, beatissimũ virum maximae existimationis clarissimum [179] Apronianum, qui erat gentilis, catechesi instituit, & Christianum fecit, persuasitque vt contineret etiam cum sua vxore, eius autem sororis filiâ, Auitâ nomine. Cùm autem suam quoque neptem confirmasset Melanium vnà cum eius marito [180] Piniano, & catechesi instituisset Albinam nurum suam, vxorem autem sui [181] filij, & persuasisset his omnibus vendere quae habebant, Româ eos eduxit, & ad honestum ac tranquillum vitae portum deduxit. Et sic depugnauit aduersus bestias, nempe eos qui erant ordinis senatorij, & eorum vxores; prohibentes eam renuntiare reliquis suis aedibus. Christi autẽ ancilla eis dicebat: Filij, plusquam quadringentis ab hinc annis scriptũ est, Vltima hora est. Quid ergo lubẽtes ac volentes immoramini in vanitate vitae? ne forte veniant dies Antichristi, & non possitis frui vestris opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cumque omnes his verbis [182] liberasset, ad monasticam vitam traduxit, & filium iuniorẽ Publicolam cum instruxisset, duxit in Siciliam; cumque reliqua omnia sua vendidisset, & pretium accepisset, duxit Ierosolyma: & cùm facultates diuisisset, intra quadraginta dies dormijt in bonâ senectute & summâ mãsuetudine, & venerãdâ memoriâ eleẽmosynis redũdans, relicto etiã monasterio Ierosolymis & sumptibus monasterij.

Continentiam coniugibus suadet Melania.

Ad renuntiationem saeculi multos inducit.

1.Ioan.2.

Ierosolymis moritur, monasterio ibi iam olim exstructo.

Postquam autem hi omnes Româ abscessissent qui catechesi instituti fuerant à beatâ Melaniâ, barbarica quaedam procella, quae etiam in prophetis iam olim posita fuerat, in Romam irruit, & nec aeneas quidem statuas reliquit in foro, sed omnia barbaricâ diripiens insolentiâ, corrupit; adeò vt Roma quae mille & ducentis annis pulcherrima fuerat & frequentissima, dirueretur, fieretque deserta, & vt ait Sibylla, ῥύμη, hoc est vicus, non Roma. Tunc qui catechesi fuerant instituti, & ei minimè aduersati, Deum laudauerunt qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quòd alijs omnibus redactis in seruitutem, eae solae saluae fuerint familiae, quae Domino fuerunt holocausta, studio beatae Melaniae; cùm ceteri qui eorum saluti aduersabantur, eorum inutili poenitentiâ detinerentur.

Roma diruta fit vicus.

Cap. CXIX. *Vita* [183] PARVAE MELANIAE.

Qvoniam autem relaturum me de filiâ Melaniae spopondi, necessarium est vt nunc debitum reddam. Non enim iustum, vt iunioris quoque in carne Melaniae vitam despiciamus, & neptis magnae Melaniae tantam virtutem tacitam praetereamus, quae longè fortè praestat prudentibus & studiosis vetulis. Hanc ergo aetate iuuenem, pietatis autem sententiâ vetulam, parentes inuitam nuptum dedere, eam iungentes matrimonio viro vrbis Romae primario. Haec semper stimulata auiae suae narrationibus, tantum fuit sauciata, vt matrimonio nõ posset inseruire. Cùm autem ei nati essent duo filij masculi, ijque decessissent, tantum eam coepit odium matrimonij, vt dixerit marito suo [184] Piniano [185] filio Seueri, qui erat ex praefectis. Si volueris quidem mecum cohabitare vt ratio dictat temperantiae, & te dominũ agnosco, & profiteor meam vitam esse in tuâ potestate: sin autem hoc tibi graue videtur vtpote iuueni, res omnes meas tibi habe, & solùm sine me corpore esse liberam, vt satisfaciam meo quòd est ex Deo desiderio, facta heres eius quae est ex Deo virtutis meae auiae, cuius etiam nomen gero. Si enim vellet nos Deus degere in hoc mundo, & frui rebus mundanis, non filios mihi natos accepisset immaturos. Cùm autem longo tempore inter se contenderent, Deus posteà misertus adolescentis, ei quoque zelum immisit religionis, vt ipse quoque mũdi vniuersae renuntiaret terrenae materiae, adeò vt impletum fuerit quod scriptum est ab Apostolo: Quid enim scis mulier an virum seruabis? Cùm ergo nupsisset viro tredecim annos nata, septẽ verò cum eo vixisset, vigesimo suae aetatis anno mundo renuntiat: & primùm quidem omnia sua serica [186] superhumeralia tegumenta dedit altaribus (quod & veneranda fecit Olympias) reliqua autem serica indumenta cum conscidisset, diuersam supellectilem fecit ecclesiasticam. Argentum autem & aurum cùm credidisset cuidam Paulo [187] presbytero monacho Dalmatae, id per mare misit ad Orientem: atque Aegypto quidem & Thebaidi decies mille solidos, Antiochiae autem & eius quae circa ipsam sunt regionibus solidos decies mille, Palaestinae solidos quindecies mille distribuit. Ecclesijs autem quae sunt in Occidente, & monasterijs, & xenodochijs, & omnibus egentibus per seipsam suppeditauit, & suppeditat his quadruplo plura, vt Deus nouit [188] ex ore leonis Alarici eripiens fide suâ. Liberauit autem seruorum qui voluerunt octo millia; reliqui enim noluerunt, sed maluerũt manere cum [189] fratre eius. Omnes autem possessiones quas habuit in Hispanijs, in Aquitaniâ, in Tarraconensi & Gallijs, & in alijs ciuitatibus, cùm vendidisset, eas ad tres vsque solidos

Narrationibus auiae ad continentiam stimulatur iunior Melania.

Viro continentiam persuadet.

1.Cor.7.

Ornamenta sua vertit in ornatum ecclesiae.

Melania quomodo sua distribuerit.

2.Timoth. 4.17.

dos.

dos distribuit: quæ autem habebat in Siciliâ, Campaniâ, & Africâ, sibi reliquit, vt suppeditare posset monasterijs & egenis. Hæc est sapientia in primis religiosæ, & quæ mentem senilem susceperat de pecuniæ materiâ, Melaniæ iunioris.

Hæc autem erat eius exercitatio: Post diem vnum comedebat; in principio autem post quinque, variè ancillis suis seruiens; quas etiam secum vnà reddidit exercitatrices. Iam verò ipsa quoq; multos ex suis cognatis ducens ad zelum diuinum, fecit vt similiter atque ipsa religiosè Deum colerent. Hæc est vita iuuenis Melaniæ per Dominum nostrum Iesum Christum.

Cognatos ad religiosam vitam allicit.

CAP. CXX.

De [190] ALBINA.

HABEBAT autem secum quoque matrẽ Albinam, quæ similiter exercetur, & similiter rursus seorsim dispergit suas pecunias. Habitant itaque in agris, aliquãdo quidẽ Siciliæ, aliquando verò Campaniæ cũ eunuchis quindecim, & virginibus & ancillis.

Albina opes dispersit.

CAP. CXXI.

De [191] PINIANO.

SIMILITER autem Pinianus quoque eius quondam maritus, nunc autem in opere virtutis adiutor vnanimis, qui exercetur cum triginta monachis, & legit diuinas Scripturas, hortoque colendo est intentus & congressionibus. Non paruo autem nos honore affecerunt cùm Romam venissemus propter beatum Ioannem episcopum nos reficientes, & abundantissimis viaticis excipientes, accersentes æternam vitam Domini nostri Iesu Christi, & optimæ vitæ institutionis.

Pinianus & Melania Palladium Romæ hospitem excipiunt.

CAP. CXXII.

De [192] PAMMACHIO.

HORVM cognatus fuit vir ex proconsulibus, nomine Pammachius, qui cùm mundo renuntiasset, vitam egit optimam; & suas opes partim viuus dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus.

Pammachius omnibus renunciat.

CAP. CXXIII.

De [193] MACARIO.

SIMILITER etiam quidam nomine Macarius ex [194] Vicariâ.

CAP. CXXIV.

De [195] CONSTANTIO.

CONSTANTIVS quoque assessor præfectorum Italiæ, insignes viri & eruditissimi, qui peruenerunt ad summum pietatis & religionis; quos existimo adhuc nunc quoque esse in carne, optimam instituendæ vitæ rationem exercentes, beatamque vitam & nulli exitio obnoxiam exspectantes.

Constantius ex assessore religiosus.

CAP. CXXV.

De [196] PAVLA ROMANA.

INTER quos fuit etiam Paula Romana mater Toxotij, vxor N. ad spiritalem vitæ institutionem accommodatissima. Cui impedimento fuit Hieronymus quidam Dalmata: nam cùm posset superare multas, ne dicam cunctas, vt quæ ad vitam ex virtute gerendam esset optimo ingenio prædita, eam suâ inuidiâ impedit, ipsam trahens ad scopum proprium.

Palladius calumniatur sanctissimũ Hieronymum.

CAP. CXXVI.

De EVSTOCHIO.

CVIVS filia nunc quoque exercetur in Bethleem, nomine Eustochium: quam ego non conueni. Dicitur autem esse castissima, habens conuentum quinquaginta virginum.

Eustochiũ cum 50. virginibus exercetur.

CAP. CXXVII.

De VENEREA.

INVENI autem Veneream Ballomeci comitis filiam, quæ onus cameli rectè dispersit, & liberata est à vulneribus quæ oriuntur ex materiâ.

Venerea opes elargiens.

CAP. CXXVIII.

De [197] THEODORA.

ET beatam Theodoram tribuni filiam, quæ ad tantam processit egestatem possessionum, vt ipsa eleëmosynam accipiens sit mortua.

Theodora extremè egens.

CAP. CXXIX.

De [198] VSIA.

IN monasterio Hesychâ propter mare, noui mulierem nomine Vsiam, longè in omnibus honestissimam.

Vsia honestissima.

CAP. CXXX.

De ADOLIA.

ET eius sororem Adoliam, quæ ipsa quoque vixit in virtute, & non pro eius quidem dignitate, sed pro suarum virium facultate vixit in zelo Dei.

Adolia sibi Deoq; vixit.

CAP. CXXXI.

De BASIANILLA.

NOVI autem etiam Basianillam Candiani magistri militum filiam, quæ ipsa pio & alacri animo virtutem exercuit, & in hodiernum vsque diem certamina acriter exequitur.

Basianilla ascetria.

CAP. CXXXII.

De PHOTINA.

ET Photinam virginem summè honestam, filiam Theoctisti presbyteri in Laodiceâ.

Item Photina.

CAP. CXXXIII.

De ASELLA.

VIDI autem Romæ quoque Asellam honestam Dei virginem, quæ honestè consenuit in monasterio, mulier longe mitissima, & quæ retinebat conuentus, in quibus vidi & viros & mulieres catechesi recenter institutos.

Asella conuentus virorum & mulierum instituit.

CAP. CXXXIV.

De [199] AVITA.

VIDI etiam beatam Auitam Deo dignam cum eius marito Aproniano, & eorum

Auita cum marito & filiâ Deo seruit.

eorum filiâ Eunomiâ, in omnibus Deo benè placentes, vt apertè facilè traducti fuerint à dissolutâ & voluptariâ vitâ ad honestam & continentem vitæ institutionem, in his quoque digni habiti vt in Christo dormirent, ab omni quidem peccato liberi, perfectè in honesto certamine decertantes, in bonâ memoriâ vitam suam relinquentes.

CAP. CXXV.

De [200] MAGNA.

Ancyra decem millia virginum.

In ciuitate Ancyrâ sunt multæ quidem aliæ virgines, nempe ad decem millia, duo autem vel plura, quæ exercentur, & in omni virtutis institutione militant; omnesque temperantiæ legibus claræ & insignes feminæ, & diuinum certamen studio exequentes. Inter quas principatum obtinet in pietate Magna honestissima femina & probissima: quam nescio quid sim nominaturus, virginémne an viduam. A matre enim vi viro coniuncta, eum tamen varijs inescans dilationibus, & corporis morbos prætexens, à corruptionis vitio integra & intacta permansit, vt dicunt eius necessarij. Cùmque paulò pòst decessisset eius maritus, omnium simul facta est heres vnica: & temporalibus deinceps commutans æterna, totam seipsam Deo obtulit, summè curam gerens vitæ quæ semper manet, suis famulis honestè imperans, agens vitam laboriosissimam & plenam temperantiâ: in congressu tam seuera, vt ipsum eius aspectum reuererentur etiam excellentissimi episcopi propter insignem pietatem & religionem. Atque ipsa quidem superuacaneam & nimiam opum materiam, paupertatis igne consumpsit: quæ autem supererant, ea constituit ad subministrationem monasterijs, ptochotrophijs, xenodochijs, ecclesijs, pauperibus, transeuntibus, episcopis, orphanis, viduis, & omnibus egentibus suppeditans auxilium, non cessabat hilariter operari pietatem latenter, & per se, & per seruos fidelissimos, ab ecclesiâ non recedens noctu maximè: in omnibus in virtute se exercens propter spem eius quæ verè est vita.

Magna continens in matrimonio.

Vultu seuera & episcopis reuerenda.

Munifica in pauperes.

CAP. CXXVI.

De [201] VIRGINE *quæ excepit Athanasium episcopum.*

Novi ego Alexandriæ virginem, quam offendi natam circiter septuaginta annos. Ei clerus vniuersus dabat testimonium, quòd cùm esset iuuenis, nata annos circiter viginti, & longè formosissima, fugiebatur ab ijs qui erant studiosi virtutis propter pulchritudinem, ne inureret eis aliquam labem ex suspicione. Quando ergo accidit vt Arriani struerent insidias beato Athanasio Alexandrino episcopo per Eusebium, qui erat eo tempore præpositus sub Constantio Imperatore, nefariorum criminum eum accusantes & calumniantes: vitans iudicari à corrupto iudicio, apud neminem ausus est delitescere, non apud cognatum, non amicum, non clericum, non apud aliquem alium familiarem; sed repentè episcopatum ingressis præfecti ministris, & eum quærentibus, accepto suo [202] sticbario seu tunicâ, & birro, mediâ nocte confugit ad hanc virginem. Illa autem fuit rei nouitate obstupefacta, & timore correpta. Dicit ergo ei episcopus: Quandoquidem quæror ab Arrianis, nefariorum criminum ab eis accusatus, ne ergo & ego veniam in malam existimationem, & in peccatum conijciam eos qui me volût afficere supplicio, eâ de causâ fugere constitui: mihi ergo Deus reuelauit hac nocte, me apud nullum alium posse esse saluum nisi apud te. Illa ergo præ magno gaudio omni eiectâ dubitatione, cùm tota esset Domini, prompto & alacri animo occultauit sanctissimum episcopum sex annos, quamdiu vixit Imperator Constantius: ipsa & eius pedes lauans, & excrementa expurgans, & in alijs quæ erant ei vsui inseruiens, librosque ei commodans & prębens. Neque vllus sex annis nouit Alexandriæ, vbinam ageret beatus Athanasius episcopus. Postquam ergo fuit annuntiata mors Imperatoris Constantij, & peruenit ad eius aures, honesto & venerabili habitu indutus, rursus noctu fuit inuentus in ecclesiâ. Quem videntes omnes magnâ sunt affecti admiratione, vt qui ipsum viuum accepissent ex mortuis, simul etiam postulantes eius amici de latebris quæ ab eorum ignoratione inueniri non potuerant. Respondit itaque beatus Athanasius germanis suis amicis: Eâ de causâ ad vos non confugi, vt verè iurare possetis; & alioqui etiam propter inuestigationem, ad illam confugi de quâ nemo suspicari poterat, vtpote formosam & iuniorem: duo bona procurans, & illius salutem; illi enim profui, & meæ existimationi & securitati.

Formosissima virgo etiam castissima, & maximè taciturna.

Athanasius vt apud virginem delitent, diuinitus monetur.

Mirum huius virginis obsequium in Athanasium.

Athanasius redit ad suos.

CAP. CXXVII.

Vita Ammæ TALIDA.

Amma Talida 80. annis ascetria.

In ciuitate Antinoi sunt feminarum monasteria duodecim; in quibus conueni etiam Ammam Talida, quæ octoginta annos fuerat in exercitatione, vt narrabat ipsa & eius vicinæ. Vnà cū eâ habitabant sexaginta adolescentulæ. eam autem adeò diligebant, vt ne esset quidem clauis aulæ monasterij, vt in alijs: sed ipsæ ab eius amore omnes detinerentur. Eò autem impatibilitatis processit anus, vt cùm ego essem ingressus & consedissem, ipsa quoque ingressa sit, & vnà mecum

cum sederit, & magnâ libertate ac fiduciâ in Christo meis humeris manum imposuerit.

CAP. CXXVIII.

Vita A[illegible]æ TAOR.

IN hoc monasterio e[illegible] virgo huius discipula, nomine Taor, quæ triginta annos versata erat in monasterio, vt narrabant qui nouerant. Ea vestem nouam aut mauortem aut calceum noluit accipere, dicens: Non est mihi opus, ne etiam cogar progredi. Aliæ enim omnes die Dominico progrediuntur in ecclesiam gratiâ Communionis: illa autem in monasterio manebat pannis obsita, operi assiduè assidens. Ea autem fuit tam eleganti aspectu, vt parum abesset, quin etiam valdè constantes decipenentur eius pulchritudine, nisi insigne præsidiũ habuisset temperantiam, quæ ad metum & verecundiam deducebat honestate impudicos oculos.

Taor nouas vestes respuit, ne egredi cogatur.

Forma sua temperantiâ consulit.

CAP. CXXIX.

De VIRGINE *quæ renuntiauerat.*

ERAT quædam alia virgo religiosæ vitæ operibus viriliter insistens, mihi vicina, cuius vultum quidem non vidi: numquam enim, vt aiunt, est progressa ex quo renuntiauit. Cùm autẽ impleσset sexaginta annos in exercitatione cum matre suâ propriâ, erat posteà vitâ excessura. Ei autem in visione adstitit [103] Colluthus vocabulo martyr, qui in illis colebatur locis, hoc ei dicens: Hodie es itura ad Dominũ, & visura Sanctos omnes: veni ergo & prande nobiscum in martyrio. Cùm ergo manè surrexisset & se induisset, & in sporta panẽ accepisset & oliuas, & minuta olera, post tot annos est egressa; & cùm venisset in martyrium, orauit: & cùm toto die obseruasset tempus in quo nullus erat intus, & nona iam aduenerat hora, & sedisset, rogauit martyrem, dicens: Benedic cibos meos, Colluthe sancte, & me in viâ comitare tuis precibus. Cùm ergo comedisset & rursus orasset, domum venit circa occasum solis. Et cùm dedisset matri suæ opus Clementis Stromatei in prophetam Amos, dixit ei: Da id episcopo relegato. Et dixit ei: Ora pro me; vado enim ad Dominum meum, decessit ipsâ nocte. Cùmque nec febri laborasset, nec ei caput doluisset, sed seipsam ad sepulturam composuisset, in manus Dei spiritum suum commendauit.

Virgo numquam egrediens.

Preces pro viatico extremo petit.

Clementis opus in Amos episcopo legat.

CAP. CXL.

De VIRGINE *quæ lapsa est, & egit pœnitentiam.*

QVÆDAM virgo exercitatrix manens cum duabus alijs virginibus, se exercuit nouem vel decem annis. A quodam autem cantore inescata cum eo habuit stupri consuetudinem: & cùm vtero concepisset, peperit. Cùm autem in summũ odium prorupit eius qui ipsam deceperat, in profundo compuncta est animo, & ad eam peruenit mensuram pœnitentiæ, vt in eâ perseuerans se fame vellet occidere, hoc cum lacrymis orans, Deumque rogans, & dicens: Deus magne, qui omnium nostrûm peccata portas, & immensum totius mundi vitium; qui non vis mortem peccatorum, & eorum qui labuntur interitum, sed misereris vniuersæ creaturæ; est enim voluntas tua, vt omnes seruentur. Si ergo me quoque, quæ pereo, vis esse saluam, in hoc mihi tuam ostende bonitatem, & nunc tua ad me perueniant mirabilia: & iube hinc [104] abduci & colligi fructum meæ iniquitatis, qui conceptus est in lasciuiâ, & genitus in peccato: nam nisi hoc fiat, ego hac de causâ vel me laqueo suffocabo, vel meipsam in præceps deijciã. Cùm sic oraret, fuit exaudita: nam qui natus fuerat infans, non multo pòst decessit. Ab illo ergo die non amplius conuenit eũ qui ipsam redegerat in seruitutem; sed se totam insigniter dedens continentiæ, ægrotis mancisque ac mutilatis seruiens triginta annos, ita Deũ placauit, propitiumque reddidit, vt cuidam sancto presbytero reuelaretur, illam Deo magis placuisse in pœnitentiâ quàm in virginitate. Hæc autem scribo, ne eos qui multa peccant, & ex animo ac sincerè agunt pœnitentiam, contemnamus: sicut hæc beata, quæ cor suum contriuit, & in humilitate vitam suam liquefecit, non despecta fuit à Domino eorum qui ducuntur pœnitentiâ.

Virgo lapsa desperabunda.

Oratio pœnitentis virginis.

Ezech. 33.

Fornicationis filium à Deo tolli impetrat.

Pœnitentia quàm virginitate Deo gratior.

CAP. CXLI.

De FILIA *presbyteri quæ Lectorem calumniata erat, &* EVSTATHIO *Lectore.*

CVIVSDAM presbyteri filia virgo in Cæsareâ Palæstinæ lapsa, ab eo qui ei vitiũ attulerat docta fuerat, vt quemdam ciuitatis lectorem calumniaretur, & quòd corrupta esset, in eum culpam conferret. Cùmque ferret ventrem, à patre suo examinata, nominauit lectorem. Hoc cùm audijsset presbyter, conturbatus retulit ad episcopum. Hoc cùm audijsset episcopus, conuocauit concilium sacerdotum, fecitque vocari lectorem, deque eo habuit quæstionem, rem examinans. Rogatus autem ab episcopo, rem non fatebatur lector: nam quod factum ab ipso non fuerat, quomodo dici poterat? Ægre ergo ferens episcopus, grauissimâ voce ei dicebat: Non fateberis lapsum tuum, & ages pœnitentiam, ô infelix & plene immunditiâ? Respondit lector: Rogo te; dixi id quod res est, hanc rem ad me nihil pertinere. Planè enim culpâ careo, vt qui de eâ ne cogitauerim quidem: sin autem vultis audire id quod non

Lector iniustè accusatus de stupro.

non est, dicam, Feci. Hoc cùm ipse dixisset, deposuit eum episcopus ab officio lectoris. Post hoc accidens ad pedes episcopi, rogauit dicens: Si hoc tibi visum est, domine episcope, vt quoniam dixi, Næ, lapsus sum, sim de gradu ecclesiastico deiectus, & non sim dignus esse clericus tuæ sanctitatis, iube vt mihi ab hoc tempore ea detur in vxorem: neque enim ego sum deinceps clericus, neque illa virgo. Cùm hæc audijsset episcopus & presbyter, eam tradidit pater eius lectori, sperans fore, vt iuuenis benè esset in eam affectus, & alioqui credens non posse eum abstrahi à consuetudine. Cùm eam autem adolescens accepisset in manus ab episcopo, & eius patre, eamque esset consolatus, abduxit & deposuit in monasterio mulierum, rogans eam quæ illic erat prima ministra fraternitatis, vt eam illic tolerarent vsque ad partum eius. Illâ verò relictâ in monasterio, lector abiens seipsum inclusit in cellâ sordidâ, vitæ summam suscipiens asperitatem, ad Christum accedens in corde contrito cum multis lacrymis & gemitibus, dicens: Tu Domine meas actiones nosti, qui scis omnia, quem nihil latet, neque est vllus locus occultus in quo quis se abscondat à tuâ quæ omnia aspicit potestate, qui vides omnia priusquam fiant. Tu solus vides profunda cogitationum, & omnis mentis conceptio à te cernitur, perinde ac si aspicitur oculis. Tu cùm cogitatorum sis acer examinator, perfectè iudicas. Tu qui eis qui afficiuntur iniuriâ fers auxilium, qui falli non potes, dum eos vindicas, qui appetuntur calumnijs; cui nihil placet iniustum: omne autem momentum stateræ iustitiæ est à te semper, adstat enim tibi perpetuò lux ad quam non patet aditus: & omne opus hominis est coram te. Est ergo tui iusti & immutabilis iudicij, ius quoque meum pronuntiare. Efficaciter autem orante adolescente, & in ieiunio diligenter perseuerante, intra breue tempus adfuerunt dolores eius partus. Cumque aduenisset hora, adfuit etiam iustum Dei iudicium, afferens vehementem & intolerabilem dolorem ei quæ fuerat calumniata: gemituum immensa multitudo, labores partus inenarrabiles, inferni suppliciorum visiones terribiles, hanc miseram fortiter obsidentes, & infans propter magnitudinem non prodibat ex vtero. Præterijt dies primus & secundus, & dolores erant intolerabiliores; aduentauit tertius & quartus, & secutus est dolor multis partubus grauior; quintus & sextus & septimus tenebrosus, & infelix mulier ex multo dolore versabatur in inferis. In omnibus his diebus mansit neque omnino cibum sumens, nec tantillum somnum videns; sed luctibus & grauissimis dolorum tormentis succedentibus, post hæc omnia, vitiatæ & falsæ accusatricis cor in[illegible]bile, victâ à Dei potestate, quæ non cadit sub aspectum, intolerabilibus doloribus addidit etiam confessionem, lugubri voce exclamans: Hei mihi misera, venio in periculũ ne peream, vt quæ in duo mala inciderim, nẽpe in calumniam & fornicationem, & amissâ virginitate sum tradita detractioni: & cùm mihi sit ab alio allatum vitium, accusaui lectorem. Cùm hęc autem audijssent virgines monasterij, patri eius omnia renuntiarunt. Pater autẽ veritus ne cõdemnaretur vt calumniator, cùm non adhiberet fidem dictis, silet duos dies. rursus autem misera, se inuicem excipientibus acerbis affligtabatur doloribus, cùm non posset deinceps vel viuere vel mori. Cúmque id effugit, oritur dies octauus, & rursus nonus, grauissimis perpetuarum vertiginũ tenebris eam offuscantes. Cùm ergo eius magnos eiulatus non ferret conuentus, hæc cursim festinantes renuntiant episcopo, iam esse nonum diem ex quo illa confitetur se accusasse lectorem, nec posse parere, quòd ipsum sit calumniata. Episcopus autem cùm hæc audijsset à virginibus, ad lectorem mittit duos diaconos, ei omnia significans, & vt pro ipsâ oraret, vt misera mulier liberaretur ab ijs necessitatibus. Egregius autẽ adolescens neque eis dedit responsum, nec aperuit ostium; sed à quo die ingressus est in cellã, non exijt, implens consuetam regulam ieiunij, & Deo preces fundens. Flexus autem pater, & filiæ suæ misertus, veniens ad episcopum, eum valdè rogauit vt pro eâ orationes fierent in ecclesiâ. Et cùm pro eâ preces fusæ essent ab omnibus ad Dominum, ne sic quidem misera liberata est à necessitate. Eius enim qui per calumniã fuerat accusatus, orationes Dominum monentes, arcebant, ne eorum preces admitterentur. His sic gestis, surgens episcopus iuit ad cellam in quã erat lector: & cùm pulsasset ostiũ, nolebat is aperire. Cùm diu autem foris fuisset episcopus, ille autem intus, iubet episcopus tolli ostiũ. & ingressi inuenerunt adolescentem in oratione perseuerantem, & humi procumbentem. Quem multùm rogans episcopus, ei dicit: Frater Eustathi lector, in apertum prolatâ calumniâ Dei prouidentiâ, & exauditis tuis orationibus, miserere eius quæ in te peccauit, quæ tormentorum flagellis fuit excruciata. Miserere deinceps miseræ, & surgẽs solue quod ligasti, precibus enim tuis hæc patitur, & dic Domino vt eam liberet à partu ventris. Cùm autem inclytus lector intensè oraret simul cum episcopo, statim misera liberata est à necessitate, enixa infantem; rogans omnes

Deponitur ab officio.

Oratio lectoris Eustathij iniustè delati.

Puella in partu diuino iudicio cogitur fateri stuprum, & purgare lectorem.

Innocens Eustathius lector perstat inclusus, instar pœnitentis.

Episcopus pergit ad cellam lectoris Eustathij.

Precibus lectoris eripitur misera à partus doloribus.

nes vt ei remitteretur iniquitas ipsius iusti intercessione: & illum egregium virum habuerunt omnes deinceps loco martyris. Nam cùm se deinceps liberasset ab omni sollicitudine, peruenit ad summum vitæ quę ex virtute agitur, adeò vt is sit dignus habitus spiritali gratiâ. Hæc autem scripsimus, ne quis calumniatus illaqueetur his inimici retibus, & incidat in dolores carnis intolerabiles, sicut hæc priùs scripta est falsa accusatrix: postquam autem à corpore fuerit liberatus, tradatur æternis intolerabilibus tormentis, & quæ numquam desinent. Deum enim ad iram prouocat is qui calumniatur: qui autem per calumniam accusatur, idque fert pio & æquo animo, & eius in apertum prolationem permittit precibus, exspectans iustum Dei iudicium, sicut hic à Christo coronatus; is &, quoad eius fieri potest, laudatur, & in honore habetur, & æternam coronam consequitur. Discamus ergo diligenter quàm sint insuperabiles vires orationis, quæ & fideles confirmat, & peccatorum miseretur, & flectit ac mouet omnium creatorem, & eos coronat qui se ex virtute rectè gerunt, & eis qui in eâ perseuerant, largitur regnum cælorum.

Qui calumniam patitur, exspectet Dei iudicium.

Orationis vis.

CAP. CXLII.

Vita sanctæ [205] SILVANIAE.

ILLO tempore contigit vt nos simul nauigaremus ab Æliâ in Ægyptum, deducentes beatam Siluaniam virginem, sororem autem Ruffini, qui fuit ex præfectis.

CAP. CXLIII.

De [206] IVBINO.

INTER quos erat etiam nobiscum Iubinus, tunc quidem diaconus, nunc autem episcopus ecclesiæ Ascalonis, vir pius & eruditus. Cùm autem vehementissimus nos æstus inuasisset, & peruenissemus Pelusium, accidit vt Iubinus acceptâ pelui, pedes & manus palmis lauaret aquâ frigidissimâ, & postquam lauisset, super pelliculam humi stratam requiesceret. Cùm autem illa id aduertisset, vt mater sapiens germani filij, eius increpauit mollitiem, dicens: Quî in animum inducis, illam agens ætatem, viuente adhuc tuo sanguine, vsque adeò tuam fouere carunculam, non sentiens damna quæ ex eâ oriuntur? Confide, confide: ecce ago annum ætatis sexagesimum, [207] præter extrema manuum mearum (& hoc propter communionem) non pes meus aquam tetigit, non vultus, neque vllum ex membris meis, etiamsi me variæ inuaserint ægritudines: & cùm à medicis cogerer vti balneo, non induxi in animum carni reddere debitum, non in lecto quiescens, non lecticâ vsquam gestata ingrediens.

Iubinus episcopus Ascalonis.

Austera vita Siluania.

Hæc cùm esset doctissima, doctrinam amore complexa, noctes vberi oleo à se illuminatas mutabat in dies, omnia antiquorum qui commentarios ediderunt scripta percurrens, Origenis tricies centena millia versuum, Gregorij & Stephani, & [208] Pierij, & Basilij, & quorumdam aliorum præstantis virtutis virorum millia ducenta & quinquaginta non leuiter, nec temerè hæc percurrens, sed elaboratè septies vel octies vnumquemque librum perlegens, vt horum verborum gratiâ in altum erigeretur, spe bonâ seipsam auem efficiens spiritalem, & ad Christum euolans, immortales ab ipso acceptura remunerationes.

Doctorum scripta studiosè legit.

CAP. CXLIV.

De [209] OLYMPIADE.

EIVS vestigia est secuta, & omnem virtutem diuinæ vitæ spiritalis, in primis veneranda & honesta Olympias, & quæ viæ quæ fert in cælum summo zelo tenebatur, diuinarum Scripturarum sententiam secuta in omnibus. Fuit autem secundùm carnem [210] filia Seleuci ex comitibus, vera autem Dei filia secundùm spiritum; neptis autem Ablauij qui erat ex præfectis, aliquot autem dies [211] sponsa Nebridij, qui fuit ex præfectis vrbis Constantinopolis; ipsa autem reuerà fuit vxor nullius. Dicitur autem dormisse virgo incorrupta, effecta diuini verbi conuictrix, coniux autem totius veræ humilitatis, communicans & ministrans omnibus egentibus. Ipsa cùm omnes illas infinitas & immensas dispersisset diuitias, absolutè & indiscriminatim opem ferebat omnibus. Non enim vrbs, non rus, non solitudo, mansit expers largitionum huius inclytæ virginis: sed & ecclesijs suppeditauit ad donaria deputata sacrificio, & monasterijs, & cœnobijs, & xenotrophijs, & custodijs, & relegatis; & vt semel dicam, in omnem orbem terræ dispersit eleëmosynas. Hæc beata processit vsque ad extremum terminum humilitatis, vltra quem nihil possit inueniri amplius. Vita sine vllâ inani gloriâ, species nequaquam ficta, sinceri mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantiâ alienus, cor minimè turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, charitas immensa, quæ cōprehendi non potest communicatio, vilis & contempta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleëmosynâ quæ non potest narrari, ornamentum omnium humilium, cui multæ sunt accensæ tentationes ex operatione eius qui est suâ sponte malus & omnis boni expers, nempe dæmonis: quæ pro veritate non parua adijt certamina, quæ & diu affatim vixit in immensis lacrymis, omni

Olympias stirpe nobilis.

Virgo in matrimonio.

Eleëmosynarum larga.

Corpore & mente florens in omni humilitate.

ni humanæ naturæ subiecta propter Dominum; cum omni pietate sanctis subdita episcopis, venerans presbyteratum, honorans clerum, reuerens exercitationem, suscipiens virginitatem, opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutē, ægrotos inuisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes vtens misericordiâ, profusè autem in pauperes, multisque infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A seruitute in libertatem innumerabilium seruorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati, vel potiùs, (si vera dicere oporteat:) facti sunt huius sanctæ habitu nobiliores. Neque enim eius indumentis inueniri potuit quidquam vilius: nam ijs etiam qui sunt pannis valdè obsiti, indigna erant huius sanctæ tegumenta. Tanta autem erat eius mansuetudo, vt etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nullâ vituperatione à vicino quidem vmquam inuenta est apud hanc quæ Christum gestabat; sed omnis eius vita non vitalis, erat in compunctione & frequenti profluuio lacrymarum; & potiùs videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quàm huius non sublimibus & Christum semper videntibus oculis lacrymas deficere. Et quid in his immoror? Quò enim magis meus versabitur animus in duræ instar saxi animæ narrandis certaminibus & virtutibus, eò magis inuenientur verba à factis remotiora. Nec me existimet aliquis hæc splendidè & magnifice colligere de hac vel maximè impatibili, & perquirere reliquias castissimæ Olympiadis, quæ tota fuit pretiosum vas sancti Spiritus; sed qui his oculis viderim huius beatæ vitam & angelicam institutionem, vt qui fuerim spiritalis huius germanus amicus, & eius cognatis familiarissimus, adeò vt multæ eius pecuniæ sint à me ex eius sententiâ distributæ. Hæc ergo non ampliùs de cetero quæ sunt carnis sapiens, subiecta principatibus, obediens potestatibus, venerans presbyteratum, honorans vniuersum clerum, confessione quoque digna est habita pro veritate, importunarum recusationum multis acceptis procellis. Cuius vitam inter confessores referunt, quicumque pij habitant Constantinopolim, vt quæ proximè matrem periclitata sit in ijs quæ sunt ex Deo certaminibus: & in his mortua beatam accepit gloriam, & in infinito sæculo coronata pompam agit, nulli interitui obnoxias cum sanctis & sibi similibus in sempiternum mansiones habitans, & bonorum operum à Christo Domino cum fiduciâ accipiens remunerationes.

Cleri reuerens.

Varia opera misericordiæ exercuit.

Vilibus vestimentis induitur.

Lacrymis diffluit.

Vas est pretiosum sancti Spiritus.

Inter confessores relata Olympias.

De CANDIDA. CAP. CXLV

POST hanc æquali quoque modo in Domino viuens, beata Candida, Traiani vxor Magistri militum, cùm & ad summam peruenisset honestatem, & rationi conuenienter ornasset ecclesias, & venerata esset episcopos pro dignitate Christi Sacramentorum, & omnem Christi clerum apertè honorasset, & suam filiam instituisset in sorte virginitatis, eam præmisit ad Christum, donum suorum viscerum: posteà autem ipsa quoque, temperantiâ & castitate & pecuniæ dispersionibus filiam suam est consecuta. Hanc ego vidi egregiam mulierem totâ nocte laborantem & molentem, & proprijs manibus facientem panem oblationis, ad vires corporis deprimendas, & dicentem: Cùm non sufficiat ieiunium, hanc ei do sociam laboriosam vigiliam, vt Esau dissolutam, eneruemque lasciuiam. Ea ab ijs quæ sunt sanguine prædita & animata omnino abstinuit; nisi quòd sumebat pisces & oleum & olera, idque solùm in die festo: omni autem alio tempore contenta erat [212] oxycrato & pane arido. In hac vitæ asperitate, cùm beatâ requie obdormijsset hæc mulier inclyta, nunc fruitur bonis æternis, quæ sunt parata ijs qui dilexerunt vitam quæ ex virtute agitur.

Candida filiam virginem Deo dicat.

Vt corpus exerceat, facit panes oblationis.

Abstinet à carnibus.

De [213] GELASIA. CAP. CXLVI

CONSEQVENTER zelo huius bonæ feminæ, veritatis viam ingressa est, piè trahens iugum virginitatis, in primis veneranda Gelasia, cuiusdam tribuni filia. Huius optimæ hæc fertur virtus, quòd sol numquam occidit super eius dolorem, non aduersus seruum, non aduersus ancillam, non aduersus aliquem alium. Hæc beata cùm effugisset viam eorum qui sunt acceptæ iniuriæ memores, quæ fert ad mortem æternam, euasit hunc malum diaboli stimulum, nempe odij & maleuolentiæ; & cùm desideraret æternam peccatorum remissionem, remisit parua delicta, vt ipsa quoque inueniret maiorum remissionem.

Gelasia mitis, & iniurias condonans.

De [214] IVLIANA. CAP. CXLVII.

QVÆDAM nomine Iuliana, virgo in Cæsareâ Cappadociæ, dicta est esse & doctissima & fidelissima, quæ Origenem scriptorem fugientem gentilium insurrectionem excepit, eum duos annos occultans, suis sumptibus & suo ministerio virum alens. Inueni autem hæc in antiquissimo libro scripto versibus, qui quidem scriptus erat manu Origenis. Hunc librum inueni

Iuliana Origenis hospita.

inueni ego apud Iulianam virginem in Cæsareâ,[215] qui & ipse apud eam occultatus eram. Dicebat autem se accepisse à Symmacho interprete Iudæorum.

Non fuit autem alienum ab instituto opere, posuisse virtutes harum feminarum; sed vt sciamus, quòd ex diuersis occasionibus licet lucrari, si velimus.

C.CXLVIII

De [216] FEMINA *nobilissimâ quæ fuit semper virgo.*

Liber Hippolyti tempore apostolorum.

IN alio libro antiquissimo, scripto ab Hippolyto, qui fuit familiaris apostolorum, inueni talem narrationem:

Fuit quædam nobilissima virgo & formosissima, quæ in vitâ ex virtute agendâ exercebatur Corinthi. Hanc illo tempore detulerunt ad iudicem, qui erat gentilis in tempore persecutorum, vt quæ maledictis incesseret & tempora, & Imperatores, & simulacra. Proponebant autem eius pulchritudinem harum rerum cauponatores impio iudici, feminas insano amore depereunti; is verò, equinis auribus, & feminas insanè amantibus cogitationibus, accepit calumniam: eâ autem productâ ad hominem sceleratum, multò magis insanâ captus est intemperantiâ. Postquam autem omnibus aduersus eam adhibitis machinis, huic Dei homini persuadere non potuit, varijs tormentis subiecit fortem feminam. Postquam autem ne his quidem id quod volebat est assecutus, vt qui non posset eam abducere à Christi confessione: in eam insaniens crudelis, non tradit eam tormentorum cruciatibus, sed castam & temperantem feminam ponens in prostibulo, iussit ei qui eas possidebat, dicens: Hanc mihi cape; & tres solidos ex eâ ad me defer quotidie. Is autem aurum exigens ex turpi actione, eam tradidit volentibus in officinâ abominandi flagitij. Cùm hæc ergo nouissent qui tenebantur insano amore mulierum, assidebant sceleratæ exitij officinæ, mercedem dantes inhonestæ operationis. Illa autem virgo honestissima & in primis veneranda, & verba ad deceptionem deflectens, suppliciter eis dicebat, rogans: Habeo vlcus in loco occulto, quod mirandum in modum malè olet, & timeo ne vos mei odium capiat propter vlcus auersandum; concedite ergo mihi paucos dies, & tunc licebit vobis vel me habere gratis. His verbis persuasos intemperantes amandabat beata: assiduis autem precibus Deum placans, & compunctis supplicationibus eum inflexit ad misericordiam. Attendens ergo Deus qui nouit cogitationes, quomodo casta pudicitiæ curam gerebat ex animo, in illis diebus pro salute omnium tale quid struxit.

Virgo apud impium iudicem accusatur.

Ne quidquã blanditiis & minis ad libidinem allicitur.

Prostibulo traditur.

Fornicatores insigni stratagemate eludit

C. CXLIX.

De [217] MAGISTRIANO.

Magistrianus adolescens formosus seruat virginem.

QVIDAM adolescens Magistrianus, specie formosus, mente pius, cui Deus zelum immisit spiritalem adeò ardentem, vt etiam mortem contemneret: is cùm prætextu intemperantiæ eò accessisset, profundo vespere ingreditur ad eum qui illas alebat, & dat ei quinque solidos, & dicit ei: Concede mihi manere hac nocte cum hac puellâ. In locum ergo occultum cum eâ ingressus, dicit ei: Surge, serua te ipsam. & cùm eam suis vestibus induisset, tunicâ,[218] camisiâ, & chlamyde, & omnibus virilibus, dicit ei: Egredere, te summâ chlamydis parte contegens. Quæ cùm sic fecisset, & se totam signo crucis munijsset, egressa ex illo loco omnino incorrupta & impolluta, seruata est Christi gratiâ, & caussâ adolescentis qui eam suo sanguine liberauit à turpi vitio. Sequenti autem die res fuit cognita, & productus est Magistrianus ad sæuissimum iudicem. Cùm autem strenuum Christi athletam examinasset impius, & omnia didicisset, iussit eum obijci bestijs, vt etiam malis infestus dæmon in eo afficeretur ignominiâ. Nam cùm existimasset virum fortem in nefarium inijcere supplicium, eum effecit duplici Christi martyrem, vt qui & pro suâ animâ præclarè decertauerit, & pro illâ beatâ in laboribus strenuè perseuerauerit. Quocircà duplici honore & duabus insignibus coronis dignus est habitus à Christi benignitate.

Cruce se signans egreditur virgo è prostibulo veste virili.

Martyrium Magistriani.

CAP. CL.

De [219] VXORE *viri senatorij.*

MEMINI autem alterius quoque historiæ, & bonum est eam non præterire. Dicitur de Magnentino insurrectore, quòd habuerat stupri consuetudinem cum multis gentilibus, & animum adiecerat, vt rem etiam haberet cum Christianis; eæ autem malebant mori, quàm prodere pudicitiâ. Cùm ergo venisset in vnam vrbem, amauit quamdam vxorem viri senatorij ex præfectis. Timore autem affectus eius maritus, dixit ei: Mitte, tolle eam. Cùm autem venissent ad eam milites, dixit eis mulier: Exspectate parumper donec mundum meum componam, cui sum assueta. Ingressa autem suum cubile, accepto ense, eum suis infixit visceribus. Audiant virgines & erubescant, quæ profitentur se Christum habere sponsum, & prauâ eum produnt libidine. Nobis autem det vnicuique Deus seruare virginitatem, & exultantibus clamare cum Psalmographo: Confige in timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Et, Vi- Psal.118. Gal.2.

Mulier se ense transfigit ne stuprum patiatur.

uo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Concedatur autem vt vos quoque dicatis sobriæ: Ego patrueli meo, & patruelis meus est mihi, aliquando quidem sponsus, aliquando verò frater, vt nihil cogitetur carnale. Si enim audieris sponsum & sponsam, significat spiritalem vnionem cum patre.

Cant. 6.

Vidimus autē alios quoque patres & monachos per totam Ægyptum, multas virtutes & signa facientes, quorum non meminimus propter multitudinem, sed pauca pro multis narrauimus. Quid enim dixerit aliquis de superiori Thebaide quæ est per Syenem, in quâ sunt viri valde admirabiles, & multitudo monachorum infinita, quorum non crediderit aliquis vitæ instituta, vt quæ vitam humanam superant: qui etiam mortuos in hodiernā vsque diem suscitant, & super aquas ambulant, sicut Petrus: & quidquid Seruator per sanctos effecit apostolos, ea nunc quoque efficit. Sed quia magnū imminebat periculum, si vltra Lyco transiremus, propter latronum irruptionem, non ausi sumus videre illos sanctos. Neque enim prædictos patres vidimus sine periculo, neque sine labore aspeximus sacras has feminas: sed multa prius passi, & propemodum periclitati, vix assecuti sumus vt ea videremus. Septies enim in mortem incidimus; in octauo autem malum nos non attigit, cùm Deus nos omnino seruasset. Semel enim quinque dies & noctes ambulantes per solitudinem, fame & siti propè fuimus exanimati. Aliquando autem in acutas & asperas paludes incidentes, & pedes nostros perforantes, vt dolores essent intolerabiles, propemodum frigore enecti sumus. Tertiò autem cœno ad lumbum vsque inhæsimus, & non erat qui eriperet; & has beati Dauid voces exclamauimus: Saluum me fac Domine Deus, quoniam ingressæ sunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in lutum profundi, & non est substantia: &, Serua me à luto, vt ne infigar. Quartum autem fuit aquæ multitudo quæ affluxit ex Nili incremento, cùm quatuor dies per aquas ambularemus: & in ostijs propemodum obrutis. Tunc clamauimus, dicentes: Ne nos demergat tempestas aquæ: nec me deuoret profundum. Quintò autem incidimus in latrones in littore maris, venientes in Diolcon: qui nos etiam eousque sunt persecuti, volentes comprehendere, donec nobis paruus relinqueretur spiritus, vt qui nos decies mille passus essent persecuti. Sextò autem, Nilum nauigantes, propemodum euersi ac submersi sumus. Septimum fuit, quando in palude Mareotide, vbi charta nascitur, abiecti sumus in quamdam paruam insulam desertam: & tres noctes & dies sub dio mansimus, magno frigore & imbribus nobis imminentibus: erat enim tempus Epiphaniorum. Octauum autem superuacaneum quidem est narrare, sed tamen est vtile: nam cùm nos per quemdam locum venissemus Nitreas, erat in eâ regione quoddam magnum concauum, in quo multi remanserant crocodili, cùm aqua recessisset ex agris. Tribus ergo crocodilis in margine fossæ extensis, accessimus visuri beluas, putantes eas esse mortuas: illæ autem statim in nos irruerunt. nobis autem magnâ voce Dominum nominantibus, Christe adiuua nos, statim beluæ tamquam ab Angelo auersæ, seipsas in aquam sunt iaculatæ. Nos autem Nitreas magno cursu contendimus, illam vocem Iob meditantes, vbi dicit: Septies ex necessitatibus liberabit te; in octauo autem te non attinget malum. Deo ergo agimus gratias qui nos ex tot liberauit periculis, & nobis magna ostendit spectacula.

Ruff. l. 2. in epilogo.
Thebaïs superior monachis referta.
Magno periculo peregrinatus est Palladius in eremos.
Sitis.
Paludes & sentes.
Cœnum.
Psal. 68
Nili incrementum.
Psal. 68.
Latrones.
Naufragium.
Insula deserta.
Crocodili.
Ad Christi nomen crocodili fugiunt.
Iob 5.

Vita[220] FRATRIS *qui cum eo versabatur.* CAP. XLI.

CVM ergo pauca dixero de fratre qui mecum versatur à iuuentute vsque in hodiernum diem, hîc deinceps finem imponam orationi. Eum ego cognoui longo tempore, cùm comederet, omni gulæ affectione caruisse, & itidem cùm ieiunaret, affectum non fuisse, vt qui, vt arbitror, vicisset affectionem, longè remotum ab auaritiâ, contentum semper præsentibus, non seornantem vestibus, contemptum gratias agentem, pro germanis amicis pericula adeuntem, dæmones expertum plus quàm millies, adeò vt quodam die cum eo dæmon pactus sit, & dixerit: Paciscere mecum te vel semel peccaturum, & quam mihi in hac vitâ dixeris, vel nobilem vel diuitem eam ad te adducā. Et rursus cùm aliquando quatuordecim noctes cū eo depugnasset, vt mihi narrauit, & noctu pede traxisset, ipsum est allocutus, dicens: Noli adorare Christū, & ad te non accedā. Is respondens, dixit: Propterea eum adoro, & innumerabilibus ampliùs partibus glorificabo, & sæpiùs orabo, quoniam eius cultus te malè habet. In centum & sex venit ciuitates, & in plurimis est etiā aliquo tempore versatus. Mulieris nullam habuit experientiam, ne in somnis quidem,[221] nisi si se somniaret à dæmone fornicationis oppugnari. Ter eum noui cibis indigentē esculenta accepisse ab Angelo. Quodam die cùm in extremâ solitudine ne micam quidem haberet, inuenit in pelle ouinâ tres panes calidos paxamidios; aliquando rursus vinum & panem; aliquando rursus venit ad eum vox, dicens:

Socius Palladij miris fulget virtutibus.
Depugnat cū dæmone.
Ab Angelo pascitur.

dicens: Noui tibi deesse cibos; vade & accipe ab N. illo homine frumentum & oleum. Cùm ergo venisset ad illum ad quem missus fuerat, is ipsi dixit: Tu es ille monachus? Tum ille: Ita, sum is quem dicis. Subiecit alter: Paterfamilias iussit quidem te accipere triginta modios frumenti, & duodecim sextarios olei. *Miseris cōpatitur.* De eo potero gloriari ac prædicare qualis esset; quem noui sæpè esse lacrymatum propter eos qui ex necessitate laborabant inopiâ: præbebat ergo si quid habebat, suo corpore excepto. Noui etiam eum esse lacrymatum propter eum qui ceciderat in peccata, & eum qui ceciderat adduxisse lacrymis ad pœnitentiam. Is mihi aliquando hoc narrauit: Deum rogaui, vt neminem compungeret, maximè ex diuitibus & improbis, vt mihi aliquid darent quod esset ad vsum necessarium.

Conclusio libri. Mihi autem hoc sufficit, quòd dignus sim habitus, qui horum omnium meminissem quæ scriptis mandaui. Non enim sine Dei numine hoc factum est, vt mens tua moueretur vt iuberes me hunc librum scribere, scriptis inquam tradere vitam horum sanctorum & beatorum Patrum.

Tu autem, fidelissime Christi serue ac venerande Lause, & caput mihi amicissimū & maximè germanum, hunc librum libenter legens, magnam tuæ immortali animæ præbebis vtilitatem, in iustorum resurrectione, inclytorum rectæ vitæ athletarūm instituta, labores, & tantam tolerantiam, vitæque duriter actæ patientiam mente complectens. Quamobrem ea prompto & alacri animo sequere, bonâ & incorruptâ spe nutritus, semper retrò videns dies qui antè sunt breuiores: & ora pro me, teipsum cōseruans alienum à reprehensione & custodiens integrū: qualem te noui & habui,[111] à consulatu Tatiani vsque in hodiernū diem: & qualem te noui rursus meliorem moribus, & electum [113] præpositum maximè pij cubiculi. Nam cùm sis in tantâ dignitate, in tot & tantis pecuniis, & tantâ potestate, non fecisti peius quàm Dei postularet metus. Is est Christo dedicatus, qui audijt à diabolo: Hæc omnia tibi dabo, si cadēs adoraueris me. sed eū Dominus pudore affecit, dicens: Vade post me. *Matth. 4.*

Quem quidem tu quoque imitans, fluentibus expulsis diuitijs, & vmbratili gloriâ vitæ præsentis, cælestem desiderasti & immortalem vitam, regnumque æternum, & manentem gloriam, & bona arcana, quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; *Isa. 64. 1. Cor. 2.* quorum nos Dominus efficiat heredes cum sanctis eius patriarchis & prophetis, & apostolis & martyribus, & ijs, quorum mentionem fecimus in hoc libro, gratiâ ipsius Seruatoris nostri Iesu Christi: cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, Amen.

IN LIBRVM OCTAVVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

AD hunc librum recensendum, cùm in primâ editione pauca Pallady Excerpta, partim ex Augustanâ Bibliothecâ promptè submittente Dauide Hæschelio, partim Venetiis à Gabriele Archiepiscopo Philadelphensi Græcè impetrassem, aliquam subinde in tenebris lucem ex ijs tunc hausimus. Nunc postquam Græco-Latina Pallady editio Parisijs ex MS. Regio, (quem etiam cum Palatino à Meursio Lugduni edito contulit) curante Frontone nostro Ducæo prodiit, maiore luce illustrati sumus. Iuuerit quoque in dubiis recurrere ad veterem Pallady interpretationem, & Heraclidis Paradisum, quæ Palladianæ historiæ magna est pars. vtrumque in Appendice habes.

CAP. I.

1 ISIDORVS.] *De hoc Socrates l.* IV. *c.* XVIII. *Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXIX. *Nicephorus lib.* XI. *capite* XXXIV.

Baronius tomo III. *anno Christi* CCCXL. *Quod autem, ait, pertinet ad Athanasij Romam aduentum, reperimus duxisse secum inter alios Isidorum illum, de quo plura Palladius, qui eum mirificè commendat.* Pallad. in Lausiac. cap. I.

CAP. II.

2. EXTRA VITTAM.] *Ita legendum liquet ex Heraclide, qui de capitis tegumento hîc habet. Græcè est in MS. Veneto,* ἐκτὸς φακιολίου, *in MS. Regio & Palatino,* φακιαλίῳ. *Vide Onomasticon.*

3. DOROTHEVS.] *De hoc Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodorus hist. Trip. lib.* VIII. *cap.* I. *& Nicephorus lib.* XI, *cap.* XXXV.

4. ET MINVTORVM OLERVM FASCICVLVM.] τὸ λεπτολαχάνων δέσμα. *Heruetus legisse videtur* λεπτολαχάνων δέσμην; *vertit enim*, & minutorum olerum decem; *at Heraclidis interpres lectionem receptam tuetur*, vnumque fasciculum oleris vilissimi, *& alius vetus interpres in Appendice Vitarum Patrum*, & de minutis olerum condimentis fasciculum. *Sic apud Pollucem legimus* φρυγάνων δεσμὸς & δέσμη. *Nicephorus de hoc ipso Dorotheo lib.* II. *c.* XXXV. Ἦξ δ' οὐγκίαι ἄρτου ἦν αὐτῷ βορὰ, καὶ δέσμιος λαχάνων λεπτῶν. Cibus ei erat panis sex vnciæ, & tenuium olerum fasciculus. *Fronto.*

5. FVNEM EX RAMIS.] *Hoc maluimus, quàm quod interpres*, catenam ex ramis. Σειρὰ *enim non catenam solùm, sed & funem sonat. Eustathio*, πλέγματα τινὰ ὡς χοινίον, ἢ σπάρτιον, ἢ κατάδεσμος, *Heraclidæ*, funem quemdam ex arbore dactylorum. *Synesius in Dione, de vitâ Monachorum, pag.* 46. Ἢ τί αὐτοῖς οἱ κάλαθοι βούλονται, καὶ τὰ πλέγματα ἅπερ μεταχειρίζονται; Quid sibi calathi volunt, textaque quæ tractare solent? *Fronto.*

6. PANIS QVOQVE.] Ψωμὸς *hic* panem *non* frustum *significat, vt verterat Heruetus. Vide Onomast.*

7. VBI CRVX ADEST] *Quasi legisset* σωτὴρ, *non* σταυρὸς, *vertit Heruetus*, Quò venit Seruator: *at felicius Heraclides:* Vbi crux adest, ibi nihil satanæ malignitas. *& alter vetus interpres:* Vbi crux Christi superducitur, non præualebit malitia diaboli. *Hieronymus in vitâ Hilarionis:* Christi crucem signauit in fronte. *Prudentius in Hymno ante somnum:*

Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Ita Fronto.

CAP. III. 8. POTAMIOENA.] *Baronius tomo* III. *anno Christi* CCCX. *Eusebij Papæ* II. *Constantini Imp.* V. *Hæc, si nomen, sique vltimi supplicij genus spectes, vna eademque videri posset cum eâ, quæ ponitur ab Eusebio lib.* VI. *cap.* IV. *Porrò diuersam hanc esse ab illâ, differentiæ plures constituunt, nimirum diuersus personarum status (nam illa ingenua, hæc serua) diuersumque supplicij tempus planè declarat. Passa hæc sub Maximiano, sed sub Seuero illa. quæ non Potamenia, sed Potamiœna dicta haberetur: verùm non in lebetem immissa, sed tantùm pice perfusa. Ceterùm & eiusdem quoque nominis fuisse diuersis temporibus plures virgines, iisdemque pœnis affectas, in amplissimâ ciuitate quis neget facilè potuisse contingere? Hactenus Baronius.*

Quod autem ait Baronius hanc Palladio dictam Potameniam, *alteram illam Eusebio dictã* Potamiœnam, *potiùs tribuendum corrupto textui Palladij, quo Baronius vsus est. Nam ita habet Paradisus Heraclidis, quem Palladij nomine edidit Lipomanus, sed prima Herueti editio* Potamianam. *In Græco textu est* Ποταμιαίνα. *In Palladij vetere interprete nomen hoc deest.* Potamiœna *facilè in* Potameniam *transire potuit.*

Potamiœnæ *sub Seuero martyrio affectæ celebris memoria agitur in Martyrologio Rom.* XXVIII. *Iunij. de quâ Eusebius lib.* VI. *cap.* IV. *quam Laurentius de la Barre in suâ Palladij editione eamdem cum hac nostrâ existimauit.*

Palladij editio omnis ex interpretatione Herueti loco Maximiani *habet* Maximini: *ita quoque Græca Parisiensis editio. Vereor vt erroneè. nam in aliis Græcis est* Μαξιμιανοῦ. *& ita quoque legit vetus Heraclidis & Palladij interpres.*

9. PRÆFECTO ALEXANDRINO.] *Græcè est* ἐπάρχῳ Ἀλεξανδρείας. *Non rectè Heruetus verterat*, Præsidi. *Benè vetus Palladij & Heraclidis interpres*, Præfecto. *Vide Onomasticon.*

10. PER CAPVT IMPERATORIS.] *Sollemne fuit olim iurare per caput Imperatoris. Vide Onomasticon.*

11. DIDYMI.] *De hoc Hieronymus in Catalogo illustr. Ecclesiæ Scriptorum cap.* CIX. *Sozomenus libro* VI. *cap.* II. *& ex eo Cassiodorus Tripart. hist. lib.* VIII. *cap.* VIII. *Nicephorus lib.* IX. *cap.* XVII. *& lib.* X. *cap.* XXXV. CAP. IV.

Frater Ioannes Maria Brasichellensis, Magister sacri Palatij, in Indice librorum expurgandorum, ita loco hoc adscribit: Hic Didymus tametsi & sanctitate & doctrinâ vir magnus ab initio fuerit, vt plura de eo Patrum elogia testantur: & tandem in Origenis errorem præcipitatus, & præcipuus Origenista habitus, tamquam hæreticus condemnatus est, vna cum Origene & Euagrio Pontico, in V. *Synodo generali, vt auctores sunt S. Tharasius episcopus Constantinopolitanus in confessione fidei, quæ habetur in* VII. *Synodo, actione* III. *Nicephorus lib.* XVII. *histor. capite* XXVII. *Cedrenus in Annalibus. Eumdem cum iisdem damnauit quoque S. Martinus Papa & martyr, in Concilio Lateranensi, Secretario* V. *cap.* XVIII.

12. ORBVS.] *Carens oculis. Græcè est*, ἐκ ὀμμάτων γεγονὼς. *Phrasis ea Græcis vsitata. Vide Onomasticon.*

13. DOMINVS ILLVMINAT CÆCOS.] *Editio Lugdunensis mendosè* σοφοῖ τυφλοὺς. *Communis editio Psalmorum, Psal.* CXLV. *v.* 8. σοφοῖ τυφλούς. *Augustinus & vetus Psalterium*, sapientificat; *& Heraclidis interpres hoc loco*, Dominus sapientes facit cæcos. *At Chrysostomus admonet alium Græcum interpretem edidisse*, κύριος φωτίζει: *vnde Romanum Psalterium, & vulgata Latina:* Dominus illuminat. *Fronto.*

14. VT OBRVATVR PRÆ CVRA COGNATORVM.] CAP. VI. *Vide egregiam Collationem super hac re S. Antonij apud Cassianum Collat.* XXIV. *cap.* XI.

15. MACARIVS.] *Heraclides hæc tribuit Isidoro. Et ne error sit in ambiguo vocabulo* Μακάριος, *quod nunc appellatiuè* beatus, *nunc propriè* Macarius *vertitur, exprimit nomen Isidori.*

16. LAPIDARIVS.] *Meursius in Lexico Græcobarbaro notat hic in Græco esse* χαλιδάριος. *Certè Heruetus recens Palladij, & vetus Heraclidis interpres, vterque vertit* lapidarius. *In Græco textu, qui nunc prodiit est:* Λιθουργὸς, ὃν λέγουσι χαλιδάριον.

17. ARSISII.] *Ita caput hoc inscripsi, quia hic post in textu vocatur* Arsisius. *In editionibus Palladij per Heruetum caput hoc hactenus inscriptum fuit*, Arsacij. CAP. VII.

Fuit quidem Arsacius *aliquis genere Persa, ex milite, & regiorum leonum custode, confessor tempore Licinij, post monachus in arce Nicomediæ, vbi & obijt. de quo Sozomenus lib.* IV. *cap.* XV. *Nicephorus libro* IX. *cap* XXXVIII.

Sed alius hic videtur Arsisius, *apud quem Palladius habitasse se dicit. De quo Sozomenus libro* VI. *cap.* XXX. *& Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXVII.

Meursius hic, in præfatione Regulæ Pachomij, Arsisij *pro* Orsiesij *substituit. minus rectè.* Orsiesius *vixit cum Pachomio, & ei post Petronium successit, vt habetur in eius Vitâ cap.* LIII. Arsisius *obiter dicit se eum vidisse.*

18. QVINQVE MILLIA MONACHORVM.] *Sic hodie in Atho monte* XXII. *insignia sunt monasteria Græcorum monachorum ordinis S. Basilij, quæ tri-*

tributi nomine Turcarum tyranno quotannis ex vinetis & oliuetis suis pendunt 6000. *obolorum Turcicorum. Mons is à Christianis* ἅγιον ὄρος, *hoc est,* sanctus mons *dicitur, à Rutenis* Suuata hora. *Ita notauit Io. Langus ad lib.* XI. *Niceph. c.* XXXVIII.

19. HAGIONEM.] *Apud Sozomenum libro* VI. *cap.* XXX. *& Nicephorum lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Arsisio seu Arsesio iungitur* Arsion. *Heraclides hic* Agionem *habet. Fors* Arsion *ex* Agione *deprauatum, vel contrà.*

20 FLAGELLVM.] *Ecce vetustam disciplinarum, vt vocant, memoriam, de quibus vide Gretzerum nostrum accuratè disserentem, peculiari eâ de re libro.*

CAP. VIII. 21. AMON.] *De hoc Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *Sozomenus lib.* I. *cap.* XIV. *& ex eo Cassiodorus histor. Tripart. lib.* I. *cap.* XI. *Nicephorus libro* VIII. *cap* XLI. *Vide dicta suprà ad librum* II. *Ruffini, capite* XXX.

22. ET CORONA REDIMIRI.] *Et sponsus & sponsa olim coronâ redimiri soliti. Vide Onomasticon.*

23. DOMINA ET SOROR.] *Qui continenter in matrimonio viuebant, vxores suas vocabant sorores. Vide Onomasticon.*

CAP. IX. 24. OR.] *De eo Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXIV. *Vide dicta suprà ad Ruffini lib.* II. *cap.* II.

Hic est ille Or hæreticus Origenista, quem Euagrius Ponticus (imò Ruffinus, vt Prolegomeno IV. docui) *inter sanctos alios, suo de Vitis Patrum libro* (suprà hic lib. II. cap. II.) *immeritò inseruit, vt auctor est S. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem. En quales sanctos nobis obtrudit Palladius. Vide Scholium nostrum Tom.* V. (Bibliothecæ Patrum) *ad initium Operis Euagrij, vbi quoque obseruauimus, ex decreto S. Gelasij I. idem esse iudicium Romanæ Ecclesiæ de einsmodi hominibus, & S. Hieronymi. Ita Magister sacri Palatij suprà citatus.*

CAP. X. 25. PAMBO.] *De hoc Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *Nicephorus lib.* IX. *cap.* XIV.

26. AMMONII ET EVSEBII, ET EVTHYMII FRATRVM, ET ORIGENIS FILII.] *Ita suppletum ex Græco codice Parisiensis editionis, cùm antè esset,* Ammonis & Ioannis filij. *Benè Heraclides, ad quem vide.*

27. QVI NE DVOS QVIDEM OBOLOS.] *Qui hic oboli, Marci* XII. *v.* 42. *dicuntur* λεπτά. *Vide Onomasticon.*

28. CVRASSEM.] *Latinis* curare, *quod Græcis* ἐνταφιάζειν. *Heruetus hic* sepelire *verterat, non rectè. Vide Onomasticon.*

29 ORIGENE PRESBYTERO AC OECONOMO.] *Ita est in Græco Parisiensi. In alijs:* Μακαρίῳ τῷ πρεσβυτέρῳ. *quod hic proprium videtur esse nomen, non appellatiuum, vt cepit Heruetus. qui vertit,* beate presbytero. *Apud Heraclidem c.* II. *est,* Paulo presbytero. *Nisi fortè per* beatum presbyterum *intelligatur Isidorus.*

CAP. XI. 30. PIOR.] *De hoc infrà hic cap.* LXXXVII.

CAP. XII. 31. AMMONII.] *De hoc Sozomenus libro* VI. *cap.* XXX. *& ex eo Cassiodor. lib.* X. *hist. Trip. capite* VII. *Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXVIII. *Vide dicta suprà ad Ruffini librum* II. *cap.* XXIII.

Baronius tomo III. *anno Christi* CCCXL. *Iulij Papæ* IV. *Constantini, Constantij, & Constantis Imperatorum* IV. *Quod pertinet, aït, ad Athanasij Romam aduentum, reperimus duxisse secum inter alios Ammonium admirandæ sanctitatis virum (alius hic ab illo, quem tempore Constantini in Domino quieuisse diximus: nam hic longè post Antonij obitum defunctus est) comitem habuit. De quo sic Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. Alius quidam monachus erat vir planè admirabilis, qui Ammonius vocabatur. Iste adeò parùm curiosus fuit, vt cùm Romæ vnà cum Athanasio fortè versaretur, nihil ex magnificis vrbis operibus, præter templum Petro & Paulo dicatum videre omnino desideraret. *Peruenit iste vsque ad Theophili Alexandrini episcopi tempora, à quo creandus episcopus cum Euagrio, auriculam sibi præcidit: ne (quod sibi videbatur) eligeretur indignus.*

Magister sacri Palatij suprà citatus, hic notat: Hic Ammonius fratrésque eius fuére palàm hæretici Origenistæ, qui ex Ægypto Constantinopolim fugientes, magnarum turbarum in ecclesiâ caussa fuére. quos nimiùm execrati sunt Hieronymus epistolâ ad Ctesiphontem; & Theophilus Alexandrinus epistolâ ad S. Epiphanium, quæ LXVII. *apud S. Hieronymum. Horum res nefariè gestas & turbines ab ipsis excitatos, ex certissimis auctoribus & monumentis exactissimè exponit tomus* V. *Annalium Ecclesiast. Ita ille.*

32. MEMORITER.] *Græcè,* ἀποστηθίζειν. *Eo ferè verbo in hac re vtuntur Græci, quod & infrà capite* XXI. *in Marco, & cap.* XXXIX. *in Aphthonio occurrit.*

33. IMPATIBILIS.] *Miser Palladius præceptoris sui Euagrij dogma de impassibilitate Stoica hic obtrudere conatur. Vide D. Hier. ep. ad Ctesiphontem. Ita Magister sacri Palatij hic annotat.*

Heraclides hic immediatè ante Beniamin quædam interserit de Euagrio & Ammonio, & ecclesiâ Ruffinianâ. Videtur Euagrio tribuere, quòd Ruffinum è fonte susceperit, & sic citat & intelligit Baronius tomo IV. *anno Christi* CCCXCIV.

34 BENIAMIN.] *De hoc Sozomenus lib.* VI. *capite* XXIX. *& ex eo Cassiodorus hist. Trip. lib.* VIII. *capite* X. *Niceph. lib.* XI. *cap.* XXXV. CAP. XIII.

35. SELLA LATISSIMA.] Δίφρος πλατύτατος. *Herueto fuit* currus latissimus. *Nos* sellam *maluimus vertere cum Heraclide, cui suffragatur & Nicephori Callisti interpres lib.* XI. *cap.* XXXV. δίφρῳ πλατυτέρῳ ἐκάθητο, latiore sellâ consedit. *Fronto.*

36. APOLLONII.] *Huius etiam meminit Sozomen. lib.* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodor. lib* VIII. *cap.* I. *Niceph. lib.* IX. *cap.* XIV. *& lib.* XI. *c.* XXXV. CAP. XIV.

37. VASA MEDICA OMNE GENVS.] Παντοῖα ἰατρεῖα, καὶ κελλάρια. *Heraclides:* omnem remediorum speciem atque cellaria comparans. *Meursius in Glossario* τὰ κελλάρια *exponit res quæ in cellario & pennario recondi solent, & citat Harmenopulum l.* II. *tit.* X.

Quæ in fine dicuntur friuola, *Græcè est* χυτάρια. *Vide Onomasticon.*

38. PAESII ET ISAIÆ.] *De his Niceph. l.* IX. *c.* XIV. CAP. XV. & XVI.

39. MERCATORE HISPANICO.] *Græcè,* ἐμπόρου Σπανοδρόμου. *Heraclidis vetus interpres vertit:* vsque ad Hispaniam semper negotiando pergebat. *Vidi Excerpta, in quibus erat* Πανοδρόμου. *an à ciuitate* Panos *in Ægypto? Hic infrà cap.* XXXIX. Εἰς Πανὸς πόλιν. In Panos ciuitatem. *Suprà in Vitâ S. Ioannis Eleemosynarij c.* XXXVI. *occurrit* Gallodromus.

40. NOBIS PEDES TVOS ATTINGENTIBVS.] *Ita restitutum ex Græco, cùm antè nullo sensu esset in Herueto,* ex tuis pedibus. *Obsecrationis species est,* pedes attingere, pedibus aduolui. *Vide Onomasticon.*

41. APVD DEVM.] *Græca sonant, vt vertit Heraclides,* Ante Deum vobis loquor, vtrosque in paradiso simul stare comperi. *Ita Paulus* II *Corinth.* XII. 19. Κατενώπιον τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν. Coram Deo in Christo loquimur, *& ad Gal.* I. *v.* 20. Ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι. Ecce coram Deo, quia non mentior;

tior; *vt intelligatur esse quadam species iurisiurandi.* II. *Tim.* II. *v.* 14. Διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου. Testificans coram Domino. *Simile illud infrà cap* CXIII. Ὡς ἐπὶ Θεοῦ ἡμᾶς ἔπειθεν, Vt coram Deo loquens nobis persuadebat. *Fronto.*

C.XVII. 42. MACARII IVNIORIS.] *Sozomen. libro* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodorus hist. Trip. lib.* VIII. *cap.* I. *Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXV.

43. SOLITVDINE.] *Interpres ediderat,* vt despueret dæmones solitudini insultantes, *quasi esset* ἐντρυφῶντας. *At Heraclides tuetur receptam lectionem capite* IV. Vt exultans solitariâ vitâ illuderet dæmones atque despiceret. *Fronto.*

C.XVIII. 44. ET TAVREA] *Non,* taurinâ pelle indutus, *vt Heruetus scripserat. Vide Onomasticon.*

C.XIX.& XX. 45. MACARII AEGYPTII ET ALEXANDRINI.] *De his Sozomenus libro* VI. *cap.* XXIX. *Socrates lib.* IV. *cap.* XVIII. *& ex eo Cassiodorus hist. Tripart. lib.* VIII. *cap.* VII. *Nicephorus lib.* IX. *cap.* XIV. *& lib.* XI. *cap.* XLII. *&* XLIII.

De mortuo à Macario excitato Cassianus Collatione XV. *cap.* III.

De pœnâ culicum *à se exactâ Petrus Damianus lib.* V. *epist.* VIII. Numquid & beatus ille Macarius dignè ridebitur, qui dum se inimicum quid admisisse pœnituit, acutissimis culicum rostris, quæ videlicet apros transfigerent, per sex menses membra sua nudus exposuit?

46. CVM DEO VERSARI QVAM HVIVS MVNDI REBVS OCCVPARI.] *Interpres Heruetus aliter:* & maiori tempore vel cum Deo, vel in rebus versari cœlestibus. Ἡ ὑπ' οὐρανόν, orbis terrarum. *V. Onomast.*

47. ERGA CONIVGEM SVVM VIRGINITATIS.] *Edidimus, cùm anteà legeretur* erga suum maritum Parthenicum, *quasi nimirum Parthenicus proprium esset mariti nomen : immò* παρθενικὸς ἀνὴρ *in Scripturâ dicitur, qui apud Plutarchum in Pompeio dicitur* παρθένιος ἀνήρ. Πένθει τὸν παρθένιον ἄνδρα καλοῦσιν. Publiũ qui me virginẽ adhuc duxit: *Ioel.* I. *v.* 8. Θρήνησον πρός με ὑπὲρ νύμφην περιεζωσμένην σάκκον ἐπὶ τὸν ἄνδρα αὐτῆς τὸν παρθενικόν. Plange magis quàm virgo cilicio præcincta propter virum suum virgineum. *Vulgata lat.* Super virum pubertatis suæ. *Poëtis est* κουρίδιος πόσις, ὁ ἐκ παρθενίας γεγαμηκὼς γυναῖκα. *Sic Iliad.* α. Κουριδίης ἀλόχου προβέβουλα. Κουριδίων ποθέουσα πόσιν τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν. *Fronto.*

48. AMPHORÆ VNIVS CILICENSIS.] *Græcè:* ἀμφορέα Κιλικίσιον ὕδατος. *Vide Onomasticon.*

49. SPIRITVS FORNICATIONIS.] *Videtur Heruetus alio Græco textu vsus, vt & vetus Palladij interpres. Pleniùs & alio sensu in Græco. Vide ad Heraclidem cap.* VI.

50. EX LAPIDIBVS QVADRATIS.] Ἐκ τετραπέδων λίθων. *Heruetus verterat,* quatuor pedum magnitudine. *Vide Onomasticon.*

51. LOCVS HVMIDVS.] *Græcè* ὕπικμος *ex MS. non vt est in excuso Lugdunensi* ὕπηγμος, locus humidus. *Heruetus,* locus qui cedit facilè, *quasi esset* ὑπεικτικὸς *vel* ὑποπτικὸς, *vel* ὑπείκων, *&* τὸ εἴκειν. *Heraclides suffragatur nostræ correctioni,* Puteum quoque fecerunt, eò quòd sine aliquo videretur humore idem locus esse. *Alter vetus interp.* Humectus est enim locus. *Ratio enim redditur, cur maximum puteum effoderint. Fronto.*

52. NARRAVIT AVTEM NOBIS.] *Hoc loco Heraclides interserit narrationem Macarij de Marco, quæ habetur & sequitur hîc cap.* XXI. *Inde sequitur hîc narratio Paphnutij etiam de Marco. Et dicitur Marcus dedisse Athanasio pellem, & Athanasius Melaniæ. Fortè* Marcus *positus pro* Macarius, *ex compendio litterarum. Tamen quod de ætate narratur, sexaginta videlicet annorum fuisse post Baptismum, & quadraginta ante Baptismum, vt habet Heraclides, conuenit Marco, quem dicit centum annos vixisse. Ruffinus verò libro* II. *histor. c.* IV. *Macario tribuit historiam de leanâ, vti & Græcus textus hîc.*

Similem historiam habes suprà lib. IV. *cap.* VIII. *ex Seueri Sulpitij Dialogo* I. *cap.* IX. *de anachoretâ anonymo circa Memphim, & quinque cæcis leænæ catulis ab eo illuminatis.*

53. MARCI.] *Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodorus lib.* VIII. *cap.* I. *& Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXV. CAP.XXI.

54. MOYSIS.] *Sozomenus lib.* 6. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodorus histor. Tripart. lib.* VIII. *capite* I. *Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXVI. *&* XLVI. *de eo etiam Theodoretus lib.* IV. *hist. cap.* XXI. CAP.XXII.

55. CVM SALTEM ITALICORVM CIRCITER OCTODECIM.] *Græcè,* σαίτλω ὡς ἑπτὰ καὶ δέκα νομισμάτων. *Vide Onomasticon.*

56. COMMVNICA SACRAMENTIS.] *Magna olim sacræ Communionis reuerentia fuit, vt quicumque somniis voluptuosis fuissent inquietati, è Communione eo die abstinerent. Vide in Onomastico* Pollutio nocturna.

57. PAVLI.] *De hoc Sozom. lib.* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodorus lib.* VIII. *cap.* I. *Niceph. lib.* XI. *cap.* XXXVI. *Cassian. Collat.* VII *cap.* XXVI. *de Paulo apud Panephysin.* C.XXIII.

58. CALCVLOS.] *Vel hinc probatur vetus vsus calculorum Rosarij: vt frustranei sint hæretici, qui vel recentem inuentionem vel superstitiosam calumniantur. Vide in Onomastico* Rosarium.

59. CRONIO.] *Niceph. lib.* XI. *cap.* XXXVII. CAP.XXV.

60. INTER BABYLONEM.] *Heruetus,* inter Babylonem & Herculeas. *Heraclides,* inter loca, quæ Babylonis & Herculis habent nomen. *Alius vetus interp.* Inter medium Babylonis & Heracliæ. *Capite* LXXII. *fit mentio* Ἡρακλέους Ὀασεως : *apud Rufinum,* in regionibus Heracleos.

61. EVLOGIO.] *Niceph. lib.* XI *cap.* XXIII *de alio Eulogio agit.* CAP.XXVI

62. ABI HINC SCELERATE FVGITIVE.] *Græcè,* κάτω, γλέων, φυγοκόει. *Meursius in Glossario pro* κάτω, γλέων, *legendum hîc censet* Σκατοφάγε: *quod idem est quod apud Aristophanem in Pluto* σκατοφάγος, *id est,* stercoriuorus. *Idem pro* φυγοκόει *scriptum reperit* φαγοκόει, *quod exponit* dominus helluo, *quasi* φάγων κύειος, *idque dictum fuisse vult in conuitio. Apud Vitas Patrum lib.* VII. *interprete Paschasio legimus,* Fugitiue, qui propriam domum deuorasti: *& apud veterem interpretem Palladij:* Multa mala commisisti, fugitiue, forsitan domini tui alienas pecunias furatus es. *Itaque Paschasius cùm vertit,* qui propriam domum deuorasti, *legisse videtur* φαγοκύει, *quasi* κυρίων φάγος: *sed idem tamen habet vocem* fugitiue, *quemadmodum & Heruetus, & interpres vetus Palladij: proinde verior lectio videtur* φυγοκύει: *quasi* φυγὰς κυρίω, qui dominum fugis, *vt* φυγόδεμνος, φυγοπόλεμος, *&* φυγαργός. *Sic Plautus in Pseudolo:*

Fur, fugitiue, fraus populi, fraudulente. *Fronto.*

63. MVTILATE, MACVLATE.] *Græcè est,* λελωβημένε, πεπαλωμένε. *Apud Paschasium sup. lib.* VII. *cap.* XIX. *n.* 3. Elephantiose, cœno & luto horride. *Vetus Palladij interpres:* Leprose, inueterate dierum malorum. *Quia Paschasius vertit:* cœno & luto horride, *videtur legisse* πεπηλωμένε, *à* πηλὸς lutum, *vel*

vel simile quid. Certè κολόβωμα est lutosus, lutum contrahens. *MS. Venetus* λελωβημένον καὶ πεπηρωμένον, mutilatum & truncatum: *quem initio huius capitis vocat* λελωβημένον, ὃς οὔτε χεῖρας εἶχεν, οὔτε πόδας, mutilatum, qui nec manus habebat, nec pedes. *Talis apud Suidam* Κυλλὸς *dicitur. Suidas:* Κυλλὸς, ὁ πεπηρωμένος, οὐ μόνον πόδα, ἀλλὰ καὶ χεῖρα. Cyllus, mutilatus non solùm pede, sed etiam manu. Πεπηρωμένος, *ait Fronto, vt in Epigrammate*, ὁ μὲν γυίοις πηρὸς, captus & truncatus membris *dicitur. apud Herodotum dicitur quis* ἑαυτὸν λωβᾶσθαι λώβην ἀνήκεστον, qui mutilat sibi faciem vt eam deformet: *vt necesse non sit hic elephantiasin suspicari; tametsi Heraclides c.* XXXII. λελωβημένοις *vertat*, elephantioso laborantibus morbo.

64. CHARITATE.] Agapas *Latini Patres conuiuia quædam Christianorum appellant, quibus pauperes excipiebant, vt annotarat hic interpres Heruetus, ideóque hic interpretatus erat*, & venerunt in cellam suam in fine agapes. *sed charitatem hic potiùs indicari vidit Heraclides, cùm vertit cap.* IX. redintegratâ pace: *nec aliter Paschasius cap.* XIX. *Ita dixit paulò antè Antonius:* Καὶ μετ' ἀγάπης καθαρᾶς ἐπεστρέψατε, & cū bonâ dilectione reuertimini: *vt* I. *Ioan.* IV. *v.* 18. Ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον. Perfecta charitas foras mittit timorem. *Fronto.*

C.XXVIII. 65. PAVLI SIMPLICIS.] *De hoc Sozom. libro* I. *cap.* XIII. *& ex eo, Cassiodorus lib.* I. *Trip. hist. c.* XI. *Nicephorus lib.* VIII. *cap.* XL.

66. PERTRANSIT OCTO MANSIONES.] Ὀκτὼ μονάς. *Ita hoc loco vertendum erat, non vt Heruetus*, octo monasteria. *Vide Onomasticon.*

67. HABENS PRINCIPALEM SÆVISSIMVM DÆMONEM.] *Vide Serrarium nostrum in Tobia capite* III. *par.* 2. *q.* 5. *quomodo aliqui dicantur principales dæmones.*

68. HELLVO SENEX.] *In Græco Parisiēsi est* φαγόγηρως, helluo senex. *At in meis Græcis*, κακόγηρως. improbe senex. *Sic & suprà cap.* XXI. *Vide Onomasticon.*

69. HELLVONES ISTI IN SENECTVTE.] *Græcè:* πολυφάγοι οὗτοι. *Vide Onomasticon.*

C.XXIX. 70. PACHON.] *De hoc Sozom. lib.* VI. *cap.* XXIX. *& ex eo Cassiodor. lib.* VIII. *Trip. hist. c.* I. *Niceph. lib.* XI. *cap.* XXXVI. *Vincent. Spec. hist. lib* XVII. *capite* LXXIX. *Antoninus parte* II. *Tit.* XV. *cap.* XI. *Dicitur hic Cassiodoro, Heraclidi, Vincentio, Antonino* Pachomius, *sed legendum* Pachonius *à* Pachon, *quod imposuit P. Maturio nostro ad Antoninum, vbi Cassiodori locum citat pro Pachomio Tabennensi, de quo hic infrà cap.* XXXVIII. *agit Palladius.*

CAP. XXX. 71. STEPHANI.] *De eo Sozom. lib.* VI. *c.* XXIX. *& ex eo Cassiodor. lib.* VIII. *Trip. cap.* I. *Nicephorus lib.* XI. *cap.* XXXVI.

72. EX LATERE.] *Heruetus:* ex transuerso. *Scribendum potiùs*, à latere Marmarico, *vel*, non longè à Marmaricâ. *Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXII. ἀμφὶ τὴν Μαρεώτιν οὐκ ἄποθεν τῆς Μαρμαρικῆς, circiter Mareoten, non longè à Marmaricâ. *Nicephorus libro* XI. *c.* XXXVI. ἀμφὶ τὴν Μαρεῶτιν οὐ πολλῷ τῆς Μαρμαρικῆς ἄποθεν, circa Mareoten non longè à Marmaricâ. *Sic Deut.* XXXI. *v.* 26. Θέσθε αὐτὸ ἐκ πλαγίων τῆς κιβωτοῦ. *Vulgata:* Ponite eum in latere arcæ Domini. *&* I. *Reg.* XX. *v.* 24. Ἐκάθισεν Ἀβεννὴρ ἐκ πλαγίων Σαούλ. Sedit Abenner à latere Saul. *Ita posteà cap.* XXXV. ἐκ πλαγίων τοῦ μοναστηρίου, ad latus monasterij. *Fronto.*

C.XXXI. 73. VALENTE.] *De hoc nihil nunc occurrit.*

C.XXXII. 74. ERONE.] *Cassianus Collat.* V. *cap.* II. *meminit Heronis senis, qui se in puteum præcipitauit. diuersus videtur ab hoc Erone.*

75. AD EORVM CVLTVRAM INSTRVMENTA.] C.XXXV.

Κήπους, καὶ τὰ τούτων χρηστήρια. *Heruetus verterat*, hortos & eorum oracula: *atqui non solùm oracula μαντεῖα dicuntur τὰ χρηστήρια vel loca in quibus ea redduntur; sed & τὰ χρηστήρια σκεύη sunt vtensilia, apud Pollucem τὰ ἔπιπλα: itaque Heraclides hic edidit*, hortulos quoque & instrumenta diuersæ supellectilis necessaria. *Fronto.*

76. PACHOMII.] *Vide de hoc Auctores citatos l.* I. *ad eius Vitam.* C.XXXVIII.

77. TABENNESIS.] *Græcè* Ταβεννησιώτης, à Tabennâ. *Vide Onomasticon.*

78. SINE VILLIS.] *Græcè in Parisiensi editione*, ἀμαλλα, *& sic etiam legit Heraclidis interpres, qui vertit*, sine villo. *Heruetus verterat* molles. *quasi legisset* ἁμαλά, *quod est in Excerptis Græcis Codicis Augustani: & Hesychius* ἀμαλὸν *exponit* ἁπαλὸν, molle. *In Veneto erat*, ἀμαλλαῖα. *sed lege*, ἄμαλλα ὡς.

79. ET CVM AD VESPERTINVM LVMEN.] *Græcè est*, ἐν τῷ λυχνικῷ, *id est*, vespertino lumine, *vt habet Heraclidis interpres. Vide Onomasticon.*

80. APHTHONII.] *Sic & Græcè* Ἀφθόνιος. *In Heraclide* Antonius *antè erat in primâ editione. Nunc ex variis MSS.* Aphthonius *restitui.* C.XXXIX.

81. PANOS CIVITATEM.] *Græcè*, εἰς Πανὸς τὴν πόλιν. *Atque ita interpres Heraclidis cap.* XIX. *legit. In Herueto erat*, in Spaniam quidem. *Vide suprà cap.* XV. *&* XVI.

82. AEDIFICANT.] *Videtur Heruetus legisse* οἰκοδομοῦντες. *sed MSS. August. Ven. & Paris. habent*, διακονοῦντες, distribuentes, *rectè. Nempe per monasteria & carceres distribuunt ea quæ manibus lucrati sunt. Heraclides cap.* XIX. Et ex his quæ quotidiano victui superesse poterant, etiam monasterijs feminarum, carceribusque vicinis necessaria quæque præbentes.

83. IN ARTE FVLLONIA, ALIVS IN PARANDIS CORIIS.] *Græcè*, ἄλλος γναφεῖον, ἄλλος βυρσεῖον. *Hæc non exhibebat textus Latinus Herueti, tantùm habebat*, in consuendis calceis. *Fortè id in suo Græco textu habuit, vel ita* βυρσεῖον *extulit. Heraclides capite* XIX. *postquam de* fullone *egit, addit:* Alter pellium, alter coriorum confectione sudabat. *Quare eius interpres auctius Græcum exemplar habuit. Excerpta Augustana post* βυρσεῖον *habent* σκυτοτομεῖον: *lege* σκυτοτομεῖον, *& hoc fortè Heruetus vertit*, in consuendis calceis.

84. VIRGINE.] *Quòd hic habes* oblationem *pro desperatâ non oblatam, vide simile exemplum apud Cassianum Collat.* II. *cap.* V. CAP. XL.

85. ET HOC SCELVS.] *Heruetus scripserat*, & fraternitati tantum attulisset dolorem: *videtur legisse* ἄλγος, *non* ἄγος, *vt habet excusus: & Heraclides vertit*, non ferens tanti sceleris atrocitatem. *Sed quòd addit Palladius* φιλάδελφος, *suadet vt* ἄλγος *potiùs amplectamur; nisi malis casum mutare, vt sit* εἰργάσατο τὸ ἄλγος τῇ ἀδελφότητι. *Fronto.*

86. VIRGINE.] *Non fuit hæc dicta* Amma *proprio nomine, vt quidam putarunt, sed appellatiuo, ex virtute, quòd ita* matres spiritales *vocarentur, vt hic sequitur. Vide Onomasticon.* CAP. XLI.

87. REDIMICVLVM.] Τὸ διάδημα. *Heruetus Latinè extulerat*, diadema in capite: *at Heraclides*, Hæc igitur inuolutū pannis habebat caput. *Pelagius l.* VI. *libello* XVIII. coronam *vertit: sed posteà*, cùm vidisset frontem ipsius panno inuolutam; *quòd hic Græcè est*, καὶ τὸ ῥάκος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς, καὶ τοῦ μετώπου. *Cetera nimirum religiosæ virgines cucullis coopertum habebant*

caput,

caput, hac redimiculo vel tania simplici, vel panno. Fronto.

88. SALEM.] *Quid* Sale *sit, sequitur:* Sic enim vocarit illic eas, quæ non sunt sanæ mentis. *Vide Onomasticon.*

C. XLIII. 89. IOANNE.] *Vide de eo citatos auctores suprà ad lib. II. cap. I.*

90. TYRANNORVM.] *Græcus Codex exprimit nomina,* Μαξίμου, Εὐγενίου: Maximi & Eugenij. *Ita & Heraclides.*

91. TEMPVS ASCENSVS.] *Græcè,* Καιρὸς ἀναβάσεως. *Puto intelligi ascensum Nili. Sic suprà cap. XXXVII.* cùm Nilus ascenderet. *Vide Onomasticon.*

92. VENERABILEM SENEM.] *Græcè,* εὐλόγηρον.

93. MORBVS ENIM.] *Heruetus,* timens ne fierem hydropicus *Heraclid.* atque illic hydropem meditans. Μελετᾶν *hic idem valet, quod,* studere, cogitare, vergere, *vt qui meditatur defectionē, ad eam tendit. Sic Ionas I. v. 4.* Et nauis putauit conteri, *vt ex Hebræo Vatablus: vulgata,* periclitabatur conteri. *Fronto.*

94. AN DIVINA VOLVNTATE.] *Interpres ediderat* an potentiori voluntate. *Rectiùs Heraclides,* vtrùm studio hominū, an voluntate diuinâ, ἐξ εὐδοκίας τοῦ κρείττονος, *qua vox Numen diuinū etiam apud profanos significat. Plutarchus in Pyrrho:* ὥς τινα τῶν κρειττόνων θαυμάζοντες. tamquam aliquem ex dijs admirantes. *Socrates lib. I. cap. IV. Histor.* Ὁμολογῆσαι χάριν τῷ κρείττονι. *Nicephorus l. XVI. cap. XXIX.* τοῦ Κρείττονος συνεργοῦντος, Deo opitulante. *Ita huius Lausiacæ historiæ cap. LII.* Τὴν ἀδελφὴν ὑπὸ χεῖρα δὸς τῷ κρείττονι. *quod perperàm interpres,* digna laboribus consequatur à potentiori. *Fronto.*

CAP. XLVI 95. NVNTIATA EST.] *Retinuerat vocem Græcam interpres:* Hodie, aiebat, venerunt Alexandriam epinicia maximè pij Theodosij. *Prosper in Chronico ad annum Christi* CCCCXCV. *meminit huius Prophetiæ Ioannis:* Ioannes anachoreta, clarus habetur; qui ornatus prophetiæ gratiâ Theodosium consulentem, de euentu belli, quod aduersus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit. *Fronto.*

C. XLVIII. 96. AMMONÆ.] *De hoc vide dicta ad Ruffinum lib. II. cap. III.*

C. XLIX. 97. BE.] Benus *hic dicitur Ruffino libro* II. *capite* IV. *Ibi vide.*

CAP. L. 98. THEONA.] Theon *hic dicitur Ruffino l. II. cap. VI. vbi consule.*

CAP. LI. 99. ELIA.] *Vide citatos de hoc auctores suprà ad librum* II. *Ruffini cap. XII.*

CAP. LII. 100. APOLLO.] *De eo citatos auctores vide ad dictum librum Ruffini cap. VII.*

101. ET NICOLAOS MAXIMOS, ET PANES MVNDOS ET CALIDOS.] *Græcus MS. Venetus:* Καὶ νικολάους παμμεγέθεις, ἄρτους δὲ καθαροὺς καὶ θερμούς. *Parisiensis editio Græca loco* δὲ *habet* δέκα, decem. *Deceptus Heruetus, qui verterat:* Et nicolaos panes maximos, & puros lupinos. *Nempe* θέρμους *legit, id est,* lupinos, *pro* θερμοὺς, calidos. *Vide dicta ad l. II. Ruff. c. VII. n. 21.*

CAP. LIV. 102. COPRE.] *Sozom. lib. VI. cap. XXVIII. Cassiodorus lib. VIII. cap. L. Niceph. l. II. c. XXXIV.*

C. LVIII. 103. ANVPH.] *Niceph. lib. XI. cap. XIV.*

CAP. LIX. 104. HELLENIS.] *Sozom. lib. VI. cap. XXVIII. Cassiod. lib. VIII. cap. L. Niceph. lib. XI. c. XXXIV.*

CAP. LX. 105. APELLE.] *Sozom. Cassiod. Niceph. ibidem.*

CAP. LXI. 106. IOANNIS.] *Niceph. lib. XI. cap. XXX.*

107. MITTEBAT EVLOGIAS.] *Heruetus interpres verterat,* mandabat benedictiones. *Vide Onomast.*

C. LXII. 108. PAPHNVTIO.] *De variis Paphnutiis vide dicta ad lib. II. Ruffini suprà cap. XVI.*

109. MERCATORE.] *Sozom. lib. VI. c. XXIX. Niceph. lib. XI. cap. XXXVIII.* CAP. LXV.

110. APOLLONII.] *Dubito an de hoc Sozomenus lib. VI cap. XXIX. & ex eo Cassiodorus lib. VIII. Tripar. cap. III. Niceph. lib. IX. cap. XIV. Vide notata ad Ruff. sup. lib. II. cap. XIX.* CAP. LVI.

111. PHILEMONE.] *Vide dicta ad Ruffinum eodem libro & capite.* C. LXVII.

112. MARTYRIO.] *Id est, templo martyrum. Vide Onomasticon.*

113. TABERNACVLA.] *Græcè,* σκηνώματα. *P. Fronto noster hic substituit* corpora. *Pro vtroque* σκήνωμα *capitur, vti &* tabernaculum.

114. DIOSCVRI.] *Dicitur hic* presbyter. *quare distinctus videtur à Dioscoro* episcopo, *cuius mentio sup. cap. X. Nisi idem antè presbyter, post episcopus factus sit. Vide dicta sup. ad Ruffin. lib. II. cap. XX. vbi alios auctores de hoc Dioscoro nostro citauimus.* C. LXVIII.

115. NITRIENSES.] *Vide notata sup. ad Ruffin. lib. II. cap. XXI.* CAP. LXIX

116 AMMONIO] *De hoc non memini legere præter ea quæ habes sup. apud Ruff. lib. II. cap. XXIII.* CAP. LXI.

117. ISIDORI.] *Vide Notationem ad librum* II. *Ruffini cap. XVII.* CAP. LXII

118. AMMONA.] *Dicitur hic suprà Ruffino lib. II. cap. XXXII.* Piammon. *vbi vide Notationem.* C. LXXII.

119. SACRIFICIVM.] Προσφέρων λατρείας. *Quæ vox licet propriè* cultum *vel* obsequium *sonet, tamen & pro* sacrificio *vsurpatur: & suffragatur nobis Ruffinus: quem comperimus cap. XXXII. scripsisse, Piamonem hæc vidisse, cùm Domino sacrificium offerret (sic enim appellat, quem hic Palladius Ammonam) &* σημειούμενον *Heruetus* signantem, *clariùs* notantem, *in chartâ scilicet scribentem eorum nomina, vt exponit idem Ruffinus, accedentium ad altare scribentem nomina: & Sozomenus vberiùs cap. XXIX. lib. VI. Histor.* Τὸν Πιάμμωνα ἱερωμένον θεάσασθαι ἐπὶ τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ ἄγγελον Θεῖον ἑστῶτα, καὶ τῶν μοναχῶν τοὺς παρόντας ἐγγράφειν βίβλῳ, τοὺς δὲ λείποντας ἀπαλείφειν. Piammonem cùm sacrum faciebat, vidisse circa sacram mensam stantem Angelum Dei, & Monachos præsentes in libro quodam scripsisse, absentes verò deleuisse. *Nicephorus lib. XI. cap. XXXV. Fronto.*

120. IOANNE] *Consule notata suprà ad lib. II. Ruffini cap. XXXIII.* C. LXXIII.

121. PITYRIONIS.] *Meminit Nicephorus l. IX. cap. XIV. Pithyrionis, qui apud Athenas asceterium habuit.* C. LXXIV.

122. PARVAM PVLTEM EX FARINA.] *Græcè* ζωμὸν ἀλεύρου. *Heruetus verterat,* paruum farinæ iusculum. *Credo intelligi, quæ hic alibi dicuntur* sippulæ. *Vide Onomasticon.*

123. EVLOGII.] *De hoc vide citatos auctores ad lib. II. Ruffini cap. IV.* C. LXXV.

124. SERAPIONIS.] *Vide de duobus Serapionibus notata ad Ruffinum lib. II. cap. XVIII.* C. LXXXI.

125. ARTABAS.] *Ægyptiaca hæc mensura, faciens modios* tres cum triente. *Vide Onomasticon.*

126. POEMENIVM.] *Locus in Palæstinâ, à pastoribus ita dictus,* Ποιμένιον. *Vide Onomasticon.* C. LXXVII

127. HIERONYMI.] *Notat hic Magister sacri Palatij libro suprà citato, ad verba Posidonij de Hieronymo: vel Posidonius iste vaticinans aduersus S. Hieronymum fuit impostor, vel Palladius odio in S. Hieronymum (quod est propensius) apertè mentitur, & rabie in eumdem furit. Sed haud crede, Lector, impudenti Origenistæ & Pelagiano Palladio, dum maledicentiæ fræna effundit in sanctissimū virum Angelis venerandum.* C. LXXVIII

128. PAV-

C.LXXIX. 128. PAVLA.] *Notissima nobilissimaque femina, cuius Vitam habes supra lib. I. auctore Hieronymo.*

C.LXXXIII 129. SERAPIONIS SINDONITÆ.] *In Meneis XXI. Maij vocatur ὁ τῆς Σινδόνος. si idem cum nostro, legendum ὁ τῆς Σινδόνος. Nam Palladius clarè Sindonitam ait dictum, quòd solâ sindone vteretur.*

130. VIGINTI SOLIDIS.] *Interpres*, viginti nummis. *Vide Onomasticon.*

131. QVI ERANT IN DIGNITATE.] *Heruetus legisse videtur* οἱ ἐν τέλει, *non* οἱ ἐν ἀτιμίᾳ. *vertit enim*, qui erant viles & abiecti. *Heraclidis autem interpres lectioni Regij codicis & excusi astipulatur*, stetit supra quemdã colliculum ciuitatis, vbi primates eiusdem oppidi concilium habere consueuerant. *Fronto.*

132. PALLIVM GESTABANT ET BYRRVM.] *Græcè*, τελεσφόροι τε καὶ βυρροφόροι. *Vide Onomasticon.*

C.LXXXVI 133. EVAGRIO.] *Dignum patellâ operculum. Palladius Origenista celebrat suum præceptorem Euagrium hæreticum pariter Origenistam, ab Ecclesiâ sæpiùs condemnatum. Sed qualis fuerit Euagrius, vide suprà* (lib. II. Not. 45. ad cap. XXVII.) *vt hinc cernas, hæretico de hæretico & eiusdem hæresis mystâ prodenti quanam sit deferenda fides. Ita Magister sacri Palatij sæpè iam citatus.*

134. CIVITATIS IBERORVM.] *Heraclides:* Hiberorum. *Græc. Venet.* Ἰβόρων. *Paris.* Ἰβήρων. *Heruetus impresserat* Liberorum. *Est quidem alibi* Liberorum, Ἐλευθέρων *ciuitas, sed quia Ponticus dicitur Euagrius, inuestiganda ciuitas* Hiberorum *in Ponto. D. Hieronymus epistolâ ad Ctesiphontem contra Pelagium, vocat* Hyperboritam, *vbi Grauius restituit* Iberitam. *In Concilio Constantinopolitano primo, quod fuit secundum Generale, in subscriptionibus episcoporum, habes duplicem Pontum, videlicet Amasiæ, vbi ponitur Pantophilus Iberorum episcopus; & Polemoniaci, vbi ponitur Atarbius Episcopus. Quare* Ponticum *&* Iberitam *Euagrium capio ex Ponto* Amasiæ, *qui fuit dictus* Helenopontum, *vt alter* Polemoniacus. *Est autem* Ἴβωρα, Ibora *ciuitas Helenoponti in Authenticis, Collat. IV. tit. VII. Nouell. XXVIII. apud Porphyrogennetam Cappadociæ. Vnde apud Hieronymum lego* Iboritam. *Sozomenus, Socrates, Nicephorus locis mox citandis Euagrium* ex Iberibus *faciunt, qui Pontum Euxinum accolunt.*

135. EPISCOPO ECCLESIÆ CÆSAREÆ AD ARGEVM.] *Hoc cum sequenti*, Post decessum autem S. Basilij Episcopi, *deest in Græco Veneto. Est in Paris.*

136. NYSSENVS.] *Ita Græcus Paris. Heraclides, & Græcus textus Venetus*, Nazianz. *& ijs deest* frater episcopi, cui datur honos inter apostolos. *Iure dubites, an* Nyssenus, *an verò* Nazianzenus *hic intelligendus sit. Pro Nysseno facit, quòd hîc dicitur Gregorius veniens ad Concilium reliquisse Euagrium Nectario. Nam constat Nyssenum ad Concilium Constantinopolitanum venisse, Nazianzenum verò iam tum Constantinopoli aliquot annis habitasse. si fidus Nicephori catalogus, duodecim annis dicitur habitasse Constantinopoli. Et ipse Nazianzenus oratione valedictoriâ, quam ipse* Συντακτήριον λόγον *inscribit, nomine* CL. *episcoporum sic dicit:* Τοσοῦτος χρόνος, φασὶν, ἐξ οὗ τὴν ἐκκλησίαν ἄγεις μετὰ τῆς τοῦ καιροῦ ῥοπῆς: Tanto iam tempore, inquiunt, ecclesiæ præes, temporis ope & auxilio fretus.

Pro Nazianzeno *adduci posset, quòd in testamento eius fiat mentio Euagrij diaconi, cui quædam legat. quo loco hunc nostrum Euagrium intelligit Baronius tomo IV. anno Christi* CCCLXXXIX. *qui etiam anno Christi* CCCLXXIX. *&* CCCLXXXI. *Euagrium hunc nostrum à Nazianzeno diaconum ordinatum asserit. Certè & Socrates lib. IV. cap. XXIII. Græca edit. seu cap. XVIII. Latina, Euagrium à Nazianzeno diaconum ordinatum scribit; quem exscribit Suidas in* Μακάριος. *Ita igitur de Euagrio Socrates:* Τούτων Εὐάγριος γενόμενος μαθητὴς, τὴν δι' ἔργων φιλοσοφίαν ἐκτήσατο, πρότερον λόγῳ μόνῳ φιλόσοφος ὤν, ὃς ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει ὑπὸ Γρηγορίου τοῦ Ναζιανζηνοῦ, εἰς τὴν τοῦ διακόνου προχειρισθεὶς τάξιν, εἶτα ἅμα αὐτῷ εἰς τὴν Αἴγυπτον κατῆλθεν, καὶ τοῖς προλεχθεῖσιν ἐντυχὼν ἀνδράσι τὸν ἐκείνων βίον ἐζήλωσε. καὶ τοσαῦτα τεράστια δι' αὐτοῦ γίγνεται ὅσα καὶ ἐν τοῖς τῶν αὐτοῦ καθηγητῶν: Istorum (*duorum Macariorum*) discipulus fuit Euagrius; qui studium sapientiæ in initio quidem verbis dumtaxat, posteà autem factis diligentissimè excoluit. Hic primùm Constantinopoli à Gregorio Nazianzeno est ordinem diaconi consecutus: deinde vnà cum illo in Ægyptum profectus, ibique cum illis pijs viris, quos suprà dixi, collocutus, illorum viuendi genus ardenti studio imitari cœpit. totque miracula ab eo edita, quot à Macarijs præceptoribus suis. *Similia habet Sozomenus lib. VI. cap. XXX. Nicephorus libro XI. capite XLII. Suggessi aliquas vtrimque rationes dubitandi. Certiùs decidi poterit, si plures manuscripti Græci in alterutrum conspirent.*

137. RICINIS SCATERET.] *Græcè est:* Ὡς καὶ τὸ σῶμα πρότερον ἐκβράσαι, *quod Heraclides vertit*, vt per corpus ipsius totum quædam papulæ exirent. *Vide ad veterem Palladij Lausiacam, & Onomasticon.*

138. PIOR.] *Mentio eius suprà cap. XI. De hoc quoque Sozomenus lib. VI. cap. XXIX. Cassiodorus libro VIII. cap. I. Niceph. lib. XI. cap. XXXVII.* C. LXXXVII.

139. CONTENTVS INVENTIS AMARITVDINIBVS AQVÆ.] *Ita verterat Heraclides. Heruetus:* se aquæ concludens amaritudine: *quasi nimirum legisset*, τειχίσας ἑαυτὸν, *pro* στοιχήσας. *Ruffinus lib. III. c. XXXI. hunc ipsum Pior apud semetipsum ait cogitasse*, Quoniam qualemcumque aquam inuenero, oportet me ipsâ contentum esse. *Fronto.*

140. MOYSIS.] *Niceph. lib. XI. cap. XXXVII.* CAP. LXXXVIII.

141. PROPTER QVOD MISSVS SVM. δι' ὃ ἀπεστάλην.] *Hæc contraxerat interpres Heruetus hoc modo;* dicens: Non ideò missus sum. *Sed ampliorem sententiam in Græcis tuentur Heraclides cap. XXVII.* Propter quod sum, inquit, missus, hoc factum est: nam vt cibum caperem, nemo me misit. *Sozomenus lib. VI. cap. XXIX.* Οὐκ ἠνέχετο, φησὰς, μὴ διὰ τοῦτο ἀπεστάλθαι, ἀλλὰ δι' ὃ ἦλθε. Noluit, dicens, se non eâ de causâ ad eos missum, atque rem, ob quã ipse venerat, iam esse confectam. *Nicephorus lib. XI. capite XXXII.* Οὐκ ἠνέσχετο, εἰπὼν, μὴ διὰ τοῦτο ἥκειν, ἀλλὰ δι' ὃ αὐτὸς, δι' ὃ ἀφῖχθαι. Morem illis non gessit, non eâ de causâ se venisse dicens, effectum autem esse id, cuius caussâ venerat. *Fronto.*

142. CHRONII.] *De alio Cronio suprà cap. XXV.* C. LXXXIX.

143. PAPHNVTII CEPHALA.] *De varijs Paphnutijs vide dicta ad librum II. cap. XVI. num. 32.* CAP. XC.

144. STEPHANO.] *Alius hic ab eo, de quo suprà cap. XXX.* CAP. XCV.

145. HOC EST NON AD VTILITATEM.] *Restitutus est hic locus, quem mutilum sic exhibuerat interpres:* In verbis inanibus, non impletis verborum testimonio. Ex derelictionibus ergo vna quidem est. *Locus autem Iobi est prior c. VI. v. 6. posterior autem c. XL. v. 3. nonnihil diuersus.* Ἢ ἀποποιῇ μου τὸ κρίμα; οἴει δέ με ἄλλως σοι κεχρηματικέναι, ἢ ἵνα ἀναφανῇς δίκαιος; numquid

quid repelles iudicium meum? Putas autem me aliter respondisse tibi, quàm vt appareas iustus? *In quibusdam tamen libris editis legitur, vt hic à Palladio fertur,* μὴ ἀπωθῇ. Ne repellas. *Fronto.*

C.XCVIII 146. NECESSARIO.] *Hic mutilata interpretatio Herueti ex auctoris & veteris interpretis verbis restituta est. Sic apud Platonem* ψυχῆς κίνησιν *Cicero interpretatur* animi commotionem, *qui & Tusculana* IV. *iram definit:* Πάθος δὲ ἄλογος ἢ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις. Perturbatio auersa à recta ratione contra naturam animi commotio. Ὀργὴ ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως. Ira est libido puniendi eius qui videatur læsisse iniuria. *Aristoteles in Rhetoric. cap.* II. Ὀργὴ, ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν μὴ προσηκόντως. Appetitio cum dolore coniuncta eius quæ apparet vltionis propter eam quæ apparet despicientiam, non conuenienter. *Fronto.*

Cap.C. 147. VENTOS PASCENS] *Omiserat interpres*, & vmbras persequens, *non Heraclides:* & pastor quodammodo insipiens videbatur esse ventorum, atque persecutor vmbrarum, *cap.* XLVII. *locus est Eccles.* XXXIV. *v.* 2. Ὡς δρασσόμενος σκιᾶς, καὶ διώκων ἄνεμον, οὕτως ὁ ἐπέχων ἐν ὕπνοις. Quasi qui apprehendit vmbras, & persequitur ventũ, sic qui attendit somnijs. *Legimus quidē in vulgatâ Latinâ Osee* XII. *v.* I. Ephraim pascit ventum, *sed Græcè est*, ὁ δὲ Ἐφραὶμ πονηρὸν πνεῦμα. Ephraim autem pessimus spiritus. *Est & Prouerb.* X. *v.* 4. *in Latinâ vulgatâ, cui Græca minimè respondent*, Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes. *Fronto.*

Cap.CI. 148. EPHRÆM.] *Vide sup. dicta l.* I. *ad Vitã eius.*

149. OMNES ENIM RES CAVPONANTVR.] Καπηλεύειν τὰ πράγματα, *vt dixit Poeta vetus apud Ciceronem de Offic.* Non cauponantes bellum, sed belligerantes. *Ignatius epist. ad Trallianos.* Περιφέροντες τὸ ὄνομα Χριστοῦ, καὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Εὐαγγελίου. Circumferentes nomen Christi, & Euangelij sermonem nundinãtes. *Basilius Seleuciensis Orat.* VIII. Οἱ μὲν ἂν τὴν φύσιν καπηλεύοντες νενοθευμένον δουλείᾳ τὸν παῖδα καταδικάζουσι. Illi naturam cauponati abiectũ pro notho puerum damnant seruitute. *Apostolus ipse* II. *Cor.* II. *v.* 17. Καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Adulterantes verbum Dei. *Apud Herodotum*, καπηλεύειν πάντα τὰ πράγματα, *est*, res omnes quæstui habere, *vt apud Philostratum*, τὴν σοφίαν καπηλεύειν, *est Budæo*, Philosophiam lucro posthabere. *Sozomenus de hoc ipso Ephraim lib.* III. *cap.* XV. Σχεδὸν πάντων πρὸς κέρδος κεχηνότων, καὶ καπηλείαν τὸ πρᾶγμα ποιουμένων. Cùm omnes ferè lucri cupiditate ardeant, & hanc rem velut mercaturam ad quæstum faciant. *Nicephorus l.* IX. *cap.* XVI. Πάντες γὰρ πρὸς κέρδος κεχηνότες εἰσὶ τὰ τοιαῦτα δὲ αἰσχρῶς καπηλεύοντες. Omnes enim lucro inhiare, & talia fœdè in suum quæstum vertere. *Fronto.*

Cap.CIII 150. SVB IMP. CONSTANTIO.] *Heraclides interpres:* Sub Imperatore Constantio in principijs eius imperij in magnorum virorum ordine militasset. *Alter vetus interpres Palladij:* In initio imperij Constantini abrenuntiauit sæculo. *Heruetus verterat*, inter Magistratus. Τὰς ἀρχὰς *igitur hic non Magistratus intelligas, sed initia imperij, vt in Prato spirituali, cap.* CXII. Ἐν ταῖς ἀρχαῖς Τιβερίου τοῦ βασιλέως. Initio imperij Tiberij Imperatoris, *& cap.* CLV. Ἐν ταῖς ἀρχαῖς τοῦ πιστοτάτου ἡμῶν βασιλέως Μαυρικίου. Initio imperij fidelissimi Imperatoris Mauritij. I. *Esdræ* IV. *v.* 6. Ἐν ἀρχῇ βασιλείας αὐτοῦ. In principio regni eius. *Fronto.*

151. QVI INTER DOMESTICOS MILITABAT.] Δομέστικον στρατευόμενον. *Heruetus verterat*, domesticum qui militabat. *Dicebantur* domestici *peculiari appellatione, qui in aulâ Imperatoris militabant tam equites quàm pedites, (quos alij etiam* ὀπτίους *vocant) destinati custodiæ Imperatoris: de quibus pluribus agit Meursius in Glossario. Fronto.*

152. VIAM MINIME TRITAM.] *Interpres*, valdè immutabilẽ, *quasi legisset* ἄτρεπτον, *non*, ἄτριπτον, *quod Heraclides vertit*, à nullo pænè detritam ingressus est viam. *Ita Lucretius l.* IV. Auia Pieridũ peragro loca, nullius antè trita solo. *Ambros. Sermone* LXXIV. *de Natali martyris:* Via vitæ, vbi Dominus resurrexit nota facta, solo attrita est plurimorum. *Fronto.* Cap.CIV.

153. ABRAMIO] *Cassianus Collation.* XV. *cap.* IV. *& V. de alio Abrahamo abbate.* Cap.CV.

154. FRVSTVM SARMENTI.] Κλήματος κλάσμα. *Heruetus* frustum scalarum *scripsit, quasi legisset*, κλίμακος. *Heraclides*, cùm exiguam partem sarmenti ex aridâ vite teneret.

155. EVSTATHII.] *Sozomenus libro* III. *capite* XIII. *de alio Eustathio Sebastiæ episcopo.* Cap.CVIII

156. VT TOTA EIVS.] *Vitiosa lectio peperit ineptam interpretationem*, vt sol eius ossium fabrica perspicuè ostenderet. *Ita nimirũ Lugdunobatauã pag.* 51. Ὡς ἥλιον διαφαίνειν αὐτοῦ τῶν ὀστέων τὸ πῆγμα. *Neque emendatiorem codicẽ nactus est Heraclides, apud quem lego cap.* XXXVII. Vt solis instar ossium eius iunctura luceret: *at regius MS.* ὡς ὅλον διαφαίνεσθαι αὐτοῦ. *Fronto.*

157. GADDANÆ.] *Sozom. lib.* VI. *cap.* XXXIV. Cap.CX.

158. HVIC MONACHORVM EXCEPTORI.] Τούτῳ δὲ τῷ ἐξκέπτορι τῶν μοναχῶν. *Nempe Sabbatius duplex officium monachis præstitit; & eos transeuntes hospitio excepit, & ijsdem necessaria ad cellas tulit. Heruetus verterat* dextero mensæ structori, *cui rei sufficit vna vox* ἐκσκέπτορος, *quæ sequitur.* Cap.CXII

159. PHILOROMO.] *Alius Philoromus martyr cum Phileâ tempore Diocletiani, de quo Eusebius libro* VIII. *c.* X. *& Nicephorus lib.* VII. *c.* IX. *Hic noster sub Iuliano passus est. Non rectè Meursius hunc cum altero confundit.* C.CXIII.

160. VALIDISSIME VERBERARI.] *Secuti sumus interpretem Heraclidis c.* XXXII. *Paradisi:* Caluitie ei priùs factâ iussit à pueris verberari, quisupplicium plagarum patientissimè ferens. *Ferri tamen potest Herueti interpretatio*, & à pueris ei stanti alapas impingi, *quod Græcè est* κονδυλίζεσθαι. *Suidas:* Κόνδυλος, τὸ ῥάπισμα, alapa *seu* plaga. *Ita suprà cap.* XXIX. Ἀπομανεὶς οὖν ἐγὼ ἔδωκα κόνδυλον. Furore ergo percitus impegi ei colaphum. *Heraclides cap.* XL. percussi cum dexterâ meâ. *Tertull. de Spectaculis c.* XXX. Colaphis diuerberatur. *Et solebant aliquando martyres ita colaphis & alapis cædi. Fronto.*

161. QVEM MORBVM TYRANNIDEM.] Τυραννικὸν τὸ πάθος, *ex MS. scripsimus: interpres* πλῆθος *legisse videtur, non* πάθος, *nam vertit:* quod tyrannidem exercens exagitat multitudinem. *Heraclides dixit*, quos ille animi, & corporis morbos ita superauit, veluti si quis immensum incendium validissimis aquis extinguat. *Fronto.*

162. CORAM DEO LOQVENS.] Ὡς ἐπὶ Θεοῦ ἡμᾶς ἔπειθεν: *quæ Heraclidis interpres obscurè vertit:* sicut persuadere ante Deũ nobis solebat. *obscuriùs Heruetus*, sed eum qui ex proprijs ad nos venit diuinitus. *Idem valet* ὡς ἐπὶ Θεοῦ, *quod*, coram Deo loquor, *vt suprà cap.* XVI. ὡς ἐπὶ Θεοῦ ἀμφοτέρους εἶδον: *quod Heraclides*, ante Deum vobis loquor. *& c.* XXX. *de Adolio:* verè enim sub Deo loquor. *& cap.* II. *huius* Lan-

Lausiaca: ἐπὶ Θεοῦ μάρτυρος ἐκεῖνον τινι. Deum testor me numquam eum cognouisse. *Fronto.*

Cap.cxiv 163. SEVERIANI.] *Quod hic est*, in Ancyrâ Galatiæ, *in Græc. Venet. est*, τῇ Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας: In Cæsareâ Cappadociæ.

164. NVLLAM POSSESSIONEM.] Οὐδὲν κτῆμα *dixit, non* οὐδὲ κλῆμα, *vt excusum fuit in editione Lugdunensi. & interpres extudit minùs aptam versionem ex manuscripto libro nihilo castigatiore*, quibus ne vitis quidem sarmentū dederunt, *at Regius*, κτῆμα, possessionem: *quemadmodum & paulò post ait Palladius*, τοὺς καρποὺς κτημάτων ἡμεῖς κομιούμεθα, fructus possessionum nostrorum colligemus. *Heraclides verò c.* LIV. *Paradisi*: quibus ne vnam quidem vnciam tradiderunt. *Fronto.*

Cap.cxvi. 165. BISARIONIS.] *Varia Bisarionis apophthegmata passim in Vitis Patrum occurrunt. Quod hic de vendito libro sequitur, refert Nicephorus lib.* XI. *c.* XLIII. *ex Euagrio, suppresso nomine.*

166. IRENARCHA.] *Id est, tranquillitatis publicæ & securitatis studiosus latrunculator. Vide Onomasticon.*

C.cxvii. 167. MELANIÆ.] *Vide Præludia ad lib.* II. *vbi de eius Vitâ & peregrinatione ratione Ruffini comitis, vt Baronius existimat.*

168. ROMANA.] *Græcè est*, Σπανὴν τὸ γένος εἶναι Ῥωμαίαν. *quod videtur Heraclidis interpres vertere voluisse*, beata Melania de Hispano vel vrbico genere descendens. *Nam & apud Paulū legimus Rom.* XV. *v.* 24. ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν: cùm in Hispaniam proficisci cœpero: *& apud Gellium l.* IX. *c.* XIII. *pro* Hispanico gladio, *reponunt*, spanico gladio, *& apud Hieronymum in* LXIV. *Isaie*, Spaniarum & Lusitaniæ. *Sic & anteà c.* XVI. Σπανὸς ἔμπορος, *Heraclidi* mercator Hispanicus. *Fronto.*

169. MARCELLI CONSVLARIS.] Μαρκελλίνου τοῦ ἀπὸ ὑπάτων. *Heraclidis interpres vertit*: filia Marcellini cuiusdàm Exconsulis, *aptiùs quàm Heruetus*, Marcelli Consularis. *Vide Onomasticon.*

170. VIGESIMVM SECVNDVM.] *Ita & Heraclides, & textus Græcus. Heruetus* vigesimū *tantū habebat.*

171 ARSISIVM.] *Græcè*, Ἀρσίσιον. *Heruetus habebat* Orsisium.

172. PISSIMIVM ET ADELPHIVM:] *Græcè* Πισίμιον *&* Ἀδέλφιον. *Heruetus habebat*, Pitimiū *&* Adelum.

173. SERVILI CARACALLA.] *Græc. Aug. & Parisiensis*, παιδαρίῳ καρακάλλιον. *Græc. Venet.* καρακάλλιον δέλου. *Heraclides*: tunicā puerili. *Vide Onomasticon.*

174. VT EAM TERRERET.] Προσεδόκησε ταύτην καπνίσαι. *Hoc MS. ita exhibuit*, ταύτην καταπονῆσαι, labore conficere, fatigare. *sed in altero loco idem codex habuit* καπνίσαι, *nec aliter legisse videtur interpres Heraclidis*, Credens quòd sinus suos possit fumo quodam atque terrore ex pecuniâ eius implere. *ac deinde in altero loco*, Nec terrere igitur me in aliquo vales. *Heruetus*, sperauit fore, vt ei fumo oculos perstringeret: *sed metaphoricè* καπνίζειν *hic idem valet quod* fatigare, *vel* perterrefacere. *Similem habes conatum alterius Præsidis prouinciæ, Act.* XXIV. *v.* 17. & sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo. *Fronto.*

C.cxviii 175 RVFFINI.] *Palladius Origenista, & Gennadius & Cassianus Pelagianis fauentes multis laudibus Ruffinum extulerūt. At S. Hieronymus Ruffinū tamquam hæreticum perpetuò insectatus est. cuius iudicium cum ipsâ Romanâ Ecclesiâ nos etiam probare par est. Sic enim inquit S. Gelasius I. in Romano Concilio* LXX. *episcoporum*: Sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus Ruffinum de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ B. Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solùm de Ruffino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpiùs memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit. *Hæc S. Gelasius. Ruffini res sincerissimè ex probatis auctoribus excerptas exhibent tibi tomus* IV. *&* V. *Annalium Ecclesiasticorum. Hactenus Magister sacri Palatij sæpè iam citatus.*

176. SCHISMA.] *Ita restituendus hic locus mirè deformatus, quod legisse videretur interpres* σχῆμα, *non* σχίσμα. *vertit enim*: Iuuerunt quoque habitum, qui est secundum Paulinum *Vide & Sozomenum lib.* IV. *cap.* XXVI.

177. VNIGENITI.] *Græcè* μονογενοῦς. *Sed tamen dicendū & vertendum* vnici. *Ita rectè apud veterem Heraclidis interpretem. nam & duos alios habuit liberos.*

178. QVI DVOS QVOQVE HABVIT FILIOS.] *Editio Meursij* ἔχει δὲ τέκνον δύο διαλόμα. *Vnde in Notis annotatur scribendū*, τέκνων τριῶν διαλόμα. *Notū enim esse in re Romanâ ius trium liberorū, & ortum esse mendum è confusione* ς *&* γ. *at Regius codex verā lectionem exhibuit* τέκνων δύο, *cui astipulatur Heraclides*, matrimonium ex quo & filios suscepit duos; *accedit & liber, quo vsus interpres Heruetus. Fronto.*

179. APRONIANVM.] *Græc. Aug. Venet. & Parisi.* Ἀπρωνιανόν. *Heruetus ediderat* Aprianum.

180. PINIANO.] Πινιανῷ. *Malè in Herueto erat* Apriano.

181. FILII.] *Græcus Venet.* ἀδελφῷ.

182. LIBERASSET.] *Suppleui hic quædā ex Græco. In Veneto codice erat*: Ἠγάγετο δὲ ἐπὶ τὸν μονήρη βίον καὶ τὸν Πουπλίκου δὲ υἱὸν τὸν νεώτερον κατήχησε: Duxit ad vitā solitariam: & Publicij iuniorem filium catechesi instituit. *atque ita etiam Heraclides, vbi tamen deest nomen* Publicij. *Gr. codex Augustanus habet* Ποπλικόλα. *Parisiensis* Ποπλικόλα *loco* Πουπλίκου.

183. PARVÆ MELANIÆ.] *Huius peregrinationem vide in Præludiis ad librum* VIII. Cap.cxix

184. PINIANO.] *Græc. Aug.* Πινιανῷ. *Græc. Parisi.* Πινιανῷ. *Græc. Venetus.* Ἀπρινιανῷ *vel* Ἀπρωνιανῷ. *Heruetus habebat* Pipiano.

185. FILIO SEVERI.] *In Vitâ S. Melaniæ apud Metaphrastem* XXXI. *Decemb.* fratri Seueri.

186. SVPERHVMERALIA.] *Græc.* ἡμιφόρια. *Vide Onomasticon.*

187. PRESBYTERO.] *Græc. Venet. addit*: καὶ μοναχῷ Δαλματικῷ. *Parisi.* Δαλματικῷ. *Heraclidis interpres*, monacho Dalmatâ. *& sic in textu addidi.*

188. EX ORE LEONIS.] *Alludit (ait Fronto) de Alarico loquens, ad illud Apostoli* 2. *ad Tim.* IV. *v.* 17. Ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος. Et liberatus sum de ore leonis. *Eusebius in Chronicis anno Abrahami* MMCCCCXXVII. *circa an. Christi* CCCCXIII. Roma orbis quondam victrix à Gothis Alarico duce captā.

189. FRATRE.] *Id est*, Piniano marito. *alibi*, nunc vsu fratre. *nisi & verum fratrem habuerit, de quo hoc intelligi possit.*

190. ALBINA.] *De eâ D. Hieron. in variis epistolis.* Cap.cxx.

191. PINIANO.] *Græcus manus. Venetus* Ἀπρινιανὸς, Aprinianus. *Aug.* Πινιανὸς, Pinnianus. *Paris.* Πινιανὸς Cap.cxxi

192. PAMMACHIO] *Græc. MS. Venet.* Μάλχος *vel* Μαλάχιος, Malchius *vel* Malachius. C.cxxii.

193. MACARIO] *Græc. MS. Ven.* Ἀγάθων, Agathō. C.cxxiii.

194. EX VICARIA.] *Græc. MS. Venet.* ἀπὸ βικαρίων. *Paris.* ἀπὸ βικαρίας. *Heraclides*, ex vicariis. *V. Onomast.*

195. CONSTANTIO.] *Quod hic* assessor *dicitur Constantius, Græcè est* συγκάθεδρος. *Heraclidis interpres habet*, consiliarius. *Vide Iacobum Sirmondum nostrum ad Sidonium lib.* I. *epist.* III. C.cxxiv.

196. PAVLA.] *Quid furens odio Origenista Palladius* C.cxxv.

dius in S. Hieronymum & S. Paulam ineptissimè garrit? quorum sanctitas tantò clarior, quantò Palladij nequitia detestabilior. Ita Ioannes Maria Magister sacri Palatij hîc adscribendum monet.

C.CXXVIII 197. THEODORA.] *Nicephorus l.* XVII. *c.* V. *de aliâ Theodorâ sub virili habitu monasticen professâ.*

C.CXXIX. 198. VSIA. *Vide hîc Heraclidem, qui aliter vertit.*

C.CXXXIV 199. AVITA.] *Quod hîc est, maritum eius dictum* Apronianum, *ita restitutum ex Græco textu. Heruetus impresserat,* Primiano.

C.CXXXV. 200. MAGNA.] *Quod hîc hæc dicitur vixisse* in ciuitate Ancyrâ, *in Græc. manus. Venet. est* τῇ Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας, in Cæsareâ Cappadociæ.

C.CXXXVI 201. VIRGINE.] *Totam hanc narrationem de virgine Athanasium sex annos occultante, fide nutare, magnis ostenditur argumentis tomo* III. *Annal. Ecclesiasticorum, anno Christi* CCCLVI. *Ita Io. Maria Magister sacri Palatij hîc annotat.*

202. STICHARIO ET BIRRO.] *Heraclides,* tunicâ & byrrho. *Metaphrastes in Vitâ S. Athanasij,* τὸ στιχάριον καὶ τὸ βίῤῥιν. *Legerit Heruetus* κηρὸν, *pro* βίῤῥον, *vel* βίῤῥιν, *qui hîc cereũ posuerat. Vide Onomast.*

C.CXXXIX. 203. COLLVTHVS.] *Sic olim S. Basilius martyr S. Ioanni Chrysostomo apparuit, & obitum prædixit.*

CAP. CXL. 204. ABDVCI ET COLLIGI.] *Græcè hîc* συνάγεσθαι. *Sic Num.* XXXI. colligêris ad populum tuum.

C.CXLII. 205. SILVANIÆ.] *De eâ Georgius Alexandrinus in Vitâ S. Chrysostomi. In Græco* Σαλβία *dicitur.*

C.CXLIII. 206. IVBINO.] *Heraclides,* Iouinus.

207. PRÆTER EXTREMA MANVVM.] *Additur caussa, ob quam manuum extrema lauaret, quòd nimirum sanctissimum Christi corpus illis daretur manibus excipiendum. Vide Onomasticon.*

208. PIERII.] *Græc. MS. Venet.* Πέτρε, Petri.

C.CXLIV. 209. OLYMPIADE.] *De eâ Sozomenus lib.* VIII. *cap.* XXIV. *Niceph. lib* XIII. *cap.* XXIV. *Georgius Alexandrinus in Vitâ S. Chrysostomi.*

Olympiadis celebris memoria in Menol. Græcorũ XXVIII. *Iulij:* S. Olympiadis, quę fuit sub Imperatore Theodosio, Arcadio, & Honorio filijs, Anysij Secundi Comitis filia, neptis Ablauij Præfecti, sponsa paulisper Nebridij, qui fuit ex numero Præfectorum. Cùm autem adhuc esset virgo, eius viro ante copulam sublato, & virgo simul & vidua remansit, omne tempus transigens in ieiunijs & orationibus, & pauperum beneficentiâ. Itaque omnes opes suas in curam Christi sacerdotum exhausit, præsertim in sanctum Ioannem Chrysostomum, quem præcipuè honorabat. *Martyrol. Romanum* XVII. *Decembris:* Constantinopoli S. Olympiadis viduæ.

Quòd hîc in Menologio dicitur mansisse virgo, idem testatur Nicephor. l. XIII. *c.* XXIV. Et collocata quidem illa viro in matrimonio, non tamen prorsus virginitatis cęlibatu orbata. Viginti namq; mẽsibus in coniugio cum illo exactis, postquã illum ei mors ademit, quamquam eâ esset ætate, vt secundas non dehonestaret nuptias, pudicitiã tamen complecti, atque in eâ per vitam omnem acquiescere maluit. *Virginem quoque mãsisse testatur hîc Pallad. hoc cap.* CXLIV. *& Heraclides c.* XLIII. *Georg. vita Chrysostomi c.* L. Αὕτη ὀρφανὴ ἦσα ἀνδρὶ ζευχθεῖσα μὲν, ἡ διαφθαρῆ δὲ τὴν παρθενίαν, ὡς φήμη ἀεὶ αὐτῆς ἐδίδαξε. βιώσασα δὲ μετὰ τοῦ αὐτῆς ἀνδρὸς ἀεὶ τὰ εἴκοσι μῆνας, συντόμως τὸ τῆς φύσεως χρέος ἀποδόντος τέλος τοῦ βίου ἐχρήσατο: Parẽtibus orbata hæc viro quidem copulata est, neque pudorẽ alioqui virginalis sanctimoniæ eam corrupisse celebris fama edocuit. Hæc cùm conuixisset viro mensibus circiter viginti, ille repetitus vt naturæ debitũ, hoc temporis compendio finem accepit vitæ. *Quæ desumpta sunt ex Palladij dialogo de rebus Chrysostomi. Quare* συνουσία ἀνδρὸς *in epistolâ* II. *Chrysostomi ad Olympiadem intelligendum de* familiari cum viro conuersatione, *non de* virili concubitu.

210. FILIA SELEVCI.] *Menologium iam citatum,* Anysij Secundi.

211. SPONSA.] *Heraclidis interpres,* nurus. *in Græco est* νύμφη, *quod vtrumque significat. Baron. t.* IV. *anno Christi* CCCLXXXVIII. *Quod verò Græci habeant in Menologio hanc Nebridio nuptui traditam, Palladius verò (immò Heraclides, quem Palladij nomine semper citat Baronius, vt dixi, Prolegomeno generali* IV *§.* III. *nam hîc Palladius* sponsam *vocat) dicat* nurũ *fuisse Nebridij, conciliari eo modo inter se possunt auctores, vt filio illius Nebridij clarissimi viri sub Constantio Imp. præfecturâ prætorij insigniti, cuius meminit Ammianus l.* XXVII. *Nebridio item dicto coniuncta fuerit matrimonio Olympias, de quâ agimus. Hactenus Baronius. Ego existimo varietatẽ inter auctores natam ob diuersam interpretationem, dum* νύμφην *vnus* nurum, *alter* sponsam *vertit. Suprà c.* CXVIII. *Albina dicitur* nurus *Melaniæ senioris, vbi Græcè* νύμφη.

212. OXYCRATO.] *Græcè,* ὀξυκράτῳ. *Heraclides* CAP. XLV *c.* XLIV. poscâ, *vti ibi restitui. Vide Onomasticon.*

213. GELASIA.] *Ad hanc exstat D. Hieronymi epistola, notat marginator Parisiensis Palladij. Sed vereor ne labatur; & memoria eius obuersata fuerit* Algasia, *ad quam Hieronymi epistola* CLI. *habetur.* C.CXLVI.

214. IVLIANA.] *Baronius tomo secundo, an. Christi* CCV. *postquam ex Eusebij lib.* VI. *c.* III. *recitauit, quomodo Origenes Alexandria exagitatus, coactus fuerit subinde mutare domicilium, quarum latebrarum hîc ipse Origenes apud Palladium meminit, subdit: Quæ certè non ad alia tempora, quàm ad Seueri persecutionis sunt referenda: nam longè ante Maximini vel Decij persecutionem libri illi Symmachi reperti erant. Sed de acceptis à Iulianâ Symmachi interpretatione eiusdem Origenis quoque testificatione idem tradit Eusebius lib.* VI. *cap.* XII. *Hactenus Baronius.* C.CXLVII.

215. QVI ET IPSE.] *Nunc sensus clarus est ex Græco codice, quòd Origenes occultus fuerit, non liber, vti verterat Heruetus. Benè Heraclides*: cùm apud ipsam laterem.

216. FEMINA.] *Niceph. l.* VII. *c.* XII. *&* XIII. *de virginibus mirâ arte pudicitiam tuentibus.* C.CXLVIII

217. MAGISTRIANO.] *De hoc nomine dixi quædam suprà ad l.* V. *Pelagij libello* VI. *n.* 2. *Vide Onomasticon.* C.CXLIX.

218. CAMISIA.] *Græcè est:* Τοῖς τε καμισίοις, καὶ τῇ χλαμύδι. *Heruetus,* tunicâ, camisiâ, & chlamyde. *videtur auctius exemplar habuisse: nisi quia in Græco est* καμισίοις *plurali numero, id per* tunicam *&* camisiam *expresserit. Vide Onomasticon.*

219. VXORE.] *Quòd hîc* accepto ense *dicitur se occidisse, de eâ re vide Augustinum lib.* I. *de Ciuit. Dei à cap.* XVII. *ad* XXVIII. *& aliorum Patrum sententias apud Leonardum Lessium nostrum lib.* II. *de Institiâ & Iure cap.* IX *Dubit.* VI. CAP. CL.

220. FRATRIS.] *Quis hîc fuerit, nullibi exprimit. An fuit Heraclides, qui eadẽ* Paradisi *nomine edidit?* CAP. CLI.

DE

DE VITIS PATRVM LIBER NONVS,

AVCTORE THEODORETO CYRI EP.

INTERPRETE GENTIANO HERVETO.

PRÆLVDIVM.

De hoc libro attulimus quædam testimonia suprà in Prolegomeno generali XI. Præterea & hæc nunc habe.

DE AVCTORE ET HOC IPSO LIBRO TESTIMONIA.

IOANNES DAMASCENVS *Orat.* III. *de Imaginibus.*

ΕΚ τοῦ ΦΙΛΟΘΕΟΥ ἱστορίας ΘΕΟΔΩΡΙΤΟΥ ἐπισκόπου Κύρου, εἰς τὸν βίον τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ κιονίτου· περὶ γὰρ Ἰταλίας, περιττὸν ἐστὶ καὶ λέγειν. φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γένεσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινα σφίσιν καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας: Ex PHILOTHEO THEODORETI episcopi Cyri, in sancti Simeonis in columnâ degentis Vitam: nam de Italiâ quid attinet loqui? Aiunt enim virum hunc in maximâ vrbe Romanâ vsqueadeò clarum ac celebrem exstitisse, vt etiam in omnibus officinarum vestibulis homines paruas imagines ipsi erigerent, hinc videlicet præsidium sibi ac securitatem quamdam comparantes.

VII. SYNODVS GENERALIS, *quæ est* II. *Nicæna*, *Act.* IV.

ΘΕΟΔΩΡΙΤΟΥ ἐπισκόπου Κύρου ἐκ τοῦ βίου Συμεὼν τοῦ Στυλίτου, οὗ ἡ ἀρχή· Συμεώνην τὸν πάνυ τὸ μέγα θαῦμα τῆς οἰκουμένης. καὶ μεθ' ἕτερα· Φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γένεσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινα σφίσιν καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας: THEODORETI episcopi Cyri de Vitâ Simeonis Stylitæ; cuius initium est: Simeon, qui valdè magnum erat miraculum orbis. Et post alia: Aiunt enim hunc virum in maximâ Româ famosissimum fuisse: & qui in omnibus ergasteriorum foribus iconas ipsi breues erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc & munimen acquirentes.

BEATI THEODORETI IN LIBRVM NONVM DE VITIS PATRVM

Qui dicitur PHILOTHEVS siue THEOPHILES

PROLOGVS.

Vtilitas libri. OPTIMORVM virorum, & qui in virtute præclarè se exercuêre, pulchrum quidem est videre certamina, & oculis haurire vtilitatem. Quæ enim laudantur dum cernuntur, & digna videntur quæ possideantur, & amplectenda amoreque prosequenda existunt, & ad ea comparanda spectatores inducunt; afferunt autem nihilo secius non mediocrem quoque vtilitatem eiusmodi rerum rectè & ex virtute gestarum narrationes, quæ ab ijs qui sciunt, eorum qui nesciunt auribus offeruntur. Visum enim *Testimonium eorum quæ narraturus est.* esse fideliorem auditu dicunt aliqui; auditui tamen fit quoque fides, dum ex eorum qui dicunt veritate ea quæ dicuntur iudicat. Quomodo enim linguæ & palato de dulcedine, & amarore, & aliis huiusmodi qualitatibus creditum est iudicium, deque ijs ferunt illam sententiam: ita orationum discernendarum ratio commissa est auditui, qui scit secernere à noxiis eas quæ aliquam afferunt vtilitatem. Atque si vtilium quidem narrationum integra & incorrupta maneret memoria, & non obliuionis veluti caligo quædam aspersa labes efficeret vt ea euanesceret, de iis vtique scribere esset superuacaneum, cùm quæ hinc percipitur vtilitas, ad posteros admodum facilè perueniret. Quoniam autem corporibus quidem tempus affert interitum, inducens senectutem & mor-*Vtilitas historiæ.* tem, rebus autem rectè & ex virtute gestis obliuionem, vt mihi quidem videtur, inferens, & obscurans memoriam: nemo nos iure reprehenderit, quòd piorum virorum, Deique amantium vitæ instituta aggrediamur scribere. Quemadmodum enim ij quorum fidei est credita corporum curatio, medicamenta comparant, cum morbo bellum gerentes, & ijs qui laborant ferentes auxilium: ita quæ in his conscribendis ponitur industria, efficitur veluti quoddam salutare medicamentum, quod obliuioni quidem insidiatur, opem autem fert memoriæ. Quomodo enim non est absurdum, vt poëtæ quidem & scriptores ea conscribant quæ in bello fortiter & præclarè gesta sunt: Tragici autem, eas quæ rectè celabantur calamitates, tragœdiis in publicum proferant, & earum scriptis mandatam relinquant memoriam: aliqui autem alij in comœdiis & rebus ridiculis consumant orationes: nos autem sinamus eos viros tradi obliuioni, qui in corpore mortali & patibili ostenderunt impatibilitatem, & incorpoream æmulati sunt naturam? Quásnam autem pœnas non meritò dederimus, si horum quæ admiratione digna sunt certaminum nihili faciamus negligi memoriam? Si enim ipsi eorum qui olim fuêre sanctorum

rum

rum summam æmulati philosophiam, non ære & litteris illorum insculpsêre memoriam, sed omnem eorum virtutem exprimentes, quasdam eorum animatas imagines & statuas seipsos effecere: quænam nobis meritò daretur venia, si nec litteris quidem eorum insignem vitam honoraremus? idque cùm athletæ & pancratiastæ qui decertant in Olympicis, honorentur statuis, atque etiam in equorum curriculis qui victores esse videntur aurigæ, idem præmium accipiant. Nec hoc solùm, sed etiam muliebres viros & effeminatos, & de quibus dubites sintne viri an mulieres, ij qui horum delectantur spectaculis, inscribunt tabulis, eorum memoriam longissimo tempore conseruare contendentes; licet memoria animis detrimentum afferat, non commodum. Sed tamen hi quidem hos amantes, his; illi verò illos, illis, idque cùm damnum afferant, picturis honorant. Et quoniam mortalem naturam mors deprædatur, colores temperantes, & illorum effigies tabulis imponentes, excogitant rationem quâ eorum memoriâ sit vitâ longè diuturnior.

Nos autem scribimus quidem vitam philosophiæ magistram, & quæ imitata est vitæ institutionem quæ agitur in cælis. Describimus autem non figuras characterésve corporum, neque ea expressa ijs qui nesciunt ostendimus, sed formas animarum, quæ sub aspectum non cadunt adumbramus, & bella quæ cerni non possunt, conflictusque qui non apparent ostendimus. Tali enim armaturâ eorum phalangis imperator & in pugnâ princeps eos Paulus induit: Accipite enim, inquit, armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & omnibus confectis stare. Et rursus: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes clypeum fidei, in quo poteritis omnia tela maligni ignita extinguere. Et galeam salutaris accipite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Hac cùm hos induisset armaturâ, produxit ad certamina. Talis enim est hostium quoque natura, incorporea, minimè aspectabilis, obscurè inuadens, clanculùm insidians, repentéque & præter exspectationem irruens. Hoc ipsum idem quoque docens imperator, dicebat: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum huius sæculi, aduersus spiritalia nequitiæ in cælestibus. Sed tamen cùm tales hostes haberet horum sanctorum classis, imò verò vnusquisque eorum à tot & tantis circumsideretur hostibus, (neque enim omnes simul inuaserunt, sed modò quidem hos, modò verò illos adoriebantur) tam præclaram retulêre victoriam, vt fugerint quidem aduersarij, hi verò ijs fugatis ac profligatis trophæum erexerint, cùm nihil eis afferret impedimentum.

[Margin: Argumentum libri; bellum spirituale. — Ephes. 6. — Ibid. — Armatura militum Christi. — Ibid. — Hostes spirituales.]

Eis autem præbuit victoriam non natura, ea enim est mortalis, & innumerabilibus plena affectionibus; sed mens quæ diuinam attrahebat gratiam. Nam cùm diuinæ pulchritudinis essent ardentes amatores, & pro eo quam amabant omnia lubenter & agere & pati statuissent, forti quidem & generoso animo tulerunt affectionum perturbationumque impetus: diaboli autem telo procellas strenuè repulerunt: & vt dicam apostolicè, cùm corpus castigassent & in seruitutem redegissent, iræ quidem ardorem sedauerunt, cupiditatum autem rabiem quiescere coëgerunt: ieiunando autem & domi cubando sopitis animi motibus, repressísque eorum exultationibus, coëgerunt corpus fœdus inire cum animâ, & soluerunt bellum quod est eis à naturâ insitum. Pace autem sic inter ea initâ, omnem aduersariorum cateruam expulêre. nam cùm eis deessent cogitationes quæ interna proderent, & membrorum humanorum auxilio priuati essent, bellare non poterant. Telis enim in nos diabolus nostris membris vtitur: nam si neque inescantur oculi, neque aures demulcentur, neque tactus suaui quodam sensu titillatur, neque

[Margin: Per gratiam victoria. — 1. Cor. 9. — Inuicti stamus si corpus cum animâ fœdus ineat.]

Vrbs in alto ædificata non facilè capitur, nisi intus sit proditor qui portas aperiat.

mens improba admittit consilia, frustrà laborant qui parant insidias. Quomodo enim vrbem in alto ædificatam, & validis propugnaculis munitam, & profundis fossis vndique circumdatam, nullus hostis ceperit, si ex iis qui sunt intus nemo prodat & portas aliquas aperiat: ita fieri non potest, vt dæmones qui bellum gerunt extrinsecùs, superent animam circumdatam à diuinâ gratiâ, nisi cogitationis alicuius socordia, nostrorum sensuum aliquam fenestram aperuerit, & per eam inimicum intrinsecùs admiserit. Hæc cùm à diuinâ Scripturâ apertè didicissent ij quorum laudes à nobis celebrantur, & Deum audiissent dicentem per Prophetam: Ascendit mors per fenestras, cùm diuinis legibus tamquam quibusdam repagulis & vectibus sensus clausissent, menti claues eorum tradiderunt, & neque labra linguam aperiebant, nisi mens imperasset; nec pupillæ permittebatur vt se extra cilia porrigeret; auditus autem noxiis sonis aditum obstruens, stultas & inutiles repellebat orationes, illasque solas admittebat quibus mens delectabatur. Sic odoratum docuêre ea non desiderare quæ suauem emittunt odorem, vt quibus naturâ sit insitum vt molliant & relaxent. Sic ventris expulêre satietatem, eumque ea sumere docuêre, quæ non voluptatem afferrent, sed vsum implerent, nec amplius quàm quod satis esset ad prohibendum ne fame morerentur. Sic somni dulcem dissoluêre tyrannidem: & cùm cilia ab eius seruitute liberassent, ea pro seruitute dominatum docuerunt, vt eius vsum admitterent, non cùm ipse inuaderet, sed cùm ipsi accerserent, ad breue naturæ auxilium. Cùm ergo murorum & portarum custodiæ eam curam gessissent, & internis cogitationibus concordiam conciliassent, aduersarios extrinsecùs inuadentes irridebant, qui vi quidem intrare, propter diuinæ gratiæ præsidium, non poterant; nullum autem inueniebant proditorem qui vellet inimicos admittere. Et cùm hostes eâ essent naturâ quæ non cadit sub aspectum, corpus quod videtur & subijcitur naturæ necessitatibus, vincere minimè potuêre. Eius enim auriga & musicus & gubernator optimè quidem tenens habenas, equis persuasit vt rectè & ordine procederent: numerosè autem pulsans chordas sensuum, effecit vt sonum omni ex parte concinnum & consonum redderent: scienter autem mouens clauum, & fluctuum insultus, & ventorum fregit impetus. Hos ergo qui per innumerabiles quidem labores vitæ iter ingressi sunt, sudoribus autem & afflictionibus corpus edomuerunt, & risus quidem affectionem ignorauerunt, in luctu autem & lacrymis omnem vitam consumpserunt: & delicias quidem Sybariticas ieiunium æstimarunt, somnum autem suauissimum laboriosas vigilias; molle stragulum, durum solum; immensam autem & inexplebilem voluptatem, in orationibus & cantandis psalmis conuersationem. Hos, inquam, qui omne genus virtutis complexi sunt, quis non iure fuerit admiratus, vel potiùs quis pro dignitate eorum laudes celebrauerit? Atque ego quidem satis intelligo, nullam posse orationem eorum virtutem assequi: est tamen aggrediendum. Non enim rectè habuerit, si quoniam veram philosophiam perfectè adamarunt, ideò ne minores quidem laudes consequantur. Scribam autem laudem non vnam communiter omnibus; diuersa enim dona eis data sunt diuinitus. Hoc autem docens dicebat beatus Paulus: Alij enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo cognitionis secundùm eumdem Spiritum, alij autem fides in eodem Spiritu, alij autem dona curationum in eodem Spiritu, alij autem operationes virtutum, alij autem prophetia, alij genera linguarum, alij autem interpretatio linguarum. Horum verò omnium ostendens fontem, subiunxit: Omnia autem hæc operatur vnus & idem Spiritus, diuidens separatim vnicuique sicut vult. Quoniam ergo diuersa sunt dona consecuti, meritò vniuscuiusque narrationem

Ierem. 9.

Ita nec anima, nisi quis sensuũ portas aperiat.

Quæ mundo dura, sanctis viris sunt suauia.

1.Cor. 12.

Donorum varietas in sanctis viris.

tionem faciemus separatam. non quæcumque ab eis gesta sunt persequentes, ad ea enim scribenda ne tota quidem vita suffecerit; sed cùm pauca de vniuscuiusque eorum viuendi ratione, & de ijs quæ fecit, narrauerimus, & paucis totius vitæ characterem & formam ostenderimus, ad alium transibimus. Neque verò omnium sanctorum, qui vbique insignes extitêre, vitæ historiam litteris mandare conabimur; neque enim eos qui vbique clari fuêre cognoscimus, neque fieri potest vt vnus conscribat de omnibus. Eorum ergo solùm vitam describam, qui tamquam lumina fulsêre in Oriente, & fines orbis terrarum suis complexi sunt radijs. Narrando autem procedet oratio, non vtens legibus encomiorum, sed pauca quædam verè referens. Rogo autem qui in hanc religiosam inciderint historiam, seu formam monasticæ exercitationis, (vocet enim quis hoc opus vt voluerit, ne ijs quæ dicuntur minùs credant, si quid audiant quod eorum vires superet) nec ex se illorum virtutem metiantur, sed apertè sciant, quòd piorum animis Deus desuper metitur dona sanctissimi Spiritus, & maiora largitur perfectioribus. Hæc autem à me dicta sunt ad eos, qui in rerum diuinarum mysteriis non sunt admodum accuratè initiati. Mystæ enim adytorum Spiritus sciunt gloriam Spiritus, & quænam per homines in hominibus faciat miracula. attrahens incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus ijs quæ à me dicenda sunt, clarum est, eum ne ijs quidem credere tamquam veris quæ per Moysem, & Iesum, & Eliam, & Elisæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt à sanctis apostolis: sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse à falso aliena: quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea quæ fecit. Perennis enim gratia, & eos qui digni sunt eligens, veluti per quosdam salientes, per hos effudit fluenta suæ operationis.

Quorum maximè meminerit Theodoretus.

Quâ virtute fiant miracula.

Ex ijs autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla; quæ autem non vidi, audiui ab illis qui viderunt, viris virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti vt & eos viderent, & eorum doctrinâ fruerentur. Euangelicæ autem doctrinæ scriptores fide digni non solùm sunt Matthæus & Ioannes, magni & primi in Euãgelistis, qui Domini vidêre miracula, sed etiam Lucas & Marcus: quos qui ab initio viderunt, & fuerunt Verbi ministri, non solùm quæ passus est & quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuò docuit, accuratè edocuerunt. Etenim cùm non vidisset ipse beatus Lucas, in principio operis dicit se ea narrare, de quibus certior factus est. Nos autem etsi audiamus eum non vidisse ea quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab alijs, non minùs ei & Marco credimus quàm Matthæo & Ioanni: vterque enim est in narrando fide dignus, vt qui didicerit ab eis qui viderunt. Nos itaque alia quidem narrabimus vt quæ à nobis visa sint; alia autem vt qui crediderimus eis qui viderant narrantibus viris, qui illorum vitam sunt æmulati. Prolixiori autem de ijs vsus sum oratione, dum volo persuadere me vera narraturum. hinc autem deinceps narrare incipiam.

Theodoretus partim oculatus testis, partim auritus.

CAP. I.

IACOBVS NISIBITA.

MOYSES ille diuinus legislator, qui imum maris fundum aperuit, & inundatione aquarum aridam obruit solitudinem, & alia omnia fecit miracula, scripsit res gestas eorum sanctorum qui fuêre antiquitus: non eâ vsus sapientiâ quam acceperat ab Ægyptijs, sed splendore gratiæ accepto à superis. Vndenam enim alioqui Abelis didicisset virtutem, & Enoch virtutis studium, & Noë iustitiam, & Melchisedech pium sacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, & quæ ei magnæ erat curæ hospitalitatem, vulgò iactatum filij sacrificium, & aliorum quæ ab eo præclarè gesta sunt catalogum: & vt in summâ dicam, diuinorum virorum certamina, victorias, præconia, nisi intelligentis diuinique Spiritus radios accepisset?

Moyses scriptor diuinitus edoctus.

pisset? Hoc mihi quoque in præsentiâ opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere sanctorum, qui parum ante nos & nostris temporibus claruere, & veluti quasdam leges ijs qui imitari volent, velim proponere. Horum ergo sunt preces inuocandæ, & inciendum est narrare.

Theodoretus Sanctorum auxilium inuocat.

Nisibis est ciuitas in confinio regni Romanorum & Persarum, quæ olim quidem erat Romanis vectigalis, & eorum parebat imperio. Ex eâ ortus magnus ille Iacobus, solitariam vitam & quietam est amplexus, & altissimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit. Vere quidem & æstate & autumno vtens siluis, & pro tecto habens cælum: tempore autem hiemis, antrum ipsum excipiebat, quod ei paruum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore nascitur & seritur, sed quòd suâ sponte producitur: iam ex siluestribus colligens arboribus fructus qui sponte nascuntur, & ex herbis eas quæ sunt esculentæ, & habentur instar olerum, ex ijs dabat corpori ea quæ satis erant ad viuendum, ignis vsum recusans. Vsus quoque lanæ erat ei superuacaneus; asperrimi enim caprarum villi eius vsum implebant, ex eis ipsi fiebat & tunica & simplex amiculum. Ita corpus affligens, spiritale alimentum assiduè exhibebat corpori, & cogitationis facultatem expurgans contemplantem, & diuini Spiritus perspicuum efficiens speculum, reuelatâ facie, ex diuini Apostoli sententiâ, gloriam Domini speculans, in eamdem transformabatur imaginem à gloriâ in gloriam, tamquam à spiritu Domini. Hinc quæ Dei erat in Deum fiducia augebatur in dies, & à Deo petens quæ oportebat petere, ea statim accipiebat. Porrò autem hinc quoque futura præuidebat propheticè, & virtutem ad facienda miracula à sanctissimi Spiritus accipiebat gratiâ. Ex his pauca narrabo, & apostolici eius splendoris radium ijs qui nesciunt, aperiam. Vigebat illo tempore in simulacra hominum insania, & inanimæ quidem statuæ diuinum cultum sibi vendicabant, Dei autem cultus negligebatur à plurimis: contemptui autem habebantur, qui eorum ebrietatis nolebant esse participes, quique perfectâ virtute præditi, ea quæ sunt discernebant, & simulacrorum quidem ridebant imbecillitatem, vniuersorum autem adorabant opificem.

Iacobus Nisibi ortus.

Quæ cella, qua victus, quæ vestitus ratio.

1. Cor. 3.

Futura præuidet.

Illo tempore venerat in Persidem, visurus plantas veræ religionis, & ei quam par erat curam adhibiturus. Cùm is autem fontem transmitteret,[3] puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ sese ferebat grauitatẽ, sunt reueritæ habitum: sed exuto pudore, & perfrictâ facie, & impudentibus oculis diuinum hominem aspiciebant, neque capita operientes, neque vestes quas succinxerant demittentes. Hoc cùm ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit. Puellas quoque est execratus, & impudentem earum iuuentutẽ castigauit canis ante tempus inductis, & sermonem factum est consecutum, mutatusque est nigror pilorum, & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumrectæ sunt folijs autumnalibus. Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuẽtes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renuntiaturæ illud quod acciderat. Illi autem cùm accurrissent, & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, iusti designata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoque suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem, eum hoc quoque concessisse, requisijsse autem puellas quæ illam acceperant disciplinam, & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale est noui huius Moysis miraculũ, quod quidem non factum est virgæ percussione, sed operationem accepit signo crucis. Ego autem præter miraculum valdè quoque miror mansuetudinẽ: neque enim, vt magnus Elisæus, impudentes illas puellas vrsis tradidit immanibus; sed quadam innoxiâ disciplinâ, & quę dedecoris parum habebat, vsus, pietatem simul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt prophetam sæuitiæ accusem, (absit vt adeò insaniam) sed vt ostendam, quòd cùm eamdem haberet virtutem, ea effecit quæ congruebant Christi magnitudini & nouo Testamento.

Ob lasciuientes puellas fontem facit exarescere.

Canescunt puellæ ante tempus inhonorantes senem.

Iacobus rogatus fonti aquam, & crines pristinos puellis reuocat.

Crucis signo miracula facta.

Is cùm aliquando vidisset iudicem Persam iniquam tulisse sententiam, quemdam maximum lapidem, qui propè situs erat, execratus,[4] iussit eum conteri & dispergi, & illius iniquam arguere sententiam. Lapide autem statim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuêre qui aderant: horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iustam

Iniquum iudicem lapide per execrationem contrito castigat.

stam tulit sententiam. Et hic quoque suum Dominum est imitatus, qui cùm vellet ostẽdere, se suâ sponte ac lubentem subire passionem, & facilè si voluisset puniisset sceleratos, non eis intulit supplicium, sed ficum
Matth. 21. inanimam verbo arefaciens, suam ostendit virtutem. Hanc ipse quoque imitans clementiam, non punijt iniustum iudicem, sed ictu lapidis illum docuit iustitiam.

Cùm his rebus esset insignis, & omnibus amabilis, & in ore omnium versaretur, trahitur ad munus pontificatus, & suæ patriæ præficitur. Cùm illam autem montanam viuendi mutasset rationem, & ciuilem vitæ consuetudinem non ex sui animi cepisset sententiâ, neque cibum mutauit, nec vestitum: sed loca quidem erant mutata, vitæ autem institutio nullam accipiebat mutationem. Crescebant verò labores, & erant longè maiores prioribus. Ieiunio enim, & cubili humi strato, & sacco quo induebatur, accesserant etiam omnino curæ eorum qui indigebant; vt de viduis inquam esset sollicitus, & prouideret orphanis, & eos qui iniuriam faciebant argueret, & ijs quibus fiebat iniuria iustum afferret auxilium. Et quid opus est omnia recensere apud eos qui norunt quænam illis competant qui hanc suscepêre curationem? Insigniter autem ille tales amplectebatur labores, vt qui ouium dominum insigniter & cuperet & timeret.

Eligitur in episcopum Nisibenũ.

Pauperum, orphanorum, & viduarum curã gerit.

Quò autẽ virtutis opes colligebat maiores, eò maiore sanctissimi Spiritus fruebatur gratiâ: & cùm aliquando ei in vicum quemdam aũt oppidum iter esset (neque enim locum satis teneo) ad eum accedunt quidam pauperes, vnum quempiam ex eis qui cum eis versabantur, tamquam mortuum proponentes, & quæ ad illum sepeliendum erant necessaria supplices ab eo postulantes. Ille autem concessit quidem rogantibus, 4 Deo autem preces obtulit tamquam pro mortuo, rogans vt ei remitteret quæ in vitâ peccauerat, & eum in chorum iustorum dignaretur admittere. Hæc autem cùm dicerentur, eius qui tunc mortem simulabat euolauit anima, suppeditata sunt autem corpori tegumenta. Postquam autem parum processisset homo admirabilis, iubebant eum qui iacebat surgere ij qui actum composuerant. Postquam autem viderunt eum non exaudire, & quod simulabatur id verum euasisse, & in veram faciem mutatam esse personam, ad magnum quidem adeunt Iacobum, suppliciter autem obsecrantes, & ad pedes eius prouoluti, & actus quem temerè agendum susceperant, dicẽtes caussam fuisse paupertatem, rogabant vt eis suum mitteret delictum, & ei qui iacebat, ablatam

Pauper pro mortuo propositus ad eleẽmosynã impetrandam, verè moritur.

restitueret animam. Domini itaque imitans clementiam, & preces exaudijt, & ostendit miraculum, vt qui vitam precibus ablatam, per preces iacenti restituerit. Hoc autem mihi quidem videtur esse simile magni Petri miraculo, qui Ananiam & Saphiram suffuratos mentitosque morti tradidit. Etenim hic quoque similiter, eius qui veritatem erat furatus, & mendacio erat vsus, abstulit animam. Sed ille quidem cùm furtum cognouisset (reuelauerat enim gratia Spiritus) intulit supplicium: hic autem actus argumentum nesciens, obtulit quidem preces, stitit autem vitæ cursum ei qui simulauerat. Et diuinus quidem Apostolus mortuos à calamitate minimè eripuit: salutaris enim prædicationis initia metu opus habebant. Hic autem cùm esset refertus gratiâ apostolicâ, & punijt ad tempus, & pœnam mox remisit. hoc enim opus habebat eo qui esset lucrifacturus eos qui offenderant.

Iacobus mortuum resuscitat.

Act. 5.

Sed enim & est eundum ad alia, & sunt illa breuiter exponenda. Postquam enim Arius, in vnigenitum & sanctissimum Spiritum maledicti blasphemiæque pater & opifex, in eum qui ipsum fecerat linguam mouens, impleuit Ægyptum tumultu & perturbatione, 5 Constantinus autem Imperator maximus, gregis nostri Zorobabel (illius enim instar vniuersam piorum captiuitatem reduxit ab exilio, & diuina templa humi disiecta in altum erexit & excitauit) postquam ergo is omnes ecclesiarum præsides illo tempore congregauit Nicææ, venit cum alijs magnus quoque Iacobus, pro veris decertaturus decretis, vt vir fortis & princeps totius phalangis. Romanorum enim imperio tunc parebat Nisibis. Postquam autem fuit dimissus sacer ille conuentus, & vnusquisque in suam est reuersus, redijt hic quoque tamquam vir fortis victoriâ potitus, exultans propter trophæa pietatis.

Constantinus pro Ecclesiâ Dei alter Zorobabel.

Iacobus interest Cõcilio Nicæno.

Cùm autẽ aliquantum processisset temporis, Imperator quidem ille magnus & admirabilis excessit e vitâ cum coronis pietatis, illius autẽ filij fuêre heredes imperij orbis terræ. Tunc rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filijs, vt quorum potentia non esset patri æqualis, bellum mouit aduersus Nisibim magnis & equitum & peditum copijs. Duxit autem elephantos quoque quamplurimos, & ad vrbem obsidendam diuiso exercitu, eam circumsedit, & machinas extruxit, & turres ædificauit, vallosque figens, & quod inter eos intercedit, ramis tamquam cratibus contextis, obstruens, iussit militibus vt aggerem extruerent, & turres contra turres excitarẽt. Deinde illic sagittarios collocans, & in eos qui

Nisibis à Sapore Persarum rege obsidetur.

Molitiones hostiles irrita redduntur Iacobi precibus.

erant super muros tela iubens mittere, alios iussit inferiùs fodere murosque subruere. Postquam autem omnia illi erant irrita & inania, vt quæ viri diuini dissoluerentur precibus: postremò cùm fluuij præterfluentis, multitudine hominum fretus, fluxum prohibuisset, extructisque muris, & ad retinendum comparatis impedimentis; fluuij plurimum collegisset, id totum simul immisit in mœnia, eo vsus tamquam aliquâ vehementissimâ machinâ. Ea verò aquæ inultum non tulerunt, sed impetu concussa in illâ parte funditus corruerunt. Illi verò magnum clamorem sustulerunt, vtpote quòd vrbs iam esset captu facilis; habitantium enim ciuium magnum murum ignorabant: distulêre tamen irrumpere, cùm viderent non posse vrbem adiri propter aquas. Cùm ergo procul recessissent, vtpote quòd labor eis esset cessaturus, quiescebant ipsi, & equos curabant: qui autem vrbem habitabant, ex animo conuersi erant ad supplicationes, magnum Iacobum habentes intercessorem. Qui autem ætate adhuc vigebant, omnes quàm maximâ poterant contentione [7] rursus ædificabant, nec pulchritudinis nec concinnæ compagis vllam curam generentes, sed omnia temerè componentes, & lapides & lateres, & quidquid portabat quilibet: vnàque nocte opus tantum processit, & in tantam creuit altitudinem, vt & satis esset ad arcendum cursum equorum, & hominũ ascensum absque scalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt supplices, vt & in muris se ostendat, & tela execrationum iaculetur in hostes. Is verò exoratus ascendit, & eorum plurima millia contẽplatus, à [8] Deo supplex petijt, vt in eos immitteret nubem cyniphum & culicum. Et is quidem dixit, Deus verò immisit, ab eo tamquam à Moyse exoratus, & viri quidem diuinis telis vulnerabantur, equi autem ac elephanti ruptis vinculis fugiebant, huc & illuc dispersi, vt qui non possent illos ferre aculeos. Cùm itaque vidisset rex impius, & machinas nulli sibi fuisse vsui, & aquæ irruptionem fuisse inutilem (murus enim qui corruerat, rursus fuerat ædificatus) & omnem exercitum & affligi laboribus, & malè se habere sub dio, & vexari à plagâ immissâ diuinitus: vidisset autem diuinum quoque hominem super muros ambulantem, & coniecisset ipsum Imperatorem ei præesse operi (sibi enim visus erat & purpurâ indutus, & redimitus diademate) indignatus quidem est in eos qui eum decepissent, & vt bellum moueret persuasissent, & dixissent non adesse Imperatorem, & cùm eos damnasset capitis, dimisit exercitum, & in suam regiam redijt quàm citissimè. Hæc in hoc quoque Ezechiâ Deus fecit miracula, non illis minora, sed etiam maiora, vt mihi quidẽ videtur. Quòd enim cùm corruisset murus, vrbs non capta fuerit, quodnam potest esse eo maius miraculum? Ego autem præter hoc illud quoque valdè admiror, quòd cùm vteretur execrationibus, non petijt vt fulgura & fulmina è cælo mitterentur, vt fecit magnus Elias, quando ad ipsum vterq; quinquagenarius venisset cum suis quinquaginta. Audiuerat enim Dominum apertè dixisse Iacobo & Ioanni qui hoc ipsum conabantur facere: Nescitis cuius spiritus sitis. & ideò non petijt vt terra eis dehisceret, nec rogauit vt phalanx ignè consumeretur; sed vt animalculis illis sauciarentur & cùm Dei cognouisset virtutem, tandem mutata edisceret pietatẽ & verum Dei cultum. Tantá habuit hic homo diuinus apud Deum fiduciam, tantam à superis gratiam est consecutus. Cùm in his perpetuò versaretur, & in rebus diuinis quotidie cresceret, cum maximâ gloriâ hanc [9] vitam deposuit, & ex his locis migrauit. Cùm autem præteriisset aliquantú temporis, & hoc oppidum, ab eo qui tunc imperabat, regno Persarum esset traditum, exierunt quidem omnes qui in eo habitabant, sui autem defensoris ac principis corpus ferebant, ægrè quidem ferentes & dolentes quòd transmigrarent, canentes autem celebrantésque virtutem fortissimi victoris. Si ille enim vixisset, ij minimè venissent in potestatem barbarorum. Hæc cùm de viro diuino recensuerim, ad aliam transibo narrationem, rogans vt consequar eius benedictionem.

Muro destructo, Iacobus magnus ciuium murus.

Iacobus intercessor pro obsessis.

Nubes cyniphum in hostes mitti à Deo impetrat.

Sapor obsidionem soluit.

Iacobus pænam hosti imprecans, clementiæ memor.

Luc. 9.

Corpus sancti Iacobi è Nisibi à Persis capta ductum.

[10] IVLIANVS SABAS. CAP. II.

IVLIANVS, quem cognomine Sabam honorantes nominabant incolæ, πρεσβύτην autem, id est senem, Græcâ voce hóc nomen significat, in regione quæ olim quidem Parthorum, nunc autem nominatur Osrœnorum, fixit ad exercitationem monasticam tugurium. Ea autem patet ad Occidentem quidem vsque ad ripam fluuij, est autem ei nomen Euphrates: ad orientem autem solem, habet limitem Romani imperij. Assyria enim excipit Persas, cùm Persici regni sit finis occidentalis, quam qui posteà sunt secuti, nominarunt Adiabenem. In hac gente multæ quidem sunt vrbes magnæ & populosæ; regionis autem plurimum quidem habitatur, plurimum autem est & inhabitabile & desertum. Ad extrema huius solitudinis cùm hic vir diuinus peruenisset, & antrum non manu factum, neque benè ac pulchrè effossum, inuenisset, sed quod

Iulianus habitatio [illegible] Sabæ, [illegible]

quod posset exiguum aliquod tegumentum præbere ijs qui ad ipsum confugiebant, locum lubenter habitauit, auro & argento fulgentibus regijs id existimans esse magnificentius. In eo autem degebat, in hebdomadà semel cibum capiens: cibus autem erat panis hordeaceus, isque furfuraceus; obsonium autem, sales; potus autem suauissimus, per se natiuum aquæ fluentum. idque non satietate dimensum, sed vsu demissi prius sibi definitum. Erant autem ei deliciæ opiparumque & lautissimum epulum, Dauidicorum hymnorum decantatio, & assidua cum Deo conuersatio. & cùm eis frueretur insatiabiliter, eorum numquam voluit capere satietatem; sed semper quidem implebatur, semper autem clamabat: Quàm dulcia gutturi meo elóquia tua? super mel & fauum ori meo. Rursus enim audiuit beatum Dauid dicentem: Iudicia Domini vera, iustificata in idipsum, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Rursus audiuit eum dicentem: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursus, Lætetur cor quærentium Dominum. Et: Lætifica cor meum, vt timeat nomen tuum. Et: Gustate & videte quàm benignus est Dominus. Et: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Et: Adhæsit anima mea post te. & eius qui hæc dixit, amorem in se transtulit. Hac enim de caussâ magnus quoque Dauid hæc canens docuit, vt multos socios & in Deo amando riuales constitueret. Neque verò spe falsus est; sed & hunc virum diuinum, & alios innumerabiles diuino amore sauciauit. Hic enim tanto amoris igne fuit incensus, vt inebriaretur desiderio, & nihil videret ex terrenis: solum autem dilectum & noctu somniaret, & interdiu visione apprehenderet. Hanc summam eius philosophiam cùm multi didicissent, alij quidem qui propiùs habitabant, alij verò qui remotiùs. Allata enim fama percurrebat in omnes partes, accurrebant supplicantes vt essent palæstræ participes, & ei tamquam exercitationis magistro & pædotribæ parentes, viuerent in posterum. Non solùm enim aues venantur canentes, & ad se eas euocantes, quæ sunt eiusdem generis, & subiectis laqueis implicantes; sed etiam homines venantur eos qui sunt eiusdem naturæ, alij quidem ad exitium, alij verò ad salutem. Sic congregati quidem citò fuêre decem, deinde duplo & triplo plures. Eos autem cùm tot essent, accipiebat illud antrum: à sene enim didicerant negligere curam corporis: vescebantur autem ipsi quoque similiter atque pædotriba, hordeaceo

[Margin: ...ani vi... panis ...laceus, & aqua — ...mnorum ...uidico... fructus. — ...l. 118. — ...l. 18. — ...al. 36. — ...al. 104. — ...al. 33. — ...al. 41. — Congregantur ad Iulianū multi qui eandem cum eo sequuntur exercitationem.]

pane sale condito. Aliquo autem pòst tempore, & olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, & muriæ quantum satis erat miscentes, id habebant obsonium qui opus habebant curatione. His autem oleribus humida habitacula sunt maximè infesta; solent enim suâ naturâ eis ingenerare situm & putrefactionem: cùm huic ergo obsonio id accidisset, (erat enim antrum vndiquaque valdè humidum) supplicarunt seni sodales, vt sibi paruam aliquam domunculā liceret extruere, quæ sufficeret obsonij vasis accipiendis. Ille autem primò quidem postulatum minimè admittebat: tandem autem persuasus, (à magno enim Paulo didicerat non quærere quæ sua sunt, sed aliquid concedere & se accommodare humilibus) dedit quidem domunculæ breuem quamdam & exiguam mensuram, abijt autem procul ab antro, solitas oblaturus Deo supplicationes. Solitus enim erat sæpè quidem quinquaginta stadia, nonnumquā autem etiam bis totidem in desertum proficiscens, & se ab omni humanâ consuetudine separans, & ad seipsum rediens, per se cum Deo congredi ac conuersari, & diuinam illam & ineffabilem speculari pulchritudinē. Hoc otium cùm sumpsissent, qui vt ab illo cura eorum gereretur, digni erant habiti, vsui quidē iustâ symmetriâ respondentem, sed maiorem quàm iussi fuerant, extruxêre domunculam. Decimo autem die, veluti quidem Moyses reuersus à monte, & ab eâ quę verbis explicari nequit contemplatione, cùm vidisset maius factum quàm volebat ædificium, Vereor, inquit, ô viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cælestia: atqui hæc quidem sunt ad tempus, & quæ nobis parumper conueniunt; cælestia autem sunt æterna, & quæ nullum possunt finem capere. Et hæc quidem dixit, chorum docens ea quæ sunt perfectiora; tolerauit tamen cùm vocem audijsset apostolicā: Non quæro quod mihi est vtile, sed quod multis, vt seruentur. Illos quoque docuit, intus quidem communem Deo offerre hymnodiam, post auroram autem duos simul exire in solitudinem; & vnum quidem flexis genibus offerre eam quæ Domino debetur adorationem, alterum verò stantem Dauidicos psalmos canere quindecim. Deinde operis factâ commutatione, alterum quidem surgentem canere, alterum verò humi procumbentem, adorare, & id à manè vsque ad crepusculum assiduè faciebant. Ante occasum autem solis, in antro paululùm quiescẽtes, hi quidem hinc, illi verò illinc, omnes verò vndiquaque in antrum conueniebant, & hymnos vespertinos simul Domino offerebant. Solebat

[Margin: 1. Cor. 13. — Supplicationes fundit longè remotus ab humanâ consuetudine. — 1. Cor. 10. — Quis ritus precationum.]

Solebat autem ipse quoque senex vnum aliquẽ ex insignioribus assumere sociũ officij.

Sequebatur autem eum frequentiùs vir quidam genere quidem Persa, formâ autem corporis magnus & admirabilis, formâ verò corporis magis admirabilem possidebat animam. Erat autem ei nomen [11] Iacobus, qui etiam post illius mortem in omni quidem virtute resplenduit. Fuit autem insignis & illustris, non ijs solis quæ illic erant, sed etiam ijs quæ erant in Syriâ philosophiæ gymnasijs seu monasterijs, in quibus etiam vitam finijt, cùm vixisset, vt fertur, centum & quatuor annos. Is cùm esset magno seni ad solitudinem viæ comes, sequebatur eminus. Non sinebat enim magister eum propiùs accedere, ne occasio dissérendi ex eo sumeretur; sermo autem abstraheret mentem à Dei contemplatione. Sequens autem, in viâ vidit draconem maximum; deinde eum contemplatus, non est quidem ausus progredi: cùm sæpè autem eum præ metu voluisset declinare, rursus confirmauit animum. Deinde cùm inclinatus accepisset lapidem & eum proiecisset, vidit draconem in eodem statu manentem non posse se omnino mouere. Cùm autem eum intellexisset esse mortuum, existimauit esse opus senis mortem beluæ. Confecto autem itinere, & hymnorum completo officio, postquam venit tempus quietis, & sedens senex, ei quoque iussit vt corpus quieti parumper traderet, primùm quidem sedebat tacitus: cùm autem senex sermonem quemdam leniter subridens aggressus est, rogauit Iacobus vt ei aperiret id quod ignorabat. Cùm is autem permisisset rogare, Vidi, inquit, in viâ maximum draconem iacentem, & primùm quidem timui, illum viuere existimans; postquam autem eum aspexi mortuum, securus iter sum ingressus. dic mihi, inquit, ô pater, quis eum interfecit? Tu enim præcedebas: nullus autem alius hac præterijt. Senex autem, Cessa, inquit, de ijs curiosè percontari, quæ ijs qui scisсitantur non possunt vllam afferre vtilitatem. Verùm nihilo seciùs instabat Iacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentans celare, non ferens autem amicum diutiùs angere; Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras: præcipio autem, vt me viuo nullus alius hoc à te rescisсat quod dicendum est, hæc enim sunt celanda, quæ ad arrogantiam & fastum sæpè excitant: sed si ego hinc excessero, & ab eiusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quò minùs dicas & narres vim diuinæ gratię. Scias ergo, inquit magnus Iulianus, quòd me iter ingredientem illa inuasit belua, osque aperuit me cupiens deuorare: ego autem Iesum appellans, & digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem excussi timorem: extemplò autem vidi humi cecidisse beluam; & communi laudato Seruatore, perrexi vlteriùs. Sic finitâ narratione, ad antrum est profectus.

Iacobus Persa tandem monachus.

Iulianus eum eminus sequi iubet, ne colloquendo à Deo distrahatur.

Miraculũ celari postulat Iulianus.

Signo crucis Iesum inuocans draconem interfecit.

Aliquando autem adolescens, nobili quidem loco natus, sed molliter educatus, maiorem autem ostendens promptitudinem & animi alacritatem quàm vires ferre possent, supplex petijt à sene vt esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non eius quidem quam omnes obibant quotidie, sed longissimæ, & quâ sæpè erat octo & decem diebus peregrinandum. Is autem erat celeberrimus ille Asterius. Cùm autem diuinus senex prohiberet iuuenem, & aridam aquáque carentem diceret esse solitudinem, instabat adolescens obsecrans vt hoc ei donum concederet. Victus autem precibus cessit senex; ille verò sequebatur, primò quidem alacriter. Cùm autem primus & secundus & tertius dies præteriisset, & à radijs solis exureretur (erat enim æstas, vigente autem æstate est vtique flamma solis ardentior) siti perpetuò laborabat. Et primùm quidem eum morbum aperire pudebat, memoriâ reputans ea quæ sibi prædicta fuerant à magistro. Tandem autem victus & planè omnino deficiens, orauit senem vt sui misereretur. Is autem cùm quæ ei prædixerat reuocasset in memoriam, iussit eum reuerti. Cùm autem diceret adolescens nec se scire viam quæ ducit ad antrum, nec si sciret, ire posse, cùm sint vires siti consumptæ: misertus homo diuinus casus adolescentis, & ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis orauit Dominum, & calidis lacrymis solum irrigauit, & viam salutis petijt adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum qui ipsum timent, & eorum exaudit orationem, stillas lacrymarum quæ puluerem attigerant, effecit fontem aquarum, & sic fluento repletum adolescentem iussit abire protinus. Fons autem mansit vsque in hodiernum diem, Moysaicæ diuini senis orationi ferens testimonium. Quomodo enim ille olim, cùm sterilem illam petram virgâ percussisset effecit vt produceret exundantes aquas fluuiatiles, vt satiaret multa illa hominum millia siti confecta: ita hic cùm arenam illam aridissimam irrigasset lacrymis, fecit vt fontana emanarent fluenta; non vt multarum myriadum, sed vt vnius adolescentis afferret siti remedium. A diuinâ enim gratiâ animâ illuminatus, apertè præuidit futuram adolescentis perfectionem. Is enim multis post temporibus à di-

Asterius adolescens senem Iulianum conuenit pro vita instituta.

Probatur Asterius, siti extremè laborat.

Fons lacrymis Iuliani orantis erumpens in solatium Asterij.

Asterius exercet monasticam.

** al. Gidarum*

à diuinâ prouocatus gratiâ, vt alios quoque multos ad eamdem exerceret gratiam, in locis quæ sunt circa * Gendarum (est autem is vicus maximus sub Antiochiâ) palæstram fixit monasticam, & multos quidem etiam alios ad se traxit athletas philosophiæ.

Acacium post Berhœa episcopum ad asceticam attraxit.

Traxit autem [12] magnum quoque Acacium, insignem inquam illum & famâ clarum, qui fuit quidem egregius in vitâ monasticâ, emisit autem splendidos virtutis radios, vt qui sit dignus habitus qui fieret pontifex, & Berhœam pascendam est sortitus. Cùm quinquaginta autem & octo annis ei fuisset cura gregis credita, non reliquit quidem formam vitæ monasticæ, monasticam autem & ciuilem simul temperauit virtutem: & illius quidem sumens exactam perfectionem, huius autem œconomiam ac dispensationem, in vnum coëgit ea quæ erant inter se disiuncta.

Asterius senem Iulianum aliquoties inuisit cum munusculis.

Sed huius virtutis & venator & exercitator fuit ille Asterius, qui magni illius senis tanto semper tenebatur amore, vt sæpe quidem bis in anno, sæpè etiam ter ad eum proficisceretur. Veniens autem solebat caricas afferre sodalibus, onerás tria vel quatuor iumenta. [13] Duos autem medimnos colligens, vt qui seni toto anno sufficerent, id onus suis imponebat humeris, se magistri iumentum & vocans & præstans. Portabat auté id onus, non decem vel viginti stadijs, sed septem dierum iter conficiens. Cùm eum autem aliquando vidisset senex ferentem humeris sarcinam caricarum, ægrè ferens, dixit hæc non sibi esse exhibenda alimenta: non esse enim iustum, vt ille quidem tãtum subiret laborem, ipse verò delicatè eius frueretur sudoribus. Cùm is autem iurasset se non esse onus à suis humeris depositurum, nisi assensus esset senex, se allati cibi futurum participem; Faciam, inquit senex, quod iubetur, modò tu quamprimùm deponas canistrum. Nam in hoc quoque imitabatur primum apostolorum, qui cùm voluisset Dominus lauare eius pedes, priùs quidem negauit, apertè affirmans id non esse futurum. Postquam autem audiuit fore vt abrumperetur à Domini communione nisi hoc concederet, orauit vt præter pedes, manus quoque & caput lauaret. Ita etiam egregius Ioannes iussus tingere Seruatorem, priùs quidem & suam confessus est seruitutem, & ostendit Dominum. Posteà autem iussum est executus, non se asperè gerens, sed parens Domino. Ita etiam hic quoque vir diuinus, grauabatur quidem alio laborante ipse frui alimento; sed postquam vidit ardentissimam clientis animi alacritatem, præposuit suæ voluntati illius ministerium.

Ioan. 13.

Cur ista narret quæ tamen videantur leuia.

Fortè autem aliquis ex ijs qui ex aliorum reprehensione magnã capiunt voluptatem, & ea quæ sunt honesta solùm didicerunt irridere, dixerit hanc narrationem non esse dignam quæ commemoretur. Ego autem alijs huius viri miraculis hoc quoque adieci, non solùm magnorum virorum volens in eum pietatem ostendere, sed etiam morum eius suauitatem & moderationem declarare; existimans conducibile. Nam cùm tantâ esset & tali virtute, ne leuissimo quidem honore seipsum dignum esse censebat, sed eum repellebat vt qui ad se nequaquam pertineret: rursus autem eum sustinebat, vt qui eos qui faciebant afficeret beneficio.

Iulianus frequẽtiam visitationum & honorem fugiens, in montem Sinæum concedit.

Aufugiens autem, (nam vt qui omnibus euasisset manifestus, ad se trahebat per famam eorum quę sunt bona & honesta amatores) venit in montem Sinæum cum paucis ex paulò familiaribus: non oppidum ingrediens, non vicum, sed iter per inuiam iniens solitudiné. Ferebat autem humeris alimentum quoque necessarium, panem inquam & salem, lagenã & cyathum ligneum, & spongiam fune alligatam: vt si quando aquam inuenissent profundiorem, exhaurirent quidem spongiâ, expressam autem in cyathum ebiberent. Cùm itaque iter multorum dierum confecissent, ad montem optatum perueniunt: & cùm suum Dominum adorassent, illic longum tempus perpetuò trãsegerunt, loci solitudinem & animæ quietem maximam existimantes voluptatem. Cùm autem in illâ petrâ sub quâ latens Moyses prophetarũ princeps, dignus est habitus qui Deum videret sicut videri poterat, ecclesiam extruxisset, & diuinã aram consecrasset, quæ etiam mansit vsque in hodiernum diem, in suam reuersus est palæstram.

In rupe Sinai, Moysis latibulo, ecclesiam exstruit, & aram consecrat.

Cùm autem eius, cui erat quidem idem quod ipsi nomen, sed impij Imperatoris minas intellexisset, (pios enim se funditus perditurum minatus, profectus erat in Persas, & qui eadem quæ ipse sentiebant, abominandum illum reditum inhiantes exspectabant) tunc Deo orationem magno studio & vehementi desiderio offerens, & eamdem ad decimum vsque diem extendens, [14] audiuit vocem dicentem, execrandum illum & fœtidum porcum de medio esse sublatum. sed neque accepto fine orationis, confestim finijt orationem, sed mutauit petitionem in hymni decantationem, gratias agens Seruatori suorum, clementique & potenti hosti alienorum. Longissimo enim tempore fuit clemens & lenis in impium: sed cùm eius lenitas & patientia sceleratum ad maiorem exercuisset rabiem, opportunè intulit supplicium. Cùm autem implesset orationem,

Mors apostatæ Iuliani significatur diuinitus Iuliano ascetæ.

tionem, & ad suos esset conuersus, planum fuit, eum esse læto & tranquillo animo: animi enim alacritas vultum ostendebat hilarem. Cùm autem qui cum eo versabantur nouum admirati essent spectaculum, (nam cùm semper tristi aspectu videretur, tunc visus est subridere) & cùm caussam rogassent lætitiæ, Præsens tempus, inquit, ô fratres, est gaudij; cessauit enim impius, vt est vox Isaiæ, & audacium inceptorum meritas dedit pœnas; & qui tyrannidem exercuit in Deum qui fecit & seruauit, ab eius qui illius parebat imperio dexterâ iure est cæsus. Ideò lætor cùm videam ecclesias quæ ab eo sunt oppugnatæ exultantes, & cernam sceleratum ab ijs quos colebat dæmonibus, nihil auxilij consecutum. Huius ergo impij cædis talem habuit præscientiam.

Isa. 24.

Ecclesia persecutio sub Valente.

Cùm autem [15] Valens, qui post illum accepit habenas Romani imperij, relictâ veritate euangelicorum dogmatum, erroris Arij accepisset imposturâ, tunc exorta est maior procella aduersus Ecclesiam, cùm gubernatores quidem vndique expellerentur, prædones autem quidam & hostes in eorum locum sufficerentur. Ne autē totam illam in præsentiâ recenseam tragœdiam, alia nunc prætermittam, vnius autem solummodò faciam mentionem, quod apertè ostendit diuini Spiritus gratiam in hoc sene florentem. Ab Antiochenâ quidem ecclesiâ eiectus erat magnus Meletius, quæ à Deo vniuersorum pascenda ei credita fuerat: à diuinis autem templis eiecti fuerant cum populo qui erat eiusdem cum eis sententiæ, quicumque in clerum cooptati, Trinitatis diuinam vnam colebant essentiam. Et nunc quidem in aliquem specum montis venientes, sacros illic cœtus celebrabant; nunc autem ripam fluminis faciebant oratorium, aliquando autem bellicum gymnasium, quod situm est ante portam Septemtrionalem. Non permittebant enim qui bellum gerebant, in vno loco pios consistere. Iactarant autem alumni mendacij, & rumorem in illâ ciuitate sparserant, quòd magnus, hic inquam senex, eorum quæ ipsi tenebant religionis dogmatum amplecteretur communionem. Hoc pios maximè angebat, ne fama rudiores & simpliciores decipiens, eos hæreticorum implicaret laqueis.

Hæretici Iulianum de sua hæresis communione infamant.

Sed diuini & beati viri, Flauianus & Diodorus, qui digni erant habiti vt essent sacrifici, & præessent piorum populo, & Aphraates, cuius per se vitam vobis si Deus concesserit, adiiciam, persuadent magno illi Acacio, cuius fecimus mentionem, vt viæ acciperet comitem suum quidem magistrum, sancti autem senis discipulum, insignem illum Asterium, curreret autem ad communem pietatis splendorem, & euangelicæ doctrinæ sustentaculum, & persuaderet vt relinqueret quidem illam in solitudine versandi rationem, veniret autem vt ferret auxilium tot millibus quæ fraude interibant, & rore sui aduentus flammam extingueret Arianam.

De Aphraate inf. c. 8.

Cucurrit diuinus Acacius, & sumpto, vt iussus erat, magno [16] Asterio, accessit ad maximum lumen ecclesiæ: & cùm eum salutasset, Dic mihi, inquit, ô pater, quanam de caussâ totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cùm is autem respondisset: Et corpore, & animâ, vitâque, & omnibus quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior: conor autem, quoad eius à me fieri potest, illi à sorde nudum offerre ministerium, & ei perpetuò placere. Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quàm nunc seruies: idque dicam, non solâ vtens ratiocinatione, sed vt qui ab eius doctrinâ didicerim. Cùm enim Petrum aliquando rogasset, an eum plus quàm alij amaret, & didicisset id quod sciebat vel ante Petri vocem, Tu enim, inquit, nosti Domine quòd amo te; ostendit ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pasce oues meas, & pasce agnos meos. Hoc quoque tibi, ô pater, est faciendum: periculum enim est ne oues à lupis intereant; eas autem valdè amat, qui à te valdè amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cùm fiunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui non paruum est periculum, multorumque & magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati potueris negligere, tacitus præterire, veritatem quidem grauiter oppugnari, eos autem qui ei adhærent, captari: ad eos autem venandos esse escam tui nominis appellationem. Te enim habere socium suæ impietatis, gloriantur & iactant, præsides Arij abominationis.

Acacius Iulianum ad hæreticis resistendum excitat.

Ioan. 21.

Cura animarum in communi periculo etiam eremitis suscipienda.

Hoc cùm primùm audijsset senex, quietem quidem iubens valere ad tempus, neque ciuitatis strepitus, quòd eis non esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. Cùm autem duorum vel trium dierum iter confecisset in solitudine, noctu venit in quoddam prædium: quædam autem diues muliercula, cùm sacrum illum chorum audijsset venire, cucurrit vt perciperet eorum benedictionem; & ad eorum pedes prouoluta, rogabat vt sua domus esset eorum diuersorium. Concessit senex, idque cùm plus quàm quadraginta annis à tali fuisset spectaculo separatus. Cùm autem admirabilis illa mulier esset in sacris illis viris ministrando occupata, puer septem annos natus, cuius solius erat mater, quæ hospitalitatem Saræ est æmulata, esset autem vespe-

Iulianus Antiochiã proficiscitur ad confutandos hæreticos.

rum

Mater hospitalitati intenta filij in puteum lapsum patienter fert. rum & tenebræ, cecidit in puteum. Cùm autem ex eo, vt est consentaneum, exortus esset tumultus, mater autem sensisset, iubet quidem omnes quiescere: puteo autem operculo imposito, instabat ministerio. Mensâ autem viris diuinis appositâ, diuinus senex iussit vocari puerum mulieris, & accipere benedictionem. *Mos vetus benedicendi pueros.* Cùm autem admirabilis mulier diceret eum malè habere, perstitit iubere vt is duceretur. Postquam autem ei quod accidisset significauit mulier, mensam quidem relinquit senex, accurrens autē ad puteum, cùm auferri quidem operculum, afferri autem lucem iussisset, videt puerum sedentem super aquæ superficiem, & aquam manu pueriliter pulsantem, & qui reputatus fuerat interitus, eum ludum putantem: & cùm quosdā funes alligassent & eos demisissent, *Puer Iuliani meritis illæsus seruatur.* puerum extraxerunt: & statim accurrit puer ad pedes senis, dicens se eum vidisse in aquis ipsum ferentem, & ne mergeretur prohibentem. Hanc hospitalitatis mercedem recepit mulier à beato sene.

Et vt alia prætermittam quæ facta sunt in itinere, venerunt quidem Antiochiam; omnes autem vndique concurrebant, Dei hominem videre cupientes, & morbi sui medicinam vnusquisque accipere desiderans: habitabat autem in speluncis quæ erant in latere montis: *Diuertit Iulianus ad beati Pauli latibula apud Antiochiam.* vbi diuinum quoque apostolum Paulum & habitasse dicunt & latuisse. Sed statim vt scirent omnes eum esse hominem, eum inuadit febris vehementissima. Cùm autem videret magnus Acacius, multitudinem eorum qui simul erant congregati, & eam quæ acciderat ægrè ferret ægritudinem (existimabat enim, fore vt ij qui conuenerāt perturbarentur, si viri morbum rescirent, à cuius manu se inuenturos sperabant medicinam;) Noli angi animo, inquit senex: si est enim necessaria sanitas, eam statim dabit Dominus. Statim ergo post hæc verba ad *Iulianus febri correptus eam præcepellit.* preces conuersus, & vt solebat, & genua & frontem solo admouens, rogauit vt assequeretur sanitatem, si ex eā reditura sit aliqua vtilitas ad eos qui conuenerant. Nondum finierat preces, & repentè multus sudor profluens extinxit flammam febris.

Cùm illic autē liberasset multos à morbis omnis generis, profectus est ad conuentum piorum. Transeunte autem eo per portas regiæ, mendicus quidam qui clunibus vtebatur pro pedibus, & per terram trahebatur, *Mendicus debilis pedibus restituitur pallij eius tactu.* cùm manum extendisset, & eius pallium tetigisset, fide quidem morbum exegit, exiliens autem ostendit se æquè currere atque ante morbum: idem faciens quod claudus quem Petrus & Ioannes suscitarunt. *Act. 3.* Hoc cùm factū esset, confluxit totus populus ciuitatis: eratq; bellicum gymnasium plenum ijs qui concurrebant. *Iuliani præsentiâ confunduntur aduersarij.* Pudore autem afficiebantur calumniatores & mendacij artifices, læto autē & tranquillo animo erant alumni veritatis. Ex hinc in domos suas trahebant lumē veritatis, ij qui opus habebant vt curarentur. Vir autē quidam cui fuerat maximus mandatus magistratus, eiusque fidei commissus erat clauus Orientis, ad eum misit ro- *Præfectum Orientis sanat.* gans vt ad se veniret, & à morbo vrgente liberaret. Ille verò accessit nihil cunctatus, & cōmuni Domino fusis precibus verbo soluit ægritudinem, & iussit vt Deo ageret gratias.

Cùm hæc & talia fecisset, statuit deinceps reuerti ad suæ exercitationis monasticæ tugurium. Cùm per * Cyrum autē iter faceret, (distat autē hæc ciuitas duorum dierum itinere ab Antiochiâ) diuertit quidem in ędem præclari martyris Dionysij: qui illic autem vero Dei cultui & rectæ religioni præerant, conuenientes supplicarunt vt sibi opem ferret exitium præuisum exspectantibus. Dicebant enim, Asterium qui in sophisticâ & falsâ differendi arte fuerat educatus, & se in hęreticorum ecclesiam iniecerat, & episcopale *Asterius hæreticorū episcopus, dialecticâ & eloquentiâ abutitur ad hæresim.* munus erat assecutus, falsum acriter defendere, & improbo vti artificio aduersus veritatem: & veremur, inquiebant, ne facundiâ veluti quadāescâ falsum contegens, & nexus syllogismorum tamquam quædam retia extendens, capiat multos ex simplicioribus: eâ enim de causâ fuit ab aduersariis accersitus. Senex autem, Estote, inquit, bono animo, & Deo nobiscum supplicate, orationem & corporis afflictionem precibus adiungentes. His Deum sic rogantibus, vno die ante diem festum ac celebrem, quo verba erat facturus falsi defensor & hostis veritatis, is diuinitus immissam accepit plagam, & cùm vno tantùm die ægrotasset, excessit è viuis, illam vt *Asterius diuinâ plagâ moritur.* est probabile, vocem audiens: Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam; quæ autem *Luc. 12.* parasti retia & laqueos, ijs tu implicaberis, & non alij. Hæc Balaam quoq; acciderunt, qui ipse quoque aduersus Dei populum accersitus, cùm impia quædam Balaac aduersus ip- *Num. 24.* sum consuluisset, eius dedit pœnas, vt qui ab Israëliticâ dexterâ fuerit cæsus. Igitur hic quoque cùm in Dei populū quasdam callidas excogitasset sentētias, per Deum populi vitā fuit priuatus. Hanc autem salutem Cyrus est consecuta per huius orationem.

Vnde hæc Theodoretus didicerit. Hæc autem quæ narraui, mihi diuinum caput, ille magnus tradidit Acacius, qui pulchrè sciebat omnia quæ ab ipso facta fuerant. Cùm ergo illinc esset profectus, & ad suos sodales reuersus, & vnà cum eis non paruo tēpore esset versatus, ad vitam senij & molestiæ expertem valdè promptè & alacri-

*al. Gyrrhum vel Cyrrhum.

ter transijt, vt qui in mortali naturâ meditatus esset impatibilitatem, exspectaret autem corporis immortalitatem. Ego autem hîc de eo sistens orationem, transibo ad alium: rogans sanctos qui in hanc ingrediuntur narrationem, per suam intercessionem mihi supernam conciliare beneuolentiam.

Auctor sanctorum intercessionem exposcit.

Cap. III. 12 MARCIANVS.

Theodor. lib. 4. hist. cap. 26.

ILLVM autem tempore celebratū Marcianum, quomodo pro rei dignitate admirabimur? Num videlicet eum simul coniungentes cum Eliâ, & Ioanne, & similibus, qui circumibant in ouinis & caprinis pellibus, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus, errantes in solitudinibus, & montibus, & speluncis, & foraminibus terræ.

Heb. 11.

Is enim olim patriam quidem habuit Cyrum, cuius prius quoque meminimus; post hæc autem solitudinem: hac autem & illâ relictâ, nunc habet cælum. Et illa quidem eum genuit, hæc verò aluit, & victorem effecit; cælum autem accepit vt coronatum, contemptâ claritate generis. Ducebat enim genus à patricijs, & à splendore regio. In illis enim florebat, corporis specie & magnitudine acceptâ ab opifice naturæ, & animo ingenij solertiâ ornato. In Deum autē & ea quæ ad eum pertinent, totum amorem transtulit: & omnibus valere iussis, solitudinis occupat vmbilicum, & paruâ extructâ domunculâ, quæ ne eius quidem corpori iustâ respondebat proportione cùm eam quodā alio paruo septo circumsedisset, inclusus erat assiduè, separatus quidem ab omni humanâ consuetudine, differens autem cum Domino vniuersorum, & dulcem illam vocem exaudiens. Diuina enim versans eloquia, se diuinâ voce frui putabat. Orans autem & supplicationes offerens, ipse loquebatur cum Domino: & cùm semper tantis frueretur delicijs, eum numquā capiebat satietas. Audiuit enim diuinum Spiritum per magnū Dauid psallentem: Qui meditatur in lege Domini die ac nocte, erit tamquā lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & foliū eius non defluet. Hos fructus desiderans, iucundissimum hunc laborem amplectebatur: & orationem quidem psalmodia, psalmodiam autem excipiebat oratio, & vtraq; rursus diuinorum eloquiorū lectio. Cibus autem ei erat solus panis, isque certâ præbebatur mensurâ. Ea autē erat mensura, vt nec puero quidem nuper ablactato satis esset. Aiunt enim panis libram in quatuor partes diuisam, quatuor diebus fuisse distributā; & vnicuique diei attributā fuisse partem vnam. Statuerat enim vesperè comedere quotidie, numquā autem satiari; sed semper quidem esurire, semper verò sitire: corpori autem ea exhibere quę ad viuendū sufficiunt. Dicebat enim, quòd qui post multorum dierum inediā capit cibum, in diebus quidem inediæ, officia Dominica exequitur imbecillius. Quo autē die rursus capit cibum, plura, vt est consentaneū, exhibens, ventrem onerat: is autem grauatus tardiorem reddit animā ad vigilandum. Dicebat igitur esse melius vesci quidem quotidie, numquam autem exspectare satietatem. Verum enim ieiunium est perpetua indigentia. Hanc legem perpetuò ferebat vir ille diuinus, & cùm corpus haberet maximum, & omnium sui temporis hominū esset & maximus & pulcherrimus, hoc paruo cibo alebat. Cùm autem præterijsset aliquantum temporis, duos admisit contubernales, Eusebium qui sacri illius tugurij fuit heres, & 11 Agapetum, qui has leges angelicas transtulit Apameam. Est enim quidam vicus maximus & populosissimus: est autem ei nomen Nicerte. In eo ergo construit duo maxima philosophiæ gymnasia, quorum vnum quidem est ab eius nomine denominatum, alterum verò ab admirabili Simeone, qui quinquaginta annorum spatio refulsit in hac philosophiâ. In his in hodiernū vsque diem degunt plus quàm quadringenti viri, virtutis athletæ, & amatores religionis verique Dei cultus, & qui suis cælum coëmunt laboribus. Huius autem reipublicæ legislatores fuêre Agapetus & Simeones, qui leges accepêre à magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata sunt exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem ijsdem legibus reguntur & institutis, difficile est enumerare. Ceterùm horum omnium plantator fuit ille diuinus: qui enim pulcherrimum semen præbuit, is iure vocari possit auctor bonorum quæ nascuntur.

Marcianus Cyro oriundus. *Nobilis prosapiâ.* *Solitudinē eligit, & cella non maiori corpore suo se includit.* *Psal. 1.* *Post orationem & psalmodiā, lectionem adhibet Scripturarum.* *Victus eius ratio.* *Numquam satiari, semper esurire, semper sitire.* *Ieiunia moderata sunt meliora.* *De Eusebio infrà cap. 4.* *Marcianus duo extruit monasteria.*

Primùm ergo, vt dixi, solus voluntarium illum tenebat carcerem: deinde cùm hos duos admisisset, non habitabāt illi in eadem domo: neq; enim ei soli sufficiebat domuncula, vt quæ esset valdè parua, & quæ ipsi & stanti & recumbenti multū afferret laboris. Neque enim stans, rectus stare poterat, cùm tectum caput & collum tangeret: neque recubans poterat pedes extendere, cùm domus non haberet longitudinem æqualem longitudini corporis. Cùm ergo eis permisisset aliam extruere, iussit in eā degere: per se autem hymnos dicere & orare, & diuina legere eloquia. Cùm autem oporteret esse plures huius vtilitatis participes, alio habitaculo eius iussu procul extructo, iussit eos qui vellent in illo degere. Eorum autem dux erat Eusebius, qui magni Marciani trans-

Cella corpore eius minor. *Eusebius Marciani successor.*

trãnsmittebat doctrinam. Diuinus autẽ ille
19 Agapetus, vt oportuit institutus & exercitatus, & in hac arte athleticâ optimè eruditus, reuersus est, vt dixi, & seminauit semina quæ à diuinâ illâ animâ acceperat. Euasit autem adeò clarus & illustris, vt pontificali sede dignus sit habitus, & ei mandata sit pastoralis curatio, & eius fidei credita fuerit cura patriæ. Eusebius autem ille admirabilis, congregati gregis præfectus, & curam magistri susceperat, & solus dignus habebatur qui ad eum in tempore ventitaret, & eum rogaret numquid vellet. Cùm autem vellet noctu videre quid ageret, ausus est ad fenestram (erat autem ea breuis admodum) accedere; & cùm se inclinans respexisset, videt lumen, non ex lucernâ neque quod esset manu factum, sed à Deo datum, & quod supernâ gratiâ præceptoris sui caput circumfulgebat, & diuinorum eloquiorum Scripturæ ostendebat intelligentiam: tenebat enim librum, & diuinæ voluntatis sacrosanctum inquirebat thesaurum. Hoc cùm esset contemplatus admirabilis Eusebius, ingenti timore horroréque est affectus, & Dei ministri diffusam edoctus est gratiam, & Dei in suos seruos didicit beneuolentiam.

Agapetus ad episcopatum vocatus.

Lumine diuinitus adumbratur caput Marciani.

Aliquando autem cùm in vestibulo magnus oraret Marcianus, draco quidam qui reptauerat supra parietem versum ad Orientem, desuper è muro despexit, simul & hians, & horribiliter intuens, & se inuasurum significans. Procul autem stans Eusebius, & illud horrendum spectaculum pertimescens, & id magistrum ignorare suspicans, illi ostendit clamans, & vt fugeret rogans. Ille autem cùm eum reprehendisset, & timorem expellere iussisset, (nam eum quoque esse exitiale vitium) digito quidem crucis priùs expressit figuram, ore autem insufflauit, & veteres ostendit inimicitias. Ille autem spiritu oris, tamquam igne aliquo, exsiccatus, & veluti exsectus, instar exustæ stipulæ in multas partes est dissolutus. Vide ergo, num imitatus est Dominum vt seruus beneuolus? Dominus enim cùm aliquando fureret mare in cymbam discipulorum, eos autem vidisset anxios & perturbatos, non priùs maris sedauit tempestatem, quàm increpando discipulos, compescuit eorum incredulitatem. Hinc doctus hic vir admirabilis, primùm expulit timorem discipuli, deinde sic beluam affecit supplicio. Talis magni Marciani fuit & sapientia, & miraculorum effectio, & in Deum fiducia. Sed tamen cùm tantâ gratiâ dignus esset habitus, & magna posset facere miracula, studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habẽs machinas: arrogantiæ enim vitium subterseminans, labore collectos fructus conatur eripere. Et cùm sibi datam vellet celare gratiam, inuitus ad facienda veniebat miracula, cùm eius rectè factorum iubar resplendesceret, & quæ occultabatur virtutem aperiret.

Marcianus crucis signo & insufflatione draconem necat.

Matth. 8.

Virtutem contra prædonem vanæ gloriæ celat.

Quinetiam aliquando contigit vt tale quid fieret: Vir quidem honesto loco natus, & cui militares magistratus sæpè fuerant mandati, ex Berhœâ Syriæ vrbe proficiscens, cùm eius filia diu debaccharetur, & à malo dæmone vexata insaniret, venit in solitudinem, cùm esset quidem magni Marciani familiaris, sperarat autem propter priorem consuetudinem eum conuenire & rogare: spe autem falsus, cùm non liceret ei Dei videre seruum, rogat quemdam senem, cui illo tempore diuini illius viri commissum fuerat ministerium, vt paruum lecythum oleo plenum acciperet, & ad ostiũ domunculæ poneret. Senex autem sæpè quidem se id facturum inficiatus, sæpè autem rursus rogatus, victus est à precibus. Cùm autem strepitum magnus sensisset Marcianus, rogauit quisnam esset, & quonam opus habens veniret. Is autem veram quidem celabat caussam, simulabat autem se venisse vt sciret num iuberet aliquid; & hoc dicens, dimissus est. Cùm autem sub auroram rursus pater puellæ rogasset vt sibi redderetur lecythus, ille timens quidem, iuit tamen eum quàm maximo potuit silentio, & porrectâ manu, & accepto lecytho cupiebat latêre. Is autem rursus rogauit, quidnam volens veniret. Postquam autẽ eamdem dixit caussam quam etiam vesperè præ se tulerat, ægrè ferens homo Dei, vtpote quòd præter consuetudinem fuisset eius aduentus, iussit vera dicere. Ille autem timens & contremiscens, cùm non posset eum latêre qui plenus erat Dei gratiâ, dixit & quis esset qui supplicabat, & eum morbi docuit tragœdiam, & ostendit lecythum. Is autem succensuit quidem vt est consentaneum, quòd nollet virtutem ostendere. Minatus tamen, quòd si hæc rursus auderet, & ab illâ priuabitur consuetudine, & ei auferetur ministerium, (erat autem maxima iactura ijs qui quæstum sciebant) remisit, iubens reddere ei qui dederat. Et Marcianus quidem hæc iubebat: dæmon autem qui aberat iter quatuor dierum, eius qui exigebat vociferabatur virtutẽ: & Marcianus BerhϾ functus est officio iudicis, quibusdam lictoribus vsus aduersus dæmonem, & illum sceleratum expellens, & puellam mundam reddẽs ab illâ vexatione. Hoc autem exactè sciuit pater puellæ: ei enim reuertenti cùm pauca stadia abesset ab vrbe, occurrit

Olei lecythus ad Marciani cellam defertur, vt virtutem concipiat.

Marcianus sanat precibus dæmoniacam etiam absens.

occurrit quidam seruus à dominâ in agrum missus. Is cùm vidisset dominum, miraculi facti attulit nuntium, quatuor antè diebus dicens factum esse miraculum. Diebus ergo supputatis, & tempore rectè examinato, didicit illud fuisse in quo senex attulit lecythum. Mihi autem venit in mentem cogitare, quid non fecisset ille vir magnus, si voluisset facere miracula. Si enim etiam cùm studeret celare quam acceperat virtutem, tantum ostendit splendorem; quod non miraculum fecisset si voluisset? Sic autem spiritalem quoque suam sapientiam non ostendebat omnibus. Itaque cùm postremò post diem festum salutaris passionis, & Dominicæ resurrectionis, permisisset ijs qui volebant ad se ingredi, illo certè tempore omnes studebant eum videre. Atque ad eum aliquando congregati primi veniebant pontifices, Flauianus ille magnus, cuius fidei erat credita pascenda Antiochia; & diuinus Acacius, cuius priùs quoque meminimus, & Eusebius Chalcidensis episcopus, & Isidorus cui tunc erat commissa Cyrus gubernanda, qui erant virtute insignes. Vnà autem cum illis erat etiam Theodotus, qui tenebat habenas Hierapolitanorum ecclesiæ, clarus monasticâ exercitatione & mansuetudine. Erant autem nonnulli quoque ex magistratibus, incensi ardore fidei. Omnibus ergo cum silentio sedentibus, & sacram illam vocem exspectantibus, ipse quoque diu tacens sedebat, linguâ quidem otiosus, auribus autem promptus. Tunc aliquis ex ijs qui sedebant, qui erat ei familiaris propter curam animæ, & alioqui auctoritate & dignitate clarus, Omnes, inquit, ô pater, diuini hi patres, sitientes exspectant suauissima tuæ doctrinę fluenta: omnes ergo præsentes impertias vtilitate, nec claudas riuos tuæ beneficentiæ. Ille autem cùm valdè ingemuisset, Deus, inquit, vniuersorum quotidie loquitur per creaturas, & per diuinas Scripturas disserit & monet ea quæ oportet, & inducit ea quę sunt vtilia: terretque minis & adhortatur promissis: & ex his nullam capimus vtilitatem. Quemadmodum ergo loquens profuerit Marcianus, qui tantam vtilitatem amittit cum alijs, & commodum non vult ex eis capere. Hinc factum est vt multi quidem sermones mouerentur à patribus, quos inserere narrationi duxi superuacaneum. Cùm autem surrexissent & orassent, & ad conferendum sacerdotij ordinem vellent ei manus imponere, rursus ei manus admouere sunt veriti; & hic quidem illi, ille verò huic iubebat: cùm omnes autem id simul recusassent, redierunt. Sed enim volo his quoque aliam addere narrationem, quâ cognosci poterit diuina eius prudentia.

Dies festus passionis & Dominicæ resurrectionis.

Pontifices congregantur ad Marcianũ.

Quàm multis modis nobis loquatur Deus.

10 Auitus quidam, primus in solitudine, gratiâ monasticæ exercitationis fixerat tugurium. Id autem magis quàm hoc vergit ad Septemtrionem, & aliquantum situm ad Orientem, spectat ventum Aparctiam qui est proximus Subsolano. Is magno Marciano erat & tempore & labore antiquior, vir autem philosophus, & in vitâ durâ & asperâ educatus. Is cùm de viri virtute quæ vbique celebrabatur audiisset, ratus tale spectaculum esse silentio & quiete vtilius, accurrit studens videre eum quem desiderabat. Cùm autem eius aduentum magnus sciuisset Marcianus, ostio aperto eum ad se admisit. Admirabili autem præcepit Eusebio, vt & legumen coqueret & olus, si haberet. Postquam verò mutuum inter se colloquendi explessent desiderium, & alter alterius virtutem didicissent; nonæ simul peregerunt officium; venit autem Eusebius mensam ferens, & panem afferens. Magnus autem Marcianus diuino dixit Auito: Adesdum omnium mihi amicissime, & huius mensæ simus simul participes. Ille verò, Nescio, inquit, me vmquam cibum sumpsisse ante vesperam: sæpè autem duos & tres dies simul maneo ieiunus. Magnus autem Marcianus, 11 Meâ ergo, inquit, caussâ hodie mutetur consuetudo: nam cùm sim corpore imbecillo, non possum exspectare vesperam. Postquam autem hæc dicens, non persuasit admirabili Auito, ingemuisse dicitur & dixisse: At ego, inquit, animo angor & valdè crucior, quod tantum laborem ceperis vt virum aliquem laboriosum videres & philosophum, spe autem falsus, cauponem videris aliquem profusè & delicatè viuentem. Cùm ex his autem molestiâ esset affectus Auitus, & dixisset se malle vesci carnibus quàm hæc audire; dixit magnus Marcianus: Nos quoque, ô amice, eamdem quam tu vitam persequimur, & amplectimur eamdem viuendi rationem, & quieti labores præferimus, ieiunium magis expetimus quàm cibum, eúmque nocte aduentante capimus: sed scimus charitatem esse ieiunio præstantiorem. Charitatis enim opus à lege diuinâ præcipitur: ieiunium autem est potestatis nostræ & arbitrij. Oportet autem existimare, diuinas leges esse nostris longè præstantiores. Hæc cùm inter se inuicem disseruissent, & parum cibi sumpsissent, & Deum laudauissent, & tres dies simul versati essent, rursus sunt separati, videntes se inuicem spiritu. Quis ergo non admiretur huius viri sapientiam, à quâ gubernatus, sciebat quidem tempus ieiunij, sciebat autem etiam

Auitus monachus Marcianũ inuisit.

Officium nonæ simul celebrant.

Auiti triduanum ieiunium.

Charitas ieiunio præstantior.

Vident se inuicem spiritu etiam absentes corpore.

etiam fraternæ charitatis: sciebat virtutis quoque partium differentiam, & quamnam cuinam cedere oporteat, & cuinam in tempore danda sit victoria. Possum autem aliud quoque narrare, quò eius cognoscatur in diuinis perfectio. Ad eum enim ex patria venit soror cum filio, qui & vir erat & vrbis Cyri facilè princeps, ea quæ ei vsui erant abundè adferens. Is autem sororem quidem videre non est passus, sororis autem admisit filium: erat enim id tempus definitum quo eum liceb at conuenire. Cùm autem eum rogarent acciperet quæ allata fuerant; Per quot, inquit, monasteria trãsijstis, & quænam ex his, eis ipsis impertijstis? Cùm is autem dixisset, se nulli dedisse: Abite, inquit, cum ijs quæ attulistis. nos, inquit, nullo horum egemus, nec si egeremus, acciperemus: naturalis enim cognationis, non autem diuinæ pietatis & seruitij curam gerentes, hanc exercetis in nos beneficentiam. Si enim non honoraretis solam generis necessitudinem, non ea quæ attulistis, nobis solis impertiissetis. Hæc dicens, filium sororis dimisit cum sorore, iubens vt nihil acciperetur ex ijs quæ attulerant. Ita erat extra naturam, & in cælestem migrarat viuendi rationem. Quódnam enim aliud afferri potest exemplum apertius, quòd Deo esset dignus, conuenienter ipsius Dei voci? Qui non relinquit enim, inquit, patrem & matrem, & fratres & sorores, & vxorem & filios, non est me dignus. Si autem qui non relinquit, est indignus; qui relinquit, & tam accuratâ exactaque vtitur perfectione, clarum est, eum fuisse dignissimum. Ego præter hæc admiror quoque eius in diuinis decretis summam perfectionem. Abhorrebat enim [22] Arij insaniam, quæ à potestate Imperatoris accendebatur illo tempore. Abominabatur etiam amentiam Apollinaris. Fortiter autem & strenuè decertabat aduersus eos qui cum Sabellio sentiebant, tresque hypostases seu personas in vnam cogebant. Valdè quoque auersabatur eos qui nominantur Euchitæ, qui in habitu monastico laborant morbo Manichæorum. Erat autem ideò feruens eius zelus pro decretis ecclesiasticis, vt etiam aduersus virum admirandum & diuinum, iustam pugnam susceperit. Erat Abraames quidam senex in illâ solitudine, vir canis quidem pilis, sed magis canâ prudentiâ, omni virtute clarus, & vberes semper profundens lacrymas compunctionis. Is in principio à quadam inductus simplicitate, [23] primum Pascha peragere sustinuerat: ignorans quidem, vt est verisimile, quæ de eo Nicææ à patribus constituta fuerant, antiquæ autẽ seruire malens consuetudini. Multi autem alij laborabant eo tempore eadem quoque ignoratione. Sed magnus Marcianus multis quidem sæpè verbis vsus, conatus est senem Abraamem (ita enim eum appellabant qui in eâ habitabant regione) vt cum Ecclesiâ consentiret, traducere. Cùm eum autẽ vidisset non parêre, apertè destitit cum ipso communicare. Sed procedẽte tempore, ille quoque vir diuinus abiectâ maculâ, in festo celebrando amplexus consensum Ecclesiæ, verè psallẽs cecinit: Beati immaculati in viâ qui ambulant in lege Domini. Hoc autem effectũ est à magni Marciani doctrinâ.

Sororem ad aspectum non admittit.

Eleëmosyna non ex naturali affectu cognatis, sed ex pietate promiscuè danda pauperibus.

Matth. 10.

Marcianus hæreticorũ oppugnator. Arij. Apollinaris. Sabellij. Euchitarum. Manichæorum.

Zelosus pro decretis ecclesiasticis.

Abraamen eremitam ab errore celebrandi Paschatis contra vsum Ecclesiæ reuocat.

Psal. 118.

Ei multi quidem vbique ædificabant oratoria: in Cyro quidem, eius sororis filius Alypius: Zenobia autem quædam in Chalcide, quæ & genere erat clara, & insignis virtute, & magnas habebat diuitias. Alij quoq; non pauci hoc faciebant, victoriâ partâ illustrem illum athletam rapere contendentes. Hoc cùm nosset homo Dei, rogat admirabilem illum Eusebium, omni terrore plenum illi offerens iusiurandum, vt corpus in illo loco deponeret, & nemo sepulcrum dignosceret præter duos qui simul habitabant familiariores, donec præterijsset magnus annorum numerus. Hoc autem iusiurandum impleuit homo ille admirabilis. Postquam enim insignis illius victoris venit finis, & chorus Angelorum sacram illam & diuinam animam ad cælestes transtulit mansiones, non priùs eius significauit obitum, donec cum duobus ex familiarioribus factâ fossâ, & corpore deposito, complanauit terræ superficiem: & quinquaginta annis vel pluribus elapsis, cùm innumerabiles concurrissent & corpus scrutati essent, ignotum mansit sepulcrum. Postquam autem vnumquodque ex prædictis oratorijs, vnum quidem apostolorum, alterum verò martyrum accepit reliquias, securè deinceps illius tabernaculi & doctrinæ heredes, cùm duobus antè annis arcam construxissent lapideam, in eâ posuerunt pretiosi corporis reliquias, cùm vnus ostendisset sepulcrum; is enim solus supererat ex illis tribus. Cùm illius autem fuisset virtutis æmulator Eusebius admirabilis, longo tempore corpus perpetuò affligebat. Nam cùm centum & viginti ferri libras corpori haberet impositas, sibi quoque imposuit alias diuini Agapeti quinquaginta; adiecit autem magni quoque Marciani alias octoginta; habebat autem oratorium, lacum quemdam in quo nulla aqua remanserat. Tribus autem annis perpetuis hoc modo vitam transegit.

Oratoria Marciano erecta.

Marcianus nititur ignotum habere sepulcrum.

Reliquiæ decenter asseruatæ.

Eusebius Marciani æmulator, eiúsque austeritas.

Ad hęc autem dicenda sum digressus, cùm vellem ostẽdere, quot & quantarum rerum rectè & ex virtute gestarum auctor & procu-

rator fuerit Marcianus. Huius autem philosophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Basilius, qui multis posteà temporibus, apud Seleucobelum, (est autem vrbs Syriæ) monasticum extruxit habitaculum, & clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, insigniter autem clarus in eâ quæ Deo longè est gratissima possessione charitatis, & in diuino opere hospitalitatis. Quàm multos autem hic quoque Deo exhibuerit operarios, citra pudorem, vt apostolicè dicam, verbum tractantes veritatis, quis facilè enumerauerit? Nam vt alios in præsentiâ prætermittam, qui sunt quidem laude digni, nimis autem prolixam redderent narrationem, huius vnius & solius meminero. Fuit quidam qui ad eum ventitabat, eum autem appellabant Sabinum, qui corpus consumpsit laboribus innumerabilibus. Neque enim panis, neque obsonij fuit alicuius particeps: cibus autem erat ei farina aquâ madefacta. Consueuerat autem is totum vnius mensis miscere nutrimentum, vt situm contraheret, & tetrum odorem emitteret. Volebat autem hoc genere alimenti hebetare sui corporis appetitiones, & efficere vt fœtore nutrimenti flaccesceret voluptas. Cùm autem per se sic degeret; si quis ex familiaribus ad eum accederet, simpliciter & citra discrimen vescebatur ijs quæ apponebantur. Tantam autem diuinitus gratiam acceperat, vt mulier quædam Antiochena, cuique & genus & opes ingentes faciebant spiritus, ad eum accurrerit, & ei supplicarit vt opem ferret filiæ quæ vexabatur à dæmone: In somnis enim, inquiebat, vidi quemdam iubentem vt huc accurrerem, & precibus præsidis monasterij salutem filij procurarem. Dicebat ergo is qui responsa dabat, non solere præsidem loqui cum mulieribus. Cùm autem instaret mulier, lacrymans & eiulans, & grauiter vociferans, egressus quidem est præfectus monasterij; dicebat autem mulier non esse ipsum; fuisse autem alium sibi ostensum subrubicundum, qui pustulas quasdam habebat in genis. Vbi autem cognouerunt eum qui quærebatur, erat autem is tertius monasterij, non primus, eum persuasum adduxerunt ad mulierem: protinus autem illa quidem agnouit faciem, malus autem dæmon vociferans reliquit puellam. Hæc præclara fecerunt facinora magni Marciani discipulorum discipuli: tales vbique plantas plantauit plantator optimus. Ego autem huic narrationi rursus finem imponens, rogo & quæso vt per horum omnium intercessionem diuinum consequar auxilium.

Basilius monasterium extruxit. *Insigniter hospitalis.* *Sabini austeritas.* *Somnium mulieris Antiochenæ de Sabino.* *Sabini meritis sanatur dæmoniaca.* *Intercessio Sanctorum.*

24 EVSEBIVS.

QVALES quidem Deo obtulerit fructus desertum sterile, nempe pulchros & maturos, & ei qui plantauit gratos, & ijs qui sapiunt hominibus charos & maximè expetendos, ostendimus in ijs quæ iam scriptæ sunt narrationibus. Ne quis autem existimet, virtutem esse loco circumscriptam, & solam solitudinem esse aptam ad tales ferendos redditus, age transeamus deinceps oratione ad terram quæ habitatur: & ostendamus ad parandam philosophiam eam minimè esse impedimento.

Transit Theodoretus ad terram habitabilem, quã ascetæ incoluerunt

Est mons altus, qui Antiochiæ quidem situs est ad Orientem, Berhœæ autem ad Occidentem, omnes autem montes propè sitos superat: in summo autẽ cacumine imitatur figuram conoidem, ab altitudine autem accepit denominationem: κορυφὴν enim, id est verticem, eum solent appellare accolæ. Olim eius in summo vertice erat templum dæmonum, quod apud vicinos in magno erat honore: subtus autem ad Meridiem patet campus, sinus præ se ferens figuram, qui vtrimque coërcetur vlnis non admodum altis. Pertinent autem eæ vsque ad viam quâ equitatur, quæ vtrimque à Meridie ad Septemtrionem sectæ sunt, semitas excipientes. In eo autem sunt constructæ villæ & magnæ & paruæ, continentes ijs qui sunt vtrimque montibus. Propter ipsas autem excelsi montis oras, est quidam vicus maximus & populo frequentissimus; vocabulo autem regionis eum vocant [25] Teledam: in superiori autem parte lateris montis, est quidam saltus non admodum accliuis, sed qui modicè inclinatur, spectans ad illum campum & ventum austerum. In eo philosophiæ gymnasium extruxit quidam Ammianus, vir qui cùm multis quidem alijs virtutibus esset clarus, tum summâ modestiâ superabat alios. Hoc autem satis est argumenti. Etenim cùm ad doctrinam, non solùm suis sodalibus, sed vel bis totidem alijs posset sufficere, sæpè ad magnum accurrebat Eusebium, rogans & supplicans vt is esse vellet adiutor, pædotriba & magister eius palæstræ quam fundauerat: aberat autem vigintiquinque stadijs, in quodam valdè paruo habitaculo, & quod nec fenestras quidem habebat, inclusus. Eum autem ad hanc virtutem deduxerat Marcianus, eius quidem patruus, fidelis autem Dei seruus. Sufficit enim hoc dicere, cùm etiam magnum Moysem hoc cognomine honorarit Dominus. Hic Marcianus cùm diuinum gustasset amorem, noluit solus frui bonis: sed multos etiam fecit alios in amore socios.

Templum dæmonum in vertice montis. *Teleda, vicus populosissimus.* *Philosophiæ monasticæ gymnasiũ.* *Marcianus Eusebij patruus.*

Eusebium cum fratre ad monasticam vitam adducit. socios. Venatus est autem & magnum Eusebium, & eius fratré qui in vitâ verè quoque erat frater. Nó existimauit enim rationi esse consentaneum, vt eos quidem qui ad eum nihil attinebant, venaretur ad virtuté, fratres autem non itidem. Hos ergo ambos cùm in paruâ inclusisset domunculâ, eos euangelicam vitæ docebat rationem. Sed fratré quidem morbus inuadens, illum cursum interrupit; morbum mors autem est consecuta: nam cùm paucis diebus vixisset postquã illinc est egressus, vitæ finé accepit. Permansit *Eusebius perpetuò inclusus, nulli loquens.* autem magnus Eusebius toto tempore vitæ patrui, neque cum vllo loquens, neque lucem intuens, sed perpetuò inclusus: & post illius mortem hanc vitam est amplexus, donec admirabilis ille Ammianus ei multis delinito precibus persuasit. Dic enim mihi, ad illum dicebat, ô optime, cuinam placere existimans, laboriosam hanc sordidamque & squallidam vitam es persecutus? Cùm auté, vt par est, is vtique dixisset: Deo qui est virtutis legislator & magister. Quoniam ergo *Ammianus Eusebium ad proximi curam hortatur.* eum amas, inquit Ammianus; ego tibi modum ostendam, per quem & amorem magis accendes, & ei quem amas seruies. nam quòd omnis tua cura & industria in teipsum conuertatur, non effugiet, vt sentio, crimen nimij in te ipsum amoris. Lex enim diuina iubet proximum amare vt teipsum. Multos *Rom 13.* autem opum sumere participes, hoc est pro-*Galat. 5.* prium veri muneris charitatis. Hanc autem diuinus Paulus appellauit legis plenitudinem. Rursus quoque clamat: Tota lex & prophetæ in hoc sermone in summam rediguntur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Porrò autem Dominus quoque in sacris Euangelijs Petro, qui confessus *Ioan. 21.* est eum amare plus alijs, præcepit pascere oues suas. Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens, clamat per Prophetam: O *Ezech. 34.* pastores, non seipsos pastores pascunt, non oues? Et ideò magnum quoque Eliam qui hanc vitam persequebatur, iussit versari in medio impiorum: & secundum Eliam, tan-*Elias & Ioannes Baptista principes vitæ monasticæ.* topere celebratum Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis, illic baptizare iubens & prædicare. Quoniam ergo tu quoque es Dei qui te fecit ardens amator; multos quoque tecum alios effice amatores: hoc enim est valdè gratum communi Domino. Propterea Eze-*Ezech. 3.* chielem quoque appellauit speculatorem, & *Ionæ 1.* peccatoribus iussit testificari, & Ionam iussit currere Niniuem, & nolentem transmisit in vinculis. Cùm hæc diceret & similia, diuinum virum mansuefecit, & voluntario illo effosso carcere, eduxit & abduxit, & suorum sodalium ei curam tradidit. Ego auté nescio vtrum plus admirer, huiúsne moderationem, an illius obedientiam, & quòd ab eo sit persuasus. Is enim fugiebat principatum, & magis volebat esse ex ijs qui parebant, vt qui præfecturæ formidaret periculum: & magnus Eusebius auersabatur quidem cum pluribus conuersationem, cessit tamen, & *Eusebius curã gregis monastici suscipit.* captus retibus charitatis, suscepit curam gregis, & duxit chorum, non multis verbis opus habens ad docendum: sufficiebat enim vel solus aspectus, vt vel longè tardissimum celerem efficeret ad cursum virtutis. Dicunt autem qui viderunt, eum semper habuisse *Solo vultu negligentes instigat.* grauem vultum, & qui poterat timorem afferre spectantibus.

Ieiunium triduanum & quatriduanum celebrat. Cibum autem ipse quidé capiebat tertio & quarto quoque die, ijs autem qui secum habitabant, iubebat vesci alternis diebus. Præcipiebat auté[16] cum Deo assiduè colloqui, & nullum tempus relinquere vacuum ab hac operatione, sed communiter quidem præfinita exequi officia; partes autem diei quæ intercedunt, vnumquemque per se, vel sub aliquã vmbrâ arboris, vel propter petrã aliquam, vel vbicumque quiesceret aliquis, vel stantem, vel humi iacentem, rogare Do-*Singula corporis membra componere docet.* minum, & petere salutem. Ita autem vnamquamque ex partibus corporis edocuit virtuté, vt illa faceret quæ sola permittit ratio. Vt auté hoc reddam manifestum omnibus, mentionem faciam vnius eius narrationis.

Sedebat super quamdam petram ipse & Ammianus ille admirabilis, & diuinorum euangeliorum historiam alter quidem legebat, alter verò eorum quæ erant obscuriora explicabat sententiam. Cùm autem quidam agricolæ in subiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus est Eusebius. Cùm autem diuinus Ammianus legisset locum euangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, iussit magnus Eusebius vt repeteret lectionem. Cùm is autem dixisset: Ijs qui arant fortè delectatus, minimè exaudisti, vt *Oculorum custodia.* est verisimile: suis deinceps oculis legem tulit, vt neq; campum illum vmquam contemplarentur, neque cælesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur: sed angustissimã vtens semitã, cuius mensuram aiunt fuisse vnius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt auté eum plus quàm quadraginta annis vixisse post hanc legem. Vt autem *Ne oculi euagentur zonã ferreã & collari caput deprimit Eusebius.* cum animi sui sententiã, ad hęc quoque eum traheret aliqua necessitas, cùm lumbos zonã ferreã alligasset, & grauissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari qui erat collo impositus: vt hoc modo inclinatus, conaretur

assiduè in terram despicere. Has ipse de se exegit pœnas, quòd illos esset contemplatus agricolas. Hoc autem & multi quidem alij me docuerunt ex ijs qui illum nouerunt, & res eius optimè sciuerunt: narrauit autem senex quoque magnus Acacius, cuius priùs quoque meminimus in alijs narrationibus; dixit autem se eum quoque aliquando interrogasse cùm eum sic vidisset incuruatum, quamnam capiens vtilitatem, neque cælum patiatur aspicere, neque campum illum subiectum contemplari, neque ex angustâ illâ viâ egredi: eum autem dixisse, se hæc moliri aduersus maligni dæmonis machinationes: Nam ne, inquit, de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam & iustitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & vt fastu efferar & superbiâ intumescam efficiens, & quæcumque aduersus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc parua traducere: in quibus etiam si vicerit, non magnum affert detrimentum; & si victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem possit euadere superior. Quoniam ergo noui hoc bellum minùs periculosum, non valdè enim feritur qui in his damni aliquid accipit. Quod enim damnum est vel videre campum, vel in cælum oculos attollere, ad hoc me genus pugnæ transtuli; in hac enim me nec ferire potest nec perimere: non sunt enim hæc iacula letifera, vt quæ illis ferreis careant aculeis. Hæc se audiuisse dixit magnus Acacius, eiusque se admiratum esse sapientiam, virtutémque bellicam & experientiam. Quamobrem hoc quoque narrabat eis qui talia discere cupiebant, vt & admirabile & dignum quod mandetur memoriæ.

Pugna spiritualis Eusebij.

Hæc eius gloria cùm in partes omnes vndique peruaderet, ad se attraxit omnes virtutis amatores. Venerunt autem diuinissimi quoque * Iuliani senis, cuius priùs persecuti sumus narrationem, qui optimi gregis erant præfecti. Postquam enim vir ille diuinus, fine vitæ accepto migrauit ad vitam supernam, ad magnum accurrerunt Eusebium, meliùs esse rati rectè regi quàm regere & præesse.

** Longus addit: Iacobus Persa & Agrippa successores.*

Successores Iuliani, Eusebij disciplinæ se subdunt.

Iacobi autem, cuius priùs quoque iam memini, cùm summatim eius ostendi virtutem, nunc quoque euidens argumentum ostendam summæ eius philosophiæ. Postquam ille diuinus hinc excedens Eusebius iussit eum præesse gregi, & recusans curationem, non persuasit cupientibus eum hanc curam suscipere, abijt ad alium gregem, malens pasci quàm pascere; & cùm plurimo tempore superuixisset, hanc vitam sic finijt.

Iacobus recusat prælaturam.

Suscipit itaque illam præfecturam Agrippa, vir qui & multis alijs ornatus erat bonis, præcipuè autem puritate animæ: per quam & diuinæ pulchritudinis visionem assiduè apprehendens, & illius amoris igne accensus, irrigabat genas perpetuis lacrymis. Cùm is autem longo tempore electum illum & diuinum gregem rectè pauisset, deinde è vitâ excessisset, Dauides ille diuinus, cuius aspectu mihi quoque frui contigit, suscepit præfecturam: vir qui reuerâ, ex diuini Apostoli sententiâ, mortificauerat membra quæ sunt super terram. Tantum enim fructum cœperat ex doctrinâ magni Eusebij, vt quadraginta quinque annos egerit in illo monasterio, absque irâ autem & excandescentiâ toto hoc tempore vixerit. Neque enim post susceptam præfecturam vidit eum aliquis superatum ab hac animi perturbatione, idque cùm, vt est verisimile, essent innumerabilia quæ cogerent. Centum enim & quinquaginta viri pascebantur ab illius dexterâ: aliqui quidem summâ & excellenti virtute, & eam quæ est in cælo viuendi rationem imitantes; alij verò qui pennas tunc primùm producebant, & terram transilire & superuolare docebantur. Et tamen cùm tot essent qui diuina docebantur, & aliquid, vt est verisimile, delinquerent (neque enim facilè fieri potest, vt qui modò ventitat, rectè se gerat in omnibus) mansit immobilis vir ille diuinus tamquam incorporeus, nullâ eum occasione ad iram excitante. Hoc enim non solùm accepi ex auditione, sed etiam ex experientiâ. Nam cùm aliquando desiderassem videre illum gregem, accessi habens etiam alios socios peregrinationis, qui eamdem quam ego vitam amplectebantur. Toto ergo tempore hebdomadæ apud illum virum diuinum degentes, vidimus eius vultum nullam accipere mutationem, neque nunc quidem hilaritate diffundi, nunc verò tristitiâ contrahi. Oculos quoque similiter, non aliquando quidem truces ac toruos, nunc verò lætos; sed in eodem semper honesti decorique tenore permanere. Hi autem sufficiunt ad arguendum animi tranquillitatem. Sed verisimile est, existimaturum quempiam eum talem esse visum, quòd nulla eum moueret caussa: quamobrem necesse habeo eiusmodi quid narrare quod accidit, cùm nos illic essemus.

Agrippa onus suscipit.

Deinde Dauides.

Coloss. 3.

Dauides numquam excandescit.

Centum & quinquaginta virorum præfectus.

Dauidis vultus vt animus träquillus.

Sederat apud nos vir ille diuinus de philosophiâ agitans rationes, & quærens id quod est summum euangelicæ vitæ institutionis. Cùm autem intercessissent eiusmodi sermones, Publius quidam genere quidem Romanus, moribus autem ipse quoque admirandus, & sacerdotij honore præditus, & illius præfecturæ secundas partes obtinens,

Publius Romanus sacerdos.

nens, ad nos venit aduersus diuinum Dauidem vociferans, & commune damnum illam nominans lenitatem; & omnibus perniciem afferre dicens eius mansuetudinem; & amentiam, non modestiam, summam illam vocans philosophiam. Ille autem habens animam veluti adamantinam, accipiebat quidem rationes, non pungebatur autem ab ijs quæ suâ naturâ solent pungere: vultum itaque non mutauit, neque sermonem institutum dimisit, sed cum leni voce & verbis serenitatem animæ significantibus, illum senem dimisit, rogans eum vt eorum quæ vellet curam gereret. Ego autem cum his qui ad nos venerunt loquor, vt vides, existimans necessarium esse hoc officium. Quomodo ostēderit quis meliùs animi lenitatem? Eum enim cui illa credita erat præfectura, talem accepisse contumeliam ab eo qui tenebat secundas partes, præsentibus maximè hospitibus, & maledictum audientibus, & nullam iræ subijsse tempestatem & perturbationem, quam non magni & excelsi animi virtutem superat & fortitudinem? Ac diuinus quidem Apostolus considerans humanæ naturæ imbecillitatem, eam quam fert legem, naturâ metiens, Irascimini, inquit, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. Nam cùm iræ quidem motus nosset esse naturæ, non nostri arbitrij, noluit lege ea decernere, quæ essent laboriosa, & fortè etiam eiusmodi vt fieri non possent: sed motui naturæ & iræ tempestati mensuram præfinit diem; iubens rationi vt eam compescat, & tamquam fræno reprimat, & non concedat progredi vltra terminos. Vir autem hic diuinus vltra leges quæ latæ sunt decertauit, & septa transilijt: non vsque ad vesperam iræ vt moueretur concedens, sed nec vt moueatur quidem omnino permittēs. Talem fructum accepit is ex magni Eusebij consuetudine. Vidi multos quoque alios in illo tugurio, qui huius philosophiæ amatores fuêre & æmulatores: alios quidem in flore corporis, alios verò etiam in profundâ senectute. Nam cùm plus quàm nonaginta annis vixissent homines, laboriosam vitâ nōluerunt relinquere, sed insignes fuêre obeuntes labores iuuentutis, noctu quidem & interdiu Deum laudantes, & sacra illa officia peragentes; post duos autem dies vilibus illis cibis vescentes.

David ne quidem acceptâ contumeliâ mutatus.

Psal. 4. Ephes. 4.

Dies iræ præfixa.

Post biduum refectio.

Vt alios autē prætermittam, qui non sunt quidem digni qui sileantur, sed vel maximè laudentur & celebrentur; sed ne sit prolixior quàm par sit narratio, in diuino isto loco fuit quidam, eum autem * abbatem nominant, qui ex Ismaëlitide quidem radice germinauit, non fuit autem eiectus à domo Abrahæ, vt is à quo genus duxerat; sed paternæ hereditatis fuit cum Isaac particeps, vel potius ipsum rapuit regnum cælorum. Is monasticæ huius exercitationis protinus attigit institutionem apud quemdam qui tunc habitabat solitudinem, qui eos optimè exercebat: erat autem ei nomen 27 Marosas. Post hæc autem ille quoque alijs præesse desistens, ad hunc cum * abbate venit gregem: nec paruo vixit tempore, sed cùm præclarè decertasset, & insignis euasisset, excessit ex hac vitâ. Hic autem illic quidem fuit continuos triginta & octo annos: ita autem desiderabat laborare, vt qui modò laborare cepisset: nam in hodiernum vsque diem pedes numquam texit calceis. cùm est autem frigus, in vmbrâ sedens, in æstu solem suscipit, & tamquam auram Zephyri, quæ ex eo procedit flammam excipit. Toto autem hoc tempore aquam potare non passus est, non illa comedens quæ ijs exhibentur, qui ad non bibendum se exercent (solent enim ij vti cibis humidioribus) sed ijs vtens cibis quibus alij. Verùm pauca comedens & quæ modicas ei vires afferunt, existimat vsum aquæ superuacaneum. Graui autem ferro lumbos succinctus, raró quidem sedet, noctu autem, & maiori parte diei vel stans vel flectens genua, offert Domino officium precationis: vsu autem accubitus se omnino priuauit. nemo enim in hodiernum vsque diem eum vidit cubantem. Quinetiam cum est chori renuntiatus coryphæus, & ei contingit vt præsit, totum hunc laborem fert prompto & alacri animo, se ijs qui eius parent imperio præbens exemplar philosophiæ. Tales victoriâ insignes decertatores, diuinus Eusebius, horum certaminum pædotriba & exercitator, exhibuit Domino: & cùm alios quoque plurimos tales fecisset, eos transmisit doctores ad alias palæstras, qui totum illum sacrum montem diuinis his pratis & suauem emittentibus odorem impleuêre. Nam cùm ad Orientem ab initio fuisset illius exercitationis monasticæ tugurium, licet videre eius philosophiæ fœtus ad Occidentem & Meridiem, veluti quasdam stellas circa lunam choros ducentes: & alios quidem Græcâ, alios verò eius in quâ habitant regionis voce, laudantes creatorem. Sed enim id aggredior quod fieri non potest, cupiens omnia persequi quæ à diuinâ illâ animâ rectè gesta fuêre.

** Lg. legit Abban vel Amman, vt sit proprium nomen.*

Marosas abbas.

** Abban vel * Amman*

Victus ratio Abban.

Ferrum circa lumbos eius.

Eusebij discipuli per totū orbem dispersi.

Huic ergo narrationi finis est imponendus, & ad aliam conuertenda est oratio, & rursus est addenda quæ illinc capitur vtilitas, cùm horum magnorum virorum benedictionis rogauerimus vt simus participes.

Theodoretus benedictionem Sanctorum implorat.

PV-

18 PVBLIVS.

EODEM tempore fuit quidam Publius, & propter formam spectatu dignus, & animâ præditus quæ formæ conueniebat, vel potius eam ostendens corpore magis admirabilem. Is ex senatorio quidem ordine ducens originem, natus autem ex ciuitate apud quam Xerxes ille, cuius vbique est fama tam celebris, in Græciam bellum gerens, & volens exercitu fluuium Euphratem transmittere, nauium congregatâ multitudine, ijsdem inter se coniunctis, & hoc modo super fluuium ponte constructo, locum Zeugma, id est coniuncturam appellauit, & ciuitatem ex re denominauit. Ex eâ ortus, & ex tali genere procreatus, altum locum occupat, qui distabat ab vrbe non plusquàm triginta stadijs. In eo cùm quamdam paruam exstruxisset domunculam, omnia quidem vendidit quę à patre acceperat; domum inquam & possessiones, & greges, & vestes, vasaque argentea & ænea, & si quid erat cum his aliud. Et cùm ex lege diuinâ ea diuisisset ijs quibus oportebat, & se ab omni curâ terrenâ liberasset, illam vnam curam suscepit pro omnibus, nempe vt ei seruiret qui eum vocauerat; eámque animo perpetuò versabat, noctu diuque considerans & perscrutans quemadmodum eam augeret. Eâ de caussâ ei labor crescebat quotidie, ampliorque & intensior euadebat in dies, eratque dulcis & voluptate plenus, & procul expellens satietatem. Nemo enim eum vmquam vidit quiescentem vel minimâ parte diei, sed psalmodiam quidem oratio, orationem verò psalmodia, vtrumque autem excipiebat diuinorum eloquiorum lectio. Deinde cura hospitum venientium; deinde fiebat aliquid ex operibus necessarijs. In his vitæ iter ingrediens, & ijs qui imitari volebant exemplar virtutis propositus, veluti quædam auis canora, multos sui generis in hæc retia coëgit salutaria. Ceterùm ab initio quidem nullum habere passus est qui secum habitaret: sed paruas domunculas foribus vicinas ædificans, vnumquemque ex ijs qui conueniebant, iubebat per se degere: domunculas sæpè inuisens & perscrutans, numquid præter vsum habeant repositum. Aiunt autem eum quoque accedentem ad trutinam, panis mensuram diligenter perpendisse: & si quando inuenisset plus quàm esset definitum, ægrè tulisse, & eos qui hoc faciebant, helluones appellasse. Iubebat enim neque comedentes, neque bibentes exspectare satietatem; sed tantum capere quantum satis esset ad tuendam vitam corporis: si quando autem vidisset etiam farinam opertam furfure, eos qui hoc fecissent impetebat maledictis, vt qui Sybariticis fruerentur deliciis. Porrò autem noctu quoque ex improuiso veniens ad ostium vniuscuiusque; si aliquem quidem inuenisset vigilantem & Deum laudantem, recedebat tacitus: si quem autem sensisset dormientem, manu quidem pulsabat ostium, linguâ autem in eum qui iacebat inuehebatur, vt qui corpus plus quàm oporteret curaret.

Publius ex ordine senatorio.

Zeugmate opido oriūdus.

Patrimonium vendit, & in pauperes distribuit.

Eius oratio psalmodia.

Lectio. Hospitalitas.

Abstinentia, panis ad trutinā.

Visitat monachos suo tempore orantes.

Hinc eius laborem cùm considerassent aliqui qui erant eiusdem animi & sententiæ, ad eum retulerunt vt omnibus vnum ædificaret habitaculum. Eos enim qui nunc sunt dispersi exactiùs & accuratiùs dixerunt esse victuros, eumque fore liberum à magnâ parte sollicitudinis. Probauit consilium vir sapientissimus, & cùm omnes simul coëgisset, & paruas illas diruisset domunculas, ijs autem qui erant congregati, vnum ædificasset, rogauit vt simul viuerent, & se inuicem incitarent: & hic quidem illius imitaretur mansuetudinem, ille verò mansuetudinem huius zelo temperaret, & alius cōmunicans vigilias, acciperet ieiunij disciplinam. Sic enim, inquit, à nobis inuicem id quod deest sumentes, perfectissimam efficiemus virtutem. Quomodo enim in foris ciuitatum alius quidem vendit panes, alius verò olera; alius habet vestes venales, alius est opifex calceorum: à se autem inuicem id quo opus habent comparantes, vitam agunt iucundiorem. Qui dat enim vestem, pro eâ accipit calceos; qui autem emit olus, vendit panem: ita nos oportet inuicem permutare virtutis partes pretiosissimas. Cùm qui erant eiusdem linguæ sic exercerentur & decertarent, & Græcâ voce Deum laudarent; huius vitæ instituti eos quoque cepit amor qui linguâ vtebantur illius regionis: & concurrētes aliqui supplicarunt, vt ipsi quoque in eorum gregem admitterentur, & essent eius sacræ doctrinæ participes. Concessit autem quod postulabant, legis memor Dominicæ quam sanctis tulit apostolis, dicens: Euntes docete omnes gentes. & cùm iuxta illud habitaculum ædificasset alterum, eos iussit illic degere, diuino quodam templo constructo, in quod iussit & hos & illos conuenire, incipiente die & desinente: vt vespertinos & matutinos hymnos Deo simul offerrent, in duas quidem diuisi partes, & singuli suâ voce vtentes, ex successione autem canticum emittentes. Permansit autē in hodiernum vsque diem forma eius instituti, & neque tempus, quod hæc talia mutare vehementer contendit; nec ij qui illius successêre curationi, vt ex limitibus ab eo positis aliquid euerterent, in animum

Commune omnibus cœnobium ædificat.

Communicatio bonorum spiritualium.

In monasterio & nonnemo otiosus.

Aliud indigenis monasterium exciat.

Matth. 28.

Templum omnibus commune exstruit.

Hymnos matutinos & vespertinos decantant.

mum induxêre: idque cùm non duo vel três, sed plures hanc susceperint præfecturam. Cum primùm enim ille certamen impleſſet, & ex hac vitâ exceſſiſſet; & in illam omni moleſtiâ vacuam commigraſſet, Theotecnus quidem Græcæ linguæ; Aphthonius verò Syræ, præfecturam accepere; qui vtrique illius virtutis fuerunt quædam animatæ ſtatuæ & imagines. Neque enim ijs qui ſimul conueniebant, neque ijs qui extrinſecùs adueniebant conceſſerunt mortis illius vllum habere ſenſum; vt qui illius vitæ inſtituti ſeipſos expreſſa oſtenderent ſimulacra. Sed diuinus quidem Theotecnus cùm non diu vixiſſet, tradidit Theodoto præfecturam: Aphthonius autem gregis curam gerens, & iam latis legibus regens, permanſit diutiſſimè. Hic autem Theodotus ex Armeniâ oriundus, cùm exercitationis monaſticæ illum vidiſſet ordinem, primùm quidem erat in numero eorum qui magno parebât gubernanti Theotecno: poſtquam autem, vt dixi, ille quidem exceſſit, ipſe verò accepit præfecturam, eam tot bonis exornauit, vt famâ ſua priores propemodum obſcurarit. Sic enim eum diuinum affecit deſiderium, eumque tot & talibus conſauciauit iaculis, vt noctu & interdiu effunderet lacrymas compunctionis. Erat autem ſpiritali tantâ plenus gratiâ, vt eo quidem precante, ſilerent quidem omnes qui aderant, ſolùm autem illa ſacra verba audirent, illam auditionem planè ducentes bonam precationem. Quis enim fuiſſet adeò adamantinus, vt illis verbis tam ſincerè & germanè prolatis, non demulceretur animâ, illiuſque duritiem emolliret & inobedientiam, & ad Deo ſeruiendū traduceret? Cùm ſic opes augeret quotidie, & ſacros oſtenderet theſauros talibus bonis plenos, poſtquam viginti quinque annis gregem pauiſſet, adiectus eſt ad patres ſuos, vt diuina dicit Scriptura, in bonâ eductus ſenectute, traditis habenis Theotecno, qui erat quidem genere fratris filius, frater autem moribus.

Theotecnus & Aphthonius Publij animatæ ſtatuæ.

Theodotus Theotecno in præfecturâ ſuccedit.

Moritur poſt 25. annos.

Gen. 15.

Theotecnus ſuccedit.

Iam verò diuinus quoq; Aphthonius, cùm plus quàm quadraginta annis choro præfuiſſet, ſedem accepit pontificalem: nec cilicium mutans monaſticum, nec tunicam contextam ex pellibus caprarum; iiſdē quoque cibis veſcebatur, quibus antequam fieret antiſtes. Quinetiam quamuis hanc acce-piſſet curationem, nihilo ſeciùs curam gerebat illius gregis, illic multos dies verſans: & nunc quidem componens eorum lites qui inter ſe depugnabant, nunc verò eis conſulens qui erant aliquâ affecti iniuriâ; aliquando autem ſodalibus diuinam porrigens admonitionem. Faciebat autem vnūquodque horum, vel contubernalium interim pannos conſuēns, vel lentem expurgās, vel frumentum abluens, vel aliquid tractans ex ijs quæ ſunt eiuſmodi. Cùm ſic autem & pontificatum ornaſſet, & virtutem auxiſſet; ad diuinum portum peruenit cum ſuis oneribus.

Aphthonius poſt 40 annorū præfecturâ epiſcopus creatur.

Exercet ſe in vilibus fratrum miniſterijs.

Et quid opus eſt dicere de Theotecno, & qui illum ſecutus eſt Gregorio; quorum ille quidem à iuuentute omne genus virtutis collegit, & cum maiorum fuctum exceſſit gloriâ; hic verò adhuc in hodiernum diem laborat in profundâ ſenectute, perinde ac ſi eſſet in florenti ætate. Perſtitit enim vitis fructum perpetuò recuſans, & nec aceto quidem vel vuis paſſis veſcens, non lacte neque recenti nec concreto. Sic enim viuere magnus conſtituit Publius: olei autem vſum agnoſcentes in tempore Pentecoſtes, rurſus recuſant eius eſſe participes. Hæc didici de magno Publio, quæ partim quidem audita accepi, partim verò ab ipſis eius quos vidi diſcipulis, in quibus agnoui præceptorem, & per athletas didici pædotribam.

Publij cum diſcipulis victus ratio.

Iniquum igitur eſſe arbitratus, & hominis mundi, tantam vtilitatem mandare ſilentio: ijs qui ignorabant propoſui narrationem, vt & ipſi vtilitatem hinc accipiant procurans; & memoriæ hinc mihi quæſtum parans. Audiui enim Dominum dicentem: Quicumque me confitebitur coram hominibus, ego quoque eum confitebor coram Patre meo qui eſt in cælis: & planè ſcio, quòd ſi eorum memoriam fecero in hominibus, futurum ſit vt ij quoque mei meminerint apud Deum vniuerſorum.

Matth. 10.

Certus Theodoretus de noſtri inter Sanctos memoriâ.

29 SIMEONES PRISCVS. CAP. VI.

Theodor. lib. 4. hiſt. c. 26.

SIMEONEM autem ſenem ſi quis de induſtriâ prætermiſerit, & illius philoſophiæ memoriam mandarit obliuioni, iniuriæ & inuidiæ meritò accuſari poterit, vt qui neque velit laudare ea quæ ſunt laude digna, nec ijs qui volunt iuuari ea proponat quæ ſunt maximè expetenda. Ego autem non ne accuſer metuens, ſed laudibus eum proſequi cupiens, narrabo eius vitæ inſtitutum.

Is enim longiſſimo tempore perpetuò vitam amplexus eſt ſolitariâ, & in paruâ quadam ſpeluncâ vitam agens, nullâ humanâ fruebatur animâ, ſolus enim viuere ſtatuerat; ſed cum Deo vniuerſorum loquebatur aſſiduè, herbas autem eſculentas ſibi parabat cibum: eâ in re eius labor conſumebatur. A ſuperis autem tam copioſâ donatus erat gratiâ, vt vel fortiſſimis & audaciſſimis imperaret beſtijs. Idque non ſolis pijs, ſed etiam incredulis Iudæis euaſit manifeſtum. nam cùm propter aliquod eorum negotium peregrè proficiſceretur ad aliquod caſtel-

Spelunca domus Simeonis.

Imperat feris.

castellum quod situm erat extra eam quæ à nostri imperij hominibus habitatur regionem, ortus autem esset imber vehemens & ingruisset tempestas, à viâ quidem aberrarunt, vt qui anteriora videre non possent: errabant autem per solitudinem, nec vicum, nec antrum, nec viatorem aliquem inuenientes. Cùm autem in medio continente non secùs vndis iactarentur, quàm ij qui nauigant in medijs fluctibus, diuini Simeonis antrum, veluti quemdam portum, animaduertêre, sordidumque & squalidum hominem aspexêre, & quemdam exiguum ex pelle caprinâ contextum pannum habentem super humeros. Ille autem simul ac vidit, eos salutauit (erat enim affabilis) & eos rogauit caussam aduentus. Postquam autem narrarunt quod euenerat, & rogarunt vt eos doceret viam quæ ducit ad castellum, Manete, inquit, statim vobis dabo duces qui ostendent viam quam desideratis. Atque ij quidem tunc parebant & quiescebant. Ipsis autem sedentibus, venêre duo leones, non toruè & ferociter intuentes, sed veluti cuidam domino blandientes, & seruitutem significantes. His annuens, iussit vt hospites ducerent, & ad viam à quâ aberrarant, reducerent. Nemo autem existimet fabulosam esse narrationem, cùm communes veritatis hostes habeat ferentes veritati testimonium: ipsi enim consecuti beneficium, hoc perpetuò cecinerunt; hocque mihi hic magnus narrauit Iacobus, dicens se affuisse, cùm hoc beato Maroni narrarent miraculum. Qui ergo non credit Iudæis de Christianorum miraculis ferentibus testimonium, quomodo non meritò vocabitur Iudæis infidelior? siquidem illi, etiamsi in nos sint infesto animo, vincuntur tamen, & cedunt radijs veritatis: hi autem cùm existimentur beneuoli, & fidei socij, ne inimicis quidem credunt virtutem gratiæ testantibus. Cùm autem vir ille diuinus talibus miraculis euasisset insignis, & multos attraxisset ex vicinis barbaris (illam autem habitant solitudinem qui de Ismaële generis auctore gloriantur) quietis amans, necesse habuit speluncam relinquere. Et cùm multum viæ confecisset, peruenit ad montem qui Amanus dicitur: idque quod olim erat refertum insaniâ multorum deorum cultus, multis ijsque omnis generis excoluit miraculis, pietatémque ac veram religionem quæ nunc in eo exercetur, plantauit.

Leones viæ duces errantibus assignat.

Iudæis innotuit Simeonis sanctitas.

Simeon ne nimiùm frequentetur, aliò secedit.

Fidem accolis Amani montis infert.

Sed omnia quidē narrare valdè esset laboriosum, & fortasse id à me præstari minimè posset. Cùm itaque vnius mentionē fecero, & veluti quamdā formam characterémque apostolici & prophetici miraculi adiecero, relinquam deinceps cogitandum Lectoribus, cuiusnam gratiæ virtutem acceperit.

Æstas erat, & messis, & ferebantur manipuli in areas. Vir autem quidam, qui non erat suis iustus contētis laboribus, sed aliena concupiscebat, proximi quidem aliquot sustulerat manipulos, per hæc autem conabatur suum augere cumulum: sed statim in eius furtum diuina lata est sententia; cecidit fulmen, & exusta est area. Miser autem ille ad Dei hominem accessit, qui non procul à vico fixerat tabernaculum; & quæ sibi quidem acciderat, narrabat calamitatē, furtum autem celare conabatur. Postquam autem vera dicere iussus, est furtum confessus (coëgit enim casus vel seipsum accusare) iussit vir ille diuinus, vt corrigendo iniuriam, faceret vt liberaretur à pœnâ. Nam si tu, inquit, illos solueris manipulos, extinguetur ille ignis immissus diuinitus: licebat ergo videre illum quidem currentem, & spicas furto surreptas ei cui facta fuerat iniuria offerentem, pyram autem absque aquâ extinctam, diuini senis oratione & intercessione. Hoc non incolas solùm impleuit terrore, sed etiam totam ciuitatem, Antiochiam inquam (erat enim in eius ditione hoc prædium) coëgit illuc currere, & vnum quidem petere vt liberaretur à rabie dæmoniacâ, alium verò vt quiesceret febris, alium autem vt alicuius ex ijs quæ eum cruciabant consequeretur remedium. Ille verò, ijs qui inhabitabant, gratiæ fluenta abundè suppeditabat.

Fulmen incidit in eius aream qui alterius manipulos furatus fuerat.

Restituenti mitescit ignis oratione Simeonis.

Varijs à varijs morbis curat.

Sed rursus amans quietis, ad montem Sinæum voluit peruenire. Cùm autem id sciuissent multi viri optimi, & qui eamdē persequebantur philosophiam, simul accurrerunt cupiētes esse socij eius peregrinationis. Cùm autem iter multorum dierum confecissent, postquam in Sodomiticam venerunt solitudinem, vident eminus viri manus quæ ex profundo in altū expandebantur. Et primùm quidem existimabant esse fraudem dæmonis: cùm autem maiore animi studio precati essent, & eadem vidissent, profecti sunt ad illum locum, & vident quidem paruam fossam, qualē solent vulpes facere, cùm quæ subeant lustra machinantur: nullum autem illi videbant illic apparere. Nam cùm sensisset pedū strepitus qui manus habebat extēsas, se intra cauernam occultauerat. Diu autem moratus senex, valdè rogauit vt se illi ostenderet si humanam habeat naturam, & non sit impostor aliquis dæmon, qui se in has formas verteret. Etenim nos quoque, inquit, persequentes vitam monasticæ exercitationis, & quietem amantes, erramus per

Amans quietis aliò secedit.

Eminus videt monachi cuiusdā manus.

per hanc solitudinem, in monte Sinâ cupientes adorare Deum vniuersorum, in quo cùm Moysi seruo suo apparuisset, dedit legum tabulas: non quòd existimemus Deum esse loco circumscriptum; audimus enim eum dicentem: Cælum & terram ego impleo, inquit Dominus; & quòd contineat terræ ambitum, & eos qui in eâ habitant tamquam locustas: sed quoniam ij qui ardenter amant, non solùm eos qui amantur desiderant, sed etiam illis loca grata sunt & iucunda, in quibus ij fuêre præsentes, & in quibus versati sunt. Hæc & similia cùm diceret senex, ex cauernâ se ostendit homo qui in eâ delitescebat. Erat autem aspectu quidem agrestis, comâ squallidâ, facie corrugatâ, exsiccatis & planè exanguibus omnibus membris corporis. Erat autem sordidis quibusdam pannis indutus, ex consutis palmarum germinibus. Cùm autem salutasset, & pacis verbum dedisset, rogauit quinam essent, & vnde venirent, & quò abirent. Ille autem & ad rogatum respondit, & vicissim rogauit vndénam venisset, & cur hanc vitam delegisset. Idem, inquit, me quoque cœperat desiderium eò eundi quò vos nunc itis: huius autem vitæ socium assumpseram quemdam meum familiarem, & qui erat eiusdem animi & sententiæ, & cui erat idem qui mihi scopus & institutum. Adegeramus autem nos inuicem iureiurando, ne morte quidem nostram seiungere consuetudinem. Accidit ergo vt is quidem in peregrinatione vitæ finem hîc acciperet. Ego autem iureiurando astrictus, & fossam feci vt potui, & corpus tradidi sepulturæ: propter hoc verò monimentum effosso mihi altero sepulcro, vitæ finem hîc exspecto, & Domino consuetum offero officium. Vescor autem dactylis, quos ad me afferre ab eo qui curam gerit iussus est quidam frater. Hæc cùm sic dicerentur, leo procul apparuit. Cùm autem ij qui erant cum sene, animi angore & metu cecidissent, sentiens is qui iacebat in cauernâ, surrexit, & leoni annuit, vt transiret ad aliam partem. Is autem statim paruit, & venit, botrum afferens dactylorum. Deinde rursus abijt cùm sibi fuisset permissum, & procul à viris decumbens obdormijt. Cùm ergo dactylos diuisisset omnibus, & eorum precibus & psalmodiæ communicasset, & post finem matutini officij salutasset, eos dimisit nouitate spectaculi stupefactos.

Ierem. 23.

Senex in cauernâ repertus vita sua institutum indicat.

Habitat in sepulcro.

Leoni vt secedat, imperat.

Leo adfert dactylos.

Si quis autem non habet fidem ijs quæ dicta sunt, recordetur vitæ insignis Eliæ, & coruorum ministerij, qui manè quidem panem, vesperè autem ei carnem perpetuò afferebant: vniuersorum enim effectori est facile, vt suis prouideatur, omnem viam inuenire. Sic Ionam in ventre ceti trium dierum & noctium spatio conseruauit, & effecit vt leones in lacu Danielem obstupuerint, & vt ignis inanimus operaretur tamquam ratione præditus, & eos quidem qui erant intus illuminaret, eos autem qui erant foris vreret. Sed enim rem facio superuacaneam, qui ad probandam Dei potentiam argumenta affero.

Prompta Dei potentia in ijs nutriendis qui carent necessarijs.

Postquam ergo peruenit in montem quem desiderabat, aiunt senem illum admirabilem, in illo loco in quo Moyses dignus est habitus qui Deum videret, (vidit autem vt videri potuit ab humanâ naturâ,) genua flexisse, & non prius surrexisse quàm vocem diuinam audiuerit, quæ illi significabat Domini beneuolentiam. Quoniam autem totà vertente hebdomadâ ita perpetuò fuerat inclinatus, & ne minimum quidem cibi sumpserat, iussit vox quæ ad eum facta est, vt ea sumeret quæ erant apposita, & prompto & alacri animo comederet. Cùm autem manum extendisset, & tria mala inuenisset, & ea comedisset, vt iusserat qui dederat: & ei plenæ restitutæ sunt vires, & alacri, vt par erat, animo eos qui cum eo versabantur salutauit. Lætus ergo & hilaris reuersus est, vt qui & vocem diuinam exaudierat, & rursus comederat cibum à Deo datum.

Simeones in monte Sinâ ab oratione non surgit, nisi voce calitus audità.

Reuersus autem, duo philosophiæ exstruxit gymnasia: vnum quidem in vertice montis, de quo priùs diximus; alterum autem infrà, propter ipsas oras lateris montis. Cùm in vtroque autem athletas virtutis congregasset, horum & illorum exercitator fuit & pædotriba. Et aduersarij docens insultus, & agonothetæ promittens beneuolentiam, & bono animo, non autem degeneri & pusillo esse iubens, & in suos quidem moderatione, in hostem autem animi magnitudine vti præcipiens, hæc docens, sic viuens, hæc miracula faciens, & splendorem omnis generis emittens, laboriosæ huius vitæ finem cepit, & migrauit in eam quæ est senij & molestiæ expers, relictâ gloriâ quæ extingui non potest, & memoriâ quæ manet in perpetuum. Huius benedictionem, cùm is adhuc esset superstes, beata, atque adeò ter beata, mater mea est consecuta, & sæpè mihi multa de eo narrauit.

Duo monasteria exadificat.

Theodoreti mater à Simeone benedicta.

Ego autem nunc oro, vt quam dare potest, eius consequar intercessionem; & scio me consecuturum: omnino enim dabit petitionem, imitans Domini benignitatem.

Eius intercessionem Theodoretus petit.

30 PALLADIVS. CAP. VII.

Theodor. lib 4 hist. cap. 26.

QVI autem multorum sermone celebratus est Palladius, & tempore ei fuit

Palladius Simeoni familiaris.

æqualis, & moribus similis, notúsque & familiaris. Ad se enim, vt aiunt, inuicem ventitantes, ex se inuicem capiebant vtilitatem, se mutuò prouocantes, & ad zelum Dei incitantes. Inclusus autem erat in quadam domunculâ, quæ erat propinqua vico maximo, & populo longè frequentissimo: est autem ei nomen * Iemme. Ac de maximâ quidem viri à cibo abstinentiâ seu ieiunio & inediâ, vigiliaque, & oratione perpetuâ, dicere existimo esse superuacaneum. In his enim idem traxit iugum quòd beatus Simeon. Miraculum autem quod in hodiernum vsque diem decantatur, ab illius autem voce & manu factum est, existimaui si narrarem facturum me operæpretium.

* Long. Imme. *Eius domuncula, ieiunium, oratio.*

In prædicto vico fit celeberrimus conuentus, qui vndique attrahit mercatores, & maiorem multitudinem quàm quæ possit numerari. In eo quidam mercator, ijs quæ attulerat venditis, & auro coacto, noctù volebat recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aspexerat, œstro quodam & furore percitus, somnum quidem à cilijs depulit, obseruabat autem quando vir ille esset profecturus. Post galli autem cantum, ille quidem abibat securus: hic autem præueniens, cùm quemdam locum aptum insidijs occupasset, repentè adortus, eum & percussit & cædem fecit. Execrando autem facinori impium quoque aliud factum adijcit; nam cùm aurum cepisset, mortuum illud corpus proiecit ad ostium Palladij. Cùm autem dies venisset, & fama peruasisset, & totus hominum conuentus de eo quod factum erat passim loqueretur, concurrerunt omnes, & effracto ostio, cædis factæ pœnam exigere volebant à diuino Palladio: vnus autem ex ijs qui hoc faciebant, erat is qui suâ manu cædem fecerat. Cùm ergo vir diuinus circumsideretur à tantâ multitudine, cælum intuens, & mente cælum superans, supplicauit Domino vt calumniæ mendacium refelleret, & veritatem quæ latebat ostenderet. Cùm sic orasset, & iacentis manum prehendisset, Dic, inquit, ô adolescens, quis hanc tibi plagam intulerit: ostende quis hoc execrandum facinus admiserit, & libera innocentem ab hac improbâ calumniâ. Sermonem autem sermo quidem est consecutus. Dexterâ autem homo etiam sedens, circumspiciebat quidem eos qui accedebant, 31 digito autem ostendebat homicidam. Clamor sublatus est ab omnibus, & miraculum stupentibus, & calumniam quæ fuerat intentata deflentibus. Cùm autem illum sceleratum exuissent, & gladium inuenerunt adhuc cruentum sanguine, & aurum illud quod cædis caussam dederat. Diuinus autem Palladius cùm priùs fuisset admirabilis, hinc meritò euasit longè admirabilior. Sufficiebat enim miraculum ad viri ostendendam apud Deum fiduciam.

Homicidij crimen innocenti impingitur. *Excitat occisum, vt homicidam declaret.* *Homicida diuinitus ostensus.*

Ex eodem autem ordine fuit etiam Abraames admirabilis, qui ædificauit quidem id quod vocatur Paratomon, virtutis autem splendores in omnem partem emisit. Quàm clara autem fuerit eius vita, testantur quæ post eius mortem fiunt miracula. Ex eius sepulcro in hodiernum vsque diem scaturiunt omnis generis morborum curationes. Huius autem sunt locupletes testes, qui eas abundè illinc per fidem hauriunt. Mihi autem quoque detur consequi auxilium, qui eorum memoriâ linguam sanctificaui.

Abraames sanctitate celebris. *Sepulcrum eius curationibus illustre.* *Intercessio Sanctorum.*

31 APHRAATES. CAP. VIII

Theodor. lib. 4. hist. cap. 24.

QVOD vna sit omnium hominum natura, & philosophari sit facilè volentibus, siue sint Græci, siue barbari, ex multis quoque alijs scire est in promptu: ad hoc autem apertè ostendendum sufficit vel solus Aphraates. Is enim in Persis, qui sunt iniustissimi, & natus & educatus, & ortus ex talibus parentibus, & in eorum legibus institutus, ad tantam peruenit virtutem, vt eos qui ex pijs nati fuerant, & piam doctrinam ab ineunte ætate acceperant, obscurauerit. Primùm enim contempto genere, (erat autem id clarum & illustre) accurrit ad Dominum adorandum, maiores suos imitatus Magos; deinde sui generis hominum impietatem abominatus, suæ prætulit alienam regionem. Et cùm venisset Edessam, (est autem ciuitas maxima & populo frequentissima, & quæ pietate insigniter exornatur) cùm extra eius ambitus inuenisset domunculam, & se in eâ inclusisset, suæ curam gerebat animæ, veluti quidam optimus agricola, vitiorum spinas exscindens radicitus, & diuinam expurgans segetem, & maturos Euangelij fructus offerens Domino. Illinc venit Antiochiam, quæ ab hæreticâ procellâ grauiter circumsidebatur, vbi cùm ante ciuitatem in quoddam philosophiæ gymnasium diuertisset, & Græcæ linguæ pauca verba didicisset, ad diuinos quidem sermones audiendos traxit plurimos: vtens autem linguâ barbarie commixtâ, fœtus proferebat ingenij & intelligentiæ, ex gratiâ diuini Spiritus accipiens hęc fluenta. Quis enim ex ijs qui suam iactant eloquentiam, & supercilia contrahentes elatè loquuntur & magnificè, & propter syllogismorum laqueos iuueniliter exultant, ineruditâ illâ & barbarâ voce fuit vnquam superior? Ratiocinationi-

Aphraates ex Persarũ Magorum genere. *Primùm Edessæ, inde Antiochiæ asceticam exercet.* *Barbaries cum zelo & veritate melior futili eloquentiâ.*

tionibus enim ratiocinationes,& diuinis eloquijs philosophorum vincebat rationes, cum magno Paulo clamans, etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Hoc autem modo perpetuò ex Apostoli sententiâ deprimebat rationes, & omnem altitudinem quæ extollitur aduersus Dei cognitionem, & captiuabat omnem intelligentiam ad Christi obedientiam. Licebat autem videre concurrentes eos qui gerebant magistratus, & qui erant relati in aliquos militiæ numeros, eósque qui manu sibi victum comparabant;& vt semel dicam, & priuatos & milites, & doctos, & litterarum rudes, & pauperes, & diuites: & alios quidem silentio accipientes ea quæ offerebantur,alios verò rogantes & sciscitantes, & orationi præbentes occasionem. Cùm autem tantum laborem caperet, non passus est vmquam vllum accipere qui secum habitaret: quinetiam malebat suam ipsius operam, quàm officium & ministerium quod sibi offerebatur ab alijs. Cumque eius congressiones & collocutiones fierent ad portam atrij, ipse eam aperiebat ingredientibus, & abeuntes deducebat ac dimittebat. Nihil autem vmquam omnino accepit ab aliquo,non panem, non obsonium, non vestem, sed vnus solus ei notus panem suppeditabat. Cùm autem vsque ad profundum processisset senium, post occasum solis vescebatur oleribus.

2.Cor.11. *2.Cor.10.* *Omnis conditionis homines instruit.* *Ab vno tantùm panem accipit Aphraates.*

Aiunt autem, Anthemium, qui posteà fuit & præfectus & consul, cùm electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attulisse tunicam apud Persas contextam, & dixisse; Cùm scirem vnicuique suam dulcem esse patriam, & qui illic nascuntur fructus esse iucundissimos, hanc ex patriâ ad te attuli tunicam, rogoque vt tu eam accipias, ego verò sim tuæ benedictionis particeps. Is autem eam quidem primùm iussit poni in subsellio: deinde cùm multi fuissent interiecti sermones, dixit se angi animo, vtpote quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. illo autem rogante caussam, Semper, inquit, constitui habere vnum solum qui mecum habitaret; mihique ipsi hanc legem imposui, vt mihi omnino denegetur duorum simul habitatio. Cùm ergo vnus mecum iam sedecim annis habitasset,& esset mihi cordi, accessit quidam meus contribulis, volens mecum habitare,& rogans vt hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit. duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector vt contribulem; priorem autem, vt qui mihi cordi fuerit, expellere, & graue & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ô pater: neque enim fas est,vt eum qui tibi plurimo tempore inseruijt, amandes, tamquam non aptum; eum autem cuius morum nondum fecisti periculum, propter solam admittas patriam. Ad hæc diuinus Aphraates, Non accipiam ergo,inquit,ô vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. est enim meâ quidem sententiâ iucundior, tuâ verò melior ea quæ mihi tanto tempore inseruijt. Cùm callido ergo commento sic elusisset Anthemium, & ingenij solertiæ exhibuisset miraculum, persuasit vt nemo deinceps cum eo ageret de illâ tunicâ. Ego autem hæc retuli, volens duo simul ostendere: & quòd ab vno solo acceperit quod curando corpori satis erat, & quòd tanta eius fuerit sapientia, vt effecerit, vt qui rogabat vt acciperet, sententiam tulerit eum non debere accipere. Sed his & quæ sunt huiusmodi relictis, narrabo maiora.

Aphraates ne quidem Persicam tunicam accipit ab Anthemio. *Egregio apologo rem eam declarat.*

Cùm Iulianus Deo infestus in barbarorum regione pœnas dedisset impietatis, res quidẽ fuere parumper tranquilliores alumnis pietatis, cùm Iouinianus accepisset clauum Romani imperij: postquam autem hic quoque, cùm paruo tempore regnasset, accepit finem vitæ, Valens autem accepit principatum, procellæ & tempestates rursus mare nostrum agitabant, grauisque fluctus excitabatur,& vndæ maximæ scapham vndique impetebant. efficiebat autem grauiorem tempestatem solitudo gubernatorum. Eos enim Imperator, qui in solam veram religionem suam exercebat audaciam, coëgit habitare in exilio. Et cùm tantâ esset vsus iniquitate, impietatis eum non capiebat satietas, sed dispergebat ac dissipabat cœtum piorum omnium, instar feræ immanis gregem contendens discerpere. Eâ de caussâ eos non solùm expulit ab omni ecclesiâ, sed etiam ex latere montis, & ex ripâ fluuij, & ex bellico gymnasio. Hæc enim loca perpetuò mutabant, vt in quos obiter sæuiret armata manus. Et Scythæ quidem, & alij barbari, totam Thraciam à Danubio vsque ad Propontidem securè populabantur: ille autem eorum auditionem, ne arrectis quidem, vt dicitur, auribus, poterat accipere: sed in eos qui erant eiusdem generis, & eius ditionis, pietateque ac religione clari, armis vtebatur. Diuinus autem populus illorum malorum deflebat importunitatem, Dauidicum illud canens canticum: Super flumina Babylonis illic sedimus; & fleuimus, dum nos recordaremur tui Sion. Reliqua autem cantici eis non conueniebant. Aphraates enim, & Flauianus, & Diodorus, non permiserunt vt suspenderentur in salicibus instrumenta doctrinæ; nec

Valens Imperator auctor afflictionis Ecclesiæ. *Scythæ ad vsque Propontidem grassantur.* *Psal.136.* *Non in salicibus instrumenta doctrinæ suspendenda.*

Psal. 136. passi sunt dicere: Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? Sed & in montibus, & in campis, & in vrbe, & in suburbanis, & in ædibus, & in foris, canticum Domini assiduè canebant. A Dauide enim didicerant, Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terræ, & omnes qui habitant in eo. Rursus autem audierant eumdem Prophetam clamantem: Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Audiuerunt autem diuinum quoque Paulum præcipientem orare viros in omni loco, tollentes manus sanctas absque irâ & disceptationibus. Porrò autem ipse quoque Dominus loquens cum Samaritanâ, hoc prædixit apertius: Amen enim, inquit, dico tibi mulier, venit hora, & nunc est, quando neque in loco hoc, neque Ierosolymis, sed in omni loco adorabunt Patrem. Hæc cùm didicissent, & in domo, & in foro, &, vt apostolicè dicam, publicè & per domos perpetuò testificabantur: & veluti quidam præstantissimi Imperatores, suos quidem armabant, aduersarios autem confodiebant. Atque magnum quidem Flauianum, & diuinum Theodorum, qui tunc sub alio pascebant, & secundâ cathedrâ digni erant habiti, hæc facere quæ dixi, & admirandum quidem est, & laude dignum: sed tamen hæc faciebant, cùm essent electi exercitus Imperatores, & subiecti legibus imperatorijs. Sapientissimus autem Aphraates suâ sponte ad hæc prosiluit certamina: in quiete enim educatus, & cùm eius institutum esset per se viuere, & extra teli iactum sederet, vt dicitur, cùm vidisset belli vehementiam, non illi placuit quòd esset securus, sed quietem iubens valere ad tempus, piorum phalangis fuit in pugnâ princeps, feriens quidem & vitâ & sermone & miraculis, ipse autem numquam percussus. Quinetiam cùm Imperator omni ex parte stultus eum aliquando vidisset exeuntem in gymnasium bellicum (contigerat enim vt tunc illic congregarentur qui erant ritè venerandæ Trinitatis socij) ostendit autem quis eum ad ripam fluuij ambulantem spectanti Imperatori: rogauit eum quónam tenderet. Cùm is autem dixisset se ire deprecatum pro terrarum orbe & pro imperio, rursus respondit Imperator: Et quanam de caussâ vitam profitens monasticam, ʒʒ securè per forum ingrederis, silentio & quiete relictâ? Ille autem (solebat enim Dominum imitans, parabolicè ratiocinari:) Dic mihi, inquit, Imperator, si essem virgo abscondita in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem inijcientem, quid mihi consuluisses facere, videnti flammam ardentem, & domum quæ comburitur; intúsne sedere, & domum quæ crematur despicere? Sed sic ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, & susque deque currere, flammamque extinguere; ne me reprehendas, ô Imperator, si id ipsum facio. Quod enim tu consulueris virgini quæ est in thalamo, hoc ego cogor facere qui vitam sum professus monasticam. Quòd si tu me reprehendis qui quietem reliquerim, teipsum reprehende qui hanc flammam in domum diuinam inieceris; & non me, qui conor extinguere. Quòd enim oporteat opem ferre domui paternæ quæ vritur, ipse quoque confiteberis. Quòd autem Deus sit magis verus & germanus pater quàm ij qui sunt in terrâ, est cuiuis apertum, etiam qui rebus diuinis non est omnino initiatus. Nihil ergo absurdum facimus, ô Imperator, neque cœpto nostro & instituto contrarium, si veræ religionis alumnos congregamus & pascimus, & eis herbam diuinam exhibemus. His dictis, Imperator quidem tacitè assentiebatur, considerans iustam defensionem.

Psal. 23.

Psal. 102.

1. Tim. 2.

Ioan. 5.

Act. 20.

Flauianus & Theodorus Ecclesiæ propugnatores.

Aphraates piorum phalangis princeps.

Monachis licet claustra egredi vrgente Ecclesiæ commodo.

Parabolicè Imperatorem docet Aphraates, cur cellâ suâ excesserit.

Vnus autem ex ijs qui nec viri censentur nec mulieres, sed posse vmquam patres fieri eis est ademptum, & hac de caussâ censentur benè velle Imperatori, & ei loqui confidenter, is ex loco superiore diuinum virum conuitio est insectatus, & mortem minitatus: sed non ita diu pòst pœnas luit suæ audaciæ. Nam cùm vellet Imperator corpus lauare in balneo, accessit quidem miser tamquam solium visurus an benè esset temperatum, mente autem captus, insiluit in solium, quod aquam calidam minimè temperatam continebat: & cùm nullus adesset intus, (solus enim ingressus fuerat, visurus an esset paratum) remansit coctus & resolutus. Cùm autem tempus interim tereretur, mittit Imperator alium qui eum vocaret: cùm is autem neminem in illâ domo inuenisset, id renuntiat Imperatori. Cùm deinde autem plures accurrissent, omnia perscrutantes solia, & ad illud tandem venissent, eum iacentem & vitâ priuatum aspiciunt. Excitato autem tumultu, & omnibus deflentibus, alij quidem aquam illam calidam exhauserunt, alij verò corpus miserrimum extulerunt. Hinc factum est, vt metus inuaderet Imperatorem & omnes qui armabantur aduersus pietatem. Sparsa est autem fama per totam ciuitatem, quales infelix ille luerit pœnas contumeliæ quâ affecit Aphraatem: omnesque Deum Aphraatis perpetuis celebrabant laudibus. Hoc, etsi instarent aduersarij, obstitit quò minùs homo

Eunuchus Aphraati minas intentans, in balneo suffocatur.

Dei

Dei mitteretur in exilium. Imperator enim perterritus, eos quidem qui hæc suadebant, auersabatur, virum autem reuerebatur.

Porrò autem aliunde quoque eius virtutem didicit. Equus quidam bono genere natus, & portare apprimè doctus, erat imperatori charissimus: morbus quidam qui ei acciderat, malè habebat Imperatorem, retinebatur autem humidorum excrementorum excretio; ad eum curandum accersebantur, qui in hac arte fuerant exercitati. Cùm ea autem esset etiam morbo inferior, Imperator quidem molestiâ afficiebatur; lamētabatur autem is cui equorum cura fuerat credita. Cùm esset autem pius & fide firmus, in meridie venit vnà cum equo ad magni Aphraatis habitaculum: & cùm morbū dixisset, & fidem suam significasset, orauit vt solueret morbum suis precibus. Ille autem nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, iussit aquam hauriri ex puteo: & cùm ei salutaris crucis signum imposuisset, iussit eam ad equum afferre: is autem bibit plus quàm consueuerat. Deinde cùm oleum diuinâ inuocatione impleſſet benedictione, equi ventrem inungit: & manus contrectatione statim morbus est sublatus. Lætus ergo homo equo accepto, cucurrit ad stabulum. Vesperè autem (solebat enim eo tempore venire ad stabulum Imperator) venit & interrogauit quomodo equus se haberet. Is autem cùm & sanum esse significasset, & equum valentem, & exultantem, hinnientemque, & collum superbè erigentem eduxisset, rogauit eum caussam sanitatis. Vbi autem diu cunctatus, (verebatur enim ostendere medicum, sciens eum qui rogabat esse ei infensum) tandem verum coactus est dicere, & docuit modum curationis. Obstupuit quidem Imperator, & confessus est eum esse virum admirabilem: nec tamen à priore destitit insaniâ, sed perrexit furere aduersus Vnigenitum, donec à barbarico fuit igne consumptus, ne sepulturâ quidem, quâ famuli vel mendici, dignatus. Diuinus autem Aphraates & in illâ tempestate suam ostendit virtutem, & redditâ tranquillitate fecit quoque consimiliter. Porrò autem alia quoque miracula fecit innumerabilia, quorum vnius vel duorum meminero.

Equum Imperatoris ægrum aquâ & oleo signo crucis benedicto curat Aphraates.

Valens Imp. impius igne crematus, & sepulturâ priuatus.

Mulier quædam genere nobilis, simul cum viro intemperante trahens iugum matrimonij, venit ad beatum illum hominem, deflens propriam calamitatem. Dicebat enim, maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigijs fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio coniunctam. Hæc autem dicebat mulier stans pro foribus atrij: sic enim solebat colloqui cum feminâ; nullam enim vmquam admisit intra fores. Tunc ergo mulieris misertus eiulantis, oratione incantationis abolet operationem: & cùm olei guttum ab ipsâ allatum inuocatione diuinâ sanctificasset, iussit vt eo vngeretur. Hæc præcepta cùm impleſſet mulier, coniugis amorem in se transtulit, & persuasit vt pro illegitimo, legitimum cubile eligeret.

Mulieres intra fores non admittit Aphraates.

Oleo sancto soluit maleficium inter maritum & vxorem.

Iam verò dicunt etiam, quòd cùm locustę aliquando regionem repentè inuasissent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata & nemora, venit ad eum quidam vir pius, rogans vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se & vxorem & filios & familiam alenti, & à quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rursus Dominicam imitans benignitatem, iussit ad se afferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit is qui orabat, ei quidem manum imposuit; Deum autem est precatus, vt fluentum impleret diuinâ virtute: deinde finitâ oratione, iussit vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iussus fuerat: idque fuit illis agris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili: nam vsque ad illos fines, reptantes & circumuolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam fræno suffocatæ, & vltrà progredi prohibitæ.

Locustas aqua benedictâ ab agro arcet.

Et quid opus est dicere omnia quæ facta sunt à beatâ illâ animâ? hæc enim satis sunt ad ostendendum splendorem gratiæ quæ in eo habitabat.

Eum ego vidi, & sanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cùm essem quidem adhuc adolescens, matri autem me adiunxissem comitem ad illum profectionis. Et cùm pro more quidem ianuam aperuisset, illam & suo sermone dignatus est & benedictione: me autem intromissum impertijt opibus deprecationis. Eâ nunc quoque fruar, vt qui credam eum viuere, & vnà cum Angelis choros ducere, & maiori quàm olim apud Deum vti fiduciâ. Eam enim tunc metiebatur corpus mortale, ne occasio arrogantiæ euaderet, si fuisset maior quàm par esset fiduciâ. Nunc autem deposito onere animi perturbationum, vt athleta victoriâ potitus, fiducia & liberâ loquendi facultate vtitur apud agonothetam. Quâ de caussâ oro quoque, vt eius consequar intercessionem.

Theodoretus & matri eius benedictionem impertit.

Theodoretus à mortuo opem flagitat.

34 PETRVS. CAP. IX.

De Gallis quidem audimus qui sunt in Europâ ad Occidentem. scimus autem

Theodor. lib 4 hist. cap. 26.

tem eos quoque qui sunt in Asiâ, ab illis oriundi; qui sedes fixerunt propter pontum Euxinum. Ex ijs germinauit beatus Petrus, atque adeò terque quaterque beatus. Septem autem annis, vt aiunt, postquam natus est, à parentibus educatus, consumpsit totam reliquam vitam in philosophiæ certaminibus. Dicitur autem obijsse, cùm vixisset nonaginta & nouem annos.

B. Petrus eremita Galata.

Annis 92. certauit.

Eum ergo qui nonaginta & duos annos decertauit, & noctu diuque semper victor euasit, quis pro dignitate laudauerit? Quænam autem lingua suffecerit ad eius narrandas res præclarè & ex virtute gestas, in pueritiâ & adolescentiâ, in virili & in ingrauescente ætate, & in extremâ senectute? Quis illum sudorem mensus fuerit? Quis luctas quæ in tanto tempore factæ sunt enumerauerit? Quænam autem oratio consequi potuerit vel semina ab eo deiecta, vel collectos manipulos? Quis est adeò magnâ & excelsâ mente præditus, vt possit perfectè intueri facultates & copias collectas ex præclarâ mercaturâ? Scio rerum illius gestarum vastum pelagus, & ideò vereor accedere ad narrandam historiam, ne obruatur oratio. Quamobrem ambulabo propter littus, & quæ in continente gesta sunt, ante mare admirabor & enarrabo, profundum autem relinquam ei qui, vt diuina dicit Scriptura, scrutatur profunda, & occulta cognoscit.

Immensum rerum gestarum eius pelagus.

1. Cor. 2.

Dan. 2.

Hic ergo primo tempore certauit in Galatiâ, illinc videndi gratiâ venit in Palæstinam, vt cùm vidisset loca quæ susceperunt salutares passiones, in his Deum qui seruauit adoraret; non vt qui loco circumscribatur, (sciebat enim eius naturam non posse circumscribi) sed vt pasceret oculos spectaculo eorum quæ desiderantur: nec sola animæ vis qua contemplatur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Ijs enim qui amore aliquem prosequuntur est à naturâ insitum, vt non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed & domum & vestes & calceos contemplentur cum magnâ lætitiâ. Tali in sponsum amore prædita sponsa quæ desiderabat in Cantico canticorum, clamabat, dicens: Sicut malum in lignis siluæ, ita patruelis meus in medio filiorum. In vmbrâ eius desideraui & sedi, & fructus eius dulcis in gutture meo. Nihil ergo absurdum & alienum fecit hic homo diuinus, qui in sponsum quidem eumdem accepit amorem, ijsdem autem verbis vsus est quibus sponsa: Vulneratus sum ego, clamabat, ab amore. Cùm autem desiderasset contemplari sponsi quamdam veluti vmbram, abijt visurus loca ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus salutares.

Visit loca sancta Palæstinæ.

Sanctorum reliquiarum aspectus quàm vtilis.

Cant. 2.

Cant. 4.

Cùm ergo quæ desiderabat ei frui licuisset, profectus quidem est Antiochiam: cùm autem vidisset ciuitatis pietatem ac religionem, externam regionem patriæ suæ prætulit, ciues existimans non contribules & cognatos, sed eos qui erant eiusdem cum ipso sententiæ, & in fide socij, & trahebant idem iugum pietatis ac religionis. Cùm illic autem morari placuisset, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, non excitauit domunculam; sed totum tempus transegit in alieno sepulcro. In eo autem erat proiectum quoddam superius tabulatum, cui coniunctæ scalæ eos excipiebant qui volebant ascendere. In eo permansit inclusus longissimo tempore, aquâ quidem vtens calidâ, solo autem pane vescens, idque non quotidie, sed vno quidem manus ieiunus, postridie autem ea sumens.

Antiochia pietati dedita.

Sepulcrum vice domus incolit.

Cùm autem quidam insaniens, & furore percitus, & maligni dæmonis plenus operatione, ad eum venisset, eum quidem mundauit, deprecatus, & ab illo diabolico furore liberauit. Cùm verò nollet abire, sed obsecrasset vt pro illâ curatione ei suum impertiret ministerium, eum admisit vt secum habitaret. Eum ego & noui, & memini miraculi, & vidi mercedem curationis, & audiui sermonem quem de me habuerunt. Dicebat enim Danielus (erat enim hoc illi nomen) me quoque præclari ministerij huius futurum socium. Vir autem ille diuinus non est assensus vt hoc fieret, parentum meorum in me amorem considerans; sæpè autem me genibus impositum vuâ aluit & pane. Nam cùm mater fecisset periculum spiritalis eius gratiæ, iussit me semel in hebdomadâ decerpere illius benedictionem. Eius autem habuit notitiam hac de caussâ: Morbus qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinæ superare scientiam: nihil enim erat aut scriptum à veteribus, aut inuentum ab ijs qui fuere posteriùs, quod non morbo fuerit adhibitum. Postquam autem omnia probauit, & ostendit nullam afferre vtilitatem, venit quædam ei familiaris quæ diuinum virum ostendebat, & ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim, vxorem eius qui eo tempore tenebat clauum Orientis administrationis (erat autem is Pergamenus) cùm ea in hunc morbum incidisset, eum ipsam curasse cùm deprecatione esset vsus & crucis signaculo. Audiuit mater, & ad diuinum statim accurrit hominem: habebat autem inaures, catenas, & torques, & alia aurea quæ sibi induerat, & vestem variam ex sericis filis

Dæmoniacum liberat.

Theodoreto benedicit.

Vxorem præfecti Orientis curat ab oculi vitio signo crucis.

filis contextam: nondum enim virtutem gustarat perfectiorem; florebat autem * tempore, & mundum muliebrem gestabat vt adolescentula. Cum diuinum ergo caput hæc aspexisset, nimij ornatus amoris primū morbum curauit, vsus verbis talibus: Dic mihi, inquit, filia, (vtar enim eius voce, & non mutabo verbum sanctæ illius linguæ) si quis pictor in arte benè exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, vt præcipit lex artis, & eam proposuisset videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfectè & accuratè, temereque & inconsultè, vt sibi videtur, vellet contrà pingere; deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem & ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille pictor iure succensurus, quòd & ars eius probro esset & contumeliâ affecta, & eorum quibus opus non erat additamentum à manu indoctâ accepisset? Ergo vniuersorum quoque, inquit, opificem, & nostræ naturæ effictorem & pictorem iure irasci credite, quòd illam quæ verbis explicari non potest, naturam & sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum & album & nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem. Sciendum est autem eum habere potestatem suæ voluntati iustâ symmetriâ respondentem. Omnia enim, vt ait Dauid, quæ voluit Dominus fecit. Eius autem quod est omnibus vtile futurum curam gerens, non dat ea quæ damnum afferunt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tentetis ea addere quæ sapienter non dedit, neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quę vel pudicis affert exitium, videntibus insidians. Hæc audiuit præstantissima & omni ex parte optima femina, & statim Petri reti fuit implicata, (piscabatur enim hic quoque similiter atque is qui idem quod ipse nomen habebat) pedesque tangens, & vociferans, obsecrauit vt curaret oculum. Is autem dicebat, se quidem esse hominem, & eamdem habere quam ipsa naturam: se autem peccatorum magnam gestare sarcinam, & ideò priuatum esse eâ quæ ad Deum habetur fiduciâ. Cùm autem mater fleret & oraret, & diceret se non esse eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deum esse horum curatorem, petitiones autem semper dare ijs qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, non mihi donans gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eam ergo habes sinceram & veram, puramque & ab omni liberam dubitatione, iubens & medicos valere & medicamenta; à Deo datum sume hoc medicamentum. Hæc cùm dixisset, manum imposuit oculo, & salutaris crucis signo facto, morbum expulit. Illinc domum reuersa, cùm & medicamentum abluisset, & omnem extrinsecùs inductum abiecisset ornatum, ex legibus à medico latis vitam instituebat: neque variâ veste induta, neque aureis monilibus exornata, idque cùm esset ætate adhuc admodum iuuenis; nata enim erat vigesimum tertium annum, nec dum mater facta fuerat: cùm enim septem alios annos vixisset, me peperit, qui fui eius primus & solus fœtus. Tantum fructum cepit ex magni Petri doctrinâ, & duplicem accepit curationem; & cùm corpori quæreret medicinam, bonam quoque animæ sibi parauit habitudinem. Talia dicendo ille operabatur, & tam potens erat precando.

*leg. annis,

Arguit Petrus nimium matris Theodoreti ornatum aptâ similitudine.

Psal. 113. & 134.

Pulchritudo pudicis exitium, videntibus insidiæ.

Humilitas Petri.

Matrem Theodoreti signo crucis curat ab oculorum dolore.

Cùm ea autem aliquando adduxisset obsonatorem famulum, qui à malo dæmone vexabatur, rogauit vt ei suum non negaret auxilium. Cùm precatus autem esset vir diuinus, iussit dæmoni vt diceret caussam cur haberet potestatem in Dei creaturam. Ille autem, tamquam homicida aliquis vel murorum perfossor ac latro stans ante iudicem, & iussus dicere quæ fecit, sic omnia est persecutus, vt qui præter consuetudinem cogeretur vera dicere: & dixit, Heliopoli ægrotasse quidem serui dominum; dominam autem coniugi, vtpote ægrotanti, assedisse; ancillis autem dominæ domus in quâ manebant, narrasse vitam monachorum qui philosophabantur Antiochiæ, & quantas vires habeant aduersus dæmones: & has quidem, vtpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas & insanas egisse; illum ipsum autem famulum monasticâ veste ex caprinâ pelle confectâ indutum, illas monasticè adiurasse. Cùm hæc, inquit, fierent, ego stans pro foribus, superbaque illa & gloriosa quæ de monachis dicebantur non ferens, volui facere periculum de illâ quam illos habere iuueniliter iactabant potestate. Eâ de caussa relictis ancillis, in hunc me intrusi, volens scire quemadmodum expellerer à monachis. Nunc autem, inquit, didici, nec vllâ aliâ egeo experientiâ, mox autem te iubente exeo. hæc dicens, aufugit, fuitque liberatus famulus.

Cur dæmon habeat potestatem in Dei creaturam.

Periculosum monasticam fidem ludere.

Dæmoniacum à dæmonio liberat.

Iam verò alium quoque rusticum cùm matris quidem meæ mater, mea verò * matertera, adduxisset, rogabat aduersarium vitij vt ei opem ferret. Is autem rursus rogauit, & vndenam esset, & à quonam accepisset potestatem in Dei creaturam. Vt autem silens

*al. auia, existimo in Græco esse μήτηρ.

silens ille non dedit responsum, orauit Petrus flexis genibus, Deúmque est precatus, vt execrando illi dæmoni suorum famulorum ostenderet potentiam. Deinde rursus surrexit; ille autem rursus resistens, tacebat: & hæc facta sunt vsque ad horam nonam. Postquam autem maiore studio & magis vehementem Domino obtulit orationem, surgens dixit scelerato dæmoni: Non tibi imperat Petrus, sed Petri Deus: responde ergo, vt qui ab illius cogaris potentiâ. Reueritus est, etsi sit impudens, perniciosus dæmon, sancti lenitatem ac moderationem; & magnâ vsus voce, clamauit, quòd in monte quidem Amano versaretur. Cùm eum autem vidissem, inquit, in viâ, ex aliquo fonte aquam haurientem & bibentem, contendi hoc mihi sumere habitaculum. Sed egredere, inquit homo Dei, eo, qui pro orbe terrarum est crucifixus, hoc tibi imperante. Audiuit ille, & fugit: & à furore liber materteræ redditus est agricola. Cùm alia autem huiusmodi innumerabilia possim de beatâ illâ narrare animâ, plurima prætermittam, pertimescens vulgi imbecillitatem: ad seipsos enim respicientes, fidem non habent diuinorum virorum miraculis. Cùm vnum autem vel duo narrauero, transibo ad alium athletam.

Rursus simile beneficium præstat.

Erat quidam vir libidinosus, qui superioribus temporibus fuerat dux militiæ. Puella autem quædam innupta, sed nubilis, quæ eius suberat dominio, relictâ matre & suis, fugit in quoddam gynæceum, in quo erat cœtus athletarum. Decertant enim feminæ quoque similiter atque viri, & descendunt in stadium virtutis. Cùm huius fugam didicisset dux militiæ, matrem flagris cecidit, & vinxit, nec eam priùs emisit è vinculis, quàm religiosarum mulierum ostendit habitaculum. Suâ itaque vsus rabie, illinc rapuit puellam, & domum suam reduxit; & sperauit infelix, se suam expleturum libidinem. Sed qui magnis & malis tentationibus de Sarâ vxore Abrahæ tentauit Pharaonem, & pudicam mulierem conseruauit intactam; & qui Sodomitas percussit cæcitate, qui eos qui erant incorporei, aggressi fuerant, tamquam hospites, insectari contumelijs: is cùm huius videndi virtutem percussisset cæcitate, effecit vt præda euaderet è manibus: & ipse quidem ingressus fuerat in thalamum, illa autem quæ intus custodiebatur, mox exijt & euanuit ex oculis, & ad maximè expetendum peruenit habitaculum. Sic cùm didicisset stolidus, se non esse eam superaturum, quæ Deum sponsum elegisset, coactus est quiescere, eam quæ capta fuerat, & diuinâ potestate euaserat, non ampliùs requirens. Hæc tempore procedente in grauem morbum inciderat; morbus autem erat cancer: cum mamillâ autem inflatâ dolor quoque crescebat. Sed magnum vocabat Petrum, cùm dolor esset vehementissimus: & dicebat sacrâ illâ voce in aures suas immissâ, totum illum sopiri dolorem, & nullum exhinc sensum sentire molestiæ. Eâ de caussâ eum accersens, frequentiùs accipiebat consolationem. Dicebat enim toto illo tempore illius præsentiæ, dolores omnino recedere. Sed illam quidam, cùm sic decertasset, laudibus victoriam significantibus ex hac vitâ excedentem est prosecutus.

Asceteriarum gynæceum.

Raptor virginis Deo sacratæ cæcitate punitur.

Dolorem è cancro mitigat Petrus sua præsentiâ.

Rursus autem matrem meam, cùm postquam me peperisset, esset in ipsis mortis foribus, à matertera rogatus, veniens eripuit à mortis manibus. Iacebat enim, vt aiunt, medicis quidem desperantibus, familiaribus autem deplorantibus, & finem exspectantibus, clausis oculis, febre vehementi laborans, nullum ex notis agnoscens. Postquam autem venit qui apostolico & sermone dignatus fuerat & gratiâ, &, Pax tibi, dixit, filia, (hæc enim erat eius salutatio) dicitur protinus & cilia erexisse, & eum fixis oculis aspexisse, & benedictionis fructum renuntiasse. Postquam vlulauit autem chorus feminarum, (animi enim angor & lætitia simul erant commixta, & caussa erant illius vociferationis) præcipit homo diuinus vt eæ omnes sint sociæ eius orationis. Sic enim dicebat etiam Tabitham fuisse salutem consecutam, viduis quidem deflentibus, magno autem Petro offerente Deo illorum lacrymas. Precatæ sunt vt iussit, & acceperunt vt prædixit. nam cùm finem accepisset oratio, morbus quoque finem cepit: & sudor repentè fluxit ex toto corpore, & ignis ille est extinctus, & sanitatis signa apparuerunt. Talia nostris quoque temporibus per suos seruos beneuolos Deus fecit miracula.

Excitat moribundam Theodoreti matrem.

Act. 9.

Huius quoque vestium superficies operata est similiter atque diuinissimi Pauli. Hoc autem posui, non vtens aliquâ hyperbole, sed consentientem habens dicto veritatem. Nam cùm propriam zonam diuisisset in duas partes, (erat autem lata & longa, ex crasso lino contexta,) huius quidem dimidio suos lumbos, altero verò meos cinxit. Hanc cùm sæpè quidem mihi ægrotanti mater imposuisset, sæpè autem patri quoque, morbum exegit. Quinetiam ipsa quoque hoc medicamento sæpè vsa est ad sanitatem. Multi autem ex notis quoque cùm hoc didicissent, assiduè ad ferendum ęgrotis auxilium

Zona Petri miraculosa.

auxilium hanc zonam accipiebant: & vbique illius gratiæ ostendebat operationem. Cùm quidam sic eam accepisset, priuauit eos qui donauerant, in eos qui ipsum beneficio affecerant se ingratum ostendens. Hoc modo fuimus illo dono nudati. Cùm sic resplenduisset, & radijs Antiochiam illustrasset, abductus fuit à certaminibus, exspectans coronam quæ est reposita victoribus.

Feliciter moritur.

Ego autem, cuius, dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, eâ vt nunc quoque fruar precatus, finem imponam huic narrationi.

A mortuo benedictionem petit Theodoretus.

CAP. X.

35 THEODOSIVS.

Rosvs est oppidum Ciliciæ, à dextrâ ei qui nauigat in pontum Cilicium: huius ad Orientem & Meridiem est mons altus, spatiosus, & vmbrosus, alit autem feras in nemoribus. In eo cùm quemdam ad mare vergentem lucum inuenisset magnus & vulgò celebratus Theodosius, quadam modicâ extructâ domunculâ, euangelicum viuendi institutum solus amplectebatur, vir oriundus quidem Antiochiâ, insignis autem claritate generis: sed tamen & domo, & cognatione, & omnibus alijs relictis, pretiosissimam, vt euangelicè dicam, emit margaritam. Ac de eius quidem à cibo abstinentiâ, & quomodo humi cubaret, & cilicio indueretur, superuacaneum est dicere ijs qui eius vident discipulos & sodales, & in eis eamdem cernunt viuendi formam. Hæc tamen ille insigniter persequebatur, vt qui seipsum certantibus exemplar proponeret. His autem adijciebat ferreum onus collo & lumbis & ambabus manibus. Porrò autē gestabat quoque comam sordidam, & quæ ad ipsos vsque pedes pertingebat, & vlteriùs etiam progrediebatur, & ideò erat lumbis eius alligata.

Theodosius magnâ domo relictâ vitam monasticam sectatur.

Matth. 13.

Ferro collum, lumbos, manus stringit.

Deprecatione autem & hymnodiâ vtens assiduè, cupiditatem, & iram, & arrogantiam, & alias animi beluas sopiebat. Labores autem semper augens laboribus, persequebatur eam quoque quæ manibus fit operationem: nunc quidem sportellas quæ vocantur, & vimineas crates contexens; [36] nūc autem parua prædia in saltu efficiens, & semina deijciens, & illinc quantum victui satis esset colligens. Postquam autem procedente tempore eius fama peruasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant; eius & habitationis, & laboris, & instituti esse socij cupientes: quos quidem excipiens, ad eamdem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios verò sagum ex pellibus texentes: alios verò crates vimineas vel sportellas connectentes, alios verò terram colentes. Et quoniam locus erat maritimus, ad transmittendum quoque quadam constructâ nauiculâ, quæ ponto appellatur, eâ vtebantur ad ea quæ erant inferenda, & exportans opera eorum qui simul habitabant, & importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis apostolicæ, quæ dicit: Noctu diuque operantes, ne essemus oneri alicui vestrûm. Et: Manus hæ mihi & ijs qui erant mecum suppeditarunt. & ipse laborabat, & hortabatur suos contubernales, vt cum animæ laboribus, corporis quoque labores coniungerent. Est enim absurdum, vt ij quidem qui aluntur in vitâ sæculari, se affligentes & laborantes alant filios & vxores, & præterea & tributa conferant & ab eis exigantur vectigalia, & Deo offerant primitias, & mendicorum pro viribus medeantur inopiæ: nos autem non quæramus ex laboribus ea quæ sunt necessaria, idque cùm vili quidem & modico cibo, vili autem veste vtamur: sed sedeamus quidem compressis manibus, alienis autem fruamur laboribus. Hæc & talia dicens, hortabatur ad operandum, in tempore quidem quæ sunt vbique præscripta diuina peragens officia, id autem quod intercedebat temporis, impendens operi. Non leuem autem curam gerebat hospitum, viris lenitate & morum mansuetudine ornatis, & in proximum charitate præditis, vt eis prouiderent committens; ipse autem visebat & inspiciebat omnia, perscrutans an ex latis legibus vnusquisque suo fungeretur officio. Hinc factum est, vt tam insignis & celebris esset eius fama, vt qui nauigabant, & plus quàm mille stadijs aberant, Deum Theodosij inuocarent in periculis, & Theodosij appellatione sedarent tempestatem. Eum audaces quoque & immanes hostes sunt reueriti, qui maximam Orientis partem sunt depopulati. Quis enim ex ijs qui in nostro habitabili orbe terrarum habitant, non auditione accepit ea quæ illo tempore facta sunt ab ijs qui olim quidem Solymi, nunc autem nominantur Isauri? Illi tamen qui nec oppido nec vico pepercerunt, & quæcumque capere potuerunt, diripuerunt & igni mandauerunt, sunt illam reueriti philosophiam: & cùm solummodò panem petijssent, & vt pro se orarent significassent, illud illæsum reliquêre monasterium, idque non semel, sed etiam bis fecêre. Veriti tamen præsides ecclesiarum, ne pecuniæ cupiditate illis barbaris à diabolo immissâ, captiuum abduceretur magnum illud lumen (erat enim verisimile fore, vt magna vis pecuniæ ad eum redimendum transmitteretur ab omnibus qui habent in honore res diuinas) ei persuadent vt se

Precatur & hymnizat assiduè.

Multos sui imitatores excitat.

2. Thess. 3.

Actor. 20.

Opera manuum suadet.

Hospitum curam viris mansuetis commendat.

Theodosij Deus in periculo inuocatus.

Isauri, etsi ne pago quidem, parcunt tamen Theodosij monasterio.

vt se conferret Antiochiam. Iam enim captiuos ceperant duos præsides ecclesiarum; eos quidem omni officij genere sunt prosecuti: cùm autem quatuordecim millia aureorum pro vtrisque accepissent, permiserunt vt redirent quò vellent. Postquam autem peruenit Antiochiam, habitauit quidem in habitaculo quod inuenit situm prope fluuium, omnes autem traxit ad seipsum qui sciunt talia colligere.

Theodosius Antiochiã reuertitur.

Dum autem me trahit impetus orationis, prætermisi narrare miraculum quod à diuino illo viro factum est, quod multis quidem fortasse videbitur esse incredibile, & tamen remanet in hodiernum vsque diem, oratione testificans & ostendens qualem apud Deum gratiam & fiduciam est consecutus hic vir admirabilis.

Præceps quædam petra imminet monasterio quod ipse ædificauit: erat autem primò sicca, & omni humore vacua. In eâ fecit aquæductum, qui à vertice fertur in monasterium, tamquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiduciâ in Deum & firmiter credens, vt est verisimile, se Dominum habere beneuolum, & fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio, ascendit in supremam partem eius qui nunc est aquæductus, priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas: & Deum precatus, fretus eo qui facit voluntatem timentium eum, virgâ cui innixus erat petram percussit. Eâ verò ruptâ, aqua instar fluminis scaturijt: & monasterium ingrediens per aquæductum, & quantum ad omnem vsum sufficit abundè suppeditans, in mare propinquum influit: & in hodiernum vsque diem ostenditur operans Moysaica magni Theodosij gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri huius erga Deum fiduciam.

Psal. 144.

Petra à Theodosio percussa aquas copiosas fundit.

Cùm autem Antiochiæ vixisset paruo tempore, migrauit ad choros Angelorum. Per mediam autem vrbem ferebatur sacrum corpus, tamquam aureis quibusdam coronis, feretro illo decoratum, cùm omnes duces concurrissent, & qui magnos suæ fidei creditos gerebant magistratus. De cubili autem erat magna lis & decertatio, cùm id omnes auferre contenderent, & ex eo benedictionem & vtilitatem percipere cuperent. Sic elatus, ponitur in æde sanctorum martyrum, cùm Iuliani victoriâ insignis in pietate athletæ fuisset & contubernalis, & eodem tecto vsus. Idem autem loculus eum excepit, qui illum quoque diuinum & beatum Aphraatem.

Corpus Theodosij religiosè elatum, & de cubili eius contentio.

Gregis autem præfecturam accepit Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicũ diuinitus electus est antistes, cùm neque priorẽ reliquisset philosophiam, & illis laboribus pontificatus sudores quotidie adderet.

Helladius eius successor, pòst episcopus Cilicum.

Huius cùm beatus quoque Romulus fuisset auditor, dux maximi gregis fuit creatus.

Romulus quoque eius auditor dux magni gregis factus.

Permansit autem illius chorus in hodiernum vsque diem, idem seruans vitæ institutum. Est autem prope monasterium vicus, qui Syriacè appellatur Maratus.

Ego autem fine imposito huic narrationi, rogo vt eius quoque consequar benedictionem.

Inuocatio sanctorum.

36 ROMANVS. CAP. XI.

Theodor. lib. 4. hist. cap. 26.

MAGNVS ergo Theodosius ab Antiochiâ profectus, cùm in montibus Rosicis decertasset, & Antiochiam reuersus esset, sic vitæ finem accepit. Diuinus autem Romanus, Rosi & natus, & primùm educatus, Antiochiæ ostendit prima virtutis certamina, extra ambitum quidem ciuitatis ad latus montis fixo tabernaculo, in alienâ autem domunculâ eaque paruâ viuens toto tempore. Numquam autem vsque ad senectutem neque igne vsus est, neque lumine lucernæ. Cibus autem ei erat panis & sal; potus autem fontanum fluentum. Erat autem coma magno Theodosio similis; vestis autem ferrum quoque similiter.

Romanus numquam igne vsus.

Abundauit autem hic & morum simplicitate ac mansuetudine & moderatione, & ideò emisit splendorem diuinæ gratiæ. Super quem, inquit, respiciam, nisi super mitem & quietum, & trementem sermones meos? Iam verò rursus quoque dixit suis discipulis: Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et rursus: Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. Quin etiam Moysis legislatoris erat hoc vel maximè insigne. Erat enim, inquit, Moyses mitissimus præter omnes homines qui erant super terram. Hoc de prophetâ Dauide testatus quoque est sanctissimus Spiritus: Memento enim, inquit, Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Didicimus etiam de patriarchâ Iacob, quòd non fictus erat domum habitans. Has virtutes cùm instar apis collegisset ex diuinis illis pratis, mel confecit veræ philosophiæ. Profundebantur autem eius quoque in externos fluenta iucundissima: & ijs qui ad ipsum veniebant, leni ac dulci voce vtens, de amore in fratres, de concordiâ & pace, multas offerebat admonitiones. Multos autem vel solo aspectu effecit rerum diuinarum amatores. Quis enim non esset mirandum in modum admiratus, cùm videret eum corpore afflictum, & qui prolixam gestabat comam, & ma-

Totus mansuetus.

Isaiæ 66.

Matth. 11.

Matth. 5.

Num. 12.

Psal. 131.

Gen. 25.

Ferro & cilicio vestitur.

& maximum ferri pondus suâ sponte ferebat, & veste ex pilis contextâ vtebatur, & tantum capiebat alimenti quantum satis erat ad prohibendum ne fame moreretur?

Ferro & cilicio vestitur.

Magnitudini autem & multitudini laborum accedebat quæ in eo florebat gratia, quâ quidem omnes persuadebantur, vt eum admirarentur & honore afficerent. Multorum enim sæpè morbos exegit difficiles, multis autem sterilibus mulieribus filios impetrauit. Et cùm tantam à diuino Spiritu accepisset potestatem, seipsum appellabat egenum & mendicum. Quotquot itaque ad eum ventitabant, eos & aspectu & sermone, toto vitæ suæ tempore impleuit vtilitate.

Morbos exigit, & sterilitatē auertit.

Porrò autem cùm hinc quoque excessisset, & in angelicum chorum esset translatus, reliquit memoriam quæ non fuit sepulta simul cum corpore, sed quæ viget, floret, & germinat, & quæ extingui non potest, sed semper permanet, & quæ sufficit ad eos qui volunt adiuuandos. Cùm hinc itaque benedictionem mihi conciliauero, aliorum quoque athletarum res gestas narrabo, vt potero.

Auctor benedictionem eius implorat.

CAP. XII.

[38] ZENO.

Theodor. lib. 4. hist. cap. 26.

ZENONEM admirabilem non multi quidem cognoscunt; qui cognoscunt autem, non possunt admirari pro dignitate. Is enim cùm maximas opes reliquisset in patriâ (ea autem erat Pontus) magni quidem, vt dicebat, Basilij hausit fluenta, qui erat vicinus, & Cappadocum irrigabat regionem: irrigatione autem dignos fructus reddidit. Cùm primùm enim Imperator Valens fuisset de medio sublatus, militare deposuit cingulum: erat autem adscriptus in numerum eorum qui litteras Imperatoris ferebant celeriter. Cùm autem à regiâ venisset in quoddam sepulcrum, (multa autem sunt in mōte) quod est situm prope Antiochiam, solus illic degebat expurgans animam, & eius contemplandi facultatē semper emundans, & diuinam contemplationem semper visione apprehendens, & Dei ascensus in corde disponens, & pennas tamquam columbæ accipere desiderans, & in diuinam requiem euolare cupiens. Eâ de caussâ non habuit lectum, non lucernam, non focum, non ollam, non guttum, non arculam, non librum, non aliquid aliud; sed erat quidem pannis indutus veteribus, erant quoque calcei eiusmodi vt indigerent vinculis, erat enim diuulsum ac discerptum solearum corium. Ab vno autem ex familiaribus necessarium accipiebat alimentum. Id autem erat vnus panis, qui duobus suppeditabatur diebus; aquam autem procul hauriens, ferebat ipse. Cùm quis autem eum aliquando vidisset onus portantem, rogabat vt eum leuaret labore. Ille autem primùm quidem resistebat; docens se non posse in animum inducere vt biberet aquam quæ esset portata ab alio. Postquam autem non persuasit, dedit vrnas; ferebat enim duas ambabus manibus: postquam autem fuit intra portam atrij, cùm aquam effudisset & dispersisset, rursus cucurrit ad fontem, reipsâ confirmans quæ dixerat.

Zeno Basilij discipulus.

In sepulcro degit.

Psal. 83.

Psal. 54.

Vtensilia nulla habet.

Panē & aquā viuit.

Non bibit aquam nisi suo labore portatam.

Porrò autem ego quoque, quando eum primùm [39] desiderans videre ascendi in montem, aspexi eum tenentem vrnas manibus. Deinde rogaui eum vbinam esset admirabilis Zenonis habitaculum. Is autem dixit se nullum nosse monachum qui sic appellaretur. Ego autem cùm eum ipsum esse, coniecissem; secutus sum, id conijciens ex eius sermonis modestiâ. Postquam autem ingressus sum ostium, vidi totum ex fœno constructum, & quamdam aliam stoream ita super lapides stratam, vt qui super illam sedebant, ab eâ minimè læderentur. Postquam autem de philosophiâ multa verba fecimus; ego enim interrogabam, ipse verò nobis explicabat ea quæ quærebantur: & oportebat deinceps domum reuerti; ego eum precabar vt daret viaticum benedictionis: ille autem repugnabat, dicens æquum esse vt nos preces impleremus, & seipsum quidem priuatum, nos autem milites appellans: tunc enim sacros libros legebam Dei populo. Cùm nos autem iuuentutem & ætatis immaturitatem adduceremus, (tunc enim primùm paucam quamdam producebamus lanuginem) & iuraremus nos non esse rursus venturos, si cogeremur hoc facere, vix tandem quidem multis flexus precibus, Deo obtulit quidem intercessionem; sed quòd id fecisset, multis verbis se excusauit, dicens se id fecisse & amoris caussâ & obedientiæ: appropinquantes enim audiuimus precantem. Quòd autem in tam profundâ philosophiâ, tantâ esset modestiâ ac moderatione vir senex, (quadraginta enim annis perpetuis versatus erat in monasticâ exercitatione) quis satis pro dignitate potuerit admirari? quasnam autem laudes rei magnitudini pares potuerit afferre? Cùm autem virtutis tales possideret opes, tamquam qui esset in extremâ inopiâ, ad Dei ecclesiam die Dominico veniebat cum populo, diuinos audiens sermones, & aures accommodans doctoribus: & postquam mensam participasset mysticam, reuertebatur in nouum illud habitaculum, non habens clauem, non claustrum, non relin-

Theodoretus ex modestiâ Zenonem nouit.

Viaticum benedictionis à Zenone petit Theodoretus.

Modestia Zenonis & obedientia.

Zeno 40. annis in monasticâ exercitatione versatus.

Diligens verbi Dei auditor, & mensæ mysticæ particeps.

relinquens custodem: erat enim maleficis planè inuium & sacrosanctum, vt quod solam illam haberet stoream. Vnum autem librum accipiens à familiaribus, eum totum legebat, & eo priùs reddito, alium accipiebat. Sed licet nec claustra haberet, nec vestibus vteretur, custodiebatur à supernâ gratiâ; idque per ipsam experientiam apertè didicimus. Quando enim Isauri per insidias noctu arcem cepêre, deinde manè vsque ad latus montis faciebant incursiones, multos quidem viros, & multas mulieres quæ vitam exercebant monasticam, crudeliter confodêre: tunc ergo vir diuinus, aliorum cædem intuens, effecit oratione vt eorum caligarent oculi, & per ostium ingredientes, non videbant aditum: vt autem dicebat, testem appellans veritatem, apertè quoque tres vidit adolescentes, qui totam illam cateruam expellebant, Deo manifestè suam ostendente gratiam.

Isauris eius oratione caligant oculi, & ab Angelis pelluntur.

Qualem ergo vitam egerit hic vir diuinus, & qualem sit diuinitus gratiam assecutus, ad docendum hæc sufficiunt. Sed enim necesse est hoc quoque his adijcere. Valdè eum angebat & malè habebat, quòd eius mansissent facultates, & non ex lege euangelicâ & venumdatæ essent & distributæ: huius autem caussa fuit fratrum ætas immatura. Quoniam enim erant communes & pecuniæ & possessiones, ipse quidem nolebat diuisionis caussâ redire in patriam: alij autem verebatur vendere partem suarum facultatum, ne emptores moti auaritiâ, fratres circumscribentes, illi inurerent ignominiam. Hæc apud se animo versans, diu distulit venditionem; posteà autem cùm cuidam ex notis suis vendidisset omnia, plurima quidem distribuit: interim autem mala quæ accidit valetudo, coëgit eum consultare de reliquis. Accersito itaque antistite ciuitatis, (is autem erat magnus Alexander, splendor veræ religionis, & exemplar virtutis, exacta & accurata imago philosophiæ) Adesdum, inquit, ô diuinum caput, harum tu pecuniarum sis mihi optimus œconomus, eas ex diuino instituto distribuens, tamquam iudici illi rationem redditurus. Alias enim ego manu meâ dispensaui, & distribui vt mihi visus sum optimè; vellem autem reliqua quoque dispensare similiter: sed quoniam iubeor migrare ex hac vitâ, te ego earum constituo dispensatorem, qui es & pontifex, & pontificatum legibus rectè geris. Pecunias itaque tamquam Dei quæstori tradidit. Ipse autem cùm non plus quàm annum [40] vixisset posteà, tamquam quidam Olympicus victor recessit à septis, non ab hominibus solùm gloriam assecutus, sed etiam ab Angelis.

Facultates suas per Alexandrum episcopum curat distribui.

Feliciter obit.

Ego autem cùm eum vt pro me ad Dominum intercedat, orauero, me ad aliam conuertam narrationem.

Theodoretus viri huius intercessionem flagitat.

41 MACEDONIVS. CAP. XIII

Macedonivm autem, cognomine κριθοφάγον, id est vescentem hordeo, (is enim cibus hoc ei cognomen imposuit) sciunt quidem omnes Phœnices & Syri & Cylices: sciunt autem horum quoque vicini & finitimi, qui partim quidem ipsi vidêre miracula, partim autem ea famam celebrantem audiuêre. Neque verò sciunt omnes omnia; sed cùm alij quidem hoc, alij verò illud didicerint, quòd sciunt meritò solum admirantur. Ego autem cùm de hoc diuino capite alijs sciam perfectiùs, (multa enim me mouerunt vt ad eum irem & frequens apud eum essem) narrabo singula vt potuero. Hunc autem ei ordinem seruaui, & post multos, eius posui narrationem, non quòd is alijs fuerit virtute secundus (erat enim vel summis & primis æqualis:) sed quòd cùm vixerit longissimo tempore, post illos quorum memini, vitæ finem accepit.

Macedonius κριθοφάγος seu hordeo vivens.

Hic ergo habebat palæstram & stadium, cacumina montium: non in vno loco positus, sed nunc quidem in hoc agens, nunc verò in illum transiens. Hoc autem faciebat, non loca ægrè ferens, sed eorum qui ad ipsum conueniebant, & vndique concurrebant, effugiens multitudinem. Quadraginta autem & quinque annis perpetuis vixit hoc modo, non vtens tabernaculo, non tugurio; sed stans in fossâ profundâ; vnde etiam quidam eum vocabant Gubbam. Id autem nomen, si ex linguâ Syriacâ in Græcam transferatur, significat λάκκον, id est lacum. Post id autem temporis cùm euasisset senex, cessit rogantibus, & fixit tugurium. Posteà autem orantibus familiaribus, domunculis quoque non proprijs, sed alienis est vsus. Vigintiquinque autem annis perpetuò vitam egit in tugurio & domunculis, vt deinde colligatur certaminum tempus septuaginta anni. Cibo autem vsus est non pane, nec leguminibus, sed purgato hordeo, & aquâ solâ madefacto. Hunc autem cibum mater mea, quæ ei fuit familiaris, longissimo tempore suppeditauit. Cùm aliquando autem ad eam venisset ægrotantem, & didicisset eam nolle persuaderi vt sumeret cibum morbo conuenientem (nam ipsa quoque iam exercitationem amplectebatur monasticam) consuluit vt cederet medicis, & illud nutrimentum existimaret esse medicamentum: non enim deliciarum, sed necessitatis gratiâ adhi-

Versatur in montium cacuminibus.

Annis 45. in fossâ stans sub dio viuit.

Cibus eius hordeum aquâ madefactum.

Mater Theodoreti monasticæ exercitationis amatrix.

Aegrotis quibusdam licet vti cibis, alioquin prohibitis, ad medicamentum potius quam nutrimentum.

adhibetur. Nam ego quoque, inquit, qui quadraginta annis, vt scis, hordeo solo sum vsus, cum quædam mihi pridie huius diei venisset infirmitas, iussi eum qui mecum habitabat, parum mihi panis petere & afferre. Venit enim mihi in mentem, quòd si morerer, mortis redderem rationem apud iustum iudicem, vt qui fugissem certamina, & detrectassem labores seruitutis. Nam cùm pauco cibo posset mors prohiberi, & in hac vitâ possem sic manere, laborans & me affligens, & opes quæ ex his percipiuntur colligens, mori fame quàm viuere in philosophiâ, duxi magis expetendum. Timore ergo hinc repletus, cùm vellem cogitationis obtundere aculeos, & panem petere iussi, & allatum comedi: & tibi præcipio ne mihi ampliùs hordeum, sed panem præbeas. Ex illa ergo linguâ ab omni mendacio alienâ audiuimus, quòd quadraginta annis comederit hordeum. Atque hæc quidem sufficiunt ad conijciendum, quàm esset vir in exercitatione monasticâ strenuus, & quàm laboriosus.

A Flauiano episcopo Antiocheno in sacerdotem cooptatur inscius Macedonius.

Integritatem autem & simplicitatem morum per alia declarabimus. Postquam enim magnus fuit ordinatus Flauianus, vt magnum Dei gregem pasceret, viri autem virtutem didicit (prædicabatur enim & erat in ore omnium) eum quidem abducit à vertice montis, tamquam in eum ad se delata fuisset accusatio. Cum autem mysticum esset propositum sacrificium, adducit ad altare, & eum cooptat in numerum sacerdotum. Postquam autem fuit factum finitum officium, & hoc ei significauit aliquis, (quod enim factum fuerat ignorabat omnino) primùm quidem incessebat omnes maledictis & conuitijs; posteà autem accepto baculo, (solebat enim eo innitens ingredi propter senium) & ipsum persequebatur pontificem, & alios quotquot aderant. Existimabat enim, ordinationem eum esse priuaturam & cacumine montis, & eâ quam desiderabat viuendi ratione. Sed tunc quidem vix eum irascentem sedauerunt quidam ex familiaribus. Postquam autem fuit finitus hebdomadæ circulus, & rursus venit dies festi Dominici, rursus eum magnus accersit Flauianus, rogans vt cum eis esset particeps huius celebritatis: ille verò ad eos qui venerant, Non sufficiunt, inquit, vobis ea quæ facta sunt; sed me rursus vultis efficere presbyterum? Cùm ij autem dicerent fieri non posse vt bis eadem fieret ordinatio, non cessit, neque venit, donec tempus & eius familiares eum id docuerunt. Scio quidem fore vt hæc narratio videatur multis non adeò admiranda: eam autem posui, vt qui eam dignam quæ commemoretur existimem, vt ex quâ satis possit conijci & eius animi simplicitas & animæ puritas. Ijs autem qui sunt huiusmodi, Dominus regnum cælorum est pollicitus: Amen enim, inquit, dico vobis, nisi conuersi fueritis vt puelli isti, non intrabitis in regnum cælorum. Quoniam ergo summatim ostendimus eius animæ formam ac characterem, age eius quoque ostendamus ex virtute fiduciam.

Magna in Macedonio animi simplicitas & animæ puritas.

Matth. 18.

Venationem Dei spiritualitem instituit Macedonius.

Quidam dux militum qui delectabatur venatione, ascendit in montem venaturus. eum autem sequebantur & canes & milites, & quæcumque sunt apta ad venationem. Postquam autem procul vidit hominem, & ab ijs qui cum eo erant audijt quisnam esset, statim ex equo desiliens, accessit, & allocutus est, & rogauit quid faciens hîc degeret: is autem contrà vicissim interrogauit, Tu autem quid hîc venisti facturus? Cùm dux autem dixisset; Venaturus. Et ego, inquit, meum venor Deum, & eum capere cupio, & contemplari desidero; nec ab hac pulchrâ cessabo venatione. Hæc cùm dux audijsset, & vt par erat miratus esset, recessit.

Ab Imperatoris ducibus honoratur.

Contra homicidia monet vitam imaginem præstare mortua statua.

Cùm autem aliquando ciuitas à malo aliquo dæmone incitata baccharetur, & in Imperatoris fureret statuas, venerant quidam ex ducibus præstantissimi, qui aduersus ciuitatem internecionis ferebant sententiam. Cùm is autem e monte descendisset, ambos accedentes duces in foro retinuit. Illi verò cùm quisnam is esset didicissent, & ex equis desiluerunt, manúsque & genua prehenderunt, & ei salutem significarunt. Ille autem iussit vt dicerent Imperatori, quòd homo esset, & eamdem haberet naturam quam ij qui eum affecerant contumeliâ: & cum naturâ iram metiri oporteat, irâ sit vsus immoderatâ, & pro suis imaginibus Dei imagines occidat, & pro ære statuarum, corpora morti tradat; ac nobis quidem æneas effingere, & rursus formare, est in promptu & facile: tu autem, etsi sis Imperator, non potes occisa corpora ad vitam reducere. Et quid dico corpora? neque enim pilum vnum potes effingere. Hæc dixit voce vsus Syriacâ. Illi autem, interprete in linguam Græcam transferente, audientes, & exhorruerunt, & ad Imperatorem transmissuros significarunt. Ego autem existimo, omnes confessuros hæc verba esse gratiæ diuini Spiritus. Quomodo enim aliter hæc esset locutus, vir quidem expers omnis eruditionis, in agris autem educatus, vitam autem agens in cacuminibus montium, omnem autem animo circumferens simplicitatem,

&qui nec diuinis quidem vacauerat eloquijs? Cùm itaque ejus & spiritalem declarauerim sapientiam, & quæ iustis conuenit fiduciam (iustus enim confidit vt leo) transibo ad miracula.

Prou. 28.

Varia edidit miracula.

Vxor quædam cuiusdam locupletis nobilis, inciderat in morbum ingluuiei: & alij quidem eum morbum appellabant operationem seu vexationem dæmonis, alij autem eum existimabant imbecillitatem corporis. Siue autem hoc, siue illud esset, erat huiusmodi. Dicebant eam comedentem in die triginta gallinas, non posse appetitionem extinguere satietate, sed adhuc alias appetere. Cùm sic ergo in eâ consumerentur facultates, eius miserti qui ad eam attinebant, diuinum illum hominem obsecrant. Ille autem venit quidem, & precatus est: & cùm aquæ dexteram imposuisset, & salutare effomasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum, & adeò retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alendæ vsum impleret. Hic quidem morbus hoc modo est curatus.

Mulierem signo crucis & aquâ benedictâ ab ingluuie dæmoniacâ sanat.

Cùm autem quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repente cœpisset vexari à malo dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem, orans, & vociferans, & postulans vt curaretur filia. Is autem precatus, iussit vt dæmon statim abiret à puellâ. Is autem dicebat se eam non suâ sponte esse ingressum, sed magicis coactum præstigijs. Dicebat autem eius quoque nomen qui coëgerat, & amorem esse caussam incantationis. Sed cùm hæc audijsset, non tulit pater iræ impetum, nec exspectauit vt curaretur puella; sed omnium magistratuum summum adit, præsidem scilicet qui pluribus præerat gentibus, accusat hominem, & rem narrat. Is autem reus in iudicium adductus, rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testem quàm ipsum dæmonem qui minister fuerat incantationis: & orabat iudicem vt curreret ad illum virum diuinum, & acciperet eius testimonium. Cùm is autem diceret non esse fas nec iustum, vt in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio; dixit pater puellæ se in iudicium ducturum Macedonium: & currens persuasit, & duxit. Sedens autem extra iudicium iudex, non fuit iudex, sed spectator. Magnus enim Macedonius fungebatur officio iudicis, vtens eâ quæ intus habitabat potestate. Et cùm iuberet dæmoni vt consuetum mitteret mendacium, cum totâ autem veritate rei narraret tragœdiam: ille à maximâ adactus necessitate, & virum ostendit qui ei magicis carminibus vim attulerat, & ancillam per quam illa potio puellæ data fuerat. Cùm autem alia quoque pararet dicere quæ fecerat coactus ab alijs, vnius quidem ædes exurens, alterius verò iumenta interimens, alium verò aliquo alio damno afficiens, iussit homo Dei eum silere, & statim procul recedere à puellâ & ab vrbe. Ille autem tamquam Domini legi parens, fecit quod iussus erat, & protinus effugit. Sic cùm hanc vir diuinus liberasset à furore, illum quoque miserum eripuit ab accusatione, & obstitit quò minùs iudex in eum ferret sententiam capitis: non esse fas dicens, vt propter ea quæ per ipsum sunt conuicta, supplicium capitis decerneretur, sed potiùs per pœnitentiam ei daretur salus. Atque hæc quidem satis sunt ad ostendendam diuinæ potentiæ copiam quæ ei data fuerat: ego tamen alia quoque narrabo.

A puellâ dæmonem magicis præstigijs inductum pellit.

Non est habenda quæstio iudiciaria in monasterio.

Dæmoni plures accusaturo silentium imperat Macedonius.

Mulier quædam nobili loco nata, & longè ditissima (ea autem vocabatur Assyria), erat quidem emotæ mentis, ex domesticis autem agnoscebat neminem, vt cibum autem & potum sumeret, ferre non poterat. Plurimo autem tempore assiduè delirabat, & hoc alij quidem dicebant esse vexationem & operationem dæmonis, medici autem dicebant esse morbum cerebri. Cùm omnis ergo ars esset consumpta, & ex eâ nullum daretur auxilium, eius maritus, (erat autem is Abrodianus) vir qui & erat ex magistratibus, & magnâ dignitate præditus, ad diuinum illud caput accurrens, narrauit morbum coniugis, & orauit vt ea assequeretur curationem. Cessit vir diuinus, & domum quidem venit, & magno ac vehementi studio Deo obtulit orationem. Perfectâ autem oratione cùm iussisset aquam afferri, & fecisset figuram salutaris signaculi, iussit illam bibere. Cùm autem prohiberent medici, vtpote quòd potu aquæ frigidæ morbus cresceret, expulsâ totâ illorum catervâ, obtulit mulieri potionem. Illa autem simulac bibit, ad se redijt, & à morbo omnino liberata, diuinum virum agnouit, & vt dexteram acciperet rogauit, oculisque eam imposuit, & ori admouit, & deinceps semper fuit mentis compos.

Aqua signo crucis benedicta gustu insanam mulierem curat.

Cum autem illud vitæ genus amplecteretur in montibus; pastor quidam quærens oues errantes, venit ad illum locum vbi erat homo Dei (erat autem nox profunda, & multa nix descenderat) & vidit, vt ipse dixit, pyram circa ipsum accensam, & quosdam duos candidâ veste indutos, igni præbentes materiam. Animi enim alacritatem afferens, diuino fruebatur auxilio.

Igne cælitus illustratur.

Quinetiam doni erat prophetici particeps.

ceps. Et cùm ad eum aliquando venisset quidam dux, pietate & verâ religione clarus, (quis autem ignorat virtutem Lupiciani?) dixit se esse de quibusdam sollicitum, qui ab vrbe regiâ per mare ad ipsum ferebant necessaria. Dicebat enim præterijsse quinquaginta dies, ex quo ex portu soluerant, de eis autem nihil audiuerant. Ille autem nihil cunctatus, Vna, inquit, nauis, amice, perijt: altera autem postridie portum occupabit Seleuciæ. Et hoc quidem audiuit diuinam illam vocem locutam: didicit autem experientiâ eorum quæ dixerat veritatem.

[L]upiciano [q]uadam [d]ono prophetico [p]rædicit.

Vt autem alia prætermittam, ea narrabo quæ ad nos ipsos pertinent. Cùm mater mea vnà cum patre meo habitasset tredecim annis, ea non fuerat facta mater filiorum: erat enim sterilis, vt quæ fructum ferre à naturâ prohiberetur. Et ipsa quidem id non valdè ægrè ferebat: quæ enim erat in rebus diuinis erudita, credebat hoc esse vtile: magnam autem molestiam accipiebat pater quòd careret filijs, & circumquaque cursitans, rogabat Dei seruos vt à Deo ei peterent filios. Alij ergo pollicebantur se & Deum deprecaturos, & iubebant vt esset Dei voluntate contentus. Hic autem homo diuinus est apertè professus, se vnum petiturum ab vniuersi opifice, & se petitionem accepturum est pollicitus. Cùm tres itaque anni præterijssent, & promissio finem non accepisset, rursus accessit pater promissum exigens. Ille autem iussit vt ad se mitteretur coniux. Cùm autem venisset mater, dixit ille vir diuinus, se & petiturum, & eam filium accepturam, & quòd oportet eum ei qui dederat dedicari. Cùm autem mater solùm rogaret vt animæ salutem acciperet, & vt liberaretur à gehennâ: Præter hoc, inquit, liberalis & munificus Deus tibi dabit filium. Ijs enim qui purè & sincerè petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reuersa est mater afferens promissi benedictionem. Et quarto anno à promissione concipit, & gerit vterum: & accedit ad diuinum hominem, benedictionis ostendens manipulos. Quinto autem mense à conceptione, fuit periculum abortionis. Illa autem rursus misit ad nouum suum Elisæum (vetabat enim morbus ne ad ipsum veniret) & ei reuocauit in memoriam quòd nolebat fieri mater filiorum, & eius promissa adduxit in medium. Ille autem cùm procul vidisset venientem, & agnouit, & caussam significauit: noctu enim & morbum & salutem ei ostenderat Dominus. Accepto ergo baculo, venit, ei innitens: & cùm fuisset intra ædes, & pacis salutationem dedisset vt consueuerat, Bono, inquit, sis animo, nec timueris; neque enim donum auferet is qui dedit, nisi tu pacta conuenta transilieris. Pollicita es autem, te ei redditurum eum qui datus fuerit, & ei consecraturum ad diuinum ministerium. Sic autem, inquit mater, ego & opto & volo. Existimo enim vel imperfectissimum fœtum esse magis expetendum, quàm à Deo alienam filij educationem. Cùm itaque aquam accepisset & benedixisset, Bibe ergo, inquit vir diuinus, hanc aquam, & senties diuinum auxilium. Bibit itaque vt iusserat, & abortionis effugit periculum. Hæc sunt nostri Elisæi miracula.

Mater Theodoreti primùm sterilis.

Theodoretus Deo dicatur antequam nascatur.

Matri Theodoreti velut nouus Elisæus prolem impetrat.

Aquâ benedictâ periculum abortionis pellit.

Ego eius benedictionem & doctrinam sæpè percepi. Me enim adhortans, sæpè dicebat: Natus es, ô fili, cum multis laboribus; multas noctes Deum hoc solum perpetuò rogaui, vt tui parentes hoc fierent quod te nato sunt nominati. Vide ergo vt vitam agas dignam laboribus, vt qui, antequam nascereris, promissis fueris dedicatus. Quæ sunt autem Deo dedicata, sunt omnibus veneranda, & quæ à vulgo minimè sunt contrectanda. Conuenit ergo vt tu quoque malos animi motus non admittas, illa autem sola & facias & cogites quæ Deum placant virtutis legislatorem. Hæc mihi perpetuò suadebat vir diuinus; ego autem & eorum quæ mihi dixit memini, & donum diuinum sum edoctus. Cùm autem non ostendam factis ea quæ mihi suasit, rogo vt per illius preces diuinum consequar auxilium, & quod est vitæ reliquum, agam ex illius præceptis. Qualis ergo ille fuerit, & quibus vsus laboribus diuinam attraxerit gratiam, hæc quoque ad docendum sufficiunt.

Exhortatio Macedonij ad Theodoretum.

Theodoretus Macedonij auxilium implorat.

Accepit autem etiam in hoc mundo eius obitus dignum honorem laboribus. Omnes enim & ciues & externi, & quibus credita fuerat magnorum magistratuum dispensatio, ferentes illum sacrum lectum super humeros, deportarunt in ædem martyrum victoriâ insignium: & cum diuinis viris Aphraate & Theodosio, sanctum illud & Deo gratum corpus deposuerunt: mansit autem gloria eiusmodi vt extingui non possit. Nos autem imposito fine narrationi, eum qui percipi potest ex narratione bonum odorem percipimus.

Macedonius apud Aphraatē & Theodosium sepelitur.

[42] MÆSYMAS. CAP. XIV.

SCIMVS quidem alia quoque plurimâ in vrbe Antiochenâ resplenduisse pietatis & veræ religionis lumina, magnum Seuerum, & Petrum Ægyptium, Eutychen, & Cyrillum, & Moysem, & [43] Malchum, & alios quoque plurimos eadem viâ esse ingres-

Antiochia varijs viris sanctis claruit.

Psal. 136.

ingressos. Sed si res ab omnibus in vitâ gestas conaremur scribere, totum tempus nobis non suffecerit: maximè cùm etiam multis permultorum lectio afferat satietatem. Ex ijs ergo qui scripti sunt, de eorum quoque qui sunt prætermissi vitâ coniecturam facientes, prosequantur laudibus & imitentur, & vtilitatem percipiant. Ego autem trãsibo ad prata Cyri, & eorum qui in eis fuerunt fragrantium speciosorumque florum, quam maximè potero, ostendam pulchritudinem.

Transit Theodoretus ad sanctos Cyri ciuitatis.

Fuit quidam Mæsymas, in ijs quæ nos præcesserunt temporibus, voce quidem Syrus, & ruri educatus, & qui virtutis omne genus ostendit. Cùm autem claruisset in eâ quæ est per se vitâ, ei cuiusdam vici cura fuit credita. Sacrificans autem, & Dei oues pascens, illa & dicebat & faciebat quæ lex iussit diuina. Aiunt autem eum neque tunicam, neque cilicium sæpè mutasse, sed ijs quæ in eis fiebant rupturis aliquot pannos consuendo, senectuti hoc modo remedium attulisse. Hospitum autem & pauperum tam alacri animo curam gerebat, vt patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia; vnum quidem frumenti, alterum verò olei: ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus; habebat autem ea semper plena benedictione quæ data est viduæ Sarephtanæ, & immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos qui ipsum inuocant, & sicut illius hydriam & guttum iussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis; ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat eius animi alacritati.

Mæsimas vici cuiusdam sacerdos.

Vnâ tunicâ & cilicio semper contentus.

Mirè hospitalis.

Hospitalitatis merces, frumentum & oleum indeficiens.

Iam verò ad facienda quoque miracula à Deo vniuersorum magnam accepit gratiam. Faciam autem mentionem vnius aut duorum miraculorum; reliqua autem prætermittam, vt qui properem venire ad alios.

Gratiâ miraculorum claruit.

Mulier quædam & genere & fide ornata, filium qui ceciderat in malam valetudinem (erat autem admodum tenerâ ætate) multis obtulit medicis. Arte autem superatâ, cùm & medici desperassent, & puerum esse moriturum apertè dixissent, non abiecit mulier spem meliorem, sed illam imitata Sunamitidem, mulis imponit cameram. Cùm in eâ autem se & puerum imposuisset, peruenit ad virum illum diuinum: lamentans autem, & naturæ ostendens affectionem, rogauit vt ferret auxilium. Is autem cùm puerum manibus accepisset, & aræ basi admouisset, iacebat pronus, animarum & corporum rogans medicum; & acceptâ petitione reddidit valentem matri filium. Ego autem id audiui ab eâ quæ hoc vidit miraculum, & pueri accepit salutem.

Puerum à graui morbo, basi aræ admotum curat.

Aiunt autem illius quoque vici dominum cùm venisset (is autem erat Latoius, qui Antiocheni quidem senatus primas partes tenebat, impietatis autem tenebatur caligine) & fructus acriùs quàm oportebat exigeret ad agricolis, diuinum illum hominem clementiam illi consuluisse, & de misericordiâ apud eum verba fecisse: mansisse autem illum inexorabilem, experientiâ autem cognouisse secutum damnum ex eo quòd non paruerit. Cùm enim eum abire oporteret, & currus esset paratus, & sedens aurigæ iussisset vt mulas incitaret; illæ quidem trahebant totis viribus, vrgentes, & temonem asportare molientes: visæ sunt autem rotæ ferro & plumbo alligatæ. Cùm autem agrestium quoque multitudo rotas mouens vectibus nihil proficeret, quidam ex amicis qui Latoio assidebat, ei caussam significat, dicens sacerdotem senem eum esse execratum, & quòd oportet eum placare & reddere beneuolum. De curru itaque exiliens, ei fuit supplex quem priùs respuerat; & ad eius pedes prouolutus, & sordidos pannos amplectens, rogabat vt iram compesceret. Is autem cùm preces accepisset, & eas Domino obtulisset, soluit vincula rotarum quæ sub visum non cadebant, & effecit vt sicut solebat veheretur vehiculum.

Latoius quia Mæsimæ monitis non paret, currus eius perstat immobilis.

Soluitur Mæsimæ precibus.

Porrò autem multa quoque alia huiusmodi narrant de diuino illo capite. Potest autem ex his quoque intelligi, quòd ijs qui volunt philosophari, nihil detrimenti afferat mora quæ trahitur in oppidis & vicis. Ostendit enim hic, & qui huic similes Dei culturæ curam gerunt, quòd etiam qui versantur in mediâ hominum multitudine, peruenire possint ad ipsum virtutum fastigium.

Cuius ego vtinam ad aliquam saltem partem exiguam sustollar, eorum adiutus precibus.

Sanctorum preces exposcit auctor.

44 ACEPSIMAS.

CAP. XV.

ACEPSIMAS fuit eodem tempore, cuius fama latè sparsa est per Orientem. Is cùm in domunculâ seipsum inclusisset, sexaginta annos transegit, neque videns, neque loquens: sed in seipsum conuersus, & Deum visione apprehendens, illinc omnem accipiebat consolationem, conuenienter prophetiæ quæ dicit: Delectare in Domino, & ora eum & ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Per exiguam autem quamdam fossam manum porrigens, accipiebat id quod afferebatur nutrimentum: fossa

Theodor. lib. 4. hist. cap. 26.

Acepsimas 60. annis neminem videns, nemini loquens.

Psal. 36.

fossa autem non ita effossa fuerat vt omnino tenderet in directum, ne esset ex aduerso eorum qui vellent ipsum videre, sed erat obliqua, & ita constructa, vt esset instar incuruæ lineæ. Ei autem afferebatur cibus, lens aquâ madefacta: semel autem in hebdomadâ noctu egrediens, hauriebat ex fonte propinquo quantum satis erat aquæ. Et cùm aliquando quidam pastor procul oues pascens, in tenebris vidisset eum moueri, & eum coniecisset esse lupum, ibat enim incuruus, vt qui multo esset ferro grauatus, mouit fundam tamquam iaculaturus lapidem. Cùm autem eius manus longo tempore maneret immobilis, & lapidem non posset emittere donec vir ille diuinus haustâ aquâ reuersus est, sensit ignorantiam, & post auroram venit ad virtutis gymnasium, & narrat quod acciderat, & petit veniam, & accipit delicti remissionem: non auditâ voce loquente, sed per manus motiones intellectâ placatione.

Lente aquâ madefactâ victitat.

Pastor lupum ratus, dum iaculari in eum tentat, manus eius redditur immobilis.

Quidam autem alius, vsus quodam maligno inuestigandi studio, & scire desiderans quid toto tempore ageret perpetuò, ausus est conscendere platanum, quæ sita erat iuxta fossam: sed percepit illicò fructus suæ audaciæ. Mediâ enim parte corporis vsque ad pedes exsiccatus, supplex erat, suum peccatum accusans. Ille verò, sectâ platano priùs significauit futuram sanitatem. Ne enim alius quoque cùm similia fecisset, pœnas lueret similes, arborem iussit exscindi: arboris autem sectionem secuta est etiam ablatio supplicij. Tantâ quidem fortitudine & tolerantiâ vsus est hic vir diuinus: ab agonothetâ autem tantam accepit gratiam.

Acepsima acta curiosè inquirens punitur.

Cùm autem se abhinc migrandum pararet, prædixit quòd post quinquaginta dies vitæ finem esset accepturus: excepit autem omnes qui vellent eum videre. Cùm autem ecclesiæ quoque venisset antistes, eum quidem vrgebat vt iugum acciperet presbyterij, Noui, dicens, ô pater, & tuæ philosophiæ altitudinem, & quanta sit mea paupertas: sed cùm mihi sit credita pontificatus administratio, ex hac non ex illâ ordino manus imponens. Accipe ergo, inquit, donum sacerdotij, meâ quidem dexterâ ministrante, sanctissimi autem Spiritus gratiâ suppeditante. Ad hæc fertur dixisse paucis pòst diebus hinc migraturus, De his, inquit, minimè decertabo: si enim essem diutiùs victurus, omnino fugissem hoc graue & terribile onus sacerdotij, pertimescens reddendam depositi rationem. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam, ijs quæ hîc sunt relictis, iussis non inuitus pareo. Statim ergo nullo ducente, hic quidem flectens genua, exspectabat gratiam; ille verò manum imponens, erat administer Spiritus. Cùm autem accepto sacerdotio vixisset paucos dies, vitâ vitam mutauit, senijque & curæ expertem, pro hac quæ multis curis est obnoxia, accepit.

Prædicit Acepsimas diem mortis suæ.

Onus sacerdotij censet grauissimum.

Iam penè moribundus sacerdotio initiatur.

Cùm vellent autem omnes corpus rapere, & in animo haberent vnusquisque in vicum suum transferre, quidam cùm sancti iusiurandum significasset, sustulit contentionem. dixit enim, sanctum eum iureiurando adegisse, vt eum in hoc loco traderet sepulturæ. Ita etiam pòst mortem, frugalitatis & simplicitatis curam gerebant ciues cælorum: & neque cùm viuebant, in animum vmquam induxerunt, vt eis res vlla magnos spiritus faceret, & mortui non sunt amplexi honorem hominum; sed totum amorem transtulerunt in sponsum: non secùs ac pudicæ mulieres, quæ à solis coniugibus student & amari & laudari, laudes aliorum contemnentes. Eâ de caussâ sponsus eos etiam si nolint, reddit claros & insignes, & hominum gloriâ ex redundanti quadam copiâ impertit. Cùm enim quis diuina persequens, petit cælestia, vnà cum illis multa quoque alia adijcit, multiplicatas largiens petitiones. Hoc etiam dixit in ferendis legibus: Petite regnum Dei, & iustitiam, & cetera omnia adijcientur vobis. Et rursus: Qui reliquerit patrem & matrem, & fratrem & filios propter meum euangelium; etiam in hoc sæculo centuplum accipiet, & in futuro erit hæres vitæ æternæ. Hæc & dixit & fecit.

Corpus defuncti quisque sibi vendicare nititur.

Sancti reiecerunt honorem, quē tamen Deo donante assecuti sunt.

Luc. 12.

Matth. 19.

Nobis quoque adsit & sermone & opere eruditis, & eorum precibus innixis, tamquam scopum, attingere præmium supernæ vocationis, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Theodoretus sanctorum precibus nititur.

45 MARO. CAP. XVI.

MARONIS post hunc meminero: nam is quoque diuinum sanctorum chorum exornauit. Eam enim quæ sub dio fit vitam amplexus, occupauit quoddam cacumen, quod in honore habebatur ab ijs qui erant olim impij: & cùm quod in eo erat templum dæmonum, Deo consecrasset, in eo est versatus, paruo quodam in eo fixo tabernaculo, quo tamen raro est vsus. Non solùm autem consuetis vsus est laboribus, sed etiam alios excogitauit, accumulans opes philosophiæ: agonotheta autem mensus est gratiam eius laboribus. Liberalis enim & munificus Deus ei tam copiosè dedit donum curationum, vt in omnes quidam partes eius gloria peruaserit, omnes autem vndique attraxerit, & ex-

Maro sub dio viuit.

Ex dæmonum fano oratorium facit.

Varios morbos corporum curat.

& experientia docuerit eam famam esse veram. Videre enim erat & febres extingui rore benedictionis, & horrorem cessare, & dæmones fugere, & varios omnisque generis morbos vno curari medicamento. Medici enim vnicuique morbo exhibent conueniens medicamentum; sanctorum autem deprecatio est commune omnium morborum remedium.

Orationes sanctorum commune morbis omnibus remedium.

Non solùm autem medebatur ægritudinibus corporis, sed etiam animis conuenientem exhibebat curationem; huius quidem auaritiam, illius verò curans iracundiam: & vni quidem exhibens doctrinam iustimoderationis, alteri verò disciplinam iustitiæ: & illius quidem castigans intemperantiam, illius verò excitans hebetudinem. Hac vtens agricultura, effecit multas plantas philosophiæ; & hortum qui nunc germinat in regione Cyri, ipse Deo plantauit. Huius plantationis opus est magnus Iacobus, ad quem quispiam vocem illam traxerit propheticam: Tamquam cedrus quæ est in Libano multiplicabitur: & etiam alij omnes, cuius seorsum, si Deus velit, faciam mentionem.

Etiam animi morbis medetur Maro.

Psal. 91.

Sic autem agriculturæ diuinæ curam gerens, & animas simul curans & corpora, paruam passus ægritudinem, vt & naturæ imbecilitatem & animi discamus fortitudinem, ipse quidem excessit è vità.

Feliciter obit.

Acre autem bellum inter vicinos exortum est de corpore. [46] Ex finitimis autem quidam vicus populo frequentissimus, cùm toto simul coacto populo aduenisset, alios quidem fudit ac fugauit, maximè autem expetendum illum rapuit thesaurum: & maximâ æde exstructâ, eâ quæ ex eo percipitur vtilitate fruuntur in hodiernum diem, publico ac celebri festo illum insignem victorem honorantes.

Pro defuncti corpore contenditur.

Nos autem etiam absentes fruimur benedictione: nobis enim pro monimento sufficit memoria.

Memoria sanctorum vtilis.

CAP. XVII. 47 ABRAAMES.

Theodor. lib 4. hist. cap. 26.

NEC admirabilis Abraamis memoriam fas est prætermittere, hoc prætextu, quòd post vitam monasticam pontificiæ sedi fuerit ornamento. Nam hoc quidem certè nomine iure fuerit dignior qui commemoretur, quòd institutum vitæ mutare coactus, vitam non mutauerit; sed cum monasticæ exercitationis transierit afflictione, & simul monasticis laboribus & curis pontificalibus circumsessus, vitæ cursum peregerit. Porrò autem est hic quoque fructus Cyri regionis. Hîc enim & natus & educatus, collegit opes virtutis monasticæ. Qui enim simul cum eo versati sunt, dicunt eum & vigilando & stando & ieiunando ita corpus edomuisse, vt longissimo tempore permanserit immobilis, minimè valens ingredi. Diuinâ autem prouidentiâ liberatus ab illâ imbecillitate, voluit grauia pati pericula pro diuinâ gratiâ.

Abraames simul monachus & pontifex.

Corpus domat vigiliis, statione, ieiunio.

Venit autem in Libanum, cùm didicisset vicum quemdam teneri magnâ impietatis caligine: & personâ mercatoris vultu celato monastico, cum iis qui simul versabantur ferens canistros tamquam nuces empturus (hunc enim fructum præcipuè ferebat vicus) cùm domum conduxisset, & aliquantum pecuniæ prærogasset possessoribus, quieuit quidem tres & quatuor dies. Deinde paulatim diuinum aggressus est officium, vtens voce moderatâ. Postquam autem senserunt psalmodias, præco quidem clamauit, & omnes conuocauit. Erant autem simul congregati & viri & pueri & mulieres: & confractis extrinsecùs foribus, desuper ex tecto multum puluerem congerentes deiiciebant. Postquam autem eos viderunt suffocari & obrui, & nec aliquid aliud velle facere nec dicere, sed solùm Deo preces offerre, seniorum monitu destiterunt ab insaniâ. Deinde apertis foribus cùm eos euulsissent ab aggere, iusserunt eos statim abire. Sed eodem tempore venerunt exactores, qui eos vectigalia cogebant exsoluere: & alios quidem ex iis vinciebant, alios verò per contumeliam afficiebant verberibus: sed vir ille diuinus, nullius ex iis quæ in ipsos facta erant recordatus, Dominum imitans, qui cruci affixus, eorum qui hoc fecerant curam gerebat, orauit illos exactores vt moderatè ac clementer exigerēt. Cùm autem fideiussores requisiissent, suâ sponte suscepit fideiussionem: & paucis pòst diebus centum aureos se daturum est pollicitus. Qui autem grauia illa eis fecerant, valdè admirati viri benignitatem, de iis quidem quæ ausi fuerant petunt veniam, rogant autem vt ipse fiat eorum præses: neque enim habebat vicus dominum, erant autem ipsi & agricolæ & domini. Centum autem aureos, cùm venisset in ciuitatem, (est autem ei nomē Emesa) & notos aliquos inuenisset, accepit mutuò. Deinde in vicum reuersus, die præstituto implet quod promiserat. Cùm hoc eius vidissent studium, vehementiùs id ab eo contendunt. Cùm is autem se id facturum esset pollicitus, si se pollicerentur ædificaturos ecclesiam, rogarunt vt statim aggrederentur; & deduxerunt beatum virum, aptiora loca illi indicantes: & vnus quidem hunc, alius verò locum illum laudabat. Cùm autem melio-

Personam mercatoris induit, vt alios lucrifaciat.

Varijs iniurijs afficitur.

Pro aduersarijs orat, & fideiubet.

In præsidem ab aduersarijs eligitur.

Ecclesiam ædificat.

meliorem elegisset, & fundamenta iecisset, tectum breui tempore imposuit. Cumque finem accepisset ædificium, iussit vt admitterent sacerdotem. Cùm autem dicerent se nullum alium electuros, & rogarent vt eum haberent & patrem & pastorem, accipit gratiam sacerdotij. *Sacerdos ordinatur.* Postquam autem cum eis versatus est tres annos, & eos pulchrè deduxit ad res diuinas, cùm effecisset vt vnus ex eis qui simul erant vice sui præficeretur, ad monasticum redijt habitaculum.

Et ne, si omnia illius narrem, prolixiori vtar narratione, cùm in his resplenduisset, fit Carrarum pontifex. *Fit Carrarum episcopus.* erat autem ea quidem ciuitas circumsessa ab ebrietate impietatis, & seipsam dederat debacchationi dæmonum; sed cùm esset dignata huius agricultura, & accepisset ignem huius doctrinæ, permansit quidem libera à prioribus sentibus, nunc autem vberem profert segetem Spiritus, maturarum frugum Deo offerens manipulos. Sed non sine labore vir diuinus hanc exercuit agriculturam, sed laboribus vtens innumerabilibus, & eorum qui corporibus medentur artem imitans, partim quidem dulcem adhibens adhortationem, partim verò acribus vtens medicamentis, nonnumquam verò & vrens & secans, effecit hanc sanitatem. *Modus eius in exhortando.* Doctrinæ autem & alij eius diligentiæ vitæ quoque lumina suffragabantur: illis enim illuminati, & audiebant ea quæ dicebantur, & ea quæ fiebant lubenter accipiebant.

Toto enim tempore quo fuit antistes, ei quidem fuit panis superuacaneus, aqua quoque superflua, inutilis autem lectus, & superuacaneus vsus ignis. *Non pane, non aquâ viuit.* Noctu enim quadraginta hymnos, quos inter se inuicem loquẽdo & respondendo dicunt, implebat, earum quæ intercedunt precum duplicans numerum; *40 hymnos noctu decantat.* reliquum autem noctis in sede sedebat, concedens palpebris vt aliquantulùm quiescerent. Atque quòd non in solo quidem pane viuit homo, dixit quidem contemplator Dei Moyses; *Deut. 8.* meminit autem huius quoque vicis Dominus, prouocationem diaboli recusans. *Matth. 4.* Quòd autem etiam sine aquâ viui possit, à nullo loco diuinæ Scripturæ didicimus. etenim tantus ille Elias primùm quidem ex torrente aquam hausit, deinde etiam cùm ad viduam accessisset Sarephtanam, sibi primùm iussit aquam afferri, deinde panem. Sed hic vir admirabilis, toto tempore pontificatus, neque panem, neque legumina, neque olera quæ igni appropinquassent, comedit: *Quæ victus eius ratio.* neque aquam bibit, quæ ab ijs qui in his rebus sibi docti sunt visi, propter vsum existimata est prima ex elementis: sed lactucas, intyba, & apia, & similia, cibum ducebat & potum, pistorum & coquorum artes ostendens superuacaneas: tempore autem autumni, fructus ei illum vsum implebant. Hæc autem sumebat post officium vespertinum. Cùm corpus autem talibus consumeret laboribus, in aliorum curâ gerendâ erat insatiabilis: aduenientibus enim hospitibus erat & totus paratus, egregius autem & selectus panis eis offerebatur, *Liberalis in hospites.* & vinum odoriferum, piscesque & olera, & quæcumque sunt eis coniuncta. Quinetiam ipse quoque meridie assidebat conuiuantibus, eorum quæ apponebantur partes vnicuique offerens; & dans vnicuique calices, & iubens bibere, & eum qui erat eiusdem secum nominis imitans, patriarcham inquam qui ministrabat quidem hospitibus, sed non simul conuiuabatur.

Interdiu autem versans in iudicijs eorum qui inter se litigabant & decertabant, alijs quidem persuadebat vt inter se inuicem reconciliarentur, alios autem cogebat, qui leni & mansuetæ doctrinæ non parebant. Nullus autem iniustus recessit, suâ audaciâ aduersus iustum victoriâ potitus. *Iudicium rectum & iustitia Abraamii.* Ei enim qui iniuriâ afficiebatur, iusti partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem, & eo qui volebat iniuriam facere superiorem. Similisque erat optimo medico, qui semper prohibet eos humores qui redundant, & procurat vt sit inter materias æqualitas.

Hunc quoque desiderauit videre Imperator, (est enim allata fama, quæ facile omnia quæ bona sunt & quæ mala significat) & ad se accersiuit, & veniens salutauit & excepit: & agreste illud cilicium suâ purpurâ existimauit præstantius. *Cilicium purpurâ imperiali præstantius.* Iam verò reginarum quoque chorus eius & manus prehendit & genua; virumque rogabant qui nec audire qnidem poterat linguam Græcam. Adeò & regibus & omnibus hominibus res honore & reuerentiâ digna videtur philosophia.

Quinetiam vbi obierint ij qui eius sunt amatores & sectatores, maiorem assequuntur gloriam. Et potest quidem hoc sciri etiam ex multis alijs, sed vel maximè quidem ex ijs quæ diuino huic viro acciderunt. *Maior laus & honor sanctorum post mort.* Postquam enim obijt, & hoc resciuit Imperator, voluit quidem eum deponere in aliquâ æde sacrâ: cùm autem intellexisset pium esse & honestum vt gregibus redderetur corpus pastoris, ipse quidem & id deduxit præcedens, & reginarum chorus cõsequens, omnesque & magistratus & qui ab ijs regebatur, populus, milites que & priuati. *Imperator & reginæ adsunt exequijs & funeri Abraamii.* Tanto studio eum accepit & ciuitas Antiochi, & quæ eam sunt consecutæ, donec peruenit ad magnum illum fluuium. Ad ripam

autem Euphratis concurrebant quidem ciues, & concurrebant etiam hospites, concurrebant etiam rustici; quinetiam finitimi festinabant ad fruendum benedictione. Lectum autem multi sequebantur lictores, eos percutiendo terrentes qui corpus veste nudare conabantur, & cupiebant illinc pannos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes, alios verò lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat præsidem, alia verò altorem, alia autem pastorem & magistrum: & alius quidem lacrymans nominabat patrem, alius verò adiutorem & curatorem; & cum tot laudibus & lamentationibus sanctum illud & sacrum corpus sepulcro mandauêre.

Panni Abrahamis vitâ functi omnibus pretiosi.

Ego autem admiratus quòd cùm vitæ mutasset institutum, vitam non vnà commutauerit, neque dum esset antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores adauxerit, eum recensui in historiâ monachorum: nec recessi ab eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

Sancti benedictioni Theodoretus expofuit.

48 EVSEBIVS.

CAP. XVIII. Theodor. lib. 4. hist. cap. 26.

PRIVS dictis sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem abhinc tempore est mortuus. Cùm multis autem annis vixisset, tempori quidem æqualem sustinuit laborem, labori autem æqualem simul delegit virtutem. Multiplex autem lucrum ex eo retulit: magnitudine enim remunerationum agonotheta superat certamina. Hic ergo cùm primò aliorum fidei sui curam credidisset, quò illi ducebant, ducebatur; erant enim ipsi quoque viri diuini virtutisque athletæ & exercitatores: & cùm aliquo tempore cum eis esset versatus, & benè recteque philosophiæ accepisset scientiam, vitam monasticam est amplexus: & cùm quoddam dorsum montis occupasset, (imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham) fossâ solummodò factâ, & 49 lapidibus ne luto quidem coniunctis, sub dio reliquam transegit vitam seipsum affligens, veste quidem opertus pelliceâ; cicere autem & fabis aquâ madefactis se nutriens. Quinetiam aliquando quoque vescebatur caricis, sic vtcumque conans sustentare imbecillitatem corporis. Cumque ad summam peruenisset senectutem, vt etiam dentes plurimos amisisset, neque mutauit cibum, neque habitationem. Sed & cùm hieme congelaretur, & æstate vreretur, fortiter ferebat contrarias qualitates aëris, faciem quidem habens corrugatam, arefacta autem omnia membra corporis. Tam multis autem corpus consumpsit laboribus, vt ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferiùs: nihil enim erat quod vetaret; nam & clunes & coxendices consumpti erant, & zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione vt staret excogitans.

Eusebius sub dio degit.

Pelle vestitur. Cicere & fabu victitat.

Mira viri mortificatio.

Ægrè ferebat autem conuersari cum multis. Nam cùm diuinam contemplationem visione assiduè apprehenderet, mentem ab eâ nolebat abstrahere: sed tamen etsi esset amore tàm vehementi præditus, permittebat aliquibus ex notis, vt id quod portam obstruebat auferrent, & intrarent: & cùm eis exhibuisset doctrinam ex diuinis eloquijs, iubebat rursus abeuntes portæ lutum imponere. Verùm cùm omnino satius existimasset, etiam cum paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maximo admoto lapide. Per quamdam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim prouiderat. illinc autem illud quoque exiguum accipiebat nutrimentum. Rursus autem cùm omnibus colloqui denegasset, me solum dulci illâ & Deo gratâ voce dignabatur, & abire volentem me sæpè detinebat, de rebus differens cælestibus. Cùm multi autem ad eum venirent, & postularent bonum benedictionis, & eum ægrè ferret tumultum, nec senectutem considerans, nec vrgentem reputans imbecillitatem, transilit fossam quæ nec à robustis quidem & valentibus facilè transiri poterat: & cùm ad quamdam propinquam venisset monachorum classem, paruâ rursus fossâ actâ ad muri angulum, cum consuetis decertabat laboribus.

Auersatur conuersationem terrenam.

Cellæ aditum obstruit.

Theodoretus Eusebii familiaris.

Huius autem gregis præfectus, vir omni virtute plenus, dixit eum cùm comedisset quindecim caricas, transegisse septem hebdomadas sancti ieiunij. Hoc autem subijt certamen, cùm vixisset plus quàm nonaginta annos, imbecillitate autem quæ narrari non potest esset affectus: sed imbecillitatem superabat animi alacritas, & Dei amor omnia facilia reddebat & expedita. Cum hic talibus circumflueret sudoribus, peruenit ad metam cursus, & agonothetam videns, & coronam desiderans.

Caricis 15. transigit Quadragesimam.

Feliciter obit.

Ego autem rogo vt illam consequar intercessionem, quam huc vsque percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum viuere, & habere puriorem ad Deum fiduciam.

Theodoretus eius implorat auxilium.

50 SALAMANVS.

CAP. XIX.

ME virtuti iniuriam facere arbitratus, si admirabilis Salamani vitam posteris non significauero, sed obliuione obrutam

tam neglexero, summatim afferam narrationem. Est quidam vicus ad Occidentem fluuij Euphratis, ipsi ripæ imminens, vocatur autem Capersana. Hic ex eo ortus, cùm vitam amplecteretur quietam, & in vico qui est ex aduerso paruam inuenisset domunculam, seipsum in eâ inclusit, nec ostio relicto, nec fenestrâ. Semel autem in anno terram fodiens, accipiebat totius anni nutrimentum, cum nullo vmquam homine loquens. Idque facere perseuerauit, non paruo tempore, sed longissimo. Porrò autem pontifex ciuitatis cuius erat is vicus, cùm viri didicisset virtutem, accessit, volens ei dare donum sacerdotij: & domunculæ perfossâ aliquâ parte est ingressus: & manum imposuit, & peregit precationem: & sæpè quidem ei dixit, & quæ ad eum aduenerat gratiam significauit. Cùm nullam autem vocem audijsset, abijt iubens vt fossa rursus ædificaretur. Aliquando autem rursus qui erant illius vici ex quo erat profectus, cùm noctu fluuium traiecissent, & domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem nec iubentem, in suum vicum exportarunt: & cùm talem ad Orientem construxissent domunculam, eum protinus incluserunt. Ille autem similiter quietem agebat cum illo loquens. Paucis autem pòst diebus, qui erant illius vici qui est ex aduerso, cùm noctu rursus aggressi essent, & domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec vt maneret vrgentem: neque rursus prompto & alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit, & Apostolicam illam vocem verè loquens, dicebat: Cum Christo sum crucifixus. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Quòd autem nunc viuo in Christo, in fide viuo filij Dei qui me dilexit, & pro me seipsum dedit. Talis hic quoque fuit. Sufficiunt enim hæc ad ostendendum totum eius vitæ institutum.

Salamanus fossa se includit. *Nulli loquitur.* *Sacerdotio initiatur.* *Vicini de tam sancto habitatore contendunt, dum quisque eum ad se trahere nititur.* *Ipse totus mundo mortuus.* Gal. 2.

Ego autem cùm benedictionem ab eo quoque percepero, ad alium transibo.

Theodoretus benedictionē eius implorat.

CAP. XX.

51 MARIS.

EST Homeri quidam vicus qui à nobis vocatur Netis. cùm apud eum paruam quamdam domunculam ædificasset diuinus Maris, in eâ permansit inclusus triginta & septem annis. Ex monte autem propè sito ea suscipiebat multum humoris. Tempore autem hiemis quædam quoque guttæ aquæ in eam emanabant. Quantum autem hinc damni oriatur corporibus, sciunt & ciues & rustici: nam ijs quoque qui in agris habitant, manifesti sunt morbi qui ex eo nascuntur. Sed tamen ne hæc quidem sacro illi capiti persuaserunt, vt mutaret domunculam; sed fortiter & constanter permansit donec cursum confecerit.

Maris 37. annis in domunculâ inclusus. *Non mutat domunculam etiam malè sanā.*

Quinetiam priorem quoque vitam transegit cum virtutis laboribus: vnde & corpori & animæ conseruauit castitatem; idque ipse mihi apertè significauit, docens sibi mansisse corpus integrum & incorruptum, & quale egressum fuerat ex materno vtero, idque cum multos quidem dies festos martyrum celebrasset cùm esset adolescens, vocis autem bonitate demulsisset populum. Nam & plurimo tempore perseuerauit psallere, & fuit insigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec species corporis, nec vocis claritas, nec quæ ei cum multis intercedebat congressio, animæ pulchritudini aliquid detrimenti attulit: sed viuens similiter atque ij qui sunt inclusi, suæ curam gerebat animæ. Virtutem autem auxit quoque laboribus quos sustinebat inclusus.

Corporis & animæ castitatem retinet. *Festa martyrum celebrat.* *Cantor erat.*

Ego huius sæpè vsus sum consuetudine: iussit enim mihi aperiri ostium; quinetiam complectebatur me venientem, & de philosophiâ, fusâ prolixaque vtebatur oratione.

Theodoreto amicus.

Porrò autem hic quoque fuit simplicitate insignis, & varios mores omnino abhorrebat. Inopiam autem magis dilexit quàm summas copias. Nonaginta autem annos natus, vtebatur vestibus contextis ex villis caprinis. Panis autem & parum salis nutrimenti eius vsum implebant. Cùm autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale & mysticum sacrificium, rogauit vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui: & iussi sacra vasa afferri, (pagus enim haud longè aberat) & pro altari vsus diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum cælum videre: dicebatque se numquam tantam cepisse lætitiam.

Vestitus & victus eius ratio. *Eucharistiam Theodoretus efficit in manibus diaconorum loco altaris.*

Ego autem cùm ab eo valdè fuerim dilectus, putaui me & ei iniuriam esse facturum si non etiam mortuum laudauerim, & alijs, si non hanc optimam philosophiam eis proposuerim imitandam. Cum itaque nunc orauero vt eius consequar auxilium, imponam finem narrationi.

S. Maris opem implorat Theodoretus.

52 IACOBVS.

CAP. XXI.

QVONIAM eorum qui iam sunt victores declarati, virtutis athletarum, certamina recensuimus, summatim narrantes & quos in meditando suscepêre labores, & quos in certaminibus perpessi sunt sudores,

A sanctis viris tunc mortuis ad viuentes suo tempore transit Theodoretus.

dores, & longè clarissimas & maximè insignes victorias: age eorum quoque qui adhuc sunt superstites, & magnificè decertant, & contendunt priores vincere sudoribus, vitæ instituta conscribamus, & posteris vtilem relinquamus memoriam. Quomodo enim eorum qui olim resplenduêre sanctorum, vitæ institutum posteris maximam attulit vtilitatem; ita ijs qui nos consequentur, erunt exemplaria eorum narrationes.

Vt Iacobus inter sanctos mortuos primum locũ tenuit, ita nunc inter viuentes alter Iacobus.

Initium autem ducam à magno Iacobo: is enim & tempore & labore est prior alijs, & qui eum sunt æmulati, faciunt admirabilia & quæ sunt præter opinionem. Vsuuenit autem nescio quomodo, vt & eorum qui excesserunt, & eorum qui adhuc sunt superstites, hoc sit primum nomen. Etenim quando narraui eorum vitæ institutum, initium sumpsi à diuino illo Iacobo, qui Persicum illum exercitum fudit suis precibus: & cùm corruissent vrbis murorum ambitus, neque permisit vrbem capi, & coëgit fugere aduersarios, cùm in eos misisset exercitum muscarum & culicum. Qui ergo illi simile nomen est sortitus, & est ei similis moribus, sit primus in ordine athletarum qui adhuc sunt superstites, non quoniam eiusdem est nominis particeps, sed quoniam est illius virtutem æmulatus, & fuit ipse alijs exemplar philosophiæ. Nam cùm simul cum inclyto illo Marone esset versatus, & eius diuinæ fuisset doctrinæ particeps, obscurauit præceptorem maioribus laboribus. Ille enim & murorum tegumentum habuit templum veteris erroris, & ex pellibus contextum fixit tabernaculum; & eo vtens, imbris & niuis effugiebat impetus: hic autem his omnibus valere iussis, & tabernaculo, & tugurio, & murorum tegumento, pro tecto habet cælum, contrarios omnes aëris impetus sustinens: nunc quidem pluuiâ vehementi obrutus, nunc autem glacie & niue congelatus, aliquando autem radijs solis tostus & exustus, & aduersus omnia se fortiter & constanter gerens, & tamquam in alieno certans corpore, & contendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc & patibili corpore indutus, vitam agit tamquam impatibilis: & vitam incorpoream in corpore meditans, clamat cum beato Paulo: In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus. Arma enim nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munimentorum, destruentes cogitationes & omnem altitudinem quæ se extollit aduersus Dei cognitionem, & captiuantes omnem intellectum ad Dei obedientiam. Sed hæc quidem

Iacobus Maronis discipulus.

Cælum habet protecto

Cum varijs aëris iniurijs confligatur.

2. Cor. 10.

certamina quæ sunt super naturam, in minoribus se exercendo laboribus est meditatus. Nam cùm in paruâ quadam domunculà se priùs inclusisset, & ab externis tumultibus animam liberasset, & recordationi Dei mentem affixisset, sic perfectam & absolutam meditabatur virtutem.

Monti fertilitatem adfert.

Cùm autem se optimè exercuisset, & bonis laboribus animam assuefecisset, maiora ausus est aggredi certamina: & cùm ad hunc montem peruenisset, qui triginta stadijs distat ab hac vrbe, eum reddidit illustrem & venerandum, qui erat olim obscurus & penitùs infertilis: nunc autem creditur tantam accepisse benedictionem, vt terra quæ est imposita consumatur, omnibus qui vndique adueniunt, ad vtilitatem eam exportantibus. In eo vitam agens cernitur ab omnibus accedentibus, non habens, vt dixi, speluncam, non tabernaculum, non tugurium, non fossam, non sepem quæ eum circumdet ac muniat; sed videtur orans & quiescens, & stans & sedens, & sanus & cùm aliquâ tenetur ægritudine: adeò vt assiduè præsentibus decertet spectatoribus, & naturæ expellat necessitates. Neque enim alijs hominibus qui sunt ingenuè vtcumque educati, externis præsentibus est facile excrementa egerere, nedum viro in summâ philosophiâ exercitato. Et hæc dico, non vt qui ab alijs didicerim, sed qui ipse viderim.

Iacobus morbo afficitur.

Nam cùm quatuordecim ab hinc annis in grauem morbum incidisset, affecit quidem, vt par est, eum qui est mortali corpore præditus. Erat autem æstus vehemens, & flamma radiorum ardebat vehementiùs, cùm sopiti quidem essent venti, aër autem maneret immobilis. Erat autem morbus inundatio flauæ bilis quæ deorsum ferebatur, & mordebat ac comprimebat intestinum, & cogebat extrà egredi. Tunc magnam vidi tolerantiam. Nam cùm ex multis vicis congregati essent homines, vt gloriosum hoc corpus salutarent, sedebat in duas partes distractus. Nam natura quidem vim afferebat vt iret ad excernendum; pudor autem eius quæ aderat multitudinis, cogebat eum manere in eodem statu & habitu.

Mira hominis constantia & patientia.

Vincula sacerdotij, comminationes excommunicationis.

Ego autem hoc sciens, cum eis qui conuenerant partim multis egi adhortationibus, partim etiam minis, abire iubens: postremò autem eos implicaui vinculis sacerdotij, & non sine maximo labore vesperè tandem amandaui. Ille autem vir diuinus, ne cùm ij quidem abscessissent, victus est à naturâ: sed perstitit tolerans, donec accedens nox profunda coëgit omnes domum recedere.

Rursus autem die sequenti cùm ad eum venis-

venissem, vt vidi æstum euasisse vehementiorem, & quâ laborabat, febrem igne extrinsecus allato nutriri & augeri, prætexens dolorem capitis, dixi me ægre ferre vim solis radiorum; & rogaui vt mihi aliquam modicam apud se vmbram expanderet: qui postquam iussit, tribus fixis arundinibus, & ijs duobus impositis cilicijs, vmbram adinuenimus. Cùm autem iuberet me ingredi, Turpe est, inquam, ô pater, vt ego qui sum & iuuenis & valens viribus, hanc assequar consolationem; tu autem qui & vehementi febre teneris, & opus habes tali consolatione, foris sedeas accipiens impetum radij solaris. si vis ergo, inquam, me vmbrâ frui, sis mihi socius modici huius tabernaculi: nam tecum quidem volo manere, sed prohibet radius. Cessit itaque his verbis auditis, & meum accepit remedium. Et quoniam vmbrâ fruebamur communiter, cœpi rursus alium sermonem afferre, & dixi: Opus est vt accumbam, cùm coxendix non citra molestiam patiatur sessionem. Sed rursus rogabat quidem vt accumberem: ei autem contrà respondi, non esse tolerandum vt ego decumberem videns eum sedentem. si vis ergo, inquam, me quoque frui hac quiete, communiter accumbamus, ô pater; non erubescam enim solus decumbens. Cùm talibus verbis decepissem eius tolerantiam, ei accubitus exhibui solatium. In solo autem iacenti suaues adhibui sermones, traducens ad animi iucunditatem.

Theodoretus nititur optimo patri persuadere vt aliquâ consolatione morbi violentiam expungat.

Manu autem immissâ intra vestem, tentabam eius dorsum moderatè abstergere, tunc vidi magnum ferri pondus, quod & lumbos alligabat & collum: iam verò aliæ quoque catenæ à circulo qui erat circa collum, duæ quidem antè, duæ verò ponè, ad inferiorem circulum obliquè pertinentes, & litteræ X. figuram efficientes antè & ponè duos circulos colligabant. Iam verò manus quoque interiùs circa cubitos talia quoque alia habebant vincula. Cùm ergo aspexissem onus ponderis multorum talentorum, obsecraui vt opem ferret corpori laboranti, quòd non poterat simul ferre & onera voluntaria, & inuoluntariam ægritudinem. Nunc quidem, inquam, ô pater, febris fungitur officio ferri: cùm ea autem cessauerit, tunc rursus corpori imponemus laborem qui ex ferro capitur. Hoc quoque concessit multis delinitus eiusmodi carminibus. Sed tunc quidem cùm paucis ægrotasset diebus, facilè conualuit.

Magnum ferri pondus ferebat beatus Iacobus.

Catenas mortificationis decussat.

Posteà autem cùm in morbum incidisset grauiorem, multi autem vt corpus raperent multis ex locis conuenissent, audientes id ciues, concurrerunt omnes & milites & priuati; illi quidem sumptis armis militaribus, hi verò armis vtentes quibuslibet. Densâ autem & exstructâ acie pugnare cœperunt, tela emittentes, & fundis lapides torquentes, non vt percuterent, sed solùm vt terrerent: & sic expulsis accolis, victorijs insigni athletâ lecto imposito, qui nihil sentiebat eorum quæ fiebant, (nam nec cùm coma eius à rusticis velleretur, senserat) venerunt in vrbem. Cùm in ædem autem venissent propheticam, in monasterio ei propinquo lectum deposuerunt. Venit autem quidam Berrhœam (illic enim tunc eram) ea quæ facta fuerant significans, & nuntium mortis afferens. Cùm itaque statim cucurrissem, & totam noctem in itinere consumpsissem, post auroram offendi hominem, neque loquentem, neque vllum ex ijs qui aderant potentem agnoscere. Postquam autem eum sum allocutus, & nomine magni Acacij ei dixi salutem, statim & aperuit oculos, & rogauit quomodo se haberet, & quando venissem est percontatus. Cùm autem ad hæc respondissem, rursus clausit oculos.

Concurritur vt quisque rapiat corpus sancti Iacobi.

Theodoretus ad moribundum Iacobum statim accurrit.

Cùm verò tres dies præterijssent, vesperè rogauit vbinam esset: cùm autem resciuisset, ægre tulit, & rogauit vt statim rursus referretur in montem. Cùm autem vellem eum perpetuò obseruare & ei inseruire, iussi mox ferri lectum, & deferri in locum quem cupiebat. Tunc vidi quantopere ab ambitione & gloriæ cupiditate esset alienum caput mihi venerandum. Postridie enim ei obtuli ius ptisanæ cùm id refrigerassem; nihil enim omnino calidi sumere patiebatur, cùm vsum ignis sibi interdixisset. Cùm autem nollet sumere, Nobis omnibus, inquam, ô pater, hoc concede; communem enim salutem tuam ducimus sanitatem. Non solùm enim es vtilitatis exemplar propositum, sed etiam orans fers auxilium, & Dei concilias nobis beneuolentiam. Quòd si te hoc malè habet quòd non sis assuetus, hoc quoque, inquam, ô pater, constanter tolera: est enim hoc quoque genus philosophiæ. Quomodo enim cùm esses sanus cibum appetens, tolerantiâ vicisti appetitionem; ita etiam nunc minimè appetens in vescendo ostende tolerantiam. Hæc cùm dicerem, aderat homo Dei [14] Polychronius, qui id quod dicebam defendens, dixit se id primum velle sumere, idque cùm esset manè, cùm sæpè post interiectum septem dierum spatium corpus aleret. Victus ergo oratione, vnum iuris poculum clausis demisit oculis, quod quidem solemus facere cùm amaras bibimus potiones.

Vsum ignis sibi interdixit Iacobus.

Sanctus Polychronius post septimum diem tantùm comedens.

Quo-

Quoniam autem pedes quoque, qui propter imbecillitatem ingressum amiserant, ei lauare persuasimus; operæpretium existi- mo hanc quoque eius animæ aperire philosophiam. Propè enim aderat scyphus: voluit autem quidam ex ijs qui ministrabant eum canistro tegere, vt non videretur ab ijs qui ad ipsum veniebant: ille autem, Cur, inquit, scyphum tegis? Cùm is autem dixisset: Ne videatur ab ijs qui veniunt ad contemplandum; Absit, inquit, ô fili, vt celes homines ea quæ sunt aperta Deo vniuersorum: illi enim soli volens viuere, nullam humanæ gloriæ curam gero. Quid enim me iuuerit, si hi quidem me magis laborasse & maiori exercitatione vsum esse sciuerint, Deus verò minori? non sunt enim hi datores mercedis pro laboribus; sed Deus est suppeditator. Quis ergo non valdè admiretur & sermones, & mentem quæ sermones genuit, quæ omni humanâ gloriâ adeò fuit superior?

Longè ab hypocrisi remotus Iacobus.

Tale quid etiam aliàs memini accidisse. Erat vesper, & altum vesper & tempus comedendi: acceptâ ergo testâ appositâ, madefactæ lentis cibum sumpsit; id enim erat ei alimentum. Venit autem quidam à ciuitate, cui erat commissa quædam militaris exactio. Is autem cùm eum procul vidisset, lentem non deposuit, sed cibum demisit vt consueuerat: & cùm visione apprehendisset eum esse dæmonem, eum verbis insectabatur vt hostem; & ostendens se non vereri, interim ori lentem admouit. Obsecrabat autem is qui incessebatur maledictis: dicebat se esse hominem; & quòd priùs quodam adactus iureiurando se ante vesperam ab vrbe esse profecturum, venisset hoc tempore. Ille, Bono, inquit, animo esto, & ne extimescito: sed cùm precatus fueris, recedito: sis autem mihi conuiua, & mei cibi particeps. Simul autem hæc dicens impleuit dexteram, & lente eum impertijt. Sic vanæ gloriæ morbum cum alijs expulit ex animo.

Cibus eius lens madefacta.

Hominem serò ad se venientem, dæmonem esse ratus, non exhorruit.

De tolerantiâ autem superuacaneum est dicere, cùm visus ipse testetur. Tres enim sæpè dies & totidem noctes niue delapsâ ita fuit obrutus, pronus iacens, & Deum orans, vt ne parum quidem videretur ex pannis quibus fuerat indutus: sæpè autem marris & ligonibus vicini ei niuem impositam detrahentes, eum iacentem euellunt & excitant. Ex his laboribus collegit dona diuinæ gratiæ, quorum volunt omnes esse participes. Illius enim benedictione multæ quidem extinctæ sunt & extinguuntur febres, & multæ ægritudines cessarunt & omnino abierunt, multi autem dæmones coacti sunt fugere: & aqua quæ ab illius dexterâ benedicitur, fit salutare pharmacum.

Glacie & niue opertus Iacobus.

Benedictionis & aquæ lustralis efficacia.

Quis nescit puerum mortuum per eius orationem fuisse excitatum? in suburbanis enim ciuitatis erant eius parentes, qui multos quidem filios genuerunt, omnes autem immaturos ad sepulcrum transmiserunt. Quando ergo hic vltimus natus fuit filius, cucurrit pater ad hominem Dei, rogans vt is longam haberet vitam, & pollicens se eum esse Deo dicaturum si viueret. Cùm itaque vixisset quatuor annis, vitæ finem accepit; pater autem aberat: adueniens autem videt eum repentè efferri. Cùm eum itaque è lecto rapuisset, Oportet, inquit, me implere promissum, & Dei homini reddere vel mortuum. Detulitque vt priùs dixit, & ante pedes sanctos illum posuit, dicens illa quæ suis quoque dixerat domesticis. Homo autem diuinus cùm ante se posuisset puerum, flexis genibus orabat pronus vitæ & mortis rogans Dominum. Vesperè autem puer edidit vocem, & patrem vocauit. Cùm sic sensisset vir ille diuinus, quòd suas preces suscepisset Dominus, & vitam puero suppeditasset, surrexit, & eo adorato qui facit voluntatem timentium eum, & audit eorum preces, finit orationem, & filium reddidit patri. Hoc & ego vidi, & patrem audiui narrantem, & multis alijs narrauit miraculum apostolicum, cùm sciret multis audituris futurum id conducibile.

Pollicetur pater se Deo dicaturum filium.

Puer mortuus resuscitatur à Iacobo.

Psal. 144.

Porrò autem eius quoque sum consecutus auxilium: vnius autem aut duorum faciam mentionem, existimans ingrati esse animi ea silentio præterire, & non docere genera beneficij. Execrandus Marcion multas spinas impietatis seminauit in regione vrbis Cyri; eas cùm conarer euellere radicitus, omnem laborem subibam, & omnibus machinis assiduè vtebar. Qui autem meâ fruebantur culturâ, cùm me eo nomine deberent diligere, pro eâ, vt prophetice dicam, detrahebant mihi: ego autem orabam, & reddebant mala pro bonis, & odium pro dilectione meâ: & magicis vtentes præstigijs, & malignorum freti ope dæmonum, conabantur bellum gerere quod sub visum non caderet; & noctu venit quidam dæmon exitialis clamans, & linguâ vtens Syriacâ: Cur tu bellum geris cum Marcione? cur hanc pugnam aduersus eum suscipis? Quanam is te vmquam affecit molestiâ? desine belligerari, desiste à maleuolentiâ, aut disces experientiâ quantum bonum sit quies. Scias quòd te iampridem confodissem, nisi chorum martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidam ex

Cyri regio Marcionis errore imbuta.

Psal. 108.

Psal. 34.

Præstigia & dæmones vociferantes in Theodoretum.

Auxilium martyrum & sancti Iacobi contra dæmones.

ex familiaribus qui prope me dormiebat: Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille verò, Omnia, inquit, audiui: & cùm vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tuâ causâ quieui, cùm te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque vllum qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiscum habitabant, audiuerunt. Intellexit igitur quòd martyrum quidem chorum dicebat Lecythum olei martyrum, qui cùm à multis martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat à meo lecto: sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino fuit mihi validior. Quinetiam cùm eorum maximum vicum essem ingressurus, deinde multa essent intermedia quæ mihi prohibebant exitum, misi ad meum Isaiam, rogans vt diuinum consequerer auxilium. Ille verò, Esto, inquit, bono animo; soluta sunt omnia illa impedimenta instar telę aranearum: idque noctu me docuit Dominus, non in somnis adumbrans sed reuerà ostendens. Vidi enim, aiebat, cùm incepissem hymnodiam, in illâ parte in quâ illa loca sita sunt, serpentem quemdam, ignis speciem præ se ferentem, qui ab Occidente reptabat in Orientem, & ferebatur per medium aërem. Cùm orationes autem tres peregissem, rursus vidi inflexum, & orbiculatam ostendentem figuram, & eius caudam capiti coniunctam. Cùm rursus autem octo orationes absoluissem, aspexi eum in duas partes dissectum & in fumum resolutum. Hæc ipse quidem sic præuidit: nos autem vidimus exitum qui consensit eius prædictioni. Manè enim mali auctoris dæmonis imperio parentes, qui olim quidem erant sectæ Marcionis, nunc autem sunt classis apostolicæ, ab Occidente profecti, nudos nobis enses ostendebant: horâ autem diei tertiâ simul coacti, curam gerebant suæ solùm custodiæ, sicut serpens qui caudâ caput suum contexit: octauâ autem dispersi, dederunt nobis locum ingrediendi in vicum. Statim autem inuenimus serpentem factum ex æris materiâ; qui ab eis adorabatur. Cùm enim aduersus opificem & vniuersorum creatorem bellum apertè suscepissent, execrandum serpentem, tamquam illius hostem, colere contendebant. Talia ego beneficia à mihi venerando capite sum consecutus.

Lecythus olei martyrum.

Amictus sancti Iacobi salutaris.

Serpẽs adorabatur à Marcionitis.

Quoniam autem diuinarum reuelationum narrationem ingressa est oratio, age narrabo quæ audiui ab illâ linguâ ab omni mendacio alienâ. Narrauit autem non vllâ gloriæ inductus cupiditate (fuit enim diuina anima ab eo vitio remotissima) sed cùm illum quidam vsus ea coëgisset dicere quæ volebat çelare. Supplex ab eo contendebam vt oraret Deum vniuersorum, vt redderet mihi segetem mundam à zizanijs, & à seminibus hæreticis eam omnino liberaret: me enim valdè angebat abominandi Marcionis error qui plurimùm inualuerat. Dixit itaque à me oratus: Nec me, nec vllo alio tibi opus est ad Deum intercessore; habes enim Ioannem illum insignem, Verbi vocem, Domini præcursorem, has pro te preces assiduè offerentem. Cùm autem ego dicerem, me & eius credere orationibus, & aliorum sanctorum apostolorum & prophetarum, quorum ad nos nuper delatæ sunt reliquiæ; Esto, inquit, bono animo; habes Ioannem Baptistam. Sed nec sic eum passus sum silere, sed multò magis vrgebam interrogans, & scire desiderans cur eius potiùs meminisset. Ille autem, Vellem, inquit, amplecti & deosculari eius amabiles reliquias. Cùm autem dixissem: Non afferam eas, nisi pollicitus fueris te ea dicturum quæ videris. Atque ipse quidem est pollicitus, ego verò postridie attuli ea quæ desiderabat: & cùm omnes iussisset abscedere, hæc mihi soli narrauit. Quando hos, inquit, ciuitatis patronos, qui à Phœniciâ venerant & Palæstinâ, cum Dauidicâ excepisti choreâ, venit mihi in mentem cogitare, num hæ essent illius insignis Ioannis reliquiæ, & non alterius martyris qui esset eiusdem nominis. Post vnum ergo diem ego stabam ad hymnos decantandos; video autem quemdam candidâ veste indutum, & dicentem: Frater Iacobe, cur nobis aduenientibus non venisti obuiàm? Cùm ego autem rogarem quinam essent, respondit, dicens: Qui à Phœniciâ & Palæstinâ nuper venimus: & cùm prompto & alacri animo nos omnes excepissent, & pastor & populus, & ciues & rustici, tu solus eorum honoris non fuisti particeps: innuebat autem eam quæ fuerat dubitationem. Ad hæc ergo dicit se dixisse: Absentibus & vobis & alijs & vos honoro, & adoro Deum vniuersorum. Rursus autem die sequenti eodem tempore cùm ille ipse apparuisset, Vides, inquit, frater Iacobe, eum illic stantem, cuius quidem vestis est colore niui similis, est autem prope illum positus ignis clibanus. Cùm autem ego illuc oculos conuertissem, & illum esse Ioannem Baptistam coniecissem, (nam & vestitu erat indutus, & manum habebat vt baptizans,) Is est, inquit, quem tu coniecisti. Quinetiam, inquit, cùm tu aliquando noctu ad primum vicum ad seditiosos eos docturus abires, & vt ego maiori ac vehementiori

Quæ Theodoretus audiuerit à sancto Iacobo.

Quibus in èuitu sunt sanctorum reliquiæ, sancti aduocati sunt peculiares.

Reliquias sanctorum osculari desiderat Iacobus.

Visio facta sancto Iacobo pro confirmatione reliquiarum beati Ioannis Baptistæ.

Ioannes Baptista veste candidâ, & manu velut baptizans apparet.

studio Deo offerrem orationem, mandasses, totâ nocte vigilaui rogans Dominum. Deinde audiui vocem dicentem: Ne timeas, ô Iacobe; magnus enim Ioannes Baptista totâ nocte orat Deum vniuersorum. Facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercessionibus fuisset extincta diaboli audacia. Hæc cùm mihi narrasset, præcepit vt ego solus scirem, & ne alios assumerem conscios. Ego autem vtilitatis gratiâ non solùm multis narraui, sed etiam mando scriptis.

S. Ioannes Baptista orat Deum pro reductione errantium.

Iam verò à se quoque dicebat esse visum Ioseph patriarcham, capite & barbâ canum, & in senio formæ emittentem splendorem, & in virtutis fastigio seipsum sanctorum extremum nominantem. Nam cùm ego, inquit, eum primum dicerem ex ijs qui sunt eiusdem cum ipso feretri participes, ipse seipsum nominabat vltimum.

Visio Iacobi de Ioseph patriarchâ.

Mihi autem narrauit etiam varios & multiplices dæmonum insultus, qui in ipsum facti sunt. Cùm primùm enim, aiebat, hoc vitæ genus sum ingressus, visus est mihi quidam nudus formâ Æthiops ignem ex oculis emittens: ego autem cùm eum viderem, & timore sum affectus, & ad preces conuersus, nec in animum inducere potui vt cibum sumerem; illo enim tempore mihi apparebat. Cùm autem septem & octo & decem dies transijssent, & ieiunus permanerem, tandem improbum illum insultum contemnens, sedi & cibum sumpsi. Ille autem cùm hanc meam non tulisset animi magnitudinem, minatus est se virgâ percussurum. Ego autem, inquit, dixi: Si tibi quidem est permissum à Deo vniuersorum, percute; & plagam lubenter accipiam, vt qui ab illo feriar: sed si non sit tibi permissum, non percuties licet millies insanias. His auditis tunc effugit.

Dæmon in formâ Aethiopis molestus Iacobo.

Sed me rursus clanculùm perpetuâ afficiebat molestiâ. Nam aquam quæ mihi bis in hebdomadâ infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat: & illum iubens recedere, fluentum effundebat. Idque cùm non solùm bis, sed etiam ter fecisset, me sitis perpessione validè oppugnauit. Cùm ergo valdè angerer, rogaui eum qui solebat ad me afferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non attulisset: is dixit se jam ter & quater attulisse, & me accepisse. Et vbi, inquam ego, à te eam afferente accepi? Ille locum ostendit. Etsi millies, inquam ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris.

Laborat Iacobus siti, quia dæmō aquam Iacobi specie à discipulo accepit.

Sic cùm hæ quoque eius apertæ & irritæ fuissent insidiæ, alias rursus est aggressus. Dixit enim noctu vociferans, Te tam tetro implebo odore, & tibi tantam inuram infamiam, vt nemo te vllâ ex parte aspiciat. Ego autem, inquit, ad hæc respondi: Agam tibi gratias. inuitus enim tuum inimicum beneficio afficies, vt qui efficias vt magis verser in Dei recordatione. Nam quò mihi plus est otij, eò magis occupor in perpetuò contemplandâ diuinâ pulchritudine. Cùm itaque pauci dies præterijssent, meridie consuetum peragens officium, video, inquit, duas mulieres de monte descendentes. Ego autem cùm id præter consuetudinem ægrè tulissem, & eas lapidibus petere essem aggressus, memini minarum scelerati dæmonis: & conieci hanc esse eam quam dicebat infamiam. Dixi ergo magnâ voce, quòd etiamsi meis insiderent humeris, non eas impetam lapidibus, nec persequar, sed solâ vtar deprecatione. Ego quidem hæc dixi, illæ verò euanuerunt: & sermone finem accepit visio spectaculi.

Inimici maleficium æstimat pro beneficio.

Diabolus specie mulierum Iacobo apparet.

Post hæc rursus, inquit, noctu ego quidem orabam: ferebatur autem vehiculi strepitus, & clamor aurigæ & equorum hinnientium. Me autem conturbauit rei nouitas: cogitabam enim quòd nec princeps tunc esset in ciuitate, nec ea esset via vehiculorum, nec tempus aptum vehiculis. Hæc autem cùm apud me reputarem, audiebatur quidam strepitus appropinquantis multitudinis, & clamabant quidam præcedentes lictores, sibilantes, & de medio turbam exigentes, & ei qui præerat viam parantes. Postquam autem mihi visi sunt valdè appropinquare, dixi, aiebat, Quisnam es, & vnde venis? & quo opus habens venisti hoc tempore? Quousque ludificaris, ô infelix, & diuinam contemnis patientiam? Hoc ego quidem dicebam, conuersus ad Orientem, & Deo preces offerens. Ille autem trusit quidem, sed non potuit deijcere; resistebat enim diuina gratia: & extemplò omnia illa euanuerunt.

Iacobus ad Orientem conuersus orans dæmonis præstigias pellit.

Dicebat autem se etiam tempore perniciosorum illorum latronum, quando ex Isauriâ profecti, maximam partem Orientis vrentes, prædas egerunt, valdè extimuisse, non ne occideretur, (neque enim tenebatur tanto amore corporis) sed ne raperetur in seruitutem & captiuus fieret, impietatisque & iniquitatis videret spectaculum. Hunc metum cùm sensisset diabolus (sæpè enim audiuerat, cùm hoc notis suis aperiret) imitatur noctu vlulatum mulierum. Ego autem, inquit, videbar audire quòd venirent hostes, & quòd vicis ignem inijcerent. Statim ergo cùm capillos in duas partes discri-

Dæmon Isaurorum metu terret Iacobum.

discriminassem, & partim quidem à dextris, partim verò à sinistris ad pectus transtulissem, parabam collum vt id ensis amputaret faciliùs, & breui plagâ acceptâ, ab illo abominando liberarer spectaculo. Cùm sic totam illam noctem transegissem, & assiduè incursionem illorum exspectarem, cùm fuisset dies, & quidam venissent, rogaui quidnam audijssent de Isauris. Illi autem dixerunt se nihil nosse illis diebus: & sic agnoui, inquit, diabolicam quoque illam fuisse visionem.

Dæmon ... sciiens ... lis illudit. Aliquando autem assimilatus viuido & vegeto adolescenti, specie decoro, & flauâ comâ ornato, ad me accedebat subridens simul & ludens. Ego autem, inquit, irâ armatus, eijciebam insectans maledictis. Ille autem permanebat, aspectu meretricio, risuque & sermone ad voluptatem alliciens. Tunc ergo maiore irâ percitus, Quomodo, inquam, potes totam terram obire, & omnibus tales parare insidias? Is autem dicebat se non esse solum, sed dæmonum multitudinem per totum terrarum orbem esse dispersam, qui hoc modo simul & ludunt, & seriò agunt: ludo enim, qui videtur, student simul totam perdere humanam naturam. *Dæmonem asciuien... Christi nomine pellit.* At tu, dicebam ego, abi, Christo tibi id iubente, qui totam legionem per porcos transmisit in profundum. Audiuit simul & fugit: nec Domini appellationis vim ferens, nec eius famuli philosophiæ ferre valens splendorem.

Porrò autem cùm multa alia sciam quæ possim narrare, ea nolo scribere, ne imbecillioribus eorum multitudo caussa sit incredulitatis. Nam ijs quidem qui diuinum cernunt hominem, nihil eiusmodi quod dicitur videtur incredibile, cùm ea quæ videtur virtus confirmet ea quæ dicuntur. Sed quoniam transmittentur ad posteros scripta harum narrationum, (sunt autem multis aures magis incredulæ quàm oculi) imbecillitate auditorum metiemur narrationem. *Aures magis incredulæ, quàm oculi.*

Loculum viuo parat Theodoretus in æde apostolorum. Ei ergo ædificarunt alij quoque maximam ædem in vico propinquo, quæ non distat multis stadijs. Construxi ego quoque loculum in æde victoriâ insignium apostolorum. Sed cùm hoc resciuisset vir diuinus, sæpè me rogauit vt in illo monte corpus mandaretur sepulturæ. Ego autem sæpè dixi, quòd non oportet eum qui vitam præsentem non curarit, sepulcri curam gerere. Vbi autem vidi hoc ei esse cordi, annui & sum assensus: & feci vt scinderetur arca & sursum ferretur. Cùm autem viderem lapidem corrumpi à pruinâ, rogaui vt sineret arcæ paruam fieri domunculam: vbi autem iussit, & perfecto ædificio tectum imposuimus, Non patiar, inquit, hoc vocari sepulcrum Iacobi: sed volo hanc fieri ædem martyrum victoriâ insignium: me autem tamquam aliquem inquilinum poni in altero sepulcro, vt qui dignus sim habitus vt apud eos habitarem. *Iacobi humilitas in sepulcro eligendo.* Neque verò hoc solùm dixit, sed etiam fecit: & cùm multos quidem prophetas, multos autem apostolos, maximè autem plurimos martyres vndique collegisset, eos posuit in vnâ arcâ, volens simul habitare cum populo sanctorum, & desiderans cum eis resurgere, & dignari Dei contemplatione. *A vicinitate reliquiarum Sanctorum opem sperat.* Hoc autem sufficit ad faciendam coniecturam quanta eius esset modestia. Qui enim tantas opes collegerat, perinde ac si esset in extremâ paupertate, desiderauit habitare tamquam peregrinus apud diuites mercatores. Quales ergo venerandi mihi capitis sint labores, & quanta certamina, & quantam gratiam acceperit diuinitus, & quàm multis sit victorijs potitus, & quàm multis coronis ornatus, hæc ad ostendendum sufficiunt.

Quoniam autem asperos & difficiles eius mores reprehendunt aliqui, & ægrè ferunt quòd solitudine tantoperè delectetur & quiete, cùm de eo pauca dixero, imponam finem narrationi. Proponitur, vt iam dixi, aspectandus ab omnibus: neque fossâ circumdatus, neque tugurio aliquo aut tabernaculo tectus. Vnusquisque autem ex ijs qui veniunt, à nullo claustro prohibitus, statim accedens, ea quæ vult loquitur. Alijs autem amatoribus huius philosophiæ, sunt & fossæ & fores, & eis licet frui quiete; & qui est inclusus, aperit cùm voluerit, & quantum vult, differt; & quantum vult, impletur diuinâ contemplatione. Hîc autem horum nihil est. Quocircà eos fert ægerrimè qui in tempore orationis ei exhibent molestiam: & si cùm iussit quidem, statim recesserint, rursus prosequitur orationem. *Tempus orationis interrumpi ægerrimè fert.* Quòd si perrexerint exhibere molestiam, & cùm semel aut bis iusserit non paruerint, tunc ægrè ferens & increpans amandat. Ego autem de eo quoque aliquando sum cum illo locutus, & dixi aliquos molestè ferre quòd expulsi fuerint, & non fuerint participes eius benedictionis, & quòd oporteret eos qui hac de caussâ veniunt, & iter multorum dierum conficiunt, recedere non indignantes, sed animi lætitiâ repletos, & qui philosophiæ narrationum conuiuio excipere possint eos qui ignorant. Ille autem, Non alicuius, inquit, alterius, sed meâ caussâ veni in montem, & cùm scateam admodum multis peccatorum vlceribus, plurimâ opus habeo medicinâ: & eâ de caussâ oro clementem Dominum, vt mihi

mihi præbeat medicamenta quæ mea curent vitia. Quomodo ergo non fuerit valdè reprehendendum & valdè stultum, interrumpere quidem seriem orationis, interim autem loqui cum hominibus? Si enim hominis, qui est eiusdem cuius ego naturæ, essem famulus, eo autem tempore quo est ministrandum domino, dimittens in tempore afferre cibum vel potum, confabularer cum aliquo ex conseruis, quot plagas iure acciperem? Si autem cùm etiam accessissem ad præsidem, & quâ ab aliquo afficior narrans iniuriam, sermonem quidem in medio interrumperem, apud aliquem autem ex præsentibus aliqua alia verba facerem; non tibi videtur iudex id ægrè esse laturus, & auxilium quidem esse denegaturus, flagris autem prætereà esse cæsurus, & à tribunali eiecturus? Quomodo ergo est honestum, vt seruus quidem in dominum, qui autem supplicat in iudicem, ita vt oportet se gerat: ego autem ad Deum & æternum Dominum, & Iudicem iustissimum, & omnium Regem accedens, ne similiter quidem atque ij accedam: sed inter orandum, me conuertam ad conseruos, & prolixo cum eis vtar sermone? Hæc & audiui, & ad eos qui ægrè ferunt transmisi: & mihi videtur rectè pulchreque dixisse. Nam præter ea quæ dicta sunt, est etiam amantium proprium, omnes quidem alios despicere, illi autem soli quem amant & diligunt adhærere, eumque & noctu somniare, & interdiu visione apprehendere. Ideò mihi videtur ægrè ferre, vt qui in eâ quidem quam desiderat versetur contemplatione, prohibeatur autem impleri expetendâ & dignissimâ quæ amatur pulchritudine.

Insigni parabolâ dictum suum declarat.

Hæc vt narrantes, non vt encomij ritu laudantes conscripsimus: breuitatis magnam curam gerentes, ne prolixitate molestiâ lectores afficeremus. Quòd si etiam fuerit huic superstes narrationi, innumerabilia alia præclara facinora adijciet prioribus: & illa quoque conscribent alij, nos enim hinc excedere valdè cupimus. Pietatis autem certaminum agonotheta & ei det finem dignum suis certaminibus, præstetque vt reliquus cursus priori consentiat, vt victor perueniat ad metam, & nostram imbecillitatem sustentet ac suffulciat suis orationibus, vt confirmati, multas quas alij in nos consecuti sunt victorias eis eripiamus, & victores è vitâ excedamus.

Theodoretus intercessionem eius petit.

CAP. XXII [56] THALASSIVS ET LIMNÆVS.

[57] HELIMNA est apud nos quidam vicus, qui olim quidem excepit semina impietatis Marcionis, nunc autem euangelicâ fruitur agriculturâ. Eius ad Meridiem est quidam collis, neque valdè asper, neque admodum accliuis. In eo monasticum ædificauit habitaculum Thalassius vir admirabilis, qui est multis quidem alijs quoque bonis exornatus, sed morum simplicitate mansuetudineque & moderatione omnes homines sui temporis superauit. Hoc autem dico, non vt qui soli credam auditui, sed qui eius etiam fecerim periculum. Ad virum enim sæpè accessi, & eius sum sæpè vsus suaui consuetudine.

Thalassius simplicitate morum & mansuetudine elucens.

Ab eo in hoc loco fuit initiatus, qui nunc ab omnibus decantatur Limnæus, & cùm admodum iuuenis ad illam peruenisset palæstram, pulchrè in hac summâ instituebatur philosophiâ. Et primùm quidem cùm linguam sciret esse lubricam, adhuc adolescens hoc sibi constituit [58] silentium: mansitque longissimo tempore cum nemine quidquam loquens. Postquam autem diuini illius senis doctrinæ satis fuit particeps, & se ostendit expressam illius virtutis imaginem, accessit ad magnum illum Maronem, cuius priùs quoque meminimus. Accessit autem eodem tempore quo diuinus quoque Iacobus. Cùm autem ex eo quoque magnam percepisset vtilitatem, & quæ sub dio agitur vitam esset æmulatus, occupauit aliud montis cacumen quod imminet cuidam vico, quem nominant [59] Targallam. In eo degit vsque in hodiernum diem, non habens domunculam, non tabernaculum, non tugurium: sed solo continetur septo quod est ædificatum ex [60] lapidibus. Habet autem quoddam paruum ostium luto assiduè obstructum: quod aduenientibus quidem alijs numquam aperit, mihi autem soli accedenti hoc permittit facere. Eâ de caussâ vndiquaque congregantur plurimi cùm meum aduentum senserint, desiderantes esse mei ingressus participes. Cum ijs autem qui aliquando ad ipsum veniunt, loquens per paruam quamdam fenestram, eos impertit benedictione, per eam plurimis sanitatem largiens. Seruatoris enim nostri vtens nomine, & morbos cessare facit, & dæmones expellit, & apostolica imitatur miracula.

Limnæus Thalassij discipulus.

Silentium sibi indicit.

Suprà c. 16

A Marone instructus.

Sub dio degit.

Morbidos & dæmoniacos curat.

Non solùm autem ijs qui ad ipsum veniunt suppeditat curationem, sed eam quoque sæpenumerò præbuit suo corpori. Eum enim iam pridem inuaserat morbus colicus. Quàm sint autem acres qui ex eo oriuntur dolores & cruciatus, optimè quidem sciunt qui illum sunt experti: sciunt autem ij quoque qui eius fuêre spectatores. Prouoluuntur enim similiter atque ij qui rabie agitantur, huc

huc & illuc se vertentes: & crebrò pedes extendentes & contrahentes: nonnumquam autem sedent & surgunt & ambulant, aliquam quietis viam quærentes: & ideò assident balneis, sæpè ex eo aliquam accipientes consolationem. Et quid opus est longiori vti oratione in ijs enumerandis quæ sunt aperta & manifesta omnibus? Cum hoc morbo colluctans, & tot tantisque cruciatus doloribus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non à medicamentis aut cibis est recreatus, sed in tabulâ humi iacente sedens, oratione & crucis signaculo est curatus, & carmine diuinæ appellationis sopijt cruciatus.

Oratione & signaculo crucis illicum morbum pellit.

Porrò autem cùm is quoque noctu aliquando ambularet, calcauit dormientem viperam. Ea verò apprehendens plantam pedis, in eam dentes infixit. Cùm autem pedi conaretur opem ferre, se quidem inclinauit, & ei manum admouit, os autem bestia in eam conuertit. Cùm autem rursus sinistrâ esset vsus vt ei succurreret, in eam quoque traxit iram bestiæ. Postquam autem fuit eius furor exsatiatus (illi enim plus quàm decem morsus intulit) tunc quidem recessit, & suam cauernam repetijt. Ille autem vndique maximis cruciabatur doloribus. Sed neque tunc passus est vti arte medicinæ: sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum, & orationem, & Dei inuocationem. Ideò autem, vt existimo, Deus vniuersorum permisit illam bestiam in illud sacrum corpus furere, vt diuinæ illius animæ omnibus apertam ostenderet tolerantiam. Nam eius quoque quod generosi & fortis animi Iob idem videmus fuisse consilium. Siuit enim eum maximis ijsque omni generis agitari fluctibus, cùm sapientiam gubernatoris vellet omnibus ostendere. Vndenam enim aliàs cognouissemus vel illius fortitudinem, vel huius tolerantiam, nisi in eos quæuis tela conijciendi datus esset locus inimico pietatis.

Simili ratione viperæ venenū depellit.

Atque ad viri quidem tolerantiam docendam hæc sufficiunt, clementiam autem & benignitatem aliunde ostendemus. Nam cùm multos visu priuatos, & qui mendicare cogebantur congregasset, & vtrimque ad Orientem & Occidentem eis habitacula ædificasset, iussit in eis degere, & Deum laudare, alimentum eis necessarium præcipiens suppeditari ab illis qui ad ipsum veniebant. Ipse autem medius inter eos inclusus, & hos & illos incitat ad hymnodiam: & licet eos audire Deum assiduè laudantes. Tanta est eius perpetua benignitas in eos qui sunt eiusdem generis. Eorum autem quæ sub dio suscipiuntur certaminum, ipsi & magno Iacobo est idem tempus. Iam enim complerunt trigesimum octauum annum.

Benignitas eius in cæcos & pauperes.

Iam 38. annis sub dio certat.

61 IOANNES, MOYSES, ANTIOCHVS, ANTONIVS.

CAP. XXIII.

Hoc vitæ institutum æmulatus quoque est Ioannes, vir præter cetera clarus lenitate & mansuetudine. Is cùm rupē quamdam valdè asperam, tempestatibusque obnoxiam, & ad Septemtrionem vergentem occupasset, in illâ iam transegit vigintiquinque annos, aëris contrarios excipiens impetus. Alia autem omnia, ne singula persequar, cibus & vestis & ferri pondera, sunt ijs qui priùs dicti sunt similia. Est autem humanis omnibus adeò superior, vt nullo ex eis fruatur solatio. Afferam autem huius rei indicium euidens. Nam cùm propter torum eius herbaceum vir quidam bonus plantasset amygdalum, & ea deinde procedente tempore arbor euasisset, adeò vt & ei vmbram præberet, & oculos pasceret, iussit eam exscindi, vt ex eâ nullam acciperet recreationē.

Ioannes 25. annis in rupe asperâ degit.

Omnem recreationem à se abdicat.

Hoc vitæ institutum amplexus quoque est Moyses, in alto quodam montis vertice, qui impendet vico Romæ, decertans.

Moyses.

Et Antiochus vir senex, qui in monte maximè deserto paruum septum extruxit.

Antiochus.

Et Antonius, qui in corpore senio confecto æquè decertat atque iuuenes.

Antonius.

Est autem eis eadem vestis, & cibus, & status, & oratio, nocturnique & diurni labores: & nec longitudo temporis, nec senectus, nec naturæ imbecillitas eorum superat tolerantiam; sed in eis floret ac viget laborandi studium. Alios quoque plurimos athletas habet in montibus & agris Deus virtutis agonotheta, quos non est enumerare facile, nedum vitam vniuscuiusque scribere.

Eadem ijs vestis, cibus, status, oratio.

Cùm ergo sufficientem ex eis vtilitatem ijs, qui lucrari voluerint, adiecerim, me conuertam ad aliud genus narrationis, rogans vt sim eorum quoque benedictionis particeps.

Theodoretus benedictionis eorum participationem petit.

62 ZEBINAS ET POLYCHRONIVS.

CAP. XXIV.

Zebinam prædicant vsque in hodiernum diem, qui vt illum viderent, digni sunt habiti. Aiunt autem eum, cùm ad extremam peruenisset senectutem, iisdem esse laboribus vsum vsq; ad finem: nec, licet grauissimo premeretur senio, ex certaminibus iuuentutis aliquid immutasse. Superabat autem, vt dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In eâ enim diu noctuq; versans, non solum non satiebatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. quinetiam cum ijs qui ad ipsum veniebant paucis disserens, nō poterat in animum indu-

Zebinas etiam senex instituti tenax.

Assiduus in oratione.

inducere vt cogitationem à cælis deduceret: sed statim ab illis liberatus, vt nec tantillum quidem ab ijs quæ sunt Dei vniuersorum separatus, offerebat rursus deprecationem. Postquam autem non permittebat senectus, vt citra molestiam stare posset assiduè, sustentaculum ei præbebat baculum; cui innixus, Dominum & laudabat & orabat. Cùm autem præter alia bona esset ornatus amore in hospites, iubebat multos ex ijs qui ad ipsum veniebant, exspectare vesperam. Illi autem timentes ne totâ nocte illic starent, aliqua sua negotia prætexentes, se ab illis subducebant laboribus.

Zebinas hospitalis.

Hunc ille quoque magnus admiratus est Marum: & omnes ad se venientes ad illum íre iubebat, & accipere eius benedictionem, eum patrem & magistrum nominans, & totius virtutis exemplar vocans. Rogauit autem vt in eodem quoque sepulcro poneretur: sed non siuerunt, [63] qui corpus illud sacrum diripuerunt, [64] & in eum locum quem diximus detulerunt. diuinus autem Zebinas cùm ante eum obiisset, in vico ei propinquo, is autem appellatur Cirtica, iusta sibi facta accepit. In eius sepulcro maximam ædem ædificarunt: ijs enim qui cum fide accedunt, variam ac multiplicem effundit curationem. Habet autem nunc quoque sub eodem tecto martyres, qui apud Persas quidem decertarunt, annuis autem & celebribus festis à nobis honorantur.

Totius virtutis exemplar.

Varij ad sepulcrum eius curantur.

Huius doctrinam magnus accepit Polychronius: quinetiam diuinissimus Iacobus dicebat eum sibi primùm dedisse tunicam ex pilis contextam. Ego autem qui illum numquam vidi (ante meum enim aduentum vitæ finem acceperat) in hoc egregio Polychronio diuini Zebinæ video philosophiam: non sic enim cera exprimit figuras annulorum, vt hic illius effingit formam & characterem. Hoc autem apertè scio, ea quæ de illo narrantur, cum ijs quæ ab hoc fiunt, conferens. Est enim similiter diuino incensus desiderio, & est terrenis omnibus superior, & corpori alligatus mentem habet alatam, & quæ fertur sublimè, aëremque traiicit & ætherem, & cælis fit sublimior, & perpetuò diuinam visione apprehendit contemplationem, nec potest illinc vmquam mentem detrahere; quinetiam cum ijs qui adueniunt colloquens, superna mente peragrat.

Polychronius Zebinæ discipulus.

Eius autem per totam noctem vigiliam & stationem hinc didici. Cùm eum viderem simul & cum senio conflictantem & cum imbecillitate, & nullam omnino habentem curam corporis, sæpiùs precatus ei persuasi, vt duos assumeret, qui simul habitarent, & aliquam consolationem ab eis acciperet. Quoniam autem petijt viros virtute claros, qui per se in alio degebant monasterio, illis quoque viris admirandis persuasi, vt diuini hominis curam omnibus præponerent. Ij cùm paruo tempore cum eo habitassent, conati sunt fugere, per noctem illam non ferentes stationem. Cùm autem virum diuinum obsecrarem, vt imbecillitate corporis metiretur laborem; Non solùm, inquit, eos non cogo stare mecum assiduè, sed etiam sæpè præcipio, vt decumbant: illi autem, Et quomodo possemus, aiebant, eo qui in laboribus consenuit, stante, & imbecillitatem corporis despiciente, decumbere, cùm simus sani & in mediâ ætate? Sed venerandi quidem mihi capitis nocturnos labores sic didici. Hi autem viri procedente tempore sibi tantam parauêre virtutem, vt cum hoc magno viro eamdem persequerentur philosophiam.

Nocturnâ statione se exercet.

Et Moyses quidem, (hoc est enim ei nomen) permansit vsque in hodiernum diem, tamquam patri & domino omne ei seruitium exhibens: & quæ ex sacrâ illâ animâ coruscat virtutem accuratè perfecteque exprimens.

Moyses Polychronij discipulus.

Damianus autem (hoc enim erat nomen alteri) cùm peruenisset ad quemdam vicum non procul situm, ei autem est nomen Niara, & præter alias paruam quamdam inuenisset domunculam, in illâ degit, idem vitæ institutum persequens: adeò vt qui hunc & illum rectè norunt, eum aspicientes, existiment se videre beati Polychronij animam in alio corpore. Eadem enim & simplicitas & mansuetudo & moderatio, eadem lenitas sermonis, eadem in congressu suauitas, eadem animæ vigilantia, & Dei intelligentia, idem status & labor & vigilia & cibus: & quæ est ex lege diuinâ, paupertas & nihil possidere. Nam præter vnam sportulam, quæ lentem habet madefactam, nihil est in habitaculo. Tantam accepit vtilitatem ex consuetudine magni Polychronij.

Item Damianus.

Lente madefactâ viuit.

Ego autem relicto discipulo redibo ad magistrum: à fonte enim riui fluenta procedunt. Hic ergo cum alijs vitijs eiectâ quoque ex animâ gloriæ cupiditate, & inanis gloriæ conculcatâ tyrannide, studebat semper labores occultare. Et ferrum quidem vt gestaret non inducebat in animum, timens ne ex eo aliquid damni hauriret, si arrogantiæ inflammationem anima ex eo accepisset. Cùm autem quercus grauissimam radicem ad se deferri iussisset, vt qui ad alium scilicet vsum eâ opus haberet, eam & noctu imponebat humeris, & eâ impositâ orabat;

Polychronius virtutes occultat.

orabat, & interdiu, cùm esset ei otium. Cùm autem veniret aliquis, & pulsaret ostium, eam in loco aliquo abscondebat. Hanc cùm vidisset quidam, mihi indicauit: & cùm vellem scire quantum esset eius pondus, vix eam potui tollere ambabus manibus. Is autem cùm me aspexisset, iussit eam dimittere: ego autem eum rogabam vt mihi eam permitteret accipere, vt ei eriperem occasionem laboris. Postquam autem eum vidi ægrè ferre, ei cessi desiderio victoriæ.

Polychronius miraculis claret. Ex his laboribus efflorescit ei quoque data gratia diuinitus, & multa fiunt miracula illius orationibus. Etenim cùm grauis illa siccitas quæ homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eum multitudo sacerdotum. Erat autem vnà cum eis quidam quoque cui Antiochenæ regionis multi vici pascendi erant crediti. Is ex ijs qui aderant, rogabat seniores, vt ei persuaderent, vt manum dexteram imponeret lecytho. Cùm ij autem dixissent, eum non esse id facturum, dum preces post hæc fierent, & venerandum mihi caput oraret, ille ponè stans porrexit duabus manibus lecythum. Is autem ita cœpit scatere, vt duo aut tres ex ijs qui aderant manus extenderent, & eas plenas oleo acciperent. Sed licet & diuinæ gratiæ fundat radios, & rectis officijs præclarisque & ex virtute rebus gestis sit plenus, & quotidie colligat opes philosophiæ, est tamen tantâ modestiâ & moderatione præditus, vt vniuscuiusque ex ijs qui ad ipsum veniunt ambos pedes amplectatur, & frontem terræ imponat, siue fuerit miles, siue opifex, siue rusticus.

Lecythus oleo scatet benedictione Polychronij.

Aduenientes adorat Polychronius.

Narrabo autem aliquid quod possit docere eius simplicitatem & moderationem. Quidam vir bonus, cui huius gentis obtigit præfectura, cùm Cyrum venisset, cupiebat mecum frui aspectu horum magnorum athletarum. Cùm alios ergo obijssemus, ad hunc quoque accessimus cuius virtutem nunc narramus. Cùm ego itaque dixissem esse præfectum qui mecum accessisset, & æqui iustique amatorem, statim homo diuinus vtrasque manus tendens & ambos pedes prehendens, Volo, inquit, vt mihi aliquam promittas petitionem. Cùm is autem ægrè ferret, & vt surgeret oraret, & se quod iusserit facturum polliceretur, (conijciebat enim eum velle rogare pro aliquo ex ijs qui eius parebant ditioni:) Quoniam ergo, inquit homo diuinus, es pollicitus, & iureiurando promissum confirmasti, acri & vehementi studio Deo pro me offer preces. Is autem frontem pulsans obsecrabat, vt eum absolueret à iureiurando, vt qui non esset dignus pro ipso preces offerre Domino.

Supplex preces aliorum petit.

Eius ergo qui in tam altâ philosophiâ tantâ sit modestiâ ac moderatione, quænam oratio possit eius laudes pro dignitate consequi?

Nullis morbis in studio virtutum retardatur. Huius in laboribus suscipiendis studium ne varij quidem ac multiplices morbi qui in eum incubuêre, retardarunt: sed cùm à varijs morbis obsideatur, eosdem labores sustinet. Cùm multis autem sæpè verbis apud eum egerimus, vix hanc ædificauimus domunculam, corpori planè frigefacto aliquantulum caloris procurantes. Ei multi quidem adhuc superstites aurum sæpè obtulerunt, & qui etiam excessêre reliquerunt, sed nihil ab vllo vmquam accepit: sed eorum quæ offerebantur eos iussit esse dispensatores. Porrò autem magnus quoque Iacobus cilicium ab aliquo ad se delatum ad ipsum misit: sed id quoque remisit, cùm id esse videret densius & elegantius. Perpetuò enim vsus est vilibus & minimi pretij vestibus. Adeò autem existimauit paupertatem esse quouis regno magis expetendam, vt nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum. Scio enim me sæpè venisse, & benedictionem petijsse, neque aliquid aliud inuenisse quàm solas duas caricas. Huius mel, & ijs qui vident, est valdè expetendum; & ijs qui audiunt, suaue & maximè iucundum. Nullum enim vidi hominé, ne ex ijs quidem qui sunt faceti & dicaces, qui vllâ vmquam reprehensionis labe eum asperserit: sed omnes eum & prædicant & celebrant, & ad ipsum venientes, minimè volunt recedere.

Aurum oblatum reijcit.

Cilicium elegantius datori remittit.

Paupertas quouis regno potior.

65 ASCLEPIVS, ET IACOBVS EREMITA. CAP. XXV.

HVIVS ordinis est admirabilis quoque Asclepius, qui abest quidem decem stadijs, idem autem vitæ institutum est æmulatus. Est enim ei idem & cibus, & vestis, & morum moderatio, in hospitesque & in fratres charitas, lenitasque & mansuetudo, & cum Deo conuersatio, & summa paupertas, & maximæ virtutis copiæ, & opes philosophiæ, & alia omnia quæ de illo sacro capite recensuimus. Dicunt autem, eum quoque cùm esset in numero fratrum qui in vico habitant, monasticam & temperatam vitam fuisse amplexum, nec ex multorum congressu vllam contraxisse maculam. Cùm ergo in vtraque vitâ, nempe & ciuili & solitariâ, se egregiè gesserit, duplicibus quoque coronis meritò dignabitur.

Asclepius eiusdem cum Polychronio instituti.

In vtraque vitâ ciuili & solitariâ egregius.

Porrò autem multi quoque alij sunt horum æmulati virtutem: & plena est non nostra solùm, sed etiam vicinæ ciuitates & pagi, tali philosophiâ. Est autem vnus ex his diuinus quoque Iacobus, in quadam

Iacobus in domunculâ inclusus. domunculâ inclusus iuxta vicum qui dicitur Duzan. Qui cùm sit etiam in ipso vitæ termino, (est enim plusquam nonaginta annos natus) inclusus est solus, & per quamdam modicam fossam, instar incuruæ lineæ factam, responsa quidem reddit, sed non videtur: & neque igne vtitur, neque lumine lucernæ. Me quidem bis perfosso ostio iussit admitti, hoc me honore afficiens, & quàm mihi benè velit ostendens.

Atque ij quidem qui adhuc superstites, scriptis meis non indigent: possunt enim, si velint, ipsi eorum contemplari philosophiam. *Theodoretus sanctorum benedictioně postulat.* Posteris autem & qui hoc non videre spectaculum, hæc quoque ad vsum sufficiunt, vt quæ philosophiæ ostendant characterem. Hîc ergo, & de his absolutâ oratione, & benedictionis postulatâ remuneratione, ad aliam transibo narrationem.

CAP. XXVI. « SIMEONES.

Simeon orbis miraculum. SIMEONEM illum insignem, magnum illud orbis terrarum miraculum, sciunt quidem omnes qui parent imperio Romanorum; norunt autem Persæ quoque, & Indi, & Æthiopes: quinetiam ad Scythas vsque Nomadas fama peruadens, eius in laboribus subeundis diligentiam docuit & philosophiam. Ego autem etiam cùm omnes, vt semel dicam, homines testes habeam, vereor narrare certamina, quæ omnem superant orationem; ne posteris videatur fabula nuda ab omni veritate. Quæ enim fiunt, humanâ sunt naturâ superiora: solent autem homines naturâ metiri ea quæ dicuntur. Si quid autem dicatur quod eius excedat limites, falsa videtur oratio ijs qui non sunt diuinis initiati mysterijs. Quoniam autem pijs & verâ religione præditis terra & mare plena sunt: & qui in rebus diuinis sunt eruditi, & sanctissimi Spiritus gratiam accepêre, tantum abest vt non credant ijs quæ dicenda sunt, vt ijs etiam magnam fidem sint habituri: prompto & alacri animo accedam ad narrationem. illinc autem incipiam vnde etiam supernâ dignatus est vocatione.

Ortus est Sesa vico. Est quidam vicus situs in confinio nostræ regionis & Cilicum, eum autem Sesam nominant, ex hoc ortus, primò à parentibus docebatur oues pascere, *Pascit oues.* vt in hoc conferri possit cum magnis viris, Iacob patriarchâ, Ioseph temperante, & Moyse legislatore, & Dauid rege & prophetâ, & Michæâ prophetâ, & viris diuinis qui illis fuêre similes. Cùm aliquando autem plurimùm * ninxisset, & coactæ essent oues intus manere, factâ ei potestate quiescendi, ad templum diuinum venit cum parentibus.

** malè impressum antè nauigasset.*

Hæc autem narrantem audiui sanctam linguam. *In templo sententiam fortè euangelicam audiens conuertitur. Matth. 5.* Dicebat ergo se vocem audiuisse euangelicam, quæ eos quidem qui flent & lugent beatos pronuntiat: miseros autem vocat eos qui rident, & eos nominat felices qui sunt mundo corde prædidi, & alia quæ sunt his connexa. Deinde ex ijs qui aderant interrogasse quempiam, quidnam fecerit aliquis vt horum vnumquodque consequatur? eum autem illi vitam retulisse solitariam, & summam illam ostendisse philosophiam.

Cùm ergo verbi diuini hæc suscepisset semina, & profundis animæ sulcis ea pulchrè occuluisset, dicebat se iuisse in proximam ædem sanctorum martyrum: *Confert se ad ecclesiâ sanctorum martyrum.* in eâ autem & genua & frontem in solo defixisse, & eum *1.Tim.2.* rogasse qui vult omnes homines saluos facere, vt eum deducat ad viam perfectam pietatis & veræ religionis. Cùm autem hoc modo diu esset moratus, dulcem quidem somnum quemdam sibi obrepsisse, tale autem vidisse somnium: *Visio Simeonis.* Mihi, inquit, videbar fodere fundamenta; deinde audire aliquem astantem, quòd me oporteat fossam facere profundiorem. Cùm itaque adiecissem vt iussit altitudinem, rursus tentabam quiescere: sed me quoque rursus iubebat fodere, & non cessare à labore. Cùm autem hoc mihi ter & quater præcepisset facere, tandem dixit eam sufficere altitudinem: & iussit ædificare deinceps nullo labore, vtpote quòd cùm cessasset labor, futura quoque esset ædificatio citra laborem. Huic prædictioni res ferunt testimonium: Ea enim quæ fiunt, humanam naturam excedunt.

Cùm illinc surrexisset, ad propinquorum quorumdam monachorum venit habitaculum. Duobus autem annis cum illis versatus, & perfectioris virtutis amore captus, venit ad vicum illum Teledam, cuius priùs quoque meminimus, apud quem magni & diuini viri Ammianus & Eusebius palæstram *Ammianus & Eusebius.* fecerêre monasticam. Sed non venit in hanc diuinus Simeones, sed in aliam quæ ex hac germinauit: [67] Eusebonas enim & Abiton *Eusebonas & Abiton.* cum magni Eusebij doctrinam satis percepissent, hoc philosophiæ ædificauere gymnasium. Cùm itaque toto vitæ tempore fuissent & animis concordes & moribus, & veluti vnam animam ostendissent in duobus corporibus, multos habuerunt qui eiusdem vitæ tenebantur amore.

Cùm ij autem ex hac vitâ gloriosè excessissent, [68] Heliodorus admirandus suorum *Heliodorus præfectus monasterij.* sodalium accepit præfecturam: qui cùm vixisset sexaginta & quinque annos, sexaginta & duos annos intus inclusus transegit. Cùm *Ab infantiâ monachus.* enim tres annos apud suos parentes fuisset educatus,

educatus, hunc gregem est ingressus, cùm nihil vnquam aspexisset eorum quæ fiunt in mundo. Dicebat autem, se ne ipsam quidem nosse formam porcorum; vel gallorum, vel aliorum huiusmodi. Eum ego sæpè vidi, & simplicitatem morum sum admiratus, & eius animi puritatem sum mirum in modum amplexus.

Cùm ad hunc venisset hic præstantissimus pietatis athleta, decem quidem annos perpetuos decertauit. Cùm autem haberet octoginta eiusdem certaminis socios, omnes longo interuallo superauit. Et cùm alij post duorum dierum spatium vescerentur, ipse totam hebdomadam permanebat ieiunus, ægre ferentibus præsidibus, & cum eo contendentibus, & ordinis perturbationem eam rem vocantibus, ijs tamen quæ dicebantur non persuadentibus, nec animi alacritatem refrænare valentibus.

Ieiunat integrâ hebdomadâ.

Audiui autem illum ipsum narrantem qui nunc est huius gregis præfectus, quòd cùm aliquando funem contextum ex palmis (est autem is asperrimus) sumpsisset, & manibus astrinxisset, eo lumbos succinxit, non apponens extrinsecùs, sed ipsi pelli applicans: & tam arctè compressit, vt tota illa pars cui fuerat impositus, circumcircà exulceraretur. Postquam autem plus quàm decem dies hoc modo transegisset, & vlcus quod incrudescebat guttas sanguinis emitteret, rogauit quidam qui hoc viderat quænam esset caussa sanguinis. Cùm is autem diceret nihil esse quod ei afferret molestiam, eius socius per vim & manum immisit, & caussam didicit, & eam præfecto renuntiauit. Mox ergo increpans, & rogans, & rei crudelitatem reprehendens, vix illi soluit vinculum: sed nec sic persuasit vt illi vlceri vllam adhiberet medicinam. Porrò autem cùm eum viderent facere alia eiusmodi, iusserunt vt ab illâ palæstrâ recederet, ne ijs qui erant corpore imbecilliori, ea quæ essent supra vires æmulari conantibus, damni caussa fieret.

Fune palmeo lumbos succingit.

Egressus ergo cùm venisset ad montis loca magis solitaria, & quemdam sine aquâ lacum non valdè profundum inuenisset, in eum seipsum demisit, & in eo Deo offerebat hymnodiam. Pœnitentiâ autem ducti illius palæstræ præfecti, duos quosdam emiserunt, permittentes vt eum quærerent & ducerent. Cùm itaque ij montem circuissent, rogarunt quosdam qui illic pascebant pecora, an vidissent aliquem tali colore præditum, & sic vestitum. Vbi autem lacum pastores ostenderunt, valdè quidem statim exclamauerunt, fune autem allato, eum cum magno labore extraxerunt: non est enim æquè facilis ascensus atque descensus.

Lacum siccum pro domicilio eligit.

Cùm itaque paruo tempore apud illos esset moratus, venit in vicum Telanessum, subiectum cacumini montis in quo nunc degit. In eo cùm paruam inuenisset domunculam, tres annos transegit inclusus.

Tres annos in paruâ domunculâ inclusus degit.

Cùm autem contenderet virtutis augere diuitias, desiderauit similiter ac diuini homines Moyses & Elias, ieiunus permanere quadraginta diebus: & admirabili Basso conatur persuadere, qui tunc multos obijt vicos, vt qui præesset ijs qui erant in pagis sacerdotibus, vt nihil quidem intus relinquat, luto autem ostium obstruat. Cùm is autem rei referret difficultatem, & moneret ne violentam mortem existimaret esse virtutem: est enim id crimen & maximum & primum. At tu, inquit, ô pater, repone mihi decem panes, & hydriam aquæ, & si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est vt iussit; & illa quidem fuerunt reposita, ostium autem luto est obductum. Finitis autem diebus, venit quidem ille admirandus & homo Dei Bassus: amoto autem luto, ostium ingressus, inuenit quidem panum numerum; inuenit autem vrnam quoque aquâ plenam: ipsum autem iacentem, nec spirantem, & nec loqui nec moueri potentem. Spongiâ ergo petitâ, cùm os eâ humectasset & eluisset, ei obtulit diuinorum Sacramentorum symbola: & sic per hæc confirmatus, surrexit, & modicum cibi sumpsit, lactucas, & intybum, & his similia paulatim mandens, & ad ventriculum transmittens.

Ieiunat per integram quadragesimam absque cibo.

Inde Eucharistiâ reficitur.

Obstupefactus itaque magnus ille Bassus, venit ad suum gregem, magnum hoc narrans miraculum. Habebat enim plus quàm ducentos sodales, cùm nec eis iumentum habere nec molam permisisset, neque aurum ab aliquo oblatum accipere, neque aliquem extra fores egredi, aut aliquid ex necessarijs empturum, aut aliquem ex suis notis visurum; sed intus agere, & quod à diuinâ gratiâ mittebatur alimentum accipere. Hanc legem in hodiernum vsque diem seruant sodales, & quamuis creuerit eorum numerus, mandata quæ eis data sunt non transilierunt. Ego autem ad magnum transibo Simeonem.

Leges monasterij cui præerat Bassus.

Ab illo ergo tempore vsque in hodiernum diem, (iam autem præterierunt viginti & octo anni) manet ieiunus quadraginta dies. Tempus autem & assuefactio multum detraxit de labore: solebat enim primis diebus stare & Deum laudare; deinde cùm propter inediam non posset ampliùs corpus pati stationem, deinceps sedere & diuinum peragere officium; postremis autem diebus

Annis 28. quadragesimam sine cibo transigit Simeon.

diebus etiam accumbere. Nam cùm paulatim consumerentur & extinguerentur vires, cogebatur iacere semimortuus. Postquam autem stetit in columnâ, non inducebat quidem in animum vt descenderet, sed aliâ ratione excogitauit vt staret. Nam cùm trabem quamdam columnæ alligasset, & seipsum rursus funibus trabi adaptasset, sic quadraginta dies perpetuos transegit. Post hæc autem cùm maiorem deinceps à superis gratiam accepisset, ne hoc quidem opus habuit auxilio: sed stetit quadraginta dies, cibum quidem non sumens, sed alacritate animi & diuinâ gratiâ confirmatus.

Stans per totam quadragesimam perdurat.

Cùm hos ergo tres perpetuos, vt dixi, annos in illâ transegisset domunculâ, ad hoc tantopere sermonibus iactatum & celebratum venit cacumen: & cùm septum circumcircà fieri mandasset, ferream autem catenam viginti cubitorum comparasset, & eius vnum quidem initium cuidam petræ maximæ appendisset, alterum autem dextero pedi adaptasset, vt nec si vellet quidem, abiret extra eos limites, in eo degit, cælum assiduè visione apprehendens, & vt ea quæ sunt supra cælos contemplaretur sibi vim afferens: mentis enim volatum non impediebat ferri vinculum. Postquam autem [69] Meletius ille admirabilis, cui tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antiochenæ ciuitatis, vir cordatus, & prudentiâ clarus, & ingenij solertiâ ornatus, superuacaneum dixit esse ferrum, cùm sufficiat mens ad corpori imponenda rationis vincula, cessit quidem, & eius paruit suasioni. Cùm autem æris fabrum accersiri iussisset, præcepit solui vinculum. Cùm autem tibiæ quoque adaptata esset pellis, ne corpus læderetur à ferro, & oporteret eam, (fuerat enim consuta) disrumpi, dixerunt se vidisse plus quàm viginti maximos cimices, in eâ tamquam in cauernâ delitescentes: & hoc se dicebat vidisse admirandus Meletius. Ego autem huius memini, hinc quoque ostendens magnam viri tolerantiam: nam cùm posset pellem manu comprimere, & omnes facilè interimere, molestos morsus toleranter passus est, in paruis se lubenter ad maiora exercens.

Ferreâ catenâ se alligat, septo conclusus.

Magna viri tolerantia supra Stoicorum ἀπάθειαν.

Cùm ergo peruolaret fama in omnes regiones, concurrebant omnes, non solùm vicini, sed qui etiam multorum dierum itinere aberant; alij quidem paralyticos afferentes, alij verò ægris sanitatem petentes, alij autem vt patres fierent rogantes, & quod à naturâ non acceperant, ab illo volebant accipere: cumque acciperent, & quæ postulabant impetrarent, læti quidem redibant, quæ autem erant consecuti beneficia prædicantes, longè plures eadem petituros emittebant. Sic autem omnibus vndique aduenientibus, & per totam viam instar fluminis affluentibus, videre est pelagus hominum in illo loco constitutum, quod fluuios vndiquaque excipit. Non solùm enim confluunt qui nostram habitant regionem, sed & Ismaelitæ, & Persæ, & Armenij qui sunt eis subiecti, & Iberes, & Homeritæ, & qui illis sunt interiores. Venerunt autem multi quoque qui habitant extrema Occidentis, Hispani inquam, & Britanni, & Galli, qui quod est intermedium occupant. De Italiâ enim superuacaneum est dicere: aiunt enim Romæ, quæ est longè maxima, eum fuisse adeò omnium sermone celebratum, vt in officinarum omnibus vestibulis & porticibus ei paruas [70] posuerint imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes.

Afflicti à Simeone læti redeũt.

Ex omnibus orbis partibus ad Simeonem concurritur.

Imagines eius Romæ in officinarum vestibulis, ad præsidium.

Cùm ergo venirent innumerabiles, (conabantur autem omnes contrectare, & ex pelliceis illis vestibus aliquam percipere benedictionem) primùm quidem absurdum & alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem, deinde etiam rem ægrè ferens, vt nimis laboriosam, machinatus est illam in columnâ stationem: primùm quidem iubens ædificari sex cubitorum, deinde duodecim, posteà autem viginti duorum, nunc autem sex & triginta. Cupit enim in cælum euolare, & ab hac terrenâ liberari conuersatione.

Ex contactu vestis eius pelliceæ speratur subsidium.

Cedrenus hæc habet verbotenus anno 32. Theodosij.

Ego autem nec absque diuino consilio existimo hanc factam fuisse stationem. Quamobrem eos hortor qui reprehendendi studio delectantur, vt linguam suam refrænent, & non temerè eam ferri permittant, sed potiùs considerent quòd sæpè talia machinatus est Dominus vt eis prodesset qui sunt socordiores. Etenim iussit Isaiam ambulare nudum & nudis pedibus; Ieremiam lumbis cingulum circumponere, & sic incredulis offerre propheticam; & aliquando etiam lignea collaria & ferrum collo imponere; quinetiam Osee quoque vxorem accipere fornicariam, & rursus amare mulierem fornicariam & adulteram; & Ezechieli super dexterum latus cubare quadraginta dies, & super sinistrũ centum & quinquaginta, & rursus murum perfodere, & fugientem exire, & sibi describere captiuitatem; quinetiam ensem aliquando acuere, & eo caput radere, & in quatuor partes capillos diuidere, & alios quidem huic, alios verò illi distribuere, ne omnia recenseã. Vnumquodque autẽ horum iussit fieri Rector vniuersorũ, eos qui sermoni non parebant, nec vt prophetias audirent in animum inducebant, admirabilitate spectaculi colligens, & vt diuina responsa

Monastica austeritas ex veteri Testamẽto astruitur.

Isai. 20.

Ierem. 13.

Idem 27.

Osee 1.

Ezech. 4.

Ibidem.

Idem 12.

Idem 5.

responsa audirent, efficiens. Quis enim non obstupuit, cùm videret diuinum hominem 71 nudum ingredientem? Quis autem non desiderauit scire caussam, cur hoc fieret? Quis autem non est percontatus, cur fornicariam propheta secum habitare pateretur?

Quomodo ergo vniuersorum Deus iussit illorum vnumquodque fieri, curam gerens eorum qui ignauè & socorditer viuebant: ita etiam hoc nouum & admirabile procurauit spectaculum, rei nouitate & admirabilitate omnes trahens ad spectandum, & efficiens vt aduenientibus credibilis exhiberetur admonitio. Nouitas enim spectaculi est pignus sufficiens doctrinæ: & qui venit ad spectaculum, cùm res diuinas doctus fuerit recedit. Et quemadmodum ij quibus obtigit vt essent reges hominum, post aliquam temporis conuersionem mutant imagines nummorum; aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem stellarum, & aliquando Angelorum, nouo charactere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiam summus Rex vniuersorum, veluti quasdam figuras ac characteres, hæc noua & multiplicia viuendi instituta, pietati veræque religioni adijciens, non solùm fidei alumnorum, sed eorum qui laborant morbo incredulitatis, ad laudandum linguas excitat. Et quòd ita se habeat, non solùm verba testantur, sed etiam res ipsæ clamant. Ismaëlitarum enim millia innumerabilia, quæ impietatis seruiebant caligini, illa in columnâ illuminauit statio. Nam veluti super candelabrum aliquod posita hæc lucerna lucidissima, solis instar emisit circumquaque radios: & est, vt dixi, videre Iberos venientes, & Persas, & Armenios, & diuinum Baptismum accipientes. Ismaëlitæ autem turmatim venientes, ducenti simul & trecenti, & nonnumquam etiam mille, errorem quidem patrium negant cum clamore: quæ autem illi coluerant simulacra, ante magnum illud lumen conterentes, & Veneris Orgijs renuntiantes (ab alto enim repetitis temporibus acceperant cultum huius dæmonis) diuina percipiunt Sacramenta; leges accipientes à diuinâ illâ linguâ, & patrios ritus valere iubentes, asinorumque agrestium & camelorum esum abnegantes. Eosque ego & vidi & audiui & patriam impietatem abnegantes, & doctrinæ euangelicæ assentientes.

Spectaculi nouitas pignus sufficiens doctrina.

Vt à variâ imagine diuersum nummo pretium, ita religioni à vario vita instituto.

Variarum gentium ad Simeonem concursus & conuersio.

Semel autem maximum adij periculum: ipse enim eis dixit vt ad me accederent, & sacerdotalem acciperent benedictionem, dicens fore vt magnum hinc fructum perciperent. Cùm illi autem paulò magis barbaricè concurrissent, alij quidem antè trahebant, alij verò ponè, alij autem ex obliquo: qui autem alijs aberant longiùs, irruentes, & manus protendentes, alij quidem barbam vellebant, alij verò vestes apprehendebant; & à vehementiori illorum aditu fuissem suffocatus, nisi ille clamorem edens, omnes dispersisset. Talem, quæ à dicacibus irridetur hominibus, columna effudit vtilitatem, & tantum emisit radium Dei cognitionis in mentes barbarorum.

Sacerdotalis benedictionis magnum fructum Simeon censet.

Scio etiam aliud ab eo fuisse factum eiusmodi: Obsecrabat vna tribus diuinum hominem, vt deprecationem quamdam & benedictionem emitteret suæ tribus præfecto: alia autem quæ aderat tribus contradicebat, dicens non oportere illi emitti benedictionem, sed ei qui præest suæ tribui: illum enim esse iniustissimum, hunc verò alienum ab iniustitiâ. Cùm autem inter eos magna fuisset contentio, & barbarica decertatio, tandem in se inuicem irruerunt. Ego autem prolixâ vsus oratione, suadebam vt quiescerent; vtpote quòd vir diuinus sufficeret ad dandam & huic & illi benedictionem. Sed hi quoque dicebant, non oportere illum hanc assequi, & illi eâ alterum priuare conabantur. Cùm eis autem desuper esset minatus, & eos canes vocasset, vix sedauit contentionem. Hæc autem dixi, volens ostendere quanta esset eorum animi fides. Non enim sic inter se insanijssent, nisi diuini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem.

Barbari in se inuicem irruunt vt quisque Simeonis benedictionem praripere.

Vidi autem aliud quoque miraculum quod fuit valde celebratum. Quidam enim ingressus (erat autem is quoque Saracenorum vnius tribus præfectus) supplex petebat à diuino capite vt cuidam opem ferret, cui in viâ erant paralysi soluta membra corporis. Dicebat autem eum morbum ei accidisse in Callinico (est autem id castellum maximum.) Cùm is itaque fuisset allatus in medium, effecit vt negaret impietatem maiorum. vbi autem lubenter obedijt, & quod iussus fuerat impleuit, rogauit an crederet Patri, & vnigenito Filio, & sancto Spiritui. Cùm is autem se confessus esset credere; His, inquit, credens appellationibus, surge. Postquam autem surrexit, iussit vt tribus præfectum suis ferret humeris vsque ad ipsum tabernaculum (habuit autem corpus maximum) & ille quidem eo accepto, statim abijt. Qui autem aderant, ad Dei laudes linguas mouerunt. Hoc autem iussit, Dominum imitans, qui iussit paralytico ferre lectum. Matth. 9. Dei imitationem nemo vocet tyrannidem. Est enim vox eius: Qui credit in me, opera quæ ego facio ille quoque faciet, & maiora his faciet. Ioan. 14. Etenim huius

Curat paralyticum post abiurationem impietatis.

ius promissi euentum vidimus. Nam cùm vmbra Domini numquam fecerit miraculum, magni Petri vmbra & mortem fregit, & morbos exegit, & fugauit dæmones. Sed Dominus & hæc per suos seruos fecit miracula: & nunc quoque similiter eius vtens appellatione, diuinus Simeones innumerabilia efficit miracula.

Accidit enim vt aliud quoque fieret miraculum, priore minimè inferius. Ex ijs enim qui in nomen salutare Domini Christi crediderant, quidam Ismaëlita non obscuro loco natus, Deo votum fecerat, hoc diuino viro teste. Pollicitus autem erat, futurum vt se deinceps perpetuò abstineret ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodam tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cùm Deus autem per increpationem eum ad conuersionem voluisset deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, adeò vt nec si vellet quidem, deinceps eo vesci posset. Quomodo enim potuisset, cùm lapiduisset quod ad cibum sumptum fuerat corpus? Hoc admirando & incredibili spectaculo obstupefactus barbarus, ad sanctum venit quàm celerrimè, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, & suam transgressionem omnibus enuntians, & delicti à Deo petens veniam, & sancti auxilium inuocans, vt omnipotentibus suis precibus ipsum peccati vinculum exolueret. Multi autem id vidêre miraculum, qui auis partem ex osse & lapide constantem viderunt in eius pectore.

Votũ abstinendi à carnibus violanti caro lapidescit.

Non solùm autem fui spectator miraculorum, sed etiam auditor eorum quæ prædicta sunt futura. Etenim eam quæ fuit siccitatem, & magnam illius anni sterilitatem, & eam quæ consecuta est simul famem & pestem, duobus annis antè prædixit, dicens se præuidisse virgam quæ infligitur hominibus, & flagella quæ per eam intentantur. Porrò autem aliàs quoque significauit irruptionem eius qui bruchus seu eruca dicitur, & eam non esse magnum detrimentum allaturam; cùm diuina clementia mox sequatur supplicium. Cùm autem triginta dies præterijssent, innumerabilis quidem suprà stetit multitudo, vt etiam radium dissecarent, & vmbram offunderent: idque omnes planè & perfectè vidimus: solùm autem dedit damnum bestiarum pascuis, cibum autem hominum nullâ ex parte læsit.

Simeon prædixit sterilitatẽ & pestem.

Item bruchi irruptionem.

Iam verò mihi quoque qui ab aliquo oppugnabar, significauit antè quindecim dies futurum belli finem: & [72] prædictionis veritatem didici experientiâ.

Item litis finem.

Quinetiam ei aliquando visæ sunt duæ, virgæ quæ ferebantur quidem de cælis, in terram autem Orientalem cadebant & Occidentalem. Hanc autem Persicæ & Scythicæ gentis in imperium Romanorum insurrectionem significauit vir diuinus, & ijs qui aderant effatus est visionem; multisque lacrymis & precibus assiduis repressit plagas, quarum intentabantur minæ in orbem terræ. Gens quidem certè Persarum iam armata, & parata ad Romanos inuadendos, eis diuinâ aduersante voluntate, à cœpto est retardata, & intrinsecùs in malis proprijs occupata. Cùm autem sciam plurima alia eiusmodi, ea prætermittam, orationis vitans prolixitatem: sufficiunt hæc quidem certè ad ostendendam spiritalem eius mentis contemplationem.

Visio eius de irruptione Persarum & Scytharũ.

Eius quoque fuit magna fama apud regem Persarum: vt enim narrarunt legati qui ad ipsum venerunt, diligenter sciscitabatur quænam esset eius vita, & quænam miracula. Dicunt autem eius quoque coniugem, & petijsse oleum dignatum eius benedictione, & tamquam donum maximum accepisse. Quin etiam omnes regis asseclæ & à famâ cõmoti, & multas in eum à magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant; & cùm intellexissent, virum diuinum nominabant. Cetera verò turba, & ad muliones accedentes & ad famulos & milites, & pecuniam offerebant, & rogabant vt essent participes olei benedictionis.

Regina Persarum oleum benedictum à Simeone maximi doni loco habet.

Ismaëlitarum autem regina cùm esset sterilis, & cuperet filios, primùm quidem misso aliquo ex ijs qui valebant dignitate & auctoritate, obsecrauit vt mater fieret. Pòstquam autem assecuta est petitionem, & peperit vt cupijt, accepto rege qui natus fuerat, profecta est ad diuinum senem: & quoniam non licebat mulieribus ad eum accedere, ad eum misso infante, rogauit vt consequeretur eius benedictionem: [73] Tuus enim, inquit, est hic actus. Ego enim obtuli cum lacrymis semen orationis; tu autem semen effecisti manipulum, cùm diuinæ gratiæ imbrem attraxisses per deprecationem.

Regina Ismaëlitarum filium impetrat.

Sed quousque [74] conor metiri altitudinem maris Atlantici? Nam sicut eam non possunt homines dimetiri, ita narrationem exuperant quæ ab illo fiunt quotidie. Ego autem eius ante hæc omnia admiror tolerantiam: noctu enim & interdiu ita stat, vt videatur ab omnibus. Ablatis enim foribus, & non minimâ parte ambitus dissolutâ, proponitur omnibus spectaculum nouum & admirabile: nunc quidem

Noctu & interdiu stat.

quidem stans longo tempore, nunc autem frequenter se incuruans, & Deo offerens adorationem. Iam verò multi quoque ex adstantibus enumerant has adorationes. Semel autem quidam ex ijs qui mecum erant, cùm enumerasset mille & ducentas & quadraginta quatuor, deinde lapsus esset, destitit numerare. Semper autem se inclinans, prope digitos pedum frontem admouet. Nam cùm venter semel in hebdomadâ alimentum accipiat, idque exiguum, quantum est diuinorum Sacramentorum participatio, dorso concedit vt facilè inflectatur. Aiunt autem ei ex statione in altero pede enatum esse vlcus chironium, & illinc assiduè plurimam excerni saniem. Sed nihil quod ei accidit, repmimit philosophiam: sed fert forti & generoso animo voluntaria & inuoluntaria, alacritate animi & hæc & illa superans.

...rimas ...idie ...rationes ...offert.

...us chi... ...ium pa...tter fert.

Hoc autem vlcus coactus quoque est aliquando [75] alicui ostendere. Dicam autem caussam. Venit ab Arabenâ quidam vir bonus, & honoratus Christi ministerio: is cùm ad illud peruenisset cacumen, Dic mihi, inquit, per ipsam veritatem, quæ hominum genus ad se conuertit, Esne homo, an natura incorporea? Cùm autem qui aderant ægrè ferrent interrogationem, omnes quidem iussit tacere; ad illum autem dixit: Cur hanc mihi proposuisti interrogationem? Cùm autem dixisset: Quoniam omnes vulgò iactare audio, te neque comedere nec dormire, vtrumque autem est hominum proprium: nemo enim qui hac sit naturâ præditus, vixerit absque alimento & somno. Ille autem iussit quidem scalas admoueri columnæ, illum autem ascendere: & primùm quidem manus aspicere, deinde intra pelliceum illum amictum manum mittere, & videre non solùm pedes, sed etiam vlcus illud grauissimum. Cùm autem homo vidisset, & admiratus esset vlceris magnitudinem, & ex eo didicisset quomodo sumat nutrimentum, illinc quidem descendit, ad me autem veniens narrauit omnia.

...credulum ...nignè ad ...ita sua ...perientiâ ...mittit.

In festis autem publicis aliam quoque ostendit tolerantiam. Nam post occasum solis, donec is rursus venerit ad horizontem occidentalem, manibus in cælum extensis [76] stat totâ nocte, nec à somno delinitus, nec à labore superatus. In tantis autem laboribus, tantaque rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tantâ morum modestiâ ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suauis: & respondet vnicuique eorum qui loquuntur, siue sit opifex, siue mendicus, siue rusticus. A munifico autem & liberali Domino accepit etiam donum doctrinæ: & bis quotidie faciens admonitiones, irrigat aures eorum qui audiunt; pulchrè admodum loquens; & diuini spiritus exhibens disciplinam: & iubens in cælum suspicere & euolare, & à terrâ discedere; & regnum quod exspectatur visione apprehendere; & gehennæ minas timere; & terrena contemnere, & futura exspectare. Licet autem eum quoque videre iudicantem; & rectas & iustas ferentem sententias. Hæc autem & quæ sunt huiusmodi, fiunt post horam nonam. Totam enim noctem & diem vsque ad nonam orat perpetuò. Post nonam autem; primùm quidem diuinam doctrinam exhibet præsentibus; deinde auditâ vniuscuiusque petitione, cùm aliquas fecerit curationes, componit lites eorum inter quos est controuersia. Circa occasum autem solis deinceps incipit conuenire Dominum. Sed quamuis in his versetur, & hæc omnia faciat, nec sanctarum ecclesiarum curam abiicit & prouidentiam; aliquando quidem pugnans cum impietate gentium, aliquando autem [77] frangens Iudæorum audaciam, aliquando autem fundens ac profligans turmas hæreticorum, & aliquando quidem de his scribens ad Imperatorem, aliquando autem præsides ac magistratus ad diuinum zelum excitans, aliquando autem ipsis quoque ecclesiarum pastoribus maiorem gregis curam gerere præcipiens.

...n festis ...ublicis ...to... ...â nocte ...iq. orat.

Varia Simeonis exercitia. Docet.

Exhortatur

Iudicium agit.

Orat.

Lites componit.

Gentiles, Iudæos, & hæreticos expugnat.

Hæc autem sum persecutus, [78] ex guttâ conatus ostendere pluuiam, & ijs qui hæc scripta legerint, tamquam indice gustandam præbere mellis dulcedinem. Quæ autem decantantur ac celebrantur ab omnibus, ea sunt ijs longè plura. Sed non sum omnia scribere pollicitus, sed paucis eius vitæ instituti ostendere formam & characterem. Conscribent autem, vt est consentaneum, alij quoque his longè plura.

[79] Cùm post hæc autem diu vixisset, & multis miraculis & laboribus, ardoréque solis, & hibernâ glacie, & vehementibus ventorum insultibus, & humanæ naturæ imbecillitate, solus ex omnibus qui vmquam fuerunt mansisset inexpugnabilis, postquam eum deinceps oportuit esse cum Christo, & immensorum certaminum coronas accipere, quòd homo quidem esset, morte confirmauit ijs qui non credebant: mansit autem etiam post mortem immobilis: & in cælum quidem anima peruenerat, corpus autem ne sic quidem cadere sustinuit; sed

Stans moritur.

rectum stetit in loco certaminum, tamquam inuictus athleta, nullâ parte membrorum volens terram tangere. Sic Christi athletis manet etiam post mortem cum eis simul versans victoria.

Varia eduntur curationes ad reliquias eius & tumulum. Variorum certè morborum curationes, & miracula, & diuinarum virtus operationum, sicut quando erat superstes, ita nunc quoque fiunt, non solùm apud loculos sanctarum reliquiarum, sed etiam apud summæ eius virtutis & diuturnæ decertationis monimentum: magnam, inquam, illam & celebratam columnam huius iusti & laudibus celebrandi Simeonis.

Auctor implorat Simeonis auxilium. Cuius sanctis intercessionibus cupio vt ego adiutus, in his sanctis perseuerem laboribus: Deumque precor qui est communis ornatus, & est splendor pietatis & veræ religionis, vt & mea vita corrigatur, & ad euangelicam vitæ formam dirigatur.

80 BARADATVS.

C. XXVII.

ET communis hominum hostis inuenit multas vias vitij, vniuersam humanam naturam studens penitùs perdere: & pietatis veræque religionis alumni multas & diuersas excogitauere scalas quibus in cælum adscenderetur. *Varia monasticen amplectentiũ studia.* Alij quidem per classes decertantes (sunt autem hi cœtus innumerabiles) incorruptis fruuntur coronis, & desideratum ascensum consequuntur. Alij autem vitam amplectentes monasticam, & cum Deo solùm loqui meditantes, & nullam consolationem humanam participantes, sic victores publicè renuntiantur. Alij autem in tabernaculis, & alij in tuguriis degentes, Deum laudibus celebrant. Alij verò amplectuntur vitam in antris & speluncis. Multi autem, ex quibus aliquorum meminimus, non antrum, non tabernaculum, non speluncam, nõ tugurium habere decreuerunt, sed nudo aëri sua corpora mandantes, contrarias qualitates tolerant, aliquando quidem summo gelu concreti, aliquando autem igne radiorum exusti. Iam verò eorum quoque rursus est vita diuersa. Nam alij quidem stant assiduè, alij verò in sessionem & stationem diem diuidunt: & alij quidem septis quibusdam inclusi, fugiunt multorum congressionem; alij verò nullo huiusmodi vtentes tegumento, propositi sunt omnibus qui eos volunt contemplari. Vnumquodque autem horum in præsentiâ necesse habui persequi, cùm admirabilis Baradati vellem vitam conscribere. Is enim excogitauit nouas rationes exercendæ tolerantiæ.

Nouam ab aliis rationem init Baradatus. Nam cùm primùm quidem longo tempore se inclusisset in domunculâ, solâ diuinâ fruebatur contemplatione. Illinc cùm rupem occupasset imminentem, & paruam quamdam arcam, nec iustâ quidem symmetriâ corpori congruentem, ex lignis construxisset, in eâ vitam degebat, deorsum assiduè incuruari coactus. *Cellæ structurâ sud humiliori se includit.* Non habebat enim altitudinem eius longitudini iustâ proportione conuenientem. Non erat autem ea compacta asseribus, sed erat aperta similiter atque cancelli; & erat similis fenestris quæ latiores habent ingressus luminis. Quocircà nec à pluuiæ erat impetu libera, nec erat tecta à flammâ solis: sed vtraque non minùs admittebat quàm alia quæ sunt sub diuo: in hoc autem solo ea superabat, quòd accederet labor inclusionis.

Cùm autem longum tempus hoc modo transegisset, posteà egressus est, cedens precibus diuini Theodoti, cui obtigerat pontificalis sedes Antiochena. Stat autem assiduè manus in cælum extendens, & vniuersorum Deum laudans: totum corpus tunicâ pelliceâ contegens: *Pelle vestitur.* circa nasum autem solum & os, reliquit modicum ingressum spiritui, vt respiret, communem aërem excipiens, quoniam humana natura non posset aliter viuere: omnem autem eum laborem sustinet, cùm non sit corpore valdè robusto, sed valetudinario & multis morbis obnoxio. Feruens autem animi alacritas, & diuino amore incensa cogit vt laboret qui non potest laborare.

Iam verò sapientiâ quoque & intelligentiâ ornatus, optimè & interrogat & respondet, & ratiocinatur nonnumquam melius & potentiùs ijs qui Aristotelicos legêre labyrinthos. *Melius Aristotelicis ratiocinatur.* Cùm sit autem in ipso summo virtutis fastigio, non sinit vt arrogantiâ simul efferatur spiritus, sed iubet eum deorsum repere circa ipsum latus montis. Sic enim quantum sibi damnum mens conciliat quæ tumet & ardet insolentiâ. Hæc est in summâ eius philosophia.

Cui concedatur vt crescendo possit metam cursus attingere. Est enim communis piorum lætitia, horũ qui victoriâ potiti sunt gloria. Mihi autem detur, vt eorum suffultus precibus, non sim procul ab hoc monte: sed paulatim conscendam, & me eorum contemplationis voluptate expleam. *Auctor sanctorum precibus fulciri petit.*

81 THALELAEVS.

C. XXVIII.

NEQVE Thalelæi silebo narrationem, est enim plenum miraculo spectaculum. Non solùm autem alios audiui narrantes, sed etiam ipse vidi admirabile & præter opinionem spectaculum. Nam cùm viginti stadijs procul à Gabalis, (ea est autem vrbs parua & elegans) tumulum quemdam occupasset, in quo erat templum dedicatum dæmoni-

Thalelaus cellā iuxta dæmonis templum statuit. dæmonibus, & quod ab ijs qui iam erāt antiquitus impij, multis honorabatur sacrificijs, paruum quoddam fixit tugurium. Sceleratos autem illos & execrandos perpetuò colebant, vt dicebant; magnam eorum crudelitatem cultu placare adnitentes. Multis enim perniciem afferebant, & ijs qui accedebant, & ijs qui erant vicini: nec solùm hominibus, sed & asinis, & mulis, & bobus, & ouibus; non cum bestijs bellum gerentes, sed per eas quoque hominibus tendentes insidias.

Tunc ergo cùm eum vidissent aduenisse, perterrere quidem conabantur, sed non poterant, cùm & eum muniret fides, & pro eo pugnaret gratia. Rabie itaq; & furore repleti in eas quæ tunc illic plantatæ erant arbores fecerunt impetū: in illo autem tumulo multæ erant ficus & oleæ quæ florebant. Ex ijs dicunt plus quàm quingentas repentè fuisse *Plantæ eius à dæmonibus eradicantur.* euulsas: audiuique plures vicinos agrestes id narrantes, qui olim quidē detinebantur caligine impietatis, per eius autem doctrinam & miracula acceperunt lucem Dei cognitionis. Quoniam autem cùm hoc fecissent perniciosi & scelerati dæmones, non exterruerunt athletā philosophiæ, rursus in eum alias parauēre machinas. Noctu enim vlu- *A dæmonibus noctu inquietatur.* lantes, & lampades ostentantes, conabantur perterrefacere, & eius rationem perturbare. Vbi autem risit omnes eorum insultus, eo posteà relicto effugēre.

Is autē cùm duas rotas construxisset, quæ duorum cubitorum habebant diametrum, asseribus non inter se compactis, sed disiunctis & separatis, ambas rotas coniunxit. Deinde cùm intus sedisset, & cuneis & clauis disiunctas illas confixisset tabulas, sub dio rotam appendit, tribus alijs altis lignis in terram defixis, & superioribus eorum initijs alijs lignis commissis, & in eorū medio duplici illâ rotâ alligatâ, & sublimè elatâ. Huius autem spatium quidem quod est interius, habet quidem cubitorum duorum altitudinem: cubiti verò latitudinem. In eo sedens *Annis 10. rotis inclusus viuit.* vel potiùs suspensus, annis iam fuit decem perpetuis. Cùm autem corpus habeat maximum, neque sedens quidem potest collum erigere, sed semper sedet incuruatus, genibus habens affixam faciem.

Ad eum cùm venissem, inueni quidem eum ex Euangelijs colligentem vtilitatem; eum autē interrogaui, cupiens scire caussam illius noui vitæ instituti. Ille autem Græcâ linguâ vsus, erat enim Cilix genere, Ego, inquit, multis peccatis obnoxius, & credens *Mortificatio carnis fuga est pœnæ infernalis.* supplicijs quorum minæ sunt intentatæ, hoc vitæ genus excogitaui, hoc agens vt castigetur corpus pœnis mediocribus, vt eripiar à magnitudine earum quæ exspectantur. Sunt enim illæ grauiores non solū quantitate, sed etiam ipsâ qualitate: sunt enim inuoluntariæ. Quod autem ab inuito fit, id est valdè molestum: quod autem est voluntarium, etiamsi sit laboriosum, minorem affert dolorem; sponte enim suscipitur; sed non labor violentus. Si his ergo, inquit, paruis molestijs minuero ea quę exspectantur, hinc magnum lucrum referam. His auditis, eius ingenij solertiam valdè sum admiratus, quòd non solùm iam facta septa transiliebat, sed etiam ex se alia excogitabat certamina: & quòd non solùm decertabat, sed eorum etiam caussas sciebat, & alios docebat.

Iam verò multa quoque miracula per eius preces fieri dixerunt accolæ, non solùm hominibus, sed etiam camelis, & asinis, & mulis *Miraculis & curationibus claret Thalelaus.* curationem per eum adipiscentibus. Hinc vniuersa illa gens quæ impietate detinebatur, paternum quidem abnegauit errorem, diuinæ autem lucis accepit splendorem. His vtens administris, & templum dæmonum diruit, & maximam ædem excitauit victoriâ insignibus martyribus, ijs qui dij falsò nominabantur, diuos opponens mortuos.

Theodoretus implorat sanctorum opem. Horū concedatur intercessionibus vt hîc cum eadem victoriâ certaminum terminum occupet, & nos ab his & illo adiuti, simus vehementes amatores certaminū philosophiæ.

[81] MARANA ET CYRA. C. XXIX.

Ad mulierum ascetriarum descriptionem transit Theodoretus. POSTQVAM optimorum & præstantissimorum virorum vitæ conscripsi institutum, operępretium existimo mulierum quoque meminisse, quæ non minùs, si non etiam ampliùs, certauerunt. Eæ enim sunt digniores quæ laudentur, vt quibus quidem obtigerit natura imbecillior, eamdem autem quam viri ostendant animi alacritatem, & à primâ parente accepto dedecore genus liberauēre. Maranæ autem & Cyræ meminero in præsentiâ, quæ tolerantiæ certaminibus omnes alias vicēre.

Mara & Cyra Berhœâ oriundæ. His patria quidem est Berhœa, patriæ autem genus insigne, educatio autem generi conueniens. Sed his omnibus contemptis, cùm exiguum quemdā locum ante vrbem comprehēdissent, & intra eum fuissent [83] luto & lapidibus ostium obstruxēre. Famulas autem quæ eiusdem vitę volebant esse participes, exstructo extra ambitum habitaculo, iusserunt in illo habitare. Ipsæ autem per quamdam paruam fenestram respiciunt ea quæ ab illis fiunt, & eas frequenter excitant ad orationem, & accendunt ad diuinum amorem: ipsæ verò cùm neque domum ha- *Sub dio vitam agunt.* beāt, nec tugurium, sub dio suâ sponte vitam agunt. Pro ianuâ autem eis quædam parua exstructa est fenestra, per quam necessarium alimen-

alimentum accipiunt: & cum ijs quæ ad ipsas veniunt colloquuntur mulieribus. Ad eam autem congressionem definitum est tempus Pentecostes: alio autem tempore vitam amplectuntur quietam: sola autem Matrana loquitur cum aduenientibus; alteram autem nemo audiuit vmquam loquentem. Ferrum autem gestant, & tantum onus ferunt, vt Cyra, cui corpus obtigit imbecillius, ad terram vsque incuruetur, & corpus minimè possit erigere. Habent autem vela maxima, vt retrò quidem trahantur, & pedes omnino contegant, anteriùs autem vsque ad ipsam zonam demittantur, vultum simul & collum, & pectus, & manus occultantia penitùs.

Velo teguntur.

Eas ego sæpe vidi, intra ianuā intromissus: iusserunt enim mihi aperiri, sacerdotij dignitatem honorantes. Vidi ergo illud ferri pondus quod nec à viro quidem forti & robusto ferri posset: & cùm vehementer rogassem, tunc quidem auferre potui: postquam autem recessimus, id rursus suis membris imposuere, collo quidem collare, lumbis autem zonam, manibus autem & pedibus ea quæ sunt eis attributa. Hoc modo autem viuunt, non quinque solùm vel decem solis transactis annis, sed quadraginta duobus. Et cùm tanto tempore decertauerint, tamquam quæ nuper certamina attigerint, delectantur sudoribus. Visione enim apprehendentes sponsi pulchritudinem, facilè ferunt cursus laborem, & properant peruenire ad finem certaminis: videntes in illo stare dilectum, & ostendentem coronam victoriæ. Eâ de caussâ & imbris, & niuis, & solis excipientes impetum, non cruciatum nec dolorem sentiunt; sed ex ijs quæ videntur molesta, animi gaudium percipiunt. Et diuini Moysis æmulatæ ieiuniū, ter tanto tempore inediam sustinuēre: quadraginta enim diebus exigui cibi fuēre participes. Ter quoque diuini Danielis à cibo abstinentiam sunt æmulatæ, tres dierum hebdomadas conficientes, & cibum corpori suppeditantes.

Annis 42. collo, lumbis, manibus, ferrum gestarunt.

Aëris iniurias patienter excipiunt.

Moysis & Danielis ieiunia æmulantur.

Cùm autem aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt Æliam, cùm in viâ nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam vrbem venerunt, & adorationē impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersæ sunt, rursus à ieiunis confecto itinere: est autem iter non pauciorum quàm viginti dierum.

Proficiscuntur Ierosolymam.

Quinetiam cùm victoriâ insignis Theclæ cupiissent videre ædem quæ est in Isauriâ, vt dilectionis in Deum flammam vndiquaque accenderēt, sic profectæ sunt, & reuersæ sunt ieiunæ. Tantum eas diuinum amatorium fecit diuino quodam furore debacchari: tantam diuinus amor earum in sponsum concitauit insaniam.

Peregrinantur ad sanctam Theclam.

Atque eæ quidē quæ tali vitæ instituto femininum genus exornauēre, vt quę alijs fuerint exemplaria, coronabuntur à Domino coronis victricibus. Ego autē propositâ quæ hinc percipitur vtilitate, cum decerpsero benedictionē, ad aliam transibo narrationem.

Benedictionem earum petit Theodorus.

[84] DOMNINA. CAP. XXX.

DIVINI Maronis, cuius priùs meminimus, vitā æmulata Domnina admirabilis, in horto maternæ domus paruum quoddam fixit tugurium. Ei autem tugurium efficit panici stipula. Continuis autem lacrymis non solùm rigat genas, sed etiam vestimenta ex pilis: talibus enim indumentis tegit corpus. Circa gallorum autem cantum ad diuinum templum, quod non est procul, vadens cum alijs & feminis & viris, vniuersorum Domino offert laudes. Hoc autem facit non solùm die incipiente, sed etiam desinente; quouis alio loco locū Deo consecratum magis esse venerandum censens, & docens alios. Eà de caussâ & eius magnam curam gessit, matri persuadens & fratribus, vt facultates suas in id consumerent.

Domnina continuò lacrymans.

Templi ornatum suadet.

Habet autem nutrimentum lentem aquâ madefactam. Omnem autem hunc laborem sustinet, cùm sit planè exsiccato corpore & semimortuo. Pellis enim subtilissima, & quæ est instar membranæ, est ossibus tenuibus circumiecta, adipe & carne consumptâ à laboribus. Proponitur autem omnibus eam videre volentibus, & viris & mulieribus, neque vultum aspiciens, [85] neque alij vultum spectandum exhibens, sed amictu quidem penitùs contecta, ad genua autem vsque incuruata, valdè gracili autem voce & non satis expressâ loquens, & eam quoque semper cum lacrymis proferens. Sæpe enim cùm meam dexteram sumpsisset, & oculis imposuisset, eam dimisit adeò madefactam, vt ex ipsâ manu distillarent lacrymæ.

Lente madefactâ vixit.

Vultum celat.

Eam ergo, cuius sunt tantæ opes philosophiæ, flentem, lamentantem, & ingemiscentem similiter atque eæ quę sunt in extremâ paupertate, quænam pro dignitate laudauerit oratio? Vehemens enim amor in Deum illas parit lacrymas, ad diuinam inflammans contemplationem, & pungens aculeis, & vrgens ad eum qui est hinc futurus excessum.

Porrò autem quamuis in his diu noctuque versetur, ne aliorum quidem generum virtutis curam abiicit, sed pro viribus quidem curat optimos athletas, quorum meminimus, & quos prætermisimus. Curat autem eos quoque qui ad ipsam veniunt; iubens qui-

Athletas animat.

quidem habitare apud vici pastorem, ipsa verò mittens omnia quæ sunt necessaria. *Monachis suppeditat necessaria.* Matris enim & fratrum facultates ei sunt propositæ ad sumptum faciendum, quæ per ipsum accipiunt benedictionem. Quinetiam mihi quoque venienti ad illam partem (est autem nostræ regioni ad Austrum) mittit & panem, & fructus, & lentem madefactam.

Sed quousque prolixâ vtor oratione, studens omnem eius narrare virtutem, cùm oporteat aliorum quoque proferre vitam; quæ imitatæ sunt & hanc & illas, quarum prius meminimus. Multæ enim aliæ partim quidem vitam amplexæ sunt solitariam, partim autem viuere amarunt cum pluribus, *Monasteria 250. feminarum.* adeò vt ducentæ & quinquaginta, & plures, & pauciores simul viuant, vno cibo vescentes, super solas storeas ex instituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis verò linguam consecrantes. *Varia per totum orbem eius sapientiæ gymnasia.* Sunt autem eiusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia non solùm in nostrâ regione, sed etiam per totum Orientem. Ijs autem plena est & Palæstina, & Ægyptus, & Asia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suauè olentes, & qui non marcescunt, flores offert Creatori: non virtutem in masculo & feminâ discernens, nec in duas differentias diuidens philosophiam: est enim differentia corporum, sed non animorum. In Christo enim
Galat. 3. Iesu, vt ait diuinus Apostolus, non est masculus & femina. Vna autem mulieribus & viris
Ephes. 4. est fides suppeditata. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Quinetiam vnum regnum cælorum agonotheta proposuit victoribus, hoc commune præmium definiens certaminibus.

Sunt ergo, vt dixi, multæ & virorũ & mulierum pietatis palæstræ non apud nos solùm, sed etiam in vniuersâ Syriâ, & Palæstinâ, & Ciliciâ, & in eâ quæ est media inter duos fluuios. *Quinque millia monachorum in monasteriis Ægypti.* In Ægypto autẽ dicunt etiam plus quàm quinque millia virorum habere monasteria, qui operantur & interim Dominum laudant hymnisque celebrant: nec solùm ex operibus necessarium alimentum comparant, sed etiam aduenientibus hospitibus & egentibus opem ferunt.

Sed omnia narrare non solùm ego, sed nec omnes scriptores potuerint: & vt maximè fieri posset, superuacaneum id esse existimo, & honoris cupiditatem quæ nihil habeat commodi. Ijs enim qui volunt aliquam percipere vtilitatem, sufficiunt ea quę dicta sunt ad præbendum id quod desideratur.

Ideò enim & vitæ diuersorum fecimus mentionem, & mulierum narrationes narrationibus virorum adiecimus, *Cur Theodoretus virorum & mulierum meminerit.* vt & senes, & iuuenes, & mulieres philosophiæ habeant exemplaria: & vnusquisque eam quæ sibi cordi est vitam exprimens, habeat suæ vitæ quamdam regulam & gnomonem, qui est situs in narratione: & quomodo pictores ad exemplar respicientes, & oculos imitantur, & nasum, & os, & genas, & aures, & frontem, & ipsos capitis & barbæ pilos, & ad hæc & sessionem & stationem: quinetiam ipsos oculorum intuitus, siue sint læti & alacres, siue seueri & truces: ita etiam oportet vnumquemque ex ijs qui hæc scripta legunt, volentem vitam aliquam imitari, suam ad illam quam eligit componere. Et quomodo fabri asseres rubricâ dirigentes, eousque id quod est superfluum auferunt, donec appositâ regulâ, viderint asserem esse æqualem: ita etiam eum qui velit vitam aliquam imitari, oportet eam sibiipsi ponere pro regulâ, & vitij resecare superflua, & virtutis replere ea quæ desunt. Eâ enim de causâ scriptionis laborem suscepimus, vtilitatis occasionem proponentes volentibus.

Rogo autem eos qui sunt lecturi, vt cùm ex aliorum laboribus absque labore voluptatem capiunt, labores suis compensent precibus. *A sanctis iuuari petit Theodoretus.* Eos quoque obsecro quorum vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spiritali choreâ: sed trahant infrà iacentem, & ad virtutis tollant altitudinem, & suo choro coniungant: vt non solùm laudem alienas diuitias, sed ipse etiam habeam aliquam laudis occasionẽ, & facto, & verbo, & cogitatione glorificans Seruatorem vniuersorum, cum quo Patri gloria, cum sancto Spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

IN LIBRVM NONVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

ADVERTE *primò, librum hunc duos habuisse interpretes, Albericum Longum Salentinum, & Gentianum Heruetum. Vide dicta Prolegomeno generali* XIV. *Dedi hîc Theodoreti Philotheum ex Heruetianâ interpretatione, quia ea in vulgus notior, & impressa inter Opera eius, quam etiam Laurentius de la Barre* Historiæ Christianæ veterum Patrum, *anno* M.D.LXXXIII. *Parisiis edita inseruit, notis quibusdam marginalibus illustratam.*

ADVERTE *secundò, librum hunc in tres partes diuidi posse. Primò agit de patribus ante suam ætatem, à cap.* I. *ad* XXI. *Secundò de iis, qui suâ ætate vixerunt, à cap.* XXI. *ad* XXIX. *Tertiò, de feminis illustrib. à c.* XXIX. *ad finem, id est, duobus vltimis capp.*

PROLOG. 1. DELICIAS SYBARITICAS.] *Infrà cap.* V. vt qui Sybariticis fruerentur delicijs. *De his vide Adagia.*

CAP. I. 2. IACOBVS NISIBITA.] *De eo Martyrologium Romanum* XV. *Iulij, & Menologium Græcorum* XXXI. *Octobris. de eo quoque in Menæis tum* XIII. *Ianuarij, tum* XXXI. *Octobris. Meminit etiam huius Theodoretus lib.* II. *Eccl. hist. cap.* XXX. *qui & eiusdem mentionem facit lib.* I. *cap.* VII. *vbi ait Concilio Nicæno interfuisse, & mortuos excitasse. De quo miraculo & reliquis remittit ad suum hunc Philotheum. De hoc etiam Nicephorus lib.* VIII. *cap.* XIV. *& lib.* IX. *cap.* XXVIII. *Interfuit etiam Concilio Antiocheno, vt habetur in Actis S. Alexandri episcopi Constantinopolitani.*

3. PVELLÆ.] *Nicephorus lib.* XV. *cap.* XXII. *quod huic Iacobo Nisibeno tribuendum erat, alteri iuniori tribuit: quem etiam Nisibenum vocat, de quo infrà Theodoret. cap.* XXII. *Fors Nicephorus duos Nisibenos posuit, quia in Menæis bis Iacobus Nisibenus occurrit. sed idem vtrobique est, vt clarum fiet Menæa consulenti. Nisi & iste iunior etiam Nisibenus fuerit. Sanè ita habetur in Catal. illustr. personarum, ad quas Leo Imp. pro Concil. Chalcedonensi scripsit. Vide tomum* II. *Concil.*

4. IVSSIT EVM CONTERI ET DISPERGI.] *Quod in Menæis est,* τοῦτον συνέτριψε, *Raderus noster vertit,* & iudicem elisit. *referens* τοῦτον *ad* δικαστὴν, *non ad* λίθον. *sed cùm iudex superuixerit, & sententiam mutauerit, clarum ex Theodoreto est, vertendum in Menæis*, eum lapidem contriuit, *scilicet solâ execratione, vt præcessit.* Καὶ δικαστὴν Πέρσην ἀδίκῳ ψήφῳ χρησάμενον θεασάμενος, λίθῳ τινὶ μεγίστῳ αὐτοῦ που κειμένῳ ἐπαρασάμενος, τοῦτον συνέτριψε: Iudicem Persam conspicatus iniquas edere sententias, imprecatione lapidem, qui ibi fortè iacebat, contriuit.

5. DEO AVTEM PRECES OBTVLIT, TAMQVAM PRO MORTVO.] *Hanc, opinor, Theodoretus historiam insinuat lib.* I. *cap.* VII. *& Nicephorus lib.* VIII. *cap.* XIV. *de mortuorum excitatione. Similem mortuum se simulantis stropham habet Sozomenus lib.* VII. *cap.* XXVI. *& ex eo Cassiodorus lib.* IX. *c.* XLVIII. *Niceph. lib.* XII. *c.* XLVI.

6. CONSTANTINVS AVTEM.] *Vide Eusebium libris quatuor de Vitâ, & orat. de laudibus Constantini. Niceph. lib.* VIII. *cap.* LV. *scribit ad monumentum eiusdem varia edita miracula. Eunapius auctor Gentilis queritur ab eodem Constantino deorum delubra versa fuisse in monasteria.*

7. RVRSVS ÆDIFICABANT.] *Theodoret. lib.* II. *cap.* XXX. *Niceph. lib.* IX. *cap.* XXVII. *asserunt Iacobi precibus & adhortatione mœnia reædificata.*

8. NVBEM CYNIPHVM ET CVLICVM.] *In Menæis* XIII. *Ianuar. est,* σκνιπῶν καὶ κωνώπων νέφη. *Niceph. lib.* IX. *cap.* XXVIII. *Theodoret. lib.* II. *hist. cap.* XXX. *& hîc infrà c.* XXI. *in alio Iacobo iuniore, vbi habet* exercitum muscarum & culicum.

9. VITAM DEPOSVIT.] *Non rectè Laurentius de la Barre hoc loco asserit à Theodoreto huic Iacobo arcam sepulcralem curatam. nam hoc alteri Iacobo anachoretæ fecit, vt ipse testatur infrà in Philotheo cap.* XXI. *vti & Nicephorus lib.* XV. *cap.* XXII. *quod apud eum ex ratione temporum colligitur, (licet & hunc posteriorem Iacobum etiam Nisibenum vocet) nam priorem Iacobum ait vixisse tempore Constantij, posteriorem tempore Leonis.*

10. IVLIANVS SABAS.] *Martyrologium Romanum* XIV. *Ianuarij:* In Syriâ S. Iuliani Sabæ senioris, qui Valentis Imp. tempore, fidem Catholicam Antiochiæ pænè collapsam virtute miraculorum erexit. *Non inuenio huius memoriam in* CAP. II. *Græcorum Menologio: de hoc Theodoretus lib.* III. *hist. cap.* XIX. *& lib.* IV. *cap.* XXV. *Niceph. lib.* XI. *capite* XXV. *hunc S. Chrysost. encomio celebrat hom.* XXI. *in epist. Pauli ad Ephesios.*

11. IACOBVS PERSA.] *Monachus in Syriâ qui vixit* CIV. *annos, vt hîc habetur. distinctus hic à Iacobo Persâ cognomento* Intercisо, *qui martyr fuit, de quo* XXVII. *Nouemb. in Menologio.*

12. MAGNVM QVOQVE ACACIVM.] *Berbææ episcopus, vt hîc habetur. Theodoretus lib.* IV. *hist. cap.* XXV. *strenuum virtutis athletam nominat. Sozomenus lib.* VII. *cap.* XXV. *Niceph. lib.* XI. *cap.* XXV. *& lib.* XII. *cap.* XLVII.

13. DVOS MEDIMNOS COLLIGENS.] *Medimnus, genus mensuræ aridorum. Vide Onomasticon.*

14. AVDIVIT VOCEM DICENTEM.] *Mors Iuliani apostatæ significatur diuinitus Didymo, & Iuliano Sabæ: Niceph. lib.* X. *cap.* XXXV.

15. VA-

15. VALENS.] *De huius persecutione aduersus Ecclesiam Theodoret. lib. IV. hist. cap. XXII. & alij.*

16. ASTERIO.] *In editis erat* Acacio. *male. Reposui* Asterio, *ex sensu. Ita etiam Longus.*

17. ASTERIVM, QVI IN SOPHISTICA.] *Niceph. l. VIII. c. LIII. meminit Asterij Sophistæ.*

CAP. III. 18. MARCIANVS.] *Martyrolog. Rom. II. Nou.* Cyri in Syriâ S. Marciani confessoris. *Menologium Græcum eodem die:* S. Patris nostri Marciani, ex vrbe Cyro, viri pietate insignis, qui egregiè monasticam vitam exegit. *Menæa eodem die & XVIII. Ian. De hoc Theod. lib. IV. hist. cap. XXVI. Niceph. l. XI. cap. XLI.*

19. AGAPETVS.] *Ob merita, Apameorum Pontifex: Theodoret. lib. V. hist. cap. XXVII.*

20. AVITVS.] *De hoc capiendus Suidas:* Ἄβιτος, ὄνομα κύριον. Ἄβιτος τὴν ἀσκητικὴν καλύβην ἐπήξατο. Auitus, nomen proprium. Auitus primus tugurium exercitationibus exercendis (*vt in eo vitam solitariam degens exerceret*) aptû extruxit. *Omnino ex hoc Theodoreti loco desumptum. in Suidâ videtur deesse* πρῶτος *ante τὴν. ita enim Theodoretus.*

21. MEA CAVSSA HODIE MVTETVR CONSVETVDO.] *Ieiunia quotidiana ex animi pietate suscepta quandoque hospitum aduentu laudabiliter soluuntur. Cassian. lib. V. Instit. cap. XXIV. & Collat. II. cap. XXVI.*

22. ARII, &c.] *De hæresibus huius temporis Epiphanius in Panario.*

23. PRIMVM PASCHA PERAGERE SVSTINVERAT. *De vario olim Pascha & quadragesimam obseruandi genere Nicephorus lib. XII. cap. XXXIII. & XXXIV.*

CAP. IV. 24. EVSEBIVS.] *De eo Theodoret. lib. IV. hist. cap. XXVI. Sozom. lib. VI. cap. III. Niceph. lib. XI. cap. XLI. De hoc, opinor, Menæa XXIII. Ianuarij, duobus versibus. Huius mentio in Menæis II. Nouemb. in Vitâ S. Marciani.*

25. TELEDA.] *Vicus hic etiam occurrit infrà capite XXVI. in Simeone Stylitâ.*

26. CVM DEO ASSIDVE COLLOQVI.] *Id est, orare. Nam dum oramus, Deum alloquimur, cum sacras Scripturas legimus, Deus nobiscum loquitur: Chrysost. l. De orando Deum. Vita Barlaam & Iosaphat c. XX.* Per orationem cum Deo colloquimur.

27. MAROSAS.] *De hoc Sozom. l. VI. c. XXXIV. & Niceph. libro XI. cap. XLI. quem malè Barreus hic ad cap. XVI. cum* Marone *confundit.*

CAP. V. 28. PVBLIVS.] *Theodoret. lib. IV. hist. cap. XXVI. Nicephorus lib. XI. cap. XLI. & Menolog. Græcorum IV. Aprilis* Commemoratio Publij, & Platonis abbatis monasterij Studitæ. *Nescio an hic noster Publius sit.*

CAP. VI. 29. SIMEONES PRISCVS.] *De hoc Menæa XXVI. Ianuarij, quæ vertit Raderus noster part. I. Viridarij Sanctorum Theodoret. l. IV. hist. cap. XXVI.*

CAP. VII. 30. PALLADIVS.] *Theodoret. l. IV. hist. c. XXVI. Niceph. lib. XI. cap. XLI.*

31. DIGITO OSTENDEBAT HOMICIDAM.] *Sic fures miraculo comprehensi: Niceph. l. VIII. c. XLII.*

CAP. VIII. 32. APHRAATES.] *Theodoretus lib. IV. histor. cap. XXIV. Nicephorus lib. XI. cap. XXV.*

CAP. IX. 33. SECVRE PER FORVM INGREDERIS.] *Licet monachis claustro egredi vrgente ecclesiæ incommodo. Vide Niceph. l. XI. cap. XXV. de Iuliano & Aphraate, qui propter gregem Christi monasticam reliquêre.*

34. PETRVS EREMITA.] *Theodoret. lib. IV. hist. cap. XXVI. Nicephorus l. XI. cap. XLI.*

CAP. X. 35. THEODOSIVS EREMITA.] *Memoria huius est in Menæis XI. Ian. quo & alterius dies natalis occurrit, qui* Cœnobiarcha *dicitur, hic verò* Antiochenus. *Non rectè hic margini ascripserat Laurentius de la Barre Nicephorum: ille enim de altero Theodosio Cœnobiarchâ agit qui iunior est, & obijt tempore Iustiniani Imp.*

36. NVNC AVTEM PARVA PRÆDIA IN SALTV EFFICIENS.] *Menæa,* εἰργάζετο μικρὰς ἀρούρας ἐν τῇ νάπῃ. *Longus:* interdum hortulos in rupe pararet. *Certum terræ spatium est* arura. *Vide dicta ad Vitam S. Antonij cap. II. n. 10. & Onomasticon.*

37. ROMANVS.] *Theodoret. l. IV. cap. XXVI. & Niceph. l. XI. cap. XLI.* CAP. XI.

38. ZENO.] *Hic ipse est, cuius in Menæis memoria X. Febr. De quo etiam Theodoretus l. IV. histor. cap. XXVI. & Niceph. l. XI. cap. XLI.* CAP. XII.

39. DESIDERANS VIDERE.] *Vidit & Sozomenus lib. VII. cap. XXVII. annotat Barreus. Sed alius ille Zeno Maiumanæ rector ecclesiæ.*

40. VIXISSET.] *Zenonem annos centum vixisse, testes oculatus est Sozomenus, ait suprà Barreus. sed labitur. alius iste, vt dixi, Zeno.*

41. MACEDONIVS CRITOPHAGVS.] *Celebris huius in Menæis Græcorum memoria XXIV. Ianuar. quæ Latinitati donata habes parte I. Viridarij Sanctorum apud nostrum Raderum. De eo Theodoretus lib. V. hist. cap. XIX. Niceph. lib. XII. cap. XLIII. Damascenus aduersus vitup. Imag.* CAP. XIII.

42. MÆSIMAS.] *In solis Menæis huius mentionem inuenio XXIII. Ian. vbi* Μαϊσιμᾶς Σύρος, Maisimas Syrus. *quæ è Græco vertit Raderus noster parte I. Viridarij Sanctorum.* CAP. XIV.

43. MALCHVS.] *Huius etiam meminit Theod. lib. IV. hist. c. XXVI. de quo fortè Menæa XXIII. Nou.*

44. ACEPSIMAS.] *Menolog. Græcor. III. Nou.* Natalis S. Acepsimæ, qui sub Theodosio Magno cellâ se inclusit, in quâ sexaginta annos transegit, neminem videns aut alloquens, sed sibi ipsi & Deo vacans omnem recreationem sentiebat. multis verò editis miraculis in pace quieuit. *De eo & Menæa eodem die fusiùs. Theodoret. l. IV. hist. cap. XXVI. Nicephorus lib. XI. cap. XLI.* CAP. XV.

45. MARO.] *De hoc in Menæis Græcor. XIV. Feb. qui post cap. XXIV. dicitur* Marum. *De eo etiam (ait De la Barre) Sozom. l. VI. cap. XXXIV. & Nicephorus lib. XI. cap. XLI. quibus* Marosas *dicitur. Sed diuersus ille à Marone. nam* Marosam *hic habes capite IV. in Eusebio.* CAP. XVI.

46. EX FINITIMIS AVTEM QVIDAM VICVS.] *Theodoretus hic cap. XXIV.* Rogauit autem vt in eodem quoque sepulcro poneretur: sed non fuerunt, qui corpus illud sacrum diripuerunt.

47. ABRAAMES CYRENSIS.] *Menæa XIV. Februarij gesta eius perstringunt. De eo & Theodoretus lib. IV. hist. cap. XXVI. Niceph. lib. XI. cap. XLI.* C. XVII.

48. EVSEBIVS.] *De hoc Menæa XV. Februarij. Theodoretus & Nicephorus loco iam citato. De la Barre hic margini ascribit, Sozom. lib. VI. c. XXXIII. Sed ille de Eusebio agit, qui apud Carras vixit, hic verò de eo agitur apud Asicham.* C. XVIII.

49. LAPIDIBVS NE LVTO QVIDEM CONIVNCTIS.] *Id est xerolithis. Vide ad Vitam Simeonis Stylitæ, cap. V. n. 8.*

50. SALAMANVS.] *Huius mentio in Menæis exstat XVII. Febr. vbi ortus dicitur ex vico* Persanâ, *quod hic est* Capersana, *vti & in eisdem Menæis XXIII. Ian. vbi dicitur cum additamento* ἡσυχαστὴς, Pacifici *seu* Quieti. *quæ Latinè versa habes apud Raderum nostrum parte I. Viridarij Sanctorum. Alium existimo* Salamanem, *qui in Palæstinâ vixit,* CAP. XIX.

de quo Sozom.lib. VI. *cap.* XXXII *& Niceph.lib.*XI. *cap.* XXXIX. *nec rectè horum testimonium hic margini ascriptum erat à Laurentio de la Barre.*

Cap. XX. 51. MARIS.] *De hoc nihil inuenio. Alius est* Mares *in Menais* XXVII. *Martij cum Barachesio & Ionâ martyribus. Alius etiam episcopus apud Sozomenum & Nicephorum.*

Cap. XXI. 52. IACOBVS.] *De hoc Menologium* XXVI. *Nou. de hoc quoque Menaa* XXVI. *Non. satis fusè, qua vertit Raderus noster parte* I. *Viridarij Sanctorum. De hoc etiam Niceph. libro* XV. *cap.* XXII. *qui hunc etiam Nisibenum vocat. Vereor ne labatur, vti labitur in pœnâ puellarum inuerecundarum, quam ab hoc inflictam narrat, cùm à seniore Nisibeno inflicta sit, vt vidimus sup. cap.* I. *Vocari possit* Hypæthrius, *vt distinguatur à Nisibeno, & ab alio Iacobo eremitâ, de quo infrà cap.* XXV. *nam in textu dicitur* sub dio *vixisse. de hoc quoque Euagrius lib* II. *c.* IX. *vbi Iacobum Syrium vocat, & ad eum litteras misisse Leonem Imp. affirmat. quod anno* XI. *Leonis contigisse, Christi verò* CCCCLVIII. *habet Baronius in Annal.*

53. EXERCITVM MVSCARVM ET CVLICVM.] *Suprà cap.* I. *in Iacobo Nisibeno*, nubem cyniphum & culicum.

54. POLYCHRONIVS.] *De eo inf. cap.* XXIV.

55. NE CELES HOMINES.] *Monachi hypocritæ mors horrenda refertur à Niceph.l.*XIV.*cap.*LII.

Cap. XXII. 56. THALASSIVS ET LIMNÆVS.] *Horum memoria exstat in Menais Græcorum* XXII. *Febr. vbi compendio eorum vita percurritur. Totum hoc caput est potissimùm de Limnæo, paucis initio lineis exceptis, vt discimus ex Meneis. cuius etiam mentio in Menais* XXIII. *Febr. occasione Ioannis, qui eius discipulus fuit.*

57. HELIMNA.] *Longus habet* Tillina.

58. SILENTIVM.] *A silentio religiosè seruato notus Ioannes cognomento* Silentiarius XIII. *Maij.*

59. TARGALLAM.] *Longus* Targalam. *Menaa* Τάλγαλα. *sed* XXIII. *eiusdem mensis* Τάργαλα.

60. LAPIDIBVS.] *In Menais est* ξηρολίθοις. *quod versum in Vitâ Simeonis Stylitæ cap.* V. *lib.* I. *de Vitis PP.* sicco lapide. *& hic c.*XVIII. lapidibus nec luto quidē maceratis. *Vide ad Simeonem Stylitam.*

Cap. XXIII. 61. IOANNES, MOYSES, ANTIOCHVS, ANTONIVS.] *De his Menaa Græc* XXIV. *Febr.*

Cap. XXIV. 62. ZEBINAS ET POLYCHRONIVS, MOYSES, DAMIANVS.] *Menaa Græc.*XXIII. *Feb. de his quatuor.*

63. QVI CORPVS ILLVD SACRVM DIRIPVERVNT] *Suprà cap.* XVI. Acre autem bellum inter vicinos ortum est de corpore.

64. ET IN EVM LOCVM QVEM DIXIMVS, DETVLERVNT.] *Suprà cap.* XVI. Ex finitimis autem quidam vicus populo frequentissimus cùm toto simul coacto populo aduenisset, alios quidem fudit ac fugauit; maximè autem expetendum illum rapuit thesaurum.

Cap. XXV. 65. ASCLEPIVS, ET IACOBVS EREMITA.] *De his nihil inuenio.*

Cap. XXVI. 66. SIMEONES STYLITES.] *Vide de hoc notata ad librum* I. *de Vitis SS. Patrum.*

67. EVSEBONAS ET ABITON.] *De his non memini alibi legere.*

68. HELIODORVS.] *Sozom. lib.*VI. *cap.*XXXIII. *&* XXXIV. *meminit Heliodori monachi in Syriâ.*

69. MELETIVS.] *Heruetus vertit, quasi ille tunc episcopus Antiochenus fuerit*: cui tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antiochenæ ciuitatis. *Longus vertit*: Cùm verò Meletius, qui tunc Antiochenæ regioni præfectus erat. *Sanè si hoc intelligatur de famoso illo Meletio episcopo Antiocheno, annosum illum fuisse oportuit, qui hac cum Simeone tractauit, vt suprà libro* I. *in Vitâ Simeonis Stylitæ obiter attigi.*

70. POSVERINT IMAGINES.] *Hic locus citatur in Septimâ Synodo Act.*IV.

71. NVDVM INGREDIENTEM.] *Barræus existimat Theodoretum respicere ad Simeonem Salum, de quo Euagr. lib.*IV.*cap.*XXXIII. *qui quòd famelicæ meretrici panem detulisset, fornicationis calumniam sustinuit. Sed labitur: nam Simeon Salus post Theodoretum vixit. Respicit verò Theodoretus ad Isaiam, de cuius nuditate antè egerat.*

72. PRÆDICTIONIS.] *Sic alter Simeones Stylita prædixit de Mauritio plurima: Euag.l.*V.*c.*XXI.

73. TVVS ENIM EST HIC ACTVS.] *Ita Euthymius steriles fecundauit: Niceph.lib.*XIV.*cap.*LII.

74. CONOR METIRI ALTITVDINEM MARIS ATLANTICI.] *Sic*: Atlanticum mare cotylâ exsorbere.

75. ALICVI OSTENDERE.] *Sic promptam Patribus exhibuit obedientiam: Niceph.lib.*XIV. *cap.*LI.

76. STAT TOTA NOCTE.] Ἀκοιμήτους *fuisse monachos & insomnes, qui noctem orando & psallendo traducerent, scripsit Nicephorus lib.*XV. *cap.*XXIII. *De horum monasterio in Menais* XV. *Sept. in Ioanne Calybitâ, &* XXIX. *Dec. in Actis Marcelli Acœmetarum archimandritæ apud Metaph. & in Actis Danielis Stylitæ* XI. *Decembris.*

77. FRANGENS IVDÆORVM AVDACIAM.] *Respicit ad id quod habet Epiphan. lib.*I. *histor. capite* XIII. *ex quo Baronius anno* CCCCXXXII. *Vide etiam Niceph. lib.*XIV *cap.*LI.

78. EX GVTTA PLVVIAM.] *Prouerbium huic simile.* Ex vngue leonem. *Sic*, Ex guttâ mare salsum.

79. CVM POST HÆC AVTEM DIV VIXISSET.] *Hæc non esse Theodoreti monet Barræus, sed ab alio aliquo addita post mortem Simeonis, qui, cùm scriberet Theodoretus, adhuc viuebat.*

80. BARADATVS.] *De hoc Menaa Græcorum* XXII. *Februarij, Euagr. lib.* II. *cap.*IX. *Nicephoro lib.*XV.*cap.*XXII. *dicitur* Varadatus. C. XXVII.

81. THALELÆVS.] *De hoc Menaa* XXVII. *Febr.* C. XXVIII. *Moschus cap.*LIX. *meminit Thalelæi Cilicis, de quo dubitari possit an hic idem cum hoc sit. vterque enim Cilix, & confessor. putat Raderus. assensionem sustineo. Sed qui in Menais est* XX. *Maij omnino diuersus est, cùm ille dicatur vixisse temporibus Numeriani, & martyrio sit affectus. Alius quoque apud Moschum cap.*XCI. *Thallelaus, qui nauta fuit.*

82. MARANA ET CYRA.] *Martyrolog. Rom.*III *Aug.* BerhϾ in Syriâ sanctarum mulierum Maranæ & Cyræ. *De iisdem in Menais* XXVIII. *Feb.* Cap. XXIX.

83. LVTO ET LAPIDIBVS.] *Menaa* πηλῷ καὶ λίθοις. *Vide l.*I. *hic in Vitâ Simeonis Stylitæ cap.*V. *vbi contrario huic est* sicco lapide, *seu* ξηρολίθῳ.

84. DOMNINA.] *Menolog. Græcor.* I. *Martij. & paulò fusiùs in Menais eodem die. Vertit ea Raderus noster parte* I. *Viridarij Sanctorum.*

85. NEQVE ALII VVLTVM SPECTANDVM EXHIBENS.] *Vide apud Moschum Euiratum Prati spiritualis cap.*LXXVIII. *de virgine mortuâ grauiter sepulcri violatorem increpante, quòd eam vestibus nudasset, cuius viuentis extra domesticos nullus faciem viderat.*

DE VITIS PATRVM LIBER DECIMVS, AVCTORE IOANNE MOSCHO, INTERPRETE AMBROSIO CAMALDVLENSI.

ELOGIVM AVCTORIS.

Plura Elogia vide Proleg. generali XII.

Hoc nunc ex Græco ac cedit ex codicibus Vaticanis, & V.C. Franc. Oliuarij.

CONSCRIPTVS est hic liber Prati, seu vitæ Sanctorum, ac virtute præditorum Deoque placentium Patrum, qui in ipso continentur, reliquæque perutiles animæ narrationes, ac scitè dicta sacrorum, iustorum, Christique amantium Patrum & fratrum, à Ioanne sanctæ memoriæ presbytero, & monacho cognomento Moscho: qui principio quidem sæculo renuntiauit in monasterio sancti Patris nostri Theodosij, Abbatis & Archimandritæ omnium quæ sunt Ierosolymis cœnobiorum siue monasteriorum. *Moschus habitat in monasterio S Theodosij.* Cùm autem in deserto ad sanctum Iordanem non exiguo tempore versatus esset cum sanctis Patribus qui illic degunt, eorumq; virtutes collegisset, eas huic Operi inseruit. Cumque habitaret in Nouo quod dicitur monasterio, quod à sancto & magno Patre nostro Sabâ eiusque discipulis constructum ad hoc vsque tempus permanet, *Item S. Saba.* audiens quâ tyrannide Persæ Romanos oppressissent, occasione cædis Mauritij Imperatoris eiusque liberorum, à Nouo monasterio secedens perrexit ad partes Antiochiæ magnæ: atque inde rursus, cùm præualere gentem videret, Alexandriam se contulit; & totâ quæ circa illam est solitudine peragratâ *Antiochiā & Aegyptum lustrat.* (fuerat enim iam à principio Imperij Tiberij missus in Ægyptum ad ministerium obeundum) & vsque ad Oasim, proximamque illi solitudinem perueniens, postquam eos qui illic erant Patres inuisit, atque inde rursus audiuit sancta loca fuisse occupata, & Romanos metu correptos, Alexandriâ relictâ ad magnam Romanorum vrbem nauigio appulit vnà cum charissimo discipulo suo Sophronio. *Romam petit.* Dum autem essent in itinere, diuersas insulas lustrarunt.

Tali verò donatus à Domino gratiâ fuit vir beatus, vt si quid de vitâ rebusque gestis virtute insignium virorum audijsset vel vidisset, id scriptis mandaret: quo factum est, vt & Romæ cùm esset, idem consilium sit executus. *Vitas SS. conscribit.*

Cùm autem suæ ad Deum migrationis tempus beatus vir præuidisset, conscripsit hunc librum, non iuxta ordinem eorum quæ audita vel spectata à se fuerant, sed vt paria erant inter se, tam quæ audita quàm quæ spectata fuerant, sibi inuicem copulata scriptis mandauit.

Modus scribendi.

Cùm autem ab his terrestribus secessurus esset tumultibus, atque ad tranquillam & quietam vitam transiturus, aduocato charissimo suo discipulo librum hunc ei tradidit, quo sanctorum Patrum vitæ ac res gestæ Deo accepta continentur: eique mandauit, vt reliquias suas ne Romæ relinqueret, sed arcâ ligneâ inclusas ad montem Sinæum transferre conaretur, quantum in eo situm esset, vt cum sanctis qui illic sunt Patribus deponerentur. Quòd si quem exoriri barbaricum tumultum accideret, quo id fieri prohiberetur, in monasterio sancti Theodosij, in quo ab initio sæculo nuntium remiserat, ipsas deponi.

Moritur. *Sepeliri cupit in Sinâ monte.*

Hoc igitur implere mandatum cùm studeret, charissimus discipulus assumpto secum Ioanne cum suis condiscipulis (erant quippe duodecim numero) magnum Ioseph imitatus est, qui cum fratribus suis Israëlem sumens, ex Ægypto transtulit ad patres suos, quemadmodum ipsi fuerat à genitore mandatum.

Reliquiæ eius transferuntur.

Cùm autem ille Ascalonem appulisset, & fieri non posse didicisset, vt ad sanctum montem Sina perueniret, propter tyrannicas incursiones eorum qui vocantur Agareni, assumptis beati Ioannis reliquiis, initio octauæ Indictionis Ierosolymam venit: & inuento Antistite magni monasterij sancti Patris nostri Theodosij Georgio presbytero, postquam illi cuncta renuntiauit quæ sibi fuerant à sene præcepta, cum illis fratribus monasterij, qui tum inuenti in vrbe fuerunt, & monachis qui cum ipso degebant, beatum Ioannem deuexerunt: & sicut iusserat, in Sancti Theodosij cœmeterio deposuit, vnà cum sanctis Patribus qui illic iacent, reliquumque vitæ suæ tempus in eodem cœnobio transegit.

Sepelitur in cœmeterio S. Theodosij.

Est autem locus cœmeterij spelunca, in quâ, cùm à Magis illusus esset Herodes, iuxta Euangelij oraculum, illi inde soluentes, cùm in patriam redirent, manserunt. In hac speluncâ sanctus Pater noster Theodosius cùm religiosæ vitæ certamina confecisset, gratiâ donatus est dæmones eijciendi: neque tantùm in hac temporariâ breuique vitâ, sed etiam post obitum illos eijcit, ad hunc vsque diem, ad gloriam & laudem Christi veri Dei, & Saluatoris nostri, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Id spelunca, in quâ Magi delituere.

PROLOGVS.

IOANNES MOSCHVS

DILECTO SVO IN CHRISTO SOPHRONIO SOPHISTÆ.

PRATORVM *faciem verno maximè tempore esse iucundissimam, fili charissime, perspicuum omnibus est; quam scilicet omnigenum florum grata varietas efficit, intuentium in se prouocans aspectum, ac prætereuntes detinens, ipsosque variè pascens: namque arridet oculis, ac mulcet olfactum. Huius verò prati pars rosarum rubore vernat, pars item albescens liliis, ab aspectu roseo intuentes ad se facilè aduocat. Aliâ item*

item ex parte violæ rutilant, coloreque suo purpuram regis imitantur. Prorsusque varius ac differens florum innumerabilium aspectus atque fragrantia vndique gratiam pullulat. Huiusmodi præsens quoque opus arbitrare, sancte ac fidelissime fili Sophroni: quippe reperies in eo virtutes sanctorum virorum qui temporibus nostris claruêre, ac iuxta Psalmistæ sententiam, secus decursus aquarum plantati sunt. Qui cùm omnes Deo accepti maximè gratique fuerint, alius tamen alio virtutis genere magis decoratur, atque ex hac suaui varietate virtutum grata venustas amœnaque facies surgit. Ex his ego flores pulcherrimos decerpens, coronam tibi ex immarcescibili ac perenni prato contexui, fidelissime fili, eamque tibi ac per te omnibus offero.

Psal. 1.

Vt pratum diuersis floribus, sic liber his virtutum varietate nitet.

Quamobrem præsens quoque opus Pratum appellare placuit, propter oblectationem, suaueolentiam, & vtilitatem, quam ex eo legentes capient. Virtus enim, vitæ morumque honestas est, ad quam non sola diuinarum rerum meditatio fidesque recta ducit, verùm & aliorum conuersatio, vitaque virtutibus plena in scriptis tradita. Quocircà hoc mihi negotium assumpsi confidens in Domino, fili charissime, idque vestræ charitati persuasum esse cupiens, quia apis in morem, vtilia quæque ac vera prosecutus, sanctorum patrum rectè facta pro animarum lucro descripsi.

CAP. I.

Vita sancti senis IOANNIS, *& de spelunca Sapsas.*

Ioannes monasterij præfecturam detrectat.

ERAT senex quidam habitans in monasterio abbatis Eustorgij, Ioannes nomine, quẽ sanctus Elias archiepiscopus Ierosolymorum voluit præpositum monasterij constituere. Ille verò non acquiescebat, dicens: In montem Sina orationis caussâ pergere volo. Archiepiscopus autem cogebat eum, vt priùs abbas fieret, & posteà pergeret quò vellet. Cùm verò senex non acquiesceret, dimisit eum spondentem, se, postquam reuersus esset, suscepturum regiminis curam. Et ita salutato Archiepiscopo iter arripuit, vt ad Sina montem proficisceretur, assumpto secum & discipulo suo. Transuadatoque Iordane fluuio, cùm vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris. Cùm verò in tantum excresceret ardor febris, vt ambulare non posset, inuenerunt speluncam paruulam, in quam ingressi sunt vt requiescerent. Cùm verò febris ita inualesceret, vt se vix mouere posset, in ipsâ speluncâ tres dies commorati sunt. Tunc senex in somnis aspexit quemdam astantem sibi, & dicentem: Dic, senex, quò ire vis? Respondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne, quæso, ne recedas hinc. Cùm verò seni id persuadere non posset, abscessit. Febris verò seni acriùs infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni astitit eodem habitu, & ait: Quid, senior, affligi vis? audi me, & nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex: Tu quisnam es? Respondet is qui apparuerat: Ego sum Ioannes Baptista; & ideò tibi iubeo, vt nusquam recedas; nam spelunca ista breuis maior est monte Sinâ. Quippe in hanc sæpiùs Dominus noster Iesus, cùm me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi, quòd hîc habitabis, & ego mox tibi sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit, se in eadem speluncâ permansurum. Et continuò sanus effectus, perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam verò illam fecit ecclesiam, congregauitque fratres. Appellatur autem locus ille Sapsas. Iuxta illã ad læuam situs est torrens Chorath, ad quem missus est Elias tempore siccitatis, ex aduerso Iordanis.

Peregrinationem suscipit ad montem Sina.

Ioannes Baptista ei apparet, & sanitatem spondet.

Sapsas Ioannis Baptistæ spelunca, vbi sæpiùs à Christo visitatus est.

De SENE, *qui in propriâ speluncâ pascebat leones.*

FVIT in eodem loco Sapsâ, commorans in spelæo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadem speluncâ susciperet, atque cibum eis in suo sinu præberet: adeò diuinâ gratiâ plenus erat vir Dei.

Seni & leoni idem cubile.

CAP. III.

Vita CONONIS *presbyteri monasterij Penthucula.*

CVM in monasterium sancti patris nostri Sabæ profecti fuissemus ad abbatem Athanasium, narrauit nobis senex, dicens: Cùm essem in monasterio Penthucula, presbyter quidam erat ad Baptismi ministerium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito patres iusserant, vt baptizaret accedentes. Ipse igitur sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur, atque ideò ex monasterio abscedere volebat.

Chrisma in Baptismo.

bat. Cùm autem eâ cogitatione pulsabatur, assistebat ei sanctus Ioannes Baptista, dicens: Tolera, & perseuera, & ego te ab hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perside, vt baptizaretur, quæ ita speciosa erat ac tãtæ pulchritudinis, vt non posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere. Cùm sic verò puella illic mansisset duos dies, audiens hoc archiepiscopus Petrus obstupuit de sene vehementer, voluitque ad hoc opus delegare diaconissam mulierem; sed id non fecit, ne contra canones fecisse videretur. Conon verò presbyter, sumptâ melote suâ, recessit, dicens: Iam non ampliùs in hoc loco manebo. Cùm ergo exijsset ad colles, ecce sanctus Ioannes Baptista obuius illi factus est, & tranquillâ voce affatus est illum, dicens: Reuertere ad monasterium tuum, & hoc te bello leuabo. Abbas verò Conon ait illi cum indignatione: Verè nõ reuertar. Ecce enim iam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tunc sanctus Ioannes eum sedere fecit, amotisque vestimentis eius, signauit eum ter signo crucis sub vmbilico, dixitque ei: Crede mihi, presbyter Conon, volebam te pro hac pugnâ mercede donari; sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum, mercede autem huius operis carebis. Reuersus presbyter in cœnobium, vbi baptizare consueuerat, in crastinum vnctam puellam baptizauit, neque penitùs animaduertit eam esse naturâ mulierem. Impleuit autem & alios annos duodecim in baptizandi ministerio tantâ tranquillitate animi & corporis, vt nullum vltrà sentiret carnis motum, neque mulierem natura videret. Atque ita in pace consummatus est.

Conon presbyter mulieres ob periculum baptizare renuit.

Signatus ter signo crucis in vmbilico à sancto Ioanne Baptistâ, à stimulo carnis liberatur.

CAP. IV.

Visio abbatis LEONTII.

NARRAVIT nobis abbas Leontius, cœnobij sancti patris nostri Theodosij antistes, dicens: Postquam fugati sunt ab infidelibus persecutionem passi monachi propter nouum monasterium, quod dicitur Laura, illuc ego profectus sum, mansique in eadem Laurâ. Quodam verò die Dominico descendi in ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria. Ingressusque vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuersus sum in cellulam meam. Et venit mihi vox de cælo, dicens: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum.

Angelus sanctificato altari iugiter astat.

Simile infrà c. 10.

CAP. V.

Relatio abbatis POLYCHRONII *de tribus monachis.*

ABBAS Polychronius eiusdem nouæ Lauræ presbyter, narrauit mihi, dicens: Cùm sederem aliquando in monasterio Turriũ Iordanis, vnum illic ex fratribus animaduerti sui ipsius negligentem, & numquam sanctæ diei Dominicæ canonem implentem; post modicum verò temporis eumdem aspexi cum omni studio & alacritate se exercentem. Tunc ego dixi ei: Nunc optimè facis, curam tui gerens, frater. Qui ait mihi: Domine pater, modò moriturus sum. & post dies tres mortuus est.

Frater quidam ante mortem resipiscit, & feruorem assumit.

Rursus idem abbas Polychronius narrauit mihi, dicens: Cùm in eodẽ monasterio Turrium defunctus esset quispiam fratrum, dixit mihi dispensator: Fac charitatem, & veni, vt fratris vasa in locum dispensationis deferamus. Cùm ergo ferre cœpissemus, aspicio dispensatorem flentem, cui dixi: Quid, quæso, ita ploras, abba? Quia, inquit ille, hodie fratris vasa fero, & post duos dies alij portabunt mea. Tertiaque die requieuit frater ille, sicut prædixerat, cùm Dominus eum singulariter in spe constituisset.

Quidam mortem suam prædicit.

CAP. VI.

Eiusdem relatio.

IDEM enim abbas Polychronius presbyter hoc narrauit, quòd cùm esset in monasterio abbatis Constãtini Antistitis monasterij sanctæ Mariæ Dei genitricis, quæ Noua dicitur, audiuit quemdam fratrum in xenodochio Ierichuntino requieuisse, quem cùm accepissent fratres, vt ferret ad monasterium Turrium, & sepelirent, ex quo iter agere cum corpore cœperunt, stella supra defuncti caput quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent.

Stella super defuncti caput apparens.

CAP. VII.

Vita & mors cuiusdam SENIS, *qui recusauit abbas fieri in monasterio Turrium.*

ALIVS quidam senex sedebat in eodem monasterio Turrium: patres igitur eiusdem monasterij ipsum, vt magnum & virtutibus clarum, voluerunt sibi constituere abbatem. Senex verò orabat, dicens: Ignoscite mihi, patres, & permittite me flere peccata mea. ego enim talis meriti non sum, vt possim animarum curam gerere: negotium istud magnorum & excellentium patrum est, Antonij, Pachomij, sanctique Theodori. Cùm verò fratres illi non acquiescerent, ipsumque diebus singulis orarent, videns se ab eis nimium vrgeri, dixit eis: Permittite me tribus diebus orare, & quidquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat autem Parasceues dies: Dominicâ verò die manè requieuit.

Quidam ne prælaturã accipiat, mortem præoptat, & impetrat.

CAP. VIII.

Vita abbatis MYROGENIS *hydropici.*

SENEX quidam erat in eodem monasterio Turrium, Myrogenes nomine, qui ob

ob nimiam austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem iugiter his senibus, qui ad eum conueniebant visitandi gratiâ: Orate pro me, patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, vt in hac infirmitate diutiùs durem, Deum oro.

Anima hydropisis, nō corporis defenda.

De hoc abbate Myrogene cùm audiuisset Ierosolymitanus archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcumque erant necessaria, sed ille numquam ab eo quidquam consensit accipere. Hoc autem solùm illi significabat: Ora pro me, pater, vt liberer ab æterno cruciatu.

Myrogenes omnia munera recusat, preces tantùm petens.

CAP. IX.

De mirâ cuiusdam sancti PATRIS charitate.

IN ipso monasterio Turrium, senex quidam erat sanctæ nuditatis & eleëmosynæ valde studiosus amator. Quadam ergo die venit pauper ad eius cellulam eleëmosynam petens: senex verò cùm non nisi vnum panem haberet, proferens ipsum, dedit pauperi. Tunc dicit ei pauper: Nolo panem, sed indumentum. Volens autem senior curare illum, apprehensâ manu eius, introduxit in cellulam suam. Pauper autem cùm illic nihil omnino inuenisset, nisi solum quod ille induebat, tantâ senis virtute compunctus, soluit sacculum suum, & in medio cellulæ quæcumque habebat euacuans, dixit: Sume ista, senior optime, & ego alibi quæram, quæ mihi sunt necessaria.

Senex etiā vnum, quē solum habebat panem, pauperi elargitur.

CAP. X.

Vita * BARNABAE anachoretæ.

ANACHORETA quidam erat in speluncis sancti Iordanis, Barnabas nomine. Hic die quadam cùm descenderet bibere aquam de Iordane, infixa est pedi eius ex arundine festuca, permansitq́; stimulum pedi infixum tenens iugiter, neque passus est, vt eum medicus videret: itaque computruit pes eius. Coactus verò est ascendere ad monasterium Turrium, sibique vnam cellulam accipere. Porrò pes eius in dies putrescebat magis. Dicebat autem his qui ad eum veniebant, quòd quantò magis homo exterior patitur, tantò amplius interior viret.

Senex de arundine pedi infixâ gaudet.

Dum patitur homo exterior, viret interior.

Postquam verò ascendit abbas Barnabas ex speluncâ suâ ad Turres, cùm fuisset ibi aliquantulum temporis, anachoreta quidam alius abiit ad speluncam ipsius, ingressusque vidit angelum Dei stantem super altare quod fecerat senior atque sacrauerat. Aitque ad Angelum anachoreta: Quid hîc agis? Cui Angelus ille: Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipso mihi credita sunt.

Sanctificati altaris Angelus custos.

Simile supra cap. 4.

Vita abbatis AGIODVLI.

ABBAS Petrus presbyter monasterij sancti patris nostri Sabæ, narrauit nobis de abbate * Agiodulo dicens: Cùm is esset Antistes dux monasterij beati Gerasimi, contigit fratrem quemdam de illic residentibus mori. Quod cùm senex ignoraret, pulsaretque præfectus canonis lignum, quòd fratres conuenientes mortuum efferrent, vt vidit senex cadauer in ecclesiæ medio iacere, contristatus est valdè, quòd non illum salutasset priusquam migraret è sæculo. Profectusque secus lectulum vbi iacebat, ait defuncto: Surge, frater, & da mihi osculum. qui protinus surgens, osculatus est senem. Tum dixit senex: Dormi iam, quousque veniat Christus filius Dei, & resuscitet te.

** Hagiodulo*

Agiodulus fratrem mortuum, vt ei osculum pacis prabeat, excitat.

Idem abbas Agiodulus cùm transiret iuxta Iordanis ripas, secum animo & cogitatione voluebat, quid actum fuisset de lapidibus iniectis a Iesu Naue pro his, quos inde sustulerat. Cumque ista cogitaret, confestim hinc & hinc diuisæ sunt aquæ. Tunc vidit illos duodecim lapides, prostratusque humi Deo gratias egit, & recessit.

Idem 12. lapides Iesu Naue in Iordane videt.

CAP. XII.

Dictum abbatis OLYMPII.

FRATER interrogauit abbatem Olympium, presbyterum monasterij sancti Gerasimi, dicens: Dic mihi verbum. Qui dixit ei: Ne sedeas cum hæreticis, & contine linguam & ventrem; ac vbicumque sederis, dic assiduè: Peregrinus sum.

Hæretici fuga. Lingua & ventris cōtinentia.

CA. XIII.

Vita abbatis MARCI anachoretæ.

DICEBANT de abbate Marco anachoreta, qui morabatur prope monasterium Penthucula per annos sexaginta tres, quòd hanc habuerit virtutem hebdomadas integras ieiunandi, ita vt putarent quidam, eum sine carne esse. Operabatur autem die ac nocte, & distribuebat pauperibus omnia, neque ab aliquo quidpiam accipiebat. De hoc audientes fideles viri, venerunt, vt darent ei agapem, & ait ad eos: Non accipio, quia manus meæ nutriunt me, & eos qui propter Deum ad me veniunt.

Marcus anachoreta integrâ hebdomadâ ieiunat.

Munera respuit, manibus victum quærens.

CAP. XIV.

De FRATRE, qui à spiritu fornicationis impugnabatur, & leprosus effectus est.

ABBAS Polychronius rursum nobis narrauit, quòd in cœnobio Penthucula frater quidam erat sibi ipsi valdè intentus, & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de monasterio, profectus est Iericho, vt con-

DD cupi-

cupiscentiæ suæ satisfaceret. Moxque vt meretricis cellam ingressus est, leprosus factus est totus. Videns autem lepram, continuò rediit ad monasterium, Deo gratias referens, & dicens: Idcircò Deus hac me castigatione percussit, vt anima mea salua sit,& magnificè glorificabat Deum.

Frater ad meretricē pergens, leprosus efficitur.

CAP. XV.

Factum mirabile abbatis CONONIS.

DICEBANT de abbate Conone antistite monasterij Penthucula, quòd die quadam cùm iret Betamarim, obuios habuit Hebræos. Qui cùm eum occidere vellent, districtis gladiis occurrerunt contra senem. Cumque appropinquassent, vibrarentque in eum gladios, manus eorum in sublime suspensæ perstiterunt immobiles. Factâ verò oratione, soluit eos senex, & dimisit. Et abierunt gratias agentes Deo.

Hebræis Cononem occidere volentibus manus obrigescunt.

Rigorem oratione soluit Conon.

CAP. XVI.

Relatio abbatis NICOLAI *de seipso, & sociis.*

SENEX quidam sedebat in monasterio abbatis Petri iuxta sanctum Iordanem, Nicolaus nomine, qui nobis narrauit, dicens: Cùm essem aliquando in Raythu, missi sumus tres fratres in ministerium in Thebaidem. Cùm ergo per desertum iter faceremus, errauimus de via, ferebamurque per eremi latam vastitatem. Deficiente verò nobis aquâ per aliquot dies, siti arescere cœpimus. Cumque iam & siti & æstu deficientes, progredi vlteriùs non valeremus, inuentis per desertum myricis, iactauimus nos singuli sub vmbrâ arborum, exspectantes mori præ siti. Prostratus verò in vmbram ego factus sum in ecstasi, vidique piscinam aquâ plenam, & circumfluentem, duos autem supra piscinæ labium assistere, vasque vnum ligneum. Tunc cœpi vnum ex illis rogare, dicens: Fac mecum charitatem, domine, & da mihi pusillum aquæ, quoniam deficio. Ille verò nolebat. Tunc dicit ad eum alter: Da illi modicum. Qui respondit ei, dicens: Non demus ei, valdè enim desidiosus est, & negligens sui. At alter: Vtique sanè negligens est ac desidiosus, propter hospitalitatem tamen demus ei. Atque ita præbuerunt mihi; & his qui mecum erant. Mox autem vt bibimus, confortati sumus,& iter agentes tribus diebus aliis sine potu, peruenimus ad loca habitabilia.

Nicolaus in ecstasim rapitur.

Nicolaus ob hospitalitatem sitiens in eremo diuinitus reficitur.

CAP. XVII.

Vita MACNI *senis.*

DICEBANT de quodam Macno sene, qui in eodem monasterio abbatis Petri morabatur, quòd quinquaginta annos egisset in speluncâ suâ, neque vinum bibens, neque panem comedens, nisi tantùm furfureum. Tertiò autem singulis hebdomadibus communicabat.

Macnus vino & pane abstinens.

CAP. XVIII.

Vita alterius SENIS *monasterij Lauræ, qui cum leonibus dormiebat.*

NARRAVIT nobis abbas Polychronius presbyter de alio sene, qui sedebat in eadem Laurâ abbatis Petri, quòd plerumque abiens, in ripâ Iordanis commanebat, & vbi cubile leonis inuenisset, illic dormiebat. Die verò quadam tulit duos leonis catulos intra pallium suum in ecclesiam, & dicebat fratribus: Si mandata Domini nostri Iesu Christi custodiremus, ista animalia profectò nos timerent; sed propter peccatum serui effecti, nos illos timere comprobamur. Quâ re magnificè ædificati fratres, ad mansiones suas recesserunt.

Seni & leoni idem cubile.

Leonis catulos in ecclesiam defert.

Timorem leonum ex peccato contrahimus.

CAP. XIX.

Relatio abbatis ELIAE *de seipso.*

NARRAVIT nobis abbas Elias, dicens: Cùm aliquando morarer in partibus sancti Iordanis in spelæo iuxta Eunuchorum monasterium, ideò quòd non communicarem Macario archiepiscopo Ierosolymitano, die quadam circa horam sextam, æstu vehementissimo coquente desuper (erat enim Augustus mensis) pulsauit quidam ostium speluncæ meæ: egressus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hîc facis? Et respondens, dixit mihi: Et ego, mi pater, eiusdem quo te instituti sum, & quasi vno lapide distat à te spelunca mea. Ostendebat autem & locum quasi ad Austrum. Et ait: Lustraui hanc eremum, & præ æstu nimio siti fatigata sum, fac ergo charitatem, pater, & da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli vrceum, & dedi ei. Quæ cùm sumens bibisset, dimisi illam. Cùm autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumptâ virgâ meâ, cellam egressus sum in feruore æstus, cùm lapides ignescerent, profectusque sum ad illam, vt implerem turpem concupiscentiam. Cùm verò fermè vno stadio ab eius adhuc spelæo distarem, vrente grauiter æstu libidinis, repentè factus in ecstasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadauera putrida iacentia, & resoluta, & incredibili fœtore plena, quemdamque reuerendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri; fruere iam vt vis, & quantum libet concupiscentiâ tuâ: huius tamen voluptatis gratiâ vide quot labores amittere voluisti. Vide propter quod peccatum vos ipsos priuare vultis

Monasterium Eunuchorum.

Ex mulieris aspectu Elias concupiscētiâ fornicationis tētatur.

Mirabili visione Elias a fornicationis periculo retrahitur.

vultis regno cælorum. Væ humanæ miseriæ! propter vnius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reuersus sum in cellam meam.

CAP. XX.

Conuersio cuiusdam MILITIS *ad miraculum Dei in se factum, cuius etiam vita compendiosè describitur.*

NARRAVIT nobis quidam patrum, accepisse se à quodam milite, quòd cùm bellum in Africâ gererent Romani cum Mauritanis, victique fugarentur à barbaris, ac plurimi illorum passim cæderentur, ipsum quoque vnus ex barbaris nactus hastam, vt illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cùm cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac necessitate, & salua ex hac acerbâ morte, mox ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem neminem ex barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha, manseratque iam in speluncâ, Dei se protegente gratiâ, annos triginta quinque.

Periculo eripitur monasticæ vitæ votum cum conditione emittens.

CAP. XXI.

Mors ANACHORETAE, *& eius interfectoris.*

ABBAS Gerontius præpositus monasterij sancti patris nostri Euthymij narrauit mihi & Sophistæ Sophronio, dicens: Tres simul eramus trans mare mortuum; ambulantibusque nobis in montem, anachoreta quidam alius circa maris ripam deambulabat. Contigit autem Saracenos trãsire per loca illa & occurrere ipsi: cùm ergo præteriissent illum, reuersus vnus ex eis anachoretæ caput abscidit, nobis de longinquo spectantibus; iam enim conscenderamus montem. Cùm verò lacrymaremur tristes propter anachoretæ casum, repentè cernimus auem supernè venientem, raptumque Saracenum in sublime tulisse, atque inde in terram illum dimisisse, ex eoque lapsu Saracenum interiisse.

Saracenus anachoretam occidens punitur.

CAP. XXII.

Vita alterius senis CONONIS.

SENEX quidam erat in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, nomine Conon, Cilix genere, hanc vitæ normam per triginta annos custodiens: semel comedebat in hebdomadâ panem & aquam, & sine intermissione operans, numquam de ecclesiâ egrediebatur.

Conon 30. annis semel in hebdomadâ comedens panem, & aquam bibens.

CAP. XXIII.

Vita THEODVLI *monachi.*

ALIVM vidimus senem in eodem monasterio, Theodulum nomine, qui miles anteà fuerat. Is dies omnes ieiunans, numquam in latus dormiebat.

Theodulus semper ieiunat.

CAP. XXIV.

Vita SENIS *cuiusdam habitantis in cellis Cuziba.*

ERAT senex quidam habitans in cellis Cuziba, de quo narrabant nobis loci eius seniores, quòd dum in vico suo esset, hanc habebat consuetudinem, vt si quem vidisset in vico præ inopiâ non valentem agrum suum seminare, noctu ibat, ignorante agri domino, semenque secum ferens, pauperis illius serebat agrum. Cùm autem venisset in eremum, & moraretur in cellis Cuziba, eadem miserationis faciebat opera. Ibat enim per viam, quæ ducit à Iordane ad sanctam ciuitatem, ferens panes & aquam. Et si quando videret aliquem lassescentem, portabat onus eius, & ascendebat vsque ad sanctum montem Oliueti, rursusque per eamdem cum ceteris redibat viam, ferens illorum onera vsque Iericho. Vidisses senem aliquando ferentem onus ingens, sudantemque sub fasce; aliquando portantem in humeris puerulum, sæpè etiam duos. Nonnumquam sedebat, viri siue mulieris disrupta calceamenta resarciens: ferebat quippe secum quæcumque ad hoc erant necessaria. Alios potabat eâ quam ferebat aquâ, aliis præbebat panes: si quem verò inuenisset nudum, pallium quod ferebat, dabat ei. Eratque dulce, videre senem singulis diebus laborantem. Et si quando mortuum in viâ reperisset, expletis super eum psalmis consuetis & orationibus, sepeliebat eum.

Senex quidam omnibus ministerium suum exhibet.

Mortuos sepelit cum psalmis & oratione.

CAP. XXV.

De FRATRE *monasterij Cuziba, & sanctæ oblationis verbis, nec non de abbate* IOANNE.

FRATER quidam erat in cœnobio Cuziba, vt nobis abbas Gregorius 3 ex Scholaribus retulit, qui sanctæ oblationis verba ritumque didicerat. Die ergo quadam missus vt benedictiones ferret, cùm iam rediret ad monasterium, 4 verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem verò benedictiones imposuerunt diaconi sancto altari. Quas cùm abbas Ioannes presbyter offerret, qui posteà Cæsareæ Palæstinæ episcopus fuit, non vidit, vt solitus erat, sancti Spiritus aduentum. Contristatusque valdè & cogitans, ne quid fortè peccasset in mente, atque ideò se Spi-

Frater oblationis verba recitans mirè panem sanctificat.

Temporè oblationis, Spiritus sancti aduentus olim visus.

ritus sanctus auertisset, ingressus est sacrariū plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei angelus Domini, dicens: Quoniam frater ille qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in viâ dixit, sanctificatæ iam ac perfectę sunt. Ex tunc igitur statuit senior, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neq; passim ea quispiam diceret, quocumque tempore absque loco consecrato.

Oblationis verba non nisi ordinatus dicere debet.

CAP. XXVI.

Vita fratris THEOPHANIS, *eiusque mirabilis visio, & de communicatione cum hæreticis.*

SENEX quidam sedebat in Laurâ Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus nomine, magni apud Deum meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dorâ, Theophanes nomine, vt interrogaret senem de cogitationibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit atque vrgere verbis de pudicitiâ & castitate. Frater itaque magnificè ædificatus, ait seni: Verè, mi pater, ego nisi in regione meâ Nestorianis communicarem, tecum permásissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessimâ & perniciosâ hæresi, accederetque ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, dicens non esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus & credamus (vt reuerà est) sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, domine pater, omnes hæreses sic dicunt, Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. Quid ergo faciam infelix, nescio: deprecare igitur Dominum vt reipsâ me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex autem cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi: Sede in speluncâ mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissoque fratre in speluncâ suâ, egressus est senior prope mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis aspexit frater quemdam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. assumensque eum, duxit in locum tenebrosum ac fœtidum, ignes euaporantem: atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychen, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam. Dixitque illi is qui apparuerat: Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & his qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate: si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia si omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

Nulla spes salutis extra Catholicam & Apostolicā Ecclesiam.

Theophanes Nestorianus, hæreticorum in inferno visione, ab hæresi reuocatur.

Absque rectâ fide nulla virtutes prosunt.

CAP. XXVII.

Vita PRESBYTERI *villæ Mardandos.*

DECEM ferè millibus passuum ab vrbe Ciliciæ Æginâ villa quædam est, nomine Mardandos, in quâ templum est sancti Ioannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat, summi apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam verò die villæ ipsius habitatores accesserunt ad episcopum accusantes senem, ac dicentes: Tolle à nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis episcopus: Quid vobis facit? Dicunt ei: Accedit Missam celebrare die Dominico, nunc hora tertiâ, nunc autem horâ nonâ, vt sibi visum fuerit, neque seruat sollemnem ac legitimum ordinem sanctæ oblationis. His compertis, episcopus assumens senem seorsum, ait illi: Quid ita facis, senior? an ignoras sanctæ Ecclesiæ statuta? Ait senex: Vera profectò prosequeris, & rectè dicis: verùm quid agam, ignoro. Die enim Dominico post nocturnos hymnos, prope sanctum altare sedeo, & quousque videam Spiritum sanctum altare obumbrantem, sancta Missarum sollemnia non incipio: cùm autem aduenisse Spiritum sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis, episcopus admiratus virtutem senis, conuocat habitatores villæ, satisfaciensque illis, dimisit eos in pace.

Templum S. Ioannis Baptistæ in Mardandos villâ.

Iam olim certum Missæ faciēdæ tempus præscriptum.

Presbyter non celebrat Missam, nisi Spiritus sancti ad altare aduentum videat.

Huic seni misit abbas Iulianus Stylites salutationem, mittens ei etiam pannum inuolutum, habentem intus tres carbones ignis. Senex verò suscipiens salutationem & carbones ardentes, remisit eidem abbati ipsum pannum inuolutum aquâ plenum. Distabant autem ab inuicem ferè viginti millibus passuum.

Meritis sanctorum ignis & aqua panno deferuntur.

CAP. XXVIII.

Factum mirabile abbatis IVLIANI STYLITAE.

NARRABAT abbas Cyriacus, discipulus prædicti abbatis Iuliani Stylitæ, dicens: Venimus ego & pater meus & frater à regione nostrâ ad abbatem Iulianum, auditâ eius famâ. Ego enim habebam passionem insanabilem, quam nullus homi-

Iulianus morbidum oratione sanat.

hominum curare potuerat. venientem igitur senex protinus me oratione curauit. Mansimus autem omnes apud eum, & abrenuntiauimus sæculo: constituitque senior patrem meum super frumentum. Quadam verò die venit pater meus, & ait abbati Iuliano: Frumentum non habemus. Senex autem de columnâ respondens ait: Vade, frater, & ipsum quod inueneris, collige hodie, & mole, & de crastino Deus nostri curam habebit. Ille verò in hoc verbo turbatus (sciebat enim se nihil dimisisse) abiit ad cellam suam. Necessitate autem vrgente misit ad eum senex, dicens: Accede huc. Ille cùm vix venire acquieuisset, dicit ei senior: Frater Conon, vade, & quod inueneris, fac in cibum fratrum. Ille præ iracundiâ sumptis horrei clauibus abiit, volens terræ puluerem ferre. Cùm autem amotis claustris ostia vellet aperire, non poterat. Erat enim totum horreum frumento plenum. Quo ille viso perterritus, à sene veniam prostratus petiit.

Iuliani meritis horreum frumento repletur.

CAP. XXIX.

Miraculum sanctissimæ EVCHARISTIAE.

QVASI triginta milliaribus ab Æginâ ciuitate Ciliciæ, Stylitæ duo erant separati ab inuicem sex millibus passuum. Ex his alter sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communicabat; alter autem qui etiam plus temporis in columnâ egerat, Seuerianæ impietatis erat, variisque modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitus inspiratus, petiit ab eo, vt partem sibi mitteret Communionis suæ. Qui gaudio elatus, quòd quasi illum seduxisset, protinus misit nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico Seueriani sectatore particulam, in feruentem ollam iniecit, moxque resoluta est. Sumptam quoque Catholicæ ecclesiæ sanctam Communionem in eam coniecit: statimque feruens olla refrigerata est, & sancta Communio permansit integra, neque madefacta est. Quam & diligenter seruauit, & ostendit nobis cùm ad illum venissemus.

Hæretici panis in ollâ feruēti resoluitur, Catholici Eucharistia integra manet, & ollam refrigerat.

CAP. XXX.

Vita ISIDORI *monachi Melitinensis, alterumque miraculum circa sanctissimam* EVCHARISTIAM.

DADE Cypri emporium est: in eo monasterium est quod dicitur Philoxene: ad id cùm venissemus, inuenimus ibi monachum genere Melitinensem, Isidorum nomine. Hunc vidimus sine vllâ intermissione cum eiulatu flentem. Cùm autem rogaretur ab omnibus, vt aliquantulùm quiesceret, & à fletu temperaret, nulli penitùs acquiescebat, dicens omnibus: Nimiùm peccator sum vltra omnes qui ab initio sæculi fuerunt. Cùm autem illi diceremus: Nullus certè sine peccato est, nisi vnus Deus. respondebat dicens: Veraciter, fratres, nullum inueni inter homines similem mihi peccatorem, nullumq; maius delictũ quàm meum. Et vt cognoscatis me vera prosequi, audite peccatum meum, vt & vos oretis pro me.

Isidorus iugiter flens.

Omnium maximum se peccatorem vocat.

Ego cùm essem in sæculo, vxorem habui: eramus autem ambo Seueriani dogmatis. Cùm ergo die quadam venissem domum, non inueni vxorem meam: audiui autem quòd abijsset ad vicinam mulierem vt illi communicaret (erat autem illa Catholicæ religionis & fidei) cucurrique protinus volens prohibere. Profectus autem domum, inueni illam iam communicasse. Quare indignatione concitatus apprehendi guttur eius, fecique illam euomere sacram Communionem. Sumptam deinde particulam sanctam huc illucque iactabam, donec in lutum cecidit. Mox autem vidi coruscationem in eodem loco sanctam assumpsisse Communionem. Post biduum verò aspicio virum quasi Æthiopem semicinctijs vestitum, dicentemque mihi: Ego & tu simul in vnum supplicium condemnati sumus. Et ego ad eum: Tu, inquam, quis es? Respondit: Ego sum qui conditorem omnium Dominum Iesum Christum in maxillâ percussi passionis tempore. Atque hac de causâ à fletu temperare non possum.

Eucharistia in lutum proiecta coruscatione fulget.

Pœna eius qui Christum in maxillâ percussit.

Conuersio & vita MARIAE *meretricis.*

CAP. XXXI.

DVO senes abierunt ab Ægis in Tharsum, venientesque in stabulum vt requiescerent (erat enim æstus) per dispensationem Dei inuenerunt in stabulo tres adolescentes habentes secum vnam meretricem. Senes ergo seorsum sederunt, vnusque ex eis accipiens sanctum Euangelium legebat. Meretrix verò quæ erat cum adolescentibus, vt vidit legentem senem, relictis illis accessit ad senem, seditque iuxta illum. Senex autem illam reijciens, dixit: Multùm, ô infelix, impudens es, quæ veritæ non fuisti accedere ad nos ac sedere. At illa: Ne, quæso, pater, ne abomineris me, neque abijcias: etsi enim omni peccato plena sum, non tamen repulit venientem ad se meretricem Dominus, & Saluator omnium Christus Deus noster. Respondit ei senex: Sed meretrix illa non permansit meretrix. Tum ipsa: Spero in Filium Dei viui, quia ab hodierno die neque ego permanebo in peccato hoc. Relinquens igitur adolescentes, & sua omnia, secuta est senes illos. Mise-

Maria meretrix senes legētes Euangeliū accedit.

A turpi vitâ ad meliorem conuertitur.

runt autem illam in monasterium prope Æga ciuitatem. Hanc & ego iam anum vidi magnæ prudentiæ feminam, & ista ex eius ore didici. Erat autem illi nomen Maria.

CAP. XXXII.

Conuersio, & vita [5] BABYLAE mimi, nec non COMETAE & NICOSAE concubinarum eius.

MIMVS quidam erat in Tharso Ciliciæ, nomine Babylas: erant autem illi duæ concubinæ; nomen vni Cometa, nomen alteri Nicosa. Viuebat autem luxuriosè agens omnia quæ illi dæmon suggessisset. Die verò quadam ingressus ecclesiam, audiuit per dispensationem Dei sanctum Euangelium legi. Erat autem ista lectio: Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Compunctusque cœpit cum lacrymis horrere, ac se miserum dicere pro his quæ peccauerat. Confestim igitur egressus extra ecclesiam, vocauit duas amicas suas, dixitque illis: Scitis quomodo vobiscum luxuriosè vixerim, vtque numquam alteram plus quàm alteram dilexerim; itaque vestra sunt omnia quæcumque ego acquisiui, accipite insuper mea omnia & diuidite inter vos; ego enim ex nunc abrenuntio sæculo, & efficior monachus. Illæ autem ex vno ore responderunt ei cum lacrymis: Ad luxuriam & animarum nostrarum interitum communicauimus tibi; nunc verò quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id solus facis? profectò non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita mimus quidem inclusit se in vnâ turrium ciuitatis: illæ verò, venditis omnibus suis, erogatisque pauperibus, accipientes & ipsæ religiosum habitum, fecerunt sibi prope turrem cellulam, & seipsas pariter incluserunt. Hunc & ego vidi, & ab eo valdè ædificatus sum: est enim vir valdè humilis & clemens, atque misericors. Scripsi autem & hoc pro vtilitate legentium.

Babylas mimus audità Euangelij sententià ad meliorem vitam conuertitur.

Religiosum habitum cum concubinis suis assumit.

CAP. XXXIII.

Vita sancti episcopi THEODOTI.

NARRAVIT nobis quidam patrum, quòd fuerit in sanctâ ciuitate episcopus quidam, nomine Theodotus, tantæ benignitatis, vt cùm in vnâ sollemnitate inuitasset quosdam de clericis suis ad cõuiuium, vnusque ex eis venire noluisset, neque inuitationi acquieuisset, tunc quidem patriarcha siluerit, aliàs verò ipse ad eum profectus sit, rogans vt veniret, mensæque communis particeps fieret.

Theodoti patriarcha Ierosolymitani in hospitem benignitas.

Dicebat autem rursus de ipso episcopo Theodoto, quòd ita fuerit mitis atque humilis, vt cùm semel iter ageret cum vno clerico, & ipse quidem lecticâ veheretur, clericus verò equo insideret, dixerit clerico suo patriarcha: Mutemus vehicula nostra, & tu quidem lecticâ vehere, ego autem eques ibo. Cùm verò clericus id facere recusaret omnino, dicens id dedecus fore patriarchæ, si quidem clericus lecticâ portaretur, & episcopus equo insidiens ingrederetur: non quieuit sanctus & humilis Theodotus, donec ministro persuasit, non esse rem istam iniuriosam, coëgitque illum ita facere.

Clerico suo lecticam cedit.

CAP. XXXIV.

Vita diui ALEXANDRI patriarchæ Ierosolymitani.

ALIVM habuit ciuitas ipsa Dei patriarcham, Alexandrum nomine, adeò pium & misericordem, vt cùm illi quidam ex notariis suis furatus esset aurum, & metu perterritus fugiens in Thebaidem Ægypti, incidisset vagus & errans in latrones, ac ductus fuisset ab eis captiuus ad extremas Ægypti partes: hoc comperto, diuus Alexander redemerit eum vinctum ac captiuum octoginta quinque numismatibus. Quo reuerso ita piè misericorditerque vsus est, vt quidam ex vrbis habitatoribus dixerit aliquando: Nihil esse vtilius, quàm in Alexandrum peccare.

Alexander patriarcha Ierosolymitanus famulũ furẽ à captiuitate redemit.

Alio quoque tempore vnus ex diaconis eius, coram clericis omnibus iniuriis affecit diuum Alexandrum. Qui mox prostratus humi veniam petit, dicens: Ignosce mihi, domine frater.

A clerico veniam petit.

CAP. XXXV.

Vita [6] ELIAE Ierosolymorum archiepiscopi, & de FLAVIANO Antiochiæ patriarchâ.

DICEBAT abbas Polychronius de sancto Eliâ Ierosolymorum archiepiscopo, quòd sicut cùm esset monachus, vinum non bibebat, ita nec patriarcha quidem factus bibit, sed eamdem seruauit regulam.

Elias episcopus canonem monachicum seruat.

Dicebant de eodem archiepiscopo Eliâ, & de Flauiano Antiochiæ archiepiscopo, quòd ab Anastasio Imperatore ambo fuerint exilio relegati propter sanctam Chalcedonensem Synodum; Elias quidem in Hailâ, Flauianus verò apud Petram. Die verò quadam significauerunt sibi ambo patriarchæ, mutuò dicentes: Anastasius hodie mortuus est, eamus igitur & nos, vt cum illo iudicemur. Et post duos dies ambo migrauerunt ad Dominum.

Elias & Flauianus in exilium missi.

Anastasij Imp. mortem prænoscunt.

Cum eo ad iudiciũ pergunt.

Vita

CAP. XXXVI.

Vita EPHRAEM *Antiocheni patriarchæ, & quomodo Stylitem monachum à Seuerianæ hæreseos impietate conuerterit.*

NARRAVIT nobis quidam patrum de sancto Ephræm Antiocheno patriarchâ, quòd valdè zelans fuerit & feruens circa fidem. Cùm enim audisset de Stylite illo qui erat in partibus Hierapolis, quòd Seuerianæ esset hæreseos, abiit ad illum, vt impietatem dissuaderet illi. Cœpit ergo diuus Ephræm corripere Stylitem, & orare, vt accederet ad sanctum apostolicum thronum, & communicaret sanctæ & apostolicæ Ecclesiæ. Respondens verò Stylites ait: Ego synodo prorsus non communico. Dicit ad eum sanctus Ephræm: Et quomodo vis, vt curem te, & satisfaciam pro gratiâ Domini nostri Iesu Christi? sancta Ecclesia libera est ab omni sorde prauitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites: 7 Accendamus ignem, domine patriarcha, & ingrediamur simul, & quem flamma non læserit, ille orthodoxus erit, illumque sequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret patriarcham. Respondit sanctus Ephræm Stylitæ: Oportebat quidem te, fili mi, tamquam patri obtemperare, nihilque à nobis ampliùs quærere. Quoniam verò rem postulasti excedentem quidem vires infelicitatis meæ, confido tamen in miserationibus Filij Dei, quia tuæ salutis caussâ & hoc faciam. Tunc ait diuus Ephræm astantibus omnibus: Benedictus Dominus; afferte huc ligna. Cùm verò allata essent ligna, succendit illa patriarcha ante columnam, dixitque Stylitæ: Descende nunc, vt iuxta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad patriarchæ constantiam, descendere noluit. Tunc dixit ad eum patriarcha: Nónne tu hoc fieri petiisti? & quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens se quâ indutus erat stolâ patriarcha, cùm accessisset prope ignem, orauit, dicens: Domine Iesu Christe Deus noster, qui propter nos dignatus es de sanctâ dominâ nostrâ Dei genitrice semperque virgine Mariâ incarnari & nasci, ostende nobis veritatem. Et completâ oratione, iactauit stolam suam in mediis ignibus. Cùm autem ignis quasi per tres horas durasset, lignaque iam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram, ita vt nulla ignis indicia in eâ deprehendi possent. Tunc Stylites videns quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum, & eius hæresim, accedensque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Ephrem communicauit, & glorificauit Deum.

Prouocatio ad ignem in causâ fidei.

Stola Ephræm patriarchæ Antiocheni in igne perstat illæsa.

CAP. XXXVII.

Vita EPISCOPI, *qui cathedrâ relictâ venit in sanctam ciuitatem, & mutato habitu ministrabat architectis.*

QVIDAM patrum enarrauit nobis de quodam episcopo, quòd relicto episcopatu suo profectus sit ad sanctam ciuitatem, ibique sumpto operarij habitu, ministrauerit architectis. Eo verò tempore vir clemens & misericordiæ operibus deditus Ephremius comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparabantur: ciuitas enim terræ motu ceciderat. Die autem quadam vidit per visum Ephremius dormientem episcopum, columnamque ignis super eum ad cælum vsque pertingentem. Hoc autem cùm non semel, nec bis, sed sæpiùs cerneret, obstupuit Euphremius (erat quippe visio ipsa terribilis & plena stuporis) cogitabatque apud semetipsum quidnam hoc esset, neque agnoscebat quis esset ille mercenarius, videns illum comâ neglectâ, veste sordidâ, vili & abiecto habitu, & nimiâ exercitatione & continentiâ, iugisque laboris fatigatione afflictum, & squalidum toto corpus cultu. Accersitum autem operarium eiusmodi Ephremius, percontabatur quisnam esset; cœpitque seorsum agere cum illo, quo vocaretur nomine, & cuius ciuitatis esset oriundus. Qui ait ad illum: Ego vnus pauperum istius ciuitatis sum; cumque non habeam vnde meipsum sustentare valeam, operor vt possum, & Deus de laboribus meis pascit me. Motus ergo diuinitus Ephremius, respondit illi, & ait: Crede mihi, non te dimittam, donec mihi omnia de te veraciter prosecutus fueris. Cùm verò ita constringeretur, neque se vlteriùs posset abscondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quamdiu fuero in vitâ hac, nemini dices quæ circa me sunt, & ego suppresso tantùm nomine, vera tibi de me annuntiabo. Iurauitque illi comes, nulli se ea dicturum quamdiu esset in vitâ. Tunc ait illi: Ego episcopus sum, & propter Deum dimisi episcopatū meum, & veni huc quasi ad ignotum locum. Affligens autem carnem meam, & operans, ex labore meo modicum panis mihi acquiro: tu verò quantum potes, adiice ad eleëmosynam. His enim diebus Deus promouebit te ad apostolicum thronum huius ciuitatis, vt pascas populum suum, quem acquisiuit per proprium sanguinem Christus verus Deus noster. Vt igitur dixi, eleëmosynis insiste, & pro rectâ fide iugiter sta & decerta. Talibus

Episcopus architectis seruit.

Columna ignis super caput eius apparet.

Ephremio comiti episcopatum prædicit.

libus enim sacrificiis maximè delectatur Deus. Ita vt prædixerat, contigit. Diuusque Ephremius, his auditis glorificauit Deum, dicens: Quantos habet occultos famulos, & soli sibi cognitos Deus.

CAP. XXXVIII.

Mors [8] ANASTASII *Imperatoris impij.*

NARRAVIT nobis vir quidam fidelis de Anastasio Imperatore, quòd cùm eiecisset Euphemium & Macedonium patriarchas Constantinopolitanæ ecclesiæ, ac propter sanctam Chalcedonẽsem synodum illos Gaitan in Pontum exilio relegasset, vidit in somnis idem Imperator virum quemdam insignem, vestitum amictu candido, contra se stare, codicem scriptum ferentem, ac legentem. Euoluens autem quinque folia codicis, legensque Imperatoris nomen, ait illi: Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim: & digito suo illos deleuit. Ac post duos dies facto fulgore magno atque tonitruo, pauore turbatus reddidit spiritum in summâ angustiâ, pro eo quòd impius fuit in sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, eiusque pastores auxilio damnauit.

Anastasij Imp. vita ob perfidiã breuiatur.

CAP. XXXIX.

Vita monachi monasterij abbatis SEVERIANI, *& quomodo à puellâ rusticâ prudenter retractus fuerit, ne cum eâ peccaret.*

CVM venissem Antiochiam, audiui quemdam de presbyteris ecclesiæ ista narrãtem: Dicebat, inquit, patriarcha Anastasius, cùm monachus quidam monasterij abbatis Seueriani missus fuisset in ministerium in partes Elutheropoleos, & diuertisset ad rusticum quempiam fidelem, habentem filiam vnicam, defunctâ iam matre illius, maneretque in domo eius dies aliquot, is qui semper impugnat homines diabolus immisit fratri sordidas cogitationes, impugnabaturque de puellâ, & quærebat opportunitatem opprimendi eam. Igitur qui illum oppugnabat dæmon, opportunitatem quoque illi procurauit. Patre enim puellæ proficiscente Ascalonem necessariæ vtilitatis gratiâ, frater ille sciens neminem in domo esse, nisi se solum & puellam, accessit vt illam vi opprimeret. Illa verò vt vidit ipsum totum perturbatum ad nefarium actum properare, dixit ei: Noli turbari, neque fœdum quid contra me moliaris; pater meus neque hodie neque cras veniet. Audi primùm, quid dicam. Ego enim (nouit Deus) promptè quidquid volueris faciam. Cœpit autem illum ita alloqui: Quantum temporis habes, frater, in monasterio? Dicit ei frater: Decem & septem annos. Dicit ei iterùm: Habes experimentum mulieris? Ait illi: Non. Ergo tu, inquit puella, vis propter vnam horam amittere tot annorum labores? Quoties fudisti lacrymas, vt carnem tuam Christo Domino puram immaculatamque seruares? & nunc totum laborem illum breuissimæ voluptatis gratiâ tibi perire vis? Verumtamen si vt vis audiero te, peccesque mecum, habesne quò assumas & enutrias me? Dicit ei frater: Non. Tunc illa: In veritate non mentior, si humiliaueris me, multorum malorum caussa eris. Dicit ei monachus: Quomodo? Puella respondens, Primùm quidem, inquit, quia perdis animam tuam; secundò quoniam & anima mea abs te requiretur: hoc enim tibi iuramento protestor per eum qui dixit: Noli me mendacem facere; quia si humiliaueris me, continuò mihi ipsi laqueo vitam extorquebo, inuenierisque homicidij reus, atque in iudicio vt homicida iudicaberis. Igitur antequam tot malorum caussas fias, reuertere in pace ad monasterium tuum, & ora pro me. Rediens igitur in semetipsum frater, ac respiciens, statim reuersus est ad monasterium suum, prostratusque abbati, & veniam postulans, orauit, vt vltrà iam de monasterio non egrederetur. Et cùm in contritione cordis egisset tres menses, migrauit ad Dominum.

Monachus fornicationis spiritu impugnatur.

Prudens puella monachum à fornicationis animo reuocat.

Ne propter vnam horam multorum annorum labores amittantur.

1. Ioan. 1.

Monachus in seipsum reuersus pœnitet.

Vita abbatis COSMAE *eunuchi.* CAP. XL.

NARRAVIT nobis abbas Basilius presbyter Bicantiorum, dicens: Cùm essem Theopoli apud patriarcham Gregorium, venit ab Ierosolymis abbas Cosmas eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis, & fidei rectorumque dogmatum valdè tenax & zelator, ac diuinarum Scripturarum scientiâ non mediocriter instructus. Cùm ergo fuisset ibi senex dies paucos, defunctus est: & iussit patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, vbi & positus erat quidam episcopus. Die igitur quadam profectus sum, vt salutarem sepulcrum senis. Erat autem supra sepulcrum eius iacens homo quidam pauper, eleemosynam petens ab ingredientibus in templum. Cùm ergo conspexisset me pauper tertiò prostratum, & seni orationem facientem, dixit mihi: Abba, magnus profectò erat senex ille, quem sepelistis hìc ante hos duos menses. Tunc ego ad illum: Vnde hoc tu nosti? Qui respondit: Verè, domine abba, ego paralyticus fui annis duodecim, & per ipsum curauit me Deus. Et quoties in tribulatione sum, venit ad me consolationem afferens, mihique refrigerium præstat.

Cosmæ reliquiæ pretiosæ.

Paralyticum sanat Cosmas.

Sed

Etiam mortuus ab hæretici communione in sepulcro abhorret. Sed & aliud audi de illo miraculum. Ex quâ die ipsum sepelistis vsq; ad diem hanc, audio illum singulis noctibus clamantem, ac dicentem ad episcopum: Noli me tangere, hæretice; ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ. Hæc ego audiens ab eo qui sanatus fuerat, perrexi, & omnia ex ordine patriarchæ retuli, orabamque ipsum sanctissimum patriarcham, vt sumptum ex eo loco senis corpus, in sepulchro alio reconderemus. Tunc ait abbas Gregorius patriarcha: Mihi, filij, credite, nihil ab hæretico læditur abbas Cosmas; sed hoc totum factum est, vt senis virtus, zelusque fidei nobis innotesceret, qualis scilicet fuerit, qualisque sit etiam post carnis occubitum, vtque episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur orthodoxum fuisse atque Catholicum.

Dicebat item de eodem sene abbas Basilius, qui cùm perrexisset ad eum commorantem in Laurâ Pharan, ait illi senex: Venit mihi cogitatio aliquando, quid sit, quod ait Dominus discipulis suis: Qui habet vestimentum, vendat illud, & emat gladium; illisq; dicentibus: Ecce gladij duo hîc; respon- *Lucæ 22.* derit: Satis est. hærebamq; in verbo isto, neq; quid sibi vellet, intelligebam. Itaque sic cogitabundus exiui de cellulâ meâ, in ipso meridiani solis æstu, vt irē ad Lauram Turrium, ad abbatem Theophilum, & interrogarem eum. Cumque per deserta pergerem, essemque prope Calamonem, aspicio draconem miræ magnitudinis de monte descendere in Calamonem. *Draconem illæsus transit.* Erat autem adeò ingens, vt cùm se moueret, curuaretur in modum cameræ, vestigiaque terræ altiùs impressa relinqueret. Ego verò per vestigia illius illæsus ingressus sum; agnouique, quia diabolus studium meum impedire voluerit: orationes autem senis iuuerunt me. Perueniens igitur ad abbatem Theophilum, exposui illi hæsitationem meam. *Duo gladij, vita actiua & contemplatiua.* Qui dixit mihi: Duo gladij duas vitas significant, actiuam & contemplatiuam. si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit.

Ad hunc ipsum abbatem Cosmam perrexi ego, dum esset in Laurâ Pharan; mansi enim in illâ annos decem. Cumque mihi loqueretur de salute animæ, & quoddam ex dictis sancti Athanasij Alexandriæ archiepiscopi allegaret, ait ad me senex: *Laus scriptorum Athanasij.* Cùm inueneris aliquid ex opusculis sancti Athanasij, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud. Tanto talique studio flagrabat erga sanctos patres nostros, & doctores sanctus senior.

Dicebat autem & hoc abbas Cosmas de seipso, quòd nocte sanctæ Dominicæ à vespere vsque manè staret psallens & legens, & in cellâ suâ, & in ecclesiâ; neque omnino sedens: orto autem sole, cùm implesset canonem, sedebat legens in sanctis Euangeliis vsque ad collectam. *Cosmæ canon orandi & legendi nocte sancta Dominica.*

Vita abbatis PAVLI Nazarbensis. CAP. XLI.

VIDIMVS & alium senem in eadem Laurâ, abbatem scilicet Paulum, virum sanctum ac Deo deditum, mitissimum atque abstinentissimum. Neminem verò memini me vmquam vidisse tantâ consolationis ac lacrymarum gratiâ ornatum: stillabant enim ex oculis eius iugiter lacrymæ. Impleuit ergo sanctus iste senior in vitâ solitariâ annos ferè quinquaginta, contentus solâ panis eleëmosynâ, quam ecclesia dabat, nullique omnino colloquens. Erat autem ex Nazarbo. *Paulus annis 50. panis eleëmosynâ viuit, nulli colloquens.*

Vita abbatis ANAXANONTIS serui Dei. CAP. XLII.

VIDIMVS in eodem loco abbatem Anaxanontem, virum misericordem & continentissimum, vitamque solitariam in cellulâ suâ agentem tantâ districtione, vt per quatuor dies vnam tantùm oblationem manducaret 9 minutorum viginti. *Anaxantis abstinentia.* Sæpè verò & totâ hebdomadâ eam solam comedebat. Circa extremum verò vitæ suæ, venerandus hic vir dolorem incurrit ventris & viscerum. Tulimus itaque illum in sanctam ciuitatem in domum infirmorum, quæ sub patriarchæ erat curâ. Die verò quadam cùm prope illum essemus, misit ad illum abbas Conon præpositus Lauræ sancti patris nostri Sabæ sudarium, vnam habens benedictionem, & numismata sex, ita illi significans: Ignosce mihi, quia non permittit me ægritudo ascendere, & te salutare. Senex autem benedictionem quidem retinuit, nummos verò remisit, dicens: Si quidem voluerit Deus vt in hac vitâ durem, pater, habeo nummos decem. *Nummos dono oblatos remittit.* Cùm verò eos expendero, significabo vobis, & mittetis istos. Vt autem noueris, pater, post duos dies sæculum istud derelinquo. quod & factum est. *Mortem suam prædicit.* Detulimus autem eum in eamdem Lauram Pharan, & ibi eum sepeliuimus. Fuit autem beatus iste, & beati Eustochij contubernalis; ambobusque relictis, in eremo consummatus est. Erat autem ex Ancyrâ Galatiæ ciuitate.

Detestabilis mors impij THALELAEI archiepiscopi Thessalonicensis. CAP. XLIII.

FVIT quidam Thessalonicæ archiepiscopus, Thalelæus nomine. Hic neq; Deum timens, neque paratam retributionem expauescens, conculcansq; Christianum dogma, ac

ac sacerdotalem honorem & dignitatẽ spernens, inuentus est pro pastore lupus. Abnegans quippe sanctam & consubstantialẽ Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, idola infelix adorabat. Quẽ ij qui tũc ecclesiis præerant, cõmuni decreto damnarunt, ac de sede suâ deturbarunt. Pauco pòst tempore nequam ille omni scelere & impietate plenus voluit ad sacerdotalem dignitatem remeare. Quia ergo, iuxta sapientissimũ Salomonem, omnia obediunt auro, reuocatus est in regionem suam (erat autem Constantinopoli in quâ habitant Principes, qui iuxta Prophetam iustificãt impium propter munera, & iustum iusti tollunt.) Sed omnipotens Deus sanctam Ecclesiam suam non despexit: sed aduersus Apostolorum canones latam pro ipso sententiam rursus vt sibi minimè acceptã damnauit. Cùm enim quadam die ille processurus esset cum superbo ornatu, vt ad Imperatores pergeret, sacerdotiumq; decretis illorum iterùm resumeret, pupugit illum venter, vt pergeret ad necessaria naturæ. cùm verò secretum locũ ingressus esset exonerandi ventris caussâ, mansissetq; intus duas iam vel tres horas, neque reuerteretur ad suos, ingressi sunt quidã ex his qui illi assistebant, vt illum iam debere progredi monerent, inueneruntq; infelicẽ illum capite deorsum, vbi egerebantur stercora demersum, pedibusq; sursum erectis. Erigentes autem illum, inuenerunt æquali impij Arij, Dei hostis morte exstinctum horribili & æternâ. [Nam & illum, cùm auxilio fretus Principum se in Ecclesiam Dei speraret tyrannicè ingressurum sanctæ Dei Ecclesiæ mirabilis & magni cõsilij angelus, eius viscera quæ nefariùm scelus parturiebãt, in secessu dissipauit: & hunc auxilio item innixum Principum, cùm prioribus se peiora patraturum speraret, Thessalonicẽsis Ecclesiæ rector angelus cũ Magno martyre Demetrio, præueniẽs, in eo loco in quo sedens, & commercium habens cum impuro dæmone, aduersus sanctam Dei Ecclesiam struebat insidias, in eodem inutilis serui pedes, qui rectè incedere nolebat, clauis suffixos pendentes reliquit; in quibus indicia eminebant illius iudicij, quo plectendus erat, & quàm terribile sit in manus incidere Dei viuentis.]

Eccle. 10. — Isaiæ 5. — Thalelaus ob impietatem in latrinâ suffocatus. — Vncinis inclusa suppleta sunt ex Græco. — Heb 10.

CA. XLIV. *Vita senis* MONACHI *prope ciuitatem Antinoum commorantis, & de oratione pro mortuis.*

SENEX quidam enarrauit nobis cùm Thebaidam venissemus, quòd senex vnus morabatur extra ciuitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cellâ suâ egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decẽ, ex quibus vnus erat valdè negligens sui. Senex ergo sæpiùs illum corripiebat, & hortabatur, dicens: Frater, sollicitudinem gere pro animâ tuâ; habes enim mori; & nisi te emendaueris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea quæ ab ipso dicebantur admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, vt iste moreretur. Contristatus verò senior super illo valdè (sciebat enim quòd in magnâ desidiâ & negligentiâ de sæculo exiisset) cœpit orare, ac dicere: Domine Iesu Christe, verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluuium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum vsque demersum. Tunc ait illi senior: Nónne te propter hanc pœnam orabã, vt curã animæ tuę ageres, fili? Respõdit frater, & ait seni: Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiẽ habet: per orationes enim tuas supra caput episcopi sto.

Senex annis 70. in cellâ inclusus. — Frater in pœnis iuuatur orationibus senis.

CAP. XLV. *Vita* MONACHI *inclusi in monte Oliuarum, & de adoratione imaginis sanctissimæ Dei genitricis* MARIAE.

DICEBAT abbas Theodorus Æliotes, quòd fuerit quidam inclusus in monte Oliuarum certator maximus: impugnabat autem illum fornicationis spiritus. Die verò quadam cùm instaret illi vehementer, cœpit eiulare senex, & dicere dæmoni: Quamdiu non dimittis me? recede iam à me, qui mecum consenuisti. Apparuit autem ei dæmon visibiliter, dicens: Iura mihi, quia nemini dices, quod tibi dicturus sum, & te non ampliùs oppugnabo. Iurauitque ille senex, dicens: Per inhabitantem in altissimis nulli dicam quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli adorare hanc imaginem, & vltrà te non impugnabo. Habebat autẽ hæc imago expressam figuram Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ferentem Dominum nostrum Iesum Christum. Ait inclusus dæmoni: Dimitte me vt deliberem. In crastinum autem hoc significauit ipsi abbati Theodoro Æliotæ tunc habitanti in Laurâ Pharan, narrauitque illi omnia. Senex autem ait recluso: Verè, domine abba, illusus es, quia iurasti dæmoni; verumtamen benè fecisti hoc reuelans. Expedit autem tibi nullum in illâ vrbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm vt neges te adorare Deũ, & Dominum nostrum Iesum Christum cum matre suâ. Confirmatum igitur & corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco suo. Apparuit ergo dæmon incluso rursus, dicens: Quid hoc est, pessime senex? Nónne

Senex vt liberetur à spiritu fornicationis, temerè dæmoni iurat, de non adorandâ B. Mariæ imagine. — Per Theodorum abbatem ad sanam mentem reducitur.

Nónne tu iurasti mihi, quia id nemini diceres? Et quare dixisti ei qui venit ad te? Dico tibi, quia vt periurus in die iudicij iudicaberis. Respondit inclusus, dicens: Scio quidem, quia iuraui, & peieraui; verumtamen Dominum & Creatorem meum peieraui, tibi autem non obediam. A te enim vt auctore & praui consilij & periurij pœnæ ineuitabiles exigentur.

CAP. XLVI. *Mirabilis visio abbatis* CYRIACI *Lauræ Calamonis, & de duobus impij Nestorij libris.*

ACCESSIMVS ad abbatem Cyriacum presbyterum Lauræ Calamonis iuxta sanctum Iordanem, narrauitque nobis dicens: Die quadam vidi per somnum mulierem honestâ facie, purpurâ indutam, & cum eâ viros duos, & ipsos venerando habitu, & aspectu præclaro. Arbitratus autẽ sum mulierẽ illam esse Dominam nostram sanctam Dei genitricem, eosq; qui cum illâ erãt duos viros, sanctum Ioannem Theologum & S. Ioannem Baptistam. Egressusq; de cellulâ orabam illos, vt ingrederentur & in cellâ meâ orarent: quæ non consensit. Permansi ergo diutiùs orans & obsecrans, ac dicens: Ne, quæso, auertatur humilis factus confusus: & alia plurima huiusmodi. Illa igitur vt me vidit instare precibus, eamdemq; postulationem iterare, seueriùs mihi respondit, dicens: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis vt ingrediar? Et his dictis abscessit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquid in mente peccatum contra illam admisissem, neque enim erat alius aliquis in cellâ meâ, nisi ego solus. Diutius igitur meipsum discutiens, nihil inueni, quod in illam peccassem. Cùm verò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum vt legerem, quò per huiusmodi lectionem dolorem vnà cogitationesque repellerem. Librum autem ipsum acceperam mutuò à beato Isychio presbytero Ierosolymitanæ ecclesiæ. Euoluensque librum inueni duos impij Nestoris libros in fine voluminis scriptos; moxq; agnoui hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis semperque virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abij, librumque illi qui mihi eum accommodauerat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantum vtilitatis cepi, quantum detrimenti. Cùm verò ille detrimenti ipsius caussam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui zelo Dei succensus protinus duos illos Nestorij libros ex volumine præscidit, eosque igni tradidit, dicens: Non manebit in cellâ meâ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ inimicus.

Cyriaco beata Maria cum Ioanne Baptistâ & Euangelistâ apparet.

Psal. 73.

Cellã eius ingredi recusat, quòd Nestorij libros penes se haberet.

Libri hæreticorum comburēdi.

CAP. XLVII. *Miraculum* S. DEI GENITRICIS *contra Gaianum mimum qui eam in theatro blasphemabat.*

HELIOPOLIS Phœnicis Libanensis ciuitas est. In hac mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem illi sancta Dei genitrix, dicens: Quid tibi mali feci, quia coram tantâ multitudine mihi detrahis, & blasphemas me? Ille verò surgens, non solùm non se correxit, verùm etiam plus blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei genitrix, corripiens eum, ac dicens: Noli quæso, noli ita lædere animam tuam. Ille verò rursum deteriùs illam blasphemabat. Vnde ipsa tertiò eidem apparens, eadem repetebat. Cùm autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemiis adiiceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito solo signauit eius manus & pedes. Euigilans autem, inuenit se truncatum manibus & pedibus. Atque ita infelix vt truncus inutilis iacens, confitebatur omnibus cuius rei gratiâ, & quomodo hoc passus esset, vtque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset.

Gaianus mimus irridens beatam Virginem punitur.

CAP. XLVIII. *Miraculum item* S. DEI GENITRICIS *quo Cosmiana vxor Germani patricij coacta est ex hæresi Seuerianâ ad veram Christi fidem redire.*

NARRAVIT nobis Anastasius presbyter, & ornamentorum sanctæ resurrectionis Dei & Domini nostri Iesu Christi custos, quia adueniens illuc Cosmiana, vxor Germani patricij, voluit nocte quadam sanctæ Dominicæ sola adorare sanctum Domini nostri Iesu Christi viuificumque monumentum. Et cùm appropinquaret ianuæ sacrarij, apparuit illi visibiliter Domina nostra sancta Dei genitrix cum aliis quoque mulieribus, dicens: Quomodo cùm nostra non sis, huc audes ingredi? & prohibebat eam. Neque enim (inquiebat) nostra es. Erat enim de hæresi Seueri acephali. Illa verò multùm rogabat, vt mereretur ingredi. Ad quam sancta Dei genitrix respondens ait: Crede mihi, mulier, nõ ingredieris huc, nisi nobiscum communicaueris. Agnito autem quòd quia esset hæretica, ingredi prohiberetur, quodque nisi accederet ad sanctam Catholicam & apostolicam

Cosmiana hæretica à sepulcro Domini nostri per beatam Virginem arcetur.

Ecclesiæ Catholicæ reconciliatur.

stolicam Ecclesiam Christi Domini & Dei nostri, intrare non permitteretur, continuò diaconum accersiuit, & veniente sancto calice sacrũ corpus sumpsit & pretiosum sanguinem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Atque ita absque vllâ prohibitione digna habita est adorare sanctum & venerabile sepulcrum Domini Iesu Christi.

CAP. XLIX

Mirabilis visio DVCIS *Palæstinæ, quâ & ipse coactus fuit prædicta hæresi abrenuntiare, & Christi Ecclesiæ communicare.*

NARRAVIT autem nobis & hoc idem presbyter Anastasius, dicens, quòd Palæstinæ dux Geuemer aliquando venerit adorare sanctam Christi Domini nostri resurrectionem. Et cùm cœpisset ingredi in sanctum monumentum, aspexit arietem cum impetu super se venientem, cornibusque illum impetẽtem: ille verò pauore correptus, retrò redibat. Custos verò sanctæ crucis Azarias, & qui assistebant lictores, timore permoti dicunt ei: Quid est, quid habes, domine? cur non ingrederis? Dicit eis: Vt quid intulistis arietem istum? Qui stupefacti inspexerunt sanctum monumentum, nihilque videntes, aiunt ad illum: Ingredere, nihil tale intus est. Rursum ille ingredi cœpit, sed iterùm aspexit arietem contra se venientem, & se introire prohibentem. Istud cùm sæpè factum esset, illeque ceteris nihil videntibus, solus arietem cerneret, ait illi crucis custos: Crede mihi, domine, aliquid habes in animâ tuâ, quod te prohibet adorare sanctum, ac venerabile, & viuificum monumentum Saluatoris nostri: itaque moneo, vt confitearis Domino peccata tua. Clemens enim & misericordissimus cùm sit, & tui misereri volens, huiusmodi tibi miraculum ostendit. Ille autem cum lacrymis dixit ei: Verè multis magnisque sceleribus obnoxius sum. Et se ipsum in faciem prosternens, per multas horas permansit flens & confitens Domino. Surrexit deinde, & rursus ingredi voluit, sed iterùm ab ariete permissus non est. Tunc ait illi sanctæ crucis custos: Verè aliud est, quod te ingredi vetat. Dixit autem ille: Num fortasse ideò, quia non sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, sed Seuero communico, introire prohibeor? Tunc petiit à custode, vt sancta & viuifica Christi Dei nostri mysteria sibi afferrentur. Et allato sancto calice, communicauit. Atque ita ingressus est, & adorauit, nil vltrà impedimenti passus, nihilque vlteriùs cernens, quod se deterreret.

Ducem Palæstinæ aries à sepulcro Domini arcet.

Caussa repulsæ peccata, & maximè hæresis.

Dum resipiscit, admittitur.

CAP. L.

Visio & dictum abbatis GEORGII *inclusi.*

SCYTHOPOLIS secunda est Palæstinæ metropolis. In eâ conuenimus abbatem Anastasium, narrauitque nobis de abbate Georgio incluso, dicens: Cùm quadam nocte surrexissem, vt pulsarem signũ (ea quippe cura mihi [12] vt canonarchæ iniũcta fuerat, vt excitarem fratres ad collectam) audiui plorantem senem; profectusque ad illum, rogare cœpi, dicens: Quid habes, pater, quia sic ploras? ille verò nihil mihi respondit. Rursus cùm rogarem illum, vt caussam fletus mihi aperiret, ingemiscens ille, & ex intimo corde suspirans, ait: Quomodo mihi à fletu temperem, cùm Dominus noster Iesus Christus reconciliari nobis nolit? Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidã super excelso throno residenti; multa verò millia circa illum erant orantium illum, atque deprecantium de quadam re: qui illorum precibus flexus non est. Posthæc accessit ad illam mulier quædam purpurâ induta, prociditque illi, & ait: Vel propter me placare, fili. ille verò nihilominùs inexorabilis mansit. Atque idcircò ploro & eiulo, verens quod futurum est. Hæc mihi dixit abbas Georgius, quintâ illucescente feriâ cœnæ Domini; sequenti verò, id est parasceue, horâ diei nonâ, repentino magnoque terræ motu corruerunt vrbes maritimæ Phœnicis.

Georgius magnam cladem futuram præuidet.

Idem abbas Anastasius hoc item nobis de sene eodem enarrauit, quòd post aliquantulum temporis, cùm ad fenestram staret, plorare senex cœperit; & dixerit illi: Væ nobis, frater, quiâ nullam habemus compunctionem, sed in negligentiâ viuimus, & timeo cùm ira Dei comprehendat nos, & in ianuis simus, vt iudicemur. Et sequenti die ignis apparuit in cælo.

De negligentiâ excutiendâ ignis in cælo apparens monet.

CAP. LI.

Vita IVLIANI *senis monasterij Ægyptiorum.*

ANAZARBVS metropolis est secundæ Cilicum prouinciæ: ab hac ferè duodecim milliaribus distat monasterium, quod dicitur Ægyptiorum. Narrauerunt ergo nobis patres eiusdem loci, quòd illic ante annos quinque mortuus esset senex, Iulianus nomine, qui circiter annos septuaginta in quodam breui spelæo moratus esset, nihil omnino sæculi istius possidens, præter cilicium, & sagum, & vasculum ligneum, & librum.

Iulianus 70. annis in spelæo viuens, extremè pauper.

Dicebat autem nobis & hoc de ipso, quòd toto vitæ suæ tempore non accendit lucernæ lumen, sed per noctes cælitus illustrabat eum lux, ita vt clarè legere posset.

Nocte cælitus cella eius illustratur.

CAP. LII. *Dictum abbatis* ELIAE *solitarij.*

VENIT frater quidam ad abbatem Eliam solitarium in cœnobium antiqui patris Sabæ, & dixit ei: Dic mihi verbum, pater. Senex verò dixit fratri: Diebus patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore & studio apud monachos erant; nuditas rerum omnium, mansuetudo, & continentia: nunc autem auaritia, gula, & audacia. quod horum tibi placet arripe.

Veterum nuditas, mansuetudo, continentia.

CAP. LIII. *Vita senis* CYRIACI *ex monasterio sancti Sabæ.*

NARRAVIT nobis abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quòd die quadam descenderit * Tuthelam, parumque remoratus circa mare mortuum, redierit iterùm ad cellam suam. Cùm verò esset æstus vehementissimus, ita vt senex penè deficeret, extendens manus suas in cælum ad Deum, orauit dicens: Domine, tu scis quia iam præ siti ambulare non possum. Statimque nubes circa illum facta est, neque recessit ab eo, quamdiu restitueretur cellæ suæ. distabat autem à cellâ milliaribus ferè duodecim.

* *Græce* Κοδυλᾶν

Cyriacus lassus in æstu, nube cælitus obumbratur.

Idem abbas Stephanus & hoc nobis de eodem sene narrabat, quòd venerint sui die quadam vt illum viderent. Cùm ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam: quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, adeuntes pulsauerunt ianuam. Quibus cognitis, senex Deum orauit, ne ab ipsis videretur. Et aperiens ianuam, exiit de cellulâ suâ, & ab eis penitùs visus non est: abiensque in desertum redire tamdiu noluit, donec illos recessisse cognouit.

Amicorum aspectum fugit.

CAP. LIV. *Vita monachorum* SCITHIOTARVM, *& de sene* AMMONIO.

VENIMVS posteà Terenuthen ad abbatem Theodorum Alexandrinum; aitque nobis senex: Filioli, multum reuerà perdiderunt Scithiotæ monachi iuxta senum prædictionem. Credite enim mihi, filij, quia magna erat charitas apud Scithiotas, magna abstinentia, magna discretio. Vidi ego illic senes, qui nisi quis ad eos venisset, numquam sumebant cibum: inter quos erat senex quidam, Ammonius nomine, iuxta me manens: cuius ego sciens consuetudinem, per omne Sabbatum ad illum veniebam, vt propter aduentum meum sumeret cibum. Habebant hoc omnes generaliter, quòd quacumque horâ accederent ad eos aliqui, permittebant illos orationem facere, illisque orantibus, ipsi mensam apponebant, & continuò cibum sumebant.

Veterum Scithiotarum charitas, abstinentia, discretio.

CAP. LV. *Visio cuiusdam* SENIS *commorantis in Scithi, & de abbate* IRENAEO.

ABBAS Irenæus narrauit nobis de sene quodam commorante in Scithi, quòd diabolum viderit noctu sarculos, rastra, & cophinos præbentem fratribus; dixitque diabolo senex: Quid ista sunt? Respondit diabolus: Distractionem fratribus præparo, vt his occupati, fiant negligentiores ad orandum & glorificandum Deum.

Diabolus distractiones tempore orationis ingerit.

Idem abbas Irenæus narrauit nobis dicens iterùm: Cùm venissent barbari in Scithim, recessi inde, & veni in partes Gazæ, accepique mihi cellulam in monasterio. Abbas verò ipsâ die dedit mihi librum ad legendum, in quo senum gesta scripta erant. Moxque vt aperui librum, occurrit oculis capitulum istud, quòd venerit quidam frater ad senem, dixeritque illi: Ora pro me pater. dixerit autem illi senex: Cùm esses nobiscum, orabam pro te; nunc autem ex quo in propria abiisti, non iam oro pro te. Vt ergo legi ego capitulum istud, plicui librum, & dixi in me ipso: Væ tibi, Irenæe, quia in propria venisti, nec iam orant pro te patres. Moxque librum abbati restituens recessi, & veni in loca ista. Et hæc mihi caussa fuit, filioli, veniendi in hunc locum.

Fratrum societas vtilis.

CAP. LVI. *Vita* IOANNIS *discipuli senis magni, qui morabatur in vico Caparasimâ.*

PTOLEMAIS ciuitas est Phœnicis: in hac vicus est qui dicitur * Caparasima. In eo vico senex quidam erat magnus, habebatque discipulum, Ioannem nomine, & ipsum magnum, singularisque obedientiæ. Quadam ergo die misit senex discipulum suum in ministerium, dans ei & modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus, & completo ministerio rediit, retulitque panes. Videns autem senior panes, ait ei: Fili, quare non comedisti panes quos dedi tibi? Prostratus ille coram sene, dixit ei: Ignosce mihi pater, quia non benedixisti mihi, cùm mitteres me, neque iussisti vt cibum sumerem, idcircò non sumpsi. Admiratusque senex discretionem fratris, benedixit eum.

* *Græcè* Παράσημα

Ioannes à viatico abstinet, quia ei senex non benedixerat.

Ad hunc fratrem post dormitionem senis, cùm ieiunasset quadraginta diebus, vox facta est diuinitus, dicens: Super quemcumque morbum imposueris manus, curabitur.

Varios morbos curat.

Manè autem facto, per dispensationem Dei, ecce homo quidam cum vxore veniebat, cuius mamillam cancri morbus consumebat. Rogabat ergo illum vir eius, vt vxorem suam curaret. Qui cùm peccatorem se diceret, & indignum ad tale attentandum opus, vir ille persistebat orans, vt annueret sibi, vxorisque suæ misereretur. Cùm verò imposuisset illi manum, mamillamque signasset, continuò sanata est. Et extunc plurima iam per illum signa Deus operatus est, non tantùm in vitâ suâ, verùm etiam post mortem.

Mulierem à cancro liberat.

CAP. LVII.

Mors SIMEONIS *Stylitæ*, & *de* IVLIANO *abbate etiam Stylite*.

QVADRAGINTA ferè milliaribus ab Ægis ciuitate Ciliciæ Stylites erat nomine Simeon: hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Iulianus Stylites presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis: [14] Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei: Dic nobis caussam, pater: orabantque vt diceret eis. Senex autem dixit: Quia modò frater meus Simeon à fulgure deiectus interiit, & ecce transit anima eius cum tripudio & exultatione. Distabant autem ab inuicem milliaribus ferè vigintiquatuor.

Iulianus mortem Simeonis Stylitæ absens videt.

CAP. LVIII.

Item de IVLIANO.

ABBAS Stephanus Trichinas, monasterij sancti patris nostri Sabæ antistes, & hoc de memorato abbate Iuliano Stylitâ narrauit, quòd leo iuxta eum locum, in quo morabatur, apparuerit, plurimosq; peregrinos & indigenas necare solitus fuerit. Die ergo quadam aduocans discipulum suum senex, Pancratium nomine, dixit ei: Vade fermè duo millia passuum ad Austrum, inueniesque illic leonem iacentem, cui dices: Humilis Iulianus in nomine Iesu Christi filij Dei viuificantis omnia, tibi præcipit, vt recedas ab hac prouinciâ. Profectus verò frater inuenit leonem iacentem. Cumque verba senis illi dixisset, continuò recessit leo.

Idem leoni per discipulum discessum imperat.

CAP. LIX.

Vita abbatis [15] THALELAEI *Cilicis*.

ABBAS Petrus presbyter eiusdem monasterij, narrauit nobis de abbate Thalelæo Cilice, quòd sexaginta annos transegisset in vitâ monasticâ numquam flere desistens, dicensque iugiter: Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, & valde requiretur à nobis, si illud neglexerimus.

Thalelaus per 60. annos iugiter flens.

CAP. LX.

Factum egregium SANCTIMONIALIS *feminæ, per quod compunctus adolescens eius amator, monachus effectus est.*

QVIDAM vir fidelis narrauit nobis, cùm in Alexandriâ essemus, tale quiddam: Sanctimonialis, inquit, quædam sedebat in domo suâ vitam solitariam ducens; salutisque suæ valdè sollicita, ieiuniis ac vigiliis vacabat iugiter, multasque faciebat eleëmosynas. Sed bonorum omnium semper inuidus diabolus, tantas in virgine virtutes non ferens, contra illam puluerem excitauit. Immisit enim adolescenti cuidam turpem de illâ diabolicamque cupidinem. Manebat autem extra limen eius adolescens. Cùm ergo virgo illa domo suâ vellet egredi, atque ad ecclesiam orationis gratiâ occurrere, ingerebat se illius oculis improbus & impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quædam verba procacibus nutibus illi insusurrans: adeò vt iam præ nimiâ molestiâ adolescentis cogeretur virgo domo suâ nusquam progredi. Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum vt ei diceret: Veni, vocat te domina mea. Abiit ergo ad illam gaudens, & stuprum committere gestiens. Sanctimonialis verò sedebat in cubili suo; ingresso igitur adolescenti ait: Sede. cumque sedisset: Dic oro te, frater, inquit illa, cur ita mihi molestus es, nec permittis me domo meâ egredi? Respondit adolescens: Verè, domina, te multùm amo, & quando te inspicio, totus in tui concupiscentiam inflammor. Quæ ait ad illum: Quidnam in me pulchrum vidisti, quia sic amas me. Ait adolescens: Oculos tuos; ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit quia oculi eius illum seduxissent, sumpto radio textorio mox oculos eruit. Hoc autem cùm vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi virginem oculos, compunctus corde abiit in Scithim, ibique sæculo renuntians, effectus est probatissimus monachus.

Adolescens aspectu sanctimonialis libidine inardescit.

Sanctimonialis sibi oculos eruit, ne adolescenti scandalo ad libidinem sint.

CAP. LXI.

Vita abbatis LEONTII *Cilicis*.

DICEBANT quidam patrum de abbate Leontio Cilice, quòd in obsequio Dominæ nostræ sancti Dei genitricis fuerit feruentissimus, ac per quadraginta annos numquam de illius templo recesserit. Erat autem semper miræ grauitatis, & sibi iugiter intendens.

Leontius annis 40. non recedit à templo S. Mariæ.

Dicebant & hoc de illo, quòd si vidisset pauperem veniẽtem ad se, si quidẽ ille esset cæcus, per manum illi porrigebat eleëmosynam; si autem videns, ponebat ante illum, aut

aut in columnæ basi, aut in scamno, aut in sanctuarij gradibus. Atque inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem à sene: Quare, pater, per manus non das eleëmosynas? respondit: Ignosce mihi, pater; neque enim ego sum qui illam præbeo, sed domina mea sancta Dei genitrix, quæ & me, & illos nutrit.

Eleemosynas suas sanctæ Mariæ adscribit.

CAP. LXII

Vita abbatis STEPHANI *monasterij Æliotarum presbyteri.*

NARRAVIT nobis vnus ex senibus de abbate Stephano presbytero monasterij Æliotarum, quòd cùm sederet in cellâ suâ, immisit illi cogitationes dæmon, dicens: Recede, nihil enim hîc proficis. Senex autem dicebat dæmoni: Non audio te, scio enim quis es; ferre non potes, vt aliquis saluetur: sed Christus filius Dei viui ipse te conteret.

Stephanus perstat in cellâ contra dæmonis tentationem.

CA. LXIII

De eodem.

DICEBANT de eodem abbate Stephano, quòd cùm sederet in cellâ suâ & legeret, venit iterùm diabolus visibiliter, dixitque ei: Recede, nihil enim hîc proficis. Tunc ille dæmoni: Si vis vt recedam, fac vt id in quo ego sedeo ambulet. Sedebat autem in sellâ vimineâ. Quo audito, dæmon confestim sellam illam per totam cellam ambulare fecit. Senex autem aspiciens versutiam dæmonis, ait illi: Nempe quoniam ita velox & astutus es, non hinc recedo. Factaque ab eo oratione, dæmon euanuit.

Rursus dæmonis astui resistit.

CA. LXIV.

De eodem.

TRES senes venerunt ad abbatem Stephanum presbyterum, & cùm perseuerarent loquentes de vtilitate animæ, tacebat senior. Dicunt ei senes illi: Nihil nobis respondes, pater? vtilitatis gratiâ venimus ad te. Tunc ait illis: Ignoscite mihi, vsque modò nõ animaduerti quid locuti sitis: verumtamen quod habeo, hoc dico vobis. Ego die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem. Quod cùm audissent, multùm ædificati recesserunt.

Stephanus semper crucifixo intentus.

CAP. LXV.

De eodem.

ABBAS Ioannes, cognomento Molybas, narrauit nobis de venerando sene isto beato Stephano presbytero, quòd cùm aliquando iecur illius grauiter infirmaretur, ex quâ infirmitate sancta illa anima migrauit a corpore, coëgerunt illum medici carnem manducare. Erat autem illi frater sæcularis quidam, sed valde religiose & secundùm Deum viuens. Factum est autem cùm carnes comederet presbyter, superuenit frater eius sæcularis, videnśque illum vescentem carnibus, scandalizatus est, & valdè contristatus, quòd ex tantâ abstinentiâ atque continentiâ in extremo vitæ suæ tempore ad comedendum carnes deuolutus esset. Mox ergo in extasi factus, vidit quemdam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalizatus es, quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus, & propter obediẽtiam id fecit? Nempe propterea scandalizari non debuisti: nam si merita & gloriam fratris tui videre cupis, retrò conuertere, & vide. Conuersusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Aitque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in quâ gloriâ frater tuus est. Glorifica ergo eum, qui glorificat eos, qui se diligunt in veritate.

Scandalizatus quidam in Stephano carnes in morbo comedẽte diuinitus docetur.

Vita abbatis THEODOSII *solitarij.*

CAP. LXVI

ABBAS Antonius Præpositus monasterij Æliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit nobis de abbate Theodosio, quòd senex ipse hæc de seipso narrabat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi virum quemdam, cuius species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam, Veni, ait, quia pugnare & luctari te conuenit. & induxit me in theatrum infinitæ magnitudinis. Aspexi autem theatrum plenum viris ex vnâ parte candido amictu, ex aliâ verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille qui mihi apparuerat: Cum hoc luctari te oportet. Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pauere cœpi, orabamque iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione & infirmitate circumdatus, cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus humanum, si in vnum confluat, huic resistere præualet. Ait autem ad me iuuenis ille præclarus: Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate & fiduciâ: mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor adero, tibique victoriæ coronam reponam. Vt ergo ingressus ad certamen sum, luctarique inuicem cœpimus, continuò præclarus ille iudex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obscura, Æthiopumque multitudo ingens eiulantes euanuerunt: pars verò reliqua candidatorum gratias illi & laudes referebant, qui me iuuerat, ac præclarâ victoriâ donauerat.

Theodosij visio de pugnâ spirituali, & Dei adiutorio.

CAP. LXVII.

De eodem.

De hoc abbate Theodosio solitario narrauit nobis abbas Cyriacus eius discipulus, quòd triginta quinque annos egerit in solitudine, semper post biduum comedens, & iugiter silentium seruans, neque ad aliquem loquens: ceterùm si loqui voluisset, signo potiùs quàm verbo vtebatur. Hoc & ego vidi. Mansi enim in eodem Æliotarum monasterio annis decem.

Per annos 35. biduanum seruat ieiunium, semper silens.

CAP. LXVIII.

De eodem.

De abbate Theodosio cùm audisset Abramius antistes sanctæ Mariæ nouæ, quòd non haberet pallium, quo hieme vteretur, emit illi. Quod postquam senior accepit, quadam die cùm obdormiret (dormiebat autem in cellâ senex) ascenderunt latrones, & exuerunt illum pallio, abeuntesque secum illud tulerunt. Quo facto, nihil omnino locutus est senex.

Furtum patienter fert.

CAP. LXIX.

Vita abbatis PALLADII, *& senis Thessalonicensis inclusi, nomine* DAVID.

PERREXIMUS vnà ego & dominus Sophronius Sophista, priusquam sęculo renuntiaret, in Alexandriam ad abbatem Palladium, virum sanctum, & verum seruum Dei, qui monasterium suum habebat in *Thelazomeno. Cumque illum pariter deprecaremur, vt verbum nobis ædificationis impenderet, cœpit senex ita ad nos loqui: Filioli, tempus iam abbreuiatum est, certemus hîc modicùm, atque laboremus vt immortalibus bonis in æternum perfruamur. Videte martyres, videte pugiles cælestes, quomodo viriliter & fortiter cuncta superarunt. Quos præteritum quidem tempus agnouit, viuunt autem semper in memoriâ nostrâ, vixque satis illorum tolerantiam admirari possumus. Attestantur audientium singuli, stupentes ad tantam beatorum martyrum patientiam, quæ verè naturam excedit humanam. Quorum aliis quidem effossi sunt oculi, aliis excisa crura, illis amputatæ manus, istis abscissi pedes. Et illos quidem ignis repentè consumpsit, istos autem lentiùs adurens, diu cruciauit. Atque alios nimirum profundum maris excepit, alios flumina absorbuerunt: alios item ferarum dentes, veluti malefactores quosdam & sceleratos, viuos acceperunt; alios variis exquisitisque suppliciis præmortuos in cibum acceperunt. Ceterorum omnia contra illos bellatores Dei tormentorum genera excogitata dicere non possumus, quæ suggessit humani generis inimicus dæmon, inuidiâ martyrum ipsorum & liuore tabescens. O quàm fortiter sustinuerunt! ô quanto fidei ardore pugnauerunt, imbecillitatem corporis animæ virtute superantes, & quæ sperauerunt præmia, præsentibus laboribus digniora & longe excellentiora capientes! Quæ profectò omnia firmissimam illorum in vtramq; partem fidem ostendebant. Hinc quidem, quia laborantes modicùm, eximiis bonis in æternum perfruuntur; inde verò, quia horrenda corporibus illorum inuecta supplicia, quæ inimicus noster diabolus induxit, fortissimè, sustinuerunt. Si igitur tribulationes toleremus, & cum Dei gratiâ vincamus, verè Dei amatores inuenimur, Deusque nobiscum est, pugnans ipse in nobis, & vincens, laboresque nobis ac sudores dignationis suæ gratiâ alleuans. Scientes igitur, filioli, quali operatione & exspectatione tempus indiget, dignoscamus nos ipsos per quietem & silentium. In hoc enim indulto nobis tempore, necesse est nos vti bonâ & præclarâ ope pœnitentiæ, vt Dei templa esse mereamur: neque enim modicus & breuis honor nobis in futuro sæculo recompensabitur.

** Græcè Λιθαζόμενον.*

Verbum ædificationis Palladij.

Per quietem & silentium sui generatur cognitio.

Dixit iterùm: Memores semper illius simus, qui non habuit, vbi caput reclinaret. Matth. 8.
Ait rursus ipse senior: Quoniam, iuxta Paulum apostolum, tribulatio patientiam operatur, faciamus mentem nostram capacem regni cælorum. Rom. 5.
Ait iterùm: Filioli, non ligamus mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Ioan. 2.

Dixit iterùm: Obseruemus cogitationes, quod medicamentum salutis est.

Cogitationum obseruatio, medicamentum salutis.

Idem abbas Palladius rogatus à nobis, vt ædificationis nostræ caussâ diceret nobis, quâ ratione quibusque cogitationibus ad monasticum statum accessisset: erat autem senex Thessalonicensis, & narrauit nobis, dicens: In regione meâ senex quidam extra muros ciuitatis, quasi stadiis tribus inclusus erat ex Mesopotamiâ, nomine Dauid, virtutibus valdè ornatus, misericors & cõtinens. Transegit autem in cellulâ inclusus ferè annos *octoginta. Quoniam verò propter metum barbarorum nocte muri ciuitatis custodiebantur à militibus, hi qui illam muri partem obseruabant, quæ senis cellulam respiciebat, nocte quadam aspexerunt, quia ex fenestris cellulæ ignis egrediebatur. Putauerunt autem milites, barbaros in cellam senis ingessisse ignem. Manè autem facto, ingressi milites inuenerunt & senem illæsum, & cellam omnino incombustam, & obstupuerunt. Rursus igitur sequenti nocte eumdem aspicientes ignem, admirabantur. non solùm autem sequenti nocte ignis in

Dauid annis 80. cellæ inclusus.

** aliàs septuaginta.*

Cella eius igne cælesti illustratur.

in cellâ ſenis apparuit, verùm & multo tempore, ita vt vniuerſæ ciuitati manifeſtum factum fuerit, plurimique nocte in muro ſæpè vigilarint, inſpiciendi ignis gratiâ. Viſus autem ignis ille vſque ad obitum ſenis. Hoc ego miraculo non ſemel & bis, ſed ſæpiùs inſpecto, dixi in me ipſo: Si in hoc ſæculo tantam gloriam ſeruis ſuis largitur Deus, quantam putas eis reſeruauit in futuro, quando & illorum facies fulgebunt vt ſol? Iſta mihi, filioli, cauſſa extitit arripiendi monaſticum habitum, & hanc conuerſationem eligendi.

Viſio hæc Palladio fuit occaſio conuerſionis.

CAP. LXX. *Vita monachi* ADDAS *Meſopotameni incluſi.*

DICEBAT & hoc nobis ſenex, quòd poſt hunc abbatem Dauid venit & alius monachus, nomine Addas, & ipſe de Meſopotamiâ, & ſeipſum incluſit ad aliam pàrtem ciuitatis, in quadam magnâ platano, fecitque ſibi feneſtram, ex quâ etiam cum aduenientibus colloquebatur. Cùm ergo veniſſent barbari, & omnem prouinciam prædati eſſent, contigit eos per locum illum tranſire. Cumq; vnus ex eis conſpecto ſene, gladium eduxiſſet, vt illum occideret, ſublatam in ſublime manum vt feriret, demittere nequiuit, ſed eâ ſuſpenſa immobilis perſtitit. Quòd cùm cernerent barbari ceteri, admirati rogabant ſenem, vt ſocium eorum curaret. Senex igitur factâ oratione, curauit eum, & ita dimiſit in pace.

Addas platano incluſus.

Barbari manus eũ occidere conantis obrigeſcit.

Reſtituitur ſenis oratione.

CAP. LXXI. *Pulchrum dictum* HOMICIDAE *ad monachum qui eum ſequebatur dum duceretur ad decollandum.*

NARRAVIT nobis iterùm idem abbas Palladius, dicens, quòd in Arſenoite, quæ ciuitas Thebaidis eſt, tentus fuerit quidam homicidij reus: qui cùm diu cruciatus eſſet, tandem ſententiam decollationis accepit. Cùm ergo duceretur extra ciuitatem ſex millibus paſſuum (illic enim etiam perpetrarat homicidium) monachus quidam retrò ſequebatur vt illum decollari conſpiceret; qui autem ad decollandum ducebatur, cùm vidiſſet monachum ſequentem, ait illi: Numquid, abba, non habes cellulam, & opus manuum? Reſpondit monachus: Parce mihi, frater; & cellam enim & opus habeo. Qui reſpondens ait illi: Quare ergo non reſides in cellâ & defles peccata tua? Dicit ei monachus: Verè, frater mi, valdè meipſum negligo, compunctionemq; anima mea non habet, & idcircò venio vt aſpiciam te, dum morieris, vt vel ſic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade, frater, per Dominum, ſede in cellâ tuâ, & gratias age Saluatori noſtro Ieſu Chriſto. Ex quo enim ille homo factus eſt, & pro nobis peccatoribus mortuus eſt, homo iam non moritur æternâ morte.

Homicida ſupplicio afficiendus monachum ad cellam ablegat.

Relatio abbatis PALLADII *de ſene homicidâ, qui adoleſcentem falsò de eodem crimine accuſabat.* CAP. LXXII.

ET hoc item narrauit nobis ipſe abbas Palladius, dicens: Senex quidam ſæcularis qui homicidium fecerat, detentus eſt à magiſtratu in Alexandriâ. Qui cùm cruciaretur, dicebat & alium fuiſſe ſecum cædis illius ſocium. Is autem de quo ſenex dicebat, adoleſcens erat viginti fermè annorum. Multis ergo ſupplicijs ambo affecti ſunt. Et ſenex quidem dicebat: Mecum fuiſti, quando perpetraui homicidium. Adoleſcens verò denegabat, nihil ſe conſcium eſſe homicidij, neque cum illo ſe fuiſſe aſſerens. Cùm ergo cruciati fuiſſent, ſententiam ambo acceperunt vt furcis ſuſpenderentur. Abierunt ergo quinto extra vrbem milliario, illic enim huiuſmodi reos punire conſueuerant. Diſtabat autem ab eo loco ferè vno ſtadio Saturni templum euerſum. Cùm igitur ad locum veniſſent & populus & milites, adoleſcentem primò ſuſpendere in ligno voluerunt: adoleſcens autem proſtratus in ſolo milites orabat, dicens: Per Dominum facite charitatem, & ad Orientem me ſuſpendite, vt illum videam quando ſuſpenſus ero. Dicunt ei milites: Quam ob cauſſam? Quibus adoleſcens: Verè, domini mei, non habeo infelix ego plus quàm ſeptem menſes, ex quo ſanctum Baptiſma ſuſcepi, & Chriſtianus factus ſum. Cùm hoc audiſſent milites lacrymati ſunt ſuper adoleſcente. Senex autem cùm hoc audiſſet, fremens grauiter dixit militibus: Per Serapim facite, vt ego aſpiciam contra Saturnum. Cùm verò audiſſent milites blaſphemiam ſenis, omiſſo adoleſcente, ſenem primò ſuſpenderunt. Cùm verò illum in ligno ſuſpenderent, ecce eques ab Auguſtali celeriter miſſus, ait militibus: Adoleſcẽtem nolite interficere, ſed reducite illum. Factum eſt autem ingens gaudium militibus & cunctis aſſiſtentibus. Et reducentes eum introduxerunt in prætorium, abſoluitque illum Auguſtalis. Adoleſcens verò præter ſpem ſaluus factus, abiens monachus effectus eſt. Hoc autem ad noſtram & legentium vtilitatem ſcripſimus, vt ſciamus quia nouit Dominus pios à tentatione liberare.

Adoleſcens ad Orientẽ ſuſpendi deſiderat, vt Chriſtũ intueatur.

Adoleſcens à falſo crimine liberatur, & periculo eripitur.

C A P. LXXIII.

Vita IOANNIS *militis Alexandrini.*

Hoc etiam nobis idem abbas Palladius narrauit, dicens: Erat in Alexandriâ miles quidam, Ioannes nomine, hunc habēs ordinem vitæ. Diebus singulis à manè vsque in horam nonam sedebat in monasterio solus iuxta gradus sancti Petri, cilicio indutus, & sportellas texens, tacens omnino, & nulli quidquam loquens; sedebat autem in Oratorio laborans manibus suis, atque hoc solum canebat dulciter: Domine, ab occultis meis munda me, vt non confundar orās. Hunc versum cùm dixisset, vnâ fermè horâ tacebat, & rursum eumdem resumebat versum, ipsumque septies per totam diem repetebat, nihil omnino aliud dicens. Horâ autem nonâ exuebat cilicium, induebatque militarem habitum, id est, indumenta sua, atque ita ad propria signa properabat. Cum hoc & ego annos octo mansi, multumque ædificatus sum in silentio & instituto suo.

Ioannis militis oratio eadem sæpius repetita.

Psal. 18.

Priùs cilicium, inde sagum induit.

C A P. LXXIV.

Eiusdem PALLADII *verax dictum de hæresibus.*

CORRIPIENS nos aliquando senex, ipse ita nobis dicebat: Credite mihi, filioli, nihil aliud schismata & hæreses introduxit in sanctam Ecclesiam, nisi quòd non Deum & nos inuicem valdè diligimus.

Hæresis ab amore proprio ortum habet.

C A P. LXXV.

Miraculum DOMINAE *erga vxorem & filiam viri fidelis, qui hospitio suscipere monachos consueuerat.*

IDEM abbas Palladius cùm aliàs ad ipsum venissemus, tale quiddam enarrauit nobis: Erat, inquit, in Alexandriâ vir quidam fidelis, religiosus valdè & misericors, & hospitio suscipiens monachos. Habebat autem vxorem, & ipsam humilem valdè, & ieiunantem quotidie. erat autem illis & filiola quasi annorum sex. Quadam verò die vir ille pius profectus est Constantinopolim; erat enim negotiator. Relictis ergo domi vxore, & puellâ, & vno seruo, abiit vt nauigaret. Cùm verò iret ad nauem, ait ad illum vxor: Cui nos commendatos relinquis, domine. Respondit vir eius: Dominæ nostræ sanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cùm sederet vxor & operaretur, habens & puellam secum, seruus ille ex suggestione diabolicâ voluit necare dominam & eius filiam, & diripere quidquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquinâ cultro, perrexit in triclinium vbi erant ambæ. Cùm verò venisset ante ianuam, comprehensus est cæcitate, ita vt neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reuerti posset. Cùm autem vnâ fermè horâ perstitisset, frustraque conaretur ingredi, cœpit vocare dominam suam, dicens: Veni hucusque. Illa admirans, quòd in medio ianuæ persistens, ad illam non ingrederetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni; ignorans, quòd cæcitate teneretur. Puer autem cœpit illam adiurare, vt iret prope illum: illa verò iurauit, non se ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam. Quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Videns autem seruus, quòd nihil potuisset agere, seipsum gladio percussit, & corruit. Domina verò illius cùm vidisset quid egerat, clamauit, continuoque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem & ex officio prætorij nonnulli, puerumque reperientes adhuc viuum, didicerunt ab ipso omnia, & glorificauerunt Dominum qui ostenderat miracula, & matrem saluauerat cum filiâ.

Beata Maria commendata à marito aliò proficiscente familia à morte præseruatur.

Seruus dominæ suæ exitium parans, ipse se interficit.

C A P. LXXVI.

Submersio MARIAE *mulieris peccatricis.*

ET hoc item Palladius ipse narrauit nobis: Audiui, inquit, nauclero quodam enarrante, tale aliquid, quòd die quadam cùm nauigaret, vectores habens viros & mulieres, venissetque in altum, ceteris omnibus benè nauigantibus, aliis quidem Constantinopolim, aliis verò Alexandriam, & aliis aliò, vento illis flante prospero, ipse solus nauigare non poterat. Et mansimus, inquit, quasi dies quindecim, nihil ex eo loco vbi eramus, moti. Versabamur igitur in magnâ mœstitiâ & desperatione, nescientes quidnam istud sibi vellet. Ego verò, vt nauclerus cui cura nauis incumbebat & omnium quæ in ipsâ erant, cœpi rogare Deum pro hac re. Quadam verò die venit ad me vox, dicens: Mitte forâs Mariam, & benè nauigabis. Cœpi ergo cogitare quidnam hoc esset, & quæ esset Maria. Cùm autem hæsitarem de hoc, venit vox de nouo, dicens: Dixi tibi, Mitte forâs Mariam, & salui eritis. Tunc ego cogitans quid istud esset, exclamaui continuò, O Maria. nesciebam enim quæ esset Maria. Illa verò iacens in loco suo, vt audiuit, respondit, dicens: Quid iubes, domine? Tunc aio ad illam: Fac charitatem, veni hucusque. Exsurgens autem continuò venit. Cùm ergo venisset ad me, accepi eam seorsum, & dixi ei: Vides, Maria soror, quòd peccata mea sunt, vt propter me vos omnes pereatis? Illa verò altiùs ingemiscens, ait: Verè, domine mi nauclere, ego peccatrix sum. Et dixi illi: Quæ peccata habes, mulier? Et illa,

Nauis ob infanticidam in eâ mulierem non promouetur.

Cælitus vox clamat mulierem expellendam.

illa, Væ mihi, inquit, quia non est peccatum quod ego non egerim, & propter peccata mea vos omnes in periculo constituti estis. Tunc enarrauit mihi mulier, quæ circa se erant, dicens: Profectò, domine nauclere, infelix ego virum habui, ex quo duos filios genui; cumque ad ætatem peruenissent, vnus annorum nouem, alius quinque, mortuus est vir meus, & remansi vidua. Miles auté quidam habitabat iuxta me, quem ego maritum accipere volui, misique ad ipsum quosdam. Ille autem non acquieuit, dicens: Non accipio vxorem, quæ habeat ex altero viro filios. Ego autem videns quòd propter filios nollet me accipere vxorem, inducta amore eius, occidi duos filios meos, indicauique illi dicens: Ecce modò nullum habeo filium. Miles verò cùm audisset, quid egissem de filiis, ait: Viuit Dominus qui in cælis habitat, quia te non accipiam. Vnde ego metuens, ne hoc manifestum fieret, & morerer, fugi. Hæc ego audiens ex ore mulieris, ne sic quidem illam in mare proiicere volui, sed differens dixi ad illam rursus: Ecce ego ascendo in [17] carabum, & si ambulauerit nauis, scito, quia peccata mea in naui operantur. Vocauique continuò scapharium, & dixi: Produc scapham. Cumque ascendissem in illam, nihilo magis vel nauis vel scapha mota est. Tunc ascendens nauim, dixi mulieri: Descende & tu in scapham. Quæ mox vt descendit, scapha se continuò quinquies gyrans, in profundum cum muliere submersa est. Nauis autem post hæc tantâ velocitate cucurrit, vt tribus diebus ac dimidio nauigationem peregerimus, quam diebus quindecim peracturi eramus.

Expulsâ muliere infanticidâ nauis cursum suum tenet.

CAP. LXXVII.

Relatio trium pauperum CAECORVM, *quomodo excæcati fuissent.*

Ego & dominus meus Sophronius perreximus ad philosophi Stephani domum, doctrinæ gratiâ: erat autem meridianum tempus. Morabatur hic apud ædem sanctæ Dei genitricis, quæ cognominatur Dorotheæ, quam ædificauit beatus papa Eulogius [18] ad Orientem, iuxta magnum Tetrapylum. Cùm ergo pulsaremus philosophi ostium, puella respiciens ait nobis: Dormit ille, oportet exspectare pusillùm. Tunc aio domino meo Sophronio: Eamus ad Tetrapylum, & illic maneamus. Est autem locus ille Alexandrinis venerabilis: dicunt enim Ieremiæ prophetæ ossa ex Ægypto sumpta ab Alexandro conditore vrbis illic fuisse reposita. Cùm ergo illuc venissemus, neminem inuenimus nisi cæcos tres: erat enim meridies. Perreximus ergo iuxta illos cæcos quietè ac silenter, sedimusque habentes libros nostros. Loquebantur autem cæci ad inuicem multa. Dixitque vnus ad alium: Tu quomodo effectus es cæcus? Respondit ille: Nauta erã cùm essem adolescens, & cùm ab Africâ nauigaremus, in mari oculis repentè captus sum, nec valés ambulare, albuginem in oculis habui. Dixit autem hic alij cæco: Tu verò quomodo effectus es cæcus? Respondit & ille dicens: Vitri ad vsus varios fundendi artifex fui, & ex igne amisi duos oculos meos, & cæcus effectus sum. Aiunt autem ambo hi, qui interrogati fuerant ad tertium: Dicas & tu quomodo factus es cæcus? Respondit: Verè ego vobis dicam: Cùm essem adolescens, laborem valdè oderam, & recusabam, luxuriosusque factus sum. cumque non haberem necessaria victui, furari iam cœperam. Die verò quadam cùm mala multa perpetrassem, stabam in quodam loco, vidensque mortuum efferri optimè indutum, secutus sum funus, vt viderem vbi poneretur. Venerunt autem retro sanctum Ioannem, & ibi posuerunt illum in monumento, peractisque officiis recesserunt. Ego mox vt illos recessisse vidi, ingressus monumentum, exui ipsum, nihil ei relinquens præter vnum linteamen. Cùm ergo progredi inciperem de monumento, multis onustus pannis, dicit mihi improba mea cogitatio: Accipe & linteum, quia bonum est. Redij autem infelix ego, vt sumpto etiam linteo, nudum illum relinquerem. Tunc resedit coram me mortuus, extendensque super me manus suas, digitis suis eruit oculos meos. Ego igitur miserabilis, dimissis omnibus, cum magnâ tribulatione & periculo exiui de monumento. Ecce & ego dixi vobis, quomodo cæcus factus sum. Ista cùm audissemus, innuit mihi dominus meus Sophronius, & recessimus. Et dixit mihi: Verè, abba Ioannes, hodie nihil vltrà studeamus; satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini: verè enim nullus malè faciens Deum latere potest. Et nos quidem hanc narrationem ab eo qui passus fuerat, audiuimus.

Ieremiæ ossa in Tetrapylo Alexandriæ requiescunt.

Trium cæcorum colloquium de causâ cuiusque cæcitatis.

Quidam mortuum spolians, à mortuo excæcatur.

CAP. LXXVIII.

Stupendum miraculum PVELLAE *mortuæ, quæ exspoliatorem detinuit, nec eum relaxare voluit, donec is promitteret se monachum futurum.*

Alivd autem huic simile abbas Ioannes, monasterij Gigantum pater, cùm Theopolim venisset, narrauit nobis, dicens: Ante modicum temporis venit ad me adolescens quidam, & ait mihi: Amore Dei suscipe

cipe me, volo enim pœnitere. Dicebat autẽ hoc cum multis lacrymis & singultibus. Ego autem cùm illum cernerem valdè contritum, & cum magnâ mœstitiâ, dixi illi: Dic mihi caussam tantæ compunctionis, neque me celes quidquam; potens est enim Deus adiuuare te. Et ait mihi: Verè, domine abba, magnus peccator sum. Ad quem ego rursus: Crede mihi, sicut multa & varia sunt vulnera, ita plurima quoque sunt & varia medicamenta. Sed tu si curari vis, dic mihi in veritate opera tua, vt ego congrua illis admoueam [19] epitimia. Aliter enim curatur fornicator, aliter homicida; aliudque est auari remedium, alia mendacis medicina; atque alio iracundus, alio fur, alio adulter medicamine sanatur. Et ne tibi plurima vitia enumerem, quemadmodum in corporalibus infirmitatibus variis varia quoque remedia adhiberi conspicimus, ita & animę vitiis, quæ plurima sunt, medicina quoque variè succurrit. Ille autem altiùs ingemiscens, & pectus suum percutiens, lacrymis ac singultibus confundebatur, & præ nimiâ perturbatione & mœstitiâ animo deficiebat, neq; vocem liberam emittere valebat. Ego verò vt illum animaduerti ad desperationem tristitiamque intolerabilem lapsum, & neque quid passus esset, neque quid egisset mali, neque calamitatem suam enuntiare valentem, aio ad illum: Fili, audi me, & aliquantulum vim fac cogitationi tuæ, & enuntia mihi quid à te factum sit; potest enim Dominus noster præbere tibi auxilium suum. Nam qui propter ineffabilem clementiam suam, & immensas miserationes omnia pro salute nostrâ passus est, quique cum publicanis conuersatus est, & meretricem ad se venientem non repulit, latronemque suscepit, & amicus peccatorum appellatus est, ipse, fili, te quoque pœnitentem conuersumque suis manibus suscipiet gaudens. Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

Varia variorũ peccatorum medicamina.

Matth. 9. Luc. 7. Lucæ 23. Matth. 11.

Ezech. 18. & 33.

Tunc ille vim sibi faciens, & à singultibus & lacrymis modicum temperans, ait mihi: Ego, domine mi abba, plenus omni scelere, & nec cælo dignus nec terrâ, cùm ante hoc biduum audissem, diuitis cuiusdã ex primariis ciuitatis huius filiam virginem esse defunctam, & cum multis ac pretiosis vestibus sepultam in vno extra ciuitatem monumento, ex consuetudine pessimi istius operis, abij noctu ad tumulum, ingressusque cœpi exspoliare illam. Et cùm omnibus iam ipsam exuissem, quibus erat induta, nec interulæ quidem ipsius parcens, sed eam quoque illi auferens, nudamque ipsam, vt nata fuerat, relinquens, è sepulcro egredi volebam. Tunc illa resedit coram me, sinistramque manum suam extendens, apprehendit dexteram meam, & ait ad me: Nequissime hominum, itáne decuit te nudare me? an tu non times Deum, neque metuis damnationem vltimæ retributionis? nónne vel saltem mortuæ misereri debuisti? Sed Christianus existens, ita me nudam assistere Christo honestum fore iudicasti? neque sexum muliebrem reueritus es? nónne hic sexus te peperit? nónne matrem quoque tuam hac in me iniuriâ violasti? Quam, infelicissime hominum, rationem redditurus es Christo de scelere in me perpetrato ante ipsius tribunal tremendum, quòd viuente me nullus extraneus vmquam vidit faciem meam, & tu post mortem & sepulturam denudasti me, & nudum aspexisti corpus meum? Væ humanæ miseriæ, ad quam infelicitatem deuoluta est? Quo corde, homo, [20] quibus manibus accedens, sumis sanctum & pretiosum corpus Domini nostri Iesu Christi?

Fur virginem mortuam spolians ab eâ detinetur.

Grauis virginis ad impudentem furem oratio & increpatio.

. Ego autem, vt ista conspexi & audiui, pauore & formidine totus comprehensus, tremens ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, & istud vltrà non faciam. Quæ ait: Profectò non ita erit. tu enim vt voluisti, huc intrasti; sed non ita vt volueris, hinc egredieris. Nam sepulcrum istud commune erit ambobus. neque putes te confestim moriturum, sed cum hîc plures dies cruciatus fueris, malam malè animam perditus reddes. Ego autem orabam illam cum lacrymis, vt dimitteret me, multùm illam per omnipotentem Dominum adiurãs, spondensque, & iuramento confirmans, me iniquum istud ac nefarium opus vltrà non facturum. Tandem post multas preces & lacrymas, crebrosque meos singultus, respondens illa dixit mihi: Si vis viuere & ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solùm ab his nefariis & profanis actibus tuis recedes, sed statim perges, & sæculo renuntians efficieris monachus, agesque pœnitentiam pro his quæ male gessisti, seruens Christo. Ego autem iuraui ei, dicens: Per Deum, qui suscepturus est animam, non solùm quæ dixisti faciam, sed ab hodiernâ die non ingrediar in domum meam; sed hinc abiens, in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad me: Indue me, sicut inuenisti prius indutam. Cùm verò illam induissem, rursum se collocans, mortua est. Hæc ego cùm ab adolescente audissem, refouens eum ac erigens verbis, & prouocans ad pœnitentiam & continentiam, totondi illum, indutumque monastico habitu inclusi in speluncâ in monte

Nõ dimittitur, nisi monachum se futurum iurauerit.

Tondetur, & monastico habitu induitur.

monte, magnificè gratias Deo agentem, certantemque viriliter pro animâ suâ.

CAP. LXXIX. *Maximum & stupendum miraculum sacratissimæ* EVCHARISTIAE *sub Dionysio Seleuciæ episcopo.*

CVM venissemus Seleuciam, conuenimus abbatem Theodorum episcopum eiusdem ciuitatis. Ille autem narrauit nobis, dicens: Sub sāctæ memoriæ Dionysio huius ciuitatis episcopo, prædecessore meo, tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac ciuitate negotiator valdè religiosus & diues, sed hæreticus: erat enim de Seueri sectatoribus. Habebat autem seruum fidelem quemdam, sanctæ & apostolicæ Ecclesiæ communicantem. hic secundùm prouinciæ consuetudinem, die sancto Cœnæ Dominicæ sumptam Communionem inuoluit in linteo mundissimo, & in armario reposuit. Contigit autem, vt post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negotij cuiusdam gratiâ, dimissâ per obliuionem sanctâ Communione in armario; dedit autem eius clauem domino suo. Quadam verò die aperiens armarium dominus, inuenit linteolum, inuolutasque in eo sanctas particulas Communionis. Contristatus est autem in hoc, & hęsitabat, quidnam de illis faceret: nam ex ipsis communicare nolebat, eò quòd essent sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, ipse verò Seuerianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario, vt erant, cogitans quia rediturus esset seruus, & sumpturus eas. Cùm autem venisset Cœna Domini, neque seruus ille fidelis rediisset, voluit eas dominus ipsius comburere, ne rursus & in secundum annum seruarentur. Apertoque armario, vidit omnes sanctas particulas culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore ac tremore comprehensus in nouo admirandoque spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo suâ clamās Kyrie eleison, cucurrit ad sanctam ecclesiam, ad sacrosanctum & venerabilem Dionysium episcopum. Hoc autem magnum & terribile, & omnem rationem, omnemque mentem, & omnem cogitationem excedens miraculum, non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, sed omnis ecclesia, ciuesque & rustici, indigenæ & hospites, quique continentem ambulant, & qui mare nauigant, viri & mulieres, senes & impuberes, iuuenes & seniores, domini & serui, diuites & pauperes, principes & subditi, sapientes & simplices, virgines & monachi, viduæ ac nuptæ, qui in potestate sunt constituti, & qui illorum reguntur imperio. Et illi quidem clamabant Kyrie eleison, ceteri autem aliter Deum laudabant, omnes verò pariter Deo gratias agebant pro ineffabilibus eius mirabilibus. Plurimi igitur ex hoc miraculo credentes adiecti sunt sanctæ Catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ.

Ecclesia Catholica Eucharistia culmos & spicas germinans, hæreticum Seuerianū ad fidem rectam cōuertit.

De fonte concesso à Deo fratribus monasterij in Scopulo ad orationes abbatis eorum THEODOSII. CAP. LXXX.

PERVENIMVS ad monasterium abbatis Theodosij in Scopulo. Est autem mons inter Seleuciam & Rosum Ciliciæ, patresq; loci illius duxerunt nos supra monasterium, quantum est iactus sagittæ, & ostenderunt nobis fontem magnum valde ac speciosum, dixeruntque nobis: Fons iste, fratres, naturalis non est, sed nobis diuinitus indultus est: sanctus enim pater noster Theodosius multùm ieiunauit, multumque lacrymarum fudit, ac multis orationibus & genuflexionibus obtinuit, vt Deus nobis aquæ istius solatium & vsum præstare dignaretur. Antè enim ex torrente patres nostri aquam hauriebant: sed Deus, qui facit voluntatem timentium se, suâ infinitâ bonitate præstitit nobis aquæ istius benedictionem per orationes sancti patris nostri. Verùm ante hoc biennium quidam ex fratribus petierunt à patre monasterij, vt lauacrum ædificarent in monasterio. Abbas autem grauiter id quidem ferebat, cessit tamen, fratrum infirmitati condescendens. Ædificatum est igitur lauacrum in monasterio, semelque tantummodò lauatum est in eo, cùm statim exsiccatus est talis tantusque à Deo nobis præstitus fons. Et in veritate vobis dicimus, Christiani, multùm ieiunauimus, multùm orauimus, multas genuflexiones egimus, vt aquam reciperemus, nihilque profecimus. Annus ergo integer sine aquâ fontis impletus est, eramusque in magnâ tribulatione. Statim verò vt pater noster bonus & mitis destruxit lauacrum, Deus aquam iterùm reddidit nobis.

Fons Theodosij precibus excitatus.

Psal. 144.

Exarescit cùm lauacrum in monasterio construitur.

Iterùm fluit destructo lauacro.

De puteo aquâ impleto, submissâ imagine eiusdem abbatis THEODOSII. CAP. LXXXI.

NARRAVERVNT nobis patres ipsi & istud, dicentes: Mulier quædam fidelis in partibus Apameæ his diebus puteum fodit: cumque plura expendisset, ingentesq; labores tolerasset, & effosso puteo in magnam altitudinem, aquam non inuenisset, in mœrore & afflictione multâ erat, & propter laborem & propter impensas. Apparuit autem ei sic afflictæ mulier quædam in somnis,

somnis, dicens: Mitte in Scopulum, & adduci tibi fac imaginem abbatis Theodosij, & per ipsum tibi Deus aquam præstabit. Mulier autem protinus duos homines misit ex suis, accepitque imaginem sancti. Quam cùm in puteum submisisset, statim aqua manauit, ita vt dimidium putei impleretur. Tulerunt autem nobis ex eadem aquâ, & bibimus, & glorificauimus Deum.

Imago Theodosij in puteo aquam euocat.

CAP. LXXXII.

Vita IOANNIS *senis monasterij Scopuli.*

IOANNEM quemdam senem in eodem monasterio vidimus, de quo dicebant nobis eiusdem loci patres: Verè, Christiani, magnus est senex, dæmonibusque terribilis. Quicumque enim huc venerit vexatus ab immundo spiritu, curat eum continuò senior.

Ioannes dæmoniacos curat.

CAP. LXXXIII.

De eodem.

DICEBANT nobis & hoc de illo ipsius loci patres, quòd ad vigesimum quartum milliarium monasterij emporium est, quod Exile promontorium dicitur. In eo emporio nauclerus quidam, constructâ naui triginta millium modiorum, volens eam in mare deducere, duas hebdomadas cum operariis plurimis egit (habebat autem quotidie trecentos operarios) nec potuit illam de loco suo mouere, aut in mare deducere. Fuerat enim à pessimis hominibus incantata nauis. Erat igitur in magnâ tribulatione & angustiâ dominus nauis, & quid ageret, omnino ignorabat. Per dispensationem autem Dei abiit senex ad partes illas. Nauclerus autem, conspecto sene, agnoscensque sanctum virum, ait illi: Ora, domine abba, pro naui istâ, per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior: Vade, fac vt cibum sumam, & Deus iuuabit te. Hoc autẽ dixit senex, vt nauclerus abiret domum. Cùm verò ille abiisset, accessit senex solus ad nauem, & tertiò se in terram prosternens, & orans Deum, tertiò signauit nauim signo sanctæ crucis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Veniens deinde senex in domum naucleri, dixit illi: Vade ad nauem tuam, & deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisque trahentibus, mox in mare deducta est nauis.

Ioannes nauem incantatione immobilem redditam, oratione & signo crucis soluit.

CAP. LXXXIV.

Vita & mors ANACHORETAE *eiusdem monasterij serui Dei.*

EIVSDEM monasterij patres narrauerunt nobis, dicentes: Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundùm Deum, plurimos annos vitam solitariam ducens. Mortuus est autem in paruâ quadam speluncâ, nobis nescientibus; arbitrabamur enim omnes, quòd ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & apparuit ei qui nunc est, patri nostro, bono & optimo pastori, abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollens me de loco vbi iaceo, in monte qui vocatur Ceruus. Sumpsit igitur quosdam ex nobis pater noster, & ascendit in montem quem ille dixerat. Cumque per plures horas quæsissemus, non inuenimus anachoretæ reliquias. Erat enim speluncæ ingressus pro tempore niuibus & lignis coopertus. Cùm ergo non inuenissemus, dixit senior: Venite descendamus, filij. Cumque descendere inciperemus, ecce caprea venit, & stetit non longè à nobis, cœpitque pedibus suis humum fodere. Quod cùm pater noster aspiceret, dixit nobis: Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrum: quod sublatum in monasterium, cum honore sepeliuimus.

Anachoreta in somnis Iuliano abbati apparet.

Caprea anachoretæ sepulcrũ monstrat.

CAP. LXXXV.

Quomodo triticum eiusdem monasterij germinauerit propter cessationem consuetæ eleemosynæ.

NARRAVERVNT autem nobis rursus & hoc, dicentes: Consuetudo fuit, vt in cœnâ Domini pauperes omnes & pupilli regionis huius confluerent huc, & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarij duodecim vno numismate.

In cœnâ Domini pauperibus eleemosyna erogabatur in monasterio Scopuli.

Cùm ergo venissent ieiunij dies, dicunt abbati nostro quidam ex patribus: Noli, domine pater, secundùm consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio, triticum enim non inuenitur. Abbas autem cœpit dicere fratribus: Non infringamus, filij, benedictionem patris nostri Theodosij. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi. verè ipse est qui curam nostri gerit. Fratres autem in suâ perstiterunt sententiâ, dicentes abbati: Non suppetit nobis quod dare possimus. Tunc abbas contristatus ait illis: Ite, & secundùm quod vultis facite. Non itaque, vt consuetum erat, dederunt benedictionem in die sancto Cœnæ & Parasceues. Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse: quare coacti posteà sumus illud in mare proiicere. Tunc cœpit

Triticum pauperibus subtractũ germinat & corrumpitur.

cœpit abbas noster dicere fratribus: Qui patris nostri monita irrita facit, ista patitur; labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, & patri nostro Theodosio per obedientiam placuissemus; fratresque nostros pauperes consolati fuissemus; nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filij? quantum nobis ipsis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Vnum, quia mandatum patris nostri præteriuimus, alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est qui disponit omne humanum genus, quodq; sanctus Theodosius inuisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicitè gerit.

Quingenti modij tritici pauperibus subtracti perdunt quinque modiorum millia.

CAP. LXXXVI. *De altero eiusdem monasterij* ANACHORETA *qui statim vt Communionem sacram sumpsit, consummatus est.*

ABBAS Egiarius narrauit nobis, dicens: Cùm exissem ex Ægis post sollemnitatem, hiemsque acrior inhorruisset, veni in monasterium Scopuli. Cumque illic essem, tale aliquid contigit: Anachoreta quidam in partibus illis erat solitarius, veniebatque sancto die Dominico, & sumebat veneranda mysteria. Semel autem scandalizatus anachoreta, quinque ferè hebdomadas mansit, numquam iuxta consuetudinem in monasterium veniens: quapropter fratres monasterij contristabantur. Cùm ergo in illo monasterio essem, venit Dominico die. Quem cùm vidissent fratres monasterij, gauisi sunt, prostratiq; petebant veniam, & ille similiter prostratus veniam petiit, feceruntque charitatem. Anachoreta verò cùm accepisset corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, posuit se ipsum in ecclesiæ medio, statimque consummatus est, cùm prorsus anteà non ægrotasset. Cognouerunt ego monasterij patres, quia præscisset diem obitus sui anachoreta, & idcircò venisset, vt nihil habens aduersus aliquem migraret ad Dominum.

Anachoreta die Dominicâ cõmunicat.

Anachoreta præsciens obitus sui, viatico Eucharistiæ se munit.

CAP. LXXXVII. *Inuentio corporis* IOANNIS *anachoretæ nuncupati Humilis.*

VENIMVS in quemdam vicum sex milliaribus à Roso distantem, & duo senes sæculares hospitio nos susceperunt in ecclesiâ fundi sui. Vicus autem ad radices montis erat. In ecclesiâ igitur ipsâ ostenderunt nobis marmoream tabulam, dicentes: Christiani, magnus in hoc monumento anachoreta iacet. Diximus autem eis: Hoc vnde nostis? Et dixerunt nobis: Ante annos septem aspiciebamus nos vici huius habitatores per noctem in vertice montis lucem quasi ignẽ; nos ergo putabamus, quòd ignem aliqui illic accendisset. Cumque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus; neque ignem, neque aliquid in siluâ igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte verò quadam assumẽtes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem quæ apparuerat, mansimusque vbi lux erat vsque ad diem sequentem. Manè verò facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco vbi lumina videramus. Ingressi autem inuenimus anachoretam defunctum. Erat autem indutus cilicio & pallio, tenebàtque in manibus argenteam crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam: DEFVNCTVS SVM EGO IOANNES HVMILIS INDICTIONE QVINTADECIMA. Computatis ergo annis, inuenimus eum ante septem annos defunctum esse; ita verò erat integer, ac si die eadem obiisset. Sublatum ergo in ecclesiâ cum honore sepeliuimus.

Anachoretæ spelunca igne cælesti illustratur.

Mortuus crucem manibus tenet.

CAP. LXXXVIII. *Vita abbatis* THOMAE [21] *apocrisiarij cœnobij Apamiensis, & de miraculo corporis eius post mortem.*

CVM venissemus Theopolim, presbyter quidam ipsius ecclesiæ narrauit nobis de abbate Thomâ, quòd apocrisiarius fuerit cœnobij quod est in partibus Apamiæ. Venit ergo senex Theopolim pro vtilitate monasterij, & cùm hîc remoraretur, defunctus est in Daphne in templo sanctæ Euphemiæ. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulcra: sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda; circa horam verò sextam euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursum vesperè sepelierunt ipsam in eodem tumulo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulcrum. Accipientes ergo corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterùm sepelierunt aliam mulierem supra abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntesq; nuntiauerunt patriarchæ Domino.

Thomas mortuus in eodem sepulcro mulierem secũ nõ patitur.

nino. Qui omnem simul ciuitatem cum cereis ascendere fecit in Daphnem, & cum psalmodiâ sancti viri reliquias in vrbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmiterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt; feceruntque supra ipsum breue oratorium.

Oratorium super reliquias sanctorum extructum.

CAP. LXXXIX.

Inuentio corporis sancti ANACHORETAE *in monte Amano.*

NARRAVIT nobis quidam patrum, cùm Theopoli essemus, quòd ascéderit quadam die in montem Amanum cuiusdam necessitatis caussâ, inueneritque speluncam. Ingressus autem in illam, reperit Anachoretam genibus flexis, manibusque in cælum extensis, cuius crines capitis vsque in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, pater. Ipso verò nihil respondente, surgens prope illum accessit, vt salutaret eum & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaque illo dimisso, exiuit. Et cùm paululùm processisset, vidit aliam speluncam; ingressusque inuenit senem. Qui ait ad illum: Benè venisti, frater; ingressus ne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Vtique pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Non. Et ille: Verè, frater, quindecim anni iam elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnam horam obdormisset. Cumque fecisset senex orationem pro ipso, glorificans Deum recessi.

Anachoreta mortuus genibus flexis, manibus in cælum extensis.

Anachoreta mortui corpus 15. annis integrum durans.

Oratio pro defuncto.

CAP. XC.

Mors duorum ANACHORETARVM *montis Phterigij.*

DVO anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Piapen fluuium, & iuxta monasterium abbatis Theodosij in Scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter iunior, senisque discipulus. Cùm verò defunctus esset senex, factâ oratione discipulus sepeliuit eum in monte. Post dies verò paucos descendens de monte anachoretæ discipulus, venit iuxta loca habitabilia, inuenitque hominem quemdam exercentem terram, & ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuò secutus est eum. Cumque venisset in montem, ostendit anachoreta sæculari sepulcrum senis sui, & dixit ei: Fode hîc. Cùm autem effodisset sepulcrum, anachoreta stetit ad orationem. Finitâ verò oratione, osculatus est sæcularem dicens: Ora pro me, frater. Descendensque collocauit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritum. Sæcularis autem rursus operto sepulcro, Deo gratias egit. Cùm autem descendisset de monte, quantum iactus est lapidis, ait intra semetipsum: Verè debui accipere benedictionem sanctorum; reuersusque, illorum sepulcrum inuenire non potuit.

Anachoreta magistrum sepelit.

Anachoreta viuum se super magistrum suum sepelit.

CAP. XCI.

Vita abbatis GREGORII *anachoretæ, &* THALELAEI *eius discipuli.*

DICEBANT quidam ex patribus de abbate Gregorio anachoretâ, quòd triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

Gregorius 35. annis nudus incedens.

Dicebant item de illo, quòd cùm esset in montibus monasterij abbatis Theodosij in Scopulo, habebat discipulum, quo defuncto, cùm non haberet senex instrumenta vt humum foderet & sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, inuenitq; applicantem nauem. Orauit autem nauclerum & nautas, vt ascenderent secum in montem, & sepelirent fratrem. Illi autem prompto animo obedierunt seni, sumentesque instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, & fodientes humauerunt corpus fratris. Vnus autem ex nautis, nomine Thalelæus, compunctus in virtute senis, orabat eum vt cum illo moraretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre pœnitentiæ laborem. Ait ille: Ita sanè tolerare possum. Mansitque cum sene anno vno, nimiùm in sacrâ exercitatione laborans. Post peractum autem annum prostrauit se frater Thalelæus seni, dicens: Ora pro me, pater; nam per orationes tuas Deus abstulit à me laborem: neque enim iam fatigor, neque me aëris inclementia affligit, non æstu vror, non hieme rigesco, sed in multâ requie sum. Senex verò benedixit eum, peractisque cum sene duobus aliis annis cum dimidio, frater Thalelæus præsciuit obitum suum, orauitque senem, dicens: Duc me, quæso, Ierosolymam, vt adorem sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini & Dei mei resurrectionem: his enim diebus Dominus assumet me. Senex autem eo sumpto, profectus est in sanctam ciuitatem. Itaque cùm adorassent sacra & venerabilia loca, descendissentque in sanctum Iordanem, & ibi lauissent, post dies tres obdormiuit in Domino frater Thalelæus, sepeliuitque illum senex in monasterio Coprathâ. Post aliquantulum verò temporis requieuit & abbas Gregorius anachoreta, sepelieruntque illum eiusdem monasterij patres in ecclesiâ.

Thalelæus nauta monachicam vitam amplectitur.

Obitum præscit.

Ierosolymis loca sancta inuisit.

Vita

CAP. XCII *Vita fratris* GREGORII *Cappadocis, & inuentio corporis* PETRI *solitarij sancti Iordanis.*

NARRAVIT nobis venerabilis pater noster abbas Gregorius archimandrita monasterij sancti patris nostri Theodosij, quod positum est in eremo sanctæ Christi Domini nostri ciuitatis, mihi scilicet & fratri Sophronio sophistæ, dicens: Habui hîc fratrem nomine Gregorium Cappadocem; habebat autem ministerium suum in Phaselide. Die verò quadam cùm fratres facerent panes, succendebat clibanum frater Gregorius. Sed cùm succendisset illum, non inuenit cum quo deberet extergere furnum: fratres enim ipsum pannum absconderant, vt tentarent eum. Ingressus est ergo furnum, vestimentoque suo illum detersit, nihil omnino ab igne læsus. Ego autem, hoc audito, corripui fratres, quòd ita ipsum tentassent.

Gregorius veste furnum extergens, illæsus exit.

Narrauit nobis & hoc idem abbas Gregorius pater noster, de eodem fratre Gregorio dicens: Die quadam pascebat porcos in Phaselide; veneruntque duo leones, vt porcum raperent. At ille sumens virgam suam, persecutus est eos vsque ad sanctum Iordanem.

Leones fugat.

Rursus idem pater noster narrauit nobis, dicens: Cùm ædificare inciperem [a] templum sancti Quirici in Phaselide, effodiens templi fundamenta, apparuit mihi in somnis monachus quidam magnæ, vt videbatur, abstinentiæ, indutus palmâ, ferensque in humeris paruulum colobium de psiathio, dixitque mihi voce mitissimâ: Dic, abba Gregori, numquid post tantos labores tantamque abstinentiam, debuisti me extra templum, quod ædificas, dimittere? Ego autem senis vocem habitumque reueritus, aio ad illum: Non, domine; absit à me, vt hoc faciam. Et ille: Verè hoc fecisti. Dixi autem ad illum: Quis nam es tu, domine? Ego, inquit, sum Petrus solitarius sancti Iordanis. Itaque surgens manè, perrexi, & quæsiui fodiens circa templum. Cumque foderem, inueni corpus eius ita iacens, sicut in somnis illum videram. Constructoque oratorio, feci monumentum præclarum in dexterâ templi parte, & illic eum deposui.

Petri solitarij apparitio.

Corporis eius inuentio.

CAP. XCIII. *Vita abbatis* SISINII *qui episcopatui renuntiauit, & eius discipuli.*

NARRAVIT nobis idem pater noster Gregorius, dicens: Quadam die profectus sum ad abbatem Sisinium anachoretam. Erat autem hic senex, qui relicto episcopatu suo propter Christum, venerat prope castellum, quod appellatur Bethabara, & à sancto Iordane sex fermè milliaribus distat, ibique vitam solitariam agebat. Cùm ergo venissem ad senem, & diu pulsarem, post multam horam aperuit discipulus eius, & ait mihi: Verè, domine abba, infirmatus est senex vsque ad mortem, orauitque Deum, ne de hoc sæculo migraret, donec audiret aduenisse te in hanc regionem. Iueram enim Constantinopolim pro necessitate cœnobij ad pijssimum Imperatorem Tiberium. Cùm ergo profectus esset ad senem, annuntiassetque illi meum aduentum, post prolixam horam descendit, dicens mihi: Ascende, pater. Ascendentes autem inuenimus senem obdormisse in pace. Cognoui igitur, quia mox vt didicit me esse, qui pulsaueram, migrauit ad Dominum. Et cùm illum amplexarer, ait mihi defunctus leni ac miti voce: Benè venit abbas meus; rursumque obdormiuit. Nuntiaui igitur in locis illis, vt venirent & sepelirent senem. Cùm ergo venissent, & monumentum foderent, ait discipulus senis fodientibus sepulcrum: Facite charitatem, & aliquantulùm latius fodite, vt duos capiat. Et cùm illi foderent, posuit se ipsum in psiathio, & requieuit in pace. Sepeliuimusque duos simul, senem scilicet & discipulum eius.

Mortuus Sisinius hospitem leni voce excipit.

Vita abbatis IVLIANI *episcopi Bostrensis.* CAP. XCIV

IDEM pater noster Gregorius archimandrita narrauit nobis de abbate Iuliano episcopo Bostrense, quòd cùm recessisset de cœnobio, & factus esset Bostrensis episcopus, quidam ex habitatoribus ipsius ciuitatis odio nominis Christi voluerunt eum veneno occidere, corrumpentesque pecunijs ministrum eius qui ipsi porrigebat poculum, dederunt illi venenum, vt cùm porrigeret metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita vt dictum fuerat, fecit, deditque calicem veneno infectum sancto Iuliano. Suscepit verò illum sanctus vir, ac diuinitus agnouit insidias. Susceptum ergo calicem ante se posuit, nihil omnino dicens puero; mittensque accersiuit omnes primates ciuitatis, inter quos erant & qui illi insidias parauerant. Vir autem beatissimus nolens eos publicare qui hoc fecerant, voce mitissimâ omnibus dixit: Si arbitramini humilem Iulianum veneno occidere, ecce coram vobis pestiferum calicem bibo. Signansque ter digito suo calicem, & dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,

Iuliano venenatus calix propinatus.

Iulianus venenatũ calicem, signo crucis ante edito, innoxius ebibit.

sancti, bibo hunc calicem: bibit illum coram omnibus totum, atque illæsus perstitit. Quod illi cùm vidissent, prostrati veniam petierunt.

CAP. XCV. *Vita* PATRICII *senis monasterij in Scopulo.*

ERAT quidam senex in eodem cœnobio abbatis Theodosij sancti patris nostri, genere quidem Sebastensis, nomine autem Patricius, senex valdè (dicebat enim se esse annorum centum & tredecim) mitis & quietus. Narrauerunt ergo nobis de illo ipsius loci patres, quòd fuisset præpositus monasterij Abazani, dimisissetque præpositi officium, periculum & iudicium metuēs (magnorum enim virorum esse dicebat, pascere rationales oues) ac venisset illuc, vt sub obedientiâ viueret, hoc iudicans animæ vtilius esse.

Patricius abdicat se prælaturâ periculum metuens.

CAP. XCVI. *De eodem, & de* IVLIANO *Arabe cæco.*

DICEBANT autem nobis & hoc de ipso: Cùm alius hîc fuisset senex, genere Arabs, Iulianus nomine, captus oculis, ipse aliquando scandalizatus est in Macarium archiepiscopum Ierosolymitanum, nolebatque communicare illi. Quadam ergo die abbas Iulianus significauit abbati Simeoni, qui erat in monte mirabili (distat autem à Theopoli mons ipse milliaribus nouem) dicens: Cæcus sum, & quò abeam nescio; neque verò habeo qui possit auxiliari mihi, & communicare Macario detrectò. Indica mihi, pater, quid agere debeam de fratre, qui fornicatus est, & de illo, qui se cum eo iuramento constrinxit. Respondit autem abbas Simeon abbati Iuliano, dicens: Ne recedas, neque te ipsum à sanctâ Ecclesiâ separes: neque enim illa male habet, gratiâ Domini nostri Iesu Christi filij Dei. Sed & hoc scito, frater, quòd si quis in hæresim inciderit, in cœnobio vestro, habetis senem magnum, nomine Patricium. Hic autem senex iuxta sacrarium infra omnes moratur, prope occidentalem ecclesiæ murum; dicitque & ipse pro omnibus sanctam orationem oblationis, & ipsius oblatio sancta existimatur.

Simeon Iulianum monet, ne se ab Ecclesiâ separet.

CAP. XCVII. *Vita & mors duorum* FRATRVM *monachorum, qui numquam ab inuicem separari iurauerunt.*

DICEBAT autem abbas Ioannes anachoreta, cognomento Rutilus, audisse se ab abbate Stephano Moabitâ referente, quia cùm esset in cœnobio sancti abbatis Theodosij magni monachorum principis, erant illic duo fratres, qui sibi inuicem iurauerant, quòd neque in vitâ, neque in morte ab inuicem separarentur. Cum ergo cunctos in cœnobio ædificarent, vnus ex eis impugnatus à fornicatione, dixit fratri suo: Dimitte me, frater, quia impugnor à fornicatione, & ferre non præualens, volo ad sæculum reuerti. Frater autem rogare cœpit eum, dicens: Noli, quæso, frater mi, noli perdere laborem tuum. Tunc is dicit ei: Aut dimitte me abire, aut tu veni mecum, vt voluptati satisfaciam. Frater autem ille cùm nollet eum dimittere, abijt cum illo in ciuitatem. Ingressus igitur est in meretricis diuersorium is qui impugnabatur: frater autem ille foris stans, puluerem de terrâ super caput suum iaciebat, & semetipsum affligebat. Postquam verò ille completo fœdo opere è lupanari egressus est, dixit ad eum frater: Quid lucratus es ex peccato, frater mi? quantum inde detrimentum cepisti? Eamus rursus in cœnobium. Qui ait: Non iam possum in eremum venire. vade à me, ego enim in sæculo maneo. Cùm igitur multùm rogaret eum, nihilque proficeret, neque se ille sequi iam ad eremum vellet, mansit & ipse cum illo in sæculo; laborabantque ambo manibus suis, vt viuerent.

Frater pro fratre fornicante se affligit.

Per idem tempus abbas Abramius, qui postmodum factus est episcopus Ephesi, & nuper monasterium construxit Constantinopoli dictum Abramitarum, bonus ac mitis pastor, ædificabat monasterium suum, quod dicitur Bizantiorum. Abeuntes autem duo fratres laborabant in opere, ministrantes cæmentarijs. Sumptam verò mercedem operis amborum frater ille qui in fornicationem lapsus fuerat, quotidie pergens in ciuitatem consumebat in luxuriâ. Alius verò quotidie ieiunans & psallens, cum omni quiete faciebat opus, nemini aliquid loquēs. Videntes autem illum artifices diebus singulis neque comedentem, neque aliquid loquentem, sed semper cogitanti similem, retulerunt de illo & de conuersatione eius sancto abbati Abramio. Tunc magnus reuerà Abramius accersiuit operarium in cellam suam, & interrogauit eum, dicens: Vnde es, frater? & quod est opus tuum? Ille autem omnia illi per ordinem confessus est, & quia fratris sui gratiâ sustineret omnia, vt Deus (inquiens) meam tribulationem videns saluet fratrem meum. His auditis, Abramius dixit fratri: Et Dominus donauit tibi animam fratris tui. Cùm ergo dimisisset eum sanctus Abramius, exijssetque de cellulâ, ecce frater ille aduenit clamans: Mi frater, assume me in eremum, vt saluus fiam. Continuò autem assumpsit eum, & abierunt ad speluncam prope sanctum Iordanem, & incluserunt

Fornicator fratris afflictione & precibus ad mentem redit.

clauserunt se. Post modicum verò temporis, cùm magnificè secundùm Deum profecisset spiritu frater ille, qui in fornicationem inciderat, migrauit ad Dominum. Mansit autem superstes frater in eadem speluncâ iuxta iuramentum, quousque & ipse moreretur.

CAP. XCVIII.

De eodem fratre superstite.

AD hunc fratrem post mortem alterius fratris veniens senex quidam ex monasterio Calamonis, ait illi: Dic mihi, frater, in tanto tempore solitariæ vitæ, spiritalisque exercitij, quid lucratus es? Dixit ei frater: Vade, & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex autem abiens, post decimum diem rediit, inuenitque fratrem migrasse ad Christum, & testam, in quâ sic scriptum erat: Ignosce, pater, quia numquam, dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

Frater in opere Dei numquam distractus.

CAP. XCIX

Vita ANTONII *senis monasterij in Scopulo.*

NARRAVERVNT nobis patres eiusdem monasterij sancti patris nostri Theodosij, dicentes: Ante hos annos defunctus est hîc senex quidam, Antonius nomine. Is in vitâ suâ maximè ieiunijs operam dans, profectus est in locum, qui Cotulas dicitur. Quadam ergo die cùm esset in eremo, ecce [23] Saraceni in partes illas venientes viderunt senem, vnusque ex eis educto gladio venit contra senem, volens necare illum. Senex autem vt vidit Saracenum contra se venientem, intuens in cælum, ait: Domine Iesu Christe, voluntas tua fiat. Statimque aperta est terra, & absorbuit Saracenum illum, senexque saluatus est, & glorificans Deum in monasterium ingressus est.

Saracenus Antonium occidere tentans, à terrâ absorbetur.

CAP. C.

Vita PETRI *Pontici monachi.*

RVRSVS narrauerunt nobis prædicti loci patres, quòd illic fuerit quidam senex, Petrus nomine, genere Ponticus, multis præclarisque virtutibus ornatus. De hoc sene Theodorus, qui fuit episcopus Rosensis, dicebat nobis, quòd die quadam conuenit illum ad Iordanem in monasterio Turrium, illic enim ipse morabatur, eiq; dixit: Fac charitatem, frater Theodore, veni mecum in montem Sina, quia illuc proficisci votum habeo. Qui cùm nollet non obedire, dixit ad eum: Eamus. Cùm verò transisset Iordanem, dixit ad Theodorum senior: Veni, frater Theodore, oremus vt vsque ad montem Sina nullus nostrûm comedat. Ad quem ille: Verè, pater, ego hoc facere non possum. Prostrauit autem se senex, & orauit, & vsque ad Sina nihil comedit. Sumptis igitur illic sanctis mysterijs, tunc & cibum sumpsit. Similiter & à Sinâ vsque Alexandriam ad sanctum Menam peruenerunt, nihil omnino comedente sene. Ibique denuò communicans, post Communionem cibum sumpsit. Et à sancto Menâ vsque in sanctam ciuitatem venerunt, cùm nihil omnino gustasset senior in viâ. Cùm verò in sanctâ Christi Dei nostri resurrectione percepisset veneranda mysteria, tunc demum accepit & cibum. In hoc ergo toto tali tantoque itinere nisi tertiò non comedit senex, semel in Sinâ monte, semel in Alexandriâ, & semel in sanctâ ciuitate.

Petrus ex voto in Sina montem ieiunus proficiscitur.

Item Alexandriam ad S. Menam.

Inde Ierosolyma ad sepulcrum Christi.

CAP. CI.

Vita PARDI *monachi Romani.*

NARRAVERVNT etiam nobis de alio sene patres eiusdem monasterij, dicentes: Erat hîc senex quidam, qui ante modicum tempus defunctus est, Pardus nomine, genere Romanus. Hic dum esset iunior, mulio fuerat. Die igitur quadam abijt Iericho cum mulis. & cùm esset in xenodochio, inuentus est illic puer paruulus, quem agente diabolo, mulus calce percussit & occidit, ignorante hoc abbate Pardo. Afflictus verò super hoc multùm abbas Pardus, abijt in Arnonem, & effectus est anachoreta, lugens semper, dicens: Ego feci homicidium, & vt homicida in iudicio damnatus sum. Erat autem illic prope torrentem leo. Diebusque singulis ibat abbas Pardus ad cubile leonis, stimulans & prouocans leonem, vt exurgeret & deuoraret eum: leo autem nihil omnino illum lædebat. Videns autem senex, quia nihil proficeret, ait in seipso: Dormiam in viâ, per quam leo pergit ad fluuium: nam cùm transibit vt eat ad bibendum, deuorabit me. Cùm ergo iaceret, ecce leo post paululum venit, & quasi ratione præditus esset, cum omni quiete transiliuit senem, neque omnino illum tetigit. Tunc senior certior factus est quòd Deus remisisset illi peccatum, & veniens rursus in monasterium suum, vixit in magnâ continentiâ, ædificans omnes vitæ suæ exemplo vsque ad diem obitus sui.

Pardus mulio, quia mulus puerum occidit, mirè pœnitet.

Leoni se deuorandum exponit.

Parcit ei leo.

CAP. CII.

Relatio SOPHRONII *sophistæ de eo quod sibi in viâ contigerat.*

CVM interrogatus esset abbas Sophronius sophista frater meus, assistebamus prope illum ego & abbas Ioannes scholasticus, & abbas Quiricus, & alij quidam ex patribus, dixitque nobis: Pergebam modò in viâ, & ante me adolescentulæ choream agebant, tripudiabantque dicentes: Benè veniat Sophronius, coronatus est Sophronius.

Sophronij visio.

Vita & virtutes abbatis STRATIGII.

CAP. CIII

Stratigij ieiunium, vigilia, iuge opus.

DICEBANT de abbate Stratigio, patre insignis monasterij sancti patris nostri Theodosij, monasterij ipsius patres, quòd tres istas virtutes possederit supra ætatis nostræ monachos, ieiunium, vigilias, & iuge opus.

Vita abbatis NONNI *presbyteri.*

CAP. CIV.

NARRAVIT nobis in cœnobio sancti patris nostri Thedosij, abbas Theodosius, qui fuit episcopus Capituliadis, de abbate Nonno presbytero, quòd nocte quadam, antequam pulsaret nocturnum signum, dum iaceret ipse in lectulo suo, audiuit quemdam leni voce dicentem, Kyrie eleison. Cumque quinquaginta vicibus hoc ille iterasset, voluit ipse scire, quis esset qui hoc dicebat. Et aspiciens, inquit, in ecclesiam per cellulæ meæ fenestram, vidi senem procumbentem genibus suis, & stellam lucidissimam super caput eius ostendentem mihi quis esset senex.

Stella super Nonni caput apparens.

Alius autem quidam de senibus ipsius cœnobij narrauit nobis de eodem abbate Nonno, dicens: Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellulà meâ, ibam ad ecclesiam. Et aspicio senem ante ecclesiam stantem, & extensis in cælum manibus orantem: lucebant autem manus eius quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

Nonni manus ad orationem extensa instar lampadum fulgent.

Vita sancti senis CHRISTOPHORI, *genere Romani.*

CAP. CV.

CVM in Alexandrià essemus, accessimus ad abbatem Theodorum, qui erat in sanctâ Sophiâ prope Pharum. Et narrauit nobis senex, dicens: Ego in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, quod est in eremo sanctæ Christi Dei nostri ciuitatis, sæculo renuntiaui; inueni que illic senem magnum valdè, nomine Christophorum, Romanum genere. Die igitur quadam prostratus ante illum, dixi: Fac charitatem, pater, & dic mihi quid in iuuentute tuâ operabaris. Cumque multùm à me rogatus fuisset senex, agnito quòd propter vtilitatem animæ illum rogassem, enarrauit mihi, dicens: Quando sæculo renuntiaui, fili, magnum habui feruorem, summamque desiderij alacritatem ad monasticam vitam: ac diebus quidem exercebar in regulari psalmodiâ, noctibus verò pergebam in speluncam, in quâ & sanctus Theodosius, & sancti patres reliqui orare consueuerant; descendensque in speluncam, centies flectebam genua, & procidebam Deo per gradus singulos; sunt autem numero decem & octo. Cumque per omnes gradus descendissem, permanebam illic, donec pulsaret signum. Tunc ibam ad synaxim cum patribus. Cùm autem opus istud vndecim annis absque intermissione fecissem, cum ieiunijs multis, & continentiâ, & nuditate rerum omnium, & obedientiâ, & labore corporali, veni nocte quadam secundùm consuetudinem, vt in speluncam descenderem. Cumque implessem inclinationes corporis per singulos gradus, venturusque essem in speluncæ pauimentum, factus in extasi, video totum speluncæ pauimentum candelis plenum, ex quibus aliæ quidem accensæ erant, aliæ non. Aspicio autem & duos viros chlamyde indutos, candidoque habitu amictos, easdem candelas præparantes. Ego autem dixi illis: Vt quid posuistis hìc candelas istas, nec permittitis nos descendere, & orare? Qui respondétes dixerunt mihi: Patrum candelæ sunt. Dixi autem ad eos rursum: Cur aliæ ex illis ardent, aliæ non? Responderunt: Qui volunt, cádelas suas accenderunt, & qui nolunt, non accenderunt. Aio ad illos iterùm: Facite charitatem; candela mea ardet, an non ardet? Illi autem dixerunt: Ora, & accendimus illam. Tunc dico illis: Adhuc oro. Et quid vsque modò faciebam? Atque in hoc verbo ad me ipsum reuersus sum, conuersusque vltrà iam neminem vidi. Tunc dixi in meipso: Christophore, maiori labore opus est. Et manè facto, recessi de monasterio, & profectus sum ad montem Sina, nihil ferens mecum, nisi quo induebar tantùm. Cumque illic egissem annos quinquaginta, venit mihi vox, dicens: Christophore, Christophore, redi in cœnobium tuum vbi etiam benè certasti, vt illic consummêris cum patribus tuis. Et modico tempore posteaquam mihi ista dixerat, sancta illius anima in pace requieuit.

Theodorus monachus cœnobij S. Theodosij.

Christophorus centies de nocte flectit genua.

Visio eius de accensis candelis viri certantium.

Rursum enarrauit nobis idem Theodorus de eodem abbate Christophoro. Dicebat, inquit, senex: Die quadam ascédi in sanctam ciuitatem, vt adorarem sanctam crucem. Et cùm adorassem, & iam exirem, aspicio fratré quédam in limine atrij pretiosæ crucis, neq; intrantem, neque exeuntem. Aspicio item & duos coruos impudenter ante illius faciem volantes, & alis suis oculos eius importunè impetentes, nec illum intrare permittentes. Intellexi verò eos dæmones esse, & dixi illi: Dic, frater, cur stas in medio ianuæ, nec intras? Qui ait mihi: Ignosce mihi, pater mi, cogitationes habeo, ex quibus vna mihi dicit: Ingredere, & adora pretiosam Crucem. alia dicit: Non, sed vade, & fac [24] responsum, & aliâ vice adorabis. Ego autem vt audiui, tenui manum ipsius, & introduxi in

Ierosolyma tendit ad crucem adorandam.

Dæmones adorationem crucis impediunt.

in templum: & continuò fugerunt corui: Cumque fecissem illum adorare sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini resurrectionem, dimisi eum in pace. Hæc autem, inquit Theodorus, mihi senex enarrauit, quia vidit me multùm in ministerijs distentum, & orationis negligentem.

CAP. CVI.

Relatio abbatis THEODORI *de monacho Syro Seueriano.*

NARRAVIT iterùm nobis idem abbas Theodorus, dicens: Xenodochium est hîc propè Pharum, inter sanctam Sophiam & sanctum Faustum: qui autem illi præerat, die quadam orauit me, vt irem in xenodochium, & ibi morarer paucis diebus. Abiens igitur inueni illic monachum quemdam hospitio susceptum, Syrum genere, nihil habentem præter cilicium, & pallium, & panes paucos. Stabat autem in vno angulo, semper die noctuque psallens, & nemini loquens. Veniente verò die sanctâ Dominicâ, abij ad illum, dicens: Veni, frater, ad sanctam Sophiam, vt communices sanctis venerandisque mysterijs. Qui ait: Non venio. Ad quem ego: Cur, oro te? Ait mihi: Quia Seuerianus sum, & non communico Ecclesiæ. Audiens ego, quia non communicaret sanctæ & apostolicæ Ecclesiæ, simulque videns illius optimam conuersationem, vitamque virtutibus plenam, abij lugens in cellulam meam, & clausâ ianuâ, prostraui meipsum in faciem coram Domino per dies tres, & orabam illum cum lacrymis multis, dicens: Dominator Christe Deus noster, qui propter ineffabilem tuam immensamque clementiam inclinasti cælos, & descendisti propter salutem nostram, qui incarnatus es ex sanctâ Dominâ nostrâ Dei genitrice semperque virgine Mariâ, reuela mihi qui sint qui benè & rectè credunt; nósne qui sanctæ Ecclesiæ iungimur, an qui Seuero consentiunt. Die verò tertiâ venit mihi vox inuisibiliter, dicens: Vade Theodore, inspice fidem ipsius. In crastinum igitur profectus, sedi ante illum, exspectans videre aliquid, iuxta quod mihi vox dixerat: & cùm mansissem sedens quasi vnâ horâ, & intuerer in ipsum stantem, & voce Syrâ psallentem, vidi teste Deo, filij, columbam super caput eius stantem fuliginosam, veluti ex coquinâ venientem, squalidam ac fœtidam. Tunc agnoui eam, quæ mihi apparuerat, caliginosam fœtidamque columbam, ipsius esse fidem. Hæc autem nobis narrauit in veritate cum multis lacrymis & singultibus sancta ipsius anima.

Monachus die noctuque semper psallens, nemini loquens.

Praua monachi Seueriani fides fuliginosâ columbâ declaratur.

CAP. CVII.

Vita abbatis GERASIMI.

VNO ferè milliario distat à Iordane monasterium, quod abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monasterium aduenientibus nobis narrauerunt qui illic morabantur senes de abbate Gerasimo, quòd die quadam ambulans super Iordanis ripam, obuium habuit leonem valdè rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeò vt ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Cùm igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flens quodammodò & obsecrans, vt illi curam adhiberet. Cùm ergo vidisset eum senex tali necessitate constrictum, sedens apprehendit eius pedem, aperiensque vulnus eduxit aculeum infixum, cum magnâ putredinis copiâ, diligenterque depurgato vulnere, & panno alligato, dimisit eum. Leo autem cùm se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed vt charus discipulus, quocumque pergeret, magistrum sequebatur, ita vt admiraretur senex tantam feræ gratitudinem. Igitur ex tunc senex nutriebat eum, mittens ante illum panem & infusa legumina.

Gerasimus ex leonis pede aculeum extrahit.

Leo ex gratitudine assiduus Gerasimo comes.

Habebat autem ipsum monasterium asinum vnum, ad ferendam aquam pro necessitate fratrum de Iordane. Consuetudinem autem fecerat senex, vt curam pascendi asini leo haberet. Itaque abiens cum illo iuxta Iordanis ripas, pascentem obseruabat. Quadam autem die dum pasceretur asinus, leo se ab illo longiusculè auertit, cùm ecce camelarius ex Arabiâ veniens, inuentum asinum accepit, & secum duxit. Leo verò, amisso asino, redijt in monasterium tristis valdè, & deiectâ facie ac ceruice, ad abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putauit, quòd asinum comedisset leo, & ait illi: Vbi est asinus? Ille verò quasi homo stabat tacens, & deorsum aspiciens. Dicit ei senex: Comedisti eum: benedictus Dominus. Quidquid faciebat asinus, amodò facies tu. Ex tunc igitur leo, iubente sene, portabat [25] canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monasterium.

Asini pascendi curam gerit.

Camelarius Arabs asinum prædatur.

Leo asini officium ferendo aquam supplet.

Die verò quadam venit miles quidam ad senem benedictionis gratiâ. Qui cùm videret leonem baiulantem aquam, didicissetque caussam, misertus est eius, proferensque tria numismata dedit senibus, vt emerent asinum ad ipsius aquæ ministerium, & liberarent eâ necessitate leonem. Breui autem transacto tempore, postquam liberatus à labore fuerat, camelarius ille, qui

asinum abstulerat, veniebat ferens triticum, vt venumdaret illud in sanctâ ciuitate, habens & asinum secum. Et cùm transisset Iordanem, accidit vt occurreret leoni: quo viso, dimisit camelos, & fugit. Leo autem, cognito asino, cucurrit ad eum, & ore, vt solebat, eius capistrum mordens, traxit eum cum tribus camelis, & gaudēs simul & rugiens, quòd perditum asellum reperisset, venit ad senem. Senex verò, qui priùs putabat, quòd asinum leo comedisset; tunc verò didicit, quia insidias passus fuisset leo. Imposuit autem nomen leoni Iordanem. Egit itaque leo in monasterio cum fratribus plus quàm quinque annos, numquam recedens à sene.

Leo asinum reducit.

Cùm autem migrasset ad Dominum abbas Gerasimus, & à patribus sepultus esset, per dispensationem Dei leo tunc in monasterio inuentus non est. Post modicum verò venit leo in monasterium, & quærebat senem suum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & discipulus fuerat abbatis Gerasimi, viso illo, dixit ei: Iordane, senex noster dimisit nos orphanos, & migrauit ad Dominum; sed accipe, & comede. Leo autem comedere nolebat, sed iugiter huc atque illuc se vertens circumspiciebat, quærens videre senem suum, ac rugitu magno ipsius absentiam se ferre non posse significans. Abbas autem Sabbatius, & senes reliqui fricantes eius ceruicem, dicebant ei: Migrauit senex ad Dominum, & dimisit nos. Sed ista dicentes non poterant tamen illius voces & eiulatus mitigare, sed quantò ampliùs ipsum verbis fouere ac solari se existimabant, tantò ipse magis eiulabat, maiorique rugitu vtebatur, & lamenta adijciebat, ostendens ex voce, facie, & oculis mœrorem, quem habebat non videns senem. Tunc ait illi abbas Sabbatius: Veni mecum, ex quo non credis nobis, & ostendam tibi, vbi positus est senex noster. Sumensque eum duxit, vbi illum sepelierant. Distabat autem ab ecclesiâ quasi passibus quinque. Et stans abbas Sabbatius supra sepulcrum abbatis Gerasimi, dixit leoni: Ecce hîc senex noster sepultus est. & inclinauit genua sua abbas Sabbatius supra sepulcrum senis. Cùm ergo id leo audisset, & vidisset prostratum super tumulum abbatem Sabbatium, & flentem, tunc & ipse prostrauit se, percutiens in terram caput suum vehementer, & rugiens; atque ita continuò defunctus est super sepulcrum senis.

Leo obitum Gerasimi abbatis deflet.

Leo non capiens super morte Gerasimi solatium, super sepulcrum eius emoritur.

Hoc autem totum factum est, non quia animam rationalem habuisse leo putandus sit, sed quòd Deus voluerit glorificantes se glorificare, non solùm in vitâ hac, sed etiam post mortem, & monstrare nobis qualem primo homini habuerint subiectionem bestiæ, priusquam inobediens esset mandato, & antequam excideret è paradiso deliciarum.

Bestiæ homini ante peccatum obedientes.

Vita PRESBYTERI *virginis, eiusque* VXORIS *itidem virginis.*

CAP. CVIII.

CVM in Samum insulam venissemus, vidimus in cœnobio, quod Charixeni appellatur, abbatem Isidorum ipsius monasterij præpositum, virum eximiæ virtutis, & magnæ ad omnes charitatis, simplicitateque & humilitate maximè ornatum: quem etiam post aliquantulum temporis Episcopum in eadem regione constitutum scimus. Hic enarrauit nobis, dicens:

Est in octauo huius ciuitatis milliario, vicus habens etiam ecclesiam: in hac presbyter quidam fuit valdè mirabilis, quem parentes inuitum & renitentem vxorem accipere compulerunt. Verùm ille non solùm voluptatis illecebrâ captus non est, quamuis iuuenis existeret, & legitimæ coniunctus vxori, sed & ipsam induxit castè secum ac pudicè viuere. Didicerunt igitur ambo psalterium, amboque simul in ecclesiâ psallebant, seruantes se ipsos virgines vsque in finem. Hic itaque presbyter die quadam falsâ calumniâ apud episcopum accusatus est. Quem episcopus ignorans institutum eius, accersiuit ex vico, & misit in carcerem, in quem solebant peccantes clerici includi & custodiri.

Quidam [illegible] vxori coniunctus in matrimonio.

Presbyter creatus per calumniam carceri mancipatur.

Cùm igitur esset in carcere, adueniente sancto die Dominico, apparuit ei iuuenis formosus valde, dixitque ei: Surge, presbyter, vade in ecclesiam tuam, vt sanctam oblationem offeras. Ait illi presbyter: Non possum, quia inclusus sum. Dixit ei is qui apparuit: Ego tibi aperio carcerem; veni, sequere me. aperiensque ianuam, ante illum exijt: Cùm verò egressi essent, ambulauit ille vsque dum mille passibus distaret à vico presbyteri. Factâ autem die, qui custodiebat carcerem, ingressus est requirens eum, vbi clausus fuerat. Et non inueniens, perrexit ad episcopum dicens: Effugit presbyter, me habente clauem. Putans igitur episcopus, quia effugisset, misit vnum de seruis episcopatus dicens: Vade, & vide, si presbyter in vico suo est, nihilque illi interim dicas. Profectus ergo puer illum inuenit in ecclesiâ sanctam oblationem offerentem. Reuersusque dixit episcopo, illic esse presbyterum, ac eum se reperisse offerentem sacrificium. Episcopus autem magis ac magis contra illum indignatus, iurauit, quòd in

Ab Angelo è carcere educitur, vt Missam die Dominico celebret.

in crastinum eum cum summâ ignominiâ reduceret.

Sequenti autem nocte apparuit presbytero is qui primò apparuerat, dicens: Veni, vt eamus, vbi te episcopus incluserat in ciuitate. assumensque illum adduxit rursum, & reposuit in carcere, ignorante custode carceris. Manè verò diei sequentis didicit e carcerario episcopus, quia in custodiâ presbyter se ignorante inuentus esset. Mittens episcopus sciscitabatur à presbytero quomodo de carcere exisset, & quomodo rursus absque carcerarij notitiâ ingressus esset. Qui respondit: Iuuenis quidam speciosus valdè & optimè vestitus, episcopatus vestri, vt dicebat, minister, aperuit mihi ostium, & præcedebat me vsque ad vnum milliare prope vicum nocte Dominicæ, idemque rursus sequenti nocte veniens reduxit me. Episcopus igitur accersiuit omnes seruos episcopatus, sed nullum ex ipsis recognouit presbyter. Tunc intellexit episcopus, quòd angelus Dei fuerat qui hoc egisset, ne virtus presbyteri prorsus occultaretur, sed vt omnes discerent, & glorificarent Deum, qui glorificantes se glorificat. Et de ipso valdè ædificatus, dimisit illum à se in pace, multa contra eos clamans qui illum iniustè accusauerant.

Ab eodem reducitur in carcerê carcerario ignorante.

Cum gloriâ ab episcopo educitur.

CAP. CIX. *Vita abbatis* GEORGII, *qui numquam turbabatur.*

De abbate Georgio, patre monasterij abbatis Theodosij, narrauit nobis abbas Theodosius eius discipulus bonus ac mitis & humilis, qui fuit episcopus Capitoliadis, quòd duodecim annos obseruasset eum, si vel semel turbaretur, & numquam turbatũ vidit, idque in hoc tempore, quando omnis desidia, & negligentia, & mollities, & inobedientia regnat. Quis autem, aiebat, ita frænauit oculum, sicut pater noster sanctus Georgius? Quis ita posuit ianuam auribus, sicut beatus iste? Quis ita continuit linguam, sicut pater noster? Quisnam solaris radius ita illustrauit terram, sicut pater noster nostrûm omnium corda radiauit?

Georgius semper imperturbatus, oculos, aures, linguam frænans.

CAP. CX. *Dicta egregia sancti cuiusdam* SENIS *Aegyptij.*

Assvmpsi dominum meum Sophronium, & perreximus in monasterium, quod ab Alexandriâ decem & octo passuum millibus distat, ad senem quemdam magnæ virtutis, Ægyptium genere, dixique seni: Dic nobis verbum, pater, quomodo debemus simul habitare, quia dominus Sophista voluntatem sæculo renunciandi habet. Ait senex: Benè facis, fili, renũtians sæculo, saluansque animam tuam. Sedete igitur in cellâ, vbi vultis, sobriè & vigilanter, quietem ac silentium seruantes, & sine intermissione orantes: & spem habeo in Deum, filij, quòd mittet vobis scientiam suam ad illuminandas animas vestras.

Sæculo renuntians cellam cum silentio seruet.

Dixit iterùm: Si saluari, filij, cupitis, fugite homines. Hodie enim nos non desistimus omnium terere limina, omnemque ciuitatem ac regionem circuire, sicubi possimus auaritiæ vel inanis gloriæ nobis ipsis stipendia acquirere, & animas nostras implere vanitate.

Salus ex fugâ hominum.

Dixit iterùm senex: Fugiamus iam, filij, quoniam appropinquat tempus.

Dixit iterùm: Væ, væ, quantum flebimus, quantumque pœnitebimus pro eo, quòd modò pœnitere nolumus.

Modò pœnitendum.

Dixit iterùm: Neque cùm laudamur, nos ipsos continemus sub humilitate; neque rursus cùm vituperamur, toleramus. Aliud quippe nobis inanem gloriam suggerit, aliud mœstitiam nobis miseris facit: vbi verò tristitia & inanis gloria est, nihil boni reperitur.

In laude & vituperio semper æquabiles simus.

Dixit iterùm: Patres nostri, vt magni atque mirabiles, pascebant multos, ego autem humilis vnam ouem regere non valeo, sed semper ferarum morsibus pateo.

Ait rursus: Dæmonum opus hoc est, vt cùm animam in peccatum deiecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, vt perfectè nos perdant. Semper enim dæmones dicunt animæ: Quando morietur, & peribit nomen eius? Si igitur sobria fuerit anima, & ipsa ad eos econtrà clamabit, & dicet: Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Psal. 117. Quoniam igitur magnam habent impudentiam dæmones, & ipsi rursus clamant, dicentes: Transmigra in montem, Psal. 10. velut passer. idcircò & nos ad illos dicere debemus: Nam & ipse Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo. Psal. 61.

Quid dæmoni desperationem suggerenti respondendum.

Dixit iterùm senex: Esto ianitor cordis tui, ne intret peregrinus, dicens: Noster es, an aduersariorum?

Quisque ianitor cordis sui sit.

CAP. CXI. *Factum cuiusdam* VIRI CALVI, *& sacco induti.*

Ego & sodalis meus Sophronius, cùm in Alexandriâ essemus, die quadam perreximus ad Theodosij ecclesiam, obuiumque habuimus in vico virum quemdam caluum, indutum sacco vsque ad genua. videbatur autem quasi fatuus & amens. Dixit igitur mihi abbas Sophronius: Da mihi nummos, & videbis virtutem venientis.

Dedi ergo illi quinque nummos: qui acceptos dedit illi, qui videbatur vt amens. Accepit autem eos ille, nihil omnino loquens. nos autem clàm illum secuti sumus è vestigio. Ille verò cùm flexisset à viâ, extendit in cælum manum suam dexteram habentem nummos, & post hæc prostrauit se coram Deo, positisque in terrâ nummis abijt.

Nummos quidam acceptos reijcit.

CAP. CXII

Vita & mors LEONIS *monachi, genere Cappadocis.*

TEMPORIBVS imperij Tiberij fidelissimi Cæsaris, ascendimus in Oasim, vidimusque illic magnum in diuinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem, nomine autem Leonem. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem ad illius pertingentes familiare colloquium, magnumque experimentum capientes sancti huius viri, magnificè ædificati sumus, & maximè in humilitate eius, & silentio, & nuditate rerum omnium, & charitate, quam ad omnes habuit. Dicebat ergo semper venerabilis hic senex: Credite mihi, filij, quia regnare habeo. Nos autem dicebamus ei: Crede nobis, abba Leo, quia nullus ex Cappadociâ vnquam regnauit; importunam ergo habes istam cogitationem. Ille verò rursus dicebat: Veraciter, filij, regnare habeo. Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione remouere.

Leo humilis, silens, rerum omnium nudus, charitate flagrans.

Cùm igitur venissent Mazices, & vniuersam prouinciam illam deuastassent ac diripuissent, venerunt & in Oasim, & monachos quidem plures occiderunt, plurimosque captiuos duxerunt. Inter quos acceperunt & abbatem Ioannem (erat autem hic lector magnæ Constantinopolitanæ ecclesiæ) & abbatem Eustathium Romanum, & abbatem Theodorum Cilicem. Erant autem tres isti infirmantes. Cùm ergo vincti fuissent, ait abbas Ioannes barbaris: Ducite me in ciuitatem, & faciam, vt episcopus det pro nobis numismata viginti quatuor. Accepit ergo illum vnus ex barbaris, & duxit prope ciuitatem: ingressusque est abbas Ioannes ad episcopum. Inuentus est autem in vrbe & abbas Leo, & alij quidam patrum, atque ideò tenti non fuerant. Ingressus igitur abbas Ioannes cœpit orare episcopum, vt barbaro numismata daret; episcopus autem non plura quàm octo numismata habere inuentus est. Voluerunt ergo dare barbaro octo numismata, & noluit accipere, dicens: Aut viginti quatuor numismata præbete mihi, aut monachum date. Coacti igitur sunt, qui erant in ciuitate, rursus abbatem Ioannem barbaro dare flentem & eiulantem. Adduxit autem illum in sua tabernacula barbarus. Post tres ergo dies, sumptis octo numismatibus, abbas Leo in eremum exijt, vbi erant barbari, orauitque illos, dicens: Accipite me cum octo numismatibus, & tres istos dimittite, qui infirmi sunt, neque pergere per eremum possunt; nam interficietis eos, & detrimentum patiemini: ego verò sanus sum, & seruiam vobis. Tunc barbari acceperunt abbatem Leonem, & octo numismata, & dimiserunt illos tres. Abijt ergo abbas Leo vsque ad quemdam locum, & cùm præ debilitate pergere vltrà non posset, barbari decollauerunt eum. Impleuitque abbas Leo Scripturam dicentem: Maiorem hac dilectionem nemo habet quàm vt ponat quis animam suam pro amicis suis. Tunc nos quoque cognouimus, quidnam esset quod dixerat, Quia regnare habeo. Veraciter enim regnauit, qui posuit animam suam pro amicis suis.

Mazices Oasim & loca vicina deuastant.

Barbaris se tradit vt alios liberet.

Martyrio afficitur.

Ioan. 15.

CAP. CXIII.

Admonitio abbatis IOANNIS DE PETRA.

AD abbatem Ioannem de Petrâ perrexi, sumpto mecum & sodali Sophronio, rogauimusque illum dicentes: Dic nobis verbum. Senex autem ait: Amate nuditatem rerum omnium, & continentiam. Credite dicenti mihi, cùm adolescens morarer in Scithi, quidam senum splene indoluit, & modicum aceti quæsitum est in quatuor eius loci monasterijs, & inuentum non est. Tanta erat apud eos paupertas, & nuditas, & continentia. Erant autem ibi patres quasi ter mille & quingenti.

Amor paupertatis & cōtinentia.

Ter mille & quingenti monachi in Scithi.

CAP. CXIV

Vita abbatis DANIELIS *Aegyptij.*

NARRAVIT autem nobis sanctus senex de abbate Daniele Ægyptio, dicens: Ascendit senex ipse die quadam in Therenuten, vt opus manuum suarum venderet. Adolescens autem quidam precabatur senem, dicens: Per Deum, senior, veni in domum meam, & fac orationem super vxorem meam, quia sterilis est. Senex autem compulsus à iuuene abijt cum illo in domum suam, fecitque orationem super vxorem eius, & volente Deo mulier in vtero concepit. Viri ergo quidam non timentes Deum cœperunt seni detrahere, & dicere: Verè iuuenis iste infecundus est, sed mulier à sene prægnans facta est. Venit igitur hæc fama ad senis aures, & scripsit senex marito mulieris, dicens: Cùm pepererit vxor tua, nuntia mihi. Cùm ergo peperisset vxor illius, seni significauit iuuenis, dicens: Per Deum & orationes tuas, pater, genuit vxor mea. Tunc abbas Daniel ingres-

Daniel de adulterio iniustè infamatur.

ingressus ait iuueni: Fac prandium, & voca cognatos & amicos tuos. Cùm igitur pranderent, sumens senex puerulum in manibus coram omnibus dixit infantulo: Quis est pater tuus, infans? Ait autem infans; Hic, ostendens digito manus suæ iuuenem. Erat autem infantulus dierum vigintiquinque.

Infantulus dierum 25. patrem enuntiat, & senem ab infamiâ liberat.

CAP. CXV. *Admonitiones abbatis* IOANNIS *Cilicis.*

Varia Ioannis Cilicis monita.

DICEBAT abbas Ioannes Cilix præpositus Raythu fratribus: Filij, sicuti fugimus mundum, fugiamus concupiscentias carnis.

1. Ioan. 2.

Dixit iterum: Imitemur patres nostros, qui cum tantâ austeritate vitæ & silentio sederunt in loco isto.

Dixit iterùm: Ne sordidemus locum istum, filij, quem patres nostri à dæmonibus emundauerunt.

Ait rursus: Locus iste monachorum, non negotiatorum est.

Dixit iterùm: Inueni hîc senes, qui septuaginta annos hoc eodem in loco egerant, herbis solùm & palmarum fructibus viuentes.

Dixit iterùm senex: Septuaginta & sex annos habeo in hoc loco, multa mala & horrenda perpessus à dæmonibus.

CAP. CXVI. *De* FRATRE *cui falsò obijciebatur, subtraxisse numisma.*

NARRAVIT nobis abbas Andreas Messenius, dum essemus in Raythu, dicens: Cùm essem adolescens, recessimus ego & abbas meus de Raythu, & venimus in Palæstinam; mansimus autem apud senem quemdam. Senex ergo qui suscepit nos, habebat vnum numisma, quod vbi posuisset, per errorem oblitus, suspicatus est quòd iunior ego furatus illud essem. Dicebat ergo senex patribus loci ipsius, Quia frater Andreas numisma accepit. Quod cùm audisset abbas meus, vocauit me, & ait mihi: Dic, Andrea, tu numisma senis accepisti? Ad quem ego: Ignosce abba, ego nihil accepi. Habebam autem pallium, quod abiens vendidi numismate, & accipiens numisma profectus sum ad senem, & prostratus illi veniam petij, & dixi: Ignosce mihi, abba, quia satanas decepit me, & accepi numisma tuum. erat autem illic & sæcularis quidam. Ait ad me senex: Vade, fili, nihil perdidi. Iterùm igitur prostratus veniam petebam dicens: Per Dominum, abba, accipe numisma; ecce hoc est: & fac mihi orationem, quoniam satanas immisit mihi, vt furarer illud, & affligerem vos. Dixit iterùm senex: Fili non perdidi quidquam. Cùm verò illi non acquiescerem, tunc ait mihi sæcularis ille: Verè, domine frater,

Andreas à sene furti falsò accusatur.

Andreas furti crimen in se innoxium deriuat.

hesterno die cùm huc venissem, inueni senem plorantem, & prostratum, petentemq; veniam in magnâ afflictione animi, dixique illi: Fac charitatem; quid est quod habes? Et dixit mihi senex: Quia fratrem iniustâ calumniâ exagitaui, dicens quòd numisma furatus esset, & ecce inueni illud. Tunc senex ædificatus est in me, quòd cùm non accepissem numisma, detulerim illud ad eum dicés: Accipe numisma, ego enim illud cepi.

Senex de calumniâ Andreæ illatâ pœnitet.

De fratre dæmoniaco ab abbate ANDREA *sanato.* CAP. CXVII.

FRATER quidam dæmonium habens accessit ad abbatem Simeonem Stylitem in admirabilem montem, rogans, vt pro se oraret, & effugaret ab eo dæmonem. Dixit ei abbas Simeon: Vbi moraris? Qui ait: In Raythu. Ad quem senex, Miror, inquit, frater, cur tanto te labore fatigaueris, tantumque itineris peregeris, vt venires ad me peccatorem hominem, cùm tales ac tantos patres habeas in monasterio tuo. Vade igitur ad abbatem Andream, & roga illum vt oret pro te, & statim curabit te. Venit igitur frater in Raythu; & sicut sibi mandauerat beatus Simeon, prostrauit se illi, rogans & dicens: Ora pro me, pater. Dixit ei abbas Andreas: Accepit gratiam huius curationis abbas Simeon. Cumque fecisset orationem, continuò mundatus est frater, & gratias reddidit Deo.

Andreas dæmoniacum curat.

Vita MENAE *diaconi monachi in Raythu.* CAP. CXVIII.

NARRAVIT nobis abbas Sergius in Raythu de fratre quodam illic diacono, Mena nomine, & ait: Cùm exisset aliquando Menas ad ministerium, reuersus est ad sæculum: quid autem illi contigerit, nescimus, nisi quia reliquit monasticum habitum, & sæcularis effectus est. Post multum verò temporis profectus est Theopolim, & cùm rediret Seleuciam, vidit monasterium sancti abbatis Simeonis Stylitæ de longè, & ait intra se: Ascendam, & videbo magnum Simeonem: numquam enim eum viderat. Euntem verò & iam columnæ appropinquantem vt vidit abbas Simeon, diuinitus agnoscens quòd esset monachus, & quia diaconus ordinatus fuisset, vocauit ministrum suum, dicens: Affer huc forfices. Cumque attulisset, ait illi: Benedictus Dominus: tonde illum; ostendens eum digito. erant enim ibi multi circa columnam. Admiratus autem ille in verbo senis, simulque timore magno comprehensus suscepit tonsuram, nihil omnino loquens: intellexit enim, quia Deus reuelasset seni de se. Cùm minister ergo toton-

Simeon Stylites Menam diaconum profugum è monasterio diuinitus nouit, & eò remittit.

totondisset illum & ait ei magnus Simeon: Fac orationem diaconi. Et cùm orasset, ait illi iterùm: Perge in Raythu, vnde etiam existi. Dicente autem illo, se verecundari, patrumque aspectus ferre non posse; rursus ait illi abbas Simeon: Crede mihi, fili, quia vereri omnino non debes; hilari enim facie & grato animo te suscipient patres, gaudiumque illis fiet & exultatio in conuersione tuâ. Et hoc autem scito, fili, quia Deus signum in te facturus est, vt agnoscas, quoniam ignouit tibi illius immensa & ineffabilis bonitas peccatum istud. Venientem igitur in Raythu supinis manibus exceperũt patres, miseruntque ipsum in sanctum sacrarium. Quadam igitur die Dominicâ cùm ferret sanctum & viuificum sanguinem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, continuò exijt oculus eius vnus: atque ex hoc signo cognouerunt patres, quia ignouisset illi Deus peccatum istud, iuxta verbum magni Simeonis.

Mena diaconi pœnitentia Deo accepta signo ostenditur.

CAP. CXIX *De dæmone, qui in habitu monachi profectus est ad cellam cuiusdã senis in Raythu.*

DICEBAT nobis abbas Eusebius presbyter eiusdem monasterij Raythu, cùm ad illum venissemus, quòd dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis, & cùm pulsasset ianuam, aperuit senex, & dixit illi: Ora. Dæmon autem ait: Et nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Senex autem rursus dixit: Ora. Et dæmon similiter ait: Nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Tunc senex, Ora, & dic: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, etiam nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Hoc autem cùm dixisset senex, dæmon quasi vim passus ab igne, euanuit.

Dæmon ad Gloria patri, euanescit.

CAP. CXX. *De tribus* MONACHIS *mortuis inuentis à piscatoribus Pharonitis.*

NARRAVERVNT nobis Pharonitæ piscatores, dicentes: Die quadam iuimus in Buchrin trans mare rubrum, & cùm plurimos pisces cepissemus, reuersi sumus, & venimus prope Pereleum. Volentesque transfretare in Raythu, prohibiti sumus à ventis contrarijs, ac maris tempestate detenti sumus per dies nonaginta. Venientes autem in quoddam maximum desertum, inuenimus subter vnum saxum tres anachoretas defunctos, indutos colobijs de sibino, melotesque illorum iuxta eos erant positæ. Accepimus itaque illos, & duximus ad nauem, continuoque æstuans mare tranquillum factum est, & venti contrarij in opportunos conuersi sunt. Et transfretauimus secundis ventis, & venimus in Raythu: patres autem sepelierunt eos cum antiquis senibus.

Tranquillatur mare ad aduentum sanctorum corporum.

Vita & mors abbatis GREGORII *Byzantini, & alterius* GREGORII *Pharonitæ eius discipuli.* CAP. CXXI

NARRAVERVNT nobis ipsius loci patres de abbate Gregorio Byzantino, & discipulo eius abbate Gregorio Pharonite, quòd in insulâ quadam maris rubri manserint. Illa verò insula aquam non habebat, sed ex continenti afferebant aquam sibi in vsus suos. Habebant enim ratem, cum quâ exibant, & afferebant aquam. Quadam autem die dimiserunt ratem in mare, ligantes illam ad saxum quoddam. Nocte verò illâ facta est vnda vehemens, ruptoque fune perijt ratis. Manserunt autem patres illi non habentes, vnde sibi aquam deferrent. Post octo itaque menses venerunt monachi de Raythu, & inuenerunt ambos mortuos. Inuenerunt autem & in dorso testudinis ita scriptum: ABBAS GREGORIVS PHARONITES VIGINTI ET OCTO DIEBVS AQVAM NON BIBENS, DEFVNCTVS EST: EGO AVTEM DIES TRIGINTA SEPTEM TRANSEGI, EX QVO NON BIBI. Inuenimus verò ambos integros, sumentesque illos, sepeliuimus in Raythu.

Integra mansere duorum corpora ex siti mortuorum.

De duobus monachis, qui nudi ingressi sunt ecclesiam vt communicarent, nec visi sunt ab aliquo, nisi ab abbate STEPHANO. CAP. CXXII.

VENIMVS ad abbatem Stephanum Cappadocem in Sinâ monte, narrauitque nobis, dicens: Cùm essem ego in Raythu ante hos annos, quintâ feriâ Cœnæ Domini, eram in ecclesiâ. Cumque consummaretur sancta oblatio, patresque omnes assisterent, ecce video duos quosdam anachoretas ecclesiam ingredi, erant autem nudi, nullusque patrum alius animaduertit quòd nudi essent, nisi ego solus. Cùm igitur communicassent Dominico corpori & sanguini, exierunt de ecclesiâ, & abibant; ego autem vnà cum illis exiui. Cùm ergo egressi essemus, prostraui me illis, dicens: Facite charitatem, accipite me vobiscum. Cognouerunt autem, quia viderem illos nudos, & dixerunt mihi: Benè sedes, quiesce. Rursus ego rogabam illos, vt acciperent me secum. Tunc dixerunt mihi: Non potes nobiscum esse, sede, bona enim tibi sedes est. Facientes autem mihi orationem, vidente me super aquas rubri maris

Duo monachi nudi communicant, nemine id præter vnum aduertente.

Duo monachi pedibus super mare rubrum ambulant.

maris pedibus ingressi sunt, & trans mare abierunt.

CAP. CXXIII.

Vita abbatis ZOSIMI *Cilicis.*

PERREXIMVS ad abbatem Zosimum Cilicem in monte Sinâ, vbi morabatur: renuerat enim episcopatum senex, & redierat in cellulam suam. Erat autem vir magnæ abstinentiæ, narrauitque nobis, dicens: Cùm essem iunior, exiui de Sinâ, & abij in Ammoniacem vt illic morarer, inueni que ibi senem vestitum colobio de sibino. Senex autem vt vidit me, priusquam illum salutarem, ait mihi: Quid huc aduenisti, Zosime? vade, non enim potes hîc sedere. Existimans autem, quia cognouisset me, prostraui me ante illum, dicens: Fac charitatem, pater, vnde me nosti? Senex autem dixit mihi: Ante duos dies apparuit mihi quidam, dicens: Ecce veniet ad te monachus quidam, nomine Zosimus; non permittas eum hîc manere: volo enim ecclesiam Babylonis, quæ in Ægypto est, illi credere. Tacuitque senex, & dimisso me, abijt à me quantum est iactus lapidis. Et cùm duas horas in oratione complesset, venit ad me, & osculans faciem meam, ait mihi: Fili charissime, benè venisti; Deus enim te huc adduxit, vt commendes terræ corpus meum. Dixi autem ei: Quot annos in hoc loco habes, abba? Dixit ad me: Quadraginta & quinque annos impleo. Et apparuit mihi facies eius tamquam ignis. & ait mihi: Pax tibi, fili, & ora pro me. Et hæc dicens collocauit seipsum, & requieuit. Ego autem, effossâ humo, sepeliui eum, & post duos dies recessi glorificans Deum.

Zosimus episcopatũ renuit.

Zosimo Babylonis episcopatum deferendum diuinitus indicatur.

Senex mortis suæ præscius.

CAP. CXXIV.

Eiusdem relatio.

NARRAVIT autem nobis & hoc senex, dicens: Ante annos viginti duos ascendi in Porphyritem, volens illic morari; accepi autem & discipulum meum Ioannem mecum. Cùm ergo illuc venissemus, inuenimus duos anachoretas, mansimusque prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata, nomine Paulus; alter verò Melitinus, nomine Theodorus, ex monasterio fuerat abbatis Euthymij. Ferebant autem colobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic fermè duos annos, distabamusque ab inuicem quasi duobus stadijs. Die autem quadam cùm sederet Ioannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multâ igitur angustiâ existens, abij ad anachoretas: qui statim vt viderunt me turbatum & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, abba Zosime? mortuus est frater? Dico illis: Ita sanè, mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terrâ iacentem, dicunt mihi: Noli contristari, abba Zosime; adest diuinum adiutorium. Vocantesque fratrem dixerunt: Frater Ioannes, surge, quia senex te opus habet. Continuoque surrexit frater de terrâ. Quærentes autem bestiam, & inuenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zosime, vade in Sina: Deus enim tibi committere vult ecclesiam Babylonis. Continuò itaque recessimus nos. cumque venissemus in Sina, post paucos dies abbas misit me & duos alios in ministerium in Alexandriam: tenensque nos papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit episcopos; vnum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me verò in Babylonem misit.

Ioannes à serpente letaliter percussus, emoritur.

Ioannes à morte excitatur.

Zosimo episcopatus prædicitur.

CAP. CXXV.

Factum pulchrum abbatis SERGII *anachoretæ.*

NARRAVERVNT nobis quidam patrum in Sinâ de abbate Sergio anachoretâ, quòd cùm moraretur in Sinâ, constituebat illum dispensator super [17] burdones. Cùm ergo die quadam properaret, ecce leo iacebat in viâ: porrò burdonarij, burdonesque, viso leone, timore correpti, recesserunt. Tunc abbas Sergius sumens de perâ vnam eulogiam, profectus est ad leonem, dixitque ei: Accipe eulogiam patrum & recede de viâ, vt transeamus. Sumptaque leo eulogiâ recessit.

Sergius leoni imperat.

CAP. CXXVI.

Egregia responsio abbatis ORENTI *montis Sina.*

DICEBANT nobis eiusdem loci sancti patres de abbate Orento, quòd die quadam Dominicâ ingressus est senex in ecclesiam verso sago suo, ita vt foris villosus esset. Stante igitur eo in choro, venerunt quidam de dispensatoribus loci, & dixerunt seni: Cur ita, pater, ingressus es conuerso sago tuo in ecclesiam ad derisionem nostram coram peregrinis? Respondit ei senex: Vos euertistis Sina, & nemo vobis dixit aliquid, & ego quia conuerti sagum meum, dicitis mihi: Quare conuertis sagum tuum? Ite, corrigite quæ euertistis, & ego corrigam quæ euerti.

Orentus sago inuerso euersionem Sinæ docet.

CAP. CXXVII.

Vita abbatis GEORGII *sancti montis Sina, &* ANVS *cuiusdam ex Galatiâ Phrygiæ.*

NARRAVIT nobis abbatissa Damiana solitaria, mater abbatis Athenogenis episcopi

episcopi Petrensis, dicens: Erat quidam Abbas in sancto monte Sinâ, nomine Georgius, magnæ virtutis & abstinentiæ vir. Huic abbati Georgio magni Sabbati die sedenti in cellulâ suâ venit desiderium faciendi sacrum diem resurrectionis in sanctâ ciuitate, & sumere veneranda mysteria in sanctâ Christi Dei nostri [18] Resurrectione. Per totam ergo diem senior huiusmodi cogitatione sollicitabatur & orabat. Cùm itaque serò factum esset, venit discipulus eius dicens ei: Iube pater, vt eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei: Vade, & tempore sanctæ Communionis veni ad me, & pergam. Mansit itaque senex in cellulâ. Cùm autem aduenisset tempus sanctæ Communionis in sanctâ Resurrectione, inuentus est senex prope archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit illi cum presbyteris sanctam Communionem. Videns igitur eum patriarcha, dixit Menæ [19] Syncello seu assessori suo: Quando venit abbas montis Sina? Respondit ille: Per orationes vestras, domine, non vidi illum nisi nunc solummodò. Tunc ait patriarcha: Dic illi, vt non recedat; volo enim, vt mecum sumat cibum. Ille verò profectus id dixit seni. Qui ait: Voluntas Dei fiat. Cùm ergo senex dimisisset synaxes, adorato sancto monumento, inuentus est in cellulâ suâ. Et ecce discipulus ipsius pulsauit, & dixit: Pater, veni, vt communices. Senex verò profectus in ecclesiam cum discipulo suo, iterùm sumpsit veneranda mysteria. Petrus autem archiepiscopus contristatus, quòd illi inobediens fuisset, post sollemnitatem misit ad episcopum Phari abbatem Photinum, & ad patres Sina, vt abbatem ad se mitterent. Cùm ergo venisset qui attulerat litteras, dedissetque illas, misit & senex tres presbyteros, abbatem scilicet Stephanum Cappadocem, magnum illum virum, cuius & suprà meminimus; & abbatem Zosimum, cuius etiam superiùs mentionem fecimus; & abbatem Dulcitium Romanum, ad patriarcham, purgauitque se ipsum senior scribens, ac dicens: Absit à me, mi domine sanctissime, vt sanctum Angelum vestrum contempserim. Scripsit autem & hoc ad eum: Vt sciat beatitudo vestra, post sex menses Christo Domino ac Deo nostro simul occursuri sumus, & illic adorabo vos. Egressi itaque presbyteri dederunt patriarchæ literas: dixerunt autem & hoc ei, quoniam senex multos annos habebat, ex quo non venerat in Palæstinam. Ostendebant item & litteras episcopi Phari simul contestantes, quòd fermè septuaginta annos haberet senex, ex quo de sancto monte Sinâ non exierat. Sanctus verò ac mitissimus Petrus afferebat testes eos qui tunc adfuerant episcopos & clericos, dicentes: Vere nos senem vidimus, & omnes osculo sancto illum salutauimus. Postquam igitur impleti sunt sex menses, requieuerunt in pace senex & patriarcha, iuxta scilicet ipsius senis prophetiam.

Georgius in cellâ manens, in ecclesiâ inuenitur vt communicet.

Adorat sanctum Domini nostri sepulcrum.

Supr c. 112

Supr. c. 113

Georgius mortem suam & patriarchæ Ierosolymitani prædicit.

Narrauit nobis eadem abbatissa Damiana & hoc dicens: Die sancto Parasceues, antequam includerer, abij ad sanctum Cosmam & Damianum, & illic totam noctem peregi. Venit itaque serò anus quædam ex Galatiâ Phrygiæ, & dabat omnibus, qui in templo erant, duo minuta: die igitur quadam neptis mea, & fidelissimi Imperatoris Mauritij, veniens in sanctam ciuitatem orationis gratiâ, egit ibi annum integrum. Assumpsi ergo eam, & adduxi ad sanctos Cosmam & Damianum. Cùm igitur in oratorio essemus, aio cognatæ meæ: Vide, filia, quia venit anus quædam dans duo minuta (ea enim mihi sæpiùs dederat) sume illa, ne superbias. Illa autem indignans dicebat: Mandatum habeo accipere? Tunc dixi ei: Etiam, accipe: mulier enim sancta est & magnæ virtutis: totâ enim hebdomadâ ieiunat, & quidquid in hebdomadâ laborans lucratur, erogat his qui in templo inueniuntur. Est autem vidua quasi annorum octoginta. Sume igitur duo minuta, & da illa tu quoque alteri: tantùm ne respuas anus istius sacrificium. Ista nobis loquentibus, ecce anus veniens duo minuta erogabat; veniensque dedit mihi cum omni silentio: dedit autem & nepti meæ, dicens: Accipe ista, & comede. Cùm ergo abijsset, agnouimus quòd Deus illi reuelasset, quòd dixeram ei, vt acciperet & alteri pauperi daret. Misit igitur vnum ex pueris suis, & de duobus minutis emit lupinos, & comedit. Asseuerabat autem coram Deo dicens, eos tamquam mel dulces fuisse, ita vt miraretur, & glorificaret Deum, qui dat gratiam seruis suis.

Peruigilium in templo SS. Cosmæ & Damiani.

Anus quidquid manu lucratur, in templo erogat.

Anus sanctæ eleemosyna lupinos inde emptos dulcescere facit.

Vita ADELPHII *episcopi Arabessi, &* *de beato* IOANNE CHRYSOSTOMO.

CAP. CXXVIII.

PERREXIMVS ad abbatem Athanasium in monasterium sancti patris nostri Sabæ, narrauitque nobis, dicens: Audiui referente abbate Athenogene episcopo Petræ, filio abbatissæ Damianæ, tale aliquid:

Fratrem habuit auia mea Ioanna, nomine Adelphium, episcopum Arabessi, sororem quoque abbatissam monasterij mulierum. Quadam verò die abijt episcopus ad monasterium visitandæ sororis gratiâ. Et cùm intraret atrium monasterij, vidit

dit vnam de sororibus à dæmone correptam, & in pauimento proiectam. Conuocans igitur episcopus sororem suam, ait illi: Placetne tibi, vt soror ista perturbetur à dæmone, & dehonestetur? An ignoras, quia iudicium portas omnium sororum, vt abbatissa? Quæ dixit ei: Et ego quid possum facere aduersus dæmonem? Episcopus autem rursum dixit ei: Et quid hîc tot annis facis? Factaque oratione, episcopus mundauit à dæmone sororem illam.

Adelphius dæmoniacā à dæmone liberat.

Rursus idem abbas Athanasius narrauit nobis de eodem episcopo Adelphio, dicens, sese venerabilem Ioannam sororem ipsius ita referentem audisse: Cùm sanctissimus episcopus Constantinopolitanus Ioannes Chrysostomus in Cucusum in exilium missus est, in domo nostrâ mansit. Ex hoc igitur ingentem confidentiam & charitatem habuimus ad Deum. Dicebat ergo frater meus Adelphius: Cùm in exilio mortuus esset beatissimus Ioannes, dolorem pertuli incredibilem, quòd talis ac tantus vir, orbisque magister, lætificans Ecclesiam Dei, à throno suo exul defunctus est. Deprecabar ergo, inquit, Deum cum multis lacrymis, vt ostendere mihi dignaretur, in quo statu esset, & an cum patriarchis adnumeratus esset. Cùm ergo diutiùs orassem, in extasi effectus sum, aspexique virum nimis speciosum, qui tenens manum dexteram meam, adduxit me in locum quemdam illustrem & gloriosissimum, ostendebatque mihi ecclesiæ doctores. Ego verò circumspiciebam, videre quærens quem cupiebam, magnum Ioannem dilectissimum meum. Cùm ergo ostendisset mihi omnes, & vniuscuiusque proprium nomen expressisset, rursus tenens me per manum, eduxit me foràs. Ego autem sequebar illum tristis, quòd non vidissem cum patribus & Ecclesiæ magistris beatum Ioannem. Cùm itaque egrederer, is qui præerat ianuæ, apprehendens me dixit mihi: Quid habes? cur tristis es? nemo vmquam huc ingressus, tristis exiuit. Tunc dixi illi: Hæc mihi caussa mœroris est, quòd amantissimum mei [26] Ioannem episcopum Constantinopolitanum vnà cum ceteris doctoribus non vidi. Rursum dixit mihi: Ioannem dicis pœnitentiæ ducem? Aio ego: Illum sanè. Respondens autem dixit mihi: Ipsum homo in carne viuens videre non potest, illic enim assistit, vbi thronus est Domini.

A sancto viro hospite domui benedictio.

Visio Adelphij de Ioānis Chrysostomi in cælis gloriâ.

Ioannes Chrysostomus throno Domini assistit.

C. XXIX.

Vita cuiusdam STYLITAE.

ABBAS idem Athanasius narrauit nobis, audisse se narrantem abbatem Athenogenem episcopum Petræ, quòd in prouinciâ suâ fuerit Stylites quidam, ad quem omnes qui veniebant, inferiùs stantes loquebantur, eò quod non haberet scalam. Si quando igitur dixisset illi frater: Volo tibi dicere cogitationem; dicebat & ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnæ; ibatque ipse ad aliam columnæ partem: & ita loquebantur mutuo, Stylitâ quidem superiùs stante, fratre autem inferiùs. Ceterorum verò qui assistebant, nullus ea quæ dicebantur audire poterat.

Stylita aduenientibus responsa dans.

Dicebat & hoc abbas Athenogenes de eodem Stylitâ, quòd duo sæculares se mutuò valdè diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, & numquam vnus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum; cumque plures horas pulsaret ianuam, noluit illi senex aperire, ita vt ille tædio deuictus reuerteretur. Reuertenti autem occurrit amicus eius, pergens & ipse ad Stylitem, rursumque reduxit eum secum, vt ambo simul ingrederentur ad senem. Cùm ergo pulsarent ianuam, mandauit senex, vt qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressusque posterior cœpit rogare senem, vt & alius introiret. Senex autem dixit ei, se non posse illum suscipere. Perseueranti verò, & per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum auersatur, fili, & ego illum suscipere non possum. Cumque ad propria redijssent, post duos dies ille defunctus est.

Stylita demerita cuiusdam diuinitus nouit.

Admonitiones abbatis ATHANASII, *& mirabilis eius visio.*

C. CXXX.

DICEBAT idem abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, & paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsque ad mortem seruauerunt; nos autem ventres nostros & crumenas dilatauimus.

Continētia & paupertas sectanda.

Dixit iterùm senex: Sub patribus nostris in studio erat, distractiones animi vitare; nostris verò temporibus olla obtinuit, & opus manuum.

Narrauit nobis & istud abbas Athanasius de se, Venit, inquiens, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus & non certantibus? Et cùm factus essem in extasi, venit ad me quidam dicens mihi: Sequere me; adduxitque me in quemdam locum plenum luminis & gloriæ, statuitque me iuxta vnam ianuam, cuius species enarrari non potest: audiebamus autem interiùs quasi multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cumque pulsaremus, audiuit quispiam intus, & dixit:

Athanasij visio.

Nihili vanitas sæculi æstimanda.

dixit: Quid vultis? Ait ductor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Non huc ingredietur quispiam in negligentiâ degens: sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.

C.CXXXI. *Vita abbatis* ZACHAEI *sanctæ Sion.*

NARRAVIT nobis Procopius scholasticus Porphyreonites de abbate Zachæo, dicens: Duo filij mei in Cæsareâ degebant; facta est autem in Cæsareâ magna mortalitas, egoque affligebar propter filios meos, ne morerentur, & ignorabam quid agerem. Dicebam autem in me ipso: Si mittam & accipiam eos inde, iram Dei fugere possibile non est; sed si dimittam eos illic, morientur, & non videbo illos. Nesciens itaque quid agere deberem, dixi: Vadam ad abbatem Zachæum, & quod dixerit mihi, hoc faciam. Perrexi igitur in sanctam Sion (illic enim semper morabatur) & non inueni eum. Veni autem in atrium sanctæ Mariæ Dei genitricis, & inueni illum stantem in angulo atrij, dixique illi de filijs meis. Cùm ergo me audisset, ad Orientem conuersus est, & intendit in cælum quasi per horas duas, nihil omnino loquens. Tunc verò conuersus ad me, dixit mihi: Confide, ac noli affligi; filij tui non morientur in hac peste, sed & post duos dies cessabit de Cæsareâ mortalitas. Quod & factum est iuxta verbum senis. Et ista quidem Procopius scholasticus, vt dixi, enarrauit nobis.

Magna Cæsarea mortalitas.

Zachæus futura prævidet.

C.CXXXII. *De eodem.*

ABBAS autem Cyprianus, cognomento Cuculas, cuius monasterium est extra portam Cæsareæ, narrauit nobis, cùm ad illum venissemus, dicens: Cùm vastaret vrbem istam sæua illa & horrenda mortalitas, inclusi meipsum in cellâ meâ, deprecans clementiam Domini, vt nostri misereretur, & auerteret imminentem iram; venitque mihi vox dicens: Abbas Zachæus accepit hanc gratiam.

Zachæus mortalitatem auertit.

C.CXXXIII. *De sancto* MONACHO, *qui Saracenum venatorem per duos dies immobilem reddidit.*

NARRAVIT Saracenus gentilis, ex his qui in Clismate morabantur, hæc nobis dicens: Cùm abijssem ad montem abbatis Antonij, vt venarer, pergens aspicio monachum in monte sedentem, tenentemque librum, & legentem. Ascendi igitur ad eum volens illum cædere, fortassis autem etiam necare. Cumque venissem prope illum, extendit contra me manum suam dexteram, dicens: Sta; egique illic duos dies, & duas noctes nullo modo moueri prævalens ex eo loco, vbi eram. Tunc dixi illi: Per Deum, quem colis, dimitte me. Ille autem dixit mihi: Vade in pace. Et ita recedere potui de loco, in quo eram.

Saracenus monachum volens cædere, immobilis hæret.

Vita THEODORI *anachoretæ.* C.CXXXIV.

ANACHORETA quidam erat in partibus sancti Iordanis, nomine Theodorus. Hic venit ad cellam meam dicens: Fac charitatem, abba Ioannes, & quære mihi librum, qui contineat totum Testamentum nouum. Quærens igitur inueni, quia abbas Petrus, qui posteà fuit Chalcedonensis episcopus, talem haberet. Abij itaque, & dixi ei; & ostendit illum mihi 31 in membranis valdè pulchrum. Et dixi ei: Quantum valet? Qui respondit: Tria numismata. Dixit iterùm mihi: Tu illum emere vis, an alius? Et aio illi: Crede mihi, pater, anachoreta ipsum vult. Tunc ait mihi abbas Petrus: Si anachoreta ipsum vult, gratis illum accipe. Sume autem & tria ista numismata, & si quidem placet illi liber, teneat illum; sin autem illi non placet, ecce habes tria numismata, eme illi iuxta votum suum. Sumens ergo librum, detuli anachoretæ: qui sumpto libro abijt in eremum. Cùm autem duos ferè menses egisset, rediens anachoreta venit in cellam meam, dicens: Scito, abba Ioannes, quia cogitatio mea me affligit, eò quòd gratis habeo librum. Aio autem ad illum: Noli pro hoc affligi; abbas Petrus diues est & bonus, gaudetque in hoc. Ait mihi rursus anachoreta: Verè non requiesco, nisi pretium do. Dico illi: Et habes pretium, vt des? Dicit mihi: Non, sed da mihi saccum, vt me induam, erat enim nudus. Dedi ergo illi saccum & palliolum, & abijt, operariusque factus est in eo lacu, quem fecit patriarcha Ierosolymorum Ioannes in * Sigma, accipiebatque quotidianum stipendium nouem minuta. Veniebat ergo prope me in monasterium Æliotarum, comedebatque decem solùm lupinos, & die totâ laborabat. Cùm itaque fecisset de mercede suâ minuta numismatum trium, ait mihi: Accipe pretium, & librum, & vade ad dominum suum: & si quidem vult minuta, da illi; sin autem non vult, redde illi librum. Ego igitur veniens nuntiaui hæc abbati Petro: qui neque pretium, neque librum accipere volebat. persuasi tamen ei, vt pecuniam acciperet, neque repudiaret anachoretæ laborem: quam tandem accepit. Et pergens ego dedi librum anachoretæ; qui gaudens remeauit in eremum.

Petrus librũ gratis anachoretæ cedit.

Anachoreta operatur in lacu, vt pretium libri exsoluat.

** Gr. Sina.*

De

C. CXXXV. *De quinque* VIRGINIBVS, *quæ exire voluerunt è monasterio, & à dæmonio correptæ sunt.*

ACCESSIMVS ad Eunuchorum monasterium iuxta sanctum Iordanem ego & frater meus Sophronius. Narrauitque nobis abbas Nicolaus ipsius monasterij presbyter, dicens: In regione meâ (erat autem ex Lyciâ) monasterium virginum est fermè quadraginta. In hoc ergo monasterio quinque virgines sibi inuicem condixerunt, vt noctu de monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte verò quadam cùm dormirent sanctimoniales omnes, illis consultantibus vt vestimenta sua acciperent & fugerent, continuò quinque omnes à dæmonio correptæ sunt. Quo facto, non ampliùs exierunt è monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo, dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ nostræ non perirent.

Fugitiuæ virgines è monasterio à dæmone correptæ.

C. CXXXVI. *De charitate abbatis* SISINII *erga mulierem Saracenam.*

NARRAVIT autem nobis & abbas Ioannes eiusdem monasterij presbyter, dicens: Audiui ab abbate Sisinio anachoretâ referente, ac dicente: Die quadam eram in speluncâ meâ prope sanctum Iordanem, & cùm psallerem Tertiam, ecce Saracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam: ego verò turbatus non sum, sed impletâ psalmodiâ meâ cum omni quiete & timore Dei, dixi ad illam Syriacè: Sede, vt loquar tibi, & tunc faciam, quod vis. Quæ vt resedit, dixi illi: Christiana es, an gentilis? Quæ ait: Christiana. Dixi ad illam iterùm: Et nescis, quia qui fornicantur, in supplicium eunt? Quæ ait: Scio planè. Tunc dixi illi: Cur ergo fornicari vis? Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, & vt Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illâ ergo die veniebat ad me diebus singulis, & si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quousque recessi de illis locis.

Sisinius Saracenam à fornicationis animo ob inediam retrahit, quotidiano illi cibi administrato.

C. CXXXVII. *Relatio abbatis Ioannis de abbate* CALLINICO.

DIXIT iterùm idem abbas Ioannes: Cùm essem iunior, cupiebam pergere ad magnos & nominatissimos patres, vt ab eis benedicerer & ædificarer. Audiens igitur de abbate Callinico magno illo, qui in monasterio abbatis Sabæ inclusus erat, oraui quemdam ex familiaribus illius, vt me ad illum duceret. abij itaque ad illum. Assidens verò is qui me adduxerat frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo: ego verò in meipso cogitabam, quia numquam viderat me senior, ne fortè non gratè susciperet me. Cùm verò frater ille recederet, permisit me ingredi, & salutare senem, & benedici ab eo, dicens ad eum: Ora & pro isto seruo tuo, pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit: Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Iordanem, & occurrit mihi in viâ dicens: Ora pro me. Et ego interrogaui eum: Quod est nomen tuum? Aitque mihi: Ioannes. extunc igitur agnosco eum. Hoc audiens ego cognoui, quia quando cogitaui accedere ad illum, reuelauit illi Deus & nomen meum, & quis essem.

Callinicus Ioannem absens nouit.

C. CXXXVIII. *De abbate* SERGIO *anachoretâ, & de monacho gentili, qui baptizatus est.*

NARRAVIT autem nobis & hoc idem senex, dicens: Cùm esset abbas Sergius anachoreta in Roban, postquam recesserat de Sinâ, misit huc in monasterium monachum quemdam iuuenem, vt baptizaretur. Interrogantibus autem nobis caussam, cur nunc baptizaretur, ait nobis minister ipsius abbatis Sergij: Abbas Sergius quando ad nos venit, volens in eremo manere nobiscū, hunc mihi instituendum tradidit: ego autem illum plurimùm admonui, ne se huic instituto inconsideratè ac sine probatione addiceret. Cùm autem illum eiusque constantiam peruidissem, sumens eum abij ad senem. Senex autem mox vt vidit illum, antequam quidquam illi loquerer, ait mihi seorsum: Quid vult frater iste? Dixi autem ei: Orat manere nobiscum. Tunc dixit mihi: Crede, frater, iste baptizatus non est, sed adduc illum in monasterium Eunuchorum, & fac illum baptizari in sancto Iordane. Ego autem ad verba senis stupens, interrogaui fratrem, quis esset, & vnde esset. Ille autem ex Occidente se esse ait, parentésque habere gentiles, ac nescire vtrùm baptizatus esset, an non. Tunc itaque catechizantes eum, fecimus in Iordane baptizari, permansitque in monasterio, Deo gratias agens.

Sergius non baptizatum esse aliquē diuinitus nouit.

C. CXXXIX. *Prædictio abbatis Sergij de* GREGORIO *præposito monasterij Pharan.*

DE hoc abbate Sergio anachoretâ narrauit nobis abbas Sergius Armenius eius discipulus, quòd plurimùm sibi molestus fuerit abbas Gregorius, qui erat præpositus

monasterij Pharan, vt illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris mortui. Cùm igitur vidisset eū senex, libentissimè salutauit, allatáque aquâ lauit pedes eius, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die aliâ dimisit eum. Postquam verò abscessit abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, pater, quia scandalizatus sum, quòd cùm plurimos episcopos, presbyteros, & alios duxerim ad te, nullius vmquam illorum pedes lauasti nisi tantùm abbatis Gregorij? Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit abbas Gregorius, nescio; hoc tantùm scio, quia patriarcham excepi in speluncam meam. nam & pallium sanctum illū ferentem vidi, & Euangelium. Quod ita factum est: post sex enim annos ipsum abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

Sergius Gregorium patriarchā futurum prauidet.

Cap. cxl. *Vita eiusdem* Gregorii *patriarchæ Theopolitani.*

Dicebant quidam senum de hoc patriarchâ Theopolitano Gregorio, quòd his maximè virtutibus fuisset insignis, eleëmosynis scilicet, iniuriarum obliuione, & lacrymis. Habebat autem & compassionem maximam ad eos qui peccabant. Quarum omnium rerum nos sæpè experimenta cepimus.

Gregorij virtutes.

Cap. cxli *Prudens responsio abbatis* Olympii.

Frater quidam venit ad abbatem Olympium in monasterium abbatis Gerasimi prope Iordanem; & dixit ei: Abba, quomodo sedes in speluncâ istâ propter æstus magnitudinem, & cyniphes? Respondit ei senex: Fili, ista idcircò tolero, vt futuris cruciatibus liberer; ideò cyniphes patior, vt immortalem effugiam vermem; similiter & æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens: hæc enim sunt temporalia, illa verò finem nullum habent.

Olympius dura temporalia patienter tolerat intuitu æternorum.

C. cxlii. *Alia prudens responsio abbatis* Alexandri.

Frater alius perrexit ad abbatem Alexandrum, ipsius monasterij abbatis Gerasimi antistitem, & ait illi: Abba, volo ex eo loco, vbi habito, discedere; valdè enim acediâ & tædio animi laboro. Respondit ei abbas Alexander: Istud, fili, signum est, quia nec regnum cælorum, nec æternum cruciatum in mente habes. nam si ista sollicitâ intentione cogitares, nullam in cellâ tuâ acediam sentires.

Acedia pellenda memoria regni cælestis & æterni cruciatus.

C. cxliii *Vita* David *latronum principis, posteà monachi effecti.*

Cvm venissemus in Thebaidem, conuenimus sophistam Phibamonem in vrbe Antinoo. Narrauitque nobis vtilitatis nostræ gratiâ de latrone quodam, nomine Dauid, qui apud Hermopolim plurimos exspoliabat, plures etiam interficiebat, & innumera perpetrabat mala, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset, erátque famosissimus inter omnes. Die verò quadam cùm exerceret latrocinia cum socijs plus quàm triginta, rediens in semetipsum, compunctúsque in his quæ perpetrauerat sceleribus, relictis socijs abijt ad monasterium. Cumque pulsaret monasterij ianuam, exijt ostiarius, & dixit ei: Quid vis? Princeps autem latronum ait: Monachus fieri volo. Ingressus verò ostiarius nuntiauit abbati de illo. Egressus ad illum abbas, & videns quia iam senex esset, dixit ei: Non potes hic manere; multum enim laborem tolerant fratres, abstinentiáque magna est, & tu cùm aliter assuetus sis, districtionem monasterij ferre non præuales. Ille autem orabat, dicens: Vtique faciam omnia, tantummodò suscipe me. Porrò abbas in sententiâ suâ persistebat, dicens: Non potes ferre. Tunc ait illi latronum princeps: Vt scias, ego sum Dauid princeps latronum, & idcircò veni huc, vt defleam peccata mea. Si autem me suscipere nolueris, sub iureiurando tibi protestor per eum qui in cælo habitat, quia rursus ad priorem statum remeabo, & assumptis mecum socijs meis, vos omnes interficiam, totumque monasterium euertam. His auditis, abbas suscepit eum intra monasterium, tondensque illum tradidit ei religiosum habitum. Cœpit igitur in spiritali militiâ veteranus tiro pugnare, & abstinentiæ ac obedientiæ, humilitatisque studijs cunctos qui erant in monasterio transcendere (erant autem ferè septuaginta monachi) cunctos ædificans, omnibusque existens forma virtutis, & sanctitatis exemplum. Die verò quadam sedente illo in suâ cellulâ, missus est ad eum angelus Dei, dicens: Dauid, Dauid, remisit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc signa faciens. Qui respondens dixit: Credere non possum, quòd omnia peccata mea illa plura quàm arena maris atque grauiora, tam breui tempore mihi remiserit Deus. Cui Angelus ait: Si sacerdoti [11] Zachariæ non credenti mihi, cùm illi filium pollicerer, non peperci, sed eius vinxi linguam, docens illum non debere esse incre-

Dauid latro ad monasticam aspirat.

Religioso habitu induitur, & omnis virtutis exemplum efficitur.

Ab Angelo peccata sibi remissa audit.

incredulum his quæ à me dicebantur, nec tibi quidem parciturus sum: idcircò eris amodò non loquens. Dauid autem prostratus humi ait: Cùm essem in sæculo, nefaria scelera faciens, & humanum sanguinem fundens, loquebar: modò quando seruire Deo volo, laudésque illi offerre, túne linguam meam, ne loquar, ligas? Respondit illi Angelus: Cùm implebis psalmodiæ canonem, loquêris, præter canonem verò penitùs tacebis. Quod & factum est, plurimáque per illum Deus miracula ostendit. Psallebat igitur psalmos, nullum verò verbum aliud omnino loqui poterat. Qui verò nobis ista narrauit, se illum vidisse asserebat, & Deum glorificasse.

Extra psalmorum canonem Dauid mutus.

C. CXLIV. *Admonitiones vnius ex* SENIBVS, *qui erant in Cellis.*

DICEBAT quidam è senibus fratribus, qui erant in Cellis: Non appetamus Ægyptijs seruire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt.

Qui voluptati seruit, Pharaoni obnoxius est.

Dixit iterùm: Vtinam quantum studij circa mala habent homines, tantum haberent circa bona; & ingens ad spectacula studium, & ad vanas turpésque sollemnitates, nec non auaritiam, & inanem gloriam, atque iniustitiam, transferrent ad affectum pietatis. numquam profectò ignorassemus, quantum à Deo honorati sumus, & contra dæmones possumus.

Vtinam tantum pietati quantum vanitati impendatur.

Dixit iterùm senex: Deo maius nihil est, sed neque par, neque quod non maximè inferius sit. Quid ergo illis fortius ac beatius, qui Deum habent adiutorem?

Deus fortis adiutor.

Dixit iterùm: Vbique quidem Deus est, pijs autem & in spirituali exercitio sudantibus propinquat; non his qui professione solâ honestantur, sed his qui illustrantur operibus. Vbi verò Deus est, quis insidiari valet, aut nocere poterit?

Deus adest operantibus.

Dixit iterùm: Hominum virtus non in naturâ consistit, hæc enim variabilis est, sed in proposito pietatis, & in Dei adiutorio. Curemus itaque animam nostram, filij, quemadmodum & corpus facimus.

Non ex naturâ, sed proposito & Dei adiutorio virtus.

Rursus ait senex: Colligamus animæ curationes, hoc est pietatem, iustitiam, humilitatem, subiectionem. Maximus enim animarum medicus Christus Deus noster propè est, vultque curare nos. Non ergo negligamus, neque aspernemur.

Animi curatio adhibenda.

Ait rursum: Docet nos Dominus sobrios ac frugales esse, nos autem miseri per delicias defluimus in voluptates.

Sobrietas sectanda.

Dixit iterùm senex: Commendemus nos ipsos Deo, quemadmodum ait Paulus, quasi ex mortuis viuentes, neque præteritis intendentes, obliuiscamur anteriora, sed secundùm destinationem persequamur ad brauium supernæ vocationis.

Rom. 6. Ad vlteriora tendendum. *Philip. 3.*

Interrogatus hic senex à fratre quodam, quid caussæ esset cur assiduè iudicaret fratres, respondit: Quia necdum te ipsum cognouisti. nam qui se ipsum nouit, fratrum vitia non aspicit.

Sui cognitor aliös non iudicat

C. CXLV. *Vita beati* GENNADII *patriarchæ Constantinopolitani, & de eius lectore Charisio.*

ACCESSIMVS in cœnobium, quod dicitur Salama, nono ab Alexandriâ milliario distans, inuenimúsque illic duos presbyteros senes, qui dixerunt nobis, Constantinopolitanæ ecclesiæ se esse presbyteros; narrabántque nobis de beato Gennadio Constantinopolitano patriarchâ, quòd fuerit mitissimus, & mundus corpore, multumque continens.

Gennadius mitis, mundus, continens.

Dicebant & hoc nobis de ipso, quòd cùm molestaretur à plurimis de quodam clerico nimis delinquente, Charisio nomine, accersiuit eum patriarcha, ipsumque emendare conatus est. Cùm verò nihil increpando proficeret, permisit illum paternâ & ecclesiasticâ censurâ flagellari. Postquam verò didicit in nullo meliorem fieri, neque per verba, neque per flagella (vacabat enim homicidijs & magicis præstigijs) misso quodam apocrisiario suo iussit, vt diceret sancto martyri Eleutherio (erat enim lector in ipsius oratorio Charisius) Miles tuus, sancte Dei Eleutheri, multùm peccator est: aut emenda illum, aut excide. Venit igitur apocrisiarius in oratorium, stansque ante altare, ac intendens ad sepulcrum martyris, extendénsque manum suam ait martyri: Patriarcha Gennadius significat vobis, sancte Christi martyr Eleutheri, per me peccatorem, quia miles tuus multùm peccat. Aut emenda illum, aut præcide eum. In crastinum verò mortuus inuentus est scelerum opifex Charisius, & omnes obstupefacti glorificauerunt Deum.

Charisius lector nullis parens monitis, diuinitus punitur.

C. CXLVI. *Visio* EVLOGII *patriarchæ Alexandrini.*

CVM essemus in eodem cœnobio, narrauit nobis abbas Menas, cœnobij ipsius pater, de sancto papâ Alexandrino Eulogio, dicens: Nocte quadam cùm sibi matutinam laudem celebraret in episcopatus oratorio, vidit prope se assistere Iulianum archidiaconum. Quem vt vidit turbatus est, cur fuisset ausus ingredi, nihil illi nuntians, tacuit tamen. Et cùm implesset psalmum, prostrauit se humi. Fecit hoc

 ipsum

ipsum & is qui in specie Iuliani archidiaconi apparuerat. Deinde cùm oratione factâ surrexisset patriarcha, ille nihilominus in pauimento iacebat. Conuersus autem pontifex dicit illi: Quamdiu non surgis? ait: Nisi mihi ipse manum porrigas, & erigas me, surgere non possum. Tunc extendit manum suam Eulogius, ac tenens erexit illum, cœpitque iterùm psallere. Post paululum autem conuersus, neminem vidit. Cùm igitur implesset matutinas laudes, vocauit cubicularium suum, dixitque illi: Cur non annuntiasti mihi archidiaconi ingressum; sed ita non nuntiatus intrauit ad me hac nocte? at ille neque vidisse se aliquem neque ingressum esse asseuerauit. Non credidit patriarcha, sed ait: Voca mihi huc ostiarium. cui venienti ait: Nónne ingressus est huc Iulianus archidiaconus? Ille verò cum iuramento affirmabat illum neque ingressum neque egressum esse. Tacuit quidem tunc patriarcha: manè autem facto, ascendit archidiaconus Iulianus, vt adoraret, dixitque illi pontifex: Quare non seruasti ordinem, archidiacone Iuliane, sed absque nuntio ascendisti ad me nocte istâ? qui ait: Per orationes domini mei, neque huc ascendi, neque de domo descendi, nisi horâ istâ tantùm. Intellexit tunc magnus Eulogius, Iulianum se vidisse martyrem, hortantem se ad erectionem templi sui, quod ex tempore fermè resolutum & antiquatum, ruinam sui minabatur: magnáque cum alacritate amantissimus martyris porrexit manus, eiúsque erexit templum, à fundamentis ipsum instaurans & omnigeno ornatu illustrans, vt sacro martyri conueniebat.

Iulianus martyr insigni apologo templi sui erectionem Eulogio commendat.

Eulogius Iuliani templum instaurat

C.CXLVII. *Mirabilis emendatio epistolæ beati* LEONIS *Romani Pontificis ad Flauianum scriptæ.*

NARRAVIT nobis & hoc abbas Menas eiusdem cœnobij pater, audisse se eumdem abbatem Eulogium Alexandrinum patriarcham dicentem: Cùm profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio domni Gregorij Romani archidiaconi, summi & singularis viri; narrauitque mihi de sanctissimo ac beatissimo „ Leone Romano Pontifice, dicens haberi scriptum in ecclesiâ Romanâ, quòd cùm scripsisset epistolam ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum episcopum contra impios Eutychen ac Nestorium, posuerit eam super tumulum principis apostolorum Petri, & orationibus ac vigilijs & ieiunijs vacans, orauerit ipsum summum apostolum, dicens: Si quid vt homo vel minus caute posui, vel etiam omisi, tu, cui à Domino Deo Saluatore nostro Iesu Christo & sedes hæc & ecclesia commissa est, emenda. Post quadraginta verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixit ei: Legi, & emendaui. Suméns que epistolam de sepulcro beati Petri, aperuit eam, & inuenit apostolicâ manu emendatam.

Leonis epistola super tumulum sancti Petri posita, apostolicâ manu emendatur.

C.CXLVIII *Visio Theodori episcopi Darnæ de eodem beatissimo* LEONE.

THEODORVS sanctissimus episcopus Darnæ ciuitatis, quæ in Libyâ est, narrauit nobis, dicens: Cùm essem cubicularius sancti papæ Eulogij, vidi in somnis virum reuerendi habitus, staturâ procerum, dicentem mihi: Nuntia meum papæ Eulogio aduentum. Ad quem ego: Quis es, domine, qui iubes vt nuntiem? Respondens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus pontifex. Ingressus igitur ego nuntiaui, dicens: Sanctissimus & beatissimus Papa Leo Romanæ sedis antistes conuenire vos vult. Cùm hoc audisset papa Eulogius, exsurgens concitus cucurrit in occursum eius. Salutantésque se inuicem, oratione factâ, resederunt. Tunc verò diuinus & eximius Leo dixit sancto Eulogio: Scis quare huc venerim ad vos? Respondit ille: Non. ait ipsi: Veni vt vobis gratias agerem, quia ritè & magnificè pro epistolâ meâ respondistis, quam scripseram ad fratrem meum Flauianum Constantinopolitanum patriarcham, sensum quidem & sententiam meam aperientes, hæreticorum autem ora obstruentes. Scito autem, frater, quia non mihi tantùm vestrum diuinum laborem studiumque contulistis, sed etiam supremo culmini apostolorum Petro, & ipsi præ omnibus quæ à nobis prædicatur veritati, quæ est Christus Deus noster. Ista non semel tantùm, sed bis terque conspiciens, trinâ apparitione firmatus, enarraui sancto papæ Eulogio. Qui cùm audisset, lacrymatus est, extendénsque in cælum manus suas, Deo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cùm indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, & per orationes seruorum tuorum Petri ac Leonis, paruam & modicam alacritatem nostram, tamquam duo viduæ minuta, summâ & ineffabili benignitate tuâ suscipere dignatus es.

Sanctus Leo Eulogio per visum se exhibet, laudans zelum eius contra hæreticos.

C.CXLIX. *Stupenda relatio Amos patriarchæ Ierosolymitani de sanctissimo* LEONE *pontifice Romano.*

CVM descendisset abbas Ammos Ierosolymam, & patriarcha ordinatus esset, vene-

venerunt omnes monasteriorum eremi abbates, vt adorarent eum, inter quos adfui & ego cum abbate meo. Cœpitque patriarcha dicere patribus: Orate pro me, patres: magnum enim onus & intolerabile mihi iniunctum est, sacerdotijque dignitas me terret immodicè. Petri enim & Pauli & similium est regere rationales animas: ego autem infelix peccator sum. Plus autem quàm cetera timeo ordinationum sarcinam: nam inueni scriptum, quia beatissimus & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseuerauit ad sepulcrum apostoli Petri, vigilijs & orationibus insistens, petensque ab Apostolo vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta, apparuit ei apostolus Petrus, dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum: hoc enim solum abs te requiretur, siue benè, siue fortassis aliter id egeris.

Leo ad sepulcrum sancti Petri orans audit peccata sibi dimissa praterquã impositionis manuum.

CAP. CL. *Vita & sanctitas* EPISCOPI *ciuitatis Rumelli.*

NARRAVIT nobis abbas Theodorus Romanus, dicens: Est procul à Romanâ vrbe breue oppidum, quod Rumellum dicitur: in eo oppidulo episcopus erat magnę virtutis & meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum antistitem Agapetum, accusantes episcopum suum, ac dicentes: Quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex clericis, vt vinctum episcopum, & pedibus iter agentem Romam perducerent: venientem verò continuò misit in carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egisset episcopus, venit Dominicus dies. Et cùm Papa quiesceret, illucescente Dominico die vidit in somnis quemdam astantem sibi, ac dicentem: Hac die Dominicâ neque tu offeras salutarem Hostiam, neque alius quispiam episcoporum qui sunt in vrbe istâ, nisi solus episcopus quem habes carcere inclusum: illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa, & de visione quam viderat hæsitans, dicebat in seipso: Talem contra illum accusationem suscepi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundò vox in visione, dicens: Dixi tibi, vt episcopus, qui est in carcere, solus offerat. Ambigenti adhuc, tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, misit in carcerem, & accersito ad se episcopo, percontabatur eum, dicens: Quod est opus tuum? Episcopus autem illi nihil aliud respondit, nisi, Peccator sum. Cùm verò episcopo persuadere non posset vt aliud diceret, tunc ait ad eum Papa: Hodie tu offerre debes. Cùm ergo sancto altari assisteret, & Papa prope illum astaret, diaconis altare circumdantibus, cœpit sancta Missarum sollemnia episcopus. Et cùm complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipsam sanctæ oblationis orationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc est, quòd iam quartò hanc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit episcopus: Ignosce mihi, pater sancte; quia non vidi iuxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcircò non terminaui orationem. Sed, sancte mi domine, diaconum illum prope me assistentem, [14] qui flabellum tenet, ab altari remoue; ego enim illi dicere non audeo. Tunc iussu diui Agapeti recessit diaconus, & continuò vidit episcopus & Papa sancti Spiritus aduentum. Sed & velum, quod altari superimpositum erat, vltrò sublatum est, texitque Papam & episcopum & diaconos omnes qui sancto altari astabant, quasi per tres horas.

Episcopus Rumelli falsò apud pontificem Agapetum accusatus carcerì traditur.

Visione Agapetus de episcopi innocentiâ docetur.

Spiritus sancti præsentia tempore oblationis in Missâ olim signo demonstrata.

Impeditur diaconi indigni præsentiâ.

Tunc venerandus Agapetus, agnitâ sanctitate episcopi ex perspecto miraculo, quámque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quòd illum ita vexauerat tristis effectus, statuit non iam ampliùs per subreptionem quidpiam agere, sed cum maturo consideratoque iudicio, & magnâ longanimitate procedere.

Relatio abbatis Ioannis Persæ de beatissimo GREGORIO *Romanæ vrbis episcopo.* CAP. CLI.

PERREXIMVS ad abbatem Ioannem Persam, narrauitque nobis de magno Gregorio beatissimo Romanæ vrbis episcopo, dicens: Cùm iuissem Romam, vt adorarem ad sepulcrum sanctorum apostolorum Petri & Pauli, starémque die quadam in medio ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum transiturum; cogitaui itaque adorare illum. Cùm autem prope me esset Papa, viderétque me progredi vt adorarem illum (loquor Deo teste, fratres) primus ipse prostrauit se humi coram me, neque antè surrexit, quàm me primò surrexisse cerneret. Et cum multâ humilitate salutans me, manu suâ tria numismata tradidit, iubens mihi dare quæcumque erant necessaria. Glorificaui itaque

Ioannes Persa peregrinatur ad sepulcra Apostolorũ.

Gregorij Papa humilitas.

Deum, quòd tantam illi contulerat humilitatem, & misericordiam, & charitatem ad omnes.

CAP. CLII. *Vita & dicta* MARCELLI *Scithiotæ, abbatis monasterij Monidion.*

ACCESSIMVS ad abbatem Marcellum Scithiotam in monasterium Monidion, volensque senior prodesse nobis, narrauit, dicens: Quando eram in prouinciâ meâ (erat autem ex Apamiâ) auriga quidam illic erat, nomine Phileremus. Quadam ergo die cùm superatus fuisset, surrexerunt qui ex parte eius erant, clamantes ei: Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Cùm itaque venissem postmodum in Scithim, si quando me pulsaret cogitatio mea, vt recederem in ciuitatem, aut villam, continuò dicebam in meipso: Marcelle, Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Et Christi gratiâ ista cogitatio fecit, vt de Scithi non egrederer per annos triginta quinque, donec venientes barbari apprehenderunt me, & vendiderunt Pentapoli, Scithimque desolauerunt.

Marcellus per annos 35. in Scithi remanet, ne coronam in ciuitate nō recipiat.

Idem abbas Marcellus quasi de alio sene morante in Scithi (ipse autem erat) narrauit dicens, quòd nocte quadam surrexerit, vt psalmos ex more caneret. Cumque psallere cœpisset, audiuit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis, turbatusque senex cogitabat, dicens: Vnde hoc in loco vox buccinæ perstrepit? milites hîc non sunt, bellum hinc abest. Et cùm ista secum volueret, dæmon prope illum veniens dixit ei: Vtique bellum est. si ergo oppugnari ac repugnare non vis, vade, dormi, & non oppugnaberis.

Bellum spirituale etiam in eremo.

Dixit iterùm senex: Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit, atque contristat, & contra nos commouet dæmones, ipsumque perditionis auctorem satanam, sicut perpetua psalmorum meditatio. Nam omnis quidem diuina Scriptura vtilis nobis est, contristatque non mediocriter dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe si vna pars laudet Imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neque mouetur contra laudantes; cùm verò ad iniurias & contumelias non laudantium conuersi fuerint, tunc aduersus eos excitantur: ita & dæmones non ita commouentur neque contristantur in alijs Scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cùm psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim verò maledictis insequimur dæmones. Vt cùm dicimus: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Et iterùm: Ne proijcias me à facie tuâ, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Et: Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me, nobis ipsis oramus. Tunc verò persequimur dæmones, cùm dicimus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Et rursus: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Et illud: Gladius eorum intret in corda ipsorum. Et iterùm: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertatur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Psalmorum meditationē horret dæmon. — *Psal. 50.* — *Ibid.* — *Psal. 7[0].* — *Psal. 6[7].* — *Psal. 3[6].* — *Ibid.* — *Psal. [7].*

Dixit iterùm senex: Credite mihi, filij, dicenti. Quemadmodum magna laus & magna gloria & regnum est abrenuntianti sæculo, & monasticum arripienti institutum, quia pretiosiora sunt intellectualia quàm sensibilia; ita magna confusio & ignominia est monacho, qui relinquit monasticum habitum, etiamsi efficiatur Imperator.

Habitus monachi imperio præstantior.

Dixit iterùm: Homo similitudo Dei fuit ab initio, factus est autem similitudo bestiæ postquam à Deo excidit. *Gen. 1.*

Rursus ait: Etiam natura excitat concupiscentias, fratres, sed iugis & intenta abstinentia has etiam extinguit.

Concupiscentia abstinentiâ extinguitur.

Dixit iterùm senex: Agnosce experimento bonã vitam, neque iam vt inualidus timeas.

Ait rursus: Noli mirari, si homo cùm sis, Angelus fieri possis. Proposita enim tibi est par Angelis gloria, eámque agonotheta noster certantibus spondet.

Homo Angelus esse potest.

Dixit iterùm senex: Nihil ita Deo monachos familiares efficit, vt pulchra & honesta & Deo gratissima castitas, quæ sicut sanctus & diuinus Spiritus attestatur per beatum Paulum, honestatem & perseuerantiam iugiter vacandi Domino sine distractione præstat.

Castitas Deo nos familiares reddit. — *1. Cor. 7.*

Dixit iterùm: Filij, dimittamus nuptias procreationémque liberorũ his qui terrena respiciunt, & præsentia desiderant, nec futura meditantur, atque ad æternorum bonorum acquisitionẽ non attendunt, & à temporalibus & momentaneis eripi nequeunt.

Dixit iterùm: Festinemus à carnali vitâ migrare, sicuti carnalis Israël ab Ægyptiâ seruitute. *Exod. 14.*

Ait rursus: Præclara & dulcia Dei munera habemus proposita, fratres, pro sæculari molestâ voluptate.

Dixit iterùm senex: Fugiamus matrem omnium malorum auaritiam. *1. Tim. 6.*

Respon-

C. CLIII. *Responsio* MONACHI *monasterij Raythu ad fratrem sæcularem.*

DVO fratres sæculares erant Constantinopoli, multùm religiosi, multumque ieiunantes. Vnus igitur ex his veniens in Raythu, sæculo abrenuntiauit, & factus est monachus. Post aliquantulum verò temporis venit & sæcularis frater eius in Raythu, vt videret fratrem suum monachum. Cùm ergo moraretur apud eum, vidit sæcularis fratrem suum monachum se reficientem nonâ horâ, scandalizatusque dixit illi: Frater, cùm esses sæcularis, numquam ante solis occasum sumebas cibum. Tunc ait illi monachus: Profectò, frater, quando eram in sæculo, aures meæ nutriebant me; vana enim hominum gloria & laus non mediocriter me reficiebant, ieiunijque laborem leuiorem reddebant.

Vana gloria sæpè ieiunantibus nutrimentum.

C. CLIV. *Vita* THEODORI *sæcularis, hominis Dei.*

DICEBAT abbas Iordanes solitarius: Tres simul anachoretæ perreximus ad abbatem Nicolaum in torrentem Betasimum (inter sanctum enim Elpidium & monasterium quod dicitur Peregrinorũ, in speluncâ morabatur) inuenimusque cum illo sæcularem quemdã. Loquentibus autem nobis de animæ salute, dixit abbas Nicolaus sæculari: Dic nobis & tu aliquid. Respondit sæcularis, & ait: Quid vobis prodesse possum? vtinam vel mihi ipsi prodesse valerem. Dixit ei senex: Prorsus aliquid dicturus es. Tunc ait sæcularis: Habeo viginti duos annos, ex quo præterquã Sabbato & Dominico die numquam me sol comedentem vidit. Eram autem mercenarius in villâ diuitis hominis, iniqui & auari, cum quo mansi annis quindecim, die noctuque operans, neque mercedem mihi reddere volebat, sed per annos singulos affligebat non mediocriter. Itaque dixi in meipso: Theodore, si toleraueris hunc virum, pro mercede, quam tibi debet, cælorum regnum tibi præparabit. Seruaui autem & corpus meum mundum à muliere vsque in hodiernum diem. Hæc nos cùm audiuissemus, magnificè ædificati sumus.

Theodorus solùm die Sabbati & Dominico de die comedens.

Mercedem cælestem præ terrestri eligit.

CAP. CLV. *Relatio abbatis* IORDANIS *de tribus Saracenis qui se inuicem interfecerunt.*

DICEBAT & hoc nobis de abbate Nicolao abbas Iordanes: Narrabat, inquit, senex, quia imperante fidelissimo Imperatore Mauritio, quando Namanes Saracenorum nationis dux prædam egit, cùm circuirem ego prope Arnonem & Aidonem, aspicio Saracenos tres, habentes secum vnum adolescentem valdè formosum, annorum fermè viginti, vinctum atque captiuum. Vt ergo vidit me adolescens, flere cœpit, & orare, vt ab eis illum acciperem. Ego autem Saracenos rogare cœpi, vt dimitterent eum. Vnus autem illorum Græcô sermone respondit, & ait: Non dimittimus eum. Et ego rursum illis dixi: Accipite me, & hunc dimittite, quia fatigationem non sustinet. Ait mihi & ipse rursus: Non dimittimus eum. Dixi eis tertiò: Vel pretium pro illo non accipitis? Date mihi illum, & quidquid petieritis, ego afferam vobis. Respondit: Non possumus tibi dare illum; sacerdoti enim nostro promisimus, quia si quid pulchrum ceperimus, offeremus illud ei, vt ipsum in sacrificium offerat. Sed vade iam: nam si moram feceris, caput tuum in terram proijciam. Tunc prostratus ego humi dixi: Saluator noster Christe Deus, saluum fac seruum tuum. Et continuò tres Saraceni dæmonio repleti, euaginatis gladijs se inuicem conciderunt. Assumensque ego adolescentem in speluncam meam, refoui illum, & iam noluit recedere à me; sed renuntians sæculo, cùm septem annos in habitu monastico impleuisset, requieuit. Erat autem genere Tyrius.

Saracenorum correptio & deprædatio.

Nicolao orante, vt adolescentem liberet, Saraceni tres mutuis concidère vulneribus.

CAP. CLVI. *Responsio cuiusdam* SENIS *ad duos philosophos.*

DVO philosophi venerunt aliquando ad senem, & orabant eum, vt eis verbum ædificationis diceret. Senex verò tacebat. Rursum philosophi dixerunt: Nihil respondes nobis, pater? Tunc senex dixit eis: Quod studiosi quidem sitis eloquentię, scio; quòd autem non veri sitis philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque & quieti vos assuefacite.

Opus veræ philosophiæ meditatio mortis & silentium.

C. CLVII. *Relatio duorum* MONACHORVM *monasterij Subeuorum Syrorum de cane, qui fratri viam ostendit.*

PERREXIMVS ego & sophista Sophronius in monasterium Calamonis iuxta sanctum Iordanem, ad abbatem Alexandrum, inuenimusque apud eum duos monachos monasterij Subeuorum Syrorum. Narrauerunt autem nobis, dicentes: Ante hos decem dies venit quidam peregrinorum susceptor eleëmosynas erogans, & veniens in Subiba Besorum, dedit eulogiam. Rogauit igitur abbatem monasterij, dicens: Fac charitatem, & mitte in proximum monasterium Syrorum, vt accipiant & ipsi

& ipsi venientes eulogiam, & nuntient monasterio Charembe vt veniant & ipsi. Tunc abbas misit fratrem ad abbatem Subeuorum Syrorum. Profectus itaque frater, dixit ei: Veni vsque ad monasterium Besorum, nuntia verò & monasterio Charembe, vt veniant & ipsi. Respondit senex: Frater, ignosce, quia nullum habeo, quem mittam, sed fac perfectam charitatem, & pergens ipse, nuntia eis. Ait autem frater: Numquam illuc perrexi, nec viam scio. Tunc ait senex catulo suo: Vade cum fratre isto vsque ad monasterium Charembe, vt nuntiet eis quod vult. Abijt ergo canis cum fratre, donec statuit illum iuxta monasterij ianuam. Ostenderunt autem nobis & canem ipsum, qui ista narrauerunt; habebant enim illum secum.

Canis monachis viā monstrat.

C.CLVIII. *De asino qui monasterio nuncupato Mardes inseruiebat.*

MONS est circa mare mortuum, qui Mardes vocatur, excelsus valdè. In eo monte anachoretæ commorantur: est autem illis & hortus ad radicem montis, sexto fermè lapide ab eis distans, circa maris labium: proinde habent anachoretæ & illic ministrum. Quacumque ergo horâ volunt ad hortum pro oleribus mittere, sternunt asinum, & dicunt ei: Vade in hortum ad ministrum, & affer nobis olera. Qui mox ad hortulanum solus vadit, stánsque ante ianuam, capite pulsat. Statim igitur egressus hortulanus ipsum oleribus onerat, onustúmque dimittit. Videréque est asinum quotidie solum ascendentem & descendentem, & ministrantem senibus tantùm, alij verò nulli obsequentem.

Asinus per se obsonator, & olera deferens.

C.CLIX. *Vita abbatis* SOPHRONII *solitarij, & admonitiones* MENAE *ducis cœnobij Seueriani.*

DICEBAT abbas Menas antistes cœnobij abbatis Seueriani de abbate Sophronio solitario, quòd circa mare mortuum moratus sit nudus per annos fermè septuaginta, herbas in cibum sumens.

Sophronius solis herbis viuit.

Et hoc rursus de illo dicebat, audisse se narrantem senem, & dicentem: Oraui Dominum ne dæmones speluncæ meæ propinquarent. Aspiciebam verò dæmones venientes, stantesque à longè tribus ferè stadijs, neque vlteriùs appropinquare valentes.

Dæmones non audent appropinquare speluncæ eius.

Idem abbas Menas dicebat cœnobij fratribus: Fugiamus, filij, sæcularium colloquia; solent enim nocere iunioribus monachis.

Sæcularia colloquia nouitiis obsunt.

Dicebat iterùm senex: Omnis ætas pœnitentiam agere debet, iuuenes simul ac senes, vt æternâ vitâ frui cum gloriâ & laude mercamur; iuuenes quidem, quia in flore ætatis, cùm feruet concupiscentia, ceruicem suam sub iugum pudicitiæ miserunt; senes verò, quia inolitam sibi ex multis temporibus malorum anticipationem transferre ad meliora potuerunt.

Cur iuuenibus, cur senibus pœnitentia necessaria.

CAP. CLX. *Quomodo dæmon apparuerit cuidam* SENI *in formâ pueri nigerrimi.*

NARRAVIT nobis abbas Paulus, antistes cœnobij abbatis Theognosti, quia dixerit senex quidam: Cùm die quadam sederem in cellulâ meâ, operarerque manibus meis (texebam autem canistrum, & psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops, & stans coram me, saltare cœpit, psallentique mihi dixit: Senex, nónne benè salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondenti mihi ait: Ecce putas te, malè senex, magnum aliquid agere. Dico tibi, quia & in sexagesimo quinto, & in sexagesimo sexto & in sexagesimoseptimo psalmo errasti. Tunc surgens ego coram Deo adoraui prosternens me, & ille euanuit.

Dæmon psallentem senem turbare conatur.

Oratio dæmonē fugat.

CAP. CLXI. *Vita abbatis* ISAAC *Thebæi, & quomodo etiam ei apparuit dæmon in figurâ adolescentis.*

LYCOS Thebaidis ciuitas est: ab hac mons quidam sex millibus passuum distat, habitántque in eo monachi, alij quidem in speluncis, alij autem in cellis. Profecti ergo nos illuc, conuenimus abbatem Isaac, Thebæum genere; narrauitque nobis senior, dicens: Ante annos quinquaginta duos cùm operarer [35] conopionem, in laborando erraui, affligebárque, quia errorem nec reperire nec emendare valebam. Totum ergo diem consumpsi, me frustrà concidens, & quid agerem ignorabam. Et cùm ferè desperarem, ecce per fenestram ingressus adolescens ait mihi: Errasti; sed da mihi opus vt illud corrigam. Aio autem ad illum: Vade hinc, absit hoc à me. Respondit mihi & ipse: Certè damnum tibi est, si malè opus facias. Tunc dixi ei: Noli de hoc ipse curam gerere. Ait ad me denuò: Misereor tui, quia laborem tuum perdis. Et respondi illi: Malè huc venisti, & tu, & qui te adduxerunt. Dixit autem mihi: Verè tu me huc adduxisti, & meus es. Aio ad illum ego: Cur hoc? Respondit ille mihi: Quia tres dies Dominicos egisti communicans, & inimicus es vicini tui. Dixi autem illi: Mentiris. Tunc ipse mihi: Non mentior; nam propter lenticulam iratus es illi. Et ego sum, qui præsum iræ & memoriæ iniuriarum, es amodò meus. His

Ante Communionem cū inimico reconciliatione opus.

Dæmon iræ & memoriæ iniuriarum.

His ego auditis, mox egressus cellulam, abij ad fratrem, & prostratus ab illo veniam petij, reconciliatique sumus. Reuersus autem inueni illum destruxisse & conopionem, & stoream in quâ prostratus eram, quòd charitati nostræ inuideret.

C. CLXII. *Responsio abbatis* THEODORI *Pentapolitani super solutione abstinentiæ vini.*

QVINTODECIMO ab Alexandriâ milliario monasterium est, quod vocatur Calamon, inter Octauumdecimum & Maphora. In hoc vidimus abbatem Theodorum Pentapolitanum (erat autem nobiscum Sophista Sophronius) & interrogauimus eum: Bonum est, pater, quoties vel ipsi ad aliquem pergimus, vel si quis venit ad nos, vini abstinentiam soluere? Respondit nobis senior, & ait: Non. Aio autem ad eum: Et quomodo antiqui patres soluebant? Respondit senex: Antiqui patres, vt magni & potentes, & soluere poterant, & iterùm ligare; nostra verò generatio, filij, soluere ac ligare non sufficit: nam si soluamus ritū abstinentiæ nostræ, non ampliùs vitæ nostræ religiosæ austeritatem retinens.

A vino abstinendum.

C. CLXIII. *Vita abbatis* PAVLI *Helladici.*

DICEBAT abbas Alexander, monasterij Calamonis, quod est prope Iordanem, pater: Die quadam cùm essem apud abbatem Paulum Helladicum in spelæo ipsius, ecce quidam veniens pulsauit, egressusque senior aperuit ei, & proferens panem & cicer infusum, posuit ante illum, & manducabat. Ego autem putabam quia peregrinus esset, & aspiciens per fenestram, vidi quia leo erat. Dixi itaque seni: Cur, pater, præbes illi manducare, dic mihi caussam? Qui ait mihi: Quia illum monui, vt neminem læderet, neque hominem, neque iumentum, dicens: Veni quotidie, & dabo tibi cibum tuum. Et ecce iam septimus hic mensis est, ex quo bis quotidie aduenit, & do illi manducare.

Paulus leonem morigerum pascit.

Rursum post paucos dies perrexi ad eum, volens ab illo emere vas vinarium, id quippe erat senis opus, & dixi ei: Quid est pater? quomodo se habet leo? Et ait mihi: Malè. Et dixi ad eum: Quare? Respondit: Præteritâ die venit huc, vt darem illi manducare, videns verò eius mentum sanguine infectum, dixi illi: Quid est? Inobediens fuisti mihi, & carnes manducasti. Benedictus Dominus, non iam tribuo tibi, vt comedas cibum patrum carnium deuorator: recede. Ille verò discedere nolebat. Tunc accepto funiculo, triplicans illum, tres illi plagas cum eo dedi, & recessit.

Immorigerum castigat.

C. CLXIV. *Responsio abbatis* VICTORIS *solitarij ad monachum pusillanimem.*

FRATER venit ad abbatem Victorem solitarium in monasterium Elusæ, & dixit ei: Quid faciam, pater, quia dominatur mihi passio pusillanimitatis? Respondit senex: Morbus animæ est. Sicut enim * capti oculis quando magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri, qui verò sanos habet oculos, modicum: ita & pusillanimes ex modicâ tentatione citò perturbantur, & magnam illam esse existimant: qui verò animâ sani sunt, magis in tentationibus gaudent.

* *al. non ægri.*

Sani tentationibus gaudent.

C. CLXV. *Vita latronis nuncupati* CYRIACI.

NARRAVIT quidam vir fidelis de latrone quodam, Cyriaco nomine, qui latrocinia exercebat circa Emaus, quæ est Nicopolis, qui adeò truculentus & immanis fuit, vt lupus vocaretur. Hic secum habuit alios latrocinij socios, non solùm Christianos, verùm & Iudæos & Samaritanos. Quadam ergo die profecti sunt quidam ex agro Nicopoleos in sanctam ciuitatem magnâ hebdomadâ, vt per Baptismum illuminarent filios suos. Quod cùm fecissent, & reuerterentur in agrum suum, vt celebrarent sanctum Resurrectionis diem, occurrerunt illis latrones, principe suo absente: & viri quidem fugâ euaserunt; mulieres autem, proiectis nuper baptizatis filijs, tenuerunt Hebræi & Samaritani, & habuerunt eas. Fugientibus igitur viris obuius fuit latronum princeps, & ait illis: Cur fugitis? Illi autem dixerunt, quid sibi contigisset. Sumens ergo illos venit ad socios suos, inueniensque infantes in humum proiectos, cùm sciscitatus esset quinam hoc fecissent, sceleris decollauit auctores, reddénsque viris filios (nam vxores, quia inquinatæ fuerant, recipere passi non sunt) saluauit eos latronum princeps, & reduxit vsque ad agrum suum. Post modicum verò temporis tentus est latronum princeps, egitque in carcere decem annos, nullusque principum illum occidit, ad postremum verò etiam absolutus est. Dicebat ergo semper, Quia propter infantes illos amaram effugi mortem. Aspiciebam enim illos frequenter in somnis dicentes mihi: Noli timere, nos pro te satisfacimus. Locuti autem posteà cum illo sumus ego & abbas Ioannes presbyter monasterij Eunuchorum, & hæc eadem nobis ipse narrauit, glorificans Deum.

Magnâ seu sanctâ hebdomadâ Baptismus olim collatus.

Princeps latronum periculo eripitur infantum intercessione quos à morte seruauerat.

Vita

C.CLXVI. *Vita* LATRONIS *monachi effecti, & posteà in sæculari habitu decollati.*

DICEBAT abbas Sabbatius: Cùm sederem in monasterio abbatis Firmini, venit latro quidam ad abbatem Zosimum Cilicem, & rogabat senem, dicens: Fac charitatem per Deum te precor, quia multis homicidijs obnoxius sum. fac me monachum, vt iam tandem desistam à sceleribus meis. Senex verò exhortans illum, fecit monachum, & sanctum ei habitum dedit. Post modicum verò temporis dixit ad illum senior: Crede mihi, fili, non potes hîc habitare: nam si audierit princeps, tenebit te; similiter autem & aduersarij tui necabunt te. Sed audi me, & ducam te in cœnobium abbatis Dorothei prope Gazam & Maiumam. Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus esset annis nouem, didicissetque psalterium, & cunctam monasticam obseruationem, redijt rursus in Firmini monasterium, ad senem, & ait illi: Fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestimenta mea sæcularia, & recipe monastica. Senior autem tristis effectus ait illi: Cur, fili? Qui respondens ait: Ecce nouem (vt nosti, pater,) annos egi in cœnobio, & quantum potui ieiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete, & timore Dei fui in subiectione, & scio quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi: verumtamen aspicio sæpiùs puerulum astantem, & dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in ecclesiâ, & cùm ad Communionem pergo, & in refectorio hæc eadem mihi dicentem; & vel vnâ horâ non sinit me quiescere. Ideò itaque, pater, abire volo, vt pro puerulo moriar. frustrà enim, & sine vllâ caussâ occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exijt. Et cùm sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus.

Latro sancto monachi habitu cõsecratur.

Ad sæculũ redit, vt crimen infanticidij morte expiet.

C.CLXVII. *Vita & mors abbatis* POEMENIS *solitarij.*

DICEBAT abbas Agathonicus, antistes cœnobij castelli sancti patris nostri Sabæ: Descendi die quadam in Ruba, vt pergerem ad abbatem Pœmenem solitarium. Cùm ego reperissem eum, & dixissem illi cogitationes meas, serò dimisit me in vnam speluncam; erat autem hiems: fuitque nocte illâ frigus maximum, ac nimiâ vi algoris obrigui. Veniens ergo ad me manè senior, ait mihi: Quid est, fili? Aio ad illum: Ignosce mihi, pater, duram pertuli noctem ex frigore. Dixit autem mihi: Ego, fili, frigus nullum sensi. Miratus sum valdè hoc audiens, erat quippe nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodo tantam frigoris asperitatem non sensisti? Dixit autem mihi: Venit leo, & obdormiuit iuxta me, & ipse me calefecit. verumtamen dico tibi, frater, quoniam à feris deuorandus sum. Aio ad illum: Cur, quæso? Et dixit mihi: In prouinciâ nostrâ cùm essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ouium eram, & contempsi transeuntem peregrinum, & à canibus comestus est. cùm enim illum saluare possem, non feci; sed dimisi eum, & à canibus discerptus est, scioque quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est: post tres enim annos à bestijs, vt dixerat, & ipse discerptus est.

Pœmenem dus leoni accubat.

A bestiis deuoratur, quia peregrinum non liberauerat à canũ dilaniatione.

C.CLXVIII. *Dicta abbatis* ALEXANDRI *senis.*

DICEBAT abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta & tribulationes persequebantur, nos autem ciuitates & requiem sequimur.

Amor deserti & tribulationis.

Dixit iterùm senex: Sub patribus nostris virtutes istæ vigebant, nuditas & humilitas; in nobis autem auaritia & superbia regnat.

Ait rursus: Patres nostri numquam facies suas lauabant; nos autem lauacrà publica balneáque frequentamus.

Dixit iterùm senex: Heu mihi, filij, quia conuersationem verè angelicam destruximus. Ait autem ad illum abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincenti, quia infirmi sumus? Crede mihi, fili, Olympici corpore & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est.

Dixit iterùm: Multum comedere & bibere, & benè vestiri possumus; abstinere autem & humiliari non valemus.

Rursus dixit: Væ tibi, Alexander, væ tibi; quanta erit confusio tua quando ceteri coronabuntur.

Alexander væ sibi inclamat.

C. CLXIX. *Vita* SENIS *cuiusdam capti oculis in monasterio abbatis Sisci.*

ERAT senex quidam in Scithi captus oculis in monasterio abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius à puteo ferè mille passibus, & numquam passus est, vt sibi alius afferret aquam, sed facto fune, vnum ipsius caput ad puteum ligauit, & alterum in cellâ suâ. Iacebat autem funis in terrâ. Quando ergo pergebat haurire sibi aquam, supra funem ambulabat. Hoc autem faciebat senex, vt inueniret puteum. Cùm autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, & excutiebat, & rursus illum in

Senis capti oculis patientia & industria.

in terrâ ponebat, & super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, vt se permitteret illi afferre aquam. Cui respondit senex: Fili, viginti iam & duo anni sunt, ex quo mihi semper ita hausi aquam, & laborem meum tu modò auferre vis?

CAP. CLXX *Vita cuiusdam sanctæ* MVLIERIS *in eremo defunctæ.*

DISTABAT ab Ierosolymis ferè viginti passuum millibus monasterium quoddam, quod Sampsonis dicitur. Ex hoc monasterio duo patres abierunt ad montem Sina orationis gratiâ, reuersique in monasterium narrauerunt nobis dicentes: Cùm adorauissemus in sancto monte, & iam reuerteremur, contigit nos eremi deuia errando sequi: ferebamurque sicut in pelago per mediam solitudinem dies plurimos. Die verò quadam aspicimus de longinquo speluncam breuem, ad quam tendentes, cùm iam speluncæ propinquaremus, cernimus exiguum fontem, & circa fontem herbas modicas, & vestigia hominis; dicebamusque apud nos ipsos: Verè hoc in loco seruus Dei est. Ingressi igitur neminem vidimus; solummodò autem cuiusdam vagientis vocem audiebamus. Cùm ergo diu quæsissemus, inuenimus veluti præsepium, & in eo iacentem quemdam, appropinquantesque seruo Dei, rogabamus vt loqueretur nobis. Cùm verò nihil responderet nobis, tunc accedentes tenuimus eum, & corpus quidem ipsius adhuc erat calidum, anima autem ad Dominum migrauerat. Tunc verò agnouimus, quia in ingressu nostro intra spelucam requieuerat. Fodimus ergo in ipsâ speluncâ, vnusque ex nobis pallium, quo erat indutus, accepit, vt in ipso senis corpus inuolueret. Sumentes autem illud de loco in quo iacebat, cùm ipsum ex more curaremus, inuenimus esse mulierem, & glorificauimus Deum. Completoque super illud officio, sepeliuimus.

Peregrinatio ad montem Sina.

Officium sepulturæ.

CAP. CLXXI. *Vita duorum mirabilium virorum,* THEODORI *philosophi &* ZOILI *lectoris.*

ERANT in Alexandriâ duo viri mirabiles, magnæque virtutis, abbas scilicet Theodorus philosophus & Zoilus lector: Fuit autem nobis cum vtroque summa familiaritas, cum altero quidem disciplinæ & studiorum gratiâ; cum altero verò, quòd communis nobis esset patria & educatio. Atque abbas quidem Theodorus nihil possidebat, nisi penulam, & paucos libros: dormiebat autem in scabello, ac in quamcumque ecclesiam ingrediebatur. Ad vltimum verò etiam sæculo renuntiauit in cœnobio Salcime, ibique vitam glorioso fine conclusit. Lector autem Zoilus & ipse æqualem præferebat paupertatem. Nihil enim ipse quoque possidebat præter vetustam penulam & paucos libros. Exercebat autem se in scribendo libros. Et ipse autem consummatus in Domino, sepultus est in monasterio abbatis Palladij.

De duobus istis, Theodoro scilicet philosopho & Zoilo lectore, pergentes quidam patrum ad domnum Cosmam scholasticum, interrogauerunt eum, dicentes: Quis eorum magis in spirituali exercitio laborauit? Qui ait ad illos: Similia quidem fuerunt vtriusque & alimenta, & stramenta, & indumenta, rerumque omnium superfluarum abstinentia, & nuditas, & humilitas, & frugalitas: sed abbas Theodorus philosophus discalceatus in magnâ imbecillitate oculorum vetus omne nouumque Testamentum didicit. Habuit tamen consolationem fratrum, contubernium & visitationes amicorum, auocationemque multam, cùm doceret, & cùm operaretur. Zoili verò lectoris non solùm hospitalitas laudanda, verùm etiam solitudo eius & immensa fatigatio, orisque custodia digna commendatione est. Ille enim sine amicorum familiariumque contubernio atque commercio, ab omni sæculiarum rerum actione feriatus, nulli seipsum refrigerio & oblectationi permisit, ne minimum quidem ab vllo ministerium admittens: ipse enim coquebat, ipse lauabat, nulla lectionum capiens solatia, paratus semper alijs obsequi, nullamque habens curam æstus aut frigoris, aut corporeæ infirmitatis, mundus semper à risu, & tristitiâ, & effusione, & angore existens, qui præter indumenti asperitatem, etiam à multitudine pediculorum indesinenter consumebatur. Habuit tamen & iste plus quàm prior ex processibus non mediocre refrigerium, habens facultatem liberam quocumque vellet, die noctuque procedere, quamuis hanc libertatem & laboris magnitudo retundebat, & raro processu sæcularium familiaritatem excludebat. Vnusquisque igitur mercedem propriam accipiet, & secundùm labores proprios, & iuxta resurrectionis mensuras, & intellectualis spiritalisque munditiæ & ministrationis, & timoris Dei, ac charitatis, & compunctionis, & iugis psalmodiæ, & orationis, & intentissimæ fidei, & occultæ hominibus latentisque virtutis.

Similia Theodori & Zoili in pietatis exercitatione studia.

In quo alter alterum excellebat.

Propria cuiusque secundùm labores merces.

CAP. CLXXII. *Vita prædicti* COSMAE *scholastici.*

DE isto domno Cosmâ scholastico, multi quidem multa, & alia alij, &

HH plu-

plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ verò nos vidimus, & quæ diligenter assecuti sumus, ea tantùm pro legentium vtilitate conscribimus. Erat enim vir iste humilis, misericors, abstinens, virgo, quietus, sine irâ, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis vtilitatis contulit vir iste mirabilis, non solùm ex adspectu, sed etiam ex doctrinâ suâ, & quòd magnam haberet librorum copiam super omnes qui erant in Alexandriâ, eosque promptè ac libenter volentibus accommodaret. Erat autem & nihil possidens: in totâ namque domo eius nihil vidisses aliud quàm libros, & scabella, & lectulum, & mensam. Licebat verò omnibus ingredi, & interrogare quæ ad vtilitatem pertinerent, & legere. Diebus autem singulis intrabam ad eum ipse; &, teste veritate, numquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos inuenirem. Magno enim feruebat zelo conuertendi gentem illam ad veritatem. Ideò & sæpè misit me ad Hebræos quosdam, vt per litteras illis colloquerer. Non enim facilè domo egrediebatur ipse.

Cosmas & aspectu & doctrinâ docens.

Ad hunc domnum Cosmam Scholasticum die quadam profectus sum: cumque mihi magna ad illum esset fiducia, interrogaui eum, dicens: Fac charitatem, dic mihi, quantum temporis habes in hoc instituto. Tacenti verò, & nihil respondenti, rursum dixi illi: Per dominum dic mihi. Cùm autem se ille paululùm sub silentio continuisset, ait mihi: Triginta & tres annos habeo. Quod ego audiens, glorificaui Deum.

Annis 33. in omni virtutum genere se exercuit.

Aliàs iterùm accessi ad illum, & interrogaui eum, dicens: Fac perfectam charitatem, sciens quia propter vtilitatem animæ interrogo te. Dic mihi, quæso, in tanto tempore instituti tui, quietis & continentiæ, quid adeptus es? Ille verò ingemiscens, & ex intimo corde suspirans, ait mihi: Quid potest sæcularis homo virtutis adipisci, & maximè residens in domo suâ? Ego autem rursus illum rogabam, dicens: Per Dominum dic mihi, vt ipse quoque proficiam. Tunc verò multùm coactus à me, dixit: Ignosce mihi; tria ista consecutus sum, non iurare, non mentiri, non ridere.

Non iurauit, non mentitus est, non risit.

CA. CLXIII.

Factum mirum THEODORI *anachoretæ, qui oratione suâ in mari dulcem aquam effecit.*

ANACHORETA quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus, eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est Constantinopolim pergere, ingressusque est nauem. Cùm verò nauis diutiùs detineretur in pelago, defecit aqua, erantque nautæ & vectores in magnâ anxietate & desperatione. Surgens autem anachoreta, & expandens in cælum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, factâ oratione, signauit mare signo crucis, & ait nautis: Benedictus Dominus, haurite quantum aquæ opus habetis. Impleueruntque omnia vasa sua de mari aquâ dulci; & omnes glorificauerunt Deum.

Theodori oratione & signo crucis aqua salsa dulcescit.

CA. CLXIV.

Factum apud NAVCLERI *viri religiosi, qui pluuiam à Domino impetrauit.*

ABBAS Gregorius anachoreta narrauit nobis, dicens: Cùm ex Byzantio descenderem, ingressus sum nauim: intrauit autem & scriba quidam cum vxore suâ, profecturus ad sanctam ciuitatem orationis caussâ. Erat autem nauclerus religiosus valdè, multumque ieiunans. Cùm ergo nauigaremus, scribæ serui frustrà consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua, eramusque in magnâ tristitiâ. Et erat miserabile spectaculum, videre mulieres, & pueros, & infantes siti arescentes, & veluti mortuos iacentes. Cùm ergo dies tres in hac necessitate fecissemus, scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio, & nautas & nauclerum volebat occidere: dicebat enim: Hi sunt nostræ perditionis auctores, quia non sumpserunt aquam ad sufficientiam. Ego autem orabam scribam, dicens: Noli hoc facere, sed magis deprecemur Dominum nostrum Iesum verum Deum, qui facit magna & mirabilia, quorum non est numerus. Ecce enim & nauclerus, vt vides, tertium hunc agit diem, ieiunio & orationi vacans. Cumque acquieuisset scriba, quartâ die circa sextam horam surgens nauclerus, clamauit voce magnâ, dicens: Gloria tibi Christe Deus noster: ita vt omnes miraremur in voce ipsius. Dixitque nautis: Submittite [36] membranas. Et cùm explicuissent eas, ecce nubes supra nauem veniens, tantum pluit aquæ, donec impleuerunt vasa ad necessitatem nostram. Erat autem miraculum grande & terribile, quòd velificante naue, nubes illa consequeretur nos, & extra nauem non plueret.

Peregrinatio Ierosolymitana.

Religiosus nauta vectoribus extremâ siti laborantibus pluuiam impetrat.

CA. CLXV.

Relatio de ZENONE *Imperatore viro eleemosynario.*

NARRAVIT nobis quidam patrum de Zenone Imperatore, dicens, quòd mulierem quamdam in filiâ ipsius iniuriosè tractauit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, orans eam & depre-

& deprecans, & cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, vltionem tuam sæpè facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valdè misericors, & eleëmosynas faciens.

Zeno per eleemosynas à punitione tutus.

CA. CLXXVI.

Pulchra relatio abbatis ANDREAE *de decem viris peregrinantibus, inter quos fuit & adolescens Hebræus.*

ABBAS Andreas Octauidecimi, cùm essemus in Alexandriâ, narrauit nobis, dicens: Cùm essem iuuenis, indisciplinatus valdè & inquietus fui. Die ergo quadam persecutionem passi pro nostrâ inquietudine, fugimus in Palæstinam ego & nouem alij; inter quos vnus quidam erat industrius, alius autem Hebræus. Cùm ergo venissemus in eremum, infirmatus est Hebræus vsque ad mortem, & Deo teste, in magno mœrore constituti eramus, nescientes quid illi faceremus. Verumtamen vt est consuetudo socialis charitatis, non illum deseruimus, sed vnusquisque nostrûm pro viribus ferebat eum, volentes vel in ciuitatem vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cùm verò adolescens ex inediâ & vehementissimâ febre, immoderatoque labore & siti præ solis æstu totus iam ferè resolutus esset atque deficeret, propinquans ad exitum, neque portari posset, decreuimus cum multis lacrymis illum dimittere in eremo, & abscedere, metuentes ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cùm igitur illum in arenâ plorantes posuissemus, videretque nos abire velle, cœpit nos adiurare, dicens: Per Deum qui fecit cælum & terram, per Deum qui inclinauit cælos, & descendit pro salute humani generis, per Deum qui iudicaturus est viuos & mortuos, nolite pati vt Hebræus moriar, sed tamquam Christiani facite mecum misericordiam, & baptizate me, vt Christianus de hac vitâ exeam, & ad Dominum pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè, frater, non licet nobis hoc facere, sæculares enim sumus; hoc autem episcoporum & presbyterorum opus est, sed neque aqua hic est. Ille verò persistebat similiter adiurans nos, & plura etiam cum lacrymis adijciens, ac dicens: Nolite, Christiani, me priuare hoc diuinitus indulto munere. Cùm ergo in magnâ hæsitatione essemus, industrius ille diuinitus inspiratus ait nobis: Erigite illum, & exuite. Ereximus itaque cum magno labore illum, erectumque tenentes exuimus. Industrius autem ille implens ambas manus suas ex arenâ, tertiò effudit super caput eius, dicens ita: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nobis verò per singula nomina sanctæ & consubstantialis & adorandæ Trinitatis respondentibus, Amen (Dominus Deus testis est, fratres) ita continuò sanauit & corroborauit eum Christus Deus noster, vt nullum iam in eo pristinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiscumque passionis; sed sanus & valens cum omni alacritate & floridò aspectu, quod reliquum erat itineris, per eremum ambulauit semper nos præcedens; ita vt admirantes talem & tam subitam mutationem, omnes laudauerimus & glorificauerimus ineffabilem maiestatem & benignitatem Christi Dei nostri. Venientes autem Ascalonem, adduximus eum ad beatum ac sanctum Dionysium eius vrbis episcopum, narrantes quæ fratri in viâ contigissent. Quibus auditis, sanctus admirandusque Dionysius, stupens ad tam nouum inauditumque miraculum, conuocato clero exposuit ei totum negotium, vt decernerent, vtrùm effusio illa arenæ reputanda esset fratri in Baptismum, an non. Et alij quidem dicebant, debere reputari illi in Baptismum propter inauditam miraculi magnitudinem; alij verò dicebant, Non. Theologus quippe Gregorius omnia Baptismata dinumerat: Baptizabat, inquiens, Moyses, sed in aquâ, & anteà in nube, & in mari. Baptizauit & Ioannes non iam quidem Iudaicè, non enim in aquâ solùm, sed & in pœnitentiâ. Baptizat autem & Iesus, sed in Spiritu sancto. istud perfectio est. Scio & quartum Baptismum per martyrium & sanguinem. Scio & quintum, lacrymarum scilicet. Hæc ille. Quo igitur horum, illi inquiebant, iste baptizatus est, vt etiam ipsius Baptisma roboremus, maximè cùm Dominus ad Nicodemum dicat: Nisi quis natus fuerit denuò ex aquâ & Spiritu, non intrabit in regnum Dei? His alij contradicebant sic: Quid ergo? Quia scriptum de apostolis non est, quòd baptizati sint, idcircò non intrant in regnum Dei? Alij rursus econtrà inferebant, dicentes: Ita sane, illi baptizati sunt, sicut & Clemens Stromateus meminit in quinto Hypotyposeon, apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur, Gratias ago Deo, quia neminem vestrûm baptizaui: Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem, illi autem reliquos. Hæc igitur & alia plurima cùm dicta essent, visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, illicque baptizari: industrium autem illum ordinauit diaconum.

Hebræus moribundus Baptismum expetit.

Hebræus per Baptismum etiam putatitium sanitati restituitur.

Disquisitio de Baptismo, qui hic per arenam collatus dicitur.

Gregor. Nazianz. orat. 39. quæ est, in sancta Lumina.

Ioan. 3.

1. Cor. 1. Clem. Alexandrin. lib. 5. Hypotyp. non exstat. Vide Niceph. lib. 2. c. 3. ex Euodio. Baron. to. 1 anno Christi xxxi.

CA. CLXVII.

Mala mors MONACHI *Ægyptij, qui habitare voluit in cellâ Euagrij hæretici.*

DICEBAT abbas Ioannes Cilix commorantibus nobis in Nono Alexandriæ: Venit ad nos Ægyptius monachus, narrauitque nobis, dicens: Ad monasterium Cellularum frater ex longinquâ regione peruenit, volens ibi habitare, prostratusque presbytero orabat, vt in Euagrij cellâ moraretur. Presbyter autem dicebat, non posse eum illic habitare, recedensque presbyter, ait fratri: Fili, dæmon acerrimus illic habitat. qui enim seduxit Euagrium, & à verâ fide remouit, immisitque illi scelerata dogmata, ille non permittit aliquem ibi morari. Frater autem persistebat, dicens: Profectò si hîc maneo, in illâ moraturus sum. Tunc presbyter coactus dixit ei: Iudicio tuo vade, & eam accipe. Sedit igitur frater in cellulâ vnâ hebdomadâ; veniente que Dominico die, perrexit ad sanctam ecclesiam: videns autem illum presbyter consolatus est; sollicitus enim pro illo erat. Veniente autem alio die Dominico, non venit ad ecclesiam. Cumque illum non videret presbyter, misit duos fratres, vt viderent cur non venisset ad ecclesiam. Qui venientes ad cellulam, inuenerunt fratrem iniecto fune seipsum suffocasse.

Dæmon cellæ Euagrij hæretici inhabitator. Hæreticorum domicilia fugienda.

Euagrij hæretici cellam inhabitans frater se suspendit.

CA. CLXVIII.

Vita SENIS *cœnobij Scholarium, viri simplicis.*

NARRAVIT nobis abbas Gregorius presbyter cœnobij Scholarium, quòd ibi senex magnus, magnæque abstinentiæ moratus sit: erat autem simplex circa fidem, & vbicumque eum esse contigisset, indiscretè communicabat. Quadam igitur die apparuit ei angelus Dei, dicens: Dic senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? vt Ægyptij monachi faciunt, an vt Ierosolymitæ? Senex autem respondit ei: Nescio. Tunc ait Angelus: Cogita, & delibera; post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergo senex ad alium, narrauit ei quæ sibi dixerat Angelus. Quod cùm audisset senex, stupefactus ex auditu, diutiusq; intendens in eum, ac diuinitus inspiratus dixit ei: Vbi sumis sancta mysteria? Respondens ille ait: Vbicumque inuenio. Tunc ait illi senex: Non tibi vltrà contingat, vt extra sãctam Catholicam & apostolicã Ecclesiam communices, vbi nominantur sanctæ quatuor synodi, Nicæna, trecentorum decem & octo patrum; Constantinopolitana, centum & quinquaginta; Ephesina prima, ducentorum; Chalcedonensis, sexcentorum & triginta. Cùm autem venerit Angelus, dic ei: Sicut Ierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit Angelus, & dixit seni: Quid est senex? cogitasti? Dixit autem illi senex: Sicut Ierosolymitæ volo. Dicit ei Angelus: Benè, bene. Et continuò reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, & cum hæreticis condemnaretur.

Angelus seni apparet de sepulturâ rogans.

Soli Catholicæ Ecclesiæ communicandum.

CA. CLXIX.

Vita SANCTIMONIALIS *feminæ, quæ erat ex sanctâ ciuitate.*

PERREXIMVS ad abbatem Ioannem anachoretam, qui appellatus est Rutilus, narrauitque nobis, dicens: Audiui abbatem Ioannem Moabitam narrantem, ac dicentem: Sanctimonialis quædam erat in sanctâ ciuitate, religiosa valdè, & secundùm Deum proficiens. Inuidit ergo diabolus virgini, immisitque iuueni cuidam impurum & diabolicum in eam amorem. Virgo autem illa mirabilis cùm diaboli sensisset insidias, perditionem adolescentis miserata, sumpto cilicio vno, paucisque infusis cibarijs, venit ad eremum, adolescenti ex recessu suo quietem à tentatione ac salutem parans, & sibi ipsi ex solitudine securitatem & augmenta meritorum. Post multum verò temporis per dispensationem Dei, ne ipsius excellens conuersatio maneret incognita, vidit eam anachoreta quidam in solitudine Iordanis, & ait illi: Quid, mater, in hac solitudine facis? Illa verò latere anachoretam cupiens, ait illi: Ignosce mihi, quia erraui de viâ; sed per Dominum, pater, fac charitatem, & ostende illam mihi. Ille verò diuinitus de illâ admonitus, ait ei: Crede mihi, mater, non tu errasti de viâ, neque viam requiris. Itaque sciens quia mendacium de diabolo est, dic mihi veritatem caussæ, propter quam huc venisti. Tunc ait illi virgo: Ignosce mihi, abba: adolescens quidam scandalizatus est in me, & propereà veni in hanc eremum, melius existimans hîc mori, quàm offendiculum cuiquam fieri, iuxta Apostoli vocem. Dicit illi iterum senior: Et quantum temporis hîc habes? Quæ ait illi: Habeo gratiâ Christi annos decem & septem. Rursum ait ad illam anachoreta: Et vnde nutriris? Illa verò cilicium & [18] infusa proferens, dixit anachoretæ: Ecce cilicium istud, quod vides, mecum de ciuitate exijt & ista pauca infusa. Talemque dispensationem in me humilem ostendit Deus, vt tanto tempore istis nutriar, neque imminuta sint. Et hoc autem scito, pater, quia sic me ipsius

Virgo & se & adolescentem periculo eximit fugiendo ad eremum.

Ioan. 8.

1. Cor. 6.

Annis 17. durat illi cilicium & cibus ex ciuitate assumpti.

ipsius benignitas protexit, vt per istos decem & septem annos nullus homo me viderit, nisi tu solus hodie; ego autem aspiciebam omnes. Et hæc audiens anachoreta, magnificè glorificauit Deum.

...rgo alios ...dens ipsa ...isibilis.

CAP. CLXX.

Vita 39 IOANNIS *anachoretæ, qui in spelunca villæ Sochus morabatur.*

NARRAVIT nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctæ ecclesiæ Ascalonitarum, & sacrorum vasorum custos, de abbate Ioanne anachoretâ, dicens: Quasi verè magnus in generatione istâ fuit, atque ad commendationem summorum illius apud Deum meritorum, hoc de ipso miraculum narrabat: In speluncâ, inquit, morabatur senex in partibus villæ, quæ dicitur Sochus, viginti ferè milliaribus ab Ierusalem. Habebat autem senex in speluncâ imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, in vlnis ferentem Iesum Christum Dominum & Saluatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue Ierosolymam ad adorandam sanctam crucem & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratiâ, siue ad martyres distantes ab Ierosolymis multis prolixisque interuallis (erat enim senex martyrum reuerentiæ mirabiliter deditus, & nunc quidem pergebat Ephesum ad sanctum Ioannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, nunc verò ad sanctam Theclam in Seleuciam Isauriæ, nunc ad sanctum Sergium in Saraphas, & modò ad istum, modò ad illum sanctum) reficiebat candelam, & accendebat, vt sibi consuetudo erat, atque ad orationem stans, & Deo vt suum iter dirigeret supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in imaginem ipsius: Sancta Domina nostra Dei genitrix, quia longum iter iturus sum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque ne extinguatur iuxta propositum meum serua; ego enim adiutorio tuo comitante iter arripio. Hisque ad imaginem dictis, egrediebatur, peractoque proposito itinere, reuertebatur, aliquando post mensem, sæpè etiam post duos vel tres menses, nonnumquam post quinque vel sex, & ita reperiebat integram candelam & ardentem, sicut eam, cùm iter arriperet, dimiserat, & numquam hanc à seipsâ extingui vidit neque de somno surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ex eremo in speluncam pergens.

Ioannes varias peregrinatio nes suscepit.

Abiens candelâ D. Virginis imagini accendit, & commendat.

Multis mensibus ardens candela, non consumitur.

De eodem.

DICEBAT nobis & hoc de ipso idem venerabilis Dionysius presbyter, quòd die quadam ambulabat senex in finibus villæ Sochus, vbi erat spelunca ipsius, ambulansque leonem vidit ingentem è regione venientem. Pergebat autem in viâ valdè angustâ inter duas sepes positâ, quibus agricolę rura sua munire consueuerunt, spinosas frutices plantantes. Tantam verò semita illa præ sentibus angustiam habebat, vt vix vnum aliquem vacuum & expeditum pedibus incedentem susciperet, & ne illum quidem sine impedimento liberè transire permitteret. Cùm ergo sibi inuicem appropinquassent senex & leo, neque senex retrò redijt, vt leoni transitum liberum daret, neque propter nimias semitæ angustias leo reuerti poterat, neque vtrumque simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retrò redire sustinentem, erexit se in posteriores pedes, erectusque stans ad læuam senis, pondere ac viribus corporis repulsâ maceriâ, modicam seni latitudinem præstitit, iter sine impedimento iusto viro præbens; atque ita transiuit senior dorsa leonis perfricans. post cuius transitum exurgens de sepi leo, peregit & ipse iter suum.

Ioanni leo iter præbet, & impedimenta aufert.

Ad hunc abbatem Ioannem pergens frater quidam, cùm nihil in speluncâ illius inuenisset, ait seni: Quomodo hîc moraris, pater, non habens quæ sunt necessaria? respondit senex, & ait: Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est; dat, & accipit.

Spelunca eius spiritalis mercatura, dat & accipit.

Vita abbatis ALEXANDRI *Cilicis, qui prope mortem à dæmone arreptus est.*

CAP. CLXXXII.

PROPE sanctam Bethleem monasterium est sancti Sergij, quod duobus circiter milliaribus distat, & cognominatur Xeropotamus: in hoc antistes fuit valdè religiosus abbas Eugenius, qui postmodum episcopus Hermopolis factus est in Ægypto, quæ est in finibus sita Thebaidis. Hic, cùm ad eum venissemus, narrauit nobis de abbate Alexandro Cilice, quòd cùm inter speluncas sancti Iordanis senuisset, accepit illum in monasterio suo. Qui circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi menses tres. Ante decem verò dies quàm migraret ad Dominum, à dæmone arreptus est. Et cœpit senex ad dæmonem dicere: Ad vesperam venisti, miser, hoc magnum non est; quoniam in lectulo deuinctus sum, & moueri non possum: ostendisti, miserrime, imbecillitatem tuam. Nam si potens & valens esses, ante hos quinquaginta vel sexaginta annos

Alexander moribundus à dæmone arreptus.

Dæmoni suam imbecillitatem exprobrat.

debueras appropinquare mihi, ego enim per confortantem me Christum ostendissem tibi infirmitatem tuam, ac deiecissem rugitum tuum, atque contriuissem rigidam illam tuam inflexamque ceruicem. Nunc autem non meaest imbecillitas, sed infirmitas est quæ premit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens, ostendam iniuriam quam abs te passus sum, quia post tot annorum labores & fatigationem, circa exitum sic atrociter in me inuasisti. Ista & alia plurima horis singulis dicens, decimâ die cum omni quiete Domino Christo spiritum in pace reddidit.

CAP. CLXXIII.

Mirabile factum senis Ægyptij, nomine DAVID.

DICEBAT abbas Theodorus Cilix: Cùm adhuc morarer in Scithi, erat illic senex Ægyptius, nomine Dauid, qui die quadam ad metendum profectus est. Habent enim consuetudinem Scithiotæ, vt abeant ad villas, & metant. Ascendit ergo senex in villam, & sub mercede operabatur. Conduxit autem illum agricola quidam. Cùm itaque meteret senex, die quadam circa horam septimam æstus magnus factus est, & abijt senex in quoddam tugurium, & sedit. Veniens autem agricola, & videns sedentem senem, dicit ei cum iracundiâ: Cur non metis, senex? nescis quia mercedem tibi reddo. Dixit ei: Ita sanè; sed quia æstus magnus est, & grana tritici de spicis decidunt, idcircò paululùm exspecto, donec transeat æstus, neque damnum patiaris. Dicit ad eum agricola: Surge, labora, & ardeant omnia. Cui respondit senex: Et vis, vt ardeant? Dixit ille cum iracundiâ: Ita planè. Tunc surrexit senior, & ecce continuò ardere cœpit ager. Currens autem agricola venit ad alios senes, qui in aliâ parte agri operabantur, & orabat eos, vt venirent & deprecarentur senem vt oraret & ignem extingueret. Venientes autem senes prostrauerunt se humi: ille autem dixit eis: Dixit ipse vt arderet. exoratus tamen ab eis abijt, & stans medius inter ea quæ arserant, & ea quæ non arserant, orauit, & continuò extinctus est ignis, & saluata est pars reliqua ruris.

Ardet ager agricolæ sibi per iracundiam id optantis.

Extinguitur ignis oratione Dauidis.

CAP. CLXXIIII.

Vita abbatis IOANNIS EVNVCHI, *nec non iuuenis* MONACHI, *qui numquam bibere statuerat, atque alterius* SENIS *valdè orationibus deditit.*

ERAMVS in Nono Alexandriæ, cùm accessimus ad monasterium abbatis Ioannis eunuchi vtilitatis gratiâ. Inuenimus autem ipsum senem qui egerat in habitu monastico annos octoginta, ita misericordem, vt alium neminem illi similem viderimus; non solùm enim ad homines, verùm & ad bruta animalia misericors erat. Quid ergo faciebat senex? Nullum opus aliud habebat, nisi hoc: Surgens de mane ibat ad canes omnes qui erant in monasterio, & cibum præbebat illis. Similiter & paruis formiculis farinam apponebat, triticumque maioribus formicis. Madefaciebat & paximatia, & ea super tecta proijciebat, vt volucres comederent. Ita degens iugiter, nihil cùm moreretur in suo monasterio dimisit, non portam, non fenestram, non spetlum, non candelam, non tabulam, & ne singulis immorans prolixior sim, non dimisit omnino terrenum aliquid. Numquam vel vnâ horâ tenuit vel librum, vel pecuniam, vel indumentum; sed omnia egenis dabat, omnem curam suam ad futura transferens.

Ioannes mirè hospitalis etiam in bestias.

Omnia despicit, futuris intentus

Narrabant autem & hoc de ipso, misericordiam eius & compassionis affectum commendare volentes. Die quadam venit ad eum agricola quidam, petens vt aureum nummum illi mutuò daret. Cùm verò ille non haberet (nec enim vmquam aurum tenebat senex) misit continuò, & mutuauit à monasterio numisma, & dedit homini qui id à se petierat, pollicenti post vnum mensem hoc se illi redditurum. Cùm verò præterissent anni duo, & agricola illud non redderet, accersiuit illum abbas Ioannes, & ait illi: Da mihi numisma, frater. Qui dixit, nouit Deus quia non habeo. Tunc ait illi senex: Agnosce, frater, quia inueni tibi modum per quem possis mihi illud reddere. Qui ait seni: Iube quidquid vis, & faciam; putans homo quòd senior sibi aliquid iniungere vellet. Tunc dixit abbas Ioannes: Cùm tibi opportunum est, nec habes quid facias, veni huc, & triginta genuflexiones pro me facito, & dabo tibi vnum argenteum. Cui cùm ille libenter consensisset, quoties illi vacabat ab opere, pergebat ad senem, & completo orationum numero dabat ei senex iuxta constitutum, argenteum nummum, dabatque illi comedere & bibere, tribuens insuper paximatia pro totâ domo suâ. Cùm igitur impleslet viginti quatuor argenteos, id est, aureum nummum, accepit ab eo senex, & dimisit illum, dans ei etiam benedictiones.

Mutuum petenti dat aliunde mutuatum.

Debitorem iuuat ad restituendum mutuum.

Idem abbas Ioannes eunuchus narrauit nobis, dicens: Ascendimus in Thebaidem ad cœnobium abbatis Apollo, vidimusque ibi iuniorem fratrem habentem etiam carnalem

nalem patrem, & ipsum monachum. Statuit ergo iuuenis numquam bibere aquam, neque vinum, neque potionem aliam toto vitæ suæ tempore. Edebat igitur olera quædam comestibilia, quæ ipsum ex siti recreare poterant: habebat autem & ministerium coquendi panes. Cùm verò tres annos hoc abstinentiæ modo cucurrisset, incidit in grauissimam ægritudinem, ex quâ etiam defunctus est. Cumque febre vreretur, & ex immensâ siti fatigaretur, hortabatur ab omnibus vt vel modicam potionem degustaret; neque prorsus hoc facere frater ille passus est. Abbas igitur accersito medico, vt languenti, si quâ ratione posset, subueniret, precabatur. Qui cùm venisset & videret fratrem in tali necessitate, rogare eum cœpit, vt modicum alicuius potionis acciperet. sed cùm ille non acquiesceret, dixit abbati: Afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquæ amphoras quatuor, fecit illum intus immitti vsque ad femora per vnam horam. Affirmabat autem nobis abbas Ioannes (illic enim aderat) quòd cùm illum ex aquâ eduxissent, metiens medicus aquam, inuenit eam ex magnâ parte imminutam. Ecce quàm vim sibi intulerunt continentes monachi, seipsos propter Deum his necessitatibus subdentes, vt sempiternis fruerentur bonis.

Quidam frater omni potu abstinet.

Etiam in ardenti febri potum recusat.

Idem rursus nobis enarrauit, dicens: Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cuiusdam, vidique, quia vbi stare ad orationem solebat, tabula erat supposita. Vbi autem genua figebat & manus, concauum erat plusquam digitorum quatuor: ex frequentiâ quippe & vsu continuæ orationis cauauerat tabulam.

Ex crebris genuflexionibus tabula cauata.

CAP. CLXXV. *Vita* MVLIERIS *fidelis, quæ mirâ sapientiâ virum suum gentilem ad fidem conuertit.*

CVM in Samo insulâ essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domni Pauli candidati, dicens: Cùm essem in ciuitate Nisibe, erat ibi Christiana mulier, virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta[41] miliarisia, quod numismatis genus est. Die verò quadam ait vir vxori suæ: Demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus; ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor, ait viro: Si placet ea fœnerari, veni, demus illa sub fœnore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: Et vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait illa: Ego tibi ipsum ostendam: si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumens virum suum, duxit in sanctam ecclesiam: habet autem ecclesia illa quinque magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes, dicens: Istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit; isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cœpit erogare pauperibus: reuersique sunt in domum suam.

Mulier Christiana marito gentili suadet, vt Deo Christianorum fœneret.

Maritus quinquaginta numismata per pauperes Deo erogat.

Cùm verò post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil vt video, daturus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, & nunc angustiamur inopiâ. Respondit mulier, & ait illi: Profectò dabit; vade vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens abijt in sanctam ecclesiam; veniensque in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circuiens totam ecclesiam, neminem vidit qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret in seipso, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret; aspexit ante pedes suos in marmore iacere numisma vnum ex illis, quæ pauperibus ipse erogarat, inclinansque se, & accipiens illud, abijt in domum suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in ecclesiam, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi, vt dixisti, nullusque mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit; ille enim inuisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rursusque ipse prouidebit nobis. Abijt ille, & emit sibi panem, & vinum, & piscem, & veniens domum dedit vxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, exenteransque illum, inuenit in visceribus eius lapidem valdè mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem; non tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse, miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen, quid esset.

Fœnus quærens, vnum numisma in ecclesiâ inuenit.

Eo piscem emit.

In pisce lapis pretiosus inuenitur.

Cùm autem comedisset, ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam, & vendam illum, si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, nouerat & ipse, quid esset, vtpote simplex & rudis. Tulit itaque lapidem, & abijt ad trapezitam, cuius

erat proprium talia emere & vendere, inuenitque illum iam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? Ait autem ille: Da quidquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi, dicit ei: Et tantum vis pro illo persoluere? Existimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor iterùm se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens: Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret, cœpit ille ampliùs lapidem æstimare. Paulatim verò emptor ascendens vsque ad trecenta numismata peruenit, deditque illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptaque pecuniâ, venit ad vxorem suam gaudens. Quæ cùm videret illum exultantem, dixit: Quantò illum vendidisti? Putabat autem, quòd illum quinque vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei: Ecce Deus Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues! Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti, sed paucis diebus ipsa tibi sextuplicata restituit? Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terrâ, neque in cælo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cùm experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est repentè Christianus, & glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ vxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

Trecentis numismatibus lapis distrahitur

Deus quinquaginta numismata pauperibus erogata sextuplicata restituit.

CAP. CLXXXVI.

Vita MOSCHI *mercatoris Tyrij.*

PERREXIMVS in cœnobium speluncæ abbatis Sabæ, ad abbatem Eustachium ipsius cœnobij præpositum, narrauitque nobis, dicens: Erat Tyri mercator quidam, nomine Moschus; is nobis, cùm Tyrum venissemus, hoc retulit, dicens: Cùm essem super commercia, profundo vespere abij lauatum, & in viâ reperi mulierem stantem in tenebris. Ad quam ego vbi perrexi, consensit sequi post me. Præ diabolico itaque gaudio non laui, sed ad cœnam prope-raui, multumque orabam illam, vt comederet; sed illa gustare quidquam passa non est. Tandem surreximus; & cùm ad cubandum venissemus, vellemque illam amplexari, voce magnâ cum lacrymis clamauit, dicens: Væ mihi miseræ! Tremefactus itaque interrogabam caussam fletuum. Illa verò ampliùs eiulans ait: Vir meus negotiator est, & naufragium fecit, perdiditque & sua & aliena, & propterea in carcere inclusus est, nec habeo quid faciam, vt vel panem illi ministrem, atque ideò præ nimiâ paupertate corpus meum exponere proposui, vt illi panem inueniam. omnia enim deperierunt. Et dixi illi: Quantum est debitum? Quæ ait: Quinque auri libræ. Proferens autem aurum dedi illi, dicens: Ecce Dei nutu non tetegi te; da aurum, & redime virum tuum, & orate pro me.

Moschus misereri mulieri quinque auri libras dat, vt maritum redimat.

Deinde post aliquantulum temporis calumnia contra me conflata est apud Imperatorem, quòd commercij cuncta dissipassem. Mittens autem Imperator diripuit omnem substantiam meam, nudumque pertractum Constantinopolim in carcerem misit. Vbi cùm plurimum temporis egissem, solo vno vestimento præter camisiam indutus, die quadam audio, quòd Imperator me vellet occidere: itaque de vitâ desperans plorabam. Flentem autem & eiulantem sopor oppressit, vidique in somnis quasi mulierem illam, quæ aliquando virum habuerat in carcere, dicentem mihi: Quid est quod habes, domine Mosche? Quare hîc inclusus es? Me autem respondente: Calumniam perpessus sum, & puto quia occidet me Imperator. ait mihi: Vis, vt loquar pro te Imperatori, & dimittet te? Ad quã ego: Nũquid ille cognoscit te? Ait: Vtique nouit. Expergefactus autem ambigebam quid hoc esset. Astitit autem mihi secundò & tertiò eadem repetens, & dicens: Noli timere, ego te absoluam cras.

Visio Moschi incarcerati.

Diluculò autem, Imperatore iubente, adduxerunt me in palatium. Cumque ingressus essem, ille vt aspexit me putri & scissa indutum tunicâ, dixit mihi: Ecce nunc tui misertus sum; vade, & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam ad dexteram Imperatoris astantem, & dicentem mihi: Confide, & noli timere. Iussitque rex mihi vniuersa restitui, addensque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me præterea locum tenentem.

Eleemosyna mulieri præstita Moschum à carcere liberat.

Ipsâ igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: Scis, quæ sim ego? illa sum, cum quâ fecisti misericordiam, & propter Deum non tetigisti corpus meum. Ecce & ego liberaui te à periculo. Vides clementiam Dei, quomodò per me, cui fe-

cisti misericordiam, apparuit tibi misericors, quasi dicens: Hoc propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

CAP. CLXXVII. *Doctrina abbatis* IOANNIS *Cyzici pro acquirendis virtutibus.*

CVM à sanctâ Gethsemane ascenderemus in sanctum montem Oliueti, monasterium offendimus abbatis Abramij. Huius monasterij pater erat abbas Ioannes ex Cyzico; interrogauimus autem eum die quadam, dicentes: Quomodo virtutem possidet quispiam? Respondit senior, & ait: Qui virtutem possidere voluerit, nisi priùs oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam acquirere ac possidere non potest. Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum. Si humilitatem habere desideras, superbiam semper execrare. Si continens esse cupis, ingluuiem odi. Si pudicus, detestare luxuriam. Si nudus, materiam fuge. Qui vult esse misericors, auaritiam caueat. Qui eremum habitare desiderat, ciuitatis frequentiam odio habeat. Qui cupit inuenire quietem, fiduciam oderit. Qui peregrinus esse vult, [42] apparentiam seu cupiditatem ostendendi se odio habeat. Qui iracundiam continere desiderat, multorum consortia fugiat. Qui iniurias obliuisci vult, maledicta detestetur. Qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat. Qui continere vult linguam, obstruat aures ne multa audiat. Qui Dei timorem habere semper cupit, corporalem oderit requiem, diligatque afflictionem & angustiam.

Vitia exosa habens virtutes acquirit.

CAP. CLXXVIII. *Vita duorum* FRATRVM *trapezitarum Syrorum.*

ABBAS Theodorus antiqui monasterij præpositus, narrauit nobis, dicens: Erant Constantinopoli fratres duo trapezitæ Syri; dixitque maior ex illis minori fratri: Veni, descendamus in Syriam, & possideamus paternam domum nostram. Dixit illi iunior: Cur ambo dimittimus hîc ministerium nostrum? Descende ipse, & ego hîc manebo; vel ego descendam, & tu hîc remane. Conuenit ergo inter eos, vt descenderet iunior. Cùm itaque descendisset, post breue tempus is qui Constantinopoli remanserat, vidit in somnis senem quemdam speciosum & magnæ reuerentiæ, dicentem sibi: Scis, quia fornicatus est frater tuus in vxorem cauponis? Qui exurgens à somno, contristari cœpit, & intra semetipsum dicere: Ego illi caussa fui istius lapsus, cur enim dimisi illum solum? Aspexit autem eumdem secundò dicentem sibi: Scis, quia frater tuus corruit in vxorem cauponis? Quo viso, rursum contristatus est. Tertiò conspicit eumdem dicentem sibi: Nescis, quia frater tuus perdidit liberam mulierem, & in vxorem cauponis effusus est? Scripsit igitur ad illum ex Constantinopoli, vt statim dimissis omnibus veniret Byzantium. Qui acceptis fratris litteris, statim dimisit omnia, venitque ad fratrem suum. Ille verò mox vt vidit eum, duxit in maiorem ecclesiam, & cœpit mœstus culpare illum, ac dicere: Benè fecisti, frater, quia cauponis vxorem adulterasti? quod ille cùm audisset, iurare per Deum omnipotentem cœpit, quòd neque adulterauerat, neque mulierem vllam nouerat præter legitimam vxorem. Cùm hæc maior frater audisset, ait illi: Numquid aliud quippiam peccati grauioris abs te gestum est? Ille autem asseuerabat, dicens: Verè nihil mihi conscius sum iniquitatis admisisse, nisi quòd monachos in villâ nostrâ reperi Seueriani dogmatis, ignoransque an malum esset, communicaui eis. Aliud quodlibet ignoro me fecisse. Intellexit tunc maior natu frater, hoc esse quod illi dictum fuerat, fornicatum scilicet eum fuisse, quia sanctâ Catholicâ & apostolicâ Ecclesiâ omissâ, in hæresim Seueri acephali, qui reuerà caupo est, corruens, confusus erat, ac nobilitatem rectæ fidei contaminarat.

Fratris visio de fratris spirituali adulterio. *Væ soli.* *Hæresis velut cauponis vxor.* *Hæresis fornicatio à Deo.*

CAP. CLXXIX. *Vita* MVLIERIS *quæ fidem seruauit viro suo negotiatori, & ambo à Deo adiuti sunt.*

VENIMVS Ascalonem in xenodochium patrum, narrauitque nobis abbas Eusebius presbyter, quòd negotiator quidam nauigans perdidisset omnia & sua & aliena, euasissetque ipse naufragium. Qui cùm venisset huc, à creditoribus comprehensus & in carcerem missus est, direptaque sunt omnia quæcumque domi habebat, & coniugis etiam ipsius vestimenta. Illa igitur ex multâ anxietate, & tristitiâ, & inopiâ non poterat virum vel pane nutrire. Sedente igitur illâ die quadam in carcere & gemente, intrauit vir quidam magnus vinctis dare eleëmosynam. Videns verò mulierem liberam sedentem cum viro suo, vulneratus est in amore ipsius, erat enim speciosissima, mandauitque illi per carcerarium, vt ad se veniret. Illa videns quòd agapen acceptura esset, libenter accessit. Qui sumens illam seorsum, ait ei: Quid est quod habes, & cuius rei gratiâ hîc es? Quæ illi cuncta enarrauit. Ait autem ipse: Si persoluero debitum, dormies mecum nocte istâ? Illa autem verè pulcherrima & pudicissima

Negotiatoris naufragium. *Mulier in extremâ necessitate à diuite ad adulterium sollicitata egestatem diuitijs præfert.*

1. Cor. 7. ma dixit ei: Audiui, domine, dicentem Apostolum, quia mulier non habet potestatem proprij corporis, sed vir. Permitte ergo, domine, vt interrogem virum meum, & quidquid ille iusserit faciam. veniensque omnia nuntiauit viro suo. Ille vt prudentissimus, & vxori suæ maximo deuinctus affectu, raptus non est spe & desiderio euadendi carceris iniurias; sed ingemiscens cum lacrymis ait vxori: Perge, perge soror, abrenuntia homini: spero enim in Dominum nostrum Iesum Christum, quia non derelinquet nos vsque in finem. Exsurgens autem illa dimisit à se hominem, dicens: Dixi viro meo, & non vult.

Mulier non admittit adulterum vllo pretio.

Per id autem temporis latro quidam iniectus fuerat in ipsum carcerem priusquam negotiator vinciretur: hic omnia inspiciebat, & audiebat viri ac mulieris verba, ingemuitque apud semetipsum, dicens: Ecce in quo isti casu existunt, neque tamen libertatem suam prodiderunt, vt pecunias acciperent, & dimitterentur, sed pudicitiam pluris quàm pecuniam existimauerunt; vitæque istius commoda, vt illius pulchritudinem non violarent, contempserunt. At ego quid faciam miser, qui numquam cogitaui quòd Deus esset, & idcircò homicidiorum auctor fui? Vocans autem illos ad se per fenestram eius cellulæ, vbi vinctus detinebatur, dixit eis: Ego latro sum & cædium patrator, quamobrem quacumque horâ præses venerit, ad mortem vt homicida ducendus sum. Considerans verò pudicum consilium vestrum, compunctus sum: itaque pergite, & in loco illo ciuitatis fodite, & accipite quas inueneritis pecunias: cumque persolueritis debitum, plurima etiam eulogia remanebit vobis, & orate pro me, vt & ego inueniam misericordiam.

Latro mulieri in necessitate succurrit.

Post paucos autem dies ingressus ciuitatem præses, latronem educi iussit & decollari. Sequenti autem die dixit mulier viro: Si iubes, mi domine, vadam ad locum quem denotauit latro, si fortè vera sint quæ ille prosecutus est. Qui ait: vt tibi videtur facito. Illa verò sumpto breui sarculo, vesperè ad locum abijt, & fodiens, ollam inuenit diligentissimè opertam, sumensque illam profecta est. Prudenti verò vsa consilio, paulatim creditoribus reddebat debita, vt ex hoc ab alijs pecuniam mutuari putaretur. Impleuit autem omnem debiti solutionem, virumque de carceris custodiâ eduxit. Dicebat autem qui ista narauit: Ecce quoniam seruauerunt isti mandatum Domini nostri Iesu Christi, magnificauit & ipse in eis misericordiam suam.

Castis coniugibus Deus opitulatores excitat.

Miraculum de ligno donato abbati BROCHAE *Ægyptio.* CAP. CXC.

NARRAVIT nobis Athanasius Antiochenus de abbate Brochâ Ægyptio, dicens: Cùm venisset vir ille ex Ægypto in Seleuciam, quæ prope Antiochiam est, inuenit extra ciuitatem locum desertum, quærebatque construere sibi in eo paruam cellulam. Quam cùm extruxisset, neque haberet vnde illam operiret, ingressus vrbem die quadam inuenit Anatolium, qui cognominatus est Cursus, Seleuciæ & Antiochiæ vnum ex primarijs, sedentem extra domus suæ limen, dixitque ei: Fac domine charitatem, & da mihi ligna modica, vt tegam cellulam meam. Ille verò maximè indignans, ait illi: Ecce lignum, tolle & discede; ostendens illi trabem maximam, quam habebat iacentem ante domum suam, de quâ facta esset arbor nauis onerariæ quinquaginta millium. Ait illi abbas Brochas: Benedic & tollam illud. Dicit ei rursus Anatolius stomachans, Benedictus Dominus. Apprehendit ille trabem, solusque leuauit de terrâ, & imposuit humeris suis, abijtque cum illâ ad cellulam suam. Stupore autem percussus Anatolius in eo quod factum fuerat insigni præclaroque miraculo, largitus est ei lignum illud, ex quo non solùm cellulam suam, vt petierat, operuit, sed & alia plurima ministeria exercuit.

Brochas trabem maximam in eleemosynam per iocum datam solus tollit.

Vita compendiosa sancti IOANNIS *Chrysostomi patriarchæ Constantinopolitani.* CAP. CXCI.

DICEBANT de sancto Ioanne Constantinopolitano archiepiscopo, qui iustè & dignissimè pro puritate doctrinæ, & splendore venustissimi eloquij [43] Chrysostomus cognominatus est; quòd ex quo salutarem Baptismum accepisset numquam omnino iurauerit, neque aliquem iurare compulerit, neque mentitus sit, neque alicui vmquam maledixerit, neque scurrilia locutus sit, neque iocos admiserit.

Laus sancti Chrysostomi.

Relatio de quodam MONACHO *monasterij diui* [44] *Gregorij Papæ, quomodo post mortem ab excommunicatione fuerit absolutus.* CAP. CXCII.

NARRAVIT nobis sanctus quidam presbyter, Petrus nomine, veniens ex Româ vrbe, de beatissimo Gregorio eiusdem ciuitatis Antistite, quòd cùm esset summus Pontifex, monasterium virorum maximum ædificauerit, mandatumque dederit, vt nul-

Ioannes Diaconus vitæ sancti Gregorij lib. 2. cap. 45.

vt nullus monachorum proprium aliquid haberet, ne vnum quidem obolum. Frater ergo monasterij habebat sæcularem fratrem, à quo petijt, dicens: Tunicam non habeo, ideò fac in me charitatem, & eme illam mihi. Dixit illi sæcularis frater: Ecce tria hæc numismata, accipe, & me tibi vt placet. Sumens ergo monachus tria numismata, habuit illa apud se. Quod cùm alius monachus vidisset, abijt & nuntiauit abbati. Quo audito, abbas renuntiauit & ipse sanctissimo Papæ Gregorio. Beatus verò Gregorius hoc audiens, iussit eum, vt qui monasterij regulas prætergressus esset, à Communione separari. Post modicum verò temporis moritur frater ille ita separatus, nesciente Papâ Gregorio. Post duos autem vel tres dies abijt abbas, & nuntiauit illi, dicens: Frater ille defunctus est. Quo ille audito non mediocriter contristatus est, quòd antequam absolueretur excommunicationis vinculo, migrasset à sæculo: scribensque orationem in formâ epistolæ, dedit vni ex archidiaconis, iubens illi vt iret & supra sepulcrum fratris illam legeret. per ipsas verò litteras absoluebat ab excommunicationis nexibus mortuum. Abiens igitur archidiaconus, sicut illi fuerat imperatum, super sepulcrum fratris breuem illam chartulam legit. Eademque nocte vidit abbas defunctum fratrem, & ait illi: Nónne mortuus es, frater? Qui ait: Ita sanè. Rursus interrogauit eum abbas: Et vbi fuisti vsque hodie? Dixit ei frater: Veraciter, domine, in carcere fui vsque heri: hesterno autem die absolutus sum. Notum verò factum est omnibus, quia quâ horâ archidiaconus absolutionis verba super fratrem legerat, fuerat ab excommunicatione absolutus, liberataque est de iudicio & damnatione anima ipsius.

Monachus ob proprietatem excommunicatur.

Mortuus ab excommunicatione absoluitur.

Per absolutionem eam saluatur.

CAP. CXCIII.

Factum mirabilis charitatis sancti abbatis APOLLINARIS *patriarchæ Alexandrini erga iuuenem diuitem ad inopiam redactum.*

NARRAVERVNT nobis de sancto abbate Apollinari Alexandrino patriarchâ, quòd valdè fuerit misericors, & compassionis visceribus affluens, cuius rei indicium id afferebant. Erat, aiebant, Alexandriæ iuuenis quidam, qui primarij ciuitatis dignitateque ac diuitijs clarissimi filius fuerat. Parentibus itaque illius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro quàm in naualibus commercijs dereliquerant, non satis feliciter & prosperè ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus est, cùm neq; gulæ neque luxuriæ vacauerit, quæ solent diuitum exhaurire patrimonia, sed in casus varios atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentissimo pauperrimus effectus est, iuxta illud Psalmistæ, Adscendunt vsque in cælos, & descendunt vsque ad abyssos. Namque adolescens quantò fuerat pecuniis sublimior, tantò per inopiam inferior factus est.

Adolescens diues totus depauperatur.

Psal. 106.

Hoc audiens beatus Apollinaris, vidensque in quantum miseriæ & paupertatis adolescens delapsus esset, cùm parentes eius fuissent locupletissimi, miseratus illius casum, exiguum ipsi charitatis impendere voluit subministrando alimenta, sed erubescebat. Et quoties videbat illum, in secreto conscientiæ suæ angebatur; cernens vestem sordidam, & luridam faciem, quæ sunt extremæ paupertatis indicia. Cùm igitur huiusmodi curis angeretur pontifex, die quadam diuinitus inspiratus, consilium profectò mirabile inuenit, ipsiusque sanctitati maximè conueniens.

Apollinaris cogitat de modo illi succurrendi.

Accersiuit itaque [45] Nomicum seu dispensatorem sanctissimæ ecclesiæ, seorsumque illum alloquens, dixit ei: Potes mihi seruare secretum, domne dispensator: Qui ait: Spero, domine, in Filium Dei, quia quodcumq; mihi iusseris, nemini dicam, neq; discet vmquam id aliquis ex me quod mihi seruo tuo aperueris. Tunc ait ad illum episcopus Apollinaris: Vade, conscribe chirographum debiti quinquaginta librarum auri, quæ à sanctissimâ istâ ecclesiâ Macario illius miseri adolescentis patri debebantur, & appone testes & stipulationem & rata, & affer illud mihi. Dispensator continuò, quod sibi fuerat à pontifice iniunctum, cum omni celeritate peregit, attulitque chirographum, & dedit illi. Cùm itaque pater adolescentis ante decem annos defunctus esset, chartaque chirographi noua videretur, ait illi pontifex: Vade domne dispensator, chirographum istud vel in tritico vel in hordeo absconde, & post paucos dies affer illud ad me: quod ille cùm fecisset, præfinito die chirographum retulit quasi subuetustum, deditque pontifici. Tunc ait ille: Perge modò, domne dispensator, & dicito adolescenti: Quid mihi daturus es, si tibi dedero chirographum magnæ pecuniæ quæ debetur tibi? Et caue, ne plus quàm tria numismata ab illo accipias, & præbe illi chirographum. Respondens autem dispensator: Verè, mi domine, si iusseris, nihil accipiam. Dixit ei ille: Volo omnino vt tria numismata accipias. Perrexit autem ille ad iuuenem sicut ipsi iussum fuerat, & dixit ei: Dabis mihi tria numismata, si ostendero tibi

Chirographum debiti conscribi curat in commodum adolescentis.

bi

bi aliquid magnæ vtilitatis tuæ? Ille verò pollicitus est illi quidquid vellet se daturum. Fingens autem dispensator, ait illi: Ante quinque vel sex dies euoluens instrumenta ecclesiastica, reperi chirographum istud, & memini, quia Macarius pater tuus mihi multùm confidens, ipsum mihi diebus aliquot permisit. Defunctoque ipso, contigit illud apud me vsque hodie manere: obliuione enim subreptum mihi est, nec vmquam venit in mentem, vt illud redderem tibi. Ait illi adolescens: Nosti an locuples sit persona illa, quæ debet? Dixit ei dispensator: Ita sanè locuples, & grata est, potesque ab illo debitum sine labore recipere. Dixit ei iunior: Nouit Deus, quia modò nihil habeo; sed si recepero, quod meum est, quidquid petijsti, dabo tibi, vltra tria etiam numismata. Tunc dedit ei dispensator instrumentum quinquaginta librarum.

Dispensator chirographum adolescenti defert.

Suscepto itaque chirographo, perrexit ad sanctissimum pontificem, prostratusque ante illum dedit ei chirographum. Cùm ergo accepisset ille instrumentum ipsum, ac legisset, cœpit se ipsum turbatiorem ostendere, dixitque ei: Et vbi fuisti vsque modò? pater tuus ante decem annos defunctus est. perge, nolo tibi nunc respondere. Qui dixit illi: Veraciter, mi domine, non ego illud habui, sed dispensator illud habebat, & nesciebam. Sed Deus ipsius misereatur, quia modò ipsum mihi reddidit, dicens se illud inter chartas suas domi inuenisse. Pontifex verò illum interim remisit, dicens: Deliberabo mecum, seruato apud me chirographo. Post vnam igitur hebdomadam redijt ad episcopum iunior, iterumque deprecabatur eum. Ille autem quasi nihil ei dare vellet, dicebat: Quare tantum distulisti proferre chirographum? Dixit illi adolescens: Mi domine, scit Deus quia non habeo vnde familiam meam nutriam; itaque, si Deus inspirat vobis, misere mini mei. Tunc dixit illi sanctus Apollinaris, fingens se illius precibus cedere: Summam quidem integram ego tibi restituam; hoc autem obsecro, mi domine frater, ne à sanctâ hac ecclesiâ vsuras exigas. Tunc procidens illi adolescens ait: Quidquid voluerit & iusserit mihi dominus meus, hoc faciam; & si ex principali summâ placet minuere aliquid, minue. Dixit illi episcopus: Non id quidem; satis est, si nobis vsuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta auri libras, dedit ei, & dimisit eum, orans eum pro vsuræ remissione. Hoc opus summi Apollinaris, ista sancta illius ars atque misericordia. Ita verò Deus iuueni cooperatus est per sanctam eius benedictionem, vt ex tantâ inopiâ emergeret, atque in priorem suum statum ordinemque remearet, plusque etiam quàm parentes sui opum ac pecuniarum copia excelleret, ac prætereà magna lucra animæ consequeretur.

Adolescentis egestati 50. auri libris succurrit Apollinaris.

Admonitio SENIS *qui morabatur in Scithi, facta cuidam monacho ne ingrederetur tabernas.* CAP. CXC. II.

SENEX quidam morabatur in Scithi: hic die quadam venit Alexandriam, vt opus manuum suarum venderet, viditque ibi iuniorem monachum ingressum esse cauponam. Quâ ex re senex vehementer afflictus, manebat foris expectans, donec egredienti iuueni colloqueretur. Quod & factum est. Mox enim vt egressus est iuuenis, tenuit illum senior per manus, & seorsum illum ducens, dixit ei: An nescis, domine frater, quia habitum angelicum fers? ignoras, quia iuuenis es? Non nosti, quia multi sunt inimici nostri laquei? Nescis, quia & per oculos, & per aures, & per figuras varias & habitus, monachi in ciuitatibus læduntur? Tu autem in cauponas intrepide ingrederis, & quæ non vis audis, & quæ sunt noxia vides, inhonestisque & viris & mulieribus coniungeris. Noli itaque, fili mi, noli obsecro, sic agere, sed fuge in eremum, vbi cum Dei adiutorio saluari potes. Respondit ei iunior: Perge senior, Deus non quærit nisi cor mundum. Tunc expandens in cælum ambas manus suas senex ait: Gloria tibi Deus; Ecce enim ego habeo in Scithi annos quinquaginta quinque, & mundum cor non habeo; hic autem in tabernis conuersans cordis munditiam possidet. Et ad fratrem conuersus dixit: Deus & te seruet, & me non confundat à spe meâ.

Nihil monacho cum caupona.

Angelicum monachorum habitus.

Difficile in sæculo & tabernis cor mundu gerere.

Vita EVAGRII *philosophi à Synesio Cyrenes episcopo ad Christi fidem conuersi.* CAP. CXCV.

CVM Alexandriæ essemus, Leontius Apamiensis, vir religiosus ac fidelissimus, venit ex Pentapoli; multis enim iam annis Cyrene moratus fuerat. Venit autem diebus Eulogij sancti Alexandrini patriarchæ, eiusdem Cyrenensis vrbis futurus episcopus. Cumque in familiari colloquio essemus, narrauit nobis, dicens: Fuit temporibus Theophili beatissimi patriarchæ Alexandrini Cyrene episcopus Synesius philosophus. Qui cùm venisset Cyrenem, reperit illic philosophum quemdam, Euagrium nomine, qui sodalis suus in studijs liberalibus fuerat, amicum sibi charissimum, sed religione gentilem, & culturæ idolorum maxi-

Synesius Euagrium philosophū ad fidem conatur adducere.

maximè deditum: eum episcopus Synesius ab idololatriâ transferre ad culturam Christi satagebat; curamque ingentem eius rei sibi assumpserat pro charitate quam erga ipsum à principio habuerat. Ille verò minimè id patiebatur, neque illius doctrinam admittere volebat: episcopus tamen præ nimio ad illum amore ne sic quidem tædio victus desistebat diebus illum singulis hortari, & instruere, ac inducere vt Christo crederet, ipsiusque Sacramenta susciperet. Cumque illi quotidie ista monita dare persisteret; dixit ad eum semel philosophus: Verè, mi domine episcope, cum ceteris quæ mihi displicent in Christianis hoc est, quòd consummationem sæculi istius futuram dicunt, & post consummationem omnes qui ab initio sæculi fuerunt homines, in isto corpore resurrecturos; carnémque hanc incorruptibilem recepturos, & immortalem; atque ita in perpetuum victuros, sicque eorum quæ in corpore gesserunt, præmia percepturos: eum etiam qui miseretur pauperi, fœnerari Deo; & qui dispergit in pauperes & inopes, in cælo sibi thesauros reponere, & centuplicata quæ erogauerit in regeneratione cum æternâ vitâ à Christo esse reddenda. Quę omnia cùm dicuntur, deceptio, & irrisio, & fabula mihi videntur: episcopus autem Synesius asseuerabat omnia Christianorum vera esse, nihilque omnino habere falsum vel veritati contrarium, idque multis documentis asserebat, & persuadere illi nitebatur.

Tergiversatur Euagrius de resurrectione.

Tandē cum familiā baptizatur.

Post multum verò temporis, cùm illum induxisset Christianum fieri, baptizauit ipsum & filios eius, cunctósque domesticos illius. Ceterùm non multò posteà quàm baptizatus fuerat, dedit episcopo auri tria centenaria in vsum pauperum, dicens: Accipe aurum istud, & distribue illud pauperibus, & fac mihi cautionem manu tuâ, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo. Qui suscepto auro, promptè illi, vt petebat, cautionem fecit.

Aurum Deo per pauperes fœnori dat, cautionis chirographo à Synesio suscepto.

Vixit itaque post Baptismum annos aliquot philosophus, ac tandem infirmatus est ad mortem. Cùm verò morti proximus esset, dixit filijs suis: Quando curabitis funus meum, chartam istam in meis manibus ponite, & me cum illâ sepelite. Mortuo autem illo, fecerunt filij sicut eis ipse præceperat, sepelieruntque eum cum chirographo. Tertiâ verò post sepulturam die apparuit episcopo Synesio nocte quiescenti, dicens: Veni ad sepulcrum, vbi iaceo, & accipe chirographum tuum; accepi enim debitum, satisfactumque mihi est, atque vt certior eius rei fias, propriâ meâ subscripsi manu. Ignorabat autem episcopus quòd chirographum illud consepelissent ei.

Curat se cum chirographo sepeliri.

Mortuus, satisfactum sibi à Christo renuntiat.

Manè autem facto, accersitis filijs eius dixit: Num aliquid cum patre vestro in monumento posuistis? Illi putantes, quòd eos de pecunijs interrogaret, dixerunt ei: Nihil, domine, præter pannos consuetos. Quid igitur? Numquid vel chartam aliquam consepelistis ei? Tunc recordati illi (ignorabant enim quòd de chirographo diceret) dixerunt ei: Ita sanè, domine; chartam enim quamdam moriens dedit nobis, & ait: Quando sepelietis me, chartam istam mihi in manibus date, nullo penitus sciente. Tunc dixit illis episcopus somnium, quod nocte illâ viderat, suméńsque illos cum clericis ac primarijs ciuitatis accessit ad philosophi tumulum. Quo aperto, inuenerunt iacentem philosophum, chirographumque manu episcopi conscriptum suis manibus tenentem. Accipientes autem chirographum ex illius manibus, aperuerunt, inueneruntque in eo nouiter manu philosophi subscriptum ita: Ego Euagrius philosophus tibi, sanctissimo domino Synesio episcopo salutem. „ Accepi debitum in his litteris manu tuâ „ conscriptum, satisfactumque mihi est, & „ nullum contra te habeo ius propter aurum „ quod dedi tibi, & per te Christo Deo & „ Saluatori nostro. Qui verò conuenerant, „ hoc videntes obstupuerunt, & per multas horas clamauerunt, Kyrie eleison, glorificantes Deum qui facit mirabilia, talémque ac tantam promissionum suarum euidentiam dat seruis suis.

Testatur id chirographo in manu eius in sepulcro inuento.

Asserebat autem & hoc idem dominus Leontius, cautionem illam manu philosophi subscriptam seruari vsque hodie, atque in sacrario sanctæ Cyrenensis ecclesię custodiri; & quicumque sacrarij custos ingrederetur, hanc illi cum ceteris vasis sacris assignari custodiendam cum omni diligentiâ, atque eum deinceps successori suo integram illam inuiolatamque reconsignare.

Seruatur miraculosū chirographum in sacrario ecclesiæ Cyrenensis.

Miraculum, quod PVERIS *Apamiensibus contigit, qui ioco verba sanctæ consecrationis protulerunt.* C.CXCVI.

NARRAVIT nobis Gregorius Africanæ prouinciæ præfectus, fidelis vir, & monachorum ac pauperum amator, bonisque omnibus semper congaudens:

In prouinciâ, inquit, meâ (erat autem Apamiensis secundæ Syrorum prouinciæ, ex oppido quod dicitur Thorax) ager est ab vrbe quasi quadraginta milliaribus distans, qui Gonagus dicitur; in hoc, siue in eius finibus pueri pascebant pecora, & vt solet pueris contingere, puerili consuetudine

voluerunt ludere. Cumque luderent, dixerunt ad inuicem: Venite celebremus Missam, & offeramus sacrificium, & communicemus, sicuti semper in sanctâ ecclesiâ presbyter facit. Quod cùm placuisset omnibus, constituunt ex eis vnum in ordine presbyteri, duosque alios pueros in ministrorum officio, veniuntque ad saxum quoddam (erant enim in planitie) ac supra saxum in morem altaris apponunt panem, & vas testeum cum vino: assistuntque, vnus quidem coram altari, qui fungebatur officio presbyteri, medius, duo verò alij hinc atque hinc veluti ministri. Et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat, illi verò fasciolis quæ ferebantur, pro flabellis vtentes, auram faciebant. Qui verò presbyteri fungebatur officio, ideò sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in ecclesiâ, vt pueri in Missis ante sacrarium assisterent, primique post clericos communicarent sanctis Christi Dei nostri venerandisque mysterijs. Quoniam verò quibusdam in locis altâ voce consueuerunt presbyteri sancti sacrificij orationes pronuntiare, pueri vt propiùs astantes sæpiùs eas audiendo didicerant.

Pueri Missam celebrant, verba oblationis super panem proferendo.

Cùm igitur omnia secundùm ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam panes frangerent ac communicarent, ignis cælitus delapsus, quæ proposita erant consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita vt nihil omnino neque saxi, neque eorum quæ fuerant superposita, relinqueretur. Hoc repentè factum cùm pueri vidissent, in terram omnes præ timore corruerunt, ac diutiùs semiuiui permanserunt, neque erumpere vocem, neque de terrâ surgere valentes. Cùm verò non redirent domum horâ quâ consueuerant reuerti, sed pauidi in pauimento iacerent, exierunt è villâ parentes eorum, vt viderent cuius rei gratiâ consueto legitimo tempore non reuertissent. Egressi autem pueros omnes humi iacentes inuenerunt, neque agnoscentes aliquos, neque loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaque semiuiuos eos aspicientes, vnusquisque filium suum assumentes, domum retulerunt, videntesque pueros in huiusmodi excessu diutiùs durantes, mirabantur nimiùm, caussam stuporis eorum omnino ignorantes, nec discernere valentes, sæpiusque illos per totum diem interrogantes, responsum nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant, scire omnino nequiuerunt, donec dies illa & nox tota præterijt. Tunc enim & pueri paulatim in se ipsos reuersi, cuncta ipsis retulerunt quæ gesta fuerant, & quæ illis contigerant. Assumentes verò parentes suos & omnes loci ipsius habitatores, egressi sunt, & locum eis ostenderunt, in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quædam elapsi ignis indicantes.

Ab igne cælesti panis & saxum consumitur.

Audientes verò quæ facta fuerant, & ipsis indicijs rerum admoniti, in ciuitatem cucurrerunt, cunctaque episcopo ciuitatis nuntiauerunt: qui perculsus magnitudine & nouitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit, vidensque pueros, & rursus ab eis quæ euenerant audiens, & cælestis ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuò in monasterium immisit, locum verò monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis ecclesiam construxit, & sanctum erexit altare.

Pueri monasterio traduntur. *Ecclesia loco illo miraculoso extruitur.*

Dicebat autem ipse domnus Gregorius fidelissimus vir, vnum se istorum puerorum aspexisse, eiusque monasterij vbi miraculum acciderat, monachum ipsum cognouisse. Et istud quidem magnum reuerà ac diuinum stupendumque miraculum Gregorius venerabilis nobis ætate nostrâ contigisse enarrauit.

Relatio RVFFINI *de sancto Athanasio & alijs pueris sodalibus.* C.CXCVIII

RVFFINVS autem qui ecclesiasticam conscripsit historiam, simile quiddam priori ætate gestum à pueris ludentibus narrat. Ait enim, cùm puerilia conscriberet Athanasij sanctissimi, magni propugnatoris ac præconis veritatis magnæque Alexandrinæ ciuitatis episcopi, & orbis totius doctoris inclyti, quomodo scilicet ipsius promotio ad episcopatum ex præscientiâ diuinâ initium sumpsisset.

Consequens autem mihi videtur esse, pauca de viri antiquitate repetere, & qualis à puero fuerit vitæ, qualisve instituti, meminisse, quemadmodum ab his qui cum illo familiarissimè vixerunt, accepimus. Eo igitur tempore quo Alexander sanctissimus Alexandrinæ ecclesiæ post Achillam præerat, iuxta prædictionem sancti Petri archiepiscopi & martyris, qui impium Arium damnauit; cùm die quadam ex eminentiore loco mare intueretur, aspexit pueros in littore ludentes, vt consuetudo pueris est, episcopumque imitantes, ac ecclesiasticos ritus omnes. Cùm ergo pueros illos diutiùs intueretur, maiora quædam & sacratiora illos aggredi mysteria videt. Turbatus itaque continuò, clericos aduocans eis ostendit, quæ ipse conspexerat, præcepitque vt irent & pueros omnes apprehenderent, atque

Ruff. l. 1. hist. c. 14.

Pueri episcopalia officia emulantur.

atque ad se adducerent. Venientes igitur pueros interrogat, quis eis ludus fuerit, quidve, & quomodo gesserint. Illi verò, vtpote pueri, perterriti, ab initio quidem negare cœperunt, posteà verò totam seriem exposuerunt, confessique sunt se quosdam baptizasse catechumenos per Athanasium, quem sibi pueri episcopum fecerant. Tunc igitur diligenter inquirens ab ijs, & quinam baptizati fuissent, & quid, & quomodo interrogati, quídve respondissent; cùm ab eo qui interrogauerat, cuncta didicisset, comperto quòd omnia iuxta ritum religionis nostræ peregissent, rem in commune cum clericis agitans, definiuit vt dicitur, eos qui Baptismo consecrati fuerant, cùm omnia circa se solemniter peracta fuissent per interrogationes & responsiones, secundò quidem non oportere baptizari, sed impleri ea quæ solent à sacerdotibus fieri. Porrò Athanasium, & ceteros, quos ille vt sacerdotes & diaconos habuerat in ministerio, conuocatis eorum parentibus, sub Deo teste ecclesiæ tradidit, vt illic nutrirentur.

Puer Athanasius in littore maris episcopum simulans, catechumenos baptizat.

Ratus is Baptismus habitus.

Ecclesia Athanasius cum socijs sacerdotibus & diaconis traditur.

Modico itaque transacto tempore, cùm & [46] à Notario perfectè, & à Grammatico sufficienter Athanasius iam instructus esset, continuò quasi fidele depositum Dei, sacerdotiâ parentibus traditur, & veluti Samuel quidem in templo nutritur. Quoties verò Alexander in senectute ad episcopos proficisceretur, iste sequebatur eum, ferens sacerdotij amictum, qui Hebraicè appellabatur Ephod.

Alexandro episcopo Alexandrino cohabitat.

Tanta verò & tam præclara contra hæreticos Athanasij in sanctâ Ecclesiâ fuêre certamina, vt illud de eo scriptum esse videatur, quod dictum est: Ego ostendam ei, quanta pro nomine meo illum oporteat pati. Nam in eius persecutionem totus conspirauit orbis, commoti sunt reges terræ & gentes, & regna exercitusque contra illum conuenerunt. Porrò ipse diuinum illud eloquium opere implebat, quo dicitur: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Verè enim tanta illius ac talia feruntur opera, vt magnitudo quidem rerum nihil me præterire persuadeat, multitudo verò gestorum plurima tacere compellat. Fluctuat itaque ambigua mens, neque planè dignoscere valet, quid conscribere, quid omittere debeat. Atque ideò paucorum meminimus, quæ ad rem pertinent: reliqua verò fama enarrabit, quæ profectò minora, quàm se habeat veritas enuntiabit; veritati quippe nihil addere poterit.

Act. 9.

Variis persecutionibus agitatur.

Psal. 26.

C. CXCVIII. *Responsio sancti* ATHANASII *episcopi Alexandrini, num quis sine fide baptizari possit.*

INTERROGATVS est aliquando prædictus sanctus Athanasius postquam Alexandriæ episcopus constitutus fuit, An posset quispiam sine fide baptizari secundùm ritum & prædicationem Christianorum: aut si credere se simulans, aliquibus alijs occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus. Et respondit, dicens: Audiui aliquando à senioribus nostris, quòd beato Petro episcopo & martyri, cùm facta esset mortalitas, & plerique ad Baptisma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humanâ specie, dicens: Quamdiu huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus & vacua, & nihil intus habentia? Erunt itaque, quantum ex Angeli voce conijcere licet, signum habentes Baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi, si Baptisma susciperent, [47] atque idcircò baptizati sunt.

Baptizati ex simulatione, vel alio simili respectu, inania sunt marsupia, sed signata.

C. CXCIX. *Relatio de* SENE *quodam simplice, qui cùm Sacramentum offerret, Angelos videbat.*

NARRAVIT quidam patrum, quòd senex quidam mundus & sanctus existens, cùm offerret Sacramentum, videbat Angelos sibi dextrâ læuaque assistentes. Porrò hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, & veluti simplex & rudis diuinorum dogmatum, quando offerebat, in simplicitate & innocentiâ dicebat quæ non decebant secundùm rectam fidem, ignorans quòd falleretur.

Senex Angelos dextrâ læuaq. sacrificanti sibi assistere videt.

Per diuinam igitur dispensationem perrexit ad eum diaconus quidam peritissimus diuinorum dogmatum. Contigit autem sanctum senem, præsente illo, sacrificium offerre. Dixit autem ei diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum & prauæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat Angelos dum offerebat, non intendit his quæ dicebantur à diacono, sed contempsit. Diaconus autem persistebat, dicens: Falleris, abba; non enim admittit fides Catholica ista quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cùm autem videret diaconi constantiam in se arguendo senex, atque in oblatione salutari sanctos Angelos, vt consueuerat, intueretur, ait eis: Diaconus iste mihi hæc & ista dicit: quomodo se

Forma oblationis verba non recta fidei miscebat.

Docetur à diacono, confirmatibus veram formam Angelis.

habet veritas? Dicunt ei Angeli: Ausculta ei, nam vera loquitur, & rectè ista prosequitur. Dixit autem eis senex: Quare vos non dixistis mihi? Dixerunt autem illi Angeli: Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur. Et ab eo tempore correctus est, gratias agens Deo & fratri.

Cap. cc. *Quomodo* Ivvenis *aurifex à viro patricio sit in filium adoptatus.*

NARRAVIT nobis quidam sanctorum patrum, quòd iuuenis quidam ingeniosus se ad aurificem pro discendâ arte contulerit, quam dum solerter addisceret, vnus ex patricijs iniunxit eis, vt crucem auream lapidibus pretiosis ornatam facerent, quò illam ecclesiæ offerret. Et quoniam valdè ingeniosus erat adolescens, iniunxit illi magister eius id opus. Cœpit ergo adolescens cogitare intra se, ac dicere: Si iste tantas offert pecunias Christo, cur non & ego mercedem meam in istam crucem conferam, vt eam mihi, tamquam duo minuta viduæ, computet Christus? cogitans igitur quantum mercedis esset accepturus, mutuatur id, & in crucem mittit. Veniens itaque patricius ponderat crucem, priusquam in illa lapides includerentur, inuenitque plus habere ponderis quàm constituerat. Cœpit itaque minitans vrgere adolescentem, quasi fraudem fecisset, aurumque adulterasset. Tunc ait illi adolescens: Nouit ille qui solus cordium scrutatur arcana, qui nihil tale feci. Sed cùm viderem te tantum pecuniarum Christo Domino obtulisse, cogitaui immittere mercedem meam, vt & ego partem habeam tecum, vtque me suscipiat Christus, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit iuueni: Itáne, fili, cogitasti? Ait ille: Ita sanè. Patricius verò dixit illi: Quoniam ita cogitasti, totamque voluntatem tuam obtulisti Christo, volens habere partem mecum, ecce ex hodiernâ die suscipio te mihi in filium, heredémque constituo. Et assumpsit eum secum, atque heredem suum fecit.

Iuuenis aurifex cruci aureæ de suo peculio ex pietate quadam addit.

Adoptatur ob opus hoc pietatis à patricio in filium.

Cap. cci. *Vita* Viri *Constantinopolitani nobilissimi, cui pater moriens Dominum Iesum Christum reliquit curatorem.*

NARRAVIT quidam patrum, dicens: Ascendi aliquando Constantinopolim cuiusdam necessitatis gratiâ; cumque in ecclesiâ sederem, ingressus est quidam sæcularis, maximè illustris atque fidelissimus. Is cum aspexisset me, accedens salutauit cum omni charitatis officio. Et post salutationem sedit iuxta me, & cœpit interrogare de his quæ pertinent ad animæ salutem. Cumque ego illi dicerem, quòd his qui ritè terrena disponunt, cælestia quoque donantur: Benè, inquit, pater, dixisti. Nam verè beatus est, qui spem suam in Deum ponit, & se ipsum totum committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdam sæcularis gloriâ clarissimi. Erat autem ipse pater meus eleëmosynis maximè deditus, & plurima pauperibus distribuebat. Die ergo quadam vocauit me, & ostendit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cùm placerent mihi quæ faciebat, respondi me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt; Christus autem manet in æternum. Quod ille cùm audisset, omnia iam liberè & largâ manu pauperibus erogabat, ita vt moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem iam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat.

Terrena despicienti cælestia donantur.

Quidam præ paternâ hereditate Christum curatorem eligit.

Erat autem alius quidam diues valdè, & primarius, habens vxorem fidelem Christo, & timentem Dominum, habebat autem & filiam vnicam. Dixit ergo illa viro suo: Hanc solam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus est Deus; cuius ergo rei indiget? Si quæsierimus dare illam alicui primario, & diuiti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper. Quæramus illi virum humilem, & timentem Dominum, qui secundùm Deum illam diligat & foueat. Qui dixit illi: Rectè dixisti. Perge ergo in ecclesiam, & ora intentissimè, atque illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur vt iusserat vir eius: cumque orasset, & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum, continuò accersiuit me, cœpitque interrogare, dicens: Vnde es? Ego autem dixi illi: Ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autem mihi: Illius eleëmosynarij? Et dixi: Ita illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes vxorem? Et dixi: Non. Narrauique illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego responderam ipsi. Illa verò glorificans Dominum, ait: Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorem, & pecunias, vt vtaris vtrisque cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viam vsque in finem teneam.

Cùm pauper iam esset, diues illi puella desponsatur, Christo ita curante.

Vita

CAP. CCII. *Vita* ABIBAE *sæcularis hominis filij, serui Dei.*

NARRAVIT aliquis patrum, quòd sæcularis quidam habuerit filium pium, religiosum, virginem, & ab ipsis annis puerilibus continentiæ rerum omnium assuetum, adeò vt vinum iam non biberet. Habebat autem in votis sedere in solitudine: pater verò eius volebat illum sæculi obligare negotijs, neque poterat; nam hoc ille minimè patiebatur. Erant & illi alij fratres, ipse autem maior natu omnibus. Cùm autem illius institutio à patris voluntate esset remotissima, obiurgabat illum assiduè pater, exprobrans illi ipsam continentiam, & dicens: Cur similis non es fratribus tuis, nec te ipsum negotijs exponis? Ille verò sustinebat tacens. Omnes verò diligebant eum pro illius religione & modestiâ.

Abibas continens & à sæcularibus rebus abstractus.

A patre reprehensus, patienter sustinet.

Cùm verò pater eius moriturus esset, quidam ex genere ipsius, & alij Abibæ (hoc enim erat filio nomen) amantissimi, putantes quòd illum odisset pater eius propter assiduas illius obiurgationes, conuenerunt, dicentes: Ne fortè priuet hereditate seruum Dei pater, pro illo deprecemur. Erat enim diues valdè. Pergunt itaque ad eum, & dicunt: Conuenimus aliquid abs te precaturi. Quibus ille ait: Quid vultis à me petere? Pro domno Abibâ oramus, ne illum negligas. Tum pater: Pro illo rogatis me? Dicunt ei: Vtique. Qui ait: Vocate illum huc. Putauerunt autem, quòd iuxta consuetudinem obiurgare eum vellet. Cumque ingressus fuisset, ait illi pater: Appropinqua mihi. Et cùm appropinquasset ei, tenuit pedes eius plorans, & dicens: Ignosce mihi, fili mi, & ora Deum, ne mihi imputet quoniam afflixi te. Tu enim quærebas Christum, & ego sæculariter mouebar. Vocat autem & alios filios, & ait illis: Hic dominus vester & pater est; quidquid dixerit, facite, & quod vos habere voluerit, in ipsius potestate erit. Admiratique sunt omnes. Statim verò vt mortuus est pater ipsorum, distribuit fratribus partes. Ipse verò sumens partem suam, dedit eam pauperibus, nihil sibi omnino reseruans. Fecit autem sibi paruam cellulam, vt solitarius degeret: moxque cùm consummasset cellam, infirmatus est, atque ad finem peruenit.

Solus heres à patre scribitur.

Fratres facit coheredes.

Partem suam in pauperes distribuit.

Aderat autem illi frater eius, cui dixit: Vade, frater, fac domui tuæ consolationem. aderat quippe celebritas sanctorum apostolorum. Dixit ei frater eius: Quomodo dimittam te, & abibo? Ait illi: Vade, & cùm venerit hora mea, ego te vocabo. Cùm ergo venisset hora, surrexit ad fenestram, & pulsauit. Intendit autem in eum frater eius. Et ille ipsi annuit, dicens: Veni. Statim verò vt venit frater eius, tradidit spiritum Domino. Omnesque mirati sunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Eximiâ charitate, quâ dilexit Christum, dignum inuenit finem.

Præscius est suæ mortis.

C. CCIII. *Relatio de quodam* LAPIDARIO, *qui prudenti consilio vitam in mari seruauit.*

NARRAVIT quidam patrum, quòd aliquando lapidarius quidam, habens lapides pretiosissimos, & gemmas, & margaritas, nauem conscendit cum filijs suis, peregrè ire cupiens & negotiari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quemdam qui erat in naui diligere, qui illi quoque in naui ministrabat, & ipse etiam ab eo reficiebatur, comedens ex his quæ ille comedebat. Die verò quadam audiuit nautas puer submurmurantes inter se, & statuentes illum in mare proijcere pretiosorum lapidum caussâ. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictum, vt ex consuetudine suâ ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mœstus es, fili? Ille verò dissimulabat dolorem, & tacebat. Rursum interrogauit eum, dicens: Dic mihi veraciter quid habes? Tunc ille erumpens in fletum ait illi: Sic & sic consilium fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Vtique, sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc aduocans filios suos dixit eis: Quodcumque dixero vobis, impigrè & absque vllâ disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cœpit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cùm tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. & cùm omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est? propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilque mecum ex isto sæculo fero? Dixit autem filijs suis: Proijcite in mare ista omnia. Mox itaque vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Porrò nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes.

Lapidarius lapides pretiosos in mare conijcit, ne totum caussâ à nautis occidatur.

C. CCIV. *Quomodo* MVLIER *religiosa & timens Deum, monachum à turpi desiderio compescuerit.*

DICEBAT aliquis patrum: Frater quidam à serpente morsus est, ingressusque est ciuitatem vt curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædam mulier,

& timens Dominum, & curabat eum. Cùm verò modicum cœpisset à doloribus deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebátque tangere ipsius manum. Quæ dixit ei: Non ita, pater; Christum time: recole tristitiam & pœnitentiæ dolorem, quem in cellâ tuâ passurus es: memento gemituum & lacrymarum, quas effusurus es. Hæc ille & alia similia cùm ab eâ audisset, fugit ab ipso pugna diaboli, iámque erubescens inde fugere volebat, non valens præ pudore in ipsius faciem intendere. Illa rursus eum in visceribus Christi miserans, dicebat ipsi: Noli discedere, pater, opus adhuc habes fomentis. Non erat puræ animæ tuæ illa cogitatio, sed perditi corruptorísque diaboli suggestio. Atque ita sine scandalo curatum illum à se cum viatico dimisit.

Casta & religiosa mulier nè manum quidem suam à religioso tãgi sustinet.

CAP. CCV. *De aliâ* MVLIERE *prudente, quæ se impetentem monachum sapienti consilio reiecit.*

NARRAVIT nobis quidam, quòd aliquis manens in cœnobio missus est pro responsis cœnobij. Erat autem quidam religiosus sæcularis in vico morans, apud quem ille diuertebat, quoties veniret in vicum. Habebat verò ille filiam nuper viduam relictam, quæ vixerat cum viro suo vnum aut duos annos. Cùm ergo frater ille ingrederetur & egrederetur ad eos, impugnari de illâ cœpit. Quæ, vt erat prudens, id cognouit, & obseruabat se vt non veniret in conspectum eius. Quadam verò die intrauit pater eius proximam ciuitatem cuiusdam necessitatis caussâ, dimittens eam in domo solam.

Prudens fœmina ne fratri cuidam scandalo sit, conspectum eius fugit.

Veniens autem frater ille secundùm consuetudinem, solam eam reperit, & dixit ei: Vbi est pater tuus? cui illa: Ingressus est ciuitatem. Cœpit ergo turbari ab impugnatione, volens insurgere in eam. Quæ cum omni prudentiâ dixit ad illum: Noli turbari; pater meus vsque serò non reuertetur: hic ambo sumus; scio autem, quòd vos monachi sine oratione nihil facitis, surge itaque & ora Deum, & quidquid miserit in cor, hoc faciamus. Ille verò non acquiescebat, sed perturbabatur magis. Quod illa vbi animaduertit, ait illi: Numquid cognouisti vmquam mulierem? Dicit ei: Non, sed scire volo quidnam sit. Quæ ait illi: Idcircò turbaris, quia ignoras fœtorem infelicium mulierum. Et volens illi passionem imminuere, dixit: Nunc ego sum in menstruis, & nemo mihi appropinquare potest, neque odorari præ fœtore. His ille alijsque plurimis ab eâ auditis, compunctus & in seipsum rediens, lacrymatus est.

Mentione fœditatum muliebriũ tentationem à fratre abigit.

Postquam verò vidit illum puella ad seipsum redijsse, dixit ei: Ecce si te audissem, & obtemperassem tibi, iámque peccatum perpetrauissemus, quâ deinceps facie, quibus oculis aspicere potuisses patrem meum, vel reuerti ad monasterium tuum, & audire psallentium sanctorum chorum? Deprecor itaque vt sobrius ac vigilans sis, nec velis iam propter breuem voluptatem perdere tot labores quot pertulisti, æternisque priuari bonis. Audiens autem hæc ipsius verba frater ille qui passus fuerat tentationem, quique ista retulit, gratias agens Deo, qui illum per mulieris prudentiam & pudicitiam ne funditus periret, eripuerat, reuersus est ad monasterium, & peccati sui pœnitentiam egit.

Breui voluptati æterna bona præferenda.

CAP. CCVI. *Quâ arte* 48 MVLIER *quædam illustris mansuetudinem edocta sit.*

NARRAVIT quidam ex patribus, quòd mulier illustris & ex senatorio genere, venerit adorare sancta loca. Cumque descendisset Cæsaream, placuit sibi illic requiescere, rogauitque episcopum, dicens: Da mihi vnam virginem, vt informet me & doceat timorem Dei. Eligens autem episcopus virginem humilem, tradidit ei. Post aliquantulum verò temporis occurrens illi episcopus, ait: Quomodo se gerit virgo quam assignaui tibi? Quæ ait: Bona quidem est, sed non valdè prodest animæ meæ: permittit enim me voluntates meas facere, cùm sit humilis. Sumens autem episcopus vnam duriorem dedit ei, quæ illam obiurgabat, appellans eam fatuam diuitem, & his similia illi exprobrans. Post tempus aliquod rursum illam rogauit episcopus: Quomodo se habet altera virgo? Quæ dixit: Reuerà ipsa prodest animæ meæ. Atque ita magnam acquisiuit mansuetudinem.

Peregrinatio ad loca sancta.

Quomodo mansuetudo acquiratur.

C. CCVII. *Vita* PVELLAE *Alexandrinæ, quæ à sanctis Angelis de sacro fonte fuit leuata.*

NARRAVIT nobis abbas Theonas & Theodorus, quòd Alexandriæ sub Paulo patriarchâ puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus magnâ facultate locupletibus: erat autem adhuc sine Baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quemdam parantem sibi laqueum vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multâ tribulatione sum. Quæ ait illi: Dic mihi caussam, & fortassis iuuare

iuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valdè suffocor à creditoribus; elegique potiùs vitam semel finire, quàm ita miserè viuere. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia quæ habeo, & redde, tantùm ne perdas teipsum. Sumens verò ille reddidit omnia.

Puella Alexandrina omnibus bonis cedit vt desperabundum à laqueo reuocet.

Puella ergo angustari cœpit, non habens qui sibi curam gereret. Itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere.

Depauperata fornicationi se tradit.

Dicebant ergo viri qui nouerant illã, quo in statu erant parentes eius: Quis nouit ista, nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima labi propter caussam aliquam ipsi soli cognitam, & ad tempus derelinqui.

Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa cõpuncta est, orauitq; vicinos, dicens: Propter Dominũ facite misericordiam cum animâ meâ, & loquimini Papę, vt me faciat Christianã. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christianã, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Numquid reuerà istud cupis? Respondit illa: Vtique domine, & deprecor te vt hoc mihi impetres. Qui ait: Noli tristari, ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos & ipsos sanctos Angelos, duxeruntque illam in ecclesiam: rursumque seipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas ex ordine Augustalis, vocant clericos, presbyterum scilicet & diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis clerici: Vestra charitas pro eâ pollicetur? Illi autem responderunt: Etiam nos pro illâ pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt, & albis nuper baptizatorum vestibus induta rursus ab eis subuecta est. quam cùm deposuissent, euanuerunt.

Ad se rediens, & Baptismum petens, despicitur, nec susceptorem habere potest.

Angeli sunt eius susceptores in specie hominum illustrium.

Vicini ergo cùm illam ita albis indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nuntiauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam & tulerunt me in ecclesiam, locutique sunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerũt ad eam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere qui essent, illi abeuntes nuntiauerunt episcopo. Dixit autem episcopus his qui ad baptizandum constituti erant: Vos illam baptizastis? Et confessi sunt se illam baptizasse exoratos ab illo & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex prætorio his, quos clerici dixerant, dixit episcopus: Num ipsi pro istâ fide iussistis? Qui dixerunt: Neque nouimus, neque conscij sumus nobis hoc fecisse. Tunc verò iam cognouit episcopus, Dei hoc opus esse. Conuocánsque illam dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni: Quæ ait: Meretrix existens & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi episcopus: Nihil ne omnino operata es? dixit ei: Non, nisi quòd videns quemdam qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, datâ illi omni substantiâ meâ liberaui eum. Et his dictis continuò obdormiuit in Domino, liberata à delictis tam voluntarijs quàm inuoluntarijs. Tunc episcopus glorificans Dominum, dixit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Psal. 118.

Beneficium hoc puellæ à Deo ob opus eius charitatis præstitum.

Pulchra responsio SENIS, *facta fratri qui à tristitiâ impugnabatur.* C.CCVIII.

FRATER, qui à tristitiâ impugnabatur, interrogauit senem, dicens: Quid faciam, quia cogitationes meæ insurgunt aduersum me, dicentes: Inutiliter & importunè renuntiasti, saluari non potes. Dixit ad eum senior: Scis, frater, quia etsi non possumus terram repromissionis ingredi, expedit nobis, vt cadamus in deserto, quàm vt reuertamur in Ægyptum?

Præstat in deserto cadere, quàm reuerti in Ægyptum.

Pulchra admonitio cuiusdam sancti VIRI *super verbis orationis Dominicæ*, Et ne nos inducas in tentationem. C.CCIX.

DIXIT quidam sanctorum: Cùm oramus ad Dominum, dicentes: Ne nos inducas in tentationem; non vt non tentemur oramus (hoc enim possibile non est) sed ne à tentatione absorbeamur: si aliquid agamus quod displiceat Christo; hoc enim est non intrare in tentationem. Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem, sicuti neque qui pugnat cum bestiâ, quousque non deuoratur ab eâ: cùm verò deuoratus fuerit, tunc introiuit in tentationem. Ita & in omni passione fit: neque enim intramus in tentationem, nisi à passione superemur. Matth. 6.

Intrat in tentationem, qui à passione superatur.

Quomodo sanctus EPISCOPVS *altercantem secum alterum humilitate superauerit.* CAP. CCX.

QVIDAM ex patribus narrauit de duobus vicinis episcopis, quòd aliquando inter eos simultas quædam exorta sit. Erat autem ex his alter quidem diues & astutus, alter verò humilis valdè, quærebátque astutus ille alium lædere. Quòd cùm ipse comperisset, ait clero suo: Christi gratiâ vincere possumus. Dixeruntque illi: Quis, domine, aduersus istum prævalere possit? Et ait illis: Exspectate paulisper, & videbitis mise-

misericordiam Dei. Obseruauit igitur diem, quâ ille martyrum festiuitatem celebraret, assuménsque clerum suum ait illis: Sequimini me, & quidquid me facere videritis, & vos facite, prorsúsque victores erimus. Dicebant ergo: Quid putas facturus est? Venit igitur ad episcopum, & pertranseunte Litaniâ, populoque totius ciuitatis congregato, procidit ad pedes eius cum toto clero suo, dicens: Ignosce nobis, domine, serui tui sumus. Stupefactus ille, atque compunctus in tantâ episcopi humilitate, Deo cor illius immutante, pedes illius tenuit, dicens: Tu meus & dominus & pater es. Factaque est inter eos ex illâ die magna charitas atque concordia. Dicebat autem clero suo humilis ille: Numquid non per Christi gratiam vicimus? & vos ergo cùm habetis inimicum, ita facite, & victores eritis.

Episcopus humilitate aduersarium placat & eum lucratur.

Dixit iterùm senex: Maiorem habet gloriam humilis quàm rex: ille enim solùm in faciem laudatur; hic autem semper & vbique laudatur, & beatus prædicatur.

Maior humilis quàm regis gloria.

C. CCXI. *De* SENE *magnæ virtutis, qui fratrem sua illi suffuratum à carcere liberauit.*

NARRAVIT nobis abbas quidam, dicens: Erat prope cœnobium nostrum senex quidam lenissimi animi, maximæque virtutis. Habebat autem in vicino cellæ suæ fratrem, qui per instigationem die quadam dum abesset senex, ingressus est cellam eius, librósque illius & vasa diripuit. Cùm ergo redijsset senex, & aperto ostio, vidisset vasa omnémque supellectilem sublatam esse, perrexit ad fratrem, vt nuntiaret ei quid sibi contigisset, inuenitque vasa adhuc in medio posita; nondum enim frater ea reposuerat. Nolens autem senior confundere vel arguere fratrem, simulatâ necessitate, continuò ad necessaria naturæ egressus est, ibique permansit per multam horam, donec frater ille vasa de medio tolleret, atque reponeret. Veniens autem postmodum senex, de aliâ re illum alloqui cœpit, neque ipsum omnino arguit.

Senex prudenter fratris furtum dissimulat.

Post paucos autem dies deprehensum est à quibusdam fratris furtum, missúsque est in carcerem, sene nihil penitùs sciente. Comperto autem, quòd in carcerem frater ille coniectus esset, ignorans caussam senior, venit ad monasterium nostrum, ad quod accedere sæpè consueuerat, dixitque mihi: Fac charitatem, & da mihi aliqua esculenta. Et aio ad illum: Num aliquem habes hospitem? Dixit autem mihi: Habeo sanè. Accepit autem ea senior, vt iret ad fratrem in carcerem, & consolaretur ac reficeret eum. Vt autem ingressus est carcerem, procidit frater ille ad pedes eius, dicens: Propter te hîc detineor, abba; ego enim sum, qui tua omnia furatus fui: sed ecce liber tuus apud illum est, & pallium tuum, & cetera illo & illo in loco sunt. Dixit ei senior: Certus esto, fili, idque firmiter tene, quia non idcircò ad te veni: neque enim sciebam penitùs, quòd propter me hîc esses; imò comperto quòd hîc detineretis inclusus, indolui, ingressúsque sum consolandi tui caussâ; nam ecce quæ attuli pro refectione tuâ: faciam autem omnia, vt te de carcere liberem. Profectúsque rogauit pro eo quosdam de principibus: quibus cùm nota esset viri virtus, mittentes eduxerunt fratrem illum de custodiâ.

Eumdem incarceratum è carcere liberat.

De duobus SENIBVS, *qui mirâ patientiâ erga latrones vsi sunt.* C. CCXII.

DICEBAT quidam senum: Accessit ad nos senex magnæ virtutis; legentibusque nobis patrum vitas atque sententias (delectabatur enim senex ille eâ potissimùm lectione, ita vt esset illi semper in ore & in corde; vnde & ex eâ maximum virtutis fructum acquisiuit) ad eum senem legendo ventum est, ad quem ingressi latrones dixerunt: Omnia, quæ habes in cellâ tuâ, tollere venimus. Ipso verò dicente: Quæcumque videntur vobis, filij, tollite: tulerunt omnia, & abierunt. Et cùm solùm marsupium quod pendebat reliquissent, senex, illo accepto, post eos sequebatur clamans ac dicens: Accipite, filij, à me quod tollere obliti estis de cellâ nostrâ. Quamobrem admirantes illi senis tolerantiam, omnia suis locis in cellulam reuersi restituerunt, dicentes ad inuicem: Verè hic homo Dei est.

Apud Pelag. libell. 16. n. 1.

Senex marsupium suum à furibus relictum, ijs reuocatis offert.

Cùm igitur hoc legeremus, ait ad me senex: Hoc exemplum mihi multùm profuit, abba. Ad quem ego: Quomodo, pater? Et ait mihi: Cùm aliquando morarer prope loca Iordanis, legi hoc, & mirabar hunc senem, & dicebam: Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum huius vestigia sequi. Et cùm arderem summo affectu imitandi eum, post biduum superuenerunt latrones, & pulsantibus illis ianuam, agnoui quia latrones essent, dixique in meipso: Deo gratias; tempus est vt ostendam fructum desiderij mei. Aperiens autem ianuam, hilariter suscepi eos, & accendi lucernam, & cœpi eis omnia ostendere, dicens ad eos: Nolite turbari; confido in Domino, quia nihil celabo vos. Aiunt autem mihi: Habes aurum?

Exemplo hoc ad similia prestanda alius senex incitatur.

Et

Et dixi eis: Etiam; habeo tria numismata, posuique illa coram eis; qui accipientes ea abierunt in pace. His ego auditis, iocans dixi seni: Numquid isti ad te reuersi sunt, quemadmodum illi ad senem? qui statim dixit mihi: Non; auertat hoc Deus: neque enim voluissem ego vt reuerterentur.

CCXIII. *Cur signa & prodigia diuinitus in sanctâ Ecclesiâ fiant.*

DICEBAT senex quidam: Signa & prodigiâ diuinitus vsque hodie in Ecclesiâ fiunt propter eas quæ pullularunt, & quotidie pullulant, impias hæreses, & maximè propter acephali Seueri, & ceterorum perniciosa schismata, ad munimen ac firmitatem infirmarum animarum; atque ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conuersionem. Propterea igitur & à sanctis patribus, & à beatissimis martyribus ab initio fidei vsque hodie fiunt mirabilia in sanctâ Catholicâ & apostolicâ Ecclesiâ.

Propter hæreses fiunt signa & miracula.

C.CCXIV. *Miraculum fontis Baptismalis in COEANENSIVM ciuitate.*

SORVBA vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœanensium ciuitas. In eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphanijs sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post Baptisma peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.

Baptisterium Epiphanijs sudans.

Aliud miraculum baptisterij castelli, CEDEBRATIS.

EST & in castello Cedebratis, quod sub monte Ænoandron ciuitatis situm est, baptisterium, quod in paschali sanctę Resurrectionis festiuitate, cùm sit lapis vnus, ex se ipso continuò impletur. Duratque aquâ illa vsque ad Pentecosten, moxque transactâ Pentecoste euanescit. Vtraque verò ista miracula in prouinciâ Lyciæ fiunt. Siquis autem hæc ita esse non credit, vsque ad Lyciam, non grande iter est, pergat, vt rei veritas fidem illi faciat.

A Paschate ad Pentecosten baptisterium ex se continuò impletur.

C. CCXVI. *Prudens consilium de non temerè definiendo, deque non seruando quæ temerè definita fuerint.*

CVM essem semel in sanctâ ciuitate, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quia quædam indignatio oborta est inter me & fratrem meum, & ille non vult reconciliari mihi; alloquere illum, & ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissimè suscipiens, conueni fratrē illius, locutusque cum illo sum ea quæ ad charitatem & concordiam pertinere videbantur. Visusque est interim obtemperare mihi, postmodum verò dixit ad me: Reconciliari nequeo, quia iuraui per crucem, vltrà illi non reconciliari. Quo audito, subridens aio ad illum: Iuramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: Per pretiosam crucem tuā, Christe, non obseruabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solùm enim non debemus ea seruare, quæ à nobis pessimè definita fuerint, sed etiam maximè pœnitentiam agere & affligi in his quæ contra nostram salutem malè definiuimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, neque iusiurandū quod stultè emiserat, seruasset, numquam profectò maximum illud scelus admisisset, vt Præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilij sententiâ confirmatur, quam de Euangelio sumpsit, quando voluit Dominus lauare pedes beati apostoli Petri, cùm ille primò pertinaciter obsistens, posteà sententiam mutauit.

Iuramentū mala & perniciosa non seruanda.

Optimum SENIS consilium, ne monachus mulieri appropinquet. C.CCXVII

DIXIT senior quidam: Filioli, sal ex aquâ est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur, & deficit: & monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in id desinit, vt iam monachus non sit.

Sal in aquâ soluitur; monachus apud mulierem.

Quomodo abbas SERGIVS iniuriantem agricolam patientiâ confuderit. C.CCXVIII.

NARRAVIT nobis abbas Sergius, antistes monasterij abbatis Constantini, dicens: Cùm aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene, errauimus de viâ, & neque scientibus nobis neque volentibus, inter satâ inuenti sumus, & aliqua de satis volentes nolentésque calcauimus. Quod cùm vidisset agricola (erat enim illic operans) cœpit contra nos iniuriosa multa proferre cum iracundiâ, dicens: Vos monachi estis? vos timetis Deum? si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profectò non fecissetis. Tunc ait nobis sanctus senior: Per Dominum nullus ei respondeat. Conuersusque ad illum, dixit: Rectè locutus es, fili mi; nam si timorem Dei haberemus, non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumelijs impetebat nos. Rursumque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili; nam si veri monachi essemus, istud non egissemus, sed per Dominum indulge nobis quoniam peccauimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem, accessit propiùs, prostrauitque se ad pedes senis, dicens: Peccaui,

Modestiâ monachorū agricola iratus placatur.

caui, indulge mihi, & per Dominum assumite me vobiscum. Dicebatque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus, & acceperit habitum.

CAP. CCXII *Quomodo* FRATER *quidam humilitate diacono de se conquerenti conciliatus sit.*

NARRAVIT nobis senior quidã de se, dicens: Cùm aliquando morarer ad breue tempus in monasterio abbatis Gerasimi, habebam quemdã mihi maximè dilectum fratrem in contubernio. Die verò quadam sedentibus nobis, & de vtilitate animæ loquentibus, mentionem feci ego de sermone quodam abbatis Pœmenis. qui ait ad me: Ego experimento didici verborum istorum vim & tranquillitatem, ac vehementem efficaciam illorum. Habui enim semel diaconum quemdam monasterij mihi charissimum, atque amantissimum mei. Huic, nescio vnde, venit suspicio de me cuiusdam rei sibi inferentis mœrorem, cœpitque contristari, & me non vt solebat gratè intueri. Videns autem ego illum tristem, caussam ab eo tristitiæ percontari cœpi. Qui dixit mihi: Quia rem istam fecisti. Ego cùm nihil mihi omnino ipsius rei conscius essem, cœpi illi satisfacere, ac dicere nullam ipsius rei me habere conscientiam. Et ait mihi: Ignosce, frater, mihi satisfactum non est. Profectus itaque ab illo in cellulam meam, cœpi examinare cor meum, an tale aliquid à me fuisset admissum, neque inueniebam. Cùm ergo ille teneret sanctum calicem in manibus, fratribusque distribueret, accessi ad eum, & iuraui per ipsum calicem, nihil me omnino tale gessisse. Nec sic quidem illi satisfactum est. Rursus verò in me ipsum rediens, verbaque ista sanctorum patrum memoriã repetens, eisque credens, verti paulisper cogitationem meam, & dixi in me ipso: Diaconus iste intentissime diligit me, & charitate motus hoc dixit mihi, quod erat in corde suo de me, vt sobrius ac vigilans sim, & de cetero custodiam me ipsum, & istud vltrà non faciam: sed tu, infelix anima, dum dicis, Non feci hanc rem; innumera mala gessisti, & latent te. Vbi sunt, quæ fecisti heri, vel nudiustertius, vel ante decem dies? recole ea si potes. Et hoc itaque fecisti, sicut & illa, & latet te similiter, vt illa. Sic itaque animo affectus, quasi reuerà id fecissem, sed inter cetera oblitus essem, cœpi gratias referre Deo & diacono, quoniam per ipsum Dominus dignum me fecisset recognoscere peccatum meum, & pœnitentiam de ipso agere. Surgens igitur perrexi ad Diaconum vt pœnitentiam agerem; & illi referrem gratias. Vt ergo pulsaui ipsius ianuam, continuò aperiens, primus se mihi prostrauit, dicens: Ignosce mihi, nam à dæmonio mihi suggestum est, vt rem illam falsò de te suspicarer. In veritate enim Deus me certum reddidit innocentiæ tuæ; neque omnino permisit vt illi satisfacerem, dicens mihi: Non est necesse. Ego igitur maximè ædificatus, glorificaui Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum incommutabilem atque indiuiduam Trinitatem, cui est honor, & imperium, & magnificentia, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Non temerè crimen de fratre suspicandum.

Frater iuramento sacri calicis se à crimine purgat.

Innocens culpam tamen agnoscens, humilitate sua iratum fratrem placat.

IN LIBRVM DECIMVM DE VITIS PATRVM NOTATIO.

1 CAP. III. NVDAM EAM SANCTO OLEO INVNGERE.] *Obtinuit olim tam viros quã feminas nudas corporibus baptizare, itaque inungere. Vide Onomasticon.*

CAP. XXI. 2. SARACENOS.] *De monachis à Saracenis interfectis Martyrologium Romanum* XIX. *Februarij*: In Palæstinâ commemoratio sanctorum monachorum, & aliorum martyrum, qui à Saracenis sub duce Alamundaro ob fidem Christi sæuissimè cæsi sunt. *Vbi Baronius notat: Iisdem cæsi sunt hi Saracenorum incursionibus, quarum mentio habetur in rebus gestis sancti Ioannis Silentiarij, quas refert Metaphrastes die* XIII. *Maij, itemque in vitâ sancti Saba abbatis apud eumdem die* V. *Decembris, ac in Actis etiam sancti Euthymij abbatis, quæ idem recitat die* XX. *Ianuarij. Consentiunt ijsdem quæ habentur in Prato spirituali cap.* XXI. *&* XCIX. *Vna eademque persecutio Saracenorum sanctos*

Ellos monachos diuersisque diebus occidit, vt non mireris, si infertius de monachis cæsis à Saracenis sæpè agatur. Hactenus Baronius.

CAP. XXV. 3. Ex Scholaribvs.] *In Græco est,* ἀπὸ Σχολαρίων. *Hernetus verterat* Scholasticus. *Ex militia ordine Scholares sunt. Vide Onomasticon.*

4. Verba sanctæ oblationis.] *Infrà c.* CXCVI. *habes item verba oblationis à puero prolata, & panem vnà cum saxo, quod pro altari erat, igne cælesti consumptum; quod reuerentiæ caussâ factum credo, ne videlicet tam sanctum mysterium puerilibus ludicris exponeretur.*

C. XXXII. 5. Babylæ.] *Vt hic ecclesiam ingrediens, auditâ fortuitâ Euangelij sententiâ ad meliorem frugem conuertitur, idem pluribus alijs contigit. Vide dicta ad Vitam S. Antonij cap* 11. *n.* 9.

C. XXXV. 6. Eliæ.] *De Eliâ in exilium misso exstat mentio in Vitâ S. Sabæ, auctore Cyrillo,* v. *Decemb. Vide Baronium tom.* VI. *anno Christi* DXIII. *Symmachi Papæ* XV. *Anastasij Imp.* XXIII. *& Theodorici Regis* XXI.

Quod verò hic habetur, post duos dies, *monet Baronius tomo eodem anno Christi* DXVIII. *Hormisdæ Papæ* VI. *Anastasij Imp.* XXVIII. *Theodorici Regis* XXVI. *duos, inquiens, nimirum dies à scriptis litteris, non autem ab obitu Anastasij numerandos. Certè in Vitâ S. Sabæ à Cyrillo monacho conscriptâ* v. *Decembris, Elias ipse ex visione & reuelatione narrat se decimo die Anastasium eâ horâ mortuum secuturum.*

C. XXXVI. 7. Accendamvs ignem.] *Frequens ea in caussâ fidei ad ignem prouocatio. Exempla aliquot congessi in Dissertat. de Fide hæreticis seruandâ c.* XII.

C. XXXVIII 8. Anastasii.] *Baronius tomo* VI. *anno Christi* CCCCXCV. *Gelasij Papæ* IV. *Anastasij Imp.* V. *Theodorici Regis* III. *agit de Euphemio in exilium misso ab Anastasio: anno verò Christi* DXI. *Symmachi Papæ* XIII. *Anastasij Imp.* XXI. *Theodorici Regis* XIX. *de Macedonio in exilium ab eodem Anastasio pulso.*

Quæ hic habes de quatuordecim *deletis, intellige de annis. Zonaras tomo* III *in Anastasio:* Καὶ αὖθις ὄναρ ἰδεῖν λέγεται ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος, ἄνδρα τινὰ φοβερὸν, τόμον κατέχοντα, καὶ λέγοντα πρὸς αὐτὸν· Ἰδὲ διὰ τὴν κακοπιστίαν σου, ἀπαλείφω τῆς ζωῆς σου ἔτη τεσσαρεσκαίδεκα: Denuò aliud vidisse somnium memoratur rex, virum terribilem, qui librum manu gestaret & diceret: Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos XIV. vitæ duæ deleo. *Vide Baronium tomo* VI. *anno Christi* DXVIII. *Hormisdæ Papæ* VI. *Anastasij Imperatoris* XXVIII. *Theodorici Regis* XXVI.

CAP. XLII. 9. Minvtorvm viginti.] *Existimo in Græco fuisse* λεπτῶν *vel* φολλῶν. *nam deest hic nobis ille textus. Infrà cap.* CXXXIV. Accipiebatque quotidianum stipendium nouem minuta. *Vide Onomasticon.*

CAP. XLV. 10. Et de adoratione.] *Septima Synodus generalis, quæ est secunda Nicæna, Actione* IV. *&* V. *exemplum hoc ex hoc libro Græcè citat.*

C. XLIX. 11. Lictores qvi assistebant.] *Græcè* φρουμενταλ. *Intelligit lictores Ducis. Hernetus verterat,* & ceteri qui assistebant. *Vide Onomasticon.*

CAP. L. 12. Vt canonarchæ.] *Hoc Herneto deerat: appositum ex Græco, in quo* κανόναρχος, *id est, qui canoni psalmorum cantandorum præest. Vide Onomast.*

CAP. LV. 13. Senvm gesta.] *In Græco est* Βιβλίον Γεροντικόν. *Ita liber ille appellabatur. Ex Gerontico MS. quædam vertit Raderus noster* III. *parte Viridarij sui. Sic* Verba Seniorum *dicebantur, quæ Patres illi scitè proferebant. Vide Prolegomeno generali* I.

14. Mittite thymiama in thvribvlvm.] *Iam olim in honorem Sanctorum thymiama incendi solitum. Vide Onomasticon.* CAP. LVII

15. Thalelæi.] *Raderus noster Viridarij parte* I. *putat hunc eumdem cum Thalelæo martyre tempore Numeriani, de quo Menæa* XX. *Maij. Sed vereor vt ratio temporis aliud suadeat: siquidem Moschus audiuit ex Petro, quæ de hoc hic habentur; at Petrus centenis annis à Numeriani imperio distat. Aliter opinandi occasio fortè fuit, quòd hic dicatur Cilix; & alter in Menæis dicatur Azarbi in Ciliciâ abditus. sed ibidem dicitur profectus à Libano, quare Libanites est.* CAP. LIX.

Verisimilius hunc eumdem esse cum Thalelæo Theodoreti cap. XXVIII. *Philothei quia vterque Cilix, & idem de pœnitentiâ dictum habent. Theodoretus eum vidit, & Moschus audiuit narrari ex Petro. sic tempora conuenire poterunt.*

16. Per Serapim facite.] *Ita locus hic nunc restitutus ex Græco. Antè nullo sensu erat,* Serapim facite. C. LXXII.

17. Carabvm] *Ex sequentibus intelligitur quid* carabus *sit. Dicitur enim:* Produc scapham. *Vide Onomasticon.* C. LXXVI.

18. Tetrapylvm.] *Porticus vel templum quatuor columnarum ordinibus constans. In Græco omittitur,* ad Orientem iuxta Tetrapylum: *eius loco est,* τῶν ἐπονομαζομένων τῆς Δωροθέας: quæ cognominabatur Dorotheæ; *de B. Virginis æde.* Tetrapyli *Alexandrini meminit Sophronius archiepiscopus Ierosolymitanus, agens de miraculis Ioannis & Cyri martyrum:* Εἴσελθε τοιγαροῦν εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ ἐν τῷ μεγάλῳ Τετραπύλῳ νηστεύων κάθευδε: Ingredere itaque Alexandriam; & in magno Tetrapylo ieiunus dormi. *quæ citantur in Septimâ Synodo Act.* IV. C. LXXVII.

19 Epitimia.] *Retinui Græcam vocem* ἐπιτιμία, *id est,* mulctas. *Ecclesiastici quidam scriptores Latini hoc vsurpant vocabulum. Vide Onomasticon.* C. LXXVIII

20. Qvibvs manibvs.] *Manibus olim viri, feminæ linteolo Eucharistiam excipiebant & sumebant. Vide Onomasticon.*

21. Apocrisiarii.] *Infrà cap.* CXLV. misso quodam apocrisiario suo. *Est ferè apocrisiarius, Græcis* ἀποκρισιάριος, *legatus ecclesiæ negotia tractans. Vide Onomasticon.*

22. Templvm S. Qviriciv.] *Videndum an non hic ipse, qui S. Quiriacus in Romano Martyrologio dicitur* XXIX. *Septembris:* In Palæstinâ S. Quiriaci anachoretæ, *cuius Vitam à Metaphraste descriptam apud Laurentium Surium eo mense habes.* CAP. XCI.

23. Saraceni.] *Vide hic dicta suprà ad* CXXI. *de Saracenorum incursionibus, & martyribus sub ijs passis.* C. XCIX.

24. Responsvm.] *Quid hic* responsum *sit, iure hæreas. Suspicor in Græco fuisse* ἀπόκρισιν, *quod interpres primâ & obuiâ notione* responsum *vertit. Videndum tamen num hic vertendum sit,* sportam, *vel simile quid. Suggerebat videlicet monacho cogitatio, vt non adoraret crucem, sed in cellam rediret, & sportas texeret. Vide dicta sup. ad lib.* V. *libel.* X. *n.* 18. CAP. CV.

Quòd si responsum *hic communi notione intelligitur, cape fratrem hunc missum pro responsis cœnobij. Sic infrà cap.* CCV. aliquis manens in cœnobio missus est pro responsis cœnobij.

25. Canthelivm.] *Sunt* canthelia, κανθήλια, *onera asinis imponi solita.* C. CVII.

26. Sibino.] *Idem mox occurrit cap.* CXXIII. vesti- CAP. CXX.

vestitum colobio de sibino. *Quid sibinum sit, nondum mihi lectum.*

C. CXXV. 27. BVRDONES.] *Vide dicta ad Vitam Simeonis Stylitæ cap. XX. num. 24. Consule & Onomasticon.*

C. CXXVII 28. IN SANCTA CHRISTI DEI NOSTRI RESVRRECTIONE. *Hoc loco* Resurrectio *est templum Christi resurrectioni dicatum. Vide Onomasticon.*

29. SYNCELLO SEV ASSESSORI SVO.] *Seruaui Græcum vocabulum* Syncellus, *qui apud Græcos est proximus à Patriarchâ. Vide Onomasticon.*

C. CXXXIV. 30. IN MEMBRANIS VALDE PVLCHRIS.] *Græcè est: ἐν ζώματι πολὺ χαλῷ. Vide Onomasticon.*

C. CXLIII 31 ZACHARIÆ.] *Zachariam non perfectè credidisse Angelo, Lucas cap. I. testatur. Non dubitauit Zacharias de Dei potentiâ, qui nouerat Isaacum de sterili Sarâ & Abrahamo genitum, sed de voluntate Dei. Quare in supplicium dubitationis cessit illi taciturnitas. Augustinus lib. L. Homiliarum, homil XLIV.* Accepit Zacharias supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis; quia non credidit, tacuit; sic enim rectè dictum est Psalmo CXV. Credidi propter quod locutus sum; quia Zacharias non credebat, meritò non loquebatur. *Ambros. l. II. in Lucam:* Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat & auditum.

C. CXLVII. 32. LEONE.] *Baronius tomo VI. anno Christi CCCCXLIX. Leonis Papæ X. Theodosij XLII. Valentiniani XXV. Impp. ad hanc de Leonis encyclicâ (quæ inter epistolas Leonis est X.) visionem notat: Sed præstat, inquit, audire potius sententiam Petri, quàm visionem Petri, dicentis:*

2. Pet. I. Firmiorem quauis visione habemus sermonem propheticum, *&c. Etenim maiorem sibi ea epistola fidem vendicat ex diuinis Scripturis, traditionibusque sanctæ Ecclesiæ, & communi sanctorum Patrum consensu, quàm ex recensitâ modò visione. Hactenus Baronius.*

Qui ad sequentis capitis visionem de S. Eulogio defensore epistolæ S. Leonis ista quoque addit: At certioris fidei, certiorisque quoque testimonij apud me est de epistolâ sancti Leonis publica Concilij Oecumenici Chalcedonensis assertio & prædicatio, quàm qualibet priuata huiusmodi visiones. Ita Baronius. Vide apud eumdem plura de hâc Leonis encyclicâ elogia.

Ad sequens caput CXLIX. de Leone ita notat Baronius anno CCCCLXI. Hilari Papæ I. Leonis V. & Seueri I. Impp. Sed quid est: Omnia tibi sunt dimissa peccata, præter manuum impositionē? *Num peccata ex parte dimitti possunt? Minimè gentium, si ad culpam referas. Ceterùm quoad pœnam dici debent dimissa fuisse S. Leoni peccata. Quòd enim facile sit, in his peccare etiam prudentem episcopum, iure*

1. Tim. 5. *S. Apostolus monet ita Timotheum:* Nemini citò manus imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. *Illis ergo remanebat S. Leo delictorum pœnis obligatus, quæ illi perpetrassent, qui ab eo indignè promoti fuissent ad Ordines. Tunc namque dicuntur Præsules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt honores & ministeria. Hinc sibi timens*

Psal. 18. *Propheta rex, ait:* Ab alienis parce seruo tuo.

Luc. 23. *Quòd si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido? Leone quis sanctior atque prudentior, vt tantum periculum liber transiliat?*

CAP. CL. 33. FLABELLVM.] *Græcè* ῥιπίδιον. *Eius in sacro faciendo vsus, quod diaconus gestat. Vide Onomasticon.*

C. CLXI. 34. CONOPIONEM.] *Seruauit interpres Græcam inflexionem, quod nunc κωνωπεῖον, nunc κωνώπιον dicitur,* conopeum *Latinis vsitatum, pro textili tentorio culicibus arcendis comparato.*

35. MEMBRANAS. *Vt hic membranas ad aquam pluuiam excipiendam explicant, sic alij nautæ vellera & pelles exponunt, tum ad pluuiam tum ad rorem colligendum.* C. CLXIV

36. ARENA.] *Nec arena littoralis, nec quocumque modo madefacta potest esse materia Baptismi; siquidem materia Baptismi aqua esse debet, quâ quis ablui possit. Vide Scholasticos in III. partem D. Thomæ, & in primis Franciscum nostrum Suarez t. III. in III. partem ad q. LXVI. art. IV. disp. XX. sect. I.* C. CLXVI

37 INFVSA.] *Quæ hæc* infusa *sint, difficile diuinare. Nam varij cibi infundi possunt & macerari. hic antè:* paucisque infusis cibarijs. *Aliquoties in Theodoreto suprà habes* lentem aquâ madefactam. *Hic infrà cap. CLXXXIV.* Infundebat & paximatia seu madefaciebat. C. CLXIII.

38. IOANNIS.] *Citatur hæc historia in Septimâ Synodo generali, quæ est II. Nicæna, Act. V. vbi pro* Saraphas *habetur* Araphas. C. CLXL

39. SPECVLVM.] *Reposui hoc ex Græco textu* ἔσοπτρον, *quod interpres omiserat, videtur fenestra intelligi ex speculari lapide. Vide Onomasticon.* C. CLXIV.

40. MILIARISIA.] *Retinui Græcam vocem μιλιαρίσια, quod certi nummi genus. Interpres* numismata *verterat. Vide Onomasticon.* C. CLXIV.

41. APPARENTIAM.] *Græcè est,* φανερία, *id est, cupiditas se ostentandi.* C. CLXVII.

42. CHRYSOSTOMVS.] *Henricus Sauilius Notis suis ad tomum VIII. Chrysostomi Græcè à se editi, existimat non indignum obseruatu temporibus inter Quintam Synodum anno DLIII. & Sextam anno DCLXXX. celebratam (quibus Georgium Vitæ Chrysostomi scriptorem vixisse probabile esse ait)* Chrysostomi *cognomen ignotum fuisse. Sed refellit eum Ioan. Moschus seu Sophronius hîc, qui tempore Georgij istius vixêre, & huius cognominis Chrysostomi meminêre.* C. CXCI.

43. GREGORII.] *Habetur hæc narratio in Vitâ S. Gregorij lib. II. cap. XLV. per Ioannem Diaconum scriptâ, qui eam citat ex libro, qui à Græcis* Λειμὼν *dicitur, à Latinis verò intelligitur* Campus *vel* Pratum. *qui hîc ipse liber est, quem præ manibus habemus. Citat ille ex interpretatione præceptoris sui, vbi quod hîc est,* tunicam non habeo, *vertit ille,* casulam non habeo. *Eodem modo idem lib. IV. c. LXIII.* Et iussit mihi dari casulam, & necessitates meas omnes. *vbi noster interpres Ambr. Camaldulensis hîc cap. CLI.* Iubens mihi dari quæcumque erant necessaria. *decurtatè. Omisit enim illud de* casulâ *seu* tunicâ. C. CXCII.

44. NOMICVM SEV DISPENSATOREM.] *Varia* Nomici, *Νομικοῦ vt hîc in Græco textu, est significatio. Hîc dispensatorem significat. Vide Onomasticon.* C. CXCIII.

45. A NOTARIO PERFECTE, ET A GRAMMATICO SVFFICIENTER.] Notarius *hic est, qui præest pueris ad prima elementa & litteras formandas. Vide Onomasticon.* C. CXCVII.

46. ICCIRCO SVNT BAPTIZATI.] *Baronius tomo III. anno Christi CCCX. §. 13. Significat nimirum eiusmodi Sacramentum consecutos, non autem, quod aiunt, rem Sacramenti ipsam gratiã abluentem peccata.* C. CXCVIII.

47. MVLIER.] *Ioannes Cassianus Collat. XVIII. cap. XIV. simile exemplum religiosæ feminæ, quæ patientiæ acquirendæ intenta erat, narrat.* CAP. CCVI.

APPEN-

APPENDIX
AD
VITAS PATRVM,
HERACLIDIS PARADISVS
ET
PALLADII LAVSIACA
INCERTO SED VETERI INTERPRETE,

ITEM

AEGYPTIORVM PATRVM
SENTENTIÆ

AVCTORE GRÆCO INCERTO

MARTINO DVMIENSI EPISC. INTERPRETE.

LECTORI.

Ne quid antiquitatis studiosus desideret quod Vitas Patrum spectat, visum hic subiungere HERACLIDIS PARADISVM *ex veteri interpretatione, qui eadem cum Palladio tractat. Qui olim Parisiis curante Iacobo Fabro Stapulensi anno* M.D.III. *ex officinâ Bellouisianâ prodijt. Quem deinde Lipomanus* PALLADII *nomine tomo suo* III. *de Vitis Sanctorum inseruit, anno* M.D.LIV. *Venetiis edito, paucis additis & immutatis, de quibus in margine moneo. Addo &* PALLADIVM *vti olim in typographiâ infantiâ ex veteri quoque interpretatione prodijt. Haud dubium & Palladius hic vetus, & Paradisus Heraclidis, & Palladius Herueti, cùm idem omnino tractent, pro eodem auctore haberi possunt. Placuit tamen & hac in fine subnectere, vt diuersa interpretatio lucem subinde tenebris inferat: dum ferè fit, vt alter altero textum nanciscatur & sinceriorem & vberiorem. Vide quæ de triplici hac versione & editione diximus Prolegomeno generali* XIV. *Addidi & Sententias Ægyptiorum Patrum à Martino Dumiensi episcopo è Græco in Latinum translatas, quas ex Toletanâ Bibliothecâ ad me misit Christophorus à Castro, Societatis nostræ Theologus, & Salmanticæ Sacrarum litterarum professor. Easdem inueni in MS. codice S. Floriani post Vitas Patrum à Paschasio è Græcià in Latium traductas. Certè Paschasius eidem Martino suum de Patrum Vitis librum, qui suprà est ordine septimus, inscribit & dedicat.*

HERACLIDIS EREMITÆ PARADISVS, INCERTO SED VETERI INTERPRETE.

*HERACLIDES ALEXANDRINVS AD LAVSVM PRINCIPEM.

*Ita inscribitur in primâ editione Fabri: in secundâ Lipomani, *Idem ad eumdem,* videlicet, Palladius ad Lausum. In tertiâ Herueti, est loco Procemij sine vllo nomine,

Huius libri argumentum.

Intentio.

In hoc libro, quem de Vitâ sanctorum Patrum scripturi sumus, descripta est nobilis continentia, mirabilisq́ conuersationis transactio cœnobitarum pariter atque anachoretarum, qui in eremo ad æmulationẽ imitationemq́ cælestium viuere cupientes, superni regni iter aggressi sunt: feminarum quoque prouectarum atque honestarum, ac spiritualium matrum commemoratio, quæ virili perfectoq́; sensu ad exemplum amoremq́ diuinum, eorum qui desiderant continentiæ ac pudicitiæ redimiri coronis, cum insigni abstinentiâ finiêre certamina. Idcircò præcipiente nobis viro moribus suauissimo, sensûque doctissimo, animo quoque pacifico, & corde pijssimo, mente etiam amatore Dei, atque in necessitatibus indigentium socio, & celsitudine dignitatum pro bonitate conscientiæ, plurimis eloquentibus præferendo, atque in omnibus virtute diuini Spiritus præmunito, quinimò (quod oportet veraciter dicere) ad speculationem potiorem, sedulitatis exemplo segnes animos incitante, abstinentiam sanctorum spiritualiúmque patrum (qui in Dei placito victitantes, insuperabili certamine carnis crucifixêre mollitiem, quorum ipse quoq; benè transactas virtutes prædicare non desinit) studemus describere. Est autem huius desiderij spiritualis exactor virorum optimus Lausus; qui post Dei tutelam, custos pijssimi probatur ordinatus Imperij.

Quis Lausus.

Humilitas auctoris.

Ego igitur & linguâ imperitus, & spiritualis scientiæ tenuiter degustator, nec non etiam sanctorum Patrum spirituali catalogo nimis indignus, magnitudinem præcepti vltra mensuram meam esse perspiciens, reluctari tentabam huiusmodi iussioni, quæ & sapientiæ litteratæ, & diuinæ doctrinæ indiget intellectu. Sed cùm rursus vererer, primùm quidem nobile studium iniungentis, deinde vtilitatem legentium pertractarem, postremò metuens inobedientiæ graue periculum, tanti præcepti cumulum supernæ dispensationi commisi, attentiusq́; sanctorum Patrum intercessione meas vires communiens, ad certaminis stadium sum progressus, virorum fortium, nec non etiam feminarum, quos aut ipse vultu proprio videre promerui, aut à sanctis patribus qui eorum nouêre virtutes, me audisse commemini, gloriosa signa scripturus atque certamina.

Vnde didicerit Palladius, quæ scripturus est.

Nam & plurimas ciuitates ac villas, omnesq́; penè speluncas & tecta eremi (in quâ monachi habitant) diligenti curâ, Dei pietate pedestri labore circumiens, & virorum quos oculis meis inspexi, & mulierum propter spem quæ nobis in Christo reposita est, sexum femineum animi virtute vincentium, in quantum meæ suppeditat paruitati, nomina pariter & genus, & patriam, locúmque habitationis præsenti libello complexus, tibi amatori Christi, famulóque Dei, atque inclyto pij Imperij ornamento, Lause, transmisi, simul commemorans vtriusque sexus in quibusdam ad summum quidem peracta certamina, sed propter matrem superbiæ (quæ vocatur Cenodoxia) ad extremum barathrum, inferníque profundum miserabiliter deductorum, acquisitas ex longis temporibus ac laboribus abstinentiæ palmas, repentino elationis ac tumoris momento præmarcidas, gratiâ verò Saluatoris nostri, prouisionéque sanctorum patrum, ac miseratione spiritualium viscerum, & orationibus venerabilium seniorum, de laqueis diaboli ereptos, ad recuperationem vitæ nobilioris reuersos. Vale.

PROOEMIVM AD LAVSVM.

Quanta sit eorum quæ scripta sunt differentia.
**MS. aerũ.*

MVLTI *quidem multos variósque libros diuersis temporibus huic sæculo reliquerunt, quorum alij supernâ inspiratione & gratiâ diuinitus datâ, ædificauerunt ac munierunt eos, qui fideli proposito instituta atque vestigia Saluatoris sequuntur; alij verò solis hominibus placere cupientes, corrupto atque vitiato mentis ingenio, veluti quadam * rerum confusione vasani, solati sunt eos qui cupiditate gloriæ laborant. Nonnulli autem furore nescio quo & instinctu dæmonis (qui rebus bonis inimicus est) rabidâ elatione cæcati, in perniciem leuitatis humanæ, & in diuinæ atque Catholicæ Ecclesiæ maculam, stolidorum animos occupauêre mortalium, ad euertendam morum laudabilium disciplinam. Mihi quoque homini humillimo placuit (dum magnitudinis tuæ, quem scio amatorem esse doctrinæ, erubui non obedire præceptis, quibus ad meliora animi prouocantur) trigesimum quidem ac tertium agenti annum, quasi in numero fratrum vitáque monachorum, vigesimum autem episcopatus, quinquagesimum verò & tertium ætatis vniuersæ, tibi desideranti patrum nostrorum gesta cognoscere, non virorum tantùm, sed etiam feminarum, quos ipse viderim, quósque aliis referentibus nouerim, cum quibus etiam deserta Aegypti peragrauerim, Libyæ, Thebaidis, Syenæ, in quibus & ij quos Tabennensiotas dicunt, morantur, circa fines quoque Mesopotamiæ, Syriæ, Palæstinæ, & sub Occidentalibus plagis Romæ atque Campaniæ, & in ceteris circa ipsa loca describere, & (vt superiùs comprehendi) enarrare à principio omnium Vitas ex supradictis regionibus hoc libello, vt honestum & animæ profuturum commemoratorium gerens (id est perenne medicamentum veritatis) omnem quidem obliuionis ex irrationabili desiderio réspuas somnum, omnémque duplicis dolum mentis à fide rerum necessariarum secludas, cum vniuersâ pigritudine morum bonorum, & deformi animæ defectione, & vt iracundiæ quoque motum, conturbationem atque tristitiam, & irrationabilem metum per ista declinans, & auocationem sæculi vanam, amore perpetuo circa propositum piæ religionis effulgeas, dux beatæ vitæ tibi & qui tecum sunt, & qui sub te agunt, & piissimorum futurus Imperatorum. Talibus enim factis semper ac meritis, Christi amore flagrantes Deo properant copulari. Per singulos tamen dies & redditum animæ, qui proculdubiò debetur, exspecta, secundùm quod scriptum est: Coartor ex duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò melius. Et iterùm: Præpara ad perfectionem opera tua, & esto in agro operator. Nam qui memor semper est mortis quæ omnimodis sine cunctatione & necessariò ventura est, numquam grauia ac magna peccabit, iuxta quod scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in perpetuum non peccabis. Supra cetera verò omnia, neque quæ commendata sensibus tuis fuerint salubri relatione, contemnas; nec respuas elocutionum humilitatem, rusticitatémque verborum. Non enim hoc opus diuinæ doctrinæ est, vt quis facundè loquatur; sed vt omnium sensus intellectu veritatis instituat, secundùm quod dictum est: Aperi os tuum verbo Dei. Et iterùm: Ne perdideris narrationem senum; nam & ipsi à suis patribus didicerunt.*

Philip. 1. — Prou. 24. — Eccli. 7. — *Non in elocutione rhetoricâ veritas.* — Prou. 31. — Eccli. 8.

Quo studio teneretur Heraclides. — *Quanto feruore pios viros adire debeamus.*

Ego itaque, homo Dei & stupendè amore discendi, qui opto vel ex parte quod diuinitus iubetur imitari, plurimos sanctos viros vidisse me memini, nec tamen id veluti per transitum & perfunctoriè faciens, sed per triginta & per alios totidem pergens dies, pedibus (quod ante Deum dicam) iter omne confeci, vniuersum penè Romanum solum ambulando cognoscens, & itineris molestias libenter amplectens, vt hominis sancti & amatoris Dei conspectibus fruerer: quod proculdubiò aliter non haberem. Nam si ille qui absque aliquâ comparatione melior me est, quíque longè præcedit ac vincit totum mundum rerum peritiâ & tutâ conscientiæ fide Paulus apostolus, de Tarso vsque ad patriam Iudæorum ambulando perrexit, vt Petrum & Iacobum & Ioannem videret; & hoc ipse quasi cum quadam iactantiâ referens, proprios diuulgat labores, dum illos qui otio atque segnitiâ torpescere videntur, accendit, dicens: Ascendi Ierosolymam videre Petrum (non enim illi sufficiebat sola fama virtutis, nisi etiam vultum quoque ac figuram ipsius viri cuperet intueri) quantò magis hoc ego decem millium debitor talentorum facere debui? non vt illis sanctis prodessem aliquid, sed vt mihi peccatori per omnia prouiderem. Nam & ij qui scripserunt vitas patrum antè nostrorum, sancti Abrahæ, Isaac, Iacob, & qui ipsos sequuntur, Moysi, Eliæ, Ioannis atque reliquorum, non vt ipsis adiecturi gloriæ aliquid retulerunt, sed vt legentibus profuturi.

Galat. 2.

Quapropter hæc sciens, fidelissime multúmque venerabilis serue Christi Lause, per temetipsum suadendo meliùs tibi consulens, etiam nostram loquacitatem ad custodiendum in te propositum piæ voluntatis amplectere; quæ quidem varijs visibilium inuisibiliúmque vitiorum veluti fluctibus verberatur, quam nisi frequenti oratione & diligenti animæ ad Deum vacatione sedare non possumus. Multi enim fratrum & laboribus abstinentiæ, & bonis circa pauperes factis

Casta viduitas & virginitas.

ctis exuberantes, alij castâ viduitate gaudentes, alij virginitate sublimes, diuinarum etiam lectionibus & scriptionibus Litterarum plurimùm gloriantes, à recti propositi itinere deuiarunt; indifferenter quasi sub specie cuiusdam religionis, curiositatis amore languentes, ex quâ multiplex animi sollicitudo generatur; post quæ aliorum quoque negotiorum cura succedit, vnde calumniosi etiam nomen incurritur, quo nomine à bonorum actuum administratione prohibentur: quâ quidem nec qui solis propriè tantùm animæ negotiis vacant, fruuntur vt matre. Insiste igitur viriliter, quæso, non augens opes (quas tamen magis semper imminuis) sufficienter diuidens eas omnibus quos egere cognoscis, quæ proficiunt tibi ad ministeria & fomenta virtutum; néve te impetus quidam irrationabili anticipatione præueniat: vt dum hominibus placere festinas, honesti propositi voluntatem sacramenti vinculis liges: quod perpessos nouimus plures, qui vanæ gloriæ contentione in cibis vel potibus abstinendis, in seruitutem quodammodò redegerunt iurisiurandi necessitate liberam illam, quam in ipsis Deus fecerat voluntatem. Quiq; sacramentis propriis obligati, dum promissa implere non possunt, & deformiter amore viuendi ac voluptate retinentur, ex necessitate (cui suâ subiacent culpâ) periurij crimen incurrunt. Si igitur solâ ratione his rebus abstineas, & solâ iterùm ratione easdem cùm velis sumas, numquam profectò peccabis: Deus enim qui ratio est, ea quæ mouentur, in nobis arcanis commendat auxiliis, illa quidem damnans quæ lædunt, amplectens verò atque suscipiens illa quæ prosunt; nam iusto (inquit) posita lex non est. Rectius est autem vinum cum ratione potare, quàm cum arrogantiâ & fastu aquam. Et si videtur, aduerte, eos quidem qui rationabiliter vinum biberunt, esse sanctos viros, qui autem sine ratione aquam, vitiosos esse homines ac profanos. Neque ob hoc vmquam ipsam speciem quam Deus fecit, aut vituperandam aut laudandam putes; sed illos aut beatos secundùm propositum suum arbitreris, aut miseros, qui benè vel malè ipsis rebus vtuntur. Bibit aliquando Ioseph apud Aegyptios vinum, nec tamen sapientiam suam læsit, eò quòd propositum mentis suæ antè muniuit: Pythagoras autem, & Diogenes, & Plato (inter quos Manichæi quoque, omnisq; eorum qui sibi sapientes videbantur caterua) in tantam vanæ gloriæ cupiditatem progressi, inciderunt damnationem, vt ipsum quoque factorem omnium ignorarent Deum; & idola quæ ipsi fecerant, adorarent. Vsus est & apostolus Petrus vino cum reliquo discipulorum choro; vnde & ipse Saluator eorumdem magister à Iudæis videtur esse reprehensus, dicentibus: Cur discipuli tui non ieiunant sicut Ioannis? Qui rursus insultabant, & ipsis discipulis dicebant: Magister vester cum publicanis manducat & bibit. Quòd autem numquam propter panem & aquam solâ reprehensi fuissent, nisi propter vinum vel carnes; potest fieri manifestum iis qui irrationabiliter eos quidē qui bibunt vina, despiciunt; eos autem qui aquā solent haurire, mirantur. Saluator ergo dicebat: Venit Ioannes in viâ iustitiæ, neque edens neque bibens (carnem sine dubio dixit & vinum; nam sine alijs speciebus profectò nec viueret) & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum: eò quòd cùm ipsis manducaret & biberet. Quid nos ergo faciemus? Neque illos qui vituperant, neque eos qui laudant sequamur, sed aut ratione ieiunium cum Ioanne teneamus, etiamsi dæmonem habere dicamur; aut cum Iesu Christo sapienter vina bibamus, quando hoc requirit necessitas corporalis, etiamsi nos aliqui ob cibum carnis & vini potum (vt illum Iudæi) aliquando reprehendant. Neque vti ergo istis, neque ab his abstinere iuxta veritatem rei aliquid esse arbitreris; sed solam fidem quæ dilectione & operibus extenditur, plurimùm valere cognoscas. Igitur cuius actibus semper inhærere cernitur fides, propter ipsam inculpabilis erit, siue manducauerit memoratâ seu biberit. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Sed quoniam vnusquisque delinquens, id quod agit, ex fide se agere dicit, etiam cùm aliquid stultâ persuasione & corruptâ atque vitiosâ conscientiâ facit, ita hoc Saluator noster distinxit, vt diceret; Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nam quòd eorum qui rationabiliter viuunt, atque sapienter secundùm Apostolum, iste sit fructus, hoc est charitas, gaudium, pax, longanimitas, mansuetudo, bonitas, fides, continentia, atque simplicitas; profectò manifestum est; Paulus enim dicebat: Fructus autem spiritus est, hoc & hoc. Quòd verò is qui huiusmodi fructus habere festinat, non intempestiuè neque sine consideratione, aut carnem edat, aut vinum bibat, & quod neque cum eo habitet, cuius conscientiam magis norit malignam, Paulus iterùm ipse dicebat: Quia vnusquisque qui se ad agonem parat, ab omnibus se abstinet: scilicet vt corpore videatur incolumis, abstineat se ab iis quæ faciunt crassiores: cùm autem infirmitate aliquâ aut dolore vexatur, aut tristitiâ, vel quibusdam tentationibus mordetur, vtatur quidem cibis aut potibus tamquam medicamentis, quæ possint curare sollicitos; abigat autem à se ea quibus anima vulneratur, hoc est iracundiam, inuidiam, amorem vanæ gloriæ, & rectæ voluntatis defectionem, susurrationes quoque & irrationabiles suspiciones, agens Domino gratias sempiternas.

Sufficienti igitur super hoc disputatione decursâ, aliam rursus adiungo docilitati tuæ monitionem;

Vnde eorū sit ruina & perditio, qui se semel statui perfectiori addixerunt, & ab eo desciuerint.

Ne quis se sine discretione liget, seu voto astringat.

Ratio contra peccatum.

1. Tim. 1.

Nihil fastu in omnibus perniciosius.

Quomodo à cibo & potu abstinendum.

Vinum bibere vt bonum.

Aquam bibere vt malum.

Matth. 11.
Marc. 2.
Lucæ 5.

Matth. 11.

Ieiunandū cum ratione.

Rom. 16.

Matth. 7.

Galat. 5.

Ratio, tempus, discretio

1. Cor. 9.

Aegrotis & cibus & potus licitus est, vt iis vtantur quasi medicamentis.

tionem; Vt omni virtute mentis diffugias conspectum eorum atque colloquium, quorum contrarium est bona vita propositum, qui penitus prodesse non possunt, & quibus cura est varia cutem corporis expolire, etiam si recta cultores fidei memorentur: sed vitâ (vt ita dixerim) peruersa secta homines, qui animas sub specie sanctitatis euertunt, etiam si canitie, & colore, & ostentatione rugarum, numerum quodammodo trahere videantur annorum. Quia & si nullâ eorum læsione maculeris morum probitate munitus, vel leuiter certè aut resoluêris vt securior, aut erigêris vt melior, & vituperabis tales atque ridebis; quod non sine noxâ tui te fecisse cognosces. Sanctorum autem virorum ac feminarum veluti lumen splendentis fenestræ, sectare conspectus, vt per illorum veneranda colloquia tamquam minutis codicem litteris scriptum possis diligenter inspicere, actus quoque & cordis arcana ex ipsâ comparatione cognoscere, & siue diligentiam seu negligentiam tuam curiosiùs approbare. Nam & ipse hominum religiosorum color (quo prædicabiles mores vt flore velantur) & amictus vestis, & inconfusa mens animi, absque vllo supercilio sermonis inflati, & verecunda ipsarum quoque reuerentia syllabarum, & grata digestio sensuum atque verborum sufficienter animare te poterunt, etiam si anxietatis alicuius tædio fatigeris. Amictus enim viri, & motus pedum, & dentium risus, ea quæ in ipso videntur esse significant, sicut sanctarum Scripturarum prouerbialis sermo testatur. *Incipiens igitur promissæ narrationis exordium, nullos tibi neque in ciuitatibus, neque in vicis, neque in solitudinibus esse incognitos, relatione meâ sum passus. Neque enim locus quæritur solus, in quo tales habitauerint viri, sed recta etiam vita propositum & prædicabiles mores.*

Quæ alicuius probitati adferant testimonium.

Eccle. 10.

Hæc epistola deest 1. editioni Heraclidis. Deest etiã MS. Moretiano. Dedit eam Lipomanus ex libro Card. Besarionis, vertente Fr. Torres. In Palladio Herueti habetur *Heraclidis* nomine ex versione Herueti.

Epistola PALLADII episcopi Cappadociæ ad LAVSVM præpositum.

LAVDO *magnopere consilium tuum (meritò enim à laudatione ordienda mihi est epistola) quod plerisque omnibus res futiles sibique prorsus inutiles consectantibus, ipse ea doceri studeas, quæ ad animæ salutem pertineant. Siquidem vnus est tantummodò, cui doctrinâ opus non est, ipse vniuersitatis rerum parens & procreator Deus, quippe qui omnium antiquissimus originis suæ neminem habet auctorem præter seipsum.*

Angelorũ ordines.

Eo excepto reliqua omnia vt quæ & facta & creata sunt, doctrinâ informari possunt. Nam & primi illi cælestium ordines magistram habent supremam ipsam Trinitatem; secundi verò à primis docentur, & tertij à secundis, & ceteri deinceps similiter: qui namque cognitione & virtute ceteris antecellunt; ij qui se sunt inferiores, erudiunt.

Proinde ignorantiæ morbo, quæ superbiæ est mater, laborare censendi sunt ij, qui existimant doctoribus sibi opus non esse; ij autem sunt qui docentibus cum charitate fidem non adhibent: etenim volantes eâ in re per aërem dæmones imitantur, quando illi quoque eadem peste corrupti, à cælestibus suis sedibus fugitiui, præcipites olim de cælo primi in exitium delapsi sunt.

Quæ vera sit doctrina.

Neque enim doctrina sunt dictiones aut syllabæ, sed rectè facta animi benè informati, animusque ipse omni ægritudine vacuus, prorsusque intrepidus ac præsens, cuique nulla iracundia dominetur, & qui quæ sentit liberè omnibus in rebus eloqui non dubitet; vnde nimirum sermo igneæ flammæ instar erumpit.

Matth. 11.

Etenim, nisi hoc ita esset, nequaquam discipulis suis dixisset magnus ille Magister: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, cùm non corruptâ oratione auditores ille suos erudiret, sed talis esset ipse, vt neminem moribus suis offenderet, præter eos dumtaxat quibus suapte sponte doctrina ipsa vnà cum doctoribus esset inuisa. Debet enim anima, quæ se in vitæ Christianæ curriculo exercet, aut adhibitâ fide aliunde discere quæ nescit, aut quæ scit, apertè ipsa alios docere; alioqui qui horum alterutrum facere neglexerit, is meritò inter insanos habendus sit: quippe cùm initium defectionis sit doctrinæ satietas ac disciplinæ fastidium, quam pij hominis animus assiduè vsque solitus est esurire. Fortis esto, & vale; &, quod magnum est, donet tibi Deus cognitionem Christi.

CAP. I. *Vita* ISIDORI *presbyteri Alexandrini;* DOROTHEI *monachi Thebani,* POTAMIÆNÆ *martyris,* DIDYMI *cæci, &* ALEXANDRÆ *mulieris.*

Pallad. c. 1. *Palladij Alexandriam aduentus.*

CVM primùm Alexandrinam attigi ciuitatem, in secundo senioris Imperatoris Theodosij consulatu, qui propter eam quã in Christum credidit fidem cum Angelis nunc moratur; admirabilem virum & ornatum per omnia moribus ac peritum, Isidorum presbyterum in memoratâ ciuitate cognoui, qui in Alexandrinâ ecclesiâ erat susceptor atque prouisor pauperum fratrum, quem in principio iuuentutis suæ egregias per solitudinem palmas abstinentiæ promeruisse memorabant (cuius & cellulã vidi in monte, cui Nitrias nomen est) senem septuagesimo ætatis suæ anno; qui aliis quindecim annis viuendo

do completis, obiit in pace. Ille igitur vsque ad vltimum finem non linteo vsus est, nisi eo quo velaret caput; non balnea attigit, non ex carnibus cibum sumpsit; non mensæ vsque ad satietatem interfuit. Qui quidem tam lauti corpusculi fuit per gratiam spiritualis alimoniæ, vt omnes qui vitam ipsius nesciebant, epulationibus illud ac voluptatibus imputarent. De quo viro, si virtutes ipsius animæ exponere singulatim velim, tempus me profectò deficiet. Qui tantæ bonitatis atque humanitatis erat, tamque pacificus, vt etiam ipsi qui pertinacissimi eiusdem videbantur inimici, erubescerent vmbram quoque ipsius, propter tam venerabilem vitam. Tantam autem sanctarum Scripturarum ac diuini dogmatis fertur habuisse notitiam, vt & inter ipsa fratrum conuiuia obstupesceret subitò, ac mente mutatâ, & sensibus spiritualiter occupatis, transmigrasse aliò videretur; vt qui interrogatus posteà caussam ipsius stuporis, hæc diceret, ad alia quædam se cogitatione translatum, & cuiusdam theoriæ miraculo raptum fuisse. Noui etiam ego, memoratum virum, dum sumeret cibum, sæpius lacrymasse. Cumque admirarer fortè cur fleret, hoc ex ore eius audiui: Erubesco, inquit, irrationabilem cibum sumens, qui rationalis factus à Deo, deberem in paradisi voluptate versari, & cibo satiari diuino, propter eam quam Christus nobis tribuit potestatem.

A quibus abstinuerit Isidorus.

Vel vmbra eius gentilibus venerabilis.

Extasis & eius raptus mentis tempore refectionis.

Cibus beatitudinis consolatur esurientem.

Hic ipse quem dico notus Romano senatui, feminisque primatibus, tunc cùm primùm vnà cum episcopo Athanasio, posteà autem cum Demetrio episcopo pergeret Romam, & diuitijs atque abundantiâ rerum sine inuidiæ stimulo exuberaret, non testamentum in supremis suis fecit, non saltem vnum solidum dereliquit, non partem aliquam substantiæ sororibus suis virginibus dedit, sed Christo easdem commendans, Qui vos fecit, inquit, vestram quoque vitam ordinabit vt meam. Erat autem cum sororibus ipsius septuaginta aliarum virginum numerus.

Isidori cum Athanasio & Demetrio Romam aduentus.

Conuentus virginum.

Is itaque, cùm venissem ad eum in principio iuuentutis, & peterem vt instrueret me ad mores vitamque monachorum in ipso primi adhuc ardore æui locatum (cui non tantùm necessaria esset doctrina verborum, quantum iugis labor & fatigatio corporalis) quemadmodum domitor equorum bonus, productum me de ciuitatis internis vsque ad quintum lapidem, ad ea quæ vocantur solitudinum loca, Dorotheo cuidam Thebano monacho, sexagesimum in speluncâ agenti annum commendauit & tradidit, iubens mihi vt tribus apud eum annis morarer, ad contundenda atque frangenda illicitamenta vitiorum (nouerat enim ipsius senis durissimam atque laboriosissimam vitam) præcepitque vt rursum ad ipsum redirem, ob spiritualis scientiæ notitiam atque doctrinam. Ego verò cùm illic implere tres, vt præceperat, annos non potuissem validâ infirmitate correptus, ante finitas inducias triennij temporis ab ipso sublatus sum.

Monacho iuueni non tam sermonibus quàm laboribus opus est.

Pallad.c.2.
Dorotheus 60 annos versatus in speluncâ.

Heraclides ei in disciplinam traditur.

Erat enim vitæ ipsius cum immensâ ariditate ac siccitate certamen. Per omnem namque diem in ardore maximo, & in solitudine circa littora maris lapides colligebat, singulisque annis cellam struendo perficiens, iis qui fabricare non poterant, offerebat. Cùm autem ei quadam die à me dictum fuisset, Quid facis, pater, in tantâ senectâ interficiens corpusculum tuum sæuis ardoribus? Respondit, hoc dicens: Occidit me, occido illud. Edebat verò vnciam panis, vnumque fasciculum oleris vilissimi, bibens aquæ modicam quantitatem, numquam tamen eum, Deo teste, extendisse proprios pedes vidi, numquam in mattâ, numquam in lectulo quieuisse, sed per vniuersam noctem sedens intexebat funem quemdam ex arbore dactylorum, cuius pretio vesci solebat. Putans autem ego, quòd ante me solùm hæc faceret quæ videbam, scrupulosiùs etiam ab aliis eius discipulis, qui separatim manebant, quærendo cognoui, quia sic à primâ ætate viuebat, numquam tamen sponte, nisi ex maximâ necessitate, dormiuit, aut opere fatigatus, aut dum cibo vtitur, si fortè vsque adeò eum somnus oppressit, vt paululùm ei oculi clauderentur: frequenter enim edendo, nimiâ vi somni capite nutabat, panisque ex ipsis labiis oris cadebat; qui aliquando cùm à me quodammodò cogeretur, vt vel momento temporis supra mattam iaceret, contristatus ista dicebat? Si Angelis persuadere potueris vt quiescant, persuadebis & ei qui Deo placere festinat.

Labor corporeus.

Affligendũ corpus, ne illud nos occidat.

Victum sibi parat manibus Dorotheus.

Ne sopor obruat virtutis studiosum.

Hic vnâ dierum ad puteum suum me circa nonam horam transmisit, vt implerem cadum tempore refectionis instante. Accidit autem vt cùm venissem, & aspidem casu in imo putei visam perhorruissem; vas vacuum reportarem, caussamque timoris exponerem, dicens: Abba, mortui sumus; aspidem enim in puteo quò me miseras vidi. Subridens ille tantummodò diu me intuens aspexit, caputque concutiens dixit: Si placuerit diabolo per omnes se puteos vel serpentem vel testudinem facere, reliquumque genus venenosarum bestiarum, & in aquas fontium desilire, poteris ne tu esse sine potu? moxque egressus per semetipsum ieiunus aquam traxit de puteo, ac prior ipse signatam degustans ait: Vbi crux adest, ibi nihil satanæ valet malignitas.

Crucis signum cõtra venenum.

Sanctus iste Isidorus, qui benedictum quondam vidit Antonium, dignam rem memoriâ litterarum retulit mihi, quam ab ipso se dicebat audisse. Potamiæna quædam nomine puella admodem pulchra, ancilla cuiusdam erat tempore Maximiani persecutoris, quam multis frequenter ac variis promissionibus dominus suus tentans, stuprare non potuit, ita vt ad postremum amore atque insaniâ præceps, traderet eam illi qui tunc Alexandriæ præfecturam gerebat, scilicet vt Christianam ac maledicentem de persecutionis sæuitiâ Imperatoribus, pecuniam ei sub hac pactione promittens, vt si eius acquiesceret voluntati, sine vllo eam supplicio reseruaret ac redderet: si verò in contradicendi proposito permaneret, periit vt tormentis deficeret, ne si vixisset, libidinis domini sui contemptrix videretur. Quæ cùm exhibita ante tribunal fuisset, eiusque iudex variis cruciatibus atque tormentis cuperet expugnare deuotam voluntatem, & inter diuersa supplicia vas quoque æris immensum ac feruenti pice repletum acerrimâ flammâ succenderet, duplicem ei præfectus immitis posuit conditionem: Aut vade, inquit, & domini tui obtempera voluntati, aut scias te in feruentem hanc picem esse mittendam. Cui puella respondit, dicens: Numquam fit alter monitor talis, qui addici iubeat libidini castitatem. Ob quod ille nimio furore perculsus, præcepit spoliatam eam in vas quod feruebat

Pallad.c.3.

Constantia Potamianæ.

uebat, immitti. Hæc autem vox illius fuit: Per caput, inquit, Imperatoris tui quod tu vereris, obtestor, vt si apud te statutum est his me tormentis necare, non simul totam, sed paulatim me in feruentem mitti iubeas picem, vt possis videre quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Christus. Quæ per vnius horæ spatium, paulatim in ahenum candens demissa, defecit, vbi pix primùm ebulliens ad ipsius colla peruenit.

In ahenum bullientem pice repletum deiicitur.

Pallad. c. 4. Origenista hic fuit.

Didymus oculis orbatus.

Annos 85. vixit.

Plures autem viri digni habitaculo beatorum, feminæ quoque obierunt tunc in Alexandrinæ ecclesiæ ciuitate, in quibus Didymus erat, oculorum quidem lumine destitutus, diuinarum tamen Scripturarum peritiâ pollens: quem ego intra decem annos diuersis temporibus quater vidisse me memini, quique post octoginta & quinque annos vitæ terminum fecit. Hic igitur quem loquor, captus est oculis, vt ipse retulit mihi, cùm quartum ageret ætatis suæ annum: qui neque magistris traditus litterarum, neque prima vmquam elementa cognoscens, habebat insitum bonum semper incolume, naturalem magistrum conscientiam suam. Quem tanta gratia scientiæ spiritualis ornabat, vt in eo euidentissimè quod scriptum adimpleretur, Dominus cæcos sapientes facit. Testamentum quidem vetus ac nouum ad verbum interpretatus est; sectas autem omnes tam subtiliter firmiterque expositâ super ipsas ratione disseruit, vt omnium scientiam veterum peritiamque transiret. Qui cùm me cogeret quondam vt orationem in cellâ ipsius facerem, nec tamen eius acquiescerem iussioni, hoc referendo dicebat: Ad istud, inquit, hospitium ter benedictus Antonius, dum me visitare dignatur, ingressus est; & rogatus à me vt in hoc loco flecteret genua & precem funderet, statim fecit, ac secundò noluit se rogari, ipsis me rebus docens sanctorum voluntatibus obedire. Quamobrem si vestigia ipsius, inquit, sectaris ac vitam quemadmodum monachus, & pro acquirendis virtutibus peregrinus, nolo contendas.

Psal. 145.

Sacras Scripturas nouerat, etsi non didicisset.

Ne qua in hospite contentio.

Hoc quoque idem retulit mihi: Cùm, inquit, grandi quadam sollicitudine ac tristitiâ fatigarer propter Iuliani Imperatoris infelicissimam vitam, ita vt quadam die vsque ad vespertinas profundæ noctis horas non attingerem panem, anxietate confectus; fortè accidit, vt somno residens occuparer, & in quadam transmigratione animæ reuelationem talem viderem: Quatuor equites cum albis equis per diuersa discurrentes, clamantesque: Dicite Didymo, Hodie horâ septimâ Iulianus mortuus est: surge igitur & cibum sume, & ad Athanasij episcopi domum mitte, vt ipse quoque cognoscat hoc. Notauit itaque, sicut ipse dicebat, & mensem, & septimanam, & diem, & horam, & sic omnia sicut audierat approbauit.

Mors apostatæ Iuliani reuelatur Didymo.

Pallad. c. 5.

Retulit etiam mihi & de puellâ quadam, cui nomen erat Alexandra, quæ relictâ eâ, in quâ erat ciuitate, consederat intra quoddam sepulcrum, per foramen exiguum necessaria alimenta suscipiens, & neque viros neque mulieres vmquam videns per annos decem. Decimo verò anno dormitione vltimâ migratura seipsam composuit: quòd illa, quæ deferebat ei iuxta consuetudinem cibum, retulit nobis, dicens, nullum se tunc accepisse responsum: quo audito, illitum ostium clausumque patefecimus, & ingressi defunctæ corpus inuenimus. De ipsâ autem & beatissima Melania mulier Romana, de quâ paulò pòst referam, ista dicebat, Vultum quidem ipsius puellæ se videre non potuisse, stantem autem ad foramen sepulcri petiisse vt ei diceret caussam, ob quam se in illo sepulcro concluserat. Quæ per memoratum foramen locuta, Cuiusdam animus, inquit, in me læsus erat quondam, & ne viderer eum vel contristare vel perdere, malui me ipsam in sepulcro dum viuo recludere, quàm nocere animæ ad similitudinem Dei factæ. Quâ dicente rursus: Quemadmodum igitur pati potes, ô ancilla Christi, vt neminem prorsus videas, sed in solitudine tali contra acediam vel cogitationes habeas tam iuge certamen? Hoc illa respondit: A principio, inquiens, diei nonam vsque ad horam orationi vaco, ex lino opus per horas singulas faciens, reliquo autem temporis spatio cogitatione discurro per sanctos prophetas, apostolos, atque martyres, & patriarchas; ceteris verò horis cibum panis capio, appropinquante vespera cum maximâ quiete Dominum meum glorificans, finemque vitæ meæ cum spe bonâ patienter exspectans.

Alexandra sepulcro per 10. annos se inclusit.

Cur se incluserit Alexandra.

Quibus vacarit inclusa.

Sed ne illos quidem tacitos præteribo, quorum vita omnis in contemptu quodam propriæ salutis fuit, vt ex hoc etiam benè meritos prædicemus, & legentibus cautelæ studio consulamus.

De quadam VIRGINE, *& de* NITRIENSIBVS *monachis*, AMMONE, OR, PAMBO, AMMONIO, BENIAMIN. CAP. II.

Pallad. cap. 6.

VIRGO quædam solo nomine Alexandriæ fuit, quæ quantum ad speciem pertinebat, humilis videbatur; quantum autem ad propositum ipsius, animæ inflatioris erat, variis opibus satis diues, amatrix potiùs auri quàm Christi; nusquam procedere solens, non peregrino, non virgini, non vim patienti, non monacho, non ecclesiæ, non pauperi vel exiguam stipem præbens. Hæc sanctorum patrum frequentibus monitis, numquam à se tam inutile animæ pondus abiecerat. Habebat autem & nonnullos parentes, inter quos filiam sororis suæ adoptauerat sibi, quâ solâ diebus ac noctibus fruebatur, omisso atque contempto amore cælestium. Nonnumquam enim & hæc species, quam diabolus immittit, erroris est, vt sub affectus colore, qui deberi videtur affinibus, auaritia cupiditasque nutriatur. Quòd autem nullam dæmon cupiditatis & generis curam gerat, hinc profectò monstratum est: ipse enim est qui homines in matres, in fratres, in patres cogit fieri patricidas. Qui etiamsi prætendere quibusdam aliquando videatur necessitudinem parentelæ, non ideò illud vt prosit iisdem facit, sed vt animabus eorum iniustitiæ crimen accumulet, diuinæ non ignarus sententiæ, quæ iniustos ab hereditate regni cælestis excludit. Potest sanè quis spirituali scientiâ diuinoque amore commotus, nec propriæ animæ salutem contemnere, & suis parentibus, si forsitan egere videantur, vitæ alimoniam piè largiri; sed si penitùs animam suam conculcat & despicit, solâ propinquitatis sollicitudine occupatus, sententiam diuinæ legis incurrit, animam, vt dixi, suam deputans vanitati. Sacer autem conscriptor ille Psalmorum canit de iis qui animæ suæ curam metu maximo gerunt, dicens: Quis ascendet in montem Domini? hoc

Virgo specie humilis sed animo insolens, & in pauperes dura.

Vt amicos ditet, ipsa amore cælestium excidit.

1. Cor. 6.

Quomodo possint quis cognatis succurrere citra animæ dispendium.

Psal. 23.

ni? hoc est dicere, satis rarò. Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Illi namque in vano animam suam accipiunt, qui putant eam vnà cum corpore dissipare atque dissolui, virtutum scilicet spiritualium contemptores.

Qui in vano animam suam accipiunt.

Istam ipsam solo nomine virginem volens sanctus ille * Isidorus presbyter detractione sanguinis (vt dici in prouerbiis solet) facere à cupiditatis onere vtcumque leuiorem, tali erga eam vsus ingenio est. Præerat autem, vt priùs dixi, cellulis fratrum pauperum atque debilium, idemque in primis iuuentutis suæ annis in lapidibus & margaritis probandis videbatur peritus. Accessit igitur ad eam, dicens: Lapides ad me necessarij atque pretiosi smaragdi & hyacinthi subitò venerunt; & siue quis inuenerit eos, siue furatus sit, scire non possum; statuere autem ipsorum pretium nequeo, quia cuiuslibet summam quantitatis excedunt: omnes enim simul quingentis solidis distrahuntur. Si ergo eos tibi placuerit comparare, poteris vnum ex ipsis quingentis vendere solidis, & reliquos neptis tuæ monilibus deputare. Suspensa igitur omnimodis illa quæ dicebatur virgo in affectu puellæ, decipitur huiusmodi ornatu, & complexa illius pedes orat & petit, ne quis memoratos lapides alter acciperet. Cui ille sanctus, dum auidè hortatur, hæc dixit: Veni in domum meam, vt hæc quæ diximus videas. Ad quod illa non acquiescens, sed magis quingentos solidos in sinum illius fundens, ait: Quemadmodum vis, ipse eosdem lapides tolle, ego enim nolo eum videre qui vendit. Acceptos ille igitur quingentos solidos, pauperibus debilibusque mox diuidit. Post aliquantum verò temporis spatium, quia magna opinio ipsius apud omnes Alexandriæ erat (quippe qui & misericors esset, & in culturâ Dei præclarus & senior, qui iam vsque ad centesimi quoque anni curricula peruenisset, quod ego etiam qui cum illo diu fueram, satis agnoueram) erubescebat eum virgo memorata super ipsis solidis admonere.

Lege Macarius e Palladio.

Domus hospitalis pauperum & mutilatorum.

Sanctus Macarius quo astu virginem ab auaritiâ reduxerit.

Macarius presbyter ad centum annos vixit.

Ad postremum cùm illum fortè in ecclesiâ reperisset, alloquitur: Quid, inquit, iubes, precor, de lapidibus illis, pro quibus quingentos solidos dedimus? Cui ille respondit: Ex quo, inquit, mihi aurum dedisti, ex eo illud pro pretio ipsorum lapidum dedi, & si venire desideras, ac videre eosdem in hospitio meo (illic enim iacent) veni & vide si possunt tibi placere; sin minùs, aurum referes quod dedisti. Quo illa libenter audito, ad presbyteri domum pergit, in cuius superioribus feminæ debiles habebantur; in inferioribus autem viri. Vbi autem cum eâ intra primas fores ingressus, dicit eidem: Quid vis primùm videre, hyacinthos an smaragdos? At illa: Quod iusseris. Ducit itaque eam ad superiores domus partes, ostenditque ei conscissis feminas membris, & vultibus totis variâ morbositate laceratis, dicens ad eam: Isti sunt hyacinthi. Inde descendens, ostendit ei similes in inferioribus viros, & ait: Isti sunt smaragdi: si placent tibi, ipsos considera; sin minùs, aurum recipe quod dedisti. Itaque egressa est domum, nimio rubore confusa, & plurimùm tristis, quia videret se illa voluisse facere quæ Deo placere non possent. Moxque ægritudinem incurrit, vt redit: non enim hoc secundùm Dei fecerat voluntatem, sed ingeniosâ viri sanctissimi necessitate compulsa. Paulò pòst autem maximas presbytero gratias egit: propter quòd puella, cuius nimiam curam gerebat, nupta quidem, sed sine filiorum educatione defuncta est.

Pauperes & ægroti gemmæ & lapides sunt maximi pretij.

Cùm igitur per triennium in monasteriis (quæ circa Alexandriam sita sunt) commoratus fuissem, & optimos illic viros abstinentiæ virtutibus adornatos vsque ad duo millia hominum, sanctissimosque vidissem; inde descendens, ad montem cui Nitriæ nomen est veni. In medio autem istius montis & Alexandrinæ ciuitatis, interiacet lacus qui Mariæ vocabulo nominatur, per septuaginta millium spatia diffusus. Quem cùm vno ac medio transfretassem die, ad meridianam partem præfati montis accessi. Cui monti penitùs deserta adiacent loca, quæ Æthiopiâ vsque tenduntur, & vsque ad Mazicum ac Mauritanum solum. In quo monte degebant quinque millia (vt arbitror) virorũ, qui diuersum propositi sui institutum tenentes, prout vellent possentque viuebant, ita vt alij quidem liceret soli manere si cuperet, alius cum vno tantùm fratre si vellet, alius cum multitudine, si hoc desiderasset, habitaret. Quo in monte tam memoratis quàm illis, qui ad vltimas se solitudines contulêre sexcentis viris, septem pistrinis alimenta præbentur. Huius igitur montis per totum annum vsus hospitio, plurimumque à beatis patribus instructus & doctus, ab Arsisio maiore, & Putubasto, Agione, Serapione & Chronio, multisque seniorum spiritualium relationibus super iis qui ante ipsos fuerant, incitatus, vsque ad alia solitudinis loca interioris accessi.

Pallad. c. 7.

Maria lacus.

Quinque millia virorum in quodam monte.

In ipso autem Nitriæ monte vnam ecclesiam maximam vidi, in quâ sunt tres arbores dactylorum, ex quibus singulis singula flagra dependent: quorum vno ij qui peccant monachi verberantur, alio latrones (si inciderint fortè) cæduntur; tertio delicta eorum qui vndecumque conuicti in peccato vapulari meruissent, memoratas amplectentes arbores, & certas tergo accipientes plagas dimittebantur. Est etiam circa ipsam ecclesiam cella, suscipiens peregrinos ac pauperes fratres: in quâ cùm acceperint aduenam quemlibet, per tantum illic tempus alunt, donec ipse propriâ voluntate discedat, biennio ac triennio si voluerit quis, illic manere non prohibentes. Vnius autem septimanæ ex quo venisset, ei otium dabant, reliquos verò dies quodcumque opus eumdem facere cogebant; deputabantque eum aut pistrinis, aut hortulis, aut coquinis. Si autem honestior aliquis minusque aptus huiusmodi operibus videretur, legendum ei codicem dabant, omnesque vsque in horam sextam à conspectu ipsius & confabulatione prohibebant. In hoc monte & placentarij habentur & medici. Vtuntur quoque vino: nam illic etiam vina venduntur. Omnes autem isti manibus conficiunt linteamen, ex cuius operis emolumento nulli eorum quidquam deficit ad vitam. Est autem maximæ voluptatis, circa vespertinas horas ex vnaquaque mansione monachorum varias audire voces, psalmos Christo canentium. Quo tempore siquis assistat, & diligenter aduertat, putabit se subitò sublatum, & in paradiso constitutum. Ad ipsam verò ecclesiam solo Sabbato & Dominico die conuenire consueuerunt.

Ecclesia in monte Nitria.

Flagellum.

Xenodochium.

Doctores.

Psalmi.

Quando veniunt ad ecclesiam.

Sunt autem in ipsâ octo presbyteri, inter quos quã diu primus presbyter viuit, nullus præter ipsum alter aut sacra offert Deo, aut [a] tractat, aut iudicat,

Octo presbyteri.

dicat, sed silent semper, solo consessus honore contenti. Ille verò maior Arsisius, & alij multi cum ipso senes sanctissimi, quos & ipse tunc vidi, eiusdem temporis, cuius & beatus Antonius, erant; qui nobis etiam sanctum Ammonem Nitriotem se nosse dicebat; illum, cuius animam dum ab Angelis ferretur ad cælum, vidit Antonius. Hic ergo referebat quòd & Pachomium Tabennesioté aliquando vidisset, virum propheticâ gratiâ clarum, & in monasterio tria millia monachorum regentem; de cuius virtutibus post paululum loquar.

Arsisius.

Pallad.c.8.

Ipsum autem Ammonem in hunc morem vixisse dicebat: Cùm esset, inquit, puer à parentibus derelictus, & ad viginti duorum peruenisset numerum annorum, inuitus ab auunculo suo matrimonij vinculis illigatus est. Qui cùm resistere non posset ei quæ à parente ingerebatur necessitati, & in nuptiis iussus est coronari, & in thalamo sedere compulsus est, & omnia patienter sufferre sollemnia nuptiarum coactus est. Postquam autem vniuersi à thalamo recesserunt nouis nuptis in lectulo collocatis, sanctus Ammon surgit è lectulo, ostium claudit, vocatque residens benedictam illam, & verè vnanimem coniugem suam, dicens: Veni, inquit, domina, vt tibi caussam ipsam huius coniunctionis exponam. Nuptiæ nostræ huc vsque sunt tantùm, nihilque in se ampliùs habent; benè ergo faciemus, si de reliquo quisq; nostrûm separatim quiescat, vt Christo placere possimus si intactâ virginitate viuamus. Prolatum autem de sinu paruum libellum nescienti Scripturas sanctas puellæ ex personâ Apostoli ac Saluatoris legebat, cui lectioni alia secundùm sensum suum longè plura coniungens, exponebat eidem castitatis virginitatisque conuersationem, vt illa post satisfactionem in ictu gratiâ diuinitatis impleta diceret: Mihi quoque persuasum scias, domine, castam vitam libenter amplecti. quid ergo iubere ampliùs velis exspecto. Cui ille, Hoc, inquit, iubeo & rogo, vt vnusquisque nostrûm separatim ab hoc die maneat. Ad quod illa non acquieuit, dicens: In eadem quidem cellâ, sed in lectulis separatis manere debemus. Cumque hoc vtrisque placuisset, decem & octo annos vixerunt, ita vt illa quidem totis diebus esset in cellâ, ille autem insisteret operi in hortulo quem colebat, & balsamum eâ quâ peritus erat arte conficeret. quod tamen balsamum multo labore ad imaginem vinearum & plantatur, & colitur, & putatur. Vespertinis autem horis regressus domum orationibus factis, & cum eadem cibo sumpto, ac rursus nocturnis precibus ex more celebratis, ad opus solitum primo manè pergebat.

Ammon inuitus adigitur ad matrimonij iugũ.

Cohortatur coniugem ad virginitatem seruãdam.

Eius exercitium.

Intereà dum eorum esset hæc vita, exclusâ ab vtroque penitùs omni corporalis illecebrâ passionis, oratione sancti id quod aliquando cupiebant, obtinere cœperũt. Ait enim eidem ad postremum beata illa: Domine, inquit, mi, habeo quod dicam; in quo si me audieris, probabitur mihi quòd me secundùm Deum diligis. Hortatur ille, vt quod ei placeret ediceret. At illa, Iustum mihi hoc, inquit, videtur, cùm ipse sis sexus virilis, & iustitiæ totus inseruias; cumque ego quoque propositi tui æmuler viam, vt diuersis ad multorum ædificationem mansionibus separemur. inconueniens enim atque incongruum puto, propter me tantam in occulto te habere virtutem, nec vlli esse cognitum quòd in hac castitate atque pudicitiâ Domini amore simul viuimus & manemus. Cui ille gratias agens, Deumque glorificans, ita respondit: Benè tibi placuit, mi domina soror; habe igitur hanc ipsam cellam, ego autem aliam mihi facere tentabo. Egressusque ab eâ, mox interiora loca Nitriæ penetrauit (nec dum enim tunc monasteriorum illic fuerat multitudo) fecitque sibi duarum volumina cellularum, atq; ita in solitudine viginti aliis annis ac duobus transactis, defunctus est; imò magis somno quieuit, cùm sexaginta duos ætatis suæ annos finisset. Per singulos tamen annos secũdò semper videbat beatam illam coniugem suam.

Cautè lege contra impassibilitatis assertores.

Vis orationis.

Vxoris consilio seorsum habitauit.

Ad vlteriora Nitriæ tendit.

Obit annorum 62.

De hoc illud miraculum sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus retulit, in eo opere quo vitam descripsit Antonij, quòd cùm aliquando vnâ cum Theodoro discipulo suo Lycum nomine fluuium cupiens transfretare, erubesceret sibi vestimentum detrahere, ne nudum vmquam suum corpus aspiceret, subitò sine naui in alteram fluminis partem Angelo vehente translatus est. Iste igitur Ammon ita vixit atque obiit, vt ipsius animam sanctus videret Antonius, cùm ab Angelis ferretur ad cælum. memoratum verò fluuium naui ego cum metu transiui. est enim illic deriuatio quædam magni illius fluminis Nili.

Athanasius scripsit Vitam sancti Antonij.

Ammon se nudum videre renuebat.

Vidit Antonius animam Ammonis in cælum vehi.

In hoc etiam qui Nitrias dicitur monte, monachus erat quidam, cui Hor fuit nomen, cuius virtutem multorum quidem fratrum testimonia prædicabant, specialiter tamen ancilla Dei Melania, quæ ante me ad loca ipsius montis accesserat: nam ego superstitem supradictum virum videre non potui. Hæc ergo de conuersationis eius virtutibus referebat, quòd nec mentitus vmquam fuerit, nec iurauerit, nec maledixerit cuiquam, nec sine necessitate aliquâ sit locutus.

Pallad.c.9. Hic Hor fuit Origenista.

Quæ in Hor maximè præclara.

Huius montis habitator & beatus Pambo fuit. Quem & Dioscorus episcopus, & Ammonius, & Eusebius, & Euthymius fratres, & Origenes, & Dracontius viri admirabiles, & nepos, habuerunt magistrum. Qui Pambo & cùm multis ac variis virtutum prærogatiuis, palmisque præcelleret, inter ipsas etiam hoc habuisse præcipuum memoratur, quòd intantum auri argentique contemptor fuit, vt præceptum Domini videretur implesse. Referebat ergo mihi venerabilis ipsa Melania, quia profecta de vrbe Româ, Alexandriam primùm fuisset ingressa. cumque multa de ipsius viri virtutibus Isidoro presbytero & Xenodocho referente cognouisset, & eodem duce ad eum in solitudinem peruenisset, obtulisse se illi trecentas argenti libras, ac precatam fuisse vt aliquid ex eius rebus acciperet. Qui cùm sederet, inquit, & vimen intexeret, solâ me voce benedixit & ait: Det tibi mercedem Deus. Deinde dicit œconomo suo: Suscipe cautè, & diuide per omnes qui sunt tam in Libyâ, quàm in insulis fratres. Hæc enim monasteria plus videntur egere, quàm cetera. hoc quoque ei præcipiens, ne quid ex eâ pecuniâ iis qui in Ægypto degunt daret; propterea quòd regiones illas alimentis sciret ampliùs abundare. Cùm autem memorata femina, sicut retulit mihi, staret, & benedictionem pro munere dato exspectaret aut laudem, nihilque ab eo audiret, vlteriùs ait ad illum: Scito, domine, trecentas esse in hac argentariâ libras. Qui iterùm nec sursum quidem prorsus aspiciens, ita respondit: Cui exhibuisti hæc, ô filia, non opus habet à te mensuram cognoscere; nam qui montes lance pensauit, multò am-

Pãbo quos docuerit.

Aurum despicit.

Melania ei varia munera offert.

Pambo ea dispensari curat ceteris monachis.

Sapiens responsum.

Isaiæ 40.12

to ampliùs nouit quantum sit huius ponderis argenti. Et si quidem mihi istud offerres, competenter hoc diceres: cùm autem non mihi, sed illi Deo, quem non spreuisse, imò ampliùs honorasse duos illos nummos agnouimus, tace, quiesce.

Ne quis eleemosyna ...ietum ...iciat. Marci 12.

Sic autem Dominum ordinasse dicebat, vt post paulum tempus, postea quam ad ipsum venerat montem, Dei seruus ille requiesceret; qui non ægritudine, non febre aliquâ fatigatus est, sed sportellam consuendo septuagesimæ ætatis suæ anno quieuit in pace. Ante horam verò quâ de sæculo exiens spiritum suum Deo commendarat, vocauit me, & in postremâ consummatione sui operis confidenter ait: Accipe hanc sportellam de manibus meis, quia non habeo aliud quod relinquam tibi, vt memor sis mei. Cuius corpore inuoluto in linteo, & sepulturæ tradito, ex desertis locis abscessi vsque ad finem proprium, hereditatem sancti illius habens mecum.

Pambo anno ...rum 70. moritur.

Hic ipse Pambo in fine vitæ suæ, ipsaque horâ quâ exiturus erat è sæculo, assistentibus ei Paulo presbytero & œconomo, & Ammonio, sanctitate famatis viris, & ceteris fratribus, hoc dixisse memoratur: Ex quo veni in istum solitudinis locum, & habitaui in cellulâ quam meis manibus exstruxi, panem gratis ab aliquo me manducasse non memini, nec verbum vsque in præsentem horam locutus sum, de quo pœnitentiam agere debuissem: ita tamen ad Dominum meum pergo, tamquam necdum diuinæ seruitutis cultum attigerim. Asserebant autem nobis referentes, & testimoniis confirmantes suis Paulus & Ammonius serui Christi, quia numquam cùm aliquid interrogatus fuisset vel de spiritualibus vel de sæcularibus scriptis, citò responsum sciscitantibus dedit; sed semper necdum se quod responderet inuenisse dicebat. Sæpè autem & cùm mensium spatia fluxissent, nec sic quidem responsum quærentibus dabat, adhuc se non asserens peruenisse ad notitiam veritatis. Tam diligentes autem cautasque secundùm Deum sententias proferebat, vt eas omnes tamquam ab ipso Deo prolatas susciperent. Hanc enim Antonium quoque illum magnum in suis sermonibus perhibent habuisse virtutem.

Verba Pambonis morientis.

Pambo ne in morte quidem se incepisse religiose viuere protestatur.

In loquendo accuratus.

Factum etiam huiusmodi ipsius Pambo inter alia fertur, quòd cùm Pior monachus venisset ad eum proprium panem ferens, & ob hoc ab illo reprehensus fuisset, interrogatus vt diceret cur hoc fecisset, respōdit dicens: Ne hospes ab hospite grauaretur; quem ille tantùm tacendo reprehensum dimisit continuò. Post aliquantum verò temporis ad Pior, Pambo memoratus accedens, perfusum aquâ panem, vt ab his edebatur, exhibuit. Qui interrogatus cur hoc fecisset, respondit: Idcircò aquam addidi, ne tibi onerosus existerem.

Pallad. cap. 11.

Mutua hospitalitatis contentio.

Præfatus autem Ammonius discipulus ipsius, aliique tres fratres, & sorores duæ, summo Dei cultu & amore flagrantes, cùm ad deserta peruenissent loca, separatas sibimet mansiones fecerunt, ita vt grandi à semetipsis spatio separarentur. Hunc ergo Ammonium, quia supra modum lectioni Scripturarum vacabat, ciuitas quædam episcopum sibi fieri postulauit: cuius ciues cùm hoc à benedicto Timotheo quodam petissent, & ille dixisset: Adducite eum ad me, & faciam vt vultis; cum magnâ multitudine ad eum, quò faciliùs abstraheretur, ingressi sunt, captumque se ille perspiciens, rogare cœpit eos, & per sacramenta firmare, acquiescere se omnino non posse vt vel exiret de solitudine quam tenebat. Cumque videret non concedi sibi, vt faceret quod petebat, ferro aurem sinistram radicitus (cunctis videntibus) secuit; hæc dicens: Vel nunc probabitur vobis impleri non posse quod cupitis, iubente lege diuinâ nullum aure precisâ oportere fieri sacerdotem. Et ita demū relicto eo, ad propria reuerterunt. Cùm verò remeassent, & episcopo ista dixissent, ille respondit: A Iudæis lex ista seruatur; ego autem si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo episcopum facere. Hoc audito pergunt ad ipsum instantissimè, eum rursus rogantes: quo non acquiescente, vim quoque inferre tentabant. Quibus iuratus ille respondit: Si me cogere volueritis vlteriùs, etiam linguam meam (quia propter ipsam mihi molesti estis) abscindam. Tunc demum sic eum, cùm super hoc nihil proficerent, reliquerunt.

Pallad. cap. 12. Hic Ammonius fuit Origenista.

Monasterium aliud virorum, aliud mulierum.

Renuit episcopatum Ammonius

Importunè quæsitus sibi aurem amputat.

Cuius Ammonij fertur tale miraculum. Cùm quædam delectatio carnalis sine vllâ corpusculum eius intermissione vexaret, candenti ferro propria membra laniabat, vt ex omni parte plenus esset semper vlceribus. Esca verò eius fuit huiusmodi. A iuuentute sua vsque ad obitum crudis est vsus cibis, interdum etiam præter panem. Vetus autem nouumque Testamentum memoriter retinens, etiam libros eloquentissimorum virorum * Didymi, Pierij, atque Stephani vsque ad sexcenta millia versuum legendo transiuit. Hæc autem de eo testificantur etiam patres sanctissimi in eremo commanentes. Huius etiam prophetica virtus multis innotuit. Inter fratres verò qui secreta eremi diligebant, nullus illo in officio consolationis superior. De hoc sententiam beatus Euagrius spiritualis vir & virtute discretionis præcipuus, proferebat dicens, nullum se vidisse hominem, qui sic superauerit corporeas passiones.

Candenti ferro libidinem extinguit.

Crudis vescitur.

* Pallad. Athanasij & Basilij.

Vtrumque Testamentum memoriter tenet.

Prophetatur.

Cautè lege.

[*Hic idem sanctissimus cùm à Ruffino temporis illius præfecto prætorij multiplici supplicatione rogatus fuisset, vt magno illo Ammonio Constantinopolim ob necessarias eremi actiones adueniente, ipse quoque dignaretur venire, vehementer id precantibus sanctis diuersarum prouinciarum episcopis, aliisque quampluribus eremitis (qui ad dedicationem basilicæ, quam ipse condiderat, conuenerant) memoratum Ruffinum propriis manibus suscepit sacro fonte mundatum. Quem suæ conuersationis merito, plurimùm veneratus est sancto Ammonio cupiens in omnibus obedire: qui paulo pòst dormiuit in Domino, sepultusque est in basilicâ, quæ appellatur Ruffiniana: in cuius sepulcro curati feruntur cuncti, diuersis febribus laborantes.]

Hæc inclusa desunt Palladio.

Ammonius Ruffinum præf. præt. ex sacro fonte suscipit.

In monte Nitriæ, de quo suprà diximus, quidam vir fuit mirabilis, nomine Beniamin, per octoginta annos in abstinentiæ virtutibus summam donorum spiritualium gratiam consecutus: qui siue manus cuiquam imposuisset, siue olei benedictionem dedisset, ab omni languoris molestiâ soluebatur. Hic ergo qui talibus diuinæ gratiæ muneribus præminebat, ante octo menses dormitionis suæ aquoso languore peruasus, in tantum miserandâ pinguedine suæ carnis intumuit, vt nostris temporibus secundus Iob putaretur.

Pallad. cap. 13.

Oleo sacro curati morbi.

Beniamin hydropisi laborat.

Alter Iob patientiâ.

Assumens itaque nos Dioscorus episcopus, qui tunc presbyter Nitriæ fuit, me & beatum Euagrium hoc modo est allocutus: Venite, & videte

dete nouum Iob, in tanto tumore corporis atque insanabili passione singularem patientiam possidentem. Euntes igitur vidimus hominem tanto corporis tumore distentum, vt minorem manus eius digitum, vtrarumque manuum nostrarum coniuncti digiti minimè complecti valerent. Cumque non possemus dura passionis eius diu respicere, oculos nostros ab eo deflеximus. Tunc ille beatus Beniamin ait nobis: Orate, filij, vt homo meus interior isto languore fit liber; hoc namq; corpus nec suâ me sanitate sublimem reddidit, nec dolore deiectum. Per octo itaque menses illos facta est ei sella latissima, in quâ incessanter sederet, iam non valens in lectulo requiescere propter reliquas corporis necessitates. Qui tamen in huiusmodi sui corporis passione constitutus, alios Dei gratiâ sanare consueuerat quolibet languore vexatos.

Internus homo si sanus sit, non magnopere laborandum de corpore.

Aeger Beniamin aliis medetur.

Necessarium igitur existimaui referre huius sanctissimi passionem, vt non admiremur, quoties viris iustissimis quædam corporales necessitates contingunt. Defuncto autem viro fortissimo, postes ianuarum (nec enim aliter tanti tumoris corpus eiici potuisset) sublati sunt.

CAP. III. *Vita abbatis* APOLLONII *cognomento* EX NEGOTIATORIBVS, *& duorum aliorum* FRATRVM *conuersorum.*

Pallad. cap. 14.

APOLLONIVS quidam nomine, vnus ex negotiatoribus renuntians sæculo, montemque Nitriæ habitans, cùm iam neque artem discere præualeret senio præpeditus ætatis, neque abstinentiam spirituali Scripturâ mandatam exercere, huiusmodi continentiam sibi instituisse cognoscitur. Ex propriis pecuniis atque laboribus, omnem remediorum speciem atque cellaria in Alexandriâ comparans ciuitate, cunctis fratribus languentibus necessaria exhibebat. Videres autem eum à principio diei nonam vsque horam vniuersa tam virorum quàm feminarum monasteria peragrantem, & per singula ægrotos ostia visitantem, portantemque secum vuam passam, malogranata, oua, siligines, quę maximè necessaria videntur infirmis. Ad talem vitam, cui solùm aptus erat, suam hic famulus Christi instituerat senectam; qui tamen ante obitum suum cùm aliquem sui similem reperisset, ei omnem ministerij huius supellectilem tradidit, comprecatusque est eum, vt huiusmodi curam fratribus exhiberet. Cùm enim quinque millia monachorum in supradicto monte consistant, necessaria vel maximè talis sollicitudo est & consolatio, sine quâ in desertis illis non viuitur locis.

Apollonius medicum se & pharmacopolam præstat fratribus.

Alij etiam duo quidam fratres fuerunt, quorum pater emendis vel mutandis mercibus studens, vsque ad Hispaniam semper negotiando pergebat. Quo mortuo, diuiserunt inter se substantiam eius, quæ in mobilibus tantùm erat: in auro quidem quinque millia solidos, in mancipiis verò vel vestibus quidquid inuenire potuerunt. Isti igitur vno animo communique consilio inter se tractare cœperunt, dicentes inuicem sibi: Quam, frater, eligimus viam vitæ? si mercationem in quâ pater noster vixit arripimus, etiam ipsi labores nostros aliis relinquemus, nosque fortasse euntes in pericula, præcipites vel marini (vt assolet) fluctus, vel latronum tela consument. Sequamur igitur, frater, solitudinem magis vitamque monachorum, vt & paternam hereditatem lucremur, & animas nostras nullâ rerum malarum contagione perdamus. Quod propositum cùm vtrisque placuisset, in electione solitariæ vitæ diuersum singuli tenuerunt iter.

Palladius c. 15. & 16. vocat *Paesium & Isaiam*, atque ita hîc MS. etiam habet.

Duo fratres solitudinem spirant.

Diuisis igitur quas pariter reliquerant rebus, vnum quidem habuerunt vterque propositum vt placerent Deo, sed non in vnâ institutione viuendo ambo placuerunt. Alter enim ex ipsis omnibus suis rebus per omnia monasteria, & ecclesias, & carceres diuisis, artem sibi reperit quamdam, ex quâ quotidiani cibum panis acquirens, ei quam elegerat vitæ & orationi vacabat: alter autem nulli ex substantiâ propriâ quidquam dedit, sed monasterium sibi fecit, vbi paucis secum fratribus collocatis, omnes aduenas, omnes senes, omnes pauperes, omnes suscipiebat infirmos, & per Dominici ac Sabbati diem ternas & quaternas mensas indigentibus exhibebat, hisque vniuersam suam substantiam modis quoad vixit expendit. Quo vtroque defuncto, beati ambo, diuersis opinionibus probabilis vitæ consummatione celebrantur. Et iste quidem aliis, ille verò aliis semper placebat.

Vita diuersum institutum arripiunt.

Ex quorum laudibus ortâ inter fratres contentione, quòd vterque videretur fuisse perfectus, ad sanctum Pambo, vt ab eo verum cognoscerent, pergunt. Quem cùm iudicem elegisse se dicerent, petferentque vt quis è duobus fecisset melius, edoceret; vtrumque ille apud Deum perfectum esse respondit. Nam alter quidem ex ipsis Abrahæ, alter Eliæ moribus vixit. Cumque non sedato intra se certamine dicerent, deprecantes, quemadmodum pares possunt videri, & non magis præcedat ille qui euangelica præcepta compleuit, qui cuncta vendidit, pauperibus donauit, quique per omnes horas, omnes dies, omnesque noctes, Dominicam crucé portans, perpetuâ Saluatorem oratione comitatur? Cumque alij diuersâ ex parte contenderent dicerentque, Quia iste, quem nos ampliùs prædicamus, tantum circa egentes suum ostendit affectum, vt aggeribus publicis assideret, tribulantes vndecumque colligeret, & non suæ tantummodò consuleret animæ, sed multas atque multorum curando infirmitates, ac necessaria præbendo saluaret. Ita beatus Pambo ad vtrosque respondit: Idem iterùm vobis loquor, pares ambo sunt apud Dominum, & vtrisque me satisfacturum puto. Hic enim si tam perfectus monachus non fuisset, dignus profectò non esset vt eum bonitati illius compararem: ille verò reficiens egenos atque peregrinos, aliquod ex ipsâ communione solatium sentiebat. Nam & si labores ipsius esse magni oneris videbantur; attamen habebat & requiem aliquam cum labore. Exspectate autem, ait, vt super hoc (Deo reuelante) cognoscam: quòd cùm veneritis ad me, deinceps audietis. Post paucos itaque dies cùm eum rursus rogarent, beatus ille ita respondit, dicens: Ante Deum, vobis loquor, vtrosque in paradiso simul stare conspexi.

Contentio illis mortuis de beatitudine, quum à diuerso illo instituto affecuti sunt.

Vter melior.

CAP. IV. *Vita* MACARII *monachi homicidæ.*

Pallad. cap. 17.

IVVENIS quidam, qui Macarius dicebatur, annorum decem & octo, dum cum æquæuis suis pecora pascens iuxta lacum (cui Mariæ nomen est) ludit, homicidium fecit inuitus; nullique quidquam dicens, ad deserta perrexit, in tantum humano atque diuino territus metu, vt amens factus per triennium videretur, dum sine tecto in solitu-

Ex cade inuoluntariâ occasio Macario capessendæ solitudinis.

solitudine permaneret. Est enim terra ipsa semper sine pluuijs. Norunt hoc quod loquor cuncti, qui & scripturarum lectione, & experientiâ rerum periti sunt. Ipse beatissimus, quem dico, in deserto sibi cellulam fecit. In quâ vigintiquinque alios annos ætatis suæ viuens, talem diuinam gratiam meruit, vt exultans solitariâ vitâ, illuderet dæmones atque despiceret.

Salutare infortunium. Hic mihi, apud quem multum temporis feci, interroganti quas animus ipsius de facto homicidij cogitationes haberet? vsque adeò se tristem non esse dicebat, vt ex ipso homicidio quod ignarus admiserat, Deo gratias actitaret. Inde enim aiebat occasionem sibi salutis allatam: dicebat autem, Scripturarum testimonia proferens, quòd numquam magnus ille famulus Dei Moyses diuinitatis meruisset intuitum, neque tantum assecutus donum Dei fuisset vt mysteria cælestia ac sancta conscriberet, nisi Pharaonis regis metu propter *Exod. 2.* homicidium quod in Ægypto admiserat, ad Sina montis deserta fugisset.

Virtutes quædam à casu, quædam ab electione. Hæc autem ego dico, non vt ad homicidium quemquam videar incitare, sed vt ostendam magis, quòd ex malis rebus interdum, si in eas incidamus inuiti, occultâ Dei prouidentiâ ad virtutis gloriam peruenimus: alia enim genera virtutum necessitati adscribimus, alia voluntati.

CAP. V. *Vita beati abbatis* NATHANAELIS.

Pallad. cap. 18. FVIT alter quidam de antiquis viris nobilissimus agonista, nomine Nathanaël, quem ego superstitem quidem videre non potui; quieuerat enim ante quindecim annos aduentus mei: ab illis tamen, qui vnà cum ipso per multum tempus vixerant, monachis, virtutem ipsius viri diligentiùs requisiui. Ostenderunt autem mihi & cellam ipsius, in quâ manere consueuerat, in quâ tamen post ipsum nullus habitauit, eò quòd viciniam ipsius loci homines incolebant. Tunc enim cellam suam ille beatus construxerat, quando rarò adhuc aliqui se ad secreta solitudinum conferebant.

Nathanaël perpetuus cellæ custos. Hoc autem ab illis magnum continentiæ bonum de memorato agnoscebam viro, quòd tantæ in cellâ suâ patientiæ fuit, vt in proposito suo numquam omnino titubauerit, ex quo primùm irrisus atque tentatus videbatur à dæmone, qui omnes & illudit & fallit, cuius fraude ex priore, acediam perpessus, cellâ dicitur recessisse, aliamque viciniam vico cuidam fabricare cœpisse. At vbi & perfecit alteram mansionem, & in eâ cœpit habitare, post tres vel quatuor menses per noctem ad eum dæmon accessit in speciem militis, imaginemque carnificis figuratus, qui pannis obsitus, sordere deformiter, sonumque flagris facere videbatur. Ad quem beatus Nathanaël hæc dixit: Quisnam, inquit, tu es, qui talia in hospitio meo facere conaris? Ille respondit: Ego sum qui te ex priore cellâ fugaui, quique nunc veni, vt ex hac quoque mansione te pellam. Quo audito, ille vbi illusum se vidit à dæmone, reuersus est statim ad habitaculum prius, ac triginta & septem annos in eadem mansione compleuit, ne ipsum quidem limen egrediens, contendendo cum dæmone quem superare cupiebat. Qui quidem tantis eum machinationibus impugnando vexabat, vt quocumque modo cellam suam cogeretur exire, quantas singulatim referre non possum.

Specie carnificũ dæmon eum terret.

Contendit Nathanaël cum dæmone.

Inter quæ immundus ille spiritus hoc quoque aggreditur, vt eum à propositi sui lege deflecteret. Captato namque aduentu quorumdam septem sanctorum episcoporum, qui ad requirendum eum siue prouidentiâ Dei, seu dæmonis tentatione venerunt, cùm episcopos ipsos post orationem factam egredientes, ne vno quidem passu prosequeretur, dicunt ad eum diaconi episcoporum: Superbam rem admodum facis, abba, quòd non deducis sanctos episcopos. Quibus hoc ille responsum dedit: Ego & dominos meos episcopos veneror, & omnem clerum debitâ honorificentiâ prosequor, cunctorumque hominum me extremum esse non dubito; sed & his & vniuerso sæculo mortuus sum: occultum autem propositum, & mei cordis arcanum Deus nouit, propter quod sanctos non prosequor viros. Deceptus igitur dæmon ac lapsus de spe præsentis ingenij, aliam contra ipsum ante nouem menses obitus eius artem machinatur. *Septem episcopi inuisunt Nathanaëlem.*

Fit subitò paruulus puer veluti annorum decem, minans asinum, panes in cistâ ferentem: qui cùm ad cellam ipsius multâ satis nocte venisset, asinum in terram ruisse simulauit, & clamantem paruulum finxit. Abba, inquit, Nathanaël, miserere mei; & manum mihi porrige. Auditâ ille istâ quasi pueri paruuli voce, intra ostium, cuius partem recluserat, stat dicens ei: Quis es tu? vel quid à me cupis fieri? Puer sum, inquit, illius monachi, & eidem panes porto, quia ipse frater tuus agapen facturus est. Crastino autem illucescente Sabbati die, necessaria est hæc oblatio spiritualis. Quæso igitur ne despicias iacentem, ac ferarum morsibus tradas; multæ enim beluæ illæ esse per deserta noscuntur. *Dæmon in pueri figurâ Nathanaëlem è cellâ euocare tentat.* *Agape, spiritalis oblatio.*

Stabat sanctus Nathanaël velut eneus, & vehementer incertis cogitationibus stupens, sensuque turbato secum ista versabat: Necesse est me aut misericordiam, quod est maximum in præceptis diuinis, non facere, aut à proposito deuiare. Ad postremum autem rationabili confirmatus ingenio, satis esse melius iudicauit, si & diabolus erubesceret, & tantum ei ac tot annorum meritum non periret. Oratione igitur ad Deum factâ, respondit ei, qui quasi paruulus loquebatur: Audi, infans, credo in ipso cui seruio, qui dominatur omni spiritui, quia si necessarium habes alicuius auxilium, ipse præstabit, nec tibi aut feras aut quempiam alium nocere patietur. Si autem quædam res ista tentatio est, iam nunc Dominus meus aspiciat, & suam faciens voluntatem, non me ex eâ lædi concedat vlteriùs. Tunc clauso ostio, se recepit. Confusus autem dæmon & victus, resolutus est in turbinem venti, & in * sues agrestes, discursibus ac strepitu lasciuientes. Hæc beati Nathanaël vita fuit perpetua, hic finis, hæc palma. *Firmum Nathanaëlis propositum.* *Confidentia.* ** MS. onagros.*

Vita duorum magnorum MACARIORVM, *vnius Aegyptij, alterius Alexandrini, necnon &* MARCI *monachi.* CAP. VI.

ILLA autem quæ de prædicabilibus ac beatis referuntur viris duobus Macarijs, vt innumera atque infidelibus incredibilia dubito referre vel scribere, ne fortè etiam mendacis nomen incurram. Quòd autem apud Deum pereant omnes, qui loquuntur mendacium, sententia sancti Spiritus declarauit. Me itaque, fidelissime virorum Lause, gratiâ Domini non mentiente, tu quoque *Pallad. c. 19. 20.* *Psal. 5.*

sanctorum triumphis incredulus non existas.

Distributio eorum qui Macarij dicti sunt.

Ex his duobus Macarijs vnus quidem genere Ægyptius, alter verò iunioris tempus ætatis vincens virtutibus, Alexandrinus negotiator erat *.

** MS. addit: qui poma vel legumina, nucesque vendebat.*

Priùs tamen de illo Ægyptio loquar, qui vixit nonaginta omnes simul annos: ex quibus sexaginta in desertis impleuit locis, ad quæ iuuenis fuerat ingressus trigesimo ætatis suæ anno; tantoque abstinentiæ monachilis intra decem annos vixit certamine, vt iam tunc discretionis sapientiâ præmunitus, senis puer nomen acciperet, eò quòd velociùs ad matura conscendit certamina. *Macarius Ægyptius.* Vbi enim primùm esse quadragenarius cœpit, & contra spiritus aërios, & in curationibus hominum, & denuntiationibus futurorum diuinam gratiam meruit, postremò etiam sacerdotis (vt dignus erat) nomen accepit. Discipulos hic secum habebat duos, in desertis interioribus quæ Scithim vocantur: quorum vnus minister ipsius erat, nec ab eius latere recedebat, propter eos qui causâ curationis frequentare consueuerant; alter autem separatim in propriâ cellâ manebat. Post aliquantum autem temporis dum præuidentibus futura oculis intuetur, ait Ioanni nomine ministro suo, (qui postmodum etiam ad presbyteratum, loco eiusdem sancti Macarij meruit peruenire:) Audi, inquit, me, ô Ioannes frater, & suadenti mihi id quod tibi proderit acquiesce. Tentaris enim, & te cupiditatis atque auaritiæ spiritus vexat; *Spiritus auaritiæ.* sic namque vidi: & scio, quòd si acquieueris mihi, consummaberis in hoc quem adeptus es loco, & gloriaberis, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: *Psal. 90.* sin verò me audire nolueris, Giezi tibi finis adueniet, cuius & morbo laboras. *4. Reg. 5.*

Euenit igitur vt post obitum beati viri, tam salubria eius dicta contemneret post quindecim vel viginti annos: vnde eum ita totum ille execrabilis morbus inuasit (eò quòd in pauperes fratres, more Iudæ, furti crimen admiserat) vt non posset incolumis vel vna pars eius corporis inueniri, ne in tali quidem spatio quod vnus alicuius digitus occuparet. Est ergo & hoc ex ijs quæ sanctus Macarius longè antè prædixerat.

De cibo autem eius & potu referre superfluum puto, præsertim cùm etiam à negligentioribus monachis videamus ista seruari, ne aut deliciosis aut sæcularibus pares esse dicantur, maximè in illis locis, vbi vix necessaria ipsis alimenta sufficiunt, & vbi sunt tantorum, quæ imitari student, exempla sanctorum. De alijs igitur meritis ipsius loquar. *Macarius in extasi frequenter.* Sine intermissione semper in quadam esse translatione animæ putabatur, imò magis plurimum vitæ suæ tempus cum Deo agere, & cælestibus ampliùs quàm terrenis negotijs interesse; in quo & diuina quædam miracula fuisse memorantur.

Nam Ægyptius quidam cùm amore væsano alienæ vxoris arderet, nec posset ad effectum tam scelestæ cupiditatis peruenire, eò quòd illa pudicitiæ dedita, virginitatis suæ coniugem nimis amaret, maleficum precatus est, vt aut se amari ab eâ faceret, aut quocumque illam modo à marito proprio repudiari. *Præstigiator amatorijs precibus mulierem equam apparere facit.* Maleficus autem multis muneribus illectus, solito propriæ artis ingenio, fecit illam equam videri, non feminam. Quam vbi talem vir eius, domum regressus, aspexit, tam monstruosâ nouitate turbatus, (quòd iacere in lectulo suo equam videret) ingemiscebat ac flebat, eò quòd ipsum alloquens animal, nullum loquentis poterat audire responsum. Rogabat igitur presbyteros ipsius vici, duxitque eos domum, & quid illa pateretur ostendit. Et ne tunc quidem caussam tantæ calamitatis agnoscit. Quæ tamen iam per triduum, nec vt equa fœno, nec pane vt homines vtebatur, vtriusque escæ alimonijs destituta. Ad postremum vt magnificaretur gloria Dei, & vt sancti illius Macarij virtus innotesceret cunctis astantibus, subitò in cor mariti eius ascendit, vt cum eâ loca deserta penetraret. Illigatam igitur eam ita vt iumenta vinciri solent, ad deserta deduxit: cumque iam sancti Macarij cellulæ appropinquaret, iuxta quam Monachi stabant, obiurgare cœperunt memoratum virum eius, cur cum equâ ad monasterium venire voluisset. Ad quos ait ille: Veni huc, vt possim misericordiam sancti orationibus promereri. Illisque interrogantibus, quid mali haberet; Vxor, inquit, mea est hæc, sed in equam videtur esse conuersa: habet autem hodie tertiam diem, ex quo nullum penitùs cibum sumit. Quod cùm supradicti fratres oranti sancto Macario (cui iam & hoc ipsum Deus notum fecerat) retulissent, & pro eadem instanter oraret, hæc fratribus dixit: *Aqua benedicta virtute phantasma Macarius à feminâ depellit.* Vos, inquit, equi estis, qui equorum habetis oculos; illa enim mulier est, nec transfigurata in aliam naturam videtur, nisi eorum oculis, qui præstigij vanitate falluntur. Confestimque benedictam capiti ipsius nudæ infundens aquam (oratione completâ) subitò videri eam omnibus feminam fecit, iussitque eam refici, & gratias agentem Deo cum coniuge suo remeare præcepit, hæc dicens: Numquam omnino à communione sanctorum mysteriorum separetur, numquamque ab ecclesiæ oratione discedat. *Femina fuit prestigijs obnoxia, quia rarius communicabat.* Hoc enim ideircò perpessa est, quia per septimanas quinque, mysteria diuina non attigit.

Aliud iterùm ipsius factum proloquar. Per longum temporis spatium, cuniculum quemdam sub obscuro terræ profundo, à cellâ suâ duxit, per dimidij spatium stadij vsque ad soli alterius summitatem: *Vt homines lateat, cuniculum effodit Macarius.* vbi speluncam sibi proprio sudore perfecit, vt quoties ferre non poterat molestiam frequentantium, relictâ cellâ suâ per occultum iter se ad speluncæ latebras conferret, itaque à nullo vmquam se voluisset videri. Referebat ergo nobis quidam de studiosis ipsius aliquando discipulis, quòd quoties de mansiunculâ sua ire ad speluncam solebat, viginti & quatuor eundo orationes, & totidem redeundo faciebat.

Mortuum excitat in fidei testimonium.

De hoc ipso fama vulgauit, quòd & mortuum suscitarit, dum quemdam hæreticum vult docere, qui resurrectionem corporum negabat futuram. Quæ fama in desertis illis locis, sicut est vera, permansit.

Ad hunc aliquando filium iuuenem dæmone laborantem, lamentans mater exhibuit: eumque duo in singulis lateribus vinctum tenebant viri. Cuius dæmonis hanc operam esse dicebant: Posteaquam infelicem hominem, trium modiorum panes edere, & vnius amphoræ * lagenam bibere coëgisset, ructando vniuersa quæ deuorauerat, in aërem quemdam fumumque conuertere consueuerat, atque ita omnia vel comesta vel potata quasi quodam ignis ardore solebat absumere. *Dæmon comedens cibos resoluit, non digerit.* Est autem & legio dæmonum, quæ flammea nominatur. Sicut enim inter homines, ita & inter illos multa est distantia, non naturalis substantiæ, sed

** MS. vel cilicensis lagenæ aquam.*

Dæmonum differentia voluntate diuersâ eadem sub-stantiâ.

sed diuersæ ac dissonæ voluntatis. Iste igitur iuuenis, cùm ei tam enormes cibos mater propria parare non posset, edebat frequenter egestionem sui corporis ac bibebat. Ob quod flens mater infelix de intolerabili calamitate filij sui, sanctum illum, vt miserabilem iuuenem curaret, orabat. Cumque continuas apud eum preces plurimasque fudisset, orante super illum, Deumque precante viro sanctissimo, post vnum vel alterum diem cœpit tanti mali medicina procedere. Ait autem matri ipsius: Quantum vis vt comedat filius tuus? At illa, Decem inquit, panes. Quam ex hoc sanctus ille reprehendens, Quid, inquit, locuta es? Septem itaque diebus ieiunans & orans pro eo, tres eum libras panis iussit accipere, ita tamen vt opus propriis faceret manibus. Quem hoc modo per gratiam Dei curatum, & ad pristinam sanitatem reductum, propriæ reddidit matri. Hoc quoque miraculum per sanctum famulum suum Deus fecit, quem virum ego in corpore videre non potui; ante annum enim quàm ad illas solitudines introirem, ille tantus decertator quieuit in Domino.

Macarius Alexandrinus.

Illum autem Macarium qui Alexandriæ presbyter fuit, vidi in his locis, quæ Cellæ nominantur, in quibus Cellis ego per annos nouem mansi: in quibus triennij tempus cum eo vixi, & illa quidem miracula sub oculis meis fecit, alia verò ex ore ipsius didici, cetera autem aliorum relatione cognoui.

Quadragesimæ obseruatio in cibis igne non coctis.

Habebat itaque hoc in proposito vitæ suæ, vt si quid magnum à quibuscumque sanctis in abstinentiâ fieri didicisset, hoc feruenter impleret. Cognito igitur à quibusdam quòd Tabennensiotæ nihil cocti cibi per quadragesimam totam edere dicerentur, statuit intra semetipsum, vt per septem annos nihil quod coctum fuisset igne, gustaret, sed crudo tantùm olere contentus esset; ita vt si fortè vmquam leguminis aliquid reperisset, neque inde gustaret. Hoc ergo cùm ampliùs quàm volebat imitando fecisset, de reliquo, tamquam nihil esset graue, contempsit.

Victus eius ratio.

De alio iterùm qui vnam tantùm panis libram comederet, audiuit hic eximius monachorum, cupiensque eum imitari, confractum atque in partes redactum modicas buccellatū in lagenas misit, & statuit tantum ex eo edere, quantum posset manus ipsius vnà proferre: & ita mihi lætus ipse posteà referebat, hoc dicens: Plures quidem particulas buccellati intra lagenam comprehendebam, totum tamen quidquid intrinsecùs tenere potuissem, foràs proferre non poteram propter angustias oris exigui. Publicanus etenim meus, vt omnino non ederem non sinebat. Per triennium ergo sub hac obseruatione vixit, quatuor aut quinque tantùm vncias panis assumens, & tantumdem bibens aquæ, vnumque expendens sextarium olei, quod per totum illi annum sufficiebat.

Venter importunus publicanus.

Somnum superare contendit.

Aliam rursus propositi ipsius agnosce virtutem. Hic virorum fortissimus somnum aliquando vincere statuit; & hoc ipse dicebat, quòd per viginti dies nec semel quidem sub tectum aliquod fuisset ingressus, vt sic vinceret somnum, diurni quidem æstus ardoribus flagrans, nocturno autem frigore tremens, & quemadmodum ipse referebat, ipsi velociùs ad tectum rediisset, somnumque cepisset, vsque adeò sibi aruisse iam cerebrum intelligebat, vt sine sensu propemodum putaretur. Vici ergo, inquit, quantum ad me pertinet somnum; naturę verò, quę exigebat vsum debitū, cessi.

Quia culicem occiderat, culicum se morsibus exposuit.

Hic quodam die dum in cellâ suâ matutinus sederet, culicem sensit: à quo vulneratus in pede, dolensque eum manu suâ peremit, qui & moriens, plurimū cruoris effudit. Reprehendens igitur factum suum, in eo quòd iniuriam propriam vindicasset, ita condemnare se voluit, vt in pratis eorum locorum quibus Scithiæ nomen est, qui in solitudinibus extremis iacent, nudus per sex menses sederet, vbi culices crabronibus similes, aprorum quoque perforant cutem. Ergo illic exulceratus est totus, quibusdam tuberibus per omnia eius membra turgentibus, vt vnus crederetur ex illis esse, qui elephantiosi vocantur. Post sex autem menses regressus ad cellam suam, sola (quòd ipse esset Macarius) eius voce patefactum est.

Monumentum magorum Ianne & Mambre adire statuit.

Hic idem desiderauit aliquando (sicut solebat referre) hortum, in quo essent Iannes & Mambres malefici sepulti, videre, qui sub Pharaone plurimùm potuisse memorantur. Qui longo in tempore & grandi potentiâ suæ artis quadratis lapidibus supradictum opus exstruxerant, in quo superposita fuerat memoria prædictorum, vbi & aurum reconderant, & varijs arbusculis locum repleuerant: puteum quoque fecerant, eo quòd sine aliquo videretur humore idem locus esse. Hæc autem omnia idcircò fecisse dicuntur, quòd se post obitum in eodem loco tamquam in paradiso crederent esse mansuros. Ignorans itaque famulus Christi Macarius, quæ nam ad memoratum locum deduceret via, æstimatione quadam animi solas cæli stellas (quod in mari nautis solet fieri) dum per deserta ambulat, sequebatur. Fascem verò calamorum portauerat secum, vt per millenos passus singulos figeret, quò faciliùs posset agnoscens sua signa remeare. Per nouem igitur dies itinere confecto, præfatis appropinquauit locis: cui ferocissimus dæmon, qui semper aduersum Christi athletas dimicare consueuit, collectos omnes ex proprijs locis calamos à mille passibus prædictæ memoriæ quiescenti, subitò ad caput posuit. Cumque sanctus Macarius surrexisset à somno, agnouit eos quos alibi reliquerat calamos. Credo autem quòd & hoc permittente Deo ad examinationem memorati viri contigerit, ne spem aliquam haberet in calamis, sed magis in Dei gratiâ, qui in columnâ nubis per quadraginta annos iter populo Israël in deserto monstrauit.

Variæ dæmonum apparitiones.

Dicebat autem, de supradicto horto septuaginta dæmones ad aduentum ipsius prosiluisse clamantes, & circa oculos eius ac vultum coruorum more volantes, dicentesque: Quid vis, Macari? quid vis tentator monache? quid ad loca nostra venisti, in quibus manere non poteris? numquid & nos aliquos monachorum tentauimus? Habes eremum propriam cum tui similibus, vnde nostros quoque propinquos expellere festinas, nihil nobis tecum commune est. Quid nostras regiones ingrederis? si habitator es eremi, tua tibi solitudo sufficiat; nobis hunc locum sui tradiderunt incolere conditores. Quid hanc possessionem quæris irrumpere, in quam nullus vmquam hominum, postquam nobis a fratribus nostris nostrâ hîc manu sepultis est tradita, viuens ingressus est? Cumque adhuc dæmones plurima replicarent, atque lugerent, beatissimus ille respondit: Ingre-

diar tantùm vt videam, continuoque discedam. Et dæmones, Hoc, inquiunt, nobis per tuam conscientiam sponde fideliter. Christi verò seruus ait simpliciter: hoc faciam. Continuoque dæmones ab eius oculis recesserunt. Ingressum se igitur, atque illic suspensum æneum cadum reperisse dicebat circa puteum cum catenâ ferreâ, longâ iam temporis vetustate consumptum, mala etiam granata intrinsecus vacua, ac nimio solis ardore siccata. Sic itaque inde discedens, per viginti totos ad cellulam suam reuertitur dies. Cui cùm aqua quam portauerat cum panibus deesse cœpisset, & grandi molestiâ penuriæ laboraret, ac pænè deficeret, apparuit ei quædam (vt ipse referebat) puella, puro linteo cooperta, ferens ampullam aquæ stillantis, vno à se stadio separata. Quam per triduum ambulans supradictum vas sibi ostendentem videbat, & velut stantem viciniùs, ac se inuitantem, ita vt putaret quidem assequi eam posse, nec tamen valeret. Igitur spe bibendi, laborem se trium dierum patienter sustinuisse dicebat. Multitudo autem bubalorum grandis apparuit (sunt autem illic plurimi huiusmodi greges) inter quos vna de bubalis cum pullo suo astitit subitò, vt & ipse referebat, cui lac ex vbere fluebat in terram. Subieci me ergo, inquit, & labia ferinis vberibus in os meum expressurus apposui, quousque ad satietatem refectus sum: idque sibi suffecisse dicebat, vsque dum ad cellam perueniret. Quem ipsa etiam bestia subsecuta, vbera eidem sua præbebat, neque proprium fœtum sancti illius contemplatione suscipiens.

Descriptio sepulcri magorum.

Tentatur esuriens & sitiens.

Lactatur à bubalâ.

Alio rursus tempore dum ad requiem monachorum puteum facit, inter virgulta vel frutices aspidis dente percussus est, cuius morsum necesse est continuò mors sequatur. Correptam igitur eam, & vtraque manu ab ore distentam, scidit mediam, dicens ei: Cùm te non miserit Deus meus, cur ausa es huc venire?

Aspidis morsus non obfuit Macario.

Habebat autem diuersas in desertis locis cellulas, in quibus virtutum operabatur insignia. Vnam in interiore solitudine, cui nomē est Scithi; *aliam in Libyâ, vbi Cellæ vocantur; aliam in monte Nitriæ, ex quibus quædam sine fenestris erant, vbi per totam quadragesimam sedere in tenebris hic beatissimus dicebatur. Alia cella angustior erat, in quâ pedes suos extendere non valeret. Alia latior, ad quam venientes ad se suscipere consueuerat. Tantas autem hic hominum dæmonijs laborantium curabat cateruas, vt numerus esse non posset, nobis etiam illic degentibus.

Diuersæ cellæ Macarij.

* MS. aliā in Libyâ, aliam in Cellis.

Curat dæmoniacos.

De Thessalonicâ ad eum nobilis ac diues virgo perducta est, quæ iam per multos annos paralysi laborabat. Quæ cùm ei fuisset oblata, atque ante cellam beati viri proiecta, motus in eam misericordiâ, per viginti dies proprijs manibus oleo sancto perungens, ac Domino pro eâ preces fundens, incolumem suæ reddidit ciuitati. Quæ postea plurima ad solitudines, cùm fuisset proprijs pedibus regressa, transmisit.

Mulier curatur à paralysi per oleum sanctum.

Hic idem cùm audisset grandem vitæ conuersationem Tabennensiotas habere, veste mutatâ ad similitudinem alicuius operarij, sumpto habitu sæculari, intra quindecim dies per deserta iter faciens, Thebaidem vsque peruenit. Cumque peruenisset ad monasterium memoratorum hominum, primum quidem, quem archimandritam vocitant, requisiuit, Pachomium quemdā nomine, probabilem per omnia virum, habentem spiritualem gratiam prophetiæ, cui tamen de Macario nihil fuerat reuelatum. Ad quem cùm venisset, hæc dixit: Quæso, vt me in monasterio tuo suscipias; monachus enim esse desidero. Ait illi magnus ille Pachomius: Senilibus annis grauaris, & monachus esse iam non potes, neque inter ceteros fratres qui hoc ab adolescentiâ didicerunt, viuere vales, eò quòd consuetudinem eorum laboremque non pateris: cumque abstinentiæ tentationes non ferens, læso animo egressus ab his fueris, maledicere eis incipies quos non potueris imitando sectari. Noluit itaque nec primo eum nec secundo die, nec per totam suscipere septimanam. Dumque iugiter persisteret in rogando ieiunus, ad postremum, Suscipe me, inquit, abba, & si me in ieiunio, vel in opere inferiorem ipsis deprehenderis, statim de tuo monasterio pelle. Quo audito, ille persuasit fratribus, vt in monasterio reciperetur. Est autem illic vnius numerus mansionis, habens etiam vsque in præsentem diem ad mille quadringentos viros. Cùm igitur fuisset ingressus in eam sanctus Macarius, & post breue tempus superuenissent quadragesimæ dies, videretque diuersos vario more viuentes, alium vespertinis horis soluentem ieiunium, alium verò post biduum, alios etiam post dies quinque gustantes, alium stantem totis noctibus, & per diem sedentem, laborantemque; ille de arboribus dactylorum cortices tenens infusos ac copiosos, in vno angulo stabat vsque ad quadragesimæ finem & principium Paschæ, non panem non aquam gustans, non flectens genua, non in terrâ iacens, sed tantùm modica cauliculorum folia cruda Dominico die sumens, vt manducare alijs videretur. Si quando autem ad corporalem necessitatē fuisset egressus, confestim remeabat, ac stabat, non os aperiens, non alicui quidquam loquens, sed cum summâ taciturnitate consistens, & in corde suo tantùm iugiter orans, atque id solùm operis quod in manibus tenebat efficiens. Quem cùm esse tam duræ atque inimitabilis vitæ monachi omnes considerassent, quasi quadam aduersum principem suum seditione commoti, Vnde, inquiunt, nobis istum adduxisti, qui ita viuit quasi in carne non sit humanâ, ad condemnationem omnium nostrûm? Audi igitur, & aut tolle eum à nobis, aut scito omnes nos ex hoc monasterio hodie recessuros. Ille autem tali conuersatione atque virtute eius auditâ, deprecatus est Dominum, vt quis esset eidem reuelaret. Quo statim facto, arreptum eum manu ad oratorium suum duxit, vbi erat altare diuinum, osculatusque eum dicit illi: Veni optime senex, tu ille Macarius es, & mihi te celare tentabas; ex multis annis te videre cupiebam, audiens de te magna miracula: gratias tibi ago, quia colaphos infantibus nostris dedisti, ne magnum aliquid in conuersatione vitæ suæ facere se putarent. Reuertere igitur nunc ad loca vnde veneras: sufficienter enim nos omnes ædificasti, & ora pro nobis. His verbis rogatus ab omnibus, inde discessit.

Macarius explorat austeritatem monachorum Tabennesiotarum.

Quadragesima à monachis diuersimodè obseruata.

Ieiunium portentosum Macarij.

Pachomius agnoscit Macarium reuelatione.

Quodam rursus tempore hoc retulit nobis, dicens: Quodcùmque genus vitæ, & quoscumque mores abstinentiæ spiritualis desideraui, imitatus sum, atque perfeci. Iterùm inquit: Aliquando animum meum quædam nouæ cogitationis cupiditas occupauit, vt vellem quinque diebus continuis

Feruens vitæ angelicæ & contemplatiuæ desiderium.

Feruens vita angelica & contemplationis desiderium.

nuis sensum cordis mei inseparabilem à Deo facere. Statuensque intra mentem meam, & clausis ita ostijs cellæ atque vestibuli, vt nullus hominum responsum à me posset accipere, cœpi instare à principio septimanæ, dicens sensui meo: Vide ne velis à cælo ad terram descendere. habes illic Angelos atque Archangelos, altissimasque Virtutes, Cherubim ac Seraphim, primumque omnium creatorem Deum: illic conuersare, sperne illa quæcumque infra cælestia videntur habitacula, ne carnales cogitationes incurras. Atque in hoc, inquit, duobus diebus ac duabus noctibus perseuerans, vsque adeò dæmonem prouocasse ac stimulasse me sensi, vt ille in flammam ignis subitò conuersus, omnia quæ habere intrà videbar incenderet; ipsamque etiam * mattam super quam stare consueueram, vt totum iam me arsurum esse crederem. Ad postremum tanto timore percussus, ab huiusmodi proposito tertiâ abscessi die, cùm viderem tam iugiter indiuiduum Deo animum me habere non posse. Descendi ergo iterùm ad cogitationes sæculares, ne aliquod mihi ex perpetuo diuinitatis intuitu genus arrogantiæ nasceretur.

Quibus argumentis mentem in cælestia erigeret.

Ad hunc ipsum Macarium cùm aliquando venissem, reperi ante fores cellæ ipsius presbyterum quemdam, cuius totum caput adeò exesum & consumptum erat illâ valetudine, quæ [7] carcinus nominatur, vt os etiam verticis videretur: quique illuc vt curaretur aduenerat, nec tamen vsque in illum diem à sancto Macario susceptus fuerat ab eo aut visus. Ego itaque tunc ipsum rogans petiui, vt eius misereretur, & saltem responsum ei daret. Ad quod mihi ille sanctus hoc dixit: Non est dignus iste curari; hanc enim pœnam ex præcepto diuinitatis accepit. si autem vis curari eum, persuade illi priùs, vt à sanctorum sacrificiorum immolatione discedat. Cumque ego dicerem: Cur, obsecro, id fieri iubes? Quia fornicationis, inquit, immunditiâ pollutus ministeria Domini violare consueuerat, ob quod talis supplicij atrocitate cruciatur: sed sicut dixi, si numquam velut sacerdos sacrificia contigerit diuina, accipere (Deo iuuante) poterit medicinam. Cùm ergo illi qui hac valetudine laborabat ista dixissem, vt cum sacramento mecum pacisceretur non se vlteriùs ad officium sacerdotis accedere: tunc demum à sancto illo vocatus est; qui eum his allocutus est verbis: Credis, inquit, Deum esse, cui nihil occultum est? Respondit ille, Credo. Non potuisti, inquit, virtutem diuinitatis eius euadere? Respondit ille: Non potui, domine mi. Tunc magnus ille Macarius, Si agnoscis, inquit, peccatum, & vis euadere istam, quam propter illud tibi Dominus intulit pœnam, emendare de reliquo. Quo audito ille proprium confessus est crimen, & de cetero se numquam peccaturum esse promisit, neque functurum sacerdotis officio, sed inter laicos iam futurum: & tunc demum illi manum sanctus imposuit, atque in paucis diebus capillorum quoque recuperatione curatus, Deumque glorificans, sancto etiam viro gratias referens, videntibus nobis ad propria remeauit.

Presbyter cancro laborans ad Macarium accedit.

Cancro laborat, quia cõscius fornicationis sacrificauit.

Post confessionem peccati, & emendationis sponsionem à Macario curatur.

Post hæc adducitur ad eum in mei præsentiâ puer quidam, qui sæuissimi dæmonis spiritu laborabat. Cumque vnam super caput eius posuisset manum, & ad cor ipsius aliam, tamdiu deprecatus est Deum, quamdiu suspendi in aëre eum faceret, qui puer in morem vtris totus inflatus, suprà quàm æstimare quis posset intumuit, & subitò aquam ex omni parte membrorum cum clamore maximo vocis effudit. Itaque paulatim omni illo tumore residente, ad pristinam sui corporis rediјt sanitatem. Quem sanctus sancto perunctum oleo, & benedictâ perfusum aquâ, proprio reddidit patri, præcepitque vt per quadraginta dies nec carnes eum edere, nec vinum potare permitteret, & sic eum perfectæ reddidit sanitati.

Puer dæmoniacus sanatur per oleum sanctum & aquam benedictam.

Abstinentia à carne & vino.

Hunc eumdem sanctum Macarium quodam tempore cogitationes vanæ gloriæ stimulando vexabant, volentes eum de cellâ ipsâ vbi degebat abstrahere, & suadentes ei, atque demonstrantes quamdam veluti operis boni speciem, vt eius caussâ pergeret Romam, sanaturus videlicet eos, qui illic nequissimis dæmonijs vexabantur. Summâ enim gratiâ diuinæ virtutis hic beatissimus contra immundos spiritus vtebatur. Cùm ergo talibus incitamentis, quibus expulsare eum dæmon volebat, per multum tempus reluctaretur, fortiterque se videret vrgeri; proiecit se subitò supra cellulæ suæ limen, ita vt extra cellulam suos relinqueret pedes, ac diceret: Ducite me, ô dæmones, si potestis, & trahite; ego enim pedibus meis non ibo quò vultis. Si ergo hoc me modo portare potestis, en proficiscar; sacramenti quoque adiectione confirmans, quòd vsque ad vesperam de eo non consurgeret loco. Vnde si me, inquit, non moueritis, sciatis vos vlteriùs à me non audiendos. Diu itaque iacens immobilis, tandem profundâ vesperâ propinquante surrexit. Sed nocte quæ subsecuta est, rursus ei dæmones molesti esse cœperunt. Ille verò sportâ duos modios recipiente arenis repletâ, impositaque humeris suis, in desertis locis spatiabatur. Huic Theosebius quidam, genere Antiochenus, occurrens, cui & Cosmetor cognomen erat, dicit ei: Abba, quid tantum onus portas? in me potiùs quod deuehis transfer, & noli tuos humeros fatigare. Ille autem dicebat: Vexo vexantem me; otio enim fruens, iter aliquod agere me compellit. Cùm autem ita onustus ambulasset diutiùs, & confecisset illo pondere suum corpusculum, regressus in cellam est.

Miro onere se affligit Macarius vexantem se vexans.

Hic ipse sanctus aliud miraculum retulit nobis (erat namque presbyter.) Notaui mihi, inquiens, eo tempore quo sancta mysteria fratribus dabam, quòd Marco monacho numquam dedissem, sed semper ei sancta de altari Angelus dabat, solam tamen manum dantis videbam.

Marcus eremita Eucharistiam ab Angelo accipit.

Erat autem Marcus iste summi ingenij, qui dum iuuenis esset, nouum ac vetus Testamentum memoriter retinebat, admodum placidus & quietus, & castitatis proposito singularis. Vno igitur die dum ego aliud quod agerem non haberem, in vltimâ eius senectute ad eum vsque perrexi, & iuxta ostium ipsius sedens quasi tiro nouusque monachus, supra homines eum esse existimans, sicut & erat, audire quid loqueretur, vel quid ageret desideraui. Fuit autem solus intrinsecus, centum circiter annos agens, qui & dentes quoque longâ nimiùm ætate perdiderat. Contra se ergo ipsum, & contra dæmonem litigabat, dicens: Quid ampliùs decrepite senex quæris? ecce oleum, vinumque gustasti. quid vltrà cupis in extremis ætatis tuæ deuorator ac ventris cultor? Huiusmodi verbis in se iniuriosus existens. Tum & dæmoni ista dicebat: Ne adhuc tibi debeo aliquid quod furari præualeas,

Pall. c. 21.

Quanta virtutis Marci.

Marcus iam capularis senex & secum & cum diabolo disputat.

leas, nihil aliud inuenis? Iam recede à me hominum inimice. atque hoc sibi quasi insultando dicebat: Veni pessime senex, quamdiu tecum morabor?

Palladius c. 20. hæc de Macario narrat. *Paphnutius Marci discipulus.* *Marcus sputo illuminat cæcum beluæ catulum.* *Belua præmium affert Marco.*

Referebat autem nobis Paphnutius quidam discipulus huius beati viri, quòd aliquando[a] beluá quædam exhibuit sancto Marco catulum suum cæcum, vestibulumque ostij eius capite percussit, & ingressa ad eum sedentem foris in atrio, proiecit ante pedes ipsius catulum suum. Quem ille tenens & exspuens in oculos eius, orauit: continuoque lucem, quam amiserat, vidit. Secumque tunc ipsum proprio lacte nutritum, mater abduxit. Sequenti autem die eadem bestia sancto ac beatissimo viro pellem ouis exhibuit, quam memoratus seruus Christi sancto Athanasio episcopo dereliquit; quamque sancta Melania postea à beatissimo viro Athanasio accepisse se dixit. Et quid mirum si ille qui mansuescere fecit Danieli leones, etiam huic beluæ talem sapientiam dedit?

Etiam feræ sanctos agnoscunt.

Humi non spuit Marcus.

Dicebatur præterea de beato Marco, quòd ex quo lauacri gratiam spiritualem promeruit, numquam exspuisset in terram, sexagesimum post Baptismum agens annum, & quadragesimum ante Baptismum.

Quæ forma Macarij.

Erat autem figura corporis huius athletæ Christi (oportet enim me de hoc quoque tibi significare, famule Dei Lause, eò quòd paruitas mea conuersata cum eo diutiùs eumdem cognouerit diligenter). statura breuis, non multa barba faciem vestiebat, sed circa labia tantùm erat, paruumque circa mentum aliquid videbatur. Ex nimiâ enim abstinentiâ, & pæne iugi inediâ, etiam vultus ipsius nudus præter ceterorum hominum consuetudinem videbatur. Ad hunc ego cùm admodum tristis aliquando venissem, diceremque ei:

Heraclides consulit Macarium.

Abba Macari, quid iubes faciam, quoniam variæ cogitationes animum meum conturbant, dicentes mihi, Proficiscere hinc, quia nihil agere te cernis. Ille respondit: Dic, inquit, ipsis cogitationibus tuis: Propter Christum parietes cellæ istius custodio. Hæc tibi amator & famule Dei doctissime, pauca de multis ex factis sancti Macarij vel dictis significaui.

CAP. VII. *Vita* MOYSEI *Aethiopis, Aegyptij monachi.*

Pall. c. 22.

MOYSEVS quidam genere Æthiops, colore corporis niger, seruus alicuius[b] curialis erat: quem ob detestandos eius mores, dominus suus à se abiecerat. Dicebatur enim & palàm latrocinari, & homicidia perpetrare. Necesse est autem vt malignitatem quoque ipsius dicam, quò magis possim pœnitentiæ eius monstrare virtutem.

Mira hominis ad Deum ex summâ miseriâ conuersio.

Referebant igitur quidam, quòd magister quorumdam latrocinantium extitisset, cuius & hoc inter latrocinia eius factum memorabatur. Pastorem quemdam, qui in regione quadam vnà cum canibus suis morabatur, nocte ei ad scelestum eunti negotium impedimento fuisse; qui tantum irascebatur, vt eum vellet occidere. Obseruabat ergo illum locum in quo suas oues ille claudebat. Cumque eidem nuntiatum fuisset, quòd trans fluuium Nili cum grege suo esset, atque in tantum fluuius ille creuisset, vt super alueum suum mille passus teneret, gladium suum mordicus tenens, & veste super caput impositâ, totum fluuium natando transmisit, quousque ad ouium cubile peruenit. Cumque eum natantem respiciens, mersus in arenâ pastor lateret; tunc ille arietes quatuor electos, atque iugulatos, & fune connexos tenens, ita rursus natando remeauit. Reperto autem paruo & occulto loco, in quo nudatis pelle ouibus, carnibusque quæ videbantur esse optimæ deuoratis, & reliquis venditis, ac vini commutatione distractis, decem & octo[c] Italicos ipsius vini solus exhausit, & sic ad ea in quibus collegas suos reliquerat loca, per millia quinquaginta reuolauit. Ille igitur talis qualem loquor, vix aliquando compunctus, ex alicuius necessitatis periculo ad monasterium se contulit fratrum, suæque pœnitentiæ vitam sic vehementer arripuit, vt etiam[d] Clemonem malorum consortem suorum, qui à primâ cum eo ætate peccauerat, ad cognoscendam virtutem Christi eminùs collocaret.

Quæ fuerit conuersionis occasio.

Palladio Herueti hoc deest.

In Moysem è latrone monachum latrones quatuor irruunt, quos ille simul alligat.

Hoc quoque illius quondam factum refertur. Latrones quatuor numero, qui in cellam ipsius impetum fecerant, quis ille esset qui ibi degeret, nescientes inquirebant. Quos ille correptos pariter & ligatos, veluti saccum aliquem paleatum impositos dorso suo, ad fratres vbi simul omnes morabantur exhibuit, hoc dicens: Quia nulli nocere iam possum, quid de istis iubetis? Tunc ergo etiam ij quos ille detulerat, ad pœnitentiam venire cœperunt, confitentes Deo sua delicta, maximè cùm amarent ipsum Moyseum, qui inter omnes dudum latrones, vt eorum princeps nominabatur. Glorificanteque Dominum, ipsi quoque conuersi sunt propter huius conuersationem, & facti sunt monachi probatissimi. Rationem autem hanc suis sensibus colligebant, dicentes: Quòd si iste qui tam potens erat tamquam inuictus inter latrones, sic Deum agnouit & timuit, quare nos animarum nostrarum salutem dilatione remoramur?

Tentatur Moyseus ad fornicationem.

Hunc ipsum beatum Moyseum (oportet enim eum tali iam vocabulo nuncupare) dæmones quondam vrgere cœperunt, vt ad consuetudinem impuritatis & fornicationis antiquæ reuerteretur. Qui tot ac tantis modis, vt referebat ipse, tentatus est, vt pænè eum à proposito vitæ salutaris auerterent. Venit iste igitur ad sanctum illum & beatum virum Isidorum, qui in locis quibus Scithi nomen est, morabatur, referens ei quibus impugnaretur modis. At ille respondit: Nolo inquiens esse te tristem. Adhuc enim principia hæc tua sunt, & idcircò huiusmodi cogitationes tibi vehementer insurgunt, antiquam consuetudinem requirentes. Nam vt à macello canis, quo vesci assuetus est, non recedit, quod rursus si clausum fuerit, neque vllus in eo steterit, à quo aliquid canis speret, abscedit: ita & tu si perstiteris in proposito abstinentiæ tuæ, membra tua quæ sunt super terram mortificans, gastrimargiæ excludens introitum (quæ fornicationis est incentiuum) fatigatus dæmon ac victus, cui fomenta ciborum non porrigis, vlteriùs tibi molestus esse cessabit. Quibus auditis, regressus ad propria seruus Christi Moyseus, instanter ac fortiter sui curam gerebat, ante omnia abstinens à cibo, nihilque aliud accipiens nisi duodecim sicci vncias panis, maximo tamen operi incumbens, & quinquaginta diurnas faciens orationes. Cumque his modis suum consumpsisset corpusculum, nec sic quidem somnia circa ipsum vana cessabant.

Consulit Isidorum.

Quid faciendum contra fornicationis spiritum.

Coloss. 3.

Moysei abstinentia à cibo. *Quinquaginta orationes quotidie fundit.*

Rursum igitur ad quemdam sanctorum alterum

rum probatissimum pergit, dicitque ei: Quid faciam, quòd ita mihi pristinâ consuetudine semper in somnis obscuratur animus, sensusque turbatur, & à voluptatibus carnis experta memoria non recedit? Ille respondit: Idcircò adhuc hoc pateris, quia nec mentem tuam ab huiusmodi cogitationibus separasti. Si igitur paulisper te volueris vigilijs occupare, & orationibus puris perseueranter insistere, facilè poteris ex hac molestiâ liberari. Qui etiam huius hortatu suscepto consilio, tamquam ab homine qui hoc experientiâ didicisset, ad propriam reuertitur cellam, statuitque per vniuersam noctem nec genua solo flectere, nec oculis somnum dare. Atque ita per sex ibidem annos noctibus cunctis stans in medio cellulæ suæ, patentibus semper oculis, orare consueuerat, & tamen nec sic quidem illo quo laborabat malo potuit liberari.

Somniis torquetur.

Vitiosa somnia, vigiliâ, inediâ, oratione superanda.

Aliud iterùm genus durioris vitæ, vt vel sic dæmonem superaret, arripuit: vespertinis namque horis egrediebatur, & monachorum senum longâ obseruatione viuentium, per totas noctes habitacula circuibat. Quorum lagenas, quas hydrias vocant, sæpè tollebat, & aquâ implebat, impletasque nullo sciente referebat. ex longinquis enim locis interdum à duobus, frequenter autem à quinque millibus aquam sibi referebant. Insidiatur itaque ei dæmon quadam nocte venienti, non ferens vlteriùs tanti athletæ certamina, dumque aquam pronus tollit è puteo, renes ipsius desuper graui quodam fuste percussit, ac semiuiuum reliquit, neque quid, neque à quo fuisset passus sentientem. Postero die cùm venisset illuc quidam monachus ad hauriendam aquam, memoratumque Moyseum aspexisset iacentem, & hoc maiori illi Isidoro Scithensi presbytero retulisset, egressus ipse cum quibusdam, prædictum ad monasterij sui ecclesiam fecit protinus exhiberi. Vbi per totum annum tali ægritudine laborauit, vt vix tandem ad pristinum robur corpus eius reuocari potuisset. tunc illi sanctus Isidorus hæc dixit: Cessa Moysee, in tantum dæmones prouocare, & tam pertinaciter contra eos velle contendere. Est enim & modus certus in ipso vitæ monachorum proposito, intra quem nos oportet nostras exercere virtutes. Cui hoc ille respondit: Tamdiu ego ab hac intentione mei animi non recedam, quamdiu somnia ac vanas cogitationes à me videam separari. Ait ergo tum illi: In nomine Iesu Christi recesserunt iam à te turpia somnia, ideoque ad sanctorum mysteriorum communionem confidenter accede. Scias autem quòd idcircò dæmon ad tempus esse te fortior visus est, ne te iactare posses quòd tantam tentationem facilè superasses, vt ex hoc magis saluti tuæ res ipsa prodesset. Hæc audiens, rursus ad propriam reuersus est cellam, diligenter custodiens deinceps sub quiete mensuram. Posteà verò, hoc est post duos menses, à sancto Isidoro interrogatus vtrùm illi molestus memoratus spiritus extitisset, hoc dixit: Nihil se huiusmodi ex eâ horâ, quâ famulus Dei pro ipso orauit, vlteriùs fuisse perpessum. Tantam autem hic ipse aduersum dæmones gratiam Dei promeruit, vt ampliùs nos à muscis, quàm ille à dæmonibus terreretur.

Moyseus noctu hydrias monachorum replet aquâ.

Dæmon in Moyseum irruit.

Moyseus ægrotat.

Moyseus propter somnia turpia non communicabat.

Hanc Moysi Æthiopis vitam fuisse cognouimus, qui & ipse inter magnos illos numeratus est viros. Obijt autem septuagesimo & quinto ætatis suæ anno apud Scithin, vbi presbyter quoque factus, septuaginta discipulos moriens reliquit.

Moyseus factus presbyter obit annorũ 75.

Vita PAVLI *monachi ex monte Pherme.* CAP. VIII.

MONS est in Ægypto, qui ad vastissimam Scithensis regionis solitudinem tenditur, cui nomen est Pherme. In hoc monte pænè quingenti resident abstinentissimi monachi; in quibus est quidam qui Paulus vocatur, egregius monachus, qui huiusmodi moribus vixit: Non ex quacumque re negotiatus est vnquam, non aliquod opus fecit, non ab vllo aliquid præter id quo vesceretur accepit: nihil autem aliud faciebat, nisi quòd incessanter orabat: statutas sanè atque manifestas, hoc est trecentas numero orationes habebat, ita vt totidem collectos intra suum sinum gestaret lapillos, ex quibus singulos, vbi fecisset singulas orationes, de sinu proprio iactare consueuerat.

Pallad. cap. 23.

Pherme mons in quo 500. monachi.

300. orationes, & ad vnamquamque lapillus.

Hic ipse cùm ad sanctum Macarium illum, cui erat cognomen Vrbani, videndi ipsius causâ aliquando venisset, dixit ad eum: Abba Macari, valdè tristis sum. Quem cùm referre ille tristitiæ suæ caussam cogeret, ita respondit: In vico aliquo, virgo quædam esse perhibetur, triginta annos in monasterio habens, quam ieiunare cognoui, atque ita septimanas iugiter totas, post quinque semper dies gustando transigere, quotidie facere septingentas numero orationes. Quo cognito se desperasse dicebat, eò quòd cùm ipse esset vir, & sani corporis, plus quàm trecentas orare non posset. Cui sanctus Macarius ad ista respondit, dicens: Ego sexagesimum annum agens, centenas orationes per dies singulos facio, & tantum operis exerceo, quantum sufficere mihi possit ad victum: certum mihi etiam tempus excipio, quo salutationem atque sermonem fratribus reddo, nec me super hoc vt negligentem incusant atque reprehendunt cogitationes meæ. Si autem tu qui trecentas orationes facis, insuper à conscientiâ tuâ te redargui dicis, manifestum est quòd aut has sine aliquâ reprehensione non facias, aut quòd plures nolis facere cùm possis.

Pallad. cap. 24.

Virgo præter Sabbatum & Dominicam non comedit.

700. orationes quotidie fundit.

100 orationes constituta publicis rebus implicato non minoris pretij quàm 300. nihil aliud agentis.

Vita CHRONII *Presbyteri &* EVLOGII *Scholastici.* CAP. IX.

CHRONIVS mihi Nitriæ presbyter aliquando referebat, Cùm essem, inquiens, adhuc iuuenis, & fatigatus spiritu acediæ, quodammodò mente languerem, de archimandritæ mei monasterio fugi, & vsque ad Antonij montem errando perueni. Sedebat autem ille in vltimo solitudinis, inter loca quæ Babylonis & Herculis habent nomen, vnde itur ad rubrum mare, prope triginta millibus à fluuio separata. Cùm ergo venissem ad monasterium eius, quod propinquum flumini erat, vbi discipuli ipsius in eo qui Pispir appellatur loco, Macarius & Amatus sedebant, quique supradictum virum defunctum sepelierunt, per quinque ibidem exspectaui dies, vt Antonium sanctum viderem. Dicebatur autem ad monasterium ipsum venire sæpissimè, aliquando post decem, aliquando etiam post viginti, interdum post quinque dies, prout illuc eum exhibuisset Deus multis qui confluebant ad idem monasterium profuturum.

Pallad. cap. 25.

Chronius fugit è monasterio.

Locus solitudinis B. Antonij.

Plures igitur tunc diuersis laborantes necessitatibus conuenerunt fratres, inter quos & Eulogius quidam monachus Alexandrinus erat, cum alio qui elephantioso morbo cruciabatur, quos illuc

Pallad. cap 26.

Eulogius Alexandrinus.

propter huiusmodi caussam venisse memorabant.

Eulogius è scholastico monachus.

Hic Eulogius '' scholasticus erat sæcularibus litteris eruditus, qui immortalitatis desiderio captus, huic mundo renuntiauerat, distractisque rebus omnibus atque dispersis, parum aliquid pecuniarum reliquerat sibi, quibus (quia operari per se non poterat) vteretur. Cùm igitur eum quædam animi defectio fatigaret, & nec cum multis in monasterio degere, neque solitariam vitam posset ferre patienter, repperit quemdam publicè in plateâ iacentem, ita valetudine illâ (quam superiùs dixi) repletum, vt sine manibus & pedibus videretur: cui lingua tantummodò immunis à tantis cruciatibus erat, quâ magis posset ab intuentibus malorum suorum remedium promereri. Cumque eum assistens vidisset Eulogius, oratione factâ ad Deum, & quadam cum Domino pactione celebratâ, his allocutus est verbis: Domine, inquit, Deus, in tuo nomine suscipio istum tam immani valetudine præpeditum, & '' repauso eum vsque in diem mortis, vt propter istum possim & ipse saluari. Adsis ergo mihi Christe, atque patientiam tali ministerio largiaris. Moxque ad iacentem illum ait, Vis, inquit, frater, suscipio te in domum meam, & quacumque potero ratione sustento? Cumque hoc ille libenter amplecti, si dignaretur, se diceret; Vadam ergo, inquit, & asinum quo veharis adducam. Cui vehementer exultans consensit ægrotus: quodque mox fecit Eulogius, & memoratum ad hospitium suum sine vllâ dilatione transuexit.

Elephantiosum debilem membris recreandum suscipit.

Mira in elephantiosum Eulogij humanitas.

Per quindecim igitur annos iugi curatione & perpetuâ ei sollicitudine seruiebat, per quod omne tempus, & ille cui tantum deferebatur obsequium cum gratiarum actione & patientiâ grandi, cuncta tolerabat. Et Eulogij manibus & medicamentis, cibisque & balneis, prout competebat valetudini, curabatur. Post quindecim verò annos instinctu dæmonis, supradictus ægrotus immemor tot laborum Eulogij, tantorumque meritorum, cœpit ab eo velle discedere, multisque eum iniurijs atque opprobrijs increpare, dicens: Fugitiue, qui propriam domum deuorasti, furatusque es alienam substantiam, in me occasionem salutis tuæ repperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum, & satisfaciens animo eius dicebat: Noli mi domine, noli talia loqui, sed dic potiùs quid te contristauerim, & emendo. Elephantiosus autem cum furore dicebat: Vade, nolo istas adulationes tuas. Proijce me, inquit, in publicum, refrigeratione tuâ non egeo. Eulogius autem, Obsecro te, inquit, placare, aut quid te contristauerim, venerande senex, edicito. Elephantiosus autem asperior, in furore dicebat ad eum: Iam non fero fraudulentas irrisiones tuas, adulationes & subsannationes tuas non tolero, nec mihi hæc arida parcaque vita iucunda est; volo carnibus saturari. Cumque exhibitæ ei à viro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterùm proclamare; Non potes, inquit, meæ satisfacere voluntati, nec tecum solitarius habitare præualeo. populum videre, ad publicum ire desidero. Dicit ei Eulogius: Ego tibi adduco multitudinem fratrum. Rursus ferocior, ac pænè blasphemus ægrotus, Væ, inquit, misero mihi, tuam faciem nolo videre, & adducis mihi similes tui? solius panis deuorator es: concutiensque semetipsum inquietâ voce proclamabat, dicens: Nolo, nolo; ad publicum ire desidero. O violentia! in eum locum me proijce, vnde me sustulisti. Tanta ergo erat eius insania, adeoque sensus ipsius in ferinos quodammodò clamores conuerterat dæmon, vt & suspendisset fortè laqueo se, si manus per quas hoc facere posset, habuisset.

Elephantiosus agitur spiritu dæmoniaco, & in Eulogium murmurat.

Elephantiosus vult vesci carnibus.

Ad vicinos itaque monachos pergit Eulogius, dicens eis: Quid faciam, quòd elephantiosus iste me penitùs desperare iam fecit? Dicunt ei: Quam ob caussam? Respondit eis: Quia dura sunt quæ mihi conatur impendere; & quid agam ignoro: proijciam eum? sed aliter Deo dextras dedi, '' & satis vereor. Non proijciam eum? sed iterùm tot ac tanta mala dierum ac noctium ferre non possum. Quid de ipso igitur à me fiat ignoro. Ad quem illi his verbis loquuntur: Dum adhuc viuit & superest magnus ille (sic enim vocabatur) Antonius, ascende ad eum; ægrumque naui impositum in monasterium ipsius defer, exspectans ibi donec speluncâ suâ egressus adueniat. quem cùm videris, referes ei ista quæ pateris, atque ab eo consilium postulabis. quidquid autem tibi super hoc dixerit, facies, & eius monitionibus acquiesces, sciens à Deo iuberi tibi quidquid ille præceperit. Mox igitur sermonibus fratrum libenter instructus, supradictum ægrum blandis precibus superans, littorali nauiculæ imposuit, sustulitque de ciuitate per noctem, & ad discipulorum sancti Antonij habitaculum duxit. Euenit autem vt altero die horis vespertinis superueniret illuc sanctus Antonius, referente mihi Chronio quòd chlamyde ex pellibus factâ indutus aduenerit. Solebat autem veniens ad monasterium fratrum, vocare ex ipsis Macarium, eumque his verbis interrogare: Venerunt aliqui huc fratres? Et ille venisse dicebat. De Ægypto, inquit, sunt, an de Ierosolymâ? hoc autem signum ab his iusserat dari, vt quoties aliqui non satis digni colloquio ipsius aduenirent, venisse Ægyptij dicerentur. Quoties autem sancti quidam & spirituales viderentur viri venisse, de Ierosolymâ nuntiarentur. Tunc ergo veniens iuxta consuetudinem suam, cùm interrogasset vtrùm Ierosolymitæ illic fratres, an Ægyptij essent? Respondit Macarius dicens, ex vtroque illic quosdam genere se vidisse. Cùm autem didicisset Ægyptios venisse, dixissetque illi sanctus Antonius: Fac illis '' lenticulam, & sumam cibum vnà cum eis; oratione completâ, iubebantur abscedere. At cum Ierosolymitas venisse didicisset, per totam cum ipsis noctê sedens ea illis quæ saluti eorum proficerent loquebatur. Memoratâ igitur eum nocte sedisse referebat, & vnumquemque ad se de ijs qui conuenerant euocasse.

Perplexus quid agat de elephantioso Eulogius, consulit SS. Patres.

S. Antonius Magnus dictus.

Chlamys pellicea sancti Antonij.

Hospitum discretio.

Qui Ægyptij, qui Ierosolymitæ monachi dicebantur Antonio.

Exhortationes sancti Antonij.

Cumque à nullo quis illic Eulogius vocaretur, audisset, ipse in tenebris propriâ voce, suo illum nomine ter vocauit. Cui cùm supradictus scholasticus non responderet, putans quòd alter aliquis Eulogius vocaretur, dicit ei rursus: Te voco, Eulogi, qui de Alexandrinâ ciuitate venisti. Dicit Eulogius: Quid quæso iubes? Et Antonius, Quid, inquit, huc venisti? Respondit Eulogius, dicens: Qui tibi nomen meum reuelare dignatus est, ipse iam & aduentus mei caussam proculdubiò reuelauit. Tum ille, Quid, inquit, veneris scio, sed ante omnes hos fratres, vt omnes audiant, refer. Iussus igitur à magno Antonio seruus Christi Eulogius, retulit ante omnes: Istum elephantiosum in plateâ publicâ repperi proiectum, cuius curam nullus hominum gerebat, & promisi Deo vt seruirem ægritudini eius, quò possem & ego per illum, & per

Sancto Antonio reuelatur nomen Eulogij.

Eulogius à sancto Antonio consilium petit.

per me ille saluari. Ex quo autem pariter sumus, quintus & decimus annus est, sicut & vestræ sanctitati credo omnia reuelata. Quia igitur post plurimos annos cùm à me nihil mali pertulerit, variis me procellis ac tempestatibus vexat, ob quod & ego ipsum à me proijcere cogitaui. Propterea ad sanctitatem tuam veni, vt quid ex hoc faciam, digneris me tuis edocere consiliis, & orationibus adiuuare: pessimis enim moribus totus fatigor & crucior. Cui hoc tunc Antonius seuerâ atque iracundâ voce respondit: Tu illum à te proijcis, Eulogi? sed ille non proijcit eum, qui à se factum esse cognoscit. Proiicis eum? meliorem te inueniet, & eliget Deus qui colligat destitutum. Cumq; perterritus ad hæc Eulogius verba tacuisset, relicto sanctus Antonius Eulogio, rursus cœpit ægrotum propriis sermonibus verberare, & hæc ad eum cũ clamore maximo loqui: Elephantiose, cœno ac luto horride, nec terrâ digne nec cælo, non desinis in iniuriam Dei vociferari. Nescis quia qui ministrat tibi, Christus est? quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste seruitio tali & obsequiis subiugauit. Quem & ipsum mordaci sermone laceratum reliquit. Conuersisque verbis ad fratres alios, ad vnumquemq; ita, vt ratio singulorum exhibebat locutus, rursus ad Eulogium & ægrotum redit, dicitque eis: Ne quis vestrum, ô filij, quoquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram in quâ per tantum tempus vixistis redite cum pace, omnem tristitiam ponentes: iam nunc enim ad vos Dominus meus mittet. Nam tẽtatio ista idcircò accidit vobis, quia ad finem vitæ ambo venistis, & iam vterque vestrûm merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne fortè vos Angelus veniens in eo in quo dixi loco inuenire non possit, vestrisque coronis fraudemini. Qui cùm ad cellam suam velociter redeundo redintegratâ pace venissent, intra quadraginta dies Eulogius prior obiit, & post aliud triduum supradictus defecit ægrotus, animo vehementer incolumis.

[…]on proij[…] […]ndi egeni […] ægroti[…]

[…]iurgatio […]phan[…] […]si.

[…] seruien[…] ægrotis [C]hristus […]noscen[…] […]us.

[…]imittun[…] […]r in pace […]ulogius […] elephan[…] […]osus.

[O]bitus Eu[…] […]ogij & ele[…] […]hantiosi.

Chronius autem cùm plurimùm temporis in Thebaicis fecisset locis, ad monasteria Alexandrina descendit: euenitq; vt ad illum occurreret diem qui vnius quidẽ quadragesimus, alterius autẽ tertius, celebratus tunc à fratribus dicebatur. Cùm igitur hoc Chronius didicisset, obstupuit; sumptoque Euangelio sancto, atque in medio fratrum posito, cum sacramento ipsis per ordinem cuncta exposuit, dicens: Horum omnium quos commemoraui, interpres fui ipse sermonum, eò quòd Græcè loqui sanctus Antonius nesciebat; ego autem vtramque noueram linguam, atque inter ipsos loquebar, illis quidem Græco, isti autem Ægyptio ore respondens.

[C]ommemoratio [d]efunctorum.

Pallad. cap. 27.

Visio beati Antonij de animabus iustorum & damnatorum.

Hoc quoque Chronius ipse nobis referebat, quòd ei sanctus Antonius, in illâ ipsâ nocte quâ beatum dimisit Eulogium, dixisset, quia per totum annum Deum deprecatus fuisset, vt ostenderentur eidem per reuelationem loca peccatorum atque iustorum. Et se vidisse dicebat procerum quemdam vsque ad nubes gigantem tetri coloris, extentas manus ad cælum habentem, atque infra pedes ipsius lacum ad speciem maris fusum. Vbi tamquam aues, inquit, animas volantes vidit Antonius: & illæ quidem quæcumq; supra manus ipsius caputque volabant, conseruabantur; quæcumque autem manibus ipsius repercussæ fuissent, mergebantur in lacum. Vocem autem tunc sibi talem venisse referebat: Has omnes animas quas volantes vides, scias animas esse iustorum, quæ in paradisi habitatione requiescunt: illæ autem animæ ad inferna mittuntur, quod patiuntur quicumque carnali obedierint voluntati, & quicumque iracundiam retinentes, reddere malis paria tentauerint. Referebant autem nobis tam Chronius, quàm sanctus Hierax, atque alij plures vicini fratrum, ista quæ dicam:

Paradisus & infernus.

Vita PAVLI SIMPLICIS *beati Antonij discipuli.*

CAP. X.

Pallad. cap. 28.

PAVLVS nomine, rusticus quidam & agriculturæ vacans, vltra omnes optimus ac satis simplex, pulcherrimæ quidem vultu, sed moribus malæ coniunctus vxori. Cùm eam per plurimum temporis occultâ fraude peccantem, quadam die ex agro reuertens turpiter inuenisset, subitoque cum alio iacentem viro deprehendisset (vnde tamen diuina ordinatio memoratum Paulũ ad meliorem vitæ tramitem prouocabat) verecundè aliquantulum risit, tali loquens ad vtrosque sermone: Benè inquit, benè; vnde certum sciatis, ad me hoc nihil penitùs pertinere; & per Iesum qui hæc respicit iuro, quòd ego hanc vlteriùs non habebo. Vade igitur, erit tua cum filijs suis; ego enim, inquit, ibo, & de reliquo me monachum profiteor. Et post hæc nulli quidquam dicens, ascendit octo proximas mansiones, & ad sanctum Antonium pergit. Qui cùm fores eius ab eo percuterentur, egressus est, & quid cuperet sciscitanti, ait illi: Monachus fieri volo. Respondit Antonius, dicens: Cùm sis admodum senex, sexaginta annos agens, monachus hîc fieri non potes, sed magis vade ad vicum tuum, & operi cultoris incumbe, vt & viuere operariorum vitâ, & gratias agere Deo possis: imparem te enim miserijs ac labori solitudinum scias. Rursum ad hæc senex ille respondit, hoc dicens: Quidquid me docueris, id faciam. Et rursum Antonius, Dixi tibi, quia multùm senex es, nec vales implere quod quæris: discede, & si monachus esse desideras, ad leuiora monasteria magis perge, ad eos fratres qui possunt infirmitatem tui corporis tolerare patienter; ego enim hîc solus sedeo, post quinque dies, & hoc cum summâ inopiâ, cibum sumens.

Paulus Simplex coniugem improbam duxit.

Quæ occasio vt monachus fieret.

Paulus pergit ad beatum Antonium.

His ergo & talibus verbis excludere Paulum volebat. Cui cùm ille non acquiesceret, intra ostium cellulæ se recludit Antonius propter ipsum per triduum iuge, nec inde progressus est, etiam cùm necessitas corporalis vrgeret. Neque tamen ille de foribus tamdiu exclusus, abscessit. Quarto igitur die sanctus Antonius cùm necessitate naturæ compelleretur, egressus est, iterùm dicens ei: Vade, inquit, hinc senex, quid molestus es mihi? habitare non potes mecum. Ad quem Paulus hoc dixit: Aliud fieri non potest, nisi vt hîc viuam, inquit, & moriar. Circumspiciens igitur huc atque illuc sanctus Antonius, vidensque quòd nihil secum ad vitæ alimenta portaret, non panem, non aquam, non aliud quidquam, & quòd quarto tamen die in continuo ieiunio permaneret, timensq; ne ignarus longi ieiunij nimiâ defectione moreretur, & aliquam sibi ex hoc relinqueret maculam, tandem suscepit eum. Tali autem conuersatione vitæ per omnes degere dies cœpit Antonius, qualem

lem se non sciebat expertum, nec cùm adhuc iuuenis videretur. Infusos itaque cortices dactylorum obtulit ei, dicens: Accipe, & intexe funes sicut me ipsum facere vides. Quod cùm arripuisset senex, & quindecim numero, quas [16] orgyias vocant, nonam vsque horam cum maximo labore fecisset, ait illi: Malè, inquit, intexuisti; solue quod factum est, & rursus intexe. Et hoc seni homini, & per quatuor dies ieiuno tam graue pondus imponens, vt cùm ille tanto labori imparem se videret, à sancto tandem Antonio, necessitate tali compulsus abscederet, vitamq; desereret monachorum. Qui econtrà fortior ad opus surgens, detexuit funes eosdem, & rursus intexuit, maximè cùm difficilior iterati operis esset labor, eò quòd tortum semel restem retorquere priùs & reuocare ad formam priorem, & sic iterùm intexere aliter cogeretur.

Pauli quatuor dierum inedia.

Videns igitur Antonius, quòd eius ista præcepta & libenter senex & patienter audisset, neque ægrè iteratum suscepisset laborem, aut in aliquo saltem ad momentum tristem vultum secum murmurando monstrasset; compuncta mens eius est, & occidente iam sole, sic affatur senē: Dic, senex, vis edimus partem panis? Paulus ait: Vt placet tibi, abba. Talis autē rursus & ista responsio flexit Antonium, quòd ad nomen cibi non protinus accurrit, sed quòd omnia in ipsius qui iubebat posuit potestate. Pone ergo mensam, inquit Antonius, & panes affer. Quod cùm obedienter fecisset, posuit eidem sanctus Antonius eos quos Ægyptij paximates vocant, habentes senas vncias, & suam quidē partem perfudit aquâ; sicci enim ipsi paximates erant: ante illum autem tres posuit portiones. Et psalmum sanctus Antonius quem consueuerat dicens, orationes quadraginta fecit, vt & sic Paulum probaret: qui rursus cum eo patienter ac libenter orauit. Eligebat enim, vt arbitror, cum scorpionibus esse potiùs quàm cum adulterâ victitare. Post verò duodecim orationes, profundâ vix tandē ad manducandum nocte sederunt. Sumpto igitur vno paximate, sanctus Antonius non contigit alium. Senex verò tardiùs comedens, cùm adhuc haberet ex vno paximate aliquantulam partem, exspectatus ab Antonio est, dum totum quod edebat absumeret. Cui rursus hoc dixit Antonius: Manduca senex & alterum paximatem. Respondit ad hoc Paulus: Manducabo & hunc alterum, si idem facere te videro: te non edente, non edam. Ad hoc dicit Antonius: Mihi hoc satis est; monachus enim sum. Respondit ad hoc Paulus: Mihi quoque sufficit; nam & ego monachus esse desidero. Post quæ surrexit Antonius, & dictis duodecim psalmis, totidemque orationibus factis, paulisper in principio noctis quieuit. Rursusque consurgens à medio noctis vsque in lucem psallendo & orando vigilauit. Similiter autem & Paulus fecit. Videns ergo sanctus Antonius tam paratum ad omnia senem, ait illi: Ecce, frater, si huiusmodi quotidie agere vitam potes, mecum manebis. Cui Paulus hoc dixit: Si fortè aliquid ampliùs iubeas ignoro; nam ista quæ vidi, facilè me impleturum esse confido. Sequenti igitur die dixit ei: Ecce in nomine Domini iam factus es monachus. Tum igitur sanctus Antonius posteaquam in omnibus sibi ab eo credidit satisfactum, post certos menses, quia perfectam iam esse animam comprobasset, eò quòd habitaret in eo vera & tota simplicitas, gratiâ eum iuuante diuinâ, vnam ei cellulam fecit à tertio vel quarto lapide; dixitque ei: Ecce quia iam monachus effectus es, solus mane, vt possis etiam dæmones experiri. Intra vnum igitur annum illic commanens Paulus, diuinam gratiam meruit contra ægritudines hominum, & contra dæmonum potestatem.

Duodecies cum Antonio psalmum canit.

Surgunt mediâ nocte ad orandum.

Obedientia & simplicitas Pauli gratiam curationis & eijciendi dæmones promeretur.

Vnâ igitur dierum cùm ad sanctum Antonium quidam fuisset exhibitus, quem sceleſtus dirissimè dæmon vrgebat, tenens inter ceteros impuros spiritus principatum, qui & contra ipsum sacrilega cælum verba iaciebat; viso eo sanctus Antonius, hoc ijs qui eum perduxerant, dixit: Non est istud opus meum; necdum enim diuinam gratiam contra principem diabolicæ legionis accepi: est hoc quod quæritur Simplicis Pauli. Tunc ipse igitur benedictus Antonius ad memoratum Paulum cum eis qui aduenerant pergit, dicitque ei: Abba Paule, pelle hunc dæmonem ab hominis istius animâ, vt incolumis ad propria reuertatur, & Dominum benedicat. Respondit ad hoc Paulus: Tu enim quid? Dicit Antonius: Mihi non vacat, aliud opus exerceo. Relictoque eo sanctus Antonius rursus ad propriam reuertitur cellam. Tunc igitur assurgens senex, & orationem intentissimè faciens, hæc ad eum locutus est qui dæmon laborabat: Abbas Antonius dixit, vt de homine isto recedas, & glorificet Dominum. Dæmon autem in iniuriam diuinitatis proclamando multa dicebat: Non ex eo, detestabilis senex. Arreptâ ergo pelle, quâ humeros suos tegebat, verberabat eum, repetens ac dicens: Exi, quia hoc abbas Antonius dixit. Iniuriosa autem & in sanctum Antonium dæmon protulit verba, vehementioresque Paulo contumelias irrogabat, hoc clamitans: Detestandi senes, quod obliuio nostra præterijt; insatiabiles, qui proprijs contenti non estis; quid nobiscum vobis commune est? quid in nos exercetis vestram tyrannidem? Ad postremum sic ad eum locutus est Paulus: Egredieris ab isto, aut vado, & hoc à me audiet Christus. Per Iesum, inquit, si exire nolueris, iam nunc ibo & hoc Christo loquar, & væ tibi erit. Iterùm autem dæmon ferocior contra diuinitatem vociferari cœpit, & dicere, Non egredior. Iratus itaque tunc Paulus contra dæmonem reluctantem, egreditur cellam suam in ipsis medijs flammis diei; tales autem sunt æstus Ægyptiorum, vt Babyloniæ fornacis ardoribus præesse credantur. In ipso igitur scopulo montis, velut columna cælestis stetit Paulus immobilis, & his in oratione suâ locutus est verbis: Tu vides, Iesu Christe, qui sub Pontio Pilato crucifixus es, quòd non antè ego ex hac rupe descendam, non cibum antè sumam, non potum, sic profectò moriturus, quàm ex hoc homine immundum spiritum pellas, liberùmque eum à tali morte digneris efficere. Quo ista dicēte, antequam ipsa hæc verba sui oris complesset, maximâ dæmon voce proclamans, ista dicebat: Vade, vade; exeo, vim patior: ecce discedo ab homine, nec accedo vlteriùs. simplicitas me Pauli vrget ac prosequitur, & quò eam nescio. Moxque immundus spiritus egressus ex homine, atque in immanem draconem cubitorum septuaginta conuersus, in rubrum mare protinus deuolutus est, vt impleretur quod dictum est per Spiritum sanctū, demonstratā fidem iustus refert. Prou. 11.
Et rursus in alio loco, Supra quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Solent enim miserrimi ac vilissimi dæmonum à magnis viris solo fidei robore, ma- Isaiæ 66.

Adolescens dæmoniacus per Paulum curatur.

Paulus pelle indutus.

Pauli humilitas pellit dæmonem.

te, magni autem dæmones à simplicibus vel humilibus fugari.

Hæc sunt miracula simplicis atque humilis Pauli, aliaque complura his & maiora, qui ab hominibus Simplex est nominatus.

CAP. XI. *al. Pachonij. Pall. c. 29. dicitur Pachon.

Vita abbatis * PACHOMII.

Heraclides tentationes carnis Pachoni aperit.

PACHOMIVS quidam nomine, septuagesimum ætatis suæ annum agens, in eâ quæ Scithin dicitur regione degebat. Contigit itaque, dum grandis cupiditas actus venerei me cœpisset vrgere, grauiterque ac molestè plus ferrem, aduersus sordidas cogitationes & contra insomnia nocturna confligens, quòd me ab his vbi eram solitudinibus, vis ipsius compellebat exire. Vicinis quidem meis nihil de pestilentiâ & tali ardore dicebam, nec Euagrio quidem magistro meo tale aliquid confitebar: occultè tamen ad interiora ac vastiora deserti perrexi, vbi per quindecim dies in eo qui Scithin dicitur loco, venerabiles multos, qui ibidem consenuerant patres vidi; inter quos & cum supradicto Pachomio potui habere colloquium. Et quia reperi eum inter ceteros monachos propè palmam tenere, fidenter ad eum detuli animi mei anxietatem. Qui ita locutus est mihi:

Non fit tibi, inquit, noua res ista, quam pateris: nam quòd non ex negligentiâ mentis atque desidiâ, in id quo turbaris incurreris, sufficienter tibi testimonium præbet & locorum natura, & inopia omnium rerum, & ipsarum, quod nemini dubium est, absentia feminarum; sed magis tentatione istâ laboras propter studium ac desiderium castitatis. Triplex enim ex fornicationis incursu nascitur pugna, & aliquando quidem caro nostra, si in nobis fuerit nimis sana, lasciuit; sæpè autem ex cogitationibus vanis morbus iste procedit: interdum dæmon contra nos, dum nobis inuidet, præliatur. Ego enim frequenter ista pertractans, ita semper inueni. nam, vt ipse vides, admodum senex per quadraginta annos in istâ cellulâ degens, maximamque salutis propriæ gerens curam, etiam vsque ad præsens tempus huiusmodi tentatione sollicitor. Cum sacramento autem istud sanctus ipse dicebat: Per duodecim annos post quinquagesimum, non nocte, non die vmquam hic à me morbus abscessit, vsque adeò vt priuatum me iam Dei auxilio suspicarer, ob quod meritò me putarem dæmonis virtute superari. Malui tamen eo tempore, irrationabili quadam morte deficere, quàm tali corporis morbo, cum tam obscœnâ deformitate succumbere: moxque progressus, ac peragrans solitudines totas, speluncam * feræ alicuius inueni, in quam me proieci per diem nudum, vt quod sine dubio fore credebam, ab egredientibus ex eâ bestijs deuorarer. Cùm autem vespertinas vsque ad horas sic iacendo peruenissem (iuxta id quod scriptum, Sol cognouit occasum suum, posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi) exeuntes bestiæ femina cum masculo, odore ad me ducente venerunt; à capite vsque ad ipsos pedes linguâ me blandiente lambentes: & dum me ab illis arbitror deuorandum, sic me intactum atque incolumem reliquerunt, iacensque illic per totam noctem, nihil omnino perpessus sum.

Tres caussæ libidinosarũ cogitationum.

Pachon aperit suas dæmonis tentationes.

Desperat acriter à dæmone tentatus.

*Pallad. hyænæ.

Psal. 103.

Pachon à bestijs illæsus circumlingitur.

Cogitans igitur & credens, quòd mihi prorsus Dominus pepercisset, mox reuertor ad cellam. Paucis autem diebus dæmon quieuit, & rursus iterùm mihi multò vehementiùs quàm solebat, incubuit, vt pænè me cogeret ore blasphemo peccare. Transfiguratus est enim in quamdam Æthiopissam puellam, quam ego memineram me in iuuenili ætate vidisse messium tempore calamos colligentem: quæ cùm subitò sedere supra genua mea cœpisset, vsque adeò omnia mea membra commouit, vt cum eâ me pænè scelus commisisse putarem. Iratus igitur ac sæuiens, percussi eam dexterâ meâ, statimque (vt visum est) euanuit. Et si mihi dicenti credis, per biennium totum, fœtorem eius (quâ illam percusseram,) manus ferre non poteram.

Dæmon in specie Aethiopissa Pachonem tentat.

Maximâ igitur animi anxietate ac desperatione perterritus, ad intima atque vastissima errabundus deserta perrexi. Vbi cùm aspidem modicam reperissem, manu tentam genitalibus membris iratus admoui, vt mortem mihi vel morsus eius inferret: caput etiam serpentis perfricando, conterens in verendis, quasi ex his mihi tentationis caussa procederet. Et ne sic quidem me anguis momordit, diuinâ, sicut credo, me gratiâ prouidente, & hoc tunc cùm mihi talis in sensus vox descendisset, audiui: Vade, inquit, Pachomi, insiste agoni tuo. ob hoc enim permisi te dæmonis virtute superari, ne inciperes quasi fortior superbire; sed vt agnoscens infirmitatem tuam, nec ex conuersatione vitæ tuæ aliquam fiduciam gerens, ad auxilia semper diuina confugeres. Postquam igitur mihi satisfactum est, ad propria secreta remeaui, de cetero cum fiduciâ sedens, neque vllo certaminis angore vel sollicitudine iam laborans, sed reliquos æui dies pacatis sensibus viuens. Ille autem meus inimicus, cùm se ita à me contemptum esse videret, neque vltrà molestus mihi esse posset, confusus abscessit.

Humilitas ex tentatione.

Dæmon despectus tentare cessat.

His itaque verbis contra insidiantium dæmonum pugnas sanctus Pachomius me confirmans fortioremque faciens, ad certamen aduersum spiritum fornicationis, diuinâ gratiâ tolerandum, sufficienter me exhortatum remisit ad cellam.

Spiritus fornicationis.

Vita STEPHANI *monachi.* CAP. XII.

STEPHANVS quidam oriundus ex Libyâ, in parte eorum locorum, quibus Marmaricæ & Mareotidis nomen est: per sexaginta annos sedens, vsque adeò perfectus factus est monachus, tantumque habuit in discernendâ rerum ambiguitate iudicium, vt eiusmodi diuinam gratiam mereretur: hoc est, vt quicumque ad ipsum, ex quacumque re tristis aliquando venisset, post visionem eius atque sermonem lætus abscederet. Notus autem hic & sancto viro Antonio fuit, peruenit autem etiam vsque ad nostri temporis dies: quem ego quidem videre non potui, eò quòd separabant nos longa interualla terrarum. Pall. c. 30.

Stephanus curat omnes afflictos.

Sanctus autem Ammonius & Euagrius, & qui cum ipsis erant, mihi aliquando referebant, dicentes quòd repperissent eum quodam tempore tali ægritudine laborantem, vt in ipsis naturæ verendis quodam vlcere (quod quidam [7] phagedænam appellant) cruciaretur. Qui dum à quodam medico curaretur, inuenimus, inquiunt, eum opus quidem manibus facientem suis, & torquentem de palmis funes, ac nobiscum sermocinantem; ceteras

Stephani ægritudo.

Patientia.

teras verò corporis partes medico ferroque præbentem, qui adeò per gratiam patientiæ alienus erat à sensu corporis, vt alterius crederet membra concidi.

Abscisis itaque verendis partibus cunctis, nihil penitùs sentiebat. In tantum separata mens ipsius erat à rebus humanis, & cælestibus solis cogitationibus occupata. Nobis autem tam tristitiâ repletis quàm ipsius languoris horrore confusis, cogitantibusque quòd huiusmodi illius viri vita talem incidisset in morbum, vt sic eum necesse esset secari; hoc ille beatus Dei seruus Stephanus sentiens, sic dicebat: Filij, videte ne animi vestri ex * valetudinis huius contemplatione lædantur. Nihil enim eorum quæ facit Deus, ex aliquâ malignitate descendit, sed omnia ad bonum finem, & votiuum exitum spectant. Fortassis autem & ipsa pars corporis talibus dedi supplicijs merebatur, meliusque illi erat hìc recipere vicem, quàm ad æterna tormenta post hoc sæculum reseruari.

Melius hic pati, quàm in alterâ vitâ.

Hæc itaque suorum contemplatio sermonum, ad patientiæ studium nos ædificatos confirmatosque dimisit. Idcircò verò hæc retuli, ne quisquam fortè miretur, si videmus sanctorum aliquem huiusmodi ægritudine laborantem, aut deinceps viderimus.

CAP. XIII.

De VALENTE.

Pallad. cap. 31.

VALENS nomine iterùm fuit quidam, Palæstinus quidem genere, sed mente Corinthius, ideò sensu inflatus. In Corinthiorum enim animis semper tumor quidam & inflatio mentis apparet; sicut ad eos scribens beatus Apostolus Paulus, de hoc exprobrat vitio, dicens: Et vos inflati estis.

1. Cor. 4.

Hic ipse Valens postquam peruenit ad eremum, in quâ per plurimos annos vixit nobiscum, difficilisque vitæ assecutus est studium, ad tantum superbiæ cacumen ascendit, vt diabolicis irrisionibus ac fallacijs vinceretur. Nam paulatim eum in docendi elatione deceptum, ad hoc dæmon adduxerat, vt ita se nescio quid esse magnum putaret, tamquam quotidie Angelorum visione ministerioque frueretur.

Elationis vitium.

Referebant igitur eius notissimi, quòd vno quodam die, dum in tenebris opus faceret, acus illi quâ sportellam consuebat, excidisset è manibus, & cùm eam non posset (quia in obscuro non cerneret) inuenire, lampade ministerio dæmonis ei accensâ, sic acum quam perdiderat inuenisset; rursus ex ipsâ inflatione refectus, in tantum superbiæ tumorem elatus est, vt sacrorum quoque mysteriorum Christi contemneret communionem.

Euenit autem vt quidam illuc peregrini venirent, variaque leguminum genera, nucum atque pomorum ad ecclesiam fratribus exhiberent: quæ cùm suscepisset sanctus Macarius presbyter noster, misissetque singulis quantum manus capere posset vnius, inter quos etiam cùm Valenti partem cum ceteris destinasset, Valens eum qui transmissa detulerat, iniurijs plagisque confecit; hoc ei dicens: Vade, & dic Macario, quòd non sum illo deterior, vt benedictiones ad me transmittat. Cumque hunc eius errorem Macarius sanctus audisset, atque ad eum alio die solatij caussâ consilijque venisset, diceretque ei: Seductus es, frater Valens, quiesce de cetero, ac Dominum deprecare. hoc ei persuadere non potuit. Et cùm penitùs ab eo non audiretur, tristis de eius ruinâ factus, abscessit.

Bellaria ecclesiæ donata.

Certus igitur cœpit esse iam dæmon, quòd ita vt ipse voluit, fallacijs eius ac dolis cederet Valens: moxque de eius perditione securus, ista machinatur. In effigiem Saluatoris transfiguratus, nocte ad eum venit cum choro quodam mille (vt finxerat) angelorum, lampades accensas tenentium, & cum flammeâ rotâ, in quâ Saluatorem sedere simulauerat, præcedente vno ex ipsis, eique ista dicente: Placuit Christo conuersatio tua ac fiducia probabilis vitæ, & venit ad te, desiderans te videre; egredere igitur è cellâ tuâ, nihilque aliud facias, nisi vt venientem eminùs cernens, inclinans te, adorare festines, sic deinceps ad proprium habitaculum reuersurus. Egressus igitur è cellâ suâ, credensque se cernere diuina ministerij cælestis officia, cunctaque lampadum fulgore rutilantia, & ipsum Antichristum non vltra vnius spatium stadij constitutum; procidit pronus in terram, & eum quem Deum crederet, adorauit.

Elatum dæmon fallaci Saluatoris specie eludit.

In tantum igitur læsa mens eius est, vt cùm sequenti die ecclesiam fuisset ingressus, collectis in vnum fratribus diceret: Ego iam communione non egeo; Christum enim ipsum vidi hodie. Tunc demum venerabiles patres ferreis eum vinculis illigatum, per vniuersum annum proprijs orationibus curauerunt. Hæc autem fuit forma medicinæ. Sæcularis eum vitæ conuersationi dederunt, vt ex eo quòd nihil haberet commune cum sanctis, inflatio animi ipsius tumorque cessaret, vt solet dici, contrarias res contrarijs debere curari remedijs.

Ligatur Valens à patribus.

Valdè autem & hoc necessarium credo, legentibusque arbitror profuturum, quòd talium quoque vitas hominum paginis libelli huius inseruimus, sicut & inter sanctas paradisi arbores lignum illud, per quod bonum malumque cognoscitur, insitum scimus: vt si quando in vitâ aliquid suâ grande quis fecerit, non ex eo tamquam propriæ virtutis ostentatione se iactet. Frequenter enim & ipsa magnarum palma virtutum caussa nobis cuiusdam & occasio fit ruinæ, nisi ad gloriam propositi recto itinere venire properemus. Scriptum est enim: Vidi iustum in suâ perire iustitiâ, & hoc vtique vanitas est.

Gen. 2. Eccle. 7.

CAP. XIV.

De * HERONE.

* *Apud Lipom.* Nerone.

Pall. c. 32.

HERON quidam nomine fuit vicinitate proximus mihi, Alexandrinus genere, vrbanus & iuuenis, mentis argutæ, puræ & probabilis vitæ, & ipse post multos labores, nimiosque sudores, vitamque ad summum plenam virtutibus, animæ nescio quo tumore sic corruit, vt supra sanctos ac venerabiles patres esse se crederet: tamque iniuriosa contra sanctum * Euagrium verba iactaret, vt diceret ei: Maximo errore falluntur qui doctrinæ tuæ credunt; non enim oportet alio præter Christum vti magistro.

* *Pallad.* Macarii.

Ne monachus seniorem afficiat contumeliâ.

Abutebatur autem & testimonio sancto ad propositum stultitiæ propriæ roborandum; dicebatque quòd Saluator ipse dixisset: Nullum in terris vocetis magistrum. qui & ipse in tantam cordis obtusi incidit cæcitatem, vt eum quoque posteà esset necesse catenis ferroque vinciri, eò quòd iam nec ad sancta mysteria vellet accedere. Vt autem se rei veritas habet, immensæ virtutis ac vitæ fuit atque subtilis, ita vt multi qui cum ipso

Vox similis nostrorum hæreticorum.

Matth. 23.

unium tento- n. ipſò vixerunt, referrent, poſt tres menſes eum cibum frequenter accipere, ſolâ ſanctorum myſteriorum communione contentum, herbiſque ſilueſtribus, ſi quas inuenire potuiſſet.

Pallad. *bino* Ego quoque cum videor expertus eo tempore, quo ſimul cum beato * Albano pergerem Scithin. diſtabat autem ipſa Scithis à nobis quadrageſimo lapide. In quibus bis manducauimus, & ter aquam bibimus; ille verò nihil penitùs cibi ſumens, ſed pede iter faciens, quindecim primùm reddidit pſalmos. *ronis ta memoria.* Tunc & illum, qui eſt maximus, dixit; poſtmodum illam quæ eſt ad Hebræos Epiſtolam, & Iſaiam, partemque Ieremiæ, & Lucam Euangeliſtam, Salomonis Prouerbia ita memoriter ambulans legit, vt eum gradientem aſſequi non poſſemus nimiâ velocitate properantem. Hic igitur ad poſtremum maligni dæmonis fraude quaſi quodam exagitatus incendio, in cellam quidem ſuam non redijt.

Profectus autem Alexandriæ ciuitatem, veluti ordinatione diuinâ, clauum clauo, vt dici ſolet, excuſſit: incidit enim propriâ voluntate in eos, cum quibus iſtiuſmodi more viuebat; vnde tamen inuitus poſteà remedium ſalutis inuenit. Intererat enim & circi ſpectaculis & theatri, & in tabernis diebus ac noctibus morabatur. *ulli peio-, quàm i à monaſteriis fecerunt.* Cumque in his voracitati atque ebrietati ſe penitùs dediſſet, in feminei quoque deſiderij incidit cœnum. Et dum peccare meditatur, cum mimâ quadam cœpit loqui, proprium ei vulnus inſinuans. Puſtula enim quædam, quam carbunculum vocant, nata eſt ei in ipſis verendis, ac tantâ per ſex menſes ægritudine laborabat, vt naturalia ipſius putrefacta radicitus caderent.

Poſteà verò cùm ſanitatem, exceptâ illâ parte membrorum quam perdiderat, recepiſſet, ad diuinam ſapientiam redijt, ſanctis patribus quæ ei acciderant cuncta confeſſus; pœnitentiam tamen factis implere non potuit, quia poſt paucos dies debito fine quieuit.

De PTOLEMÆO. CAP. XV.

Pallad. cap. 33.

ALIVS iterùm, Ptolemæus nomine, eo more viuebat, vt difficile poſſit referri, quia inenarrabilis videtur. Habitauit autem inter initia vltra illa quæ Scithin ſæpè diximus loca, in eâ parte quam Clima vocant, in quo tamen loco nullus monachorum valebat habitare, eò quòd octauodecimo lapide puteus aquæ remotus eſſe videretur. *Clima locus in Scithi.*

Ille igitur cilicenſes illuc plures lagenas pertulit ſecum, quas Decembri & Ianuario menſe, ſpongiâ ex petris colligens rorem (multum enim tunc in ipſis regionibus cadit roris) implebat. Idque ei per quindecim illic habitanti annos, ſufficiebat ad potum, qui penitùs ſeparatus à doctrinâ ſpirituali, colloquioque ſanctorum virorum, quorum ei ſermo prodeſſe poterat, & à frequenti myſteriorum Chriſti communione, ſubitò quaſi alienus effectus, in tantum à recto itinere deuiauit, vt diceret nullam eſſe prouidentiam rerum, ſed omnia ſuis quodammodò motibus ferri. *Hæreſis, quòd caſu fiant omnia.*

Perſuaſit igitur ei vitæ hoſtis humanæ, in eius animam prorſus ingrediens, atque dicens: His ita ſe habentibus, quid fruſtrà conſumeris, Ptolemæe, aut quâ mercedis retributione laboras, cùm nulla ſit remuneratio meritorum? quòd ſi eſſet etiam retributio, quæ merces pro tantis laboribus tibi ſufficeret? quale verò iudicium ſcripturæ minantur, vbi ſine prouidentiâ cuncta labuntur? His diabolicis cogitationibus miſerrimus Ptolemæus infractus, fertur inſaniens & à naturali diſcedens prudentiâ etiam vſque ad præſens tempus in Ægypto cum eiuſmodi errore verſari, voracitati tantùm ebrietatique deditus, vt nullum prorſus cum aliquo bonum ſoleat habere ſermonem, ſed velut eneus reuertens de publico, miſerandum lacrymiſque plenum ſpectaculum oculis Chriſtianorum expoſitus: irriſio verò atque deceptio cunctis qui gratiam noſtræ conuerſationis ignorant. *Negatur prouidentia dæmone ſuggerente.* *Qui ſtat, videat ne cadat.*

In hanc autem Ptolemæus eſt dilapſus inſaniam ex irrationali quadam præſumptione, dum putat illuſus ab auctore facinorum, quòd omnes ſanctos patres ſcientiæ virtute præcellat, per quam ſuus hoſtis effectus, hanc foueam perditionis incurrit, numquam cum talibus viris qui gubernaculis ſapientiæ ſpiritualis vſi ſunt, loqui dignatus. Vnde neglectus ac negligens, ad mortis profunda dilapſus eſt, ſicut arbor foliorum exuberans, repentè vnius momenti tempore nuda aridaque monſtratur, ſecundùm quod ſcriptum eſt; Qui non habent gubernacula, cadunt ſicut folia. *Prou. 11.*

De VIRGINE *Ieroſolymitanâ.* CAP. XVI.

Pallad. cap. 34.

NOVERAM virginem quamdam de Ieroſolymâ, cilicio veſtitam, & per ſex annos ſemper incluſam, nihilque eius quod voluptatem aliquam poſſet exhibere guſtantem; quam ad poſtremum diuino auxilio deſtitutam, tam immenſæ ſuperbiæ morbus inuaſit, vt talem ruinam qualem dicimus, ſuſtineret. *Auſteritas ſine charitate periculoſa.*

Aperuit enim ſubitò feneſtram cellulæ ſuæ, ſuſcepitque eum qui conſueuerat ei vitæ neceſſaria miniſtrare, cum eo concumbens. Hoc autem malum inde deſcendit, quòd non ſecundùm ſpirituale propoſitum, nec propter dilectionem Dei ad monachicam venerat vitam; ſed humanæ vanitatis illecebrâ, quæ ex inanis gloriæ cupiditate generatur, & per infirmam atque inſtabilem animi voluntatem. Dum enim cogitationes ſuas omnes alienæ vitæ maledicis reprehenſionibus occuparet, diſcedente ab eâ Angelo ſanctitatis, nullum omnino cuſtodem propriæ reliquerat caſtitatis. *Angelus ſanctitatis diſcedit ab obſeſsâ dæmone maledicentia.*

Idcircò autem vtramque vitam religioſiſſimorum hominum, & eorum qui per neglectum poſt labores immodicos, & temporum ſpatia de ſummo faſtigio ceciderunt deſcribimus, vt vnuſquiſque ex ſuâ conuerſatione inſidias inimici conſiderans, occultos eius laqueos poſſit euadere. Sed cùm ſint magnorum virorum feminarumque quamplurimi, qui abrenuntiationis ſuæ principia virtute peregerunt, deinde ab hoſte cunctorum hominum ſunt eliſi; ideò ex pluribus, quorum etiam vitæ ſocius extiti, paucos enumero, quia neque illos ad fortia iam reuocare vlteriùs, nec mihi prodeſſe præualeo, magnos Chriſti athletas laudans, nec imitans.

Vita abbatis ELIAE *&* DOROTHEI. CAP. XVII.

Pallad. cap. 35.

ELIAS quidam nomine, monachus optimus, magnam habuit conſideratione ſexus infirmi deuotarum Deo virginum curam. Sunt enim tales quorumdam animæ, quarum propoſitum vltimi finis teſtimonio comprobatur. Qui amore virtutis accenſus, & feminei ſexus miſeratione, in eâ *Finis actionis eam diſcernit.*

* Pallad. Athribe

quæ * Atriuis ciuitate dicitur, ex pecunijs quæ ipsi suppeditabant, monasterium immane construxit. Ad quem locum plurimas (quæ vagari & errare consueuerant) feminas congregauit, omniumque, prout necessitas postulasset, curam gerebat: quibus cuncta præstiterat quæ ad vitæ solatium pertinebant, hortulos quoque & instrumenta diuersæ supellectilis necessaria, & reliqua quæ humani vsus ratio deposcit.

Monasterium virginum ædificat Elias.

Istæ ex dissimilis vitæ genere intra vnius habitaculi claustra collectæ, frequentibus se inuicem iurgijs inquietabant: vnde interdum necessitas exigebat, vt inter eas simultatum talium caussas ipse cognosceret, pacemque repararet. Collegerat enim illuc vsque ad trecentarum numerum feminarum, nec sine mediatore ipso, conuersatio earum poterat ordinari. Quod cùm iam per biennium faceret, & adhuc pæne ipse iuuenis videretur (triginta enim vel quadraginta annos habebat) tentatus est subitò corporali desiderio voluptatis. Relicto itaque monasterio dum per solitudines totas biduo iugi ieiunus erraret, huiusmodi precem fudit ad Dominum: Domine, inquit, aut occide me, ne videam illas tristitiâ laborantes, aut à me tentationem huius cupiditatis exclude, vt earum curam ita vt oportet aut conuenit, geram.

Elias rector 300. virginum tentatur voluptate.

Fugit à conspectu virginum metu lapsus.

Vespertinis itaque horis subitò eum in desiderio somnus oppressit, & tres numero Angelos ad se venisse conspexit, vt ipse referebat. Tenuerunt igitur eum, dicentes: Cur egressus es de monasterio feminarum? Quibus cùm ille transmigrationis suæ caussam referret, & timuisse se diceret, ne aut sibi aut illis noceret; hoc illi ad ista respondent: Si igitur ab huiusmodi tentatione per nos fueris liberatus, vadis, & rursus ipsarum suscipis curam? Ad quod cùm libenter ille acquieuisset, iusiurandum ab eo huiusmodi, sicut ipse referebat, exigere cœperunt: Iura, inquientes, his verbis, Per eum qui habet curam mei, illarum curam habiturum esse me iuro. Cùm ergo in hæc illis verba iurasset, tunc vnus ex ipsis manus illius tenuit, & alter pedes, tertius autem arreptâ nouaculâ illum emasculare visus est: non quòd pro vero hoc faceret, sed quòd facere videretur. nam in quodam stupore animi eo tempore se esse credebat, atque hac sentiebat se ratione curatum. Tunc igitur Angeli interrogant eum, an aliquid sibi factum suum profuisse sensisset. Ille respondit, Vehementer, inquiens, intelligo, onus quoddam mihi esse sublatum; & satis credo omni, quam formidabam, me molestiâ liberatum. Dicunt ei: Ergo nunc vade ad monasterium tuum.

Ab Angelis curatur à fomite concupiscentia.

Qui post quinque regressus dies, ingressusque lugentium monasterium feminarum, in eodem exinde loco mansit in cellâ ex obliquo habitaculi illius positâ, in quâ cùm magis ipsis proximus videretur, frequentibus eas quantum in ipso erat, emendationibus corrigebat. Vixit autem alios quadraginta annos, sanctis patribus asseuerans, quòd numquam vltrà in cor ipsius cogitatio talis ascenderit. Hanc ergo beatus ille Elias Dei gratiam meruit, vt sic propriâ curâ muliebre monasterium gubernaret.

Huic succedit Dorotheus vir beatissimus, qui in moribus laudabilis vitæ consenuit, non quidem in monasterio ipso ita conuersari præualens vt prior, in superiore tamen se condidit cellâ, vbi vnam fecit fenestram ex quâ contemplari feminas in monasterio suo posset. Quam fenestram & claudere & aperire consueuerat, cui & iugiter assidebat, ad vnanimitatem pacemque sorores erudiens. Itaque in superiore illâ monasterij parte consenuit, cùm neque mulieres ad ipsum ascendere, neque ipse descendere posset ad eas: quia nec scalæ illic vmquam positæ erant, per quas huiusmodi cuiquam pateret accessus. Hæc est beati Dorothei in abstinentiæ virtute perfectio, & finis huiusmodi.

Dorotheus inclusus, rector tamen virginum.

Vita PIAMONIS *virginis.*

Cap. XVIII. Pallad. cap. 37.

PIAMON nomine virgo quædam fuit quæ omnes ætatis suæ annos cum matre suâ vixit, iugiter faciens opus lini, & post alterum semper diem circa vesperam cibum sumens. Hæc à Deo meruit accipere scientiam futurorum. Nam cùm apud Ægyptum quondam in ascensu fluminis Nili contra vici vnius excidium vicus alter veniret (cum grandi enim certamine partiuntur irrigationis vices, vsque adeò vt & ad vulnera sua mortesque descendant.) Cùm igitur fortior populus ad inferioris vici homines, in quo erat ista, venisset, numeroque suæ multitudinis fidens, & tam militaribus quàm rusticis armis instructus, ad euersionem supradictæ possessionis accederet, astitit ei Angelus aduentum inimicorum nuntians, quem nullus illic poterat suspicari. Tunc virgo memorata vici presbyteros conuocauit, hoc dicens: Exite & occurrite ijs, qui de vico illo ad internecionem vestram venire festinant, ac ne vnà & ipsi cum cellulis vestris cæde pereatis, deprecamini eos, vt ab apparatu certaminis huius recedant.

Piamon virgo donatur gratiâ prophetia.

Cumque presbyteri admodum ad hæc dicta timuissent, proni ad pedes cadunt, rogantes eam, atque dicentes: Quia nos non audemus eis occurrere: scimus enim & ebrietates eorum, & audaciam non ferendam. Sed adde hoc quoque, inquiunt, misericordiæ tuæ, supra omnem hunc qui tremit vicum, & super istam quoque domunculam tuam, & magis ipsa progredere atque occurre venientibus, locumque istum redde pacatum. At illa hoc quidem se facturam negauit; ascendit tamen protinus superiora domus propriæ, & totâ illic nocte in continuâ oratione permansit, ne genua quidem flectens, atque has Domino preces effudit: Domine (inquit) Deus, qui omnem iudicas terram, cui nihil vmquam placet iniustum, ascendat ad te oratio mea, & adueniat virtus tua, quæ in excidium nostrum ruentes in eo ipso, in quo illis occurrerit loco, veluti clauorum affixione confixos contineat.

Hoc ergo sermone, & hac oratione completâ, hostes eorum in tertio iam vici lapide constituti, circa primam horam diei ita in memorato hæserunt loco, vt prorsus moueri inde non possent. Hoc autem & ipsis reuelatione patefactum est, quòd molitiones eorum, orationes memoratæ virginis impedissent. Mox itaque quibusdam de suis ad vicum ipsius missis, postulant pacem, ista mandantes: Gratias Deo agite, qui vos orationibus Piamonis virginis ab excidio vestræ possessionis auertit.

Oratione aduersarios immobiles fistit.

Vita abbatis PACHOMII.

Cap. XIX. Pallad. cap. 38.

TABENNENSIS nomine, in Thebaide prouinciâ dicitur locus, in quo Pachomius quidam fuit, vir iustus in tantum, vt per diuinam gratiam

tiam nosset futura, & angelicâ etiam visione frueretur. Hic ad perfectum misericors & humanus fuit, & inæstimabili fratres amore dilexit. Ad quem in speluncâ sedentem angelus Domini venit, dicens ei: Per omnia quæ ad propositum tuúm pertinent, scias te esse perfectum; vnde iam in speluncâ superfluò sedes; veni igitur, & relicto hoc loco, collige omnes monachos iuniores, & cum ipsis habita, & eos iuxta regulam vitæ, quam à me disces, institue. Tabulas autem illi æneas dedit, in quibus scriptum erat: Permittes vnicuique vt tantum quantum poscit & cibi sumat & potus, & iuxta manducantium & bibentium vires paribus quoque operibus eos subiugabis, & neque quemquam ieiunare, neque manducare prohibebis: ita tamen vt fortioribus & magis edentibus semper opus grauius iniungas; infirmi autem & verè monachi, ad operandum leuiùs vrgeantur. Diuersas autem intra atrium domus cellulas facies, & ternos per singulas manere præcipies. In vno tamen loco cibus omnium fiat. Somnum verò capiant non iacentes, sed super instructas & paululùm reclines cathedras, & velatas pallijs suis sedentes quiescant. Vtantur autem noctibus lineis vestibus (quas leuitonas vocant) cincti, & singuli quique eorum pellibus caprinis benè confectis tegantur. quas pelles, nec tunc quoque cùm voluerint cibum capere vel somnum, deponant. Quando autem ad communionem Sabbati vel Dominici diei ingrediuntur, vnusquisque suum cingulum soluat, pellemque deponat, & cum cucullo tantùm ingrediatur. Cucullos autem ipsos sine villo, paruulos fieri, vt infantibus ordinauit; in quibus & quædam signa de purpurâ fecit intexi. Iussit viginti quatuor esse ordines fratrum, iuxta viginti quatuor numerum litterarum: & vnicuique ordini superposuit litteram Græcam ab Alpha, & Beta, Gamma, Delta, & ceteris vsque Omega.

[margin: ...chomius ...catur ...itius abba... — ...gulam ...nasti... ...n atui... ...us acci... — ...le Do...inico, & ...abbati ...mmuni...bant. — ...ucullæ ...onachorum cruce ...signitæ.]

Dum igitur interrogaret sanctus Pachomius, & in tantâ multitudine singulorum requireret vitam, dicebat secundo illi qui erat in suo ordine prior, quemadmodum se habet Alpha, vel quomodo habet Beta? Et iterùm: Saluta Zetha vel Lapda: vnumquemque autem ex proprio signo & vocabulo litteræ requirebat. Et simplicioribus quidem perfectisque monachis, inquit Angelus, Iotæ litteræ nomen, durioribus autem ac difficilioribus Xi litteræ nomen impones. Itaque vnicuique ordini tales vocabulorum imprimes notas, vt mores per eas significentur animorum. Soli tamen spiritales nouerant viri, qualem supposita elementa vitam sui ordinis indicare videantur.

Quomodo admittendi hospites. Scriptum autem hoc in tabulis ipsis erat: Si quis, inquit, de alio monasterio peregrinus aduenerit, aliam regulam sequens, nec manducet cum illis iste, nec potet, neque in mansionem eorum introducatur, nisi fortè in itinere eisdem fuerit adiunctus. Quicumque verò idcircò ad eos fuerit ingressus, vt cum ipsis permaneat, non illum nisi triennij tempus impleuerit, in loca monasterij secretiora recipies. Sed cùm priùs per triennium totum laboriosius opus duriusque perfecerit, tunc receptum intrinsecus eum iam esse permittes.

Qua victus ratio. Edentes cucullis capita sua velent, ne alter manducantem alterum fratrem aspiciat. Nec loqui cuiquam dum edit liceat, nec aspicere ad vllam alteram partem, nisi ad solum catinum, & ad solam cui superponitur mensam. Hoc etiam ordinauit & iussit, vt orationes duodecim numero per totum diem facerent, & rursus duodecim alias, quando ad vespertinum lumen venirent: in nocturnis quoque vigilijs totidem preces effunderent; tres autem solas ad horam nonam diei. Quando verò vniuersa multitudo conueniebat ad manducendum, vnicuique ordini in singulis orationibus statuit psalmum præcinere.

[margin: Quis orationum modus.]

Tunc sanctus Pachomius quasi contradicere Angelo voluit, hoc dicens: Paucæ sunt istæ orationes. Cui respondit hoc Angelus: Has orationes fieri idcircò præcepi, vt & minores sine aliquâ implere tristitiâ impositam sibi viuendi regulam possint. Qui verò firmioribus consummatioribusque sensibus viuunt, non est illis necesse alienâ lege constringi: ipsi enim semetipsos intra cellas vniuersamque vitam suam visioni & cultui Dei penitùs dederunt. His ergo, inquit, ista præcepi, qui nec inuenire possunt vel implere quæ prosint, vt cùm seruili quadam necessitate compulsi, ostenderint dignam in se sub proposito disciplinam, tunc demum ad fiduciam valeant diuinæ notitiæ peruenire. His itaque dispositis, impletoque ministerio, Angelus discessit à sancto Pachomio.

[margin: Regula imbecillioribus quoque debent esse accommodata.]

Plurima igitur sunt monasteria, in quibus vsque ad septem millia sunt virorum, quæ huiusmodi instituta custodiunt. Sed maximum id habetur & primum, in quo Pachomius ipse degebat, ex quo videntur & cetera monasteria processisse, quæ ad mille quadringentos fratres habere noscuntur.

[margin: 7000. virorum numerus in monasterijs sancti Pachomij.]

Inter quos etiam est quidam famulus Dei, Aphthonius nomine, admodum mihi amicitiarum iure coniunctus, qui secundum in illo monasterio obtinet locum. Quem de vitâ ipsius & conuersatione securi, Alexandriam sæpè transmittunt, vt illic ea quidem quæ in monasterio fecerint, vendat; ea autem quæ scit necessaria, emat semper ac referat. Sunt & alia monasteria ducentenos fratres & trecentenos habentia, in eâ quam Panos ciuitatem vocant: quam ego quadringentos habentem viros ingressus inueni. Inter quos sarcinatores quindecim repperi, fabros ferrarios septem, carpentarios quatuor, camelarios duodecim, fullones quindecim numero, singulos in arte propriâ laborantes. Et ex ijs quæ quotidiano victui superesse poterant, etiam monasterijs feminarum carceribusque vicinis necessaria quæque præbebant, [& qui sues etiam pascebant. Quod cùm ego reprehendendum putarem, hoc quoque ex traditione maiorum se suscepisse dicebant, quia idcircò in monasterijs esse oporteret sues, ne & cribratarum excrementa frugum perirent, & purgatorum folia olerum, & cetera quæ damnum (si proijcerentur) inferrent. Occidi igitur sues ipsos iubebant, & carnes quidem ipsas ementibus vendi, vngulas tamen ac minimas partes eorum, in ægrorum ac senum epulas deputari, eò quòd in regione illâ grandis esse inopia rerum & frequentia hominum videretur. Blemmyos autem vicinos suis finibus habent.]

[margin: Pallad. cap. 39. — Antonius procurator monasterij sancti Pachomij. — Quis labor monachorum Pachomij. — Vncinis inclusa desunt Palladio Herueti Latino. Sunt in Græco.]

Antelucanis igitur horis surgentes, qui per dierum vices reliquis seruiebant, alij coquebant cibos, alij mensas parabant. Quas circa tertiam diei horam ponere soliti, perfecto omni opere suo superponebant eisdem panes, & herbulas quasdam suo more conditas, quas [11] lapsanas vocant. Oliuas

quoque, & caseum præter carnes, comminuta et-
iam diuersi generis olera. Quibus in hunc ordi-
natis modum, alij sextâ diei horâ ingredientes,
sumebant cibum, alij septimâ, alij octauâ, alij no-
nâ, alij decimâ, alij vndecimâ, alij profundâ iam
nocte vesci consueuerant; quidam autem post
biduum etiam capiebant cibum. Ex propriâ ta-
men litterâ poterat hora vniuscuiusque cognosci.
Similiter etiam ipsis erant & opera diuisa; alij
enim agriculturæ inseruiebant, alter hortum cole-
bat, ille officinæ fabricæ vacabat, ille pistoris, alter
carpentarij, alter verò fullonis arte clarebat, alter
pellium, alter coriorum confectione sudabat, alius
codicum lectione vel conscriptione gaudebat, al-
ter sportellas grandes intexere solitus erat, alter
minores; omnes tamen simul memoriter spiritua-
les libros tenebant.

Cap. XX. *Vita* TABENNENSIOTARVM *feminarum, & de* VIRGINE, *de quâ dictum fuerat falsum testimonium.*

Pallad. cap. 39.

Monasterium mulierum Tabennensiotarum.

EST autem apud istos, feminatum quadrin-
gentarum numero monasterium, ijsdem mo-
ribus atque eadem ordinatione viuentium, exce-
pto velamento pellium solo. Et mulieres quidem
trans fluuium habitant, intra fluuium autem viri.
Cumque defuncta vna virginum fuerit, vestitam
eam vt assolet deferunt aliæ, & supra ripam fluuij
ponunt sorores. Quam inde cum olearum ramus-
culis palmusculisque nauiculâ transfretantes viri,
& psalmos canentes, ad suas transferunt partes, &
in proprio cum reliquis deputato condunt sepul-
cro. Nullus tamen excepto presbytero ac diacono,
transit ad monasterium feminarum; & hoc per
Dominicum diem tantùm.

Sepultura virginum cum palmis & ramis oliuæ, & psalmodiâ.

Pallad. cap. 40.

In hoc ipso mulierum habitaculo, res accidit ta-
lis. Quidam sarcinator vestium sæcularis trans-
gressus fluuium, opus ab ipsis aliquod per igno-
rantiam postulabat. Cumque vna de feminis iuue-
nis processisset (tutò enim videbatur hoc facere,
propter solitudines ipsius ac deserta regionis) subi-
tò eum non sponte conspexit, deditque illi tale re-
sponsum: Nos ad emendandas res nostras, artifi-
ces nostros habemus. Alia de feminis cùm eos in
hac visione quam retuli notasset, post tempus ali-
quantulum orto inter eas iurgio, ex diabolicâ su-
spicione & proprij cordis malignitate, iracundiæ-
que feruore memoratæ virgini in conspectu alia-
rum sororum cœpit calumniari, eique nonnullæ
ex ipsis, non tamen cum grandi malitiâ consentie-
bant. Illa igitur admodum tristis effecta, cùm tam
manifestam calumniam ferre non posset (sciebat
enim se, ne intra sensus quidem suos tale aliquid
cogitasse) occultè se præcipitauit in fluuium, at-
que hoc fine defecit. Quòd vbi quæ calumniata
ei fuerat audiuit, non ferens tanti sceleris atroci-
tatem, & ipsa tunc laqueo innexa defecit. Aliæ
autem sorores huiusmodi factum, ingresso ad eas
presbytero retulerunt. Tunc ille præcepit nullius
quidem nomine ex ijs quæ se tali morte necaue-
runt debere oblationem Deo fieri. Quæcumque
autem viderentur ex illius dicti insusurratione
discordes, veluti quæ consciæ peccati essent, quia
tali calumniæ credidissent, iussit eas per septem
annos sanctorum mysteriorum communione
priuari.

Quæ vis sit murmuris & calumniæ claustralis.

Sacrificiũ non oblatũ pro desperatis.

Excommunicatio calumniantium.

Vita sanctæ VIRGINIS, *quæ inter illas stultitiam simulauerat.* Cap. XXI.

Pallad. cap. 41.

Virgo ob humilitatem stultitiam simulans.

FVIT alia in hoc monasterio virgo, quæ stul-
tam se esse propter Christum, ac dæmonem
se finxit habere, vt virtutem sui propositi posset
implere. Quæ cùm se admodum humiliaret atque
deijceret, vsque adeò omnibus alijs horrori erat,
vt ne cibum quidem cum eâ caperent. Talem ergo
gratanter elegerat vitam, & à coquinâ numquam
recedens, totius illic ministerij tamquam ancilla
cunctis obediens, implebat officium, eratque se-
cundùm vulgare prouerbium, vniuersæ spongia
domus. Impletum à se, rebus probans, quod in san-
cto Euangelio scriptum legimus; Si quis inter vos
vult esse maior, sit omnium seruus & omnium mi-
nister. Et beatus Apostolus: Si quis, inquit, ex vo-
bis putat esse sapientem in hoc mundo, fiat stultus,
vt efficiatur sapiens.

Velut spongia monasterij omnia abiecta officia impleт.

Matth. 2. Marc. 10. 1. Cor. 3.

Hæc igitur inuolutum pannis habebat caput, &
ita omnibus seruiebat: ceteræ autem virgines tonsæ
cucullis cooperiuntur. Nulla hanc potuit de qua-
dringentis videre manducantem: numquam per
omne æuum suum sedit ad mensam, à nullâ vel
modicam partem panis accepit; sed micas tantùm
detergens illa mensarum & abluens ollas, his solis
alimonijs contenta viuebat: numquam calceamen-
tis est vsa, nulli vmquam fecit iniuriam: nulla
ipsius murmur audiuit, nulli autem parùm, aut sa-
tis vmquam locuta est, & certè cùm ab omnibus
cæderetur, cùm omnium viueret odio, cùm male-
dicta omnium sustineret.

Virgines aliæ tonsæ & cucullatæ, ipsa panno caput inuoluta.

Contumelijs affecta tacet.

Pallad. cap. 42.

De hac sanctissimâ beato Piterio (cui hoc vo-
cabulum erat) probatissimo viro, semperque inter
deserta viuenti, astitit Angelus quondam sedenti
in Porphyrite qui dicitur loco, affatusque est eum
his verbis: Cur grande, inquit, aliquid esse te cre-
dis in tuo proposito, & in huiusmodi degens lo-
co? Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad
Tabennensiotarum monasterium feminarum,
& vnam ex ipsis illic inuenies, in capite habentem
conscissum pannum, ipsamque te cognosce esse
meliorem: nam dum contra tantas sola diebus ac
noctibus pugnet, cor ipsius à Deo numquam re-
cessit; tu autem vno in loco residens, neque quo-
quam aliquando progrediens, per omnes animo
& cogitatione vrbes vagaris. Statim ad supradi-
ctum monasterium venit, & magistros fratrum
rogauit vt transueheretur ad habitaculum femina-
rum. Quem mox illi vt vitâ gloriosum virum, &
iam prouectioris ætatis, cum fiduciâ grandi flu-
uium transire fecerunt.

dicitur Piterum.

Sanctus Piterius ad virginem se sanctiorem ab Angelo mittitur.

Adit virginum monasterium.

Ingressus autem, post orationem omnes soro-
res desiderauit inspicere, inter quas solam illam
propter quam venerat, non videbat. Ait ergo ad
postremum, Omnes mihi adducite; deesse enim
videtur aliqua. Dicunt ad eum: Omnes hîc
sumus. Quibus respondit: Vna deest, quam
mihi Angelus demonstrauit. Dicunt ei: Vnam
* stultam habemus intrinsecus in coquinâ. Sic
enim eam quæ dæmone vexatur appellant. Ait
ille: Exhibete mihi quoque ipsam, vt eam vi-
deam. Quo audito, memoratam vocare cœperunt;
quæ cùm nollet audire, sentiens credo aliquid,
aut fortassis hoc diuinâ iam reuelatione cogno-
scens, dicunt ei: Sanctus Piterius te videre de-
siderat. Erat enim famæ ac nominis grandis.

* Pallad. Salem.

Cum-

Cumque ad eum fuisset exhibita, vidissetq; panno frontem illius inuolutam, proiecit se ad pedes eius, dicens: Benedic me, Amma. Procidens autem & ipsa ad pedes eius, dixit: Tu me benedic, domine.

Omnes igitur sorores obstupuerunt, simul dicentes: Noli, abba, talem iniuriam sustinere; fatua est enim ista quam cernis. Tunc sanctus Piterius hoc ipsis omnibus ait: Vos estis fatuæ; nam hæc vestra & mea, cùm sit melior, est Amma (hoc enim nomine vocant illi spirituales matres) & precor Deum, vt dignus ipsâ in die iudicij merear inueniri. Quo audito, omnes simul ad pedes sancti Piterij prociderunt, singulæ varia peccata propria confitentes, quibus illam sanctissimam contristarunt. Et alia quidem dicebat: Ego eam delusi: alia, Ego habitum eius deiectum derisi: alia, Ego eam, quòd esset tacita, iniurijs affligebam: alia abluens sordes catini, super eam se fudisse dicebat: alia colaphis eam à se verberatam sæpè memorabat: alia nares ipsius sinapi impletas à se esse deflebat: ceteræ quoque diuersas referebant se ei iniurias irrogasse. Pro quibus omnibus sanctus ille vnà cum rememoratâ sanctissimâ virgine fusis Deo precibus, regressus est.

Virgo à sororibus pro insanâ habita, omnibus tamen erat sanctior.

Post paucos autem dies, non ferens illa tantam sui gloriam, tantoque se nolens sororum honore cumulari, grauarique se credens satisfactionibus singularum, egressa de monasterio illo, quò ierit, in quem diuerterit locum, vel quo fine defecerit, ad nullius potuit hactenus notitiam peruenire.

Non ferens gloriam & honorem, fugit.

CAP. XXII

Vita abbatis IOANNIS, *qui in Lyco habitauit, &* POEMENIÆ *virginis.*

Pallad. cap. 43. *Ioannes primùm faber.*

FVIT quidam Ioannes in oppido cui Lycus vocabulum est, qui carpentarij quidem artem, dum adhuc esset puer, didicit, fratrem tamen tinctorem habuit: quique postmodum cùm iam viginti & quinque esset annorum, huic sæculo renuntiauit. Et per quinque annos in diuersis monasterijs degens, ad postremum solus sese in Lycum contulit montem; in cuius cacumine trium sibi * voluminum cellulas fecit. Ingressusque illuc, ita se inclusit, vt aditum quoque ipsum per quem introijt, obstruxerit. Erat igitur vnum volumen ad corporales deputatum necessitates, aliud in quo opus facere & cibum sumere consueuerat, tertium in quo orabat.

*Pallad. tholorum

Hic igitur cùm triginta iam annos complesset inclusus, per solam semper fenestram necessaria victui suo ab administrante suscipiens, meruit talem gratiam Dei, vt haberet scientiam futurorum. Nam & sanctæ memoriæ Theodosio Imperatori frequenter & varia ex ijs quæ essent euentura prædixit. Primùm quidem de Maximo tyranno, quòd & superaturus eum esset, & Galliarum ex partibus reuersurus: posteà autem & de Eugenio tyranno, eidem quæ subsecuta sunt, antè prædixit; quòd eum quidem superaturus esset, sed ipse ibidem vitam finiturus, filiumque suum successorem imperij relicturus. De quo apud omnes grandis semper fama conualuit. Propter quod & Theodosius Imperator, prophetali eum venerari honore consueuerat, asserens illum magnæ esse virtutis. Cùm igitur nos, hoc est ego & beatus Euagrius, & Ammonius, & Albinus circa Nitriæ solitudines degeremus, cupiebamus diligenter agnoscere memorati viri virtutem. Ait ergo nobis tunc sanctus Euagrius: Libenter audirem ab eo, qui mentem atque sermonem benè nouit probare, qualis sit iste vir quem loquimur. Si enim eum non priùs alio referente cognouero, necesse iam erit vt ad montem eius ascendam. Quod cùm audissem ego, neque cuiquam quidquam tale dixissem: vno die tantùm moratus, alio clausi cellulam meam, & me atque ipsam commendans Deo, Thebaidem vsque pertexi. Diebus decem & octo omni itinere confecto, partim ambulando pedibus, partim per fluuium nauigando. Agebatur autem hoc eo tempore, quo fluuius solebat ascendere, quando multi ægrotare consueuerant, quod sum & ipse perpessus.

Ioannes donatur gratiâ prophetiæ.

Imperatori Theodosio euentum belli prædicit.

Heraclides ad Ioannê contendit.

Cùm ergo illuc venissem, clausum * septum illud inueni, quod ante ingressum cubiculorum ipsius erat; posteà enim ipsum locum extruxerant fratres. Talis autem erat ædificij ipsius magnitudo, vt ferè centum caperet viros. Clausum autem semper ipsum habentes locum, solo Sabbati & Dominico die aperire consueuerant. Cognitâ ergo caussâ ob quam clauderetur, quieui exspectans Sabbati diem: qui cùm aduenisset, ingressus sum circa horam secundam, vt suprà dictum viderem virum. Inueni igitur eum assidentem fenestræ, ex quâ ad se ingredientibus solebat loqui. Post primam itaque salutationem hoc mihi per interpretem dixit: Vnde es, vel cur aduenisti? nam ego de socijs Euagrij vnum te esse conijcio. Respondi me esse peregrinum, & de Galatiæ partibus venire, & vnum me ex Euagrij fratribus esse confessus sum.

*MS. membrum.

Ioannes ex quo conuentu sit, nouit.

Intereà dum loquimur, ingressus est subitò prouinciæ ipsius præses, Alipius nomine: ad quem relicto quem mecum habebat sermone se contulit. Secessi igitur ab hisdem paululùm, & loco cedens eminùs steti. prolixas autem eorum fabulationes grauiter ac molestè ferens, intra meipsum bonum illum senem reprehendebam, eò quòd meo sermone contempto, illum potiùs honorasset. Ideoque cùm mihi ingratum fuisset, spreto eodem, recedere cogitabam. Vocauit itaque ad se tunc ille Theodorum nomine interpretem suum, dicens: Vade ad fratrem illum, & dic ei: Noli esse pusillanimis; iam nunc enim dimittam præsidem, & tecum loquar. Cognoui igitur ex hoc esse hominem spiritualem, & omnia præuidere, & idcircò eo magis cœpi remorari.

Heraclides moræ impatiens, abitum parat.

Sistis eum Ioannes eius tentationes diuinitus noscens.

Egresso verò mox inde præside, me vocauit, his me alloquens verbis. Cur, inquit, animam tuam meâ reprehensione læsisti? quam in me inueneras culpam, vt ea in tuis sensibus cogitares, quæ nec in me cognosco, nec tuos scio mores decere? An ignoras illud quod scriptum est, quòd non incolumes ac fortes, sed quòd malè sani medico semper indigeant? Nam tu me cùm velis, & rursus ego inuenire te possum, & si ex me forsitan nullum, ex alijs tamen fratribus aliquod patribusque poteris habere solatium. Iste verò totus ex sæcularibus rebus diabolicæ deditus potestati, vix breuis horæ spatio potuit respirare. Et nunc tentans, sicut quidam seruus austerum dominum suum fugiens, venit vt salutare hîc inueniret auxilium. Inconsulta igitur atque ipori una res fieret, si illum relinquerem, & tecum morarer, qui iugiter salutis tuæ commodis vacare consuesti. Quem ego magnopere precatus sum, vt pro me dignaretur orare. hoc enim mihi spiritualem illum virum esse certissimè persuasit.

Matth. 9. Marc. 10. Lucæ 5.

Maximè colloquendum cum ijs quibus prodesse possumus.

Tunc ille iam lætior dexterâ suâ in sinistrâ me leniter vultus mei parte percussit, hoc dicens: Multæ te tribulationes manent, passus es multa vt exires de solitudine, & interim hoc formidans aliquantulum facere distulisti. Pias autem tibi, & quasi rationabiles caussas afferens dæmon, ventilare te tentat. Admonuit enim & circa patris desiderium, & quemadmodum frater tuus sororque conuerti, atque in solitudine agere vitam suam deberent. Ecce nunc tibi hoc ego renuntio, vtrosque saluatos esse cognosce. Renuntiauerunt enim ambo sæcularibus rebus. Et pater, inquit, tuus alios septem victurus est annos; insiste igitur ac viue in desertis vt cœpisti locis, néve parentum caussâ tuorum ad patriam redire festines; scriptum est enim: Nemo mittens super aratrum manum suam, & retrò aspiciens aptus est regno cælorum.

Heraclidi parentum conditionem prædicit Ioannes.

Lucæ 9.

Vehementer igitur atque mordaciter ex huiusmodi verbis instructus ac doctus, gratias egi Deo, maximè posteaquam occasiones quæ me solitudinem relinquere compellebant, iuxta votum meum impletas esse cognoui. Rursumque mihi hoc cum risu placido & iocis dixit: Vis, inquit, episcopus fieri? Ego autem me iam esse respondi. Interrogabat, Vbi? dixi ego: In coquinis, mensis, tabernis, officinisque figulorum; hæc enim cuncta, inquam, diligenter inspicio, & si fuerit acidum vinum, à prandio meo illud excludo, quod autem fuerit bonum, bibo. Similiter inspicio & ollas coquorum, & si deesse sales videro, aut aliquod condimenti genus, addo, meliusque conditos cibos comedo. hic est episcopatus meus: voracitas enim mea, talem me episcopum fecit. At mihi hoc ille sanctus subridens, Remoue, inquit, iocos; nam episcopus es futurus, plurimumque tribulationum habiturus es ac laborum. Si igitur ista vis fugere, noli relinquere solitudines nostras: nullus enim te in desertis degentem locis episcopum faciet. Descendens autem tunc ego à memorato viro, regressus sum ad deserta in quibus esse consueueram, venerandis illis patribus hæc ipsa quæ illic cognoueram de spirituali diuinoque referens homine, qui post duos menses ad eumdem beatissimum nauigando venerunt. ego autem miserrimus dictorum eius immemor fui.

Culinarius episcopus Heraclides.

Heraclidi episcopatum prænuntiatur Ioannes.

Post triennij igitur tempus, valetudinem ex infirmitate stomachi ac splenis incurri. Et ex supradicto loco à fratribus Alexandriam vsque transmissus, atque illic hydropem medicans. Ab Alexandriâ quoque profectus suadentibus medicis, peto Palæstinam caussâ commodarum quæ esse ibidem putabantur aurarum: tenuiores enim aëris magis ægritudo mei corporis requirebat. De Palæstinâ autem ad prouinciam Bithyniam veni. in quâ nescio quomodo, vtrùm studio hominum, an voluntate diuinâ (hoc Deus nouit) episcopus vltra meritum meum factus sum. In quo tempestatis illius quæ sub sancto Ioanne commota est, interfui malis, & per decem menses in obscurissimâ cellulâ occultatus, cœpi illius sancti dicta reminisci, cùm ea illic quæ prædixerat, sustinerem. Hæc autem fortè mihi tunc ille magnus athleta Christi dicebat, cupiens me ad sustinendam solitudinum vitam, huiusmodi prænuntiationibus prouocare. Nam quadraginta octo annos in eadem cellulâ suâ se habitare dicebat, nullius se vmquam feminæ vultum vidisse confirmans, ne sororis quidem, neque semetipsum edentem aut bibentem ab altero visum.

Heraclides in Bithyniâ creatur episcopus.

Ioannes 48. annis non feminam, non pecuniam vidit.

Ad hunc videndum & ancilla Christi Pœmenia venerat. Cui ille non vitæ quædam per alium secreta mandauit, admonuitque eam ne de Thebaidis regione proficiscens, diuertere Alexandriam vellet: quòd si eum nollet audire, in tentationem eam quamdam necesse esset incidere. Sed cùm illa seu per negligentiam, siue per obliuionem suam, non ita vt iusserat sanctus ille, fecisset, Alexandriam venit, vt cerneret sibi incognitam ciuitatem. Dum ergo iter conficeret iuxta oppidum cui Nicius nomen est, applicuerunt naues eius ad resoluendum longæ nauigationis laborem. Ingressi igitur pueri ad terram, quadam proteruitate ducti contra loci illius rusticos, quorum superbiam audaciamque nullus fert, iurgia excitare cœperunt. Ex quibus multitudo memorata, eunucho quidem vni digitum abscidit, ac rapuit, & alium trucidauit, sanctum autem Dionysium quem vulgus esse episcopum nesciebat, propè mersit in fluuium, ipsam verò iniurijs terroribusque confecit, reliquis omnibus pueris vulneratis.

Pall. c. [illegible]

Ioannes Pœmenia lapsum prænuntiat.

Vita beati POSSIDONII *monachi Thebæi.*

CAP. XLIII.

De Possidonio Thebæo viro probatissimo atque patientissimo inenarrabilia quædam & multa memorantur. Tam autem mansuetum virum, tam verè monachum, tamque nihil habentem in se malitiæ, nullum ego alterum vidi; nam apud Bethleem cum eo per annum integrum vixi eo tempore, cùm sederet in illâ regione, quam Pœmenion dicunt, & multò plures in eo scio me vidisse virtutes; inter quas hoc mihi quondam & ipse referebat, dicens: Vno anno cùm in eo loco, qui Porphyrites vocatur, habitarem, nullum hominum dum illic degerem vidi, sermonem nullius audiui, non attigi panem, sed de paucis tantùm dactylis vixi & herbis agrestibus, si quas inuenire potuissem. Intereà aliquando cùm penitùs alimenta, quibus sustentari poteram, defecissent, egressus sum de speluncâ meâ, vt vsque ad eas partes quæ ab hominibus inhabitantur accederem, & per totam ambulans diem, vix habitaculum meum duobus millibus abesse cognoui. Circumspiciens igitur velut equitem quemdam videre me credidi, habentem militis speciem, & cassidem capite suo gestantem, cui in tiaræ modum crista surgebat. Quem cùm militem verè putarem, ad speluncam redire properaui. inueni autem illic reuersus continuò cistellam, quæ vuas & ficus recenter lectas habebat: quam statim rapui, & sic speluncam lætus intraui. Per duos autem menses cibus ipse maximo mihi solatio fuit.

Pall. c. 77.

Possidonius totus mansuetus.

Cùm panis ei deesset, cistellam plenam vuis & ficubus inuenit.

Miraculum verò sanctissimus Possidonius circa Bethleem fecisse memoratur huiusmodi: Quædam mulier prægnans à spiritu immundo fatigabatur, & tempore partus sui cum maximâ difficultate pariebat: eam enim spiritus ille cruciabat. Cùm igitur mulier infelix sic vexaretur à dæmone, maritus eiusdem ad sanctum Possidonium decucurrit, rogans eum vt dignaretur venire, atque orare pro eâ. Ingressisque nobis ad orationem simul, cùm ille stans cœpisset orare bis in terrâ tantum modò fixis genibus, impurum illum spiritum mox fugauit. Assurgens autem de solo, dicit hoc nobis:

Curat mulierem grauidam à spiritu immundo.

nobis: Orate rogo; iam nunc enim, dum spiritus ille expellitur, signum quoddam monstrabitur nobis. Et vt satisfieret nobis, post hæc ipsius sancti dicta, à fundamentis parietem vestibuli dæmon abscedens eruit totum atque deiecit. Per totum autem septennium ipsa muliercula semper muta permanserat. Posteà verò quàm à sancto illo qui eam à dæmone liberauit, visitata est, mox & peperit, & loqui promeruit.

Dæmon recedens dat signũ.

Pall. c. 82. *Interpolata sunt hæc nec cohæret. Omissa est narratio de Hieronymo.*

Huius viri etiam prænuntiationem (quam prophetiam vocant) aliquando cognoui: posteà & Simonem admirabilem virum, quem interim ego notasse ac nosse me memini.

Hic mihi beatissimus atque abstinentissimus Possidonius etiam ista referebat, quòd à quadragesimo æui suianno, vsum panis in victu proprio non haberet, neque vsque ad medium diei spatium iracundiam aduersus vllum tenuisset. Hæc sunt miracula atque signa fortissimi in Christo Possidonij, quæ diuinâ gratiâ operatus, in his vitam famatam finire promeruit.

CAP. XXIV

Vita SERAPIONIS *monachi*, CLEOMONIS, *& cuiusdam* VIRGINIS.

Pall. c. 83.

ALIVS quidam Serapion nomine fuit, qui Sindonius cognomen acceperat, quia nullâ aliâ veste, nisi solâ sindone vtebatur. Quem nihil vmquam habuisse vel possedisse satis notum omnibus fuit, propter quod & apathes, id est impassibilis, vocabatur, quia nullum patiebatur desiderium possidendi. Peritissimus autem erat scientiâ litterarum, Scripturasque omnes tenaciter memoriterque recolebat. Qui ex nimiâ abstinentiâ omnium rerum, & ex iugi diuinorum meditatione librorum, cellulæ vnius quiete non poterat esse contentus, sed per diuersas mens semper ipsius trahebatur. Toto igitur mundi fine discurrens, ad talis gloriæ virtutem ascendit. Huius enim habitus * (id est voluntatis) mens eius erat: vnde & voluntatum affectionumque differentias, non substantiarum vocamus.

Serapion sindone tantùm indutus.

Hoc deest in MS. Moret.

Hoc autem de eo patres sancti aliquando referebant, quòd per monachum aliquem " conlusorem suum, in oppido quodam viginti solidorum pretió paganis semetipsum distraxerit mimis; & quos signatos pro se acceperat solidos, apud se ipse seruauerit. Tamdiu ergo, cum prædictis qui eum emerant mimis, in tali seruitute permansit, quamdiu & Christianos eos faceret, & à ludis theatralibus separaret. Nullo autem alio ad victum suum, excepto pane & aquâ, vti solebat, neque vmquam Scripturas sanctas legere cessabat. Intereà longi temporis spatio prior mimæ maritus animo stimulante compunctus est, tunc & ipsa eius coniunx, ad postremum etiam domus tota. Dicebatur autem, quòd antequam aliquis eius cognosceret vitam, pedes quoque ipsis lauaret, vt dominis: posteà verò quàm spirituale lauacrum vterque suscepit, vterque à theatrali actu recessit, conuersique sunt ad castam pariter ac piam vitam. Vehementer autem memoratum ac dulciter diligebant virum, hoc dicentes ei: Veni, frater, iam te libertate donamus, eò quòd ipse nos prior de turpi seruitio liberasti. Ad quos magnus ille Serapion respondit: Nunc vobis ego iam necessarius non sum, opus in vobis suum Deus per me impleuit, & vtriusque vestrûm anima saluata est. Vnde secretum meum vobis, atque hoc quod hactenus celatieram pando. Ego, inquit, miseratione vestrarum adductus animarum, quas magno errore implicitas videbam, cùm essem liber monachus, ex Ægypto genus ducens, propterea meipsum vendere volui, vt vos liberi à magnis peccatis esse possetis. Quia igitur ad plenum per humilitatem meam hoc fecit Deus, gaudeo: idcircò aurum quod pro me dedistis, accipite, vt alios quoque quibus subuenire possim, reperiam. Qui cùm illum frequenter atque instanter rogarent, verâ assertione dicentes, quòd tamquam suarum dominum animarum, patrem habiturum essent eum, si vnà cum ipsis manere dignaretur ac viuere, neque tamen vllo modo persuadere hoc ei possent, tunc dicunt ad eum: Dabis ergo ipse aurum illud pauperibus, quod nos veluti arrhas quasdam pro nostrâ salute dedisse cognouimus. Et ait illis: Date hoc vos, quia vestrum est; ego enim alienas pecunias non dono pauperibus. Dicunt ergo ei: Saltem hoc te magnopere deprecamur, vt vel post anni circulum nos requiras Athenis.

Se vendidit mimis, vt eos lucrifaceret Christo.

Aurum respuit.

Hic itaque sanctissimus famulus Christi frequenter peregrinando ad Helladam peruenit, ac per triduum moratus Athenis, à nullo panem quo vesceretur accepit. Nam neque pecuniam habebat, non pellem, non peram, non quidquam aliud secum præter sindonem, quâ fuerat amictus, ferebat. Cùm iam ergo vsque ad quartam diem nihil penitùs edendo venisset, esurire vehementer cœpit. Nihil enim eo ieiunio peius, quod extorquetur inuito, ex cuius necessitate procedit sæpè perfidia. Stetit ergo supra quemdam colliculum ciuitatis, vbi primates eiusdem oppidi concilium habere consueuerant, & illic manus etiam suas percutiendo clamabat vim se maximam pati, his sermonibus dicens: Athenienses viri, succurrite. Concurrentes autem omnes simul quoscumque pallijs, quoscumque cernimus birris esse vestitos, interrogant eum quid haberet, vnde venisset, vel quid diceret se pati. Tum ille respondit: Ab Ægyptiorum quidem genere descendo, conuersatione monachus. Ex quo tamen de patriâ meâ, quæ erat mihi vera, discessi, in trium fœneratorum manus incurri: ex quibus duos quidem, quocumque modo debitum soluens, potui declinare, & sic ea quæ ab ipsis objciebantur effugere; tertius autem adhuc ille me tenet, nec habeo vnde ei satisfacere possim. Cumque illi requirerent ab ipso fœneratores, quibus se debitorem esse diceret, sciscitabantur ab eo qui illi essent, vel vbi degerent, vel quis ille qui ei molestus esset: quem si ostenderet, adiuturos se in omnibus eum pollicentur. Tunc ille: A principio, inquit, iuuentutis meæ, hi tres mihi semper molesti fuerunt, cupiditas pecuniæ, desiderium voluptatum, & voracitas ventris: ex quibus rebus duas, hoc est pecuniæ ac voluptatum cupiditatem euasisse iam videor, neque mihi vlteriùs sunt molestæ; tertiam verò (quam dixi voracitatem) ferre non possum. Nam cùm quarto die iam ex necessitate ieiunem, vrget me illa sicut seuerissimus fœnerator, exigens debitum solitum semper ac flagitans, & nisi reddidero, mortem minatur. Tunc quidam philosophorum putantes eum composita quædam & ficta narrare, vnum solidum offerunt ei. Quo ille sumpto, & cuidam qui panes vendebat, dato, vnoque tantùm ab eo pane suscepto, mox ab eadem profectus est ciuitate neque tamen vmquam posteà ad ipsam reuersus est. Cognito

Absque pecuniâ, absque perâ, absque pelle incedit.

Tres perniciosi fœneratores, auaritia, gula, fornicatio.

Gula importunus fœnerator.

nito autem eo philosophi illi, omnique rei veritate perspectâ, magnum nescio quem virum esse firmantes, reddito vnius pretio panis, solidum ab eo quem ille susceperat, receperunt.

Cùm ergo venisset beatissimus ille circa Lacedæmonis loca, vnum illic de prioribus ciuitatis, bonum in ceteris rebus virum, omnesque de domo ipsius Manichæos esse cognouit. In hac rursus domo iuxta exemplum superius vendidit se, & intra duos annos tam ipsum domus dominum ab execrabili sectâ, quàm coniugem eius totamque familiam abstractos, Ecclesiæ tradidit. Quem illi iam non quasi famulum diligebant, sed quasi fratrem attendebant potiùs aut patrem, verum benedicentes Deum.

Vendidit se viro Manichæo, vt ipsum reduceret ab errore.

Post paulùlum tempus, cùm ab eis discessisset hic spiritualis adamas Serapion, cum multis alijs & ipse ingressus est nauem, reddito pretio priùs quod acceperat à dominis, quasi Romam nauigaturus. Nautæ verò suspicantes quòd sumptus haberet, & quòd quasdam secum auri species attulisset, susceperunt eum, nihil ab eo penitùs requirentes, nec ambigentes quòd vnus aliquis ex ipsis, res eiusdem quoque vt ceterorum, in parte nauis constituisset. Dum igitur nauigarent, & iam abesse quingentis ab Alexandriâ stadijs viderentur, cœperunt omnes qui cum ipso ingressi fuerant, circa solis occasum sumere cibum, quod & nautæ ipsi iam fecerant. Cumque eum primo die non viderent edentem, caussam esse aliquam de nauigationis molestiâ crediderunt. At cùm nec tertio quoque nec quarto die cibum caperet, epulantes ipsi iam quinto die in summâ illum quiete perseuerantem sic alloquuntur: Cur, inquiunt, homo, hîc solus ipse non comedis? respondit, non habere se dicens. Quo audito vicissim se nautæ interrogare cœperunt, quisnam res eius ac sumptus suscepisset in naui. Et cùm nulli ab eo datum aliquid repperissent, obiurgabant eum, ista dicentes: Quemadmodum ascendisti sine sumptibus nauim? vnde mercedes daturus es nobis? vnde ipse victurus es? Ait ille vir totum patientissimus: Ad me nihil pertinet; educite me atque proijcite ad illum vbi me inuenistis locum. Nautæ indignantes dicebant: O ira! etiam si centum solidos dares, numquam hoc libenter faceremus, cùm sit nauigij tanta prosperitas: quapropter propositum cœptæ nauigationis implemus. Ita igitur mansit in naui securus, vt ei vsque Romam nautæ omnes alimenta præberent.

Romam Serapion nauigat.

Perstat in naui ieiunus ad 5. dies.

Vbi ergo attigit Romam athleta Christi fortissimus, cœpit requirere curiosiùs quisnam illic magnus esse aliquis monachus diceretur, vel quæ virgo Dei prædicaretur à cunctis. Cùm interea Domnioni cuidam fortissimo atque abstinentissimo, miraculisque famigerato factus est notus, cuius lectulus post ipsius mortem solebat curare languentes. viso hoc igitur ab eodem, & ædificatus & doctus est ad perfectum. Ille enim vir eruditus, atque instructus scientiâ & bonis moribus erat.

Pallad. cap. 84.

Lectus Domnionis curat ægrotos.

A quo fortè cùm quæreret, quis alter monachus, vel quænam virgo deuota in vrbe memoratâ degere diceretur, cognouit esse illic virginem quamdam, quæ se ab omnibus separata clausisset intra cellulam suam, atque illic quiescens, nullum hominum vmquam videret. Quærit mox ipsius domum: quam cùm inuenisset, accedit ad vetulam quamdam, quæ in ministerio memoratæ virginis erat, hoc ei dicens: Vade, & nuntia virgini, quia necessariò eam videre desidero. Illa verò reddidit responsum dicens, quòd ex multis annis neminem vidisset. Dicit ei: Vade, nuntia ei; Deus enim me ad colloquium ipsius misit. Illa verò nec sic quidem voluit nuntiare. Cùm itaque illic duos vel tres dies obseruasset, & tum demum ab eâ susceptus fuisset, ait eidem: Quid hîc sedes? Illa respondit: Non sedeo, sed ambulo. Dicit ille: Quò ambulas? Illa, ad Dominum, inquit. Ait ille: Viuis, an mortua es? Illa respondit: Credo in Deo meo, esse me mortuam sæculo: nam carne qui viuunt, ad Dominum ire non possunt. Ait ille: Si igitur hoc ipsum persuadere vis mihi, fac ipsa quod facio. Illa respondit: Si possibilia tantùm iusseris, faciam. Tunc ille respondit: Possibilia cuncta sunt homini huic sæculo mortuo, præter solam impietatem. Deinde ait: Egredere & procede. Et illa respondit: Vigesimum & quintum annum ago, ex quo numquam ex hoc loco egredior: quam ob caussam ergo vis hodie procedam? Ait ille: Vah, nónne tu dixisti, quòd sæculo mortua sis? vnde manifestum est, quòd & sæculum tibi. Quod si verum est, & mortuus nihil sentit; vnum ergo est, siue non procedas, siue procedas: ergo progredere. Hæc audiens virgo, processit.

Pallad. cap. 85.

Virgo inclusa nullum hominum vmquam videns.

Quid sit mundo esse mortuum.

Virgo 25. annis inclusa.

Postquam autem processit è cellulâ suâ, & ad quamdam basilicam venit, rursus ille sanctissimus illic ad eam loquitur: Si ergo vis suadere mihi certissimè, quòd mortua sis, nec iam cum hominibus placens viuas, fac & ipsa quod facio, & verè te mortuam sæculo scio. Et ait virgo: Quid vis ampliùs faciam? Exue te, inquit, vestibus tuis, & omnes res quibus vteris, ita vt ego, super humerum tuum pone, & sic transi per mediam ciuitatem, & eodem more me nudum nec aliquâ verecundiâ perturbatum sequere præcedentem. Ad hoc illa respondit: Sed multorum animas, quæ me tam deformiter ambulare viderint, lædo, & aut insanam cuncti esse credent, aut dæmonem pati dicent. Ait ille: Et quid hoc ad te, si aut dæmoniosa credaris, aut voceris insana? Tu enim apud illos qui hæc loquuntur, vt dicis, mortua es. Mortuo autem numquam curæ est si quis ei vel detraxerit, vel irriserit; nihil enim horum potest sentire. Tunc dixit ei virgo: Obsecro te, quidquid aliud vis in meo proposito, iube, & faciam. Ad hanc enim vsque vitæ mensuram nondum perueni: oro autem peruenire quandoque. Tunc ille famulus Christi, dixit: Vide ergo soror, ne magnum iam aliquid esse te credas, & tamquam cunctis hominibus sanctiorem, & te mortuam rebus sæcularibus glorieris. Didicisti enim quòd viuis, & adhuc hominibus places. Nam longè plus te mortuus ego sum, qui per memetipsum omnibus opere monstro verum esse quod dico, faciens hoc quod ipsa non potes facere; nec pati me aliquid, nec in aliquo deformari puto. Tunc igitur eam talibus verbis in studio humilitatis edoctam, & de quadam superbiæ vel tumoris arce depositam, reliquit abscedens.

Mirandum hoc, non imitandum.

Multa prætereà sunt magna admirandaque quæ fecit, ex quibus non sentire se quòd in mundo esset probauit: sexagesimo autem anno finiuit hanc vitam, & in desertis ipsis sepultus est locis.

Vita EVAGRII *diaconi monachi.* CAP. XXV.

De Euagrio diacono qui vbique memoratur viro, qui apostolorum moribus vixit, non est iu-

Pallad. cap. 86.

Euagrius Origenita fuit.

est iustum tacere, sed oportet nos ipsius facta monumentis tradere litterarum, sine dubio legentibus cunctis, & gloriam bonitatis Saluatoris nostri agnoscentibus profutura. Dignum igitur existimo, vt à principio vitæ eius incipiam, diligenter exponens quemadmodum ad propositum tale peruenerit, quàm congruo stupendæ ac prædicabilis vitæ fine defecerit in ipsis solitudinibus constitutus, quinquagesimum ætatis & quartum annum agens. De quo Scriptura sancta, quod dixit, probauit: In paruo tempore multos impleuit annos; verè enim placita erat Domino anima eius.

Sap. 4.

Hic ergo genere Ponticus fuit, ex oppido quod Hiberorum nominatur, filius presbyteri, multarum ecclesiarum curam gerentis, quos [14] Periodeutas vocant. Primùm factus est lector à sancto Basilio ecclesiæ Cæsariensis episcopo, circa fines montis Argei. Post mortem autem sancti Basilij, videns eum spiritualibus aptissimum rebus benedictus atque venerandus Gregorius * Nazanzenæ episcopus ciuitatis, ille qui insignis prouidentiâ, doctrinaque præclarus, nullâ se humani generis passione læsum probauit, diaconum supradictum Euagrium fecit. Vnde cùm sanctus Gregorius ad maximum conuentum episcoporum vocatus Constantinopolim vsque venisset, sancto eum Nectario episcopo tradidit ac reliquit, grandi Scripturarum peritiâ hæreticorum omnium nænias destruentem.

Euagrius lector à sancto Basilio creatus. Gregorius Nazianzenus ordinat eum diaconum.
** Nyssenæ Palladio Herueti.*
Versatur apud Nectariū CP. episcopum.

Cùm igitur vehementer impugnans peruersarum vanitatem errorémque sectarum, in vrbe memoratâ floreret, ac maximo omnium honore frueretur, prior quidem, vt ipse referebat postmodum nobis, laqueis desiderij mulieris implicitus, ex his tamen ipse continuò liberatus, amari ab eadem muliere quam amauerat cœpit. Quæ quidem cuiusdam illustris & vnius de magnatibus viri coniunx erat. Euagrius igitur Deum ante omnia metuens, tum autem & conscientiam erubescens suam, atque ante oculos dedecoris execrandi magnitudinem ponens, & omnium hæreticorum ex alienis malis gaudium atque lætitiam; intentissimè deprecabatur Deum, vt conatus tantos ipse qui solus poterat, impediret. Cumque prædicta ei mulier insisteret, neque posset ille prior à voluptate rabiei ipsi us separari, eò quòd multis irretitus iam esset ac varijs eius officijs, ipsaque insistente paratum esset periculum, post paululum tempus susceptâ à Deo oratione quam fecerat, antequam eius, quo flagrare cœperat, mali experiretur incendium, visio quædam ei ostenditur Angelorum, habentium militum speciem, quæ ad præfecturæ officium pertineret. A quibus ad exitium suum missis teneri se subitò videbat, ferroque per totum corpus ligatum in carcerem tradi, nec ab aliquo tamen caussam ob quam talibus pœnis succumberet, audiebat.

Euagrius agitur concupiscentiâ in mulierē.

Visione deterretur ab amore libidinoso.

Ipse autem conscientiam cogitans suam, cùm intelligeret ac videret quòd propter illa quæ norat, ista pateretur, putaretque quòd ad præfectum omnia maritus mulieris detulisset, dumque sub tali metu ante fores iudicis intremiscit, qui quasi aliam in manibus habens caussam, & de simili crimine occupatos varijs quosdam tormentis conficere videbatur. Dum ergo fortiter timet, atque vltra modum anhelare se sentit, subitò Angelus ille qui tali eum visione tremefecerat, in cuiusdam amici ipsius conuertitur formam, ac sic eum quem cum quadraginta reis alijs vinctum videbat, alloquitur: Quid, inquiens, domine diacone, sic teneris? Ille respondit: Quantum ad rem quidem veram spectat, ignoro; suspicor tamen quòd quidam ex præfecturæ officio me incusauerit, matrimonio me suo credens insidiari; & vereor ne fortè corruptus pecunijs ipsius iudex supplicio me mortis addicat. Tunc ille, Si consilium, inquit, amici tui accipis, non expedit tibi diutiùs in hac ciuitate versari. Ad hæc dixit Euagrius: Si me Deus ex his liberauerit malis, & vlteriùs in Constantinopolitanâ vrbe me videris, scias tales me modò pœnas meritò sustinere, & maioribus his debere torqueri. Tunc ille ait: Si hæc vera sunt, affero tibi Euangelium, in quo si iuraueris mihi quòd ex hac ciuitate discedas, & animæ tuæ de cetero curam geras, faciam te de necessitatis huius periculo liberari.

Angelus in amici cuiusdam intimi specie Euagrium solatur.

Iurat Euagrius super Euangelia se egressurum ciuitate ad euitandum periculum.

Exhibito itaque Euangelio, atque in eodem sacramento ipsi dato, quòd præter vnam diem quo recellulas suas deferret ad nauem, non esset Constantinopoli moraturus, cœpit videre quòd iusiurandum quod eidem præbuerat profuisset, & quòd quasi à quæstione illâ iudiciorum, quod in præsenti nocte metuerat, fuisset penitùs absolutus. Consurgens ergo de somno, secum cogitabat, hoc dicens: Quamuis in somnis iurauerim, tamen iurasse me memini. Mox igitur ingressus cum recellulis suis nauim, Ierosolymam nauigauit.

Venit Ierosolymam, & à Melaniâ excipitur.

Quò cùm esset aduectus, atque illic à sanctâ Melaniâ Romanâ illâ feminâ fuisset exceptus, iterùm cor ipsius, vt Pharaonis aliquando, dæmon obdurauit. Et quoniam adhuc in ipsis ardoribus iuuenilis æui erat, quædam rursus & illic alia tentatio sensus eius inuasit, nullique quidquam tale significans, cœpit illic iterùm vestes sibi mutare, & disserendo cum multis gloriæ vanæ illicitamenta sectari. Sed ille qui semper perditiones nostras impedit Deus, memoratum grauissimo febrium igne corripuit. Ex quo eum longâ ægritudine domuit, & per sex mensium spatia corpus eius attriuit, carnesque consumpsit, vnde habere proprij mali fomenta consueuerat.

Rursus ad sæculum redire tentat.

Morbo reuocatur Euagrius.

Cùm igitur plurimorum ars exquisita medicorum omnia quidem facere tentaret, neque vllum tamen curationis genus quod ad salutem ei proficeret inueniret; hæc sancta Melania ad ipsum locuta est: Multùm, inquit, mihi displicet huius tuæ ægritudinis longitudo; dic ergo mihi, quæ sunt tui cordis arcana? infirmitas enim ista sine voluntate ac iudicio Dei non est. Tunc ille omnem feminæ sanctæ confessus est caussam. Cui hoc illa respondit: Promitte, inquit, mihi ante conspectum Dei, quòd ad propositum monachorum habitantium solitudinem reuertaris, & ego quamuis ipsa peccatis videar inuoluta, tamen precabor Dominum, vt tibi viuendi tribuat commeatum. Cumque hoc se facturum fuisset pollicitus, intra paucos dies recepit sanitatem. Et de lectulo surgens, mox cœpit de profectione quam spoponderat cogitare. Tunc benedictæ ipsius Melaniæ studio, veste mutatâ inde descendit, & ad Ægyptiacum Nitriæ proficiscitur montem: in quo degens cùm biennij tempus implesset, tertio anno ad interiores solitudines pergit. Vbi quatuordecim annos in ijs locis, quas Cellas nominant, vixit, vnam quotidie panis libram edens, vnumque sextarium absumens olei in mensibus tribus, ille qui in-

Amictu monastico induitur.

Austeritas eius qui delicatam vitam fuerat sectatus.

qui inter copias magnas atque delicias cum maximâ semper voluptate viuebat. Faciebat autem quotidie centum orationes, hoc tantùm per singulos annos scribens, quod ex mercede operis sui posset ei ad emendatioris vitæ alimenta sufficere. Subtiliter enim illâ scribebat manu, quam [25] Oxyrincham vocant Græci.

Intra quindecim ergo annos ad perfectum mente purgatus diuinam gratiam meruit, ita vt haberet & notitiam & sapientiam spiritualem, vt & bonorum ac malorum spirituum differentias nosset. Scripsit iste libros, quos his vocabulis nominauit, [26] vnum Epeam alterum Nonaxon, tertium Antiphyron, artesque monstrauit quibus possent dæmones subiugari.

Varia scribit.

Fortiter huic semper spiritus fornicationis incubuit: nam sicut nobis & ipse referebat, per totam noctem hiemis tempore nudus stabat in puteo, vt gelu quoque carnes eius constringerentur.

Vt fregerit dæmonum impetus.

Aliquando iterùm blasphemiæ spiritus eum cœpit vrgere, & ad sacrilega eumdem contra Deum verba compellere, ob quod quadraginta iugiter dies sine tecto fuit vt ipse dicebat, in tantum vt per corpus ipsius totum quædam papulæ illi, quas sæpè in corporibus vidimus, exirent.

Huic quodam die tres simul dæmones astiterunt in specie clericorum, de fide cum eo tractare cupientes, ex quibus vnus Arrianum, alter Eunomianum, tertius Apollinatium se esse dicebat. Quos omnes sapienter ac breuiter differendo superauit.

Idem iterùm quadam die cùm ecclesiæ claues perissent, inuocato Christi nomine signauit illam ostij partem vnde erat clauis, & aperuit, manu pulsans fores.

Crucis signo ostium aperit.

Hic ipse tam vehementer expertus est dæmones, atque ab his toties verberatus est, vt numerus esse non possit.

Vni quidem discipulorum suorum omnia quæ ipsi post decem & octo annos essent futura, singulatim res ipsas prophetando prædixit.

Prauidet futura.

Dicebat autem, Ex quo, inquit, ad solitudines veni, non lactucæ, non siluestris oleris cibum sumpsi; non viride attigi, non vuas, non poma, non carnes, non balneas vidi. Ad postremum sexto decimo talis vitæ suæ anno, in quâ nihil quod coctum esset edebat, cùm necesse esset corpori eius propter stomachi infirmitatem vt coctum sumeret cibum, panem quidem attigit numquam, olera tantùm, & [27] poscam, & lenticulam per solum biennium gustans; ita exiuit à sæculo, vt tantùm in ecclesiâ per sanctam Epiphaniam communicaret.

Crudis vixit.

Epiphania festo communicabat.

Circa ipsum igitur vitæ suæ finem referre consueuerat, quòd tertium agit annum, ex quo se carnali desiderio intelligeret esse liberatum, & hoc post talem ipsius vitam, post sudores tantos, post tantos labores, post illas tam iuges orationes. Nuntiata est huic patris sui mors quondam, atque hoc ei qui nuntiauerat dixit: Quid, inquit, blasphemas, ô homo? immortalem ego patrem meum noui.

Non afficitur morte patris sui.

Vita PIORIS *monachi.*

Cap. XXVI. Pallad. cap. 87.

Pior vouit se amicos non visurum.

PIOR quidam Ægyptius iuuenis, cùm huic mundo renuntiasset egressus è paternâ domo, tanti animi circa religionem fuit, vt statueret ante conspectum Dei, ne vllum iam suorum vmquam videret. Post quadraginta igitur annos, soror ipsius senio admodum grauis cùm fratrem suum viuere comperisset, amentium modo cœpit ardere, donec ad conspectum ipsius veniret. Cumque ad vastissima illa deserta non posset accedere, ab episcopo loci illius petit, vt ad sanctos scriberet patres, qui in solitudinibus ex more degebant, vt videndum sorori transmitterent fratrem. Qui vi maximâ patrum venire compulsus, cum alio quodam itineris sui socio ad sororis propriæ domum venit, vbi se venisse significauit, hoc dicens: Pior, inquit, frater tuus venit, & pro foribus assistit. Datoque ianuæ sono, putans quòd anus ipsa in occursum fratris exiret, clausis ad eam oculis proclamauit, nomine suo illam vocans, & dicens: Ego sum Pior, frater tuus, ego sum, inquam; quantum volueris aspectu meo fruere. Cumque illi satisfecisse proprijs sensibus credidisset, proiecit se in orationem, & cùm penitùs ei vt surgeret soror eius persuadere non posset, benedicens gloriam Dei ingressa est ad habitaculum suum: ille verò oratione in limine domus factâ, ad solitudinum secreta remeauit.

Soror fratrem suum Pior videre desiderans, à fratre illuditur.

Hoc autem ipsius miraculum fertur, quòd cùm in eo vbi degebat loco fecisset sibi puteum, & aquam illic amarissimam repperisset, ibidem vsque ad finem vltimum vixit, contentus inuentæ amaritudinibus aquæ, vt patientiam cunctis propriæ virtutis ostenderet. Multi tamen posteà monachi, post illius mortem degere in cellâ ipsius pertinaci voluntate cupientes, ne vno quidem anno illic habitare potuerunt. Habet enim ipse locus & timorem maximum semper, & solatium nullum.

Vita MOYSIS *Libyci.*

Cap. XXVII. Pallad. cap. 11.

MOYSES quidam de Libyâ oriundus fuit, vir mansuetudinis summæ & dilectionis immensæ, qui cælesti gratiâ ægros curare promeruit.

Hic retulit mihi, quòd cùm adhuc iuuenis in monasterio suo esset, ac puteum maximæ capacitatis effoderet, viginti in latum habentem pedes, & centum in profundum, & in tanto spatio nullum aquæ signum videret, præsertim cùm etiam infra ipsum nulla indicia, in quibus esse aliquid humoris putabatur, apparerent, dum centum pænè alios effodissent pedes, ac nec tunc quidem humorem aliquem inuenire potuissent; tristes, inquit, admodum facti, à tam inutili opere cogitabamus abscedere. Ecce autem subitò sanctus Pior de vltimis solitudinum locis, in maximo ardore æstus, horâ sextâ diei admodum ex pelle velatus adstitit nobis, & his postremò locutus est verbis:

Pioris pellis pro veste.

Quid, homines paruæ fidei, angustiamini, & desperare voluistis? Ab hesternæ enim diei spatio vsque nunc tristitiâ absorbemini. Descendens ergo in profundum, per eas quas illi fecerant scalas, oratione illic cum omnibus factâ, ter ferro quod in manu ceperat, solum putei percussit, hoc dicens: Deus sacrorum patriarcharum, te, inquit, precamur ac petimus, ne sine caussâ impensi sint tanti fratrum labores, sed præsta ipsis vsum eius quam desiderant aquæ. Continuò ebullientes de visceribus soli latices perfuderunt precantes. Cumque rursus orasset, cœpit ad propria velle remeare, qui cùm ad sumendum cibum ab illis retineretur, hoc illis locutus est: Propter quod sum

Putei sterilitati tur medetur.

sum, inquit, missus, hoc factum est; nam vt cibum caperem, nemo me misit.

Cap. xxviii. Pallad. cap. 101.

Vita Ephræm diaconi Edisseni.

De Ephræm diacono Edissenæ ecclesiæ, multa te audisse non dubito: dignus enim fuit, qui esset in ore sanctorum. Qui cùm ita vt oportebat, iter viæ spiritualis implesset, neque vmquam à recto tramite deuiasset, meruit per gratiam Dei naturalium habere notitiam rerum: cui benedictio diuina successit, atque illa quæ exinde nascitur beatitudo. Semper igitur vitam quietam agens, atque omnes qui ad videndum eumdem veniebant, per annos plurimos docens, ad postremum de cellâ suâ talis rei necessitate processit.

Cùm fames admodum grauis in Edissenâ ciuitate sæuiret, miseratus ille pereunte multitudinem rusticam, accessit ad diuites, hoc eis dicens: Quare nulla vos, inquit, humanæ naturæ sic ante oculos vestros deficientis misericordia mouet, sed putrefacta intrinsecus ad condemnationem vestrarum seruatis animarum? Tunc illi, Non habemus, inquiunt, quibus pecuniam egentibus diuidendam ad comparationē ciborum credere debeamus. omnes enim negotiari pro suis commodis volunt. At ille ista dicentibus, Talis, inquit, vobis videor? Habebat autem magnam apud omnes homines ipse vir famam. Qui tunc ei non falsa dicentes, ista respondent: Scimus te, inquiunt, hominem Dei esse. At ille: Credite ergo mihi pecunias vestras: etiam nunc propter vos ego ordino me ipsum, suscepturus ministerium peregrinorum atque miserorum. *Auari frumentum sinunt putrescere.*

Acceptâ igitur pecuniâ interclusit certis parietibus porticus ciuitatis, & trecentos in ipsis lectulos posuit, in quibus fame pereuntes reficiebat; morientes quidem sepeliens, eos autem quibus adhuc spes aliqua vitæ erat, in ipsis eorum laboribus curans: omnibusque pereuntibus fame qui illuc vndecumque confluxerant, quotidianum ministerium suum ad necessariam sollicitudinem præbens, ex ijs quæ ad eum singuli quique diuites deferebant. *Ephræm succurrit famescentibus.*

Impleto autē memorato anno, postquam copiæ frugum grandes fuerunt, singulis quibusque ad domicilia propria regressis, cùm quibus vel circa quos faceret non haberet, confestim ad suam reuertitur cellulam, in quâ obijt post spatium mensis vnius. Huiusmodi autem occasionem circa finem illius, ad exemplum Stephani, pietas diuina præstiterat. Multa verò reliquit, quæ ipse conscripsit: ex quibus plura magnâ laude celebrantur.

Necessarium autem valdè & hoc puto, vt mulieribus quoque, sicut præfati sumus, viriles mores habentibus atque honestos, ad memoriam sempiternam libelli nostri paginam præbeamus, quibus Deus noster non inferiora sexu virili certamina donauit & præmia, vt demeret alijs negligentibus omnem excusationis occasionem. Quæ quia sexus inferioris videntur, non posse se dicunt ad commendandam virtutis gloriam peruenire.*

*Lipomanus hîc interserebat Testamētum sancti Ephræm, quod nec in Heraclide nec in Palladio est: habes id inter opera Ephræm.

Cap. xxix. Pallad. 125.

De Pavla, Evstochio, Veneria, Theodora, Vsia, Adolia, Bassianilla, Photina, Sabiniana, Asella, Avita.

Mvltas igitur feminas vidi, plurimasque tam viduas quàm virgines noui, inter quas Paulam ** Romanam, matrem Toxotij feminam ad genus vitæ, quod est secundùm spiritum, dexterrimo ingenio: [cui quidem, quò minùs ei se daret, impedimento fuit Hieronymus quidam genere Dalmata, qui mulierem optimâ indole ad genus vitæ perfectum, cùm in eo multos, ne dicam omnes, longissimo post se interuallo videretur posse relinquere, ipse inuidiâ motus ad suum peculiare viuendi institutum pertraxit.] *Vncinis inclusa desunt Heraclidi Fabri.*

Eius filia nomine Eustochium in Bethlehem vitam adhuc monachalem exercet, quam quidem ego numquam allocutus sum: ceterùm fertur insigni esse pudicitiâ, & regere societatem virginum quinquaginta. *Pallad. cap. 126. Eustochiū cum 50. virginibus exercetur.*

Noui etiam Veneriam nomine quamdam, comitis Vallacini relictam, quæ diuisit benè atque dispersit onus cameli, seque vulneribus, quæ solent fieri ex nimio opum pondere, liberauit. *Pal. c. 127. Veneria opes elargiens.*

Theodoram quoque tribuni alicuius coniugem quondam, adeò nihil de proprijs sibi bonis reliquisse cognoui, vt ante mortem suam aliorum ei misericordia stipem ad alimenta præberet. *Pal. c. 128. Theodora extremè egens.*

Defecerat autem in monasterio quod * Escyca vocabulo nominatur, proximo mari, femina * ** iustæ semper ac per omnia probabilis vitæ, cuius sororem etiam Adoliam noueram. quæ etsi non potuit germanæ meritis comparari, dignam tamen pro modo virtutis propriæ famam habuisse fertur & vitam. *Pal. c. 129. * Pallad. Hesycha. * Vsia. Pal. Vsia probabilis vita. Pal. c. 130. Adolia sibi Deoq; viuit.*

Bassianillam quoque nomine feminam vidi, magistri quondam militum Candidiani relictam, promptâ mente & moribus sanctis vsque ad præsens quoque tempus, vehementer institutione monachicæ vitæ ac labore sudantem. *Pal. c. 131. Bassianilla ascetria.*

Est & alia Photina nomine, presbyteri Theoctisti filia virgo, quæ valdè honesta habetur & sancta. *Pal. c. 132. Item Photina.*

[Antiochiæ quoque Sabinianam nomine, diaconissam honestissimam vidi: quæ cum ipso colloqui putabatur Deo, quæque amita beati Ioannis episcopi fuit.] *Vncinis inclusa desunt Palladio.*

Romæ etiam Asellam nomine bonam valdè Christi virginem noui in monasterio senuisse, feminam mitem atque mansuetam, multorumque curam illic gerentem. Vbi viros etiam cum coniugibus suis vidi, monachorum eo tempore vitas & instituta discentes. *Pal. c. 133. Asella & viros & mulieres instituit.*

Auitam aliquam Deo dignam cum Aproniano quodam ipsius viro, & filiâ eorum Eunomiâ vidi, adeò placentes Deo, vt transferri ad cælestem vitam ante conspectum ipsius mererentur. Et ipsi enim iam vltimo fine naturæ nunc in Christo quiescunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus absoluti sunt. Diuinarum autem rerum peritiam atque notitiam semper habuerunt. *Pal. c. 134. Auita cū marito & filiâ Deo seruit.*

Cap. xxx.

Vita beatorum Ivliani & Adolii monachorum.

De Iuliano quodam in Edissenæ prouinciæ partibus sito viro (qui verè monachus dicebatur) audiui, quòd vsque adeò omnes corporis sui carnes ad nihilum redegisset, vt pellem in se solam & ossa monstraret, ob quod ipse mercedem à Deo, curationum gratiam in vltimo vitæ suæ fine promeruit. *Pal. c. 102. Iulianus pellis & ossa.*

Alium quoque vidi apud Ierosolymam, Adolium nomine, ducentem ex Tarso oppido genus, qui cùm venisset illuc, à nullo pænè detritam ingressus est viam: quique non tale quale nos plurimi, *Pal. c. 104.*

rimi, iter tenuit, sed nouum sibi quoddam & vltra homines propositum conuersationis inuenit, in tantum, vt dæmones quoque contremiscerent austeritatem eius, ac fugerent ab ingenti eius abstinentiâ, continuationeque magnarum vigiliarum; vt propè id quod dicunt phantasma, hoc est non res vera, sed imago esse aliqua putaretur.

Adolius dæmonibus est terrori.

Qui Adolius Quadragesimam obseruauit.

Per Quadragesimam quidem quinto quoque die edebat; reliquo verò anni tempore, post biduum semper cibum capere consueuerat. Hoc autem in eo magnum, quòd à vespertinis horis vsque ad tempus matutinorum, quo rursus ceteri fratres ad oratorium colliguntur, ille in monte Oliueti stans in eo loco vnde Saluator assumptus est, psallendo & orando pernoctare consueuerat, & siue sub nimbis, siue sub pluuijs seu pruinis, immobilis permanebat. Qui posteaquam hoc modo solitum tempus impleßet, signo mallei, quo fratres ceteros excitabat, percutiens fores omnium cellularum, ad propria oratoria deducebat. In quibus cum vno quoque eorum vnum vel alterum in antiphonas psalmum canens, totidemque cum singulis preces fundens, sic ante lucem adhuc reuertebatur ad cellulam suam. Quem fratres (verè enim sub Deo loquar) spoliatum vestibus suis aquam sæpiùs stillantibus, alijs induebant, donec illæ siccarentur. Sic ergo paulisper somno refectus vsque ad horam tertiam, iterùm psalmos canens, venire ad alterius diei vesperam nitebatur.

Fratres excitat.

Cum ijs orat.

Hæc Adolij Tarsensis virtus fuit: qui Ierosolymæ, consummatis patientiæ moribus, vixit, & vltimo ibidem fine defecit.

Cap. xxxi. Pallad. cap. 103.

Vita Innocentii *presbyteri.*

De beatissimo Innocentio, qui in eâ quæ est ad Oliuam ecclesiâ presbyter fuit, à multis quidem & magnis viris audisti, nihilominùs tamen etiam à nobis, qui cum eo annis tribus viximus, pauca cognosces. nam quidquid aliorum oculos latuit, nobis non potuit occultari.

Hic ergo simplicissimus omnium fuit: qui cùm sub Imperatore Constantio, in principijs eius Imperij in magnorum virorum ordine militasset, quique cùm vsque ad illud tempus cum propriâ vxore vixisset, habuissetque filium nomine Paulum domesticum militantem; ad postremum renuntiauit sæcularibus rebus. Maledixit autem proprio filio pater, eò quòd presbyteri alicuius filiam corrupisset, deprecatusque est Dominum, dicens: Da illi, Domine, spiritum talem, vt nullum vmquam ad peccandum in carne suâ tempus inueniat. rectius fore credens, si cum atrocitate dæmonis, quàm cum corporeæ voluptatis impuritate certaret. Quod quidem ita vt dixit, factum est: nam & vsque in præsentem diem Paulus ipse ferreis catenis vinctus, in eo qui est Oliueti monte consistit, & ab immundo spiritu pro criminis sui correptione cruciatur.

Innocentius è matrimonio monachus.

Hic ipse Innocentius quàm misericors fuerit, si veraciter referre voluero, delirare me in quibusdam forsitan, pro eius simplicitate quis iudicabit. Nam frequenter eum surripuisse suis fratribus cibos, & egentibus dedisse cognoui. In immensum enim modum simplex erat, neque quidquam mali cor ipsius norat. vnde diuinam quoque hic gratiam contra dæmones meruit.

Ad quem cùm aliquando videntibus nobis, iuuenis quidam fuisset exhibitus, quem spiritus immundus impleuerat, & omnibus totum soluerat membris; in tantum, vt ego videns eum eminùs talem, neque ambigens non posse curari, matrem eius qui videbatur exhibitus, aliosque qui eum deduxerant, propelli iuberem. Euenit autem inter hæc, vt superueniret senex, ac stantem & cum lamentatione deflentem propter tam inenarrabilem filij morbum matrem videret. Victus ergo continuò vir ille venerabilis lacrymis eius, ex affectû sancti cordis ingemuit, iuuenemque apprehendit manu, & intra oratorium suum, quod ipse construxerat, & in quo reliquias sancti Ioannis Baptistæ collocauerat, duxit, atque illic orationem pro eo faciens à tertiâ nonam vsque horam diei, incolumem eum ipso die reddidit, purgatum dæmone, atque constrictum omnibus membris; quæ vsque adeò fuerant dissoluta, vt quoties infelix puer voluisset exspuere, in tergum sputa iactaret. ita eum distorserat dæmon.

Virtus eius contra dæmones.

Oratorium reliquijs S. Ioannis Baptistæ honoratum.

Paralyticum sanat Innocentius.

Anicula quædam adijt memoratum virum, quærens ouem quam se perdidisse deflebat. Dicebat ergo ei: Ostende mihi ipsum, in quo perdidisti, locum. Quem mulier cùm ad illa quibus Lazarion nomen est deduxisset loca, stetit illic, & instanter orauit. iuuenes autem qui furati ouem fuerant, iam etiam occiderant eam. Dum igitur precem fundit, nullo penitùs confitente, carnibus autem ipsius pecotis intra vineam quæ adiacebat abstrusis, subitò supra ipsas volitans coruus stetit, partemque inde auferens carnis, rursus abscessit. quo viso, ille venerabilis senex furtum quod celabatur inuenit. Mox autem iuuenes ipsi confitentes proprium reatum, ad pedes eius prociderunt. A quibus posteà pretium quod iustum videbatur exactum est, & mulieri redditum.

Furtum oratione detegit.

Vita Philoromi *presbyteri.*

Cap. xxxii. Pallad. cap. 113.

Philoromvm nomine presbyterum quemdam in Galatiæ regione cognoui, cum quo multo etiam tempore fui. Quem virum patientissimæ fuisse virtutis, ac perfectum per omnia monachum comprobaui: qui ex ancillâ quidem matre, ab ingenuo tamen patre fuerat procreatus. Tantæ autem conuersationis & libertatis quæ ad Christum pertinet fuit, vt etiam illi qui nobilitate generis insuperabiles videbantur, erubescerent ac stuperent mores eius atque virtutes.

Hic eo tempore, quo Iulianus infelix tenebat Imperium, sæcularibus renuntiauit rebus, magnaque eidem, interrogatus ab eo, cum auctoritate respondit. Quem tunc ille (caluitie eidem priùs factâ) iussit à pueris verberari. qui supplicium plagarum patientissimè ferens, maximas ei gratias egit, sicut posteà nobis & ipse referebat. Huic tamen inter principia cum fornicatione ac ventris voracitate grauissima fuit pugna: quos ille animi & corporis morbos ita superauit, velut si quis immensum incendium validissimis aquis exstinguat. In quadam enim se cellulâ clausum, ferro semper onerauit, non panem factum ex tritico edere voluit, nullum coctum ignibus cibum sumpsit. Ac tum demum in decem & octo annis, memoratis passionibus domitis, dignum tali victoriâ hymnum Deo cecinit, dicens: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Cui frequens semper & varius cum spiritibus impuris per quadraginta annos, patientissimè intra vnius monasterij claustra degenti, conflictus fuit.

Iulianus apostata illudit Philoromo.

Tentatio fornicationis & gulæ quomodo retundatur.

Psal. 29.

Hoc

Hoc quoque nobis solebat idem referre, quòd per quadraginta ac duos annos ex nullo pomorum genere gustasset. Cùm autem metus illum mortis aliquando vexaret, per sex annos clausisse se intra memoriam mortuorum, vt dæmonem, quem ex formidine sepulturæ terribilem sentiebat, in sepulcris habitando superaret. Libenter hunc sanctus Basilius episcopus habuit in memoriâ, districtos in eo mores semper ac simplices, intentionemque ad Deum diligens: qui vsque ad præsentes dies non desinit libros propriâ manu scribere, etiam cùm octoginta annos agat.

S. Basilius Philoromo familiaris.

Dicebat hoc etiam ipse beatissimus, quòd ex quo accepisset lauacrum regenerationis, atque mysterij gratiam spiritualis, vsque in præsentem diem, sine caussâ se alterius pane vsum fuisse nesciret; sed quòd ex laboribus proprijs, sicuti persuadere ante Deum nobis solebat, ducentos quinquaginta solidos elephantioso laborantibus morbo dedisset, memoratamque pecuniam non ex cuiusquam alterius vel leui damno, sed ex manuum suarum operibus præstitisse.

Qui pedester iter omne conficiens, Romam vsque peruenit, atque in ecclesiâ sancti Petri Paulique orationibus factis, rursus ad Alexandriam pedester remeauit; vbi iterùm precem fudit in basilicâ martyris Euangelistæ Marci. Ierosolymæ etiam secundò fuit, pro honore sanctorum locorum, proprijsque semper sumptibus ac pedibus martyres sanctos in omnibus sufficienter honorauit. Qui & hoc ad nostram ædificationem sæpè dicebat, non se meminisse quòd vmquam sensibus suis à Deo fuerit separatus.

Romana peregrinatio.

Peregrinatio Ierosolymitana.

Hæc sunt beatissimi Philoromi certamina, quibus inuictus apparuit, & hæc sanctorum patrum immarcescibilis ei gloriæ corona donata.

C. XXXIII *Vita* MELANIÆ *senioris.*

Pallad. cap. 117.

SANCTA illa & multùm beata Melania, de Hispano vel vrbico genere descendens, filia quidem Marcellini cuiusdam exconsulis fuit, vxor autem cuiusdam honorabilis viri, cuius nomen meminisse non possum. Quæ vigesimo ac secundo ætatis suæ anno ad viduitatem redacta, diuinitatis amore, æterno sponso meruit copulari, vsque in finem vitæ suæ diligens eum. Quæ nulli secreta animi sui prodens (prohibebatur enim inter principia Valentis imperij) procuratore antè filio suo constituto, ea quæ habere in mobilibus videbatur cum certis pueris ac puellis in nauem misit, itaque festinans Alexandriam nauigauit. Ex quâ (posteaquam illic omnia vendidit, & in pecunias totum atque in aurum redegit) Nitriæ attigit montem: atque ibidem venerabiles patres vidit Pambo beatissimum, Arsisium famulum Christi, Serapionemque maiorem, Scithensem Paphnutium, & Isidorum confessorem atque episcopum illius ciuitatis quæ vocatur Hermopolis, & sanctum Dioscorum. Apud quos in desertis locis sex tantùm mensibus commorata, omnes qui illic erant sanctos viros peragrauit ac vidit.

Melania sub Valente Imp.

In monte Nitria sanctos patres inuisit.

Post hæc autem cùm Alexandriæ præfectus Augustalis Isidorum, & Pithimũ, Adelphium, Paphnutium, Pambo, inter quos etiam & quemdam senem Ammonium, vnam habentem auriculam, & duodecim episcopos, presbyterosque, & alios quosdam, vsque ad centum duodecim numero, circa Palæstinam & Diocæsaream damnasset exilio: istos hæc beatissima omnes secuta est, & ex proprijs facultatibus eis ministerium suum præbuit. Cùmque ab illis qui in memoratorum custodiâ erant, prohiberetur hæc facere (sicut mihi & ipsi sæpè referebant; nam & ego sanctum Pithimum, & Isidorum, & Paphnutium vidi) benedicta tunc illa sumptâ veste puerili, circa vespertinas horas omnia eis vitæ necessaria deferebat.

Subministrat monachis necessaria.

Quo cognito Palæstinæ prouinciæ consularis, credens quòd sinus suos posset fumo quodam atque terrore ex pecuniâ eius implere, iussit eam (ignota enim ipsis erat) corripi atque in carcerem tradi. Ex quo loco tunc ei per internuntios quosdam sancta illa mandauit: Ego, inquit, illius filia, & illius coniunx fui, ancilla verò nunc Christi sum, ne ergo me ob vilitatem præsentis habitus contemnendam putaueris, quia facilè extollere, si velim, ipsa me possum: nec terrere igitur me in aliquo vales, neque quidquam mihi de meis rebus auferre. Atque ideò ne hæc fortassis ignorans periculum aliquod aut crimen incurras, idcircò ista tibi mandaui. Quasi quæ diceret: interdum enim necesse est aduersus imprudentes hæc agi, & veluti accipitre vel cane contra eos arrogantiâ vti, quæ cõgruo tempore, superbos comprehensura immittatur. Talibus ergo verbis mox ipse territus iudex, excusauit eidem factum suum, & ita eam vt meruerat honorauit. Et iussit vt ad illos viros, quoties vellet, accederet.

Hæc autem reuocatis ab exilio memoratis viris, monasterium apud Ierosolymam sibi fecit, in quo viginti & septem annorum tempus impleuit, quinquaginta secum sorores virgines habens.

Melania Ierosolymis monasterium virginum exstruit.

Erat etiam cum eâ Ruffinus quidam nomine, ciuis Italus ex Aquileiensi oppido, vir nobilium, & in proposito singulari satis fortium morum; qui & ad presbyteratum posteà meruit peruenire. Quo nullus mansuetior, fortior, & placidior, tamquam omnia sciens, in sexu virili potuit inueniri. Isti igitur in viginti & septem annis omnes apud Ierosolymam sanctos atque peregrinos episcopos, monachos, virginesque (hoc enim vouerant Deo) suscipere proprijs sumptibus ac fouere consueuerant, omnesque ad se venientes meliores tantarum ac talium rerum contemplatione fecerunt. Illos etiam quadringentos numero monachos qui propter Paulinum se ab Ecclesiâ separabant, sanctæ rursus Ecclesiæ reddiderunt, omnesque etiam præter hos peruersæ sectæ homines, & contra Spiritum sanctum sacrilego ore certantes, ad Ecclesiã nostram, vera suadendo, ac iugiter cunctos docendo reuocauerunt, honorantes quidem ac sæpè pascentes eiusdem loci clericos. Et hæc pariter facientes, vitam suam pio studio finierant, nulli quidem ex se vel leuem dantes scandali suspicionem, totum verò orbem terrarum spirituali ædificatione plenissimum relinquentes.

Peregrinos voti caussâ Ierosolymam venientes excipit.

Hæreticos & schismaticos conuertit.

Vita CHRONII *presbyteri.* C. XXXIV.

Pallad. cap. 89.

CHRONIVS quidam nomine, oriundus ex vico, cui Phœnicis vocabulum est, quique desertis est proximus locis, quindecim millia passuum, 30 dextro pede numerans, à proprio vico vsque ad certum desertorum emensus est finem. vbi factâ oratione, puteum effodit sibi, in quo optimæ aquæ repperit venam, septem tantummodò (quas orgyas vocant) ad putei ima descendens; circa quem & cellulam sibi paruulam fecit.

Chronius fugit locum habitatum. Ex quo die in eadem mansione se constituit, summis Deum precibus orauit, ne ad ea quæ ab hominibus habitantur loca vlteriùs accederet. Post paucos autem annos meruit presbyter fieri: habuitque secum collectos ex diuersis fratribus vsque ad ducentos numero viros.

Annis 60. altari seruiit. Magnam verò hanc ipsius dicunt fuisse virtutem, quòd per sexaginta annos altari seruiens Dei, ac fungens officio sacerdotij, numquam de solitudinibus egressus est, nec nisi proprio opere ac sudore quæsitum attigit panem.

CAP. XXXV. *Vita* IACOB *monachi, &* PAPHNVTII CEPHALA, *& de quibusdam subitò mortuis, & lapsis aliis.*

Palladius cap. 90. IACOB etiam nomine aliquis, qui Clodus nomen acceperat, ex vicinis eidem coniunctus est locis, vnaque ambobus vita perfecta in monasterio erat. vtrosque autem benedictus Antonius norat.

Pallad. cap. 91. Quodam igitur die, cùm sanctus quoque Paphnutius, quem Cephalam cognominabant, vnà cum ipsis degeret, vir magnam Dei dono scientiam Scripturarum habens, qui tam vetus Testamentum *Pahnutius θεοδίδακτος.* omne quàm nouum interpretari solebat, cùm tamen ipse nihil de Scripturis sanctis aliquando legisset. Adeò autem erat mitis & placidus, vt propheticam quoque posset mansuetudine vitæ superare virtutem. De quo tale refertur præconium, *Annis 80. vnâ tunicâ vtitur.* quòd per octoginta annos numquam habuerit duas simul tunicas.

Hos igitur cùm ego & sancti diacones Euagrius & Albinus vidissemus, simul quærebamus ex ipsis, scire cupientes quænam esset caussa quæ nonnullos fratrum errare faceret, interdum & peccatum aliquod incurrere, aut penitùs à recti itineris proposito deuiare.

Pallad. cap. 92. Cheremon sedens in opere moritur. Acciderat enim illis ipsis diebus, vt Cheremon nomine monachus, residens in cathedrâ suâ repentè moreretur, defunctumque in eâ ipsum atque in manibus opus quod faciebat tenentem, subitò alij fratres viderent.

Pallad. cap. 93. Fodiens puteum obruitur. Euenerat etiam, vt vnus ex fratribus, dum puteum conatur effodere, terrenæ molis aggere obrutus interiret.

Pall. c. 94. Quidam siti mortuus. Vtque alter quoque de Scithensibus locis veniens, in ipso itinere, cùm sitim non posset ferre, deficeret.

Pallad. cap. 95. Inter quos eo ipso tempore & Stephanus quidam relicto monasterio fratrum, libidinis caussâ ad sæcularem descenderat vitam. Et de Eucarpio & de Herone Alexandrino, & Palæstino Valente, & de Ptolemæo Ægyptio, qui in Scithensibus degebat locis, quæcumque ipsis aduersa prouenerant, referebantur. Propter quæ omnia sanctos illos precabamur viros, vt nobis caussas earum exponerent rerum, quæ homines tam probabilis vitæ *Vnde solitarij quidam erumpant in intemperantiam.* in desertis degentes locis, aut mente mutari, aut ad turpia ac libidinosa transferri, aut quibuscumque alijs modis decipi vel perire compellerent.

C. XXXVI. *De responsionibus ad interrogata præcedentia.*

Pallad. cap. 95. ILLI verò nobis huiusmodi dedêre responsum, pariterque cum illis etiam ipse Paphnutius, in quo maxima omnium rerum scientia erat, quòd omnia quæcumque in hoc sæculo fiunt, dupliciter diuiduntur, in voluntatem & in permissionem Dei. Quæcumque igitur ex animi virtute procedunt, & ad Dei gloriam fiunt, ex Dei voluntate *Virtus ex Dei voluntate.* proueniunt: quæ autem periculosa sentimus atque damnosa, in quibus aut peruersitatem aliquam deprehendimus, aut ruinam, hæc rursus permissione Dei fiunt. permissio autem ipsa ex ratione descen- *Vitium ex Dei permissione.* dit, id est, ex peccato aliquo, vel infidelitate surrepente paulatim. Non potest enim fieri, vt is cuius sapientia probatur & vita, in peccatum alicuius turpitudinis ruat, aut dæmonum dolis in laqueos præcipitetur erroris.

Nihil malo proposito aggrediendum. Quicumque igitur corrupto mentis proposito, quicumque temerariâ voluntate à tramite virtutis exorbitant, illi facilè peccare consueuerunt. Deseruntur enim diuinitatis auxilio, ne possint intelligere profutura: vt cùm se à Deo intellexerint derelictos, casumque peruersæ mutationis agnouerint, incipiant vel propositum suum vel factum emendare. Interdum autem actus ipse noster in crimen est, quando non ex recto proposito, nec ex eo quo conuenit more à nobis aliquid perpetratur. Quod nouimus frequenter accidere. Vt si is qui turpiter viuit, flagitioso animi proposito circa iuuenem puellam misericors esse videatur, propter finem quidem ipsius rei turpem, sed per actum rationabilem, quo quasi puellæ & desolatæ defensionem se præbere demonstret. Euenit rursus, vt ex proposito quispiam recto misericordiam quidem ægroto impendat aut seni, & ex diuite se pauperem faciat, parcâ tamen manu, & cum mœrore quodam mentis inuitæ, vt rectum quidem videatur esse propositum, actus autem ipse indignus *Eleemosyna danda in hilaritate.* suo proposito iudicetur. Oportet enim misericordem cum lætitiâ & cum largitate misereri.

Præterea memorati viri prærogatiuas quasdam in sensibus plurimorum esse dicebant. Quorumdam enim faciles ad virtutem & acutas animas, prædicabant habere optimos mores in proposito institutisque monachorum. Sed quando aliquid non fit propter idipsum quod nouimus bonum, neque factum, neque ingenium mentis humanæ, neque illæ ipsæ prærogatiuæ quæ infixæ sunt mentibus plurimorum, imputantur datori bonorum *Deo, non voluntati propriæ bona adscribenda.* omnium Deo, sed magis totum adscribitur voluntatis propriæ potestati. Tunc cùm necessariò relicti à Deo fuerint, incidunt in turpitudinem aliquam, in quâ erubescenda multa vel patiuntur, vel faciunt per eum ipsum, qui in his turpis vitæ actu lapsus cecidit. Cùmque paulatim sobrietate mentis admoniti, ab eo animi tumore discedunt, quam putabant magnam aliquam esse virtutem, donatore cognito damnare coguntur.

Quoniam verò ille qui arrogantiâ eloquentiæ suæ, & ex ingenio vel acumine mentis inflatus est, non adscribit ante omnia originem atque fomenta ipsorum bonorum Deo, quæ ex ipsius tantùm fonte descendunt, sed sui hoc esse existimat studij *Arrogans & inflatus ab Angelo prouidentiæ derelinquitur.* suæque naturæ, remouet tunc ab ipso prouidentiæ suæ angelum Deus. A quo cùm fuerit destitutus ille qui ex alienis sibi donis placens cœperat superbire, à dæmone inimico suo expugnatur ac vincitur, & in aliquod turpitudinis crimen incurrit. Ex quo irrationabilium animalium vel canum more, vsque ad diabolicam illam persuasioné, quæ superbia est, insaniendo descendit. Illo enim semel casta ac probabilis vitæ teste sublato, quodcumque

que hi tales vel qualecumq; iam dixerint, nec credi ab aliquo, nec suscipi potest. Nam quicumque sancti differentes eos audire consueuerant, incipiunt ipsos fugere, execrantes flagitiosi animi improbisque doctrinam, velut fontem qui sanguisugis plenus est, licet quisquam sitiens, tamen vitare cogatur, vt sermo diuinarum Scripturarum probetur, hoc dicens: Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psal. 49.

Et verè similes esse peccantium mentes pollutis fontibus putes. Nam voracitati atque ebrietati studentes, cœnosis locis comparantur: pecuniæ cupidi vel rapaces, iis quos impleuerunt ranæ: illi verò qui sunt inuidi vel superbi, habentes in se aliquam tamen scientiæ peritiæque notitiam, pares iis fontibus iudicantur, qui serpentes inter latices suos nutriunt. Quibus semper quidem sermo facundus et vtilis humor exuberat, sed à nullo tamen possunt libenter hauriri, propter suorum amaritudinem morum. vnde sanctus Dauid hæc tria sibi dari à Deo dona postulabat, bonitatem, & disciplinam, & scientiam. Sine bonitate enim & disciplina scientia nimis inutilis est. Et si quidem iste qui talis est se emendare festinet, relictâ eâ caussâ, ob quam deseruit eum Deus (superbiam loquor) volueritque mensuram sui cognoscere, vt iam de reliquo neque contra alios se vt melior aut maior extollat, sed Deo sẽper gratias agat, rursus ad eum profectò remeabit scientia bonorum actuum testimonio gloriosa. Nam facundia spiritualis nisi cum honestis moribus vitæ castisq; concordet, illis erit similis spicis, quæ ventorũ corruptione vitiatæ speciem tantummodò spicarum gerunt, non tamen habẽt ea quæ possunt hominem iuuare vel pascere.

Gulosi quibus similes. Auari. Inuidi.

Psal. 118. *Cur Dauid roget bonitatem, disciplinã & scientiam.*

Facundia sine honestis moribus est instar spicæ euanidæ.

Omnis igitur lapsus hominis, qui vel linguæ vel sensus vitio procreatur, quique ex vniuscuiusque actibus, vel ex omni corporis nostri parte descendit vsq; ad superbiæ magnitudinem, ex eo semper accidere solet, quia Dei fauore nudamur. Qui tamen hoc ideò facit, vt parcat magis iis hominibus quos relinquit. Nam si cum damnabili illâ (quam in se habent) morum peruersitate, ingeniis quoque eorum eloquentiæ fomenta suppeditassent, quasi testimonio quodam suo animaret eos Dominus; sine dubitatione perfecti dæmones fierent, cùm intelligerent se vitæ sordibus inquinatos ad sublimia conscendere.

Hæc quoque nobis memorati dicebant sanctissimi atq; optimi viri: Quando aliquẽ videritis pessimæ quidem vitæ, eloquentiæ tamen magnæ, dæmonis illius meminisse debetis, quem cum Christo loquẽtem legimus in Scripturis sanctis. Recordari etiam vos oportet & illius loci in quo nouimus scriptum: Serpens autem sapientissimus terarum omnium in terris erat, cui illa sapientia magis obfuit; quia nullum in se habuit alterius virtutis auxilium. Oportet enim bonum ac prudentem virum sapere quidem illa quæ ei Deus dederit, loqui autem illa quę sapit, & illa facere quæ loquitur. Nam si non occurrat eloquentiæ veritas cum virtutibus vitæ, moribusque honestis, panis profectò sine salibus fatuus esse videbitur, qui manducari iuxta Iob dicta non poterit, aut mortis caussa iis qui eum comederint erit. Si enim panis sine salibus edi potest, poterit esse & aliquis bonus gustus in sermonibus vanis, & qui non bonorum actuum testimonio roborentur.

Vitâ pessimus & eloquens est dæmonis imitator. Matth. 4. Gen. 3.

Eloquentia sine virtute panis sine sale. Iob 6.

Diuersis autem modis famulos interdum suos deserit Deus. Aliquando enim hunc propter alicuius occultam virtutem, vt ceteris reuelari possit ac prodi, veluti in sancto illo athletâ Iob, cui Deus secreta sua manifestans, ista dicebat: Noli mecum recusare iudicium, neque ob aliam caussam putaueris me tibi hæc dedisse responsa, nisi vt iustus omnibus demonstreris. Mihi quidem, cui nihil potest esse celatum, notus admodum eras: sed quia alij te homines nesciebant, qui me propter diuitias (quas acceperas) à te existimabant coli; idcircò huiusmodi tentationem ad te venire permisi, idcircò omnes opes tuas abstuli, vt ostenderem cunctis sapientiam tuam, quæ etiam in illo statu posset gratias agitare. Iob 40.

Tentatio quandoque immittitur vt iustus probetur.

Alio iterùm modo relinquere homines videtur Deus, quando eos à superbiæ malo auertere cupit, quod in sancto nouimus Paulo: nam & Paulus tunc à Deo putabatur relictus, cùm tot ac tantis opprimebatur vndique colaphis, tamque diuersis quas Scriptura sancta numerat tribulationibus fatigabatur (Datus est mihi, inquit, velut angelus satanæ, qui me colaphizet, vt non extollar) ne fortè, si cum iis quæ per diuinam gratiam miranda faciebat, aliquam habuisset quietem aut abundantiam rerum, cum illo tanto honore, quantus illi ab hominibus deferebatur, diabolus eum palpatum pluribus bonis atque resolutum, superbiâ quadam noui tumoris extolleret.

Quandoque, vt à superbiâ preseruetur. 2. Cor. 12.

Relictus est à Deo quondam paralyticus & ille propter propria delicta, cui dixit Iesus: Ecce factus es sanus, noli ampliùs peccare, ne quid tibi deterius contingat. Ioan. 5.

Iudas quoque relictus est, qui verbo Dei præposuit argentum, ob quod laqueo se suspendit & periit. Relictus est & Esau, & peccati crimen incurrit: intestinorum enim maluit sordes, quàm benedictiones paternas. Quæ omnia cogitans Spiritu sancto plenus beatissimus Paulus, dicebat de talibus qui deseruntur à Deo: Et sicut non probauerunt Deum in notitiâ habere, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ nõ conueniunt. De aliis autem quibusdam qui putant diuinam habere notitiam, sed qui corruptæ & superbæ essent mentis, sic dixit: Quoniam cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, elationis atque tumoris dæmonio copulati. Vnde sequitur: Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Idcircò hoc intelligere nos oportet, non posse fieri vt quis peccati grandis alicuius crimen incurrat, nisi antè eum diuina prouidentia pro malis moribus derelinquat. Actor. 1. Gen. 27. Rom. 1.

Propter malos mores à Deo relinquimur.

Vita abbatis ELPIDII *& collegarum eius* ENNESII, EVSTATHII, *&* SISINNII *Elpidij discipuli.* CAP. XXXVII.

ELPIDIVS quidam fuit de Cappadociâ genus ducens, qui posteà & ad presbyteratus honorem meruit peruenire. Erat autem de monasterio Timothei Cappadocis cuiusdam Chorepiscopi, viri admodum magni. Qui Elpidius in vnâ de memoratis speluncis habitaculum sibi fecit. Pallad. c. 106.

Elpidius habitat in speluncâ.

Tantum autem abstinentiæ studium in se ipso mon-

monstrauit, vt vinceret cunctos. Per viginti enim & quinque quos vixit annos, solo Dominici ac Sabbati die sumebat cibum, & per noctes totas stando & orando psallebat. *Annis 25. tantùm comedit Sabbatis & Dominicis.* Quem sicuti apes regem suum, ita innumera multitudo fratrum secuta, fecit quamdam videri in speluncis ipsis ac solitudinibus ciuitatem. Erat autem maximæ voluptatis, stupendam vitæ varietatem & conuersationis eorum cognoscere. Hunc ipsum Elpidium veræ spei gloriâ gratulantem, & propter Christum tribulationum pericula sustinentem, cùm quadam psalleret nocte nobiscum, scorpio vulnerauit, quo ille calcato, nec stando quidem in quo fuerat mutauit spatium. *Illæsus scorpium calcat.* Ita eum, quem ipsius scorpionis ictus intulerat, contempsit dolorem.

Quodam autem die cùm vnus ex fratribus exiguam partem sarmenti ex aridâ vite teneret, accipiens illam à fratre, dum in summitate montis sederet, velut plantans eam infodit solo, & certè cùm tempus plantationis omnino non esset: quod ita in immensum creuit modum, & tam magna exinde vitis effecta est, vt se ad superiora diffundens, totius ecclesiæ tecta cooperiret. *Sarmentū ab eo plantatum crescit in vitem.*

Erat etiam cum hoc athletâ Christi Ennesius vir magnus & honestus, ac frater eius Eustathius, quibus vna vita continentiæ, atque eadem consummatio fuit in Christo. *Pallad. cap. 107. & 108.*

Vsque adeò autem memoratus Elpidius nullis animi vel corporis passionibus subiacebat, propriis membris vario abstinentiæ labore consumptis, vt solis instar ossium eius iunctura luceret. *Elpidius vix ossibus hæret.*

A quibusdam autem studiosis eius discipulis, talis fertur relatio, quòd per viginti & quinque annos numquam se ad Occidentem conuerterit (& sanè speluncæ ostio mons in altum editus imminebat) & quòd post sextam quoque horam à medio mundi vertice in partes occiduas declinantem numquam viderit solem, neque ab Occidente surgentes conspexerit stellas. *Semper ad Orientem conuersus.* Qui ex quo memoratam speluncam ingressus est, numquam de eius monte descendit, donec corpus eius sepultum est.

Huius Elpidij Sisinnius nomine discipulus quidam fuit in Cappadociâ natus, ex seruili quidem origine genus ducens, sed habens in Deo fiduciæ libertatem. *Pallad. cap. 109.* *Sisinnius Elpidij discipulus.* Debemus enim humillimum etiam genus quorumdam conscribere, vt maior gloria ingenuitatis appareret quæ donatur à Christo, per quam ad veram atque cælestem nobilitatem libertatemque reuocatur. Is itaque cùm apud magistrum suum per sex vel septem annos fuisset, ad postremum intra sepulcrum se clauserat quoddam, in quo triennij tempus stans semper orabat: vbi non nocte, non die aut deambulauit, aut sedit, aut iacuit. *Sepulcro se includit.* quique gratiam quoque contra dæmones meruit spiritualem. Nunc autem regressus ad patriam presbyter factus est, collegitque in vnum fratres pariter ac sorores. *Presbyter creatur.* Qui adeò sine vllo vitio mentis & corporis vixit, vt nullam generis esse distantiam inter mares ac feminas comprobaret, vt Scripturæ sanctæ illud impleretur: In Christo enim Iesu neque masculus neque femina sumus. *Galat. 3.* Erat autem & peregrinis omnibus hospitalis, & certè cùm sit cognitum satis, nihil eum penitùs possidere, ad eorum opprobrium atque supplicium, qui cùm sint diuites, nihil vmquam egentibus largiuntur. *Hospitalitate insignis.*

Vita GADDANI *serui Dei.*

Cap. XXXVIII. Pallad. c. 110.

NOVI ego Palæstinæ quemdam Gaddanum nomine senem, qui sine tecto semper circa loca Iordanis fluminis vixit. *Gaddanus absque tecto viuens.* Contra quem aliqui Iudæorum inuidiæ furore præcipites, dum ille in regionibus mortui maris degit, armati gladio aliquando venerunt, & cùm vnus ex ipsis eumdem ferire voluisset, tale miraculum Deus fecit, vt dextera eius quam erexerat percussurus, aresceret, gladiusque ex illius digitis, à quo tenebatur, excideret. *Arescit manus Iudæi ipsum ferire tentantis.*

Vita ELIAE *monachi.*

Cap. XXXIX. Pallad. cap. 111.

ELIAS quidam nomine monachus, in illis ipsis locis intra speluncam solitus viuere, vir castigatorum ad perfectam regulam morum, hospitalis & charitate plenissimus, cùm quadam die quorumdam ad eum fratrum multitudo venisset (nam publicus illic transitus erat) subitò ei defuit panis. Qui propriâ nobis fideliter relatione narrauit, quòd cùm admodum tristis esse cœpisset, ingressusque esset speluncam suam, tres illic panes magnos atque recentes subitò repperisset. Ex quibus viginti simul fratres vsque ad satietatem refecti sunt. *Tres panes Eliæ diuinitus suppeditantur ad exercendam hospitalitatem.* Vnum autem ex ipsis panem superesse, eumque posteà per viginti & quinque dies victui suo sufficisse memorabat.

Vita SABAE *serui Dei.*

Cap. XL. Palladio cap. 112. dicitur Sabbatius.

SABAS quidam nomine, Ierichuntinus genere, sæcularis vir & vxorem habens, in tantum omnes monachos diligebat, vt per deserta omnium cellas noctibus circuiret, & ante singulas quasque poneret mansiones modios singulos dactylorum, tantum & olerum quantum putaret posse sufficere, eò quòd vsum panis nesciunt ij monachi qui in Iordanis regionibus viuunt. *Iordanis asceta non vescuntur pane.* In quem leo quadam die impetum fecit, quemque intra vnum lapidem consecutus corripuit atque deiecit, & asinum tantummodò eius auertit ac rapuit. *Leo insilit in Sabam.*

Vita ABRAMII *monachi.*

Cap. XLI. Pallad. c. 105.

ABRAMIVS quidam nomine fuit, Ægyptius genere, qui satis duram atque asperam vitam in desertis locis habuit. Qui cùm aliquo tempore ex vnâ quadam præsumptione mente captus fuisset, ad ecclesiam venit, & iurgari cum presbyteris cœpit, hęc dicens: Presbyter à Christo factus sum istâ nocte, & suscepit me diuina sacra facientem. *Abramius ex præsumptione illusus.* Quem posteà patres sancti à solitudinibus separatum, traditumque sæculari magis atq; communi conuersationi hominum, reduxerunt ad pristinam animi sospitatem, curatumque atque omni superbiâ liberatum, per quam illum dęmon illuserat ad agnitionem humilitatis propriæ infirmitatisque reuocauerunt. *Reducitur ad communem vitã.*

De MELANIA *seniore, iuniore*, PINIANO, ALBINA, SILVIA, IOVINIO.

Cap. XLII.

[DE sanctâ illâ atque admirabili Melaniâ summatim quidem aliqua superiùs indicaui, nihilominùs tamen & reliqua quæ desunt, in his sermonibus comprehendam.] *Pallad. c. 118.* Quantum opum illa disperserit, amore maximo Dei, veluti flammâ ignis accensa, meum tantùm non est referre, sed illorum quoque qui in Persidis regionibus *Vocitus inclusa creduntur Heracliti eo Palladio Lipomani.*

Beneficentia Melaniæ totus orbis particeps. nibus viuunt. Cuius memorabilia in bonis facta omnes cæli quatuor plagæ norunt atque senserunt. Per triginta enim atque septem annos suscipiens ac pascens semper miseros aduenasque, propriis sumptibus alimenta ac necessaria omnia ministrauit ecclesiis, monasteriis, carceribus, atque peregrinis. *Annis 37. hospites excipit.* Cui parentes quoque eius, ac filij procuratores ipsius, ex facultatibus propriis multa præbebant. Quæ in tantum atque ita iugiter in suscipiendo omnes ac fouendo permansit, vt ne vnius quidem in solo palmi spatium voluerit possidere. Vt numquam sic vnici desiderio filij & amore caperetur, quatenus aliquando à dilectione Christi posset auelli. *Non tenetur affectu vnici filij.* Cuius orationibus magis atq; perpetuis, & ipse ille iuuenis eruditione laudabili, moribus bonis, & sæcularibus quoque honoribus creuit, peruenitque ad nobilium matrimonium nuptiarum, ex quo & filios suscepit duos.

Post multum verò temporis cùm audisset cuidam nupsisse neptem suam Melaniam viro, renuntiare autem post nuptias sæculo huic velle cognouisset, metuens ne qui malæ vitæ homines ac malæ sectæ peruersæque doctrinæ eidem iungerentur, ob hoc ipsum cùm iam admodum senex, hoc est sexaginta esset annorum, de Cæsarientium ciuitate ad vrbem Romam intra dierum viginti spatium nauigauit, atque illic propter quos venerat visis, benedictum illum quidem neptis suæ maritum, Pinianum nomine, honestum ac nobilem virum, paganum tamen, instantissimè docuit, & Christianum protinus fecit, cui persuadere spiritualiter potuit, vt etiam à concubitu propriæ se coniugis abstineret. *Continentiam coniugibus suadet.*

Confirmatos hos ergo simul, hoc est Melaniam neptem suam, & Pinianum eius maritum, Albinam quoque cum ipsis nurum suam, hoc est vxorem filij sui, per omnia docuit. Itaque istis omnibus suasit, vt rebus quascumque habebant in vrbe distractis, ad castum atque tranquillum vitæ portum venirent. *Ad renuntiationem sæculi multos inducit.* Contra omnes autem alios Romani nominis viros atque matronas, veluti contra feras aliquas quotidie dimicabat. Prohibebant enim illi eam ab omnibus ceteris, verentes ne & alios ad tale propositum doctrinæ suæ sermone converteret. Illa autem ipsis ista dicebat: Scriptum est ante quadringentos numero annos, Quia hora iam venit extrema. *1. Ioan. 2.* Quid ergo tam libenter moramini in vanitate istius vitæ? timere debetis ne Antichristi tempus adueniat: neque vobis diuitiis vestris ac parentum bonis frui iam liceat. Et hos igitur omnes sæcularibus laqueis liberatos, ad solitudinum vitam fecit venire. Filium quoque admodum iuuenem consilio docuit vt volebat, & ad Siciliam vsque perduxit; omnibusque rebus suis ibi distractis, atque auro de prædiorum annumeratione collecto, Ierosolymam rursus transuexit. Vbi omnibus suis opibus ex propriâ voluntate diuisis, intra quadraginta dies, optima ac mansuetissima feminarum beato fine requieuit, relicto apud Ierosolymam monasterio, sufficientibusque ei sumptibus deputatis. *Ierosolymis moritur, monasterio ibi iam olim extructo.*

Vbi verò omnes isti abscesserunt è Româ, tempestas quædam ac procella barbarica oppressit ipsam vrbem repentè, & vsque adeò omnia eius inuasit ac rapuit, vt ne æs quidem quod in publico stare consueuerat, reliquerit: ita cuncta hostilis impetus prædæ euertit ac perdidit, vt illa Roma quæ in mille & ducentis annis aucta semper fuerat, ac semper ornata, vna subitò quædam ruina ac solitudo maxima videretur. *Roma fit ruina.* Tunc igitur & illi qui saluberrimæ doctrinæ obtemperauerant, lætabantur, quòd intolerandis malis, quorum mater est semper obsidio, subtracti fuissent. Et illi quidem qui obedire noluerunt, stupuerunt virtutem & gloriam Dei, qui tali permutatione rerum credere persuasit incredulis; quia omnibus aliis sub captiuitatis iugum missis, memoratæ solæ euaserunt atque seruatæ sunt domus, quæ studio sanctæ Melaniæ tamquam sacrificium illud (quod holocaustoma vocant) à Deo fuerant reseruatæ, ceteris in vrbe qui eorum aduersabantur saluti, serâ pœnitentiâ infructuosaque conclusis.

Euenit autem vt posteà simul ad Ægyptũ ex Æliâ proficisceremur, sanctam Siluiam deducẽtes virginem Dei, Ruffini autem expræfecti sororem. *Pallad. c. 142. dicitur Siluania.*

Erat etiam nobiscum Iouinius tunc diaconus, nunc verò ciuitatis Ascalonensium episcopus, vir admodum sanctus, & amator & lector studiosissimus litterarum. *Pallad. cap. 143. Iubinus dicitur. Iouinius episcopus Ascalonis.* Cùm ergo in itinere nos æstus vehementissimus occupasset, & Pelusium oppidum fuissemus ingressi, sanctus Iouinius æstu nimio fatigatus, cœperat manus ac pedes proprios frigidissimæ aquæ refouere infusione. Quo ita vt desiderauerat facto, super pellitam se atque in solo stratam proiecerat plumam. Ad quem sancta illa Siluia veluti filium verum sapiens mater accessit, & mollitiem ipsius deliciasque reprehendens, ista dicebat: Quemadmodum ausus es, hanc ætatem agens, in quâ adhuc sanguis tuus viuit, sic curare ac fouere corpus tuum? non intelligis, quæ ex hoc nasci soleant animæ læsiones? Crede igitur mihi confidenter loquenti, quòd sexagesimum ipsa æui annum agens, exceptâ summitate digitorum meorum, non ora, non pedes, non partem aliquam membrorum aquâ laui, & hoc cùm variis semper ægritudinibus laborarem, & ab ipsis quoque cogerer medicis vti lauacro, numquam tamen volui antiquum corporis mei morem palpare, non in lecto quieui, non in lecticâ recumbens iter feci. *Austera vita Siluiæ.*

Hæc ipsa eloquentissima fuit, magnumq; amorem habuit litterarum, vt ita legẽdo noctes in dies verteret, omnes antiquorũ interpretum libros notissimos habens. *Doctorum scripta studiosè legit.* Inter quos tricies centena millia versuum legendo transierat: Gregorij, Pierij quoque, & Stephani, Basiliique & aliorum studiosissimorum virorum vicies centena millia. Quæ tamen non quasi perfunctoriè transcurrebat, sed vnumquemque septies auctorem reuoluens. Vnde mendacij scientiâ nominum atque sectarum penitùs liberata, cælestibus pennis per gratiam litterarum ad æternam spem Saluatoris, gallina spiritualis effecta, potuit euolare, immortales ab eo vicissitudines receptura.

Vita OLYMPIADIS *viduæ.*

CAP. XLIII. *Pallad. cap. 144.*

HVIVS vestigia subsecuta Olympias nomine castissimis moribus femina, ac Dei amore flagrantibus, proposito eius exhibuit parem vitam, in omnibus diuinarum sequens Scripturarum consilium. Quæ Seleucij quidem excomitis secundùm carnem filia fuit; *Olympias stirpe nobilis.* neptis verò Abiauij præfecti, nurus autem paucis tantùm diebus Nebridij, qui præfectus Constantinopolitanæ vrbis fuit, sed vxor omnino nullius: dicunt enim eam virginem esse defunctam, Verbi *Virgo in matrimonio.*

 veri-

veritatis magis coniugio gloriantem. Quæ omnes facultates suas in pauperes fratres dispersit atque diuisit. Cui non paruum fuit semper pro veritatis assertione certamen. Multas etiam alias feminas docuit, multos vt oportebat presbyteros atque episcopos honorauit. Ad confessorum quoque palmam, pro veritate quam coluit, meruit peruenire. Cuius nomen ac vitam in Constantinopolitanâ vrbe degentes, ipsis, vt dixi, student confessoribus comparare. Nam talis in hoc mundo finis quoque ipsius fuit. Omnibus ad postremum periculis se propter nomen Dei opposuit.

Eleemosynarũ larga.

Confessoribus accensenda.

CAP. XLIV.

Vita CANDIDÆ *viduæ, &* GELASIÆ.

Pallad. cap. 145.

QVAM rursus secuta est similis moribus vitæ beata mulier, nomine Candida, Traiani magistri militum filia, magna Christiani nominis & cultrix egregia castitatis, conuersatione laudabilis, ecclesias sanctas atque episcopos colens. Quæ filiam quidem propriam, doctrinæ suæ virginitatis ordine copulatam præmisit ad Christum, vt maximum donum laterum suorum atque virtutum. Postmodum verò consummato castitatis ac sanctitatis officio, bonis omnibus rebusque suis competenti distributione dispersis, & ipsa suam filiam subsecuta est.

Candida filiam virginem Deo dicat.

Hanc ego laborantem noctibus ac propriis manibus molentem semper, ad infringendas vires corporis sui noueram; atque hoc referentem sæpiùs audiebam, quia cùm ieiunium ei solum sufficere non posset, etiam laboriosas sibi vigilias addidisset, quæ aduersum incorporeas potestates vnà cum ieiunio dimicarent, quo superbiam mentis tumoremque deponeret. Hæc ipsa ab omni animalium carne semper abstinuit, piscem autem & olera cum oleo festis ac sanctis diebus sumere solens; per reliquum æui sui tempus poscâ & sicco pane contenta viuebat.

Vt corpus exerceat, molit.

Abstinet à carnibus.

Pallad. cap. 146.

Cuius deinceps imitata est vestigia Gelasia nomine castissima mulier, quæ sensibus piis ad iugum virginitatis accessit. Tribuni autem cuiusdam filia fuit. Huius & optimæ feminæ memorabilis virtus refertur, quòd numquam iracundiam ipsius viderit solis occasus, siue contra seruum, siue contra ancillam, siue contra quemque alium fuisset irata. Fugiebat enim hæc beatissima memoriam malitiæ, sciens quòd iter eius ad æternam mortem perduceret.

Gelasia mitis & iniuriarũ obliuiscẽs.

CAP. XLV.

Vita SALOMONIS *anachoretæ.*

Pallad. cap. 96.

IN Antinoo Thebaidis prouinciæ ciuitate quatuor annis iugiter fui, per quod omne tempus monasteria illic vniuersa cognoui. Habitant autem mille & duceti viri probatissimi in memoratæ territorio ciuitatis, suarũ se manuum sudore pascentes. Ex quibus multi (quos anachoretas vocant) ad rupium & solitudinum se speluncas contulerunt.

Anachoretæ in speluncis rupium.

Inter quos Salomon nomine, monachus castissimus atque mitissimus fuit, qui gratiâ diuinitatis acceperat patientiam singularem: quique se quinquagesimum in speluncâ suâ annum habere dicebat, manibus semper suis victui suo sufficientissimè subministrans. Scripturas autem sanctas omnes didicisse videbatur.

Salomon 50. annis in speluncâ degens.

CAP. XLVI.

Vita abbatis DOROTHEI *&* DIOCLIS.

Pallad. cap. 97.

DOROTHEVS quidam presbyter in speluncâ aliâ degens immensæ bonitatis fuit, & irreprehensibilem ipse vitam peregit. Qui eò quòd meruerat sacerdotis officium, omnibus illic sancta mysteria fratribus ministrabat.

Huic quondam iunior illa Melania maioris Melaniæ neptis, de quâ in sequentibus dicam, quingentos numero transmiserat solidos, rogans vt fratribus illic degentibus eos ipse diuideret. Ex quibus ipse tres tantummodò tulit, reliquos Diocli cuidam solitario monacho iussit dari, viro omnium rerum scientiâ prædito, quem longè ille sapientiorem se esse dicebat, qui posset sine aliquâ lætione animæ cuncta diuidere, cùm sciret ampliùs ac rationabiliùs quantum cuique distribuere debuisset, dicens sibi illos tres solidos posse sufficere.

Infrà c. 49.

Dorotheus pecuniæ contemptor.

Hic ipse Diocles grammaticus quidem primùm fuit, philosophiæ autem se posteà dederat: sed tempore procedente, cùm vigesimum octauum annum ageret ætatis, gratia eidem diuina persuasit, vt sæcularibus doctrinis renuntiaret, ad institutionem verò Christi scientiamque cælestis philosophiæ se conferret, & ipse eo tempore trigesimum & quintum annum in speluncis habens, nobis ista dicebat: Sensus humanus cùm à cogitatione recesserit Dei, aut dæmoni efficitur similis, aut mutis animalibus comparatur.

Pallad. cap. 98.

Diocles è philosopho monachus.

Quomodo mens humana fiat vel dæmon vel bestia.

Cuius dicti rationem cùm ab eo cuperemus accipere, ista dicebat: Quia si quis à Deo recesserit, necesse est vt aut in desiderium aliquod, aut in aliquam iracundiam ruat. Desiderium quidem illud insensatorum animalium, iracundiam verò dæmonum esse dicebat. Me autem contradicente, quemadmodum posset fieri, vt cum Deo iugiter maneat sensus humanus; hoc tunc ille dicebat: In quacumque cogitatione, vel in quolibet actu anima hominis illius fuerit qui secundùm Deum viuit, si pia est, eidemque placere festinat, cum Deo eum esse manifestum est.

Quomodo cum Deo semper esse possit.

Vita abbatis CAPITONIS.

CAP. XLVII.

Pallad. cap. 99.

HIC iuuenis erat Capito quidam nomine, qui priore vitæ suæ tempore latro fuerat; quique cùm in speluncâ suâ quinquaginta implesset annos, nec vsque ad quartum lapidem Antinoënsis oppidi vmquam voluit accedere, nec vsque ad fluuium Nilum qui erat proximus: dicebatque quòd necdum se conuersationi atque sermoni hominum plurimorum posset ingerere, eò quòd adhuc fortiter repugnaret communis inimicus.

Capito 50. annis in speluncâ degit.

Cum isto vidimus & alium quemdam ex illis solitariis viris, æquè & ipsum intra speluncæ suæ secreta viuentem, qui vanæ gloriæ stimulis sub imagine somniorum illusus atque deceptus, simili & ipse modo solebat eos quos inducebat illudere, & pastor quodammodò insipiens videbatur esse ventorum, atque persecutor vmbrarum, incorruptam quidem habens corpoream castitatem: sine dubio & propter ipsam senectam, & propter plurimum quod habebat in desertis locis tempus, & propter ipsam forsitan inanis gloriæ vanitatem, quæ cor eius ac sensus peruersarum (vt solet) rerum cogitatione vitiauerat, diuinæque conuersationis fecerat alienum.

Pallad. cap. 100.

Stimulus vanæ gloriæ animus corrumpit.

Eccli. 34. 2.

Vita 32 AMATÆ, *&* TAOR, *& alterius* VIRGINIS.

CAP. XLVIII.

Pallad. c. 137.

SVNT verò in eadem Antinoënsium ciuitate duodecim monasteria virginum feminarum

perfectâ

perfectâ conuersatione viuentium; in quibus Amatam quamdam nomine, ancillam Christi senem vidi octoginta iam in monasterio suo annos habentem, sicuti vicinæ ipsius & ipsa referebant. Cum quâ sexaginta numero mulieres habitantes, atque in abstinentiæ puritate per eius doctrinam viuentes, intantum eadem omnes diligebant, vt ne clauem quidem vestibulo monasterij ad similitudinem ceterarum necesse esset infigi. Sola enim illic omnes eas immensa dilectio anus ipsius doctrinaque retinebat, ad incorruptionis gloriam corpora earum mentesque conseruans.

...mata 80. ...nis asce...ia.

Hæc ipsa quam dixi senex vsque adeò puræ mentis & corporis erat à cogitatione & passione peccati, vt cùm ad ipsam ingressus fuissem, atque sedissem, iuxta me indifferenter sederet, manus etiam suas supra humeros meos poneret, stupendaque illic erat in Christo immensæ fiducia castitatis.

...allad. ...p. 138.

...aor no...s vestes ...spuit, ne ...redi co...itur.

In hoc ipso virgo quædam Taor nomine, discipula illius, triginta annos in monasterio habens, non tunicâ, non [33] mauorte, non calceamentis vmquam nouis vti voluit, hoc dicens: Nihil tale desidero, ne propter hoc & foràs progredi cogar. Aliæ quidem omnes Dominico tātùm die, causâ diuinæ Communionis procedere ad ecclesiam solebant; sancta verò illa extremis induta pannis, in monasterio sola residebat, opus iugiter suum faciens. Tam elegantis autem formæ erat, vt castissimum quemque & constantissimum virum vultus ipsius ac pulchritudo posset illicere, nisi ita moribus esset ornata, vt in semetipsâ haberet inæstimabilem quemdam custodem propriæ castitatis. Qui & oculos cuiusquam turpiter cupientis, ad immensum pudorem compelleret ac timorem.

...orma sua ...orum ...rauitate ...nsulit.

...allad. ...p 139. ...irgo nū...uam egre...iens.

Alia quoque in vicino commanebat, cuius ego faciem quidem videre non potui: numquam enim ex quo huic mundo renuntiauit, de monasterio fertur egressa, in quo sexaginta annos vnà cum matre suâ habitans implesse memoratur. Cui ad postremum cùm recessura esset è sæculo, in visione adstitit [34] Colothus vocabulo martyr, qui in eisdem colebatur locis, hoc ei dicens: Hodie ad Dominum tuum perges, vbi & Sanctos videbis omnes; veni igitur in basilicam martyrij mei, vt illic prandeas mecum. Quo audito, primâ statim luce surrexit, ac solito more vestita, in sportellâ suâ panem, & oliuas, & olera cōminuta sustulit secum. Et tunc primùm post tot annorum curricula procedens, ad martyrium sancti venit. Vbi orationibus ritè perfectis, opperiri cœpit tale tempus diei, quo omnes penitùs à memorato recederent loco. Quod cùm ita factum videret, cœpit sedere & inuocare sanctum martyrem, dicens: Sancte Colothe, benedic escam meam, atque interuentibus tuis mecum proficisci dignare. Sumpto igitur cibo, & factâ rursus oratione, circa solis occasum ad monasterium suum rediit: vbi matri suæ, Clementis, qui Stromateus dicebatur, libellum dedit, in Amos prophetæ dicta conscriptum, hoc ei dicens: Istum episcopo qui exul stat dabis, dicesque ei, vt pro me orare dignetur, proficiscor enim ad Dominum meum. Et in ipsâ nocte defecit, & neque aut dolorem vllum capitis, aut calorem corporis sensit, sed ipsa se vt erat sepelienda composuit, spiritum suum manibus Dei commendans.

...reces pro ...iatico ex...remo pe...iit.

Clementis Stromatei opus in Amos, episcopo legat.

Vita MELANIÆ *iunioris*, PINIANI *eius mariti*, & ALBINÆ *matris*.

CAP. XLIX.

ET quoniam in superioribus relaturum de iuniore Melaniâ me spopondi, necessarium nunc debitum reddam. Nec enim iustum est veluti prętereundo, transire tam laudabilem ipsius in corpore iuuentutem, tantamque eius sine aliquâ memoriâ litterarum præterire virtutem, quæ senibus ac studiosissimis circa Deum feminis meritò nunc præfertur.

Pallad. c. 119. Suprà c. 46

Hanc igitur parentes quidem ipsius vi maximâ nubere coëgerunt, primo cuidam Romani nominis viro. Quæ tamen semper cùm iugibus auiæ suæ doctrinis stimularetur, eò vsque spiritualiter in ciuitate processit, vt non diu in nuptiali proposito permaneret. Nam cùm suscepisset filios duos, & vtrique defuncti fuissent, venit ad tantum pro Christi nomine odium nuptiarum, vt hoc Piniano marito suo Seueri exprǽfecti filio diceret: Si diligis castitatem, & monachus vis esse mecum, te vitæ meæ dominum confitebor: si autem tibi graue hoc videtur vt iuueni, accipe quascumque habeo facultates [c], & liberum mihi meum corpus relinque, vt de cetero secundùm voluntatem Dei viuens, possim implere quod cupio. Et vti secuta eius virtutem, auiæ heredem me esse, cuius & nomen habeo, recognoscam. nam si voluisset Deus, vt hoc sæculo frueremur, numquam mihi vtrumque quem peperi, immaturâ morte rapuisset.

Exhortatione auiæ ad continentiam stimulatur iunior Melania.

Marito continentiam persuadet.

Cùm diu itaque altercantium contentio iugum nuptiale vexasset, ad postremum Deus miseratus est iuuenem, inspirans etiam ipsius animæ, vt sæcularia ac terrena desideria contemneret. vt in ipsis quoque sancta vox posset impleri per Apostolum, dicens: Vnde scis mulier, si maritum saluum facies? Vnde scis vir, si mulierem saluam facies? Nupta igitur viro est cùm tredecim esset annorum, septem verò annos cum eo vixit, vigesimo renuntiauit.

1. Cor. 7.

Et primùm quidem quidquid vestium sericarum in mauortibus habuit, sanctis altaribus dedit. quod & benedictam Olympiadem fecisse cognouimus. Reliquas verò quas habebat sericas vestes, per varia ecclesiarum distribuit ornamenta. Argentum atque aurum suum per Paulum quemdam Dalmatam ciuem, monachum atque presbyterum, nauigio maris Orientem vsq; transmisit. Et ita diuisit cuncta, vt Ægypto atque Thebaidi delegaret decem millia; Antiochenæ ciuitati atque illis quæ circa ipsam videntur esse regionibus, decem millia; prouinciæ quoque Palæstinæ quindecim millia solidorum; ecclesiis quæ per singulas insulas sunt, vnà cum iis qui erant exilij damnati relegatione, decem millia. Illis autem ecclesiis, atque monasteriis, & xenodochiis quæ sunt sub Occidentali plagâ, cunctisque egentibus per semetipsam omnia quæ sciret, hisdem necessaria ministraret.

Ornamenta sua vertit in ornamentum ecclesiæ.

Melania quomodo sua distribuerit.

Hæc autem & vniuersa & alia longè plura quàm diximus, vt Deus nouit, ex manibus Alarici fide propriâ tamquam ex ore leonis eripuit. Seruos verò promiscui sexus quicumque manumitti volebant, vsque ad octo millia liberos fecit. Namque reliquos qui seruire fratri ipsius maluerunt, concessit eidem, ternis per singulos solidis distri-

2. Tim. 4. 17.

distributis. Possessiones omnes quascumque ha-
buit in Aquitaniâ, Galliâ, Tarracone, Hispaniis
Galliisque distraxit. Eos verò tantummodò agros
quos intra Siciliam, Campaniam & Africam pos-
sidebat, sibimet reseruauit; ex quibus monasteria
deinceps aleret ac foueret. Hęc huius feminæ sa-
pientia in distribuendo onere diuitiarum fuit.

Propositi autem ipsius vita huiusmodi erat.
Post alterum diem semper cibum capere consue-
uerat: nam inter ipsa principia quinto quoque
gustabat die, idque obseruans faciebat & diurnas
cum ancillulis suis ministerij sui vices, quas tam-
quam in monasterio vt sorores habebat.

Pallad. c. 120. *Albina opes dispertit.*

Erat autem cum ipsâ & mater eius Albina,
parem vitam habens, similiterque proprias sepa-
ratim opes & ipsa dispergens. Habitant verò in
possessionibus suis semper, & interdum intra Sici-
liam, nonnumquam intra Campaniam degunt
cum eunuchis quindecim, & sexaginta virginibus,
& cum aliis ingenuis vel ancillis.

Pallad. c. 121.

Parem quoque & Pinianus coniunx ipsius
cum triginta monachis agit vitam; qui aut lectio-
ni sanctarum Scripturarum vacat, aut hortorum
amœnitatibus delectatur, aut conspectibus atquè
sermonibus fruitur honestissimorum virorum;
nec nobis quidem (& certè cùm plurimi simul es-
semus qui Romam propter beatum episcopum
Ioannem perrexeramus) exigua præstiterunt: sed
dum & in illis partibus degeremus, officiosissimo
nos susceperunt hospitio, largissimisque sumpti-
bus cùm exinde proficisceremur, honorauerunt.

Pinianus & Melania Heraclidem Romæ hospitiô excipiunt.

Cap. L.

Vita PAMMACHII, MACARII, CONSTANTII.

Pallad. cap. 112. *Pammachius omnibus renuntiat.*

HORVM " parens Pammachius nomine, vir
proconsularis, similiter sæcularibus pompis
renuntiauit, multumque laudabilibus moribus
vixit. Qui omnes proprias facultates, partim
dum in sęculo esset ipse dispersit, partim fratribus
atque pauperibus moriens migransque ad Do-
minum reliquit.

Pallad. c. 123.

Hoc idem & alter, Macarius nomine, ex vicariis
fecit.

Pallad. c. 124. *Constantius ex consiliario religiosus.*

Et Constantius quidam, qui consiliarius-pręfe-
ctorum in Italiæ fuit regionibus; nobiles valdè &
scholastici viri ac plurimo Dei amore sublimes;
quos adhuc credo superesse, egregiâ monacho-
rum institutione viuentes.

Cap. LI.

Vita VIRGINIS *Alexandrinæ, quæ per sex annos magnum Athanasium occultauit.*

Pallad. cap. 136.

VIRGINEM quamdam in Alexandriâ no-
ueram ciuitate, quam ego septuaginta an-
nos agentem vidisse me memini. Cui testimo-
nium clerici illic omnes ferebant, quòd tunc cùm
adhuc iuuenis videretur, viginti fortassis anno-
rum, pulchritudinis magnæ, conspectus omnium
vitare consueuisset, ne quâ propter miraculum
vultus eius ex suspicione quorumdam maculâ
notaretur. Quo in tempore accidit, vt Arriani
sub Constantio Imperatore per præpositum eius
Eusebium beato Athanasio Alexandrino episcopo
facerent factionem, & execrandas ei criminum
calumnias excitarent.

Tunc igitur ille venerabilis, corruptum iudi-
cium pollutumque declinans, non amico se, non
clerico, non parenti, non cuiquam alij credidit
atque commisit; sed cùm subitò quidam præfe-
cturæ apparitores ipsum inuestigantes, domum
eius intrassent, tunicâ ille tantùm suâ birroque
vestitus, medio noctis fugiens, ad hanc virginem
venit. Ad quam tam inopinatæ rei nouitate per-
territam, his sanctus episcopus locutus est ver-
bis: Ab Arrianis, inquit, plurimùm quæror, & ca-
lumniosis criminibus incusor: ne igitur & ego
irrationabili notâ deformer, & propter me qui ad
meam pœnam iniquè parati sunt, in peccatum
ruant, fugiendum magis credidi. Deus autem
mihi hac nocte reuelare dignatus est, dicens: Apud
nullum ita vt apud illam scias te posse saluari. At
illa cùm gaudio lętitiæ spiritualis erecta, proiectis-
que cogitationibus vanis, cœpit totis sensibus esse
cum Deo, sanctumque illum virum per sex an-
nos intra cellæ suæ secreta celauit, quoad memo-
ratus Constantius vixit. Ipsa illi abluens pedes,
ipsa per se omnia & quæcumque necessaria erant
præparans ac ministrans, libros quoque quòs ille
quærebat, mutuò sumens, atque illi præbens le-
gendos. Nullus tamen hominum in Alexandriâ
ciuitate per sexennium totum, vbi nam sanctus
Athanasius degeret, potuit inuenire.

Athanasium vt apud virginem delitescat, diuinitus premonetur.

Mira huius virginis obsequium in Athanasium.

Vbi mors autem primùm Constantij nuntiata
est, & hoc ad aures ipsius venit, nocte rursus, vt
fecerat priùs, indutus benè propriis vestibus, in
ecclesiâ subitò stupentibus cunctis & admiranti-
bus inuenitur. Quem omnes tunc velut ex mor-
tuis suscitatum se videre credebant. Amicis au-
tem intimis suis satisfaciebat, hoc dicēs: Proptere-
eà me ad vestras non contuli latebras, vt tutò iu-
rare possetis, vbi nam degerem vos nescire diquæren-
tes. Et propterea quia necesse erat vbique me quę-
ri, in cellâ verò illius virginis latui, vbi me celas-
se nulla poterat esse suspicio, eò quòd & pulchra &
iuuenis videretur. Dupliciter hoc meo consilio
gaudens, quòd & me lucrifacerem, & salutem ip-
sius: profui enim & ipsi, & famæ vel gloriæ meæ.

Athanasium redit ad suos.

Vita IVLIANAE *virginis*.

Cap. LII.

Pallad. cap. 147.

QVÆDAM iterùm virgo, nomine Iuliana, in
Cæsariensi Cappadociæ ciuitate scholasti-
cissima esse ac fidelissima dicebatur. Quæ Orige-
nem illum qui multa conscripsit, paganorum sedi-
tiones metuendo fugientem, per biennium totum
suscepit atque celauit, propriis ei sumptibus neces-
saria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eumdem
recreans. Quæ ego in vetustissimo quodam codice
scripta versibus legi, in hoc notatum erat Origenis
ipsius manu: Hunc, inquit, libellum inueni apud
virginem quamdam nomine Iulianam in Cæsareâ
ciuitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab
ipso Symmacho interprete Iudæorum se accepis-
se referebat.

Iuliana Origenis hospita.

Non sine causâ autem virtutes quoque harum
posui feminarum, vt sciamus quòd multis profi-
cere modis possumus, si velimus.

Cap. LIII.

De IVVENE, *qui maluit mori, quàm Christi virginem stuprari.*

Pallad. c. 148.

IN alio quoque vetusto admodum codice, qui
scriptum nomen Hyppolyti eius (quem apo-
stoli norant) habebat in titulo, relationem histo-
riæ inueni huiusmodi:

Liber Hippolyti tempore apostolorum.

Nobilissima quædam & pulcherrima, inquit,
puella,

puella, proposito virginitatis ac vitâ, in Corinthiorum ciuitate degebat. Quam eo tempore, cùm apud iudicem paganum quemdam tunc persecutio væsana flagraret, veluti dies ipsorum, sacrilegisque Imperatoribus conuitiantem, nonnulli criminibus impetebant. Insidiabantur autem pulchritudini eius; volebantque ex eâ lucrum ij, qui huiusmodi mercium negotiatores esse consueuerant.

[V]irgo apud [mancipiorum?] iu[di]cem ac[cu]satur.

Iudex verò insanus amore femineo, votiuam à calumniatoribus occasionem, veluti quadam alicuius aure quadrupedis, mox accepit. Sed posteaquam machinamentis atque artibus variis non potuit eidem persuadere quod voluit, nouo contra eam furore desæuiens, non aut pœnæ eam alicui destinauit aut morti, sed quod erat grauius atq; crudelius, in lupanari eamdem prostitui præcepit, lenonique ipsarum turpitudinum, vt ternos ad eum per singulos dies ex concubitu ipsius solidos exhiberet iniunxit. Quam pecuniam cùm à se leno sine dubio intelligeret flagitandam, in omnium eam qui vellent dedit potestatem.

[N]equid[quam?] [ten]tâ blan[ditiis] & [m]inis ad [libi]dinem [so]licitur. [P]rostibulo additur.

Quod vbi prædæ talis accipitres verum esse didicerunt, ibant, atque obseruabant perditionis officinam. Datoque infelicissimæ spei pretio, loquebantur cum eâ optabilium sibi principia voluptatum. Illa verò precibus immensis singulos rogans, vulnus quoddam in interioribus corporis sui se habere dicebat: cuius si venientes ad eam fœtorem sentirent, necessariò semper effugerent, ipsius contagionis horrore. Ob quod vniuersos miserabiliter precabatur, vt paucos eidem concederent dies, habituri postmodum ipsius prout cuperent, & sine pecuniis potestatem.

[Fo]rnicato[re]s insigni [str]atagemate elu[di]t.

Intereà dum & istis sic loquitur, & orationes ad Dominum perpetuas ac maximas facit. Illis ipsis diebus videns castitatem sanctæ virginis Deus, custos salutis humanæ, iuuenem quemdam [30] agentem in rebus tam vultu quàm moribus bonum, ita mente commouit, vt ille diuino amore succensus, pro eâ cuperet interire. Sub specie ergo turpitudinis perpetrandæ, horâ profundâ noctis ad lenonem lupanaris ipsius venit, quinque solidos offerens ei, petensque vt manere ipsi cum eadem nocte illâ concederet. Ingressus itaque ad secretiorem domus partem, sic affatus est virginem: Surge, salua te ac libera. Spoliauitque se vestibus suis (hoc est camisiâ, chlamyde, & aliis virilibus rebus cunctis) atque induit puellam, dicens ei: Summâ parte chlamydis vela caput tuum, & velata recede. Quæ cùm se signasset in nomine Domini, ita vt iussit egressa est. Quam sic Dominus intactam incorruptamque seruauit.

[P]allad. [c.]149. [A]dolescens [a]gens in [re]bus ser[ua]t virgi[ne]m.

Postero autem die, cognito omnibus hoc facto, agens in rebus ille iudici traditus, ac bestiarum feritate discerptus est, vt etiam in hac parte confusus erubesceret dæmon, videretque eum tam pro suâ salute, quàm propter beatæ illius nomen duplici martyrio coronatum.

[C]ruce se [si]gnans [e]greditur [v]irgo è [p]rostibulo, veste vi[r]ili. Martyriũ [a]gentis in [re]bus.

Vita EXCOMITIS & BOSPHORIAE *coniugis, seruorum Dei.*

CAP. LIV. Pallad. c.114. * Pallad. Seuerianum.

IN Ancyrâ Galatiæ prouinciæ ciuitate, clarissimum quemdam nomine * Excomitem vnà cum Bosphoriâ coniuge ipsius vidi. Quorumque conuersatio tantum spe bonâ fruitur, vt filiorum quoque suorum lucra præsentia, futurarum opum præmeditatione ac prouisione contemnant. Nam possessionum omnium redditus pauperibus & egentibus largiuntur; quatuor habentes filios, ac filias duas. Quibus ne vnam quidem vnciam (exceptis iis qui iam nupserant) tradiderunt, dicentes, quòd post mortem parentum futura necessariò essent omnia filiorum. Ipsi autem agrorum suorum colligunt fructus, & per ecclesias, & monasteria, & xenodochia, cunctosque egentes ciuitatum vicorumque distribuunt.

Excomes cum coniuge in pauperes liberalis.

Hoc etiam de ipsis egregium & admirandum scimus. Nam cùm adeò illi fame quodam tempore laborarent, vt homines [17] ne affectibus quidem parcerent suis, proprio illi beneficio largitatis, hæreticorum gregem ad Catholicæ fidei rectam viam & gloriam veram transire fecerunt, plurima in possessionibus suis frumenta condentes, omniaque ea pauperibus & famem patientibus diuidentes. Ipsa autem species habitus atque vestitus memoratorum tam honesta videtur & parca, vt humiles quidam atque despecti etiam ex propriis vestibus existimentur: cibus verò eorum satis paruus ac tenuis, vitaque omnis ipsorum admodum casta ac Deo probata est.

Hæreticos conuertunt beneficio largitatis.

Vestitus & victus eorum ratio.

In possessionibus maximè suis degunt, fugientes conuersationem & illecebras ciuitatum, timentesq; ne ex ipsarum rerum atque sermonum communicatione, participatâ cùm ipsis quadam labe vitiorum, à proposito sui tramite deuiare cogantur.

Ciuitates & earum illecebras fugiunt.

Vita MAGNAE.

CAP. LV. Pallad. c.135.

IN hac eadem Galatiæ ciuitate, multæ quidem & aliæ virgines, vsque ad duûm millium vel eo ampliùs numerum, abstinentiâ grandi, honestis valdè atque ornatis moribus viuunt.

Inter quas Magna quædam vocabulo, videtur excellere merito sanctitatis, femina multùm probata: quam vtrùm virginem an viduam vocem, nescio; mater enim illam maximâ vi coëgit, vt nuberet. Illa verò semper variis modis ægrotam se simulans, coniugem suum fefellit, ac distulit, vt pura atque intacta (vt dicitur) permaneret.

Magna continens in matrimonio.

Quæ post breue admodum tempus, defuncto marito, cunctarum facultatum domina simul effecta, totam se penitùs ad Deum contulit, sub proposito ac vitâ monachorum, honestam propriæ domus curam gerens. Cuius quoties hoc ratio vel necessitatis postulasset caussa, castus apud omnes & sermo & conspectus erat. Vt eam propter immensæ meritum sanctitatis, episcopi quoque reuereri atque erubescere semper solerent.

Vultu seuera & episcopis reuerenda.

Omnia hæc propriarum superflua facultatum in peregrinos ac debiles atque episcopos transeuntes diuidere atque erogare consueuit. Neque à tali vmquam opere destitit, tam per se hoc hilariter & occultè, quàm per eos (quos fidelissimos nouit) seruulos faciens. In nocturnis tamen orationibus ab ecclesiâ numquam recedens, in omnibus abstinentiæ studium spe vitæ reseruans & exequens.

Munifica in pauperes.

Vita MISERICORDIS *monachi.*

CAP. LVI. Palladio cap. 115. dicitur Eleemon.

IN hac eadem similiter ciuitate monachum inuenimus quemdam, qui ad tale propositum post militiam parui temporis veniens, presbyter quidem fieri (cùm sæpiùs cogeretur) semper recusauit; vigesimo tamē anno in monasterio degit, huiusmodi consuetudinem habens. A sancto quidem viro ciuitatis eiusdem episcopo non recedit.

Tantæ

Monachus in omnes misericors. Tantæ autem humilitatis est ac tantæ misericordiæ, vt etiam in noctibus totis loca cuncta circumeat, manum dando petentibus. Ipse non clausis carcere, non ægritudine fatigatis, non pauperibus, non diuitibus vmquam suum in quo deberet aut posset, negauit auxilium; sed omnibus consuluit semper ac profuit, quosdam quidem duros atq; crudeles ad misericordiam prouocando, alios verò (si hoc debere fieri intelligeret) protegendo, nonnullos pacificâ concordatione placando, ceteris quoque ad corporales necessitates, quæcumque pastus eorum atque vestitus ratio exigit, etiam ministrando. Est autem illic, quod esse in maioribus semper ciuitatibus solet: in porticu namque ecclesiæ multitudo pauperum iacet atque languentium, ex quibus alij quidem coniugati, alij verò sine coniugibus esse noscuntur. *In porticu ecclesiæ multitudo mendicantium.*

Contigit vnâ dierum hiemis tempore, horis nocturnis, vrgeri quamdam mulierem partus angustiis; hac verò præ nimiâ difficultate stimulatâ doloribus atque vlulante, memoratus vir beatissimus derelictâ oratione, quam positus tunc in ecclesiâ sollemniter celebrabat, egrediens, vidensq; quòd miserandæ mulieri in huiusmodi dolore nullus assisteret, nimiâ pietate commotus (horrore illo qui parturientium feminarum consuetudinem sequitur, paulisper seposito) ipse ministerium obstetricis assumpsit, ne misericordiæ genus amitteret. *Monachus parturienti subuenit.*

Cuius viri vestis quâ induitur, abiecta nimis & vilis est, esca verò castigata vehementer & parca. Qui tanto humanitatis retinetur affectu, vt præ desiderio huius operis, nullum habeat studium lectionis. Nam si quis ei ex fratribus donauerit codicem, continuò hunc vendere consueuit. A quo dum quidam caussam quare id faceret, postulasset, ita respondit: Vnde probabo magistro meo, quòd eius artem diligenter didicerim, nisi distractis ipsius codicibus, artis necessaria mihi prouidere festinem? *Libros vendit vt pauperibus subueniat.*

Hic ergo sanctissimus huiusmodi hodieque exequens actionem, immarcescibilem sui memoriam nominis cunctis illis regionibus derelinquit, ipse nimirum gaudiorum cælestium pro his quæ impendit egentibus, æternâ retributione securus.

Pallad. c.140. Tunc etiam ancilla Dei quædam virgo cum aliis virginibus duabus cohabitans, abstinentiamque nouem vel decem annis custodiens, à quodam cantore sollicitata atque corrupta est. Quæ statim concipiens, partu explicito in tantum prorupit odium corruptoris, vt nimiâ compunctione peccati, vltra mensuram quoque resumens pœnitentiæ continentiam, fame semetipsam vellet occidere, lacrymosis precibus iugiter Dominum interpellans, & dicens: Tu Deus magne, qui peccata omnium nostrorum, totiusque mundi immoderatam malitiam portare consuêsti, qui non vis mortem peccantium, nec perditione delinquentium delectaris, sed vniuersæ creaturæ tuæ probaris esse misericors, quia tua voluntas est cuncta saluari; me quoque perditam in hoc ostendens saluti restitues, vt quod ex mei peccati perditione creatum est (solitis tuis miraculis super me miseram demonstratis) ex hac celeriùs luce tollatur, ne fortè minùs audita, aut laqueo aut præcipitio perire compellar. Cuius preces exauditas euentus ostendit: statim namque quod peperit, morte subtractum est. *Virgo lapsa desperabunda. Oratio pœnitentis virginis. Ezech. 33. Fornicationis filium à Deo tolli impetrat.*

Ex illo igitur die captiuatori quidem suo non est visa vlteriùs, attamen summis pœnitentiæ continentiæque se tradidit angustiis. Ita vt diuinitatem sibi propitiam cupiens reddere, elephantiosis mulieribus per annos triginta seruiret. Cuius preces humiles misericors Dominus non fefellit: reuelauit namque cuidam sancto presbytero, dicens: Illa virgo plus mihi in pœnitentiâ quàm in virginitate suâ placuit. Hæc autem nunc ego dico, vt nemo contemnendos eos credat, qui verè pœnitentiam egerint. *Pœnitentiâ quàm virginitate Deo gratior.*

Vita EVSTATHII *lectoris.* CAP. LVIII

Pallad. c.141. PRESBYTERI cuiusdam filia erat apud Cæsaream Palæstinæ prouinciæ ciuitatem, quæ cùm in virginitatis esse proposito videretur, præceps ruit. Cui ille, à quo inducta atque corrupta fuerat, persuasit, vt factum proprium in alium mentiendo transferret, & vt lectori cuidam ciuitatis calumniosum crimen imponeret. Cumque iam grauida videretur, patre vt proderet tanti sceleris auctorem cogente, à memorato lectore vitiatam esse se dixit. Presbyter, vt putabat, veritate compertâ, suggessit episcopo: episcopus in conuentum omnium clericorum lectorem fecit accersiri. *Lector iniustè accusatus de stupro.*

Agitabatur quæstio: interrogante episcopo, lector nihil se fecisse tale poterat confiteri. Nam quomodo confessio sequeretur, vbi non præcesserat crimen? Episcopus lectori suo vehementer iratus, quasi qui impudenter negaret, ei ista dicebat: Infelix & miser atque impuritate sordium plene, non confiteris? Respondit hoc lector: Ego quidem quod erat in conscientiâ meâ dixi, nihil me cum hac habere commune, neque peccatum me aliquod, quantum ad memoratam virginem spectat, agnoscere: sed si vis audire quod non est, ego hoc crimen admisi. Quem ista dicentem, gradu lectoris deposuit episcopus statim. *Deponitur ab officio.*

At ille tunc memoratum adiit sacerdotem, & cùm rogaret hoc dicens: Quoniam qui me peccasse cognosco, iube ipsam mihi in matrimonium dari; quia neque illa iam virgo, neque ego clericus esse possum. Episcopus eam dedit potestati eius, putans quòd illam iuuenis ipse diligeret, quodq; non posset vllo modo ab eadem separari.

Acceptam igitur iuuenis, & tam ab episcopo quàm à patre traditam sibi commêdauit monasterio feminarum: quarum abbatissam deprecatus est, vt haberet illic eam, donec pareret, sustentandam. Ipse verò, eâ derelictâ in monasterio memorato, in angustâ cellulâ se concludens, arripiensq; abstinentiam nimis difficilem, adiit Christum corde contrito, cum lacrymis atque gemitibus dicens: Tu Domine cui nota sunt omnia, actus quoque meos agnoscis; nec est quisquam locus, qui omnipotentiæ tuæ oculis sit occultus, qui vniuersa nosti antequam fiant. Tu solus profunda prospicis cogitationum, quarum sincerissimus atque acutissimus iudex esse consueuisti. Tu auxiliator iniusta patientium: tu calumniam subeuntium consolator; cui nihil placet iniquum, apud quem mensura iustitiæ inaccessibili semper luce perspicua est, & omne opus hominum coram te est. Tuæ est igitur æquitatis incommutabilisque iudicij, caussam quoque meam diuinâ manifestare sententiâ. *Oratio lectoris Eustathij iniustè delati.*

Itaque cùm iuuenis infatigabiliter Dominum precaretur, ieiuniisque vigilanter ac diligenter incumberet, intra breue tempus, puella cùm proprios

Puella in partu, diuino iudicio cogitur fateri stuprũ, & purgare lectorem.

prios impleſſet dies, aduenerat ei hora pariendi, ſimulque inſtabat iuſtum Dei iudicium: nam cùm eam vrgerent vehementer gemitus ac dolores, atque iam ipſa inferna calumniatrix miſeranda conſpiceret, neque expedire ſe partus ipſius poſſet anguſtijs, tantumque cruciatum à primo vſque ad ſeptimum diem mulier ſuſtineret, intolerabili dolore compulſa, cùm iam ſine dubio ſe videret eſſe morituram, neque vlteriùs aut manducare, aut bibere, aut ſomnum oculi eius capere potuiſſent, hoc maximâ proclamando voce dicebat: Væ miſeræ mihi, quæ ad hoc periculum dupliciter perueni; primùm quòd virginitatem perdidi, deinde quòd falſum lectori illi crimen impoſui. Quod ſtatim defertur ad patrem ipſius. pater autem veritus ne quaſi calumniatorem eum reprehenderent alij, velut incredulus quieuit & tacuit. Per aliud igitur biduum, imminente ei diuino iudicio, neque moriebatur neque pariebat puella.

Et quoniam clamores ipſius atque gemitus, diutiùs circumſtantes ſorores ferre non potuerunt, epiſcopo quod audierant celeriter retulerunt, confeſſam in dolore hoc etiam dudum eſſe dicentes, quòd calumniata memorato lectori fuiſſet, & idcircũ parere non valeret. Tunc ad eum diaconos epiſcopus mittit, mandatque ei: Ora, inquit, vt calumniatrix tua pariat. Quibus nullum dedit reſponſum ille, neque aperuit oſtium propriæ manſionis, in quâ iugiter, ex quo fuerat ingreſſus, ieiunijs vigilijſque Dominum precabatur. Pergit igitur pater ipſius ad epiſcopum; rurſus orationes in eccleſiâ maximè fiunt; & nec ſic quidem illa aliquod remedium ſentiebat.

Innocens Euſtathius lector perſtat incluſus inſtar pœnitentis.

Tunc igitur epiſcopus ipſe ad lectorem venit: pulſat oſtium, & ingreſſus, hoc dicit: Surge, frater Euſtathi, & ſolue quod ligaſti. Ipſoque momento, cùm lector vnà cum epiſcopo genua ſua flexiſſet, mulier enixa eſt. Tantumque iugis innocentiæ oratio valuit, vt & calumnia periret, & calumniatrix emendaretur in pœnis, & vt poſſemus agnoſcere, quemadmodum inſiſtere orationibus deberemus, quarum tantam ſcimus eſſe virtutem.

Epiſcopus pergit ad cellam lectoris Euſtathij. Precibus lectoris eripitur miſera à partus doloribus.

Vita FRATRIS *ſocij Heraclidis.*

C. LVIII.

Pallad. cap. 151.

PAVCA nunc de fratre loquar quodam, qui mecum à principio iuuentutis vſque in hodiernum diem vixit: atque ita nunc ponam finem meo libello.

Hunc ego plurimum temporis admodum noueram, nullo deſiderio mentis aut corporis victum, vel ad ieiunandum noluiſſe placere hominibus, vel ad edendum carnis illecebrâ ſuperatum. Viciſſe autem eum exiſtimo tam diuitiarum quàm vanæ gloriæ ex parte maiore cupiditatem, atque id ſibi ſolum ſufficere credentem, quod haberet in manibus. Nullo ornatu veſtium delectabatur. Pro contemptu etiam ſuo, ſemper gratias agere conſueuerat; & pro veris amicis, etiam periculum ſubire cupiebat. Expertus eſt etiam millies & fortè ampliùs dæmonum poteſtates, vſque adeò vt quadam die paciſci cum eo diabolus vellet, hoc dicens: Promitte mihi vel ſemel te peccaturum, & feminam tibi quacumque de hoc mundo deſideraueris, exhibebo.

Socius Heraclidis miris fulget virtutibus.

Alio quodam tempore per quatuordecim noctes confligens cum eo dæmon (ſicuti ipſe mihi referebat) cùm pedibus eum nocte de cellâ ſuâ traheret, humanâ ei voce dicebat: Noli adorare Chriſtum, & numquã ad te vlteriùs accedam. Cui hoc dabat ille reſponſum: Propterea, inquiens, magis & adoro eum, & iugiter adorabo, & in immenſum modum admirabor gloriam ipſius ac ſtupebo, quia hoc ipſo quod facio angeris multùm atque cruciaris.

Confligit cum dæmone.

Centum & ſex ciuitates ipſe cognouit, longo etiam tempore in plurimis moratus eſt. Fauore & miſericordiâ Chriſti, feminam expertus eſt nullam, neque inter ſomnia, niſi in certaminis viſione atque conflictus. Scio & eum ter accepiſſe ab Angelis cibum: vno autem die in vaſtiſſimis ſolitudinum locis, cùm ne micam quidem panis haberet, tres calidos in pelle ſuâ repperit paximates; alio quoque tempore vinum ac panes pariter inuenit. Quodam die eum alicui dixiſſe reminiſcor, quòd Angelo loquente hæc audierit: Didici & quòd alimenta vitæ neceſſaria non haberes: Vade, inquit, & ab illo frumentũ atque oleum tibi datur. Cumque ad eum ille ipſe veniſſet, is ad quem fuerat ipſe tranſmiſſus ait eidem: Tu ille neſcio quis? Et ille ſe eſſe reſpondit. Ad quem dixit hoc ille: Iuſſit aliquis vt tibi triginta frumenti modios, & decem olei ſextarios darem. De hoc ergo maximè gloriabor qui talis fuit; quem noui frequenter, cùm videret aliquos neceſſitate grauiſſimâ ac penuriâ laborare, multùm fleuiſſe, & dediſſe iiſdem præter corpus ſuum quæcumque habere poſſet. Noui etiam pro aliquo monacho, qui inciderat in peccati ruinam, tantum in precibus ſuis fudiſſe lacrymarum, vt eum ad pœnitentiam magnã orando ac flendo reuocaret. Hic idem mihi aliquando iurauit, hoc dicens: Deprecatus ſum Dominum, ne vmquam aliquid, maximè à peccatore vel diuite, ex ijs quæ neceſſaria victui vel vſui meo viderentur acciperem.

Ab Angelis paſcitur.

Miſeris cõpatitur.

Mihi tamen hoc ſufficit, quòd merui tantorum meminiſſe ſanctorum, & quòd tradidi eos memoriæ litterarum: neque enim ſine inſtinctu Dei ad hoc tuus ſenſus accenſus eſt, vt velles à me tibi iſta conſcribi, & vt iſtorum omnium vitas comprehendi præciperes hoc libello.

Tu verò feliciſſime Chriſti famule Lauſe, libenter hæc recole maximam in his imaginem reſurrectionis agnoſcens. Beatas ſanctorũ vitas virorum, & intolerandos labores, & admirandam patientiam lege, promotiſque ſenſibus ſequere, & ſpe rerum bonarum cæleſtiumque nutri, ſciens paucos fore qui ſequentur eos qui hos præceſſerunt dies. Pro me autem orare dignare, talemque te mihi atque omnibus præbe, qualem eſſe te noui à conſulatu Titiani vſque in præſentem diem, & qualem poſteà te præſulem cubiculi piæ ſedis inueni. Namque opes, dignitas, & poteſtas, in nullo minorem te erga amorem Dei timoremque fecerunt. Totus ille iam Chriſti es; illius, cui aliquando dæmon hoc dixit: Omnia tibi iſta dabo, ſi me pronus volueris adorare. [Sed hunc Dominus confudit, cùm dixit: Vade retrò. Quem tu quoque imitans, repudiatis fluxis diuitijs & vmbratili vitæ huius gloriâ, cæleſtem illam immortalem vitam, & æternum regnum, & perpetuò manentem gloriam, & bona illa adamaſti, quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt: quorum vtinam heredes nos faciat vnà cum omnibus ſanctis ſuis patriarchis & prophetis, apoſtoliſque ac martyribus, & ijs quorum in hoc libro memoriam celebrauimus, gratia ipſius Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.] *

Concluſiõ libri.

Matth. 4.

Incluſa deſunt editioni Fabri.

Iſa. 64.

1. Cor. 2.

* In edit. Fabri ſequebatur hic Peroratio. Eſt eadem cum Prooemio ſuprà.

PAL-

PALLADII LAVSIACA INCERTO SED VETERI INTERPRETE.

PROLOGVS.

Lucrum animarum Deo gratũ.

** Vetus editio,* Sirene. *an* Cyrenei.

M*VLTA quidem & varia diuersis temporibus à diuersis conscripta habentur de his, qui illecebras sæculi derelinquentes, ad Christum fecêre confugium, quorum bonum animi desiderium & religiosæ mentis affectum supernæ gratiæ inspiratio, quasi adiectum flammæ oleum nutriebat, in ædificationem eorum qui fide integrâ voluntarij permanent in doctrinâ Saluatoris nostri Christi. Consideranti autem quàm gratum sit Deo sacrificium, lucrum animarum, visum est & mihi humili reuerentiâ pro possibilitate meâ fraternæ saluti consulere, & illustrium non tantummodò virorum, sed etiam feminarum mores & vitam ostendere, propalare virtutes, & miracula declarare, eorum scilicet quos vidi, & de quibus audiui, cùm quibus & conuersatus sum tam in Aegypti solitudine, quàm etiam in Libyâ & Thebaidâ, & * Syene simul, & qui dicuntur Tabenneositæ: deinde in Mesopotamiâ, Palæstinâ, & Syriâ, & eorum qui in occiduis partibus, Romæ & Campaniæ morantur. Desiderio siquidem humilitatis & obedientiæ auditor effectus monasticæ institutionis, trigesimum & tertium agens ætatis annum in congregatione fratrum, nihilominùs & in solitariâ vitâ diuersatus sum, vbi plurima didici imitanda, pariter & vitanda, quæ in hoc libro, quâ potero breuitate, contexam; vt in compendio salutiferè commoniti, indeficientem animæ capiamus medicinam; omnem videlicet obliuiscamur desidiam, mentisq́ue somnolentiam & carnale desiderium, omnemq́ue dissensionem animi, commotionem iracundiæ, tristitiam & irrationabilem timorem per hæc repellamus; vanam gloriam & ambitionem sæculi despiciamus, vt in fide veritatis & in desiderio æternitatis proficiamus. Audientes igitur fortia sanctorum gesta, accingamur & nos: augescat in nobis fides, spe vincendi charitas incalescat, & certi simus quia Christus bellatores suos adiuuabit, victores coronabit.*

CAP. I. ISIDORI & DOROTHEI *conuersatio, & passio cuiusdam* VIRGINIS.

Heracl. cap. 1. Palladij Alexandriam aduentus.

CVM primùm ad Alexandriam perrexissem ciuitatem, repperi virum mirabilem, vndique ornatũ moribus, conuersatione, & scientiâ, Isidorum presbyterum, & xenodochio constitutum Alexandrinæ ecclesiæ. Qui quidem primæ iuuentutis illecebras dicebatur in solitudine macerasse, cuius etiam nos cellam vidimus in monte Nitriæ. Inueni autem eum annorum septuaginta senem, qui post quindecim alios annos defunctus est in pace. Hic vsque ad exitum vitæ suæ non linteo vsus est, nòn balneo. Cuius corpus gratiâ Dei ita * refertum erat, vt putarent omnes ignorantes conuersationem eius, quia in delicijs degeret. Huius virtutes animi si voluero exponere, deficiet me tempus narrantem. Hic inter ceteras virtutes nimis misericors ac benignus erat, vt etiam inimici eius & infideles gentiles reuererentur eum. Tantam autem scientiam habuit Scripturarum diuinarum instructione librorum, vt inter ipsa etiam conuiuia fratrum mente excederet spiritualibus visionibus. Cúmque deprecaretur referre quis esset excessus mentis eius, dicebat cum lacrymis: Quia mente raptus sum in visione quadam spirituali. Ego verò cognoui hunc frequenter lacrymantem super mensam, cùm cibum caperet. & caussam interrogantes, audiuimus eum dicentem: Quia erubesco accipiens corporalem escam sicut irrationalia animalia, cùm vtique homo rationalis à Deo creatus sim, & qui deberem paradisi delicijs frui.

A quibus abstinuerit Isidorus.

** al.* refectum

Extasis & eius raptus mentis tempore refectionis.

Cibus hæsitantius consolatur esurientem.

Hic notus cùm esset Romano senatui, omnibus matronis magnificorum & illustrium virorum, cum Athanasio episcopo caussa fidei fuit Romæ, deinde etiam cum Demetrio episcopo; & abundans diuitijs in ratione xenodochij, & sufficientiam habens, nullum testamentum scripsit moriens; sed neque vnum nummum reliquit in solatium sororibus suis, in virginitatis proposito constitutis; sed commendauit eas Christo Domino, dicens: Qui creauit vos, gubernet vitam vestram, sicut & meam. Erat autem cum germanis eius congregatio virginum septuaginta.

Isidori cum Athanasio & Demetrio Romã aduentus.

Conuentus virginum.

Huc venienti iuueni mihi & deprecanti eum, vt institueret me, confirmaretq́ue in monachorum vitam feruentem iuuenili ætate, verbo quidem me non est consolatus, sed magis laborem indixit

induxit corporalem. Eduxit enim me foras de ciuitate ad ea quæ dicuntur secretiora loca, milliario quinto, tradens me Dorotheo cuidam abstinentissimo viro, Thebæo, sexagesimum agenti annum in speluncâ, & iussit me implere apud ipsum tres annos, ad edomationem corporis passionum. sciebat enim senem grandi districtione viuentem. Iterùm mihi reuerti ad se præcepit spiritualis instructionis caussâ. Non valens autem tres annos implere, infirmitate detentus, ita ante triennium reuersus sum ab eo.

[D]orotheus [...] annis [...] status in [spe]lunca. [P]alladius in disci[pli]nam [tra]ditur.

Erat enim eius vita dura & ardua. Per omnes quidem dies in æstu & solitudine secus mare colligebat lapides, eosque ædificans & cellulas faciens, tradebat non valentibus sibi ædificare, per singulos annos singulas explicans cellulas. Ego autem deprecans eum, dixi ei: Quid facis, pater, in tali senectute interficiens corpus tuum? Respondens autem, dixit mihi: Occidit me, occido illud. Sumebat autem in cibum panis vncias sex, & de minutis olerum condimentis fasciculum. Bibebat autem ex aquâ parum quid. Nescio verò extendisse eum pedes: nescio requiescentem eum super mattulam neque super lectum, sed per omnes noctes sedens & operans, plectebat ex palmarum folijs sportas, in rationem cibi sui. Arbitrans autem ego, ne forsitan propter me solum hoc faceret, satis egi, & ab alijs discipulis eius scrutando qui permanserunt singulariter cognoui, quoniam à iuuentute semper talem habuit conuersationem, numquam dormiens ex caussâ nisi operando, aut certè manducans claudebat oculos per dormitationem, ita vt frequenter panis caderet de ore eius præ nimiâ dormitione in tempore refectionis. Compellente autem me eum aliquando parumper super mattam reclinari, contristatus dicebat: Si suaseris Angelos dormire, suades & feruentem spiritum.

[La]bor cor[po]ris. *[A]ffligendū [cor]pus, ne [no]s [occ]idat.* *[Ips]um sibi [...]at ma[nu]s Do[rot]heus.* *[D]e sopor [...]uat vir[tu]tis stu[di]osum.*

Verùm aliquando cùm essem apud eum circa horam nonam, mittens me implere vas aquæ ad vsus refectionis nostræ, euenit me abeunte aspidem deorsum videre in puteo, & vas non impletum aquâ abijciens dixi ei: Quoniam mortui sumus, pater; aspidem enim vidi in puteo. Qui subridens, solum diu intendit, & mouens caput dicebat: Si placet diabolo per singulos puteos serpentes immittere, siue aliam aliquam bestiam, nos numquam habemus bibere? Et egrediens, per semetipsum hausit; ieiunusque primus ipse bibens, ait: Vbi crux Christi superducitur, non præualebit malitia diaboli.

[C]rucis si[gn]um con[tr]a vene[n]um.

Beatus autem Isidorus referebat nobis, quia cùm vidisset beatum Antonium hominem Dei, scripturæ dignam retulit mihi caussam, audiens ab ipso, quomodo tempore Maximiani persecutoris, pulcherrima puella fuit ancilla cuiusdam, quam multis inuitans promissionibus dominus eius, decipere eam non potuit. Nouissimè autem exardescens in iracundiam, tradidit eam tunc constituto præfecto Alexandriæ interficiendam quasi Christianam, blasphemantem & tempora & Imperatorem. In ipsis verò persecutionibus submittens ei quosdam cum pecunijs, dixit: Si consenseris voluntati meæ, à pœnis te custodiam; si autem permanes in duritiâ tuâ, rogabo iudicem vt torqueat te vsque ad mortem, vt non viua derideas voluntatem meam. Adducta autem ad tribunal iudicis, diuersa pœnarum tormenta fortiter contemnebat conscientiâ bonâ munita. In quibus tormentis & caldariam magnam plenam feruente pice iussit succendi iudex. Feruente ergo pice & nimis exardescente, proponebat ei iudex, dicens: Vade, aut subdere voluntati domini tui, aut certè noueris quia in hanc caldariam te iubeo mitti. Illa autem respondit, dicens: Non fiant aliquando tales iudices, qui iubeant subdi luxuriæ. Fremens ergo iussit eam exspoliatam mitti in caldariam feruentem pice. Illa autem emisit vocem, dicens: Per caput tui Imperatoris te coniuro, quem colis, si statuisti sic torquere me, iube me paulatim deponi in caldariam, vt videas quantam mihi patientiam donauit Christus, quem tu ignoras. Et deposita paulatim in præparatum feruentem cacabum, eadem horâ refriguit pix cùm circa collum eius peruenit. Quamplurimi autem videntes tale miraculum, confirmati sunt in fide Domini nostri Iesu Christi in Alexandrinâ ecclesiâ, qui digni fuerunt terræ mansuetorum, sicut dicit Dominus in Euangelio: Beati mansueti, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5.

[H]eraclidi [c]ap. 1. vir[g]o hæc di[c]itur Pota[mi]enia. [C]onstantia [v]irginis [A]lexan[d]rinæ. *In caldariam feruente pice plenam conijcitur.*

De Pasco, & quomodo tentamenta carnis euicerit. Cap. 11.

Pasco quidam nomine, erat septuagesimum agens annum ætatis in Scythiâ. Igitur dum grauiter me spiritus fornicationis tentaret, super concupiscentiâ muliebri exagitantibus me cogitationibus, pænè egressus sum de eremo, compellente me nimiâ passione. Et vicinis quidem mihi monachis non indicaui caussam; latenter autem perrexi in solitudinem, & circuiui sanctos patres vsque dies quindecim, eos qui in Scythiâ fuissent. In quibus repperi Pascum, quem omnes qui in illâ eremo erant patres, venerabantur. Itaque præsumpsi ego, & cum lacrymis deprecans eum, confessus sum ei passionem, quæ me nimis & incessanter non desinebat impugnare. Et ipse ait mihi: Non conturbet te hæc caussa; nec enim pateris hæc à negligentiâ; attestatur quippe tibi & locus, & difficultas rerum, & quia non est in locis illis vlla visitatio feminarum: sed magis inuidiâ diaboli, qui semper insidiatur & decipere festinat animas hominum. Ecce, vt vides me iam senem hominem, quadragesimum annum habeo in hac cellâ, & auxiliante gratiâ Christi, sollicitus de salute animæ meæ; tamen vsque nunc tentationem sustineo. Nam cum sacramento dicebat mihi: Quia super duodecim annos post quinquagesimum annum, non noctè mihi, non die pepercit; in tantum, vt putarem, quia fortè dereliquit me Deus, & ideò instanter sine cessatione huius passionis molestiam paterer. Elegi ergo magis mori irrationabiliter, quàm talem pati corporis passionem. Egressus ergo, circuibam pænè omnem solitudinem, & inueni leænæ speluncam, & posui me iacere ibi per totum diem nudum, vt ingredientes feræ comederent me. Cùm ergo facta esset vespera, secundùm quod scriptum est, Posuit tenebras, & facta est nox, in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ siluarum: egredientes bestiæ masculus & femina odorati sunt me à capite vsque ad pedes, & lingentes me totum, recesserunt à me. Ego autem putabam quòd deuorarent me. Iacui ergo ibi per totam noctem, sed non accesserunt ad me.

Heraclidi cap. 11. dicitur Pachomius. Palladio cap. 29. Pachon. Palladius tentationes carnis Pasco aperit. *Pascus desperat acriter à dæmone tentatus.* Psal. 103. *Pascus à leonibus circumlinitur.*

Cogitaui ergo quia pepercit mihi Deus: & reuersus

uersus sum in cellam meam. Post paucos autem dies iterùm eadem tentatio insurrexit validiùs, ita vt pænè ad blasphemiam peruenirem. Conuersus enim dæmon in Æthiopissam puellam, quam videram in iuuentute meâ spicas colligentem, sedit super genua mea, & vehementer me commouit. Vnde cum nimio furore dedi ei pugnos & alapas in maxillas, & statim non comparuit phantasma illud: per biennium enim manus meæ vnde percussi quasi faciem eius, fœtorem & brumum sufferre non poterant. Desperabam ergo de salute animæ meæ, & præ tristitiâ nimiâ defectio animi affligebat me, & nimio mœrore tabescebam. Audiui autem vocem factam in sensu meo, & dicentem: Vade, Pasce, certare; propterea enim hæc permisi te pati, vt non altum sapias, nec extollaris quasi in virtutibus tuis, sed recognoscas infirmitatem tuam; & non confidas in conuersatione tuâ, sed subditus & humilis sis in adiutorio Dei confidens. Ita certus effectus de auxiliante misericordiâ Domini Saluatoris, pacificos habui reliquos dies.

Dæmon in specie Æthiopissæ Pascum tentat.

Rom. 11. *Humilitas ex tentatione.*

CAP. III. *De* DIDYMO, *& beatis virginibus* ALEXANDRIA *ac* MELANIA.

Heracl. cap. 1. Didymus Origenista fuit. *Didymus oculis orbatus annos 75. vixit.*

IN sanctis patribus Didymus fuit sacrorum expositor librorum, qui multos libros ex diuinis Scripturis exposuit. Hic absque oculis fuit, cuius & notitiam habui. hic septuagintaquinque annorum defunctus est. Iste cæcus cùm esset, vt ipse mihi narrauit, quatuor annorum in infantiâ visum amiserat, nec litteras nouerat, neque apud magistros fuit. Habuit autem naturalem magistrum robustissimum propriam conscientiam: qui tantâ gratiâ ornabatur scientiæ, vt vetus & nouum Testamentum interpretaretur ad verbum. Liberale autem studium ita executus est subtiliter, & minutissimè exponens sermonem, vt omnes superaret antiquos scientiâ. Compellebat autem me, vt in cellâ eius facerem orationem. Et non acquiescente me, dicebat mihi, referens: Quia in cellulam istam tertiò ingressus est beatus Antonius, visitans me; & deprecatus à me, vt orationem faceret, statim inclinauit genua in hoc domicilio, & non compulit me repetere sermonem, erudiens me ad obedientiam. Narrauit autem mihi & hoc, Quia cùm essem sollicitus propter vitam Iuliani Imperatoris miserabilis, & nimis tristarer, quadam die vsque ad alteram vesperam non gustaui panem propter sollicitudinem. Et euenit, & in cathedrâ sedente me, oppressus somno video in excessu equos albos discurrentes, cum sessoribus dicentibus: Dicite Didymo, quia hodie horâ diei septimâ mortuus est Iulianus. Surge ergo, comede, & mitte, & nuntia hoc Athanasio episcopo, vt & ille nouerit. Et annotaui statim horam, & mensem, & septimanam, & diem: inuentumque est ita, quemadmodum oppresso somno videbatur.

Sacras Scripturas nouerat, etsi non didicisset.

Ne qua in hospite contentio.

Mors apostatæ Iuliani reuelatur Didymo.

Retulit autem & mihi de ancillâ cuiusdam, nomine Alexandria, quæ derelictâ ciuitate in sepulcro quodam recludens semetipsam, per foramen quoddam recepit panem, qui necessarius erat victui, vsque ad annos duodecim; duodecimo autem anno quasi dormientem se composuisse. Et cùm abisset qui consuetudinem habebat ministrare ei, & non accepisset responsum, nuntiauit nobis. Destruentes autem ostium & ingredientes, inuenimus eam defunctam. Dicebat & de ipsâ beatâ Melaniâ, de quâ posteà dicturi sumus, quia ad faciem quidem non vidi eam: ad foramen tamen stans, interrogaui eam, vt diceret mihi caussam, quare secedens de ciuitate, ingressa fuisset sepulcrum? Illa autem per foramen locuta est mihi, dicens: Quia grauatus fuit quidam mente in me, & vt non accusarem eum, elegi magis viuam meipsam in sepulcro hoc includere, quàm scandalizare animam ad imaginem Dei factam. Me autem dicente ei: Quomodo nunc perseueras, non videns quemquam, sed affligeris tam graui maximè inertiâ? Dixit mihi: Quia à manè vsque ad horam nonam oro per singulas horas, nens linum; reliquas autem horas ieiuna percurrens, & horâ competenti comedens cibum meum requiesco, & video in somnis patriarchas, prophetas & apostolos cum martyribus. Perseuero autem, finem exspectando, cum spe in Deum suauissimè.

Alexandria sepulcro se per 12. annos inclusit.

Cur se incluserit Alexandria.

Quibus vacaret sic inclusa.

De AMMONIO, FRATRIBVS *eius, ac* *tribus* SORORIBVS *religiosis.* CAP. IV.

Heraclides cap. 2.

BEATVS Ammonius habuit duos fratres germanos suos, qui cum eo pariter in sancto proposito conuersabantur. nam senior eorum frater Dioscorus in episcopatum electus est. Habent autem tres sorores in virginitate Domino seruientes, non minùs à fratribus suis in omni spirituali studio & abstinentiâ conuersantes. Septem enim sunt, quatuor viri & tres sorores eorum, omnes virgines ex vtero matris suæ. Aiunt enim, seniorem sororum eorum tantam scientiam Scripturarum habere diuinarum, vt admirarentur fratres eius. nam vesperè nimis lectioni insistens, post lectionem autem paululum somni capiens, ipsa lectionis verba per somnum meditatur. Habebat autem & alias tres peregrinas famulas Christi secum: similiter & fratres earum habent tres viros eruditos nimis & eloquentissimos: qui & ipsi conuersationem eorum imitantes, præclari in Christo habentur. Omnes ergo nimis in Christi amore feruentes perrexerunt in eremum, & sororibus suis sequestratim fecerunt monasterioli habitaculum, & sibiipsis separatim fecerunt, vt inter se & ipsas interuallum habeant non parui loci. Statuerunt autem sibi, vt neque fratres earum alias mulieres ad salutandum suscipiant, neque illæ alios viros.

Monasterium aliud virorum, aliud mulierum.

Quoniam verò supra modum eruditus in omni parte erat Ammonius, tam in scientiâ Scripturarum, quàm etiam sermonis, dum in quadam ciuitate episcopus defunctus esset, amatores Ammonij suggesserunt episcopo Alexandriæ, petentes vt Ammonium eis ordinaret episcopum. Dicebat autem eis Archiepiscopus: Adducite mihi eum vt ordinetur episcopus. Illi autem festinantes perrexerunt cum adiutorio ad eum. Cùm autem vidisset se præuentum, deprecabatur eos, & cum sacramento affirmabat, non suscipere se Ordinem episcopatus, neque de eremo egressurum. Illis autem non concedentibus, sed violenter instantibus, præsentibus eis, accepit forficem, & aurem suam sinistram ab imo abscidit, dicens eis: Vel nunc certi estote, quia impossibile est me fieri episcopum: quia lex prohibet debilem in aliquo membro fieri sacerdotem. Tunc relinquentes eum, recesserunt.

Renuit episcopatum Ammonius.

Importunè quærentibus se auriculam amputat.

cesserunt. Abeuntes autem dixerunt episcopo. & ait eis episcopus: Ista lex apud Iudæos obseruabatur; mihi autem etiam eum qui nasum abscisum habet si adduxeritis, ita tamen ornatum moribus vt dignus sit sacerdotio, ordinabo eum. Abeuntes ergo iterùm rogabant eum. Ipse autem iurauit, dicens: Quia si me coëgeritis, etiam linguam meam abscido. Ita ergo relinquentes eum recesserunt.

Huius Ammonij fertur miraculum: quia quando desiderium carnis surgebat, & incitabat ad libidinem membra eius, numquam pepercit carni suæ; sed ferrum ignitum apponebat membris suis, vt semper vulneratus esset: & ita desiderium passionis compescebat magnitudo doloris. sic quidem abstinentia eius fuit à iuuentute vsque ad mortem. Nihil quod per ignem transit, comedit, absque pane dumtaxat.

Ignito ferro libidinem extinguit.

Crudis vescitur.

Quodam verò tempore in eremo ædificanti ei cellam superuenit quidam frater, & dixit ei: Cur in tali ardore æstus affligis temetipsum, abba? Respondensque beatus Ammonius, ait: Crede mihi, frater, quia donante Dei gratiâ, Scripturas sanctas memoriæ commendaui. nam & vetus & nouum Testamentum ab ineunte ætate ad plenum didici, necnon etiam & sanctorum antiquorum patrum orthodoxorum sacerdotum Domini sexcentas myriadas expositionum in lege diuinâ conscriptas perlegi (sicut testabantur ei de hoc & pænè omnes in eremo patres) & si vno die satiatus fuero pane, & minimè in opere me exercuero, extollitur sensus meus, & velut irrationabilium animalium efficitur.

Vtrumque Testamentum memoriter tenet.

Quodam tempore adueniens beatus Euagrius ad sanctum Ammonium visitationis spiritualis gratiâ, dum multa de sanctis Scripturis inter se conferrent, & lætarentur vterque spiritualiter in Domino, postmodum dixit Euagrius ad Ammonium; quasi exprobrando ei quia autem sibi inciderat: Non times, inquit, graue peccatum; quia vt non susciperes sacerdotium, aurem tibi abscidisti? Respondens autem Ammonius, dixit ei: Deprecor te, vt exores pro me ad Dominum, vt de alijs peccatis meis indulgentiam accipere merear; nam de hoc admisso non valdè turbatur animus meus. Verumtamen te magis oportet timere & sollicitudinem gerere, qui eruditus es secundùm sæculi sapientiam, & tantam scientiam diuinarum Scripturarum habes, quam Dei gratia tibi contulit, vnde posses multos populos erudire, & elegisti magis in eremi solitudine degere. Et ego quidem auriculam abscidi, nam ipse linguam abscidisti quæ multos populos docere potuit.

Et Euagrius & Ammonius Origenista fuit.

Dicebat sanctus abbas Dioscorus presbyter, qui in eremo Scithiæ habitabat: Quia non oportet monachum desideria gulæ ventrisque facere. nam in quo differt à sæcularibus, si expleat delectationes suas? Denique frequenter videmus, homines sæculares prò caussâ ægritudinis à delicijs & delectationibus abstinere vt sanitatem corporis adipiscantur: quantò magis diligenter studere debet monachus pro salute & incolumitate animæ suæ, vt possit ad illas veras & æternas paraidsi delicias, & ad cælestis regni gloriam peruenire?

CAP. V. Heracl. cap. 2.

De HOR, PAMBO, & MELANIA Romana.

HicHor. fuit Origenista.

In hoc monte Nitriæ vir abstinentissimus Hor nomine fuit, cuius multas attestabatur virtutes omnis fraternitas monachorum; ego verò nón inueni eum viuentem. Etiam & hoc dicebant narrantes de eo, quia neque mentitus est aliquando, neque iurauit, neque maledixit, neque sine necessitate locutus est.

Quæ in Hor maximè præclara.

In monte hoc fuit & beatus Pambo, præceptor Dioscori qui posteà episcopus ordinatus est, & Ammonius, & Ioannes, fratres Dracontij, viri mirabilis. Hic autem Pambo habebat in sanctitate & virtutibus famam magnam, & ita erat contemptor auri & argenti, vt vera deposcit ratio. Denique retulit mihi beata Melania, quia in primis cùm aduenisset de Româ in Alexandriam, & audisset de eius virtutibus Isidorum referentem, qui etiam & perduxit eam in solitudinem ad visitandum sanctos patres. Dicebat ergo sancta Melania: Quia obtuli ei argenti ærarium trecentarum librarum, deprecans eum, vt de rebus meis acciperet ad erogandum pauperibus. Ipse verò sedebat & texebat de folijs palmarum sportellas. Benedixit autem me, dicens: Dominus Deus retribuat tibi mercedem. Et dixit dispensatori suo Theodoro: Suscipe, & dispensa hæc in omni Libyâ, & in insulis fratribus: hæc enim monasteria magis indigent. Præcepitque ei nulli in Ægypto dare, eò quòd abundantior esset prouincia. Ego autem stabam exspectans quasi honorari & glorificari super quod obtuleram. Et nihil audiens ab eo, dixi: Vt scias, domine, quantum est, quoniam trecenta pondo sunt. Ipse verò nec respiciens me, respondit dicens: Cui obtulisti hæc, filia, pensare opus non habet. Qui enim pensat montes & omnem molem terræ, multò ampliùs nouit quantitatem huius argenti. Si enim mihi hoc dedisses, benè mihi diceres quantum est: si autem Deo obtulisti, ille qui viduæ minuta non despexit pauperis, nec tuam oblationem tradet obliuioni.

Pambo quos docuerit.

Auri & argenti cõtemptor.

Melania ei varia munera offert.

Pambo ea dispensari curat egenis monachis.

Sapiens Pambonis responsum. Isaiæ 40.

Marci 12.

Ita ergo gubernauit ac dispensauit Dominus, vt quando ingressa sum in montem, post paucos dies defunctus est homo Dei, non infirmatus, sed sportellam consuendo defunctus est sine febribus, annorum septuaginta. Vocauit autem me nouissimè, cùm transpungeret sportellas & compleret, & dixit mihi: Suscipe istam sportellam de manibus meis, vt memor sis mei; aliud quod tibi relinquam non habeo. Quem ipsa sepeliuit, sindone corpus inuoluens: & ita ipsa egressa est de eremo. Sportellam verò vsque ad mortem pro benedictione sibi reseruauit.

Pambo annorum 70. moritur.

Iste beatus Pambo in ipsâ horâ sui exitus, adstantibus Macario presbytero & Ammonio, viris nominatissimis in conuersatione sanctâ, etiam præsentibus & alijs fratribus, hoc dixisse perhibetur: Quia ex eo quo veni in hunc montem solitudinis, & ædificaui mihi cellam, & mansi in eâ, de labore manuum mearum vixi, & non recordor aliquando me panem gratis manducasse: nec pœnitet me de verbo quod locutus sum vsque in hanc horam, & ita vado quasi nunc incipiens Deum colere.

Verbà Pambonis morientis. Pambo ne in morte quidem se incepisse religiosè viuere protestatur.

De S. BENIAMIN hydropico patientissimo. CAP. VI.

Heraclid. cap. 2.

In hoc monte Nitriæ Beniamin quidam est, sanctus vir, qui vixit vsque ad octoginta annos abstinentissimus, & studium gerens circa virtutes animi. Consecutus est autem à Domino gratiam sanitatum: & si cui manus imponebat, aut oleum benedictum dabat, omnis ab eo infirmitas repelleba-

Oleo benedicto morbidi curati.

Beniamin hydropisi laborat. Alter Iob patientiâ.

lebatur. Hic itaque qui tantæ gratiæ dignus habitus est, ante octo menses mortis suæ hydropicus factus est, & in tantum corpus eius tumuit, vt alterum Iob putares.

Assumens ergo nos beatus Macarius, qui tunc erat presbyter in monte Nitriæ, me & Theodorum ac Macariolum, dixit nobis: Venite, & videte nouum Iob, in tanto tumore corporis & passione insanabili, immensam gratiarum actionem Deo semper reddentem. Abeuntes ergo vidimus eum in tanto tumore corporis, vt non posset digitus manus alteri digito coniungi. Intuentes autem hanc passionem crudelissimam, oculos auertebamus. Tunc dicit nobis beatus Beniamin: Orate filioli, vt non interior homo meus hydropicus fiat; iste autem nec benè patiens profuit, nec malè patiens nocuit. Per octo ergo menses sella ei ponebatur latior, in quâ incessabiliter sedebat propter reliquas corporis necessitates; nec enim iacere poterat. In hac tamen passione positus alios sanabat. Necessariè autem enarrauimus passionem hanc, vt non conturbemur, si quando aliqua grauissima ægritudo viris iustis euenerit. Defuncto autem eo, limen de ostio tulerunt & postes, vt posset corpus eius efferri. Tantus erat tumor corporis.

Interior homo si sanus sit, non magnopere de corpore laborandũ.

Aeger Beniamin alijs medetur.

Deest Heraclidi. Pelag. libell. 4. n. 12.

Referebat abbas Beniamin: Quia quodam tempore ego & presbyter de Celliâ applicuimus ad quemdam seniorem, habitantem in eremo Scithi, & obtulimus ei modicum olei. Ille autem dixit nobis: Ecce illud modicum vasculum, quod ante triennium dedisti mihi, sic plenum manet vsque hodie. Nos autem hæc audientes, diximus: Et quapropter, pater, vel in diebus festis non gustasti de ipso oleo? Et respondens, dixit nobis: Ideò percipere nolui ex eo, ne fortè consuetudo mihi fiat, & requiram de suauitate olei conditos cibos, & per occasionem suauis conditurae compellar descendere ad ciuitatem seu ad vicos emere oleum, & reuerti ad eremum, iterumque descendere & reuerti ad cellulam meam, & per hanc occasionem (vt dixi) descendendi & ascendendi incipiat vagari sensus meus & mens mea, & perdam vtilitatem secretioris vitæ. Diabolus enim multiformis est, & diuersa retia texit vt capiat mentes hominum. Igitur nos hæc audientes, admirati sumus prudentiam & conuersationem sancti senioris.

Abstinentia.

Deest Heraclidi.

Item referebat nobis abbas idem Beniamin, quia perrexissent ad quemdam senem, qui tenuit eos ad refectionem, & parauit illis lenticulæ cibum coctum. Misit autem in conditurum oleum quod de semine raphanorum in locis illis fieri solet. nos autem diximus ei: Pater, magis de bono oleo mitte, vt possimus comedere. Ille autem hoc audiens, & signo crucis se signans, dixit nobis: Et est aliud oleum præter ipsum? ego hoc numquam audiui. Erat enim ipse senior ex infantiâ suâ in eremo enutritus, & semper permansit apud sanctos seniores, & neque in ciuitates neque in vicos aliquando egressus est.

Senex raphaneleo vtitur aliud oleum ignorans.

Cap. VII. Heracl. cap. 3.

De sancto Apollonio, *qui quinque millibus monachorum ministrauit.*

Apollonius medicum se & pharmacopolam præstat fratribus.

Apollonivs quidam nomine, ex negotiatore fuit, renuntiansque sæculi actibus, & conuersus ad seruitium Christi, habitauit in monte Nitriæ, neque artem discere potuit, neque vacare in scribendis libris præ senectute. Viuens autem in supradicto monte viginti quinque annis, hoc habuit studium, vt ex proprijs pecunijs & suis laboribus omnia cellaria compararet de Alexandriâ, & in omni fraternitate ministrabat infirmantibus: & erat videns eos à primâ luce vsque ad horam nonam, per singula ostia ingrediens monasteriola, ne quis fortè iaceret. Portabat autem vuam passam, mala granata, & similia quæ infirmis necessaria sunt. hanc exercuit conuersationem in senectute suâ. Qui moriens similem sibi dereliquit apothecarium; rogans eum hanc exercere administrationem: quinque enim millium monachorum habitantium in monte necessaria erat talis ministratio; propterea quòd eremus esset locus ille.

De sancto Nathanael, *& tentamentis eius à dæmone.* Cap. VIII

Heraclid. cap. 5.

Fvit alius quidam de antiquis monachis, nomine Nathanaël. Hunc ego non inueni; transierat enim de corpore ante aduentum meum ante annos quindecim: eos autem qui conuersati sunt cum eo, inueni. Interrogaui autem eos virtutem viri. Ostenderunt autem & mihi cellam eius in quâ habitauerat, sed tunc nullus habitabat in eâ, propterea quòd propior esset cuidam vico cohabitantibus sæcularibus. Ille enim eam tunc construxit, quando rariores erant serui Dei, qui dicuntur anachoretæ, id est, qui recedunt in secretiora eremi loca.

Referebant autem hæc de eo, præcipuè quia tantam habebat patientiæ virtutem in cellâ, vt non moueretur à proposito suo. In quibus illusus in primis ab eo, qui omnes illudere festinat & decipit dæmone, tædio quodam oppressus, egressus est de primâ cellâ, & aliam construxit sibi prope quemdam vicum. Postquam autem perfecit eam, habitauit in ea. Post tres verò menses affuit dæmon quadam nocte, taueream tenens sicut carnifex, indumentum habens quasi militis consutum, & faciebat strepitus de taureâ illâ. Ad quem ait beatus Nathanael: Quis es tu, qui talia præsumis super hospitiolum meum? Respondens autem dæmon, dixit ei: Ego sum qui de illâ aliâ cellâ te expuli, & veni vt & de hac te effugarem. Cognoscens autem quia illusus esset, reuertitur statim ad priorem cellam: & complens in eâ triginta & septem annos, non transiuit limen ostij cellulæ, contendens contra dæmonem.

Nathanaël perpetuus cellæ custos.

Specie carnificis dæmon eum terret.

Contendit Nathanaël cum dæmone.

Qui tanta adinueniens, ostendebat ei vt eum compelleret egredi, quanta referre satis longum est. In quibus hoc obseruans septem episcoporum sanctorum virorum visitationem, siue ex Dei promissione factam, siue ex tentatione maligni, paulominùs fecit eum excedere à proposito suo. Episcopi autem postquam orassent egredientes, non deduxit eos nec passum pedis. Dicunt ei ministri, id est diaconi: Superbam rem fecisti, vt non deduceres episcopos. Ipse autem dixit eis: Ego & dominis episcopis, omnique sæculo mortuus sum; habeo enim occultum propositum mentis meæ, & scit Deus cor meum, quâ de causâ non deduxi eos.

Septem episcopi inuisunt Nathanaëlem.

Expauens autem dæmon de circumuentione hac, subornauit se ante nouem menses mortis eius, & efficitur quasi infans nouem annorum, minans asinum portantem panes in cophinis. Et propin-

Dæmonis pueri specie Nathanaëlè cellâ excitare tentat.

Propinquans vespera profunda, ad eius cellam finxit cadere asinum. Et clamans quasi infans: Abba, inquit, Nathanaël, miserere mei, & da mihi manum tuam. Qui audiens vocem quasi infantis, aperuit ostium, & stans ab intus, dixit ei: Quis es tu, & quid vis vt faciam tibi? Dicit ei: Illius sum puerulus, & panes fero, propter quod conuiuium fratris ipsius est, & crastino Sabbato illucescente necessaria est ista oblatio. Deprecor ne despicias me, ne fortè à bestijs & leænis comedar. multæ enim sunt in illis locis. Sans autem & stupens beatus Nathanaël, commotis visceribus conturbatus, cogitabat intra se, dicens: Quia aut de mandato habeo cadere, aut de proposito. Post hæc autem cogitauit: Melius est me non transgredi, quàm tantorum annorum propositum perdere, in confusionem satanæ. Et cùm orasset, dicit loquenti ad se quasi infanti: Audi, infans, crede in Deum, cui seruio, quia si necessarium sit ibi adiutorium, transmittet tibi Deus, & neque leæna nocebit te, neque aliquis. Si autem tentatio, confestim reuelabit Deus. Et claudens ostium introiuit. Confusus autem dæmon quia superatus est, in turbinem resolutus est, quasi onagri exilientes, & fugientes, & sonos emittentes. Iste triumphus beati Nathanaël fuit, & hæc conuersatio, & hic finis.

Firmum Nathanaëlis propositum.

Confidentia.

CAP. XX. *De vitâ & mirificis gestis sanctissimorum virorum* MACARII *Aegyptij, &* MACARII *Alexandrini.*

Heraclid. cap. 6.

DE magnis & præcipuis, & sanctis ac beatissimis viris multa & incredibilia piget me dicere vel scribere, ne fortè mendacij opinionem feram. Quia autem perdit Deus omnes qui loquuntur mendacium, pronuntiauit Spiritus sanctus mihi: ergo non mentienti, famule Dei fidelissime, non discredas.

Psal. 5.

Duo namque Macarij erant, vnus quidem Ægyptius genere, alius verò * grutaria vendens. Primùm ergo referam de Ægyptio, qui vixit annos nonaginta: itaque in solitudine fecit annos sexaginta, triginta annorum ingrediens iuuenis, & tantam consecutus est discretionem, vt dicerent eum * * neapoteponta, id est, iuuenem senem, propter quod & celeriùs profecit. Quadraginta enim annorum factus, contra spiritus dæmonum accepit gratiam sanitatum, & responsis diuinis dignus fuit. Huic commorabantur duo discipuli in solitudine interiori, quæ vocatur Scithi. Ex quibus vnus quidem erat minister eius iuxta eum, propter venientes curari ab infirmitatibus & languoribus suis: alius autem secessit separatim in cellulam. Tempore autem aliquanto transacto, præuidens spiritu inspecto oculo cordis, dicit illi qui ministrabat ei, vocabulo Ioannes, qui postmodum factus est presbyter in loco ipsius Macarij: Audi me, frater Ioannes, & acquiesce monitis meis: tentat te spiritus cupiditatis, ita enim vidi; & scio, quia si mihi acquiescis, confirmaberis in loco hoc, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: si autem mihi inobediens fueris, exemplum Giezi veniet super te, cuius ex passione languesces.

Distributio eorum qui Macarij dicti sunt.
Macarius Aegyptius.

*an ναρογέροντα?

Spiritus cupiditatis.

Psal. 90.

4. Reg. 5.

Euenit ergo eum non obedire, & post dormitionem sancti Macarij, post quindecim annos ita elephantiosus factus est, fraudans quæ erant pauperum, vt non inueniretur in corpore eius liber locus, in quo quis digitum figeret. Et hæc est prophetia sancti Macarij.

De escâ autem eius & potu superfluum est enarrare, quando nec apud negligentiores inuenitur quis abundantiùs cibos percipere aut exquisitiùs in locis illis, tam pro indigentiâ eorum quæ minimè inueniuntur, quàm etiam & propter imitationem habitantium ibidem multorum monachorum. De alio autem eius studio dicebatur, eum sine intermissione excedere mente, & magis ampliori tempore Deo adhærere sensus eius, quàm in istius mundi habitatione. Huius feruntur multa miracula, quæ fecit Deus per eum: nam multos vexatos à dæmonibus, & diuersas ægritudines sustinentes curauit Dominus precibus eius.

Macarius in extasi frequenter.

Vir enim quidam Ægyptius concupiuit ingenuam mulierem maritatam; & non valens eam capere, locutus est malefico, dicens: Facito eam vt amet me, & ita age vt proijciat eam vir eius. Accipiens ergo maleficus, sufficienter vsus est maleficio, & fecit eam equam videri. Videns autem vir eius veniens deforis, mirabatur quia in lecto eius equa iaceret, & cœpit plangere & eiulare; nam loquebatur animali, & responsum non dabat. Itaque deprecatus est presbyteros possessionis, & adducens, ostendit eis; qui non inuenerunt caussam vsque ad tres dies, neque fœnum accipiebat, quomodo equa; neque panem, sicut homo: vtroque priuabatur cibo. Ad vltimum, vt glorificaretur Deus, & appareret virtus sancti Macarij, ascendit in cor viri, vt deduceret eam in solitudinem. Et vinxit eam quasi equam, & duxit in solitudinem. Cùm appropinquaret ergo, stabant fratres iuxta cellam Macarij, litigantes & dicentes: Quid adduxisti huc equam istam? Dicit eis: Vt misericordiam consequatur. Dicunt ei: Quid enim habet? Qui respondit: Vxor mea erat, & in equam conuersa est; & hodie habet tertium diem, non gustans quidquam. Qui retulerunt sancto Macario intus oranti. Propterea enim reuelauerat ei Deus. Respondit ergo fratribus, & dicit eis: Equi vos estis, qui equorum oculos habetis; illa autem mulier non est transfigurata, sed solùm in oculis eorum qui seducuntur videtur equa. Et benedicens oleum, à vertice perunxit eam nudam, & superorauit, & statim fecit eam mulierem videri ab omnibus. Dans autem ei cibum, fecit eam manducare, & dimisit cùm proprio viro, gratias referentem Deo. Et præcepit ei, dicens: Numquam cesses à Communione. Hæc autem tibi euenerunt, quia per quinque septimanas non appropinquasti diuinis.

Maleficus mulierem maleficio equam apparere facit.

Oleo benedicto Macarius phantasma à muliere depellit.
Femina fuit maleficio obnoxia, quia rariùs communicabat.

Alia quoque puella ad eum deducta est, cuius obscœna corporis ita ex omni parte computruerant, vt consumptis carnibus, interiora quoque & secretiora naturæ nudarentur, ac vermium inde ebulliret innumera multitudo, ita vt non accederet quisquam ad eam præ fœtoris horrore. Hæc cùm allata à parentibus, & proiecta fuisset ante fores eius, miserans virginis cruciatus, Æquo animo esto, inquit, filia, hæc tibi ad salutem Dominus, non ad interitum dedit. Vnde prouidendum est magis, vt sanitas tua nullum tibi periculum inferat. Et cùm stetisset in orationibus per septem continuos dies, & oleum

Deest hoc Heraclidi.

oleum benedicens in nomine Domini, perungeret membra eius, ita eam sanam reddidit, vt & reparata naturæ qualitas, & perfecta muliebris in eâ species appareret, essetque ei de cetero inter homines conuersatio absque pristinæ infirmitatis obstaculo.

Vt homines lateat, cuniculum effodit Macarius.

Aliud iterùm refertur eius gestum continentiæ in longo tempore. Sub terrâ fecit transitum à cellâ suâ vsque ad dimidium stadium, & speluncam constituit ad vltimum: & si quando ei plures molestabantur, occultè de cellâ suâ egrediens ibat ad speluncam, & nemo eum inueniebat. Referebat ergo nobis quidam de strenuis discipulis eius, quia eundo vsque ad speluncam, vigintiquatuor orationes Dominicas faciebat, & reuertendo vigintiquatuor.

Mortuum excitat in fidei testimonium.

Deest hæc narratio Heraclidi. Est verbotenus in Ruff. suprà lib. 2. c. 28.

De hoc egressa est opinio, quia mortuum suscitauerit, & suaserit hæreticum conuerti, non credentem resurrectionem corporum fieri: & famam obtinebat in solitudine. Dicebant enim, aliquando venisse ad eum hæreticum quemdam Hieracitam, quod genus hæreseos inuenitur apud Ægyptum. Hic cùm per multam loquendi artem plurimos fratrum, qui habitabant in eremo, conturbaret, ausus est etiam coram ipso fidei suæ asserere prauitatem. Cui cùm senior resisteret & contradiceret, ille verba simplicia argumentis callidis eludebat. Sed cùm videret sanctus fidem fratrum periclitari, Quid opus est, inquit, nos verbis contendere ad subuersionem audientium? exeamus ad sepulcra fratrum qui nos præcesserunt in Domino, & cui nostrûm concesserit Dominus resuscitare mortuum de sepulcro, sciant omnes quia illius fides probatur à Deo. Sermo hic placuit omnibus qui aderant fratribus, & processerunt ad sepulcra. Hortatur Macarius Hieracitam, vt euocaret mortuum in nomine Domini. At ille, Tu, inquit, qui proposuisti, prior euoca. Et Macarius prosternens se in oratione ante Dominum, vbi sufficienter orauit, eleuatis sursum oculis suis, Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat ostende, eleuato hoc mortuo. Hæc cùm dixisset, fratris cuiusdam nomen, qui nuper fuerat defunctus, euocauit. Cui ille cùm de tumulo respondisset, accedentes fratres continuò quæ supraposita erant auferunt, & eductum eum de sepulcro, resolutis fasciolis quibus constrictus erat, exhibuerunt viuentem. Hieracita verò vbi hæc vidit, obstupefactus in fugam conuertitur. Quem fratres omnes insequentes, extra terminos terræ illius turbauerunt.

Dæmon comedens cibos resoluit, non digerit.

Huic oblatus est aliquando dæmonem patiens iuuenis à propriâ matre totâ conscissâ duobus funibus colligatus, & hanc habebat immissionem dæmonis: postquam manducasset trium modiorum panes, & bibisset lagenam de aquâ, eructans in aëra soluebat escas. Ita enim consumebantur quæ deuorasset vel bibisset quasi ab igne. Est enim turma quæ dicitur ignita. Diuersa sunt quippe dæmonum genera, sicut & hominum, non substantiæ, sed voluntates. Hic ergo iuuenis non sufficiente sibi escâ, propriam bibebat vrinam. Plangente ergo matre & deprecante sanctum Macarium, accipiens eum, imprecatus ac supplicans Deum, post vnam & secundam diem attenuauit passionem. Dixit ergo matri eius: Quantum vis vt comedat? Quæ respondit: Decem pondo panis.

Dæmonum differentia voluntate diuersâ, nō substantiâ.

Corripuit ergo eam, quia multùm dixit. Superorans verò ei vsque ad septem dies, statuit ei in tria pondo, vt posset operari, atque ita curans eum, reddidit matri. Multa etiam & alia ferebantur de eo, quæ nimis prolixa sunt ad scribendum: sed ex his paucis etiam cetera opera eius noscuntur. Hunc ego non vidi; anno quippe ingressionis meæ in solitudinem quieuit.

Deest Heraclidi.

Quidam à Macario monachicam vitam expetit.

Quodam tempore cùm ad beatum Macarium quidam venisset desiderans in proposito monachorum seruire Christo, & deprecaretur sanctum senem, vt instrueret eum ac doceret, & ex fonte doctrinæ salutaris, quæ in eo per Spiritus sancti gratiam abundabat, confirmaret, & qualiter posset iuuante Domino insidias atque impugnationes maligni euadere, præmoneret; respondens beatus Macarius, dixit: Si verè desideras ex toto corde renuntiare huic sæculo, filiole, & adhærere Domino Saluatori, sicut dicit Propheta in psalmo: Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua. Psal. 62. parata enim est dextera Domini, confugientes ad se suscipere; oportet te renuntiare huic mundo, & omnes actus eius abijcere, sicut dicit Apostolus, scribens ad Colossenses: Mortui enim estis huic mundo, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Coloss. 3. Cùm enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. Hæc audiens iunior, dixit: Crede mihi, beatissime pater, quia & mentem meam alienaui ab hoc mundo, & ab omnibus quæ in eo sunt, vt iam tamquam mortuus degam in huius temporis vitâ. Cognoui enim, quoniam temporalia & transitoria atque corruptibilia sunt omnia, quæ in hoc mundo videntur esse bona.

Idem à Macario ad sepulcra mortuorum maledicendos & laudandos ablegatur.

Tunc dicit ei senior: Audi me, fili, & vade ad sepulcra mortuorum, & quamplurimis iniurijs, multis conuitijs, ac maledictis etiam & lapidibus eos detestare, vt prouocati irritentur aduersus te. His auditis, iunior statim perrexit ad monumenta mortuorum. cumque secundùm præceptum beati senioris multis eos, vt putabat, iniurijs affecisset, reuersus ad sanctum Macarium, dixit ei quod fecerat. interrogauitque eum senior, si nihil ei respondissent illi mortui? Et respondens, dixit: Nihil penitùs dixerunt, domine. Iterùm autem præcepit ei, dicens: Perge crastino die, & multis præconijs collauda & glorifica eos. Abijt iterùm frater ad sepulcra mortuorum, & cœpit laudare, honorificisque sermonibus glorificare eos, dicens: Vos magni estis & sancti, & similes apostolicis viris, & iustitia magna in vobis est. Et alias quamplurimas laudes cùm ad eos dixisset, reuersus ad cellam, dixit seniori: Ecce secundùm præceptum tuum, domine pater, laudaui & glorificaui illos mortuos, & nihil mihi penitùs dixerunt.

Mortuorū exemplo docetur nec maledictis moueri, nec laudes extolli.

Tunc dixit ei sanctus Macarius: Considera, fili, quoniam sicut iniurijs & contumelijs exprobrasti illos mortuos, & nihil tibi locuti sunt; ita ergo & tu si vis saluus esse & in sancto proposito placere Saluatori nostro, imitare ipsum Dominum Saluatoremque nostrum, sicut dicit beatus Ioannes apostolus & euangelista: Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulauit & ipse ambulare. 1. Ioan. 2. Vnde & in Euangelio quidem legimus, quoniam ipsi perfidissimi nostræ fidei æmuli Iudæi, multas iniurias, instigante humani generis hoste diabolo, in Dominum nostrum Iesum Christum Saluatorem dixerunt, Samari-

Samaritanum esse, & dæmonium habentem, & in Beelzebub principe dæmoniorum eijcientem dæmonia; nam & seductorem eum ausi sunt dicere: & hæc omnia patienter ipse pius Dominus noster Iesus Christus cæli, terræ, & maris, omnium quoque eorum quæ in eis sunt creator, sustinuit; vt nobis patientiæ suæ, lenitatis, & humilitatis præberet exemplum. Nam si voluisset potentiam suæ maiestatis ostendere, & iniurias vindicare, omnem subitò mundum in chaos deduceret, & nec genus hominum, nec ipse saltem appareret mundus, sed in momento omnia interirent. Verumtamen noluit hæc facere inenarrabilis Christi Domini pietas bonitatis, qui non ad puniendum, sed ad saluandum venerat mundum. Ideò enim patienter omnia sustinuit, vt nobis exempla patientiæ & humilitatis ostenderet. Vnde & sequentibus se discipulis dixit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Sed & omnes à sæculo sancti tam prophetæ quàm apostoli, opprobrijs & iniurijs, ac diuersis afflicti tormentis, semper immobilem virtutem patientiæ & humilitatis tenuerunt, & nequaquam humanis laudibus sunt decepti. Respuentes namque inanis gloriæ præsentis vitæ vanos rumores, illam solam cælestem æternamque gloriam concupiscunt qui Christo placere desiderant, quæ ex Deo est, & permanet in æternum: cuius claritatis splendorem nulla humana lingua potest exponere. Hæc ergo exempla patientiæ & humilitatis considerans, filiole, si quando irrogatæ tibi fuerint iniuriæ, fortissimè virtutem patientiæ & humilitatis custodi, imitans Prophetam, qui dixit: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quod certè ad commonendum sensum nostrum quotidie in synaxi psallitur. Caue etiam, ne vanâ gloriâ laudeque hominum delecteris, & perdas omnia quæ laborando in bonis operibus acquisieris, fructusque ieiunij & abstinentiæ tuæ, vigiliarumque & orationum mercedem in æternâ vitâ non consequaris à Domino: quia ipse dixit in Euangelio de eis qui laudes hominum quærunt: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Et alia multa sunt, quæ de cauendâ vanâ gloriâ sanctæ Scripturæ admonere non cessant. Caue ergo, ô fili, & neque ad irrogatas iniurias exardescat in iracundiâ animus tuus. Et si incitatum fuerit cor tuum, ipse tamen districtè in timore Domini refræna ab iracundiâ animum tuum, vt possis virtutem humilitatis ac patientiæ custodire, & tunc veraciter ostendis quod promisisti, dicens, quia tamquam mortuus degas in hoc mundo, si nihil turbulentum respondeas eis, qui tibi iniurias irrogant: sicut nec illi de monumentis mortui, in quos multas iniurias & conuitia dixisti, & nihil tibi penitùs responderunt. Ideoque oportet vt fortiter custodiamus virtutem humilitatis ac patientiæ, quatenus possimus ad cælestia præmia & ad æternæ vitæ gloriam peruenire, sicut dicit in Apocalypsi Dominus: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

Matth. 11. *Psal. 37.* *Laus humana æternam mercedem euacuat.* *Matth. 6.* *Apoc. 3.*

Decr. Heraclidi. Sanctus abbas Macarius commonebat sæpè discipulos suos, & docebat eos, dicens: Mementote semper, quia ante conspectum Domini omnipotentis conuersamini, qui prospicit omnium hominum cogitationes, & singulorum corda scrutatur. Quod etiam & sanctæ Scripturæ testantur, & Apostolus docet, & dicit: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & acutior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad animæ diuisionem ac spiritus, compagum quoque & medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Ideoque si nos, fratres, pulsauerit delectatio carnis, & concupiscentia fornicationis, festinemus repellere & abijcere de corde nostro sordidissimam & pessimam cogitationem, inuocantes intentissimè adiutorium Domini nostri Iesu Christi in orationibus ac ieiunijs, vt virtute potentiæ suæ eripiat nos, & protegat, & conterat satanam sub pedibus nostris. Oportet ergo, vt etiam nosmetipsos pœnitendo & à peccatis abstinendo corripiamus, dicamusque ad animam nostram: Quoniam delectatio quidem corporis, quæ te malè oblectat, ad modicum tempus est: nam tormenta & cruciatus animæ & corporis, in igne æterno gehennæ in perpetuas permanent pœnas. Illud etiam admonentes animam nostram, dicamus: Si erubescis homines similes tui peccatores, ne videant te peccantem, quare non magis revereri & timere debes maiestatem Dei omnipotentis, qui omnium secreta cordium considerat, sicut & Apostolus ait: Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Talibus ergo cogitationibus si increpamus nosmetipsos, continuò timor Domini venit in corde nostro, & in amorem castitatis confirmatur anima nostra, etiam & ad omnia præcepta Domini facienda incitamur, adiuuante nos gratiâ Domini nostri Iesu Christi, qui seruientibus sibi in sanctitate & castitate promisit cælestia & æterna donare in illâ gloriâ futuri sæculi vitâ, cum Angelis sanctis in perpetui luminis splendore semper gaudere.

Hebr. 4. *Delectatio temporalis memoriâ æternæ pœnæ propulsanda.* *Hebr. 4.*

Vita & conuersatio alterius MACARII, *videlicet Alexandrini presbyteri, &* MARCI *monachi.* CAP. X.

Heraclid. cap. 6. *Macarius Alexandrinus.* ALIVM autem Macarium contemplatus sum Alexandrinum presbyterum, in loco qui dicitur Cellia, in quibus Cellis habitaui ego annis nouem: in quibus & tribus annis post me superuixit. Et quædam vidi apud eum, quædam autem audiui, quædam & ab alijs didici. Erat autem obseruatio eius hæc, quia si quid audiuit alicubi, modis omnibus hoc apprehendere festinabat. Audiens ergo à quodam, quia Tabennesiotæ monachi per omnem quadragesimam absque igne cibum sumunt, statuit septem annis quod per ignem transit non manducare, nisi olera cruda, & si quando inueniebatur, legumen infusum, nihil aliud gustans. Complens autem hoc, pro nihilo duxit huiusmodi vsum.

Quadragesimæ obseruatio in cibis igne non coctis.

Audiuit iterùm de alio quodam, quia libram panis comederet; frangens sibi buccellatim, & condens in lagenam misit: decreuitque tantum comedere, quantum posset manus afferre per os lagenæ. Et sicut referebat ipse, quia gaudens quidem apprehendebam amplius de fragmento panis, sed non permittebar eximere, pro eo quòd angustius esset foramen lagenæ: vsque enim ad tres annos hanc habuit abstinentiam, quatuor aut quinque vncias comedens, tantumdem & aquam bibens.

Victus eius ratio.

bens. Nam vnum sextarium olei totum annum expendebat.

Somnum superare contendit.

Iterùm alia eius obseruatio talis fuit: Decreuit superare somnum, & sicut referebat, non intrauit sub tectum vsque ad viginti dies, vt vinceret somnum. Ita nimio quidem æstu vrebatur per diem, per noctem autem constrigebatur frigore, & (vt dicebat) nisi velociùs ingressus sub tectum fuissem, somnumque cepissem, ita mihi exsiccatum fuisset cerebrum, vt pænè excessum paterer mentis. Quantò ergo me, inquit, vici, tantò ad naturæ necessarium requirentis somnum cessi.

A passione fornicationis tentatus culicũ se morsibus exponit.

Iste aliquando tentatus est passione fornicationis, & condemnauit semetipsum in paludem Scithiensem, quæ est in solitudine, sedere nudum mensibus sex, vbi sunt culices sicut nebulæ, quæque etiam agrestium porcorum perforant pellem. Ita ergo perforatus est totus, & strumas fecit, vt putarent aliqui, quia elephantiosus esset factus. veniens ergo post sex menses in cellam suam, de voce cognitus est, quia ipse erat Macarius.

Monumentum magorum Iannæ & Mambre adire statuit.

Desiderauit aliquandò ipse in hortum sepulturæ Iannæ & Mambre ingredi, sicut nobis retulit. Ipse autem hortus sepulturæ factus est à magis, qui potentes erant quondam apud Pharaonem. De quadris ergo lapidibus construxerunt opus, & sibemetipsis sepulcrum fecerunt, & multum aurum recondentes, plantauerunt etiam arbores: humectus est enim locus, in quo & puteum fecerunt. Quia ergo viam ignorabat, arbitrium quoddam sequebatur stellarum, sicut in maris pelago nauigantes obseruare solent. Ita in solitudinem ingrediebatur, accipiens ligaturam calamorum per vnumquodque milliarium indicij gratiâ figebat, vt semitam adinueniret vnde reuerteretur. Perambulans ergo diebus nouem, peruenit ad locum. Dæmon autem qui semper dimicatoribus Christi resistere solet, colligens omnes calamos, quos pro indicio sibi posuerat à milliario horti illius sepulcri, dum ipse requiesceret, ad caput ipsius posuit. Surgens igitur reperit calamos. Et hoc factum est, Deo permittente, ad eius probationem, vt non in calamis speraret, sed in columnâ nubis, quæ præcedebat filios Israël quadraginta annis in solitudine.

Varia dæmonum apparitiones.

Dicebat autem, quia castra dæmonum obuiassent ei, egredientium de illo horto, clamantium, inquit, quasi corui contra faciem meam, & dicentium: Quid vis Macari? quid vis monache? quid venisti in locum nostrum? Non potes manere hîc. Dixi ergo eis ego: Quia oportet me ingredi & videre. Ingrediente autem eo in hortum, occurrit ei satanas cum gladio euaginato comminans ei. Contra quem sanctus Macarius hoc dedit responsum: Tu venis ad me cum gladio, ego autem occurro tibi in nomine Domini sabaoth Dei Israël.

Descriptio sepulcri magorum.

Ingrediens ergo inuenit situlam æream dependentem, & catenam ferream super puteum, iam de multis temporibus resolutam, & fructus malorum granatorum, nihil intus habentium, propterea quòd aruissent à nimio solis ardore; abominationes etiam idolorum quamplurimas aureas. Ita ergo reuertens, venit post dies viginti.

Tentatur esuriens & sitiens.

Deficiente ergo ei aquâ quam portabat & pane, in multam angustiam deuenit. Et cùm iam deficeret, apparuit ei puella, stans (sicut referebat) mundissimo linteo amicta, & habens hydriam stillantem aquæ, quam dicebat longè à se quasi stadium vnum. Et vsque dies tres ambulans, & videns eam cum hydriâ stantem, appropinquare non valebat, sicut somnians; spe autem videndi exspectando confortabatur. Posteà apparuit ei multitudo bubalarum, ex quibus vna quæ habebat vitulum stetit: sunt enim multæ in illis locis, & sicut ipse dicebat, decurrebat ei de vberibus lac. Et facta est vox desuper, dicens: Macari, accede ad bubalam, & suge.

Lactatur à bubalâ.

Supposuit ergo se ei, & lactatus resumpsit vires. Venitque bubula illa vsque ad cellam eius lactans eum, & vitulum suum non suscipiens.

Deest Heraclidi.

Reuersus ergo ad fratres cùm indicasset de opportunitate loci, multorum inflammati sunt animi, vt pergerent illuc cum eo. Sed vbi sancti patres senserunt animos iuuenum concitatos ad pergendum: represserunt eos salubri consilio, dicentes: Locus iste si verè, vt dicitur, à Ianne & Mambre constitutus est, non aliud de eo credendum est, nisi quòd diaboli opere ad deceptionem nostram forsitan præparatus sit. Si enim deliciosus est & abundans, quam requiem sperabimus in futuro sæculo, si hîc delicijs fruimur? Hæc atque alia dicentes, iuuenum animos represserunt. Licet enim diuersorum pomorum amœnus esset locus, & abundans omnibus necessarijs, sed non posse dicebat adduci illuc plures fratres, ne fortè venientes per eremum à dæmonibus deciperentur. Multos enim aiebat esse dæmones, quorum fremitus & calliditates ferre multitudo fratrum insueta non posset.

Heraclid. cap. 6.

Aspidis morsus non obfuit Macario.

Quodam tempore idem sanctus Macarius puteum fodiebat, & in proximo fruteti siluæ ab aspide percussus est. Qui morriferum animal à faucibus apprehendens, manibus vtrisque scindens, dixit ei: Non permittente Deo, quare vsurpasti venire?

Diuersa cella Macarij.

Habebat autem diuersas cellulas, vnam in monte Nitriæ, aliam in solitudine interiori Scithi, & aliam in loco qui dicitur Cellia: & quædam absque fenestris sunt, in quibus dicebatur sedere in quadragesimâ; alia angusta erat, in quâ iacens extendere pedes non poterat; alia autem latior erat, in quâ suscipiebat venientes ad se.

Curat dæmoniacos.

Hic verò, donante gratiâ Christi, tantam multitudinem vexatorum à dæmonibus curauit, vt omnes mirarentur, & glorificarent virtutem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui per eum operabatur magnifica.

Mulier curatur à paralysi per oleum sanctum.

Cùm autem nos ibidem essemus, oblata est ei virgo quædam de Thessalonicâ veniens, quæ multis annis in paralysi laborabat. Hanc itaque vsque ad viginti dies oleo sancto perungens, & orationibus pro eâ insistens, sanam remisit ad propriam ciuitatem. Quæ postquam peruenit ad domum suam, multas oblationes direxit per diuersa sancta monasteria.

Macarius explorat austeritatem monachorum Tabennesiotarum.

Hic itaque Macarius audiens, quia magnam conuersationem & regulam disciplinæ Tabenensiotæ monachi haberent, mutato habitu, accipiensque indumenta rustici, per dies quindecim ascendit in Thebaidam per solitudinem. Et ingressus monasterium Tabenensiotarum quærebat abbatem, vt eius præsentaretur aspectibus, virum sanctum, Pachomium nomine, probatissimum famulum Christi, gratiam prophetiæ habentem, cui occultatus est nutu Dei aduentus Macarij. Repræsentatus ergo, dixit ei: Deprecor te, domine sancte pater, suscipe me in monasterium tuum, vt efficiar monachus. Dixit ei Pachomius: Iam senectute proue-

prouectus, abstinentiam non vales sustinere, fratres enim continentissimi sunt, & non ferens eorum laborem, scandalum passus, & regredieris detrahendo eis. Et non suscepit eum, nec primâ nec secundâ die, vsque ad dies septem. Cùm ergo perseueraret etiam ieiunus permanens, post hæc dixit ei: Suscipe me, abba, & si non ieiunauero sicut & alij fratres, operatusque non fuero sicut & illi, tunc iube me iactari foràs. Hæc audiens abbas, iussit fratribus vt susciperent eum. Est autem congregatio per singula monasteria mille quadringenti viri. Multorum enim monasteriorum beatus Pachomius pater erat, & multa millia monachorum congregatio erat, etiam & vsque nunc sunt Christi gratiâ largiente. Ingressus est ergo in monasterium. Transacto autem pauco tempore, superuenit quadragesima, & vidit singulos quosque addentes ieiunijs abstinentiæ. Quidam enim eorum post duos dies reficiebant, alij autem post quinque dies capiebant cibum, alij verò per totam noctem vigilantes orationibus insistebant, per diem autem opera manuum exercebant. Hic verò sanctus Macarius stabat in angulo, tam diebus quàm noctibus non discedens quoquam, vsquequò dies quadraginta complerentur. Aduenit & Pascha: neque tunc panem gustauit, neque aliud quoque pulmentum, nisi folia tantùm de caulibus, & hæc semel in septimanâ die Dominicâ sumebat. Nec discedebat de angulo illo, vbi elegerat stare, nisi tantùm corporalis necessitatis caussâ, & statim festinanter reuertebatur, & claudebat ostium super se, & nihil penitùs loquebatur, sed in silentio tantùm labia eius mouebantur. Et non cessabat continuè & sine cessatione in corde suo eloquia Domini diuinamque Scripturæ commemorationem meditari, & opera manuum incessanter exercere multò ampliùs quàm alij fratres. Hæc fratres videntes, pænè omnes scandalizati sunt; murmurantesque dixerunt præposito monasterij: Vnde nobis hunc adduxisti, tamquam sine carne degentem ad condemnationem nostram? proijce eum: cognosce, quia valdè scandalizantur fratres in eo. Hæc audiens præpositus monasterij, admirans tam districtam conuersationem eius, orauit Dominum, dicens: Manifesta mihi peccatori seruo tuo, Domine, quid agere debeam. Et reuelatum est ei, quòd ipse esset Macarius. Eduxit autem eum foràs in oratorium, vbi altare positum erat, & amplectens osculatus est eum, & dixit ei: Verè vir beatus es, sancte Macari, & latuisti nos. Olim enim ex multo tempore desiderabamus videre sanctitatem tuam: & gratias agimus Domino nostro Iesu Christo, quia in spiritualibus bonis, maximeque in virtutibus abstinentiæ erudisti nos & paruulos nostros non alta sapere in conuersatione suâ. Reuertere ergo ad locum tuum, non enim parum ædificasti nos, beatissime pater, & ora indesinenter pro nobis.

[Quadrage-]sima à mo[na]chis di[uer]simodè [celeb]ruata.

[Contin]uum [?] [con]tento[nem i]n Maca[rio].

Macarium [r]euelatione [a]gnoscit [P]achomius.

Quodam tempore visitationis atque ædificationis gratiâ perrexi ego ad eum, & inueni ante ostium atrij eius iacentem quemdam presbyterum, toto corpore vlceribus plenum, capitis autem eius etiam ipsa ossa computruerunt, qui ideò aduenerat, vt orationibus eius sanitatem reciperet. Sed sanctus Macarius non suscipiebat eum: ego autem prostraui me in terram ad pedes eius, & deprecabar vt susciperet eum. Respondensque vir beatus, dixit mihi: Indignus est vt sanitatem recipiat, sed magis increpa eum, & suade ei, vt non audeat accedere ad sacrosanctum altare Domini, & offerre sacrificium Domino, quia fornicando offert: propter hoc castigatur. Suade ergo ei vt resipiscat & condignam agat pœnitentiam, vt misericordiam à Domino mereatur accipere. Itaque ego egressus ad illum infirmum, dixi ei omnia. Et ille terribiliter conturbatus, intremuit, iurauitque quia in exitum vitæ suæ non vsurparet ad altare Domini accedere. Post hæc præcepit vt ingrederetur, suscepitque eum, & dixit ei: Credis quia Deus est quem nihil latet? Respondit: Etiam, domine. Dixit ei: Numquid potuisti illudere aut latere Deum? Respondit: Non. Ait ergo: Si ergo cognoscis tanti criminis peccatum tuum, & Dei castigationem intelligis, pro quâ caussâ tanti mali plaga in corpore tuo est, ideoque percussus es; cessa à malis tuis, & corrige de cetero, & confitere semper cum lacrymis pœnitentiæ, & intimo cordis dolore in conspectu Domini peccatum tuum, vt in die iudicij possis aliquam misericordiam ac pietatem Domini inuenire. Dedit ergo sacramentum se numquam peccare, neque ad sacrosanctum altare accedere, nec oblationem consecrare, sed sicut laici sortem habere. Itaque post hæc imposuit ei manum, & orauit pro eo ad Dominum, & in paucis diebus sanus factus est, capillique capitis eius creuerunt, & abijt sanus.

Presbyter [c]ancro laborans ad Macarium accedit.

Cancro laborat, quia conscius fornicationis sacrificabat.

Post confessionem peccati & emendationis sponsionem à Macario curatur.

Ipsis diebus oblatus est ei iuuenis qui vexabatur ab immundo spiritu, & imposuit manum super caput eius, & aliam super pectus eius, & tam diu super eum orauit, vsquequò in aëra suspendit eum ille immundus spiritus: inflatus autem totus intumuit puer sicut vter, ita vt ex omnibus membris aquam funderet, & subitò clamans attenuatus est, ac redditus mensuræ suæ, tradidit ergo eum patri suo sanum, vngens eum oleo sancto, præcepitque vt per quadraginta dies, neque carnem ederet, neque vinum sumeret, & ita sanus redditus est.

Puer dæmoniacus sanatur per oleum sanctum, & aquam benedictam.

Abstinentia à carne & vino.

Referebat autem nobis idem sanctus vir Macarius, admones vt caueamus, inquit, multiformes insidias dæmonum, quia quodam tempore nimis ei molestæ fuerunt cogitationes vanæ gloriæ, scilicet vt qualicumque modo eijcerent eum de cellâ eius, & de secretâ eremi conuersatione, suggerentes ei, vt ædificationis gratiâ ad remedium & sanitates hominum Romam pergeret pro salute animarum multarum: inerat enim ei gratias Domini contra immundos spiritus. Et cùm diutiùs insisterent ei huiusmodi cogitationes, & nec oranti ei cessarent, iactauit se pronus in terram, & extendit pedes suos à foris limen ostij cellulæ suæ clamans & dicens: Trahite, dæmones, trahite, ego enim pedibus meis non vado; sed si potestis, me hinc abducite: ego quippe testor Deum, quòd hîc iaceo ad vesperam. Sic ergo iacuit vsque ad vesperam. Postmodum surrexit ad consuetum opus Domini.

Nullâ arte dæmon eum è cellâ extrahere potest.

Referebat autem nobis de quodam fratre Marco, monacho nimis abstinentissimo: sanctus enim Macarius presbyter erat. Dicebat autem: Quia notaui mihi tempora, quando traditur sacrosancta Cummunio. Ego numquam dedi Communionem Marco monacho, sed Angelus dabat ei de altari: solum autem articulum manuum dantis videbam. Marcus autem iuuenis erat, & nouum vetusque

Marcus eremita Eucharistiam ab Angelo accipit.

tusque Testamentum sacræ Scripturæ memoriter obseruauerat. Mansuetus vltra modum, castus super omnes. Cùm autem esset in vltimâ senectute sanctus Macarius, perrexi ad eum, & inueni ostium cellulæ eius clausum. Stans autem ad ostium, auscultabam quid diceret, vel cum quo loqueretur: audiebam enim eum loquentem. Putaui autem quòd aliquis cum ipso esset cum quo loqueretur. Ipse enim cùm centesimum ageret annum siquidem iam & dentes amiserat. Igitur cùm esset solus, sibi ipsi litigabat, & quasi corpori suo dicebat: Quid vis ô tu qui malè senuisti? ecce iam & oleum accepisti & vinum: de cetero quid vis iam decrepite senum? Semetipsum increpans etiam vt & diabolus confunderetur.

Virtutes Marci.

Macarius iam capularis senex & secum, & cum diabolo disputat.

Referebat nobis vir summæ sanctitatis Paphnutius discipulus eius, quoniam quadam die leæna accipiens catulum suum cæcum, obtulit sancto Macario, & capite pulsans atrij eius ostium aperuit, & ingressa sedente sancto viro proiecit catulum ad pedes. Ipse autem accipiens eum, exspuit in oculos eius, & orauit, statim aperti sunt oculi eius, & aspexit. Et lactauit eum leæna, leuauitque eum, & abijt. Alterâ die pellem ouinam grandem attulit ei leæna. Sanctus verò pellem videns, dicebat leænæ: Vnde tibi hoc, nisi quia comedisti cuiusdam ouem, forsitan & pauperis? Quod ergo de iniustitiâ est, non accipio à te. Illa verò inclinans caput suum in pauimento, deprecabatur eum, & ad pedes sancti deposuit pellem. Ipse verò dicebat ei: Dixi tibi, quia non accipiam illam, nisi mihi promiseris vt numquam amodò contristes pauperes, deuorando quadrupedia eorum. Illa verò quasi consentiens nutu capitis sui, quasi promittebat: tunc suscepit pellem ab eâ. Et quid mirabile est, fratres, si Dominus creator omnium, qui leones Danieli prophetæ mansuefecit, ipse etiam & Macario leænam fecit esse mansuetam?

Paphnutius Macarij discipulus. Macarius sputo illuminat cæcum leænæ catulum.

Leæna præmium adfert Macario. Etiam feræ sanctos agnoscunt.

Dicebat autem, quia ex quo baptizatus est, non est locutus otiosum sermonem: sexagesimum habebat annum, ex quo erat baptizatus. Erat autem staturâ breuis, super labium tantummodò pilos habens & in summitate menti. Ex nimiâ enim abstinentiâ pili barbæ eius rari nati sunt. Huic aliquando confessus sum: Quid faciam, abba, quia cogitationes acediæ tribulant me, dicentes: Quia nihil agis, egredere de hac solitudine? Ipse autem dixit mihi: Dic eis, Quia propter Christum hîc sedeo, & parietes istos custodio. Hæc pauca ex multis eius mirificis indicaui gestis.

Qua forma Macarij.

Palladius consulit Macarium.

CAP. XII.

De beato IOANNE abbate.

Deest Heraclidi.

DICEBANT sancti patres de sancto Ioanne, qui cognominabatur Colob, quia cùm de messis opere reuerteretur valdè fatigatus, repræsentabat se sanctis senioribus, factaque cum eis oratione, statim pergebat ad cellam suam, & per multa tempora in silentio vacabat orationibus & lectionibus ac meditationi Scripturarum sanctarum, & opera manuum quotidie exercens, nullum ad se permittebat venire. Dicebat enim: Quoniam per occasionem in messis opere dispergitur, & peruagationem patitur mentis intentio, & ideò diuersis cogitationibus obligatur. Addebat autem sibi magis abstinentiam, dicens: Quia propter laborem messis, in diebus illis quotidie panem in saturitate edebam. Nunc autem quoniam in cellâ meâ quiesco, oportet me abstinentiam & vigilias addere, vt compensetur & reparetur quod in illis diebus intermissum est.

Ioannes Colob cellæ amator.

Saturitatem inediâ castigat.

Quidam ex fratribus interrogauerunt hunc ipsum beatum Ioannem de caussâ abstinentiæ. Et respondit eis, dicens: Quia Daniel propheta dixit: Panem in concupiscentiâ non comedi. Dicebat etiam monendo fratres: Considerate, dilectissimi, quoniam nihil fortius est in bestijs leone, & tamen propter ventrem suum cadit in laqueum, & illa feralis & magna fortitudo eius humiliatur. Tali etiam exemplo ipse beatus Ioannes instruebat fratres, dicens: Si voluerit Imperator aliquam aduersariorum obtinere ciuitatem, priùs escam eorum & potum interdicit, & ita necessitate contriti humiliantur, & imperio eius subijciuntur. Similiter quoque passiones ac vitia corporis nostri, si fame ieiuniorum ac labore macerentur vigiliarum, tunc etiam aduersariorum nostrorum, videlicet dæmonum, virtus humiliatur, quam per corporis nostri fortitudinem contra nos impiè solent exercere.

Dan. 10.

Ieiunio & vigilijs vitia expugnanda.

CAP. XIII.

De MARCIANO famulo Christi.

Deest Heraclidi. Theodoretus Philoth. cap. 3.

SED & de famulo Christi Marciano simile exemplum referemus. Soror eius cum filio suo abijt ad eum in monasterium, vt post multa tempora visitaret eum. Ipse autem sororem suam accipere non acquieuit, nec videre: filium autem eius suscepit. Qui intentè deprecabantur eum & petebant, vt susciperet tunicam & pallium, quæ detulissent ei. Sed noluit penitùs suscipere, dicens: Ab infantiâ meâ vsque in hanc horam Dominus meus me gubernauit, etiam vsque in finem exitus mei ipse mihi præbebit omnia quæ necessaria sunt: non enim expedit hæc in carnalibus parentibus exspectare aut suscipere. Ille autem prostrauit se ad pedes eius, dicens: Non tamquam parenti, sed tamquam seruo Dei & monacho hæc offerimus. Respondens autem beatus abbas Marcianus, dixit: Per quot monasteria venistis de itinere ad nos? Qui respondens, dixit ei: Plurima monasteria transiuimus. Et quare, inquit, non dedistis ex his vestimentis eis, tamquam seruis Dei & monachis? Ipse verò respondens, dixit: Quia nulli aliquid dedimus. Ait ergo ad eum beatus Marcianus: Ecce manifestum est, quia non seruo Dei & monacho, sed tamquam parenti & propinquo vestro hæc ad me detulistis. Noluit ergo suscipere. Orationem autem pro eis intentissimè faciens, pro salute animarum eorum Dominum deprecatus est, & dimisit eos. Præcepitque eis vt vlteriùs numquam venirent ad eum.

Marcianus sororem ad aspectum non admittit.

Eleëmosyna non ex naturali affectu cognatis, sed ex pietate promiscuè danda pauperibus.

CAP. XIIII.

De VIRGINE quadam solo nomine.

Heraclid. cap. 1.

NON autem prætermittam narrare etiam & de his qui contemptibiliter conuersantur, ad laudem scilicet eorum qui vitam emendant, & ad admonitionem legentium. Virgo quædam fuit in Alexandriâ, schemate quidem indumenti humilis, proposito autem mentis elata, diues in pecunijs nimis, numquam autem procedens, & neque peregrino, aut virginibus, seu ecclesiæ, vel pauperibus nummum aliquando porrexit. Hæc multis monitis patrum non abiecit siluam diuitiarum. Erat autem ei & genus non minimum, in quibus adoptauit sibi filiam germanæ suæ, cui nocte & die promittebat substantiam suam. A cælesti enim desiderio mentem alienatam gerebat. Species enim & in hoc errore diaboli est, sub occasione amoris propriæ generationis in auaritiâ laborare. Quia autem

Virgo specie humilis, sed animo elata & in pauperes dura.

Vt amicet ditet, cælesti desiderio excidit.

autem illi non pertinet propter genus, qui fratricidia & patricidia docet, manifestum est. Sed si videatur parentum sollicitudinem ingerere, non rectæ mentis motu hoc facit, sed vt animam iniustè facientis in auaritiæ laqueo obliget, sciens sententiam quia iniusti & auari regnum Dei non hereditabunt. Potest autem quisquis prudenter & rationabiliter, nec suam contemnere animam, & parentibus suis maximè si dehabent & egentiores sunt, consolationem præstare. Quando autem quis animam suam despicit conferendo suæ progeniei, subiacet legi, quia in vano de animâ suâ cogitat. Cantat autem sanctus psalmista Dauid de eis qui pro animâ suâ solliciti sunt in timore: Quis ascendet in montem Domini, id est, quia difficile; aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Isti autem in vano eam accipiunt, putantes eam cum corpore dissolui, dum virtutes negligunt.

Cor. 6. *[...]uomodo [...]is possit [...]gnatis [...]ccurrere [...]sque an[...] a nau[...]agio.* *[...]al. 23.* *[...]ui in va[...] animam [...]am acci[...]ant.*

Hanc ergo virginem, vt ita dicam, volens flexam domare ad reuelationem auaritiæ sanctissimus Macarius presbyter & præpositus pauperum leprosorum, composuit & inuenit artem huiusmodi: fuerat enim à iuuentute suâ cambiarius, quod dicunt gemmas distrahere; qui abijt & dixit ei: Lapides pretiosi smaragdi & hyacinthi incurrerunt mihi, & siue inuentitij sint siue furtiui dicere non possum; pretiosi autem sunt nimis, ita vt non possint æstimari quàm præclari habeantur. vendit autem qui habet eos quingentis solidis. Si placet tibi eos tollere, de vno lapide potes accipere quingentos solidos, alios autem in ornamento neptis tuæ præparabis. Virgo autem intentissimè audiens delectata est, & cadens ad pedes eius, dixit: Per sanctitatem tuam ne quis alius eos comparet. Inuitauit ergo eam presbyter, dicens: Veni vsque ad cellam meam, & vide eos. Quæ non acquieuit, sed adorans eum, dedit quingentos solidos, dicens: Quomodo vis tolle eos, ego enim caussam non habeo. Ipse autem accipiens erogauit pauperibus. Tempore autem transacto, eò quòd magnæ opinionis ac reuerentiæ erat vir in totâ Alexandriâ amator Dei, & multùm misericors, (peruenerat enim vsque ad centum annorum eius senecta; cum quo etiam & nos commorati sumus,) reuerebatur eum commonere supradicta virgo.

[...]omus hospitalis le[...]osorum. [...]anctus [...]acarius [...]uo astu [...]irginem [...]b auari[...]iâ reduxe[...]it.

Macarius presbyter ad centum annos vixit.

Ad vltimum inueniens eum in ecclesiâ, dixit: Rogo te, domine, quid iubes propter lapides illos pro quibus dedimus quingentos solidos? Qui respondit, dicens ei: Extunc quo dedisti mihi aurum, tradidi illud in pretium gemmarum, & si vis venire & videre in hospitio vbi sunt, veni & vide; ibi enim iacent. Et si tibi placuerint, benè; sin verò, tolle quod tuum est, & vade. Quæ promptissimè perrexit ad cellam eius. erat autem hospitium pauperum, in quo leprosi iacebant. In inferioribus quidem habebat mulieres, in superioribus verò viros. Adducens ergo eam, inducit eam in ianuam, & dicit ei: Quos vis videre priùs, hyacinthos aut smaragdos? Dicit ei: Quos ipse vis, domine. Et ait: Ecce isti sunt hyacinthi. Iterùm autem ipse deposuit eam in inferiora, & ostendens ei mulieres, dixit: Ecce smaragdi, si tibi placent, benè; sin autem, recipe quod tuum est. Itaque verecundiam passa, egressa est. Et abiens ex multâ tristitiâ, quia non secundùm Deum fecerat rem, infirmata est. Post hæc etiam gratias egit presbytero. Puella autem de quâ sollicita erat, post nuptias sine filijs defuncta est.

Pauperes & ægroti gemmæ & lapides maximi pretij.

Vita & conuersatio MOYSI *quondam latronis.*

CAP. XIV.

QVIDAM Moyses nomine, Æthiops genere, seruus cuiusdam fuit curialis, quem propter multam peruersitatem & furta & latrocinia proiecit dominus eius. Dicebatur enim quia vsque ad homicidia peruenisset. Compellor enim dicere mala eius, vt ostendam virtutem patientiæ eius.

Heraclid. cap. 7. *Mira hominis ad Deum ex summâ miseriâ conuersio.*

Dicebatur ergo quia dux latronum erat, sicut ex ipsis operibus eius ostenditur in furtis & latrocinijs. Denique cuidam pastori malitiam retinens, subitò voluit in nocte irruere & interficere eum: perquisiuit autem loca vbi caulas haberet ouium; indicatumque est ei, quia trans Nilum esset, irrigato flumine, & tenere in latum miliario. Ille mordicus tenens gladium in ore, tunicam imposuit super caput suum, & transnatauit fluuium. Dum ergo ille nataret, ita studuit pastor ille se occultare & latere. Nam ille vtpote latro quatuor arietes occidit, & ligans eos, trahensque per flumen iterùm renatauit. Et egressus de flumine excoriauit eos, & comedens optima quæque carnium, reliqua in vina distraxit, bibitque decem & octo calices. Statimque quinquaginta miliaria itinere sub die fecit, & peruenit ad locum vbi erant socij eius. Iste ergo talis ac tantus in tantis malis conuersatus est.

Quæ fuerit conuersionis occasio.

Quodam tempore à quodam viro religioso audiens verbum Dei, & in die iudicij futuram examinationem inter iustos & peccatores, inter criminosos & sanctos, ac etiam inter amaras gehennæ & ignis æterni pœnas, & cruciatus sine fine in tenebris exterioribus, quæ præparata sunt iniquis & peccatoribus. Item audiens æternam gloriam, & æternos honores; & requiem in regno cælorum inter Angelos sanctos quæ præparauit Deus sanctis & iustis, seruientibus sibi; compunctus corde cœpit amarissimè flere cum gemitu & eiulatu. Ingressusque monasterium, dedit se in pœnitentiam, & cruciabat semetipsum in multis lacrymis, indulgentiam & veniam peccatorum suorum de pietate & misericordiâ à Domino postulando, & ita permansit in monasterio.

Deest Heraclidi.

Quodam tempore in cellulam eius latrones ingressi sunt, ignorantes quis esset. Erant autem quatuor: quos ligauit simul sicut zabernam de paleis, & imposuit eos sibi in dorsum, & detulit eos ad ecclesiam fratrum, dicens: Quia iam mihi non expedit nocere aliquem, quod iubetis de istis disponite. Tunc illi latrones cognouerunt, quòd ipse esset Moyses qui fuerat sceleratissimus inter latrones, & compuncti sunt corde, glorificantes Deum, qui non repellit peccatores, sed suscipit pœnitentes, vt saluentur in æternâ salute. Et hæc dicentes, vt dixi, compuncti sunt corde, & dederunt se in pœnitentiam, abrenuntiantes omnibus malis actibus & concupiscentijs, carnalibusque desiderijs.

Heraclid. cap. 7. *In Moysem è latrone monachum latrones quatuor irruunt, quos ipse simul alligat.*

Huic Moysi miserunt dæmones, secundùm consuetudinem eius antiquam luxuriam fornicationis ingerentes ei. Qui tam validè tentatus est, sicut ipse referebat, vt paulominùs de proposito excideret suo. Itaque ex hoc validiùs abstinebat, & vigilias ampliùs addebat sibi, & opera manuum propensiùs exercebat, tabefaciens corpus suum. Denique proposuit sibi se non dormire iacentem in mattulâ, sed per totam noctem stando in cellâ orabat, & psalmodiam explebat. Nam parietibus se re-

Fornicationis tentationem inediâ & vigiliâ profligat.

se reclinans, parum quid somni capiebat. Iterùm posuit sibi obseruantiam aliam.

Moyses nocte hydrias monachorum replet aquâ.

Egrediebatur noctibus, & ibat per cellas seniorum, & tollebat hydrias eorum, in quibus illi sibi hauriebant, & portabat illis aquam: in longinquo enim habebant aquam, & quidam duo milliaria, alij autem etiam & quinque millia. Quadam verò nocte non sufferens dæmon feruentem eius fidei conuersationem, inclinato eo in puteum dum hauriret aquam, percussit eum in tenes de retrò, & reliquit eum: denique de nimio dolore obmutuit, & remansit velut mortuus.

Dæmon in Moysem irruit.

Aliâ die veniens quidam haurire aquam, inuenit eum iacentem, & nunciauit beato Isidoro presbytero Scithij, qui misit; & leuauerunt eum, & detulerunt ad ecclesiam, & propè per annum ita infirmatus est, vt vix resumeret vires suas. Dixit autem ei Isidorus presbyter: Quiesce, Moyses, & noli indiscretè præsumere, sed magis cum discretione tam abstinentiam quàm vigilias & opera manuum exerce. Respondens autem Moyses ait: Non quiescam, beatissime pater, vsquequò quiescant, adiuuante me gratiâ Domini, immundissimæ cogitationes & somnia, quæ immittunt nequissimi dæmones, sicut scriptum est: Persequar inimicos meos, comprehẽdam illos, & non conuertar, nec quiescam donec deficiant.

Psal. 17.

Videns autem beatissimus Isidorus fixam in Domino fidei eius constantiam, surrexit & expandit manus ad orationem, dixitque ei: In nomine Domini nostri Iesu Christi, donante gratiâ eius, ex hodiernâ die iam quieuerunt somnia quæ inquietare te solebant. Igitur glorificans & gratias agens Saluatori Domino, reuersus est ad cellulam suam. Post aliquod autem temporis interrogauit eum Isidorus presbyter de molestiâ cogitationum carnalium. Et ille respondens dixit: Protegente me Christo Domino, & orationibus tuis, nihil tale patior. Huic ergo Deus donauit gratiam, ad effugandos ex obsessis corporibus dæmones, ita vt muscas non magis timeamus quàm ille dæmones. Hæc conuersatio Moysi Æthiopis, qui etiam ipse erat inter magnos annumeratus patres. Defunctus est autem annorum septuaginta quinque. Reliquit verò discipulos, monachos septuaginta.

Moyses obit annorũ 75.

CAP. XV.

Vita EVAGRII.

Heracl. cap. 25. Euagrius Origenista fuit.

BEATI Euagrij verè Deo digni diaconi, & eruditissimi in diuinâ scientiâ viri, non est iustum silere vitam, sed oportet hanc scripturæ mandare ad vtilitatem legentium, & gloriam Saluatoris nostri Iesu Christi. Quam etiam paulò latiùs exponere debemus, quomodo conuersationem suam, auxiliante gratiâ Christi, dignam Deo exhibuit. Defunctus est autem, cùm esset in solitudine annorum quinquaginta quatuor.

Euagrius lector à sancto Basilio creatus. Gregorius Nazianzenus ordinat eum diaconum. Versatur apud Nectarium CP. episc.

Hic ergo lector ordinatus est à sancto Basilio episcopo. Vidensque irreprehensibilem eius conuersationem beatissimus & admodum clarus in doctrinâ Christi Gregorius Nazianzenus episcopus, prouexit eum ad diaconatus officium. Exinde in magnâ synodo Constantinopolitanâ coniunctus est beato Nectario, eiusdem ciuitatis episcopo. Cùm esset ergo instructissimus in diuinis Scripturis, contra omnes hæreses florebat, in magnâ ciuitate, etiam eloquio potentissimo, vt ex hoc nimis ab omni ciuitate cum honore & dilectione haberetur. Vnde fascinatio nugacitatis diabolicæ, quæ insectatur obscurare bona, immisit in corde eius cogitationes desiderij carnalis concupiscentiæ muliebris.

Euagrius agitur concupiscentiâ in mulierem.

Denique sicut postmodum nobis ipse referebat, adamauit eum mulier, quæ erat magnifici cuiusdam de primatibus palatij viri vxor. Euagrius autem timens Deum, & verens propriam conscientiam, ac præ oculis ponens magnitudinem confusionis, maximeque in gaudentes hæreticos, orabat Dominum, deprecans Saluatorem Christum, vt impediretur tam rabida mulieris contra se instantia. Nam ipse quidem volebat recedere, sed non valebat colligationibus obsequiorum eius detentus. Postquam autem multis precibus exorauit Dominum, vt liberaret eum à peccato maximo, quod opere pæne perpetrabatur, affuit ei angelica visitatio in schemate ˢ præfectiani, & rapiens eum perduxit ad prætorium præfecti, & misit eum in custodiam carceris, ferreisque catenis ceruicem & manus eius colligauit. Sed pro quâ caussâ hoc pateretur, non dicebat ei.

Visione deterretur ab amore libidinoso.

Ipse autem in conscientiâ suâ nouerat quâ de caussâ hæc sustineret. Arbitrabatur enim quòd vir illius matronæ interpellasset accusans eum. Cùm autem vehementer angeretur, audiebat enim strepitum & voces aliorum qui diuersis supplicijs torquebantur apud iudicem pro criminalibus caussis, & ideò permanebat valdè territus, & contremiscens. Cùm autem transfigurasset se Angelus qui visionem concinnauerat, quasi in figuram eius amici, qui valdè diligebat eum, dixit ei cùm teneretur in vinculis inter quadraginta reorum personas: Quid hîc teneris, domine diacone? Respondit Euagrius, dicens: In veritate tibi dico, non noui quapropter hîc teneor; suspicio autem mihi est, quia vir ille magnificus ex præfectis interpellauit contra me iudicem, irrationabili zelo percussus, & timeo ne fortè pecunijs iudex corruptus, tormentis me subijciat.

Angelus in amici cuiusdam intimi specie Euagrium solatur.

Respondens, dixit ei: Si audis me amicum tuum, non expedit tibi in ciuitate hac conuersari. Respondens autem Euagrius, dixit ei: Si Deus liberauerit me de angustiâ & circumuentione hac, & videris me in Constantinopoli, scito quia iustè sustineo pœnas. Ait ei: Affer Euangelium, & iura mihi in Euangelio, quia recedes de ciuitate hac, & sollicitus eris de salute animæ tuæ, & liberabo te de hac necessitate.

Iurat Euagrius super Euangelia, se egressurum ciuitate ad vitandum periculum.

Detulit ergo Euangelium, & iurauit, dicens: Quia vnâ solùm die vt vestimenta mea possim in nauim mittere, remoror. Et sacramento dato, rediijt de excessu quem perpessus in nocte fuerat. Et exsurgens cogitauit apud se, quia licet in excessu fuit sacramentum, sed tamen iuraui. Et mittens omnia quæ habebat in nauim, venit Ierosolymam. Suscepit autem eum beata Melania, quondam senatrix Romana, cuius filij & nepotes sunt primi in senatu, nunc autem famula Christi vera.

Venit Ierosolymam, & à Melaniâ excipitur.

Iterùm autem diabolus indurauit cor eius tamquam iuuenis. Cœpit etiam ibi mutare vestes eius, & in eloquio sermonis exaltabatur in gloriâ vanâ. Deus autem qui propter suam magnam misericordiam impedit occasiones perditionis nostræ, permisit vt nimietas febrium tabefaceret corpus eius, & infirmitate longâ laceraretur per sex menses.

Rursus ad seculum redire tentat.

Adhibentes enim ei medici diuersa medicamina, nihil proficiebant. Tunc dixit ei sancta Melania: Non mihi placet, fili, tam longa infirmitas tua: dic ergo mihi quæ sunt in corde tuo, non enim est absque permissu Dei hæc infirmitas tua.

Morbo reuocatur Euagrius.

Et

Et statim confessus est omnia quæ in animo eius erant. Ait ei famula Dei: Promitte nunc coram Deo, quia teneas promissionem solitariæ vitæ quam Domino spopondisti, & licet peccatrix deprecor Dominum, vt detur tibi tempus vitæ, quatenus adimplere possis quæ pro salute animæ tuæ statuisti. Ipse verò acquieuit salutaribus monitis eius; & in paucis diebus sanus factus, petijt & deprecatus est, vt famula Dei pro se oraret: ipsa enim vestimenta monachilis propositi induerat. Egressus autem, profectus est in montem Nitriæ qui est in Aegypto, in quo habitauit duos annos. Tertio autem anno ingressus est solitudinem, & ibi conuersatus est quatuordecim annis in his quæ dicuntur Cellia. Comedebat autem libram panis in die, & in tres menses [9] Italicum olei; nam nihil coctum sumebat in cibum, nec aliquid de pomis gustabat, vir certè ex multâ opulentiâ & abundantiâ deliciarum veniens. Faciebat autem in die orationes centum, exceptis vigilijs nocturnis. Scribebat verò vt de opere manuum suarum sumeret cibum: pulchrè enim scribebat [10] libralem manum. Intra paucos ergo annos lumen scientiæ, & veritatis, & diuinæ scientiæ, & discretionis spirituum gratiam à Domino Christo percipere meruit. Quantos autem libros & expositiones de diuinis Scripturis conscripsit, manifestum est omnibus, & maximè his qui præclara eius opuscula admirantes, ad fidem Domini Saluatoris relicto errore conuersi sunt. Nam & ad instructionem sanctæ monachorum conuersationis multa ex diuinis Scripturis, & nimis apta testimonia contra vitia & impugnationes immundorum dæmonum, continens eius valdè admirabilis & salutaris doctrina est.

Amictu monastico induitur.

Austeritas eius, qui delicatam vitã fuerat sectatus.

Varia scribit.

Hunc aliquando grauiter impugnabat fornicationis dæmon, sicut ipse referebat nobis, & per totam noctem tempore hiemis nudus stetit sub aëre, ita vt congelarent omnes carnes eius.

Vt fregerit dæmonum impetus.

Alio iterùm tempore impugnabat eum spiritus blasphemiæ, & per quadraginta dies ac noctes non intrauit sub tectum, ita vt corpus eius sicut irrationalis animalis [11] rhinocerotis duceret.

Huic quodam tempore dæmones tres in die superuenerunt, de verbo fidei conquirentes. Et vnus quidem dicebat, se Arrianum esse, alius Eunomianum, alter verò Apollinaristam. Et istos per diuinæ Sapientiæ gratiam, dum de testimonijs sanctarum Scripturarum concluderet, illi subitò conturbati, & magnum strepitum facientes, phanthasma schematis eorum dissolutum est, & nusquam comparuerunt. Frequenter autem à dæmonibus flagellatus est: sed diuina gratiâ eum adiuuante, superabat malignitatem eorum.

Sextodecimo verò anno conuersationis eius, in quibus nihil coctum in cibo accipiebat necessitate corporis, propter infirmitatem stomachi coctum cibum accipere compulsus est. Panem quidem iam non contigit. Olera verò & ptisanas, ac legumen vsque ad duos annos accipiens, ita defunctus est, communicans sacrosancta mysteria in ecclesiâ, in die Epiphaniæ Domini.

Crudis vixit.

Epiphaniæ festo communicabat.

Referebant autem nobis qui circa eum erant, & obseruabant eum, quia ante vnum diem mortis suæ dixit: quia iam tertius annus est, ex quo non molestor à carnali concupiscentiâ. Certè post tantam & talem vitam, & aridam abstinentiam, & labores, ac dolores, & orationes sine intermissione. Huic in monasterio degenti nuntiata est mors patris sui; qui dixit nuntianti sibi: Cessa blasphemare, meus enim pater immortalis est.

Non afficitur morte patris sui.

De CRONII presbyteri vitâ, & de EVLOGII longanimitate. CAP. XVI.

CRONIVS presbyter ecclesiæ Nitriæ, retulit mihi dicens: Quia dum iuuenis essem in monasterio nimiam patiebar acediam. vnde fugiens cœpi vagus per eremum ambulare, & perueni vsque ad montem vbi sanctus Antonius degebat, id est, inter medium Babyloniæ & Heracliæ in vastissimâ solitudine, quæ ducit ad mare rubrum. Veniens ergo in monasterium secus flumen, quod dicitur [11] Pisper, vbi eius sedebant discipuli Amatus & Macarius, qui & sepelierunt eum, exspectaui dies quinque, vt viderem sanctum Antonium. Dicebant enim eum venturum ad illud monasterium, aliquando quidem post decem dies, aliquando autem post viginti dies, quemadmodum ei Dominus reuelasset pro vtilitate aduenientium in monasterium.

Heraclid. cap. 9.

Cronius fugit è monasterio.

Locus solitudinis sancti Antonij.

Quamplurimi ergo eramus congregati fratres, diuersas habentes necessitates, in quibus & Eulogius quidam Alexandrinus, & alius leprosus, qui simul aderant pro tali caussâ. Hic Eulogius scholasticus erat, & eruditus vir, qui amore diuino compunctus, abrenuntiauit turbis vrbium, omnemque substantiam suam distraxit & erogauit pauperibus, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Et in Euangelio dicente Domino: Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Itaque paucos denarios in vsus proprios reseruauit, cogitans apud semetipsum, Quia operari proprijs manibus non valeo, nec in monasterij congregationem ingredi possum. Inuenit ergo quemdam in plateâ iacentem leprosum, qui nec manus habebat nec pedes, cuius tantummodò lingua vigebat. Stans autem Eulogius prope eum orauit Dominum, & posuit quasi pactum cum Domino, dicens: Domine, in nomine tuo leuabo hunc leprosum in domum meam, & ministrabo ei, & repausabo eum vsque ad mortem, vt propter hunc & ego inueniam misericordiam tuam. Dona ergo mihi, Christe Domine, patientiam ad huius obsequium. Et accedens ad leprosum, dixit ei: Si vis, pater, suscipio te in domum meam, & repausabo te. At ille respondens dixit: Si digneris facere, gratias ago. Adduxit ergo asinum, & leuauit eum, & duxit in domum suam, & adhibebat ei curam diligenter.

Pasch. c. 19 num. 3.

Eulogius Alexandrinus.

E scholastico monachus.

Psal. 111.

Matth. 5.

Leprosum debilem membris curandum suscipit.

Ita per annos quindecim gubernabatur, & accipiebat curam de manibus Eulogij, & condignè nutriebatur. Post quindecim autem annos insidiatus est ei diabolus, & clamare cœpit contra Eulogium, multisque iniurijs & detractionibus afficere virum. Dicebat enim ei: Multa mala commisisti, fugitiue forsitan domini tui: alienas pecunias furatus es, & per me vis à peccatis tuis liberari. Et clamabat: Iacta me in plateam vbi antè iacebam, carnes desidero manducare. Hoc cùm audisset Eulogius, obtulit ei carnes in cibum. Iterùm ille clamabat: Non acquiesco, sed vt dixi, iacta me in plateam, populos volo videre, iacta me vbi me inuenisti. Forsitan si manus habuisset, exsuffocare se potuit, in tantum eum dæmon exagitabat.

Mira in leprosum Eulogij humanitas.

Leprosus agitur spiritu dæmoniaco, & in Eulogium murmurat.

PP Ideo-

Perplexus quid agat de leproso Eulogius consulit patres.

Ideoque valdè sollicitus Eulogius, perrexit ad monasteria virorum Dei, & dixit eis: Quid faciam, domini mei patres, quia in desperationem me inducit leprosus iste? Proiicere eum timeo, quia Deo dextras dedi, & promisi vsque ad mortem tenere & repausare eum. Si ergo non proiecero eum, sed per violentiam tenere voluero, pessimos dies & amarissimas noctes faciet mihi. Ad hæc illi dixerunt ei: Dum adhuc in corpore est magnus ac beatissimus famulus Dei pater Antonius, ascende in nauim pariter cum illo leproso, & vade in monasterium vbi monachi eius sunt, & exspecta ibi vsquequò dum egreditur de speluncâ & veniat ad monasterium, & quidquid dixerit tibi, hoc obserua, & acquiesce eius sententiæ. Deus enim tibi per ipsum dicet. Misit ergo leprosum illum in nauim, ipseque pariter ascendit. Et nauigantes venerunt ad monasterium discipulorum beati Antonij. Euenit autem in aliâ die, vt veniret pater Antonius, iam vesperâ peractâ, sicut referebat Cronius. Quando autem adueniebat in monasterium, hanc habebat consuetudinem: vocabat Macarium, & interrogabat eum, dicens: Frater Macari, venerunt aliqui fratres huc? Respondebat: Etiam, venerunt. Iterùm interrogabat: Aegyptij sunt an Ierosolymitæ? dederat enim eis signum, dicens: Quando videritis inquietiores, dicite: Quia Aegyptij sunt: quando autem religiosiores, dicite, Quia Ierosolymitæ sunt. Interrogauit autem secundùm consuetudinem, Fratres Aegyptij sunt an Ierosolymitæ? Respondit Macarius & dixit: Quia mixti sunt. Quando autem dicebat: Quia Aegyptij sunt, iubebat beatus Antonius vt pulmentum lenticulæ apponerent eis cibum, & quando refecissent faciebat eis orationem, & dimittebat eos. Quando autem dicebat: Quia Ierosolymitæ sunt, sedebat per totam noctem, disputans cum eis de verbis Dei quæ ad salutem animæ pertinent. In illâ ergo vesperâ sedebat, & vocabat omnes fratres. Qui cùm aduenissent, subitò vocauit Eulogium tertiò, cùm nullus indicasset ei nomen eius. Eulogius autem non respondebat ei; arbitrabatur enim quòd alium Eulogium ex monasterio vocaret. Tunc dicit ei: Tibi dico Eulogi, qui ab Alexandriâ venisti. Respondit Eulogius & dixit: Quid iubes, domine? Interrogauit eum Antonius: Quid huc venisti? Ait Eulogius: Et quis reuelauit tibi nomen meum, caussamque manifestauit? Dixit ei Antonius: Scio propter quid venisti, sed coram omnibus edicito, vt & ipsi audiant. Eulogius dixit: Hunc leprosum inueni iacentem in plateâ, & leuaui eum, & promisi Deo vt eum repausarem quatenus & ego saluus efficiar, & ipse per meum obsequium repausationem habeat. Et quia post tot annos recedere vult à me, & nimis exacerbat me, dum festinat recedere, & cogitaui proijcere eum, ideò ad sanctitatem tuam veni, vt mihi des consilium quid agere debeam, & ores pro me. nimis enim sollicitus sum, & tribulor pro istâ caussâ. Tunc austero vultu respiciens eum Antonius, dixit: Tu proijcis eum? sed qui fecit eum, non proiicit eum. Iactas eum tu? sed suscitabat Deus meliorem te, & consolabitur eum. Et silens Eulogius paucefactus est. Item beatus Antonius cœpit asperioribus verbis increpare leprosum illum, & clamans dicebat ei: Leprose inueterate dierum malorum, indigne cæli & terræ, non quiesces blasphemare Deum? Ignoras, quia Christus est qui ministrat tibi? Quomodo audes aduersus Christum talia proloqui? Numquid non propter Christum semetipsum seruum se exhibuit Eulogius ad tuum ministerium? Increpans ergo & hunc reliquit.

Sanctus Antonius magnus dictus. *Hospitum discretio.* *Qui Aegyptij, qui Ierosolymitæ monachi dicebantur S. Antonio.* *Exhortationes sancti Antonij.* *Sancto Antonio reuelatur nomē Eulogij.* *Eulogius à sancto Antonio consilium poscit.* *Non proiiciendi egeni & ægroti.* *Obiurgatio leprosi.* *In seruitute ægrotis Christus agnoscendus.*

Dimittuntur in pace Eulogius & leprosus.

Post hæc coram omnibus dixit eis quæ expediebant saluti animæ eorum, admonens Eulogium & leprosum, vt non separarentur ab alterutro, Sed in cellam vestram, inquit, pergite: incontinenter enim vos visitat Deus: & tentatio hæc euenit, quia vterque circa finem estis, & coronæ vobis præparantur: ne veniens Angelus non inueniat vos in eodem loci proposito, & perdatis tanti temporis mercedem boni operis. His auditis cum festinatione reuersi sunt ad propriam cellam. Et post quadraginta dies defunctus est Eulogius, & post tres dies similiter requieuit leprosus. Post aliquot verò dies Cronius de Thebaidâ descendit in monasterium Alexandriæ, & inuenit quosdam fratres diem tertium leprosi celebrare, quosdam autem quadragesimum Eulogij. Agnouit ergo Cronius & obstupuit, & accipiens Euangelium proposuit fraternitati, & iurauit referens eis, quomodo omnia quæ euenerunt Eulogio & leproso, prædixit beatus Antonius.

Obitus Eulogij & leprosi. *Commemoratio defunctorum.*

Etiam hoc referebat nobis Cronius: Quia in nocte illâ dum verbo Dei prolixiùs nos doceret sanctus pater Antonius, & hoc intulit, dicens: Quia annum integrum oraui vt reuelare mihi dignaretur per gratiam suam Dominus locum iustorum & peccatorum: & vidi excelsum quemdam gigantem vsque ad nubes pertingentem, manus extentas habentem, & subter eum stagnum velut mare, & ignis flammabat, feruebatque velut caldaria, & videbam animas velut in specie auium volantes, & quantæcumque quidem superuolabant manus eius & caput, saluabantur, & vsque ad cælum perueniebant; quantæ autem vsque ad manus eius peruenissent, non valentes superius volare, percutiebat eas manibus suis, & allidebat, cadebantque in stagnum feruens. Audiui quoque vocem dicentem mihi, has esse animas peccatorum: nam illas quæ gigantem illum superuolant, ipsas esse animas iustorum, quas pondus peccati non grauat, & ideò possunt ad altiora conscendere, quæ in paradiso Dei saluantur: aliæ autem sunt peccatorum, quæ ideò in infernum demerguntur, quia non egerunt pœnitentiam dum in corpore erant, vt indulgentiam peccatorum vel criminum suorum à Christi Domini pietate mererentur accipere, nunc autem traduntur ad inferorum tenebras, vbi est fletus & stridor dentium præ nimietate pœnarum æternarum.

Pelag. c. 19 num. 4. Vita Antonij c. 38. *Antonij visio de animabus iustorum & damnatorum.* *Paradisus & infernus.*

Vita & sufferentia beati STEPHANI. C. XIII.

STEPHANVS quidam Libycus genere, ex latere Marmaritis & Mareotæ sedebat vsque sexaginta annos. Hic summæ continentiæ fuit: nam & discretionis gratiam & consolationis accepit à Domino, ita vt omnes tribulati, pro qualibet caussâ tristitiæ affecti venissent, læti discederent per verbum consolationis eius. Notus autem erat & beato Antonio. Peruenit verò etiam ad tempora nostra: quem ego quidem non vidi propter longinquitatem locorum.

Herod. cap. 11. *Stephanus certat cum affectu.*

Qui autem cum sancto Ammonio & * Eulogio erant videntes eum, retulerunt nobis, quia inueni-

* Herod. Euagrio

Stephani ægritudo. uenimus eum, inquiunt, infirmitatem huiusmodi habentem in ipsis locis in testiculis, & in summitate naturæ vulnus habentem, quod dicitur cancer seu carcinus. Hic ergo cùm incideretur in vulnere illo à medico, tamen manibus suis operabatur & plectebat palmas, & loquebatur nobis. Reliquo autem corpore ita erat immobilis quasi si alius incideretur.

Patientia. Abscissis ergo membris, quasi si pilus ei abscideretur ita non sentiebat. Validissimam enim habebat per gratiam Dei sufferentiam. Nobis autem contristatis & flentibus dixit: Filioli, in nullo lædamini de caussâ istâ. Nihil enim quod permittit Deus fieri, malum est; sed voluntate benignâ perferendum est: fortasse enim & obnoxia erant membra ista tormentis; satisque melius est hîc persoluere pœnas quàm post exitum vitæ huius, in æterno igne cruciari. *Melius hic pati quàm in alterâ vitâ.* Ita ergo nos consolatus est, & confirmans in fide ac patientiâ, ædificauit nos. Hæc autem narrauimus, vt non conturbemur quando sanctos aliquos videmus grauissimis corporis infirmitatibus laborare.

Vita & zelus pro castitate S. INNOCENTII.

C. XVIII. Heracl. cap. 31. BEATVS Innocentius presbyter in monte Oliueti fuit. Multa autem audiui ab his qui conuersati sunt cum eo tribus annis. Iste simplex supra modum erat, nam & in palatio clarus in militiâ fuit. Verumtamen in initio imperij * Constantini abrenuntiauit sæculo cum vxore suâ. Hic habebat filium nomine Paulum domesticum militantem, qui instinctu diaboli peccauit cum filiâ presbyteri. Quod cùm audisset pater eius Innocentius, orauit Dominum, dicens: Domine Deus amator castitatis, da ei talem correptionis spiritum, vt iam non inueniat tempus peccandi in carne suâ: melius existimans vt magis dæmonio vexaretur quàm luxuriâ. Quod & factum est. Nam vsque nunc in monte Oliueti ferro vinctus tenetur, quia vexatur ab immundo spiritu crudeliter.

* Heracl. Constantij

Innocentius è matrimonio monachus.

Iste Innocentius, qualis & quantum fuit misericors, si voluero quæ vera sunt de eo dicere, fortasse mendacij opinionem incurro. Nam frequenter furabatur de expensis fratrum, & dabat indigentibus. Cùm autem esset simplicissimus, accepit à Domino Christo gratiam contra dæmones. *Virtus eius contra dæmones.* Inter quos aliquando adductus est ei iuuenis, videntibus nobis, à spiritu immundo comprehensus, simul & paralysi laborans. Quem ego intuens, volui matrem eius repellere, quæ adduxerat eum: desperabam enim posse sanari eum. Cùm autem vidisset eam senior stantem & flentem super inenarrabili casu filij sui, cùm esset benignissimus, misericordiâ motus fleuit. Et accipiens iuuenem, ingressus est oratorium suum, quod sibi ipse ædificauerat, in quo reliquiæ erant beati Ioannis Baptistæ, & orauit super eum ab horâ tertiâ vsque ad horam nonam, & donante gratiâ Christi, sanum reddidit iuuenem matri suæ, & paralysis eius & dæmon virtute Saluatoris nostri effugata sunt. Talis autem erat eius paralysis, vt quando spuere voluisset puer, super dorsum suum spueret, ita erat extortus.

Oratorium reliquiis S. Ioannis Baptistæ honoratum

Paralyticum sanat Innocêtius.

EVSTATHII *lectoris sufferentia.*

CAP. XIX. Heracl. c. 57. PRESBYTERI cuiusdam filia in Cæsareâ Palæstinæ cecidit infeliciter de virginitatis proposito, & ab eo qui eam corruperat, præmonita est vt lectorem incriminaretur. Cùm autem concepisset, & vtero tumente apparuisset crimen, cœpit pater eius requirere & discutere eam. Illa autem statim accusauit lectorem. Hæc audiens pater eius presbyter, retulit episcopo: episcopus verò congregauit presbyteros, & iussit vocari lectorem.

Lector iniustè accusatus de stupro.

Interrogatus ab episcopo lector, non confitebatur. Quod enim non fecerat, quomodo diceret? Indignatus ergo episcopus, cum terrore dicebat ei: Non confiteris, infelix & immunditijs plenè? Respondens lector, dixit: Ego quidē quod erat verum, dixi, quia non habeo caussam; immunis enim sum. Si autem iubes quod non est audiri, ecce dico, Quia feci. Hoc cùm dixisset, statim deposuit eum episcopus de gradu lectoris. *Depositus ab episcopo.*

Ille autem deprecatus est episcopum, & dixit ei: Quia ergo peccaui, iube eam mihi dari vxorem. Neque enim ego ero ex hoc clericus, neque illa virgo. Et tradita est in potestatem lectoris.

Accipiens ergo eam ab episcopo & à patre eius, commendauit eam in monasterium mulierum, & deprecatus est diaconissam, quæ erat præposita sororibus monasterij, vt vsquequò generaret sufferret eam. Itaque in pauco tempore impleti sunt dies partus, & affuit hora iudicij: gemitus, dolores, anxietates, ac infernales tormentorum dolores: & partus non egrediebatur. Transijt prima dies, secunda, & tertia, & septima dies, mulier præ nimijs doloribus inferno appropinquabat. Non comedit, nec bibit, nec dormiuit, sed exclamabat, dicens: Heu mihi infelicissimæ, periclitor quàm maximè, quia incriminata sum lectorem. Abeuntes autem, dixerunt patri eius: Pater verò timens ne reprehenderetur, quasi qui calumniatus lectorem fuisset, tacuit alios duos dies.

Puella in partu diuino iudicio cogitur fateri stuprū, & purgare lectorem.

Puella autem in tormentis posita, nec pariebat, nec moriebatur, intantum, vt clamorem eius non ferentes, nuntiarent episcopo, dicentes: Testatur cum sacramento infelix illa, clamans diebus ac noctibus, quia criminata est lectorem. Tunc misit episcopus ad eum diaconum, & mandauit ei, dicens: Ora vt liberetur quæ te criminata est. Ipse autem nec respondit ei, nec ostium aperuit. Ex quâ die autem ingressus clauserat se, deprecabatur Christi Domini misericordiam. Pergit iterùm pater eius ad episcopum, & fit oratio in ecclesiâ, & nec sic liberata est.

Innocens Eusthatius lector perstat inclusus instar pœnitentis.

Surgens autem episcopus, iuit ad lectorem, & pulsans ostium, ingreditur ad eum, & dicit ei: Eustathi, surge, solue quod ligasti. Et cùm inclinasset genua lector cum episcopo, statim enixa est mulier. Præualuit autem deprecatio & instantia orationis ad demonstrandam calumniam, & arguendam criminatricem: vt ex hoc discamus, quantum præualet instantia orationum de periculis liberare, & cognoscamus apud Deum earum potentiam.

Episcopus pergit ad cellam lectoris Eusthatij.

CAP. XX. PASTORIS

1\. SOLEBAT beatus abbas Pastor exponere fratribus de Scripturis Prophetarum, vbi dicitur: Quia nisi Nabuzardan princeps cocorum Nabuchodonosor regis venisset in Ierusalem, vtique non fuisset incensum templum Domini. Hanc autem parabolam ex hoc exemplo ita exponebat spiritualiter, dicens: Quia & nos cùm pulsauerit spiritus gastrimargiæ, id est, gulæ concupiscentia, in aliquas delectationes ac saturitatem ventris, si qui obaudientes atque explentes voluptates ac desideria gulæ, tunc incenditur igne libidinis

Deest Heraclidi. Sequentia habentur ferè suprà in aliis libris inter Verba Seniorum. Ruff. l. 3. n. 52. Pelag. libell. 4. n. 29

bidinis templum Domini, id est, corpora nostra, sicut dicit Apostolus: Nescitis quia corpora vestra templum Dei sunt? Si quis ergo violauerit templum Dei, disperdet illum Dominus. *1. Cor. 3.*

EIVSDEM. 2. Quidam frater veniens ad abbatem Pastorem, dixit ei quòd grandem tentationem pateretur. Dixit ei senior: Perge de loco quantum tres dies & noctes ambulare potes, & fac annum integrum, ieiunans vsque ad noctem. Cui frater respondit: Et si mortuus fuero antequam annus transeat, quid de me fiet? Dixit ei abbas Pastor: Confido in Deo, quia si cum tali proposito, vel qualicumque pœnitentiâ inuentus fueris, saluus eris.

Tentatio pœnitentiâ superanda.

EIVSDEM. 3. Cùm venisset abbas Pastor in partibus Ægypti habitare, euenit quemdam cohabitare illi ex fratribus, habentem mulierem. Et sciebat senior, & numquam arguebat eum. Euenit autem eam nocte parere: & cognouit senior; & vocans fratrem suum iuniorem, dicit illi: Accipe tecum vnum vasculum chindij vini, & da vicino; hodie enim opus est illi. Et nesciebant fratres caussam eius. Ille verò fecit sicut præcepit ei senior. Ædificatusque est frater ille atque compunctus. Post paucos enim dies ipse dimisit mulierem, & iuit ad seniorem, & pœnituit.

Pastor dissimulatione & charitate fratrem à peccato reuocat.

EIVSDEM. 4. Frater interrogauit abbatem Pastorē, dicens: Damnum patior animæ meæ, quòd sum cum abbate meo, quia mores eius non sustineo; quid ergo iubes? maneo adhuc apud eum? Et sciebat abbas Pastor, quia læderetur anima eius per abbatem suum, & admirabatur, quare interrogaret eum, si cum eo manere deberet. Dixit ei: Si vis, esto. Et vadens, mansit apud eum. Venit iterùm, dicens abbati Pastori: Grauo animam meam. Et non dixit ei abbas Pastor: Discede ab eo. Venit & tertiò, dicens: Crede mihi, iam non ero cum eo. Et dixit ei senior: Ecce modò saluus es, vade, & non sis vltrà cum eo. Dixit autem senior eidem: Homo qui timet pati damnum animæ suæ, non opus habet interrogare: de occultis verò cogitationibus debet quis interrogare, & seniorum est probare. De manifestis autem peccatis non est opus requirere, sed statim abscidere. Interrogauit autem eum frater, dicens: Quomodo debeo esse in cœnobio? Respondit illi senior: Qui sedet in cœnobio, oportet eum omnes tamquam vnum existimare, & omnes æqualiter iustificare, & neminem condemnare nisi se, & conseruare os suum & oculos, & tunc requiescet sine sollicitudine. Dixit ei abbas Isaac, quando vidit illum mittentem parum aquæ super pedes suos: Quomodo quidam vsi sunt discretione, macerantes corpus suum? Respondit illi abbas Pastor: Nos non sumus docti corporum esse interfectores, sed passionum.

Consortium animæ noxium deuitandum.

Quomodo in cœnobio viuendum.

Passiones interficiendæ, non corpora.

EIVSDEM. 5. Interrogauit frater eumdem abbatem Pastorem, dicens: Si cecidero in modicam culpam, mordet me cogitatus meus, dicens: Cur delinquis? Respondit illi abbas Pastor: In quacumque horâ deliquerit homo, & dixerit, Peccaui: statim remissum est illi. Frequenter dixi, quia nullius miseretur, nisi corde contrito. Interrogauit eum iterùm frater, dicens: Conturbant me cogitationes meæ, & non permittunt me curam habere delictorum meorum, sed cogunt me aspicere excessus fratris mei. Respondit ei abbas Pastor de abbate Theodoro, quia sedebat in cellâ suâ plangens semetipsum, & discipulus eius in alterâ cellâ sedebat. Venit autem discipulus senis ad eum, & inuenit eum flentem, & dicit illi: Pater, quid ploras? Respondit illi senior: Peccata mea. Dicit illi discipulus: Non habes peccata, pater. Respondit ei senior: Certè fili, si permissum fuerit flere peccata mea, non viderem aliorum: nec tamen sufficeret mihi flere peccata mea, etiam si alij tres vel quatuor plangerent mecum. Qui semetipsum videt, homo est; iudicare autem alios, solius Dei est. Dereliquimus splendidam & directam viam, hoc est, vt plangat seipsum homo, & sit contentus peccatis suis: & spinosam ambulamus viam & tenebrosam, vt proximi tantùm videamus delicta, & non nostra. Monachus malorum retributor, & derisor, & iracundus, monachus non est.

Cordis contriti miseretur Deus.

Propria deflenda peccata, non aliena inspicienda.

SENIS. 6. Senem frater interrogauit, dicens: Quare laborantium patrum quorumdam facies florent, aliorum minùs? Et dixit: Quicumque laborant, & deprecantur veniam peccatorum, antequam veniat ad eos gratia quæ sustinet laborem eorum, isti non virentes sunt, sed laborantes. In quibus autem appropiauit qui antè laborauerunt, per sufferentiam Iesu florent. Corde enim lætante floret facies. Mens clara & munda, est lucida sicut sol. Cùm enim non fuerint nebulæ, splendet clarè & lucidè; & cùm nebulæ operuerint eum, tenebrescit. Et anima donec passiones eam obtinent, obscuratur: cùm autem munda fuerit per gratiam Dei, ita fiet sicut scriptum est: Magna gloria eius in salutari tuo. *Psal. 20.*

Mentis lucidæ lucida facies.

APOLLONII. 7. Ad beatum Apollonem cùm germanus suus intempestâ nocte venisset, petens vt de monasterio suo paulisper egressus ad eleuandum bouem, qui in paludis cœno cecidisset, ei præberet auxilium, flebiliter querebatur, quia eum solus non posset eruere. Cui abbas Apollo instanter obsecranti ait: Cur iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens viciniorem quàm me habuisti, non rogasti? Cumque ille mortem olim sepulti fratris oblitum ex nimiâ abstinentiâ, sollicitudinis ac solitudinis iugitate velut impotem mentis existimans, respondisset: Quemadmodum poteram eum de sepulcro, qui ante annos quindecim obijt, vocare? Abbas Apollo respondit ei, dicens: Ignoras me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum? nullaque iam posse de huius cellulæ sepulcro, quæ ad præsentis vitæ pertinent statum, vbique conferre solatia, quem intantum Christus ab intentione abrenuntiationis mundi abreptum, vel modicum ad extrahendum bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuissimum quidem momenti inducias sequenti se discipulo pro patris indulserit sepulturâ?

Apollonii cella sepulcrum.

AMMONÆ. 8. Abbati Ammona prophetauit abbas Antonius, dicens: Habes proficere in timore Dei. Et eduxit eum de cellâ ad lapidem, & dixit ei: Iniuria hunc lapidem, cæde eum. Et ita fecit. Et dixit abbas Antonius: Ita & tu debes perficere mensuram hanc. Et cùm factus esset episcopus, obtulerunt ei virginem in vtero habentem, & dicunt ei: Homo iste malum hoc operatus est, da ei disciplinam. Qui signans vterum eius, iussit illi dari sex pares sindones, dicens: Ne fortè cum veniat eius partus, moriatur aut ista, aut certè infans, vt inueniat vel sepulturam. Dicunt illi accusatores: Quid hoc fecisti? Da ei disciplinam. Respondit episcopus: Videtis fratres, quia prope mortem est, & quid ego habeo facere? Sufficit dolor quem habet, & confusio: dimisitque eam,

Monachus instar lapidis nullis moueri debet iniurijs.

Disciplinâ fornicatores castigandi.

eam, & non est ausus eam condemnare.

Senis. Pasch. c. 1. n. 2. 9. Dixit quidam senex ad alterum senem habentem charitatem, & suscipientem tam monachos multos, quàm & sæculares: Lucerna multis lucet, rostrum tamen proprium incendit.

Senis. *Nemo facilè iudicandus.* 10. Quidam senex dixit: Si audieris de aliquo fratre verbum malū, vel quòd agat iniqua; responde, dicens: Numquid ego iudex eius sum? ipse hodie, ego cras. Opera quidem eius infirma tibi nota sunt, & perscrutatis ea; quare fortia eius opera & vtilia nescis? Ego iam mortuus sum in peccatis meis, sufficiunt mihi peccata mea.

Senis. *Aliena vitia non inuestiganda.* 11. Iterùm dixit quidam senex ad fratrem: Non oportet, fili, monachum requirere quid agat ille vel ille, aut quemadmodum abstrahatur ille ab oratione in detractionem & verbositates, quæ nihil proderunt. Vnde nihil melius quàm tacere & Deum rogare, vt vnde alius cadit, tu continearis.

Senis. *Propria peccata inspicienda.* 12. Frater interrogauit senem, dicens: Abba, cogitatio mea insurgit mihi, dicens: Quia benè sum. Respondit ei senior: Qui non videt peccata sua, numquam in bonis erit. Vt autem aliorum videamus, nostra negligimus: ideò numquam in bonis versamur. Videntem propria peccata, decem millia cogitationum non possunt suadere, quia in bonis est: scit enim quid videt. Opus ergo est laborare multùm. Negligentia enim & desidia excæcant nos in extremo vitæ.

Antonii *Quid detrahere, quid alium iudicare.* 13. Interrogauit quidam frater beatum Antonium, dicens: Quid est detractio, & quid est alium iudicare? Ille respondit: Detractio in omnibus dicitur omnis sermo malus, quem non audet quis præsente fratre suo dicere: iudicare autem, qui dixerit de aliquo, Quia frater ille negotiator est, & auarus; & cetera. Hoc est proximum iudicare. Iudicasti huiusmodi actus, hoc peius est quàm detractio.

Senis. Pasch. c. 10. n. 2. nomine Eliæ. Pelag. libell. 16. n. 10. Pasch. c. 7. n. 1. nomine Sisoi. Ruff. l. 3. n. 77. *Vindicta Deo relinquenda.* 14. Quidam frater interrogauit senem, dicens: Si contristauero fratrem meum, quomodo deprecabor eum? Respondit ille: De profundo cordis tui cum dolore reconciliare ei: & videns Deus propositum tuum, satisfaciet illi. Et respondit: Læsus sum à fratre meo, & volo meipsum vindicare. Senior autem rogabat eum, dicens: Fili, relinque Deo vindictam, & melius est. At ille, Non desistam, inquit, nisi fortiter memetipsum vindicauero. Cui ait senior: Quatenus semel hoc in animo tuo constituisti, vel oremus. Et exurgens senior, his verbis cœpit orare: Deus, iam non opus habemus tuo iudicio, neque nobis iam necessarius es, vt curam habeas de nobis: quia nosipsi, sicut frater iste dicit, & volumus & possumus nos vindicare. Quod cùm ille frater audisset, ante pedes senis effusus, veniam postulabat: promittens se cum illo, cui irascebatur, numquam deinceps certaturum.

Incerti. *Humilis facilè alteri reconciliatur & neminem vituperat.* 15. A quodam fratre senior aliquis interrogatus est: Quid est humilitas? Respondit: Si peccauerit in te frater tuus, remitte illi antequam tibi reconcilietur, & in omni vituperatione ne vituperes hominem, nisi temetipsum, dicens: Propter peccata mea hæc mihi euenerunt. Quoniā si commemorauerimus quæ ab hominibus inferuntur nobis, auferimus virtutem memoriæ Dei. Si autem commemorauerimus mala quæ à dæmonibus inferuntur nobis, erimus insaucij. Suspirauit autem, & dixit: Omnes virtutes ingressæ sunt in cellam hanc vnam, & ex ipsis laboribus constat homo. Et interrogauerunt eum: Quæ hæc est virtus? Respondit, Vt homo vituperet semetipsum.

Incerti. *Desperationi viriliter resistendum.* 16. Frater quidam abijt haurire aquam de flumine: & inueniens mulierem lauantem vestimenta, peccauit cum eâ. Hauriens autem aquam, ibat ad cellulam. Insiluerunt autem in eum dæmones per cogitationes, & contristabant eum, dicentes: De cetero vbi vadis? non est tibi vlteriùs salus. vt quid etiam sæculum perdis? Intelligens autem frater ille, quia volunt eum omnino perdere, erigens se viriliter per confidentiam, dicit cogitationibus suis: Vnde ingressæ estis in me cogitationes malæ; & contristatis me, volentes me omnino perdere? Non peccaui, & iterùm dico; Non peccaui. Et ingressus in cellulam suam; continebat se sicut heri & nudiustertius. Reuelauit autem Deus vni vicino eius seniori, quia frater ille ruens, & in ipso casu subruisset diabolum; & vicisset. Veniens autem ad illum senior, dicit illi: Quomodo habes frater? Ipse respondit: Benè, abba. Dicit ei senior: Et non es passus tristitiam his diebus? Respondit ei frater: Non. Dicit ei senior: Reuelauit mihi Deus, quia ruens subruisti diabolum, & vicisti. Tunc frater retulit omnia illi quæ sibi aduenissent. Senior autem dixit illi: Certè frater, discretio tua contriuit virtutem inimici.

Macarii *Peccator benignè releuandus.* 17. Dixit abbas Macarius: Si aliquem corripuetis commotus ad iracundiam, propriam passionem adimples. Nec enim vt alium salues, teipsum perdere debes. Erue proximum tuum à peccatis sine improperio, inquantum præuales, quia ad se Deus conuertentes non proijcit. Sermo autem malitiæ non demoretur in corde tuo contra eum, vt possis dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ præcepta nobis facienda sunt cum fratribus nostris. Dei autem est dimittere, & confirmare petitionem nostram.

Nyterae *Pelag. libell. 16. n. 36. tit. Natyra.* *Quare Nytera seuerior in episcopatu, quàm monachatu.* 18. Referebant quidam fratres de abbate Nyterâ, qui fuit discipulus abbatis Siluani: quia quando in cellâ suâ in monte Sinâ degebat, moderatè abstinebat pro necessitate corporis. Quando autem episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit se ipsum in duriore abstinentiâ, & in vigilijs propensiùs, atque in orationibus intentiùs agebat. Hæc autem videns discipulus eius, dixit ei: Quid est, domine, hoc? quia quando in eremo conuersabamur, non tantum in abstinentiâ laborabas? Respondit ei beatus vir, dicens: Considera, frater, quoniam ibi eremus erat, & secreta vita, & paupertas: nunc autem egressi de eremo cum sæcularibus conuersamur hominibus, & multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt: & ideò timeo, ne in fine vitæ meæ in aliquâ occasione Deum offendamus. Si enim sanctus Apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, & qui tantas virtutes animi possidebat, vt vsque ad tertium cælum adhuc in corpore positus ascenderet, tamen dicebat: Macero corpus meum, & seruituti subiicio, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus inueniar: quid nos humiles & peccatores oportet facere? *1. Cor. 9.*

Sisoi. 19. Sedente aliquando abbate Sisoi in cellâ, erat frater prope illum, & subitò suspirauit, & non cognouit, eò quòd esset frater in proximo illi: erat enim in excessu mentis. Et mittens sibi pœnitentiam, dixit: Ignosce mihi, frater, quia nondum factus sum monachus; suspiraui enim coram te.

AEGYPTIORVM PATRVM SENTENTIÆ

AVCTORE GRÆCO INCERTO, MARTINO DVMIENSI EP. INTERPRETE.

Quædam ex his etiam suprà occurrunt in alijs libris.

1 IOANNIS. *Patrum victus panis cum sale.*

ABBAS Ioannes dicebat ad discipulos suos: Patres manducantes panem tantùm & salem, fortes facti sunt in opere Dei, dum angustiarent seipsos; constringamus ergo nos in ipso pane & sale. Oportet enim seruientes Deo in ipsis coarctari, quia ipse Dominus dixit: Arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam. (Matth. 7.)

EIVSDEM. *Humilitas ex ieiunijs & vigilijs.*

2. Interrogauit frater eumdem senem, dicens: Ieiunia & vigiliæ quas agimus quid faciunt? Respondit: Ipsa faciunt animam humilem fieri. Scriptum est enim: Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. (Psal. 24.) Si enim laborat in his anima, miseretur & condolet illi Deus.

POEMENII. *Cogitatio fornicationis & detractionis statim repellenda.*

3. Abbas Pœmenius dixit: Cum cogitatione fornicationis & detractionibus proximi, cum his duobus in corde tuo ne loquaris, neque acquiescas omnino inquinamento ipsorum in animâ. Quòd si volueris hæc in corde tuo meditari, sine morâ noxietatem eorum senties; quia instigatio perditionis est: sed per orationem & bona opera ad nihilum deducas malignum, & magis repelle illa, & habebis requiem.

INCERTI. *Contra passiones orandum.*

4. Frater requisiuit senem dicens: Quid faciam, pater, contra cogitationes passionum? Respondit: Ora Dominum vt videant oculi animæ tuæ auxilium, quod à Deo est, qui circumdat hominem & conseruat.

POEMENII. *Lucri cupiditas abdicanda.*

5. Quidam frater vadens in mercatum interrogauit abbatem Pœmenium, dicens: Quomodo vendam opera mea? dixit ei senex: Ne velis aliquid super quod valet vendere, sed magis si grauaris, esto amicus ei qui tibi violenter plus tollit, & cum requie vende. Ego enim aliquando vadens in mercatum, numquam volui de pretio operis mei plus iuuari, & fratrem meum grauari, hanc habens spem, quia lucrum fratris mei opus fructificationis est.

AGATHONIS. Pelag. libell. 4. n. 8. *Ne in viâ quidem alienum quid tollendum.*

6. Venit quidam frater ad abbatem Agathonem dicens: Pater, permitte me habitare tecum: suscipiensque illum vidit nitrum in manu eius, & dicit ei: Vnde habes nitrum? respondit frater: Inueni illud in viâ dum venirem. Dixit illi senex: Tu illud posueras? respondit: Non. & dicit ei senex: Si ergo tu non posueras, quomodo veniens habitare mecum hoc tulisti quod non posueras? dum præ oculis Deum & mandata eius habemus, dicentem: Non concupisces, Non facies furtum. (Deut. 5.) An ignoras, quia qui furatur rem alienam, dæmon efficitur? Mox autem remisit eum, dicens: Reporta illud id locum vnde tulisti, & habita mecum.

SISOII. Pelag. libell. 10. n. 56. titulo Pastoris. Pasch. 36. n. 4. *Hereditas quomodo vtiliter distribuenda.*

7. Interrogauit frater abbatem Sisoium, dicens: Dimissa est mihi hereditas à parentibus meis, quid de illâ faciam? respondit senex: Quid tibi dicam, frater? Si dixero tibi: Da illam in ecclesiam clericis, epulantur ex ipsâ. Si dixero: Da consanguineis tuis, nullam mercedem habebis. Si ergo me vis audire, da illam egentibus, & sine sollicitudine eris.

MOYSIS. Pelag. libel. 1. n. 14 tit. Pastoris. Ezech. 14. *Paupertas, tribulatio, discretio, tria monachi instrumenta.*

8. Abbas Moyses dixit: Priuatio rerum materialium, id est, voluntaria paupertas, & tribulatio cum patientiâ, & discretio, instrumenta sunt monachi. Scriptum est enim: Si fuerint tres viri isti, Noë, Iob, & Daniel; viuo ego, dicit Dominus, ipsi salui erunt. Noë enim est in personâ voluntariæ egestatis, Iob in personâ tribulationis & patientiæ, Daniel in personâ discretionis. Si ergo trium istorum sanctorum virorum actus in aliquo homine fuerint, Dominus in eo est, habitans cum ipso, suscipiens eum, & repellens ab eo omnem tentationem & omnem tribulationem superuenientem ab inimico.

TRIVM FRATRVM. Pelag. libel. 17. n. 20. *Insignis trium fratrum ex charitate contentio.*

9. Referebant patres sancti: Tres fratres fuerunt ad conductionem agri metendi, & postquam conduxerunt & cœperunt metere, vnus ex his infirmatus discessit in cellam suam: alij ergo duo fratres dixerunt ad inuicem: Frater noster infirmatur, adhortemur nos ipsos modicum, & speremus per orationes illius, quia & locum ipsius metemus. Postquam ergo messuerunt, & acceperunt mercedem [a] conductelæ suæ certam tritici mensuram, tunc vocauerunt & illum fratrem, dicentes: Veni, leua mercedem conductelæ tuæ. Ille autem dixit: Qualem mercedem habeo, cùm non potuissem metere? illi verò responderunt: Propter orationem tuam nos compleuimus & tuum opus & nostrum, & ideò accipe mercedem tuam. Ille autem noluit ab eis aliquid accipere: multis autem illum compellentibus, & illo non acquiescente, abierunt ad quemdam senem [b] diiudicari: dixit autem frater qui infirmatus fuerat: Perreximus, domine mi abba, nos tres metere conductum agrum; infirmatus autem ego post vnum diem discessi in cellam meam, & modò compellunt me isti tollere mercedem pro opere quod non laboraui. Respondentes autem duo fratres dixerunt: Audi, domine noster pater, si fuissemus toti tres, cum labore grandi fortasse completuri fuissemus opus nostrum: nunc per orationes fratris nostri Deus nos adiuuauit, & perfecimus totum agrú, & non vult tollere mercedem suam. Hæc audiens senex miratus est nimis, & conuocatis fratribus suis dixit: Venite fratres, & audite hodie iustitiæ iudicium. Exposuit

fuit vtriusque partis singula verba, & omnes mirati sunt in vtrisque; vno quidem non consentiente accipere aliquid, illis verò compellentibus violenter suscipere fratrem mercedem suam. Tunc adstantibus omnibus ordinauit fratrem accipere mercedem suam, & dispensare eam sicut vellet. Ille verò abijt tristis & plorans.

SENIS. Paschas. c.42. n.2. 10. Dixit senex: Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si iniurietur non irascitur, si glorificetur non extollitur.

SISOI. Paschas. c.37. n.1. *Ira fuga.* 11. Dixit abbas Sisoius: Cùm fuissem aliquando cum fratre in mercato vendere sportellas, videns quia iracundia appropinquabat mihi, dimittens nostra vascula fugi.

IOANNIS. Paschas. c.37 n.2. Pelag. l.4. n.20. 12. Dixit abbas Ioannes: Ascendens aliquando viam eremi Scithiæ, & texens plectam, audiui camelarium loquentem sermones vanos; & ne fortè irascerer, dimisi plectam meam, & fugi.

EIVSDEM. 13. Idem senex, in sectura messis dum esset audiuit fratrem proximo suo cum irâ dicentem: Et tu loqueris? & dimittens agrum fugit.

POEMENIONIS. Ioan. 15. Ruff. lib. 3. n.201. Pelag. libell. 17. n.10. Pasch. c.37 n.3. 14. Interrogauit frater abbatem Pœmenionem, dicens: Quid est quod Dominus dixit: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt quis animam suam pro amico suo ponat: quomodo hoc fiet? Respondit senex: Si quis audit verbum malum à proximo suo, & dum possit ipse similia illi reddere, pugnat tamen in corde suo, portans laborem tristitiæ, & vim sibi facit, ne respondens illi malum contristet illum, iste talis animam suam ponit pro amico suo.

MACARII Pelag. libell. 10. n.34. Paschas. c.37. n.4. 15. Item abbas Macarius dixit: Si reminiscimur malorum quæ ab hominibus patimur, perdimus virtutem memoriæ Dei: si autem recolamus malorum quæ à dæmonibus patimur, sine perturbatione erimus.

EIVSDEM. Ioann. libell. 1. n.7. tit. *Incerti.* Paschas. c.37. n.4. 16. Idem dixit: Culpa est monachi, si læsus à fratre aut iniuriatus, primùs illi purgato corde in charitate non occurrat. Nam Sunamitis non meruisset suscipere Elisæum in domo suâ, nisi quia cum nullo aliquam habuit caussam. Sunamitis erat in personâ animæ, & Elisæus in personâ Spiritus sancti figuratus, nisi pura anima non meretur suscipere Spiritum Dei. Ideò ira inueterata excæcat oculos cordis, & animam excludit ab oratione.

POEMENIONIS. 17. Interrogauerunt fratres abbatem Pœmenionem pro quodam fratre ieiunante sex diebus perfectè in septimanâ, iracundiosè autem nimis, propter quod hoc pateretur? respondit senex: Qui addiscit sex diebus ieiunare, & non vincere iracundiam, oportebat illum in paruo labore magis studium adhibere.

SENIS. 18. Abbas Pœmenius habebat proximum suum monachum secum in cellâ, qui habebat caussam cum alio fratre foris monasterium suum sedente, & dixit ei abbas Pœmenius: Proxime mi frater, nolo te habere aliquam actionem cum aliquo, qui foris monasterio nostro est. Ille autem non audiuit eum. Surgens autem abbas Pœmenius, venit ad alterum senem magnum, & dixit ei: Proximus frater meus habet caussam cum aliquo foris monasterio nostro, & non requiescimus. Dixit ei senex: Pœmeni, & tu adhuc viuis? sed vade in cellâ tuâ, & pone in cordo tuo quia habeas annum *Cella sepulcrum.* quòd in sepulcro sis.

POEMENII. 19. Sedente aliquando abbate Pœmenio in cellâ, litigauerunt fratres ad alterutrum nimis, & nihil locutus est omnino illis senex. Ingrediens autem abbas Paphnutius, inuenit eos rixantes, & dixit ei: Quare dimisisti fratres, & non es illis locutus ne litigarentur. Dixit illi Pœmenius: Fratres sunt, iterùm pacificantur. Dixit ei Paphnutius: Quid est hoc? vides quia rixantes vsque ad sanguinem pænè venêrunt, & tu dicis quia iterùm pacificantur? Dixit ei Pœmenius: Sic pone frater in corde tuo quia non sum hîc. Sic ergo erat quietus & tacens cum charitatibus abbas Pœmenius. *Abbas Pœmenius quietus & tacens.*

EIVSDEM. *Detrahenti non attendendum.* 20. Venerunt aliquando hæretici ad abbatem Pœmenionem & cœperunt detrahere de Archiepiscopo Alexandriæ: senex autem tacebat. Vocans autem discipulū suum, dixit illi: Pone mensam, & fac illos manducare, & sic dimitte illos cum pace.

EIVSDEM. *Quomodo sedendum in cellâ.* 21. Interrogauit frater Abbatem Pœmenionem dicens: Quomodo oportet sedere in cellâ? Respondit: Sedere in cellâ est manifestè operari manibus, & meditari verbum Dei, & quiescere, & solitariè panem tantùm edere. Absconsus verò profectus est: sedentem suas reprehensiones semper arctare, & vbicumque vadit, orationum canonicas horas implere, & secretiùs non negligere, sed meditare: postremò conuersationem bonam retinere, à malo verò recedere.

INCERTI. Pelag. libell. 3. n.22 Paschas. c.21. n.4. *Increpatio timorem generat.* 22. Interrogauit frater senem, dicens: Cor meum durum est, & non timet Deum: quid faciam vt possim timere Deum? Respondit: Ego sic arbitror, quia homo arguans seipsum semper in corde suo, peruenit ad timorem Dei. Dixit frater: Quid est arguere seipsum? Respondit senex: Vt in omni caussâ arguat animam suam, dicens ei quòd oportet adstare ante Deum; & iterùm dicere: Quid volo ego cum homine aliquam habere malitiam? Arbitror ergo quòd si in istis permaneat, veniet in animam eius timor Dei.

MACARII Pasch. c.38. n.2. *Quis monachus immortalis.* 23. Abbas Macarius dixit: Si facta est monacho despectio quasi laus, & paupertas sicut diuitiæ, & esuries sicut epulæ, numquam moritur. Impossibile enim est benè credentem & piè colentem Deum, cadere in passionem immundam & in errorem dæmonum.

SENIS. *Deus semper præ oculis habendus.* 24. Dixit senex, Surgente vel ambulante vel sedente vel aliud quodlibet faciente, si est Deus præ oculis tuis, in nullo poterit te inimicus exterrere. Si ergo cogitatio hæc manet in homine, virtus Dei adhæret illi.

PETRI. Pelag. libell. 11. n.26. *Os tuum clauis ostij alieni. Omnium doctrina luctus.* 25. Dixit quidam frater Petro abbati: Cum in cellâ sum, in pace est anima mea; cùm autem egredior foris, si audiero aliquos sermones loquente fratre conturbor. Respondit senex: Clauis tua aperit ostium alienum. Dixit illi frater: Quid est hoc verbum? Respondit senex: Quia interrogatio tua aperit ostium sermonis illius, vt audias quæ non vis. Dixit frater: Quid ergo faciemus superueniente fratre, quid loquemur ad illum? Respondit senex: Omnium doctrina luctus est. Vbi non est luctus, non potest obseruari.

SISOII. Paschas. cap.39. n.1 *Semper are... manda anima.* 26. Requisiuit frater abbatem Sisoium: Post quantum tempus debet homo à se abscidere passiones? Respondit senex: In quacumque horâ venerit passio, abscide illam, quia fragilis est anima; antè armetur, quàm inquinetur.

AGATHONIS. *Passiones quomodo fugandæ.* 27. Quidam frater requisiuit abbatem Agathonem, dicens: Non discedunt à me passiones. Respondit senex: Vasa ipsorum intra te sunt; da illis arrhas retributionis ipsorum, & fugient à te.

INCERTI. 28. Quidam frater venit ad aliquē anachoretam, & cùm ille in charitate suscepisset illum, discedens

dens dixit illi: Indulge mihi, abba, quia de consuetudine tuâ moui te. Ille autem respondit, dicens: Mea consuetudo est, frater, vt venientem reficiam cum pace, redeuntem dimittam cum charitate.

Quomodo hospites recipiendi.

SENIS. 29. Requisiuit frater senem, dicens: Quomodo Deus cùm promittit bona animæ per sanctas Scripturas, & non vult anima in illis manere, sed inclinatur ad transitoria & immunda? Respondit senex: Quia necdum gustauit dulcedinem cælestium, vt ex toto corde exquirat Deum; ideò ad immunda citiùs reuertitur.

SENIS. 30. Requisiuit frater senem, dicens: Quomodo anima delectatur in passiones. Respondit: Anima delectatur in passiones, sed Spiritus Dei est qui continet illam. Plangere ergo debemus, & attendere quæ in nobis immunda sunt, rogantes Deum, qui potens est in omnibus, vt amputet à nobis maligna semina. Maria ergo dum inclinans se in monumentum fleuit, mox apparuit illi: sic est & in animâ, si lacrymas diligat.

SENIS. 31. Interrogauit frater senem, dicens: Dic mihi, abba, verbum salutis. Respondit: Vade, roga Deum vt donet tibi luctum habere & humilitatem, & attende semper ad peccata tua.

POEMENII. 32. Dicebant de abbate Pœmenio, quòd cùm in ecclesiâ in congregationem egressurus erat de cellâ suâ, sedebat priùs quasi horâ vnâ, discernens in se ipso cogitationes suas, & sic ingrediebatur.

SENIS. 33. Frater requisiuit senem, dicens: Quid faciam pro peccatis meis? Respondit: Qui vult liberari à peccatis, planctu liberatur ab eis, & qui vult in se ædificare virtutes, planctu ædificet. Ipsa enim Scriptura planctus est. Nam & patres nostri hoc discipulis suis dixerunt: Plangite. Altera enim via non est ad vitam nisi ipsa.

SENIS. *Pelag. libel. 3. n. 13. tit. Pastoris. De sepulcro cogitandum.* 34. Requisiuit frater senem, dicens: Quid faciam, pater? Respondit: Abraham quádo ingressus est terram repromissionis, sepulcrum priùs acquisiuit sibi, & propter sepulcrum hereditauit terram. Dixit illi frater: Quid est sepulcrum? Respondit: Locus est planctus & luctus.

MOYSIS. *Ruff. l. 3. n. 202. tit. Incerti. Ioan. libel. 4. n. 4.* 35. Abbas Moyses dixit: Si non concordant actus & oratio, in vanum laborat homo. cùm enim orat quis pro se ipso, vt indulgeantur illi peccata, obseruet ne illa faciat iterùm. Quando enim voluntatem peccandi quis dimiserit, & ambulat permanens in timore Dei, istum mox cum gaudio suscipiet Dominus.

SENIS. *Ruff. l. 3. n. 203. Psal. 117.* 36. Requisiuit frater sené, dicés: Quid faciet homo in omni tentatione veniente super se & omni cogitatione immissâ ab inimico? Respondit: Plangere debet in cóspectu bonitatis Dei, vt succurrens auxilietur illi. Scriptum est enim: Dominus mihi adiutor est, & ego vindicabo super inimicos meos.

SENIS. *Ioan. libell. 4. n. 7. tit. Moysis.* 37. Interrogauit frater senem: Ecce homo cadit seruum suũ pro culpâ quam fecit, quid dicet tunc seruus domino? Respondit: Si non est seruus malus, dicet domino, Peccaui, miserere mei, & aliud nihil dicit. Sed cùm ipse cognoscit peccatũ suum, & confitetur quia peccauit, indulget illi dominus.

SENIS. 38. Requisiuit frater senem: Si fuerit persecutio pro caussâ fidei, vbi est fugiendum? Respondit: Vbi audieris orthodoxos esse fideles, illic vade.

POEMENIS. *Ruff. l. 3. n. 100. Pelag. libell. 9. n. 8. Pasch. c. 39. n. 2.* 39. Requisiuit frater abbatem Pœmenem, dicés: Quid faciam, quia conturbant me cogitationes sedentem in cellâ? Respondit: Neminem despicias, nullum diiudices, de nullo malum loquaris, & Deus dabit tibi requiem, & statuet sessionem tuam sine conturbatione: custodi enim sermonem, & qui seipsum intendit, & discretio, directiones sunt animæ. Si quis ergo proijciat seipsum in conspectu Dei, & non seipsum exaltans mensuret cũ magnis, & suam voluntatem non statuat, sed sedens in cellâ suâ ordinem suum seruet, non conturbatur, quia hæc sunt animæ instrumenta. Ex omnibus tamen his totâ hæc virtute custodi, vt non statuas propriam voluntatem, & habebis requiem. *Vnde quies.*

SENIS. 40. Interrogauit frater senem, dicens: Quid faciam, quia molestant me cogitationes? Respondit: Vade & loquere eis. Dicite mihi, quid quæro ego, aut quam caussam habeo vobiscum? & habebis requiem. Esto despectus, & voluntatem tuam iacta post te, nullam habeas sollicitudinem, & fugient à te cogitationes.

SENIS. 41. Interrogauit frater senem, dicens: Quare aliquoties dum psallo festino ad finem celeriùs peruenire? Respondit: Quomodo ergo apparebit homo, qui amat Deum, nisi cùm aliqua submissio dæmonis est, & tunc compellimus nos ipsos violenter charitate & timore Dei retenti.

SENIS. *Ruff. l. 3. n. 104. Pasch. c. 39 n. 3.* 42. Idem dixit: Succensæ ollæ non appropinquát muscæ, tepidæ verò superinsidunt. Ita & monachum succensum diuini Spiritus igne fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt.

EIVSDEM. Item dixit: Si te persequuntur aduersarij, primò fuge, secundò fuge, tertiò esto rhomphæa contra ipsos, & exies super eos, concide illos.

POEMENIS. *Pelag. libell. 13. n. 5. Ostium linguæ claudendum.* 43. Quidam frater venit ad abbatem Pœmenem in diebus quadragesimæ. & dum consuluisset illum pro cogitationibus suis, dixit seni: Dubitabam in his diebus venire huc; dicebam enim: Ne fortè in diebus quadragesimæ inclusus esses. Respondit senex: Non didicimus nos ligneum claudere ostium, sed magis ostium linguæ.

IOANNIS. 44. Venerunt aliquando fratres de Scithi ad Ioannem monachum in silentio sedentem & operantem: cumque salutassent eum, conuersus in alteram partem cœpit operari. Dicunt illi fratres: Ioannes, quis tibi dedit schema monachi, & quare non docuit te suscipere fratres, & dicere illis: Orate, vel, Sedete. Dicit eis Ioannes: Non vacat homo peccator: ad hæc dicit abbas Theodorus: Verum dices: Homo, qui est in supplicatione & pœnitentiâ. Deus non requiret hoc mandatum.

POEMENIS. *Psal. 50.* 45. Frater requisiuit abbatem Pœmenem, dicens: Pater, doce me quid faciam. Respondit: Scriptum est: Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

SENIS. *Pasch. c. 41 n. 1. Psal. 49.* 46. Requisiuit frater senem, dicens: Pater, quid faciam? Respondit: Vade, & ama tibi ipsi vim facere; euagina gladium tuum, & exi in bellum. Dicit ei frater: Non me permittunt cogitationes. Respondit senex: Scriptum est, Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Inuoca ergo Deum, & eripiet te.

THEODORI & OL. *Pelag. libel. 5. n. 19.* 47. Erant aliquando abbas Theodorus, & abbas Or mittentes lutum in tectum cellæ, & dixerunt vnus ad alterum: Modò si visitat nos Deus quid sumus facturi? Tunc ad alterutrum ambo plangentes dimiserunt opus imperfectum, & vnusquisque in cellam suam recesserunt.

SILVANI. *Ruff. l. 3. n. 105. Pelag. libell. 3. n. 15* 48. Abbas Siluanus dum sederet in cellâ factus in extasi pendebat in facie suâ, & post multas horas surgens plangebat. Adstans autem discipulus eius dixit: Quid habes, pater? Ille autem tacens plangebat. Dum autem molestus illi esset discipulus, vt

vt diceret ei cur plangeret; violenter compulsus dixit: Ego in iudicium raptus sum, fili; & vidi multos schematis monachilis euntes in supplicijs, & multos laicorum euntes in regnum.

ZACHARIAE. Pelag. libell. 15. n. 17.

49. Abbas Moyses venit ad puteum haurire aquam, & vidit fratrem Zachariam orantem, & Spiritum Dei super eum requiescentem.

IOANNIS. Pelag. l. 11. n. 13. *Ioannes temporalia ad spiritualia trahit.*

50. Dicebatur de abbate Ioanne, quia numquam permittebat cogitationem otiosam ascendere in corde suo, neque loquebatur de caussis sæculi huius. Tentauerunt ergo eum fratres, dicentes: Gratias agimus Deo, pater: pluit enim nimis, & palmæ arbores irrigatæ producunt germina, ex quibus inueniant fratres folia quæ operentur. Dicit illi senex: Sic est, fratres, & Spiritus Dei cùm descenderit in corda sanctorum, adaperiuntur, & producent fructus in timore Dei.

SENIS. Matth. 25. *Monachis Deum in cellâ tamquam in carcere inuenit.*

51. Interrogauit frater senem, dicens: Quid est quod dixit Dominus: In carcere eram, & venistis ad me? Respondit: Licet hoc in proximis sibi Dominus imputet factum, tamen quia carcer est sedere in cellâ, si quis sedens in cellâ memoriam semper habeat Dei, illi rectè dicendum est: In carcere eram, & venistis ad me.

BESARIONIS. *Qui cogitationibus resistendû.*

52. Requisiuit frater senem, dicens: Quid faciam, quia cogitationes me conturbant? Respondit abbas Besarion: Tu quiesce, & non te mensures cum magnis, sed esto tacens in corde tuo.

ANTONII. *Quid seipsum pro nihilo æstimare.* Psal. 72.

53. Interrogauit frater abbatem Antonium, dicens: Quid est pro nihilo seipsum homo æstimare? Respondit: Similem se iumentis irrationabilibus æstimare, pro eo quòd nihil diiudicant sicut scriptum est: Ego autem velut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

EIVSDEM. Pelag. libell. 1. n. 2. *Continentia lingua & ventris.*

54. Requisiuit abbas Pambo abbatem Antonium, dicens: Quid facio sedens in cellâ? Respondit: Non sis confidens in merito iustitiæ tuæ, & non cogites de rebus transitorijs, & esto tenens linguam & ventrem.

SENIS. *Aestimatio inter homines fugienda.*

55. Requisiuit frater senem, dicens: Putas bonum est habere æstimationem bonam in conspectu hominum? Respondit: Æstimationes istæ virtutem non habent. ne ergo velis æstimationem habere apud fratrem tuum, sed magis fuge.

SENIS. *Quæ perfecta humilitas.*

56. Interrogauit frater senem, dicens: Quid est humilitas? Respondit: Si quis benefacit facienti sibi malum, humilitas perfecta est. Dicit frater: Quòd si non potest quis ad hanc mensuram venire vt hoc faciat? Respondit: Fugiat, & quiescat.

SENIS. *Humilitas profectus monachi.*

57. Frater requisiuit senem, dicens: Quid est profectus monachi? Respondit senex: Humilitas. Quantum enim quis in humilitate inclinatur, tantum proficit in excelso.

SENIS. Pasch. c. 13 n. 10.

58. Requisiuit frater senem, dicens: Quomodo anima suscipere potest humilitatem? Respondit: Si sua semper scrutetur mala.

Ruff. l. 3. n. 171. POEMENII. Pasch. c. 22 n. 2.

59. Abbas Pœmenius dixit cum gemitu: Omnes virtutes ingressæ sunt in cellam meam præter vnam virtutem, & ex eius labore stat homo. Interrogauerunt eum fratres, quæ esset ista virtus talis? Respondit senex: Vt semper seipsum reprehendat homo.

SENIS.

60. Quidam frater rogauit senem, dicens: Veni in cellam meam, si mereor vt lauem pedes tuos. Ille autem noluit. Iterùm secundò & tertiò dixit illi: & non iuit. Nouissimè abijt in cellam senis, & mittens pœnitentiam ante ipsum, rogauit eum vt veniret in cellam eius. Et surgens venit cum eo, & dixit ad senem: Quare toties antè rogatus non venisti? Respondit senex: Cùm verbis solùm dicebas, non satisfecisti cordi meo vt venirem; cùm verò monachile opus humilitatis vidi in te, & ego tunc gaudens veni ad te.

61. Dixit senex: Quod non didicit homo, & ipse non obseruauit, quomodo docere proximum potest? esto ergo semper humilis ad discendum. SENIS.

62. Dixit senex: Virtus monachi est, in omni tempore seipsum arguere. SENIS.

63. Dixit senex: Non potest homo videre cogitationes suas foris, sed cùm intus insurgunt, & si quis est bellator, expellit illas. SENIS.

64. Dixit senex: Opus monachi est, videre cogitationes suas à longè. SENIS.

65. Dixit senex: Caussa quæ non præuidetur, non permittit nos in meliora proficere. SENIS.

66. Dixit senex: Non mensures teipsum, sed adhære benè conuersanti. SENIS.

67. Dixit senex: Omnem caussam quam non abscidit à se homo, iterùm in ipsâ implicatur. SENIS.

68. Dixit senex: Omnis labor qui superuenit homini, victoria est illi. SENIS.

69. Dixit senex: Abominatio est ante Deum omnis carnalis delectatio. SENIS.

70. Dixit senex: Si venerit tibi cogitatio pro carnali necessitate, & tangit te semel & bis & tertiò, non audias. SENIS.

71. Dixit senex: Si non dixerit homo in corde suo, Quia Deus & ego solus in isto mundo sumus, non habet requiem. SENIS. Pelag. libell. 11. n. 5 tit. *Alloit.*

72. Dixit senex: Peregrinatio est tacere. SENIS.

73. Dixit senex: Imminuens quis humanam notitiam & ventrem habet requiem. SENIS. Pasch. c. 32. n. 4.

74. Dixit senex: Oportet monachum cor forte habere ad singula, & saluabitur. SENIS.

75. Dixit senex: Si videris vel audieris aliqua, non renunties fratri, quia nutrimenta sunt pugnæ. SENIS.

76. Dixit senex: Voluntas propria, & requies, & consuetudo istorum deijcit hominem. SENIS.

77. Dixit senex: Charitas, & taciturnitas, & occulta meditatio operantur puritatem. SENIS.

78. Dixit senex: Quæcumque super mensuram sunt, dæmonum sunt. SENIS.

79. Dixit senex: Quid opus est ædificare alienam domum & propriam subuertere? SENIS.

80. Dixit senex: Vnicuique inter medium Dei & hominis propria voluntas murus est æreus & petra anteposita. Si ergo superauerit homo voluntatem suam, potest verissimè dicere: Et in Deo meo transgrediar murum. SENIS. Psal. 17.

81. Dixit senex: Nos derelinquentes rectam & luminosam viam, per spinosam & tenebrosam gradimur; id est, derelinquentes plangere nos ipsos & nostra peccata, in negligentias proximorum semper aspicimus. SENIS.

82. Dixit senex: Non est monachus qui de alio detrahit; non est monachus qui reddit malum pro malo; non est monachus iracundus; non est monachus cupidus, superbus, auarus, aut elatus, aut verbosus: sed qui verè monachus est, humilis & quietus, & charitate plenus, habens timorem Dei semper in corde suo. SENIS.

83. Dixit senex: Vide ne contemnas fratrem tibi astantem; nescis enim vtrùm in te sit Spiritus Dei an in illo. SENIS.

84. Dixit senex: Humilitas & castitas & timor Dei superiora sunt omnibus virtutibus. SENIS.

85. Di-

SENIS. 85. Dixit senex: Æqualis est caussa monacho, si contra eum qui vi nocuit, caussare velit ac si contra diabolum.

SENIS. 86. Dixit senex: A minore actione vsque ad maiorem quam agit homo, totum in fastu eius ponitur, siue in cogitationibus, siue in operibus.

SENIS. 87. Dixit senex: Humilitas non est sumptus, sed in omni sumptuali est condimentum.

SENIS. 88. Dixit senex: Humiliare seipsum, & despectum se apud ipsum habere, pro muro est monacho.

SENIS. 89. Dixit senex: Qui vult ædificare domum, multa necessaria procurat, vt possit perficere; ita & monachum multam curam habere oportet vt possit opera Dei perficere.

SENIS. 90. Dixit senex: Beatus qui sustinet laborem cum gratiarum actione.

SENIS. 91. Dixit senex: Non est fortior virtus quàm nullum spernere.

SENIS. 92. Dixit senex: In omnibus sibi vnumquemque vim facere, hæc est via Dei, & opus monachi.

SENIS. 93. Dixit senex: Qui sibi vim facit propter Deum, similis est homini confessori.

SENIS. 94. Dixit senex: Homo habens mortem præ oculis omni horâ, vincit pusillanimitatem.

SENIS. 95. Dixit senex: Esto liber in loquendo, non seruus.

SENIS. 96. Dixit senex: Impossibile est sine custodiâ oris proficere hominem vel in vnâ virtute: prima enim virtus custodia oris est.

SENIS. Pelag. libell. 3. n. 4. titulo *Elia*. 97. Dixit senex: Ego tres res timeo, id est, cùm anima egressura est de corpore, & cùm in præsentiâ Dei venturus sum, & cùm sententia contra me data fuerit.

SENIS. 98. Dixit senex: In quocumque loco sedens non respicias ad illos qui habent consolationem suam, sed ad egenum non habentem panem aut requiem.

SENIS. 99. Dixit senex: Si habes passionem, & relictâ illâ pro aliâ te oras Dominum, non exaudieris: sed primùm pete pro impugnatione tuâ, & cùm pulsans ingressus fueris, tunc pro alijs aliqua petitione roga.

SENIS. 100. Dixit senex: Tria sunt ista capitula, timor Dei, & oratio assidua, & benè facere proximo suo.

SENIS. Pelag. libell. 15. n. 32 titulo *Pastoris*. 101. Dixit senex: Sicut flatus egrediens de naribus sine quo non viuitur, ita homo timorem Dei & humilitatem semper debet habere in se.

Pasch. c. 27. n. 2. 102. Dixit senex. Quid opus est incipere artificium, si non discat perficere illud? nihil est ergo quod incipitur & non perficitur.

SENIS. 103. Dixit senex: Homo si cordi tuo non satisfacit, ne credas illi conscientiam cordis tui.

SENIS. 104. Dixit senex: Constitue tecum nulli vmquam homini malè facere, sed purum habere cor ad omnem hominem.

SENIS. 105. Interrogauit frater senem, dicens: Si videro inter fratres aliquam negligentiam, iubes vt arguam? respondit: Si sunt seniores vel coætanei tui, humiliter admone sine increpatione, vt in hoc ipso humilis inueniaris.

SENIS. Pasch. c. 43. n. 1. tit *Serapionis*. 106. Frater requisiuit senem, dicens: Fratres alii mecum cohabitant, & volunt ipsi vt ego illis præcipiam, quomodo iubes vt faciam? respondit: Fac tu quod præcipis, vt non tantùm illis præcepta, sed & formulam præbeas.

MACARII 107. Dicebant pro abbate Macario maiore, quia sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata hominum, ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, & ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns & non audiens.

108. Interrogauit abbas Moyses abbatem Sil- SILVANI.
uanum, dicens: Potest homo per singulos dies
apprehendere initium? respondit: Si est opera- Pasch.
rius, potest per singulos dies sumere initium: c. 43. n. 2.
oportet enim apprehendere vnumquemque parum aliquid ex omnibus virtutibus. Singulis ergo diebus surgens manè, sume initium vnum in *Monibus*
omnem virtutem, & in omne mandatum Dei. *proposita*
In magnâ patientiâ & longanimitate, cum timore *Intuenda*.
& charitate Dei, cum humilitate animæ & corporis, in multâ sustentatione, in tribulatione & commoratione cellæ, in oratione & deprecatione, cum gemitu, cum puritate cordis, & oculorum, & custodiâ linguæ & sermonum, in abrenuntiatione rerum materialium & desideriorum carnis, in certamine crucis, id est, cruciatione & paupertate spiritus, in continentiâ spirituali & agone pugnæ, in pœnitentiâ & luctu, in simplicitate animæ & taciturnitate, in ieiunio & vigilijs nocturnis, in operatione manuum secundùm quod
docet Paulus Apostolus, dicens: Operantes ma- 1. Cor. 11.
nibus nostris, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus & tribulationibus, in necessitatibus & angustijs & persecutionibus, in foueis &
speluncis & cauernis terræ. Esto factor verbi, & Iacobi 1.
non auditor tantùm, operans talentum in duplo, habens vestem nuptialem, firmatus super firmam petram, & non super arenam. Eleëmosyna & fides non te derelinquant, cogitans omnem diem mortis
esse vicinam, & quasi iam clausus in monumento Ruff. l. 3.
nihil de hoc sæculo cures. Inedia escarum, & hu- n. 206. tit.
militas, & luctus non recedant à te, & timor Dei *Incerti*.
permaneat in te omni horâ. Scriptū est enim: Pro-
pter timorem tuum Domine in vtero accepimus, Isa. 26.
& doluimus, & peperimus spiritum salutis. Hæc ergo & si qua alia virtus est, in his perspice, ne teipsum mensures cum magnis, sed crede te inferiorem esse omni creaturæ, id est, deteriorem à quouis homine, quamlibet peccatore. Habeto discretionem, discernens temetipsum, & non diiudices proximum, neque inspicias aliena delicta, sed tua plange peccata, & de nullius hominis actibus sollicitus sis. Esto mansueti spiritus, & non iracundi. Nihil in corde tuo contra aliquem cogites mali, nec habeas inimicitiam in corde tuo, neque odium contra inimicantem tibi sine caussâ, neque irascaris inimicitiæ eius, neque despicias eum in necessitate & tribulatione eius, nec reddas malum pro malo, sed esto pacificus cum omnibus; hæc est enim pax Dei. Non te credas malum facienti, neque congaudeas ei qui facit proximo malum. Non detrahas alicui, quia Deus cognoscit omnia, & videt vnumquemque. Non credas detrahenti, neque congaudeas ad malè eloquium eius.
Non oderis aliquem propter peccatum ejus, quia Matth. 7.
scriptum est: Nolite iudicare, & non iudicabimini; neque despicias peccantem, sed ora pro illo, vt det illi Dominus conuersionem in patientiâ, & misereatur illius, potens enim est Dominus. Et si audieris pro aliquo quia agit iniqua, responde dicens: Numquid ego iudex sum? homo sum peccator, mortuus sub peccatis meis, & lugens mea propria mala: mortuus enim caussam non habet curare pro aliquo. Hæc omnia ergo qui cogitat & procurat,

curat, operarius est vniuersæ iustitiæ sub gratiâ & virtute Domini nostri.

Moysis. 109. Hæ sunt sententiæ septem, quas locutus est abbas Moyses ad abbatem Pœmenionem, quas si quis in cœnobio, aut in solitudine, aut in ipso sæculo positus custodierit, poterit saluari.

Ioannes libell. 4. initiò per aliquot numeros. 1. In primis, sicut scriptum est, debet homo diligere Deum ex totâ animâ & ex totâ intelligentiâ suâ.

2. Debet homo diligere proximú sicut seipsum.

3. Debet homo mortificare seipsum ab omni malo.

4. Non debet homo diiudicare fratrem suum in aliquâ causâ.

5. Non debet homo malum facere alteri.

6. Debet homo priusquam exeat de corpore, mundare seipsum ab omni inquinamento carnis & spiritus.

7. Debet homo semper cor contritum & humiliatum habere. Quod ille potest implere, qui semper sua peccata & non proximi considerat, opitulante gratiâ Domini nostri Iesu Christi, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN APPENDICEM AD VITAS PATRVM NOTATIO.

IN HERACLIDIS PARADISVM.

1. HERACLIDIS.] *Prima editio addit,* quondam Palæstinæ episcopi. *quod vnde promptum sit, ignoro. Certè deest hoc manuscripto meo, quem ex abbatiâ Amandinâ, à vetustâ quidem manu, sed valdè mutilum, nactus sum. MS. Moretianus, Venalianus & Insulensis* Paschasium *siue* Palladium diaconum *libri huius auctorem faciunt. Eadem prima editio in fine libri Heraclidem* Bithyniæ episcopum *facit. Meminit huius Petrus à Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* XI. *cap.* LXXXVII. *& quæ ibi de eo texit, ex hoc libro desumpta sunt; quare non exscribo.*

2. AVT TRACTAT.] *Propriè vertit interpres, quod in Herueto est,* habet sermonem. *Græcè,* οὐχ ὁμιλεῖ. *Hinc sæpè in scriptis Patrum* Tractatus *&* Tractatores. *Vide Onomasticon.*

Cap. II. 3. ET NEPOS.] *Quid* nepos *hic faciat, non video, an* Nepos *nomen proprium? sed nulla eius vestigia vel in Palladio veteri, vel in Palladio Herueti. Nam Palladius vetus cap.* V. *habet*, fratres Dracontij, viri mirabilis. *Palladius Herueti:* & Ioannis filij fratris Dracontij, viri admirabilis. *Græcè est in Veneto MS.* Καὶ Ἰωάννου τοῦ ἀδελφοῦ Δρακοντίου ἀνδρὸς θαυμασοῦ: Et Ioannis fratris Dracontij viri mirabilis. *vt verear ne pro* ἀδελφοῦ, fratris, *legerit interpres Heraclidis* ἀδελφιδοῦ, nepotis. *Aliàs suspicari quis possit* Ἀδελφίου *legendum. Certè & infrà c.* XXXIII. *occurrit* Adelphius *inter monachos cum Ammonio, Pambone, & aliis. Hæc in primâ editione palpans in tenebris scripseram vel diuinaram; nunc hac secundâ editione cùm textus Græcus Palladij perfectior prodierit, totum hunc locum ita corrige:* Et Origenes Dracontij viri admirabilis nepos. *In Græco Parisiensi est:* Ὠριγένους τοῦ ἀδελφιδοῦ Δρακοντίου ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ θαυμασοῦ.

4. HIC IDEM SANCTISSIMVS CVM A RVFFINO.] *Baronius tomo* IV. *anno Christi* CCCXCIV. *Siricij Papæ* X. *Theodosij Imp.* XVI. *agens de Synodo Constantinopolitanâ in encœniis ita ait: Quamobrem illud existimo huiusmodi episcoporum conuentum non conuocatum esse vel ecclesiasticorum dogmatum caussâ, vel disciplinæ ecclesiasticæ terminandæ studio; sed ad hoc, vt nouam basilicam apostolorum Petri & Pauli nomine erectam à Ruffino præfecto prætorio, penes quem summa erat in toto Orientali Imperio auctoritas, ijdem dedicarent: huncque ipsum esse conuentum episcoporum, cuius Palladius (intelligit Baronius hunc nostrum Heraclidem, vt monui Prolegomeno generali* IV. §. III. *) res suorum temporum scribens meminit, cùm de Euagrio Pontico agit, qui vnà cum Ammonio & aliis ex Ægypto vocatus à Ruffino eâ de caussâ Constantinopolim venit.* Hic idem, *inquit*, sanctissimus cùm à Ruffino, *&c. subdens de Ammonio ibidem defuncto, & in eadem basilicâ Ruffinianâ dictâ, sepulto. Certè quidem ad dedicationem basilicarum vocari solitos è remotissimis quoque regionibus episcopos, quæ dicta sunt superiùs de Antiochena ac Ierosolymitana ecclesiarum encæniis docent.* Pallad. in Lausiac. cap. 2.

Meminit eiusdem à Ruffino erectæ basilicæ Sozomenus lib. VIII. *cap.* XVII. *ædificatamque fuisse ait trãs mare prope Chalcedonem, in loco dicto,* Ad Quercus: *vbi ab eodem Ruffino sumptuosa villa exstructa erat, erectæque regiæ ædes, ipsaque basilica in honorem præcipuorum apostolorum Petri & Pauli dedicata, dicta quoque nomine communiori,* Apostolæum; *in quâ posteà à Theophilo episcopo Alexandrino collecta Synodus fuit aduersus Ioannem Chrysostomum, vt suo loco dicetur. Hactenus Baronius.*

5 BVCCELLATVM.] *Ita legendum ex MS. cùm* Cap. VI. *anteà esset* buccellatim. *Vide Onomasticon.*

6. MAT-

6. MATTA.] *Ita vertit interpres, quod apud Palladium in Græco est* ψίαθ☉. *Vide Onomasticon.*

7. CARCINVS.] *Retinuit interpres Græcam vocem* καρκιν☉, *qui Latinis* cancer.

8. BELVA QVÆDAM.] *Palladius hic habet* hyænam. *An igitur hic* belua *pro* belba *est, id est* hyænā? *Certè b & u sæpè inter se commeant. Sic infrà c. XI. vbi in nostro* feræ, *in Palladio* hyænæ. *Capitolinus in Gordiano* III. Belbi, id est hyænæ decem. *Quamquam &* belua *quoque pro hyænâ scribitur. Gloss.* ὕαινα ζῶον, belua. *Certè* belua *apud auctores nunc pro elephanto, nunc pro hyænâ, nunc pro ceto capitur. Pro* hyænâ *quoque videtur capi hic suprà cap. V. in Nathanaële:* multæ enim beluæ illa esse per deserta noscuntur. *vbi Heruetus ex suo Græco textu vertit:* Sunt enim hyænæ in his locis.

CAP. VII. 9. CVRIALIS.] *Heruetus cap. XXII. Palladij:* seruus cuiusdam qui regebat Rempublicam: οἰκέτης ὑπῆρχέ τινος πολιτευομένου. *Vide Onomasticon.*

10. ITALICOS.] *MS. Moretianus & Insulensis,* cyathos. *In Palladio Græcè est cap. XXII.* Ξέστας [illegible] Ἰταλικῶν δέκα καὶ ὀκτώ. Cùm saltem Italicorum circiter octodecim ebibisset.

11. CLEMONEM MALORVM CONSORTEM SVORVM.] *In Græco Palladio Parisiensi,* συμπαίκτην αὐτοῦ, collusorem suum. *In Palatino erat* συμπράκτης. *Vtrobique autem in Græco erat* δαίμονα *pro* Κλήμονα. *Sed ex Heraclide Palladius emendandus. De eadem historiâ Sozomenus lib. VI. cap. XXIX.*

CAP. IX. 12. SCHOLASTICVS.] *Apud Palladium Græcum cap. XXVI.* σχολαστικὸς ὑπῆρχεν ἐκ τῶν ἐγκυκλίων παιδευμάτων, disciplinarum liberalium scholasticus. *Vide Onomasticon.*

13. REPAVSO.] *Id est, refectio, non obuiâ significatione. Apud Græcum Palladium est,* ἀναπαύου, *quod significat* reficere. *hoc interpres Latino* repausandi *verbo expressit.*

14. SATIS VEREOR.] *Id est,* valdè vereor. *Ita sæpe capitur in sacris litteris, & aliis auctoribus.*

15. LENTICVLAM.] *Apud Palladium cap. XXVI. Græcè est* φακόν, lentem, *quam existimo fuisse pultem ex lente, vt aliàs his in libris occurrit.*

CAP. X. 16. ORGYIAS.] *Heruetus in Palladio c. XXVIII.* ὀργυίας, *vertit* vlnas.

CAP. XII. 17. FAGEDÆNAM.] *Græcis* φαγέδαινα. *Latinis* Phagedæna, *triplici significatu. Vel enim vlcera in genere significat, quæ semper maiora & deteriora fiunt; vel certam speciem vlceris tumidi, profundi, vicinas partes exedentis; vel nimiam cibi appetentiam. Vide Ioannis Gorræi Definitiones medicas.*

18. VALETVDINIS.] *Id est, inualetudinis. Sic suprà cap. VI.* Caput consumptum erat illâ valetudine, quæ carcinus nominatur.

CAP. XV. 19. CILICENSES.] *An amphora vel lagena ex Ciliciâ? Vide Onomasticon.*

20. ENEVS.] *Fabri editio* Eneus, *Lipomani,* Æneus, *tamquam si ad proprium aliquod nomen alluderetur. Sed Græcum verbum retinuit interpres,* eneus *ab* ἐνεὸς *vel* ἐννεὸς, *quod significat,* perculsum, mutum. *Vide dicta suprà libro I. ad Vitam Abrahæ cap. V. notat. 10. & Onomasticon.*

CAP. XIX. 21. LAPSANAS.] *Id est, olera agrestia. Vide Onomasticon.*

CAP. XXII. 22. TRIVM SIBI VOLVMINVM CELLVLAS FECIT.] *Id est,* trium tholorum, *seu* tres tholos, τρεῖς θόλους, *vt est apud Palladium cap. XLIII. Vide Onomasticon.*

C. XXIV. 23. CONLVSOREM SVVM.] *In Palladio capite LXXXIII. Græcè est,* συμπαίκτην αὐτοῦ. *Heruetus vertit* exercitatorem, qui cum colluderet. *Intellige eum subornasse quemdam monachum, qui eum nimis distraheret.*

24. PERIODEVTÆ.] *Explicat ipse,* presbyteri, multarum ecclesiarum curam gerentis. *Deest hoc Palladio. Vide Onomasticon.* CAP. XV.

25. OXYRINCHAM.] *Palladius Heraeti capite LXXXVI. habet* celerem manum. *An igitur Heruetus in Græco inuenit* ὀξυχειρής, *pro quo Heraclidis interpres legerit litterarum transpositione,* ὀξυρύγχα? *Græcus Palladij textus Venetus MS. habet* ὀξύρυγχον. *Paris.* ὀξύρυγχον. *Vide Onomasticon.*

26. VNVM EPETA, ALTERVM NONAXON, TERTIVM ANTIPHYRON.] *Hic verò hæreo, nec video qui me expediam. Palladius Herueti capite LXXXVI. hæc tantùm habet:* Composuit tres sacros libros monachorum, qui dicuntur [illegible], hoc est, Contradictoria. *Inuenio in MS. Veneto:* Συνετάξατο τρία βιβλία ἱερομοναχικά, ἀντιρρητικὰ καλούμενα.

Subiungam hic auctores, qui agunt de operibus Euagrij, si fortè ex ipsis verum exsculpere possimus. Inprimis hæc de Euagrij scriptis narrat Socrates lib. IV. c. XXIII. secundùm Græcos, vel XVIII. iuxta Latinos: Τούτῳ καὶ βιβλία ἄγαν ὠφέλιμα συγγέγραπται· ὧν τὸ μὲν, Μοναχὸς, ἢ περὶ πρακτικῆς ἐπιγέγραπται· τὸ δὲ, Γνωστικὸς, ἢ πρὸς τὸν καταξιωθέντα γνώσεως. κεφάλαια δέ ἐστι πεντήκοντα. τὸ δὲ, Ἀντιρρητικὸς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν πρὸς τοὺς πειράζοντας δαίμονας, εἰς ὀκτὼ διῃρημένον μέρη, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ὀκτὼ λογισμῶν. καὶ ἑξακόσια προγνωστικὰ προβλήματα. Ἔπη μὲν καὶ στίχηρα δύο, ἓν πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίοις ἢ ἐν συνοδίαις μοναχοὺς, καὶ ἓν πρὸς τὴν παρθένον. *Suid.* ἃ τινα ὅπως ἐστὶ θαυμαστά, οἱ ἐντυγχάνοντες εἴσονται. *Socrat.* Itemque libri ab illo accuratè conscripti: quorum vnus, Monachus, siue de viuendi ratione, quæ in agendo cernitur: alter Gnosticus, siue scientiâ præditus, dicendus fit; in quo sunt capita quinquaginta: alter Antirrheticus, id est, aduersus dæmones tentantes confutatio, ex Sacris litteris collecta, inque octo partes diuisa, numero octo cogitationum mentis nostræ aptè respondentia. Sexcenta præterea problemata de rerum præsensione futurarum. His accedunt duo carminum libri: vnus, ad monachos qui in cœnobiis & conuentibus ætatem degunt, alter ad virginem. Qui quidem quàm eximij sint, facilè intelligent hi, qui sunt eos perlecturi. *Quæ totidem verbis habes apud Suidam in* Μακάρι☉, *& Nicephorum lib. XI. c. XLII. Gennadius verò de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. XI. hæc prodit:*

Euagrius monachus, supradicti Macarij (Aegypti) familiaris discipulus, diuinâ atque humanâ litteraturâ insignis, cuius etiam liber, qui attitulatur VITÆ PATRVM, *velut continentissimi & eruditissimi viri mentionem facit, scripsit multa monachis necessaria. Ex quibus ista sunt:*

Aduersum VIII. principalium vitiorum suggestiones, *quas aut primus aduertit, aut inter primos didicit,* VIII. ex sanctarum Scripturarum testimonijs opposuit libros: *ad similitudinem videlicet Domini, qui tentatori suo semper Scripturarum testimoniis obuiauit, ita vt vnaquæque species vel diaboli, vel vitiatæ naturæ suggestionum, contra se haberet testimonia. Quod tamen opus eadem simplicitate, quâ in Græco inueni, iussus in Latinum transtuli.*

Composuit & anachoretis simpliciter viuentibus librum

librum centum sententiarum *per capitula digestum. Et eruditis ac studiosis* quinquaginta sententiarum *ego Latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum, quia vitiatum per tempus & confusum vidi, partim reinterpretando, partim emendando, auctoris veritati restitui.*

Composuit & cœnobitis & synoditis doctrinam aptam vitæ communis.

Et ad virgines Deo sacratas *libellum competentem religioni & sexui.*

Edidit & paucas sententiolas *valdè obscuras; & (vt ipse in his ait) solis monachorum cordibus cognoscibiles. quas similiter ego Latinis edidi.*

Vixit longâ ætate, signis & prodigiis pollens. Hactenus Gennadius.

Ex his Euagrij Operibus tria nunc hæc dubia vel explicanda vel corrigenda.

An quia dicitur scripsisse στιχηρὰ, *quod Christophorsonus apud Socratem* carminum libros, *Langus apud Nicephorum* versuum libros *vertunt, pro* Epeta *legendum est* Epea, *à Græco* ἔπη*? Sanè manuscr. Moretianus* Epea *disertè habet. Quamquam alij* στιχηρὰ *vertunt* Elementaria, *vt Palthenius in præmissis ad Homilias S. Macarij. Nisi quis suspicetur* epea *ortum ex Græco* IEPA, *quæ pars est verbi* ἱερομοναχικά. *Equidem librarij sæpè* P *Græcum cepêre pro* P *Latino, & Græca Græcè scripta velut Latinis litteris scripta exscribebant. Similem coniecturam suggeram mox ad Palladij Lausiacam c. IX. Notation. 4.*

Iam reliquorum duorum vocabulorum facilior est ratio. Pro Nonazon *enim videtur legendum* Monachon; *nam eo nomine librum ab Euagrio scriptum testantur auctores.*

Pro Antiphyron *legero* Antirrheticon. *Ita etiam in Græco Veneto pro* ἀντιφυτικὸν *restituendum* Ἀντιρρητικόν.

Cap. XXV. 27. POSCAM.] *Palladius Herueti*, prisanam. *vbi in Græco est* πτισάνη. *Lexicon Græco-Latinum vetus:* Ὀξύκρατον, posca. *Infrà capite* XLII. Per reliquum æui sui tempus poscâ & sicco pane contenta viuebat. *Ita ibi restituo pro vulgato* posteà. *Nam Palladius Herueti cap.* CXLV. *in eadem re habet* oxycraton. *Græcè est* ὀξύκρατα, *quod propriè* posca. *Manusc. Moretianus & Insulensis pro* poscâ *habebant* aquâ.

C. XXIX. 28. INTER QVAM PAVLAM ROMANAM, MATREM TOXOTII.] *Heraclides MS.* Inter quas & Paulam nomine, vrbicam quamdam, Toxotij matrem, mulierem prudentem & spiritualem vidisse me memini, cuius filia Eustochium nomine apud Bethlehem vsque ad præsens tempus in monasterio suo degit: quoniam ipse quidem nescio, audiui tamen à pluribus ipsam esse castissimam, habentē quinquaginta virgines secum. *Heraclides Fabri eodem modo, nisi quòd pro* Toxotij *habet* Eustochij.

C. XXIX. 29. IVSTÆ SEMPER.] *Palladius cap.* CXXIX. Vsia *proprium nomen habet. Heraclides videtur* iustam *Theodoræ epitheton facere.*

C. XXXIII 30. DEXTRO PEDE.] *Quid* dextro pede numerari? *Credo intelligitur Chronium à cellâ suâ versus dextram abiisse ad desertum, & ibi puteum effodisse. Id est, locus vbi puteus effossus est, distabat à Phœnice vico, vnde oriundus erat Chronius, quindecim millibus passuum,* dextro pede numeratorum, *id est, eundo à cellâ eius versus dextram. Apud Palladium capite* LXXXIX. *Græcè est:* Ἀπομετρήσας ἀπὸ τῆς ἰδίας κώμης πλησίον οὔσης τῆς ἐρήμου μυρίους πεντακισχιλίους βήματα, τῷ δεξιῷ ποδὶ ἀριθμούμενα.

31. CHOREPISCOPVS.] *Antè erat*, Coëpiscopus. *sed Palladius cap.* CVI. χωρεπίσκοπον *habet. Vide Onomasticon.* C. XXXVII

32. AMATÆ.] *Existimo hîc errorem esse in Heraclidis interprete: nam Palladio cap.* CXXXVII. *dicitur* Amma Talida. *Iam vides vnde* Amata *profluxerit.* Amma *in his libris aliquoties occurrit pro nomine appellatiuo, non proprio.* C. XLVIII

33. MAVORTE.] *Mox cap.* XLIX. quidquid vestium sericarum in mauortibus habuit. *Scribitur nunc* mauorte, *nunc* maforte, *Græcis* μαφόριον. *Vide Onomasticon.*

34. COLOTHVS VOCABVLO MARTYR, QVI EISDEM COLEBATVR LOCIS] *Hinc Palladius Herueti explicandus. Vbi vulgatus marginum notator margini adscripserat:* Martyr hîc dicitur, qui præest martyrio. *sed imposuit illi non plana Herueti versio.*

35. PARENS.] *Caue hîc* parentem *pro patre accipias. Sæpè æuo inferiore* parens *pro cognato & affini accipitur. Sic suprà cap.* II. Habebat autem & nonnullos parentes, inter quos filiam sororis suæ adoptauerat sibi. *& sequenti cap.* LI. non amico se, non clerico, non parenti, non cuiquam alij se credidit atque commisit. *Palladij vetus interpres capite* XII. Non tamquam parenti, sed tamquam seruo Dei, & monacho hæc offerimus. *Loquitur soror Marciano fratri. Vide Onomasticon.* Cap. L.

36. AGENTEM IN REBVS.] *Palladio dicitur*, Magistrianus. *Nec ibi pro nomine proprio accipias. Dixi aliàs de hoc Magistriani nomine ad Martyrologium Adonis* II *Iulij. Vide etiam suprà ad Pelagium libello* VI. *num.* 24. *Vide Onomasticon.* Cap. LIII.

37. NE AFFECTIBVS QVIDEM PARCERENT SVIS.] *Videtur insinuare, tantam famem fuisse, vt homines ne quidem* affectibus suis, *id est, liberis parcerent. Palladius Græcus habet cap.* CXIV. Λιμοῦ γενομένου μεγάλου καὶ κατὰ σπλάγχνων χωροῦντος πάντων ἀνθρώπων. Cùm esset magna fames, & quæ omnium hominum peruadebat viscera. *Auctores sæpè vsurparunt* affectus *pro liberis. Vide Onomasticon.* Cap. LIV.

IN PALLADII LAVSIACAM.

1. BRVMVM.] *Intelligit* fœtorem. *Inde* brumosum, *fœtidum. Vide dicta suprà ad librum* III. *num.* 39. *notat.* 9. Cap. II.

2. TAVREA.] *Malè hoc cepit Heruetus pro* pelle taurinâ, *quasi carnifex taurinâ pelle induatur. Vult Palladius carnificem* taureâ *seu flagello instructum.* Cap. VIII

3. GRVTARIA.] *Heraclides cap.* VI. *simpliciter vocat* negotiatorem. Cap. IX.

4. NEAPOTEPONTA.] *Diuinabam proximè ad litteras has accedens,* παρογέροντα, *vel* νεογέροντα. *Nempe* P, *id est* ρ *Græcum, primis editoribus visum fuit esse* P *id est* p *Latinum. Apud Palladium capite* XIX. *dicitur* παιδαριογέρων.

5. NEBVLÆ.] *Heraclides cap.* 6. crabrones. *Credo Palladij veterem interpretem incidisse in corruptum codicem, & pro* σφῆκας *legisse* νέφος *vel* νεφέλην, nubem, nubilum, nebulam, *vel simile aliquod Græcum affine vocabulum.* Cap. X.

6. DEHABENT.] *Rarius verbum, nec facilè obuium. Heraclidis interpres cap.* II. *hoc effert:* si forsitan egere videantur. *Heruetus in cap.* VI. *Palladij:* si quid eis defuerit. *Hieronymus ep.* XXII. *ad Eustochium De custodiâ virgin.* vt nemo quid postulet, nemo dehabeat. Cap. XIII.

CAP. XIV. 7. ZABERNAM.] *Heraclidis interpres cap.* VII. *saccum habet. Ita & Hernetus Palladij nouus interpres c.* XXII. *Græcè in Palladio Veneto est* ζάβερνα, *in alijs* σάκκον. *Vide Onomasticon.*

CAP. XV. 8. PRÆFECTIANI.] *Ita correxi ex coniecturâ; Nam MSS. destituimus, cùm antè esset,* præfaciani. *Noti* præfectiani *posterioribus sæculis, pro apparitoribus Præfecti prætorio. Et res ipsa hic ita capiendum docet.*

9. ITALICVM OLEI.] *Sic cap.* VIII. *Heraclidis,* decem & octo Italicos ipsius vini solus exhausit. *Vide Onomasticon.*

10. LIBRALEM MANVM.] *Heraclides cap.* XXV. *celerem manum.* Oxyrincham. *Palladius Herneti cap.* LXXXVI. *Intelligit Euagrium fuisse antiquarium, vel* ταχυχέρον *vel* καλλιχέρον. *Vide Onomasticon.*

11. RHINOCEROTIS DVCERET.] *Palladius Herneti cap.* LXXXVI. *antè habebat:* adeò vt corpus eius, non secùs ac corpus ferarum animantium, scateret muscis. *correxi nunc*, ricinis scateret. *Heraclides cap* XXV. vt per corpus ipsius totum quædam papulæ illi, quas sæpè in corporibus vidimus, exirent. *vbi Græcè:* Ὥστε τὸ σῶμα αὐτοῦ καθάπερ τῶν ἀλόγων ζώων κροτῶνας ἐκβράζειν. Κρότων *Græcis nunc* ricinus, *id est vermis canibus infestus, nunc frutex est, nunc oleæ morbus, nunc cartilaginea pulmonis bronchea.*

Sed quis hic sensus, quæ constructio? vt corpus eius sicut irrationalis animalis rhinocerotis duceret? *si* rhinocerotis *iungatur cum* animalis, *deest sensui aliquid, & nesciò an* rugas duceret, *vel simili aliquo modò supplendum sit. Quid vastum animal* rhinoceros *hic faciat, (si quidem alios interpretes inspiciamus) non video.* ricinus *pro Græco vocabulo* κρότων *facit. an ergo legendum* ricinos duceret, *id est*, ricinis *vermibus vel insectis scateret? an* cynorrhaistas duceret, *quòd* κρότων *seu* ricinus *etiam Græcis dicitur* κυνοῤῥαϊστὴς *à canũ infestatione? Atque ita* ricinus *vel* cynorrhaistes *degenerasset in* rhinocerotis.

Vnam hanc coniecturam adhuc annectere placet, vt *leganeur* durescerer, *pro*, duceret. *ita & sensus & constructio constabit. Notum durissimam rhinocerotis pellem esse. Vide Onomasticon.*

Κρότων *etiam Græcis pro vlcere capitur apud Pollucem lib.* V. *cap.* XV. *An igitur ex diurnâ nocturnaque sub dio statione totum exulceratum est? ita accepit hic* κροτῶνας *Heraclidis interpres, qui* papulas *vertit.*

CAP. XVI. 12. PISPER.] *Fluminis huius nomen deest Herneti versioni. Ab huius vicinitate ipse mons Antonij interiam vocatur. Ruffinus lib.* II. *Hist. cap.* VIII. Pœmen & Ioseph in Pispiri, qui appellatur mons Antonij.

13. CHINDII VINI.] Chindium vinum *nondum mihi alibi lectum. Notum vinum* Chium. *Sed non existimo intelligi de vino Chio, quasi eius vsus apud eremitas Ægyptios fuerit. Potius lege* Chydæum. *Notum vinum* Chydæum *inter vina factitia è Chydæis palmulis: Plinius lib.* XIV. *cap.* XVI. *Vide Onomasticon.*

IN ÆGYPTIORVM PATRVM SENTENTIAS.

1. MARTINO.] *Fuit hic abbas Dumiensis, & Bracarensis episcopus. Vide Prolegom.* XXV.

2. CONDVCTELÆ.] *Ita MS. Toletanus. in MS.* Num. 9. *S. Floriani est*, conductilem. *Inferiori sæculo variè voces formatæ eâ inflexione.* conductela *pro conductione variùs occurrit.*

3. DIIVDICARI.] *Ita MS. Toletanus. sed in MS. Florianiest* dirimari.

4. ET MITTENS POENITENTIAM ANTE IPSVM.] Num. 60. *Interserebatur in MS. Toletano glossema:* id est, iactans se ad pedes eius, *quæ vera est explicatio eius, quod Græcis est* βάλλειν μετάνοιαν. *Vide dicta suprà ad Vitam S. Basilij cap.* XI *n.* 54. *& Onomasticon.*

ONO-

ONOMASTICON RERVM ET VERBORVM DIFFICILIORVM

Quæ in his Patrvm Vitis occurrunt.

MEMINERIS, Lector, multa in Notationibus explicata, quorum hîc nulla fit rememoratio. Rariora nunc tantùm quædam attingo, quæ suprà obiter perstricta, nunc pluribus firmantur testimoniis. Quamquam & nonnulla hîc annotata inuenies, quorum nulla in Notationibus facta mentio. Nec omnia tamen, quæ de singulis collegi, nunc insimul do. Sufficiant hæc nunc ad lucem quarumdam rerum & verborum obscuriorum.

ABSIDA. *Vita Macarij Romani cap.*VIII. Et ecce ante nos maximam inuenimus absidam, in circuitu scriptam. *Ita constãter MSS.*

Dubitatum olim an absis an verò absida diceretur. Paulinus Seuero epistolâ duodecimâ: In quâ æquè absidem factam indicauit. Sed de hoc absidam aut absidem magis dicere debuerim, tu videris: ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. *Quem locum respicit Isidorus lib.*XV. *Originum cap.*VIII. Sed vtrùm absidam an absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam doctorũ existimant. *Vtrumq; auctoribus vsurpatũ.*

Occurrit absis *apud S. Augustinum epist.*CCXXV. *ad Albinam:* Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores & grauiores ascẽderant. *Concilium Carthaginense* III. *can.* XXXII. Cuiuscumq; autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersa Ecclesia nouerit, ante absidem manus ei imponatur. *quod etiam citatur Capitularium lib.*V. *Tit.* LIII. *& in Decreto causâ* XVI. *q* IX. *Aimoinus lib.*IV. *capite* CCLII. Absis ecclesiæ.

Absidam *habet Augustinus ep.*CCIII. *ad Maximinum episcopum Donatistarum:* Transit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem. *Euodius lib.*I. *cap.*III. *de miraculis B. Stephani:* Cùm in loco absidæ super cathedram velatam essent reliquiæ constitutæ. *& lib.*II. *c.*I. Ipsaque etiam per se gradus absidæ conscendens, vniuersis eminùs conspicienda adstabat. *Isidorus lib.*XV. *Origin. capite* VIII. Absida Græco sermone, Latinè interpretatur lucida, eo quòd lumine recepto per arcum resplendeat. *Quæ exscribens VValafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap.*VI. Absida Græcè, Latinè lucida dicitur, quia lumen acceptum per arcum intromittit. *Gregorius Turonensis De gloriâ martyrum lib.*I. *cap.*LXIII. In pariete, qui à parte erat oratorij, absidam collegit. *ita MS. vulgò,* in absidâ collegit. *Idem libro De gloriâ Confessorum, cap.*XCVI. ante vitream absidam, quâ sancta (*Albini*) concluduntur membra, sedebat. *ita MS. Idem libro de Vitis Patrum in Gregorio Lingoniensi episcopo, cuius reliquias Tetricus episcopus transferre volebat:* Ante altare Basilicæ fundamenta iacit, erectaque absidâ miro opere construit, & transuoluit. *ita MS. Hincmarus Rhemensis episcopus de gestis habitis pro diuortio Thietbergæ, respectans ad Concilium:* Et sacri canones iubent, vt pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuùm & cilicium super capita à sacerdote, sicut vbique vulgatum est, ante absidam capiant. quod vnusquisque publicè pœnitens ab episcopo suo, de cuius parochiâ est, debet suscipere. *Annales Francorum pag.* 29. In absidâ ecclesiæ. *Glossæ veteres:* Absida, sedes episcoporum. *Ibi sedem episcopi fuisse, declarat locus Augustini suprà ep.* CCXXV. *vbi præcedit:* ad nostra subsellia relictâ turbâ redieram.

Absidas *has loco eminentiore fuisse, ideoque gradatas, declarant loca Augustini & Euodij suprà adducta. Leo Marsicanus lib.*I. *cap.*XIX. In basilicæ absidâ mediâ, ad quam per octo gradus ascenditur, altare constituit.

Supersedeo plura aggerere loca. Hæc autem aggessi, vt ex iis absidæ *vsus aliquo modo innotesceret. Onuphrius Panuinius in explicatione vocum quarumdam ecclesiasticarum* absidæ *nomine intelligit, quam Itali* ecclesiarum tribunam *vocant.* fortè quia olim vocabatur tribunal. *vel certè* tribunal *in abside erat. Gregorius Turonensis lib.*II. *Miracul. cap.* II. Denique oratione factâ, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos:

Heroas Christi geminos hæc continet aula,
Iulianum capite, corpore Ferreolum.

Quod Hesychius ἀψῖδας, præter rota circulum etiam καμάρας explicat, dum ait, ἀψῖδες, τὰ κύκλα τῶν τροχῶν αἱ περιφέρειαι, ἢ καμάραι, intelligit id de quo hactenus egimus. Sic camera *Gregorio Turonensi lib.*I. *De gloriâ martyrum cap.*XLVII. Dum in honore

ipsorum martyrum, Missarum sollemnia celebrarentur, cecidisse è camerâ tabulam vnam. *Seuero Paulinus ep.*XII. Basilica igitur illa, quæ ad Dominædium nostrum communem patronum in nomine Domini Christi iam dedicata celebratur, quatuor eius basilicis addita, reliquiis apostolorum & martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis, non solo B. Felicis honore venerabilis est. Absidem solo & parietibus marmoratam camera musiuo illusa clarificat.

Ex dictis quadruplex absidæ vsus eruitur, tum vt significet curuaturam rotæ, tum arcum cui aliqua fit inscriptio, tum locum editiorem vbi sedet episcopus, tum cameram in quâ reliquiæ Sanctorum conduntur. quæ ferè Glossarium Camberonense manuscriptum exprimit: Absida dicitur exedra, id est, sacratorium: vel loculus, id est feretrum. *Idem:* Absida Græcè interpretatur lucida, eò quòd lumine accepto per arcum resplendeat. *quod verbotenus ex Isidoro suprà citato acceptum vides. Idem:* Absida, sphæra seu hemisphærium.

ABSPES. *Vita Onuphrij cap.*X. Abspes eram multoties vitæ. *quod Græcis ἀπελπίζω.*

ACIES. *Leontius in Vitâ S. Ioannis Eleemosynarij cap.*XXI. quæ collecta erant à Mauris in acie ipsorum. *Dubium videri possit an in Græco fuerit φάλαγξ, quod nunc aciem seu multitudinem exercitus, nunc trutinam significat. Certè hîc statera fit mentio, in quâ dicuntur actus eius appensi. Hinc aginari & acinari à scapo trutinæ. Festus:* Agina est, quâ inseritur scapus trutinæ, id est, in quo foramine trutina se vertit. vnde aginatores dicuntur qui paruo lucro mouentur. *Glossarium Camberonense MS.* Aginator, negotiator; dictus ab aginâ. Agina enim dicitur illud foramen, in quo scapus trutinæ inseritur, & in quo trutina se vertit. Inde aginator dicitur, qui paruo lucro mouetur. *Idem:* Aginare, explicare, agitare, fugare, dictum ab aginâ, quod est scapus trutinæ, quæ ideò sic vocatur quòd eâ mensura ponderis agatur. *Glossa Isidori:* Agginantes, explicantes. *Et quia* g *&* c *mutuas sibi operas præstant, hinc in Glossis Isidori:* Acinari, tricari, in paruo morari. *Ita etiam habet Glossarium Camberonense MS.*

Aliâ significatione in Glossario: Aginat, σρατεύεται. Aginare, σρατεύειν. *Existimo enim intelligi* Agentes in rebus *qui pars militiæ erant. Ios. Scaliger ad Festum legit* βαντεύεται *&* βαντεύειν, *id est,* negotiari. *fortè quispiam diuinabit legendum* σραγγεύειν *&* σραγγεύεται. *nam à* σράγξ gutta, *fit* σραγγεύω, guttatim exprimo. *& metaphoricè,* premo, & quasi per angustum foramen exire cogo.

ACVTI. *Pelagius libello* XV. *n.*48. Sicut impossibile est nauim fabricari sine acutis. *An in Græco ab* ὀξὺς *aliquod nomen deductum fuerit, quod interpreti occasionem dederit vertendi* acutos, *equidem nescio. Existimo tamen hîc per* acutos *intelligi* ἥλους ἢ γόμφους, clauos vel gomphos, *quod vtrumque in nauium compactione refertur à Polluce, lib.* I. *c.* IX. *§.*2. *Isidorus lib.* XIX. *Orig. cap.* XXXIV. Clauati quasi calueati, eò quòd minutis clauis, id est, acutis soleæ caligis vinciantur. *Sic fortè ab acutis gomphis rastrum, instrumentum rusticum, dictum Græcis* ὀξίνα. *Hesychius:* Ὀξίνα, ἐργαλεῖόν τι γεωργικὸν σιδηροῖς γόμφοις ἔχον, ἑλκόμενον ὑπὸ βοῶν: Oxina, instrumentum rusticum, ferreis gomphis constans, quod à bobus trahitur. *Aliud infrà* Bis-acuti.

ADVIVERE. *Probum verbum, sæpè in* adhuc viuere *mutatum. Hieronymus in Vitâ Malchi, capite* III. vt dum aduiueret mater. *Idem lib.* I. *contra Iouinianum cap.* XXVIII. Licet certior hereditas sit, dum aduiuis, benè abuti substantiâ tuâ, quàm tuo labore quæsita in incertos vsus relinquere. *Tertullianus de animâ cap.* LVII. & hi vel maximè, qui in ipsis tunc fuerunt cùm aduiuerent. *Gregorius Turonensis lib.* [illegible]. Dum aduiuit possideat. *Ictis quoque nota vox, L.* XXVIII. *§. Testamento. D. De liber. leg. L.* XXX. *D. De adim. leg. L.* XXX. *§. Testamento. D. De testam. milit. Leg. Visigoth. lib.* IV. *Tit.* II. *L.* 13. Medietatem verò, dum aduixerit, pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. *In iisdem lib.* V. *Tit.* II. *Leg.* Ita & illa, quæ vsu hoc ad possidendum percepit, omnia dum aduixerit, sine cuiuslibet inquietudine suis incunctanter vtatur expensis. *Item lib.* XII. *Tit.* III. *L.* 13. Iurare debebunt, quia quæ eorum professio continet, sincero & non maculato corde profiteantur, se donec aduixerint conseruare.

ÆGYPTVS *olim variè diuisa, seu prouincias, seu diœceses spectes. Vide Philippi Berterij Pithanôn Diatribam* I. *cap.* IV. *Sæpè apud auctores occurrit Ægyptus inferior & superior. Socrates lib.* IV. *c.* XVIII. Ægyptum superiorem *opponit* Alexandriæ. *agens enim de duobus Macariis ait:* Ὧν ὁ μὲν ἐκ τῆς ἄνω Αἰγύπτου ἦν· ὁ δὲ ἐκ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως. quorum alter ex superiore Ægypto, alter ex vrbe Alexandriâ oriundus. *Ferè Thebais & Ægyptus inter se distinguuntur. Hieronymus in Vitâ Pauli primi eremitæ:* Multas apud Ægyptum & Thebaidem tempestas sæua populata est. Ægyptus *absolutè posita, vel totam regionem Ægypti significat, vel etiam Thebaidam comprehendit, vel partem eius circa Alexandriam, quam vocant* Ægyptum inferiorem; *vti* Thebaida *vocant* superiorem Ægyptum. *Ptolemæus de Delta & fluuiis circa Delta in inferiore Ægypto:* Καλεῖται δὲ κοινῶς ἡ περὶ τούτους τοὺς ποταμοὺς χώρα κάτω: Vocatur autem communi vocabulo regio, quæ circa hos est fluuios, inferior. *& de superiore parte, seu Thebaide:* Τὰ δὲ ἐπὶ μεσημβρινώτερα τῆς Ἑπτανομίας καλεῖται Θηβαΐς, καὶ ἄνω τόποι: Quæ autem adhuc australiora Heptanomis sunt, vocantur Thebais, & loca superiora. *Regiones & diœceses Ægypti & Thebaidis colligi possunt ex subscriptione Concilij Niceni, & aliorum.*

ÆTHER *neutro genere. Vita Onuphrij cap.* XVI. Æthera angelicis cantibus resonantia. *Complures auctores sequiore æuo ita Æther vsurparunt. Ennodius lib.* II. *epist.* XIII. Non sic pernix æther acta neruis arúdo proscindit: *Idem lib.* VI. *ep.* XXXVIII. Faciliùs credo cursus fluminum in diuersa reuocari, & relictis fluentorum alimoniis æther vacuum pisces expetere. *Idem in Apologetico de Synodo:* Videbant æther tantùm directis à se iaculis verberari. *Marius Victor Massiliensis lib.* I.

Sed quid id est quòd mundus erat, quòd sidera & ortus,
Ætheraque & vitreum pelagus.

Beda in Vitâ Cutperti, cap. IX.

Clausa diu reserans credentibus æthera sæclis.

Fortunatus lib. IX. *Carm.* I.

Aëra temperie faueant tibi tempora pace.

Aldelmus De octo principalibus vitiis:

Adduci merear, Christo regnante per æthra.

ita MS. ęthra *pro* æthera, *vbi Canisius* ęthrā *substituit. Idem De laude virginitatis in præfatione:*

Aut Zonæ mundi, quæ stipant æthera celsa.

Idem

*Idem cap.*v. *in Ioanne Baptista:*

Æthera celsa tonant dum fatur Rector Olympi.

*Idem de Laude virginitatis cap.*xxxvi. *in S. Thecla:*

Quamuis verborum rorarent imbre parentes,
Sicut nimbosis stillabant æthera guttis.

*Idem ibidem cap.*xxiii. *in S Babyla:*

Æthera glauca petit deuictâ morte triumphans.

Affectvs, *id est, parentes, liberi, & nepotes, quibus adfectum & amorem naturâ duce debemus. Heraclides* c.liv. Nam cùm adeò illi fame quodam tempore laborarent, vt homines ne affectibus quidem parcerent suis. *Apuleius de Philosophiâ:* Nec angetur charissimis orbatus affectibus. *Marcus Imperator:* Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius adfectus perueniat. *Capitolinus Maximino:* Timentes igitur milites, quorum adfectus in Albano erant. *Idem Gordianis:* Adfectus suos vnicè dilexit, filium & nepotem vltra morem, filiam & neptē religiosè. *Idem in Antonino Philosopho:* Antoninus quidē nō est satis motus defectione Cassij, nec in eius affectus sæuiit. *Vulcatius Gallicanus in Auidio Cassio:* Nec tamē Antoninus grauiter est iratus rebellione cognitâ, nec in eius liberos aut adfectus sæuiit. *Paulinus senior ad militem:* Ideò nec affectū, nec patriam, nec honores, nec diuitias Deo præferre debemus. *Paulinus iunior in Eucharistico:*

— iamdudum cunctis adfectibus expers,
Primâ socru, ac matre dehinc & coniuge functâ.

Agape. *Pelagius libello* xiii. *nu.*15. vt acciperent agapem. *Clarè hic agape vsurpatur pro eleemosynâ, seu parte aliquâ, quæ ex charitate egenti datur. Sæpiùs hac vox in his libris occurrit. Pelagius libello* x. *num.*46. Semino agrum meum, & facio ex ipso agapem. *Idem libello* xv. *num.*31. præbentes ei, quæ necessaria erant, vt faceret pro eis agapem. *Palladius cap.* xviii. & fero panes, quoniam est agape tui noti fratris; & cras illucescente Sabbato opus est oblationibus. *Heraclides cap.* v. quia ipse frater tuus agapen facturus est. *Sic Cassianus Collatione* xxiv. *capite* xii. agapen alienæ operationis exspectat: agapen *vocat opem largitionis alienæ, & opponit rei, quam quis proprio labore comparauit. Tertullianus ad martyres cap.* ii. Imò & quæ iusta sunt, caro non amittit per curam ecclesiæ & agapen fratrum. *Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib.*1. *cap.*xxvi.

Signat adesse dapes agapes, sed liuidus obstat.

Capitur ferè pro sollemni conuiuio in templis vel memorijs Martyrum exhiberi olim solito. Vide Concilium Gangrense can. xi. *Laodiceum can.* xxvii. *&* xxviii.

Agens in rebvs. *Heraclides cap.* liii. Iuuenem quemdam agentem in rebus, *&c.* commouit. *Quo loco Palladius cap.* xlviii. *Græcè* μαγιστριανὸς *habet. Erat è Palatinis officiis. Ambrosius epist.*xiii. *lib.*ii. *ad Marcellinam sororem:* Palatina omnia officia, hoc est, memoriales, agentes in rebus, apparitores diuersorum comitum. *Tamen & in prouinciis species annonarias curabant, & præerant etiam euectioni publicæ. dicuntur &* Magistriani. *Vide infrà.*

Almiridenses. *Vita Epicteti & Astionis cap.*vi. In Scytharum fines ingressi sunt, atque in Almiridensium ciuitatem deuenerunt. *Ex his colligitur* Almiridensium *ciuitatem in Scythiâ esse. Sed apud quem auctorem huius vrbis memoria? Existimo* Almiridensium, *seu* Halmiridensium *ciuitatem dictam à lacu, qui* Halmyris *Plinio lib.*iv. *cap.*xii. *dicitur in hoc tractu:* Ex eodem alueo & super Istropolim lacus gignitur lxiii. m. p. ambitu, Halmyrin vocant. *Lacum hunc Danubius facit, quem Pinetus in suo Plinio vulgò vocari ait* Lac de nostre Dame de Danubi. *id est*, lacus diuæ Virginis Danubianæ. *Fortè* Salmorudis *Antonini. Nicephorus lib.*xii. *cap.*xxix. *postquam dixit Eunomium iussu Theodosij Halmyridem deportatum, addit:* Est autem Halmyris Mysiæ in Europâ locus, ad Istrum situs. *Haud dubiè hinc* Halmyridensium *ciuitas dicta, itaque scribenda.*

Ex descriptione Plinij, iuxta Peucen collocanda est, quæ est in Mysiâ inferiore. Mysia autem inferior etiam Scythiæ nomine venit, vnde in Mysiâ inferiore sunt Tomi, locus exilij Ouidij, quos in Scythiâ ponit ipse Ouidius. In Notitiâ Imperij multa loca Mysiæ inferioris inuenies ad Scythicā præfecturam pertinere.

Amma. *Pelagius libello* xviii. *n.*19. Vos, inquit, estis fatuæ; nam hæc & vestra & mea est Amma. Hoc enim in eâ vocant illi feminas spirituales. *Palladius cap.*xlii. Αὕτη γὰρ καὶ ὑμῶν καὶ ἐμοῦ ἀμείνων ἐστὶν Ἀμμᾶς. οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. Hæc enim & vobis & me melior existens Amma est. Sic enim vocant matres spiritales. *Sic apud eumdem Palladium cap.* xxxvii. Amma Piamun. *cap.* cxxxvii. Amma Talida. *cap.* cxxxviii. Amma Taor. *Non abeunt ab hac* Ammæ *significatione quæ Hesychius habet:* Ἀμμά, μήτηρ, τροφός. Amma, mater, nutrix. Ἀμμάς, τροφὸς Ἀρτέμιδος, καὶ ἡ μήτηρ, καὶ ἡ Ῥέα, καὶ ἡ Δημήτηρ. Ammas, nutrix Artemidis, & mater, & Rhea, & Demeter, *seu* Ceres. *Quod igitur* Abbas *erat inter monachos, hoc* Amma *inter virgines sacratas.*

Antiqvarivs. *Vetus Lausiaca Palladij cap.*xv. Pulchrè enim scribebat libralem manum. *Lexicon Græco-Latinum* καλλιγράφος, librarius, *id est*, antiquarius *erat. Nam* antiquarij *erant, qui Bibliothecæ codices componebant, vel vetustate oblitteratos reparabant, vt docet Impp. Constitut. L.*2. *in princ. Cod. Theod. de Stud. lib. vrb. Rom. lib.*14. *Cod. Theod. Augustinus de Verbis Domini Serm.*xliv. Quemadmodū qui videt litteras in codice optimè scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinē. *Lexicon Latino-Græcū*, Antiquarius, ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. *Apud Cassiodorum lib.*ii. *Histor. Tripart. cap.*xvi. Quinquaginta membranaceos codices, benè confectos & ad vsum habiles, ab artificibus antiquariis, & perfectè artem scientibus scribi præcipias.

Aphroditos *in Vitâ S. Hilarionis c.*xxv. *intelligitur de* Aphrodite, *quæ Stephano dicitur iuxta Athribin, quæ* Aphroditopolis *Straboni lib.* xviii. *De eâ intelligi hunc locum, colligitur ex itinere Hilarionis; & ex monte S. Antonij, ad quem properabat.*

Apocrisiarivs. *Moschi cap.* lxxxviii. *habes Thomam* apocrisiarium *cœnobij, & cap.* cxlv. *alium quemdam* apocrisiarium *Gennadij patriarchæ Constantinopolitani: vnde colligitur, apocrisiarios curasse negotia ecclesiarum & cœnobiorum. Glossæ Isidori:* Apochrysiarius, minister Romanæ ecclesiæ. *Glossarium MS. Camberonense:* Apocrisiarius, secretarius. *Papias vocabulista:* Apochrysarius, thesaurarius, vel legatus. *Iustinianus Nouellâ* vi. Διὰ τῶν τὰ πράγματα πραττόντων τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, οὓς ἀποκρισιαρίους καλοῦσιν: Apocrisiarij vocantur, qui sanctissimarum ecclesiarum negotia curant. *Occurrit passim apud Scriptores posterioris ætatis. Est videlicet* apocrisiarius ὁ ἐπὶ τῶν ἀποκριμάτων, *à* respōsis. *Quod apud Georgium patriarcham Alexandrinum in Vitâ S. Chrysostomi est* ἀποκρισιάριος, *Gedefridus*

dus Tilmannus vertit, secretarius. *De munere hoc vide Hincmarum epist.* III *cap.* XI. II.

AQVA ASPERGI. *Vita Hilarionis cap.* XV. Scyphum fictilem aquâ iussit impleri, *&c.* equos aspersit. *Vide ibi. Sosipater Gharisius Inst. Gram. li.* I. *capite* Deficientium, *ait*: Ad æquas an ad aquas vocari, dici debeat, quæsitum est. Qui ad aquas dicunt, enarrant, quòd ex luco Camœnarum aqua religiosa adferri soleat, purificandi causâ. Sed meliùs ad æquas, quòd olim greges equorum in Circum inducebantur; ibique per populum cursu æquabantur. *Philippus Rubenius Electorum lib.* II. *cap.* XVIII. *præfert legi* ad aquas, *atque ita interpretatur quod est apud Vlpianum, De his qui notatur infamiâ L.* IV. neque agitatores, nec qui aquâ equis spargunt, *videlicet, non de vulgari aliquâ sparsione aut ad recreandos equos, uti Alciatus* VI. *Pareg. capite* III. *sed de solenni quadam & cum religione, imò superstitione, coniunctâ. Nam fuisse mos videtur, ut quoniam Circenses sacri ludi erant, honorique deorum dicati; equi certaturi priùs lustrarentur, & aquâ è certo loco petitâ spargerentur. Idem existimat, Hilarionem hunc ritum in mente habuisse, & profanam hanc aquam aliâ aquâ damnasse. Sic fortè putat legendum in lapide veteri inter officia Circensiũ*, SPARSOR *pro* SPARTOR. *nisi, inquit, hoc à sparto sit, & ad Circi metarumque dealbationis munus pertineat. nam in Glossis ita scriptum.* Spartum, λευκία ἐν σταδίοις.

ARCHISTERIVM. *Vita S. Antonij cap.* LIII. Et cùm iudices, qui ad interius archisterium propter asperitatem itineris, *&c.* ire non poterant. *Glossarium Stevvechij MS.* ARCISTERIVM, monasterium. *Glossarium Camberonense MS.* ARCHISTERIVM, monasterium. ARCHISTERIVM, principalis statio; sterion enim statio dicitur, archos princeps. *Idem:* Sterion Græcè, Latinè statio. *Ibidem:* Sterium, solitarij habitatio. *Equidem Antonij* archisterium interius *in monte erat præcipua & principalis eius habitatio. Capitur tamen pro quouis monasterio. Vita S. VValburgis lib.* II. & adiacens arcisterio cœmeterium. *Ibidem:* Huius sancti atrium arcisterij merui contemplari. *Paulus Langus in Chronico Citizensi (tomo* I. *Germanorum Scriptorum à Pistorio editorum) anno* MCCCCLXIX. In carmine quodam, quod in præconium præfati Bursfeldensis archisterij edideram. *Idem pag.* 886. Sub Trithemij militabam obedientiâ in archisterio diui Iacobi prope Herbipolim. *Hinc* archisteriale. *Vita S. VVillibaldi:* Verùm & arcisteriali iam iugo constrictus, numquam sine abbatis sui licentiâ pergere iudicaret dignum.

ARSINOE. *Vita Antonij cap.* XIV. Quid sanè & in Arsenoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. *Cùm duplex sit Arsinoë & Arsinoites Nomus in Ægypto, hic intelligitur de Arsinoë seu Crocodilorum oppido ad Nilum, ut patet hic ex adiunctis, cùm ad Arsinoen Nilum crocodilis infestum transit Antonius. Alia Arsinoë est ad Charandram sinum.*

ARTABA. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* III. Omnia in vnâ Campanâ staterâ, modio, & artabe, vendere & emere contestabatur. *Palladius c.* LXXVI. Acceperunt vnusquisque frumenti annuas duodecim artabas, qui sunt veluti quadraginta, qui apud nos dicuntur modij. *Interpres Aristophanis in Acharn. de artabâ:* Περσικὸν δὲ καὶ Αἰγύπτιον τὸ ὄνομα: Artaba Persicum & Ægyptium nomen est. *De Ægyptiorum artabâ Fannius:*

Est etiam terris, quas aduena Nilus inundat,
Artaba, cui superat modij pars tertia post tres:
Namq; decem modiis explebitur artaba triplex.

Hieronymus in cap. V. *Isaiæ:* Pro *triginta modiis*, quos nos pro *coro* posuimus, qui Hebraicè dicitur *homer*, LXX. verterunt ἀρτάβας ἕξ: quæ mensura Ægyptiaca est, & facit modios viginti. *Planè quadrat æstimatio artabæ apud Hieronymum, cum eâ, quæ est apud Palladium iam citatum. Idem in cap.* XI. *Danielis:* Ita vt (*Ptolemæus Philadelphus*) de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia & octoginta talenta argenti acceperit: & frumenti artabas (quæ mensura tres modios & tertiam modij partem habet) quinquies & decies centena millia. *Ignotus Græcus libro de ponder. & mensuris:* Αἰγυπτία ἀρτάβη μὲν ἔχει μοδίους ε. ὁ δὲ μόδιος ὁ Αἰγύπτιος καὶ Ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας η. Ægyptia artaba capit modios quinque: modius verò Ægyptius & Italicus continet chœnicas octo. *Papias:* Artaba, genus mensuræ Syriacæ, quæ tres modios facit & trientē.

De Persarum & Medorum artabâ Hesychius: Ἀρτάβη μέτρον Μηδικὸν σίτου, Ἀττικὸς μέδιμνος: Artaba mensura frumenti apud Medos, Atticus medimnus. *Herodotus Clio seu lib.* I. Ἡ δὲ ἀρτάβη μέτρον ἐὸν Περσικὸν, χωρέει μεδίμνου Ἀττικοῦ πλεῖον χοίνιξι τρισὶ Ἀττικῇσι: Est autem artaba mensura Persica, capacior quàm Atticus medimnus, tribus chœnicibus Atticis.

Sed omnino varia mensura fuit artaba. Nam Eupolemus apud Eusebium lib. IX. *cap.* IV. *Præpar. Euang. explicans epistolam Salomonis ait:* Ὁ δὲ κόρος ἐστὶν ἀρταβῶν ἕξ: Corus verò est artabarum sex. *Consule Villalpandum nostrum Apparatus in Ezechielem parte* II. *lib.* III. *cap.* XI.

ARVRÆ. *Euagrius interpres Vitæ S. Antonij cap.* II. Aruræ autem erant ei trecentæ vberes & valdè optimæ. *Retinuit interpres vocem Græcam* ἄρουραι, *pro quo vulgò substitutum palmæ. Occurrit eadem vox hac eadem Vitâ cap.* XV. Et statim intelligit paruis aruris, & parietibus vel modicâ auri portione contẽptâ, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit. *vbi pro* paruis aruris *in Græco est* μικρὰς ἀρούρας; *quod Hæschelius vertit* campos exiguos, *& Coloniensis editio habet*, paruis thesauris. *Propriè Ægypto terra diuisa in aruras. Strabo lib.* XVII. *de Ægypti diuisione:* Ἡ δὲ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς νομοὺς ἔσχε, δέκα μὲν ἡ Θηβαΐς, δέκα δ' ἡ ἐν τῷ Δέλτα, ἑκκαίδεκα δ' ἡ μεταξύ· ὡς δέ τινες, τοσοῦτοι ἦσαν οἱ σύμπαντες νομοὶ, ὅσαι αἱ ἐν τῷ λαβυρίνθῳ αὐλαί· αὗται δ' ἐλάττους τῶν τριάκοντα. πάλιν δ' οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον. εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς, ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες: Regio initio in præfecturas diuisa fuit, quas Nomos vocant: Thebaica quidem in decem: quæ verò in Delta, in totidem: intermedia autem in sedecim, & (vt quidam volunt) tot erant huiusmodi præfecturæ, quot aulas labyrinthus habebat, quæ circiter triginta erant. Rursum hæ præfecturæ diuisiones liberas habent; maiore enim è parte in toparchias diuisæ fuerũt: toparchiæ rursus in portiones alias, quarum minimæ aruræ erant. *Non rectè interpres hic* arua *verterat. Horapollo lib.* I. *cap.* V. Ἔτι τὸ ἐνεστὼς ἔτος γράφοντες, τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν. ἔστι δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα, πηχῶν ἑκατόν: Instantem annum significantes, quartam aruræ partem pingunt. Est autem ἄρουρα terræ mensura, centum complectens cubitos. *Herodotus Euterpe seu lib.* II. Γέρεα δέ σφι ἦν τάδε ἐξαραιρημένα μούνοισι Αἰγυπτίων πάρεξ τῶν ἱρέων· ἄρουραι ἐξαίρετοι δυώδεκα ἑκάστῳ ἀτελέες. ἡ δὲ ἄρουρα

μὲ ἑκατὸν πήχεων ἐστὶ Αἰγυπτίων πάντῃ. ὁ δὲ Αἰγύπτιος πῆχυς τοῖς χέρεσι ἴσος ἐὼν τῷ Σαμίῳ. His solis (*qui dicuntur Calasiries seu pugnatores*) Ægyptiorum præter sacerdotes hoc eximium honoris habebatur, vt singulis duodecim aruræ essent exemptæ & immunes. Est autem arura centum cubitorum Ægyptiorum quoquouersus. Ægyptius verò cubitus Samio par est. *Suidas:* Ἀρουραία μάντις. ἐπὶ τῶν νωθρῶν καὶ ἀπράκτων. ἔστι δὲ ἀκρὶς δυσκίνητος, χλωρὰ, καλουμένη μάντις, ἧς τινες παρατηροῦντες τὴν κίνησιν μαντεύονται. ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχει ν'. Rusticana vates de segnibus & ignauis. Est autem locusta admodum tarda motu, viridis, quæ vocatur mantis, id est, vates; cuius motus quidam obseruantes vaticinantur. Arura pedes habet quinquaginta. *vbi Æmilius Portus sensum non percepit, cùm extrema vertit:* Rus pedes habere dicitur. *& ingenuè professus est*, N L. *legerat ille* ἔχειν, *cùm legendum esset* ἔχει ν'. *Ita habet MS. noster Antuerpiensis. Nempe* arura *est dimidium plethri, plethrum autem continet pedes centum quaqnauersum vt idem Suidas ait.*

Arura *Scriptoribus Latinis etiam vsurpata, non pro certâ terræ portione, sed generatim pro terrâ seu agro: Velius Longus de Orthographiâ:* Filix, quā ita credo dictam, quòd sit minus felix aruræ. *Hinc* aruræa, *id est agrestis, rurestris. Marcellus Empiricus lib. de Medicamentis pag.* 63. Lacertas pisinnas, quæ in segetibus morantur, quas Græci aruræas vocant. *Vnde Prouerbium*, μάντις ἀρουραία, *vt in Suidâ iam citato.*

ASPITARE. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* LI. Vno hinc & altero hinc aspitantibus. *Ita MSS. vbi editi,* assistentibus. *Glossa Isidori:* Aspita, ruina. *Ita & Glossarium MS. Camberonense. Videndum tamen num pro* ruina *legendum sit* veruina. *Certè* spitum *dicitur* veru. *Glossarium Camberon.* Assium, veru; id est spitum.

ASSVESCO, *id est*, assuefacio. *Hieron. in Prologo Vitæ Malchi:* Dispositumque per tabulata militem, pendenti gradu, & labente vestigio firmiter stare assuescunt. *Ita MSS. quod vulgò mutarunt in* adsuefaciunt. *Dionysius Exiguus Vitâ Pachomij capite* XXIII. Sed paulatim assuescit ea, leuioribus exercens antè ponderibus. *ita MSS. & vetus editio: vbi Coloniensis substituit*, assuefacit. *Priscianus lib.* VIII. *cap. de Verbis communibus:* Assuesco, absolutum est, inuenitur tamen pro assuefacio. Lucanus in V Adde quòd assuescis satis; pro assuefacis.

BABÆ, *vide* VAVÆ.

BAIA. *Occurrit vox hæc in Græco Palladio, vti in Glossario suo Græcobarbaro citat Ioannes Meursius, sed non rectè eam percepit. Quod enim Palladij c.* LXI. *est*, Βαΐα ὀλίγα παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου αἰτησάμενος, τοῖς ζώοις ζώνας εἰργάσατο, *rectè ita Gentianus Heruetus vertit:* Cùm paucos palmæ ramos petisset à presbytero, efficiebat cingula animalibus. *& subditur miraculum per vnum è cingulis editum. Fiebant autem ea ex palmæ ramis seu folijs, quæ* βαΐα *dicta, Hesychius in Lexico:* Βαΐς, ῥάβδος φοίνικος καὶ βαΐων: Bais ramus palmæ, & baiorum. *Hieronymus libro* II. *contra Iouinianum cap.* IX. *ex Chæremone Stoico de Vitâ antiquorum Ægypti sacerdotum citat:* Cubile eis de folijs palmarum, quas baias vocant, contextum erat. *Idem in cap.* VIII. *Ezechielis, explicans illud*, Et ecce applicant ramum ad nares suas; *inquit:* Haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone τὰ βαΐα vocant, vt per hoc eos idola adorare significet. *Non rectè Meursius suprà existimauit, loco illo Palladij per* βαΐα *intelligi quodcumque donum generaliter ita dictum. Quem Meursij lapsum video etiam notatum Gretzero nostro lib.* II. *de Benedictionibus cap.* XLI.

BAPTISMVS NVDORVM. *Solebant olim nudos tam viros quàm feminas oleo catechumenorum inungere, & baptizare. Pratum spirituale Ioannis Moschi cap.* III. Venit puella ex Perside, vt baptizaretur; quæ ita speciosa erat ac tantæ pulchritudinis, vt non posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere.

Sed disputatio inter doctos viros orta, an baptizandi omnino nudi fuerint, an tantùm superiori veste exuti.

Iosephus Vicecomes in Ecclesiasticis suis obseruationibus de Antiquis Baptismi ritibus lib. II. *cap.* XXXVII. *& lib.* IV. *cap.* X. XI. XII. *&* XIII. *conatur adstruere, planè nudos, nullo vestis vel tegumenti genere amictos olim catechumenos inungi solere & baptizari.*

Sunt qui contradicant (Ioannes Viringus noster in Tractatu MS. eâ de re) censeantque Ecclesiam nimisquam semper honesti tenacem fuisse; nec simile vero esse eamdem tam euidenti sacrilegiorum periculo Sacramentum hoc exponi voluisse.

Ego verò, perpensis vtriusque partis momentis, existimarim, si quis recti libram iudicij tenere volet, & nudos *&* non nudos *olim catechumenos inunctos & Baptismo tinctos fuisse asseret.*

Nudos *quidem, quantum ad mysterium pertinet, quo vita nobis anteacta emendanda & in melius commutanda denotabatur. Nam nudi censebantur, quibus superior vestis, quâ in publicum procedere soliti erant, detrahebatur. Integrè illa ponitur, quia nihil veteris hominis superesse potest.*

Non nudos, *quia vel interulam vel præcinctorium aliquod linteum baptizandi ad honestatem seruabant, quâ re seruatâ non omnino nudi erant, sed quasi nudi nudique dici poterant, quòd qui ita in publico appareret, nudus prodire censeretur. Sic Saul* I. *Reg. cap.* XIX. nudus *cecinisse dicitur totâ die ac nocte cum Prophetis, deposito scilicet amictu regio nec enim Prophetæ nudi erant. Sic David* II. *Reg.* VI. nudus *ante arcam saltasse dicitur, & tamen eo tempore indutus erat Ephod lineo, vt ibidem habetur. Sic Ioannis* XXI. *Petrus* nudus *dicitur, quòd breuiori veste piscationi apta indutus esset; quare ne ita nudus Christo se sisteret*, tunicâ se succinxit, ἐπενδύτῃ, *id est, veste quæ alteri iniicitur. Nec desunt graues auctores, (inter eos Gaspar Sanctius noster) qui ita quoque Isaiam* nudum & discalceatum *(Isaiæ* XX.*) intelligunt. Ad hanc loquendi scribendique consuetudinem facit Seneca lib.* V. *de Beneficijs cap.* XIII. Quædam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum; sic qui malè vestitum & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.

BASTERNA. *Vita Eugeniæ cap.* III. vobis itaque duobus iuxta basternam ambulantibus. *Est vehiculi genus mollius stratum, matronis vsitatum. Ammianus lib.* XIV. Opertis capitibus & basternis per latera ciuitatis cuncta discurrunt. *Hieronymus in cap.* LXVI. *Isaiæ:* vbi posuêre LXX. *cum vmbraculis* (quæ nos *dormitoria* interpretari possumus vel *basternas*) alij voce consonâ transtulerunt φορεῖα, quæ nos varij generis interpretamur vehicula. *Ennodius epigram.* CXXIX. *inscriptionem habet:* In basternâ vxoris Basli Violæ. *Glossarium Nomicum:* Λεκτίκιον, φορεῖα, κράβαττον: Lecticula, basterna, grabatum. *Glossarium Camberonense manuscriptum:* Basternæ sunt quædam ferocissimæ gentes, non procul à Macedoniâ.

doniâ. Basternæ etiam dicuntur quædam matronarum in itinere vehicula, quæ desuper cooperta, & mollioribus stramentis composita, à duobus equis trahuntur. *Papias*: Basterna vehiculum est itineris, mollibus stramentis composita, quasi vesterna. *Glossæ Isidori*: Basterna tecta manualis. *intelligitur, opinor, lectica tecta, quæ manu fertur. Nisi quis legat,* mannualis, *quòd à mannis raptetur. Ouidius lib.* II. *Amorum, Eleg.*XVII.

Paruaq; quàprimùm rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora iubas.

Per parua esseda *videntur intelligi, quæ posteriori sæculo dicebantur* basternæ; *quæ quia à mannis trahebantur, fortè ideò dicta sunt* mannuale vehiculum. *Glossarium quoque Camberonense MS.* essedum *interpretatur* basternam. *Hieronymus epist.* XX. *ad Pammachium de obitu Paulinæ*: Ubi feruentes buricos mannos, comatulos pueros. *Nempe* feruentes manni, *rapientes basternam, & raptim currentes. In ijsdem est* Bortanea tecta manualis, *pro quo in Glossario Camberonensi manuscripto*, Bortama, testa manualis, *nescio an ex* Basterna *vtrumque sit deprauatum. Cerda noster cap.* CXLI. *Aduersar. sacror. n.*407. *legit*: Portanea testa, manualis, *quòd manu portetur. Mihi potiùs* tecta *dicitur basterna, quòd undique clauderetur: claudebantur enim plerumque speculari lapide. vnde Iuuenalis Sat.* IV.

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

vbi Glossæ veteres: lecticam clausam dicit. *Ennodius suprà*:

Quam vaga cõstãtem retinẽt hęc tecta decorem,
Mittitur à dominâ quidquid habent pretij.
Nam rutilat fuluum Violæ de luce metallum,
Possessor radios spargit vbique suis.

nempe per lapidem specularem tralucebat decor & ornatus Violæ. Et quòd clausæ essent lecticæ, caueas basternarum *vocat Hieronymus epist.* XXII. *ad Eustochium De custodiâ virgin.* Præcedit caueas basternarum ordo semiuirorum. *vnde Isaiæ* LXVI. σκιάδια *vertêre* LXX. *id est*, vmbracula, quæ nos dormitoria interpretari possumus vel basternas, *inquit ibi Hieronymus.*

Basternæ originationem hanc adfert Isidorus libro XX. *Orig. cap.* XII. Basterna vehiculum itineris, quasi viæ sterna: mollibus stramentis est posita, à duobus animalibus deportatur. *Vnde videtur sua hausisse Papias, etsi apud eum* vesterna, *pro* viæ sterna.

Ex dictis auctorum locis apparet, nunc seruorum manibus, nunc ab animalibus gestatam basternam. Nam quod Meursius in Glossario Græcobarbaro apud Isidorum animalia *interpretatur* seruos, *non persuadet.*

Alia basternæ *significatio apud Græcos Iurisconsultos, quibus pro transennis & pro tectis accipitur. Vide Cuiacium lib.* XIII. *Obseruat. c.* XXX.

BELLVÆ. *Quod Vita Antonij interpres cap.* XXV. *habet* belluas, *ibi Græcus textus habet* ὑαίνας. Bellua *subinde pro hyænâ capitur. Vide dicta ad cap.* VI. *Heraclidis. Clemens Recognitionum lib.* VIII. *c.* VII. Alia quædam animalia marem vicibus alternis in feminam verterent, & sexum per annos singulos commutarent, vt lepores & hyænæ, quas belluas vocant. *Postremum hoc*, quas belluas vocant, *interpretamenti vicem addidit Ruffinus Clementis interpres. Glossæ*: Ὕαινα, ζῶον, bellua.

Aliàs bellua *de elephantis capitur, vt apud Curtium lib.* VII. *Ammianum lib.* XXV. *Arnobium libro* VII. *Item pro cetis & pistricibus, apud Suetonium Nerone c.*XII. *& in Glossario*: Bellua, κῆτος. *Item*, κητὶς, pistrix, de belluâ. *Item*, bellua marina, κῆτος.

BEMA *seu* BHMA. *Vitâ S. Basilij cap.* XI. In sanctum tribunal, *Græcè*, εἰς τὸ ἅγιον βῆμα. *quod certum in templis antiquorum iuxta altare locum significat. Quod vt meliùs intelligatur, ita de veterum Græcorum ecclesiâ Genebrardus vel potiùs Claudius Sanctesius in Liturg. vt citat Gretzerus noster tomo* II. *de Cruce in Notis ad relationem* περὶ τῆς προσκυνήσεως, de adoratione Crucis.

Ecclesia Græcorum in quinque partes diuiditur.

Prima pars dicitur ἅγιον βῆμα, sanctum tabernaculum, *quòd gradibus in eam scandatur: vbi duo sunt altaria, maius in medio, quod dicitur* θυσιαστήριον, sacra mensa, sancta sanctorum, locus Dei requies, propitiatorium, magni sacrificij officina, Christi monumentum, & eius gloriæ tabernaculum. *Minus altare, in quo sacerdos sacra præparat, dicitur* πρόθεσις, *quasi* propositio, *quòd panis consecrandus in eo primùm ponatur.*

Secunda pars templi dicitur ἱερατεῖον, chorus, locus clero & cantoribus deputatus, *vbi tabulatum duo habens ostia, & vela vtrique ostio opposita.*

Tertia pars ἄμβων, pulpitum, *vbi recitantur Euangelia & Epistolæ, & verba fiunt ad populum. vnde* εὐχὴ ὀπισθάμβωνος, oratio ponè ambonem seu suggestum.

Quarta pars ναὸς, templum *seu* nauis ecclesiæ, *vbi populus orat, in quâ viri à mulieribus seiuncti sunt per tabulata.*

Quinta est baptisterium *prope* πρόναον, *prope* vestibulum templi, *vbi hærent pœnitentes. Hactenus Claudius Sanctesius. Vide & infrà dicenda in verbo* Templum Græcorum, *ex Gentiano Herueto.*

BENEDICTIO. *Quanti hæc olim æstimata fuerit, habes in Vitâ S. Antonij cap.* XXXIX. *qui episcoporum & presbyterorum benedictiones submisso capite excipiebat. Vita Mariæ Ægyptiacæ cap.* II. Ille (*Zosimas*) autem in terrâ prostratus, poscebat benedictionem secundùm morem accipere. Prostrauit autem se & ipsa, & vtrique iacebant in terrâ, vnus ex alio benedictionem poscens. *Sic apud Gregorium Nyssenum Oratione de Vitâ S. Macrinæ*; Cùm fecissemus & precandi & benedicendi finem, atque illæ, inclinato priùs capite benedictioni, honestè discedentes abijssent. *Beda lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXVI. Accurrebant, & flexâ ceruice vel manu signari, vel ore illius (*monachi vel clerici*) se benedici gaudebant. *Vita S. Fulgentij* I. *Ianuarij habet concursum populi, quis ab exilio reuertenti* primus salutaret agnoscendus, quis benedicenti caput supponeret. *Palladius in Vitâ Chrysostomi*: Ei caput vestrum inclinate, vt Ioanni, per omnia. *ita viduas diaconissas, vt futuri episcopi benedictionem capite inclinato accipiant, monet Chrysostomus.*

Paruuli quoque sacerdotibus, & viris sanctis, vt benedictionem percipiant, offerri soliti. Theodoretus hic capite II. *in Iuliano Sabâ, cap.* VIII. *in Aphraate capite* IX. *in Petro eremitâ Galatâ. Vita Epiphanij episcopi*: Omnis ætatis & sexus turba confluebat, offerens paruulos. *Auctor Operis imperfecti in Matth.* XIX. Præsens locus instruit omnes parentes, vt filios suos indesinenter sacerdotibus offerant. *Eudoxia quoque Imperatrix iam natum in purpurâ Theodosium iuniorem Patribus obtulit, vt habetur in Vitâ S. Porphyrij* XXVI. *Febr.*

Cùm

Cùm Columbanus in Vulciaco villâ hospitio exciperetur, infantes mater ad benedicendum viro Dei obtulit: *Vita eius* XXI. *Nouemb. Columba quoque abbas Domnallo regio infanti benedixit. Vita eius per Adamannum lib.* I.

Quin & infantes adhuc in vtero existentes benedictioni sanctorum virorum fuêre oblati. Ita Eudoxia Imperatrix infantem, quem vtero gestabat, Patrum benedictioni obtulit, in Vitâ Porphyrij iam citatâ. Sic Stephanus Iunior etiamnum existens in vtero, benedictioni Germani patriarchæ Constantinopolitani oblatus à matre est.

Quâ in re cauendus est error Caietani, qui censuit simili benedictione, in voto parentum, saluari posse infantem, etiam non baptizatum, in vtero. Ita enim ille ait in III. *partem D. Thomæ qu.* LXVIII. *ad art.* XI. In articulo vndecimo occurrit scribendum & consequenter dicendum, sub correctione tamen, paruulos in maternis vteris periclitantes, posse saluari, sicut superiùs (*art.* II.) diximus de infantibus, qui non possunt baptizari. Posse autem saluari dico per sacramentum Baptismi non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliquâ benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum cum inuocatione Trinitatis. *quem refutatum vide apud Alphonsum de Castro, aduersus hæreses libro* III. *verbo* Baptismus, *hær* IX.

Plura de variis benedictionibus vide in Indice rerum: & copiosè apud Gretzerum libro eâ de re edito.

BEROEA. *Vita Malchi cap.* II. *Syriæ est ciuitas, circa quam eremus Chalcidos. Duplex Berœa apud Stephanum de vrbibus, vna in Macedoniâ, altera in Syriâ, quæ hac nostra, quam & Beroën dictam ait. De Macedonicâ Plinius lib.* IV. *cap.* X. *de Syria Berœâ idem lib.* V. *cap.* XXVI. Infra Palmiræ solitudines Stelendena regio est, dictæque iam Hierapolis, ac Berœa, & Chalcis.

BIRRVS. *Vita Pelagiæ cap.* XII. Induit se tunicam tricinam & birrum sancti Nonni episcopi. *Heraclides cap.* LI. *de Athanasio episcopo:* tunicâ ille tantùm suâ, birroque vestitus. *Vnde constat* birrum *fuisse vestem episcopalem, quod etiam clarum ex Actis S. Cypriani:* Exuit se lacernum birrum, quem indutus erat. *Baronius tomo* II. *anno Christi* CCLXI. *Dionysij Papæ* I. *Valeriani & Gallieni Impp.* VII. *hæc de birro ad eum locum notat:*

In quo illud inprimis animaduertendum, non simpliciter dici birrum, *sed* lacernum birrum; *licet Sulpitius Seuerus dialog.* I. *cap.* XIV. *birrum à lacernâ, vtroque tamen existente habitu clericali, distinguat; cùm inuehitur in voluptuosos clericos, dicens:* Hæc charis viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus: illum vt birrum rigentem, hæc vt fluentem texat lacernam. *At primùm quod attinet ad lacernam, si Ethnicos consulas, reperies eam breue fuisse indumentum ad arcendam pluuiam, vt ex his quæ Cicero Philip.* II. *ac Plinius lib.* XVIII. *capite* XXV. *tradunt, euidenter apparet. Porro ad humeros brachiaque tegenda fuisse compositum eiusmodi vestimenti genus, docet Festus Pompeius in verbo* Lacerna; *dum de lacernâ agens, ait eam minorem fuisse capitio: capitium verò ait Varro De ling. Lat. li.* IV. *fuisse* muliebre pectoris indumentum, *ita dictum, quod pectus capiat, & comprehendat brachia: quæ enim sine eis incedebant, pectore & brachiis erant apertis. Super tunicam verò superduci lacernam, Gellius lib.* XIII. *cap.* XX. *testatur, cùm ait:* Cùm me præsente discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis & lacernis indutos, & gallicis calceatos; Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse: pigitum est cinctos saltem esse & penulatos.

Quod verò habent Acta lacernum birrum, *vox* birrum *ad colorem pertinet: nam notat Festus in verbo* Birrum, *apud antiquos rufum colorem dictum esse birrum. ac proinde lacernam rufi fuisse coloris. Siue dicere velimus* lacernum birrum, *hoc est sericum; Cipolis enim veteres dixêre serica, vt Zonaras & Theodorus interpretantes duodecimum canonem Gangrensis Concilij tradût. Vide Cuiacium in L.* IV. *Cod. De vest. holoser. lib.* XI. *siue magis placeat* lacernum birrum *significare birrum ipsum in modum lacernæ compositum. (Porrò* birrus *&* birrum *masculino & neutro genere dictum reperitur.) Vtcumque sit, constat quidem testimonio S. Augustini, etiam clericos in Africâ vti consueuisse lineâ atque birro, sed episcopos birro pretiosiore. Nam eo sermone, quo clericorum suorum disciplinam componit, hæc ait Serm. de diuers.* I. Nemo det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune; de communi accipiam mihi ipsi. *& paulò post:* Offeratur mihi verbi gratiâ birrum pretiosum, fortè decet episcopum, quamuis non deceat Augustinum, *id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Vtuntur ex institutione S. Augustini regulares tunicâ lineâ, atque cùm volunt, diebus præsertim sollemnibus, in Italiâ etiam birro, quem in Hispaniâ semper gestant. Eamdem quoque consuetudinem viguisse in Ecclesiâ Orientali, vt episcopi super tunicam birro induerentur, ex iis quæ scribit Palladius in Lausiac. cap.* LI. *de S. Athanasio episcopo Alexandrino possumus intelligere dum ait,* eum tunicâ birroque vestitum secessisse. *Meminit & Gregorius Turonensis de S. Britio, qui ardentes prunas in birro suo posuit, ad declarandam sui animi innocentiam.*

Ceterùm propter eius indumenti breuitatem, Venantius Fortunatus nominat birrum ipsum palliolum, cùm agit de S. Germano Parisiorum episcopo visitante Clotharium regem; atque de ipso rege ait: allambit sancti viri palliolum.

Quod verò S. Gangrense Conc. cap. XII. *monachos Eustachianos incedentes palliatos, atque damnantes birris vtentes, anathematis sententiâ perculerit; non placet quod per birrum alij interpretati sunt vestem pretiosam simpliciter, sed potiùs quod illi amicti pallio sui longitudine & latitudine diffluente, eos damnarent, qui birro nempe breuiori vterentur indumento: quod vile vel pretiosum (ex sententiâ Augustini superiùs recitatâ) ad libitum cuiusque esse potuisse, certissimum est: pretiosiores verò fuisse birros Atrebatenses & Canusinos, Flauius Vopiscus in Carino testatur. Cùm itaque eadem acta Cypriani passionis habeant, ipsum* lacernum birrum *complicuisse, & ad genua posuisse; illud fuisse perbreue, ac parui negotij operam egisse demonstrant: nam non sic de tunicâ eum fecisse, sed diaconis dedisse tradunt.*

Ex his itaque iam exploratum haberi videtur, episcoporum fuisse antiquum habitum, vt post vestem superinduerent lineam, & desuper eam solutam tunicam, ac denique humeros tantùm tegens & brachia lacernum birrum: quo genere indumenti hodie videmus vti S. R. E. Cardinales, atque episcopos illos, qui ex Regularibus ad eam dignitatem proiecti sunt. Romanum verò Pontificem birro absque tunicâ super lineam, sed serico atque rufo, interdum verò albo, pro temporis ratione. Porrò ex dignitatis ordine birrum pretiosius fuisse, ex Augustini sententiâ dictum est. Hactenus Baronius.

In

In Palladio nostro bis terve birrum *occurrit, uti, cap.* LXXXIII. pallium gestabant & byrrum. *vbi Græce est,* βιϐανοφόροι καὶ ϐυῤῥοφόροι. *Hernetus Latinè extulerat,* qui pallium gestabant & pileum. *In editione Lugdunensi legebatur,* καὶ κιῤῥοφόροι. *& in Notis suis Meursius ex coniecturâ corrigit* σκιῤῥοφόροι: *fortasse, ait Fronto noster, quia Scholiastes Aristophanis exponit* σκιῤῥὸν τὸ ῥυπῶδες τῶν τυρῶν; *& apud Eupolidem,* ϐαδίζει σκιῤῥὸν ἠμφιεσμένη, *vt hîc dicuntur* σκιῤῥοφόροι, qui sordidis vestibus amicti: *sed emendationem è Regio MS. erutam* ϐυῤῥοφόροι, *confirmat Heraclidis interpres:* Concurrentes omnes simul, quoscumque pallijs quoscumque cernimus birrhis esse vestitos: *deinde quod dixerit conuenisse primates illius oppidi: postremò, quòd quosdam philosophorum dicat vnum ei solidum dedisse, ac proinde non omnes viles homines ibi & abiectos fuisse constet.*

Item cap. CXXXVI. *de S. Athanasio:* accepto suo stichario seu tunicâ, & birro. *Hernetus verterat,* accepto suo sticbario & cereo. *Græcè est,* λαϐὼν ἑαυτοῦ τὸ στιχάριον καὶ τὸ ϐίῤῥιον. *Hernetus* κηρὸν *fortasse legerat.*

Alia de birro addi possent, sed hæc nunc sufficiant. Quod ad birrum Canonicorum regularium attinet, hoc, opinor, intelligit Glossarium Camberonense manuscriptum: Birrus planeta, pallium villatum, mantellum fimbriatum. *Hoc habitu in Belgio vtuntur Canonici Regulares, qui vel solus cum lineâ tunicâ eos ex D. Augustini instituto esse declarat, cùm ille suos clericos* lineâ & birro *ornarit, vt constat ex eius Sermone* L. *de diuersis.*

BIS-ACVTVS. *Vide dicta ad Vitam Antonij cap.* XXV. *& Frontonij cap.* I. *Vita Antonij:* vt sarculum sibi, bis-acutum cum frumento deferret. *ita distinguendum eum locum in Notationibus monui. Sic in Vitâ Frontonij cap.* I. deferentesque ad eremum secum parua olerum semina, & bis-acutos, paruosque sarculos. *Glossarium Camber. MS.* Bis-acuta, ferramentum quoddam vtrimque incidens.

BRVCHIVM. *Vita Hilarionis cap.* XXVIII. Diuertit ad quosdam fratres notos sibi in Bruchio, haud procul ab Alexandriâ. *& post pauca:* De Bruchio per inuiam solitudinem intrauit Oasim. *Eusebius in Chronico anno* I. *Claudij ante Aurelianum:* Alexandriæ Bruchium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur. *Ammianus lib.* XX. Alexandria, *&c:* amisit regionum maximam partem quæ Bruchion appellatur, diuturnum præstantium hominum domicilium. *Epiphanius libro De ponderibus & mensuris locum Bibliothecâ à Philadelpho structâ insignem fuisse indicat. Erat enim ibi Musæum. Spartianus in Hadriano:* Apud Alexandriam in Musio multas quæstiones professoribus proposuit.

Quod Scaliger ad Eusebium suprà ait Βρυχεῖον *antè* ῥακῶτιν *dictum, sine auctore asserit. Ipsa Alexandria ita dicta est, teste Stephano.*

Originationem eius venatur Casaubonus ad Hadrianum Spartiani, quasi olim dictum fuerit Πυρουχεῖον, *quam vocem integram seruat Eusebius Historiarum lib.* VII. *cap.* XXXII. *vbi Christophorsonus interpres, quia corruptè legerat* τοῦ πυροῦ χρείας οὔσης, *verterat,* cùm ibi magna esset frumenti inopia. *In Vitâ Apollonij Grammatici Alexandrini dicitur* Προυχεῖον. *Notum litteras* β *&* π *inuicem permutari. Atque ita Bruchium fuerit Alexandrinis, quod Prytaneum Athenensibus, videlicet* πυρῶν ταμιεῖον: frumenti reconditorium.

BRVMOSVM. *Variè hoc scriptum, nunc* b[…] sum, *nunc* bromosum, *nunc* bramosum. […] *lib.* III. *n.* 39. Et cùm fœteret brumosa aq[…] te, non permittebat vt aliam aquam mi[…] *Palladij Lausiaca in Appendice ex veterib[…]* Per biennium enim manus meæ, vnde […] quasi faciem eius, fœtorem & brumum […] non poteram. *Glossa Isidori:* Brumosus, […] resinosus. *item:* Brumalia, resinosa pluuia. […] Bromosa immunda. *Turnebus lib.* XXVIII. […] *sar. cap.* V. *citat ex Onomastico perantiquo P[…] nielis:* Bramosa, immunda *additur:* quod v[…] Græcæ linguæ est. *Zeno Veronensis episcopus […] dum Serm.* VIII. Quis non intelligit, […] Pascha non esse, sed bramosum latronis […] conuiuium? *Idem Serm. in Psal.* XLIX. Si di[…] poralibus conuenit sacrificium corporale, […] & spiritale Dei sacrificium est necessarium […] tale, quod non ex sacculo, sed ex corde pro[…] quod non bramosis pecudibus, sed […] moribus comparatur.

BVCELLATVM. *Panis biscoctus, seu* ξηρὸς […] siccus panis, *qui eremitis & militibus in v[…] quia diutiùs durat. Heraclides cap.* VI. […] atque in partes redactum modicas bucce[…] in lagenas misit. *Ammianus l.* XVII. […] ex eo quod erat in sedibus consumendum, […] diuturnitatem excoctum, buccellatum vt […] appellant, humeris imposuit libentium […] *L.* VI. *Codicis Theodosiani De erog. milit.* […] Expeditionis tempore buccellatum ac pane[…] num quoque atque acetum, sed & laridum, […] veruecinam etiam milites nostros ita solere […] pere. *Spartianus in Pescennio Nigro:* Idem p[…] sequi expeditionem prohibuit, buccellato […] milites & omnes contentos esse. *Vulcatius […] dio Cassio:* Et præter lardum ac buccellatum […] acetum, militem in expeditione portare pro[…] *Constantinus περὶ θεμάτων.* βούκελλος τὸ κεκυκλω[…] μένον καλεῖται: Buccellus orbiculatum frustum […] tur. *Mauritius in Tacticis:* Χρὴ ἐν ἡμέρᾳ πολ[…] τὸ βούκελλον ἐπιφέρειν ἕκαστον στρατιώτην ὕδωρ καὶ […] Die belli debet quisque miles aquam & […] latum in sellis secum ferre.

Ab hoc pane expeditionali seu buccellato e[…] panem, quem benedictionis loco transmittebant, […] runt Paulinus & Therasia ad Romanianum […] lâ XXXVI. *apud Augustinum:* Ne vacuum […] næ humanitatis officium videretur, de bucc[…] Christianæ expeditionis, in cuius procinctu q[…] die ad frugalitatis annonâ militamus, panes quin[…] que tibi pariter, & filio nostro Licentio misimus.

BVCOLIA. *Vita Antonij cap.* XXIV. *vbi Latinè est* pastoralia, *Græcè est* βουκολία. *Hieronymus in Vitâ S. Hilarionis cap.* XXXVI. *seruauit Græcum vocabulum:* ad ea loca quæ vocantur Bucolia. *Heliodorus:* Βουκολία σύμπας κέκληται πρὸς Αἰγυπτίων ὁ τόπος: Bucolia apud Ægyptios dictus est totus locus, *videlicet,* ad lacum, *quod præcessit. Locus hic erat apud Alexandriam iuxta mare sub rupibus: Vita sancti Marci post Abdiam, anonymo auctore:* Marcus iterùm Alexandriam venit, & reperit fratres multiplicatos in gratiâ & fide Domini, ecclesiamque constructam ab eis in loco qui vocatur Buculus, id est, Bubulci, iuxta mare sub rupibus. *Hinc* Bucolici *milites Capitolino in Marco Antonino:* Per Ægyptum Bucolici milites grauia multa fecissent.

BVDA. *Pelagius libello* X. *num.* 76. Videns autem Ægy-

Ægyptius vestitum mollibus rebus, & budam de papyro, & pellem stratam sub ipso. *Glossæ Isidori*: Buda, historia. *non legendum*, storea? *sic ex veteri* Spania, *addito seu præfixo* hi fecêre Hispania. *Glossarium Camberonense manuscr.* Buda, stramentum lecti de biblo, id est, papyro. *In Glossis Isidori etiam inuenio:* Buda, ornamenta regalia vel camelorum. *Item*, Bulla, stramenta regalia. *Quod verò in manuscripto Camberonensi Glossario etiam est*, Buta, historia, *puto corrigendum*, Buda, storea. *Donatus in l.* III. *Æneid. ad versum*, obscurus in vluâ, *notat:* Vluam plerique eam dicunt esse, quam vulgò budam appellant. *Sic in Papiâ:* Buda, storia. *Fortè hoc postremum* Buta *ortum ex Butâ historico, cuius meminit Arnobius lib.* V. Sicut suis scribit in Caussalibus Butas. *Fortè Teutonibus* Bed, *id est, lectus, à budâ; quòd olim storeis incubarent.*

Bvlla & bvllare. *Vita Basilij cap.* X. Et plumbo bullauit chartam illam. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* LI. Non potes scribere, & bullare, & afferre mihi? & *post:* Dat ei proprium pictacium bullatum. *Glossarium Camberonense manuscr.* Bullæ, ceræ sigillatæ. *Idem:* Bullare, sigillare. *Sic & posterioribus Græcis* βοῦλλα & βουλλώω. *Vide Glossarium Græco-barbarum Meursij.*

Camelavchivm. *Vita Mariæ neptis Abrahæ cap.* V. Camelauchium quoque longum capiti suo, vt facies eius velaretur, imposuit. & *cap.* IX. Auferens quoque camelauchium à capite suo. *Verbum hoc sæpè in manuscriptis & primis editionibus deprauatum, in quibus fere* calemanchus, *vel* calamancus. *vnde in Glossis Isidori:* Galeros, calamancos. *lege*, camelauchios. *Similiter apud Bedam de Tabernac. libro* III. *cap.* VIII. Super caput autem gestat pileum in modum paruuli calamaci, siue cassidis, quod extenditur supra summitatem capitis. *lege*, camelauchij. *Frequenter posteriori æuo consonantes vel inter se commutabant vel postponebant. Sic ferè semper in manuscriptis* corcodrillus, *pro* crocodilus. *Sed* καμηλαύχιον, *vel* καμαλαύκιον *rectum esse suadet originatio apud Etymologicum:* Καυσία λέγεται μὲν καμηλαύκιον, ὅτι τὸ ἐλαύνει τὸ καῦμα. Causia dicitur camelaucium, quòd arceat calorem. *In Glossario Camberonensi manuscripto est:* Camelaucus, vestimentum Papæ; & Calamaucus, pilleus similis tiaræ. *Occurrit aliquoties apud Suidam* καμηλαύχιον, *vel* καμηλαύκιον: *in Hesychio verbo* τιάρα *habes etiam* καμηλαύκιον, *vti & apud Scholiasten Aristophanis ad Acharnenses.*

Camisia. *Palladius cap.* CXLIX. Cùm eam suis vestibus induisset, tunicâ, camisiâ, & chlamyde, & omnibus virilibus. *Græcè ibi* καμίσιος. *Glossæ Basilicorum:* Καμίσιον, ὁ ἐπὶ χαμαίων χιτών. *Isidorus lib.* XIX. *Orig. cap.* XXII. Camisias vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris. *id est, indusium vel lintea sindon. Idem ibidem c.* XXI. Poderis est tunica sacerdotis linea, corpori adstricta vsque ad pedes descendens. Hæc vulgò camisia vocatur.

Campana, *tintinnabulum armentorum gregibus appendi solitum. Vita Fronionij cap.* VIII. sed campanæ sonitum audire non potuit perstrepens sonus hymnorum. *cuius rei varij auctores meminêre. Phædrus lib.* II.

Clarumque collo iactans tintinnabulum.

Paulinus Natali VI. *S. Felicis:*

— vt præsepia vidit
Nuda boum, & nullos dare tintinnabula pulsus,
Excussâ vt ceruice boum crepitare solebant,
Mollibus aut lentis caua linguis æra ferire.

Endeleichus Rhetor De mortibus boum:

Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum, studio quo potui, boum,
Queis mentis geminæ consona tinnulo
Concentu crepitacula.

Sidonius lib. II. *ep.* II. Inter greges tintinnabulatos per depasta buceta reboantes.

Fortunatus lib. II. *de S. Medardo:*

Tintinnū rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui iumentorum colla tenere solet.

Legis Gothorum lib. VII. *Tit.* II. XI. *Antiq.* Si quis tintinnabulum inuolauerit de iumento vel boue. *Legis Burgundionum Tit.* IV. §. V. Qui tintinnum caballi vel bouis furto abstulerit. *Idem Legis Boiariorum cap.* VIII. *Tit.* XI. §. I.

Cur pecoribus tintinnabula fuerint apposita, varia est opinio, quibusdam censentibus id factum ad feras noxias arcendas; aliis, ad deprehendendum quibus locis nemorum pascant; aliis, vt pinguescant faciliùs, quod existiment pecora harmoniâ oblectari; alijs, ornatus gratiâ. Ex hac Vitâ videtur colligi id factum, vt eminus audirentur in deserto ab hospitibus cameli, qui necessaria deferebant, vt & hospites ijs strata aptarent. Vide Hieronymum Magium libello De tintinnabulis cap. VIII.

Vide quoque Ioannem Stephanum Durantum lib. I. *De ritibus ecclesiæ cap.* XXII. *de campanis seu tintinnabulis sacris agentem.*

Campana statera. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* III. In vnâ campanâ staterâ. *A Campaniâ regione Italiæ ita dictam vult Isidorus lib.* XVI. *Orig. cap.* XXIV. *Ex quo videtur sua hausisse Papias vocabulista:* Campana ponderatio. Hæc tamen duas lances non habet, sed est nigra signata libris & vncijs. vnicuique autem ponderi certus est modus proprijs nominibus designatus. Dicta, quia priùs in Campaniâ reperta est. *vbi pro* nigra *lege* virga *ex Isidoro. Hinc apud posteriores scriptores* Campana & Καμπανὸς *absolutè pro statera vsurpara. Glossæ Græcolatinæ*, Καμπανός, stater. *Glossæ Arabicolatinæ*, Campana, statera. *vnde* καμπανίζειν, ponderare *apud Nicetam in Alexio Angelo lib.* III. & *Myrepsum lib. de Malagm. c.* XXI. & καμπανιστικόν, *quod libripendi publico soluebatur, apud Phranzem Chronici lib.* III. *cap.* XXIV. *Item* ζυγοκαμπάνισμα, iniusta ponderatio *apud Nicetam libro* II. *in Andronico. vide Meursium suprà.*

Cancellarivs. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* III. Mittens œconomos & cancellarios, & reliquos quibus erat dispositio ciuitatis credita. & *cap.* XXIII. Conuocat per cancellarium suum monachum. *Hinc apparet, non palatinos tantùm, quod nimisquam notum, sed & ecclesiasticos fuisse cancellarios. Hincmarus epist.* III. *c.* XVI. Apocrisiarius autem, quem nostrates Capellanum vel palatij custodem appellant, omnem clerum palatij sub curâ & dispositione suâ regebat. Cui sociabatur summus cancellarius, qui à secretis olim appellabatur.

Candidatvs. *Vita Hilarionis cap.* XVII. Candidatus Constantij Imperatoris. *Certum militiæ genus* candidati, *scutarij ferè protectoresque Principum. Ammianus lib.* XXV. Cùm Iulianus inter belli discrimina versaretur, clamabant hinc inde candidati, quos disiecerat terror, vt fugientium molem tamquam ruinam malè compositi culminis declinaret. *Victor Tunnunensis in Chronico:* Cui nepos Iusti-

Iustinianus vocabulo fuit, candidati militiâ functus. *duplex horum schola*, Seniorum & Iuniorum. *Vide Fastos Siculos, & Cedrenum.*

CANTHELIVM. *Ioannes Moschus Prati spiritualis cap.* CVII. Portabat canthelium capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monasterium. *Græcè est,* κανθήλιον. *Erat genus clitellarum ad aquam ferendam, quod vtrimque asini gestant. nam* κανθήλια, clitellæ *sunt.*

CARABVS. *Ioannis Moschi Pratum spirituale cap.* LXXVI. Ecce ego ascendo in carabum. *Isidorus Origin. lib.* XVIII. *cap.* I. Carabus, parua scapha, ex vimine facta, quæ contexta crudo corio, genus nauigij præbet. *Papias vocabulista*: Carabus, nauicula discurrens in Pado, id est, linter. Est autem ex vimine & corio. *Glossarium Gamberonense.*

CANONARCHOS, *id est, præfectus Canonis, qui lignum pulsare solebat, vt conuocaret fratres ad collectam. Ioannes Moschus lib.* X. *Vitarum Patrum cap.* L. Cùm quadam nocte surrexissem, vt pulsarem signum (ea quippe cura mihi vt Canonarchæ iniuncta fuerat, vt excitarem fratres ad collectam.) *Græcè est:* Ὅτι ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην, ἐφ' ᾧ κρούσαι τὸ ξύλον (ἤμην γὰρ Κανονάρχος.) *Idem cap.* XI. Καὶ κρούοντος Κανονάρχου τὸ ξύλον, ἐφ' ᾧ πάντας τοὺς ἀδελφοὺς συναχθῆναι. Cùm pulsaret præfectus canonis lignum, quo fratres omnes conuenirent.

CARACALLA. *Vestis genus. Palladius cap.* CXVII. Fortis mulier induta seruili caracallâ. *Græcè,* παιδισκάριον καρακάλλιον. *Encherius De vest.* Ephod vestis sacerdotalis, quæ superindumentum vel humerale appellatur. Est autem velut in caracallæ modum, sed sine cucullo. *Glossarium Græco-Latinum:* Καρακάλλιον, Caracalla. *Spartianus in Caracallâ Imp.* Ipse Caracalli nomen accepit à vestimento, quod populo dederat, demisso vsque ad talos. *Xiphilinus in Caracallâ*: Proprium genus vestimenti in modum penulæ (μανδύης) excogitauit. *Beda De gestis Anglorum libro* I. *cap.* VII. Mox se sanctus Albanus pro hospite (*qui clericus erat*) ac Magistro suo, ipsius habitu, id est, caracallâ, quâ vestiebatur, indutus, militibus exhibuit. *MS.* Carabus est quædam nauicella.

CARICÆ. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* V. Quinque caricis per singulos dies sustentabatur. *Item in Vitâ S. Hilarionis cap.* III. Herbarum ergo succo, & paucis caricis, post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat. *Interpretantur* caricas *esse* ficus siccas. *Certè ex ficuum genere caricas esse docet Plinius libro* XIII. *cap.* V. Syria præter hanc peculiares habet arbores. In nucum genere pistacia nota. Prodesse aduersus serpentium traduntur morsus, & potu & cibo. In ficorum autem, caricas, & minor eius generis, quæ cottana vocant.

CARTICA. *Pelagius lib.* V *libello* X. *n.* 76. Videns autem Ægyptius vestitum mollibus rebus, & budam de papyro, & pellem stratam sub ipso, & modicum capitale de carticâ sub caput eius. *An cartica est linum? Nam quod in Vitâ Onuphrij apud me MS. est:* Operabar cum fratribus charsicariam. *de eadem re hic lib.* VI. *apud Ioannem libello* III. *n.* II. *est:* & opus meum erat lini textura. *Sanè linum ceruicali conuenit. Quare in Vitâ Onuphrij vel* carticariam *legendum, vel apud Ioannem* charsica. *In excerptis Glossarij Græcolatini col.* 308. Carticula, δίκτυον.

CAVCVS. *Poculi genus esse colligitur ex varijs locis. Vita Abrahæ cap.* III. Caucum quoque permodicum, in quo edere seu bibere solitus erat, habebat. *Vide ibi dicta, & ad Vitam Pauli primi eremitæ cap.* XIV. *Glossarium Camberonense MS.* Caucum, vas ligneum ad bibendum. *Spartianus in Pescennio:* Tantæ fuit seueritatis, vt cùm milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, iusserit omne argentum submoueri de vsu expeditionali, addito eo, vt ligneis vasis vterentur. *Trebellius Pollio in Claudio ex epistolâ Valeriani*: Item in caucos, & scyphos, & zemas pondo vndecim. *Marcellus Empiricus de medicamentis cap.* XXV. Vermis terrenus effoditur, & in ligneo cauco ponitur. *Hieronymus libro* II. *in Iouinianum de Diogene*: Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concauâ bibere, & elisisse fertur ad terram, dicens: Nesciebam quòd natura haberet poculum. *Apud Ennodium epigrammate* XXV *inscriptio est*: De cauco cuiusdam habente Pasiphaën & Taurum. *Eadem inscriptio epigramm.* XXIX. *Plerisque locis non rectè* caneam *vel* cauum *vel* glaucus *hactenus impressum est. Papias,* Caucus vasis genus, *ex incorruptis vt apparet exemplaribus olim citat. Occurrit etiam epistolâ* XL. *inter Bonifacianas*: Reuerentiæ vestræ direxit deuotio mea caucum argenteum intus deauratum, & duo repta. *Quid* reptum *sit, dubitat ibi Serarius noster & Gretzerus lib.* II. *de Benedict. cap.* XXVIII. *Aliquid suggerit Glossarium Camberonense manuscriptum*: Renones sunt velamina humerorum, intortis villis hispida, quos vulgò reptos vocant, eò quòd longitudo villorum quasi reptat. *Occurrit & apud Bonifacium ep.* LXXVII. Misimus vobis parua xenia, id est, reptem ruptilem vnam.

CHAMEVNIÆ, *id est, humicubationes, Græcè* χαμευνίας *seu* χαμευνίας. *Ea vox Latinis auctoribus sæpè vsurpata. Vita Abrahæ cap.* XVIII. Chameunijs quoque & contritione corporis numquam omnino lassatus est. *Vita Mariæ neptis Abrahæ cap.* IX. Vbi vigiliæ, vbi chameuniæ? *Papias*: Cameuniæ, storiæ lecti. *Item*, Cameuniæ, vigiliæ in hieme. *non percepit vim verbi. Hieronymus in cap.* XLI. *Ezechielis*: Puto perspicuum esse lectori, semper angustiora esse, quæ deorsum sunt in ieiunijs, χαμευνίαις, & victus continentiâ. *Idem in cap.* III. *Amos*: Et percutiet domum hiemalem, eos hæreticos qui laborant continentiâ, & ieiunijs, xerophagijs, chaumeunijs: è quibus Tatianus est & Manichæus?

CHÆREVM. *Vita S. Antonij c.* LIV. Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum. *Locus fors ab Ægypti ciuitate ita dictus, nisi hæc mansio ipsa sit ciuitas. Stephanus De vrbibus:* Χαιρέου, πόλις Αἰγυπτίου, κατ' ἔλλειψιν τῆς πόλις. τὸ ἐθνικὸν Χαιρεώτης, ὡς Νικαιώτης. *Huius idem meminit in* Κηραία. Χαιρεώτης. *Procopio lib.* VI. *De ædificijs Iustin.* Χίερεος, *Ægypti locus. quod Ortelius esse putat* Chercu *Antonino, circa Canobum.*

CHALCIDOS EREMVS. *Hieronymi habitatio. Vita Malchi cap.* II. Perueni tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immas & Berhœam magis ad Austrum sita est. *Est in Syriâ. Hieronymus epist.* XLIII. *ad Chromatium, Iouinum, & Eusebium*: Nam postquam Euagrio transmittente, in eâ ad me eremi parte delatæ sunt, quæ inter Syros ac Saracenos vastum limitem ducit. *Idem ep.* XLI. *ad Ruffinum*: Syria mihi velut fidissimus naufrago portus occurrit. *Idem præfatione in Abdiam*: Quando ego & Heliodorus charissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur.

CHINO-

CHINOBOSCIVM. *Vitæ Pachomij cap.* v. xl. liii. *Rectiùs scribas Latinè* Chenoboscium, *quòd fortè ibi anseres pascerentur: quamquam nec inde nomen suum traxisse existimat Stephanus De vrbibus:* Χηνοβοσκία, πόλις Αἰγύπτου. Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῳ Αἰγυπτιακῶν. ἀντικρὺ δὲ τῆς Διοσπολίτου χηνοβοσκίον, μηδὲν εἰς τὴν προσηγορίαν ἐμφέρουσα. νομὰς γὰρ χηνῶν ἐκ αὐτόθι τις ἑώρακε. Chenoboscia, ciuitas Ægypti. Alexander in libro primo Ægyptiacorum. Est è regione Diopolitis nomi, nullam nominationis eius caussam secum ferens. nec enim vmquam ibi anseres pasci quis vidit.

CHOREPISCOPVS. *Heraclides cap.* xxxvii. Erat autem de monasterio Timothei Cappadocis cuiusdam chorepiscopi. *In Palladio cap.* cvi. *Glossarium Camberonense MS.* Chorepiscopi dicuntur episcoporum Vicarij, qui propter pauperum sollicitudinem in villis & vicis constituti gubernant cōmissas ecclesias, habentes licentiam constituere vsque ad subdiaconos. *De munere eorum vide Baronium tomo* iii. *anno Christi* ccclvii.

CHYDÆVM VINVM. *In Palladij Lausiacâ ex veteri interpretatione in Appendice cap.* xx. *n.* 3. Accipe tecum vnum vasculum Chydæi vini. *Ita ibi legendum existimo pro* Chindij, *vt in Notatione monui. Plinius libro* xiii. *capite quarto, de palmis agens & earum dactylis:* Nam quos ex his honori deorum dicamus, Chydæos appellauit Iudæa, gens contumeliâ numinum insignis. *Idem l.* xiv. *cap.* xvi. *agens de vinis factitiis:* Primumque è palmis, quo Parthi & Indi vtuntur, & Oriens totus, maturarum quas vocant chydæas modio in aquæ congijs tribus macerato, expressoque. Chydæi *significationi fors lucem dabit locus Exod.* 1. v. 7. Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt. *Apud* LXX. *est:* Οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ ηὐξήθησαν, καὶ ἐπληθύνθησαν, καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο. *Arias Montanus vertit:* At filij Israël creuerunt & multiplicati sunt, & abundantes fuerunt. *Vbi Romana editio habet:* & effusi facti sunt, χυδαῖοι ἐγένοντο. *Interpres Origenis:* & in multitudine magnâ diffusi sunt. Χυδαῖον *sæpè significat* vulgare, & ex copiâ vile. *Quare admonet Theodoretus q.* 1. *non esse hoc loco accipiendum quasi per contumeliam dictum, quemadmodum nonnulli acceperint; sed tantùm numerosam multitudinem significare. Ita enim creuerunt, inquit, vt per vniuersam illam terram diffunderentur. Aquila* ἐξῆρψαν, *Symmachus* ἐξῆρψαν, ercepserant. *Eustathius in Homerum:* Χυδαῖοι, πάλαι ἐλέγοντο οἱ πεπληθυσμένοι, νῦν δὲ οἱ ἐυδαιμένοι. Chydæi olim dicti multiplicati, nunc autem nullius pretij.

CILICENSIS AMPHORA. *Palladius cap.* xix. xx. Postquam amphoræ vnius Cilicensis aquam bibisset. Μετὰ τὸ πιεῖν ἀμφορέα Κιλικίσιον ὕδατος. *Suspicor maximā amphoram fuisse, nam præcedit:* Trium modiorum panem postquam comedisset, & amphoræ, &c. *vt sit proportio aliqua inter tres modios & amphoram vnam Cilicensem. Idem cap.* xxxiii. Cùm ergo multa vasa fictilia portasset, *Græcus addit,* Cilicensia. Βαστάσας οὖν οἴνου κεράμια κιλικίσια. *Heraclides cap.* vi. vnius amphoræ lagenam bibere coëgisset. *vbi quidam MS.* Cilicensis lagenæ aquam. *Apud Athenæum lib.* iii. Cilicij *panes, sunt panes magni, quorum etiam meminit Eustathius ad Homerum. Isidorus lib.* xx. *Orig. cap.* vi. *meminit* Sieulæ *vasis.* Lagena & situla Græca nomina sunt: inflexa ex parte vt fierent Latina. Illi enim λάγυνος, nos lagenam illi σίκλα, nos situlam dicimus. *Papias Vocabulista:* Sicula vas aptum ad vinum vel aquam, à Græco tractum, id est sicia. *Et ne vitium hîc in orthographiâ suspiceris, legendumque* situla, *in alio pòst litterarum ordine* situlam *ponit.*

CLINICVS. *Vita Fabiolæ capite* v. *& Paulæ capite* iv. *Capitur hîc pro ægro, qui lecto decumbit, nec se mouere potest. Plinius lib.* xxv. *cap.* v. Medetur ita morbis comitialibus, vt diximus, vertigini, melancholicis, stomachicis, spasticis, clinicis. *Sic paralyticum Ioannis* v. *Cyprianus* clinicum *vocat epist.* lxxvi. Ego enim, qui clinicum de Euangelio noui.

Erant & clinici, *medici, qui lectulis ægrorum assidebant, quò alludit Martialis lib.* 1. *epigr.* xxxi. *vbi Raderum nostrum de hoc medicorum genere vide.*

Clinici *quoque tempore Cypriani dicebantur, qui morti proximi in lecto baptizabantur. Cyprianus epistolâ* lxxvi. Porrò autem quòd quidam eos salutari aquâ, & fide legitimâ Christi gratiam consecutos, non Christianos, sed clinicos vocant.

COLOBIVM. *Vita Pachomij cap.* xiv. Lebiton autem linea vestis erat, instar colobij. *Ruffinus hîc libro* ii. *c.* iii. quibus vsus est indui colobijs, quasi saccis lineis. *Glossarium Camberonense manuscriptum:* Colobium, vestis cucullæ similis, nisi quòd cucullo caret. *Papias Vocabulista:* Colobium genus vestis dictum, quia longum est, & sine manicis. hoc antiqui vtebantur. sed quia nuditas brachiorum culpabatur, vsus colobiorum in dalmaticas est mutatus. *Existimo Colobium dictum à* κολοβὸς, *quòd mutilum esset videlicet manicis. Nicetas Thesauri orthodoxi lib.* 1. *cap.* xxxix. *agens de Scribis Iudæorum:* Dalmatica, quæ nunc colobia dicuntur, purpuraque prætexuntur, induti, phylacteria sua ostentabant, breues nimirum chartulas, quibus inscripta lex erat, quas illi pretiosis fascijs ornatas, auroque distinctas, tamquam Iudæorum magistri, deferebant. *Etiam colobiis monachorum signum erat intertextum è purpurâ. Vide Dorotheum Doctrinâ* 1. *Habes etiam* colobium purpuratum, *apud Anastasium in Eutychiano.*

CONTERNATIO. *Vita S. Paulæ cap.* ix. Segor vitulam conternantem, *id est trimam, Isaiæ* xv. *Papias:* Conternans, vitula tertium agens annum. *Vocabularium Gerardi de Schueren:* CONTERNANS, die in sijnen derden iaer is. *Vide hanc lectionem accuratè explicatam apud nostrum Gabrielem Aluarez in Isaiam. Rarius vocabulum eo significatu. Diu ibi lectum* consternantem. *Vtraque lectio est in Glossario MS. Camberonensi.* CONTERNARE vel CONTRENARE est tremere. Vnde & Segor vitula conternans à Prophetâ dicitur: VITVLA, quia parua; CONTERNANS, quia per tremorem terræ sæpè subruta. CONSTERNANS, repellens, vel cadens. CONSTERNATIO dicitur subita concitatio ex aliquo metu, à sternutando dicta. Vnde & alij prædictam Segor non CONTERNANTEM sed CONSTERNANTEM dicunt, quasi ad hostilem aduentum repentino timore turbandam. *Aliud est* Conternatio *Hygino De limit. constit. videlicet ternorum comparatio:* Quod si illis permissum fuerit, vt inter conuenientes conternentur, conternati sortiri debebunt, qui tres primam centuriæ sortem accipere debeant. Conternationum factarum singula sortibus nomina inscribemus.

CONTINENTIA IN MATRIMONIO. *Frequens ea meliore æuo. Et quidem perpetuæ continentiæ exempla habes hîc in Indice, Ammonis cum vxore, Anastasij*

stasij & Theognie, Eucharistij & Mariæ, Magnæ cum marito, Olympiæ cum Nebridio, cuiusdam anonymi, qui posteà presbyter creatus est, cum vxore, quibus adde, Pelagij, post Laodicensis episcopi, cum vxore, apud Theodoret. l. IV. *Hist. Eccl. c.* XII. *Iuliani & Basilissæ apud Metaphrasten* IX. *Ian. Zachariæ calcearij cum Mariâ vxore, vt habes in Græcorum Menæis* XVII. *Nouembris: Cæciliæ cum Valeriano nobili Romano* XXII. *Nouembris apud Surium: duorum Amantium apud Gregorium Turonensem, De glor. Confess. cap.* XXXIII. *Cononis Isaurici cum Mariâ coniuge in Menæis* V. *Martij. Eduardi Angliæ Regis cum coniuge Edithâ: Henrici Imp. Augusti cum Cunegunde vxore, vt habet Surius* III. *Martij: Elzearij comitis Arriani, & Dalphinæ* XXVII. *Septemb. apud Surium cap.* XXXII. *Edelfridæ cum duobus regibus Angliæ, apud Bedam lib.* IV. *Hist. Anglic. cap.* XXIII. *Boleslai Pudici Poloniæ regis cum Cunegunde. Aliorum aliquot similia exempla vide apud Canisium nostrum lib.* II. *De Mariâ Virgine cap.* XI.

Temporariæ continentiæ castimoniam post susceptos liberos coluêre Antigonus & Euphraxia, Protocomes cum vxore annis XXX. *Pinianus cum Melaniâ iuniore, quæ in Indice Vitarum Patrum vide, quibus addi possunt Andronici & Drusianæ apud Abdiam libro* V. *in Actis S. Ioannis Euangelistæ: Andronici & Athanasiæ coniugum anachoretarum, vt habent Menæa* IX. *Octobris cum Martyrologio Romano, & Metaphrastes* XXVII. *Februarij.*

Vide etiam aliquot continentiæ in matrimonio exempla apud Ioannem Nyder Formicarij lib. I. *cap.* V. *& ibi Scholiasten Georgium Colueuerium.*

His annumerandi non videntur Macarius Romanus cum suâ sponsâ in Vitis Patrum, S. Alexius cum puellâ Regij sanguinis, apud Surium XVII. *Iulij, Pharaildis cum Guidone viro nobilissimo, quòd consensus mutuus defuerit.*

COPADIVM. *Pelagius lib.* V. *libello* IV. *num.* 63. Et accipiens Archiepiscopus vnum copadium, dedit iuxta se recumbenti. *Papias*: Copadium particula carnis, quod Græci copium dicunt.

CORONA MARTYRVM. *Frequens* corona & coronari *de martyrio Vita Antonij cap.* XXIII. Episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato. *Vita Malchi in Prologo:* Per quos Christi Ecclesia nata sit & adulta, persecutionibus creuerit, martyrijs coronata sit. *Vita Paulæ cap.* XXVII. Mater tua longo martyrio coronata est. *Vita Pachomij in Prologo*: Simul cum Petro Alexandrinæ ciuitatis episcopo, perpetuas coronas & immortalia præmia sunt adepti. *Martyrologium Romanum* I. *Ianuarij:* Ibidem viâ Appiâ coronæ SS. militum triginta martyrum sub Diocletiano Imp. *& passim apud Ecclesiasticos scriptores.*

CORONA REDIMIRI. *Erat solemne olim tam sponsum quàm sponsam coronâ redimiri. Palladius c.* VIII. *de Ammone sponso:* Visum est ei & coronâ redimiri, & sedere in thalamo. ἔδοξεν καὶ στεφανῶσαι. *Tertullianus De coronâ militis cap.* XIII. Coronant & nuptiæ sponsos; & ideò non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam ducant, à quâ apud illos nuptiæ incipiunt. *Ita quidem obseruatum fuit in primitiuâ Ecclesiâ, cùm periculum esset idololatriæ, quòd coronæ alicui deo profano sacræ sunt. Posteà semoto periculo etiam mos hic apud Christianos inualuit, vt hic vides. Claudianus de nuptijs Honorij:*

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Idem exhortans Stiliconem ad nuptias ait:

Solitas galeâ fulgere comas
Stilico molli necte coronâ.

Vide plura apud Carolum Paschalium De coronis.

CRVX E COLLO GESTATA. *Leontius in Vitâ S. Ioannis Eleëmosynarij de Zachariâ eius discipulo c.* I. Abstulit à se quam ferebat crucem argenteam, & dat ei. *Crucem è collo gestauit Procopius seu Neanias Martyr tempore Diocletiani, vt testatur Nicephorus lib.* VII. *cap.* XV. *& Concilium Nicænum Act.* IV. *& Metaphrastes apud Surium* VIII. *Iulij. Ita & Oresdes miles Christianus, vt habetur in Vitâ S. Eustratij martyris & sociorum* XIII. *Decembris apud eumdem Surium. Vide plura exempla apud Gretzerum nostrum de Cruce lib.* I. *cap.* LXXVIII. *& lib.* II. *cap.* XXVII. *Item lib.* II. *c.* XXXIV. *de Encolpio Episcoporum, qui cruciculam auream è collo gestant.*

CVBA. *Vita Pauli primi eremitæ cap.* V. *vbi in Notatione vide &* cubam *&* gubam *dici posse. Sic apud Theodoretum Philothei lib.* IX. *cap.* XIII. *Macedonius* Gubba *dictus, quòd staret in fossâ profundâ.* Id autem nomen, *inquit*, si ex linguâ Syriacâ in Græcam transferatur, significat λάκκον, id est, lacum.

Aliud Cuba *vel* Cumba *Festo.* Cubam Sabini vocant eam, quam militares lecticam. vnde videtur deriuatum esse cubiculum. *In Glossis Isidori est,* Cumba, cuneus, ripa. *Glossarium Camberonense manuscriptum:* Cuba, extrema pars nauis, dicta eò quòd incubet aquis. Cumba verò dicitur lectica à cubando. *In iisdem,* Gumba, cuneus.

Inuenitur & Cubella *apud postremissimos scriptores, pro lintre, in quo pasta formari solet. Niderus in Formicario.*

CVRARE, *id est,* ἐνταφιάζειν, *curare funus, lauare, vngere, condire aromatibus, & cetera præstare, quæ requiruntur ante sepulturam. Palladius cap.* X. Quem cùm ego curassem, & linteis sancti corpus inuoluissem, & deposuissem. Ὃν ἐνταφιάσας ἐγὼ, καὶ ὀθόναις τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου ἑλίξας, καὶ ἀποθέμενος. *Heruetus vertit:* Quem cùm ego sepelissem, & linteis, *&c. Nempe* ἐνταφιάζειν, curare funus, *credidit idem esse quòd* θάπτειν, sepelire. *Atqui non poterat sepeliri corpus antequam inuolueretur. Rectus ordo* curare, *lauare & vngere corpus*, linteis inuoluere, *& deponere, seu sepelire. Proprium verbum huic rei funebri* curare *Latinis, vti Græcis* ἐνταφιάζειν.

Quod Gen. L. *v.* 2. *est,* Præcepitque (*Ioseph*) seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem; LXX. *habent.* Καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ. Et præcepit Ioseph seruis suis funeratoribus, funerare patrem suum: *ibi olim erat* sepultoribus. *Augustinus in Locut.* Sepultoribus. Non inuenit lingua Latina, quéadmodum appellaret ἐνταφιαστάς. Non enim ipsi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorum, quod non est Græcè ἐνταφιάσαι, sed θάψαι. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel siccando, vel inuoluendo, & alligando: in quo opere maximè Ægyptiorum cura præcellit. Quòd ergo dicit, etiam sepelierunt, curauerunt intelligere debemus.

Idem Tractatu priore De resurrectione mortuorum c. XII. Ægyptij diligenter curant cadauera mortuorum. *Pius episcopus Romanus (vt creditur) ad Iustum Episcopum Viennensem epistolâ* II. Cura autem sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum. *Suetonius Nerone cap.* XLIX. Imperauit aquam simul

& ligna

& ligna cōferri curando mox cadaueri. *Spartianus in Hadriano:* Curasse delicatos, eosdemq; sepelisse. *nisi illè capiendus sit de curâ depilatoriâ catamitorum, legaturq;* sæpè lisse. *Eginhartus in Vitâ Caroli Magni:* Corpus more solemni lotum & curatum.

Cvrialis. *Heraclides cap.* VII. Moyseus seruus alicuius curialis erat. *In Palladio cap.* XXII. *est,* οἰκέτης ὑπῆρχε πολιτευομένου τινός. *Vetus Palladij Lausiaca cap.* XIV. Moyses seruus cuiusdam fuit curialis. *Innocentius I. epist.* II. *ad Victricium Rotomag. Episcopum cap.* XI. Frequenter quidam ex fratribus nostris, curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt. *Sunt* Curiales, *qui curijs adscripti erant. Glossæ:* Curialis, βουλευτὴς, βουλευτικός.

Cyphonismvs. *Sunt qui* cyphonismum *velint describi à S. Hieronymo in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* II. Martyrem iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole, religatis post tergum manibus, resupinari: scilicet vt muscarum aculeis cederet. *vide Gallonium De tormentis cap.* I.

Dæmonvm prædictio. *Rectè de eâ ratiocinatur S. Antonius, vt habetur Vita eius cap.* XVII. *Augustinus verò tomo* III. *lib.* II. *De Gen. ad litteram, c.* XVII. *ita eâ de re disserit:* Quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientiâ callidiore, propter tam magnam longitudinem vitæ, partim sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ sinceritati distribuit. Aliquando autem ijdem nefandi spiritus etiam, quæ ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Quapropter bono Christiano siue mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.

Idem tomo III. *lib.* XII *De Genesi ad litt. c.* XVII. Ceterùm alicubi longè iam facta quòd nuntiant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Possunt enim hoc efficere, non solùm acrimoniâ cernendi etiam corporali incomparabiliter præstantiore quàm nostra est, sed etiam ipsorum corporum longè vtique subtiliorum mirâ velocitate. Comperimus etiam in domo constitutum patientem spiritum immundum, dicere solere, quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter, & per omnia loca itineris vbi esset, & quàm propinquaret, & quando ingrederetur, & fundum, & domum, & cubiculum, donec in conspectu eius astaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat; tamē nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febriens, & tamquam in phrenesi ista dicebat.

Idem tomo III. *lib. De diuin. dæmonum cap.* IV. *&* V. *præclarè eâ de re inquirit.*

Idem lib. II. *De c. D. Dei cap.* XXIV. *de seruo Lucij Pontij per dæmonem vaticinantis:* Adiecit arsurum esse Capitolium. Hoc cùm dixisset, continuò egressus è castris, posterâ die concitatior reuersus est, & Capitolium arsisse clamauit. Arserat autem reuerà Capitolium. Quod quidem dæmoni & præuidere facile fuit, & celerrimè nuntiare. *Sic lib.* VIII. *cap.* XXIII. *docet vnde Hermes Trismegistus scire potuerit superstitiones Ægyptiacas auferendas. Et l.* IX. *cap.* XXII. *distinguit inter scientiam dæmonum & Angelorum, quòd Angeli* certiùs temporalia & mutabilia ista nouerunt, quia eorum principales caussas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus: quibus caussis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum caussas, & quodammodò cardinales in Dei sapientiâ contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum maiori experientiâ multò plura quàm homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænuntiant. Denique sæpè isti, numquam illi omnino falluntur.

Dæmonvm exsvfflatio. *Nihil frequentius in Sanctorum gestis* dæmonum exsufflatione, insufflatione, inspuratione.

De exsufflatione, *habes in Vitâ Pachomij capite decimoseptimo:* Qui signo Crucis frontem suam muniens exsufflauit in eum, moxque fugatus est. *& capite* XLVIII. Et exsufflans in eum dixit. *Irenæus libro primo, capite nono:* Iam verò quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, & non sunt seducibiles, quas similiter vt reliquas affectauit seducere, iubens eas prophetare, exsufflantes & anathematizantes eum separauerunt se ab eiusmodi insano. *Quod hîc est* exsufflantes, *Græcè apud Epiphanium hæresi* XXXIV. *est* καταφυσήσασαι. *Tertullianus De idololatriâ cap.* XI. Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit? *Seuerus Sulpicius libro* III. *De virtutibus S. Martini:* Vidit post tergū ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus (vt verbo, quia ita necesse est, parum Latino vtamur) exsufflans, Auitianus se exsufflari existimans, Quid me, inquit, sancte sic adspicis? Tum Martinus: Non te, inquit, sed eum, qui ceruici tuæ teter incubuit. *Sic dæmoniorum exsufflatio inter cærimonias Baptismi apud Dionysium Areopagitam Hierarchiæ Eccles. cap.* II. *& passim apud alios Ecclesiasticos scriptores: quo respicit D. Augustinus tract.* XI. *in Ioannem agens aduersus Donatistas rebaptizatores, qui semel ritè baptizatum exsufflabant, atque ita Christum potiùs quàm dæmonem exsufflabant:* Aduersus exsufflatores Christi: aduersus blasphematores Baptismi. *Item:* Quando vident Christum à quo liberati sunt, exsufflari in Christianis? *quem locum non rectè percepit Desiderius Heraldus Notis ad Minutium Felicem.*

De insufflatione *Prudentius in Agone Romani, Hymn.* XIV. *v.* 919.

Ingressus ille, vt hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu videret dæmones.

Palladius in Vitâ S. Ioannis Chrysostomi: Dæmones credentium vnâ insufflatione ligantur.

Exsufflatio *hæc dæmonum &* insufflatio *sæpè fiebat cum desputatione. Vita Antonij cap.* XX. At ego sputaculum maximum in os eius ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatus ingessi. *vnde* despuere *&* exsufflare *subinde coniunguntur. Tertullianus De idololatriâ cap.* X. Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit? *Idem lib.* II. *ad vxorem cap.* V. Latebisne tu cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu exspuis?

Subinde despuere *solitariè ponitur. Tertullianus De spectac. cap.* XIII. Nec minùs templa quàm monumenta despuimus. *Minutius Octauio:* Deos despuunt.

despuunt. *Prudentius libro* I. *contra Symmachum:*

— quis in vrbe

Qui Iouis infectam sanie non despuat aram?

Vnde non mirum Vita S. Antonij cap. XX. *variam lectionem esse, vt ibi monui, cùm Euagrius vertit* sputaculum ingeminaui. *vbi in Græco est* ἐνεφύσησα.

DEFENSOR. *Vita Ioannis Eleëmosynarij capite* V. Et volentes adire eum, timore cancellariorum & ecclesiæ defensorum atque ei adstantium prohiberentur. *& cap.* XXIII. Ceciderunt eum ecclesiæ defensores. *Concilij Chalcedonensis can.* II. *qui Græcè dicitur* ἔκδικος *Latinè est* defensor. *& can.* II. XXIII. *habes* ἔκδικον defensorem *ecclesiæ Constantinopolitanæ. In Codice canonum ecclesiæ Africanæ can.* CXVII. *habes* ἐκδίκους σχολαστικούς, defensores scholasticos, *id est aduocatos. Vt hi erant* defensores *ecclesiæ, ita alij erant* defensores *in palatio. Vide Codinum De offic. aulæ Constantinopolitanæ.*

DEHABERE. *Rarius verbum, nec facilè obuium. Habes in Appendice in Palladij Lausiacâ ex veteri interpretatione, cap.* XIII. Maximè si dehabent & egentiores sunt. *Præter Hieronymum ibi citatum, vsurpat & Æthicus de Oceani Occidentalis fluminibus, in Tiberi:* Insula verò, quam facit intra vrbis portum & Ostiam ciuitatē, tantæ viriditatis amœnitatisque est, vt neque æstiuis mensibus, neque hiemalibus pasturæ admirabiles herbas dehabeat.

DEHONESTAMENTVM. *Vita Antonij cap.* XXX. Tali dehonestamento corporis plurimùm gloriabatur. *Ex Gellio sumptum, vt videbis. Etsi rarius verbum, auctoribus tamen aliquot vsurpatum. Salustius lib.* I. *Historiar.* Fusidius honorum omnium dehonestamentum. *Tacitus aliquoties vsurpat. Occurrit & apud Iustinum. Seneca de Constantiâ Sapientis cap.* XIX. Contumelias & verba probrosa, & ignominias, & cetera dehonestamenta velut clamorem hostium ferat. *Gellius lib* II *cap.* XXVII. Quo ille dehonestamento corporis maximè delectabatur. *Arnobius lib.* II. Ad vitiorum dehonestamenta traduci. *Trebellius Pollio in Claudio:* Gallus Antipater ancillariorum & histrionum dehonestamentum. *Ammianus lib.* XXVI. Ad hoc igitur dehonestamentum bonorum omnium ludibriosè sublatus. *Glossæ:* Dehonestamentum, αἰσχύνη.

Dictum & inhonestamentum. *Apuleius Apologiâ:* Ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam. *Isidorus libro* II. *Originum, cap.* XXI. *ex C. Graccho citat:* Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit: adolescentia senectutis dedecoramentum: senectus Reip. flagitium.

Sic honestamentum *Ennodio lib.* II. *epist.* I. Nec magistro opus sit ei, quem fecerunt actuum suorum emendationes & honestamenta conspicuum. *Apuleio Apologiâ:* Itemque multos philosophos ab ore honestissimos memoriæ prodi, qui gratiam corporis morum honestamentis ornauerunt.

DIPTYCHVM. *Vita Pelagiæ capite* VII. Statim transmisit diptychum tabularum per eosdem pueros. *Græcum verbum* diptychum δίπτυχον, *Latinis tamen vsurpatum, sed sæpè apud eos deprauatum. Etymologicum:* Δίπτυχα, ὄνομα οὐδέτερον. Γέγονε δὲ ἐκ τοῦ δίπτυξ, ἀρσενικοῦ. τοῦτο ἐκ τοῦ πτύσσω τὸ σφαλίζω, πτύξω, πτύξ. καὶ μετὰ τοῦ δύο, δίπτυξ, δίπτυχος κλίνεται καὶ μετάγεται εἰς εὐθεῖαν. καὶ τὸ οὐδέτερον, τὸ δίπτυχον· Δίπτυχα ποιήσαντες, διπλώσαντες τὴν κνίσαν, νῦν δὲ λέγει τὴν ἐπίπλουν: Diptycha, nomen neutrum. Fit à masculino δίπτυξ quod fit à verbo πτύσσω, plico. Futuro πτύξω, vnde πτὺξ plica, & cum δύο duo δίπτυξ, δίπτυχος flectitur, & traducitur ad rectum casum. & neutrum diptychum. Diptycha facientes, id est duplicantes aruinam, nunc autem dicit ἐπίπλουν, omentum. *Alludit hic Etymologicum ad versus Homeri, de quibus post.*

Diptychum *igitur hic capitur pro libello duarum plicarum seu foliorum, seu paginarum, quasi dicas* duplices. *vnde Ouidio lib.* I. *Amorum eleg.* XII.

Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi,
Auspicij numerus non erat ipse boni.

quos Ioannes VVouuerius ad lib. I. *Sidonij ep.* V. *non ritè refert ad combinas seu diplomata Impp. Sic Martiali l.* VII. *epigr.* LII. triplices *seu* τρίπτυχα *à tribus foliis:*

Bis senos triplices, & dentiscalpia septem.

& eodem libro, epigr. LXXI.

Nec vani triplices, breuesque mappæ.

Idem lib. XIV. *epigr.* VI.

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cùm se venturam scribet amica tibi.

Sic apud eundem Martialem lib. XIV. *ep.* IV. quintuplices, *seu* πεντάπτυχα *habes:*

Cæde iuuencorum domini calet area felix,
Quintuplici cerâ cùm datur altus honor.

Duplex autem fuit diptychorum vsus, profanus *&* sacer. *Profani mentio apud veteres, qui ea muneris loco sæpè mittebant, maximè in editione munerum. Symmachus in Auctario Epistolarum ep.* VII. *quam fratribus scribit:* Religiosum atque votiuum est, vt à Quæstoribus cādidatis dona sollemnia potissimis atque amicissimis offerantur. In eo numero iure censemini. Offero igitur vobis eburneum diptychum, & canistellum argenteum librarum duarum filij mei nomine, qui quæstorium munus exhibuit. *Idem libro* II. *ep.* LXXXI. *ad Flauianum:* Filius noster Symmachus peracto munere Candidati, offert tibi dona quæstoria, & ceteras necessitates nostras pari honore participat. Quæso igitur vt eius nomine diptycha & apophoreta suscipere dignemini. *Idem libro* V. *ep.* LVI. *ad Sallustium:* Ad te diptychum Candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum per hominem tuum misimus, approbare cupientes Editioni nostræ te animo non defuisse. *Idem lib.* IX. *ep.* CIX. Non aspernabere, vt existimo, diptychi & apophoretici oblationem.

Erant diptycha, *quæ muneris loco mittebantur, ferè eburnea: quod epitheton etsi non semper additur, tamen subintelligendum videtur. sic cape* diptychum *absolutè positum apud Symmachum lib.* II. *ep.* LXXXI. *Nam subdit, quasi explicans:* Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honoraui.

Cùm eadem Principi mittebantur, inaurari solita. Symmachus lib. II. *ep.* LXXXI. Præterea domino & Principi nostro ad referendam largitati eius sedulam magis quàm parem gratiam, auro circumdatum diptychum misi.

Prohibitum post, ne minor consulari magistratu diptycha ex ebore & sportulas aureas daret. L. I. *De expens. ludor. C. Theod. ita constituunt Impp. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Augg.* Illud etiam constitutione solidamus, vt, exceptis Consulibus ordinarijs, nulli prorsus alteri auream sportulam, diptycha ex ebore dandi facultas sit, cùm publica celebrantur officia. Sit sportulis nummus argenteus, alia materia diptychis. *Vnde Claudianus lib.* III. *de laude Stiliconis consulis ab eo sparsas in populum eboreas tabellas canit:*

Tum virides pardos, & cetera colligit Austri

Prodigia,

Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen
Per proceres & vulgus eunt. stupor omnibus Indis
Plurimus; ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Cur diptycha *seu pugillares tabulæ in editione munerum dono missa fuerint, equidem nescio. Ludouicus Carrion lib. II. Emendat. cap. VI. suprà existimat ea à Quæstoribus candidatis offerri solita, quòd iis ipsis essent in vsu frequenti. Sed & Consules aliique diptycha obtulerunt.*

Videntur diptycha *amantium fuisse tabellæ. vnde vetus Commentator ad illud Iuuenalis Satyr. IX.*

——— Et blandæ assiduæ, densæque tabellæ
Sollicitent.

ascribit: blandis te epistolis & diptychis sollicitet. *Glossarium Camberonense manusc.* Dipticæ, dicuntur tabellæ, quibus corruptores puellis suis inscribunt amorem. *Papias Vocabularista:* Dipticæ tabellæ, quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis. *Apud Ouidium quoque lib. II. Amorum, eleg. XV. habes* tabellas arcanas *ad hanc rem.*

Quod Carrion putat diptycha *vniuersim fuisse plerumque* eburnea, *falli eum existimo. Nec enim simile vero,* diptycha epistolica, *quæ vulgò epistolæ loco sibi mutuò mittebant, quibusque arcana sua declarabant, fuisse eburnea; sed potiùs lignea, cerâ obducta. vnde Ouidius suprà amicæ suæ* duplices, *seu* diptycha, *quibus noctem negauerat, execrans ait:*

Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus
Rodat, & immundo cera sit alba situ.

vnde colligitur lignea *fuisse. Et eodem lib. I. eleg. XI. quæ priorem præcedit de tabellis suis amatoriis, ait:*

Subscribam. Veneri fidas sibi Naso tabellas
Dedicat. at nuper vile fuistis acer.

Alia erant sacra diptycha, *quorum vsus erat in Ecclesiâ Catholicâ, à communi in priuatam notionem deflexa.*

Erant igitur hæc sacra diptycha, *duplices tabulæ, quarum vnâ parte inscribebantur nomina episcoporum piè defunctorum, alterâ verò viuorum.*

Et quidem quod mortuos spectat, earum tabularum, quæ ἱεραὶ πτυχαὶ *ibi vocantur, mentio est apud Dionysium Areopagitam Ecclesi. Hierarch. cap. III. vbi agitur de mysterio Synaxeos siue Communionis:* Καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάρρησις ἐπιτελεῖται. *quæ ita vertit Perionius:* Cùm omnes se inter se salutauerunt, mystica sanctorum recitatio fit. *Ambrosius Camaldulensis:* Et cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit. *Vterque omisit vertere vocem* πτυχῶν. *Rectiùs igitur Ioannes Scotus vetus Dionysij interpres:* Et omnibus salutantibus inter se inuicem, mystica sacrorum voluminum prædicatio perficitur. *Item Ioannes Saracenus:* Et osculatis se inuicem vniuersis mystica sanctarum tabularum prædicatio perficitur. *Rectè ita verterunt, modò per* volumina *&* tabulas *intelligant* diptycha.

Rursus eodem capite in Theoriâ: Ὁ δὲ θειότατος ἀσπασμὸς ἱερουργεῖται, καὶ τῶν ἁγιογράφων πτυχῶν ἡ μυστικὴ καὶ ὑπερκόσμιος ἀνάρρησις. *Perionius:* Diuina autem salutatio siue osculum adhibetur, sanctorumque animorum, qui scripti sunt, mystica cælestisque prædicatio. *Ambrosius Camaldulensis:* Porrò sacratissima consalutatio idcircò celebratur, sanctorumque descripta nomina mysticè & modo supramundano prædicantur. *Clarius veteres interpretes. Ioannes Scotus:* Diuinissima autem salutatio sanctè agitur, & hagiographorum voluminum mystica & supermundana recitatio. *Ioannes Saracenus:* Diuinissimum autem osculum sanctè agitur, & hagiographarum tabularum mystica & supermundana enuntiatio.

Iterùm in eiusdem capitis theoriâ, quâ huius rei contemplatio & explicatio continetur: Τῶν δὲ ἱερῶν πτυχῶν μετὰ τὴν εἰρήνην ἀνάρρησις, ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας, καὶ πρὸς ἐναρέτου ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους. *quæ ita vertit Perionius:* Sanctorum autem animorum, quæ post pacem adhibetur, prædicatio, eos qui piè sanctèque vixerunt, atque ad vitæ virtuti consentaneæ perfectionem peruenerunt, laudibus afficit. *Rursus hîc Perionius* ψυχῶν *legit pro* πτυχῶν. *Ambrosius Camaldulensis:* Enimuerò sanctorum post pacem illam nominum, prædicatio, eos præconio attollit, qui piè sanctèque vixerunt, atque ad finem vsque virtutis vitam constanter, nusquam ab eâ deflectendo, tenuerunt. *Clarius Ioannes Scotus:* Sacrarum autem tabularum post pacem recitatio, prædicat sanctè firmatos, & ad strenuæ vitæ consummationem immutabiliter aduenientes. *Item Ioannes Saracenus:* Sanctarum autem tabularum post pacem prædicatio, prædicat illos qui sanctè vixerunt; & ad virtutum vitæ perfectionem intransmutabiliter peruenerunt.

Vt hic habuimus ἱερὰ πτυχά, *quæ Maximus & Pachymeres Scholiastæ Dionysij* δίπτυχα *interpretantur; ita* διπτύχων *diserta mentio in epistolâ Ægyptiorum episcoporum ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum contra Timotheum inuasorem sedis Alexandrinæ, quæ habetur parte III. Concilij Chalcedonensis ex Romanâ editione:* Etiam in venerabili diptycho (in quo piæ memoriæ, transitum ad cælos habentium episcoporum vocabula continentur, quę tempore sanctorum mysteriorum secundùm sanctas Regulas releguntur) posuit suum nomen & Dioscori, qui sub damnatione anathematis à Deo & vniuersali Concilio esse decretus est; & deleuit exinde sanctæ memoriæ, & secundùm Deum viuentis Proterij nomen, regulariter archiepiscopi constituti. *Item in sextâ Synodo Act. XIII.* Τοὺς τοίνυν ἐν ἁγίᾳ τῇ μνήμῃ τρεῖς ἄνδρας, τουτέστι Θωμᾶν, Ἰωάννην, καὶ Κωνσταντῖνον ζωώσαμεν ἐν τῇ ταυτότητι μένειν καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἀναφέρεσθαι τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν: Hos sanctæ memoriæ tres viros, id est, Thomam, Ioannem, & Constantinum præuidimus in idemtitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum ecclesiarum recitari. *Theodoretus Ecclesiastica historia libro V. cap. XXXV.* Οὗτος τοῦ Ἰωάννου τοῦ πάνυ τὴν προσηγορίαν πρῶτος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διπτύχοις ἐνέταξε: Iste (*Alexander Antiochenus episcopus*) primus magni Ioannis nomen ecclesiasticis diptychis inseruit. *quod etiam habes in Historiâ Tripart. lib. X. cap. XXV. & apud Georgium Alexandrinum in Vitâ Chrysostomi capite LXXI. Isidorus Trimethensis episcopus in Vitâ Ioannis Chrysostomi:* Τὸ ὄνομα Ἰωάννου τοῖς ἱεροῖς ἐγκαταγράψαι διπτύχοις: Nomen Ioannis sacris inscribe diptychis. *Innocentius Papa ad Arcadium & Eudoxiam apud Georgium Alexandrinum Patriarcham de Vitâ Chrysostomi:* Προστάξαι δὲ κελεύσατε καὶ τὸ ὄνομα Ἰωάννου τοῖς ἱεροῖς ἐγγραφῆναι διπτύχοις: Iubete autē Ioannis nomen sacris inscribi diptychis. *Epistola Iustiniani Imperatoris ad quintam Synodum generalem, quæ est Constantinopolitana II.* Sicut & eos, qui iniustè condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, & in sacris diptychis

scripserunt. Quod factum est & in Ioanne (*Chryso-*
stomo) & in Flauiano religiosæ memoriæ episcopis
Constantinopolitanis. *Citatur can.* Sanè.xxiv.*q.*1.
In Sacramentali Gregorij Magni habes Orationem
Super diptycha: Memento etiam Domine famu-
lorum tuorum, qui nos præcesserunt & dormie-
rût in somno pacis. *Et in Liturgiâ S. Marci:* Ὁ διάκο-
νος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων: Diaconus legit dipty-
cha defunctorum. *Ad hanc consuetudinem defuncto-*
rum nomina in Missâ recitandi alludit Cyprianus
epistolâ x. *ad Clerum & presbyteros, qui temerè pacem*
lapsis dederant: Offertur nomen eorum. *& episto-*
lâ LXVI. *ad presbyteros, diacones, & plebem Furnita-*
nam: Neque enim apud altare Dei meretur nomi-
nari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes
& ministros voluit auocare.

Vti ritè defunctorum episcoporum nomina sacris
diptychis *inscribebantur, ita hæreticorum & schi-*
smaticorum ex ijsdem tollebantur. Iustinianus Impe-
rator in Confessione rectæ fidei aduersus tria capitu-
la, seu in edicto de fide Catholicâ, quod habetur post
quintam Synodum: Ἀμέλει τοι καὶ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς ἐν
Μοψουεστίᾳ ἐκκλησίας, ἐν ᾗ λέγεται ἐπίσκοπος γεγενῆσθαι,
διὰ τὰς βλασφημίας, δι' ἅσπερ Ἕλλησί τε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Σο-
δομίταις παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων συνηριθμήθη, ἀπήλειψαν
ἐξ ἐκείνου τῶν ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας διπτύχων τὴν τούτου προσηγο-
ρίαν: Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ ec-
clesiæ, in quâ episcopus dicitur fuisse, cùm inue-
nisset quòd paganis & Iudæis & Sodomitanis à
sanctis Patribus connumeratus est, deleuerunt
ipsi ex illo tempore è sacris ecclesiæ diptychis
eius nomen. *Iustinianus Imperator epistolâ ad*
quintam Synodum quæ habetur ibi Act. 1. *de*
Theodoro Mopsuesteno: Propter istas (*blasphe-*
mias) superioribus temporibus deletum est &
nomen eius è sacris diptychis ecclesiæ, cuius
fuit episcopus. *Diualis sacra Constantini Pogonati*
ad Domnum Papam Agathonem, quæ præmittitur
sextæ Synodo generali, quæ est Constantinopolita-
na III. Πολλὴν γὰρ ἔνστασιν ἡμῖν ἐποιήσαντο, ὅ,τε ἁγιώτατος
καὶ μακαριώτατος τῶν ἐνταῦθα πατριάρχης, καὶ Μακάριος ὁ
ἁγιώτατος πατριάρχης Θεουπόλεως ἐκβαλεῖν Βιταλιανὸν τὸν
μακαριώτατον ἐκ τῶν διπτύχων, φάσκοντες Ὁνώριον ἐν τοῖς
διπτύχοις διὰ τὴν τιμὴν ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας
Ῥώμης: Multam enim nobis instantiam fecerunt
tam hic sanctissimus ac beatissimus patriarcha,
quamque Macarius sanctissimus patriarcha Theo-
poleos, vt eijceretur Vitalianus beatissimus de
diptychis, asserentes Honorium memorari in
diptychis, propter honorem Apostolicæ Sedis an-
tiquæ nostræ Romæ. *Ecclesiastica historia Theodori*
Lectoris Constantinopolitani apud Damascenum ora-
tione III. *De imaginibus:* Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἐλήλυθε τῆς
τόλμης, ὥστε καὶ τὰ τῶν ἐκεῖ γεγονότων μακαρίων ποιμένων ὀνό-
ματα, τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀνεῖλε, καὶ τὰς αὐτῶν εἰκόνας καθεῖλε,
κατακαύσας τυραννικῶς. *quæ Franciscus Zinus Veronen-*
sis ita vertit: Eò verò prouectus est audaciâ, vt bea-
torum qui illic fuerant episcoporum nomina, sa-
cerdotum geminorum sustulerit, tyrannicéque
combusserit. *qui non rectè percepit* ἱερῶν διπτύχων, *quod*
vertit, sacerdotum geminorum *cùm vertendum sit*
è sacris diptychis, *vt rectè monuit Iacobus Billius*
Notis ad eam Orationem. Sic quod ex eadem historiâ
citatur apud Damascenum: Ἀναθεματίσαι τὰς τῶν ἐπι-
σκόπων εἰκόνας, καὶ τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀπαλεῖψαι: Episcopo-
rum imagines anathemate damnate, & è sacris di-
ptychis delete. *Ibi rursus Zinus verterat:* sacerdotes
geminos delete. *Innocentius Papa epist. ad Arca-*
dium Imperatorem, apud Georgium Alexandrinum
de Vitâ Chrysostomi, vt Arsacij etiam mortui memoria
eradatur: Οὗτινος οὐδὲ τὸ ὄνομα ἐγγραφῆναι τοῖς ἱεροῖς δι-
πτύχοις: cuius ne nomen quidem inscribi sacris di-
ptychis censeo. *Anastasius in Agathone:* Abstulerunt
de diptychis ecclesiarum nomina patriarcharum,
vel de picturis ecclesiæ figuras eorum. *Victor Tu-*
nunensis in Chronico: Nomina Proterij & Salafatiatij
de ecclesiasticis diptychis tollit, & Dioscori &
Æluri, qui Proterium interfecit, scribit. *Atque hac-*
tenus de mortuorum nominibus quæ diptychis in-
scripta.

Viuorum, qui diptychis inscribi solent, meminit
Ioannes Diaconus in Vitâ S. Magni Gregorij lib. IV.
capite XXIII. Orientales præcipuè retinent
hactenus sedes, vt in suis diptychis nullius Ponti-
ficis nomen describant, quousq; synodicam ipsius
suscipiant: & tamdiu defunctum Pontificem in-
ter viuentes numerent, quamdiu successor illius
suas litteras studuerit destinare. *Concilium Chalce-*
donense Act. XI. Ἐδέξατο γὰρ αὐτόν, καὶ ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὁ
μακάριος Πρόκλος, καὶ ἐποίησε συνοδικὰ γράμματα, καὶ εἰς
τὰ δίπτυχα αὐτὸν ἔταξεν: Suscepit enim eum, & cō-
municauit ei beatæ memoriæ Proclus, & fecit
synodicas litteras, & in diptychis eum posuit. *Et*
pleraque priora exempla, quibus post mortem quorun-
dam nomina è diptychis expuncta docetur, satis osten-
dunt, dum viuerent, diptychis inscripta fuisse. Grego-
ras lib. v. Ἐν ταῖς ἱεραῖς ὑμνῳδίαις τοῦ Πάπα εἰς τὰ δίπτυχα
μνημονεύεται ὁμοῦ τοῖς ἑτέροις τέτταρσι πατριάρχαις: In sa-
cris hymnodiis mentionem faciunt Papæ, cùm
oratio super diptycha recitatur, vnà cum aliis qua-
tuor Patriarchis.

Uti viuentium episcoporum nomina sacris dipty-
chis inserebantur, ita ex iisdem tollebantur quandoque
viuentium nomina. Proclus archiep. Constantinopoli-
tanus ad Domnum Antiochenum episcopum pro cau-
sâ Athanasij Perrhæ episcopi, cuius viuentis nomen è
sacris diptychis erasum erat, habetur in Concilio Chal-
cedonensi Act. XIV. Καὶ τῶν ἱερῶν δέλτων ἐξαλεῖψαι τὸ
ὄνομα τοῦ ἐπισκοποῦντος. *vbi vetus interpres vertit:* &
episcopi nomen de sacris diptychis abstulisse. *Vi-*
gilius Papa in damnatione Theodori: Etiam Alex-
andrinæ ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum
Zoilum, cuius nomen vsque ad memoratum diem
communicatum vobis fuerat, diptychis eximen-
tes, Apollinarem quemdam peruersorem, atque
ecclesiæ ipsius adulterum vobis sociastis.

Nomina viuentium, quæ sacris diptychis inscribe-
bantur, erant ferè episcoporum & patriarcharum, vt
passim patet. Quare nescio an referendus sit ad hæc
diptycha quæ altari imponebantur, liber viuorum, seu
sacra delta, quorum meminit Dionysius Areopagita
Ecclesiastica Hierar. c. II. *quibus nomina illuminato-*
rum & susceptorum inscribebātur, quæ Ζώντων δίπτυ-
χα, Viuorum diptycha *vocata esse existimat Pachy-*
meres: Τότε τὴν χεῖρα τῇ κεφαλῇ ἐπιτίθησι, καὶ κελεύει τοῖς
ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπο-
γράψασθαι τὰ ὀνόματα τοῦ τε προσελθόντος καὶ τοῦ ἀναδόχου.
ταῦτα δ', οἶμαι, εἰσὶ τὰ τῶν ζώντων δίπτυχα: Tunc ma-
num capiti imponit, & presbyteris ac diaconis ipsi
subditis, iubet in sacris deltis nomina scribere, tam
eius qui ad Baptismum venit, quàm susceptoris.
Hæc autem, opinor, sunt viuorum diptycha.

Viuorum & mortuorum simul mentionem facit
Chrysostomus in Liturgiâ: Ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν
τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, τῶν τε κεκοιμημένων καὶ
ζώντων, ὡς θέλει, μνημονεύει: Diaconus incensat in
circui-

circuitu sacram mensam, & diptycha; defunctorum autem & viuorum, vti vult, memoriam facit.

Permansit huius rei, tam viuos quàm mortuos in Missâ commendandi, consuetudo in Canone Missæ, cùm primò viuentium, inde defunctorum mentionem facimus per duplex Memento. *Vide Alcuinum De diu. Offic. cap. De celebratione Missæ, & Florum Magistrum, qui de hoc* diptychorum *vsu eadem habent.*

Ex dictis colligitur, non ideò diptycha *dicta, quòd gemini essent libri, vnus viuentium, alter mortuorum, vt existimauit Meursius in suo Glossario Græco-barbaro; cùm vnus idemque liber vtrorumque nomina continere potuerit; & solus liber viuentium, item solus mortuorum, etiam* diptychum *sint dicta. Dicta igitur* diptycha, *quòd liber ille duobus foliis seu tabulis constaret, vt suprà dixi. vnde & apud Georgium Alexandrinum cap.* LXXI. *suprà citato pro* διπτύχοις *alia lectio habet* διθύροις, *quòd liber hic duarum quasi ianuarum seu valuarum esset, seu vt Ausonius loquitur,* bipatens pugillar. *quomodo in Euagrio lib.* VI. *Eccl. hist. cap.* XX. ἀμφίθυρον ὕφασμα, *capio de* amphithyro *seu* diptycho *opere* Hunico *facto. nisi malis de velo cum alijs capere.*

Tale ex ebore diptychum vidisse me memini in ecclesiâ S. Lamberti Leodij, cui aliquot Sanctorum & quorumdam episcoporum nomina inscripta sunt. Videtur ex profano consulari diptycho, qualia in editione munerum amicis mittere Consules solent, vt suprà attigi, in ecclesiasticum diptychum translatum. Sanè nomen Sauiniani *seu* Sabiniani *Consulis inscriptum habet, qui Consul fuit anno Domini* D.V. *continetq; varias figuras, quæ profanam militiam spectant, cum hac etiam inscriptione:* COM. DOMEST. EQVIT. *Effigiem diptychi huius hîc subiecissem, si ad me correcta inscriptio transmissa fuisset. Aliàs fortè correctum exprimere dabitur. Et* diptycha *ecclesiarũ ferè eborea fuisse, colligere quoque est ex Fortunato lib.* X. *carm.* X.

Nomina vestra legat patriarchis atq; prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.

Sanè diptycha olim ex præstanti materiâ fuisse, ita vt capsis includerentur, colligitur ex Ekkehardo Iuniore, cœnobitâ S. Galli, de Casibus monasterij S. Galli in Alemanniâ, cap. V. Capella citata fit Oratorium, in quod inuehuntur cruces, & diptychiis capsæ, necnon & pænè omnis, præter libros repositorios, ecclesiæ thesaurus. *quæ habes Alemannicarum rerum Tomo* I. *parte* I. *vbi Goldastus Scholiastes per* diptycha *intelligit libros anniuersarios, in quibus eorum nomina perscripta, qui pro sua aliquid animæ remedio monachis & clericis legassent: custodiæ quorum capsa ista parata. Dubito an diptycha illa communia mortualia apud monachos ita ornari sint solita, vt inter thesauros numerari possint. Potiùs per* diptycha *eo loco intellexerim diptycha sanctorum, vel librum Euangeliorum, vel similes, quorum coopertorium diptychum, seu extrema tabula egregiè ornari solent, auro, argento, figuris, & in Processione circumgestari.*

Originem huius rei nomina videlicet sanctorum martyrum, Imperatorum, Pontificum summorum, & aliorum fide ac meritis excellentium virorum sacris diptychis inserendi, & inter hymnodias recitandi, Isaacus Casaubonus Animaduersionibus ad Athenæi librum VI. *cap.* XIV. *acceptam refert gentilitati Romanæ, qui eorum nomina, quos eximio honore vellent decorare, Saliari carmine canenda decernebant. Ita Germanico, inquit, mortuo hic honos inter alios tributus, auctore Tacito libro* II. *& M. quoque Antoninus Philosophus, mortuo filio Vero, iussit vt nomen eius Saliari carmini insereretur, teste Spartiano. Iam olim id Romæ institutum, vt ex iis constat, quæ de Mamurio Veturio & Luciâ Volumniâ scribunt Varro, Ouidius, Festus, Plutarchus, & alij. Vetus quoque, inquit, Ecclesia Christiana hunc, vt videtur, morem ad pium vsum traduxit. quâ de re, addit, dicemus multa alibi, si vitam Deus produxerit, scitu digna, nec protrita.*

Quàm vellem Casaubono mentem meliorem fuisse, ne ab Ethnicis sacra nostra arcesseret, quàm à veteris Testamenti ecclesiâ! ne Patres Ethnicorum magis rituum, quàm sacræ legis gnaros obseruantesque faceret. Meminisset apud magnum Dionysium; quem meritò veterem Patrem asserit & æstimat, esse: Σκόπει δὲ, ὅτι καὶ μνημοσύναις ἱεροῖς ἀνατίθενται, τῆς θείας μνήμης οὐκ ἀνθρωπικῶς ἐν τῇ τοῦ μνημονικοῦ φαντασίᾳ δηλουμένης, ἀλλ' ὡς ἄν τις φαίη, θεοπρεπῶς, κατὰ τὴν ἐν Θεῷ τῶν τετελεσμένων θεοειδῶν τιμίαν καὶ ἀμετάστατον γνῶσιν. Ἔγνω γὰρ, ἔφη τὰ Λόγια, τοὺς ὄντας αὐτοῦ. καὶ, Τίμιος ἐναντίον Κυρίου ὁ θάνατος τῶν ὁσίων αὐτοῦ. τοῦ θανάτου τῶν ὁσίων ἀντὶ τῆς ἐν ὁσιότητι τελειώσεως εἰρημένου: Sed animaduerte eos in sacris etiam memoriis inesse, non quòd more hominum diuina memoria in eâ parte memoriæ, quæ visa recipit, inesse declaretur, sed vt aliquis dicat pro Dei dignitate, pretiosam immutabilemque in Deo eorum, qui diuinam speciem perfectè prætulerunt, scientiam significat. Nouit enim, inquit Scriptura diuina, qui sunt eius. Et, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. morte sanctorum dictâ, pro perfectione in sanctitate. *Meminisset ab Ecclesiastico dictum cap.* XLIV. Laudemus viros gloriosos, & patres nostros in generatione suâ. *qui ibi & sequentibus capitibus catalogum virorum iustorum texit. Non huc potiùs, quàm ad Saliaria carmina respexit vetus Ecclesia?*

2.Tim.2.
Psal.115.

Quin, vt notat Brouuerus noster ad Fortunatum, in Diptychis *librorũ vitæ quamdam ideam adumbrasse maiores videntur. Vt enim in horum albo nonnulli inscripti, qui non perenni, sed breui iustitiâ laude commendati; alij qui certo & immutabili Numinis decreto in sortem Sanctorum cooptati: ita diptychis eorum quoq; nomina irrepsisse meminimus, quorum ad tempus simulata virtus id non meruerat; aliorum verò firmiùs insedisse, quorum constans extitit, & illibata fidei & morum integritas. Vsus itaque finisque diptychorum fuit in sacris, tum memoriæ Sanctorum retinendæ, tum pacis ecclesiasticæ & communionis sanciendæ: cùm dignos cælo ac sempiternâ memoriâ viros reciperent, indignos verò respuerent & excuterent. hactenus Brouuerus.*

De diptychis sacris commentariolum olim scripsit Ioannes Baptista Cardona episcopus Dertosanus, rogatu Gabrielis Cardinalis Paleotti, quem cum aliis eius commentariolis impressit Philippus Mey Tarracone anno M.D.XXCVII. *De iisdem etiam quædam habet Ioannes Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ cap.* XLIII. *qui litteras Innocentij Papæ & Arcadij Imp. quas suprà habes, non ritè contrario modo citat. De iisdem etiam agit frater Angelus Rocca Camers ad librum Sacramentorum D. Gregorij.*

Habuimus hactenus diptycha *pro sacris tabulis mortualibus, quæ duplices, seu duorum foliorum, erant. Eo respectu Augustinus tomo* VI. *libro* XV. *contra Faustum Manichæum cap.* IV. *tabulas Moysis lapideas vocat* diptychium. Nam in illo diptychio lapideo, iam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi populo congruebat. *Item epistol. S. Petri, ex* quâ

scripserunt. Quod factum est & in Ioanne (*Chryso-*
stomo) & in Flauiano religiosæ memoriæ episcopis
Constantinopolitanis. *Citatur can.* Sanè. XXIV. *q.* I.
In Sacramentali Gregorij Magni habes Orationem
Super diptycha: Memento etiam Domine famu-
lorum tuorum, qui nos præcesserunt & dormie-
rũt in somno pacis. *Et in Liturgiâ S. Marci:* Ὁ διάκο-
νος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων: Diaconus legit dipty-
cha defunctorum. *Ad hanc consuetudinem defuncto-*
rum nomina in Missâ recitandi alludit Cyprianus
epistolâ X. *ad Clerum & presbyteros, qui temerè pacem*
lapsis dederant: Offertur nomen eorum. *& episto-*
lâ LXVI. *ad presbyteros, diacones, & plebem Furnita-*
nam: Neque enim apud altare Dei meretur nomi-
nari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes
& ministros voluit auocare.

Vti ritè defunctorum episcoporum nomina sacris
diptychis *inscribebantur, ita hæreticorum & schi-*
smaticorum ex iisdem tollebantur. Iustinianus Impe-
rator in Confessione rectæ fidei aduersus tria capitu-
la, seu in edicto de fide Catholicâ, quod habetur post
quintam Synodum: Ἀμέλει τοι καὶ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς ἐν
Μοψουεστίᾳ ἐκκλησίας, ἐν ᾗ λέγεται ἐπίσκοπος γεγενῆσθαι,
διὰ τὰς βλασφημίας, δι' ἅσπερ Ἕλλησί τε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Σο-
δομίταις παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων συνηριθμήθη, ἀπήλειψαν
ἐξ ἐκείνου τῶν ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας διπτύχων τὴν τούτου προση-
γορίαν: Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ ec-
clesiæ, in quâ episcopus dicitur fuisse, cùm inue-
nisset quòd paganis & Iudæis & Sodomitanis à
sanctis Patribus connumeratus est, deleuerunt
ipsi ex illo tempore è sacris ecclesiæ diptychis
eius nomen. *Iustinianus Imperator epistolâ ad*
quintam Synodum quæ habetur ibi Act. I. *de*
Theodoro Mopsuesteno: Propter istas (*blasphe-*
mias) superioribus temporibus deletum est &
nomen eius è sacris diptychis ecclesiæ, cuius
fuit episcopus. *Diualis sacra Constantini Pogonati*
ad Domnum Papam Agathonem, quæ præmittitur
sextæ Synodo generali, quæ est Constantinopolita-
na III. Πολλὴν γὰρ ἔνστασιν ἡμῖν ἐποιήσαντο, ὅ, τε ἁγιώτατος
καὶ μακαριώτατος τῶν ἐνταῦθα πατριάρχης, καὶ Μακάριος ὁ
ἁγιώτατος πατριάρχης Θεουπόλεως ἐκβαλεῖν Βιταλιανὸν τὸν
μακαριώτατον ἐκ τῶν διπτύχων, φάσκοντες Ὁνώριον ἐν τοῖς
διπτύχοις διὰ τὴν τιμὴν Ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς πρεσβυτέρας
Ῥώμης: Multam enim nobis instantiam fecerunt
tam hic sanctissimus ac beatissimus patriarcha,
quamque Macarius sanctissimus patriarcha Theo-
poleos, vt eijceretur Vitalianus beatissimus de
diptychis, asserentes Honorium memorari in
diptychis, propter honorem Apostolicæ Sedis an-
tiquæ nostræ Romæ. *Ecclesiastica historia Theodori*
Lectoris Constantinopolitani apud Damascenum ora-
tione III. *De imaginibus:* Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἐληλύθει τῆς
τόλμης, ὥστε καὶ τὰ τῶν ἀειζώων ὀνόματα μακαρίων ποιμένων ὀνό-
ματα, τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀνεῖλε, καὶ τὰς αὐτῶν εἰκόνας καθεῖλε,
κατακαύσας τυραννικῶς. *quæ Franciscus Zinus Veronen-*
sis ita vertit: Eò verò prouectus est audaciâ, vt bea-
torum qui illic fuerant episcoporum nomina, sa-
cerdotum geminorum sustulerit, tyranniceque
combusserit. *qui non rectè percepit* ἱερῶν διπτύχων, *quod*
vertit, sacerdotum geminorum *cùm vertendum sit*
è sacris diptychis, *vt rectè monuit Iacobus Billius*
Notis ad eam Orationem. Sic quod ex eadem historiâ
citatur apud Damascenum: Ἀναθεματίσαι τὰς τῶν ἐπι-
σκόπων εἰκόνας, καὶ τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀπαλεῖψαι: Episcopo-
rum imagines anathemate damnate, & è sacris di-
ptychis delete. *Ibi rursus Zinus verterat:* sacerdotes
geminos delete. *Innocentius Papa epist. ad Arca-*
dium Imperatorem, apud Georgium Alexandrinum
de Vitâ Chrysostomi, vt Arsacij etiam mortui memoria
eradatur: Οὗ τινος οὐδὲ τὸ ὄνομα ἐγγραφῆναι τοῖς ἱεροῖς δι-
πτύχοις: cuius ne nomen quidem inscribi sacris di-
ptychis censeo. *Anastasius in Agathone:* Abstulerunt
de diptychis ecclesiarum nomina patriarcharum,
vel de picturis ecclesiæ figuras eorum. *Victor Tu-*
nunensis in Chronico: Nomina Proterij & Salafatiatij
de ecclesiasticis diptychis tollit, & Dioscori &
Æluri, qui Proterium interfecit, scribit. *Atque hac-*
tenus de mortuorum nominibus quæ diptychis in-
scripta.

Viuorum, qui diptychis inscribi solent, meminit
Ioannes Diaconus in Vitâ S. Magni Gregorij lib. IV.
capite XXIII. Orientales præcipuè retinent
hactenus sedes, vt in suis diptychis nullius Ponti-
ficis nomen describant, quousq; synodicam ipsius
suscipiant: & tamdiu defunctum Pontificem in-
ter viuentes numerent, quamdiu successor illius
suas litteras studuerit destinare. *Concilium Chalce-*
donense Act. XI. Ἐδέξατο γὰρ αὐτὸν, καὶ ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὁ
μακάριος Πρόκλος, καὶ ἐποίησε συνοδικὰ γράμματα, καὶ εἰς
τὰ δίπτυχα αὐτὸν ἔταξεν: Suscepit enim eum, & cõ-
municauit ei beatæ memoriæ Proclus, & fecit
synodicas litteras, & in diptychis eum posuit. *Et*
pleraque priora exempla, quibus post mortem quorum-
dam nomina è diptychis expuncta docetur, satis osten-
dunt, dum viuerent, diptychis inscripta fuisse. Grego-
ras lib. V. Ἐν ταῖς ἱεραῖς ὑμνῳδίαις τὸν Πάπαν εἰς τὰ δίπτυχα
μνημονεύειν ὁμοῦ τοῖς ἑτέροις τέτταρσι πατριάρχαις: In sa-
cris hymnodiis mentionem faciunt Papæ, cùm
oratio super diptycha recitatur, vnà cum aliis qua-
tuor Patriarchis.

Uti viuentium episcoporum nomina sacris dipty-
chis inserebantur, ita ex iisdem tollebantur quandoque
viuentium nomina. Proclus archiep. Constantinopoli-
tanus ad Domnum Antiochenum episcopum pro cau-
sâ Athanasij Perrhæ episcopi, cuius viuentis nomen è
sacris diptychis erasum erat, habetur in Concilio Chal-
cedonensi Act. XIV. Καὶ τῶν ἱερῶν δέλτων ἐξελεῖν τὸ
ὄνομα τοῦ ἐπισκοποῦντος. *vbi vetus interpres vertit:* &
episcopi nomen de sacris diptychis abstulisse. *Vi-*
gilius Papa in damnatione Theodori: Etiam Alex-
andrinæ ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum
Zoilum, cuius nomen vsque ad memoratum diem
communicatum vobis fuerat, diptychis eximen-
tes, Apollinarem quemdam peruersorem, atque
ecclesiæ ipsius adulterum vobis sociastis.

Nomina viuentium, quæ sacris diptychis inscribe-
bantur, erant ferè episcoporum & patriarcharum, vt
passim patet. Quare nescio an referendus sit ad hæc
diptycha quæ altari imponebantur, liber viuorum, seu
sacra delta, quorum meminit Dionysius Areopagita
Ecclesiastica Hierar. c. II. *quibus nomina illuminato-*
rum & susceptorum inscribebãtur, quæ Ζώντων δίπτυ-
χα, Viuorum diptycha *vocata esse existimat Pachy-*
meres: Τότε τὴν χεῖρα τῇ κεφαλῇ ἐπιτίθησι, καὶ κελεύει τοῖς
ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπο-
γράψασθαι τὰ ὀνόματα τοῦ τε προσελθόντος καὶ τοῦ ἀναδόχου.
ταῦτα δ', οἶμαι, εἰσὶ τὰ τῶν ζώντων δίπτυχα: Tunc ma-
num capiti imponit, & presbyteris ac diaconis ipsi
subditis, iubet in sacris deltis nomina scribere, tam
eius qui ad Baptismum venit, quàm susceptoris.
Hæc autem, opinor, sunt viuorum diptycha.

Viuorum & mortuorum simul mentionem facit
Chrysostomus in Liturgiâ: Ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν
τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, τῶν τε κεκοιμημένων καὶ
ζώντων, ὡς θέλει, μνημονεύει: Diaconus incensat in
circui-

circuitu sacram mensam, & diptycha; defunctorum autem & viuorum, vti vult, memoriam facit.

Permansit huius rei, tam viuos quàm mortuos in Missâ commendandi, consuetudo in Canone Missæ, cùm primò viuentium, inde defunctorum mentionem facimus per duplex Memento. *Vide Alcuinum De diu. Offic. cap. De celebratione Missæ, & Florum Magistrum, qui de hoc* diptychorum *vsu eadem habent.*

Ex dictis colligitur, non ideò diptycha *dicta, quòd gemini essent libri, vnus viuentium, alter mortuorum, vt existimauit Meursius in suo Glossario Græco-barbaro; cùm vnus idemque liber vtrorumque nomina continere potuerit; & solus liber viuentium, item solus mortuorum, etiam* diptychum *sint dicta. Dicta igitur* diptycha, *quòd liber ille duobus foliis seu tabulis constaret, vt suprà dixi. vnde & apud Georgium Alexandrinum cap.* LXXI. *suprà citato pro* διπτύχοις *alia lectio habet* διθύροις, *quòd liber hic duarum quasi ianuarum seu valuarum esset, seu vt Ausonius loquitur,* bipatens pugillar. *quomodo in Euagrio lib.* VI. *Eccl. hist. cap.* XX. ἀμφίθυρον ἔνδυμα, *capio de* amphithyro *seu* diptycho *opere* Hunico *facto. nisi malis de velo cum alijs capere.*

Tale ex ebore diptychum vidisse me memini in ecclesiâ S. Lamberti Leodij, cui aliquot Sanctorum & quorumdam episcoporum nomina inscripta sunt. Videtur ex profano consulari diptycho, qualia in editione munerum amicis mittere Consules solent, vt suprà attigi, in ecclesiasticum diptychum translatum. Sanè nomen Sauiniani *seu* Sabiniani *Consulis inscriptum habet, qui Consul fuit anno Domini* D.V. *continetq; varias figuras, quæ profanam militiam spectant, cum hac etiam inscriptione:* COM. DOMEST. EQVIT. *Effigiem diptychi huius hic subiecissem, si ad me correcta inscriptio transmissa fuisset. Alias fortè correctum exprimere dabitur. Et* diptycha *ecclesiarũ ferè eborea fuisse, colligere quoque est ex Fortunato lib.* X. *carm.* X.

Nomina vestra legat patriarchis atq; prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.

Sanè diptycha olim ex præstanti materiâ fuisse, ita vt capsis includerentur, colligitur ex Ekkehardo Iuniore, cœnobitâ S. Galli, de Casibus monasterij S. Galli in Alemanniâ, cap. V. Capella citata fit Oratorium, in quod inuehuntur cruces, & diptychiis capsæ, necnon & pænè omnis, præter libros repositorios, ecclesiæ thesaurus. *quæ habes Alemannicarum rerum Tomo* I. *parte* I. *vbi Goldastus Scholiastes per* diptycha *intelligit libros anniuersarios, in quibus eorum nomina perscripta, qui pro suæ aliquid animæ remedio monachis & clericis legassent: custodia quorum capsa ista parata. Dubito an diptycha illa communia mortualia apud monachos ita ornari sint solita, vt inter thesauros numerari possint. Potiùs per* diptycha *eo loco intellexerim diptycha sanctorum, vel librum Euangeliorum, vel similes, quorum coopertorium diptychum, seu extrema tabula egregiè ornari solent, auro, argento, figuris, & in Processione circumgestari.*

Originem huius rei nomina videlicet sanctorum martyrum, Imperatorum, Pontificum summorum, & aliorum fide ac meritis excellentium virorum sacris diptychis inserendi, & inter hymnodias recitandi, Isaacus Casaubonus Animaduersionibus ad Athenæi librum VI. *cap.* XIV. *acceptam refert gentilitati Romanæ, qui eorum nomina, quos eximio honore vellent decorare, Saliari carmine canenda decernebant. Ita Germanico, inquit, mortuo hic honos inter alios tributus, auctore Tacito libro* II. *& M. quoque Antoninus Philosophus, mortuo filio Vero, iussit vt nomen eius Saliari carmini insereretur, teste Spartiano. Iam olim id Romæ institutum, vt ex iis constat, quæ de Mamurio Veturio & Luciâ Volumniâ scribunt Varro, Ouidius, Festus, Plutarchus, & alij. Vetus quoque, inquit, Ecclesia Christiana hunc, vt videtur, morem ad pium vsum traduxit. quâ de re, addit, dicemus multa alibi, si vitam Deus produxerit, scitu digna, nec protrita.*

Quàm vellem Casaubono mentem meliorem fuisse, ne ab Ethnicis sacra nostra arcesseret, quàm à veteris Testamenti ecclesiâ! ne Patres Ethnicorum magis rituum, quàm sacræ legis gnaros obseruantesque faceret. Meminisset apud magnum Dionysium; quem meritò veterem Patrem asserit & æstimat, esse: Σκόπει δὲ, ὅτι καὶ μνημοσύνοις ἱεροῖς ἀνατίθενται, τῆς θείας μνήμης οὐκ ἀνθρωπικῶς ἐν τῇ τοῦ μνημονικοῦ φαντασίᾳ δηλουμένης, ἀλλ' ὡς ἄν τις φαίη, θεοπρεπῶς, κατὰ τὴν ἐν Θεῷ τῶν τετελεσμένων θεοειδῶν τιμίαν καὶ ἀμετάστατον γνῶσιν. Ἔγνω γὰρ, ἔφη τὰ Λόγια, τοὺς ὄντας αὐτοῦ. καὶ, Τίμιος ἐναντίον Κυρίου ὁ θάνατος τῶν ὁσίων αὐτοῦ. τοῦ θανάτου τῶν ὁσίων ἀντὶ τῆς ἐν ὁσιότητι τελειώσεως εἰρημένου: Sed animaduerte eos in sacris etiam memoriis inesse, non quòd more hominum diuina memoria in eâ parte memoriæ, quæ visa recipit, inesse declaretur, sed vt aliquis dicat pro Dei dignitate, pretiosam immutabilemque in Deo eorum, qui diuinam speciem perfectè prætulerunt, scientiam significat. Nouit enim, inquit Scriptura diuina, qui sunt eius. 2. Tim. 2. Et, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Psal. 115. morte sanctorum dictâ, pro perfectione in sanctitate. *Meminisset ab Ecclesiastico dictum cap.* XLIV. Laudemus viros gloriosos, & patres nostros in generatione suâ. *qui ibi & sequentibus capitibus catalogum virorum iustorum texit. Non huc potiùs, quàm ad Saliaria carmina respexit vetus Ecclesia?*

Quin, vt notat Brouuerus noster ad Fortunatum, in Diptychis *librorũ vita quamdam ideam adumbrasse maiores videntur. Vt enim in horum albo nonnulli inscripti, qui non perenni, sed breui iustitiæ laude commendati; alij qui certo & immutabili Numinis decreto in sortem Sanctorum cooptati: ita diptychis eorum quoq; nomina irrepsisse meminimus, quorum ad tempus simulata virtus id non meruerat; aliorum verò firmiùs insedisse, quorum constans extitit, & illibata fidei & morum integritas. Vsus itaque finisque diptychorum fuit in sacris, tum memoriæ Sanctorum retinendæ, tum pacis ecclesiasticæ & communionis sanciendæ: cùm dignos cælo ac sempiternâ memoriâ viros reciperent, indignos verò respuerent & exciterent. hactenus Brouuerus.*

De diptychis sacris commentariolum olim scripsit Ioannes Baptista Cardona episcopus Dertosanus, rogatu Gabrielis Cardinalis Paleotti, quem cum aliis eius commentariolis impressit Philippus Mey Tarracone anno M.D.XXCVII. *De iisdem etiam quædam habet Ioannes Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ cap.* XLIII. *qui litteras Innocentij Papæ & Arcadij Imp. quas suprà habes, non ritè contrario modo citat. De iisdem etiam agit frater Angelus Rocca Camers ad librum Sacramentorum D. Gregorij.*

Habuimus hactenus diptycha *pro sacris tabulis mortualibus, quæ duplices, seu duorum foliorum, erant. Eo respectu Augustinus tomo* VI. *libro* XV. *contra Faustum Manichæum cap.* IV. *tabulas Moysis lapideas vocat* diptychium. Nam in illo diptychio lapideo, iam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi populo congruebat. *Item epistol. S. Petri, ex* quâ

quâ quædam citarat: Lege ſanè etiam illud diptychium, ne timeas, planè ſponſi tui eſt. *Item:* Ex hoc diptychio repellis adulterum. *Item:* Noli ergo reformidare diptychium, quo tibi ſcripta olim, quæ nunc agnoſceres, mittebantur. *Item:* Hoc ergo diptychium ille præmiſit, qui tibi hæc duo præcepta veniens commendauit. *Item:* O pudicum diptychium, in quo vetere figurâ ille dilector & dilectus tuus prænuntiauit tibi canticum nouum, in decachordo pſalterio. *Item:* O diptychium coniugale, quod non ſine cauſsâ odit adultera *Ita etiam vſurpat Iſidorus lib. De vocatione Gentium c.* XIV. Et non quidem foris in lapideis diptychis, ſed intrinſecus in tabulis cordis.

Hoc modo à Prudentio librum ſuum, qui titulos hiſtoriarum veteris & noui Teſtamenti continet, Diptychon *quidam inſcriptum volunt. Quod ad Prudentium cum bono Deo aliquando examinabimus.*

Aliud eſt diptychum *apud Homerum Iliad* α *&* ς, *videlicet duplex membrana ſeu tunica omenti, vt innuat ſuprà citatum Etymologicum. quò etiam Suidam exiſtimo reſpicere:* Διπτύχια, δύο πτυχὰς ἔχοντα, ὥστε τὸ μὲν ὑποστρῶσαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι. *quæ Cuiacius Obſeruat. lib.* IV. *cap.* XXVII. *Carrion ſuprà, & Dionyſius Gothofredus ad lib.* I. *Cod. De ſummâ Trin. & fid. Cathol. tit.* I. *L.* VII. *§.* V. *de diptychis tabellis intelligunt & citant. ſed textus apud Suidam deprauatus eſt & mutilus. & intelligenda verba illa de duabus omenti tunicis. Locus integrior exſtat apud Heſychium:* Δίπτυχα· δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ἢ διπλοῦν, ὥστε τὸ μὲν ὑποστρῶσαι τὸν ἐπίπλουν, τὸ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι: Diptycha, ſic dicta, quòd duas commiſſuras habeant, ſeu duplex operimentum, ſic vt pars vna omento ſubſternatur, altera eidem ſuperijciatur. *De duabus omenti tunicis vide Ioannem Gorræum in Definitionibus Medicis, verbo* Ἐπίπλοον *ſeu* ἐπίπλους.

Aliud quoque diptychum *oſtrei, id eſt, duplex oſtrei teſta, quâ ſe includit. Ambroſius lib.* V. *Hexaëmeri cap.* VIII. *agens de cancro inſidiante oſtreo:* Explorat ſi quando oſtreum remotis in locis ab omni vento contra ſolis radios diptychum illud ſuum aperiat, & referet clauſtra teſtarum.

DROMADES *vel* DROMEDES. *Vita Hilarionis cap.* XXV. qui locatis dromadibus camelis. *Vita Malchi cap.* X. Vidimuſque camelos quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant. *Gloſſarium Camberonenſe manuſcriptum:* Dromedus, & dromas, & dromedarius, idem. animal eſt minus camelo, ſed velocius atque currentius. vnde & dromones vocantur longæ quædam naues veloces. *Idem;* Dromedarij etiam dicuntur dromadum ductores. *De velocitate camelorum Ariſtoteles libro* IX. *Hiſtor. animalium c.* L. Θέουσι δὲ θᾶττον τῶν Νισαίων ἵππων πολὺ, ἐάν θέωσι, διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ὀρέγματος: Currunt cameli celeriùs quàm equi Niſæi, propter laxiorem ſui gradus glomerationem.

ECVLEVS. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* II. Inter eculeos laminaſque victorem. *De eculeo varij varia ſenſêre & ſcripſêre. Nunc quidem huic tractationi ſuperſedebo, cùm obiter tantùm hic eius mentio fiat, auctores aliquot, qui de eo tractarunt, aſſignaſſe contentus. Vide inprimis Baronium Notationibus ad Martyrologium Romanum* XXII. *Ianuarij, Antonium Gallonium libro De ſanctorum Martyrum cruciatibus capite* III. *& Hieronymi Magij libellum poſtumum ſingularem De eculeo.*

ENEVS. *Rarum Latinis vſurpatum vocabulum, nec memini legere præterquam in Vitis Patrum. in quibus tamen deprauatum erat in* æneus *vel* Eneus *proprium nomen. Vita Abrahæ cap.* V. Et nimio ſtupore perculſi quaſi enei quidam effecti ſunt. *Heraclides Paradiſi cap.* XV. Sed velut eneus reuertens de publico. *Heſychius:* Ἐννεὸς, ἐκπλαγείς. Enneus, obſtupefactus. *Idem:* Ἐνεὸς, νωχελὴς, μετέωρος, κωφὸς, βαιὸς, μωρὸς, ὃς οὔτε ἀκούει, οὔτε λαλεῖ: Eneus, tardus, ſuſpenſus animo, ſurdus, modicus, ſtultus, qui neque audit, neque loquitur. *Idem:* Ἐνεοὶ, ἄφωνοι. Enei, muti. *Suidas:* Ἐννεὸς, ἄφωνος, κωφὸς, ἐξεστηκὼς, νωδὸς, νωχελὴς, μετέωρος: Enneus, ſine voce, ſurdus, mente commotus, edentulus, tardus, animo ſuſpenſus.

ENNATON. *Pelagius libello* XI. *n.* II. Dixit abbas Theodorus de Ennato. *Ioannes Moſchus cap.* CLXXXIV. Eramus in Nono Alexandriæ. ὄντες ἡμεῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐν τῷ Ἐννάτῳ. *Corrige hinc eundem capite* CXLV. Παρεβάλομεν ἐν τῷ Ἐννάτῳ Ἀλεξανδρείας, εἰς τὸ κοινόβιον Σαλαμᾶ. Acceſſimus in cœnobium; quod dicitur Salama, nono ab vrbe milliario diſtans. *Impreſſum eſt* ἐν τῷ νεῷ. *Vide infrà* NONVM.

EPENDYTES. *Vita Antonij cap.* XXIII. Lauit ependyten ſuum. *Vita Hilarionis cap.* III. & pelliceum habens ependyten. *Græcis* ἐπένδυμα *vel* ἐπενδύτης *omne genus extimarum veſtium dicitur. Apud Aſceticos ſcriptores* ependytes *propria veſtis monachorum. Plerique exiſtimant eſſe* ſcapulare. *Non rectè Marius Victorinus ad Vitam Hilarionis exiſtimat,* ἐπενδύτην *eſſe intimam veſtem, quæ Latinè dicitur* interula *vel* ſubucula: *imò exterior veſtis eſt, vel ſcapulare, vel pallium, vel ſimile quid.*

EPIBATÆ. *Vita Epicteti & Aſtionis cap.* XXI. Cumque egreſſi de naui epibatæ fuiſſent. *Apud Clementem Romanum in epiſtolâ ad Iacobum epiſcopum Ieroſolymitanum ante libros Recognitionum ita S. Petrus loquitur:* Similis eſt omnis eccleſiæ ſtatus naui magnæ, quæ per vndoſum pelagus diuerſis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius Dominus ipſe omnipotens Deus; gubernator verò, Ieſus Chriſtus. Tum demum proretæ officium epiſcopus impleat, presbyterj nautarum, diaconi diſpenſatorum teneant locum; qui catechizant, nautologis conferantur, epibatis autem totius fraternitatis multitudo ſit ſimilis.

Epibatæ, ἐπιβάται, *dicti* ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν, à conſcendendo. *Sunt milites claſſiarij, ſeu bellatores in re nauali. Hirtius libro* IV. *De bello Alexandrino:* Capta eſt vna hoſtium quadriremis, depreſſa eſt altera, alteraque perturbata: deinde omnes epibatis nudatæ. *Idem lib.* V. *De bello Africo:* Ibique Gætulis remigibus epibatiſque complet. *Hìc capitur pro ipſis nautis vel vectoribus, id eſt,* ἀντὶ τῶν ὀχουμένων, *vt ſubinde etiam apud Græcos accipitur.*

EPITIMIVM. *Pratum ſpirituale Ioannis Moſchi cap.* LXXVIII. Vt ego congrua illi admoueam epitimia ſeu multas. Κἀγὼ ταύτῃ ἁρμόζοντα προσάγω τὰ ἐπιτίμια. *In vſu* Epitimium *Eccleſiaſticis ſcriptoribus pro multâ Eccleſiaſticâ. Menæa* XV. *Octobris in Martyrio monachi anonymi:* Καταφρονήσας καὶ τοῦ ἐπιτιμίου, ἐπιτιμηθεὶς διὰ τῆς ὑπακοῆς ἀθέτησιν. & pœnam epitimij ſibi ob contumaciam irrogatam contempſit. *Concilium* VIII. *Oecumenicum, quod Raderus noſter vulgauit, hæc habet Act.* II. *de epitimiis:* Præſcripta epitimiorum pœna cunctis lapſis audientibus.

bus legatur, &c. Qui carnibus vescuntur, pœna esto, nec carnibus, caseo, ouo vescantur. Qui aliàs à carnibus abstinent, abstineant ab ouo, caseo, pisce feriâ quartâ & sextâ: oleraque & legumina comedant cum modico oleo & vino. In genua procumbant quotidie quinquagies, & illud (Domine ignosce mihi) inclament centies, recitentque Psalmos VI. XXXVII. L. *Ioannes Diaconus lib.* II. *Vita S. Gregorij cap.* XLV. In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia, antequam exiret de hac vitâ, non soluit eum ab excommunicationis epitono.

ERACIESTES. *Vbi in Vitâ Hilarionis est c.* III. & pelliceum habens ependyten, *addit editio Ioannis Andreæ*, & eraciestem. *Non capio. Petrus noster Lansselius legebat* eriacesten, *quasi* lanam acu consutam. *Alteri alicui fors aliud occurret. Mihi nunc satis, donec rectius aliquid occurrat, de hac lectionis varietate monuisse.*

EREMI. *Varia eremus occurrit in Vitis Patrum. Eremum in quâ Paulus primus eremita versatus est, inuestigaui ex eremo seu habitatione S. Antonij: Antonij verò habitationem ex peregrinatione Hilarionis. Vide Tabulam Geographicam.*

De eremo Chalcidis, in quâ versatus est S. Hieronymus & Malchus, vide in CHALCIS.

De eremo iuxta Thecue, ita Hieronymus Procemio in Amos ad Pammachium: Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam abest à sanctâ Bethlehem, quæ mundi genuit Saluatorem: & vltrà nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ & furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ vsque ad mare Rubrum, Persarumque & Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, vt sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine.

De eremo Oasis vide Baronium Notationibus ad Martyrologium Romanum XII. *Iunij.*

ESOPHORIVM. *Vita Ioannis Eleëmosynarij capite* XXI. Expoliauit se esophorium suum. *Vox est à recentioribus Græcis composita*, ἐσωφόριον *seu* εἰσωφόριον, quod interiùs gestatur, interula. *Glossarium Camberonense MS.* Esephorium, vestis interior, id est, camisia, quæ à Marciano interula appellatur.

EVCHARISTIAM MANV SVMERE. *Ita olim solemne fuit, non sacerdotibus tantùm, sed etiam laicis. Palladius cap.* CXLIII. *de Syluania:* Ecce ago annum ætatis sexagesimum; præter extrema manuum mearum (& hoc propter communionem) non pes meus aquam tetigit, &c. *Tertullianus De Baptismo aduersus Quintillam cap.* XX. Benedicti, quos gratia Dei exspectat, cùm de illo sanctissimo lauacro noui natalis adscenditis, & primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones charismatum.

Cyrillus Ierosolymitanus Catech. mystag. V. Accedes ad Eucharistiam non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis: sed sinistram veluti sedem quamdam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est; & concauâ manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen. *Formabantur autem manus in formam Crucis. Sexta Synodus can.* CII. Eucharistiam accepturus, manus in Crucis formam figurans, sic accedat.

Ita quidem viri cauâ nudaque manu excipiebant Eucharistiam, femina verò non nisi linteamine. Maximus contra Monothelitas: Mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi corpus Christi accipiant purâ mente, & mundâ conscientiâ. *Augustinus Serm.* CCLII. *de Tempore:* Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant. *Concilium Antisiodorense can.* XXXVI. Non liceat mulieri nudâ manu Eucharistiam sumere. *Hinc linteum seu sindon hac dominicale dicta. Idem Concilium can.* XLII. Vnaquæque mulier quando communicat, dominicalem suum habeat.

Hic vsus ad aliquot sæcula durauit tam in Occidentali quàm Orientali Ecclesiâ, vti liquet ex Prato spirituali cap. LXXIX. *vbi linteum, quo Eucharistiam domum deferebant, Græcè* μαζῖον *vocatur. Auctor autem eius vixit tempore Zenonis, Anastasij, & Iustini Impp. quo tempore, Hormisdâ Pontifice, celebrata fuit Synodus Cæsaraugustana, in quâ ea consuetudo antiquatur his verbis:* Eucharistiæ gratiam si qui probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesiâ, anathema sit in perpetuum.

EVECTIO. *Vita Antonij cap.* XVII. Secretò ab Imperatore euectionem petiit. *Significat cursus publici exhibitionem. Seuerus Sulpitius libro* II. *Sacra historia:* Hilarius datâ euectionis copiâ adesse compellitur. *Paulinus libro* IV. *De miraculis sancti Martini:*

Dicite quid vestri velox euectio Regis
Efficiat tardante Deo.

Symmachus libro I. *epist.* XV. Accepi euectiones quatuor, immanè quantum commodas in excursus & recursus meorum. *Idem l.* VII. *epist.* XLVIII. Fauore tuo factum est, vt euectionum adminicula sumeremus. *Eodem libro epist.* XCV. Si igitur & hoc insigne detuleris, quod annonarum & euectionum cumulet adiectio. *Eodem libro epist.* CV. De impetratis euectionibus in adminiculum prætoriæ functionis. *Idem libro* IX. *epist.* XX. Curam tuam prouoco, vt illis & velocitas transeundi, & euectionum præstetur adiectio. *Sæpius vox hæc occurrit in libris Iurisconsultorum. Vide Lexicon Iuridicum Barnabæ Brissonij.*

EVLOGIA. *Vita Frontonij cap.* IX. Velut eulogias reuocans Domino rerum. *& mox:* easdemque eulogias indigentibus distribuit. *Vocantur hic eulogiæ cibaria benedictionis gratiâ transmissa. Post Missas alicui eas dare vel transmittere, erat signum communionis & charitatis. Gregorius Turonensis libro* V. *Hist. Franc. c.* XIV. Post Missas autem petiit, vt ei eulogias dare deberemus. *Sed fecit accurata Gretzeri nostri diligentia, vt nihil hic prætereà de Eulogiis addam. Eius lib. De benedict. consule.*

EXENIVM. *Vita Antonij cap.* XXVII. Antonius lætantibus de aduentu suo cunctis, quasi xenia de monte portans, spiritualia impartitur alimenta. *Vbi MSS. plerique & veteres editiones habent* exenia. *An e præfixum* xenio?

Aliàs notum exenium *aliis scriptoribus, sed nescio an eodem significatu. Leges Longobardorum libro* II. *tit.* I. *L.* VI. Si aliquis ex amicis accepto exenio ipsi mulieri aliquid dederit. *Testamentum S. Remigij:* Et incolæ loci illius multiplicibus exeniis grauati obnixè deprecantes, quod regi debebant, ecclesiæ meæ soluendum, me petere compulerunt. *Ita manusc. loco vulgati,* xeniis. *Baldericus Historia Ierosolymitana lib.* III. Condito corpore quibus potuerunt

fuerunt aromatibus, Imperialibus exenijs illud prosecuti sunt. *Glossæ veteres:* Exenium, seruitium. *Papias Vocabularista:* Exenium, donum, seruitium. *Glossarium Camberonense MS.* Exenium, honor, munus.

An xenium *propriè donum, munus, noto significatu, &* exenium, *seruitium, quod subditus superiori debet? Idem fortè quod* soniaca *dicitur Anselmo Canonico Leodiensi in Gestis Pontiff. Leodiens. & Traiectens. cap.* XL. Præcepit ne soniacam episcopis Leodiensibus debitam, ab eodem loco, vbi ipsius sancti corpus quiescit, accipere præsumeret. *vbi doctissimus scholiastes Ioannes Chappeauillus* soniacam *herens interpretatur* obsonium episcopis debitum. *Existimo intelligi* seruitium episcopo debitum, *seu* certam annuam pensionem, *quæ Gallis* Essogne *dicitur. Vide Francisci Rageau Indicem Iurium regalium.*

Fauni. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* VII. quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans, colit. *De Faunis multa collecta vide apud Lilium Gregorium Giraldum Syntagmate* XV. *Historiæ deorum, & apud Natalem Comitem Mythologiæ lib.* V. *cap.* IX. *Vide & Conimbricenses nostros in libro* II. *Physicorum cap.* IX. *q.* V *art.* III. *vbi quærunt, An fieri possit, vt ex humanâ & belluinâ specie homines nascantur. Vide & Delrium Magiæ tom.* I. *lib.* II. *q.* XXVII. *sect.* II.

Frigoretici. *vide,* Typi.

Flabellvm. ῥιπίδιον. *Vsus eius in sacris, quod diaconi gestabant. Pratum spirituale Ioannis Moschi cap.* CL. Diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remoue. *Græcè:* Τὸν διάκονον τὸν κατέχοντα τὸ ῥιπίδιον. *Simeon Thessalonicensis De diuino templo, vbi agit de Processione ante Missam:* Ideò & ἑξαπτέρυγον cum Cruce præcedit; quo docetur Iesum & signum eius de cælo ostensum iri. Quod mox sequuntur diaconi, qui angelorum ordinem referunt: id quod & flabella quæ dicuntur, & à S. Dionysio alæ vocantur, significant. *S. Germanus in Theoriâ rerum Ecclesiasticarum:* Flabella verò typum referunt Cherubim. *Hildebertus Cenomanensis episcopus epist.* VII. Flabellum misi tibi congruum scilicet propulsandis muscis instrumentũ. Est etiam quod in munusculo nostro interpretari te oporteat. Attẽde ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes grauiùs infestentur, quibus frequenter impediantur salutaria altaris officia. Mille sunt occursantium phantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum. *Subdit:* Dum igitur destinato tibi flabello descendentes super sacrificia muscas abegeris, à sacrificantis mente superuenientium incursus tentationum, Catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit. *Hieronymus quoque muscaria matronarum huc trahit, & spiritaliter explicat epistolâ* XX. *ad Marcellam:* Quòd autem & matronis offertis muscaria parua, paruis animalibus euentilandis, elegans significatio est, debere luxuriam citò restinguere, quia muscæ morituræ oleum suauitatis exterminant.

Adumbratum hoc in Ecclesiâ ex facto Abraham. Idem Hildebertus: Talium portenta muscarum Patriarcha Abraham propulsanda præsignauit, cùm à sacrificijs aues abegit incursantes. *Erant hæc flabella seu muscaria vel ex* tenuibus membranis, *vel* ex pennis pauonis, *aut ex* linteo, *vt habetur apud Clementem l.* VIII. *Constit. Apostol. cap.* XII.

Fvnvs. *Aliquot funebres ritus in Vitis his notatos habes: quosdam vberiùs explicabo.*

Linteo *obuoluebantur nobilium & martyrum corpora apud Ægyptios, Vita Antonij cap.* LVII. Mos Ægyptiis est, nobilium, & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine obuoluere. *Sic de Christi corpore, Ioannis* XI. Ligauerunt illud linteis cum aromatibus. *Acta Abibi martyris apud Metaphrastem* XV. *Nouembris:* Pretioso linteo eum circumdederunt, & vnguentis vnxerunt. *Prudentius hymno* X. *Cathemer.*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Eusebius lib. VII. *capite* XVII. *de Asterij in Marinum martyrem pietate:* Περιστείλας τε εὖ μάλα πολυτελεῖ σινδόνι, τῇ πρεπούσῃ ταφῇ παραδίδωσι: Quod cùm magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulcro condidit. *Idem eodem lib. cap.* X. *&* XVIII. lintea *illa vocat* περιστολάς. *Hieronymus epist.* XLIX. *de muliere septies ictâ:* Clerici, quibus id officij erat, cadauer cruentum linteo obuoluunt. *Et quidem vetustissimus mos fuit cadauera linteo inuoluendi. Homerus Iliad.* Σ. *de Patrocli funere:*

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν,
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ:
In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt
Ad pedes à capite: desuper autem albâ veste.

Auratis *etiam* vestibus *obuoluebantur quorumdam corpora. Vita Pauli primi eremitæ cap.* XIV. Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? *Quem vanum sæculi morem etsi Hieronymus ibi reprehendat,* ornatus *tamen* splendidior *non repudiatus fuit in funere Sanctorum. Gregorius Nyssenus de Macrinâ sorore:* Nunc quidem inuidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem adiecerimus ornatum, & puram illam immaculatamque carnem clarioribus vestimentis induerimus. *Eusebius suprà:* Ἀστύριος ἀνὴρ, τῶν ἐπὶ Ῥώμης συγκλητικῶν, τὸν ὤμον ὑποθεὶς, ἐπὶ λαμπρᾶς τε καὶ πολυτελοῦς ἐσθῆτος ἄρας τὸ σκῆνος, ἐκφέρει: Asterius vir è senatorum Romanorum numero cadauer (*Marini martyris*) tollit, splendidâ & pretiosâ obtegit veste, atque humeris impositum inde deportat.

Hæc obuoluendi linteo, *vel* ornatu splendidiore *cadauera seruata, vbi commodè fieri poterat. Aliàs quauis obuiâ re cadauera fuêre inuoluta. Sic in eremo Pauli primi eremitæ corpus* pallio. *Vita eius c.* X. Pallium, quod tibi Athanasius episcopus dedit, ad obuoluendum corpusculum meum defer. *Macrinæ quoque corpori* pallium *superiectum, ne adscititius ornatus splendidior, quorumdam oculos offenderet. Gregorius Nyssenus in Vitâ S. Macrinæ.*

Cum psalmis & hymnis *deducta olim cadauera & condita, frequentissimè in his Vitis Patrum occurrit. De hoc Christianorum ritu vide Gretzerum nostrum de funere Christiano cap.* V. *Cur autem* hymni *&* psalmi *in funeribus decantati sint, hanc rationem reddit Chrysostomus homiliâ* IV. *in Epist. ad Hebraeos:* Τί δὲ οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν Θεὸν δοξάζομεν, καὶ εὐχαριστοῦμεν, ὅτι λοιπὸν ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα; ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν; ὅτι τῆς δειλίας ἐκβαλὼν ἔχει παρ' ἑαυτῷ; οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ τοῦτο ψαλμῳδίαι; ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστίν: Quid etiam hymni? Nónne vt Deum glorificemus, eique gratias agamus, quòd iam coronauit discedentem, quòd à laboribus liberauit, quòd à timore liberatum apud se habet? Nónne propter hoc hymni? Nónne propter hoc psalmodia? Omnia

nia ista gaudentium sunt. *Plura hic addi possent; sed eam rem iam executus est Iacobus Gretzerus noster singulari libro* De funere Christiano.

GABBARA. *Vide de ijs dicta ad Vitam S. Antonij* c. LVII. *vbi ea Athanasius describit, & Augustinus nomen prodidit. Vocabulum paucis notum. Plinius lib.* VII. *cap.* XVI. Procerissimum hominem ætas nostra diuo Claudio Principe, Gabbaram nomine, ex Arabiâ aduectum, nouem pedum, & totidem vnciarum vidit. *quæ exscribit Solinus cap.* V. *Caue* Gabbaram *existimes proprium viri nomen. Omnia mortuorum cadauera condita ita vocabantur. Glossæ Isidori:* Galbares, mortuorum condita corpora. *lege,* Gabbares *vel* Gabbara. *Eadem:* Gabarus, insulsus, barbarus, vnde Gabares mortuorum. *Papias:* Gabbari, inclusi barbari. vnde Gabbares mortuorum corpora condita. *vbi lege,* insulsi, barbari. *Sic in Glossario Camberonensi MS.* Gabator siue gabitor, dicitur homo iocosus. *Teutonibus* **gabberen**, *ridere, iocari.*

GALILÆI. *Ita olim Christiani dicti per contemptum. Vita Epicteti & Astionis cap.* VII. Et à Galilæis furatus es. *plangit mater Astionis. Lucianus in Philopatr. de S. Paulo agens:* Ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίρρινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας: Quando autem me Galilæus ille conuenit recaluaster naso aquilo, qui in tertium vsque cælum per aërem ingressus est. *De quo loco vide Baronium tomo* I. *anno Christi* LXVIII. *Iulianus Misopogone:* Ἐμισοῦμεν Χριστὸν ἐπόθουν, οἱ πῦρ ἐμβαλόντες τοῖς τάφοις τῶν Γαλιλαίων; An verò Emiseni Christum amabant, qui Galilæorum sepulcra incenderunt? *Idem ibidem post:* Νυνὶ δὲ ὑμῶν ἕκαστος ἐπιτρέπει μὲ τῇ γυναικὶ πάντα ἐκφέρειν ἐνδόθεν εἰς τοὺς Γαλιλαίους: Nunc verò vnusquisque vestrûm mandat vxori, vt omnia Galilæis largiatur. *Idem ep.* XXXIII. *ad Aëtium episcopum hæresiarcham:* Λοιποῖς μὲν ἅπασι τοῖς ὁπωσοῦν ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Κωνσταντίου πεφυγαδευμένοις, ἕνεκεν τῆς τῶν Γαλιλαίων ἀνοίας ἀνῆκα τὴν φυγήν: Ceteris omnibus, qui à Constantio vitâ defuncto, eiecti patriâ fuerant propter amentiam Galilæorum, exilium condonaui. *Idem epistolâ* VII. *ad Artabium:* Ἐγὼ νὴ τοὺς θεοὺς, οὔτε κτείνεσθαι τοὺς Γαλιλαίους, οὔτε τύπτεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον, οὔτε ἄλλο τι πάσχειν κακὸν βούλομαι: Ego, per deos, neque interfici Galilæos, neque cædi, præter ius & æquum, neque molestiæ quidquam perpeti volo. *Theodoretus lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* VII. Καὶ πρῶτον μὲν ἀπηγόρευσε τῶν Γαλιλαίων τοὺς παῖδας (οὕτω γὰρ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν τοὺς θιασώτας ὠνόμαζεν) ποιητικῶν καὶ ῥητορικῶν καὶ φιλοσόφων μεταλαγχάνειν λόγων: Ac primùm vetuit, ne Galilæi (sic enim fidei Seruatoris nostri consecratos nuncupabat) poëticam, rhetoricam, aut philosophiam discerent. *Chrysostomus Homiliâ de S. Hieromartyre Babylâ, agens de furore Iuliani:* Ἐκ μέσης ἀναρπάσασθαι τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Γαλιλαίων ἔθνος ἐπηγγέλλετο: Ex orbe terrarum exterminaturum se Galilæorum nationem pollicebatur.

Atque adeò Christianorum nomen Iuliano exosum erat, vt edicto sanxerit, ne quis Christianos, sed Galilæos appellaret. Chrysostomus Oratione contra Gentes: Γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν αὐτός τε ἐν τοῖς διατάγμασι καλῶν, καὶ τοὺς ἄρχοντας τοῦτο προστάττων ποιεῖν: Galilæos pro Christianis nos in edictis suis tum ipse appellans, tum Principes vt idem factitarent, exhortans. *Gregorius Nazianzenus Oratione* III. *contra Iulianum:* Γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν ὀνομάσας τε καὶ καλεῖσθαι νομοθετήσας: Galilæos pro Christianis nominans, atque vt ita vocaremur, publicâ lege decernens.

GALLICA. *Vita Malchi cap.* IV. *de Ismaëlitis:* Pallia & latas calliculas trahentes. *vbi manusc. Audomarensis habet* gallicas. *Nescio an promiscuè* gallica *pro* caliga *accipiendum. Tertull. carmine ad Senatorem, qui ex Christiano factus est idololatra Aegyptius, ex Consule sacerdos Isidis, videtur distinguere:*

Nunc etiam dicis, quòd te non fecerit ætas,
Sed tua relligio caluum, caligaque remotâ,
Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Ita distinguendus hic locus. Nam Pamelius, qui Gallica *coniungit cum* caligâ, *& vult in* Gallicâ *hîc a ablatiuum corripi, frustra fuit. Hoc vult, senatorem hunc, relicto Romano habitu (quales* caligæ, *vnde* militia caligata *Tertulliano libro De idololatriâ capite* XIX.) *ad Aegyptium habitum sacerdotis Isiaci transiisse. id est ad* gallicam *ex molli papyro pedibus circumdatam. quare* gallicam *puto soccum esse, quia mollis. Certè Gallis Cybeles Isiacis* luteos calceos *tribuit Apuleius Milesiâ* VIII. Pedes luteis induti calceis. *Catullus* luteos soccos *in nuptijs Hymenæo tribuit, quia luteus seu croceus amoris est color:*

——— lætus huc
Huc veni, niueo gerens
Luteum pede soccum.

Gallicas *dici Gallis* galloches *existimat Baysius. Calceorum genus esse colligitur ex Cicerone Philippicâ* II. Quod quærebas quomodo redissem; primùm luce, non tenebris: deinde cum calceis & togâ, nullis nec gallicis nec lacernâ. *& mox de Antonio:* Cum gallicis & lacernâ cucurristi. *Ita vtrobique MSS. pro* caligis. *Gellius lib* XIII. *cap.* XX. *narrat Titum Castritium reprehendisse discipulos senatores* lacernis indutos & gallicis calceatos. *postremum hoc interpretatur mox per* soleatos. *Glossarium Camberonense manuscr.* Gallicula, calceamenta pastorum. *Idem apud Papiam.*

In Suidâ γάλλιξ *pro chlamyde accipitur.* Ἄλλιξ, χλαμύδα κατὰ Θεσσαλούς. οἱ ἰδιῶται γάλλικα ταύτην φασί. *Certè in Vitâ Malchi* palliũ *&* gallica *coniunguntur.*

GELLO, *seu* GILLO. *Ruffinus lib.* III. *num.* 14. Gello cum aquâ, quem ad potum sibi præparauerat, vertebat se. *Mox eodem numero dicitur* gellunculus. *Pro quo in Pelagio num.* 24. *est* faticula. *Cassianus Institut. lib.* IV. *cap.* XVI. Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit. *Cap.* XX. Si gillonem aquâ impleuerint. *Glossæ Isidori,* Gellonem, baucalem. *Glossarium Latino-græcum:* Gillo, βαυκάλιον. *Item* ποδόνιπτρον, aquale, gello. *Glossarium Camberonense manuscriptum:* Gillo, vas fictile, id est, baucalis. *Papias:* Gelonis, baucalis, vas. *Hinc Legum Visigoth. lib.* II. *Tit.* IV. *L.* IV. Gillonariorum præpositi. *Hispani nunc* cangilonem, *Itali* boccalem *vocant. Inter Catalecta veterum poëtarum lib.* II. *est carmen de mensium picturâ, vbi:*

Augustum penitùs torret Phaëthontius ardor,
Quem recreat fessum gillo, facella, melo.

GENVFLEXIO. *Sæpiùs hic ritus in oratione occurrit in his Patrum Vitis. Tria nunc attingam, eius antiquitatem, quando genu flectere vetitum, & quàm aliqui genuflexionem frequentarint.*

Omnino vetustus Ecclesiæ mos, genua flectere in oratione. Omne genu Domino flectendum monent Scriptura, Psal. XXI. *Isaia* XLV. *Roman.* XIV. *Philippens.* II. *Ephes.* III. *Christus quoque in terram procidens orasse legitur Luca* XXIII. *Eusebius lib.* V. *Hist.*

Hist. Eccl. cap. v. *refert milites* ἐν τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν, κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας τρέπεσθαι: In ipsâ acie contra hostes instructâ, genibus humi positis, vt nobis cùm oramus in more est, se ad preces Deo adhibendas totos conuertisse. *Hieronymus in Isaia cap.* XLV. Moris est enim ecclesiastici Christo genu flectere. Quod Iudæi, mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt.

Flectendo genua magis impetramus. Apud Iustinum q. CXV. *ad Orthodoxos*: Τὸ κλίνειν τὸ γόνυ ἐν ταῖς προσευχαῖς τῶν ἑστῶτας εὔχεσθαι μᾶλλον Θεῷ τοὺς εὐχομένους παρίστησι, καὶ πλεῖον ἐφέλκεται τὴν θείαν συμπάθειαν: Genuum inclinatio in precationibus, magis precatores Deo commendat, quàm si stantes orent; magisque ea res diuinam permouet commiserationem. *Tertullianus ad Scapulam cap.* IV. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? *Idem aduersus Marcionem lib.* III. *c.* XVIII. Iam verò Moyses quid vtique tunc tantùm cùm Iesus aduersus Amalech præliabatur, expansis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus positis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutante, orationem commendare debuisset? *Ambrosius lib.* VI. *Hexaëm. cap.* IX. Flexibile genu, quo præ ceteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia prouocatur. Hoc enim Patris summi erga Filium donum est, vt in nomine Iesu omne genu curuetur. *Augustinus libro De curâ pro mortuis agendâ, cap.* V. Nam & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt; quamuis eorum inuisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit: nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque feruentiùs. Et nescio quo modo, cùm hi corporis motus fieri nisi motu animi præcedente non possint, iisdem rursus exteriùs visibiliter factis ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit. *Hieronymus in cap.* III. *Ephes.* Hæc autem spiritaliter exponentes, non statim iuxta litteram orandi consuetudinem tollimus, quâ Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo poscimus impetramus. Legimus enim & Paulum in littore sic orasse, & geniculationes in oratione præceptas. *Theophilus episcopus Alexandrinus epistolâ Paschali* II. *contra Origenem*: Genu flectere sollicitæ & humillimæ mentis indicium est.

Sed cum genu flectendus simul animus, interiora videlicet genua; parum alias prodest genuflexio exterior. Hieronymus in cap. III *ad Ephesios*: Sed sicut illud ædificat simplices, sicut veram geniculationem esse docemus in animo, quia multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curuauerunt. Et contrà, alij erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curuauerunt. *quem vide ibidem differentem, quomodo peccatores genua flectant peccato.*

Et quidem hic ritus toto anni tempore in oratione seruabatur, exceptis Dominicis & tempore inter Pascha & Pentecosten. Vide hic libro IV. *cap.* XIX. *ex lib.* II. *Instit. Cassiani cap.* XI. *Concilium Nicænum can.* XX. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες: καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ: Quoniam sunt quidam qui die Dominico genua flectunt, & in diebus Pentecostes, vt omnia similiter in omni parœciâ seruentur, visum est sanctæ Synodo, stantes Deo orationes persoluere. *Quod ipsum repetitur in Concilio Carthaginensi* VI. *can.* XX. *Et habetur can. Quoniam. De consecr. dist.* III. *Tertullianus De coronâ milit. cap.* III. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. *Hilarius Prologo in Psalmorum explanationem*: Et hæc quidem sabbata sabbatorum eâ ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque ieiunio festiuitatem spiritualis huius beatitudinis impediret. quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum, qui vltra sabbati numerum per plenitudinem euangelicæ prædicationis accedunt. *Hieronymus Procœmio ad Paulam & Eustochium in Epistolam ad Ephesios*: Permansit autem Ephesi vsque ad Pentecosten; tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curuamur in terram, sed cum Domino resurgentes ad cælorum alta sustollimur. *Idem Dialogo aduersus Luciferianos cap.* IV. Die Dominico, & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere, multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit. *Ambrosius Serm.* LXI. *de Pentecoste, qui est etiam apud Maximum Taurinensem*: Scire debet sanctitas vestra, hanc sanctam Pentecostes diem quâ ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas: ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genua succidamus; sed sicut Dominicâ solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus. *Augustinus epistolâ* CXIX. *capite* XV. Quinquaginta dies celebrantur post Domini resurrectionem, iam in figurâ non laboris, sed quietis & lætitiæ: propter hoc & ieiunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis: vnde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare obseruatur. *& c.* XVII. Vt autem stantes in illis (*Pentecostes*) diebus, & omnibus Dominicis oremus, vtrùm vbique seruetur ignoro: tamen quod in eo sequatur Ecclesia, dixi, vt potui, & arbitror esse manifestum.

Caussa huiusce commutationis assignatur apud Iustinum quæstione & responsione suprà citatâ: Ἡ ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις ἡμῶν γονυκλισία σύμβολόν ἐστι τῆς ἐν ταῖς ἁμαρτίαις πτώσεως ἡμῶν. τὸ δὲ ἐν τῇ Κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτοῖς τεθανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν. &c. ἐν δὲ (Πεντηκοστῇ) οὐ κλίνομεν γόνυ, ἐπειδὴ ἰσοδυναμεῖ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυριακῆς, κατὰ τὸν λόγον τὸν ἐπ' αὐτῆς αἰτίου. Genuum per sex dies inclinatio, symbolum & nota est lapsus per peccata nostri. Quòd verò die Dominico genua non inflectimus, signum est & designatio resurrectionis: per quam gratiâ Christi, & à peccatis, & à mortificatâ in eis morte liberati sumus. In Pentecoste genua non inflectimus, quoniam pari est cum die Dominico potestate, iuxta eam, quæ de illâ est dicta caussam.

Et profundiùs hic adhuc mysterium inuestigat Basilius

Sylius libro De Spiritu Sancto cap. XXVII. Ἀναγκαίως ἡ Ἐκκλησία τοὺς ἐν αὐτῇ τροφίμους ἐκπαιδεύει ὀρθίους ἐπιτελεῖν τὰς ἑαυτῆς προσευχὰς, ἵνα τῇ συνεχεῖ ὑπομνήσει τῆς ἀτελευτήτου ζωῆς τῶν πρὸς τὴν μετάστασιν ἐφοδίων μὴ ἀμελῶμεν. Καὶ πᾶσα δὲ ἡ Πεντηκοστὴ τῆς ἐν τῷ αἰῶνι προσδοκωμένης ἀναστάσεως ἐστιν ὑπόμνημα. ἡ γὰρ μία ἐκείνη καὶ πρώτη ἡμέρα ἑπτάκις ἑπταπλασιασθεῖσα, τὰς ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς Πεντηκοστῆς ἑβδομάδας ἀποτελεῖ. Ἐκ πρώτης γὰρ ἀρχομένη, εἰς τὴν αὐτὴν καταλήγει, διὰ τῶν ὁμοίων τῶν μεταξὺ πεντηκοντάκις ἐξελιττομένη. Ὅθεν καὶ αἰῶνα μιμεῖται τῇ ὁμοιότητι, ὥσπερ ἐν κυκλοφορικῇ κινήσει ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχομένη σημείων, καὶ εἰς τὰ αὐτὰ καταλήγουσα. Ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾶν οἱ θεσμοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν, τῇ ἐναργεῖ ὑπομνήσει, οἱονεὶ μεθιστάντες ἡμῶν τὸν νοῦν ἀπὸ τῶν παρόντων ἐπὶ τὰ μέλλοντα. Καὶ καθ' ἑκάστην δὲ γονυκλισίαν καὶ διανάστασιν ἔργῳ δείκνυμεν, ὅτι διὰ τῆς ἁμαρτίας εἰς γῆν κατερρύημεν, καὶ διὰ τῆς φιλανθρωπίας τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς εἰς οὐρανὸν ἀνεκλήθημεν. Necessariò igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet stantes absoluere preces suas, vt assiduâ commonitione vitæ illius numquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum tempus vsque ad Pentecosten, admonitio est resurrectionis, quam in illo sæculo exspectamus: nam vnus ille & primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absoluit. A primo enim incipiens in principium desinit, per similes qui in medio intercedunt dies quinquagies euolutus. Vnde & æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari ab iisdem orsus signis in eadem desinit. In quo corporis erecto habitu precari potiùs nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per euidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram à præsentibus ad futura. Insuper & quoties genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quòd ob peccatum in terram delapsi sumus, & per humanitatem eius qui creauit nos, in cælum reuocati sumus. *Quæ eadem repetita habes apud Anastasium Nicænum qq. in S. Scripturam q.* XCI. *Germanus patriarcha Constantinop. in Theoriâ rerum Ecclesiasticarum:* Τὸ μὴ κλίνειν γόνυ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Κυριακῆς, σημαίνει τὴν κατάστασιν ἡμῶν ἀνορθωθεῖσαν γινομένην, διὰ τῆς τριημέρου τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως. τὸ δὲ μέχρι τῆς Πεντηκοστῆς μὴ κλίνειν γόνυ, ἐστὶ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας μετὰ τὸ ἅγιον Πάσχα ἑπταπλασιασμένας κρατεῖν τῇ διακαινησίμῳ. Τὸ ἑπτάκις ἑπτὰ, τεσσαρακοντεννέα, καὶ ἡ Κυριακὴ πεντήκοντα. Genu non flectere sancto die Dominico resurrectionis, significat lapsum nostrorum erectionem factam per triduanam Christi resurrectionem. Non flectere genu ad Pentecosten vsque, est septem dies post sanctum Pascha in septem multiplicatos contineri die Pentecostes. Nam septies septem quadraginta nouem, & Dominico addito quinquaginta. *Vide & Officij ecclesiastici scriptores, Isidorum lib.* I *Offic. cap.* XXXIII. *Rhabanum l.* II. *De institut. cleric. cap.* XLIV. *& alios: item Turrecrematam in locum Decreti suprà citatum.*

Origo huius rei seu mutationis ad Apostolica refertur tempora, apud Iustinum q. CXV. *ad Orthodoxos:* Ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν δὲ χρόνων ἡ τοιαύτη συνήθεια ἔλαβε τὴν ἀρχήν, καθώς φησιν ὁ μακάριος Εἰρηναῖος ὁ μάρτυς καὶ ἐπίσκοπος Λουγδούνου, ἐν τῷ περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ: A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout ait B. Irenæus, martyr & episcopus Lugdunensis, in libro De Paschate.

Quòd verò Paulus Act. XX. *legitur positis genibus orasse tempore inter Pascha & Pentecosten, Baronius tomo* 1. *anno Christi* LVIII. *existimat nondum tunc inualuisse eam de geniculis non adorandi eo tempore consuetudinem, sed paulò post. Lorinus noster in eum locum, nil obstare existimat dictum eo etiam tempore ritum iam receptum fuisse, verumtamen in publicis solemnibusque precibus, quales non videntur fuisse, quæ fusæ sunt in littore Tyri.*

Quàm sancti quidam genuflexionem frequentarint, constat vel ex tabulis excauatis, vel ex genubus induratis. De tabulâ ex geniculatione excauatâ, habes apud Ioannem Moschum Prati spiritualis capite CLXXXV. *De S. Iacobi genubus induratis. Hieronymus De viris illust. cap.* II. Flexis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. *Idem epist.* XV. *ad Marcellam De laudibus Asellæ:* Cuius oculis duritiés de genibus camelorum in illo sancto corpusculo præ orandi frequentiâ obcalluisse perspecta est.

GRVTARIA. *Palladij Lausiaca ex veteri interprete cap.* IX. *de Macario Alexandrino:* Alius verò grutaria vendens. *Heraclides cap.* VI. *simpliciter:* negotiator erat: *vbi tamen MSS. addunt:* qui poma vel legumina, nucesque vendebat. *Palladius ex interpretatione Herueti*, qui vendebat bellaria. *Græcè est*, τραγήματα. *Fortè alius textus habuerit*, χοῦδα *vel* χοῦτα, *vnde vetus interpres Palladij* grutaria *fecerit. Facit huc quod habet Glossa Græco barbara:* Ἀναχύσια, μάζα, σημίδια, χοῦτα, πανάδα. *Item:* Ἰδέα σημιδίας, ἢ χοῦτες. *Lexicon Latino-græcum:* Crusta, γρῦτα. *In Lexico Græco-latino habes*, Γρύτη, scruta. *Quò facit, quod habet Hesychius in* Γρυμαία, *qui* λεπτὰ σκεύη *ait* χύτρα *dicta, apud quem &* Γρύτη, σκεύη. *Item*, Γρυτάζεται, σκευάζεται.

HEBDOMON. *Vide*, SEPTIMVM.

HEBDOMADARII. *Vide*, SEPTIMANARII.

HEMIPHORIVM. *Palladius cap.* CXIX. *de Melaniâ iuniore ex interpretatione Herueti:* Omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit altaribus. *In Græco est:* Πάντα αὐτῆς τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα ταῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. Omnia sua serica hemiphoria amicula altaribus dedit. *Epiphanius contra Ariomanitas de Ario:* Ἡμιφόριον ἀεὶ καὶ κολόβιον ἐνδεδυμένος, γλυκὺς δὲ τῇ προσηγορίᾳ. Arius hemiphorium & colobium indutus, in colloquiis blandus erat. *Hesychius* ἡμιφάριον, ἥμισυ ἱματίου, hemipharium, dimidium vestis, *seu*, dimidiata vestis. *Videtur Heruetus in Palladio legisse* ὠμοφόρια, *vertens* superhumeralia. *sed cùm* hemiphorium *fuerit tantùm dimidiata vestis, fortè tantùm caput & paululum vltra humeros texit. & eo sensu etiam* ὠμοφόριον *dici posset.*

HEMITRITÆVS. *Vita Hilarionis cap.* IX. Hemitritæo pariter arrepti omnes à medicis desperati sunt. *Est semitertiana febris. Vox Græca* Ἡμιτριταῖος *vsurpata Latinis. Martialis lib.* II. *epig.* XL.

Vri Tongilius malè dicitur hemitritæo.

Idem lib. IV. *epigr.* LXXXI.

Declamas æger, declamas hemitritæus.

Idem lib. XII. *epigr.* XCI.

Cui grauis & feruens hemitritæus erat.

Celsus lib. III. *cap.* III. *Item cap.* VIII. At vbi id genus tertianæ est, quod hemitritæum medici appellant, magnâ curâ opus est, ne id fallat. *Latini medici vocem hanc Græcam retinuêre, vel quod Latinè non posset commodè efferri, vel quod Græco malebant vti. Q. Serenus Sammonicus, vbi superstitiosum*

tiosum simul contra eam febrim remedium suggerit:
Mortiferū magis est,quod Grecis Hemitritæum
Vulgatur verbis;hoc nostrâ dicere linguâ
Non potuêre vlli,puto, nec voluêre parentes,
Inscribi chartæ, quod dicitur ABRACADABRA.

HIPPOCENTAVRVS. *Hieronymus in Vitâ sancti Pauli primi eremitæ cap.* VI. Conspicit homi-
nem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippo-
centauro vocabulum indidit. *Non congeram hîc
auctorum de Hippocentauris loca. Remittam ad an-
ctores, qui de ijs copiosè agunt. Vide in primis è veteri-
bus Phlegontem in Mirabilibus. E recentioribus Hie-
ronymum Magium Miscellaneorum lib.* I. *capite* XX.
& Franciscum Sabinum Floridor libro II. *cap.* VI.
Conarrunniam Var. resolut. lib IV. *cap.* II.

IEROSOLYMITANA PEREGRINATIO.
*Crebra huius iam ab antiquis temporibus peregrinatio-
nis mentio in Vitis Patrum. Hieronymus epist.* XVII.
ad Marcellam: Longum est nunc ab ascensu Do-
mini vsque ad præsentem diem per singulas ætates
currere, qui episcoporum, qui martyrum, qui elo-
quentium in doctrinâ ecclesiasticâ virorum vene-
rint Ierosolymam, putantes se minus religionis,
minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur,
manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum
adorassent locis,de quibus primum euangelium de
patibulo coruscauerat. *Idem Præfat. in lib.* IV. *Com-
mentar. in Ierem.* Multis & de toto orbe huc con-
fluentium turbis,& sanctorum fratrum, monaste-
rijque curis occupatus, commentarios in Iere-
miam per interualla dictabam, vt quod deesset
otio, superesset industriæ.

IGNOSCE. Συγχώρησον. *Eremitarum mos loquendi
vsitatissimus, qui sæpissimè in his Vitis occurrit. No-
tauit id Sozomenus lib.* VIII. *cap.* XVII. Ταραχθέντες
δὲ μοναχοὶ, καὶ τοῦτο χρῆναι ποιεῖν νομίσαντες, πολλῶν ἐπισκό-
πων συνεληλυθότων τοῦτο δὴ τὸ σύνηθες αὐτοῖς λέγειν. καὶ
ἀλλήλοις Συγχώρησον ἔφασαν. Monachi perturbati,at-
que hoc planè fieri oportere rati, multis episcopis
præsidentibus, illud scilicet, quod ipsis dicere so-
lemne est, Etiamsi iniuriam fecerimus, Ignosce, in-
quiunt. *quod Gallis* pardonne moy. *Videtur mos
hic in aulicismum abiisse, cùm sibi inuicem propina-
rent, vel etiam calicem ex alterius manu acciperent.
Pelagius libello* XV. *num.* 20. Quando abbas Theo-
dorus cum fratribus manducabat, accipiebant ca-
lices cum reuerentiâ & taciturnitate, nec dice-
bant,sicut mos est, Ignosce.

IMMÆ. *Vita Malchi cap.* II. Perueni tandem
ad eremum Chalcidos, quæ inter Immas & Be-
rœam magis ad Austrum sita est. *Syriæ est ciuitas,
circa quam eremus Chalcidos. Chronicon Eusebij
anno* II. *Aureliani:* Zenobia apud Immas, haud
longè ab Antiochiâ vincitur. *Iornãdes De regnorum
successione in Aureliano:* Contra quam (*vxorem O-
denathi*) expeditionem suscipiens Aurelianus,apud
Immas vicum Antiochiæ superauit.

INCARDVVM. *Palmæ medulla. Ioannes libello* I.
*num.*6. Est verò in palmâ vnum incarduum &
ipsum candidum. *Credo ex Græco* ἐγκάρδιον. *Dios-
corides lib.* I. *cap.* CL. *agens de palmâ elate:* Καὶ τὸ
ἐγκάρδιον δὲ τῶν φοινίκων λευκὸν, καὶ αὐτὸ τρωγόμενον, βεβρωσκό-
μενον, καὶ ἀφεψόμενον, ποιεῖ πρὸς ὅσα καὶ ὁ βάρασσος. Ce-
terùm alba quoq; caudicis (*palmæ*) medulla tum
recèns comesta, tum decocta ad eadem facit, ad
quæ etiam barassus. *Vbi Dioscorides medullam trun-
ci seu caudicis vocat* ἐγκάρδιον corculum. *Vide ibi
Iannum-Antonium Saracenum, & Dalechampium
ad lib.* XIII. *c.* IV. *Plinij, vbi de cerebro seu* ἐγκεφάλῳ
palmæ agit; quod tamen ab ἐγκαρδίῳ *distinctum esse
docet Ianus Saracenus. Sic fortur* ἀνακάρδιον *arbor
Indica nomen sortita, à fructu auicula corculo non dis-
simili. Vide Gorræum.*

INCENTIVVM. *Vita S. Antonij cap.* XV. Lu-
bricæ carnis incentiua. *Sæpè eâ voce vtitur D. Hie-
ronymus. Sic epist.* IV. *ad Rusticum:* Et adolescentiæ,
immò pubertatis incentiua calcantem. *Item:* Dum
incentiua adolescentiæ calcas. *Ibidem:* Incentiua
vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram.
Idem epist. II. *ad Nepotianum:* incentiua vitiorum.
In Isaia cap. LVIII. Corporis me superauit ardor,
adolescentiæ incentiua vicerunt. *In Ezech. c.* XVI.
Hac bysso accinguntur renes, quoties pinguia li-
bidinis incentiua tenuanda sunt, nihilque inc⟨i⟩s
crassi humoris relinquitur. *Ibidem mox:* Quæ vitio-
rum incentiua suppeditant. *Rursus:* Leuem pun-
ctum sensuum,& incentiua vitiorum. *Item:* Sæculi
huius incentiua. *Idem in cap.* XXIII. *Ezech.* Non
omnia cogitationum incentiua suscipiat. *In Matth.
cap.* IV. Suppeditare incentiua vitiorum. *Item in
eiusdem cap.* XV. Incentiuum diaboli. *In Commenta-
rio ad Galat.* VI. Per singulos commotionis oculos,
& incentiua vitiorum. *Eodem sensu eadem vox &
alijs vsurpata. Ambrosius libro* VI. *Hexaëmer. cap.* IV.
Odiorum incentiua. *Eidem Psal.* CXVIII. *& Serm.* XV.
Incentiua delictorum. *Cassianus Collat.* II. *cap.* XIII.
Incentiuorum stimuli. *Idem Collat.* VII. *c.* I. Natu-
ralibus incentiuis inquietari. *& cap.* II. Ecce incen-
tiua carnis tuæ abscisa sunt. *quæ duo loca posteriora
habes suprà lib.* IV. *De vitis Patrum capite* I. *Pruden-
tius Apotheosi:* Incentiuum peccaminis. *Sidonius li-
bro* VI. *epist.* I. Nec per carnalium vitiorum incen-
tiua flammati ad altare Domini ignem diutiùs ac-
cendemus alienum.

*Nonnumquam in aliam partem capitur. Arnobius
lib.* VI. Incentiuo extollitis laudis. *Cyprianus De lau-
de martyrij:* mercedis incentiuum.

INCHORIS. *Ioannes Subdiaconus lib.* VI. *Vitarum
Patrum libello* I. *num.* 12. Duo fratres erant ei vici-
ni, vnus peregrinus,& vnus inchoris. *à Græco* ἐγχω-
ρίς. *Nam* χώρα *est* regio, *vnde* ἐγχωρὶς, *qui in regione
suâ semper manet, & opponitur peregrino. D. Am-
brosius lib.* V. *Hexaëmeron cap.* XIV. enchoriûm
vocat: Alia quoque auium genera enchoria, quæ
manent in locis semper; alia aduentitia, quæ obeunt
regiones alias, & peractâ hieme reuertuntur. *Sic
ἐπιχώριον vocabulum Græci vocant, quod familiare est
alicuius regionis seu loci. D. Hieronymus epist.* CXL.
Pro eo quod nos transtulimus, *domibus eburneis*,
quia in Græco scriptum οἴκων βαρέων ἐλεφαντίνων, qui-
dam Latinorum ob verbi ambiguitatem, *agrari-
bus*, interpretati sunt; cùm βάρεις verbum sit epi-
chorium Palæstinæ,& vsque hodie, domus ex om-
ni parte conclusæ, & in modum ædificatæ turrium
ac mœnium publicorum, βάρεις appellentur.

INCVBI. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi
eremitæ cap.* VII. quos vario delusa errore gentilitas
Faunos Satyrosque & Incubos vocans colit. *De In-
cubis copiosè disserit Martinus noster Delrio Com-
mentario in Seneca Herc. fur. parte* III. *& in Magi-
cis suis lib.* II. *quæst.* XV.

IOANNES CHRYSOSTOMVS. *Pratum
spirituale Ioannis Moschi cap.* CXXVIII. *quamdam
reuelationem seu visionem de gloriâ Ioannis Chrysosto-
mi supra omnes Ecclesiæ Doctores refert, ad quam hæc
seuere Baronius tomo* V. *anno Christi* CCCCVII. *Inno-
centij*

centij Papæ VI. *Arcadij & Honorij Impp.* XIII. *ita notat: Sunt autem hæc parùm fide tuta, vtpote quæ in primis eiusdem Ioannis Chrysostomi testimonio mendacij arguantur; dum ab eo ponitur Treius episcopus Arabissi, & non Adelphius.* Chrysost. epist. 126.

Sed & cùm tradat auctor in domo Adelphij hospitatum esse Ioannem, cùm Cucusum in exilium missus esset; planè erroris arguitur: nam licet id ipsum de hospitio Cucusi dicant Leo & Metaphrastes, tamen ipse Chrysostomus disertis verbis narrat à Dioscoro se susceptum hospitio, & non ab alijs, licet id complures expetierint. Cum autem hæc compingat eâ narratione mendacia, quæ fides in reliquis? Idem epistolâ 13.

Sanè quidem & illa inuidiosa nimis assertio est; omnes qui vmquam fuerunt in Ecclesiâ Doctores, in inferiore ponere gradu, & super omnes Chrysostomum collocare: cùm præsertim ex ijs complures martyres fuerint coronati, vt inter alios Hippolytus & Methodius; vt taceam de reliquis absque sanguine vitâ functis sanctis, nempe Basilio, duobus Gregorijs, Thaumaturgo atque Theologo, itemque omnibus sine inuidiâ præferendo Magno Athanasio.

Sed & quæ illa absque ratione distinctio, vt omnes Doctores fuerint oculis ea videtis perspicui, solus autem Ioannes ob excellentem gloriam inuisibilis? perinde ac si solus inter Doctores ipse Chrysostomus fuerit perfectam gloriam consecutus. Sed facessant iam isthæc: non enim indigent Sancti nostris illustrari mendacijs, qui proprijs virtutibus decorantur. Hactenus Baronius.

Annotator quidā (nescio an Fronto noster) in editione Parisiensi Græco-latinâ Ioannis Moschi, ita rē hanc temperari posse censebat. Verū, inquit, monemus quoq; eiusmodi reuelationes interdum fieri non ad ostendendam maiorem in omnibus alicuius Sancti gloriam, sed ad indicandam excellentem quamdam & peculiarem cuiuspiam Beati prærogatiuam, quâ alijs præeminuit: cuiusmodi fuit zelus iustitiæ, qui in pectore Chrysostomi adeò exarsit, vt meritò propterea in visione diuinâ dictus sit assistere throno Dei. Huius generis visio illa fuit S. Petri Dominico oblata, cùm visis diuersorum Ordinū Religiosis in cælo, nullum ex suis alumnis aspexit: quos tamen sacra Deipara eximio & singulari fauore sub pallio suo occultans, eidem postmodum ostēdit. Deinde facilè in epistolam Chrysostomi nomen Treij, pro Adelphio potuit irrepere: vel fuit binomius Treius & Adelphius. Denique verbum mansit *cur necessariò referendum ad hospitium? Et est verisimile, Chrysostomum domum Episcopi inuisisse. Hæc pro assertione libri alioquin præstantis auctoritatis. Ita Annotator ille.*

Quod si mihi liceat inter tantos viros iudicium interponere, censerem ego, nihil hîc de Ioannis Chrysostomi gloriâ indicatum diuinitus, sed potiùs de Ioannis Baptistæ prærogatiuâ responsum datum. Cùm enim diuina prouidentia vel numquam vel rarò soleat curiosulis vel contentiosis de Sanctorum inter se prærogatiuâ præcisè respondere; sed potiùs vel generali responso, nullius dignitatem de quibus controuertitur præferendo; vel alio quouis modo ijs satisfacere; videtur hîc de Ioanne Chrysostomo, de quo instituebatur quæstio, fuisse dissimulatum; & Ioannis Baptistæ (is enim propriè pœnitentiæ dux) gradum & gloriam obiter introductam. Nam cùm postulatio Adelphij clara fuerit, non clara tamen fuit responsio vel ostensio. Nam ductor primus non satisfecit voto eius. petierat sibi ostendi Ioannem Chrysostomum, ille ostendit alios Doctores; quare tristis recedit non viso suo Ioanne, cuius gloriam videre amabat. Ostiarius verò cùm eum tristem videret, intellectâque causâ animaduertens curiositatem hîc intercedere, declinauit à Ioanne Chrysostomo ad Ioannē Baptistam. Ἰωάννην τὸν τῆς μετανοίας λέγεις; Ioannem dicis pœnitentiæ ducem? *respondetque interruptè in Græco, non interloquente interrogatore:* Ἄνθρωπος ἐκεῖνον ἐν σαρκὶ οὐ δύναται αὐτὸν εἰδεῖν. ἐκεῖ γὰρ παρίσταται ὅπου ὁ θρόνος δεσποτικός. Ipsum homo in carne viuens videre non potest: illic enim adsistit, vbi thronus est Domini. *Quod in sanctum Ioannem Baptistam quadrat, quo inter natos mulierum maior non surrexit, Veritate ipsâ attestante. Christus etiam discipulos de prærogatiuâ in regno cælorum quærentes compescuit, & dubios reliquit. Quare optimè Thomas à Kempis libro* III. *De imitatione Christi cap.* LVIII. *monet:* Noli inquirere nec disputare de meritis Sanctorum, quis alio sit sanctior, aut quis maior fuerit in regno cælorum. Talia Sanctis displicent.

IRENARCHA, *princeps pacis, qui paci prouinciarum incumbit, pacator. Palladius cap.* CXVI. Transiens quidam Irenarcha agnouit senem. *Iustinianus in Codice lib.* X. *titul.* 75. Irenarchæ, qui ad prouinciarum tutelam quietis ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam, à decurionibus iudicio præsidum prouinciarum idonei nominentur. *Michaël Syngellus in encomio Dionysij Areopagitæ Christum* Irenarcham vocat: Ὁ ὄντως ἀρχιποίμην καὶ εἰρηνάρχης Χριστὸς παρὰ πάντων ὁμοφρόνως δοξάζοιτο. Verè princeps pastorum & Irenarcha Christus ab omnibus concorditer habeatur.

IVRARE PER CAPVT IMPERATORIS. *Palladius cap* III. Per caput Imperatoris, quem tu times. Τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως σου, ὃν σὺ φοβῇ. *Addidit Potamiana*, quem tu times. *quia Gentilibus solemne fuit, iurare per Imperatoris caput. Vide Lipsium in Tacitum lib.* I. *Annal. Alias illicitum iurare per genios Impp. Tertull. Apologet. c.* XXXII. Sed & iuramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum. *Vide ibi Cerdam nostrum benè commentantem.*

LACTORONES. *Ruffinus lib.* III *num.* 200. Et vnus quidem deferebat nuces, alius lactorones. *Cùm Notationes in hunc locum scriberem, nondum mihi ea vox lecta erat; postea occurrit. Plinius lib.* XXIV. *cap.* XVIII. Herba lanaria ouibus ieiunis data, lactis abundantiam facit. Æquè nota lactoris vulgò est, plena lactis, quod degustatū vomitiones concitat. Eamdem hanc aliqui esse dicunt, alij similem illi quam militarē vocant, quoniā vulnus ferro factum, nullū non intra dies quinq; sanat, ex oleo imposita.

LAMINÆ. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* II Inter eculeos laminasque victorem. *Hæc fusiorem tractatum exigunt. Interea consule Gallonij librum De tormentis, cap.* VI.

LAPIDES QVADRATI. *Palladius c.* XIX. *&* XX. *De sepulchro Iannis & Mambris:* Construxerunt illud opus ex lapidibus quadratis. Ἐκ τετραπέδων λίθων ἔκτισαν τὸ ἔργον ἐκεῖνο. *Heruetus verterat:* ex lapidibus quatuor pedum longitudine: *quasi esset τετραπόδων, aut quasi essent quadrupedes lapides. Heraclides*, quadratis lapidibus supradictum opus cōstruxerunt. *& alter vetus interpres*, De quadris ergo lapidibus construxerunt opus. *Sic Isaiæ cap.* IX. *v.* 10. quadris lapidibus ædificabimus. *& Threnor c.* III. *v.* 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris. II. *Paralip. c.* XXXIV. *v.* 11. Ἔδωκαν ἀγοράσαι λίθους τετραπέδους. Dederunt ad emendum lapides quadratos. *Non vt Kircherus explicat in Indice Græco*, lapides quatuor pedum: *possunt enim lapides quadrati & quatuor & quatuordecim & quadraginta pedum esse. Hebraicè est* אבני סחצב lapides excisionis *vel* excisos. *Frontq.*

LAPSANVM. *Vita Pachomij cap.* VIII. Lapsanas
enim, id est, agrestia olera, & herbas alias præter
oleum consueuerant edere. *Sæpè in his libris* olera
agrestia, *quæ* λαψάναι *in Græco textu, occurrunt. Pli-*
nius lib. XX. *cap.* XI. Inter siluestres brassicas & la-
psana est pedalis altitudinis, hirsutis folijs, napi si-
millimis, nisi candidior esset flore. *Meminit eius-*
dem Plinius lib. XIX. *cap.* VIII. *vbi milites exprobrant*
Imperatori, se lapsanâ vixisse apud Dyrrhachium.

LEBITON, LEBETON, LEBITONARIVM,
LEVITIO. *Quod in Vitâ Onuphrij est cap.* XVI.
Deinde tunicam meam per dimidium scidi. *Græcè*
est λεβιτωνάριον, *quod Metaphrastæ interpres in Onu-*
phrio retinuit lebitonariũ, *vt & sæpè alij interpretes.*
Vita Pachomij c. XIV. vt numquã lebitone alio vte-
rentur. *vbi explicatio additur:* Lebiton autem linea
vestis erat instar colobij, quâ monachi vtuntur ho-
dieque per Thebaidam & Ægyptum. *&* c. XXII. In-
duãtur noctibus lebitones lineos. *vbi in Græco apud*
Palladium c. XXXVIII. *est*, ἐν τῇ νυξὶ λεβιτῶνας λινοῦς ἐζωσ-
μένοι. *Ioannes libello* III. *n.* 10. Frater autẽ ille post hæc
proiecit leuitionem. *Paschasius cap.* XII. *n.* 8. Vestitus
ergo lebetone suo. *quæ propria monachorum vestis.*
Glossæ veteres: Leuitonarium, colobarium lineũ sine
manicis. *Suidas:* Λεβητωνάριον, χιτὼν μοναχικὸς ἐκ τριχῶν
συντεθειμένος. Vestis monachica ex pilis composita.

LENTICVLA. *Vide*, ZIPPVLÆ.

LETHE. *Vita Ioannis Eleëmosynarij cap.* XXV.
Et descendens in Persidam, retrusus est in carce-
rem, qui appellatur Lethe, hoc est obliuio. *Fuit vi-*
delicet postremis temporibus apud Persas carcer, cui
Lethe nomen impositum, in quem nullus nisi capitali
supplicio destinatus conijciebatur. Procopius libro I.
De bello Persico ita scribit: Οἱ δὲ κτεῖναι ἄνδρα βασιλείου
αἵματος οὐδ᾽ ὅλως ἔγνωσαν, ἀλλ᾽ ἐν φρουρίῳ καθεῖρξαι,
ὅπερ τῆς Λήθης καλεῖν νενομίκασιν. Ἤν γάρ τις ἐνταῦθα ἐμ-
βληθεὶς τύχῃ, οὐκ ἔτι νόμος σφίσι μνήμην αὐτοῦ εἶναι. ἀλλὰ
θάνατος τῷ ὀνομάσαντι, ἡ ζημία ἐστί. διὸ δὴ καὶ τῆς ἐπωνυ-
μίαν ταύτην πρὸς Περσῶν ἔλαχεν. Ἅπαξ δὲ τῶν Ἀρμενίων
ἱστορία φησὶ νόμον τὸν ἀμφὶ τῷ Λήθης φρουρίῳ παραλῦσαι τὴν
δύναμιν Πέρσαις, τρόπῳ τοιῷδε: Hi autẽ sanguine regio
virum non necandum omnino iudicabant, sed car-
ceri mancipandum, quem Lethen vocari volue-
runt. Quidam enim casu fortuito in hunc iniectus
fuit, nec eius apud illos memoriam superesse lex [illegible]
uit; sed prædicto calamitas ipsa fuit mors, vnde &
denominationem hanc apud Persas accepit. Semel
autem Armeniorum historia dicit, per legem car-
ceris Lethes dissolutam esse Persarum potestatem
hoc modo. *Paulus Diaconus Histor. lib.* XVII. In Per-
side autem est carcer qui dicitur Lethe, & Rex Per-
sarum multos à diuersis gentibus in hoc conclusit,
vnà cum captiuis ciuitatis Daræ.

LIGATVRA AVRI. *Vita Ioannis Eleëmosy-*
narij cap. VII. Dat mihi ligaturam auri centum nu-
mismatum. *Vix dubito in Græco fuisse* ἀπόδεσμος.
certè ita in Metaphraste est. Curopalates De offic.
aulæ CP. quales hæ ligaturæ fuerint, explicat, vbi
agit de missilibus seu epicombijs in populum mitti so-
litis: Ἔστι δὲ τοιοῦτον. Τμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες, καὶ ἐν
ἑκάστῳ τμήματι νομίσματα χρυσᾶ μὲν βία, ἀργυρᾶ δὲ τοσαῦ-
τα, καὶ τρία ἐξ ὀβόλων περιδήσαντες ῥίπτουσιν εἰς τὸ πλῆθος.
ῥίπτουσι δὲ τοιούτους ἀποδέσμους ἀριθμὸν χιλιάδων ὅσον ἂν προσ-
τάξοι ὁ βασιλεύς: Id huiusmodi est: Segmenta ex
panno fiunt, & in segmento vnoquoque numi-
smata aurea quidem tria, argentea verò totidem, &
tria obolaria colligantes proijciunt in multitudi-
nem. Proijciuntque fasciculos seu ligaturas hu-
iusmodi pro eo numero chiliadum, quem Impera-
tor præceperit.

LIMITEM MITTERE. *Vita Hilarionis cap.* XX.
Non priùs abire passi sunt, quàm futuræ ecclesiæ
limitem mitteret. *Ita vetustissimi manuscripti, atque*
ea vera videtur lectio. Alia habet lineam mittere.
Desumpta vtraque phrasis à finium regendorum scri-
ptoribus. Hygenus De limitibus constituendis: Et qui-
dam ne proximarum coloniarum limitibus ordi-
natos limites mitterent. *Ouid. l.* III. *Amorũ eleg.* VII.

Nec valido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite fossor humum.

Lex Tiberij Cæsaris: Iuxta perennem rationem
vnam lineam mittunt.

LOGOTHETA. *Vita Ioannis Eleëmosynarij c.* X.
Apprehendit consilium logothetæ & œconomi.
Ecclesiasticum hîc est officium quod describit Codi-
nus De offic. aulæ Constantinop. & magnæ ecclesiæ:
Ὁ λογοθέτης, εἰς τὸ λογογραφεῖν, καὶ εἰς τὰς δημοσιακὰς καὶ
ἀρχοντικὰς ὑποθέσεις λογογραφεῖν: Logotheta, scriben-
dis rationibus, & quidem rationibus ad populum
principemque sacerdotum pertinentibus præscri-
bendis. *Simul* œconomi *ecclesiastici officium obijsse,*
discimus ex Vitâ Ioannis Eleëmosynarij.

LOTIO MANVVM. *Antonio in manus aqua fuit*
affusa. In Præfatione Vitæ eius: Qui ad præbendam
ei aquam, non paululum temporis cum eo fecit.
Sic Eliseo quoque super manus eius aqua effusa,
IV. *Reg. cap.* III. *v.* XI. *In Martyrologio Romano*
XXIV. *Iunij de Gallicano inter cetera hospitalitatis of-*
ficia: videbant aquam manibus affundentem. *Va-*
ria varias ob caussas fuit apud veteres manuum lotio.
Lauabant ante mensam, lauabant post mensam, laua-
bant oraturi, lauabant sacrificaturi. Credo Antonium
lauisse ante orationem. Id enim Christiani solemne
erat. Tertullianus Apologetici c. XXXIX. Post aquam
manualem & lumina, vt quisque de scripturis san-
ctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in
medium Deo canere. *Vide Iulium Nigronium no-*
strum ad Regulas nostras, hac de re fusè disserentem.

LYCAONIA INSVLA. *Vita Eugeniæ c.* XXVIII.
Hæc in insulâ Lycaoniâ gesta sunt coram omni-
bus, qui sequebantur agonem Eugeniæ. *Insulæ*
huius mentio etiam occurrit in Actis SS. martyrum
Eusebij & sociorum, quorum natalis celebratur II. *De-*
cembr. Habes ea apud Baronium tomo II. *Annalium*
anno Christi CCLIX. *ex MS. eruta.* Et relicta sunt
corpora eodem loco, iuxta insulam Lycaoniam. *vbi*
margini ascribit Baronius: Lycaonia dicta insula inter
duos pontes sita: sic appellata, quòd ibi Iouis quoque
Lycaonis templum esset.

MAGISTRIANVS. *Palladius cap.* CXLIX. Quidam
adolescens Magistrianus specie formosus, mente
pius. *Vtitur etiam eo vocabulo in Martyrologio suo*
Ado II. *Iulij:* Natalis sanctorum Processi & Mar-
tiniani, qui cùm essent Magistriani Melloprinci-
pes. *vbi ita olim annotaui. Sunt autem Magistriani*
seu Magisteriani ex officio militiæ Palatinæ, qui &
Agentes in rebus. *Glossæ Latino-Græcæ:* Agens in
rebus, Μαγιστριανός. *quos eosdem cum Castrensijs seu*
Castrensianis faciunt Glossæ Basilicorum, in quibus
Μαγιστριανός, ὁ Καστρίσιος. *Codex Iustin. L.* XII. *di-*
uerso titulo Agentes in rebus à Castrensianis distin-
guit. Castrensiani tamen etiam Magistro officiorum
suberant (vti Magistriani) vt habet titulus XXVI.
Alij sunt Magisteriani *apud Suidam, qui & κανστρί-*
σιοι dicti à κανστρίῳ, canistro, *qui magistratus est Eccle-*
siasticus. Vide Meursium in Glossario Græco-barbaro.

In

In Glossis Basilicorum μαγιστριανὸς *dicitur quoque* μανδάτωρ. *Magistriani occurrunt in Actis sancti Abercij Episcopi Hierapolitani* XXII. *Octobris apud Metaphrastem, vbi Antoninus Imp.* Valerium & Bassianum Magisterianos diuinorum nostrorum officiorum misimus. *Et apud Euagrium l.* III. *capite* XVI. Οὐ μὴν ἀλλὰ τοὺς Μαγιστριανοὺς ἀποστέλλουσαν. *Malchus in Byzanticis:* Ἀδαμάντιος δὲ ταῦτα πυθόμενος, προπέμπει τῶν ἱππέων τῶν βασιλικῶν τινα, οὓς Μαγιστριανοὺς καλοῦσι.

MAGNIFICVS. *Vita Simeonis Stylitæ cap.* II. Ibat in monasterium sancti Timothei magnifici viri. *Intelligitur hîc per* magnificum *qui magna signa facit,* θαυματουργὸς, μεγαλοποιός.

MALCHVS. *Vita Malchi c.* I. Senex nomine Malchus, quem nos Latinè Regem possumus dicere. *Eunapius in Porphyrio:* Μάλχος δὲ κατὰ τὴν Σύρων πόλιν (*an* φωνὴν) ὁ Πορφύριος ἐκαλεῖτο τὰ πρῶτα, τοῦτο δὲ δύναται βασιλέα λέγειν: Porphyrius iuxta Syrorum vocem priùs Malchus dictus est, quod Regem possumus dicere. *Hinc* Naarmalcha, *id est* regius fluuius. *in Ammiano lib.* XXIV. Alia pars fluminis Naarmalcha nomine, quod Fluuius regum interpretatur, Ctesiphonta prætermeat. *Eodem libro:* Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod Amnis regum interpretatur. *Simili compositione apud eumdem eodem libro* Braxamalcha *habes:* Ventú est ad locum Braxamalcha. *Item* Maiozamalcha, *eodem libro:* Cumque Maiozamalcham venisset, vrbem magnam & validis circumdatam mœnibus.

MANCIPIVM. *Vita Ioannis Eleëmosynarij capite* XXI. Et animal portans siligines à mancipio, caussâ prandij ipsius. *Est hîc* Mancipîum, *ipsum* pistrinum. *Socrates lib.* V. *Histor. Eccles. cap.* XVIII. *de panum præfectis*, qui, *inquit*, μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται. mancipes Romanorum sermone dicuntur. *Paulus Diaconus Historiarũ lib.* XIII. *imperante Theodosio:* Erat ab initio in vrbe Româ domus ingenti magnitudine fabricata, in quâ panis fiebat. Horum mancipes tempore procedẽte, pistrina publica latrocinia esse fecerunt, *&c.* Hoc agnoscens Imperator, & mancipes supplicijs occidit, & ipsum pistrinũ destruere funditus præcepit. *Eo sensu* Mancipes *accipiuntur in L.* I. *C. De frument. vrb. Constantinop. lib.* XII. *vt & L.* II. *& L. vlt. eodem Tit. in Cod. Theod. & in L. vnic. C. De pistorib. lib.* XI. *In quâ tamen* mancipijs *vulgò, vitiosè,* pro mancipibus *legi vult Brissonius in Lexico Iuris. Suidas:* Ἀρτοπωλεῖον, τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται. Pistrinum seu mancipîum, in quo panes confiunt.

MANSIO. *Vita Antonij cap.* LIV. Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chęreum. *Est Græcè* μονὴ, mansio, *certus & status in itinere interquiescendi locus, quæ dicta etiam* ἀλλαγαὶ *&* συστήματα, *ad eum modum quo hodie Cursorum stabula digeruntur.*

De Mansione *ita Fronto noster in editione Parisiensi Palladij.* Μονὴ, habitationem & domicilium *sonat* monachorum: *ideò scripserat Heruetus apud Palladium cap.* XXVIII. pertransit octo monasteria: *Sed vt intelligatur, quantum iter emensus fuerit Paulus, verisimilius est, Palladium designasse* mansiones, *quæ & ipsæ* μοναὶ *dicebantur. vnde Heraclides:* Ascendit octo proximas mansiones. *In Vitâ Antonij:* Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum.

Sed distinguuntur à mutationibus mansiones, *vt rectè admonet doctissimus Pythæus in Præfatione in Itinerarium Ierosolymit. Sunt enim mutationes veredorũ vel animalium ad iter, quæ vehiculis & animalibus instructæ reperiuntur, sed non ceteris rebus ad vsum vitæ humanæ peregrinantibus necessarijs, vt mansiones, ideoque distinguuntur in libris Codicis Theodosiani* V. XI. *tit.* I. *c.* IX. *Itaque, vt videre est in Itinerario Antonini & Itinerario Burdigalensi ab eodem Pythæo edito,* mansiones *à* mutationibus *distinctæ sunt: nam à Burdigalâ Arelate vsque mutationes sunt* XXX. *mansiones* XI. *& à Sardicâ Constantinopolim mutationes* XIX. *mansiones* XV.

Sunt & qui pro itinere vnius diei siue diætâ vnâ mansionem ponant: vt cùm ait Plinius lib. XII. *c.* XIV. *mansionibus octo distare thuriferam regionem à monte excelso, in quo pagus est Sabæorum Atramita.*

Arbitraria mansio, de quâ in Vitâ Hilarionis capite XXI. Vix ab inuito impetrauit, vt suum quoque monasterium in mansionum ordine poneret. *apud quosdam enim manebat Hilarion, quosdam tantùm in transitu visitabat. Ibidem antè:* Et digereret in schedulâ apud quos manere, quos in transitu visitare deberet.

MANVVM IMPOSITIO. *Vita Abrahæ cap.* V. Per impositionem manus presbyter ordinatus: *Iam ab Apostolorum temporibus episcoporum & presbyterorum ordinatio manuum impositione seu* χειροθεσίᾳ *facta. D. Paulus* I. *Timoth.* IV. *&* V. *Gregorius Nazianzenus Orat.* XX. *in laudem Basilij, de patre suo redeunte ab electione episcopi Cæsariensis:* Ἐπάνεισιν εὐσθενὴς, ἄνω βλέπων, ῥωσθεὶς ἐκ τῆς χειρὸς, καὶ τῆς χρίσεως. Redit firmus ac valens, sublimes oculos gerens, à manuum impositione & vnctione. *Optatus Mileuitanus lib.* I. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: quòd confessus sit se rebaptizasse, & episcopis lapsis manus imposuisse, quod ab Ecclesiâ alienum est. *quod intelligendum, non quòd episcopos manuum impositione reconciliauerit Ecclesiæ (quæ & ipsa sollemnis carimonia erat) sed episcopos semel per manuum impositionem ritè creatos, rursus simili carimoniâ eos creauerit.*

MAPHORIVM, *siue* MAFORTE *siue* MAVORTE. *Palladius c.* CXXXVIII. Ea vestem nouam, aut μαφόριον, aut calceum noluit accipere. *quod Haraclidis interpres c.* XLVIII. *vertit:* Non tunicâ, nõ mauorte, non calceamentis vmquam nouis vti voluit. *Item Heraclides cap.* XLIX. quidquid vestium sericarum in mauortibus habuit. *vbi Heruetus in Palladio cap.* CXIX. omnia serica sua superhumeralia tegumenta. *Qui videtur in Græco suo textu inuenisse* ὠμοφόρια; *in Græco textu Veneto est,* ἡμιφόρια. *Vide suprà in* HEMIPHORIVM. Ἡμιφόριον *interpretatus sum* mauortem, *quòd ita Heraclidis interpretem vertisse adspiciam. vnde quoque colligimus,* mauortem *fuisse breue & quasi dimidium palliolum, vnde* ἡμιφόριον *dicitur.*

De eo ita Baronius tomo VIII. *anno Christi* DXCIII. *Eâ voce diuersi generis indumentum pro diuersarum personarum conditione reperimus significari. Atque in primis Cassianus lib.* I. *Instit. cap.* VII. *de habitu monachi declarat, fuisse super humeros apponi solitum habitum monachi, vbi ait:* Post hæc angusto pallio tam amictus humilitatem, quàm vilitatem pretij compendiumque sectantes, colla pariter & humeros tegunt: quod mafortes (siue mauortes) tam nostro quàm ipsorum nuncupatur eloquio.

Ceterùm etsi eiusdem nominis, haud idem erat hoc indumentum, de quo in hac Synodali epistolâ Synodi Pictauiensis apud Gregorium Turonensem libro X. *capite* XVI. De pallâ quod reputarent, protulit monacham

nacham nobilem, quæ ei mafortem holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causâ concesserit, & inde partem abscidisset, vnde quod vellet & faceret: de reliquo verò quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condignè condiderit: & de illâ scissurâ, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunicâ posuerit. *Etenim minime erat vile, quod holosericum esset; neque breue, ex quo & facta est altaris palla, & insuper ornata sponsa. Vnde magis illius generis putamus fuisse mafortem, de quo S. Hieronymus ad Eustochium scribit epist.* XXII. *cùm hæc ait de luxu nimio stultarum virginum:* Et per humeros hyacinthina læna mauorte volitans. *quibus intelligas, non breue fuisse palliolum & angustum, sed laxam vestem, quæ præ latitudine expanderetur ad ventum, vti etiam in statuis sculptum videmus. Commune tamen fuit vtrique sexui, quod ad tegendum collum & humeros veluti pallium compositum erat, ob idque communi æquè nomine mafortes diceretur. Hactenus Baronius.*

Mafortis meminit etiam Cassianus lib. IV. *Instit. cap.* XIII. Præter colobium, mafortem, caligas, melotem, ac psiathium. *Isidorus lib.* XIX. *Origin. capite* XXV. Stola matronale operimentum, quod cooperto capite & scapulâ à dextro latere in læuum humerum mittitur. Eadem & ricinium Latino nomine appellatur: quod vulgò mauortem dicunt. *Quod expressum ex Seruio in* I. *Æn.* Ricinius dicitur ab eo quòd post tergum reijcitur, quod vulgò mauorte dicitur. *Nonius:* Ricinium, quod nunc mafortium dicitur. *Suidas:* Κρήδεμνον, κεφαλοδέσμιον, ἢ μαφόριον: Credemnon, capitis vinculum, siue maphorium. *Phauorinus:* Μαφόριον, κεφαλῆς σκέπασμα: Maphorium, capitis integumentum. *Glossæ Arabico-latinæ:* Maforium, fascialis, id est, angustum pallium quo vtuntur monachi, collum pariter atque humeros tegens. *Vbi Meursius in Glossario Græcobarbaro legit* facialis, *hoc est, inquit,* φακιόλιον. *nec plura explicat. An Glossator ille* maforium *vocat* fascialem, *quòd respiciat ad* resticulas, *seu* redimicula & rebrachiatoria, *de quibus Cassianus libro* I. *Institut. capite* VI. *quibus sequenti capite mafortes subiungit? Georgius Alexandrinus in Vitâ Chrysostomi cap.* LV. Εἰσὶ δὲ ὧν τὰ μαφόρια ἡρπάγη: Sunt & inter eas, è quarum capitibus rapto detracta sunt flammea. *Passio B. Pauli nomine Lini edita:* Plautilla commoda mihi pannum, quo caput tegis. *mox:* & ligans sibi de Plautillæ maphorte oculos. *Apud Bedam in Martyrologio* XX. *Septemb.* Qui etiam iussit Faustam nudam, & sine maforte flagellatam, incarceratam caput terebrari. *Isidorus suprà* mauortis *etymon inuestigare conatur:* Vocatum autem dicunt mauortem quasi martem. Signum enim maritalis dignitatis & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est; inde & super caput mulieris est. *Quæ ferè Papias in Vocabulario suo exscribit.*

MARTYRIVM. *Templum Martyrum. Palladius cap.* LXVII. Quem etiam nos in Martyrio precati, vidimus cum ijs, qui cum ipso fuerunt martyrio affecti. *Idem cap.* CIII. Ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificauerat, in quo sitæ sunt reliquiæ Ioannis Baptistæ. *Idem cap.* CXIII. Pedestri itinere venit Romam vsque, ad orandum in martyrio SS. Petri & Pauli. *Idem cap.* CXXXIX. Veni ergo, & prande nobiscum in martyrio. *Vbique in Græco* μαρτύριον, *id est, templum martyrum, seu oratorium dedicatum in honorem martyrum. Sic in Concilio Chalcedonensi crebra est mentio* Martyrij S. Euphemiæ, *id est templi in eius honorem memoriamque consecrati. Habemus in L. vlt. De sepulchris violatis Cod. Theod.* Martyrium *appellandũ esse locum illum, in quo martyr sepultus est. VValafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis capite* VI. Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum martyrum fiebant. *Hieronymus in Chronico:* Constantinopoli Apostolorum martyrium dedicatur.

Martyrium *quoque signatè dictum, Templum Resurrectionis Ierosolymis. Vide* RESVRRECTIO.

MATTA. *Heraclides cap.* VI. Iamque etiam mattam, super quam stare consueueram, incenderet. *Est autem* matta *teges ex iuncis contexta. Gregorius Turonensis lib. De vitâ Patrum cap.* XI. Nullum habens stratum fœni paleæque molimen, nisi tantùm illud quod intextis iunci virgulis fieri solet, quas vulgò mattas vocant. *Isidori Glossæ:* Psiathium, matta. *Glossarium vetus:* ψίαθος, teges, matta. *Vetus Iuuenalis interpres in Satyr.* VI. teges, vt matta, supellex cubilis obscœni. *Regula S. Benedicti cap.* LV. Stramenta autem lectorum sufficiant matta & sagum. *Vide infrà* PLVMACIVM.

Petrus Venerabilis lib. III. *epist.* XX. Sed etsi palustria propè sunt loca, mattas antiquum opus monachorum compone, super quas aut semper aut sæpè dormias. *Idem lib.* IV. *epist.* L. Ipse ei in mattâ monachicâ, quæ sedi illi contigua erat, assedit.

MEDIMNVS. *Theodoretus lib.* IX. *De vitis Patrum cap.* II. Duos autem medimnos colligens. *Dicebatur &* medimnus & medimnum. *Estque vox tam Latinis auctoribus quàm Græcis vsurpata. Hesychius:* Μεδιμναῖον, μέτρον μοδίου: Medimnæum, mensura modij. Μέδιμνον, μέτρον ὅμοιον, ἢ χοινίκων τεσσαράκοντα ὀκτώ: Medimnum, mensura similis, siue chœnicum quadraginta octo. *Idem apud Pollucem lib.* IV. *c.* XXIII. *& Suidam, qui etiam addit:* Μέδιμνος, μέτρον δὲ ξηρὸν, οἷον πυρῶν, ἢ κριθῶν. μέδιμνον ἐν μοδίων ς'. ὡς εἶναι μέτρον ξεστῶν οϛ, ἤτοι λιτρῶν ρη. Medimnus mensura est aridorum, vt frumenti, hordei. Medimnus igitur est modiorum sex, sextariorum duorum & septuaginta, siue librarum centum & octo. *Cornelius Nepos in Vitâ Pomponij Attici:* Auxit hoc officium aliâ quoque liberalitate: nam vniuersos frumento donauit, ita vt singulis sex modij tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur. *Fannius:*

Huius dimidium fert vrna, vt & ipsa medimni
Amphora, terque capit modium; sextarius istum
Sexdecies haurit, quot soluitur in digitos pes.

Cicero lib. III. *in Verrem:* Sed tritici septem millia medimnum ex Nymphonis orationibus edicta pœna. *Ibid.* In iugere Leontini agri medimnum ferè tritici seritur. *Ausonius in Grypho Ternarij:*

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna,
Hoc tribus hoc geminis tribus explicat vsus agendi.

MEMBRANÆ PVLCHRÆ. *Pratum spirituale capite* CXXXIV. Testamentum nouum ostendit mihi, in membranis valdè pulchris. *Græcè est:* Καὶ ἔδειξέ μοι ἐν σώματι πολὺ καλῷ. *Nempe Græcis membranæ dicuntur* σώματα. *vnde* σωμάτια *membranulæ quibus vtimur ad scriptionem. Et* σῶμα *integer liber. Cicero ad Atticum:* Hoc totum σῶμα curabo vti habeas. *Glossæ:* Σωμάτιον, membrana. *Longinus* Περὶ ὕψους *de Iliade:* Ἰλιάς σωμάτιον. *Hesychius:* Ἰλιὰς, τὸ Ὁμήρου σωμάτιον. Ilias Homeri membrana.

MEN-

Mendacivm officiosvm. *Varia olim hac de re fuit opinio, plurimis etiam viris doctis existimantibus mendacium officiosum esse licitum. Ita censuit Origenes in Commentario Epistolæ ad Galatas, & in sexto Stromateon libro, cuius libri meminit Hieronymus epistolâ* LXV. *ad Pammachium & Oceanum, & Apologiâ aduersus Ruffinum cap.* IV. *vbi verba Origenis ex sexto Stromateon, & Platonis ex libro tertio de Repub. citat, quomodo mendacium interdum sit vtile (qui Hieronymi locus non occurrit nostro Ioanni de Salas tractatu De legibus disput.* XXIII. *sect.* IX. *cùm negat Origenem scripsisse libros Stromatum:) Insinuare etiam hanc sententiam videri possit Hieronymus in cap.* II. *ad Galatas, & ep.* LXXXIX. *agens de concertatione Petri & Pauli, quam ex simulatione factam vult. quam simulationem de mendacio officioso intelligere Hieronymum existimauit Augustinus epist.* LXXXVI. *&* XCVII. *apud Hieronymum. Sed Baronius tomo* I. *anno Christi* LI. *existimat Augustinum non ritè percepisse mentem sancti Hieronymi. Chrysostomus Homiliâ* XXXII. *&* LIII. *in Genes. Maximus Tyrius Serm.* III. *Cassian. Collat.* XVII. *cap.* X. XV. *& seqq. & lib.* V. *Instit. capite* XXXVII. *&* XXXIX. *Ex recentioribus in eâ fuit sententiâ Martinus de Magistris Doctor Sorbonicus tractatu De fortitudine quæst.* V. *De martyrio, quem refutat Caietanus in* 2.2. *q.* CXXIV. *artic.* V. *ad* III. *Dubium. Marulus quoque lib.* IV. *cap.* IV. *mendacium officiosum admittit, imò penè omnibus videri ait Augustinus lib.* III. *qq. in Leuit. cap.* LXVIII.

Omne autem mendacium, etiam officiosum, illicitum esse, docet D.Thomas 2.2. *q.* 10. *art.* 3. *& Augustinus lib. De mendacio, & lib. Contra mendacium, & epist.* LXXXVI. *&* XCVII. *apud Hieronymum iam citatis. & in Decreti* II. *parte, causâ* XXII. *q.* II. *capite* XIV. Ne quis arbitretur, *allegatur ex Augustino in Psal.* V. *quòd pro temporali vitâ alicuius nullus mentiri debeat. Quò respicit Alexander III. in libro* V. *Decretalium Gregorij Noni, tit.* XIX. *De vsuris cap.* IV. *Super eo. vbi cùm dicit per Scripturam sacram prohiberi, pro alterius vitâ mentiri; videtur intelligere scriptum istud Augustini. Eodem tamen loco Decreti cap.* XXI. *ex Hieronymo ad Galatas c.* II. *vtilis dicitur simulatio, & in tēpore admittenda.*

Aduerte, mirè ab auctoribus confundi & citari Origenem pro hac sententiâ. Quia enim Hieronymus epist. LXV. *ad Pammachium & Oceanum citat* VI. *Stromateon librum Origenis, vbi agit de mendacio, & idem repetit Apologiâ contra Ruffinum cap.* IV. *epist. verò* LXXXIX. *ad Augustinum, citat* X. *Stromateon librum, qua epistolam Pauli ad Galatas explanat. Puto hæc ita conciliari posse, vt dicamus decimo libro Stromateon haberi verba illa Origenis, quæ Hieronymus citat ex lib.* VI. *Stromateon. Sed existimo Hieronymum vocare* VI. *Stromateon, quia* X. *illum Stromateon librum, qui versatur in explanatione Epistolæ ad Galatas, adiungit* V. *voluminibus, quæ propria scripsit Origenes in Epistolam ad Galatas. atque ita* X. *ille adiunctus* V. *illis est* VI. *explanationum in Epistolam ad Galatas. verba eius epistolâ* LXXXIX *sunt:* Scripsit Origenes in Epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina, & decimum Stromateum suorum librum, commatico super explanatione eius sermone compleuit.

Menomenæ. *Libro* I. *in Vitâ S. Ioannis Eleëmosynarij c.* XIX. Mille restes siccatorum piscium qui menomenæ dicuntur. *Cassianus lib.* IV. *Instit. c.* XXII. pisciculi minuti saliti, quos illi mænominia vocant, summa voluptas est. *Ita plerique veteres libri, licet Ciaccon ibi legat μαινίδια ex Aristotele, qui Plinio* mænulæ, *Gaza* haleculæ. *Existimo* mænas, mænomenas, *& μαινομένια eiusdem generis pisciculos esse. Martialis libro* XII. *epigr.* XXXII,

Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus vrcei fatebatur.

Idem lib. XI. *epigr.* XXXII.

Et caudam cybij, breuésque mænas.

Cicero libro II. *De finibus:* Iis licet dicere, se acipenserem mænæ non anteponere. *Plinius libero* IX. *capite* XXVI. Mutant colorem candidæ hieme mænæ, & fiunt æstate nigriores. *Meminit earum etiam libro* XXXII. *capite* VIII. IX. X. XI. *Persius Satyrâ* III.

Mænaque quòd primâ nondum defecerit orcâ.

Arnobius lib. III. Neptunus pistricum dominus atque mænarum. *Oppiano lib.* I. *dicitur μαινίς.*

Dicitur autem ἀπὸ τῆς μανίας, quòd Dianæ (quæ & Hecate, quæ μανίας caussa) olim sacer esset. Vide Athenæum lib. VII. *& Eustathium Iliad.* ά. *De menis etiam Dioscorides lib.* II. *cap.* XXXI. *& Alexander Trallianus libro* VIII.

Mensivm tabvla: *Quia hic aliquoties mentio fit mensium Ægyptiorum qui variant à Romanis mensibus, dabo hic ex Bedâ eorum inter se comparationem. Beda igitur tomo* II. *libro De temporum ratione cap.* IX. Ægyptij, qui primi propter ocyorem Lunæ discursum, ne videlicet error calculandi eius velocitate gigneretur, ad Solis cursum, cuius motus tardior faciliùs poterat comprehendi, suos menses putare cœperunt, sumpto ab Autumni tempore primordio, tricenis hos produntur includere diebus. Quorum primus mensis

1. Thoth	IV.	Kal.Septembrium	29
2. Phaofi	IV.	Kal. Octobr.	28
3. Athir	V.	Kal.Nouembr.	28
4. Choeac	V.	Kal.Decembr.	27
5. Tybi	VI.	Kal.Ianuar.	27
6. Mechir	VII.	Kal.Februar.	26
7. Phamenoth	V.	Kal.Martiarum	25
8. Pharmvthi	VI.	Kal.Aprilium	27
9. Pachon	VI.	Kal.Maiarum	26
10. Pavni	VII.	Kal.Iuniarum	26
11. Epiphi	VII.	Kal.Iuliarum	25
12. Mesori	VIII.	Kal.Augustarum	25

die sumit exordium. quem X. Kalendarum Septembrium die terminantes, residuos quinque dies ἐπαγομένας vel intercalares siue additos vocant. quibus etiam quarto anno diem sextum; qui ex quadrantibus confici solet, adnectunt. vnde fit, vt eorum anni primi ab bissexto III. Kalendar. Septembr. ceteri verò IV. Kal. earumdem die sortiantur initium: ipsi autem bissextiles anni, IV. ceteri V. Kalend. memoratarum die terminentur. *Hactenus Beda. Vbi notat Ioannes Noniomagus Scholiastes, singulos mensium Ægyptiorum constare* XXX. *diebus, postremum verò* XXXV. *& quarto quoque anno* XXXVI. *Subiungo Tabulam iuxta Bedæ mentionem digestam.*

Mensium tabula, in quâ primo statim intuitu Aegyptiorum fixorum mensium cum Romanis connexio apparet.

MENSES ROMANI.		MENSES ÆGYPTII.		
Ianuarius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25			26 27 28 29 30 31
	6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Mechir, 6. *mensis Ægypt.*	26. Ianuar.	1 2 3 4 5 6
Februarius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24			25 26 27 28
	7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Phamenoth, 7. *mensis Ægypt.*	25. Febr.	1 2 3 4
Martius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26			27 28 29 30 31
	5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Pharmuthi, 8. *mensis Ægypt.*	27. Mart.	1 2 3 4 5
Aprilis	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25			26 27 28 29 30
	6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Pachon, 9. *mensis Ægypt.*	26. April.	1 2 3 4 5
Maius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25			26 27 28 29 30 31
	6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Pauni, 10. *mensis Ægypt.*	26. Maij	1 2 3 4 5 6
Iunius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24			25 26 27 28 29 30
	7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Epiphi, 11. *mensis Ægypt.*	25. Iunij	1 2 3 4 5 6
Iulius	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24			25 26 27 28 29 30 31
	7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Mesori, 12. *mensis Ægypt.*	25. Iulij	1 2 3 4 5 6 7
Augustus	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28			29 30 31
	8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35	Thoth, 1. *mensis Ægypt.*	29. August.	1 2 3
September	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27			28 29 30
	4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Phaofi, 2. *mensis Ægypt.*	28. Septemb.	1 2 3
October	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27			28 29 30 31
	4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Athir, 3 *mensis Ægypt.*	28 Octob.	1 2 3 4
Nouember	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26			27 28 29 30
	5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Choeac, 4. *mensis Ægypt.*	27. Nouemb.	1 2 3 4
December	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26			27 28 29 30 31
	5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30	Tybi, 5. *mensis Ægypt.*	27. Decemb.	1 2 3 4 5

Compa-

Comparemus iam loca vtrorumque mensium, quæ in Vitis Patrum occurrunt, & videamus an rectè Bedæ inter vtrosque menses sit comparatio.

Vita Pachomij c. III. Reddidit animam quarto decimo die mensis Pachon secundùm Ægyptios, qui est iuxta Romanos ad septimum diem Iduum Maiarum. *Incipit* Pachon VI. *Kalend. Maij, id est,* XXVI. *Aprilis. vnde numera*[illegible] *ad* IX. *Maij, erunt* XIV. *dies iustè.*

Vita Pachomij cap. XXIX. vndecimo mensis Tybi, id est, octauo Id. Ianuariarum, quædam apud Ægyptum celebratur ex more festiuitas.

Vita Mariæ Ægyptiacæ c. XXV. Transeunte mense Parmothi secundùm Ægyptios, qui est secundùm Romanos Aprilis die nonâ, id est, V. Id. Aprilis. *Erit hic dies* XIV. *Parmothi seu Pharmuthi mensis Ægyptij iuxta superiorem tabulam.*

Vita Onuphrij, auctore Paphnutio in Vitis Patrum, cap. XVI. Sanctus igitur Onuphrius obijt mense Iunio, die vndecimo, id est, tertio Idus eiusdem mensis. *quæ non quadrant cum numero apud Metaphrastem:* Erat autem dies sextus quidem decimus mensis Pauen (*seu* Pauni) nonus autem Iunij mensis apud Romanos. *Quòd si rectè Beda menses Ægyptios cum Romanos comparat, dies* XVI. *mensis Pauen erit* X. *Iunij.*

METANOEAM MITTERE. *Quod Græcis est* βάλλειν *seu* ποιεῖν μετάνοιαν, *ferè vertunt* metanœam *seu* pœnitentiam mittere *vel* facere. *Vita Basilij c.* XI. Et faciens metanœam, respondens ei, dixit. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* XIV. Mittentibus igitur ambobus metanœam. *Quod rectiùs exprimitur ibidem cap.* XXXV. Et mittens genuflexiones. *Vide dicta ad vtrumque locum. Sic cape illud apud Ioannem hic libello* III. *n.* 2. Qui pœnitentiam agentes dixerunt. *id est, genuflectentes & caput inclinantes Macario. Septima Synodus generalis, quæ est Nicæna* II. *Act.* IV. *ex scripto Maximi confessoris:* Καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνέστησαν πάντες μετὰ χαρᾶς καὶ δακρύων, καὶ ἔβαλον μετάνοιαν, καὶ εὐχὴ γέγονε. *vulgata versio:* Post hæc surgentes omnes, cum gaudio & lacrymis surrexerunt, pœnitentiamque egerunt, factaque precatione. *Anastasius Bibliothecarius:* Et in his surrexerunt omnes cum gaudio & lacrymis, & miserunt metanœam, & oratio facta est. *vbi Scholion in codice manuscr. Ioannis Tilij Meldensis episcopi tale appingitur: Metanœa pœnitentia interpretatur. Hoc tamen in loco pro genuflexione ponitur. vnde cùm dicit,* miserunt pœnitentiam, *nihil aliud intelligitur, nisi,* posuerunt in terrâ genua. *Quia enim pœnitentium est maximè flectere genua, sæpe Græci* genuflexionem, metanœam, *id est,* pœnitentiam *vocant. ita ex codice Tilij citat Fronto noster Ducæus Notis in Concil. Nicænum* II. *post tomum* III. *Conciliorum editionis Binianæ. Liturgia Chrysostomi:* Ὁ δὲ ἱερεὺς σὺν τῷ διακόνῳ ποιοῦσι μετανοίας τρεῖς εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον. *Erasmus interpres:* Sacerdos autem cum diacono faciunt ascensiones tres in sanctum sacrarium. *Non rectè. Rectè Fronto noster:* Faciunt inclinationes tres ad sanctum altare. *In Græcorum Euchologio diaconus multis locis:* Τῷ ἱερεῖ τρεῖς μετανοίας βάλλει: Pœnitentis in modum tertiò ante ipsum se incuruat. *Vide Baronium to.* VIII. *an. Christi* DCLVI. *& Billium schol.* XXXII. *in Orationem* I *Ioannis Damasceni De imaginibus.*

MILIARISIUM. *Ioannis Moschi Pratum spirituale cap.* CLXXXV. Habebant tamen quinquaginta miliarisia, quod numismatis genus est. *Epiphanius De ponderibus & mensuris:* Τὸ δὲ ἄργυρον, τοῦτό ἐστιν ὃ οἱ Ῥωμαῖοι μιλιαρίσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα. Argenteus à Romanis miliarisium dicitur, quod militare donatiuum interpretari possis. *Suidas:* Μιλιαρήσιον, νομίσματος δέκατον. Miliaresium, numismatis decima pars. *De hoc numismatis genere vide accuratè inquirentem Dionysium nostrum Petauium ad Epiphanij librum iam dictum.*

MINO. *Ioannes libello* II. *num.* 10. Mittit persequens & minat me hinc. *Heraclides cap.* V. Fit subitò paruulus puer veluti annorum decem, minans asinum panes in cistâ ferentem. *Anianus I.C.* Actus, quo pecora minare consueuimus. *Gregorius Dialogorum lib.* I. *cap.* II. Tollite vt habeatis, qualiter hoc iumentum minare valeatis. *Paulus Diaconus:* Agere modò significat ante se pellere, id est, minare. *Idem:* Agasones, equos agentes, id est, minantes. *Apuleius lib.* III *Metam.* Nos duos asinos minantes baculis exigunt. *Inde* comminare *apud eumdem lib.* VII. *Metam. &* prominare *lib.* IX.

MINUTUM. *Ioannes Moschus lib.* X. *Vitarum Patrum cap.* XLII. vt per quatuor dies vnam tantùm oblationem manducaret minutorum viginti. *Destituit hic nos Græcus textus. Fortè in Græco fuit* λεπτῶν *vel* φολλέων. *Infrà cap.* CXXXIV. Accipiebatque quotidianum stipendium nouem minuta. *vbi in Græco textu* ἐννέα φόλλεις. *Vide infrà in* PHOLES, *& Petauium nostrum ad Epiphanium, in Diatribâ De* λεπτοῖς *& minutis.*

MONTICELLUS. *Vita Onuphrij cap.* XI. Iuxta summitatem ipsius monticelli.. *Vox rarior, vsurpata tamen Agrariis scriptoribus. Innocentius inter auctores finium regundorum:* Et super fontem terminum in monticello constitutum. *Idem:* Inter vallem & vallem monticellus descendit, & de latere huius monticelli alueus. *Idem:* Arca in monticello constituta. *Latinus:* Etiam monticelli sunt in finibus constituti. *Vitalis & Arcadius inter eosdem:* Tres monticellos transit, & in tertium monticellum arcam circa lauacrum significat. *Idem Vitalis:* Nam & monticellos de terminis circumdedimus. *Faustus & Valerius:* Monticellos plantauimus de terrâ, quos botontinos appellauimus. *Sic apud Innocentium est* campicellus, collicellus, flumicellus.

pro MURO SEPTI. *Hieronymus in Vitâ Malchi cap.* IX. Pudicitiæ tantùm conscientiâ pro muro septi. *Prouerbiali specie id dictum, expressumque ex Sallustij Catilinario:* Audacia pro muro habetur. *Cicero* VIII. *Verrinâ:* Ad omnes meos impetus quasi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur. *Hieronymus in Isaiæ cap.* XXXVIII. Indignationem ita precibus quasi quodam muro intercludere. *Idem in Ezech. cap.* XIII. Dum conuersi ad Deum hoc quasi muro & pariete firmissimo cingerentur.

MUSCUS. *Vita Pelagiæ cap.* II. Totum impleuit aërem ex odore musci. *Vita Marcellæ cap.* III. Fragrare musco mure. *Inde* muscata *apud Ruffinum lib.* III. *num.* 39. Quoniam propter thymiamata & muscata. *Hieronymus in Ieremiam c.* XXIII. Contemplemur hæreticos, quomodo semel desperantes salutem, gulæ se tradant & delicijs: vescantur carnibus, frequentes adeant balneas, musco fragrent, vnguentis varijs deliniti, quærant corporum pulchritudinem. *Idem lib.* II. *Aduersus Iouinianum cap.* VII. Odoris autem suauitas, & diuersa thymiamata, & amomum, & cyphi, œnanthe,

the, muſcus, & peregrini muris pellicula, quòd diſſolutis & amatoribus conueniat, nemo niſi diſ- ſolutus negat. *Quo loco Volaterranus muſcum pro paruo mure, coloris flaui, qui odoratiſſimus eſt, & in ſiluis verſatur, accipit.*

De muſci origine varia opinio. Moſchum *enim, ſeu* muſcum, *quod odoramenti genus eſt, ſaniem è vomicâ capreæ collectam putat Aëtius; alij è vomicâ vnicornis volunt: ita Simeon* Zethi. *Martinus à Baumgarten in Peregrinatione ſuâ dicit animal quoddam eſſe, niſi eſſet grandiuſculum, catto perſimile, quod dum virgæ ictu ad iram concitatur, odoriferum quiddam edit, quod auri pondere venditur. Iuxta huius animalis vmbilicum naſcitur apoſtema, quod extractum, gratiſſimi eſt odo- ris, & inter primas hominum delicias habetur. Id Itali* Zibetto, *Germani* Biſem *dicunt.*

Myoparo. *Vita Hilarionis cap.* xxxiv. Cum- que piratæ duobus haud paruis myoparonibus occurriſſent. *Paulinus epiſtolâ ad Macarium:* Pro- curator Chriſtiani viri fratris noſtri Poſthumiani eſſe dicitur, qui eam nauem in Brutiorum littore, quo poſſeſſio ſenatoris alluitur, auarior mari, & ſine myoparone piraticam in terrâ agens occupa- tur, & captam vacuefecit. *Ita legendus is locus, vbi vulgò,* & ſene meo parone, *pro* ſine myoparone.

Nates verberare. *Vita Marcellæ cap.* viii. Fictus ariolus ſtultorum verberet nates, & obtorto fuſte dentes mordentium quatiat. *Idem libro* ii. *contra Iouinianum cap.* xix. In circulis platearum quotidie fictus ariolus nates verberat, & obtorto fuſte dentes mordentium quatit. *Idem Apol.* i. *adu. Ruffin. cap.* iv. Quotidie in plateis fictus ariolus ſtultorum nates verberat, & obtorto ſcipione den- tes mordentium quatit. *Ita omnibus his locis legen- dum ex MSS. quos aliquot conſului. ita quoque legit Henricus Grauius. Vulgatus textus habet* nares, *quod Eraſmus & Reatinus conantur interpretari. Sed pro lectione, quam aſſerui, clarè Lucianus de morte Pe- regrini:* Ἔιτα παίων καὶ παιόμενος νάρθηκι εἰς τὰς πυγὰς, καὶ ἄλλα πολλὰ νεανικώτερα θαυματοποιῶν: Exin verbera- bat & verberabatur ferulâ circa nates, multaque alia iuueniliora more mirifico ac præſtigioſo de- ſignabat.

Nili adscensvs. *Palladius cap.* xxxvii. Acci- dit aliquando in Ægypto, cùm Nilus adſcenderet, vt vicus vicum inuaderet. pugnant enim pro aqua- rum diuiſione, adeò vt ſequantur cædes & ſaucia- tiones. *Quò ſpectare credo illud Palladij cap.* lii. *quòd duo pagi pro agris decertauerint*, ὑπὲρ ἀγρῶν διαμαχόμενοι. *Et mox Gentiles cum Chriſtianis* ὑπὲρ ὁρίων αὐτῶν, pro ſuis finibus. *Id enim fortè accidit, quòd Nilus inundans ſolet agros confundere, & limites abolere. Multi tunc ægrotabant. Idem c.* xliii. Naui- gando in flumine: erat enim tempus adſcenſus, in quo multi ægrotant, quod mihi quoque accidit. Καιρὸς ἀναβάσεως, tempus adſcenſus. *Idem cap.* xxii. Cùm fluuius eo tempore inundaret, & ad mille paſſus pateret latitudine. Κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον πλημμυ- ροῦντος τοῦ ποταμοῦ, καὶ κεχυμένου ἐπὶ ἓν σημεῖον τῷ πλάτει.

Huc quoque facere opinor, quod habet Palladius cap. lii. *de pompâ celebratâ cum ſtatuâ ligneâ pro aquâ fluuiatili.* Pompam autem ducebant, eam per vicos circumferentes nefarij ſacerdotes, qui bac- chabantur cum multitudine, veluti pro aquâ flu- uiatili celebrantes myſteria. *Nam ſuſpicor hic in- telligi adſcenſum Nili. Quare in Ruffino lib.* ii. *c.* vii. pro aquis pluuialibus, *corrigendum erit* fluuialibus. *Nam hic in Palladio Græcè eſt:* ὑπὲρ τοῦ ποταμιαίου ὕδα- τος, pro fluuiatili aquâ. *Et notum carmen illud de Ægypto:*

Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Nixæ siccæ. *Pelagius lib.* v. *De Vitis Patrum libello* iv. *num.* 65. Et attulit quidam frater nixas ſiccas, & fecit pultes. Nixæ *hæ Iſidoro lib.* xvii. *ca- pite* vii. *ſunt* coquimella, *quod detortum ex Græco* κοκκύμηλον. Coqui[illegible]lla, *inquit*, quam Latini ob co- lorem prunum vocant, alij à multitudine enixi fructus nixam appellant. Cuius generis Damaſce- na melior, à Damaſco oppido, vnde priùs aſporta- ta eſt, dicta: cuius ſolum pomum ſtomacho mederi probatur; nam cetera noxia perhibentur. Hæc ſola arbor gummi glutinoſum & compacticum diſtil- lat, quo & medici & ſcriptores vtuntur. *Vide Pli- nium lib.* xiii. *cap.* xi. *de* ſarcocollâ, *qui habet* pi- ctores, *pro* ſcriptores. *Idem lib.* xxii. *capite* xxv. Cum roſaceo verò & fico ſiccâ, myxiſque decocti furfures (*tritici*) tonſillis faucibuſque gargariza- tione proſunt. *Vide & Dioſcoridem lib.* i. *cap.* clxxv. *Gloſſarium Camberonenſe MS.* Nixa eſt genus ar- boris, à ſimilitudine enixi dicta fructus. *quod ex Iſi- doro adumbratum. Ad quem notat Grialus Scholia- ſtes: In margine codicis Romani ſancti Petri, hæc addi- ta repperiſſe ſe, ſed eadem manu aiebat Chacon:* Hanc arborem Romani vocant prunum, Hiſpani nixum, VVandali, & Gothi, & Sueui, & Gallæci cæruleá. *Retinent hodie veſtigia huius vocis Luſitani & Gal- læci, qui pruna omnia* amexas *ſiue* ameixas *dicunt. & apud Aurelianum lib.* iv. *Tard. cap.* viii. Pro de- coctione noxarum & glycyrrhizæ, nixarum *ego le- gerem. Quòd autem* myxa *pro* nixa *legendum quidam contendunt ex Paulo Æginetâ libro* vii. Μύξα, δύ- ναμιν ἔχει μικρότερον μὲν τῆς κοκκυμήλου, δύναμιν δὲ ἀναλογοῦσαν τῷ σεβεστῷ, *confirmat quod de Gallæcis diximus: nam* m *in locum* n, *aut etiam contrà, in multis vocibus ſuc- ceſſiſſe paſſim videmus. Hactenus Grialus in Iſidorum.* Myxa *hæc etiam* myxaria *dicta. Caſſianus Collat.* viii. *cap.* i. Poſt hæc ſuperintulit caniſtrum habens ci- cer frictum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantùm ſumpſimus grana, myxaria bina, ca- ricas ſingulas. *In veteri Lexico notatur*, Myxa & Myxaria *apud recentiores Græcos medicos eſſe minora prunis Damaſcenis, nucleo intus triangulari.*

Nomicvs. *Moſchus Prato ſpirituali cap.* cxciii. Accerſiuit itaque Nomicum ſeu diſpenſatorem ſanctiſſimæ eccleſiæ. Ἤγαγε τὸν Νομικὸν τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. *Varia* Nomici *interpretatio apud Curopa- latam in octauâ Pentade officiorum: vbi poſt* primice- rium lectorum *ponitur* Ὁ Νομικὸς, *quem Ioannes Ci- trius videtur vocare* νομμοδότην, *quaſi* nummidato- rem. *Sanè hoc loco videtur per* Νομικὸν *diſpenſator vel qui curam rationum & chartarum habet intelligi. Vi- de Gretzerum noſtrum ad caput* i. *Codini Curopalatæ De offic. Conſtantinop.*

Nomina. *Ioannes libello* ii. *num.* 8. Aſcendimus metere cum eo ſeptem nomina. *Conſtanter hîc MS. libri plerique in* nomina *conſentiunt. Suſpicari quis poſſit, an* ſeptem nomina *prodierint ex Græco* ἑπτα- νομία, *quæ certa Ægypti portio, quaſi meſſum iuerint in Heptanomiâ. Sed cùm textus Græcus deſit, mera ſu- ſpicio eſt. Petrus Lanſſelius noſter variè doctus cenſe- bat legendum* ſeptem nomia, *quia exiſtimo, inquit, ſo- litudinem Scithiam diuiſam fuiſſe in varias portiones, quas appellabant* νόμια *à verbo* νέμω, *id eſt,* diuido. *vnde Proclus in Timæum docet* νομὸν *dici* ἀπὸ τοῦ νενεμῆσθαι τὴν γῆν, à diuidendo terram: *& Ægyptij* τὰς διαιρέ- σεις τὰς κατὰ μεγάλα τῆς Αἰγύπτου μέρη, diuiſiones ma-

gnarum

gnarum partium Ægypti; appellabant νομούς. Νομοὶ verò diuidebantur in τοπαρχίας, & hæ in alias τομὰς seu sectiones, quarum minimæ erant ἄρουραι. Itaque hoc in loco septem nomia accipienda videntur pro septem aruris coniunctis. Quemadmodum Thebais & Delta diuidebantur in decem nomos, & intermedia solitudo diuidebatur in triginta nomos; ita existimo Scithim diuisam fuisse in diuersos nomos; quorum vnus, de quo hîc sermo, diuisus fuerit in septem nomia, id est aruras seu agros; qui vel pascuales, in quibus fœnum demetebatur; vel arabiles, de quibus hîc agitur. Fortasse non dixit heptanomia, sed septem nomina (etsi eadem sit vtriusque significatio) vt distingueret ab Heptanomos seu Heptanomiâ, in quâ Oasitæ eremitæ degebant, ex opposito solitudinis Scithis; inter vtrosque enim interiacet Mœris seu Myris stagnum. Ita ille.

NONA HORA. Eâ synaxis expleri solita. Vitâ Macarij Romani capite III. Horâ nonâ quadam die synaxi expletâ. Eâ etiam ieiunium resignari solitum. Vita Antonij capito XXXVII. Horâ circiter nonâ cùm ante cibum orare cœpisset. Prudentius Hymno X. περὶ Στεφάν.

Quosdam de populo videt sacerdos
 Libandum sibi poculum ferentes;
 Ieiunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora.
 Numquam conuiolabo ius dicatum;
 Nec mors ipsa meum sacrum resoluet.

Ruffinus lib. III. n. 4. Cumque hora nona aduenisset, secundùm consuetudinem complebat omnes orationes suas, & psalmodiam secundùm regulam, & ponebat panem vt comederet. Idem lib. III. num. 55. in Siluano: Horâ autem nonâ circumspiciebat frater ille viam, si fortè vocaret eum senex ad comedendum. Idem est apud Pelagium libello X. num. 69. Ioannes libello III. n. 2. Et circa horam nonam significauit percutiens, & venit ille minor, & fecit modicam cocturam pulmenti. Augustinus Regulâ II. de tempore edendi: Operentur autem manè vsque ad sextam, & à sextâ vsque ad nonam reddant codices, & postquam refecerint siue in horto, siue vbicumque fuerint, faciant opus vsque ad horam lucernarij.

Quidam ieiunia ad vesperam extendebant. Ruffinus lib. II. cap. XXXI. Cibum quoque in vesperam ei sumere præcepit. quod etiam apud Palladium cap. XXVIII. Item Ruffinus lib. II. cap. I. Hic ergo cùm post orationes cibum solito requisisset ad vesperam. quæ etiam habes apud Palladium cap. XLVI. Ruffinus lib. III. num. 23. Rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes complentes, adorantes eum, dixerunt: Si præcipis, domine, ibimus, vt eum qui remansit caulem coquentes gustemus, quia iam hora est vt cibum sumamus? Pelagius libell. XVI. num. 18. Illi autem fratri adferebat tantummodò modicum panem ad seram.

Sed ieiunium in vesperam differre, non omnibus Patribus probatum. magis suadebant horâ nonâ cibum sumere. Cassianus Collat. II. cap. VI. Loquente abbate Moyse: Recens escæ perceptio tam in vespertinis, quàm in nocturnis orationibus tenuem leuemque sensum non sinit inueniri: ideò commodum satis & vtile horâ nonâ refectionis tempus indultum est; in quo reficiens monachus non solùm in nocturnis vigilijs leuis ac vacuus, verùm etiam in ipsis vespertinis sollemnitatibus digesto iam cibo inuenitur aptissimus.

NONNA. Vita Hilarionis in Prologo: Decus ac dignitas virginum nonna Asella. Vita Ioannis Eleëmosynarij cap. X. Obsecro te nonna: & cap. XLVI. Nonna Pelagia. Vita Mariæ Ægyptiacæ c. XVII. Accipe hæc nonna. Pelagius libello VII. num. 10. Nonna ista, veni nobiscum ad balneum. Frequenter hæc vox pro religiosâ matre seu dominâ occurrit. Hieronymus epist. XXII. ad Eustochium De virginitate seruandâ: Quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem; castæ vocantur & nonnæ. Idem epist. XCIX. ad Asellam: Nonnæ vocarentur & sanctæ. vbi pro nonnæ irrepserat dominæ. Bonifacius Archiepiscopus Mogunt. epist. XIX. Si reus inuentus fuerit, vt cum velatâ & consecratâ Domino nonnâ concubuisset. Ibidem habes adulteria & monasteria nonnarum. Synodi quoque à Bonifacio congregatæ, quas habes Capitularium lib V. Tit. II. III. nonnarum meminêre. In quarum primâ: Similiter & nonnæ velatæ eadem pœnitentiâ contineantur. in alterâ: similiter & monachi & nonnæ. Visio Flotildæ paginâ 206. Vidit se esse in quodam amœno loco, velumque nigrum se super caput habere, de quo cùm requisisset, audiuit quòd fieri nonna deberet. Glossarium Camberonense MS. Sanctimonialis, nunna, monacha, monialis.

Nonnæ videntur & nonnanæ dictæ. Colligitur ex Capitularium lib. I. Tit. XVII. vbi inscriptio est: Clericis & Nonnanis. & subditur Canon Concilij Laodiceni, quòd non oporteat mulieres ad altare ingredi. Traditionum Fuldensium lib. II. n. 38. paginâ 509 Reliquias quas Einhildis abbatissa donauit, & tradidit illis nonnanis.

Item nonnanes. Capitularium l. V. Tit. LXXVIII. Vt condignam professioni eorum custodiam habeant canonici, vel monachi atque nonnanes. & lib. VII. Tit. CCCXVI. Similiter & nonnanes velatæ eâdem pœnitentiâ teneantur. Vnde Gallis nonnains. Eam vocem frustrà ad Germanicam originationem deducit Vitus Amerbachius Notis suis ad Capitularia seu Constitutiones Caroli Magni.

Hieronymus epist. XLVII. ad matrem & filiam in Galliâ commorantes adulationi titulum nonni inscribit: Quæ in adulationem tui sanctum nonnumque coram te vocat. Arnobius similiter in Psalm. CXL. Adulantes nobis inuicem, in præsenti positi, sanctos vocamus & nonnos: absentes verò ita mordemus atque percutimus, vt rectè canibus comparemur. Idem in Psal. CV. eâ voce vtitur: Terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine; Si ille qui sanctus vocatur & nonnus sic agit; ego quis aut quotus sum vt non agam? Additio I. ad Capitularia Ludouici Imp. Tit. LIV. Vt qui præponuntur nonni vocentur. quæ ipsissima verba sunt Synodi Aquisgran. anno DCCCXVII. celebratæ. quæ adumbrata videntur ex Regulâ B. Benedicti cap. LXIII. Priores iuniores suos Fratres nominent: iuniores autem priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia.

Illud quoque constat, Nonna etiam nomen proprium fuisse: Moschopulus Περὶ σχεδῶν pag. 93. Νόννα, κύριον.

NONVM. Pelagius libello VII. num. 7. Dicebant de abbate Theodoro, & abbate Lucio de Nono Alexandriæ. Mira hîc erat lectionum varietas, alijs de Nouo, alijs de Nonno, alijs de loco legentibus. Obuia cuipiam coniectura sit, de Nomo Alexandriæ, quod Ægyptus, teste Plinio lib. V. cap. IX. diuisa sit in Nomos seu Præfecturas, inter quas Nomus Alexandriæ, vt vel vterque, vel Lucius certè de Nomo Alexan-

Alexandriæ fuerit: seu hoc dictum sit, ad patriam
eorum demonstrandam, siue ob conuersationis locum,
siue ad distinctionem aliorum, qui eodem censebantur
nomine.

Alicui forte in mentem veniat No *Ezech.* xxx. *&*
Nahum III. *quod D. Hieronymus & Chaldæus*
Alexandriam *Ægypti interpretantur.*
Sed verissimam omnino lectionem existimo, de
Nono Alexandriæ, *id est, de nono Alexandriæ cli-*
mate seu regione: siquidem Alexandriam in regiones
seu climata diuisam (vt & olim Roma) innuunt Am-
mianus lib. XXII. *vbi* Bruchion, *quæ apud Alexan-*
driam, vocat regionum maximam partem: *& Epi-*
phanius lib. De ponderibus & mensuris pag. 536.
[illegible] vocat [illegible] *Quæ lectio*
verissima omnino est. Nam qui hic Theodorus dici-
tur de Nono, *apud eumdem Pelagium libello* XI.
num. II. *dicitur* Theodorus de Ennato, *quod est*
idem quod de Nono. *Sic libello* XII. *num.* 9. *dicitur*
Lucius in Ennato, *id est,* Nono, *videlicet climate*
Alexandriæ. Sic in Menæis Græcis IX. *Octobris in*
Vitâ Andronici & Athanasiæ anachoretarum habes
[illegible], octauumdecimum, *vel clima vel sub-*
urbanum vel cœnobium apud Alexandriam. Vide
ENNATVM & SEPTIMVM.

OBOLVS. *Palladius cap.* X. Qui ne duos quidem
obolos despexit. *Palladius hic* duos obolos, δύο ὀβολοὺς
appellat, quæ Marci XII, *v.* 42. *vocantur* λεπτὰ δύο, ὅ
κοδράντης. duo minuta, quod est quadrans. *atqui oboli*
quarta pars est quadrans. Sed hic sumitur obolus *pro*
minimo genere monetæ. Apud LXX. *Exodi* II. *v.* 30. ὀβολὸς
appellatur nummus qui vigesimam partem didrachmi
valebat, siue sicli, [illegible] *Vulgata Lat.*
Siclus viginti obolos habet. Fronto.

ORBIS TERRARVM. Ἡ ὑπ᾽ οὐρανόν. *Palladius*
cap. XIX. *&* XX. Dicebatur maiori tempore cum Deo
versari, quā huius orbis seu mundi rebus occupa-
ri. Ἐλέγετο μᾶλλον τῷ πλείονι χρόνῳ προσδιατρίβειν Θεῷ,
ἢ τοῖς ὑπ᾽ οὐρανὸν πράγμασιν. *Heruetus verterat:* Diceba-
tur maiori tempore vel cū Deo vel in rebus versa-
ri cælestibus. *Fronto in Græco legit,* ἢ τοῖς [illegible] ὑπ᾽ οὐρανόν.
[illegible] enim ait res mundanas & seculares τὰ πράγ-
ματα τὰ ὑπ᾽ οὐρανόν. *Vnde Heraclidis interpres:* & cæ-
lestibus amplius quàm terrenis negotijs interesse.
Τὴν ὑπ᾽ οὐρανὸν *Scriptura* terrarum orbem *appellat.*
Theophilus ad Autolycum lib I. [illegible]
[illegible] ὑπ᾽ οὐρανόν. & eum confirmatos ponebat fon-
tes eius, quæ sub cælo. *Vulgata:* & cardines orbis
terræ. *Sic apud Theophilum infrà:* [illegible] ὑπ᾽ οὐρα-
νόν, illuminat orbem sub cælo vniuersum.

ORBVS. *Oculis carens, quod Græcis* ἀπ᾽ ὀμμάτων,
quasi ab seu ex oculis. Palladius cap. IV. Didymus,
qui fuit orbus. ὁ ἀπὸ ὀμμάτων [illegible]. Ἀπὸ ὀμμάτων
[illegible] *possis* Aboculus. *Vtitur ea voce Petrus Ble-*
sensis, eruditus scriptor Serm. XVIII. Noli sequi
retributiones, ne faciant te senem abocellum. *&*
Serm. XLIII. Excute manum tuam ab omni mu-
nere, ne parcas pauperi, ne munera exoculent te &
faciant senem abocellum. *Dictum eâ formâ* ἀπὸ
ὀμμάτων, *quasi* Exoculus, *vti dicitur* ἀπὸ ὑπάτων, ex-
consul, *& similia.*

OSCVLO EXCIPERE ADVENTANTES. *Vita Onu-*
phrij cap. VIII. Osculum mihi pacis tribuit. *Vita*
Pauli primi eremitæ capite VIII. Et post sanctum
osculum. *Ammianus libro* XXII. *De Iuliano Imp.*
Osculo susceptum rectorem prouinciæ nomine
Celsum, iam inde à studijs cognitum Atticis, asci-
tumque in consessum vehiculi Tarsum secum in-
duxit. *Idem libro* XXIX. Susceptusque cum osculo
(*Maurus à Theodosio duce*) quoniam id Reip. con-
ducebat, bonæ spei iam plenus, sufficientia præ-
buit alimenta. *Idem libro* XXII. exosculatum suscep-
tumque (*Maximum philosophum*) reuerenter se-
cum induxit (*Iulianus Imp.*). *Sic olim in Ecclesiâ*
Christiani osculo sancto se excipiebant. Vide Baro-
nium tomo I. *Annalium.*

OSCVLARI MANVS. *Vita Hilarionis capite* IX.
Sancti deosculati sunt manus. *Solenne autem fuit,*
episcoporum maximè manus exosculari. Ambrosius
De dignit. sacerdot. capite II. Quippe cùm videas
regum colla & principum submitti genibus sacer-
dotum, & exosculatâ eorum dexterâ, se eorum
communiri. *Iuo par.* V. *cap.* CCCLXXVIII. *hoc ex*
epistolâ Gregorij VII. *ad Herimannum Metensem episc.*
citat. Gregorius Turonens. Histor. lib. II. *cap.* I. Nec
Deus nos diutiùs siuit manus tuas indignas oscu-
lando pollui. *Vita Fulgentij Ruspensis capite* XV. Ad
hæc ille iuuenis magis ac magis inflammatus, re-
pellentis manum suppliciter osculatus est. *Fausti*
scilicet episcopi. Sidonius libro VI. *epist.* XI. *ad Papam*
Græcum, vocat eius sacrosanctos digitos. Quæ sa-
crosanctis reserabuntur digitis. *Idem libro* VIII.
epist. XI. *ad Lupum:*

Perge ad limina mox episcoporum,
Sancti & Gallicini manu osculatâ.

Erat hic episcopus Burdegalensis.

Etiam sacerdotum *manus osculabantur. Habes*
hic de Hilarione. Hieronymus epist. XCIX. *ad Asel-*
lam, cùm Romæ versaretur, & iam ante sacerdos
Antiochiæ creatus esset: Osculabantur mihi manus
quidam, & ore vipereo detrahebant.

OSCVLARI OCVLOS. *Vita Pauli primi eremitæ*
cap. XI. Osculatis eius oculis manibusque. *Vita*
Melaniæ iunioris MS. cap. IV. *de Serenâ Imperatrice & Melaniâ:* Et iterùm amplectens contin-
gebat, & osculabatur eam & oculos eius. *Eunodius*
lib. VI. *epist.* XIV. *ad Arbotemiam:* Vicem domno
meo presbytero, vtrique osculantes manus & ocu-
los tuos. *Credo vt ita ostenderent, quod sicut ocu-*
los charos haberent. Sic Sanctorum manus, reliquias,
oculis applicabant. Vita Simeonis Stylitæ cap. XVII.
Manus eius posui super oculos meos, dicens: Be-
nedic, obsecro, mi domine. *& cap.* VIII. *de verme,*
qui ex corpore eius ceciderat: Currens apprehendit
eum in fide, & posuit super oculos suos.

Etiam olim apud gentes oculos osculabantur. Ar-
rianus Dissertationum lib. II. *cap.* XX. [illegible]
[illegible] Tri-
bunatum adeptus est? occurrunt omnes gratulan-
tur, alius oculos osculatur, alius collum, serui
manus. *Homerus Odyss.* XVI.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά.
Et capiti pulchrisque oculis iunge oscula binis.

OXYCRATVM. *Palladius Historiæ Lausiacæ capi-*
te CXIV. Omni autem alio tempore contenta
erat oxycrato & pane arido. *Quod Heraclidis in-*
terpres capite XLVI. *vertit:* Per reliquum autem
tempus poscâ & sicco pane contenta viuebat. *Vide*
infrà, POSCA.

OXYRYNCHVS CHARACTER. *Palladius*
cap. LXXXVI. *de Euagrio celebri diacono:* Scribens an-
nuatim pretium solum eorum quæ comedebat:
eleganter enim scribebat celerem characterem.
Græcè est: Ἔγραφε γὰρ ἐπιτηδείως τὸν ὀξύρυγχον χαρακτῆρα.
Heraclides cap. XXV. *de eodem agens, seruauit Græcum*
voca-

vocabulum. Similiter etiam illam ſcribebat manum, quam Oxyryncham vocant Græci. *Vetus Palladij interpres* libralem *vertit cap.*XV. Pulchrè enim ſcribebat libralem manum. *Non exiſtimo per* Oxyryncham manum *intelligi* manum celerem, *vt vertit Heruetus, cui non tanta tribuitur elegantia, ſed potiùs inſinuari characterem Romanum ſeu rotundum, vel Italicum ſeu curſiuum. Certè acuto roſtro ſi vim vocis Oxyrynchi ſpectes, eſt character Italicus. quem ſi celerem quis contendat appellari poſſe, quòd curſim ſcribatur, unde curſiui nomen obtinet, non magnopere pugnauero.*

Duplices olim ſcriptores, ταχυγράφοι, *qui &* ὀξυγράφοι *dicti Philoni De creat. Princ. qui vel notis vel litteris ſingulis per compendia* εἰς τάχος, celeriter, *verba excipiebant & notabant; vnde* Notarij *dicti. de quibus vide Lipſij* I. *Centuriam epiſtolarum ad Belgas epiſt.*XXVII. *ad Leonardum noſtrũ Leßium. Alij erant* καλλιγράφοι, *qui* εἰς κάλλος, ad elegantiam, *ita celeriter excepta redigebant. De quibus vide ſuprà in* ANTIQVARIVS. *Vtrorumque meminit Philoſtratus Apollonio lib.*I. Ἐξέλαυνε τῆς Ἀντιοχείας μετὰ δυοῖν θεράποιν, ὁ μὲν ἐς τάχος γράφων, ὁ δὲ ἐς κάλλος. [illegible]it ex Antiochiâ cum duobus ſeruis, quorum alter notarius, alter antiquarius. *Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.*VI. *cap.*XXI *de Origene:* Ταχυγράφοι τε γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν τῷ ὑπαγορεύοντι χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμοιβόντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἥττους ἅμα καὶ κόραις ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. Plures quàm ſeptem notarij ſtatis temporibus vices ſuas alternãtes dictanti aderant: nec pauciores librarij ac puellæ ad eleganter ſcribendum exercitatis. *Idem habes apud Suidam. Hieronymus De Scriptoribus Eccleſiaſticis c.*LXI. *in Hippolyto:* Ambroſius cohortatus eſt Origenem in ſcripturas Commentarios ſcribere, præbens ei ſeptem & eò ampliùs notarios eorumque expenſas, & librariorum parem numerum.

Cùm igitur Euagrius noſter pretio ſcripſerit, vt libros diuenderet, videtur καλλιγράφος *fuiſſe. Hinc librarij etiam bibliopolæ dicti. Interpres Horatij in Arte ex Suetonio Tranquillo:* Scriptor, librarius, bibliopola.

Mirum, pueros etiam compendiarias illas notas didiciſſe, vnde Athanaſius puer Notario & Grammatico *traditus dicitur apud Moſchum Prati ſpiritualis c.*CXCVII. *quod etiam clarum ex Prudentij Hymno* IX. περὶ στεφάνων *in Caßiano.*

PANIS. *Palladius cap.*II. Adeò vt ſæpè panis quoque ex eius ore excideret. *Græcè hic eſt* ψωμὸς, *quod* fruſtum *ſignificat; ideò verterat Heruetus:* vt ſæpè fruſtum ex eius ore excideret. *Sed poſterioris æui auctores Græci* ψωμὸν *peculiariter* panem *appellarunt, &* ψωμίον *ſiue* ψωμί, *vt in Gloſſario quoque Meurſius admonet. Heraclides:* Paniſque ex ipſius labiis oris cadebat. *itemque alter interpres:* Ita vt frequenter panis caderet de ore eius. *Sic infrà c.*V. cibum panis capio, ἐσθίω μι τὸ ψωμίον. *Fronto.*

PAPA. *Vita Malchi cap.*I. Ad Papæ Euagrij, neceſſarij mei, poſſeſſionem deuolutus eſt. *Ita Hieronymi tempore etiam epiſcopi olim vocati. De quo vide Franciſcum Bernardinum Ferrarium lib.*III. *De Eccleſ. epiſt. genere cap.*I. *Sauaronem ad Sidonij lib.*I. *epiſt.*VI. *Poſteà Gregorij huius nomine Septimi tempore, collectâ Romæ Synodo conſtitutum, vt Papæ nomen vni Romano Pontifici tribueretur. Vide Baronium Notatione ad diem* X. *Ianuarij in Martyrologio.*

*De hac eadem re ita notat Iacobus Sirmondus noſter ad lib.*IV. *epiſt.*I. *Ennodij: Papæ nomen vni Romano Pontifici, tamquam proprium & peculiare, primus, vt videtur, aſſeruit Ennodius. Nam cùm epiſcopos omnes Papas ceteri ferè, qui eius æuo proximi fuerunt, appellare ſoleant, vt Sidonius, Fauſtus, Ruricius; ipſe perpetuo diſcrimine Antiſtites reliquarum eccleſiarum epiſcopos vocat. Papam ſolum Romanæ ſedis Pontificem ſiue cùm illi ſcribit, vt, Symmacho Papæ, & Domino Papæ; ſiue cùm de illo apud alios agit, vt lib.*III. *epiſt.*X. VI. *epiſt.*XXXIII. *& paſſim. Pari poſt Ennodium diſcrimine in eius vocis vſurpatione vſus eſt Caßiodorus, qui cùm Bonifacium, Agapetum, & Ioannem Romanæ Sedis Pontifices Papas nominet; Euſtorgium & Datium Mediolanenſis, & alios aliarum ciuitatum præſules, non aliter quàm epiſcopos vocat. Neque omnes tamen hoc item exemplum ſecuti ſunt, quin permulti diuerſarum gentium, præſertim extra Italiam ſcriptores; Papæ nomen reliquis item epiſcopis tribuerint, vſque ad tempora Gregorij* VII. *qui in Synodo Romanâ primus, vt à Baronio Cardinale obſeruatum eſt, edixit, vt Papæ nomen vnius ſit in orbe Chriſtiano.*

PARENS. *Heraclides cap.*L. Horum parens Pammachius nomine, vir proconſularis, *id eſt frater vel cognatus. Capitolinus in Antonino Philoſopho:* Omnibus parentibus ſuis tantam reuerentiam quantam priuatus exhibuit. *Idem in Maximino iuniore:* Cùm Grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit. *Lampridius Alexandro Seuero:* Amicos & parentes Alexander ſi malos reperit, aut puniuit. *Hieron. Apolog.* 2. *adu. Ruff.* Niſi fortè parentes militari vulgarique ſermone, cognatos & affines nominat. *Paſſim eâ notione occurrit apud ſcriptores poſterioris æui, & aliquoties hîc in Vitis Patrum.*

PATRICIVS. *Vita Ioannis Eleemoſynarij cap.*XI. Intuens Niceta patricius huius viri virtutibus pleni magnanimitatem. *De dignitate & officio Patriciorum, quantum hîc requiritur, ita doctiſſimus Nicolaus Alemannus libro De Lateranẽſibus Parietinis: Erant olim in Rep. Romanâ Patricij, qui cum reliquo Senatu æquo iure viuerent. Conſtantini verò Magni lege, ſi qua Zoſimo fides, proximi maieſtati Cæſaris facti ſunt, ac Senatoribus Præfectiſque Prætorio, gradu ſententiaque in Senatu dicenda prælati.* Zoſim. lib. 2. Hiſt. *Quæ huius ordinis excellentia ad Iuſtiniani vſque dominationem (ſi Procopio credimus) ac diu poſt integra perdurauit. Ab Iuſtiniani fermè tempore (niſi fortaſſe prius, quod quidem modo non ſuccurrit) dignitati addita eſt præfectura prouinciarum. Qui eo tempore carerent munere prouinciæ, ac in vrbe & Senatu præſentes adeſſent,* Præſentales Patricij, *vt eſt apud Caſſiodorum, vocabantur. Qui præfecturam gerebant, pro ſuarum quique prouinciarum more ac lege nuncupari conſueuerant, Proconſules Africæ, Italiæ Exarchi, Siciliæ Strategi, Prætores Orientis, &c.* Caſſiod. Var. lib. 8. ep. 9.

PAXIMATES *ſeu* PAXIMATIA *ſeu* PAXAMIDIA. *Ruffinus lib.*II. *num.*4. Vidit de ſportellâ, vbi panes, id eſt, paximatia repoſita erant, ſurrexiſſe fumum magnum. *Pelagius libello* IV. *n.*25. Rapui vnum panem paximatem, & manducaui eum occultè. *quod hîc lib.*IV. *c.*XLVII. *in Excerptis ex Caſſiani Collat.*II. *cap.*XI. *eſt:* Vnum paximatem quotidie in ſinu meo latenter abſconderem. *Pelagius libello* X. *n* 65. Ego biduo ieiuno, & duos paximates manduco. *Palladius Hiſt. Lauſiaca c.*XXVIII. Imponit menſæ quatuor paxamidia ſex vnciarum. *Ruffinus lib.*III. *num.*31. Tantùm vnum paximatium

tium & quinque oliuas in cibo capiebat. *Ioannes libello* III. *num* 2. Apposuit verò & mensam, inuente ei illo maiore, & posuit super eam tres paximates. *In Regulâ cœnobiali Patrum c* x. *quem* Librum pœnitentiarum *Columbani quidam esse putant:* Si quis frater inobediens fuerit, duos dies vno paximate & aquâ. Si quis dicit, Non faciam, tres dies vno paximatio & aquâ. Si quis veniam non petit, aut dicit excusationem, duos dies vno paximatio & aquâ. *Suidas:* Δίπυρος ἄρτος, ὁ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμᾶς: Bis-coctus panis, qui apud Romanos dicitur paxamas. *Idem:* Παξαμᾶς ὁ δίπυρος ἄρτος. ἔστι δὲ ἡ λέξις Ῥωμαϊκή: Paxamas, panis bis-coctus: est autem vox Romana. *Per Romanos hîc Lipsius De militiâ Romanâ lib.* v. *dial.* XI. *intelligit Graculos illos Romanos in imperio Byzantino, qui sic dixêre.*

Nicolaus Rigaltius in Glossario suo Tactico mixobarbaro non improbabiliter existimat, à Paxamo *cupediario ita dictum, de quo Suidas:* Πάξαμος ἔγραψεν Ὀψαρτυτικὰ κατὰ στοιχεῖον· Βοιωτικὰ ἐν βιβλίοις β': Paxamus scripsit De arte culinariâ, ordine alphabetico; & Bioticorum libros duos.

Paximatiorum & alij varij meminêre auctores. Leo Imp. in Tacticis cap. X. §. XIII. Ἀλλὰ καὶ δαπάνην (ἔχειν) ἢ παξαμαδίου, ἢ πίσου, ἢ ἄλλου τινὸς εἴδους ἐλαφροῦ εἴκοσι ἢ καὶ τριάκοντα λίτρας: Commeatus paxamadij aut pisti, aut alterius cuiusquam expeditæ rei habeas viginti aut triginta libras. *Idem cap.* XII. §. 123. Χρὴ οὖν καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ πολέμου ἕκαστον στρατιώτην ἐν ταῖς σέλλαις αὐτῶν ἐπιφέρειν ὕδωρ εἰς τὰ λεγόμενα φλασκία, καὶ παξιμάδιν ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ, καὶ ἄλευρον μίαν ἢ δύο λίτρας: Ipso belli die vnusquisque miles gestet ad sellam suam secum aquam in phlasciis, & paxamadium in sellopungio, & farinæ vnam atque alteram libram. *Idem cap.* XIII. §. II. Ἕκαστος στρατιώτης ἐν τῷ κινεῖν πρὸς παράταξιν ἔχῃ ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ αὐτοῦ μίαν ἢ καὶ δύο λίτρας ἄρτου, ἢ ἀλεύρου, ἢ πίσου ἑψητοῦ, ἢ παξαμάδας, ἢ κρέας: Quisque miles, quando ad dimicationem belli procedit, habeat in sellopungio suo vnam aut duas libras panis, aut farinæ, aut pisti cocti, aut paxamadij, aut carnis. *Isidori Glossæ:* Paximatium, panis subcineritius. *Luitprandus in Legation.* Soli mensulæ assident nudæ, paximatium sibi apponentes. *Columbanus de Regul. monach. cap.* V. Olera, legumina, farinæ aquis mixtæ cum paruo pane paximate, ne venter oneretur, & mens suffocetur.

Frustrà est Goldastus, qui in Lege Alemannorum tit. XXII. §. I. panem, modia duo, *corrigit*, paximadia duo. *Nimia hæc crisis, etiam legibus vim inferens. Rursus frustrà est, dum* paximadia *vult dicta* panes purpureos, *quòd ab igne rubeant. Ioannes Moschus Prati spirit. cap.* VII. *de Macno sene:* Neque vinum bibens, neque panem comedens, nisi purpureum. *Talis, inquit,* rubidus panis *Plauto. Frustrà, inquam, est Goldastus, cùm vera lectio sit* furfureum, *vti habet prima editio. Nec singulare aliquid in Macno abstinentia exemplum notaretur, si* paximadiis *vesceretur. Plerorumque monachorum in Ægypto is cibus fuit. Sed* furfureo pane *vesci, hoc in Macno eximium.* Rubidum *quoque panem apud Plautum Casinâ Act.* II. *scen.* V. *Festus interpretatur* parum coctum, *quod non quadrat in paximatia, licet Isidorus lib.* XX. *Orig. cap.* II. recoctum *interpretetur. Plautus in Menechmis Act.* V. *scen.* V. *ridiculè vsurpat* panem puniceum & purpureum.

Paximates *hi panes, dicti etiam* panes sicci. *Ruffinus lib.* II. *cap.* VII. *in Vitâ Apollonij:* Erant autem eis pauci tantummodò & sicci panes. *Palladius cap.* LII. *qui eum Apollonem vocat:* Erant autem aliquot sicci panes, & quædam olera reposita. *Ruffinus lib.* III. *n.* 19. Nihil in eâ vidit, nisi paucos panes siccos in sportâ pendentes. *Pelagius libell.* X. *n.* 97. Et apposuit eis panem siccum, & aquam, & sal, dicens: Ecce propter vos festiuitatem habemus hodie, & misit parum aceti in salibus istis. *Ioannes libell.* III. *n.* 2. Dedit eis securim, & sportam plenam panibus siccis, & sal. *Ita quidam libri ibi* siccis *addunt. Hesychius:* Δίπυροι ἄρτοι, οἱ ἐκ δευτέρου ὀπτώμενοι: Dipyri panes, secundò cocti.

Nempe siccitas ex recoctione, vnde suprà δίπυρος ἄρτος *dictus; quæ siccitas & recoctio ad diuturnitatem faciebant: quò respicitur in Vitâ S. Antonij c.* XI. Panes mensium sex, vt Thebæis mos est, secum recondens; nam crebrò per annum incorrupti durare solent. *Vide suprà* BVCCELLATVM.

Et quia panes hi sicci erant (puto etiam duriores) comesturi eos aquâ macerabant & madefaciebant, quod in his V[illegible]piùs dicitur infundere panes. *Palladius cap.* [illegible]II. Et imponit mensæ quatuor paxamidia sex vnciarum; & sibi quidem vnum madefecit, erant enim sicci, illi autem tres. *Ruffinus lib.* II. *num.* 4. Et cùm aduenisset hora sexta, infundebat panem in aquâ, dicens: Dum hic panis infunditur, oportet me etiam horam nonam exspectare. *Ibidem:* Cumque aduenisset hora sexta, infundebat panem in aquam, *quod in Pelagio libello* IV. *num.* 58. *dicitur:* Infudit panem, & sedit vt manducaret. *Item Ruffinus lib.* III. *num.* 19. Et misit aquam & sal, & misit buccellas (*paximatij videlicet, vel ipsum paximatium*) & comederunt pariter. *quod in Pelagio libello* XV. *num.* 66. *est:* Et infudit ei panes, & misit ei oleum & sal.

PECCATOR. *Vita Pauli primi eremitæ cap.* XIV. Obsecro, quicumque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris. *Anastasius Bibliothecarius in Præfatione Vitæ S. Ioannis Eleëmosynarij:* Suscipe ergo sanctum à peccatore interpretatum. *Ita sæpè viri sancti ex humilitate litteris suis superscribere & subscribere soliti. Lisiardus, episcopus Suessionensis in Vitâ S. Arnulphi cap.* L. *Augusti* XV. *dicit Arnulphus de se:* Huius peccatoris Arnulphi corpus terræ reddatur. *Desiderius Cadurcenæ ciuitatis episcopus ep. ad Grimoaldum palatij Rectorem:* Domino illustri Grimoaldo Maiori domus Desiderius peccator. *Idem ad Medoaldum Trenerica vrbis episcopum:* Domino semper suo Medoaldo Papæ Desiderius peccator: *Et ad Codulphum:* Domino illustri Codulpho Desiderius peccator. *Vide plura exempla apud Franciscum Bernardinum Ferrarium De Ecclesiasticarum epistolarum genere lib.* III. *cap.* I.

PEDIBVS ADVOLVI. *Palladius cap.* XV. Nobis tuos pedes attingentibus. *Aberrarat hic ab auctoris mente interpres Heruetus, ita vertens,* Quomodo fieri potest, vt ex tuis pedibus hi sunt æquales? *Non animaduertit, illud* τῶν ποδῶν σου ἁπτόμεθα, pedes tuos attingimus, *speciem præ se ferre obsecrationis vel obtestationis. Veteres enim cùm supplices accedebant, genibus ac pedibus aduoluebantur. Homerus* I. *Iliad.* καὶ λάβε γούνων. *Xenophon* VII. *de Cyri institutione:* Κύρου κατεφίλουν καὶ χεῖρας καὶ πόδας. *Dionysius Halicarnass. lib.* VI. *De Legatis Latinorum:* Καὶ τῶν γονάτων ἁπτόμενοι πάσης τῆς γερουσίας, καὶ τὰς ἱκετηρίας παρὰ τοῖς ποσὶ τιθέμενοι πεσόντες. Totiq; senatui ad genua procidebât, positis

positis ad Postumij pedes supplicium insignibus. *Tertullianus, De pœnitentiâ cap. ix.* Presbyteris advolui, charis Dei adgeniculari. *Dionysius ep. ad Demophilum:* Σὺ δὲ τὸν ἱερέα ... : Tu verò eum qui se ad sacerdotis genua abiecisset, calce detrusisti. *Fronto.*

PEDVLIS. *Vita Christiani monachi Prolegomeno* XXII. § V. Inueni vnam pedulem, & in eo magnam massam denariorum. *Gregorius Turonensis in Vitis Patrum in Nicetio Lugdunensi episcopo:* Namque vbi deciso cucullo, aptatis pedulibus (*in MS. pro pedulis*) pedes operuit, extemplò arreptus à dæmone ruit in pauimentum. *Guigo V. Prior prima Carthusiæ, in Vitâ Hugonis Carthusiani Gratianopolitani episcopi narrat quomodo Hugo Odolricum Diensem episcopum, habitu Carthusiano induens,* id etiam mandare curauit, vt de caligis pedules abscinderet, quatenus præter pedes totus iaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis iniuriam, tibiis dormire nudatis. *Interpres Iuuenalis Sat.* I. Pedules nouos in braccis, quos pedones dicunt. *Glossæ Isidori:* Pedana, pedulis nouus, qui caligæ assuitur. *Glossa Benedicti:* Πεδίλια, ποδῶν καλύμματα, τινὲς δὲ ἐσπάρια ... Pedulia, pedum integumenta; quidam sarcia interpretantur.

PERIODEVTES. *Circitor, lustrator, visitator. Heraclides cap.* XXV. Euagrius filius presbyteri multarum ecclesiarum curam gerentis, quos Periodeutas vocant. *Clarè hic* Periodeutæ *officium exprimitur, quod nomen in Codino non compareт. Apud Gennadium in Encyclio hic ordo statuitur,* Episcopus, Chorepiscopus, Periodeutes, presbyter, diaconus. *Vide Meursium in Glossario Græco-barbaro. Videntur nunc quos vocamus* Decanos rurales, *simili officio fungi. Gretzerus noster ad Codinum suggerit, an sit idem qui Typico Sabæ* ἐξυπνιστής, Excitator *dicitur, cuius erat in vigilijs & ἀγρυπνίαις circuire & somnolentos excitare. non videtur. clarè Heraclidis interpres rem explicat.*

PHOLLES. *Moschus Prato spirituali cap.* CXXXIV. Accipiebatque quotidianum stipendium nouem minuta. *Græcè est,* ἐλάμβανεν ἡμερήσιον φόλλεις ἐννέα. *Epiphanius De ponderibus & mensuris:* φόλλις ὁ καὶ τάλαντον καλεῖται, διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον οἱ γίνονται ἐν δηναρίοις. Καὶ φόλλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸ δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ ἀργύρειον. Follis siue talentum partuum ex duobus argenteis constat, hoc est denarijs CCVIII. Item follis si ad denarios non ad argenteos redigatur, duo minuta continet. *Suidas:* φόλλις φόλλεως, ὁ ὀβολός. πληθυντικῶς, τοὺς φόλλεις. Phollis obolus, pluraliter pholles. *Marcellinus Comes in Chronico:* Nummis, quos Romani teruntianos, Græci follerales vocant, Anastasius suo nomine figuratis placabilem plebi commutationem distraxit.

PHRANGELITÆ. *Moschus cap.* XLIX. qui adsistebant lictores. *Græcè est,* καὶ τοῖς παρεστῶσι φραγγελλίταις. *Nempe lictores ita dicti, quod* φραγέλλια, *id est flagella gestarent. Notum* φραγέλλιον *cap.* II. *Euangelij S. Ioannis:* καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων. & faciens flagellum ex funiculis. *Inde* φραγελλίτης, lictor. *Georgius Alexandrinus in Vitâ Chrysostomi:* Ἀνελθὼν ἐν τῷ ... τὰς θύρας αὐτοῦ καὶ ... πάντας ὑπὸ τῶν ... φραγγελλιτῶν ... ἐκκλησίας.

PITTACIVM. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* X. Proferens de honorandâ manu suâ ille sanctus pittacium. *&* cap. XI. Neque vllo modo inueniatur à quolibet pittacium hoc aliquando. *quod eodem capite aliquoties repetitur. Alij scribunt* pyctacium. *Zacharias Papa Bonifacio epist.* CXLII. *inter Bonifacianas:* Continebant enim capitula in pyctacio ab eis porrecto. *vbi Serarius noster: Rectè verò tam* πιττάκιον *quam* πιτάκιον *scribitur, estque propriè panni frustulum, & per similitudinem, indiculum aliquod membranaceum, aut chartaceum. Sed illud à complicando dicitur; hoc verò etiamnum apud Hispanos & Aquitanos, exiguâ cum inflexione vsitatum,* pedaco *&* pedas, *apud Gallos* vn piece.

Hadrianus Iunius in Nomenclaturâ existimat pittacium *deterium forte à* pettucio, *quo corij præsegmina exiliora denotant Dores.*

Moschopulus Περὶ σχεδῶν: Πεττύκια Δωριεῖς τὰ λεπτὰ ἀποτμήματα τῶν δερματίων, ἀφ' οὗ ἡμεῖς πιττάκια λέγομεν. Pettycia Doricè dicuntur tenuia coriorum præsegmina, vnde nos pittacia dicimus.

Casaubonus ad Alexandrum Seuerum Lampridij, vult πιττάκιον *dictum* ἀπὸ τῆς πίσσης. *Sunt enim, inquit, pice vel malthâ illita breues tabellæ, in quibus elogia scribebantur, & id genus alia, quæ paucis verbis possunt comprehendi.*

Abiit posteà pittacium *seu* pettycium *in* petia, *quo posterius auum vtitur. Henricus Rebdorffensis in Annalibus anno* MCCCLXI. Item clauus cum aliquali petia ligni S. Crucis. Item petia brachij S. Annæ. Item petia chordæ, quâ Christus fuit ad columnam ligatus. *vtitur & Theodoricus de Appoldiâ præfatione ante Vitam S. Dominici v. Aug.*

PLVMATIVM. *Pelagius libello* VIII. *n.* 10 Et traxit vnum corpus sub caput suum tamquam plumatium de scirpo. *Glossæ Græcolatinæ* πουλάριον, πλουμάτιον, plumacium. *Anastasius in Sergio:* In quo interius plumatium ex holoserico superpositum, quod stauraeis dicitur, inuenit. *Gotfridus Viterbiensis Chron. parte* IX.

Vltimus Assyriæ rex nomine Sardanapala
Fecerat ex plumâ plumatia clausus in aulâ.

Papias: Plumacium, puluinar à plumâ dicitur. *Glossarium Cameronense MS:* Puluinar, capitale plumatum.

POEMENIVM. *Palladius cap.* LXXVII. Vixi cum eo anno vno in Bethleem, quando sedit vltra Pæmenium. Συνέζησα γὰρ ἐγὼ τούτῳ ἐνιαυτὸν ἐν Βηθλεέμ, ὅτε ἐκαθέζετο ἐπέκεινα τοῦ Ποιμενίου. *Meursius hîc notat: Intelligit monasterium abbatis Pœmenis, cuius meminit Ioannes Moschus Limonarij cap.* CLXVII. *Ita ille. Vt video, etiam viris aliàs diligentissimis error latus obrexit. Pœmen Palladij aliquot sæculis distat à Pœmene Moschi. Hic Moschi solitarius fuit, alter ille Palladij, abbas. Et quidem de neutro hîc agitur, sed* Pœmenium *hîc est locus apud Bethleem à pastoribus ita dictus, vbi apparuerunt eis Angeli, qui non procul à Bethleem distabat, vt hîc apparet, & testatur Hieronymus epistolâ* XXVII. *ad Eustochium:* Haud procul inde Bethleem, descendit ad turrem Ader, id est, gregis; iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, &c. *Distat hæc turris mille passibus à Bethleem, vbi templum erectum est ab Helenâ, vbi testatur Nicephorus lib.* VIII. *cap.* XXX. *Epiphanius Monachus in Itinerario Ierosolymitano:* Ad Orientem Bethleem est conditum monasterium, quod dicitur Ouile, vbi visus est Angelus pastoribus, dixitque ipsis: Cessate à gregibus custodiendis. Clamate celebrantes. *Vix dubito, quin in Græco fuerit* Ποιμνίον, *id est,* Ouile.

Gen. 37.
Lucæ 2.

POLLVTIO NOCTVRNA. *Palladius cap.* XXII. *de Moyse,*

Moyse, qui latro fuerat, turpibus somnijs vexato, qui ob eam caussam Sacramentis abstinebat, cùm eum Isidorus presbyter ab ijs liberasset, ait ei: Bono deinceps & fidenti animo communica Sacramentis. *Vnde apparet, olim ex religioso animo plerosque Communione abstinuisse, cùm turpia somnia & pollutio nocturna ijs de nocte obtigissent. Vide Cassianum accuratè in nocturnam illusionem inquirentem* Collat. XXII. *capite* IV. V. VI. *Dubius etiam in hac re hæsit Augustinus Anglorum Apostolus, qui Gregorium Papam ideò consuluit apud Gratianum dist.* VI. *cap.* Testamentum. *Inter Scholasticos consule principem Scholasticorum, D. Thomam Aquinatem* III. *parte, quæst.* LXXX *art.* 7.

POSCA. *Heraclides capite* XXV. Olera tantùm & poscam, & lenticulam per solum biennium gustans. *vbi Heruetus nouitius Palladij interpres pro* poscam *posuit* ptisanam. *Etiam vetus Palladij interpres* ptisanas *habet. In Græco est* ὀξύκρατον. *Post apud Heraclidem* c. XLII. Per reliquum æui sui tempus poscâ & sicco pane contenta viuebat. *vbi Heruetus in Palladio suo pro* poscâ *retinuit* oxycrato *ex Græco. Certè vetus Lexicon Græco-latinum habet* Ὀξύκρατον, posca. *Plinius quoque lib* XXVII. *cap.* IV. *vertit:* Radix decoquitur in poscâ dolori dentium, *quod Dioscoridi lib.* II. *capite* CXXIX. *de ononide, seu anonide est:* ἀφεψηθεῖσα δὲ ἡ ῥίζα ἐν ὀξυκράτῳ, καὶ διακλυζομένη, πόνον ὀδόντων πραΰνει. *Idem Plinius lib.* XX *cap.* IV. *poscæ meminit:* Satiui raphani in poscâ decocti, contra serpentium morsus illinuntur. *Item lib.* XXII. *capite* XXV. Ad iocineris dolores eam (*farinam hordei*) cum poscâ concoqui opus est, aut cum vino. *& nomen hoc aliquoties eodem capite repetit. Idem libro* XXX. *cap.* VII. Tormina sanat palumbus ferus, ex poscâ decoctus. *Suetonius Vitellio, capite* XII. Cùm Puteolis poscam vendentem deprehendisset. *Spartianus in Hadriano:* Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, larido, caseo, & poscâ, exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, & auctoris sui Traiani. *Cornelius Celsus libro* III. Dari potest intrita, vel ex aquâ calidâ, vel ex poscâ. *Alexander Trallianus libro* XI. Πρὸ μιᾶς δὲ αὐτὸ τῆς ἡμέρας ἀπέψησον, ἢ εἰς ῥοσάτον, ἢ εἰς φοῦσκαν: Pridie benè excoctum impone rosato vel poscæ.

Confundunt plerique Grammatici & Lexicographi recentiores poscam *cum* lorâ *vel* zytho, *quos redarguit Brodæus libro* IV. *Miscellan. cap.* XI. *In eadem opinione fuit etiam auctor Glossarij Camberonensis manuscripti, dum ait:* Pusca, vinum secundum. *vinum autem secundum seu secundarium, nihil aliud est quàm lora. Quid vinum secundum sit, explicat idem Glossarium:* Acini dicuntur proiectæ vuarum reliquiæ, & ideò corripit pænultimam. quoniam non de nomine, sed de verbo deriuatur hoc nomen, Hic acinus, huius acini. Acinum verò neutraliter dicitur, quâ lauantur vuæ post expressum vinum: acinum dictum, quasi aquidum, vocaturque vinum secundum, & est potus seruorum.

Quid posca *seu* φοῦσκα *sit, explicat Phæmon Cynosophij cap.* VII. Φοῦσκα δέ ἐστιν ὄξος, καὶ ὕδωρ θερμὸν, καὶ ὠὰ δύο: Est phusca seu posca, acetum & aqua calida, & oua duo. *Ita quidem ille poscam aptat pro remedio canis, qui incaluit. Aliàs posca simpliciter, est potio ex aquæ acetique mixturâ temperata, quæ militibus in vsu, quæ sæpè solius aceti nomine exprimitur: Plautus Rudente:* Sed hic rex cum aceto pransurus est & sale. *Spartianus in Pescennio:* Iussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse contentos. *Vulcatius in Auidio:* Præter laridum, & buccellatum, & acetum.

Aliud opinor φοῦσκα *Moschopulo:* φύσκη, ἡ κοινῶς φοῦσκα: Physca, vulgariter phusca. *Aristophanis quod Hesychio,* φύσκη, κοιλία, καὶ τὸ παχὺ ἔντερον: physca, ventriculus & crassius intestinum, *vel quod Coronæ pretiosæ,* φοῦσκα, vesica, κύστις.

POSTLIMINIVM. *Vita Malchi cap.* IV. Ego enim longo postliminio hereditarius possessor. *vox ea Hieronymo sæpiùs vsurpata. Idem epist.* XII. *ad Gaudentium:* Et post neces amicorum, luctumque perpetuum, infanti senex, longo postliminio scriberem. *Idem præfat. comment. in Ionam:* Igitur tanto pòst tempore, quasi quodam postliminio à Ionâ interpretandi initium sumens. *Idem in Prologo Iosue:* Et omissum iam diu opus quasi quodam postliminio repetere. *Occurrit frequenter apud Iurisconsultos: vide Lexicon Brissonij. Cic. pro Cornelio Balbo:* Quid si ciui Romano licet esse Gaditanum, siue exilio, siue postliminio, siue reiectione huius ciuitatis. *Prudentius in Hamartigenia:*

Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio.

Lactantius lib. IV. *cap.* XXII. Si quis ab inferis rediens postliminiò vitam recepisset.

PRÆFECTIANI. *Vetus Palladij Lausiaca cap.* XV. *de Euagrio:* Adfuit ei angelica visitatio in schemate præfectiani. *Palladius Herueti cap.* XXV. adstitit ei visio angelica præ se ferens speciem militum præfecti. *Græcè est:* Ἐπέστη αὐτῷ ἀγγελικὴ ὀπτασία ἐν σχήματι στρατιώτου τοῦ ἐπάρχου. *Nouella* CXXIIII. XVII. Ἐν τάξει τῶν ἐνδοξοτάτων ἐπάρχων ἀναφερομένων. Apparitores magnificentissimi & gloriosissimi præfecti prætorio. *Concil. Chalced. Act.* I.

PRÆFECTVS. ἔπαρχος. *Diuersus hic à* Præside. *Sæpè tamen interpretes* ἔπαρχον *non ritè* Præsidem *vertunt. Palladius cap.* III. Eam traderet Præfecto Alexandrino. *in Græco,* ἐπάρχῳ. *Heruetus* Præsidi *verterat, & sic fermè semper. Alexandriæ autem & Ægypto, non Præses, sed Præfectus præsidebat. Sæpiùs quoque in his libris occurrit* ἀπὸ ἐπάρχων, expræfectus. *quod hîc & alibi non ritè versum. Vide Frontonem nostrum ad Chrysostomum.*

PRÆPOSITVS SACRI CVBICVLI. *Palladius de Lauso in Præfatione Lausiacæ historiæ:* Ad Lausum Præpositum. *Cuius rei præpositus fuerit, declarat ipse in Epilogo libri, vbi eum vocat* πραιπόσιτον τοῦ εὐσεβεστάτου κοιτῶνος, præpositum sacri cubiculi. *Occurrit officium hoc in Nouellis* XXII. III. IIII. ὁ τῶν βασιλικῶν κοιτώνων προεστώς. *Et apud Zosimum. Notitia Orientis:* Sub dispositione viri illustris Præpositi sacri cubiculi domus diuina per Cappadociam.

PROASTION. Προάστειον, suburbanum, *seu* prourbium. *Vita Basilij cap.* II. Inuenit (*eum*) in proastio cum philosophis. *Ruffinus lib.* III. *n.* 19. Prope proastium qui vocatur in Septimo. *quod in eadem re apud Pelagium libello* XV. *n.* 66. *suburbanum dicitur. Paulus Diaconus De gest. Longob. lib.* VI. *c.* LVIII. Rex Luitprandus in Olonnâ nihilo minùs suo proastio, miro opere in honorem S. Anastasij martyris Christo domicilium statuit. *quo loco hallucinatus est Bonav. Vulcanius, qui quia* prohastio *in libro suo inuenit, existimauit dignitatis nomen esse, ab hastâ deriuatum, quasi qui hastam seu contum regium ferret: sed imposuit illi librariorum sequioris æui mos, qui pleraque aspirabant. Epistola Iustiniani Imp. ad Placidium:* Cum portubus, aquis, aquarúmve decursibus, siluis, proastijs. *Germanus in Sanctis:* Κἂν προάστειον ἢ ματαίαν

PROTO-

Protocomites. Προτοκωμήτης, primus *seu* Princeps pagi. *Palladius Lausiaca historia cap.* LXIV. *in Paphnutio:* Καὶ πάλιν φωνὴ πς γίγνε πρὸς αὐτὸν λέγουσα· Ἔοικας τῷ ἐν πλησίον κώμης πρωτοκωμήτῃ. *quæ ita vertit Heruetus:* Et rursus vox diuina ad eum facta est: Es similis vicini pagi protocomiti. *Rectè Ruffinus lib.* II. *cap.* XVI. πρωτοκωμήτην *vertit* primarium vici. *Alius* protocomes, πρωτοκόμης, primus, *seu* princeps Comitum, *quæ dignitas erat comitiua in palatio, exercitu, prouincijs. Vide Iurisconsultorum Lexica.*

Psiathvs, Psiathivs *vel* Psiathivm. *Sapiùs occurrit in Vitis Patrum. Vita Pachomij capite* XLIII. Ac ne otiosus essem, psiathos elegi cum fratribus texere. *cap.* XLVII. Venit ad fratres, qui psiathos operabantur. *cap.* LIII. Semper autem psiathios operabantur. *Vita Abraham eremitæ capite* III. Nec non & vnum psiathium, in quo cubitare solebat. *& cap.* XIV. Psiathium suum, super quod subsistebat, cœpit vehemens flamma comburere. *Vita Ioannis Eleëmosynarij cap.* XX. Quanti sunt modò, qui psiathum habentes subtus dimidium, & supra dimidium, non possunt extendere pedes suos. *Vita Euphrosynæ cap.* XVI. In eadem cellâ demoratus est, in eodem psiathio dormiens in quo Euphrosyna. *Vita Mariæ neptis Abrahæ cap.* VIII. Quinquaginta annos conuersationis tuæ, super psiathium cubitaueras.

Frequens hæc vox in supellectile antiquorum monachorum. Psiathium *Græcis teges siue storea ex iunco aut papyro confecta. Eâ pro lecto & stragulo vtebantur monachi Ægyptij. Glossarium:* Teges, Ψιάθιον. *Vide Cassian. lib.* IV. *Instit. capite* XIII. *& Collat.* I. *capite* XXIII. *Hesychius:* Ψιάθια τὰ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀντὶ τῶν καθεδρῶν ὑποστρώματα: Psiathia, quæ in iudiciorum loco cathedris insternuntur. *Idem:* Ψίαθος, ἡ χαμεύνη, καὶ τὸ φυτὸν, ἐξ οὗ πλέκεται ψίαθος: Psiathus, lectus humi stratus, & frutex, ex quo plectitur psiathus. *Vide eumdem in* Κάννα, *&* Κάναθρα.

Ptisana. *Palladius Lausiacâ ex veteri interpretatione cap.* XV. Propter infirmitatem stomachi coctum cibum accipere compulsus est. Panem quidem iam non contigit; olera verò & ptisanas, ac legumen vsque ad duos annos accipiens, ita defunctus est. *Quo loco Heraclidis interpres c.* XXV. Cùm necesse esset corpori eius propter stomachi infirmitatem, vt coctum sumeret cibum, panem quidem attigit numquam, olera tantùm & poscam, & lenticulam per solum biennium gustans. *Palladius ex interpretatione Herueti cap.* LXXXVI. Cùm caro propter imbecillitatem corporis & stomachi, opus haberet vt aliquid sumeret quod per ignem transijsset, panem quidem tetigit, nequaquam autem sumpsit cocta olera, sed vel ptisanam, vel legumina duos annos. *qui locus si cum interpretatione priorum conferatur, legendum videtur,* panem quidem tetigit nequaquam, sumpsit autem cocta olera, vel ptisanam, vel legumina duos annos. *Omnino nugatur hic Goldastus scribens ad Regulam S. Columbani, legensque* pisanas *pro* ptisanas: Pisana, *inquit,* pulmentarium ex pisis confectum. *Carere poteramus hac crisi contra consensum omnium interpretum, qui in Græco vel πτισάνην inuenêre, & in Latino textu retinuêre, vel per* poscam *idem voluêre exprimere.*

Ptochivm. *Vita Euphrosynæ cap.* VII. Ecce ptochia, hierocomia, xenodochia, monasteria. *Pleræque editiones pro* ptochia, *habent* tapetia, *nullo sensu.* Ptochiorum *frequens apud veteres mentio. Canon* X. *Concilij Chalcedonensis, Oecumenici* IV. Ἤτοι τῶν ὑπ' αὐτὴν μαρτυρίων ἢ πτωχείων, ἢ ξενοδοχείων: Vel eorum quæ sub eâ sunt martyriorum, vel ptochiorum, vel xenodochiorum. *& can.* VIII. Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων, καὶ μοναστηρίων, καὶ μαρτυρίων: Clerici ptochiorum, monasteriorum & martyriorum. *Vox Græca etiam Latinis vsitata. Testamentum S. Remigij:* Sicut disposuero in ptochijs, cœnobijs, martyrijs, diaconijs, xenodochijs, omnibusque matriculis sub tuâ ditione degentibus. *Capitularia lib.* VII. *Tit.* II. Clerici qui præficiuntur in ptochijs; vel qui ordinantur in monasterijs, vel basilicis martyrum *quæ desumpta sunt ex can.* VIII. *Concilij Chalcedonensis iam citato. Plura de ptochijs & ptochotrophijs in Iuris Lexicis.*

Racana *seu* Rachana. *Vita Ioannis Eleëmosynarij cap.* XXVI. cum storeis & rachanis. *vnde* rachanellæ *cap.* XX. Venumdabantur enim quatuor rachanellæ numismate vno. *Ennodius lib.* IX. *epistolâ* XVII. *ad Apodemiam:* Lænam & racanas, cuius vos volueritis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite. *Iacobus Sirmondus noster ibi notat: Racana quod genus vestimenti fuerit, non liquet; ad calceamenta referenda videntur; vt & raga & tzanga. L.* III. *Cod. Theod. De habitu quo vti oporteat intra vrbem:* Intra vrbem Romam nemo vel ragis vel tzancis vtatur. *Ita ille. Dubito an hæ* ragæ *ad* racanas *spectent. Potiùs existimem* racana *detortum à Græco* ῥάκα, *quod vile vestimentum, vt etiam hîc, de racanâ intelligitur. Nam iungitur apud Ennodium cum lanâ, quæ abiecta vestis. Corrupto Ennodio vsus est Claudius Salmasius, dum ad Vopisci Firmum Tyrannum citat* lanæ racanas. *Hesychius:* Ῥάκη, ἀποσπάσματα, ἀποσχίσματα, ἱμάτια: Præsegmina, diuulsiones, vestes. *Idem:* Ῥάκος, διερρωγὸς ἱμάτιον: lacerum vestimentum. *Idem:* Ῥάγη, ἀποσχίσματα καὶ ἀποσπάσματα: rupturæ & diuulsiones. *Hinc igitur nunc* racana *nunc* rachana *scribunt.*

Apud Nicetam Choniatem lib. II. *De rebus gestis Alexij Angeli,* ῥακενδύτης, *cui Glossa MS. ascribit* μοναχός. *Sic apud eumdem libro De rebus post expugnatam vrbem gestis:* ῥάκεσιν ἐσκεπασμένοι, pannis inuoluti. *& apud eumdem lib.* III. *De Isaaci Angeli imperio,* ῥακενδύτης *exponitur à Glossatore* ῥασοφορῶν, rasam ferens. *de quâ vide in* Schema.

Raphanelævm. *Pelagius lib.* V. *De Vitis Patrum libello* IV. *n.* 59. Vasculum, in quo erat raphanelæum. *Editiones vulgatæ cum addito legunt:* raphanelæum, id est lini oleum. *Parisiensis editio, omisso verbo* raphanelæum *substituit,* oleum de semine lini expressum. *Raphanelæum quid sit, describit Plinius lib.* XIX. *cap.* V. *agens de raphano:* Ægypto mirè celebratur, propter olei fertilitatem, quod è semine eius faciunt. Hoc maximè cupiunt serere, si liceat: quoniam & quæstus plusquam ex frumento, & minus tributi est, nullumque copiosius oleum.

Regia, *absolutè positum portam primariam significat. Vita Mariæ Ægyptiacæ cap.* V. Regia autem monasterij numquam aperiebatur. *Sic apud Ennodium epigrammate* XVII. *inscriptio est:* Super regiam triclinij in domo, *quæ Heliconem montem cum aquis suis præferebat. Gregorius Turonensis libro* IV. *cap.* XIII. Dum deambulabant per ecclesiam ad regias ædis sacræ, quæ tunc reseratæ fuerant, appropinquant. *Anastasius Bibliothecarius in Honorio:* Inuestiuit regias in ingressu ecclesiæ maioris quæ appellantur medianæ, ex argento. *Item in Cono-*

ne: Qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regias basilicæ, clausas obseruabant.

Regvla. *Regulam ab Angelo accepit Pachomius. Vita eius cap.* xii. Quam regulam Tabennenses hodieque custodiunt. *Quare labitur Ioannes Meursius in Glossario suo Græco barbaro, dum verbo* Μοναχὸς *existimat S. Benedictum Regulam monachis primum præscripsisse. vel ipse Benedictus Regula sua cap.* lxxiii. *priorem S. Basilij Regulam agnoscit:* Collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, sed & Regula S. Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium monachorum instrumenta virtutum. *& iam antè Pachomius ab Angelo Regulam acceperat. Quare quod Hildegardis dicit de Benedicto primo Regularum auctore, intellige de Italiâ, quam ipse primus suâ Regulâ maximè illustrauit.*

Rescella. *Pelagius lib.* v. *De Vitis Patrum libello* x. *n.*18. Dedit ei aurum, & numos, & rescellas, & omne quod in responso suo habebat. *& n.*76. Vestes meæ inæstimabili pretio dignæ erant, & pro his vtor has viles rescellas. *videntur* rescellæ *hîc capi pro vili vestimento. Sic apud eumdem Pelagium libello* xiii. *nu.*i. Vestiuit se rescellas suas, quas priùs habuerat. *Glossarium Camberonense MS.* Recella, diminuitur à reculâ, recula autem à re. *Charisius Sosipater lib.*i. *Grammaticæ à* res *deducit* reculam, *vt à* spes specula. *Ita & Priscianus super* xii. *vers. Æn. in illud lib.* iii. *Æneid.* Postquam res Asię. *Ibidem in Glossario Camberon.* Rescellæ, genus indumenti, id est, pelles. *Apuleius lib.* iv. *Metam.* Quid paupertinas pannosasque resculas miserrimæ anus donas vicinis diuitibus. *ergo à* res *primùm* rescula, *inde* rescella. *Liceat hic coniecturam meam proponere de loco apud Apuleium lib.* iii. *Metamorph. deposito:* Specta denique, quàm paruis quamque futilibus tanta res procuretur. Hercules anethi modicum cum folijs lauri immissum, rore fontano datur lauacrum, & poculum. *Beroaldus ait olim fuisse* Herculis, *& ipse reformat* Hercules, *vt sit asseueratio per Herculem, quale est illud* mehercules, mediusfidius. *Lipsius lib.*ii. *ep. qq. ep.* xxii. *ait dormiuisse magnum interpretem (Beroaldum:) vetus lectio* Herculis. *legit ipse:* tanta res procuretur herbulis. Anethi, *&c. Ita ille. Scio equidem multum herbarum vsum fuisse in re magicâ, vnde apud eumdem Apol.*i. radiculæ, herbæ, surculi. *& lib.* ii. *Metam.* surculis & lapillis & id genus friuolis inhalatis. *E quibus videri quoque possit legendum* surculis *pro* herculis. *Malim tamen legere* reculis: i. *Quia soliti olim scribere* hreculis *vt* Hrenus, Ludouicus *in MS. vetustissimo, vnde transpositione fecêre* herculis. 2. *Reculæ sequentia omnia comprehendunt,* anethum, laurum, rorem fontanum; *non ita* herbulæ, *quæ in nullum istorum quadrant, si* anethum *de semine capias.* 3. *Reculæ hîc quod libro* ii. *apud eumdem* friuola. 4. *Reculas vsurpat idem auctor lib.* iv. *Metamorph. iam citato.*

Dicebatur & Reicula. *Capitularium lib.* vii. *tit.* cxcii. Qui reiculam ecclesiæ petunt à regibus & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt. *Chronicon S. Galli De gestis Caroli Magni:* Quòd reiculæ S. Galli non ex regalibus donarijs, sed ex priuatorum traditiunculis collectæ.

An reicvlæ *hæ Ecclesiarum sunt illa ipsa, quæ Græcis dicebantur* πτωχικά? *Balsamon ad Can. Apost.* lix. Ὁ ἐπίσκοπος ὀφείλει μετὰ τὴν ἀναγκαίαν αὐτῷ δαπάνην, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν κληρικῶν συνήθη οἰκονομίαν, τὰ περιττεύοντα ἐκ τῶν εἰσόδων τῆς ἐκκλησίας διαδιδόναι πρὸς πένητας. πτωχικὰ γὰρ καλοῦνται: Episcopus post necessarios sibi sumptus, & ecclesiæ ac clericorum consuetam dispensationem, superflua ex ecclesiasticis reditibus debet distribuere pauperibus. Nam πτωχικὰ, id est, pauperum bona vocantur. *Et in eumdem Canonem Zonaras:* Τὰ τῶν ἐκκλησιῶν πράγματα ἡ γραφὴ πτωχικὰ ὀνομάζει, καὶ δεῖ ταῦτα διαδίδοσθαι τοῖς πτωχοῖς: Scriptura nominat ecclesiarum bona πτωχικὰ, quæ πτωχοῖς, id est, mendicis & inopibus distribui oportet.

Restes Piscivm. *Vita Ioannis Eleëmosynarij cap.* xix. Mille restes siccatorum piscium, qui menomenæ dicûtur. *Sic Martialis lib.* xii. *ep.* xxxii.

Caluæque restes allioque, cepisque.

vbi restibus caluitiem tribuit, vt veteres & tritas ostendat, è quibus allia & cepa pendere solita.

Ricinvs. *Palladius cap.* lxxxvi. adeò vt corpus eius non secùs ac corpus ferarum animantium ricinis scateret. *Heruetus verterat,* scateret muscis. *Græcè est:* ὡς καὶ τὸ σῶμα κρότωνας ἐκβρᾶσαι. *Dixi de hoc satis fusè ad veterem Palladij Lausiacam. Nunc quædam addo ex Frontone nostro:* Κρότων *hîc rectiùs sumitur pro* ricino. *vt sit* τὸ ἐν κυσὶ καὶ βουσὶ γινόμενον. *Plinius lib.*xi. *c.* xxxiv. Est animal infixo semper sanguini capite viuens, in bubus frequens, in canibus aliquando, in ouibus & capris hoc solum. *Suidas vocat* κυνείους φθεῖρας, pediculos canum. *Aristot. lib.* v. *Historiæ Animalium cap.* xxxi. Τὰ δὲ πρόβατα καὶ αἶγες κρότωνας ἔχουσι, τοῖς δὲ κυσὶν οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοραισταί. Oues & capræ rediuios habét, canibus propriû est. Oues & capræ rediuios habet, canibus propriũ sui. Oues & capræ rediuios habet, canibus propriũ ricinus, qui ab eodem animali nomen cynorrhaistę accepit. *Columella lib.* vi. *c.* ii. rediuiorum, *Plinius lib.* xxii. *c.* xviii. ricinorum *canum meminit.* Ἐκβρᾶσαι, *ut ad verbum esset,* ebullire faceret, effunderet, *vt* ii. *Machab. cap.*i. *vers.* xii. Αὐτὸς γὰρ ἐξέβρασε τοὺς παραταξαμένους ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει. Ipse verò ebullire fecit eos, qui pugnauerunt in sanctâ ciuitate.

Rosarivm. *Vsus orationes annumerandi Deo per calculos habes hîc exemplum apud Palladiũ c.* xiii. *de Paulo in monte Pheane habitante:* Hic habebat trecentas preces expressas & præstitutas, totidem habens in sinu calculos, & in vnaquaque oratione iaciens vnum calculum, ψῆφον. *Idem de eo narrat Sozomenus lib.* vi. *cap.* xxix. *& ex eo Cassiodorus lib.* viii. *cap.*i. *Etiam diuam Claram sanctissimam feminam precariis calculis vsam, vt Deo orationes suas annumeraret, produnt eius Acta. Nec superstitiosus est hic calculorum vsus; non magis quàm duodecim lapides, quos Iosue iussit militibus suos sicco pede transeuntes secum ex alueo Iordanis in castra deferre, nempe vt commonitorij essent beneficij à Deo Opt. Max. præstiti.*

Sabvlvm. *Vita Pauli primi eremitæ capite* xi. Sabulum capiti superiaciebat. *Vita Hilarionis capite* xxxiii. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo. *Glossarium Camberonense MS.* Sabulum, genus terræ leuissimum. *Plin. lib.* xviii. *c.* xviii. Quippe sabulum subest, granumque limo tantùm continetur. *Hieronymus in cap.* xlvii. *Ezech.* Ad tumulos sabuli orientalis.

Sabulum autem capiti superiacere *sollemne erat apud plurimas gentes in luctu, maximè funebri. De Ægyptiis, testis hæc Vita.*

De Romanis Virgilius lib. x. *Æneid. de Latino Rege ob coniugis & vrbis fata:*

——— it scissâ veste Latinus

Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruinâ,

Cani-

Canitiem immundo perfusam puluere turpans.
Et libro x. de Mezentio propter Lausum filium ab Æneâ occisum:
Agnouit longè gemitum præsaga mali mens:
Canitiem immundo deformat puluere. ——
Idem in Ciri:
—— Clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat puluere crines.
Catullus in Argonauticis:
Canitiem terrâ atque infuso puluere fœdans.
Silius Italicus lib. XII. *De Campanis:*
—— nunc fœdantes in puluere crinem
Canentem.
Ouidius lib. VIII. *Metamorph. fab.* IV.
—— Oeneus
Puluere canitiem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusus.

De Græcis testis Homerus Iliad. Σ. *vbi Achilles auditâ morte Patrocli:*
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς.
Ambabus autem manibus capiens puluerem calidum,
Fudit super caput.
Idem Iliad. Ω *de Priamo, qui puluere aspersus filij Hectoris mortem deflet.*

De Iudæorum more in hac eadem re notum nimis ex Sacris litteris.

SANCTORVM CORPORA INCORRVPTA. *Vitæ Hilarionis cap.* XXVIII. Et toto corpore, quasi adhuc viueret, integro. *Ioannes Moschus Prati spiritualis cap.* CXXI. *de duobus monachis præ siti mortuis:* Inuenimus verò ambos integros, sumentesque illos, sepeliuimus in Raythu. *Multorum Sanctorum corpora Deus hac integritate honorauit.*

S. Vrsini *primi episcopi Bituricensis, apud Gregorium Turonensem De gloriâ Confessorum c.* LXXX.

S. Eligij *apud Surium* I. *Decembris, auctore Audoëno Rothomagensi episcopo.*

S. Sigeberti *regis Francorum, auctore Sigeberto monacho Gemblacensi apud Sur.* I. *Febr. tomo* VII.

S. VVenceslai *ducis Bohemiæ, per Ioannem Dubrauium Olomucensem episcopum* XXVIII. *Septembr. apud Surium tomo* VII.

S. Stanislai *episcopi & martyris, apud Surium* XI. *Aprilis.*

S. Huberti *episcopi Leodiensis, apud eumdem* III. *Nouembris.*

S. Othmari *abbatis Sangallensis, auctore VValafrido abbate Augiensi apud Surium* XVI. *Nouembr.*

S. Edmundi *episcopi Cantuariensis, apud Surium* XVI. *Nouembris.*

S. Raynaldi *archiepiscopi Rauennatis, auctore Hieronymo Rubeo* XVIII. *Augusti, apud Surium tomo* VII.

S. Sosij *diaconi, auctore Ioanne diacono* V. *Ian. apud eumdem eodem tomo* XXIII. *Septembris.*

S. Honorati *episcopi Arelatensis auctore Hilario epis. Arelatensi, apud eumdem tomo eodem* XVI. *Ian.*

S. Iudoci *auctore Florentio abbate, apud eumdem tomo eodem* XIII. *Decembris.*

S. Hermanni *seu Iosephi Canonici Steinfeldensis, apud eumdem tomo eodem* VII. *Aprilis.*

S. Theodori *Studitæ, auctore Michaële Studitâ* XI. *Nouembris.*

S. Edilbergæ *virginis, apud Bedam l.* III. *Hist. Anglicanæ cap.* VIII. *Iulij* VII. *in* VII. *tomo Surij.*

S. Ludmillæ *martyris, in Vitâ S. VVenceslai suprà.*

Plura non congero. Similia exempla sæpissimè in Sanctorum Vitis occurrunt. vide quædam apud Ioannem Baptistam Signium in eius Reliquiario c. XXI. *& Gretzerum nostrum in Apologiâ* II. *&* III. *pro vitâ S. Ignatij nostri lib.* IV. *cap.* I. *contra Misenum Caluinistam, & apud Kormannum De miraculis mortuorum parte* III. *Vide & Gretzerum De funere Christiano lib.* I. *cap.* IV.

SANCTVARIVM. *Vita Euphrasiæ cap.* I. Multasque oblationes in ecclesijs & sanctuarijs offerebat. *& cap.* V. Quæ etiam illic vacans in sanctuarijs. *Nescio an hîc* sanctuaria *vocet* σεμνεῖα, *id est, monasteria. Aliàs* sanctuarium *certus in templo locus. Vide* SECRETARIVM.

Aggenus comment. in Frontinum De limitibus agrorum: Profanum autem, quod dum sanctum fuisset, posteà in vsu hominum factum, hoc est extra fanum, extra sanctuarium, profanum dictum est.

Dicta etiam sanctuaria *vela quædam sacra seu brandea. de quibus ita Baronius Notationibus ad Martyrologium Romanum ad diem* XV. *Ianuarij, postquam recitauit verba S. Germani & collegarum legatorum Apostolicorum ad Hormisdam Papam:* Vnde si beatitudini vestræ videtur, sanctuaria beatorum apostolorum Petri & Pauli, secundùm morem, ei elargiri præcipite; & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere vestrum est deliberare. *Exstant ad eosdem legatos Hormisdæ Papæ, de eadem re scriptæ litteræ, aliæ itidem ad Iustinianum, significantis se tantùm* sanctuaria *mittere. Per* sanctuarium *autem velum intelligere debemus, quod S. Gregorius in epistolâ ad Constantiam Reg. lib.* III. *epist.* XXX. brandæum *appellat, ex quo sanguis effluxit, cùm à S. Leone Papâ (vt ait) forcipibus incideretur. Alibi autem idem appellat* velamen, *quod admoueri solitum erat sanctis martyrum corporibus, vt lib.* IV. *epist.* XLIV. *ex Synodo Romanâ, & libro* XII. *decret.* IV. Brandæum *item appellat velum illud Ioannes Diaconus in Vitâ S. Gregorij libro* II. *capite* XLII. *cùm ingens eâ de re miraculum narrat. Hactenus Baronius.*

Erant & regum & principum sanctuaria, *secreta videlicet & arcana tabularia. Plinius libro* XXIII. *cap.* VIII. In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti. *Siculus Flaccus in libro De conditionibus agrorum:* Quòd si quis contradicat, sanctuarium Cæsaris respici solet; omnium enim agrorum & diuisorum & adsignatorum formas, sed & diuisionem, & commentarius & principatus in sanctuario habet. Qualescumque enim formæ fuerint, si ambigatur, de eorum fide ad sanctuarium principis reuertendum erit.

SARTAGINES IGNITÆ. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* II. Qui ignitas sartagines antè superasset. *Huius supplicij mentio* II. *Machab. cap.* VII. *quod ita exprimit Prudentius* Περὶ στεφ. *hymno* XIV.
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec mouebatur parens,
Lætata, quoties aut oliuo stridula
Sartago frixum torruisset puberem.
Plura de his vide apud Antonium Gallonium lib. De sanctorum martyrum cruciatibus cap. VII.

SATYRI. *Hieronymus in Vitâ S. Pauli primi eremitæ cap.* VII. Quos vario delusa errore gentilitas

tas Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit. *De Satyris consule Lilium Gregorium Giraldum Historia deorum Syntagmate* XV. *& Martinum Delrium nostrum parte* III. *Commentarij in Senecæ Oedipum, Natalem Comitem libro* V. *Mytholog. capite* VIII. *& Conimbricenses nostros in lib.* II. *Physic. cap.* IX. *quæst.* V. *art.* 2.

Scalpræ. *Hieronymus vitâ Pauli primi eremitæ cap.* IV. Erant prætereà per excisum montem non pauca habitacula, in quibus scalpræ, etiam incudes & mallei, quibus pecunia olim signata, visebantur. *Ita vetustissimi MS. pro* scabræ. *Papias Vocabulista.* Scalpere, fricare, terebrare Scalprvs dictus, quòd pituris & foraminibus sit aptus, quasi scalphorus; cuius diminutiuum scalpellus facit. Scalpra, ferrum quo corium aptatur, quo fabricantur formæ sutorum. Scalpellvs, ferrum quo corium aptatur, quo fabricantur formæ sutorum, & quo chartas corrigunt. *Ioannes à Ianuâ in Catholico:* Scalprvm à scalpo, pis, dicitur hoc scalprum, pri. & hic scalprus, id est, ferrum, cum quo corium aptatur vel raditur, vel cultellus, vel capulus scriptorum. Item scalprum vel scalprus dicitur quoddam ferreum instrumentum, quod alio nomine dicitur celtes. Vnde hoc scalpellum, li; & hic scalpellus, li, diminutiuum secundùm Hugutionem. Vnde Ieremiæ 36. Scidit illud scalpello scribæ. *Vocabularium Gerardi de Schueren:* Scalprvm, pri, & Scalprvs, pri. **Een yser daermen leder mede schauet: oft een scherp messken der schhuuer: oft een yseren beytel.**

Scapvlare. *Vita Antonij capite* XXIII. Lauit ependyten suum, id est scapulare. *ita plerique editi: sed* scapulare *interpretamentum prioris è margine in textum irrepsit.* Scapulare *propriè* ἐπωμὶς.

Schema. *Vita Euphrosynæ cap.* VII. Induitque eam tunicam schematis. *Vita Euphrasiæ siue Eupraxiæ cap.* VIII. Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate. *Anastasius Persa Ian.* XXII. *in Menæis:* Καὶ γενόμενος ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Σάββα τὸ ἱερὸν τῶν μοναχῶν σχῆμα λαμβάνει: Existens in monasterio S.Sabæ sacrum monachorum habitum sumit. *Sæpissimè occurrit apud scriptores asceticos.*

Sed quia duplex fuit schema monachicum, *vnum, quod dicebatur* τὸ μικρὸν σχῆμα, *siue* τοῦ μανδύα, paruum schema, *siue* schema mandyi; *alterum quod dicebatur* τὸ μέγα, *siue* τὸ ἀγγελικὸν, magnum *siue* angelicum schema; *iuuat hic ex Euchologio quædam vtriusque generis attexere, omissis precibus, ritus tantùm attingendo, præmisso antè Ordine instituendi nouitium.*

Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα.
Ordo instituendi Nouitium rasam ferentem.

Quod in Indice capitum ita concipitur paulò pleniùs: Ἀκολουθία γινομένη εἰς τὸ φορέσαι τινὰ ῥάσον μόνον καὶ καμηλαύχιον: Ordo, qui seruatur in ferente tantùm rasam & camelauchium. *Non rectè apud Meursium in Lexico Græco-barbaro in* ῥάσα *ponitur negatio* μὴ *ante* καμηλαύχιον. *igitur ita instituitur nouitius:*

1. Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς: Sacerdos nouitium in crucis formam tondet.

2. Ἐνδύει αὐτὸν χιτῶνα, καὶ καμηλαύχιον: Induit eum tunicâ & camelauchio.

Ex quibus patet, ῥάσα tunicam *fuisse. rudem & asperam, non mollem, indicat Nicetas in Manuele Comneno libro* VII. Τὸ μοναδικὸν σχῆμα ᾔτησε, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ὅθεν δὴ φέροντές τινος μοναχοῦ ῥάσα περιδύουσι μετ' αὐτὴν, καὶ ἀπεκδύουσι τὰ μαλακὰ καὶ ἀρχικὰ ἀμφία: Monachicum schema expetiit, & qui ei astabant, nescio vnde inuenientes cuiusdam monachi rasam, eâ eum induerunt, & exuerunt eum vestibus mollibus & imperialibus. *Ita quidem citat Ioannes Meursius in Glossario Græco-barbaro, pro quo vulgata editio habet:* Καὶ τῆς πνευματικωτέρας ἀμφιάσεως, ἐχούσης τὸ ἀπαράβατον ῥιβωνίου μέλανος, οἱ περὶ τὴν βασιλέα ὅθεν δὴ ἀποῤῥήσαντες: Et spiritualem vestem nigro panno omnis ornatus expertem ministri nescio vbi nacti. *Sic quæ eodem libro sunt* ἐσθήματα *scilicet* μοναχικὰ, *Glossæ veteres MSS. apponunt* ῥάσα. *& eiusdem Manuelis lib.* IV. *vbi* μέλαν ἄμφιον, *Glossa apponit* ῥάσα. *& apud eumdem Nicetam lib.* II. *De imperio Isaaci Angeli, vbi in textu est,* μέλαν ἄμφιον, *Glossa MS. ascribit* ῥάσα. *Sic apud eumdem lib.* III. *de eiusdem Isaaci Imperio,* ῥακενδύτης, *quod Glossa MS. explicat per* ῥασοφορῶν.

De camelauchio *suprà satis diximus.*

Rasæ *indumentum mysticè significabat* sanctificationis stolam. *Colligitur ex Oratione quæ est in Euchologio:* Ἔνδυσον αὐτὸν ἁγιασμοῦ στολὴν, σωφροσύνῃ περίζωσον τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, πάσης αὐτὸν ἐγκρατείας ἀνάδειξον ἀγωνιστήν: Indue ipsum sanctificationis stolam, temperantiâ circumcinge lumbos eius, omnis ipsum continentiæ ostende pugilem.

Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος ἤτοι τοῦ μανδύα.
Ordo instituendi monachum parui schematis, seu mandyi.

1. Τίθησιν ὁ ἱερεὺς ἐπάνω αὐτοῦ τὸ σχηματολόγιον: Sacerdos ponit super eum schematologium.

2. *Deinde accepto in manu psalidio seu forcipe,* κουρεύει αὐτὸν ὁ ἱερεὺς σταυροειδῶς: Tondet eum sacerdos in formam crucis.

Quæ crinium resectio irrationalium cupiditatum reiectionem significat, quod insinuatur in Oratione, quæ initio præmittitur: Ἵνα τῇ ἀφαιρέσει τῶν ἀναισθήτων τριχῶν, συναποβάληται καὶ τὰς ἀλόγους ἐνθυμήσεις τε καὶ πράξεις: Vt ademptione sensu carentium capillorum, etiam abiiciat irrationales cogitationes & opera.

3. Ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν ὁ δεῖνα ἐνδύεται χιτῶνα ἀγαλλιάσεως: Frater noster N. induitur tunicâ exultationis.

4. Περιζώννυται τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ δύναμιν ἀληθείας, εἰς νέκρωσιν σώματος καὶ ἀνακαίνισιν πνεύματος: Frater noster lumbos cingitur virtute veritatis in mortificationem corporis, & renouationem spiritus.

5. Καλύπτεται περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας: Frater noster operitur galeâ ceu spe salutis.

6. Λαμβάνει τὸ πάλλιον τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, εἰς στολὴν ἀφθαρσίας καὶ σεμνότητος: Frater noster sumit pallium arrhabonem magni & angelici habitus in stolam incorruptionis & sanctimoniæ.

7. Ὑποδύεται τὰ σανδάλια εἰς ἑτοιμασίαν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης: Frater noster subinduitur calceamentis in præparationem Euangelij pacis.

Deinde concludunt: Ἔλαβε τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος: Frater noster sumpsit arrhabonem magni & angelici habitus.

8. Δίδοται τῷ ἀποκαρέντι κηρὸς, καὶ τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον, καὶ σταυρὸς, καὶ γίνεται ὁ ἀσπασμός: Datur detonso cereus, & sanctum Euangelium, & crux, & fit amplexatio.

Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου σχήματος.
Ordo magni & angelici habitus.

1. Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς,

δὸς, &c. Sacerdos tondet eum in formam crucis, in nomine Patris, &c.

2. Ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν ὁ δεῖνα, ἐνδύεται χιτῶνα δικαιοσύνης καὶ ἀγαλλιάσεως τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, &c. Frater noster N. induitur tunicâ iustitiæ & exultationis magni & angelici habitus.

3. Λαμβάνει τὸ πάλλιον τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, εἰς στολὴν ἀφθαρσίας καὶ σεμνότητος, &c. Sumit pallium magni & angelici habitus in stolam incorruptionis, & sanctimoniæ.

4. Ἐνδύεται τὸ κουκούλιον τῆς ἀκακίας, εἰς περικεφαλαίαν ἐλπίδος σωτηρίας: Induitur cucullam simplicitatis in galeam spei salutaris.

5. Λαμβάνει τὸ ἀνάλαβον ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀναλαμβάνων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ ἀκολουθῶν τῷ δεσπότῃ Χριστῷ: Accipit scapulare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, assumens crucem suam in humeros, sequens Dominum Christum.

6. Περιζώννυται τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ δυνάμει ἀληθείας: Fratris nostri lumbi cinguntur virtute veritatis.

7. Ὑποδύεται τὰ σανδάλια εἰς ἑτοιμασίαν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης: Subinduitur calceamentis in præparationem Euangelij pacis.

Concludit: Ἔλαβε τὸ μεγάλον καὶ ἀγγελικὸν σχῆμα: Sumpsit magnum & angelicum habitum.

Quæ quasi repetens recapitulatur, & explicans exprimit rursus in Oratione:

Ἵνα ἐν ἁγιασμῷ πολιτευσάμενος ἄσπιλον διατηρήσῃ, ὅπερ τῇ δυνάμει σου ἐνεδύσατο σχῆμα.
Τῷ μὲν χιτῶνι τῆς δικαιοσύνης ἀμπεχόμενος.
Τῇ δὲ ζώνῃ τὴν νέκρωσιν τοῦ σώματος, καὶ τὴν σωφροσύνην ἐν ἑαυτῷ περιφέρων.
Τῷ δὲ ἀναλάβῳ, τῷ σταυρῷ τῇ πίστει κατακοσμούμενος.
Τῷ δὲ περιβολαίῳ, στολὴν ἀφθαρσίας θωρακιζόμενος.
Τοῖς δὲ σανδαλίοις, ἵνα ἐπιβῇ τῇ ὁδῷ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς σωτηρίας:

Vt in sanctificatione vitam instituens, immaculatum conseruet, quem in virtute tuâ induit, habitum.
Pro tunicâ quidem iustitiam amictus,
Et pro zonâ mortificationem corporis, & temperantiam in seipso circumferens.
Et pro scapulari, cruce & fide adornatus:
Et pro pallio, stolâ incorruptionis munitus:
Calceamentis verò, vt procedat in viam pacis & salutis.

Sequuntur post eadem quæ in ordine parui schematis de cruce, cereo, amplexatione.

*Dictus videtur Angelicus habitus, quòd eo induti memores esse deberent, viuere se debere angelicam vitam. Euchol. p.*102. Σῇ γὰρ πεποιθὼς συνεργίᾳ τῆς ἀγγελικῆς πολιτείας ταύτην εἰσέρχομαι φιλάνθρωπε: Tuæ enim obediens cooperationi, angelicam viuendi rationem hanc accedo, amator hominum. *Ruffinus lib.*11.*cap.*11 *de Hor:* Hic multorum erat monasteriorum pater, qui habitu ipso honoris videbantur angelici. *De eodem Palladius cap.* IX. Habens monasteria mille fratrum, habitu angelico præditus. *Ruffinus lib.*11. *cap.*IV. *de Beno:* Per omnia quasi angelici ordinis vir.

Apud Dionysium quoque Areopagitam cap. VI. *par.* II. *Eccl. hierar. vbi agitur de mysterio monasticæ consummationis, mentio* tonsuræ cum signo crucis Trinitatis inuocatione, mutationis vestis, & amplexationis *seu* salutationis: Τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, ἀποκείρει, τὰς τρισσὰς τῆς θείας μακαριότητος ἐπικαλῶν ὑποστάσεις, καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας, ἑτέραν ἀμφιέννυσι, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀνδρῶν, ὅσοι πάρεισιν, ἀσπασάμενος αὐτὸν κοινωνὸν ἀποτελεῖ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων: Consignans eum signo crucis sacerdos, tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans: exutumque veste omni, aliam induit, & cum sanctis aliis qui astant viris ipsum salutans, diuinorum mysteriorum participem efficit. *Et mystery explicationem subiungit:*

Ἡ δὲ τοῦ σταυροειδοῦς τύπου σφραγὶς, ὡς ἤδη παρ' ἡμῶν εἴρηται, δηλοῖ τὴν πασῶν ὁμοῦ τῶν σαρκικῶν ὀρέξεων ἀνενεργησίαν: At verò crucis sanctæ signaculum, vt iam dictum est, mortificationem omnium simul carnalium cupiditatum signat.

Ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀποκαρσις, ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωὴν, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι τὸ κατὰ νοῦν δυσειδὲς ἐπιθετικῶς καλλωπίζουσαν, ἀλλ' αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὐκ ἀνθρωπικοῖς κάλλεσιν, ἀλλ' ἑνιαίοις καὶ μοναχοῖς εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀναγομένην: Porrò tonsura crinium vitam mundissimam indicat, & nullâ figurâ fucatam, & quæ nullis fictis coloribus inductis animi deformitatem exornet; sed ipsa in seipsâ non humanis venustatibus, sed singularibus & vnicis, ad Dei exactissimam similitudinem properet.

Ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις, τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς ἐπὶ τὴν τελειοτέραν μετάταξιν ἐμφαίνει· καθάπερ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀποκαθαιρομένης ζωῆς εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν: Prioris autem vestis positio, alteriusque assumptio, migrationem illam à mediâ vitâ (sacrâ licet) ad perfectiorem significat: sicut in diuinâ regeneratione, promotionem indicabat à purgatâ vitâ ad contemplantem illuminantemque habitum, illa vestis candentis immutatio.

Εἰ δὲ καὶ νῦν ὁ ἱερεὺς τε καὶ πάντες ὅσοι πάρεισιν ἱεροὶ, τὸν τετελεσμένον ἀσπάζονται, τὴν ἱερὰν τῶν θεοειδῶν ἐννόησον κοινωνίαν, ἀγαπητικῶς ἐν εὐφροσύνῃ θείᾳ συνηδομένων ἀλλήλοις: Quòd si modò quoque tam sacerdos quàm circumstantes reliqui viri sancti sic dicatum consalutant, sacram intellige Dei præferentium speciem societatem, quâ sibi inuicem cum lætitiâ & charitate gratulantur.

Vestem eam, quâ induitur monachus, nigram fuisse notat Pachymeres, & significationem eius ita explicat: Μοναχικὴ τάξις, ὅτι μοναχῶς καὶ ἑνοειδῶς, καὶ οὐ διχῶς, ἢ τριχῶς, ἢ πολλαχῶς πολιτεύεται. τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ ἀμφιεννύμενον μέλαν. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῶν χρωμάτων εἰς ἕτερα μεταποιοῦνται ῥᾳδίως, καὶ πάντα εἰς τὸ μέλαν. τὸ δὲ μέλαν οὐκ ἔτι μεταβληθῆναι εἰς ἕτερον χρῶμα πέφυκε: Monachica ordinatio: vt solitariè & vnicè, non dupliciter vel tripliciter, vel multipliciter conuersetur. Hoc enim significat nigra quâ induitur vestis. Alij enim colores facilè in alios transeunt & mutantur, & omnes quidem in nigrum mutari possunt: niger verò color nullo vnquam modo in alium transmutari potest.

Hæc nunc de duplici monachorum schemate sufficiant.

SCHOLARIVS. *Pratum spirituale Ioannis Moschi cap.*XXV. Vt nobis abbas Gregorius ex Scholaribus retulit. *Græcè est,* ἐκ Σχολαρίων: *quod non rectè Heruetus* Scholasticus *verterat. Nam Scholastici causis dicendis erant, Scholares verò palatina militia ad tutelam Principis. Gregorius igitur hic* ex Scholaribus *seu* exscholaris, *id est olim Scholaris, nunc verò abbas. Suidas:* Σχολάριοι, τετρακισχίλιοι πεντακόσιοι ἐπὶ φυλακῇ τοῦ Παλλατίου ἦσαν τεταγμένοι, ἀεὶ στρατευόμενοι, ἐπιλεχθέντες ἐξ Ἀρμενίων. οἷς συντάξεις ἀεὶ ἦσαν πλείους, ἃ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τὸ δημόσιον ἐχορήγει. Scholarij ter

 mille

mille quingenti ad custodiam Pallantis erant con-
stituti, ex optimatibus Armeniorum delecti, qui-
bus antiquitus Resp. maiora stipendia, quàm ce-
teris omnibus suppeditabat. *Idem:* Ὑπεράριθμος, ὄντος ὁ ἀριθμὸς τῶν σχολαρίων καλουμένων τρισχιλίων πεντακοσίων ὄντων. ἑτέρους δισχιλίους ἐνέθηκεν Ἰουστινιανὸς. οὓς ἔτυχε καλέσαι. Supernumerarius, vt cùm numerus
Scholiariorum esset hominum ter mille & quin-
gentorum, Iustinianus alios bis mille ei adiecit,
quos ita vocauit. *Seuerus Sulpitius li. & c.* I. *De vitâ*
S. Martini: Ipse armatam militiam in adolescen-
tiâ secutus, inter scholares alas sub Rege Constan-
tio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit.

Scholasticvs. *Paschasius hîc lib.* VII. *cap.* XIX.
num. 3: Hic Eulogius scholasticus erat, sæculari-
bus litteris eruditus. *Palladius hîc lib.* VIII. *capi-*
te XXVI. Hic Eulogius fuit disciplinarum libera-
lium scholasticus. *Palladij Lausiacâ ex veteri in-*
terpretatione in Appendice cap. XVI. Hic Eulogius
scholasticus erat & eruditus vir. *Hieronymus Ca-*
talogo Illustr. Eccl. scriptor. cap. XCIX. *de Serapione*
Thmueos episcopo: Serapion ob elegantiam inge-
nij, cognomen scholastici meruit. *Martyrologium*
Romanum V. *Februarij:* In cuius (*Dorotheæ*) con-
fessione Theophilus quidam scholasticus ad Chri-
sti fidē conuersus. *Idem apud Bedam & Vsuardum:*

Est autem scholasticus *posteriori sæculo* aduoca-
tus. *vnde in Actis Dorotheæ Theophilus nunc* scho-
lasticus, *nunc* aduocatus *dicitur. Vita S. Sebastiani*
l. II. Dum à beato Tiburtio viro scholasticissimo,
& nobili & sancto. *qui antè* aduocatus *dicitur:* Et
qui futurus eram aduocatus ad agendas caussas
mortalium. *Sardic. Conc. can.* 13. Si scholasticus de
foro episcopus fuerit postulatus. *Græcus interpres*
σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς. *& L.* 2. *Cod. Th. De concuss.*
aduocat. Præter sollemnes & canonicas pensita-
tiones multa à prouincialibus Afris indignissimè
postulantur ab officialibus & scholasticis. Nec la-
tet mansuetudinem nostram, sæpissimè scholasti-
cos vltra modum acceptis honorariis in defensio-
ne caussarum omnium & annonas & sumptus ac-
cipere consuesse.

Sic canone XCVII. *in codice canonum Africanorum:*
ὥστε δοθῆναι ἄδειαν τοῦ καταστῆσαι ἐκδίκους σχολαστικούς: Vt
dent facultatem defensores constituendi scholasti-
cos. *vbi intelliguntur* aduocati. *Nam subditur:* Οἵτινες
αὐτὸ τοῦτο τὸ λειτούργημα τοῦ ἐκδικεῖν τὰ πράγματα ἐπιτήδευμα ἔχουσι: Qui in actu sunt vel munere defensionis
caussarum. *Quare non rectè Molanus ad Vsuardi*
Martyrologium VI. *Febr. existimauit in Actis Do-*
rotheæ Theophilum dictum scholasticum *per contem-*
ptum. Nam eo tempore scholasticus *æquè atque* ad-
uocatus *in bonam partem in vsu erat.*

Olim scholasticus *dictus declamator, quicumque*
se in caussis fictis exercebat. Plinius lib. II. *epist.* III.
Annum sexagesimum excessit, & adhuc schola-
sticus tantùm est, quo genere hominum nihil aut
simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui
in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ,
quamuis nolimus, addiscimus. *Sic cape Hierony-*
mum ep. XXVI. *ad Pammachium de obitu Paulinæ:*
Meminisse te puto erroris mutui, quando omne
Athenæum scholasticorum vocibus resonabat. *de*
quo suo studio ipse agit in Epist. ad Galat. cap. II. Ali-
quoties cùm adolescentulus Romæ controuersias
declamarem, & ad vera certamina fictis in litibus
exercerer.

Dictus etiam scholasticus *vir eloquens, eruditus,*
etsi nec caussas fictas ageret, vt declamator, nec verus
vt aduocatus: talis dicitur Prudentius. VValafridus
Strabo De rebus Eccles. c. XXV. Quales composue-
runt Ambrosius, Hilarius, & Beda Anglorum pa-
ter, & Prudentius scholasticus Hispaniarum. *Sige-*
bertus in Chronico anno Christi M.XLVIII. Franco
scholastixus Leodiensium & scientiâ litterarum &
morum probitate claret. *ita etiam vocatur ab Ægi-*
dio Aureæ vallis religioso libro De gestis Pontif. Leo-
diens. cap. I. *Sic Dionysius Exiguus abbas Romanus*
interpres Vitæ Pachomij in MSS. dicitur scholasti-
cus. *Sic credo Serapion suprà apud Hieronymum*
Catalogo Illustr. eccl. Script. cap. XCIX. scholasticus
dictus: sic fortè etiam Eulogius, de quo suprà.

Secretvm *siue* Secretarivm. *Vita Ioannis*
Eleëmosynarij cap. II. Dicit coram omnibus ad
eos, qui erant in honorabili secreto. *Intelligitur, opi-*
nor, locus ecclesiæ, qui dicitur secretarium. *de quo ita*
Baronius tomo VI. *anno Christi* CCCCLI.

Quòd in Synodo Chalcedonensi habetur eam habi-
tam ante cancellos sacri altaris; *Liberatus Diaconus*
in Breuiculo capite XLII. *eum locum vocat* secreta-
rîum, *vbi ait:* Adueniens Marcianus Imperator
ad secretarîum cum Iudicibus & sacro senatu, al-
locutionis verba fecit in Concilio, *&c. cuius rei*
caussâ è loco mutuatus ipse nomen, singulas sessiones
ibidem habitas secretarîa *nominauit. Moris namque*
fuit, ut in basilicarum secretariis Concilia episcoporum
celebrarentur. Habes de his inter alia plura exempla
ecclesiæ Africanæ, vbi Concilia Carthaginensia in se-
cretariis celebrata esse reperies: nec non Romanæ sub
Martino, & aliarum ecclesiarum.

Sed quisnam locus ante cancellos, *quem Libera-*
tus nominat secretarîum? *non alium quidem puta-*
mus, quàm eum qui ab Euagrio lib. II. *cap.* III. *de-*
scribente ipsum S. Euphemiæ templum ita delinea-
tur: Ad cuius latus versus Aquilonem est alterum
ædificium (*quod vocat tertiam templi partem, eamque*
intimam) quod spectat ad solis ortum, ipsumque
ad formam testitudinis, columnis valdè artificiosè
fabricatis. *& paulò pòst:* Intra testitudinē ad Orien-
tem est sacrarium decorè constructum, in quo san-
ctissimæ martyris reliquiæ in capsâ benè longâ re-
positæ, *&c. nominat Euagrius* sacrarium, *quod Libe-*
ratus sanctuarium: *vtriusque namque vocis eam-*
dem significationem esse, docet canon XXI. *Concilij*
Laodicen. primæ editionis verbis istis: Non oportet
subdiaconos licentiam habere in secretarîum seu
sacrarium, quod Græci diaconîum appellant, in-
gredi & contingere vasa Dominica. *& alio eius-*
dem Concilij canone LVII. *primæ editionis:* Quòd non
oporteat presbyteros ante processionem episcopi
introire sacrarium, & sedere. *Græcè etiam inueni-*
tur nuncupatum ἱερατεῖον, *quod est* sacrarium, *siue*
βῆμα, *quòd præ ceteris ecclesiæ locis emineat.*

Sed quomodo dici potest, ante cancellos fuisse secre-
tarium, siue sacrarium? Meminisse debes (*quod & in*
antiquis basilicis cernitur) *inter ecclesiæ gremium &*
apsidem, vbi sedes episcopi locari solebat, esse sanctua-
rium collocatum, quod quidem altare erat prima-
rium in medio situm, vndique circumcircà cancellis
septum. Describitur eius forma graphicè sanè ab Eu-
sebio lib. X. *cap.* IV. *verbis istis:* Sanctuario hoc modo
absoluto & perfecto, cellisque quibusdam in al-
tissimo loco ad præsidum ecclesiæ honorem collo-
catis, & subsellijs prętereà vndique ordine dispen-
satis, decorè eximieque exornato, altarique deni-
que tamquam sancta sanctorum in medio sanctua-
rij

rij sito: ista rursum, vt à plebe & multitudine eò non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit. *Hac ille.*

Ante igitur altaris cancellos apsidem respicientes apparet congregatum fuisse Concilium, totumque occupasse locum qui interiacet inter cancellos & apsidem, vbi erat thronus episcopalis: qui quidem in amplioribus basilicis haud mediocris latitudinis & longitudinis existebat, & quidem capax cuiusuis numerosi consessus episcoporum. Intelligis puto & ex his, quàm procul absit, vt veritatis scopum attigerint, qui de secretariis aliter sunt opinati: fuisse quidem ea intra apsidem, Paulinus in epistolâ XII. *ad Seuerum haud obscurè significat; in iisdemque disponi sacra vasa ad ministerium, & sacros codices ad lectionem ostendit. ad hæc etiam spectat quod S. Gregorius Papa lib.* II. *epist.* LIV. *iure expostulat aduersus Ioannem Rauennatem episcopum*, quòd tempore ieiunij gestaret pallium per plateas & vias, quando nec licet eo vti in secretariô, *loco nimirum consueto, vbi in suo throno in apside collocato sedere soleret episcopus, & cum eo presbyteri, diaconi nequaquam. Nam hæc habet canon decimusquintus Concilij Arelatensis secundi:* In secretariô diaconos inter presbyteros sedere non liceat. *Hactenus Baronius.*

Binius quoque ad tom. I. *Concil. pag.* 294. *hæc notat: Loca ecclesiæ apud apsidem posita, quæ hîc & à Paulino epist.* XII. secretaria *nominantur, eadem à Clem. lib.* II. *Const. cap.* LXII. pastophoria, *id est, vt explicat Hier. in Ezech.* XLII. *duo thalami seu interiora cubicula appellantur. Vbi dicit, in omnibus ecclesiis duo pastophoria exstrui consueuisse, eaque hinc inde apud apsidem posita fuisse, asserit prædicto loco Paulinus. Quorum quis esset vsus, duo hæc disticha ab eodem desuper inscripta declarant: à dextrâ apsidis:*

Hic locus est veneranda penus, quâ conditur, & quâ
Promitur alma sacri pompa ministerij.

à sinistrâ eiusdem:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas
Hic pôterit residens sacris intendere libris.

Hactenus Binius.

Erat secretarîum *intra velum. & dictum etiam reperitur* diaconicum. *Nazianzenus Orat.* XX. *quæ est in laudem Basilij Magni, de Valente Basilium in sacrario conueniente:* ἐὰν ἔσω τ παραπετάσματος ἑαυτὸν ἐποιήσατο: cùm intra velum exstitisset. *vbi Nicetas* παραπέτασμα *interpretatur* διακονικόν. *Diaconicum autem significare* sacrarium, *patet ex canone* XXI. *Concilij Laodicensis, vbi in Græco est* διακονικὸν, *interpres vetus habet* secretarîum. *Canone* LVI. *Concilij Laodiceni, vbi in Græco vetatur, ne presbyteri ante ingressum episcopi sedeant* ἐν τῷ βήματι, *vetus interpres habet* in sacrario. *Codex Canonum African. Græcolat. in Hippon. Concilio an.* CCCXCIII. Ἐν Ἱππῶνι Ῥηγίῳ εἰς τὸ σήκρητον τ ἐκκλησίας πάκης: Hippone Regio, in secretariô basilicæ pacis. *Concilium Carthaginense nomen tertium, ordine temporis inter ea quæ post Nicænum exstant, verè secundum:* in Secretariô basilicæ restitutæ. *Vide dist.* XXIII. Non oportet. *& in Concil. Agath. cap.* CLXVI.

Aliquando accipitur secretarîum *pro ipsâ sessione & conuentu. vnde inter epistolas Bonifacij Archiep. Moguntini* CXXXV. venturo secretariô: *item* præterito secretariô. *Ex ipso videlicet loco, conuentus nomen accepit.*

Apud Augustinum conc. II. *Psal.* XXXIV. secretaria mentis *habes.*

SEMINA VIRTVTVM. *Vita S. Antonij cap.* XV. Huius operis homini inserta natura est. *Sic plerique Patres, virtutum semina homini innata esse & insita scribunt. Quæ quomodo dici possint insita, vide Bellarminum tom.* IV *in Controu. gener. De reparatione gratiæ, controu.* I. *princ. lib.* V. *cap.* XII. *arg.* VII.

SEPTIMANARII. *Vita Euphrasiæ seu Euphraxiæ cap.* XXII. Nisi collegero ligna, & septimanam meam compleuero, non ascendam. *Sic in Regulâ S. Benedicti:* Egredi de septimanâ, *quod est septimanam complere, & septimanarij munus deponere. Benedictus Reg.* XXXV. Egressurus de septimanâ, sabbato munditias faciat. *Item:* Egredientes autem de septimanâ, dicant hunc versum: Benedictus es Domine. *Hildegardis in Explicat. Regul.* Egressura de septimanâ, sabbato munditias fecit, scopis sordes & puluerem, vbi necesse fuerit, extergendo. *Regino Chron. lib.* II. Accidit autem, vt, iuxta quod mos est, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur. *Cassianus lib.* IV. *Institutionum c.* XIX. Singulis hebdomadibus fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt. *Item:* Has autem septimanas vnusquisque suscipiens, vsque ad Cœnam Dominici diei ministraturus obseruat. *De his septimanariis seu hebdomadariis agit idem Cassianus libro eodem capite* XX. XXI. XXII. *& monet hanc per singulas septimanas culinæ inseruiendi consuetudinem viguisse in monasterijs Palæstinæ & Mesopotamiæ: aliam fuisse consuetudinem in monasterijs Ægypti, vbi certus quispiam toto vitæ suæ tempore culinæ deputabatur, quousque vires suppeterent. Hæc tamen quæ de Euphraxiâ habemus, suadent etiam alteram consuetudinem in quibusdam Ægypti monasterijs seruatam. Sic in Vitâ Pachomij cap.* XLVII. Transiens autem frater, qui constitutus erat ad obsequium eius qui septimanam faciebat. *& Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomij:* Habent per singula monasteria patres, & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros. *Etiam apud S. Benedictum Reg.* XXXVIII. *occurrit* septimanarius lector.

SEPTIMVM. *Ruffinus lib.* III. *num.* 19. Habitabat autem paruâ cellâ foris ciuitatem, prope proastium, qui vocatur in Septimo. *Paulus diaconus Historiarum lib.* XVII. Cunctis conuenientibus apud Septimium. *quod aliquoties ibi occurrit. lege,* Septimum, *Ibidem fuit templum S. Ioannis Baptistæ, vnde subiungitur:* Denuntiatio verò tyranni in templo S. Ioannis Baptistæ effecta est. *quod & mox hic habes. Variæ vrbis & suburbiorum regiones erant, maximè Constantinopoli, & Alexandriæ, quæ certo numero distinguebantur. Sic in Menæis Græcorum* XXIII. *Aprilis, martyrium, seu templum S. Georgij Tropæophori esse dicitur* ἐν τῷ δευτέρῳ: in secundo. *In iisdem* XVIII. *Septemb. celebratur festum martyrum Charalampys, Pantaleonis, & sociorum* ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῶν τῷ ὄντι ἐν τῷ δευτέρῳ: in ecclesiâ, quæ est in secundo. *Codex Can. African. Græcolat. in Conc. Carthag. anno* CCCCIV. Ἐν Καρχηδόνι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῆς βασιλικῆς σεκούνδης: Carthagine in basilicâ regionis secundæ. *Item in Concil. Carthag. anno* CCCCVII. Ἐν Καρχηδόνι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ δευτέρου κλίματος: Carthagine in basilicâ regionis secundæ. *Sozom. l.* VII. *c.* XXIV. Λέγεται δὲ τότε τ Κωνσταντινουπόλεως ἐκδημῶν πρὸς τῷ Ἑβδόμῳ * μιλ. γενόμενος, προσεύξασθαι τῷ Θεῷ ἐν τῇ ἐνθάδε ἐκκλησίᾳ, ἣν ἐπὶ τιμῇ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ ἱδρύσατο: Fertur autem, quòd cùm egressus Constātinopoli ad septimum milliare peruenisset,

Deo

Deo preces nuncuparit in ecclesiâ illâ, quam in honorem Ioannis Baptistæ construxerat. *Ita vertit Christophorsonus, qui pro deprauato illo vocabulo legit* μιλίῳ, *vti & Curterius: Scaliger,* μιλίῳ. *Ego existimo fuisse* κλίματι *vel* κλ, *abbreuiatè. Nec enim existimo ecclesiam illam S. Ioannis Baptistæ distare septimo milliari à Constantinopoli, sed esse in septimo climate, seu regione vrbis vel suburbiorum. Vide Petrum Gillium Topographiæ Constantinopolitanæ lib.* IV. *cap.* IV. *Vel certè* Septimum milliarium *capiendum non de millibus passuum, sed de palatio, quod in* Septimo *erat, &* Septimum *quoque dicebatur. Vide Iacobum Cuiacium lib.* XX. *Obseruat. cap.* III. *fortè plura fuêre* milliaria *seu columnæ insigniores Constantinopoli, & hoc ordine septimum erat.*

SEVERIANITÆ. *Vita Ioannis Eleemosynarij capite* XXX. Et cum Seuerianitis, ac ceteris circa religionem existentibus immundis hæreticis. *Intelligit, opinor, Acephalos hæreticos, qui paulò ante tempora Ioannis Eleemosynarij orti anno Christi* DXIII. *auctore Seuero Antiocheno episcopo. De quo Euagrius Hist. Eccl. lib.* III. *cap.* XXXIII. *&* XXXIV. *Vixit Seuerus hic temporibus Anastasij Imp. & Hormisdæ Pont. Niceph. lib.* XVI. *cap.* XXXI. *& lib.* XVIII. *c.* II. *&* VII. *&* IX. *& lib.* XVIII. *cap.* XXIII. *Vix differunt ab* Eutychianis. *Vide Niceph. lib.* VIII. *c.* XLV. *& Ioannem Maxentium contra Acephalos. Idem à nonnullis dicuntur* Monophysitæ, *quòd vnam naturam in Christo defenderent cum Eutyche, quorum meminit D. Gregorius libro* X. *epist.* LV. *& lib.* II. *epist.* XXXVI. *dicit Acephalos à Vigilio Papâ fuisse damnatos.*

Alij sunt Seueriani *à Seuero Encratitarum asseclâ, qui orti circa annum* CLXX. *de quibus Euseb. libro* IV. *cap.* XXIX. *& Epiphanius hæres.* XLV. *& Augustinus hæresi* XXIV.

SIBINVS. *Moschus in Prato spirituali capite* CXXIII. Inuenique ibi senem vestitum collobio de sibino. *Græcè,* φοροῦντα ἀπὸ σίβυνος κολλόβιον. *Habetur & cap.* CXX. *hic antè, sed ibi Græcus textus deest.* Sibinum, *quod huc faciat, etiamnum quæro. Noti* σίβυνοι, *genus teli. Iustinianus Nouell.* LXXXV. Καὶ τοὺς ἐκ χαλκωμένους ζιβύνας, ἤτοι μιζίβια. *Et apud Festum:* Sibinam appellant Illyrici telum venabuli simile. *Ennius:* Illyrici restant sicis, sibinisque fodentes.

SIGNVM PERCVTERE. *Pelagius libello* XVII. *numero* 20. *Sic apud Ioannem libell.* III. *num.* 2. percutiens. *De consideratione dist.* II. *cap.* L. *ex Concilio Cabilonensi:* Solent plures, qui se ieiunare putant, in Quadragesimâ, mox vt signum audierint ad horam nonam, comedere. *Gregorius Turonensis in Vitis Patrum à se conscriptis, in Gregorio Lingonensi episcopo:* Commotoque signo sanctus Dei, sicut reliqui, nouus ad officium Dominicum consurgebat. *Idem in Nicetio episcopo Lugdunensi:* Quod presbyter audiens gauisus, iussit signum ad vigilias commoueri. *Idem lib.* II. *Hist. Franc. c.* XXIII. Signum ad matutinas. *Einhardus De translatione S. Marcellini & Petri lib.* III. *cap.* XV. Turricula, quæ signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset. *Capitularia lib.* VI. *Tit.* CLXVIII. Vt sacerdotes signa tangant horis canonicis. *In Ordine Dunstani Dorobernensis Archiep.* Benedictio ad signum ecclesiæ, id est, tintinnum. *Leo Marsicanus libro* III. *cap.* XLII. Signum quo fratrum obitus significari solet, insonuit. *Vide Alcuinum De diuinis Officiis cap. Quid significent vestimenta, Amalarium Fortunatum lib.* I. *De Ecclesiast. off. capite* I. *VValafr. Strabonem De reb. Eccl. cap.* V. *A signo Gallis Seins, & inde* Toc-sein.

Quæ signo *olim* lignea *erant. Liber miraculorum Anastasij martyris, qui recitatur in* VII. *Synodo, Act.* IV. Lignaque sacra pulsantes inuicem obuiàm facti sunt. *Vide Baronium tom.* I. *anno Christi* LVIII. *de duplici signo, quo olim fideles ad ecclesiam conuocabantur, agentem.* Lignea *ferè monasteriorum erant.*

SINGVLARIS FERVS. *Vita Pachomij capite* XV. *ex Psalmo* LXXVII. Exterminauit eam aper de siluâ, & singularis ferus depastus est eam. *Singularis hic substantiuè accipitur vt Græcè* μονιός. *Suidas:* Μονιὸς, ἄγριος ὗς νεμόμενος: Monius, siluester porcus pascens. *Hesychius:* ῾Ο ἄγριος ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις συναγελαζόμενος: Porcus siluester cum alijs non congregatus. *Sic in fabulis Æsopi,* μονιὸς ἄγριος. *Cyrillus in expositione Oseæ prophetæ* μονιὸν *dicit significare* ὄνον, *vt annotat Hesychius; fortè ille, qui* ὄναγρος, *id est,* asinus siluester.

SIPPVLÆ, *vide infrà* ZIPPVLÆ. *Nescio an huc faciat quod est in Glossis Latino-græcis:* Sappulo, λάμια. *an* Sappula, *vel* Sippula? *Nisi hoc sit à sapâ, id est, vino defruto.*

SOLIDVS. *Palladius cap.* LXXXIII. *de Serapione Sindonita:* se vendidit histrionibus viginti solidis. *Et hic & passim in Palladio Græco est* νόμισμα, *quod Heruetus semper* nummum *vertit: sed Fronto noster mauult* solidum. *Solent enim plerumque scriptores Græci* νομίσματα *vocare aureos, quos interpres vulgata Latina* solidos *vertit, vt* I. *Paral. c.* XXIX. *v.* 7. καὶ χρυσοῦ μυριάς, & solidos decem millia. *Heraclides cap.* XXIV. *de hoc Serapione,* quòd viginti solidorum pretio paganis semetipsum distraxerit mimis. Nummos *autem Latini scriptores* sestertios *appellant, vel argenteos, vel æreos: at* νόμισμα nummum aureum *significat. Horat. epist.* I. *lib* II.

Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Aureum verò & solidum idem valere intelligimus ex variis legibus Digestorum & Codicis, & ex eo quod Socrates lib. IV. *cap.* XXXIV. ὀγδοήκοντα χρυσίνους *dicat; & Epiphanius interpres Tripartitæ lib.* VIII. *c.* XIII. *& lib.* XII. *cap.* II. octoginta solidos *vertat. lib.* II. *Codicis L.* I. Solidos veterum principum veneratione formatos.

SOROR, *id est vxor continenter in matrimonio viuens: ita & frater dicitur de marito continente. Pallad. c.* VIII. *de Ammone coniugem alloquente:* Adesdum domina & soror. Δεῦρο δὴ κυρία ἀδελφή. *Vita Malchi c.* X. Diligens eam vt sororem, non tamen ei me credens vt sorori. *Vita Basilij de Anastasio & Theognia:* Dicit nominatim vxori suæ, vsu autem sorori. *Paulinus epist.* XXVI. *ad Victricium:* Clericos pascit subiugatorum Deo coniugum arcana germanitas, quæ orationibus sedulis, lætum in operibus suis Christum ad visitationem iam non maritalis tori, sed fraterni cubilis inuitat. *Sidonius lib.* V. *epist.* XVI. *de Papianillâ suâ:* Licet sis vxor bona, soror quoque optima es. *Gregorius lib.* IV. *Dialog. cap.* XI. Presbyter quidam presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propiùs accedere non sinebat.

SPETLVM. *Retinui vocem Græcam, quòd rarum esset vocabulum, & incertæ significationis. Ioannes Moschus Prato spirituali cap.* CLXXXIV. Ita degens iugiter, nihil cùm moreretur suo in monasterio dimisit, non portam, non fenestram, non spetlum, non candelam, nõ tabulam. *Græcè:* Οὐ θύραν, οὐ θυρίδα, οὐ σπέτ-

ὁ σπεκλὸν, ὁ κανδήλαι, ὁ πίνακα. *Ambrosius Camaldulensis interpres omiserat* σπέκλον: *Suspicor intelligi* σπέκλον, speculum, *id est vitream fenestram ex specularis lapide; nam per* θυρίδα *intelligi potest* fenestra lignea. *Vox hæc & alibi occurrit, vt non videatur esse deprauata. Dorotheus Doctrinâ* III. ἀλλ' ὥσπερ λύχνος διὰ σπέκλου, οὕτως ἄρχεται διαφαίνειν ἡμῖν ἀμαυρότερον. Sed quasi lumen per speculum translucens, ita nobis incipit quæcumque obscuriora & tenebrosiora ostendere. *MS. libri hic habent* σπέκλων, *ex quo editores fecere nunc* σπέκλων. *Basilicæ.* ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρῶν σκευῶν, καὶ τὰ σπέκλα τῆς οἰκίας. Sicut emblemata argenteorum vasorum, & specula domus. *Doctissimus Leunclauius putat legendum* σπίλλα. *Forsan illo sæculo ita locuti sunt. Non temerè à veteri scripturâ recedendum est. Psellus De dæmonibus:* ὡς ἐπὶ τῶν ἐνόπτρων καὶ τῶν σπέκλων ὁρᾶν. Sicut per specula videre est.

Stabvlvm. *Vita neptis Abrahæ cap.* III. Atque in stabulo se quodam, mutato pristino habitu, collocauit, *&c.* VI. Diuertit in stabulum. *Est hic stabulum diuersorium. Ita* stabulum *frequenter tam à profanis quàm sacris auctoribus vsurpatur. Plinius lib.* VI. *epist.* XIX. Vrbem Italiamque non pro patriâ, sed pro hospitio aut stabulo. *Spartian. Seuero:* Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit. *Item apud ICtos vt L.* 1. *in fin. D. Furti aduers. naut. & L.* IV. *D. In quibus caus. pign. & L.* CXCVIII. *D. De verbor. signific. vnde* stabulum *Theophilus vertit* πανδοχεῖον *in* § *penultimo Institut. De obligat. ex quasi delict. Cyprianus epistolâ* LXVII. Aut si in viâ stabulum aliquod obsideri, & teneri à latronibus cœperit, vt quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur; nónne commeantes, hac opinione compertâ, stabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi sint fida hospitia, & receptacula commeantibus tuta? *Tertullianus Apolog. capite* XLII. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commercijs cohabitamus in hoc sæculo. *Hinc* stabularius, *qui diuersorio præest. Vita neptis Abrahæ capite* VI. Subridens ait ad stabularium. *Seneca lib.* I. *De benef. capite* XIII. Nemo se stabularij aut cauponis hospitem iudicat. *Tertullianus Apolog. cap.* XXXIX. Saliis cœnaturis creditor erit necessarius. Herculanarum decimarum & polluctorum sumptus stabularij suppeditabunt. *vbi tamen alia lectio habet,* tabularij supputabunt. *Apuleius Milesiâ* II. Sumo sarcinulam & pretio mansionis stabulario persoluto capessimus viam.

Sticharion. *quod nunc Græcè* στιχάριον, *nunc* στοιχάριον, *nunc* στιχάριον *scribitur, quæ postrema verior videtur lectio. Palladius Lausiacâ cap.* CXXXVI. Accepto suo stichario & cereo. *vbi pro* cereo *legendum* birro *monui in Notationibus. Græcè apud Metaphrastē in Vitâ Athanasij est:* τὸ στιχάριον καὶ τὸ βίῤῥιν. *Et Heraclidis interpres cap.* LI. *habet:* Tunicâ ille tantùm suâ birroque vestitus. *Liturgia Chrysostomi,* καὶ λαμβάνει στιχάριον, & accipit tunicam. *Glossarium,* στιχάριον, tunica, *intelligitur* alba *seu* linea tunica. *Nam quod Athanasius Apologiâ* II. *habet:* Καὶ πλάττοντες πρώτην κατηγορίαν περὶ στιχαρίων λινῶν ὡς ἐμοῦ κανόνα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιβάλλοντος. *vbi Petrus Nannius vertit:* Tale crimen de ordinarijs linteis ementiuntur, quasi ego canonem istiusmodi tributi Ægyptijs inducerem. *Non percepit vim vocis* στιχαρίου *hoc loco interpres: rectissimè Fronto noster Notis ad Liturgiam Chrysostomi vertendum monet:* Et crimen ementiuntur de tunicis lineis, *&c. Sic enim restituendam eam interpretationem constat ex Sozomeno, qui referens eamdem historiam sic ait lib.* II. *cap.* XXI. Πρώτην ὑπομένει γραφὴν ὡς χιτωνίων λινῶν φόρον ἐπιθεὶς Αἰγυπτίοις: Primum in crimen vocatur, quòd tributum linearum tunicarū Ægyptijs imposuerat. *In Testamento S. Greg. Nazianz.* δοθῆναι βούλομαι στιχάριον α΄, πάλλια β΄: Dari volo tunicā vnam, pallia duo. *Monet idem Fronto malè à Iunio versum in Curopalatâ De offic. aulæ Constantinop.* τὸ συνήθες αὐτῷ στιχάριον, consuetum suum manipulum: *vertendum erat,* consuetam suam tunicam.

Svper pacem esse *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* II. Mittens enim mox dispensatores, & eum qui dicebatur Super pacem. *Nescio an hoc loco intelligendus sit diaconus, qui pronuntiabat* εἰρηνικὰ, *quæ exstant in Euchologio Græcorum. Sic apud Curopalatam De offic. Constantin.* Τοῦ ἀρχιδιακόνου τὰ εἰρηνικὰ, ὡς ἔθος, εἰπόντος. Archidiacono preces pro pace, vt moris est, recitante. *Nam ferè archidiaconi erant œconomi seu dispensatores Ecclesiæ, quorum hic mentio. Metaphrastes in Vitâ huius Sancti tantùm habet,* ijs accersitis qui res Ecclesiæ dispensabant. Μεταχαλεσάμενος τοὺς τὰ τῆς ἐκκλησίας οἰκονομοῦντας. *Non existimo hic intelligi* Irenarcham, *seu* pacatorem, *qui pacem & quietem in prouincijs & vrbibus curabant, de quo suprà diximus in* Irenarcha. *Nisi fortè præter sæcularem Irenarcham, & alius Ecclesiasticus fuerit.*

Svriscvla. *Pelagius libello* IV. *nu.* 67. Lauabat suriscculam, & implebat eam aquâ. *Idem libello* VIII. *num.* 4. Propter cauma tulerunt suriscculam, & dederūt ei vt biberet. *Idem libello* VII. *n.* 33. Vnâ autem die implens sibi suriscculam aquæ. *Idem libello* XVI. *num.* 3. Suriscula tua, abba, veneno est plena. *Idem libello* XVIII. *nu.* 7. Puerulus stetit ante eum habens panem & suriscculam aquæ. *Quid sit & vnde* suriscula *dicatur, non planè expedio. Excerpta ex vet. Gloss. Græcolat. vbi de vasis fictilibus:* Pultoriū, σιρίσκος. *Vulcanius legit:* Pultarium, σιρίσκος. *Sed quis eo significatu* σιρίσκος *vsurpauit? Inuenio in Hesychio:* Συρίσκος, ἀγγεῖόν τι πλεκτὸν, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλουσι· τινὲς δὲ ὑρίσκον. Syriscus *seu* suriscus vas è vimine vel aliâ materiâ plexum, in quo ficus reponi soliti, quod quidam ὑρίσκον vocant. *Apud eumdem Hesychium:* Ὑρισίδα, σπυρίδιον, σπυρίς. *Item* ὑρισσός, φορμός: Hyrisida, sportula, sporta. Hyrissus, sporta. *Sed hæc plexa & viminea aquam continere non possunt. volunt autem* συρίσκος *vel* συκίσκος *dictum quasi* σύκων ἀεῖχος. *Quare cùm Hesychio* ὑδρίσκη *sit* ὑδρία, *videndum an hinc* suriscula *pro* sudriscula *proueniat* δ *abiecto. Certè* υ *in* su *sæpè vertitur, vt* ὗς, sus, *& multa talia: nisi* suriscula *sit à* σύρω, *id est,* traho, *quòd eâ aquam extrahebant è puteis. Sic Isaiæ* XX. ὄστρακον, *in quo* ἀποσυρεῖ ὕδωρ, ostracum, quo aqua hauritur. *Vide Notas in* LXX. *Interpretes ad cap.* IV. *Oseæ ex editione Romanâ.*

Syncellvs, *seu* Syngellvs. *Pratum spirituale cap.* CXXXII. Videns igitur eum Patriarcha dixit Menæ Syncello seu assessori suo. *Vim vsumque vocis Græcæ* συγκέλλου *non satis exprimebat* assessor: *quare Græcum vocabulum in textu Latino posui. Erat verò* Syncellus *in Græcâ Ecclesiâ proximus à Patriarchâ. De quo plura Gretzerus noster ad Codinum lib.* III. *cap.* XIV. *Comment. & Meursius in Glossario Græco-barbaro. Vbi tamen hallucinatur, cùm in Notkerij Balbuli Martyrologio* congellum *capit pro* syngello. *Immò* Congellus *viri sancti Hiberni nomen proprium est, discipuli S. Columbæ, cuius festum occurrit* IX. *Iunij. Ipse verò* Congellus, *præceptor*

fuit

fuit S. Columbani. Vita eius cap. III. Monasterium, cuius vocabulum est Benchor, petijt, in quo præsul virtutum vbertate cluebat beatus Congellus, egregius inter suos monachorum pater.

TABENNESVS. *Palladius cap.* XXXVIII. Tabennensis est locus sic appellatus in Thebaide. *Vbi legebatur. Fronto noster: In editione Lugdunobatauâ legebatur*, ταβεννησὶ λεγόμενος, *& corrigebat ex coniecturâ Meursius*, ταβέννη τις λεγόμενος *quod* ταβέννη *diceretur insula: at regius MS. & Nicephorus Gregoras Imperatoris Ferdinandi II. constanter retinent* ταβεννήσιος: *vt tractus Rhodani dicitur* Ῥοδανῆσιος, *&* Λουγδουνήσιος, Lugdunensis ager. *In Vitâ Pachomij Dionysius interpres:* Accidit vt ad loca Tabennensium nauigio perueniret. *Heraclides etiam hoc loco vertit*, Tabennensis nomine in Thebaide prouinciâ dicitur locus.

TARICHA. *Vita Antonij cap.* XXXV. Asserebant cunctis piscium salsorum & tarichorum in naui pocitorum hunc esse putorem. *Ea vera lectio, non caritorum, vt hactenus editum. Erant carum vel carixarum, vnde* ταριχοπῶλαι, salsamentarij, τάριχα salsamenta, *&* ταριχοπωλεῖα salsamentariorum officinæ. *Vide Scholiastem ad Aristophanis Equites.*

TAVREA, *id est, scutica, flagellum. Palladius Lausiaca cap.* VIII. Adfuit dæmon quadam nocte tauream tenens sicut carnifex; *vbi Heruetus nouitius Palladij interpres cap.* XVIII. *vertit:* Taurinâ pelle edens strepitum. *Melius Heraclidis interpres:* Sonumque flagris facere videbatur. *Hesychius*, μαράγνα τῇ ταυρέᾳ. *item* μαράγνα, μάστιξ, βάκλον, ταυρεία. *Athanas. ep. Ad solit. vitam agentes de Arianis Eutychum subdiaconum Alexandriæ infestantibus p.* 658. Καὶ τοιούτους εἰς τὰ τούτου ταυρέαις ἕως θανάτου κατακοπῆναι: Quem primùm scuticis vsq; ad mortem cutarunt verberari. *Quia vero taurea ex corio bubulo fiebant, somniantibus præsertim seruis se carnis bubulis vesci, flagra iis imminere coniectat seu somniat potiùs Artemidorus libro* I. *cap.* LXXII. Δούλοις δὲ βασάνους (σημαίνει) διὰ τὸ ἱμάντα, καὶ τὸ ταυρέαν: Seruis verò tormentum (designat) propter lorum & flagrum taurinum. *Euseb. in Chron. Olymp.* LV. Tarquinius Superbus excogitauit vincula, taureas, fustes, latomias, carceres, exilia, metalla, compedes, catenas. *quæ desumpta videntur ab Hieronymo ex Eutropij historiâ. Tertullianus ad martyres cap.* V. Alij inter venatorũ taureas scapulis patientissimis inambulauerunt. *Vita Pontij martyris* XIV. *Maij:* Statim egressi sunt duo venatores cum taureis & neruicis secundùm consuetudinẽ. *Iuuenal. Sat.* VI.

Altior hîc quare cincinnus? Taurea punit
Continuò flexi crimen facinusque capilli.

Glossæ veteres: Taureæ, plagæ, nerui. *Glossarium Camberonense MS.* Taureæ, quoddam genus tormenti. *Glossarium Claromarescanum MS.* Taureæ, plagæ, nerui genitalis tauri.

Et quia ex taurino corio varia fiebant, ideò nunc scutum, nunc galeam, nunc alia quoque ea vox signat.

TEMPLVM. *In aliquot Patrum Vitis mentio fit quarumdam partiũ templorum, vt sacrarij, tribunalis. Vide dicta suprà in* BEMA *seu* ΒΗΜΑ. *Ne quid ad ea loca intelligenda desideretur, consule quæ de Græcorum templis notauit Gentianus Heruetus ad Liturgias, qui Templum Græcorum in tres partes diuidit. Suprà in* BEMA *in quinque partes diuisum habes ex aliorum sententiâ. Sed res in idem recidit. Vide & Meursium in Glossario Græco-barbaro in* Πρόναος, *qui templa Græcorum etiam in tres partes diuidit.*

TENATTES. *Vita Hilarionis cap.* III. Et pelliceum habens ependytem, *quo loco Ioannes Andreas epistolarum D. Hieronymi vetus editor, post ependytem addit*, & eracieftem, *cuius loco tres MSS. apud Adonem in Martyrologio.* XXI. *Octobris habent*, & tenattem. *Neutrum in textum recepi, veritus ne interpretamenta sint vocis* ependytes. *Sed ipsa interpretamenta voce primariâ sunt obscuriora. Suprà de eracieste inquisiui, nunc videamus quid* tenattes. *In primis videtur non esse distinctum aliquid ab* ependyte, *sed potius eius interpretationem. an legendum* & nactem, *vt te irrepserit ex fine* ependyten. Νάκος *&* νάκτα *Hesychio*, pellis & pili. *Sunt qui* tenattem, *dicunt ortum ex Græco* τὸ νάκος, *quasi* tenacem. *Ita Lansselius noster. Sed cùm Hieronymus Latinè scripserit, nec ex Græco verterit, alia quærenda ratio.*

Suspicor tenattem *pro* renattem *in plerisq; libris irrepsisse.* Renattis *autem deprauatum & detortum à renone. Suspicionis meæ fundus est MS. S. Floriani vetustissimus, in quo hic locus ita conceptus:* Et pelliceum habens ependyten (renatum hoc est pallium.) *Explicat videlicet* pelliceum ependytem *per* pallium renatum *seu* renonatum *à renonibus, qui ipsi quoque pellicei.*

THEBAIDA. *Ita sæpè nominandi casu occurrit in his libris pro* Thebais. *Hieronymus in Vitâ Pauli primi eremitæ c.* I. Multas apud Ægyptum & Thebaidam ecclesias tempestas sæua populata est. *Eâ formâ dicitur* Persida *pro* Persis, *in Vitâ S. Sebastiani;* Ptolemaida *pro* Ptolemais, *Marciano Capellæ l.* VI. *cap. De tertio sinu. sic eidem* Chalcida *pro* Chalcis. *sic suprà habuimus* absida *pro* absis.

Porrò duplex erat Thebaida. *vna dicebatur* inferior, *altera* superior. *Hieron. in Vitâ S. Pauli primi eremitæ c.* IV. Quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidam. *Vitâ Pachomij c.* XXVII. Qui cùm sollemniter superioris Thebaidæ circuiret ecclesias.

THOLVS. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* XXVI. Illic enim eis fecerat quasi tholos quosdam prolixos. *Palladius cap.* VIII. Et sibi fecit duos cellarum tholos. *& capite* XLIII. Et in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus, seipsum inædificauit. Atque erat quidem vnus tholus ad vsus carnis, vnus autem vbi operabatur, alius verò vbi orabat. *Intelligit hic per tholos integrum ædificium, non partem aliquam. Etymologicum magnum:* Θόλος. Θόλος πάντα τὰ ... οἰκοδομήματα ἀπὸ τοῦ ... τοῖς ἀρχαίοις ... οἰκοδομήματα ... ξύλινα ... ὀροφὴν ... οἰκοδομήματα ... θόλος: Tholus domus est rotunda, dicta ... à circumcurrendo. Item locus quidam in tabulariis seu archiuis dicebatur, à fabricæ ratione. Lateribus enim constructus videbatur, & fastigium habebat rotundum, erat autem ex structurâ, non è ligno, vt cetera ædificia. Dicitur femininè hæc tholus. *Vide & Phauorinum in Lexico.*

THYMIAMA. *Ritus thymiama incendendi in honorem Sanctorum iam olim in vsu. Pratum spirituale Ioannis Moschi c.* LVII. Mittite thymiama in thuribulum. *Græcè:* Βάλλετε θυμίαμα. *D. Chrysostomus Homil.* XLI. *de S. Pelagiâ virg. & mart. Antiochenâ. Quæ ex eo ritu suos admonet, vt dum domum quasi pretiosi ex concessione factâ à Pelagiâ tumulo redeunt, sermones inter se de martyris virginisq; gestis conferant, atque ita viuum velut spiritualis thymiamate suffiant:* Θυμιάματος

τὴν ἐμπλήσωμεν τ̃ λιβανώτου. οὐδὲ γὰρ οὕτως σεμνὴ φανεῖται ἡ ὁδὸς, εἰ διὰ πάσης αὐτῆς θυμιατήριά τις τιθεὶς τ̃ εὐωδίας ἀναχέοιτο τὸν ἀέρα, ὡς σεμνὴ φανεῖται νῦν, εἰ πάντες οἱ τήμερον αὐτ̃ ὁδεύοντες τοὺς ἄθλους τ̃ μάρτυρος πρὸς ἑαυτοὺς διηγούμενοι, βαδίζοιεν οἴκαδε, θυμιατήριον τ̃ ἑαυτ̃ γλῶτταν ἕκαστος ποιῶν: Multo thuris vapore seu thymiamate viam impleamus. non enim tam honesta via illa apparuerit, si thymiaterijs seu vaporis atque odoris instrumentis (*acerris scilicet vel thuribulis*) per illam totam dispositis, aërem ipsum odoris suauitate perfuderis, quantum si omnes, qui hodie per illam ipsam viam incedunt, martyris certamina inter se narrantes domum redeant, linguas ipsas singuli pro thymiaterio seu vaporis instrumento exercentes. *vbi pulchrè subdit de ordinatâ & compositâ processione. Vita Audoeni episcopi apud Surium* XXIV. *Augusti.* Cum crucibus & lampadibus, atque thymiamaterijs, &c. corpus humeris gestantes, &c.

TUMULUM COMPONERE. *Vita Pauli, capite* XIII. Tumulum ex more composuit. *dixi ibi ex Hieronymo, clericorum id munus fuisse, sed non quorumuis, sed eorum, qui* copiatæ *seu* laboratores *dicti fuere, latè capiendo nomen clerici. Certè Patres quidam copiatas inter clericos recensent. Apud Ignatium epist. ad Antiochenos:* Ἀσπάζομαι τοὺς ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστάς, ὁμολογητάς: Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laboratores, exorcistas, confessores. *Epiphanius in fine Panarij:* Λοιπὸν δὲ καὶ κοπιαταί, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τ̃ κοιμωμένων, καὶ θυρωροί: Deinde laboratores, qui corpora eorum, qui obdormierunt, obuoluunt ac operiunt, & ostiarij. *Cod. Theodos. libro* XVI. *tit.* II. *L.* XV. Clerici verò, vel hi quos copiatas recens vsus instituit nuncupari, ita à sordidis muneribus debent immunes atque à conlatione præstari, si exiguis admodum mercimonijs tenuem sibi victum vestitumque conquirent. *Quomodo* copiatæ *inter clericos numerati, vide Bellarmin. tomo* II. *controu.* II. *gener. lib.* I. *de Cler. cap.* XI.

Existimo tumulos olim ex more *compositos, id est, exaggeratos, vnde Heliodoro Æthiopic. lib.* I. Καὶ χοῦν ὀλίγον ἐπιφορήσας, & tumulum aliquantulum accumulasset, *vt in oculos incurrerent, & mortales mortalitatis monerent. vnde vt* monumenta *à monendo dicta. Hinc Sidonius, ne quis temerè violaret Apollinaris sepulchrum, quod olim exaggeratum nunc temporis longinquitate subsiderat, monet viatorem lib.* III. *epist.* XII. *ne* tellurem tereres inaggeratam. *Quàm vtile sit monumenta inspicere, vide Chrysost. Homil. De fide & lege.*

TYPUS TERTIANUS. *Ruffinus libro* II. *capite* I. Tertiano typo grauissimè vexabatur. *vbi pro* typo *frustrà* pyreto *substituit Melchior Goldastus tomo* I. *parte* II. *Rerum Alemannicarum Notis in Hepidannum de Vitâ S. VViboradæ libro* I. *capite* XXVII. *vbi etiam temerè supponit* pyretico *pro* frigoretico. *Et* typus *&* frigus *de febri dicitur.*

De typo *vide dicta ad textum citatum Ruffini. Glossarium Camberonense MS.* Typhi dicuntur frigidæ febres. Sunt autem accessionum & recessionum reuolutiones statutis temporum interuallis. *Sed* typi *legendum. nam alia est febris* typhodes τυφώδης, *quæ est symptomatica ex ardentium genere, nata è iecinoris erysipelate, aut renum; sic quæ ab erysipelate pulmonum infestante oritur,* κρυμώδης *vocatur.*

Idem Goldastus in Vitâ Eugeniæ c XII. *ex suo manuscripto citat:* quia quartano typo grauissimè, & iam per annum & eo ampliùs vexabatur. *vbi rursus reponit* pyreto. *sed nostri libri eo loco habebant absolutè* quartanâ, *supple* febri. *Vita S. VVinebaudi abbatis in Promptuario sacrarum Antiquitatum Tricassinæ diœcesis:* Quem tertiana typus incommodis grauissimis perurgebat. *vbi nequidquam Nicolaus Camuzat scholiastes existimauit* typus *supernacaneum esse, & in textum irrepsisse. Gregorius Turonensis De gloriâ Confess. c.* XXIV. A quartano typo quatiebatur. *& cap.* LXXXII. Quartani typi vexaretur ardoribus. *Idem in Vitâ Galli in Vitis Patrum à se conscriptis:* Cùm Iulianus à quartano typo correptus, grauiter cruciaretur. *& mox:* Valentinianus à typo quartano corripitur.

De frigore *&* frigoreticis *testis est idem Gregorius De gloriâ Confess. capite* XXIV. Nam quanti frigora passi, quanti à pustulis malis veneno incrassante præmortui? *vbi* frigora *sunt frigidæ febres. Inde* frigoretici *eidem Gregorio De gloriâ Martyrum lib.* I. *cap.* LXXV. Nam si qui nunc frigoretici in eius honore Missas deuotè celebrent, eiusque pro requie Deo offerant oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus sanitati pristinæ restaurantur. *& lib. De gloriâ Confessorum cap.* LIX. Nam energumeni, frigoretici, ceterique infirmi plerumque ad eius tumulum exorantes, acceptâ incolumitate recedunt. *& cap.* LXIV. Ad cuius tumulum sæpiùs frigoretici, ceterique infirmi sanantur. *& cap.* CI. Nam & frigoreticorum febres, & alia incommoda eius meritis restinguuntur. *Idem in Vitâ Monegundis in Vitis Patrum à se conscriptis:* Frigoreticus quoque accedens ad hoc monumentum, vt pallam tegentem attigit, restinctâ contagionis febre conualuit. *& in Vitâ S. Martij apud eumdem:* Frigoreticorũ vibrantia membra. *Item in Vitâ Nicetij episcopi Lugdunensis ibidem. Quod in Palladio Græco est c.* XII. (*nã Latino deest*) οὗ τὸ μνῆμα λέγεται θεραπεύειν πάντας τοὺς ῥιγαζομένους. Fertur huius monumentum sanare omnes frigoreticos; *Heraclidis interpres vertit,* diuersis febribus laborantes. τὸ ῥῖγος *frigus vehemens sonat. Apud Medicos* ἐπιβολὴ ῥίγους, frigoris accessio: *& apud Dioscoridem,* ῥίγη περιοδικά, rigores febrium circuitu redeuntes, *&* ῥιγῶντες, qui algent.

VAVÆ. *Occurrit aliquoties in Vitâ Ioannis Eleemosynarij. Hesychius:* Βαβαὶ θαυμαστικὴ φωνή: Babæ, vox admirantis. *Lexicon Græco-latinum Cyrilli:* Βαβαί, Babæ.

VESPERTINUM LUMEN. *Palladius cap.* XXXVIII. & cùm ad vespertinum lumen venirent. *Græcè:* ἐν τῷ λυχνικῷ, in lucernario. *Heraclides cap.* XIX. quando ad vespertinum lumen venirent. *In Vitâ Pachomij cap.* XXI. *duodecim diurna, duodecim vespertina, & nocturna duodecim. Cassianus libro* III. *Instit. cap.* III. Ad extremum vndecima, in quâ lucernaris hora signatur. *Theodorus Balsamon in Can.* XCI. *Synodi* VI. Καὶ καταλήγειν μέχρι τῆς συμπληρώσεως τῷ λυχνικῷ ἤτοι τῆς ἑσπερινῆς τ̃ κυριακῆς. Et desinere ad complementum diuini officij. *Fronto.*

VICARIA. *Palladius cap.* CXXIII. Macarius ex vicariâ. *intellige Macarium gessisse vicariam præfecturam. Græcis* ἀπὸ βικαρίας, exuicarius, *qui vicariam præfecturam gessit. Seuerus Sulpitius Dial.* III. *c.* I. Ægrè tamen obtinui vt Eucherium ex vicarijs & Celsum admitteret consularem. *idem cap.* XVIII. Lycontius ex vicariis vir fidelis. Βικαρία *occurrit apud Iustinianum Nouell.* VIII. *Sic apud Chrysostomũ epist.* XIV. Οἱ ἀπὸ βικαρίων, οἱ ἀπὸ ἡγεμόνων, σοφισταί, οἱ ἀπὸ φυλάρχων: Ex vicariis, ex præsidibus, sophistæ, extribuni.

extribuni. *qua non ritè Anglicani Scholiastæ percepêre, cùm ipsi* vicarios, duces, tribunos *interpretentur, cùm potiùs* exuicarios, expræsides, extribunos *vertisse oportuit. Vide Frontonem nostrum Notis ad eam epistolam. Deceptus fuit Abrahamus Ortelius, qui* Vicariam *apud Pallad. locum quemdam esse existimauit.*

VITTA. *Palladius cap.* I. Hic sanctus (*Isidorus*) vsque ad horam obitus nihil lineum gestauit extra vittam. Οὗτος ὁ ἅγιος μέχρις τῆς τελευτῆς ἐκ ὀθόνης ἐφόρησεν ἐκτὸς φακιολίου. *Ita MS. Venetus disertè* φακιόλιον *exhibet, quo modo etiam legisse videtur in suo codice Herbetus, dum* vittam *vertit. Nec aliter olim Interpres Heraclidis in textu suo reperit, cùm capite* I. *Paradisi vertit:* Non linteo vsus est, nisi eo quo velaret caput. *Suidæ* φακιόλιον *est capitis tegumentum:* φάκελλος, τὸ τῆς κεφαλῆς φόρημα, ὃ καὶ φακιόλιον λέγεται. Phacellus capitis gestamen est, quod & phaciolium dicitur. *Pratum spirituale cap.* CXCVI. Οἱ δὲ τοῖς φακιολίοις ἐῤῥίπιζον. Illi verò fasciolis pro flabellis vtentes. *Photius Cod.* III. *ex Nonnosi Historiâ:* Τὰ σανδάλια, φησὶ, νυνὶ λεγόμενα, ἀρβύλας ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, καὶ τὸ φακιόλιον, φασώλιον. *Vult quæ nunc dicuntur sandalia, olim dictas arbylas; & quod nunc dicitur* φακιόλιον, *olim dictum* φασώλιον. *Non verò vt in Indice Photiano est,* postrema hæc duo vocabula veteres pro sandalijs vsurpasse. *Regius & Palatinus codex Palladij habet,* ἐκτὸς φακιαλίου. *quare Fronto & Meursius malunt vertere,* excepto faciali. *vt Græca hæc vox posteriori æuo è Latinâ formata sit,* facialis, *de quâ in Glossis Latino-Græcis:* Da faciale, δὸς προσωπίδιον. *Ita in Colloquio scholastico,* ξύστρον, προσόψιον, ποδικμάκτρον, λήκυθον: Strigilem, facialem, pedulē, ampullam. *In Regulâ Sancti Cæsarij:* Acupicta numquam nisi in mappulis & facitergijs, in quibus Abbatissa iusserit, fiant. *In Glossario Arabico-latino,* facitergium & manutergium à tergendo faciem vel manus, vocatum. Facialem *igitur appellat linteum, quo facies sudore manans tergebatur, qualia erant quæ oraria dicebantur & mappulæ.*

VOLVMINA, *id est camera vel fornices. Heraclides cap.* II. *de Ammone:* Fecitque sibi duarum volumina cellarum. *Palladius cap.* VIII. Et sibi fecit duos cellarum tholos, Οἰκοδομεῖ ἑαυτῷ δύο θόλους κελλίων. *Hinc* transuoluere, *id est, fornicem facere. Gregorius Turonensis lib.* VIII. Erat autem ibi crypta ab antiquis transuoluto elegantique opere exposita. *Idem libro de Vitis Patrum c.* VII. *in Gregorio Lingonensi:* Ante altare fundamenta iacit, erectaque absidâ miro opere construit, & transuoluit. *Videtur tractum à serpentibus, qui propriè promouendo se volumina faciunt. Claudianus Panegyri in* IV. *Consulatum Honorij:*

Cæruleus tali prostratus Apolline Python,
Implicuit fractis moritura volumina siluis.

Sidonius Apollinaris:

Figeret innumeris numerosa volumina telis.

Vide suprà THOLVS.

XENIVM. *vide* EXENIVM.

ZABERNA *videtur capi pro armario, repositorio, sacco. Palladij Lausiaca ex veteri interprete cap.* XIV. Quos (*latrones*) ligauit simul, sicut zabernam de paleis. *Interpres Heraclidis cap.* VII. *habet* saccum palearum. *Ita & Hernetus recens Palladij interpres. Excerpta mea MS. Veneta hic habent* ζάβερον, *alij* σάκκον. *Sed* zaberna *etiam aliis auctoribus vsurpata. Abdias lib.* IV. *Hist. Apost. in Iacobo Ioannis fratre:* Collectis libris magicis, zabernas plenas ad Apostolum attulit ceruicibus & suis & discipulorum impositas. *Item:* Appende zabernis lapides & plumbum, & mitte in mare. *Ita ibi MS. exhibent. Vulgò* zabyras *&* zabyris *legitur, vnde Ioannes Meursius Lexico Græco-barbaro faciebat* zabarias, *quod* zabarium, ζαβάριον, *sit repositorium zabarum seu loricarum.*

Sed proba lectio apud Abdiam est zaberna. *Papias Vocabularista:* Zaberna, arca vel armariolum. *Item:* Zaberna, vbi vestes reponuntur, vel quidlibet aliud. *Glossarium Camberonense MS.* Zaberna dicitur vbi vestes reponuntur, arca vel armariolum. *Vita S. Vdalrici:* Interim etiam quæsiuit zabernas & calceamenta.

ZÆTA. *Quod Vita Basilij cap.* V. *est* ad insigne habitaculum, *Græcè est,* ἐν ἐπισήμῳ διαίτῃ. *quod alter Vitæ Basilij interpres in* zætam *deflexit. Et* diæta *&* zæta *dicebatur. Suetonius Claudio cap.* X. In diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. *Sæpè &* diæta *&* zæta *occurrunt apud auctores. Vide Lexica Iuris. Glossarium Camberonense MS.* Zetæ, domus quæ subtus pedes habent aquas. *Ibidem:* Zetæ hiemales, domus, quas calefacit subductus ignis: zætæ æstiuales sunt, quas infrigidat aqua subducta. *Eadem ferè apud Papiam.*

ZEMA. *Vita Ioannis Eleemosynarij cap.* XX. Quanti vellent tingere panem suum in zemate, quod proijciunt coqui mei. *Hinc* ἀπόζεμα, *ebullitio in summâ ollâ feruente. S. Hieronymus lib.* III. *in Oseam:* Pro *spumâ* Septuaginta, Theodotio φρύγανον, id est, *cremium* transtulit, aridas scilicet herbas, quæ camino & incendio præparantur. Symmachus posuit ἐπίζεμα, volens ostendere feruentis ollæ superiores aquas, & in spumam bullasque surgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant.

ZIPPVLÆ, *seu* SIPPVLÆ. *Pelagius libello* IV. *nu.* 59. Fecit de farinulâ lenticulam & zippulas. *Ruffinus lib.* III. *nu.* 51. *in eadem re habet* placentas. *Rursus apud Pelagium libello* VIII. *nu.* 15. Da eis modicas zippulas, quia de labore sunt. *Ita eo loco habent MSS. & veteres editiones. Aliqui supposuerant* pultes, *pro* zippulas. *Cùm nunc* zippula *nunc* sippula *scribatur, videndum an sit à verbo* supare *vel* sipare *vel* sipere. *vide Festum & Paulum, apud quos habes* farinulam *&* pultes. *Quòd igitur vulgata hîc lectio habebat* pultes, *erat hoc* sippularum, *quæ vera & antiqua fuit lectio, interpretamentum. Palladius cap.* LXXIV. Pytirion comedebat paruam pultem ex farinâ. *Græcè,* ζωμὸν ἀλεύρου. *Puto* sippulas *has esse.*

INDEX

SERIES TOTIVS OPERIS SEV INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

a ad

LIBER PRIMVS.

Auctore D. Hieronymo & alijs varijs.

LIBER SECVNDVS.

Auctore RVFFINO Aquileiensi presbytero.

LIBER TERTIVS.

Auctore RVFFINO Aquileiensi presb.

LIBER QVARTVS.

Auctoribus SEVERO SVLPITIO & IOANNE CASSIANO.

LIBER QVINTVS.

Auctore GRAECO incerto, interprete Pelagio S. R. E. diacono.

LIBER SEXTVS.

Auctore GRAECO incerto, interprete Ioanne S. R. E. subdiacono.

LIBER SEPTIMVS.

Auctore GRAECO incerto, Interprete Paschasio S. R. E. diacono.

LIBER OCTAVVS.

Auctore PALLADIO Helenopol. episc. interprete Gentiano Herueto.

CAP. CXIX.

LIBER NONVS.

Auctore THEODORETO Cypri episc. Interprete Gentiano Herueto.

LIBER DECIMVS.

Auctore IOANNE MOSCHO, interprete Ambrosio Camaldulensi.

CAP.

CAP.

CAP.

APPEN-

APPENDIX AD VITAS PATRVM

HERACLIDIS PARADISVS incerto, sed veteri interprete.

PALLADII LAVSIACA incerto, sed veteri interprete.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

INDEX RERVM IN VITAS PATRVM.

reuer-

Æmula-

Auara

apud

Chry-

ab

cellam

Despe-

Ecclesia

eum

F.

Patricij

I.

Marem

M.

Memo-

Mode-

Mona-

mori-

N

O.

Obe-

ado-

Piam-

Q.

vidit

Stannum

idem

Victus

X.

Z.

INDEX
NOMINVM PROPRIORVM
VIRORVM AC MVLIERVM.

B.

C.

D.

E.

L.

M.

Maca-

PACHO-

P.

Thaisis

V.

X.

Z.

INDEX CHOROGRAPHICVS IN VITAS PATRVM.

i Athribe

Cyr-

Oasa

T.

V.

X.

Z.

INDEX
SACRAE SCRIPTVRAE
IN VITAS PATRVM.

TOBIAS.

IOB.

PSALMI.

Psal.

Psal. 70.

Isa. 26.

IEREMIAS.

BARVCH.

EZECHIEL.

DANIEL.

AMOS.

MICHÆAS.

HABACVC.

SOPHONIAS.

ZACHARIAS.

MATTHÆVS.

Matth.

MARCVS.

LVCAS.

I. PAVLI AD CORINTHIOS.

II. PAVLI AD CORINTHIOS.

EPIST.

EPIST. PAVLI AD GALATAS.

EPIST. PAVLI AD EPHESIOS.

EPIST. PAVLI AD PHILIPPENSES.

EPIST. PAVLI AD COLOSSENSES.

PAVLI PRIMA AD THESSALONICENS.

PAVLI SECVNDA AD THESSALON.

PAVLI PRIMA AD TIMOTHEVM.

PAVLI SECVNDA AD TIMOTHEVM.

EPIST. PAVLI AD HEBRÆOS.

INDEX
CONCIONATORIVS
IN VITAS PATRVM.

DOMINICA I. ADVENTVS.

DOMINICA II. ADVENTVS.

DOMINICA III. ADVENTVS.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Mar-

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Mona-

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Otij

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Verba

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

DOMINICA PALMARVM.

DOMINICA PASCHÆ.

DOMINICA IN ALBIS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

DOMINICA PENTECOSTES.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

DOMINICA IV. POST PENTECOST.

DOMINICA V. POST PENTECOST.

Lacrymæ

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

DOMI-

DOMINICA XIIII. POST PENTECOST.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

DOMINICA XVI. POST PENTECOST.

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOST.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOST.

DOMINICA XXIIII. POST PENTECOST.

IN FESTIS B. V. MARIÆ.

Occi-

IN FESTIS ANGELORVM.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

INDEX
IN
PROLEGOMENA,
PRÆLVDIA, NOTATIONES.
Plura alia hîc non notata, inuenies in Onomastico.

Copadium,

F.

G.

Gerardus

Iupiter

quid,

Stabu-

X.

Z.

INDEX
AVCTORVM CITATORVM
IN
PROLEGOMENIS, PRÆLVDIIS
ET
NOTATIONIBVS.

Plures alij occurrunt in ONOMASTICO. Numerus Latinus designat Prolegomena.

A.

B.

Ioan-

R.

S.

ADDEN-

ADDENDA IN ONOMASTICO.

In CAMISIA. *ad finem: Ad Palladij locum de milite propriè facit Hieronymus epist.*CXXVIII. Solēt militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris & adstrictas corporibus, vt expediti sint vel ad cursum vel ad prælia, dirigere iacula, tenere clypeum, ensem librare, & quæcumque necessitas traxerit. *Item Beda De tabernaculo:* Quia solēt milites habere lineas, quas camisias vocant. *Eadē vox sæpius occurrit tam pro camisiâ vulgari, quam pro lineâ eximiè ornatâ. Victor De persecutione VVandalicâ lib.* I. Atque de pallis altaris, prô nefas, camisias sibi & femoralia faciebāt. *Beda in Martyrologio:* Ita vt impij Ariani de ipsis pallijs altaris camisias sibi & femoralia facerent. *Bonifacius Papa lib.* II. *Histor. Anglic. apud Bedam cap.* X. Prætereà benedictionem protectoris vestri B. Petri Apostolorum Principis, vobis direximus, id est camisiam cum ornaturâ in auro vnam. *Vita Otthonis Episcopi:* Camisias aurifrigio in orâ capitij, & suturâ humerali atque brachiali curari ijs fecit.

CINERENTE ET CACCABATE. *Pelagius libell.* XV. *n.* 29. Benè tibi fecerunt cinerente & caccabate. *Describit seipsum luridum & nigrum. Ibidem num.* 25. *de Macario fornicationis falsò accusato:* Et appenderunt in collum meum caccabatas ollas, & ansas vasorum. *Paulinus epistolâ* XII. Cùm ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratiâ splendent obscurata nænijs insipientiæ meæ, & (vt digno meis versibus verbo vtar) caccabata, ridentibus multis vel nauseantibus confusus aspicies. *Ad quem plura de hac voce diximus.*

DOMNIO. *Palladius cap.* LXXXIV. *ait Serapionem Sindonitem Romæ* incidisse in quemdam Domnionem. *Fortè hic ipse est, cuius memoria in Martyrologio Romano* XXVIII. *Decemb.* Romæ S. Domnionis presbyteri, *cuius etiam meminit D. Hieronymus epistolâ* CLIV. *ad Desiderium:* Quòd si exemplaria libuerit mutuari, vel à S. Marcellâ quæ manet in Auentino, vel à Lot temporis nostri, Domnione, viro sanctissimo accipere poteris. *Eum etiam vt virum sanctissimum celebrat D. Paulinus epist.* XLV. *ad Alipium:* Eusebij historiam reperi apud parentem nostrum verè sanctissimum Domnionem. *& post:* Si ipsam membranam sancti Domnionis acceperis, transcriptam nobis remittere dignaberis. *Ad eumdem scribit Hieronymus epistolam* LI. *quæ Apologeticon continet contra Ruffinum, qui iactabat eum matrimonio detraxisse, vbi Hieronymus Domnionem* patrem charissimum *vocat. Scripsit eidem & Rogatiano epistolam* CVIII. *quæ est præfatio in librum Paralipomenon, &* CIX. *quæ est præfatio in Esdram & Nehemiam. Ruffinus lib.* II. *Inuectiuarum, Domnionem vocat* beatæ memoriæ senem.

In EVCHARISTIAM MANV SVMERE. *post* habeat, *adde:* Linteum hoc quo Eucharistiam sumebāt videtur *μουζίκιον* dictū. *Pratum spirituale cap.* LXXIX. Καὶ λαβὼν αὐτὴν ἐν μουζικίῳ ἀπέθετο ἐν τῷ ἰδίῳ ἀρμαρίῳ. Accipiens eam in linteo mundissimo, in proprio armario reposuit. *Nescio an μουζίκιον dictū sit à μούσα, quod apparet in Euchologio capi pro* linteo. *Typicum Sabæ cap.* XLI. Ἀπογυμνοῦσιν αὐτὴν παντελῶς, καὶ πρῶτον μὲν σαίρουσιν αὐτὴν διὰ μούσης καθαρωτάτης. Nudant omnino eam (*sacram mensam*) & primò quidem purgant musâ (*seu linteo*) mundissimâ. *Ibidem:* Κομίζει ὁ σκευοφύλαξ μούζας τε καὶ δισκάρια τὰ καινῶς λεγόμενα, τέσα ὁ λέγεται λεκάνη, καὶ ἀποσπογγίζεται ἡ ἁγία τράπεζα. Præparat vasorum custos musas (*seu lintea*) & discaria vulgò dicta, testa quæ dicitur peluis; & detergitur sacra mensa. *Quæ non rectè cepit Meursius in Glossario Græco-barbaro, existimans μοῦζαν esse tessellā variè picturatam. Si fortè μοῦσα & μουζίκιον etiam fuerint variegata, non magnopere pugnauero. Constat enim non solum cameras & fornices, sed etiam alia fuisse ex musiuo & variegata.*

NEAPOLIS. *Vitâ Ioannis Eleemosynarij in titulo dicitur,* Leontius Neapoleos Cypri insulæ episcopus: *ita etiam vocatur à Metaphraste* I. *Iunij in Vitâ Simeonis Sali. item in Synodo* I. *Nicanâ, quæ est Generalis* VII. *& à Damasceno Oratione* I. *&* III. *De imaginibus. Quæ hæc* Neapolis? *Baronius itemque Posseuinus censuere* Constantiam *seu* Salaminam, *Cypri esse, vt ad textum dixi, sed id stare non potest. Diuersam vrbem esse Neapolim Cypri à Constantiâ Cypri, liquet ex eadem Synodo. Nam post recitata verba Leontij pro imaginibus,* ex quinto sermone pro Christianorum Apologiâ contra Iudæos, ac de imaginibus Sanctorum, *subdit Constantinus Constantiæ Cypri episcopus:* Οὗτος ὁ ἀναγνωσθεὶς πατὴρ ἐν μιᾷ τῶν πόλεων τῆς Κύπρου ἱεροπρεπῶς διέπρεψε. Hic qui lectus est Pater in vnâ vrbium Cypri decore sacratissimo claruit. *Ortelius in Thesauro Geographico scribit Lusignanum existimare hanc à Græcis dici* Lemise la Neuue, *& à Latinis* Nemosia *vel* Lemonne *appellari.*

SAITES. *Palladius cap.* XXII. Cùm saites octodecim ebibisset. *Græcè* σαΐτας ἰταλικῶν δεκαοκτώ. *Epiphanius De ponder. & mensur.* Ἀπόρρυμα δὲ παρὰ μόνοις Θηβαίοις μετρεῖται, ἥμισυ γάρ ἐστι σαΐτου, ὁ δὲ ἀληθινὸς σαΐτης ξέστων ἐστὶν κβ. Aporrhyma apud solos Thebanos mensuratur. dimidium enim Saitæ est, verus autem Saites, sextariorum vigintiduorum est.

STRINIARI. *Pelagius libello* XVI. *n.* 14. ne striniientur. *Synonyma Ciceronis MS. in Lexico Cusano:* Saltabunt, histriabunt, striniabuntur. *Glossarium Græco-Latinum:* Στρηνιῶ, gerrio, gestio. *Suidas:* Στρῆνος, εἰς τὴν παλαιὰν τοῦτο κεῖται. Τὸ στρῆνός σου ἀνέβη ἐν τοῖς ὠσί μου, τουτέστι ... καὶ στρηνιῶ, ἀτακτῶ. STRENVS. Hoc vocabulum inuenitur in veteri Testamento: Tua immodestia adscendit in aures meas. hoc est.... Et STRENIO, immodestè viuo. *Locū Suidæ imperfectum ita supplet Portus:* τουτέστιν ἡ σὴ ἀταξία, ἡ ὑπερηφανία, ἡ ἀκολασία. tua dissolutio, superbia, intemperantia. *Locus veteris Testamenti, quem citat Suidas, est* IV. *Reg. cap.* XIX. *v.* 28. *Eadem vox occurrit in nouo Testamento: Apocalypsis cap.* XVIII. *v.* 3. Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν. Et mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. *Ibidem v.* 7. καὶ ἐστρηνίασε, & in delicijs fuit. *Ibidem v.* 9 οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες καὶ στρηνιάσαντες, cum illâ fornicantes & luxuriantes. *Varinus:* Στρηνιᾶν, ἀτακτεῖν. καὶ στρηνιῶντες, ἀπὸ τὸ στρεῖν καὶ ἀποσπᾶν τὰς ἡνίας, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων. Striniare per metaphoram dicitur ab animalibus ratione carētibus, quòd fræno careant.

ERRATA.

PAg. 20. b lin. 36. filio *lege* filo. *Pag* 97 *a lin. à fine,* pedem *lege* pedum. *Pag* 343 *b lin* 21. montis *lege* monitis. *Pagin.* 392. *b lin.* 31. nunc l. tunc. *Pag.* 450. *b lin.* 27. momores *lege* memores. *Pag* 552. *a lin.* 12 *à fine,* furore *lege* feruore. *Pag.* 600. *b lin.* 39. implo *lege* implebo. *Pag.* 630. *b lin.* 45. pleno *lege* plena

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGO CAROLVS SCRIBANI Societatis IESV per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi ab admodum R^do^ P. N. Generali concessâ, Balthasari Moreto Typographo Antuerpiensi facultatem concedo mandandi typis VITAS PATRVM, siue De Vitâ & Verbis Seniorum Libros x. à P. HERIBERTO ROSVVEYDO Societatis nostræ presbytero Auctoribus suis & nitori pristino restitutos, & Notationibus illustratos, quos Theologi aliquot eiusdem Societatis nostræ lustrarunt & approbarunt. In cuius rei fidem his meâ manu subscripsi, & consueto officij sigillo communiui. Antuerpiæ XXVII. Augusti, M.DC.XIV.

Carolus Scribani Prouincialis.

APPROBATIO CENSORIS.

HI Libri decem De Vitâ & Verbis Seniorum, Auctoribus suis & nitori pristino restituti, & Notationibus illustrati, operâ & studio R. Patris HERIBERTI ROSVVEYDI Vltraiectini è Societate IESV Theologi, sunt præclari, & magnam adferent vtilitatem iis, qui doctrinam cum pietate coniungere voluerint. Quare dignos censeo, vt in publicum prodeant, & huic præsenti sæculo virtutum exempla demonstrent.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis, & librorum Censor.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII CAESAREI.

MATTHIAS, Diuinâ fauente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Diplomate ſuo ſanxit; Nequis, VITAS PATRVM *ſiue De Vitâ & Verbis Seniorum Libros* X. *Hiſtoriam eremiticam complectentes, Auctoribus ſuis & nitori priſtino reſtitutos, ac Notationibus illuſtratos, operâ & ſtudio* HERIBERTI ROSVVEYDI *Vltraiectini è Societate* IESV *Theologi*, per integrum decennium, à primâ editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperij Regnorumque & Dominiorum eius fines vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſos diuendat, citra Balthaſaris Moreti voluntatem. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem decem marcharum auri puri illatione mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Viennæ XVII. Februarij, M. DC. XV.

Signat.

MATTHIAS.

Ad mandatum S. Cæſ. Maieſt. proprium

Jo. Baruitius.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum eſt; Nequis, VITAS PATRVM *ſiue De Vitâ & Verbis Seniorum Libros* X. *Hiſtoriam eremiticam complectentes, Auctoribus ſuis & nitori priſtino reſtitutos, ac Notationibus illuſtratos, operâ & ſtudio* HERIBERTI ROSVVEYDI *Vltraiectini è Societate* IESV *Theologi*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impreſſos in Inferioris Germaniæ ditiones importet. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XX. Februarij, M. DC. XIII.

Signat.

Buſchere.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI

M. DC. XXVIII.


LABORE ET CONSTANTIA